DEFENSIO
DOCTRINAE VETERIS ET APOSTOLICAE DE SACROSANCTO EVCHARISTIAE SACRAMENTO D. PETRI MARTYRIS VERMILII FLORENTINI, DIVINARVM Literarum in schola Tigurina Professoris, in quatuor distincta partes, aduersus Stephani Gardineri, quondam Vintonien sis Episcopi, librum, sub nomine M. Antonij Constantij editum, &c. Cum eiusdem Analysi in totum de Eucharistia opus.

CVI ACCESSERAT ANTEA QVIDEM DE EOdem Eucharistiæ Sacramento Disputatio: Nunc verò de Votis monasticis & cœlibatu aduersus Richardum Smythæum Anglum elegantissima Tractatio.

ITEM

Dialogus de vtraque in CHRISTO natura.

OMNIA nunc primum in vnum corpus collecta & disposita, cum suis
INDICIBVS

BASILEAE
EX OFFICINA PETRI PERNAE
M D LXXXI.

SERENISSIMÆ ELIZABETAE, DEI GRATIA REGINAE ANGLIAE, FRANCIAE ATQVE HYBERNIAE,

à Deo patre, per Iesum Christum seruatorem nostrum, Gratiam & æternam felicitatem.

SCRIPSIT antè complures annos, Illustrissima Regina, Stephanus Gardinerus, Episcopus Vintoniensis, librum virulentum & pestiferum de Eucharistia, quo veram & orthodoxam doctrinã, quam nos à Christo ipso & apostolis, & antiquissimis Ecclesiæ patribus Græcis Latinisq; acceptam hodie sequimur & profitemur, nõ sacrarum scripturarum authoritate, aut sanctorum patrum certis & euidentibus testimonijs, sed meris sophismatis, & contortissimis fallacijs conatus est, quantum potuit, labefactare. Id autem ille non alio consilio fecit, quam vt superstitio, & fœdissima illa ἀξολατρεία, quæ summo Dei beneficio, illustrissimi illius, & sanctissimi Regis, & dulcissimi fratris tui Eduardi tempore sublata fuerat, aliquando postliminiò in integrum restitueretur. Eius libri contagionem cum multi pij, & veræ Religionis amantes viri, quorum est hodiè Anglia tua feracissima, animaduerterent ad multos dimanare, cœperunt mecum sæpè & coràm, & per literas agere, vt obrepenti malo quàm primùm occurrerem Quibus ego & honesta & iusta petentibus, etsi alijs negotijs & grauissimis, & maximis distinebar, tamen deesse nullo modo potui. Teneor enim multos iam annos huius eserendæ veritatis mirifico studio: vel quod causa ipsa per se inter Religionis nostræ capita maximi sit momenti: vel quòd in ea hallucinari, ad omnem superstitionem, & idololatriam sit fenestram latissimam patefacere. Verum huic meo studio, & amicorum precibus, & rei ipsius æquitate, & præsertim fratrum nostrorum, pro quibus Christus Iesus vitam suam & sanguinẽ profudit, periculis satis alioqui incitato, cum varia & multiplicia impedimenta, quæ nunc referre non libet, diu multumq; obstitissent, ea Deus Opt. Max. pro sua bonitate tandem aliquando omnia remouit: & animo meo ad hunc laborem, vt anteà dixi, sua sponte satis propenso, adiecit vires, non immensas quidem illas, sed quantas iudicauit fore satis ad hoc malum ab Ecclesia sua, & piorum hominum pectoribus depellendum. Itaque hyeme superiori cum opus absoluissem, idq; iam typographis excudendum commisissem, repente ad nos optatissimus nuntius allatus est, Maiestatem tuam secundissimis omnium tuorum animis declaratam esse Reginam Angliæ. Quo nuntio non tantùm Angli tui, qui tum religionis causa pulsi domo, & euersi fortunis omnibus, passim per Germaniam exules habitabant, ita sibi gratulati sunt, quasi qui viderentur sibi vnà cum initijs Regni tui excitati à mortuis: sed etiam Ecclesia, & Respublica tota Tigurina, atque adeò omnes, quicunq; sanæ Religionis studio tangebantur, & Deo publicè, priuatimq; gratias agebant & vbique mirificè triumphabant. In illa tanta gratulatione ego sic mecum cœpi cogitare: Maiestati tuæ, postquam optimo iure in patrium auitumq; Regnum successeris, veram pietatem, quam à pueritia ad hanc vsque ætatem semper studiosissimè colueris, præter cætera fore curæ. Nihil enim tibi antiquius esse posse, quam vt vnà cum Christo regnes, eiusq; nomen in tua Republica ad amussim & præscriptum sacrarum literarum

quàm purissimè & sanctissimè celebretur. Id cum tua Maiestas semper aliàs cupidissimè optarit, & Fratris tui Eduardi tempore aliquo modo factum lætata sit, nunc postquam à Deo Opt. Max. summam adepta sit potestatem, vt omnibus numeris & partibus perficiatur, & quàm primùm, & quàm diligentissimè curaturam. Etsi enim & excellenti doctrina polleas, & omnium virtutũ genere exculta sis, tamen in Regio illo tuo pectore præcipuas esse partes pietatis. Hæc ego dum mecum in animo cogitarem, & alia res ex alia, vt fit, mihi sese offerret, non alienum nec ab officio meo, nec ab vsu Ecclesiæ fore arbitrabar, si librum illum meum, quem iam habebam sub prælo, tuo sacro nomini dedicarem: partim quòd Maiestatẽ tuam ab eo tempore, quò primùm veni in Angliam, propter insignes, & verè Regias animi tui dotes, quibus eras illustrissima, perpetuò coluerim: partim quòd ad sanctissimum illud tuum institutum de instauranda Ecclesia Dei, vt de hoc dogmate, de quo in hoc tôto Libro conflictor cum Gardinero, aliquando bene constituatur, permagni referre iudicarem. Id autem ego in hac disputatione mihi in primis proposui, vt nè quid defenderem, quod non in diuinis literis perspicuè traderetur, aut non esset vetustissimorum patrum scriptis consentaneum, aut postremò in Anglia tua bonis temporibus non fuerit publica Ecclesiæ professione comprobatum. Contrà vero peregrina, & à scripturis patribusq; aliena ita refutaui, vt spherem, Lectori modesto & pio nullum amplius fore ambigendi locum. Nunc id restat, Illustrissima Regina, vt quod à me animo sincero & fideli offertur tuo nomini, id Maiestas tua, ea, qua mirabiliter ornata est, quaq; longè cæteris mortalibus antecellit, benignitate, clementiaq; suscipiat. Cumq; pro tuo politissimo iudicio, quo te instruxit spiritus Christi, intellexeris, doctrinam eam, quam nos tuemur, & profitemur, puram esse & sanam, & sacris scripturis conuenientem, id etiam atque etiam à Maiestate tua peto, vt eam omni tuo fauorẽ, authoritatẽ, pietate propugnes: nec in Anglicana Ecclesia, quæ tuæ fidei vnà cum regno concredita & commendata est, aliam vllam publicam professionem sonare ac vigere patiaris. Quod si à tua Maiestate diligenter, vti spero, prouisum fuerit, præstabis Christo Regnum tuum ab omni superstitione & idololatria repurgatum. Deus Optimus Maximus, per Iesum Christum filium suum Maiestatem tuam & Ecclesiæ, & Regno Angliæ, quàm diutissimè conseruet incolumen. Tiguri Calendis Martij 1559.

Tuæ Maiestati
obsequentiss.

Petrus Martyr.

TYPOGRAPHVS AD Lectorem.

POlliciti fuimus, candide Lector, priori Locorum communium D. Petri Martyris volumine, alterum Tomum: quē nunc bona fide tibi soluimus ita, vt omnes fere DISPVTATIONES, ac TRACTATIONES eius, quas sparsim & extra Commentationes sacrarum literarum vir ille doctissimus æquè ac pijssimus scripserat, hoc secundo locorum volumine comprehendimus, præsertim vero ea quæ de Eucharistiæ sacramento in Anglia contra Religionis nostræ hostes & perfugas disputauit. Harum primum locum obtinet Dialogus de vtraque in Christo natura: in quo inter cætera de vbiquitate ista corporis Christi luculentissimè disputat, refutatque ita, vt mirum sit, homines adhuc hodie velle in tanta luce cæcutire, decipiquè.

Secundum locum occupat Analysis, breuis illa quidem, sed perspicua: quam manu scriptam nobis tradidit Dominus Christophorus Eychingerus Schoffensis pastor, ipsius D. Petri Martyris in suum ingens illud opus de Eucharistiæ sacramento, scriptam: quod opus edidit aduersus M. Antonium Constantium, id est, Stephanum Gardinerum, episcopum Vintonienſem, & regni Anglici Cancellarium: quem ita Martyr noster refellit atque arguit, vt omnium ferè doctorum Theologorum consensu facilè superet atque vincat, quod opus tertium sibi hic vendicat locum: Cui disputatio Oxonij habita, atque de Eucharistia noua tractatio adiungitur.

Vltimo loco aduersus Richardi Smytthæi librum de Votis monasticis & cœlibatu clericorum DEFENSIONEM eius elegantissimam atque pijssimam collocauimus, vt nihil ferè opusculorum huius doctoris reliquerimus, quod in hoc volumen nō importauerimus. Si quid autem defuerit, tam nouum quàm antea excusum, cùm volumen hoc satis excreuerit, in tertium Tomum propediem Deo volente referemus, ne quid, amice lector, huius viri sanctissimi atque doctissimi, desiderare possis. His interim fruere, & nobis quoad potes faueas, cum nos in tuam gratiam neque labori, neque sumptibus parcamus: id quod indies, quo ad Domino visum fuerit, clarissimè perspicies. Possemus adhuc plura de nostro studio & diligentia effutire, nisi tuæ prudentiæ pensitanda relinqueremus. Vale. Basileæ VI. Kal. Sept. 1581.

QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINEANTVR TRACTATIONES.

I.

Dialogus de Vtraque in Christo natura, in quo de vbiquitate agitur.

II.

Analysis in librum de Eucharistia aduersus Gardinerum, nunquam antea impressa.

III.

Disputatio ipsa aduersus Gardinerum, in quatuor diuisa partes.

IV.

De eadem re Disputationes Oxoniæ habitæ.

V.

De Votis monasticis & Cœlibatu aduersus Richardum Smitthæum Anglum.

PETRO MARTYRI VERMILIO
Florentino, Theologo excellenti, ac
patri darissimo

A. T. B. F.

P. MART.

Εξάστιχον Εγκωμιαστικὸν

PETRO MARTYRI VERMILIO

Florentino, Theologo excellenti, ac penè diuino

A' T. B. F.

Thuscia te pepulit, Germania & Anglia fouit,
Martyr: quem extinctum nunc tegit Heluetia.
Dicere quæ si vera volent, Re & Nomine, dicent,
Hic fidus Christi (credite) μάρτυς erat.
Vtq; istæ taceant, satis hoc tua scripta loquuntur:
Plus satis hoc Italis exprobrat exilium.

P. MART.

P. MARTYRIS VERMILII
FLORENTINI PRAESTANTISSIMI THEOLOGI, LOCI COMMVNES, SIVE TRACTATVS.

EX

VARIIS IPSIVS AVTHORIS TRACTATIBVS ET LIBRIS COLLECTI.

LOCVS PRIMVS

De Dei Christi Humanitate.

Argumentum.

Dialogus De vtrisque in Christo naturis: quomodo coeant in vnam Christi personam inseparabiliter, & interim non amittant suas proprietates, ideoque Christi Humanitatem siue corpus non posse esse vbique, contrarijsque argumentis dilucidè & benignè respondetur, negociumque cœnæ dominicæ illustratur scripturæ & Patrum testimonijs.

PANTACHVS. OROTHETES.

VNDE te Orothetes in hanc porticum recipis? Videris, nisi me animus fallit, grauia quædam, nec sine dolore tecũ in animo agitare. ORO. Venio à bibliopola, quo me contuleram vt nouos libros nuper allatos inspicerem. PAN. Quid obsecro nactus es boni? ORO. Id nunc mecum stomachabar, quod liber molestus, admodum, & παράδοξος primo aspectu se obtulit. PAN. Non potes effari quæ ibi deprehenderis tam dura, & à sensu tuo aliena, vt ea non possis concoquere? ORO. Ea illic animaduerti fusius explicari, quæ tu, cum sis ex illo grege, mihi aliàs pressè, ac satis obscurè indicasti. PAN. De multis quandoque sumus inter nos colloquuti. Et cùm sim Dauus non Oedipus, quo tu spectes nequeo diuinare. ORO. In summa libri argumentum est, Christi corpus esse vbiq;. Vnde sentio verisimum, quod vulgò iactatur: Nullam rẽ esse tam rectè dictam, sapienterúe constitutam, quæ malè narrando, seu peruersè interpretando non possit deprauari. PAN. Quorsum hæc? ORO. Quia pro Christi dignitate ac veritate asserenda contra Nestorium, nil potuit diuinius constitui, quàm vnio duarum naturarum in eadem persona: sed nunc proh Dei atque hominum fidem, quæ inde peregrinæ opiniones, & noua dogmata, ne quid dicam durius, colliguntur? Nec ea (vt arbitror) suis authoribus per se bella & sana viderentur, nisi quod semel in affirmanda Reali, Substantiali, Corporaliúe (vt grassa pinguiáque oratione loquuntur) corporis & sanguinis Christi præsentia in pane ac vino Cœnæ Domini fines orthodoxæ fidei transilierunt. A Et ideirco vt sua figmenta quoquomodo constabiliant, pergunt magno suo malo, & ecclesiæ nõ leui damno, confidentius insánire, atque constãter, vel potius pertinaciter defendunt, non proter aliam causam Humanitatem Christi omnia loca implere. Absurdiora porrò hæc sunt, quàm ea propter quæ elaborantur, Papistæ quibus nil deprauatius fingi potest, quamuis illam præsentiã cum vana & detestanda μίλοσοφίᾳ docent, non tamen adeò sunt rationis, diuinarum literarum, & B sensus communis expertes, vt portentosam Vbiquitatem sibi vnquam fabricarint, quin potius ab ea, ceu dogmate prorsus diuerso & alieno ab ecclesia, vehementer abhorrent. Quid attinet de patribus loqui? Nemo eorum vnquam dixit, scripsit, aut docuit, naturam humanam Christi omnia loca implere. Nunc denique nata est hæc oratio, Vtinam hoc quoq; tempore aboleatur. PAN. Etsi me non latet isto dogmate mirificè te conturbari, nõ tamen desistã illud pro viri- C bus tueri: non enim id patrocinio meo fraudare volo quod vt verum & sanum dogma quàm maximè amplector. Miror in primis vehementer, vos non posse cogitationes de dimensionibus Geometricis excutere, vbi de corpore Christi disputatur. ORO. De Geometricis dimẽsionibus nihil respondeo. Sed illud tibi affirmo, nos molem ac magnitudinem, staturæ modum, partes, lineamenta, & membra quæ homini cõgruant, nec velle, nec posse à corpore Christi remouere. Nam corpus humanum, si ab eo auferatur com- D positio membrorum, conformatio lineamentorum, iusta mensura, & circumscriptio, funditus euertitur. PAN. Non intelligo an inscienter agas, an data opera nos calumnieris, quasi nostra doctrina corporis Christi naturam extinguamus

Ἐξάστιχον Ἐγκωμιαστικὸν

PETRO MARTYRI VERMILIO

Florentino, Theologo excellenti, ac penè diuino

A' T. B. F.

Thuscia te pepulit, Germania & Anglia fouit,
Martyr: quem extinctum nunc tegit Heluetia.
Dicere quæ si vera volent, Re & Nomine, dicent,
Hic fidus Christi (credite) μάρτυς erat.
Vtq; istæ taceant, satis hoc tua scripta loquuntur:
Plus satis hoc Italis exprobrat exilium.

P. MART.

P. MARTYRIS VERMILII

FLORENTINI PRAESTANTISSIMI THEOLOGI, LOCI COMMVNES, SIVE TRACTATVS.

EX

VARIIS IPSIVS AVTHORIS TRACTATIBVS ET LIBRIS COLLECTI.

LOCVS PRIMVS

De Dei Christi Humanitate.

Argumentum.

Dialogus De vtrisque in Christo naturis: quomodo coeant in vnam Christi personam inseparabiliter, & interim non amittant suas proprietates, ideoque Christi Humanitatem sine corpus non posse esse vbique, contrarijsque argumentis dilucidè & benignè respondetur, negociumque coenæ dominicæ illustratur scripturæ & Patrum testimonijs.

PANTACHVS. OROTHETES.

VNDE te Orothetes in hanc porticum recipis? Videris, nisi me animus fallit, grauia quædam, nec sine dolore tecũ in animo agitare. ORO. Venio à bibliopola, quo me contuleram vt nouos libros nuper allatos inspicerem. PAN. Quid obsecro nactus es boni? ORO. Id nunc mecum stomachabar, quod liber molestus, admodum, & παράδοξος primo aspectu se obtulit. PAN. Non potes effari quæ ibi deprehenderis tam dura, & à sensu tuo aliena, vt ea non possis concoquere? ORO. Ea illic animaduerti fusius explicari, quæ tu, cum sis ex illo grege, mihi aliàs pressè, ac satis obscurè indicasti. PAN. De multis quandoque sumus inter nos colloquuti. Et cùm sim Dauus non Oedipus, quo tu spectes nequeo diuinare. ORO. In summa libri argumentum est, Christi corpus esse vbiq;. Vnde sentio verissimum, quod vulgò iactatur: Nullam rẽ esse tam rectè dictam, sapienterúe constitutam, quæ malè narrando, seu peruerse interpretando non possit deprauari. PAN. Quorsum hæc? ORO. Quia pro Christi dignitate ac veritate asserenda contra Nestorium, nil potuit diuinius constitui, quàm vnio duarum naturarum in eadem persona: sed nunc proh Dei atque hominum fidem, quæ inde peregrinæ opiniones, & noua dogmata, ne quid dicam durius, colliguntur? Nec ea (vt arbitror) suis authoribus per se bella & sana viderentur, nisi quod semel in affirmanda Reali, Substantiali, Corporaliúe (vt grassa pinguiqúe oratione loquuntur) corporis & sanguinis Christi præsentia in pane ac vino Cœnæ Domini fines orthodoxæ fidei transilierunt. Et ideirco vt sua figmenta quoquomodo constabilient, pergunt magno suo malo, & ecclesiæ nõ leui damno, confidentius insanire, atque constãter, vel potius pertinaciter defendunt, non propter aliam causam Humanitatem Christi omnia loca implere. Absurdiora porrò hæc sunt, quàm ea propter quæ elaborantur. Papistæ quibus nil deprauatius fingi potest, quamuis illam præsentiã cum vana & detestanda μιλοσοφίᾳ docent, non tamen adeò sunt rationis, diuinarum literarum, & sensus communis expertes, vt portentosam Vbiquitatem sibi vnquam fabricarint, quin potius ab ea, ceu dogmate prorsus diuerso & alieno ab ecclesia, vehementer abhorrent. Quid attinet de patribus loqui? Nemo eorum vnquam dixit, scripsit, aut docuit, naturam humanam Christi omnia loca implere. Nunc denique nata est hæc oratio, Vtinam hoc quoq; tempore aboleatur. PAN. Etsi me non latet isto dogmate mirificè te conturbari, nõ tamen desistã illud pro viribus tueri: non enim id patrocinio meo fraudare volo quod vt verum & sanum dogma quàm maximè amplector. Miror in primis vehementer, vos non posse cogitationes de dimensionibus Geometricis excutere, vbi de corpore Christi disputatur. ORO. De Geometricis dimẽsionibus nihil respondeo. Sed illud tibi affirmo, nos molem ac magnitudinem, staturæ modum, partes, lineamenta, & membra quæ homini cõgruant, nec velle, nec posse à corpore Christi remouere. Nam corpus humanum, si ab eo auferatur compositio membrorum, conformatio lineamentorum, iusta mensura, & circumscriptio, funditus euertitur. PAN. Non intelligo an inscienter agas, an data opera nos calumnieris, quasi nostra doctrina corporis Christi naturam extinguamus

Nec in eo calumniã effugere poteſtis, quod portentoſam vocem Vbiquitatis feciſtis, Latinis auribus hactenus inauditam, quo apud rudem plebeculam nos grauaretis. ORO. Noua & prodigioſa res, opus habuit nouo & prodigioſo vocabulo. Et eæ voces iure laudantur, quæ ſignificantius res exprimunt. Sed age tu vicißim dicas quare vos, vt veram ſanamq; doctrinam quam profitemur, odioſam orbi Chriſtiano redderetis, nos in veſtris libris paſsim Phanaticos, Suermeros, & Sacramentarios appellaueritis? Cùm autem doceatis corpus Chriſti eſſe vbique, non video quo minus iſta conditio ſeu fictitia dos, quã ei male aſſuitis, non poſsit dici Vbiquitas. Aſsignantur corpori Chriſti ac beatorum à Scholaſticis quatuor dotes, Impaſsibilitas, Claritas, Agilitas, & Subtilitas: at vos ijs non contenti docendo illud omnia loca implere, aliam ei dotem adieciſtis, quam commodiori voce quàm Vbiquitatis non potuimus notare. Si contenti fuiſſetis receptis illis dotibus, non fuiſſet recens nomen cudendum. Quare id vobis conſulo, vt deſinatis prædicare Humanitatẽ Chriſti eſſe vbique, ſi vultis vt nobis temperemus à voce Vbiquitatis. Alioqui vos Vbiquiſtas appellare vſque pergemus, dum in veſtra pertinacia duraueritis. Nec iuſtè poteritis exiſtimare conuitium vobis eſſe allatum, cum præ ijs quæ ipſi nobis facitis, ne vix quidem ſit relatum. PAN. Eodem etiam pertinet, quòd nos dicitis corpus Chriſti tanquam alutam in omnia loca Geometricè extendere ac diffundere. ORO. Neque de aluta, neque de alia quauis pelle contendimus: verùm corpus humanum conſtanter dicimus ea non poſſe implere loca ad quæ non pertigerit. Id autem quomodo aliter fiat quam eius magnitudinis extenſione, vos noſtra ætate ſoli commenti eſtis. Papiſtæ vobis vtcunque occaſionem dederunt, ſuam tranſubſtantiationem vel explicando vel defendendo: ſed vos illos magno interuallo ſuperaſtis. Hoc ſi hactenus eccleſia Dei non vidit ipſi vt luſcioſi minimè ſumus accuſandi. Literæ diuinæ corpus Chriſti eſſe vbique nuſquam dicunt: Patres id minimè affirmant. Scholaſtici vbique reſpuunt: quare in nobis culpa nequaquam inhæret. Sed vos præclaris inuentis veſtris eò corpus Chriſti redegiſtis, vt neſcio à quibus cum aluta conferatur. Non memini tamen vel à me, vel à quopiã noſtrũ, alutæ collationem eſſe allatã. Id autem obliuiſci non poſſum, veſtros nobis per ſummam iniuriam obijcere angulum neſcio quẽ & gurguſtium cœli, quo Chriſti corpus alligemus, cùm illud agere doceamus in quadam ampliſsima regione vniuerſũ, quæ ſita eſt vltra omnes aſpectabiles cœlos. Nunc itaq; ſi libet, conferatur ſimul extenſio alutæ (nam eius comparatione putatis vos grauari) cum paruulo angulo, vel breui gurguſtio, quo nobis inuidiam conflatis: & ſentietis verbum verbo, & par pari nedum quidem eſſe redditum. Mitto præterea nos à veſtris inſimulari, quaſi axiomatis Ariſtotelicis nimis adhæreamus. PAN. Id non iniuria dicimus, quia vnà cum eo mordicus aſſeritis, ἅπαν σῶμα ἐν τόπῳ. Et οὐδὲν ὅλως σῶμα ἄνευ τοῦ ὑπουοῦ. ORO. Nos vt ſcias, hominibus in cauſa religionis minimè ſumus irati. Sed verũ à quocunque dictum fuerit vt à ſpiritu ſancto prolatũ amplectimur. Proinde tu mihi velim demonſtres, quæ ſancta oracula nos prohibeant ſentire eum illis, qui omne corpus eſſe in loco perhibeant. Id profectò Auguſtinus affirmauit ad Dardanum, cui virò ſecundum ſacras literas ego ſemper multum tribui. Ad hunc autem modum ſcripſit: *Nam ſpacia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt: & quia nuſquã erunt, nec erunt: & c.* Cedò aliquem ex veteribus patrib. qui ſecus aut dixerit aut ſcripſerit? Dictis Ariſtot. nõ ſubſcribimus authoris cauſa ſed quod eius quædam ἀξιώματα vera iudicemus, vt à Paulo prolata ſunt quædam poetarũ carmina. Vbi verò idem Philoſophus deceptus eſt, & pugnantia cum pietate docuit, illi minimè omnium ſuffragamur: imò errores eius acerrimè oppugnamus. Extra cœlũ autem nullum corpus eſſe, in vniuerſum non aſſentimur: quia vltra firmamentum, quod octauũ orbem noſtri faciunt eſt, regio feliciſsima, vbi corpus Chriſti degit, & ſancti ſua loca, ſedes, & manſiones, cum habent, tum poſt reſurrectionem ſunt habituri. Sin verò etiam regionem illam cœli nomine comprehendamus, fieri poteſt vt extra eã nullum reperiatur corpus.

PAN. Cum Ariſtotele agite vt lubet. Ingrediamur potius ad illud excutiendum, Quomodo corpus Chriſti poſsit in multis locis præſens adeſſe. Vos porrò id negatis: neque à nobis diuerſũ ſtatuitur, ſi eius natura per ſe ac ſeorſim æſtimetur. Sed quin virtute Dei hoc fieri poſsit, nihil videmus obſtare. Quis enim eius poteſtati atque fortitudini auſit præſcribere? ORO. Maior pars ex noſtris rationem allatam ſic exciperet, non vocari iam in controuerſiam Dei vires, tantũ de illius voluntate inquiri, quæ ab hominum intelligentia non percipitur, niſi quoad ſe in ſacris literis patefacit. Quare ſi opinionem veſtram probatam vultis, oſtendatis oportet ſacris teſtimonijs alicubi expreſſum, corpus Chriſti eſſe vbique, aut ſi nul in diuerſis locis. Id verò neque præſtitiſtis vnquam, neque (vti confido) poteritis efficere, cum à nobis in Euangelica hiſtoria teſtimonia permulta demõſtrentur, quibus Chriſtus, nimirum quoad humanitatem, aut hîc, aut illic nõ fuiſſe dicitur. Aiebat ſe relinquere mundum. Diſcipulos habituros perpetuò ſecum paupetes, nõ autem ipſum. Et ſe gaudere quòd apud Lazarum non fuerit, cũ eſt mortuus. Deinde angelus dixit: Surrexit, nõ eſt hic. Et in Euangelio & in Actis diſceſſus eius, hoc eſt aſcẽſio in cœlum, tã liquidò & perſpicuè deſcribitur, vt nemo queat eius abitum à rebus humanis ignorare. Argumenta verò à Dei poteſtate petita, vt infirma & periculi plena ſint, cum dogmata dubia ſunt confirmanda ego ex meo capite nõ exponam, ſed ex Patrum ſententijs perſpicuè demonſtrabo. Tertullianus aduerſus Praxeã ita ſcribit, *Ergo (inquiunt) difficile non fuit Deo, ipſum ſe, & patrem & filium facere aduerſus traditam formam rebus humanis. Nam & ſterilem parere contra naturam difficile Deo nõ fuit. ſicut nec virginem. Planè nihil Deo difficile, ſed ſi tam abruptè in præſumptionibus noſtris hac ſententia vtamur, quid-*

Vocabulũ Vbiquitatis quare fabricatum.

Chriſti corporis dotes.

Omne corpus in loco.

Auguſtinus.

An extra cœlũ ſit aliquod corpus.

An corpus Chriſti ſit ſimul præſens in plurib. locis.

Argumenta à potẽtia Dei, ab infirma tum periculoſa,

Tertullianus.

vis de Deo confingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia potest facere, ideo credendum est illum fecisse, etiam quod non fecerit: sed an fecerit requirendum. Potuit, ita saluus sim, Deus pennis ad volandum hominem instruxisse, quod & miluis præstitit: non tamen quia potuit, statim effecit. Potuit & Praxeam & omnes pariter hæreticos statim extinxisse, non tamen quia potuit, extinxit: oportebat enim & miluos esse, & hæreticos, &c. Et mox: Probare autem tam apertè debebis à scripturis, quàm nos probamus illum sibi filium fecisse sermonem suum. &c. Ex his vides quàm suspectę sint rationes quæ a vobis & ab alijs ex diuina potestate nectuntur.

PAN. Nequaquam ex nuda omnipotentia Dei conficimus, Corpus Domini esse vbique, seu in multis locis: Habemus eius rei testes diuinas literas, & inter eas potissimum Verba Cœnæ: Dixit quippe Dominus: *Hoc est corpus meum*, O. RO. Ea verba cùm habeant sensum oppidò quàm facilem & expeditum, quo nos vtimur, eorum præsidio nudaris, & solum tibi restat vt omnipotentia diuina tuas rationes fulcias: quod argumenti genus (vt iam sum testatus) & inualidum est, & vehementer periculosum. Hoc responsum nostrorum approbandum censeo. Verum libet nonnihil vlterius progredi. & quędam esse affirmo, quæ suo defectu seu vitio nullo modo fieri possunt, incolumi & salua nihilominus diuina potestate. Nam quæ facta sunt: nulla potẽtia reddi possunt infecta. Et Hieronymus Tomo 1. ad Eustochium De custodia virginitatis, inquit *Audenter loquar, Cùm omnia possit Deus, suscitare non potest virginem post ruinam*. Augustinus etiam ita scribit De Ciuitate Dei lib. 5. cap 10. *Potestas Dei nõ minuitur, cùm dicitur mori falli, non posse*. Et mox *propterea quædam non potest, quia omnipotens est, &c. Ista propterea fieri non possunt, quia seipsa destruunt, & (vt loquar cum scholis) contradictionem implicant: Nempe vt Deus, qui est vita, moriatur, & qui est ipsa veritas fallatur*. Augustinus de eadẽ re li 20. contra Faustũ c. 5. ad hunc modum scribit: *Quisquis ita dicit, Si omnipotens est Deus, faciat vt quæ facta sunt, facta non fuerint: non videt hoc se dicere, Si omnipotens est, faciat vt ea, quæ vera sunt, eo ipso quo vera sunt, falsa sint? Potest enim facere vt aliquid non sit, quod erat. Tunc enim facit vt non sit, quando id esse inuenerit de quo fiat. Velut enim aliquem qui cœpit esse nascendo, facit non esse moriendo: hoc enim factum inuenit, de quo fieret. Quis autem dicat vt id quod iam non est, faciat non esse? Quicquid enim præteritum est, iam non est. Quòd si & de ipso fieri aliquid potest, adhuc est de quo fiat: & si est, quomodo præteritum est? Non ergo est, quod verè dicimus fuisse. Sed ideo verum est illud fuisse, quia nostra sententia verum est, non in ea re quæ iam non est, Sententia quippe qua dicimus aliquid fuisse, ideò vera est, quia illud de quo dicimus iam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati. Quòd si quæras vbi sit vera hæc sententia, prius inuenitur in animo nostro, cùm id verum scimus, & dicimus. Sed si & de animo nostro ablata fuerit, cùm id quod scimus obliti fuerimus, manebit in ipsa veritate. Semper enim verum erit, fuisse illud quod erat, & non est: & ibi verum erit, iam fuisse quod erat, vbi verum erat antequam fieret, futurum esse quod non erat. Huic veritati Deus non potest aduersari, in quo est ipsa summa & incommutabilis veritas, quo illustratur vt sit, quicquid in quorumq; animis & mentibus verum est. Omnipotentem autem Deum non ita dicimus, ac si eum etiam mori posse credamus: & quia hoc nõ potest, ideò non sit dicẽdus omnipotens, &c.* Nec non Theodoretus in 3. Dialogo, qui ab eo vocatur Impatibilis, ait non esse enunciandum indefinitè, omnia Deo posibilia. *Nam qui hoc absolutè dixit, omnia & quæ bona sunt, & quæ contraria simul dixit, &c.* Et mox Deũ non posse peccare affirmat, quod ab eius natura sit alienũ Vnde conficitur, Deum multa non posse quòd multa sint peccatorum genera, & cùm sit vera lux, non potest fieri tenebræ. Deinde cùm sit inuisibilis eius natura, fieri non potest vt ea sit visibilis: sed nec vt sit comprehensibilis. Nec qui est, fieri potest vt non sit. Nec vt pater sit filius: Neque vt qui est ingenitus, sit genitus: Sed neque filius fuerit vnquam pater: Neque Spiritus sanctus fieri vnquam poterit filius, vel pater, Multa quoque alia inuenimus huiusmodi quæ fieri non possunt. Neque enim quod est æternum fuerit subiectum tẽpori: Neq; quod est increatũ, creatũ vel factũ: Neq; finitũ. quod infinitũ: & quę sunt his similia. Sed horum quippiam non posse, est infinitæ potentiæ signũ, non imbecillitatis Et mox: *Deum talia non posse diuinus Apostolus & intellexit & posuit. Ad Hebræos enim scribens, sic dicit: Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, firmam consolationem habeamus. Et scribens ad Timotheum, hæc quoque adiecit: Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinebimus, & conregnabimus: si negauerimus. & ille negabit nos. Si diffidimus, ille fidelis manet, seipsum negare non potest, &c.* Hinc facilè cognoscis Dei potestate salua & incolumi permulta reperiri quæ nullo modo fieri possunt: ea scilicet, quæ rei naturæ ac definitioni repugnant, Quis dixerit posse fieri vt triangulus sit quadrangulus? vtque numerus ternarius sit quaternarius? potest sanè Deus efficere vt ista non sint, sed vt simul ita sint & non sint, fieri non potest Proinde corpus humanum cùm id oporteat ex natura & definitione sua finitum circumscriptum, ac delineatum esse, fieri non potest vt plura loca simul occupet, vel vt sit vbique. Suos quippe terminos, fines & cancellos egrederetur, atque humanum corpus esse desineret. Vt autem simul idem & sit, & non sit, nulla vi potest effici Nam ea enunciata, quæ de eadem re simul affirmant & negant, mutuò se interimunt.

PAN. Sed corpus Christi hoc peculiare habet, vt sit vbique seu in multis locis non localiter O RO. Hoc non est aliud quàm figmenta figmentis accumulare, Id restabat, vt corpus in loco esse diceretis, idque non localiter, Hac ratione quispiam dicet, vos quoque homines esse, nõ humanè: doctos non doctè: ac sapientes, minimè sapienter. Cur è scripturis, ex Patribus, ex aliquo symbolo fidei, vel ex Concilijs receptis & probatis, non docetis nos hoc vestrum nouum somnium? Illud primi Scholastici viderunt per inquietem, dum animaduerterẽt, se nõ aliter suam realem in Eucharistia præsentiam corporis & sanguinis Domini posse defendere. Ab illis

Quædam sua natura fieri nõ possunt, salua Dei potentia. Hieronym.

Augustin.

Augustin.

hoc vestrum dogma proculdubio hausistis, cum vos graviora & saniora testimonia deficerẽt. Sed ecclesias gratia Christi reformatas minimè latet, qua laboretis inopia firmorum argumentorum. Et idcircò, quantum mihi persuadeo, non sinent sibi tuam hanc nouam doctrinam obtrudi.

PAN. Ad illud me refero quod paulò ante dicebam, Quod natura sua corpori Christi non conceditur, illi tribuendum esse vi & potestate diuina. ORO Ego verò è contra tibi affirmo, nulla vi fieri posse vt res creata sit vbique Deinde

Nulla creatura potest esse vbique.

assumo corpus Christi rem esse creatam, quod nemo inficiabitur, nisi dixerit illud ante omnem æternitatem extitisse. PAN. Tibi facilè dabitur humanitatem Christi rem esse creatam, sed creaturam nulla vi posse esse vbique, te demonstrare necesse est. ORO. Basilius in libro de spiritu Sancto cap. 22. scribit ad hunc modum. *Nam angelus qui astitit Cornelio, non erat in eodem loco etiam apud Philippum. Nec qui ab altari Zachariam alloquebatur, eodem tempore etiam in cælo propriam sedem ac stationem implebat. At verò spiritus sanctus simul & in Habacuc, & in Daniele in Babylonia operari creditus est & in cataracta cum Hieremia esse dictus est, & cum Ezechiele in Chobar. Spiritus enim Domini repleuit orbem terrarum. Et quò ibo à spiritu tuo & à facie tua quò fugiam? Et propheta. Quoniam. inquit, ego vobiscum, dicit Dominus, & spiritus meus stat in medio vestrum Qui vero vbique est & Deo adest, eum qualis naturæ putare conuenit? Eius ne qui omnia complectitur, aut eius quæ particularibus locis includitur, qualem esse angelorum naturam scriptura ipsa ostendit? &c.* Proinde

Basilius.

Quo argumẽto spiritus sanctus probetur esse Deus.

is pater hoc argumento spiritum sanctum non creaturam. sed Deum esse confirmat, quòd eodẽ tempore in multis locis & vbique sit. Quare alterutrum fateri te oportebit, aut corpus Christi non esse creaturam, cum illud vbique prædices esse, vel argumentum istius Patris nihili fuisse: quod si ausus fueris dicere, id saltem inde colligam, sensum ecclesiæ illo tempore fuisse, Diuinitatem solam esse vbique. Et vt ne sis nescius, cum Basilio facit Didymus de spiritu sancto. Nã ita scribit, *ipse*, inquit de spiritu sãcto, *si una de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam sicut vniuersa quæ facta sunt. Nam si non circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus cùm in pluribus locis sit, non habet circumscriptam substantiam, &c.* Et mox. *Si ergo hi Apostoli in extremis finibus terræ ob testimonium Domini constituti distabant inter se longissimis spacijs. aderat autem inhabitator spiritus sanctus, incircumscriptam habens substantiam, demonstratur angelica virtus prorsus ab hoc aliena, Angelus quippe qui aderat verbi gratia Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodemque tempore adesse alijs in cæteris partibus constitutis. Spiritus autem sanctus non solùm seiunctu à se hominibus præsto est, sed & singulis quibusque angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator assistit. & vt homines sanctificans, alterius quàm hominis est naturæ, &c* Ex his probatur diuinitas, spiritus sancti, quòd simul eodemque tempore in locis diuersissimis inueniatur. Vnde si de corpore Christi hoc idem statuatur, consequetur porrò creatum corpus, esse Diuinitatem,

Didymus.

Vigilius.

A Quin & Beatus Vigilius in disputatione inter Sabellium, Photinum, Arium & Athanasium de hac eadem re ita scripsit, sub Athanasij persona: *Hinc præcipuè declaratur spiritum sanctum Deum esse, quia vbiq; est, & nullo continetur loco. sicut propheta dicit ad patrem: Quò ibo à spiritu tuo? Et commonet, Spiritus Domini repleuit orbem terræ. esse enim vbique, & vno eodemque momento cœlos, terras, maria, infernaque replere (vt Dauid ait: Si ascendero in cælum, tu illic es & si descendero ad infernũ, adés) non creaturæ, sed solius Dei e[illegible]oprium, &c.* Nec multò post in eadem disB putatione habetur. *Non ergò inquam vnius naturæ est, præsepis gremio contineri, & astrorum indicijs prodi, hominibus subijci, & ab angelis ministrari, de loco ad locum fugere, vbique præsentiam sui exhibere, terram incolere, & cælestia non deserere, &c.* Eodem quoque *Cyrillus.* probationis genere Cyrillus vtitur, libro 13. Thesauri cap. 2. scribens, *Deus exparte cuiusdam prophetæ dicit: Nonne cœlum & terram impleo, dicit Dominus? implet autem per spiritum sanctum. Quod ostendit, dicẽs* C *Quòd ibo à spiritu tuo? Si ergo Deus omnia replet, idque per spiritum sanctum, Deus certè spiritus sanctus est, & non creatura.*

Item Fulgẽtius ad Donatum de fide Orthodoxa *Fulgentius.* *Spiritus ergo sanctus. sicut omnia creauit, sic omnia replet immensus: & quia omnia replet, naturaliter est verus Deus. Scriptum est enim: quia spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Nam & B. Dauid vbique esse spiritum Dei testatur, dicens ipse de eo: Quò ibo à spiritu tuo? & à facie tua quò fugiam? &c.* Iam quatuor vel quinque demonstraui testibus, non esse creaturę D ascribendum vt sit vbique. PAN. Id vltrò dabo si creatura ex visua & propria potestate cõsideretur ORO. Hæc exceptio si alicuius esset ponderis, nihil planè aduersus hæreticos ij Patres confecissent. Spiritũ quippe sanctum & illi fassi essent nõ propria vi ac sua potestate in multis locis esse, verùm Dei potentia & virtute. At non ita Patres id intellexerunt. quod in sua ratione sumebant, nec hæreticis, alioqui satis acutis, in mentem venit, vt hac stropha suam causam tuerentur.

E PAN. Si vitiosum aut inualidum videatur quod modò respondi, rem aliter expendas, Humanitatem Christi non esse vulgarem & simplicem creaturam, ~~sed hypostatica vnione coniunctam cum diuinitate. Quare illi iure attribuitur vt sit vbique~~, quod vlli alij creaturæ non potest dari. ORO. Vbi nunc est illa Dei omnipotentia quam tam liberè ac citra vllã exceptionem perpetuò crepatis? Certè contrahitur, si cæteris creaturis dari per illam non potest, vt sint vbique, F Sed hoc mitto Et vt de huius responsi posterioris propugnaculo te deijciam, Tantum abesse affirmo, vt hypostatica vnio det humanitati Christi vbiquitatem, vt Cyrillus, quo tu familiari teste vteris, in dialogo de Trinitate lib. 2. Tomo. 1. folio *Cyrillus.* 245. ita scripserit: *Nam si verè sectionem & partitionem diuinæ naturæ (vt illi dicunt) reciperet, intelligeretur & corpus, si autem hoc, & in loco omnino, & in magnitudine & quantitate, & si quanta facta esset, non effugeret circumscriptionem, &c.* Hæc Pantache prorsus demonstrant corpus Christi esse omnino in loco, atque id circumscriptiuè, cum sectionem & partitionem recipiat, distincta membra, & li-

neamentorum partitiones habens. Cumque certo loco sit circumscriptum, nequaquam potest esse vbique. Ipsa quippe diuinitas, Cyrillo teste si esset huiusmodi, prorsus circumscriberetur & suo quodá esset loco. Vnde Theodoretus Dial. 2. ait: *Igitur Corpus dominicũ surrexit quidẽ à corruptione & interitu alienum & impatibile & immortale, & diuina gloria glorificatum, & á cœlestibus adoratur potestatibus: corpus tamẽ est, & habet quam prius habuit circumscriptionem, &c.* Et mox: *Ego quidem non dixerim humanis rationibus persuasus, nec sum usque adeò audax & temerarius, vt dicam aliquid quod sacra scriptura silentio præterijt. Sed tamen audiui D. Paulum clamantem: Statuit Deus diem in quo iudicaturus est in iustitia orbem terrarum in viro quem præfinijt fidem præbens omnibus, suscitans è mortuis seipsum.* Didici etiam à sanctis angelis quod veniet eo modo, quo viderunt ipsum discipuli euntem in cœlum. Viderũt autèm naturam circumscriptam, non eam quæ circumscribi non potest. Audiui autem etiam Dominum dicentem: *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli.* Scio vèrò esse circumscriptum quod videtur ab hominibus, Videri enim non potest natura, quæ non potest circumscribi Dominum quoque dicentem audi, *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli,* Porrò autem & sedere in throno gloriæ & statuere quidem agnos à dextris, hœdos verò à sinistris, id quod circumscriptum est significat, &c. Et mox: *Illud enim corpus habet priorem quidem formam & figuram & circumscriptionem, & vt semel dicam, corporis substantiam, &c.*

Theodoretus.

Adhæc idem Theodoretus Dialogo tertio. *Atqui post resurrectionem visum est circumscriptum, & habens manus & pedes, & alias corporis partes & tangi poterat, & sub aspectum cadebat, vulneraque & cicatrices habebat, sicut ante resurrectionem. Duorum ergo alterum dicere necesse est, vel diuinæ etiam naturæ esse has partes tributas, siquidem corpus in diuinitatis naturam conuersum has partes habuit: vel fateri corpus manisse in suæ naturæ finibus. Atqui natura diuina simplex est & incomposita, corpus autem compositum in & multas partes diuisum. Non est ergo mutatum in naturam diuinitatis, sed post resurrectionem quidem est & immortale & à corruptione & interitu alienum, diuina gloria plenum, sed tamen corpus quod habet propriam circumscriptionem.* Et mox: *Beatus autem Stephanus dicit se vidisse Dominum. Corpus ergo Domini etiam post ascensionem corpus est. Id enim vidit insignis victor Stephanus quandoquidem diuina natura cerni nequit.* Quocirca desistas aliquando vnionem hypostaticam nobis obijcere, ac ex allatis Patrum dictis collige, oportere corpus omnino esse in loco. Nec vos deret istud firmum & receptum fundamentum ad constabilienda vestra somnia concutere. Iam (vt arbitror) constat, nos quó ad hanc sententiá non esse Aristotelis mancipia, sed ea retinere quę suot ecclesiæ ac Patrum dictis consentanea.

P A N. Etiamsi millies iusseris, non desinam sententiam nostram ratione hypostaticæ vnionis confirmare: quam talem esse non potestis negare, vt duæ naturæ in Christo, non duas vtique, sed vnam personam constituant. O R O. Istam vnionem, vt fideles & Orthodoxi, prorsus recipimus, Non diuidimus naturas, vt Nestorius: Nec rursus, quemadmodum Eutyches illas confundimus. Vna est persona Christus qui tamen duas naturas in hypostasi eadem secũ habet coniunctas: integris tamen ac saluis vtriusque illarum proprietatibus. Quare nõ est necesse testimonia vel Patrum vel Conciliorum producere, vt id tanquam nobis ignotum, aut non confessum probetur. Gratia quippe Dei omnes ecclesiæ nostræ, non tantùm recipiunt diuinas literas, verùm etiam tria symbola, id est, Apostolicũ Nicenum, & Athanasij, nec non sex prima Concilia, quatenus de beatissima Trinitate, de persona filij Dei, ac duabus eius naturis, nec non de salute per illum nobis parta definierunt. Etenim quicquid hisce de rebus in eis est constitutum, diuinis oraculis esse consentaneum animaduertimus. P A N. Et si quoquo modo assentimini commemoratis articulis, non tamen ea nobiscum quæ inde consequuntur fateri vultis. Nẽpe vt cum deitas & humanitas indiuulse ac inseparabiliter in vna persona Christi coniungantur esse consectarium, vt vbicunque fuerit deitas, ibi etiá sit humanitas Christi, cùm fieri nõ possit, vt Christus vna persona maneat, nisi eius duæ naturæ sic vnitæ seruentur, vt altera nusquam sit absque altera.

O R O. Ista nos idcirco repudiamus quod ex ijs quæ posita sunt & de quibus inter nos consentimus, nequaquam verè consequantur. In vestra porrò argumentatione paralogismus admittitur ἀμφιβολίας quem nostri vocãt æquiuocationis, quia duarum naturarum vnionem in Christo vos ita factam accipitis, quasi tota natura diuina concluſa fuerit in humana, vel humana tam sit ampliata & dilatata, quam diuina, vt nimirum vtraque natura æquè latè pateat. Ac si statuatur secus, iudicatis iam non vnã, sed duas personas asseri. Talem vos facitis duarum naturarum in Christo coniũctionem, quod profecto ab Eutychetis errore non procul abest, qui proprietates & naturas in Christo ita confundebat & miscebat, vt non duæ naturæ ab eo, sed vna tantùm constitueretur. Nos verò longè aliter duarum naturarum vnionem factam in Christo docemus, nempe humanitatem hypostasi diuinæ tam indiuulse adhærere, vt ab ea nullo modo amplius queat diuidi. Et sanè humanitas Christi nusquam esse potest, quin diuinitati sit copulata, cum tamen illam intra suos breues terminos minimè coarctet, nec se tam amplificet, vt omnia, loca in quibus fuerit diuinitas, compleat. Proinde à vobis non accipitur eadem ratione hypostatica vnio atque à nobis intelligatur. Et ex hac diuersitate vester nascitur error, quia inter duas naturas tantam coniunctionem fingitis, vt & ipsarum, & proprietatum illarum confusio à vobis nequeat euitari. Deinde indiuulse ac Inseparabiliter, non interpretamini quemadmodum oportet. Existimatis quippe fieri personæ dilacerationem, si diuinitas esse constituatur, vbi humanitas præsens non adsit. Quod minimè verum

est: quia sufficit Deitatem, quamvis immensam & infinitá, sua hypostasi fulcire ac substentare humanitatem, vbicunque illa fuerit. Vnde licet corpus Christi sit in cœlis, nec amplius versetur in terris, nihilominus tamen Filius Dei cum est in ecclesia, & tandem vbique, nunquam sic est expers humanæ naturæ, quin eam in loco vbi ipsa est, habeat insitam sibi, & in vnitate personæ coniunctam.

PAN. Vah, quæ narras obscura, nec non tenebricosa omnino videntur, ne dixerim absurda: ORO. Quasi vestra non sint cæca, & adeò confusa, vt ne cogitari quidem possint, nedum intelligi. Nemo unquam (quod ego sciam) vel finxit, vel docuit, ex hypostatica vnione confici, corpus Christi esse vbiq;. Attamen mea si parum clara tibi videntur, ea non grauabor, quibusdam similibus illustrare. quod etiam vos facitis. quando nitimini vestram vbiquitatem vtcunque patefacere. Attamen prius te admonitum volo, vt si quæ afferam, præsenti causæ per omnia minimè congruant, ne commouearis. Quia similia, si quo ad omnes partes conuenirent cum simili, iam cum eo eadem iudicarentur non similia. Et sanè vestra, vt sint ad hanc rem accommodata, postea suo loco dicam. Nunc mihi spectes arborē vbi cernes in eodem subiecto continuo nequaquam diuiso & lacerato, radicem, truncum, & ramos: neque tamen oportet vt radix, vbicunq; arbor est, inueniatur, quoniam arboris natura & in trunco est, & in ramis, cum tamen radix non sit, vel vbi est truncus, vel vbi sunt rami. PAN. Animaduertas oro, arborem non esse personam sed tantùm physicum subiectum. ORO. Verum sanè id est: attamen ex ea cognoscitur, vnitatem non diuidi ex diuerso partium loco. Cæterùm vt res adhuc magis perspicua euadat, contemplemur humanum corpus. Id certè vnum est nec eius partes diuersam hypostasim habent: nec tamen est necesse, vt vbi est caput, ibi sint pedes nec vbi sunt pedes, ibi sit cor. Vnio igitur in eadē hypostasi diuersitate locorum non tollitur. Caput etiam vltra fenestram extensum, quamuis locum alium occupat à reliquo corpore, non tamē inde abiungitur, & corpus reliquum, quod domi continetur, capite sibi coniuncto minimè caret, licet illud in diuerso loco habeat. Deinde video mihi Planetarū orbes. Quisque illorum affixum sibi habet indiuulse astrum, (Nunquam enim ab orbe suo stella separatur) Nec tamen ob id asseremus astrum esse vbicunq; suus orbis fuerit: nā stellæ suis horis occidunt, cùm tamen circiter dimidium orbis eorum sit semper in nostro hemisphærio. Iam te agnoscere puto, vnionem totius haudquaquam subuerti, quamuis vna pars latius altera pateat. PAN. Quæ affers corporea sunt, at Christi diuinitas res est omnino spiritualis. ORO. Fateor: sed quæ retuli, negari non potest, quin demonstrent rei vnitatem atque coniunctionem, interueniente spaciorum distantia, minimè interire, Quod si dare oportet in rebus physicis, creatis, & corporeis, quāto magis vbi diuina est hypostasis & natura? Quare nos diuinis literis credimus, quæ Domino propriū locum quoad corpus assignant, & naturam diuinam esse vbique prædicant. PAN. Vt ex tuis dictis colligo, non potest negari, quin Christi diuinitatem alicubi esse ponatis absque humanitate. ORO. Nequaquam. Licet enim diuinitas vbique sit, ob eius immensitatem, semper habet coniunctam sibi humanitatem, non tamen præsentem omnibus ijs locis, quæ ipsa implet, Itaque nostra sententia est, Deum Verbum implere omnia, Humanitatem verò ei vnitam hypostaticè, loco suo contineri. PAN. Cùm statuatis naturā diuinam in aere, in mari, & in terris, vbi non vultis humanitatem præsentem esse, de vobis cognoscere velim, cùm extra naturā humanam (vt vultis) latius extendatur, an ibi quoque suā hypostasim habeat? Id non existimo negabitis, quia citra hypostasim non subsisteret. Fiet itaque vt vnā illi demus hypostasim, vbi naturam humanam secum habet coniunctam, & vnam item, vbi extra eam per alia loca diffunditur, atque hoc pacto non euitabitis, quin hypostases & personas congeminetis. Id porrò est quod à nobis accusamini diuisionis personæ. ORO. Hic est, hic inquam nodus, & fundamentum vestri erroris. Non putatis constare posse vnitatē personæ, si naturæ coniunctæ non adæquentur. Nos verò vnam profectò facimus hypostasim, & in ea quam arctissimè duas naturas coniungimus, verum vtráque illarum pro suo modo & amplitudine. Diuina siquidem natura ibi est ac subsistit cum diffusione atque complemento locorum omnium. Humana itidem ibi subsistentatur, sed pro suæ creationis finibus ac terminis. Quocirca satis apparet vnā personā à nobis poni duarū naturarum, quarum vtranque nō est necesse per omnia spacia locorum præsentem esse, Quodam simili quod dixi perspicuū faciam. Docēdi gratia statuamus truncū arboris esse hypostasim, qua gemini rami sustententur, eorum verò alter sit amplissimus & se per magna loci spacia dilatet, alter verò sit multo minor atque cōtractior, & id circo parū loci occupet. Hæc diuersitas cōtractionis ac diductionis ramorum, non efficit quin cōiungantur eodem fulcro atque subiecto.

PAN. Hæc nimis crassa & humilia sunt, collata cum hypostatica vnione duarum naturarum in Christo. ORO. Non inficior esse multò inferiora mysterio incarnationis Domini. Tamen argumentum (vt loquuntur Dialectici) à minori concludo: Si ob diuersitatem amplitudinis ramorum, vnio minimè soluitur, longè minus ibi distrahetur, vbi vnitas multò est arctior. Vos planè hypostatica vnione abuti videmini quàm audacissimè, ac plus multò quàm ipsa res ferat, & quàm scripturæ ac ipsi Patres loquantur. Abutebatur Nestorius plus æquo naturarum distinctione, quàm existimauit in Christo tantam fuisse. vt beatam virginem dixerit solùm hominem

pepe-

Similia.

Simile.

Distantia locorum non abrūpit vnitatem.

peperisse, & naturam diuinam in eo tanquam in domicilio quodam resedisse. Proinde naturas adeò à se inuicem discreuit, vt duas personas ex eis fecerit. Eutyches verò è diuerso abusus est vnitate, quam adeò conglutinatam & intimam finxit, vt post incarnationem solùm naturam vnam in Christo agnouerit. Inter hanc Scyllam, & eam Charybdim prudenter est nauigandum, hoc est, Vnitas personæ sic est retinenda, vt naturarum proprietates maneant distinctæ, nõ permixtæ, neque confusæ. PAN. Nos etiam scimus personam Christi aliud ex diuina, aliud ex humana natura operari: Nihilominus tamen hę duæ naturæ, quantumcunque diuersas habeant proprietates & operationes, perpetuò sunt in vna Christi persona ita coniunctæ & vnitæ, vt nũquam separari queant. ORO. Accipio quod datur, & ad ea quæ consequuntur animum intẽdo. Si hæ duæ naturæ in persona Christi vnitę, citra vllam dissolutionem aliquas diuersas habẽt proprietates, quæ sic vni congruant, vt alteri cõuenire nequeant: (Etenim Increatum esse ita est Diuinitatis, vt nequeat Humanitati adscribi. Aequalitas item cum patre, sic Deo filio assignatur, vt eius Humanitati, qua minor Patre dicitur nequaquam conueniat.) Qui fit vt esse vbique non velitis ita esse proprium deitatis, vt humanitati non detur, quòd sit eius, vnitate personæ in columi, occupare certum locum, iuxta necessitatem omnibus corporibus impositam? Cur dicitis perpetuò id esse vnitatem personæ soluere ac diuidere, cum salua maneat vnitas, dum naturæ humanæ, proprietates diuinæ, quas modò recensui, non tribuuntur? Verum aliud adducam, cuius Vigilius me submonuit libro 4. cõtra Eutychen, vbi scripsit: *Paulus duo quædam esse dixit in vno homine, vicißim quæ sua sunt propria operantia, & contra se inuicem nitentia, Spiritum videlicet, & Carnem. Hæc, inquit, sibi inuicem aduersantur. Sicut ergo vnus est homo, in quo sunt duo quædam in se inuicẽ permanentia, & sua quæque propria operantia, nec potest alius dici, dum secundum carnem sapit & facit, & alius dum secundum spiritum viuit, sed idem esse est in vtroque, habens in se vtrunque: Ita Christus, &c.* Hic proprietas appetẽdi meliora carni minimè communicatur, nec spiritui tribuitur, vt in peccata vim suam intendat, nec tamen ea de causa soluitur illarum duarum naturarum vnio, sed manet idem homo, eadem hypostasis, & eadem persona. Quid plus habet vestra vbiquitas, vt si diuinitati solum adscribatur, & non humanitati, vnio dissoluatur?

PAN. Si à nobis primis hæc dicerentur, non facilè suspicionibus fortasse liberaremur. Verum ante nos Gelasius ita scripsit: *Et quod dictu auditu quę fugiendum est, vel homo Deus iam esse desinat, si sola illic Humanitas, non etiam Deitas perseuerat, vel Deus homo consequenter esse desistat, si sola illic diuinitas, non etiam humanitas vnita permaneat.* Hæc Gelasius. Qua itaque frõte audetis dicere, Personam Christi non habere vbique sibi humanitatem adiunctam? ORO. Ita vt Nestorio vel Eutychi rectè conueniant, certè in nos minimè quadrant. Non enim vel diuinitatem Christi ab illius humanitate abiunctam, vel humanitatem absque diuinitate prædicamus. Nam vbicunque fuerit natura Christi humana, semper in diuina persona gestatur & sustinetur: Nec vsquam est verbum Dei, quin idem sibi coniũctam habeat humanitatem, licet non præsentem, quo ad omnia loca quæ cõplet. Neque apud Gelasium Aduerbium ILLIC est loci. Sed ipsum Christum demonstrat, in quo verè ac Orthodoxè ait, non solam humanitatem nec solam deitatem esse ponendam: atque id est quod auditu dictuque fugiendum esse scribit. Nec sanè quò ad loca dictum eius posset recipi. Quis enim ferat ipsam diuinitatem omni amplitudine sua, quæ infinita est, conclusam fuisse in vagientis infantuli corpusculo? Deus quippe neque comprehendi, neque circũscribi potest: quare in carne atque anima Christi minimè claditur. Et sanè Athanasius ex Oratione de fide maiore, apud Theodoretum in Dialogo 2. pag. 4. ita scribit: *Sede à dextris meis. Hæc de corpore dominico dicta sunt. Si enim cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus, vt inquit Hieremias: omnia autem continet Deus, à nullo autem continetur: in quanam sedet sede? Corpus ergo est cui dicit, sede à dextris meis, &c.* Hinc liquidò apparet, diuinitatem non finiri humano corpore, quòd omnia impleat. Quare si corpus itidem omnia impleret, de illo quoque rogarem, qua sede sedebit?

PAN. Attamen ibidem Gelasius ait: *Totus Deus homo, et totus homo Deus, &c.* Et, *Quicquid est humanitatis, Deus homo suum fecit.* Et *Quicquid est Dei, homo Deus habeat, vt hoc permaneat sacramentum, nec possit ex aliqua parte dissolui. Sic totus homo permanet esse quòd Deus est, vt totius Deus permaneat esse, quicquid est homo. Si aliquid (quod absit) vel humanitatis vel diuinitatis inde decesserit, sequetur ineffabilis resolutio sacramẽti, etc.* In verbis huius Patris tuũ est Oroth. perspicuè aperire, quomodo totus Deus sit homo, si alicubi (vt dicis) est Deus vbi non sit homo: præterea interpretari quo pacto totus Deus permaneat esse, quicquid est homo: & quemadmodum non discedat inde aliquid diuinitatis, si ea est alicubi (vt vis) nec ibi præsens ei adest humanitas. Humanitati quippe decedet totum id diuinitatis quod extra eam fuerit.

ORO. Prudentissimè interrogas Pantache, Quæstio quippe nostra nũquã re ctè patefiet, nisi hæc tria discutiantur. Nunc ad primum aggredior, quo interrogas, quomodo totus Deus sit homo. Sed priusquam id expediam, paucis demonstrabo, cur totus homo dicatur Deus: nam hoc reddito plano ac perspicuo, alterum etiam facile patefiet.

Gelasius.

Cur totus homo dicatur Deus.

Quidã hæretici putarunt in Incarnatione filij Dei non hominis animum, sed tantùm corpus fuisse assumptum: vel si animum dederunt à Verbo Dei acceptum, id non cõcesserunt, quo ad rationalem facultatem, ita vt in Christo tantùm v-

nam voluntatem constituerint, quasi Verbum animi seu rationis vice in Christo fuerit. Fuerũt item alij qui tradiderint filium Dei non verum hominem, veramque carnem & corpus assumpsisse, sed tantum harum rerum speciem. Verùm omnia hæc mendacia sunt hæreticorum. Nec aliò spectat quod à Gelasio ponitur: *Totus homo Deus*, quàm vt intelligamus nihil esse integritatis humanæ naturæ, quod Verbum Dei non assumpserit.

Quomodo totus Deus sit homo in Christo.

Propterea in Christo vicissim Deus totus est homo quia essentia & natura Dei, perfecta est & absoluta in Christo, quemadmodum in singulis hominibus, in Aristide inquam, Alcibiade, Catone, Tullio, tota essentia vel natura humana esse dicitur: nihil enim deest eis, quo ad genus, differentiam, & definitionem hominis pertineat: vtque totus homo est Cato, & totus homo est Aristides: ita totus Deus est homo in Christo. Non enim is Deus est fictus, nuncupatiuus, aut mutilus, neque partiri potest, cùm sit indiuisibilis: Et tamen cùm hoc pacto res habeat, non inde consequitur, totum id quod est Deus, esse in Christo cõiunctum eadem hypostasi cum humana natura: quoniam & pater & spiritus sanctus est Deus, quarum personarum neutra carnem suscepit. Neque habetur ex illa sententia recte intellecta, Verbum, id est, secundam personã diuinam, ita conclusam in humanitate, vt ea certo quodam loco existente, Verbum quod est infinitum non sit vbique. Id autem homini congruere non potest, cùm sit creatura & corpus, quorũ neutri vt sit infinitũ potest ascribi. Quin & ipsæ literæ diuinæ Christi corpus infinitum esse nusquam tradiderunt. Principia verò naturæ conuellenda non sunt, nisi testimonio sacrorum oraculorum eò adigamur. Quod etiam cum vsu venit, non vlterius progrediendum est, quàm nos deducant sacra testimonia: quia ratiocinijs & (vt ita dixerim) consequentijs, eò facilè veniremus, vt non decreta orthodoxæ fidei, sed inuẽta humanæ rationis confirmare aggrederemur. Iam habes quomodo totum Deum hominem esse in Christo agnoscamus. PAN. Quid velis abunde satis intelligo, sed hanc interpretationem perinuitus audio. ORO. quid tu? PAN. in præsentia non dicam.

Principia naturæ quando conuellenda & quo vsque.

Quo pacto totus Deus permaneat esse quicquid est homo.

ORO. Proinde quando nihil interpellas, ad alterius dicti Gelasij explicationem accedo. Rogabar secũdo loco, qua ratione totus Deus permaneat esse quicquid est homo. Hic non multis te detinebo. Quicquid est homo, nimirum in Christo (de homine quippe agitur Iesu Nazareno) id totum assumptum fuit à Deo, eoque toto, id est, non ficto, sed absoluto, non mutilato: Nec tamen totus Deus ita se in homine illo conclusit, quin extra eum alibi sit. Adiecit præterea Gelasius ipsum in eo permanere, vt nos commoneret illam vnionem nunquam desituram, vt quæ nec per mortem rescissa fuerit. Quod enim filius Dei assumpsit per hypostaticam vnionem nunquam à se dimisit. Iam tertium dictum restat declarandum, nisi contra ea quæ allata sunt libeat aliquid interponere. PAN. Et si non probo quæ dicis, per me tibi liceat pergere vt occœpisti.

Quomodo nihil diuinitatis decedat de Christo, si ea sit alicubi, vbi non adest ei humanitas.

ORO. Id obscurum videbatur & satis difficile intellectu, De Christo nil diuinitatis decedere si diuinitas alicubi est, vbi non sit humanitas. Verùm id expendendum est, à Gelasio non asseri æquè latè patere in Christo vtranque naturã: sed cauendum ostendit, ne quid à Christo humanitatis vel diuinitatis decedat. Porrò de humanitate non est controuersia: nemo quippe nostrũ inficiatur à filio Dei totum hominem fuisse assũptum. Demonstretur nunc abs te, quod ex diuinitate Verbi Christo detrahamus. Certè nos illud perfectum & absolutum in Christo confitemur. Et fateor cum Gelasio, Quicquid est Dei, Deum hominem habere, quia humanitati Christi, Dei essentia seu natura tota, integra & perfecta est vnita. An quia dicimus Verbum esse vbique, nec id humanitati volumus attribuere, ob id sacramentũ incarnationis resoluimus? Nihil minus. Vnionem quippe duarum naturarum non tantùm credimus perpetuò mansuram, sed Nestorio eam diuidenti nos acerrimos hostes profitemur. Sed ibi vestra fallitur imaginatio, quòd apud vos constituitis non posse vnionem permanere, si diuinitas vbique sit, humanitas verò sua propria loca occupet. Quasi gemma (vt antea dicebam) non sit annulo coniuncta, quamuis non est vt annulus in interiori parte digiti.

PAN. Hîc me tenere non possum, quin regeram non esse consimilem vnionẽ gemmæ ac annuli, & diuinitatis Christi cum humanitate. ORO. Non diffiteor esse discrimen, & id potissimum inter alia, quòd gemma interdum ab annulo auellitur, & annulus à gẽma seponitur, quod ab vnione duarum naturarum Christi maximè abhorret. Deinde tam annulus quàm gẽma sunt res corporeæ, cùm Verbum Dei sit omnino spiritus. Hoc tamen simili vtcunque demonstratur, cùm duo inter sese iuncta fuerint, non esse necesse ad illorum vnionem conseruandam. vt vnum tam latè quàm alterum pateat. Vnde colligitur, diuinitatem Christi, quamuis est vbique humanitatem quæ in cœlis est, nequaquam à se depellere, nec excutere, ita vt à se inuicem diuidantur. Id enim fieri nullo modo potest, cùm illam in sua hypostasi hærentem & infixam semper habeat. Quocirca verba Gelasij quæ tecum facere tanta confidentia dicebas, modò rectè intelligantur, nostram sententiam haudquaquam labefactant, sed cum ea pulcherrimè congruunt.

PAN. Mihi nunquam excuties hoc Gelasij firmissimum testimonium. Id nobis constat, & est murus æneus, Quęcunque vnita sunt inseparabiliter, vbicunque vnum est, & reliquum esse oportere, nec vllum esse locum, aut locorum spacium, quod ea possit separare.

ORO. Tibi per me hoc dogma sit firmum & saluum, quod ad eius posteriorem partẽ, qua dicitur, Nullum esse locum, aut locorum spaciũ, quòd ea possit separare, quæ inter sese vnita fuerint: quia licet diuinitas propter suam immensitatem

tatem vbique sit, non tamen humanitas ab ea diuellitur, etsi non fuerit in omnibus locis quæ ab ea implentur. Corpus quippe humanum (vt antea dicebam) semper habet sibi coniunctum caput, quam siu corpus humanum est: non tamen caput ita latè patet, quèadmodum corpus. Nec propterea quisquá est adeó insanus, vt ideò corpus hominis dicat à capite separatum, quòd caput minus loci, quàm totum corpus occupet.

Simile.

PAN. Non est dádus locus Geometricis speculationibus de ampliori excessu & maiori ambitu. Nec vnius immensitas, & alterius dimensitas hanc admirabilem dissoluere possunt vnitatē ORO. Nostræ cogitationes Pantache minimè sunt Mathematicæ. Non enim à Materia physica magnitudines ratione separamus, ita vt lineam absque terminis imaginemur: neq; diuisiones cõtinui accessionesq;, seu multiplicationes numerorũ sine fine mente agitamus. Verùm quod pios Theologos decet, & sanctos Christi fideles, id quod Ioannes dixit: Verbum esse factum carnem idest, verum hominem, constanter credimus, eumque hominem omni Dei Maiestate ornatum fatemur, sed quãtum eius conditio & natura ferre potest. Alioquin ad naturam & Maiestatē Dei pertinet vt sit infinita: quod humano corpori quis dederit? Nullus profectò, nisi qui totum ipsum velit dissipatũ, & in spiritum diuinũ prorsus cõuersum. Id certò scio, in scripturis nusquá legi corpus Christi esse immensum. Nec ex Patribus vllus, quantum ipse legerim, id vnquam affirmauit. Deinde Maiestatis ac naturę diuinæ id est, vt initio semper caruerit, & ante omnem æternitatem absque principio fuerit, quod ad naturam humanam, cùm sit creatura, nequaquam potest accommodari. Ideò cùm perpetuò iactetis humanitatem Christi omni Maiestate Dei esse ornatam, correctionem adieci, dicendo, Quãtum eius fert natura: quæ si minimè fert vt spiritus diuinus fiat, nec etiam patitur vt sit immensa, cùm dari non possit immensum corpus. Nam oportet velis nolis, vt longitudine, latitudine ac altitudine terminetur: non enim reipsa poterit aliter extare. Quare imaginationibus in Christi natura humana (vt vos facitis) non est indulgẽdum. Quod postea ingerebas de maiori excessu vel ambitu, me fortasse premeret, si naturæ Dei, molem magnitudinemúe corporum affigerem. At cum fatear diuinitatem spiritualem esse, nec non infinitam, omni liberor opinionis prauę suspicione. Vicissim autem dando humanitati Christi locum, eamque prædicando finitam & terminatam, neque à diuinis literis, neque à iusta sanaque ratione discedo.

Christi humanitas an sit ornata omni maiestate Dei.

PAN. Quo res dilucidior fiat, personæ definitionem producam, quæ ita circumfertur, *Persona est individua substantia rationalis naturæ.* Quòd si est individua, quomodo diuinitas Christi non habet secum humanitatem vbiubi fuerit? ORO. Personæ definitionem recipio, neque me latet eam contra illos facere, qui Nestorio adhærentes duas hypostases in Domino confinxerunt. Illos confutat allata definitio: sententiam verò me

Personæ definitio.

A am nulla ex parte labefactat, cùm personæ vnitatem orthodoxe retineam, & profitear Deum esse impartibilem. Sed admonebo te personam individuam dici, quod non instar speciei & generis in singularia diuidatur: nam infrà personam diuidendo non licet descendere, quemadmodum speciem & genus in singula solemus diducere. Sed inde consequens esse pernegamus, naturam humanam, quæ illa hypostasi gestatur, eiusdem cũ ea esse amplitudinis. Neque repugnabo quo ad B hypostaticam vnitatem duarum naturarum, non esse humanam rationem consulendam: quia inter conditas res nihil absolutè ad illud exemplũ extat. Credimus item (quemadmodum antea testabar) Verbum factum esse carnem, & duas naturas esse in Christo inseparabili coniunctione vnitas. Iis de rebus non altercamur: communia hæc sunt inter nos principia. De connexione tãtummodo laboratur. Nam dogmatis illis & saluis & firmis, humanitati proprius locus & circũ C scriptio à nobis assignatur: diuinitati autem (vt par est) immensitas attribuitur. Vos autem dum constituitis memoratas vtriusque naturæ proprietates confundi, non potestis euadere, quin duo simul infinita profiteamini. PAN. Nequaquam. Bona verba. Dum enim Christi humanitatem vbique, idest, in omnibus locis ponimus non est necesse vt sit infinita, quandoquidem loca & mundus, quo loca omnia definiuntur, non sunt infinita. ORO. Miror te ita respondere, D perinde ac si naturæ diuinæ immensitas finibus orbis clauderetur. Id autem nullo pacto est recipiendum. Nam quod immensum est, nullis vtique terminis clauditur. Quocirca si ad hunc modum hypostatica vnione abutamini, coniunctionem humanæ naturæ cum diuina sic interpretãdo, vt inde concludatis etiam humanitatem esse vbique, simul etiam conficietur eam infinitam esse: non enim minus vbiquitatem quam immensitatem ad eam transfunditis. Quid attinet hîc E inter vbiquitatem & immensitatem distinguere, si citra exceptionem humanitatem Christi omni maiestate diuinitatis ornatam esse vultis? Certè natura diuina & infinita est, & vbique. Idcirco ex vestro decreto, tam immensitas quàm vbiquitas, naturæ quoque humanæ adscribenda erunt, & pro vno duo habebimus infinita.

Quomodo persona dicatur individua.

PAN. At non potest infiniti ratio conuenire omnibus modis naturæ humanæ, quia teste Nazianzeno τὸ ἄπειρον καθότι ἀρχὴν οὐ λήψεται dicitur, τὸ δὲ πεπερασμένῳ μὴ ὑπολείπεσθαι πέρας. Quare etsi humanitas F Christi nũc post vnionẽ, est vbicũque fuerit deitas eius, tamen nõ idcircò caret initio temporis, vt deitas: ideoque non est hac in parte infinita, *Nazianzenus*
ORO. Igitur duas Christi naturas quoad amplitudinem & latitudinem adequas, non autem quo ad spacium tẽporis & durationis. Vna siquidem aliquãdo cœpit, altera verò nullum temporis initium habuit, & idcircò naturam humanam infinitam non esse affirmas, quòd aliquando esse G cœperit. Hæc omnino sunt ἀκατονόητα, cùm hîc non de tempore, verùm de locorum occupatione agatur. At cùm ista de te audio, mihi vide-

nam voluntatem constituerint, quasi Verbum animi seu rationis vice in Christo fuerit. Fuerũt item alij qui tradiderint filium Dei non verum hominem, veramque carnem & corpus assumpsisse, sed tantum harum rerum speciem. Verùm omnia hæc mendacia sunt hæreticorum. Nec aliò spectat quod à Gelasio ponitur: *Totus homo Deus*, quàm vt intelligamus nihil esse integritatis humanæ naturæ, quod Verbum Dei non assumpserit.

Quomodo totus Deus sit homo in Christo.

Propterea in Christo vicissim Deus totus est homo quia essentia & natura Dei, perfecta est & absoluta in Christo, quemadmodum in singulis hominibus, in Aristide inquam, Alcibiade, Catone, Tullio, tota essentia vel natura humana esse dicitur: nihil enim deest eis, quo ad genus, differentiam, & definitionem hominis pertineat: vtque totus homo est Cato, & totus homo est Aristides: ita totus Deus est homo in Christo. Non enim is Deus est fictus, nuncupatiuus, aut mutilus, neque partiri potest, cùm sit indiuisibilis: Et tamen cùm hoc pacto res habeat, non inde consequitur, totum id quod est Deus, esse in Christo cõiunctum eadem hypostasi cum humana natura: quoniam & pater & spiritus sanctus est Deus, quarum personarum neutra carnem suscepit. Neque habetur ex illa sententia recte intellecta, Verbum, id est, secundam personã diuinam, ita conclusam in humanitate, vt ea certo quodam loco existente, Verbum quod est infinitum non sit vbique. Id autem homini congruere non potest, cùm sit creatura & corpus, quorũ neutri vt sit infinitũ potest ascribi. Quin & ipsæ literæ diuinæ Christi corpus infinitum esse nusquam tradiderunt. Principia verò naturæ conuellenda non sunt, nisi testimonio sacrorum oraculorum eò adigamur. Quod etiam cum vsu venit, non vlterius progrediendum est, quàm nos deducant sacra testimonia: quia ratiocinijs & (vt ita dixerim) consequentijs, eò facilè veniremus, vt non decreta orthodoxæ fidei, sed inuẽta humanæ rationis confirmare aggrederemur. Iam habes quomodo totum Deum hominem esse in Christo agnoscamus. PAN. Quid velis abunde satis intelligo, sed hanc interpretationem perinuitus audio. ORO. quid tu? PAN. in præsentia non dicam.

Principia naturæ quando conuellenda & quo vsque.

Quo pacto totus Deus permaneat esse quicquid est homo.

ORO. Proinde quando nihil interpellas, ad alterius dicti Gelasij explicationem accedo. Rogabar secũdo loco, qua ratione totus Deus permaneat esse quicquid est homo. Hic non multis te detinebo. Quicquid est homo, nimirum in Christo (de homine quippe agitur Iesu Nazareno) id totum assumptum fuit à Deo, eoque toto, id est, non ficto, sed absoluto, non mutilato: Nec tamen totus Deus ita se in homine illo concluſit, quin extra eum alibi sit. Adiecit præterea Gelasius ipsum in eo permanere, vt nos commoneſaceret illam vnionem nunquam desituram, vt quæ nec per mortem rescissa fuerit. Quod enim filius Dei assumpsit per hypostaticam vnionem nunquam à se dimisit. Iam tertium dictum restat declarandum, nisi contra ea quæ allata sunt libeat aliquid interponere. PAN. Et si non probo quæ dicis, per me tibi liceat pergere vt occœpisti.

Quomodo nihil diuinitatis decedat de Christo, si ea sit alicubi, vbi non adest ei humanitas.

ORO. Id obscurum videbatur & satis difficile intellectu, De Christo nil diuinitatis decedere si diuinitas alicubi est, vbi non sit humanitas. Verùm id expendendum est, à Gelasio non asseri æquè latè patere in Christo vtranque naturã: sed cauendum ostendit, ne quid à Christo humanitatis vel diuinitatis decedat. Porrò de humanitate non est controuersia: nemo quippe nostrũ inficiatur à filio Dei totum hominem fuisse assũptum. Demonstretur nunc abs te, quod ex diuinitate Verbi Christo detrahamus. Certè nos illud perfectum & absolutum in Christo confitemur. Et fateor cum Gelasio, Quicquid est Dei, Deum hominem habere, quia humanitati Christi, Dei essentia seu natura tota, integra & perfecta est vnita. An quia dicimus Verbum esse vbique, nec id humanitati volumus attribuere, ob id sacramentũ incarnationis resoluimus? Nihil minus. Vnionem quippe duarum naturarum non tantùm credimus perpetuò mansuram, sed Nestorio eam diuidenti nos acerrimos hostes profitemur. Sed ibi vestra fallitur imaginatio, quòd apud vos constituitis non posse vnionem permanere, si diuinitas vbique sit, humanitas verò sua propria loca occupet. Quasi gemma (vt antea dicebam) non sit annulo coniuncta, quamuis non est vt annulus in interiori parte digiti.

PAN. Hìc me tenere non possum, quin regeram non esse consimilem vnionẽ gemmæ ac annuli, & diuinitatis Christi cum humanitate. ORO. Non diffiteor esse discrimen, & id potissimum inter alia, quòd gemma interdum ab annulo auellitur, & annulus à gẽma seponitur, quod ab vnione duarum naturarum Christi maximè abhorret. Deinde tam annulus quàm gẽma sunt res corporeæ, cùm Verbum Dei sit omnino spiritus. Hoc tamen simili vtcunque demonstratur, cùm duo inter sese iuncta fuerint, non esse necesse ad illorum vnionem conseruandam, vt vnum tam latè quàm alterum pateat. Vnde colligitur, diuinitatem Christi, quamuis est vbique humanitatem quæ in cœlis est, aequaquam à se depellere, nec excutere, ita vt à se inuicem diuidantur. Id enim fieri nullo modo potest, cùm illam in sua hypostasi hærentem & infixam semper habeat. Quocirca verba Gelasij quæ tecum facere tanta confidentia dicebas, modò rectè intelligantur, nostram sententiam haudquaquam labefactant, sed cum ea pulcherrimè congruunt.

PAN. Mihi nunquam excuties hoc Gelasij firmissimum testimonium. Id nobis constat, & est murus æneus, Quæcunque vnita sunt inseparabiliter, vbicunque vnum est, & reliquum esse oportere, nec vllum esse locum, aut locorum spacium, quod ea possit separare.

ORO. Tibi per me hoc dogma sit firmum & saluum, quod ad eius posteriorem partẽ, qua dicitur, Nullum esse locum, aut locorum spacũ, quòd ea possit separare, quæ inter sese vnita fuerint: quia licet diuinitas propter suam immensi-

tatem

tatem vbique sit, non tamen humanitas ab ea diuellitur, etsi non fuerit in omnibus locis quæ ab ea implentur. Corpus quippe humanum (vt antea dicebam) semper habet sibi coniunctum caput, quam diu corpus humanum est: non tamen caput ita latè patet, quèadmodum corpus. Nec propterea quisquá est adeó insanus, vt ideò corpus hominis dicat à capite separatum, quòd caput minus loci, quàm totum corpus occupet. *Simile.*

PAN. Non est dãdus locus Geometricis speculationibus de ampliori excessu & maiori ambitu. Nec vnius immensitas, & alterius dimensitas hanc admirabilem dissoluere possunt vnitatẽ ORO. Nostræ cogitationes Pantache minimè sunt Mathematicæ. Non enim à Materia physica magnitudines ratione separamus, ita vt lineam absque terminis imaginemur: neq; diuisiones cõtinuæ accessionesq;, seu multiplicationes numerorũ sine fine mente agitamus. Verùm quod pios Theologos decet, & sanctos Christi fideles, id quod Ioannes dixit: Verbum esse factum carnem ideſt, verum hominem, constanter credimus, eumque hominem omni Dei Maiestate ornatum fatemur, sed quãtum eius conditio & natura ferre potest. Alioquin ad naturam & Maiestatẽ Dei pertinet vt sit infinita: quod humano corpori quis dederit? Nullus profectò, nisi qui totum ipsum velit dissipatũ, & in spiritum diuinũ prorsus cõuersum. Id certò scio, in scripturis nusquá legi corpus Christi esse immensum. Nec ex Patribus vllus, quantum ipse legerim, id vnquam affirmauit. Deinde Maiestatis ac naturę diuinæ id est, vt initio semper caruerit, & ante omnem æternitatem absque principio fuerit, quod ad naturam humanam, cùm sit creatura, nequaquam potest accommodari. Ideò cùm perpetuò iactetis humanitatem Christi omni Maiestate Dei esse ornatam, correctionem adieci, dicendo, Quãtum eius fert natura: quæ si minimè fert vt spiritus diuinus fiat, nec etiam patitur vt sit immensa, cùm dari non possit immensum corpus. Nam oportet velis nolis, vt longitudine, latitudine ac altitudine terminetur: non enim reipsa poterit aliter extare. Quare imaginationibus in Christi natura humana (vt vos facitis) non est indulgẽdum. Quod postea ingerebas de maiori excessu vel ambitu, me fortasse premeret, si naturæ Dei, molem magnitudinemúe corporum affigerem. At cum fatear diuinitatem spiritualem esse, nec non infinitam, omni liberor opinionis prauę suspicione. Vicissim autem dando humanitati Christi locum, eamque prædicando finitam & terminatam, neque à diuinis literis, neque à iusta sanaque ratione discedo. *Christi humanitas an sit ornata omni maiestate Dei.*

PAN. Quo res dilucidior fiat, personæ definitionem producam, quæ ita circumfertur, *Persona est individua substantia rationalis naturæ.* Quòd si est individua, quomodo diuinitas Christi non habet secum humanitatem vbiubi fuerit? ORO. Personæ definitionem recipio, neque me latet eam contra illos facere, qui Nestorio adhærentes duas hypostases in Domino confinxerunt. Illos confutat allata definitio: sententiam verò me *Personæ definitio.*

A am nulla ex parte labefactat, cùm personæ vnitatem orthodoxè retineam, & profitear Deum esse impartibilem. Sed admonebo te personam individuam dici, quod non instar speciei & generis in singularia diuidatur: nam infrà personam diuidendo non licet descendere, quemadmodum speciem & genus in singula solemus diducere. Sed inde consequens esse pernegamus, naturam humanam, quæ illa hypostasi gestatur, eiusdem cũ ea esse amplitudinis. Neque repugnabo quo ad B hypostaticam vnitatem duarum naturarum, non esse humanam rationem consulendam: quia inter conditas res nihil absolutè ad illud exemplũ extat. Credimus item (quemadmodum antea te stabar) Verbum factum esse carnem, & duas naturas esse in Christo inseparabili coniunctione vnitas. Iis de rebus non altercamur: communia hæc sunt inter nos principia. De connexione tãtummodo laboratur. Nam dogmatis illis & saluis & firmis, humanitati proprius locus & circũ C scriptio à nobis assignatur: diuinitati autem (vt par est) immensitas attribuitur. Vos autem dum constituitis memoratas vtriusque naturæ proprietates confundi, non potestis euadere, quin duo simul infinita profiteamini. PAN. Nequaquam. Bona verba. Dum enim Christi humanitatem vbique, ideſt, in omnibus locis ponimus non est necesse vt sit infinita, quandoquidem loca & mundus, quo loca omnia definiuntur, non sunt infinita. ORO. Miror te ita respondere, perinde ac si naturæ diuinæ immensitas finibus D orbis clauderetur. Id autem nullo pacto est recipiendum. Nam quod immensum est, nullis vtique terminis clauditur. Quocirca si ad hunc modum hypostatica vnione abutamini, coniunctionem humanæ naturæ cum diuina sic interpretãdo, vt inde concludatis etiam humanitatem esse vbique, simul etiam conficietur eam infinitam esse: non enim minus vbiquitatem quam immensitatem ad eam transfunditis. Quid attinet hîc E inter vbiquitatem & immensitatem distinguere, si extra exceptionem humanitatem Christi omni maiestate diuinitatis ornatam esse vultis? Certè natura diuina & infinita est, & vbique. Idcirco ex vestro decreto, tam immensitas quàm vbiquitas, naturæ quoque humanæ adscribenda erunt, & pro vno duo habebimus infinita.

PAN. At non potest infiniti ratio conuenire omnibus modis naturæ humanæ, quia teste Nazianzeno Τὸ ἄπειρον καθόλου ἀρχὴν ἔχει τὸ ἀϊδιον· dicitur δὲ ὁ κατὰ μέρος ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος καιροῦ. Quare etsi humanitas F Christi nũc post vnionẽ, est vbicũque fuerit deitas eius, tamen nõ idcircò caret initio temporis, vt deitas: ideoque non est hac in parte infinita, *Nazianzenus* ORO. Igitur duas Christi naturas quoad amplitudinem & latitudinem adequas, non autem quo ad spacium têporis & durationis. Vna siquidem aliquãdo cœpit, altera verò nullum temporis initium habuit, & idcircò naturam humanam infinitam non esse affirmas, quòd aliquando esse G cœperit. Hæc omnino sunt ἀσυμβίβαστα, cùm hîc non de tempore, verùm de locorum occupatione agatur. At cùm ista de te audio, mihi vide-

Quomodo persona dicatur individua.

ris pluſquàm mira narrare. Nonne hîc quoque vestra illa omnipotẽtia locum habere potuit? vt ſicut vbiquitatem homini Chriſto cõmunicauit: ita etiam illi temporis initij priuationem tribuerit? PAN. Sed ſcripturæ ſanctæ in tempore natum eſſe teſtantur. ORO. Quaſi non doceant

Cũ Chriſti corpori vbiquitas tribuitur, cur non etiã æternitas.

idẽtidem illum in cœlum aſcendiſſe: ac dum esset in mundo, vnionem habens hypoſtaticã duarum naturarum, ſe de vno loco ad alterum cõtuliſſe: atque cùm puer eſſet, ſtatura creuiſſe. Id autem contingere nõ potuit, ſi fuiſſet vbique. Quo enim eundo ſe commouiſſet? vel quò ſuam ſtaturam auxiſſet? Scio vos reſpondere, quadam œconomia hæc eſſe facta, cur etiã de natiuitate iſtud idem non cõminiſcimini? Et cùm aliqua ſint quę fieri non poſsint (vt oſtenſum eſt) vel diuina potentia, non quidem ex eius defectu, ſed ob rerum ipſarum naturam, cur illud argumẽtum à diuina potentia ductùm vbiq; tãquam inuictum inculcatis? Dumq; obſtrepuerit vobis quiſpiam, dicendo, non poſſe fieri vt natura humana ortũ ex virgine habuerit, & ab initio vel ante omnem æternitatem ſemper fuerit, quare non reditis ad veſtrum crociſmum, non eſſe in ijs rebus humanæ rationi aut ſenſui credendum, & œconomia quadam id eſſe factum, nec inde firmum certumq; argumentum colligi, quo probetur naturam humanam Chriſti nõ fuiſſe ante omnem æternitatem? Deniq; (vt quod eſt dicam) videmini conſtituiſſe in veſtra manu, quasnam proprietates diuinas ad Chriſti humanitatem velitis tranſfundi, quaſve illi velitis adimi. Aeternitatem illi nõ communicatis, neq; vt ea Chriſtus ſit æqualis patri. Subtrahitis etiam ei opus creationis vniuerſorum. Nec multum de alijs proprietatibus litigatis. De iſta tantummodo vbiquitate certamen acerrimũ ſuſcepiſtis, Neq; ita de illa (vt mihi perſuadeo) niſi contentio Sacramẽtaria incurriſſet, nobiſcum vel tria verba commutaſſetis. Cæterùm hoc miſſo, ad gemina infinita redeo, quæ cogimini iuxta decretum veſtrum fateri, quibus aſſerendis cùm animaduertatis Athanaſiano Symbolo vos impediri, quod prohibet ne plures immenſi dicantur, ſophiſticè conamini eius dictũ eludere, quòd ſcilicet Chriſti humanitatem non omnibus modis infinitam pronũtietis, cùm Athanaſius ſimpliciter dixerit, non eſſe plures immenſos: neque magis de tempore, quàm de plenitudine ſeu diffuſione ſit locutus.

Cur ita de vbiquitate cõtendatur.

PAN. Tibi ſumma fide atque attentione ſpectãdum eſt, deitatem atque humanitatẽ in Chriſto non eſſe duas perſonas, ſed vnam duntaxat: nec eſſe duos Chriſtos, ſed tantùm vnum. Quare tantummodo erit vnum infinitum. & vnum immenſum. ORO. Bene res habet. Vnum infinitum & vnum immẽſum confiteamur, Nihilominus tamen diſputandum reſtat, an iſta proprietas immenſitatis, naturæ humanæ Chriſti cõmunicetur. Nos id negamus, ne ſit eius euerſio: vos autem affirmatis, nullo tamen firmo argumento nulloq; certo veroq; teſtimonio. PAN. In eo attamen ſatis ęqui ſumus, quòd ſi non de perſonæ vnitate loquamur, ſed de ſubſtantiarum diuerſitate, dicimus nil prohibere quo minus hoc vni naturæ per ſe: alteri verò per accidens conueniat, vt in ſcholis dialecticorum præceptis traditur. Eſt enim vulgò iactata ſententia de Chriſto: *Quicquid filio Dei per naturam datur, idem hominis filio per gratiã conuenire.* ORO. Si vnitas perſonæ ſpectetur, eã dabo, qua Deus eſt, eſſe vbique, ſin verò naturæ conferantur, quæ in vna hypoſtaſi iunctę ſunt, vbiquitatem alteri ſolùm tribuemus, nimirum diuinæ, Humanæ autem per accidens (vt ipſe ais) eſſe attribuendam, non rectè dicitur. Nam quæ ſunt per accidẽs, vt neq; ad artes neq; ad ſciẽtias pertinent, multò minus licet de illis decretum fidei conſtituere. Deinde ſi velis in ſententia permanere, cõpoſita res eſt. Poſſumus diſcedere: nec rationibus nec argumẽtis amplius opus erit. Nam quiſq; rectè ſentiens affirmabit, naturam humanam ei naturæ coniungi quæ vbiq; eſt, nempe diuinitati, quod eſt per accidens, eſſe vbiq;. Sed inde non elicitur, naturã humanã re ipſa eſſe vbiq;. Multis porrò ſimilibus mihi licet hoc illuſtrare. Nemo ambigit, corpus humanum animæ coniungi, quæ immortalis eſt, vnde corpus immortale per accidens dici poſſet: attamen illud reuera eſſe immortale quis pronũciaret? Sed ne à re propoſita diſcedam, Dices ne in Chriſto naturã humanam cœlum & terram creaſſe? Non arbitror: quia non erat, cũ ab initio illa cõderentur. Quia tamen inhæret & ſubſtentatur in hypoſtaſi diuina, & cõiungitur naturæ diuinæ, quæ creauit cœlum & terram, iuxta tuam ſententiam per accidẽs dici poterit & cœli & terræ conditrix. Verùm in eo quod quærimus non diſceptatur, quid per accidẽs poſsit vel iſti vel illi naturæ attribui, ſed an corpori Chriſti eſſe vbique verè conueniat. Nec vt verum, in vniuerſum accipio, Quicquid cõuenit filio Dei natura, filio hominis per gratiam dari. Quia naturę filij Dei eſt vt initio careat: quod hominis filio neq; per gratiam, neq; vllo vero & proprio modo poteſt concedi. Filius item Dei natura ſua ſpiritus eſt, carens lineamentis & circũſcriptione: quod filio hominis per gratiam non poteſt adſcribi.

An filio hominis per gratiã detur quicquid natura cõuenit filio Dei.

PAN. Verbum cùm eſt factum caro, effudit in eam omnem ſuę deitatis Maieſtatem. Nam ad Coloſſenſes Paulus dixit: *In ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare.* ORO. De me iam audiuiſti Maieſtatem diuinã fuiſſe in humanitatem tranſfuſam, quantum eius cõditiones ferre poterãt, ne deleretur. Paulus verò ad Coloſſẽſes vnionem hypoſtaticã elegãter expreſsit, quam vni Ieſu Chriſto Domino noſtro contigit, nec tamen inde habetur eandem eſſe vtriuſque naturę amplitudinem.

Locus Pauli ad Coloſſenſes.

PAN. Prius libet explicare quod dixi, Humanitati Chriſti vt ſit vbique per accidens conuenire, quàm aggrediar ad alia tractanda. Id ſanè volo accipias, ac ſi dixiſſem, alieno beneficio, id eſt, per gratiã. ORO. Nõ muto reſponſum: Iã te docui multas eſſe proprietates diuinitatis, quę naturæ humanæ vel alieno beneficio, vel gratia cõmunicari nõ poſſunt, quamuis in ea illa natura inhabitet, quæ per ſe illis proprietatibus ornatur.

PAN. Paulus ad Epheſios ait: *Deus conſtituit illum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem prin-*

tipatum, potestatem, virtutem & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, verùm etiam in futuro. Hoc certè est filium hominis euehere in infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem & iustitiam. Quòd si filius hominis factus est in his rebus suo modo infinitus & immẽsus, quomodo filius Dei non euexisset etiam eum ad illam infinitatem, qua omnia tam supera quàm infera cœlesti modo impleret? ORO. Quod Paulus docet, admittere nullo modo reformidamus, Verùm quod tu annectis, filium hominis, id est naturam humanam euectam esse ad infinitam potentiam, sapientiam, bonitatem & iustitiam, non facilè dabo: quia quod finitum ac terminatum est, infinita non capit. Sufficit quippe hominem illum assumptum, bona quæ commemorasti, vltra omnes creaturas, quæ vel cogitari vel nominari possunt, esse consequutum. Nec etiam illud auferes, filium hominis factum in his rebus infinitum, et immensum: nisi fortasse per id quod adiecisti, *suo modo* intelligas, quod inhabitatorem hypostatica vnione illum habeat, qui reuera est infinitus, & sua bona homini assumpto præ cæteris creaturis communicauit. Neq; tibi cedo illam naturam sublatam esse ad eam infinitatem, qua tam supera quàm infera compleat. PAN. Quid tam refugis ista dare, cùm omnino sint consectaria? ORO. Minimè sunt connexa, imò simul vehementer pugnantia, Nam sese mutuò perimunt. Etenim natura diuina si filiũ hominis assumpsit, is verè homo est: hac si homo est, vtiq; circũscriptus est: si circũscriptus nec immensus, nec infinitus. De re autẽ prorsus eadem, quis verè dixerit simul eodemq; tẽpore illam circumscriptam & non circumscriptam esse, finitam & non finitam? An ob vestra figmenta, & exortas interpretationes, necesse habebimus simul & naturã humanam filij Dei perdere, atque omnis intelligentiæ omnisq; notitiæ fũdamenta euertere? Quid veri nobis tandem constabit, si contradictoria (vt Dialectici loquuntur) simul vera fuerint? Sed nolo plura. Nam ex ijs facilè sentire potes, in quæ absurda te præcipites.

Contradictoria non se mutuò tolerant.

PAN. Non ignoro, quæ de Maiestate Christi ad quam euectus est filius hominis à filio Dei, dicuntur, videri humanæ rationi absurdissima, ac planè impossibilia. Sed hypostatica vnio diuersarum naturarum in persona Christi traditur in sancta scriptura per spiritum sanctum nobis agnoscenda & credenda. Et quamuis hæc vnio est absurditas absurditatum, tamen humanus intellectus necesse habet ei cedere, & sese in obsequium verbi Dei captiuum reddere. Quare non est mirandum, si ex una illa & maxima absurditate multæ aliæ sequãtur, iuxta humanum intellectũ absurditates: ἰσότ γὰρ ἄλογον διαβόλῳ τὰ ἄκρα συμβαίνει. Vnde Augustus. Tomo 10. Sermone 147. *Credamus hoc*, inquit, *fratres, etsi argumenta philosophorum difficilè soluimus. Illud quod demonstratum est in Domino, sine difficultate teneamus. Illi gariãt: nos credamus*, &c. Et alias monet, impias argumẽtationes si ratio refutare nõ possit, fides irridere deberet. ORO. Vnionẽ duarũ naturarũ in Christo à diuina scriptura tradi omnes cõfitemur, nec illã hypostaticã esse inficiamur, sed in ea vnione contendimus & naturas ipsas & earum proprietates, distinctas & minimè confusas esse conseruandas. Et licet philosophi dicant absurdam esse huiusmodi vnionem, attamen credentibus non est absona. Vnde licet ex ea coniunctione sapientibus huius seculi multa videãtur deriuari ἄλογα, nõ tamen fas est ijs hominibus, inde vlla conficere ἄτοπα, quæ diuinis literis veræque Theologiæ aduersentur. Vbi clarissimè traditur, filium hominis, quamuis in gloria est, adhuc tamen verè hominem esse. At velle hominem ita esse, vt sit immensus, infinitus, in circumscriptus, quid aliud est quàm negare illum verè hominẽ? nec non dicere pugnantia, nõ sanè cum physicis rationibus tantũ, sed cũ decretis & principijs nostræ fidei? Laboratis & quidẽ vehementer, ex diuinis literis illam vnionem duarum naturarum probare, sed frustra: quoniam à nobis & conceditur, & creditur. Sed ex ijsdem fontibus ostendatis oportet, filium hominis redditũ infinitum, immẽsum, in circumscriptum & esse ubiq;. Hæc vos, hæc inquã demõstrare necesse est: quod vsque dum non feceritis, nos absurdis vestris theologicis non cedemus.

Vnio hypostatica duarum naturarum credentibus non est absurda.

DE PROPRIETATE NATVRARVM in CHRISTO. Locus II.

PAN. Age, me in eã harenã vocas in quã tecũ descendere vltrò cupiebã, nẽpe vt de conseruatione naturarũ & proprietatũ in Christo certi aliquid statuamus. Quod vt sub manus rectè procedat, primũ tibi agnoscendũ est, Naturã aliquando significare ipsam rei substantiã, aliquãdo autẽ rei proprietates & accidentia. Cũ ergo dicitur, quòd in vna persona Christi sint duæ diuersæ naturæ, quarũ altera non mutatur in alterã, & quæ non sunt confundendæ, nec inter se cõmiscendæ: Nomen naturæ intelligendũ est de ipsa rei substantia. Vt in persona Christi est substantia diuina, quæ est spiritus increatus, & ab æterno: est & substantia humana, quæ est corporea, & nõ fuit ab æterno, sed est creata. In hypostatica igitur vnione Christi, nec Deitas, quæ est spiritus increatus ab æterno, mutatur vnquã in Humanitatem, quæ est substantia corporea, & creata, nec humanitas mutatur vnquam in Deitatẽ: sed una quæque substantia manet inuiolata, & immutata in persona Christi. ORO. De ijs inter nos pulchrè conuenit. Idcirco poteras supersedere hoc labore: nam frustrà interponuntur, quæ nõ sunt in cõtrouersia. Verũ id te monebo, non tãtum substantias & res ipsas retinẽdas esse impermixtas & inconfusas, verũ etiam illarum proprietates & præsertim eas quæ sic ipsis cohærẽt vt ab eis diuelli nequeant. PAN. Tu me antecuertis: istuc ibam. Spero me tibi satisfacturum si modò aures dicenti præbueris. ORO. Aures habebis, & quidem attentas, assensum tamen non impetrabis, nisi vera & consentanea dixeris. Quare velim te colligas, & quæ di-

Natura quid significet.

Substantiæ in isto.

cturus es prudenter expendas: nam in ipsa propemodum arce causę versamur. PAN. Operam dabo ne opera ludatur.

Ad alterum membrũ partitionis meæ redeo. Si autem nomen naturæ intelligitur pro rei proprietatibus seu accidentibus, obscurum non est, quòd deitas sit res simplicissima, nec vllum in eã accidens cadat, ideoque sit immutabilis & impassibilis: Humanitas autem sit res composita, & varijs accidentibus obnoxia, quæ & substantiam rei non mutant, & præter subiecti (vt dialectici loquuntur) corruptionẽ adesse possunt & abesse: Quare etsi humana substantia obnoxia est passioni & morti, tamen hæc proprietas non sic inhæret homini, vt ea mutata, mutetur & hominis substantia, sed potest & adesse & abesse. Nam & Christus in resurrectione sua euasit & passionem & mortem, & reliqui omnes homines fient tandem impassibiles & immortales: nihilo minus tamen vt Christus post resurrectionem, ita & reliqui homines in sua resurrectione retinebunt veram & perfectam humanam substantiam. Quòd si hæc proprietatum & accidentium mutatio non mutat rei substantiam, quomodo non posset etiam immutata manere substantia corporis, etiamsi alicubi non esset localiter in loco, cùm in loco esse non sit corporis substantia, sed tantùm proprietas subiecti accidentaria? Quòd si dixeris esse tam proprium corpori esse in loco, vt ab ipso separari non queat, Fingamus interim hoc suo modo verum esse. Non tamen negari potest, quin quod est naturæ impossibile, hoc sit diuinæ potentiæ & industriæ non possibile tantùm, verùm etiam facile. Et quid? An non cœlum maximum omnium corporum, etsi continet intra se omnia loca, tamen ipsum in nullo est loco? Quãdoquidẽ Aristoteles ipse definiit οὔκ οὐδὲ τόπῳ οὐδὲ κενὸν, οὐδὲ χρόνῳ ἐστὶν ἔξω τοῦ οὐρανοῦ. i. t quòd neq; sit locus, neq; vacuũ, neq; tẽpus extra cœlum? ORO. Quamuis Deus (vt memoras) est simplex & absque accidẽtibus. nihilominus tamen scio te non ignorare. permulta de illo dici, veluti sunt eius proprietates, quæ in scholis Theologorum vulgò appellantur illius attributa, vt sunt ea quæ paulò antè recensebas. Dicitur quippe immensus, incircumscriptus, æternus. Hæc inquam etsi eius accidentia non sunt, de ipso tamen vt quædam eius qualitates dicuntur. Verùm dum mihi hæc refers, non possum versus non mirari, quod cùm humanæ Christi naturæ simpliciratem & æternitatem nõ accommodes, cur illi conuenire tàntopere contendas Immensitatem & Vbiquitatẽ? Sed quia de hoc superius abundè sum loquutus, id rursus non exagitabo, sed ad reliqua pergam. Etsi permulta (vt dicis) humanitati accidant, quæ siue adsint, siue absint, naturam eius non immutant, attamen & alia sunt, quæ in ea sic inhærent, vt ab ea tolli nequeant citra eius exitium. Etenim si à natura hominis certam mensuram, lineamenta & circumscriptionem remoueris, iam vtique potius erit quiduis aliud quàm homo. Addis esse in loco. & quidem localiter, non esse talẽ proprietatem, quæ, si ab humanitate Christi auferatur, ipsũ destruat. Verùm hac in parte vehemẽter erras. Esse quidẽ mortale, & immortale. Pati & nõ pati, ab homine, salva eius natura, & remoueri & ei rursus annecti possunt. Sed eadem non est ratio circumscriptionis, magnitudinis, & mensuræ: quoniam hæc ab humano corpore non possunt eo incolumi remoueri. Atque ijs positis locus è vestigio per se consequitur. Aut enim vt locus auferatur, ea quoque tollenda sunt: aut illis positis locus adhibendus est. Hoc dilucidè Augustinus ad Dardanum scripsit, quemadmodum superius ostendi. Tolle, inquit, spacia locorum corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, non erunt.

Augustin

Ad id verò quod in latibulũ diuinæ potentiæ te denuò recipis, quasi, etsi non potest id natura fieri, potentiæ tamen & industriæ diuinæ sit facile, non est quod modò respondeam: satis quippe diu versati sumus antea in hoc argumento. Id potius videamus, quòd supremum omnium cœlorum orbem ais corpus esse, nec tamen esse in loco, quod extra se nihil habeat, quo contineatur. Atq; ita niteris euertere dictũ Augustini: & nostrũ dogma quo statuimus, omnibus corporibus deberi locum. Proh Deum immortalem vsq; in cœlum, idq; supremum, te oportuit ascendere, vt aliquod reperires corpus, quod non esse in loco demonstrares? At considerare debuisti. Corpus Christi de quo agimus non esse sphæricum, sed humanum: & licet (vt quidã physici volunt) locus non conueniat orbibus cœlestib. nisi per accidens, corporibus tamen cæteris quæ non motu circulari, sed recto mouentur. per se tribuitur, Vnde Christi corpus quia non est illud sublime sphæricum, sub cõmuni cæterorum corporum necessitate relinquitur, nempe vt sit in loco. PAN. Rem non bene tenes. Argumenti nostri uis & robur in eo est. Si sublime cœlum à necessitate loci excipitur, & corpus Christi eximi posse ab Augustini & vestro decreto. ORO. Satis intellexeram. Ostendere tamen volui esse inter corpora magnum discrimen, & de omnibus non eodem modo esse statuendũ. Quid enim corpus cœleste supremum cõmune habet cum humano Christi corpore, quod nec sphæricum est, nec circulariter mouetur? Si de te quærã, cur illud summum cœlum neges esse in loco? dicis. quòd extra se non habeat aliud corpus. At de corpore Christi quã potissimũ causam afferes, quare illud non oporteat esse in loco? PAN. Causam esse dicam unionem hypostaticam cum Deitate. ORO At loci occupatio nihil eiusmodi vnioni officit. Nam cum inter hos versaretur in terris, nihil minus quàm post resurrectionem, duas illas naturas coniũctas in eadẽ persona secum habuit & locũ tamen vt cæteri homines occupabat. Quam obrem illa vnio, qua vel in vtero matris pollebat. nil obstare potest, quin illud corpus quamuis glorioſum, loco finiatur. PAN. Igitur in eius arbitrio situm esto, velit nolitue suo corpore locum occupare. Illi vtrunque liceat: quia conditio localis nõ est tam propria corpori, quin valeat ab eo remoueri. Etenim primus cœlorum orbis corpus est, & loco non continetur, ORO. Dici non

An supremum cælũ sit in loco.

Corpus Christi non sphæricũ sed humanum.

Deus est simplex de quo tamen permulta dicuntur attributa.

Immensitatem & vbiquitatẽ humanæ naturæ non conuenire.

Ab homine remoueri non potest circumscriptio.

poteſt

poteſt quàm tibi ipſi hoc inuento placeas: crebrò quippe illud obijcis, & quidem incredibili confidentia, quaſi ſupremo illo cœlo & nos & noſtrã cauſam funditus oppreſſeris. Verùm prudens ac tacitus litem hanc tibi minimè tradam. Nam quod tam audacter tibi ſumis, à me tanquam cõceſſum, non auferes. Etenim ſupremũ cœlorum orbem quem firmamentum vocant, in loco eſſe tibi affirmo: quandoquidẽ dubitari non poteſt quin moueatur. & (vt omnes confitentur) localis eſt eius motus. Quis autem dixerit abſque eo fieri localem motum? Vt itaque mouetur per partes & non ſecundum totum, ita etiam eſt in loco per partes, non ſecundum totum. Quod vt rectè intelligas, animaduertas oportet, Corpora quæ rectè mouẽtur, in loco ſunt, quòd ambiãtur & contineantur aliquo externo corpore. At cœlum in loco eſt per interiores partes, nimirũ per extremã ſuperficiem inferiorem, qua tangit conuexum orbis Saturni. Atque hæc fuit Themiſtij nobiliſsimi peripatetici ſententia. cum quo & Alexander ſecit, nec non inter Latinos Aquinas Cũque Ariſtoteles inficiari videtur, vltimum cœlum eſſe in loco, id non eſt accipiendum quaſi pronunciatum in vniuerſum, ſed iuxta definitionem loci, quam antea propoſuerat, quæque ad corpora quæ rectè mouentur pertinet. At ſecundum alteram loci rationem, quam Ariſtoteles potius innuit, quàm definiuerit, non eſt negandum, ſimpliciter orbem ſupremum cœli eſſe in loco: quia (vt dixi) cùm localiter moueatur, vt in loco ſit aliquo modo neceſſe eſt, Addito ijs orbem ſupremum extrema ſua parte interiori ſic tangi & finiri ab orbe Saturni, vt extra illum non poſsit circumferri: & nunquam ſimul eodemq; tempore ſecundum ſe totum eſt in diuerſis locis, ſed à mundi centro eandem ſemper habet diſtantiam: vnde ad illius circumferentiam tanam ſi rectæ lineæ trahantur, erunt prorſus æquales.

Totus localis non ſit abſque loco.

Commemorare præterea liceret Auerrois opinionem, inter Arabas Peripateticos non obſcuri Philoſophi, qui ſtatuit ſupremum orbem per centrum terræ eſſe in loco, Verùm id prætereo. Satis eſt infimam eius circumferentiam comprehendi loco. Quod ſi non datur ſupremæ, id ſic accidit, quoniam ſupra ſe aliud corpus non habet iuxta Peripateticorum ſententiam: nam ſi ei adeſſet, per eã nõ ſtaret, quin eo ambiretur. Locus igitur omni corpori debetur vel vno vel alteromodo. Et ſtabilis permanet Auguſtini ſentẽtia, quã etiam Cyrillus (vt antea monui) confirmauit, dicens, vel ipſam Trinitatem, ſi eſſet partibilis, & corpus, fore in loco,

Auerroes.

Cyrillus.

Et quia tibi libuit ſic vehementer de ſupremo cœlorum orbe diſputare, id abs te peto. vt corpori Chriſti ſaltem ea tribuas, quæ illi cœlo ab omnibus adſcribuntur: nempe vt ſit comprehenſum & terminatũ, nec ei negetis certas & finitas diſtantias, extremam ſuperficiem, & ſua diſtincta membra, nec illud ſimul ſecundum ſe totum ponatis in diuerſis locis aut vbique. Hæc illi orbi cœleſti neceſſariò conueniũt: eadem ſi à corpore Chriſti non auferatis, iam perfecta erit & compoſita noſtra diſputatio. PAN. Quin id ſa-

A ciam ea cauſa impedior. quòd apud me cùm de corpore Domini cogito, vel cùm vnà cum alijs de eodẽ loquor. Illud nõ conſydero iuxta proprietates & accidentia huius mundi. Nam ita manifeſtum eſt vt dicis, corpus in loco localiter & circumſcriptiuè eſſe debere. Sed illud vnicè attendendum eſt, illud corpus vnitum eſſe cum filio Dei perſonali vel hypoſtatica & inſeparabilvnione, qua fit, vt vbicunque eſt filius Dei. ibi ſit etiã corpus eius, ne ſi alicubi eſſet deitas Chriſti, vbi B non eſſet humanitas eius, vnitas perſonæ diſcerpatur. Itaque & ſi humanam naturam extra Chriſtũ & iuxta phyſicas rationes in vno tantùm locõ eſſe oportet, vt Auguſtinus dixit, & Chriſtus ſuſcepit tempore miniſterij ſui & conuerſationis in hoc mundo, humanas propter peccatum imbecillitates, ac fuit corpore ſuo pro conditione huius mũdi in loco circumſcriptiuè: tamen interea hypoſtatica vnio non fuit diſſoluta, vt vbicunque fuit deitas Chriſti, ibi non ſecum habuerit C humanitatem ſuam, idque non localiter, ſed (vt ex illo prophetæ dicto: Cœlum & terram ego impleo, veteres loquuti ſunt) repletiuè, Quam igitur gloriã corpus Chriſti vel habuit in hoc ſeculo, vel iam habet in altero, nõ habet ex natura humanitatis per ſe. ſed habet ex natura deitatis, cũ qua corpus Chriſti hypoſtatica vnione inſeparabiliter eſt vnitum. O R O. Dicens corpus Chriſti non eſſe conſyderandum iuxta proprietates & conditiones huius mundi. quo tendas mihi non ſatis liquet. Nam ſi ſpectes mortem, paſſi D onem, & afflictiones, edocti abundè ſumus, Chriſtum ſemel mortuum, & ſemel paſſum. non amplius mori, neque amplius pati. At ſi per mundi proprietates notes fines, terminos, lineamenta, & circumſcriptionem, talia ſic humano corpori propria ſunt, vt illa deponere nequeat. Neque pertinent hæc ad humanæ naturæ vitium ſeu defectum imò ad conſtitutionem eius omninõ ſpectant, ita enim conditus eſt homo, quem vt filius E Dei verũ ſuſcepit, ita etiam verum ſeruat adhuc & retinet. Neque hypoſtatica vnio hæc abſtulit ſed potius perfecit, Quare non eſt quòd ſemper illam nobis opponatis, quaſi diſcerpenda ſit vnitas perſonæ, ſi non vbicunque eſt deitas Chriſti. etiam ſit ibi eius humanitas. Eſt quidem ſemper vnitum corpus cum deitate, nec ille nodus aſtrictiſsimus vnquam reſoluitur, licet non tot occupet loca, quod diuinitas replet: quemadmodum viciſsim non eſt deitas contrahenda vel finiẽda F vt humano corpuſculo terminetur. Ita ſe dum iſtæ naturæ Chriſti habent, vt ſicut diuinitas nõ clauditur corpore, ita humanitas illi non eſt ad æquanda, vel extra ſuos naturæ fines educenda. Videris ex quadam liberalitate dare, Domini corpus iuxta phyſicas rationes in vno tantùm loco eſſe oportere, Auguſtini ſententia. Verùm hoc non rectè dicitur quandoquidem Auguſtinus ibi de corporibus generatim pronuntiauit. *Locus Auguſtini ad Dardanũ excuſſus.* neque phyſicum ab hypoſtaticè vnito cum diuinitate diſcreuit, imò de ipſa Chriſti anima diſputans, illam aſſentiri noluit eodem tempore apud inferos & in cœlo fuiſſe: vbi manifeſtè apparet, eum non intellexiſſe cœlum veſtro more. Veſtrũ G

quippe cœlum est vbique. Ac ideò si nobiscum sentiret, potuisset facilè concedere, Christi animam dum erat apud inferos, eodem tẽpore fuisse in cœlo. Nam cùm alicubi esset in cœlo, vtiq; fuisset, quod (vt vultis) est vbique. At in istam sententiam pertrahi non potuit, vt verba eius presius considerata indicant, cùm tamen optimè sciret naturam diuinam illi animæ fuisse hypostaticè vnitam. Certè si tecum in ista causa fecisset, nullo negotio solui poterat Dardani quæstio, dicendo Christi animam simul eodemque tempore vbique fuisse, ac eo die cum apud inferos degeret, vnà etiam cum latrone potuisse in paradiso esse. Cęterùm hoc non dixit Augustinus: imò definiuit illam coniunctionem latronis cum Christo eo die quo moriebatur, ad naturam diuinam esse referendam: quæ cum infinita sit, eodem momento & apud inferos, & in paradiso, nec non in omnibus locis erat. Et vt scias Augustinum ibi esse loquutum de humanitate Christi non physicis rationibus, sed quatenus diuinitatem hypostaticè coniunctam secum habuit, ipse audiendus est, dum refert qualem sibi quæstionem Dardanus proposuerit. Sic enim scribit: *Et hinc fortasse intelligendum dicis paradisum, quasi in aliqua cœli parte positum, aut quia vbique Deus sit hominem quoque illum qui in Deo sit vbique diffusum. Ex hoc nimirum intelligi volens, etiam in paradiso esse potuisse qui vbique sit, &c.* Ex his iam intelligis ibi de humanitate Christi disputari non simpliciter, aut ex physicis rationibus, sed quatenus in Deo erat. Vnde arbitror Dardanum id suspicatum fuisse, quod vos opinamini. Sed Augustinus in Ecclesiæ dogmatis exercitatissimus, longè aliter sensit. Nam respondendo scribit, *Si ergo secundum hominem, quem Deus Verbum suscepit, putamus dictum esse, Hodie mecum eris in paradiso: non ex his verbis in cœlo existimandus est esse paradisus. Neque enim in cœlo ipso die futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem, &c.* Hinc elicias eum loqui de illo homine quem Deus Verbum suscepit. Deinde liquidò testari, hominem illum eo die non fuisse in cœlo, sed partim in sepulchro partim apud inferos.

PAN. Attamen videtur ambiguè loqui de paradiso, an sit in cœlo, vt vos affirmatis, an alibi.

ORO. Cùm ita loquitur, non it inficias locum beatorum esse super omnes cœlos. Sed quod Abrahæ sinus in quo tum animæ patrum fuisse dicuntur, paradisus fortè sit appellatus. Vnde quæstionem Dardani dupliciter soluit, aut paradisum intelligendum esse Abrahę sinum, in quo latrò cum anima Christi eo die fuerit. Vel si paradisus accipiatur pro aliqua cœli parte, dictum illud ad deitatem referendum, non ad humanitatem: quod illa eo die in cœlo non fuerit. Vt verò hypostaticam vnionem secus atque vos acceperit, eodem loco demonstrat, scribens: Sic venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma atque substantia, cui profectò immortalitem dedit, naturam non abstulit: secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus. Nota. Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus, &c. Quod tu statuis hominem à filio Dei susceptum esse vbique, vt diuinitas, audis Augustinum apertissimis verbis negare. Deinde subiecit: *Vna persona Deus & homo est, & vtrunque est vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo, &c.*

Sed iam mitto Augustinum, & ad tua redeo. Porro esse in loco repletiuè & circumscriptiuè, tam argutè discernere nõ oportuit. Nec dubium mihi vnquam fuit Deum omnia implere: nam & id ex Propheta quẽ adduxisti didici, & in Poetis prophanis legi, *Iouis omnia plena.* Et *in eo viuimus mouemur & sumus.* At corpus, nisi velis ipsum transformare in Deum, à locis quæ implet circumscribitur, nec aliter in eis esse potest, præsertim si sit humanum. Miror preterea istos veteres, qui tradiderint corpus Christi esse vbique repletiuè, abs te non produci. Ego sanè in Patribus id nusquam legi. Et in scripturis animaduerti, cerebro haberi Christum à quibusdam locis abfuisse quod non potest nisi ad corpus referri. Tu verò ais illud non tantùm certo loco fuisse, verumetiã vbique propter hypostaticam vnionem, ac reperisti asylũ (quãuis minimè tutum) quò te recipe res, dicẽdo id esse accipiẽdum circũscriptiuè hoc autẽ repletiuè. Id abs te rursũ peto mihi vel in diuinis literis, vel in patribus recepte authoritatis, humanitatẽ Christi fuisse vbiq; repletiuè, demonstres. Ignorauit docta vetustas acumina vestra tam obtusa. Certè vel pueri sentiunt, vos hoc finxisse, ne ab ipsa veritate modis omnibus obruamini. Nec potestis euitare quin ponendo seruatoris nostri corpus in multis locis eodem tempore, illud sæpius congeminetis. Nam corpore quo erat Hierosolymis, non vtique potuisset esse vel Romę, vel Athenis, vbi si (quemadmodũ vultis) præsens fuit, alio atque alio corpore ibi fuisse oportet, nisi velitis ei localem extensionem attribuere. PAN. Nihil horum dicimus, sed euehimus ipsum vltra corporalem mundum extra omnem creaturam & locum, & collocamus iuxta conditionem hypostaticæ vnionis in cœlesti Maiestate, quam etsi tempore carnis suæ in hoc seculo dissimulauit, seu ea sese exinaniuit (vt loquitur Paulus) nunquam tamen ea caruit. *Potestatem,* inquit Cyrillus, *quam post resurrectionẽ ait sibi datam, ante resurrectionem quoque habebat, &c.* Vnde Hierosolymis erat dum inter nos ageret visibiliter & localiter, cũ deitate autẽ vbicunq; ea esset extra somnia loca, inuisibiliter & illocabiliter. Etenim loca quę nostris oculis diuersa & à se inuicem distantia videntur, quod ad Maiestatem Dei neque tot neque tanta sunt. Verum vt omnia tempora sunt ei momentum, ita & omnia loca sunt ei vnus locus, imò ne punctus quidem loci, aut si quid minutius dici potest. Quare humanitatem cum deitate coniungimus, non eam extendimus, neque diffundimus corpus Christi locali seu corporali modo sed ei tribuimus illam Maiestatem, quam humana ratio comprehendere non potest, sed quę ipsi propter hypostaticam vnionem debetur, & quam non tam miraculis

Poetæ Deũ esse vbique testatur.

Corpus non potest esse in loco nisi localiter.

De distinctione noua localiter et repletiuè

quàm

eũ ex quàm resurrectione à morte, ascensu suo in lum, & sessione sua ad dexteram Dei patris pa- fecit.

ORO. Magnificis porrò ac splendidis verbis oratione item ampullosa & sesquipedali vsus es, ad tuam persuadendam chimæram. Sed certò sci- to, Christi corpus huiusmodi titulis & præro- gatiuis non ornari neque illustrari, sed potius conuelli ac destrui. Nam dum collocatur ex- tra corporales proprietates, iam non est huma- num corpus, neque illud tibi licet extra omnem creaturam ponere. Nam velis nolis quo ad humanitatem est creatura. Christum quippe dicit Apostolus ex muliere factum: quod etiam tu (quantum animaduerto ex prioribus sermo- nibus) dare non gratiaris. Quòd verò creatum est, & finitum & terminatum esse oportet. Quòd autem Cyrillus affirmet, Christum semper ean- dem habuisse potestatem, me nihil impedit: quia non est potestatis Christi, vt omnia loca sua hu- manitate repleat: id enim ipsa pernicies esset hu- manæ naturæ. Atque vt de potentia ipsius Dei nihil detrahitur, cùm docetur non posse peccare, non posse negare seipsum, ita non debilitatur Christus, cùm humanitate sua certo loco esse af- firmatur. Nimium tuis indulges cogitationi- bus, affirmando Christi corpus om nia loca im- plere, nec non extra omnia locã esse: profectò si ea omnia implet, quomodo extra ea positum est? Omnia ipsum implere dicis, & illocabiliter. Strepitum verborum audio, sed res quam dicis minimè percipitur. Si hæc asserendo corpus non vertas in spiritum, quod abs te profertur constare non potest. Multas quidem corporis Christi doces audiui prædicari: sed quod impleat omnia loca, & sit in eis illocabiliter, idque dum hic viueret nobiscum, nec in diuinis literis, nec in Patribus vsquam extat. Quiduis de Christo audebunt homines fingere, si semel ista recipian- tur. Nunquam deerunt, latebræ, & confic- tarum distinctionum refugia. Theologis distin- ctiones minimè sunt improbandæ, modò earum fundamenta & vestigia in sacris literis ostendan- tur, non autem eæ, quæ solùm agnoscuntur in- uentæ, vt argumenta firma & solida eluantur. Quę postea de Maiestate Dei commemorasti, di- cendo instar vnius loci el esse omnia loca, imò ne punctum quidem loci, verissima sunt: verùm hu manitati Christi nequaquam congruunt: Nam tam magnum locum licet ostendere, qui ab ea non possit impleri. Non enim totum Solomo- nis templum dum esset in terris, vel totam Hie- rosolymam suo corpore occupabat: alioqui cæte ris hominibus quæ loca relicta fuissent?

PAN. Videris parum attendisse quæ dixe- rim, nempe corpus illud ita esse vbique, vt nihil- ominus tamen ponatur extra corporalem mun- dum, extra omnem creaturam & locum, inuisi- biliter & illocabiliter.

ORO. Quæ dixeras equidem attendi quàm diligentissimè: sed frustra. Sonos quippe amplos & magnos verborũ crepitus edidisti. quæ ita sen- su & ratione carent, vt nec intelligi possint nec inter sese queant conuenire, Te autem satis mirari non possum, qui loca fingas extra omnia loca, & corpus alicubi statuas illocabiliter. Ego sum rudis: non sic theologari didici. Sed ta- men (quantum iudico) naturam Christi huma- nam in deitatem conuertis.

PAN. Christi corpus non sentio in spiri- tum abijsse, verùm communionem ἰδιωμάτων ex- pendo, quæ in diuinis literis habetur, à & Patri bus orthodoxis passim traditur. Neq; mihi per- suadeo, eam abs te tantũ modò verbalẽ statui, cũ res ipsæ, cõditiones inquã & proprietates natu- rarũ, nõ vocabula sola cõmunicentur. ORO. Cõ munionem ἰδιωμάτων hoc est proprietatũ, minimè reijcio, quãuis eã crassam, & per omnia cõfusam non admitto. PAN. Videris aliquid excipere: per spicuè mecum agas. ORO. Aliqua profectò excipio. Quia immortalitatem, lucem, gloriam, & cæteras quorũ natura humana est capax, illi com municata esse fateor: sed alia, vt est æternitas, im- mensitas, & vbiquitas, cùm illa nequeat recipere ipsi non potuerunt communicari. Verùm hæc de re antèà, quantum visum fuit.

Nunc restat vt exemplis demonstrem. & illu- strem, quæ sint proprietates, quæ verbotenus communicentur, cùm re ipsa naturis conuenire non possint. Verbum esse carnem concedi- mus, non quod reipsa natura diuina sit natura humana, sed quia Verbum in vtero virginis car- nem suam fecit, illam assumendo: Scribitur etiam, Deum ecclesiam sanguine suo mundasse quia id factum est sanguine illius naturæ, quam Deus ἰδιοποιήσει propriam fecit, non quòd natura diuina suum sanguinem habeat. Sic præterea Dominus gloriæ crucifixus & mortuus dicitur cum passio, crucifixio & mors ad Verbum non pertigerint (quod vtique impassibile est ac im- mortale) sed quia sic affecta est ea natura, quam Verbum ex virginis vtero sumpsit. & propriam sibi fecit. Ita Cyrillus eiusmodi propositiones resoluere ac interpretari docuit. Nec non ita filius hominis de cœlo descendisse dicitur, quòd per incarnationem sit vnitus ei naturæ, quæ de scendit è cœlo: alioqui non potuisset esse in cœlo cum adhuc non esset. Descensus quippe saltẽ natura prius intelligitur, quàm incarnatio. Ad eundem modum Filius hominis esse in cœlo dicebatur, cum versaretur in terris: quòd nimi- rum illi naturæ esset coniunctus, quæ in cœlis erat. Istas communicationes affirmo esse ver bales, quòd proprietates, re ipsa, vtrique natu- ræ congruere nequeant. Nec tamen ita sunt verbales, quin iusta causa præcedat, quare con- cedi & recipi, vt veræ debeant. Ea verò est vnio hypostatica: quæ si non interuenisset, huiuscemo di loquutiones à fidelibus & orthodoxis nullo modo reciperentur.

Verùm ne vana & à me conficta existimes, quæ hactenus dixi de cõmunicatione ἰδιωμάτων, siue ἀλλοιώσεως ostendã multis Patrum testimonijs quasdam esse proprietates, quæ reipsa commu- nicari non possint inter duas in Christo diuer- sissimas naturas, & sententias, diuinarum litera- rum, quibus videntur communicari, esse resoluẽ das, vel interpretãdas vt docui. Sed in primis lo-

Corpus Christi non caret pro- prietatibus.

Corpus Christi non est collocã- dum extra o- mnem creatu- ram.

Quæ distinctio- nes in Theolo- gia sint recipi- endæ.

De communi- catione Idioma tum

Quæ proprietã- tes communicẽ- tur, & quæ nõ communicen- tur.

Cyrillus.

aliquæ commũ nicationes Idio matum sunt verbales.

cũ ex ſcripturis producere libet. deinde ad Patres veniam. Ioan. 1. habetur, Baptiſtam de Chriſto dixiſſe, *Qui poſt me venit, ante me factus eſt:* & ea ſententia bis repetitur. Quomodo vir ille, nimirum Chriſtus, fuit poſt Ioannẽ & ante Ioannem Certè non poteſt humanitati Chriſti reipſa communicari ea proprietas, vt fuerit ante Ioannem: neque diuinitati conuenire poteſt, vt fieret poſt Ioannem, vel illum ſequeretur, cùm ſit æterna. Sunt ergo quædam proprietates. quæ de ſubiecto quidem ſeu perſona prædicantur, & ei conueniunt. ſed reipſa vtrique naturæ minimè cõmunicantur, ſicut etiam eſt illud: *Priuſquam Abraham fieret, ego ſum.* Id quoque ſic proprium fuit naturæ diuinæ vt ad humanitatem non poſsit quoad rem adaptari.

Cyrillus. Cyrillus in declaratione Anathematiſmi 3. ſic ſcribit: *Dicimus itaque eundem palpabilem, cùm ſit impalpabilis, viſibilem cum ſit inuiſibilis. Non enim alienum ab eo corpus eſt, quod illi coniunctũ, quod & palpabile & viſibile eſſe dicimus,* &c. Idem Cyrillus de Recta Fide ad Reginas: *Et primus quidem è terra terreus, ſecundus autem ex cœlo, quamuis natus per mulierem Nam verbum deſurſum eſt, & de cœlo, & ex Deo, tametſi factum ſit homo, & nihilominus eſt de cœlo,* &c. Eſſe de cœlo proprium eſt Verbi, vt inquit: homini autem reipſa non cõuenit, quamuis de eo prædicatur ſermone ac phraſi ſcripturæ.

Ioannes Antiochænus ad Archiepiſcopum Cyrillum, cùm ei reconciliaretur, ad hunc modum ſcripſit: *Euangelicas verò & Apoſtolicas de Domino voces ſcimus viros theologos tanquam ad vnam perſonam pertinentes, ratione duarum naturarum diuidere, & alias quidem vtpote diuinitati competentes ad diuinitatem Chriſti, alias verò humiles ad illius humanitatem referre. Hoc ſuſcepto complacuit nobis ad amolitionem omnis contentionis, & vt per orbem ſanctis Eccleſijs Dei pax conſtituatur, tollanturque è medio repulſandi offendicula,* &c. Hæc diligenter notanda ſunt veſtris hominibus: quia dum confunditis hanc diſtributionem accommodatam diuerſis naturis, & vultis Chriſtum etiam quoad humanitatem eſſe vbique, non tantùm aduerſamini Theologis antiquiſsimis, verùm pacem ſanctis Eccleſijs Dei per orbem aufertis, & offendicula datis operam vt repullulent. Hanc Ioannis Antiochæni doctrinam Cyrillus recepit, & ijs verbis ad eum reſcripſit: *Cum ſacras iſtas veſtras voces legiſſemus, noſque ipſos etiam ad hunc modum ſentire deprehendiſſemus (vnus enim Dominus, vna fides, & vnum baptiſma) glorificauimus omnium ſeruatorem Deum, mutuò nobis congratulantes, quod Eccleſiæ, cum noſtræ tum veſtræ fidem habent diuinis ſcripturis & traditionibus ſanctorum Patrum conuenientem.* Et in eadem Epiſtola Cyrillus, qui durius videbatur loquutus, ita ſeipſum interpretatus eſt: *Oportebat enim, oportebat inquam, manifeſtè cognoſcere, quod vniuerſum pro fide certamen ob eam cauſam in nos irruit, quòd ſanctam virginem deiparam eſſe conſtanter affirmamus. At ſi ſanctiſsimum noſtri omnium ſeruatoris corpus non ex virgine natum, ſed cœlo delatum eſſe dicimus, quomodo poterit illa Deipara intelligi? Quem nanque omnino peperit, ſi verum non eſt quod ſecundum carnem Emanuelem genuit? Ridendi itaque ſunt, qui talia contra me nugantur. Non enim mentitur Prophetа Iſaias dicens: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet Filium, & vocabunt nomen eius Emanuelem, quòd ſonat ſi interpreteris, Nobiſcum Deus. Et Angelus Gabriel omnino quod verum eſt ad Beatam Virginem loquitur, dicens: Ne timeas Maria, Inueniſti enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in vtero, & paries Filium, & vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Cùm verò Dominum noſtrum è cœlo, & è ſupernis eſſe dicimus, non ita hoc loquimur, quod ſancta ipſius caro è cœlo ſit allata. ſed magis diuinum Paulum ſequimur clarè vociferantem, ac dicentem: Primus homo è terra terrenus, ſecundus homo Dominus eſt è cœlo. Sumus autem & ipſius ſeruatoris memores, dicentis: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis,* &c. *Quanquam enim ex ſancta Virgine, ſicut iam dixi, ſecundum carnem eſt natus, quia verè Deus Verbum, qui è ſupernis cœlitus deſcendit, formam ſerui quam aſſumpſit, conſortem ſibi reddidit, vocatuſque eſt Filius hominis manens ſimul quod erat nempe Deus (Immutabilis enim eſt & minimè alterabilis ſecundum alteram naturam) iam tanquam vnus cum carne propria conſyderatus è cœlo deſcendiſſe dicitur. Nominatus autem & homo de cœlo eſt, ob id quod & in diuinitate & in humanitate perfectus eſt, & tanquam in vna perſona conſyderatur,* &c. Liquidò poſſumus ex iſto loco agnoſcere, qualis communicatio proprietatum ſit in ijs quæ vtrique naturæ non poſſunt reipſa congruere.

Leo. Et Leo in Epiſtola ad Flauianum 4. capit. *Agit enim vtraque forma cum alterius communione, quod proprium eſt, verbo ſcilicet operante quod verbi eſt, & carne exequente quod carnis eſt. Vnum horum coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniurijs. Et ſicut verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit, ita caro naturam noſtri generis non reliquit,* &c. Hinc apparet, qua ratione proprietates & operationes inter duas naturas ſint diſtribuẽdæ, nec vtrique naturæ conueniant. Idem Leo in Sermone ſecundo de reſurrectione Domini, ait: *Suſcepit enim nos in ſuam proprietatem ſeu poteſtatem (vtrunque enim legitur) illa natura, quæ nec noſtris ſua, nec ſuis noſtra conſumeret, quæ ita vnam in ſe fecit deitatis humanitatiſque perſonam, vt ſub diſpenſatione infirmitatum atque virtutum, nec caro per diuinitatem inuiolabilis, nec diuinitas per carnem poſſit eſſe paſsibilis,* &c. Ex his apertè intelligis proprietatem paſsionis diuinitati non communicari, niſi modo iam expoſito. Præterea in eadem Oratione: *Inuiſibilis viſibilem, intemporalis temporalem, impaſsibilis paſsibilem ſubſtantiã ſuã fecit, non vt virtus deficeret in infirmitate. ſed vt infirmitas in incorruptibilẽ poſſet, tranſire virtutẽ* &c. Rurſus ex ijs facilè intelligimus, quomodo hypoſtaſis & natura diuina dicatur viſibilis, tẽporalis & paſsibilis: quia nimirũ per incarnationẽ ſuam fecit naturam, quæ talium eſt proprietatum. Et ibidem: *Sed quia verbum & caro vna perſona eſt, non diuiditur à ſuſcipiente ſuſceptus. Et honor prouehendi prouehentis nominatur augmentum, dicente Apoſtolo quod ideo commemorauimus, Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſupra omne nomẽ. In quo vtique aſſumpti hominis exaltatio commendatur. vt in cuius paſsionibus manet deitas inviſibilis*

uisibilis, idē coæternus sit in gloria Dei patris. &c. Hinc etiam ostenditur exaltationem, quæ propria fuit hominis, Verbo quo ad nomen & locutionem cōmunicari, cùm alioquin eius minimè sit capax. Deinde in Epistola ad Leonem Augustum, capite 2 *Cùm ergò vnus sit Dominus Iesus Christus, & veræ deitatis veræq; humanitatis in ipso vna prorsus eademque persona sit, exaltationem tamē, qua illum (sicut doctor gentium dicit) exaltauit Deus, & donauit illi nomen, quod super omne nomē excellit, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmēto, &c.* Et tamen filius Dei ascēdisse dicitur cuius natura capax ascēsionis non erat. Similiter in Epistola ad Flauianum cap. 5. *propter hanc vnitatem personæ in vtraque natura intelligendam, & filius hominis legitur descendisse de cælo, cùm filius Dei carnem de ea Virgine, de qua est natus assumpserit. Et rursus filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cùm hæc non in diuinitate ipsa, qua vnigenitus consempiternus, et consubstantialis est patri, sed in naturæ humanæ sit infirmitate perpessus. Vnde vnigenitum Filium Dei crucifixum esse puto. Omnes etiam in symbolo confitemur, secundum illud Apostoli dictum: Si enim cognouissent, nū quam Dominum maiestatis crucifixissent.*

Commendatio Theodoreti.

Quoniam nunc est ad Theodoreti veniēdum testimonia, ne illum fortasse contemnas eo nomine quod se opposuerit Cyrillo in synodo Ephesina, visum est Leonis verba referre, quæ habentur in Epistola quam ad eum scripsit post Synodum Chalcedonensem: ex quibus facile intelliges illum fuisse cùm orthodoxum, tum etiam hæreticorum strenuum victorem. Leo in Epistola ad Theodoretum sic scribit: *Remeantibus ad nos fratribus nostris, quos ad sanctum Concilium sedes beati Petri direxit, agnouimus dilectionem tuam superno adiutorio nobiscum tam Nestorianæ impietatis quàm Eutychianæ vaſaniæ extitisse victricem, &c.* Et mox: *Exulta igitur charissime frater, & vnico Dei Filio victor exulta.* Et mox: *Sed benedictus Deus noster, cuius inuincibilis veritas ab omni hæreseos macula mundū te secundum sedis Apostolicæ iudicia demonstrauit, cui dignam retribues pro tot laboribus gratiam, si talem te qualem probauimus ac probamus pro vniuersalis Ecclesiæ defensione seruaueris.*

Theodoretus. Verbalis communicatio.

Theodoretus Dialogo 3. Qui dicitur impatibilis. *Christus autem post incarnationem Deus Verbum appellatus est. Hoc ergo nomen omnia suscipit, & quæcunque diuinitatis & quæcunque humanitatis sunt propria. & tamen cognoscimus quæ sunt huius & quæ illius naturæ. &c.* Idem in eodem Dialogo: *Hac vtique ratione dominum quoque gloriæ crucifixum appellauit, Impatibilis naturæ nomen Patibili attribuens, quoniā eius corpus appellatum est. Hoc quoque præterea examinemus. Diuinus dixit Apostolus: Si enim cognouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent. Crucifixerunt ergo naturam quam cognouerunt, non quam penitus ignorarunt. Si autem cognouissent, quam ignorarunt, non crucifixissent quam cognouerunt. Quis autem diuinam ignorauerunt, humanam crucifixerunt.* Rursus in eodem Dialogo sic scribit: *Et ego mihi persuadeo & credo eū esse gloriæ dominum. Non enim communis alicuius hominis, sed domini gloriæ corpus fuit ligno affixum. Oportet autem scire, quod vnio facit nomina communia. Ita autem considera. Carnem Domini dicis è cælis descēdisse? Non arbitror: cum in vtero virginis sit formata. Quomodo ergo dicit Dominus: Si videritis Filium hominis ascēdentem vbi erat prius? Et rursus: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo? Hæc vtique non dicit de carne sed de diuinitate. Diuinitas autem est ex Deo & Patre. Quomodo ergo eum vocat Filium hominis? Communia personæ euaserunt, quæ sunt propria naturarū. Idem enim propter vnionē et Filius hominis & Filius Dei, æternus & recens, & Filius Dauid & Dominus Dauid, & alia huiusmodi similiter. Illud tamen sciendum est, quod nominum confusio non facit naturarum confusionem. Propterea enim etiam discernere quærimus, quemadmodum est quidem Filius Dei, quemadmodum autē rursus idē Filius hominis.* Et ibidē *Dicit Dominus: Panis Dei descendit de cælo, & interpretans, etiam si non possum apertius dicere propter mysteria tantum vult dicere ac si diceret, Caro meo est. Caro filij descenditne de cælo? Non descendit de cælis. Quomodo ergo dicit: Panis Dei vivit & descendit de cælis? Interpretans autem dicit: Quoniam virtus suscepto corpore de cælis descendit. Id quod habet virtus, carni asscribitur. Ergo etiam conuerte, Quæ caro patitur, Verbo ascribuntur. Quomodo passus est Christus pro nobis? Conspūtus est, in maxilla percussus est, fronti eius coronam imposuerunt, fossæ sunt eius manus & pedes. Hæ sunt omnes in corpore passiones. Referuntur autem etiam ad eum qui inhabitat. Proijce lapidem in imperatoris imaginem. Quid dicitur? Feciſti iniuriam Imperatori. Conscinde vestem Imperatoris. Quid dicitur? insurrexisti aduersus Imperatorem. Crucifige corpus Christi, Quid dicitur? Christus mortuus est pro nobis. Sed quid te aut me opus est? Accedamus ad Euangelistas. Quomodo accepistis à Domino, quemadmodum mortuus est Dominus? Dicunt, Pater in manus tuas cōmendo spiritum meum. Spiritus sursū eo corpus in cruce pro nobis. Obtulit enim ouē, quòd quæ in eius sunt corpore, illi attribuūtur. Ac rursus. Naturæ ergò quæ circumscribi non potest, est non laborare. Implet enim omnia. Corporis autem quod circumscriptum est, transire proprium. Quod autem transit, si viam ingredi cogatur, ex itinere laborem capit. Corpus ergò erat, quod & ambulauit & de fatigatum est. Vnio enim non consūdit naturas, &c.* Si corpus Christi circūscriptum est, vt omnes fatentur, eius est ire ac moueri localiter: at si vbique fuit (vt vos existimatis) non potuisset localiter moueri.

Vigilius. Vigilius contra Eutychen lib. 1. *Iam hinc argumentari non opus est, vbi se ipsa veritas prodit, Verbum Dei excubiorum officio non eguit, anima sepeliri non potuit: sola igitur caro sepulturæ officium habuit, & tamē Dominum Iesum Christum sepultum Apostolica auctoritas docuit. Cernis ergò aliquid proprium esse carnis, quod Verbi esse non possit: sed ideo etiam Verbi esse, quia Verbi est illa caro, cui possunt hæc omnia aptius conuenire.* Idem Vigilius libro quarto contra Eutychen. *Vnde constat et diuinitatem humanitatis habere vocabulum, id est, Verbum dici carnem, & carnem dici Verbum, non quia in se vtrunque mutatum sit, sed quia vtrunque vna persona, id est, vnus Christus sit. & ideò rectè credimus & prædicamus cum Apostolo, Deum crucifixum & mortuum in natura humana, quæ ex vniti Verbi consortio, deitatis posсit & nomen. Ipse igitur vnus idemque Dei filius Dominus Iesus Christus et mortuus est secundū*

formam serui, & non est mortuus secundum formam Dei &c. Item lib. 5. contra Eutychen. Perspicuè enim is & communionem operis & proprietatem vtriusque naturæ descripsit, dum & caro propter Verbum de cœlo descendisset, & Verbum propter carnem mortem subijsse diuina testatur eloquia, cum nec caro de cœlo descenderit, nec Verbum mori potuerit.

Ambrosius. Ambrosius de Fide lib. 2. cap. 4. *A modò videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis*, Et hoc de assumptione corporis dicit. Hinc dicit, *Sede ad dexteram meam. Nam si de æterna sede diuinitatis quæris, interrogatus à Pillato, si ipse esset rex Iudæorum: ait: In hoc sum natus, &c.* Et mox: *Propter nationẽ ergò corporis dicit: Sede ad dexteram meam donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum, &c. Ista ergò sessio ita est hominis, vt deitati non communicetur, cum sit infinita.* Et ibidem: *Neque enim Deus de loco ad locum transit, qui vbique semper est. Vt homo est qui vadit, ipse qui venit.* Denique & alibi dicit: *Surgite eamus. In eo ergò vadit & venit, quod est commune nobiscũ. Nam quomodo potest minor esse Deus cum Deus perfectus & plenus sit? sed minor in natura hominis: & miraris si ex persona hominis patrem dixit maiorem, qui in persona hominis se vermem dixit esse nõ hominem? &c.* Hic duo notantur. Primum moueri de loco ad locum ita proprium esse hominis, vt Deo non communicetur, Deinde minorem esse patre, sic esse humanitatis, vt diuinitati ascribi non possit.

Augustin. Augustinus in Ioan. Tract. 78. *Neque enim homo Christus non dicitur Filius Dei, quod etiam sola caro eius in sepulchro meruit appellari. Nam quid aliud confitemur cùm dicimus, credere nos in vnigenitum Dei Filiũ qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus? Et quid eius nisi caro sepulta est sine anima? Ac per hoc, cum credimus in Dei Filium qui sepultus est, profectò Filium Dei dicimus & carnem quæ sola sepulta est.*

P A N. Verbum Dei profecto est (vt dicis) impassibile atque immutabile, attamen propter hypostaticam vnionem λόγου (vt sic dicam) non aliter afficiebatur, ac si patereturque moreretur. O RO. Nisi particulam inter posuisses, *Vt sic dictã*, loquutionem tuam vt alienam repudiassem. Verbum quippe Dei non afficitur, quandoquidem nullo modo immutatur. Causam igitur habes cur scripturæ atque Patres hisce sermonibus interdum vtantur, quod personam in eis potissimũ attendant. Nec sane fieri poterat propter duarum naturarum vnitatem, quin hypostasis diuina morti & passioni adesset. Verum, vt prudentissimè dixit Irenæus, *Verbũ aderat et quiescebat.* Nõ vtique moriebatur per se, neque patiebatur. Quẽ admodum anima nostra morienti homini, seu carni adest, cùm tamen ipsa reuera non moriatur. Proinde fateamur Christum esse passum, & mortuum, sed carne, vt inquit Petrus, vel quatenus homo: vtque Hieronymus ait, Quatenus mori poterat, Hæc vtique simplex est & regia via, nec fidelibus tutum est ab ea vel in sinistram vel in dextram partem deflectere. Cyrillus paulo vehementior fuit in loquutionibus iam allatis exagerandis, quia ipsi certamẽ erat aduersus Nestorium, qui naturas discerpebat, non aliam cõiunctionem agnoscẽs naturæ diuinæ cum humana quàm per meritum, & quæ post hominẽ qui assumendus erat, iam actu existentem contigerit. Nos autem à Nestorio plurimum & distamus & abhorremus, vt qui sentiamus naturam Christi humanam absque diuinitate vel in ipso beatæ Virginis vtero nunquam fuisse: vnde illi adoptionem minimè concedimus, quemadmodum cæteris sanctis. Nam qui adoptantur in aliquam familiam necesse est vt ab ea prius fuerint alieni: at homo assumptus ex virgine nunquam fuit absque diuinitate. Reliqui verò sancti nascuntur filij iræ: atque cùm ob naturæ deprauationem à Deo sint alieni, ex inimicis et peccatoribus in adoptionem filiorum asciscuntur. Proinde confitemur filium Dei natum ex Beata virgine, ac Mariam θεοτόκον appellare nõ dubitamus. Etenĩ Leo ad Iulianum Episcopum scripsit: *Nihil secum Dominus de cœlo veniens nostræ conditionis exhibuit: nec animam enim, quæ anterior exitisset, nec carnem quæ non materni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic assumpta est, vt prius creata, post adsumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur, &c.* Maria itaque peperit hominem hypostaticè coniunctum Deo. Quam vnionem ita vrsit Cyrillus, vt à primo doctrina eius improbaretur. Nam sic loquebatur, quasi putaret ipsum Verbum Dei propriè passum & mortuum esse. At cùm postea suas dicendi formulas interpretatus esset, vt fidelis & sanus doctor habitus est. Cæterum cùm deinde in Concilio Chalcedonẽsi Eutyches damnãdus esset, qui vnam duntaxat in Christo naturam fingebat, Verbum Dei statuens versum in carnem ac reipsa & verè passum, & crucifixũ, & mortuũ in sua natura, cautius actũ est, in sermonibus, dictis & loquutionibus paulò ante allatis: & declaratum est, Christum esse passum & mortuum, quà homo, sed non quà Deus. Atque hac de re Theodoretus vir doctissimus, nec minus orthodoxus, qui omnibus hisce actionibus interfuit, Dialogos pulcherrimos & vtilissimos conscripsit. Proinde nos cùm istam cõiũctionem ἑνωμάτων, quorum non est capax natura humana seu diuina, verbalem sentiamus, verum ita verbalem, vt solidam radicem, firmumque fundamentum habeat hypostaticam vnionẽ: non inde consequitur nos dicere Christum verbis tantum modo esse Deum. Confitemur quippe illum reuera Deũ & quo ad naturam diuinam patri consubstantialem: quamuis humana eius natura non est diuina. Tu verò Pantache satis contumelioſè colligis ex nostris dictis, Christum esse nobis Deum nuncupatiuum. Quis posset id verisimiliter suspicari de nobis, qui clarissimis verbis testemur, nusquam existere in Christo naturam humanam, nisi hærentem in persona diuina? Nec magis candidè ac verecunde conficis ex nostris dogmatis, Christum non esse passum reuera, sed tantùm sermone. Respondeas obsecro te per tuam vbiquitatem, si animo intelligo non corpore, & esurio corpore non animo, an propterea tantùm sermone vel esurio vel intelligo?

Humanitati adoptio non tribuitur.

Theodoreti Dialogi.

Verbum aderat patienti homini sed non patiebatur.

Irenæus

Hieronymus.

Vnde Cyrilli vehementia.

ita

Ita cum Christus dicatur à nobis verè passus, & mortuus, quatenus homo, non potes rectè conficere illum tantùmodo sermone passum & mortuum. Possem facile in te regerere allatas iniurias: verùm me reprimo, ne quid mea lenitate indignum audias. Id esto satis iam te potuisse de me cognoscere, quod licet negem Verbum Dei re ipsa mortuum & passum, non tamen affirmo passionem & mortem ad illud nihil attinuisse: nam passioni & morti (vt dictum est) ob hypostaticam vnionem aderat, quamuis quiescebat: nec vlla passione, seu noua qualitate afficiebatur Quapropter nõ vano sermone passus est & mortuus filius Dei, cũ ea natura & caro verè ac reipsa patereturr, & moreretur quã sibi propriã fecerat, & cui personę vnione aderat. Non tamen vnquã dicerem, quod tu affirmare soles, λόγον, seu verbum ipsum, verè ac re ipsa, & passum & mortuũ. PAN. Sed addere cõsueui, Nõ quidem ex natura Deitatis sed ex natura humanitatis, cui λόγος hypostaticè est vnitus. Cyrillus verò prorsus mecũ facit qui scribit: *Passio dispẽsationis erat, sua quidẽ dicẽte Verbo, quæ sunt propria carnis, propter inenarrabilẽ vnitatẽ: Manente verò extra passionem, quantum ad ipsius naturam pertinet. Impassibilis enim Deus est. Neque id mirum, cum etiam animam ipsam hominis videamus, si quid corpus passum fuerit, extra passionem quidem manentem, quantum pertineat ad naturã: attamen nõ extra passionem esse intelligi, eo quod propriũsit corpus ipsius, quod patitur, &c.* Hæc Cyrillus. QR O. Cùm affirmas λόγον pati & mori, expositione addita, id nõ fieri ex natura deitatis, sed ex natura humanitatis video tuã expositionẽ duplicẽ sensũ admittere. Primus quidem est, vt intelligas filium Dei mortuum & passum, ita vt passio & mors à natura humana sint orta, sed tamen ita, vt etiam vsque ad ipsum Verbum peruenerint, & sic peruenerint, vt verè sit passum & mortuum. Quem sensum olim in Concilio Ephesino Cyrilli nonnulla verba præ se ferebant, quibus permulti grauissimè offendebantur. Siquidem extra controuersiam esse debet, Verbum impassibile esse ac immutabile. Quamobrem nec ego talem sententiam recipio. Neque à Cyrillo seipsum interpretante discedo, & vtrique Concilio, Ephesino inquam & Chalcedonensi fideliter adhæreo, quatenus de ista controuersia statuerunt. Alter sensus est, quem nos adhibere solemus, cùm dicitur, Christus passus est & mortuus, non ex natura deitatis, sed ex natura humanitatis, nimirũ passionem & mortẽ ex natura humana esse profectam, & in ea terminatam, eò quòd ad Verbum ipsum non permearit, neque penetrauerit, quia id neque mori, neque pati potest. Si autem mori aut pati dicatur, id est, quòd natura, quam fecit suam per incarnationem, moriebatur & patiebatur. Id autem Cyrillus eo loco quem adduxisti luculenter expressit. scribendo: *Dicente Verbo, illa esse sua, quæ sint propria carnis, &c.* Nec mentitur, dicendo ea sua, cùm sint eius carnis quam hypostatica vnione assumpsit. Ita profectò & de vbiquitate loquendum esset, vt cùm dicitur fortassis ab aliquo ex patribus. si tamen dicitur, corpus Christi esse simul in multis locis aut vbique, intelligamus, quia inest & substentatur in ea natura seu hypostasi, quæ est vbique cùm tamen ipsum corpus nec in multis locis nec vbique sit: non enim ad ipsum pertingit vbiquitatis proprietas, cũ ei sit necesse loco certo esse, propter corporis modũ. Sicut filius Dei dicitur mortuus propter naturam humanam, quam substentat, cùm ipse reuera in sua natura non sit particeps mortis.

Vt verò natura diuina seu Deus Verbum non sit capax mortis, nec reipsa potuerit dici mori, aliquot Patrum sententijs confirmabo.

Ambrosius De Fide ad Gratianum Augustum libro secũdo capitulo quarto. *Vnde illud collectum est. Dominum maiestatis crucifixum esse, non quasi maiestate sua crucifixum putemus, sed quia idem Deus per diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo Iesus Christus, Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors vtriusque naturæ, id est. humanæ atque diuinæ in natura hominis subijt passionem, vt indiscretè & Dominus Maiestatis dicatur esse qui passus est, & Filius hominis, sicut scriptum est: Qui descendit de cœlo, Per naturam igitur hominis & dubitauit, & tæduit, & resurrexit. Quod enim ceciderit, hoc resurgit. Per naturam hominis dicit etiam illud de quo calumniari solent: Vado ad patrem: quoniam pater maior me est. Quomodo vadit nisi per mortem, & venit nisi per resurrectionem? &c.* Ambrosius.

Theodoretus Dialogo tertio qui dicitur Impatibilis, *Quando ergo dicit sacra scriptura: Extulerunt autem Stephanum viri pij, & fecerunt planctum magnum super eum, dicesne animam vnà cum corpore esse sepulturæ mandatam? Nequaquam. Et quando audieris Iacobum Patriarcham dicentem: Sepelite me cum patribus meis, de corpore an de anima hæc dicta esse conijcis? Clarũ est quod de corpore. Dicitur etiã, illic sepelierunt Abrahamum & Sarã vxorẽ eius & illic sepelierunt Liam. Et sanè in ijs quæ legisti, corporis non meminit sacra scriptura, sed per omnia animam simul & corpus significauit. Nos autem rectè diuidimus, & dicimus animas esse immortales, sola autem corpora Patriarcharum esse in duplici spelunca depositæ. Et quando audiuerimus Actuum historiam narrantem, quòd Herodes interemit Iacobum fratrem Domini gladio, neutiquam animam mortuam esse existimabimus. Non ergò tibi videtur valde impium & miserum eus quidem, qui hominum nomina audiunt, non semper animam simul & corpus intelligere. Nec cùm scriptura de morte & sepulchro loquatur intelligere, quòd vnà cum corpore animum comprehendat, sed ea soli corpori conuenire putare, scire autem immortalitatem animæ Domini doctrinæ credentes. Qui autem filij Dei passionem audiunt, ne hoc quidem facere, sed corporis quidem cui conuenit passio minimè meminisse: diuinam autem naturam quæ est impatibilis, & immutabilis & immortalis verbis suis mortalem & patibilem ostendere. Idque cùm sciant, quod si pati posset Dei Verbi natura, fuisset supernacanea corporis assumptio.* Theodoretus. Idem in eodem Dialogo: *Passio autem quid est aliud quàm euersio & mutatio? Si enim, qui ante incarnationem erat impatibilis, post incarnationem passus est, mutationem vtique sustinens passus est. Et si qui antequam homo fieret erat immortalis, postquam homo factus est, mortem gustauit, vt vos asseritis, post-*

Quomodo credendum sit Verbum Dei passũ aut non passum

λόγος ex natura humana est passus non ex diuina quomodo intelligatur.

quàm homo factus est, omnino mutatus est, mortalis ex immortali factus. Sed huiusmodi vita, eorumque parentes & autores, benedicti patres à sacris cœptis in Synodo Nicena exterminant, & tanquam putrida membra à sano corpore resecant. Præterea ibidem sic scribit: *Sed nos apertè ostendimus, nullo modo posse mortis esse particeps, quod est naturæ immortale. Neque enim anima, quæ vnà cum corpore creata, eique coniuncta est, & cum eo peccati fuit particeps, potuit cum eo mortis habere societatem propter solã naturæ immortalitatem, etc.* Ad hæc dialogo tertio. *Diuus Petrus in sua catholica, Christum carne passum esse dicit. Qui autem Christum audit, non incorporeum Deum Verbum intelligit, sed incarnatum. Christi ergo nomen vtranque naturam significat. Illud autem carne adiectum passioni, non vtranque, sed alterutram passam esse designat. Qui enim audit Christum carne passum, eum rursus vt Deum impatibilem intelligit: soli autem carni passionem tribuit.*

Fulgentius, Fulgentius ad Thrasymundum libr. 3. *Hoc igitur personæ inseparabilis vnitas, in qua Deus & homo vnus est Christus, fecit, vt & homo Christus per gratiam nasceretur ex Deo, salua veritate ac plenitudine humanæ naturæ. Et idem Deus Christus voluntariè pateretur in carne, salua impassibili plenitudine diuinæ substantiæ, &c.* Et mox: *Hæc dum quidam minus attendunt, diuinitatem Christi non dubitant subijcere passioni, & audientes Christum in carne passum, putant Deum carni fuisse compassum, minus attendentes diuinam illam atque immutabilem Filij Dei substantiam, & in carne passibili passionem suscepisse, & eum carne passionem sentire non potuisse, &c.* Et mox: *Item secundum susceptam animam Deus tristis fuit, sed in anima tristitiam sensit, Cùm anima tristitiam sentire non potuit. in sua Deus animæ suam voluit esse tristitiam, & in sua carne suam Deus esse voluit passionem, quia totus in toto homine permanens inseparabilis Deus, nec animæ tristãti defuit, nec carnẽ sua impassione deseruit. Sed in Christo tristi & passo licet deitatem separare non posset, patiens & tristis humanitas, in toto tamen homine tristi non est Diuinitus tristata, et in homine toto patiẽti non est diuina natura compassa. Sicut moriente carne non solùm deitas, sed nec anima Christi potest ostendi commortua. Aliud est enim in carne passum Deũ dicere, aliud carni prædicare cõpassum: aliud in anima cõtristatũ & aliud cũ anima contristatũ. Passus est Deus in homine, quia vna est Dei hominisq; persona. Non est compassus Deus homini quia in vno Christo non est confusa Dei hominisq; substantia.* Et mox: *Christi diuinitas, quia verum hominem suscepit, ideò cunctas naturæ humanæ infirmitates veras quidem, sed voluntarias in eadem veritate naturæ (duntaxat humanæ) sustinuit. Quis autem tam mortiferam sectetur, improuidus de Christo sententiam, vt famem illam, sitim, lassitudinem, passionem, mortem, & rursus tristitiam, perturbationem, metum & tædium (quæ carnis & animæ esse nemo potest aliquatenus dubitare) sic vera fuisse credat in natura hominis, vt ab his immunem non credat substantiam deitatis? &c.* Et mox, *Veruntamen cùm sola caro moreretur & resuscitaretur in Christo propter vnitatem personæ Dei & hominis, Filius Dei dicitur mortuus, &c.*

Simile Cyrilli de anima & corpore. Restat nunc vt veniam ad Cyrilli similitudinẽ de anima, quæ mihi non displicet, sed vehementer probatur. Ea, si quid corpus passum fuerit, extra passionem manet, quantum ad eius naturam pertinet, attamen nec extra passionem esse intelligitur. Quare? Quia corpus inquit, quod patitur est propriũ eius. Ita passus est κάτ' οἰκ., quia natura patiebatur, quam suam & propriam fecerat. Simile, nihilominus fuisset expressius adducta de morte, quòd anima sit & ipsa quibusdam passionibus obnoxia, minimè verò morti. Resident mors tantummodo in corpore, ad animum autem non habet accessum, cùm omino sit immortalis. Ex corpore quidem oritur, sed etiam in eo desinit.

Cùm verò de cõmunicatione proprietatũ inter naturam humanam & diuinam Christi permulta iam dixerim, & complura loca ex patribus adduxerim, ad meam confirmandam sentẽtiam, adhuc non pauca mihi occurrunt, quæ (vt iudico) non sunt prætereunda. Seuerianus *Seuerianus,* episcopus Gabalarũ de natiuitate Christi, Theodoreto referente Dial. 2. ita scripsit: *Talis enim quoque Christus natus cælestis & terrestris, qui continebat & non continebatur. qui videbatur & sub visum non cadebat, cælestis secundum naturam diuinitatis, terrestris secundum naturam humanitatis, videbatur secũdum carnem, non videbatur secundum spiritum: & continebatur quo ad corpus. quantum autem ad Verbum attinet contineri non poterat, &c.* Hinc iam vides res ipsa quasdam esse proprietates naturæ diuinæ, quæ humanitati non communicantur, & quasdã sic esse hominis, vt in deitatẽ trãsfundi nõ possint.

Eustathius Anthiochẽus episcopus ex libro de *Eustbatius.* Anima, eodem referente authore, ait: *Si enim est incoporeus nec manuum tactui cedit, nec sensibus, nec oculis apprehenditur, non accipit vulnera, non clauis configitur, non est mortis particeps, non terra conditur, non sepulchro includitur, non surgit ex monumento. &c.* Hæc quoq; dicta ostẽdũt, quæ nam sic humanæ naturæ sint, vt verbo non communicentur.

Et Augustinus ad Dardanum: *Sicut ergo potuit rectè dici Dominus gloriæ crucifixus, cum ad solam carnem illa passio pertineret, &c.* Is quoque dicit pas- *Augustin.* sionem tantummodo ad carnẽ pertinuisse: prædicantur quidem hæc ἀμφοτέρα de vtraque natura, quamuis reipsa tantùm ad alteram pertinent: quæ nisi quis prudẽter animaduertat, in diuinis literis periculosè hallucinabitur. Dicit Christus in Ioanne cap. 6. *Cum videritis, filium hominis ascendentem,* humanitati hoc tribuatur: *vbi erat prius,* nimirum quo ad diuinitatem. Item cap. 1. *Hic est de quo dicebam, qui cùm me sequeretur,* scilicet iuxta hominem, *anteceßit me: quia prior me erat,* nimirum iuxta diuinitatem. Item Ioan. 16, *Exiui à patre & veni in mundum,* hoc de ipsa Deitate solum accipiendum est: Præterea, *Relinquo mundum & vado ad patrem,* Hæc ad humanitatem attinent. Ad hæc: *Ille me glorificabit,* Scilicet quò ad humanitatem: Deinde, *Quia de meo accipiet,* nempe vt Deo & Dei filio. Dicuntur hæc in scripturis quę attuli confusè de ipsa persona Christi, sed ita sunt propria vni eius naturæ, vt alteri non queant attribui, nisi quo ad vocem & loquendi formulam. Vnde Cyrillus in Ioan. lib. 1. ca. 4, rectè scripsit: *Quare fit vt multa nõ vt dicãtur, sed vt rebus cõuenit intelligãtur.* Idẽ pater in Dial. de Trin. lib. 5. scripsit: *Cyrillus.*

Igitur

Igitur quando aliqua minora sunt, quàm gloria Dei requirat, nec transcendunt naturam factam, dicunturque de Filio. ne ineffabilem statim ex patre propriè naturam cogites, sed feliciter vade, quo consyderationum scopus tendit. Neque ea quæ propriè deitatis sunt, humanitatis adscribas conditionibus. Neque humanitatis paruitatem summæ naturæ tribuas. quasi illi propriè agnatã: sed discretam & idoneam in vno quoque dictionem fieri scias Sic enim poteris & non aliter, certissimam contemplationem capere, &c. Si hac regula Pantache vtereris, non omnes proprietates re ipsa vtrique naturæ cõmunicares. Idem Cyrillus in Epist. ad Ioan. Antiochænum ait: *Præterea & impassibile esse verbum Dei confitemur omnes, etiam si sapientissime mysterium hoc dispensans, sibi ipsi quæ propriæ carni acciderunt passiones adscribere videatur. Hactenus & sapientissimus Petrus, Christo igitur, inquit, in carne pro nobis passo: nõ dicit in natura inenarrabilis diuinitatis. Vt. n. ipse omnium credatur esse seruator, secundum dispensatoriã appropriationem, propriæ carnis passiones (sicut dixi) ad seipsũ refert, &c.* Constat iam hinc, passiones Christi fuisse carnis: de Verbo autem dici, quatenus ipsum illas ad se retulit. Sunt itaque illius existimatione, ac prædicatione scripturarum. non quòd ipsum Verbum reipsa mortuum & passum fuerit. Cyrillus cùm diceret Verbum passum carne, multorum offensionem incurrit. Quare se purgãs anathematis. 12. scripsit: *Quia autem dicimus propriũ eius corpus esse, quod ex sancta virgine assumptum est, eam ob causam iustissimã. carnis passiones eius esse dicimus secundum dispensatiuam appropriationem, seruata vbique natura eius impassibili: Deus enim est ex Deo. Quando igitur carne dicitur pati, non ipse in propria natura intelligitur pati: ipsius enim factum est vnitum sibi corpus sicut dudum dixi, &c.* Affirmat igitur & ipse Verbũ in natura sua non esse passum. Cyrillo adiungere licet Theodoretum, qui 3. suo Dialogo ita scribit: *Quæcunque diuina nomina dimisit scriptura libera à passione, tu quoque ea libera esse sinito, nec eis passionem tribue. Huic vocabulo Deus nequaquam passionem adiunxit, &c.* Et mox: Non recipit istam loquutionem, Verbum fuisse passum carne. Nam ait: *Sic dici modum passionis, non impatibilitatem hoc autem ne de humana quidem anima dixerit quispiam Quis enim dixerit. nisi valdè delirus. quòd anima Pauli mortua est in carne? Hoc ne de homine quidè improbissimo & sceleratissimo diceretur. Sunt enim etiam malorũ immortales animæ. Sed illum quidem verbi gratia hominem interemptum esse dicimus, eius autem animam nemo dixerit occisam esse carne, &c.* Concedit tamen is author Christum esse passum carne, vnà cum Petro, Verbũ autẽ passum carne, minimè recipit. Causa verò huius cõfusionis & vocũ cõmunicationis proprietatũ à Naziãzeno traditur, in Expositiõe priori ad Ciydoniũ, dicẽte: *Si quis dicit carnẽ Domini de cælo descendisse, & nõ ex nobis hinc esse, anathema sit. Illud enim, Secundus homo è cælo. Et Qualis cælestis, tales & cælestes Et: Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit è cælo: filius hominis: & si quid aliud est huiusmodi, existimandum est dici propter vnionem cum homine, quemadmodum & per Christum omnia facta esse, & habitare Christum in cordibus nostris, non qua Deus apparet, sed qua intelligitur, confusis vt appellationibus, ita etiam naturis, &c.* Confusis inquit naturis, non reipsa, sed nostra generali, ac distincta intelligentia, & confusis nostro inarticulato & indistincto sermone. Mens huius patris est, quia naturæ sunt coniunctæ. ideò sequitur confusio appellationum, & vocabula verbaque proprietatum de vtraque natura dicuntur, non quod reipsa omnes proprietates in vtraq; natura insint. Ostendit etiam idem Doctor in 2. oratione de Filio, istam communicationem de qua nunc agitur esse quoad voces & loquendi formulas. Dicit enim: *Et hoc est quod facit errare hæreticos, nominum cõiunctio. Signum autem hoc est, quòd quando naturæ intelligentia seiunguntur, vnà quoque nomina diuiduntur, &c.* Cernis iam de obscuritate agi, quæ nõnunquam occurit in scripturarum dictis, ea verò facilè tollitur cùm intelligentia nostra distinguimus Christi naturas: quia tunc proprietates & vocabula cuique naturæ applicamus, vt ei conueniunt. Iuxta eandem sententiam scribit idem pater in eadem oratione. *Et hoc est quod in causa est vt errent hæretici, nominum coniunctio, Signum autem hoc est. quod quando naturæ intelligentia seiungantur, diuiduntur etiam nomina. Audite Paulum dicentem: Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, Christi quidem deus, pater autem gloriæ. Et si enim vtrunque simul vnum, sed non natura, eorum autem congressu & coniunctione, quid potest esse notius? Quin tum dicatur ipsum accipere vitam, iudicium, hæreditatem gentium, potestatem omnis carnis, gloriam, discipulos vel quæcunque dicuntur, & hæc sunt humanitatis, &c.* Hic quoque animaduertis nominum esse coniunctionem nõ proprietatum. Deinde quasdam esse proprietates vni tantum naturæ congruentes, non alteri, licet id scriptura non distinguat, ostendit eruditissimè Theodoretus, exemplis ab animo & corpore hominum ductis: ita quippè Dialogo 3. loquitur. *Quando audierimus sacrorum Euangeliorum historiam declarantem, quòd obtulerunt Deo paralyticũ in lecto iacentem, partium ne animæ dicimus fuisse solutionem, an corporis? Non vtique animæ. Et quando epistolam ad Hebræos legentes, inuenerimus illum locum vbi dicit Apostolus: Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & rectos gressus facite pedibus vestris, vt non quod claudicat auertatur, magis autem sanetur: de partibus ne corporis dicemus hæc sanctum Apostolum dixisse? Nullo modo. Sed animæ timiditatem & ignauiam eum auferre dicemus, & ad virtutem & ad animi magnitudinem incitare discipulos. Sed non inuenerimus hæc sacra scriptura distingui. Neque enim cùm Isaac narrasset cæcitatem, corporis meminit. Sed Isaac absolutè dixit esse cæcum. Nec cùm prophetas nominasset videntes, dixit eorum animas videre, & intueri quæ occulta sunt. sed ipsarum tantùm personarum meminit, &c.* Et mox: *Nos autem sensum verborum seruantes, cognoscimus, quæ nam animæ, & quæ nam sunt corporis propria: quia rationis facultate præditos nos fecit Deus. Hac ergò ratione in eo qui nos fecit & seruauit, vtamur, & agnoscamus quæ nam eius humanitati, & quæ diuinitati conueniunt. Nec timenda est vnionis dissolutio. Nam cùm in Isaaco, prophetis, & paralytico id fecimus, naturalem animæ & corporis vnionem non soluimus: nec à proprijs corporibus animas separauimus, sed sola ratione discreuimus, quid sit proprium animæ, quid corporis. Quomodo ergò non est mis-*

Declaratio qua Cyrillus seipsũ exposuit.

Theodoretus.

Nazianzenus

Theodoretus:

Non soluitur vnio hypostatica, licet non omnes proprietates communicentur,

vũ, nos qui hoc in animis & corporibus facimus, id in seruatoris nostri corpore facere recusare, & naturas confundere, quæ habent inter se differentiam, non quantam habet anima ad corpus, sed quantum distat quod est recens ab æterno, & quod factum est ab eo qui fecit? &c. Quis non videat in commemoratis exemplis quasdam proprietates ita corporis esse, vt ad animum non attineant, & vicissim alias animi sic esse, vt corpori non queant communicari? nec tamen ob id animi & corporis hypostatica vnio soluitur.

Ex hoc eodem scriptore alia multa possem afferre testimonia, quibus ostenderem, naturarum vnionem minimè solui, licet omnes proprietates inter vtranque non communicentur: Nec nõ communicationem ἰδιωμάτων potius quo ad vocabula & phrases esse animaduersam, quã quòd ipsæ qualitates & attributa inter naturas confundantur. Nec pauci fuerunt ex Patribus, qui disertis verbis hoc tradiderunt, non dissolui naturarum vnitatem, licet inter eas non fieret ἀλλοίωσις vel communicatio omnium proprietatũ. Ideò non pigebit eorum dicta recensere.

Ambrosius. Ambrosius de Fide ad Gratianum lib. 2. ca. 4. *Nam paulo minus minoratum ab angelis videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, vt sine Deo pro omnibus gustauerit mortem, &c.* Quod græcè scribitur χάριτι θεοῦ videtur legisse Ambrosius χωρὶς θεοῦ Quin & Vigilius lib. 2. contra Eutychen eodem modo vt Ambrosius legit, *Vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem.* Et mox in eodem loco: *Quàm benè autem posuit Apostolus, quòd sine Deo pro omnibus gustauerit mortem, ne diuinitatis illam passionem putaremus fuisse, non carnis.* Ergo mors non est communicata Deitati.

Vigilius. Vigilius libro primo contra Eutychen: *Sed ne adhuc de his proprietatibus dubites, audi manifestius. Proprium patris genuisse, & proprium filij natum fuisse, proprium verò est spiritus sancti procedere, nec omnino reciprocari alteram personam, quod est vnicuique personæ peculiariter proprium. Si ergo hæ tres personæ habentes singulæ proprietates suas, quibus significandæ distinguantur, non quibus separentur, vnus est Deus, quomodo filius salua vtriusque naturæ proprietate, non vnus est Christus? Nam & in homine, si subtilius disputare velimus, pleraque inuenietis a proprietate quadam sequestratius distincta, vt si & ibi ualuuiari volueris, de vno homine multos homines facias. Hominem ergo per ordinatas corporis alium membrorum distinctiones quisque constare sensibus nemo est qui nesciat, qui sensus ita officij sui proprietatem naturaliter obtinet, vt nihil secum habere commune, nihil sibi de alterius ualeant vindicare. Et vt omnia specialiter commemorem, Visus ita ministerij sui proprium officium geris, vt nec audire, nec odorare, nec gustare, nec contrectare possit. Auditus ita naturæ suæ administrat officium, vt nec videndi, nec odorandi, nec gustandi, nec contrectandi officium subeat. Odoratus quoque sic famulatus sui officio fungitur, vt nec videat, nec audiat, nec gustet. Gustus etiam nec videt, nec odoratur, nec contrectat. Tactus denique qui est vltimus sensus, nec visione fruitur, nec auditum percipit, nec odorem capit, nec gustum discernit. Et cùm sint hæ omnes membrorum species tam diuersæ, tam discretæ, ita naturalibus proprietatibus substitutæ, vt nihil communionis, nihil societatis ad se inuicem habeant, sed priuato quodam & solitario iure propriæ functionis ministerium impleant: vnus tamen idemque est homo, qui commodè quinque corporalibus sensibus varia proprietate à se inuicem differentibus constat: ita quinque secundum istorum deliramenta personas habere debuerat, vt quantæ sunt proprietates sensuum, tanta esset & numerositas personarum. Deo hinc inedia affici, comedere, sitire & bibere, sedere & incedere, cubitum ire & de somno surgere, algorem perpeti & æstibus vri, licet non sint animæ passiones, vt eo aut patiatur, aut agat, tamen hæc carnis sunt propria. Item sapere, intelligere, obliuisci, in memoriam reduci, lætitia efferri, tristitia deiici, mansuescere lenitate, furore atque ira immanescere, & quamplura his similia, quæ persequi longum est, licet non sine corpore agantur in anima, tamẽ animæ sunt propria: nec tamen quispiam ausus est vel audet dicere, hominem duas personas habere, in quo tantas proprietatũ differentias cernit esse, &c. Cogitemus in ijs verbis hominem esse commune subiectum, & de illo rectè dici quòd audiat, videat, olfaciat, gustet & tangat. Et nihilominus visui non damus vt audiat, nec auribus vt videant, & nihilominus manet salua eadem persona. Ita Christum credamus vnam esse personam duarũ naturarum, per quarum alteram sit certò loco, & per alteram vbique. Et licet humanitas non sit vbique, nec diuinitas certo loco teneatur, manet attamen salua vnitas personæ, nec diuiditur.* *Vigilius.*

Item lib. 4. contra Eutych. *Miror autem quomodo non hac existimatione Apostolum quoque Paulum accusaueris: quia & ipse duo quædam esse dixit in vno homine, vicissim quæ sua sunt propria operantes et contra se inuicem nitentes, spiritum videlicet & carnem. Hæc, inquit, sibi inuicem aduersantur. Sicuti ergo vnus est homo, in quo sunt duo quædam in se inuicẽ permanentia, & sua quæque propria operantia, nec potest alius dici, dum secundum carnem sapit, & facit, & alius dum secundum spiritum vivit, sed idem ipse est in vtroque, habens in se vtrunque.* Præterea eodem lib. 4. *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Ostendens in vnoquoque nostrum vnum esse mortale, et alium immortale. Caro quippe in nobis moritur. Vnde & in symbolo Carnis resurrectionẽ nõ Animæ cõfitemur, quã esse immortalem credere iubemur. Quia ergo Seruator in vno homine duo ista diuisit, quibus & proprietatem qualitatis assignauit, ideo putandus est vnum hominem in duos homines diuisisse? Si ergo vnus est homo, qui moritur ex vno, & nõ moritur ex altero, certè vnus est Christus qui mortuus est ex carne & non est mortuus ex Verbo. Quia secundum naturam quæ in eo mortalis fuit, mori potuit: secundum illam autem quæ in eo mori non potuit, semper immortalis permansit.*

Adhæc contra Eutychen libro quinto: *Sed iam vltimum decreti capitulum videamus, ex decreto synodi Chalcedonensis. Vnum eúdemque Christum vnigenitum confitemur in duabus naturis inconfusè, inconuertibiliter, indiuisè, inseparabiliter cognoscendo. Nusquam duarum naturarum diuersitate euacuata propter vnionem, salua magis proprietate vtriusque naturæ in vnam personam atque substantiam conuenientibus; non vt in duas personas diuisum aut segregatum, sed vnum eundemq; vnigenitum Filium, Deum Verbum, Dominum Iesum Christum. In hoc capitulo*

hoc

hoc eis displicet, quod dixerint, salua proprietate vtriusque naturæ vel nō euacuata naturarum differentia, &c.

Ex ijs iam potes cognoscere vnitatem duarum naturarum in vna persona conseruari, quamuis non omnes proprietates vtrinque communicentur. Fatentur etenim omnes deitatem non suscipere passionem: sed naturæ humanæ fuisse, vt pateretur & moreretur: nihilominus tamen seruata est hypostatica vnio. Ad eundem modum sentiendum est, humanitatem non esse participem vbiquitatis, licet diuinitas vbique sit. Neq; propterea hypostatica vnio soluitur.

Sed redeo ad Cyrillum. In expositione Symboli Niceni, quæ habetur in Concilio Ephesino Pag. 546. vbi sic ait: *Inueniemus igitur dicentem diuinum Baptistam, Post me venit vir, qui antè me factus est, qui prior me erat. Deinde quomodo qui post ipsum erat, prior eo fuit? Quia enim Christus secundum tempus carnis tardius venit quàm Iohannes, quomodo non omnibus manifestum? Quid igitur ad hæc dixerit quis? Soluit nobis ipse saluator quod quæritur. Dicebat enim Iudæos alloquens, Priusquam Abraham fieret, ego sum. Nam erat quidem & ante Abraham, diuino more, &c. Hic quoque consydera istam proprietatem, naturæ humanæ minimè communicari.* Et mox: *Deinde, Quomodo factus est primogenitus ex mortuis? & primitiæ dormientium? Nam quia mortis susceptionem propriam carnem fecerat gratia Dei, sicut dicit sapientissimus Paulus, pro omnibus gustauit mortem carne, qua ipse pati potuit, non abiecto autem eo quod ipse erat vita. Itaque etiam si diceretur carne passus esse, non natura deitatis suscipiet passionem, sed vt iam dixi, propria caro est quæ suscipit passionem, &c.* Hinc etiam intelligis quomodo passio communicetur Verbo, non quòd ipsum patiatur, sed quia caro quæ illi propria facta est, suscipit passionem.

Cyrillus.

Idem rursus habetur in Synodo Ephesina articulo 13. *Neque enim prius natus est homo communis de sancta virgine, & tunc demum inhabitauit in eo Verbum, sed in ipsa vulua, vteroque virginali secum carnem coniunxit, & substituit generationem carnalem, carnis suæ natiuitatem suam faciens. Sic illum dicimus passum esse & resurrexisse non quia Deus Verbum in sua natura passus sit, aut plagas aut clauorum transfixiones aut alia vulnera susceperit (Deus namq; incorporalis extra passionem est) sed quia corpus illud quod ipsius proprium factum est, hoc sustinuit, ideò hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile naturaliter, & vita, & viuificans Deus Verbum. Sed quia corpus ipsius proprium, gratia Dei, iuxta Pauli vocem, pro omnibus mortem gustauit, idcirco ipse dicitur mortem pro nobis passus: no quod ipse mortem esset expertus, quod ad ipsius naturam, (insania enim est hoc vel sentire, vel dicere) sed quòd, vt diximus, vera caro ipsius mortem gustauit. Ita & resurgente carne ipsius, rursus eius resurrectionem dicimus, non quia in corruptionem ceciderit (quod absit) sed quia eius resurrexit corpus. &c.* Ista vt arbitror te iam satis docent, non omnes proprietates re ipsa vtriquè naturæ communicari.

Nunc restat vt ostendam quomodo illa dicta scripturæ soluēda & interpretāda sint, in quibus A nomina proprietatum inter duas naturas communicantur, vel permutantur. Primùm spectanda est ipsa persona de qua illa dicuntur: deinde animo prudenter contemplandæ sunt duæ naturæ, ac proprietates distribuendæ, vt illis conueniunt. Dicitur Christus factus ex semine Dauidis & ex muliere, quia persona filij Dei sibi iunctam habuit naturam, quæ semen Abrahæ ac Dauidis fuit, & ex illis fluxit. Dominus gloriæ dicitur crucifixus. quod Verbum Dei vnitam sibi habuerit eam naturam, quæ in cruce passionē & mortem subijt. Deus ecclesiam sanguine suo redemit. quòd illam naturam assumpserit, ex qua sanguis causa nostrū omnium fusus fuerit, Christus frater noster appellatur. nimirū quod carnē generis nostri assūpserit. Sonat præterea in ecclesia dulcissima sententia, Christus est filius Dei vnigenitus ex patre ante secula natus, nempe quod in eo sit persona & hypostasis diuina, quæ ante omnem æternitatem ex patre prodijt. Item Christus vnum est cum patre, quia persona diuina quę humanitatē sustentat, patri est ὁμοούσιος id est consubstantialis. Filius Dei ascendit in cœlū quia naturam assumpserat, quæ eò est delata. Cū Christus in terris loqueretur, filius hominus dicebatur esse in cœlo. quia natura humana illi personæ seu hypostasi erat coniuncta, quæ in cœlis erat. Filius hominis descendit de cœlo, id est persona diuina è cœlo descendit quæ sibi naturam coniunxit humanam. Ex his formulis expositionum citra vllam offensionem omnes huius generis loquutiones vt sanas & veras poterimus admittere. Iam satis fusè tria tibi ostendi: nimirum Nō omnes proprietates vtrique naturæ ipsa re promiscuè communicari. Deinde illam communicationem sæpius esse vocum & loquutionum quàm ipsarum proprietatum. Ad extremum certam rationem indicaui qua illa dicta obscura & duriora resolui possint, & reddi planissima.

Multarum propositionum declaratio per communicationem idiomatum.

PAN. Quæ retulisti. quoniam ad stomachum meum parùm faciunt, ea prætereunda censeo, verùm ad id mihi respondeas velim. An putes deitatem solam esse viuificam? ORO. Fateor, si viuificam intelligas per se & (vt cum scholis loquar) indepēdenter: alioqui cōmunicatur: nam & carnem Christi viuificam esse non inficiarer, non quod ex sua vi id habeat, sed ex fonte deitatis, cui personaliter est vnita.

Caro Christi est viuifica.

PAN. Vndecunque ipsam habeat, non moror eam tamen habet. Sola item deitas est adoranda & tamen caro Christi adoranda est, non quidem si sola. vt humana caro, absque deitate consydere tur, sed quia est cū deitate personaliter vnita. ORO. Cū sanctificatio verbo externo vtcunq; detur, & baptismo, non mirum videri debet, si etiā carni Christi concedatur, quæ instrumentum est sanctificandi multò propinquius, ac sint vel externum verbum, vel sacramenta. Nec à facultate viuificandi quicquam de proprietate ac veritate humanæ naturæ detrahitur, sicuti fit à vestra vbiquitate, quæ illam exuit suis terminis, sua descriptione: suisque lineamentis, citra quæ constare non potest. Minus etiam impedior adoratione communicata, cum Christi caro secum habeat

Illæ proprietates reipsa cōmunicantur quæ nihil detrahūt de veritate naturarum.

beat cóiunctá naturá diuiná, Ex qua tamen coniunctione minimè sequitur vnam earũ naturarũ tá latè patere quàm alterá. Profectò si vnà cũ rege adoratur eius purpura, qua est indutus, nil obstat quo minus vnà cum filio Dei etiam eius caro adoretur. quam de ventre virginis assumpsit. Ista sunt ἄκυρα διόνυτα, neque ad rem nostram quic quam faciunt.

PAN. At si libet nostram sententiam aliquod Patrum dictis confirmare. Quod enim mihi nõ assentiris, illis fortasse dabis, graui eorum permotus authoritate. Basilius scribens in sãctã Christi Natiuitatem, ait, *Quomodo Deitas est in carne? Quemadmodũ ignis in ferro,* οὐ μεταβατικῶς ἀλλὰ μεταδοτικῶς, *Hoc est, non transitiuè, sed distributiuè. Non enim excurrit ignis ad ferrum, sed manens in loco distribuit ipsi propriam facultatem.* Et mox: *Quomodo igitur Deus Verbum corporea debilitate non impletum est? Dicimus, Velut neque ignis ferri proprietates transumit. Nigrum est ferrum & frigidum, sed tamen ignitum ignis formam induit: & ipsum illustratur ac candefit, non nigre faciens ignem: & ipsum inflammatur, non frigefaciẽs flammã.* Sic sanè etiam humana domini caro, ipsa particeps facta est deitatis, non suam propriam deitati tradidit imbecillitatem. ORO. Quod à Basilio rectè dicitur, non inficior, Naturam scilicet diuinam Christi humanitati distribuere suas facultates, non tamen omnes, verùm illas tantum modo, quæ illius capacitatem non superant. Nõ enim ei dat vt sit immensa vel increata, nec etiã vt sit vbique. Gloriæ autem ac felicitatis, nec non vim faciendi miracula, & sanctificandi, aliaque similia citra controuersiam illi distribuit. Nec similitudo ferri cãdentis displicet, cum sit pulchra, & ad rem quæ tractatur, eleganter accommodata: quia nec ignis omnes proprietates, quas habet, ferro communicat. Etenim cum sit leuissimus omnium corporum, quę degunt sub lunam, ferro quamuis candenti non largitur suam leuitatem, neque dat vt sursum ascendat, imò si è manibus proijceretur, non vtique ad summa, verũ ad ima tenderet. Deinde non habet quemadmodum ignis partes raras, sed adhuc quamuis ignitum solidum ac densum corpus manet: vtque igne ferrum commutatur, vt fiat candens, mollescat. illustretur & nonnihil purgatius euadat, ita corpori Christi ex natura diuina claritas, agilitas impassibilitas, & cæteræ felicitatis dotes accesserunt. Verùm quemadmodum leuitas, ascensus ad loca superiora, nec non raritas partium, si ferro conferrentur, id non paterentur amplius esse ferrum, sic humanitati Christi si assumeretur immẽsitas, impletio multorum locorum simul, nec nõ tua vbiquitas, ea illam non amplius esse naturam humanam sineret. Miror attamen, & quidem vehemẽter, abs te allatum hunc locum Basilij, cùm tuam sententiam acriter oppugnet. Nam antea vehementer contendebas passionem & mortem Deo Verbo propriè fuisse communicatam, re inquam ipsa, & non verbali communicatione. Hic verò pater Deum Verbum ait non fuisse impletum corporea debilitate. Quare debilitatem humanitati relinquit, nec illam naturæ diuinæ attribuit. Idque suo confirmat simili, dicendo, *Velut neque ignis proprietates ferri transumit.* Audis Pantache, de ijs proprietatibus loquitur quæ ad infirmitatem attinent, Eæ diuinitati non communicantur, nisi, quemadmodum superius docui, quatenus per incarnationem, propriam & suam sibi feciꝫ illam carnem, quæ est pro temporis œconomia ob nostram salutem debilitata. Sententiam suam Basilius adhuc dilucidius exprimit addendo: *nigrũ est ferrum et frigidũ, sed tamen ignitũ, formam ignis induit, & ipsum illustratur & candefit non nigre faciens ignem & ipsum inflammatur, non frigefaciens flammã. Sic porrò etiam Domini caro ipsa particeps facta est deitatis, non suam propriam deitati tradidit imbecillitatem.* PAN. At ijs verbis non sẽsit Basilius quod deitas in Christo non fecerit sibi propriam imbecillitatem carnis, sed quòd nõ sit ab imbecillitate carnis mutata. Et tamen sicut in ferrò ignito ignis absumit ferri nigrorem & frigiditatem, non vt ipse fiat niger & frigidus, sed vt nigrorem & frigiditatem ferri absumat, ac ferrũ inflammet & illustret: ita deitas in Christo assumpsit humanitatis suæ passionem & mortem, non vt ipsa in se pateretur & moreretur, sed vt passionem eius & mortem absorberet, atque hominem illum cœlesti Maiestate ornaret. ORO. Fruſtra circunducuntur verba, vt emolliatur seu peruertatur clarissima Basilij sẽtẽtia. Quid iuuat interpretari deitatẽ nõ fecisse propriã sibi debilitatẽ ita vt ab ea immutaretur? Hæc planè sunt ἀσύστατα. Deitatẽ propriè ac re ipsa cõmunicari passione & morti, nec pati, nec mori, neque immutari. Quicquid enim propriè patitur, ac moritur, procul dubio immutatur.

PAN. Nisi ex ipso Basilio quippiam aliud proferas, verba eius ad sententiam meam pulchrè accommodantur. ORO. In eadem oratione circa finem ita scripsit: *Cogita, mihi velut Deo conuenit, Domini incarnationem immaculatam, & impollutam deitatem, etiam si in materiali natura gignatur, affectuositas corrigitur, non ipsa affectione impletur. Non vides Solem etiam in cœno esse, & sordibus affulgere, & graueolentia non frui. nec participare, imò vice versa eorum quibus sufficienter conversatus fuerit putrefactiones reficcat. Quid igitur times de affectiones experte, ac pura, & incorruptibili natura, ne quid aliquid de nobis maculam assumat? &c.* Primum dicit ipsam deitatem affectione minimè impleri. Nec deitatem per se ac seorsim consyderat. Verùm de illa tractat vt per incarnationem coniuncta est naturæ humanæ. Quid pulchrius est præterea illa similitudine, quam vsurpat, dicendo, Solem in cœno esse, ac sordibus affulgere, cùm tamen graueolentia nec fruatur, nec participet? Si hæc vera sunt, quid tu antea illam confingebas realem omnium proprietatum inter duas naturas confusionem? vel vt ipse appellabas communionẽ? præterea idem pater de gratiarum actione ita scripsit. *Quemadmodum igitur famem suscepit Dominus, vbi solidus cibus illi digestus fuit, & sitim percepit humiditate in corpore consumpta, & lassatus fuit musculis ac neruis ex profectione in itinere superdistentis, non deitate per laborem domita, sed corpori accidentia, ex natura consequentia suscipiente, sic etiam lacrimas pertulit, naturale accidens carni accedere concedens, &c.*

Affirmat

Basilius.

Basilius.

Basilius.

Basilius.

Basilius.

Basilius.

Simile Basilij de ferro cãdẽti.

Basilius.

Affirmat itaque Basilius Christum hæc passum corpore susciepiente accidentia, quæ consequuntur ex natura. Proinde corpus erat quod has cõditiones, affectus, & proprietates susciebat. Idcircò sapientissimè scripturæ docent Christum passum, & adijciunt carne. Ita etiam vobis Pantache loquendum fuit Christum certo loco secundum carnem vel quo ad corpus ipsum contineri. vbique autem esse diuinitate. Hac dicendi & scribendi formula vsa est hactenus ecclesia, sed vos ea spreta & reiecta, magna fidelium perturbatione, audetis affirmare Christum etiam quo ad humanitatem esse vbique, semper opponentes naturarum seu personæ dissolutionem, si aliter statuatur. Neque consyderatis naturas in Christo non discerpi, licet passiones in carne susceptæ diuinitatem non peruaserint, & eas disiungẽdas contendentis, si natura humana Christi vbiquitatem nõ sit assequuta. Ad hunc denique modum concluſit Basilius *Lachrymatus est, naturale accidẽs carni accedere cõcedẽs, Vnde colligas oportet, lachrymas ita carni conuenire vt diuinitatis esse nequeant. Extendatur itaque natura diuina in immensum, nõ autem ei coextendatur in immensum natura humana.*

Formula loquẽdi vsitata in ecclesia.

Basilius.

PAN. Videris parum concinnè ac proprie loqui. Corporeæ quippe molis ac magnitudinis est aliquò extendi: at Deus cùm sit spiritus, extẽdi non rectè dicitur. ORO. Non possumus de spiritualibus arcanis iuxta eorum naturam propriè loqui. Desunt vocabula, & certis dicendi formulis destituimur, ideò ad translationes à rebus corporeis deriuatas nos crebrò recipimus, & illis pro loco ac tempore vti consueuimus. Nec tamen ego primus, aut solus phrasim huius generis induxi. Basilius quippe in concione super initium Euangelij secundum Iohannẽ, ait, *Neque pater in loco, neque Filius in ambitu aliquo, ac circumscriptione confessa comprehensus, sed infinitus pater, infinitus filius. Omne quodcunque mente conceperis, & quocunque spiritu tuo perrexeris Deo repletum inuenies, vbique simul coextensam filij substantiam reperies, &c.* At orationem eius Græcam visum est adijcere, οὔτε ὁ πατὴρ ἐν τόπῳ, οὔτε ὁ υἱὸς ἐν περιοχῇ τινι, περιγραφῇ ἁλισκόμενος πεπιλημμένος. ἀλλ' ὁ μὲν πατὴρ ἄπειρος· ὁ δὲ υἱὸς. πανταχοῦ δὲ νοήσῃς ἐὰν ἐπινοήσῃς τὸ πνεῦμά σου θεοῦ εὑρήσεις πανταχοῦσαν, πᾶσαν συμπαρεκτεινόμενην εὐσέβειαν τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ. Iã filij personã agnoscis non solùm patri coextensam, verùm etiam omnibus rebus quæ cogitaueris, & ad quæ accesseris. Et ratio quæ affertur considerandæ tibi est quam diligentissimè. *Quoniam*, inquit, *& filius est infinitus.* Quod si filius non esset infinitus vt pater, non posset ei coextendi. Quamobrẽ vos oportet aut dare corpus Christi esse infinitum & ita deitati coextendi, aut si statueritis illud finitum, vt iuxta orthodoxam fidem sentire debetis, cogemini fateri, velitis nolitis, ipsum non posse infinitæ deitati coextendi.

Verbum coextendi vsurpatũ à Basilio in rebus diuinis.

PAN. At volo vt iam Cyrillum audias, qui ad hunc modum in Ioannem scribit: *Non imperitè omnino viuificam carnem esse negatis. Nam si sola intelligatur, nihil prorsus viuificare potest. quippe quæ viuificante indigeat. Cùm verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutati fueritis, & habitantem in carne cognoueritis (quamuis nil penitus caro per seipsam possit) viuificam tamen esse factam credetis. Nam quoniam cũ viuificante Verbo caro coniuncta est, tota est effecta viuifica &c.* Et mox: *Quamuis natura carnis vt caro est viuificare nequeat, facit tamen hoc quia totam Verbi operationem suscepit. Si mel cùm naturaliter dulce sit, ea dulcia facit quibus immiscetur, nonne stultum erit viuificã Verbi naturam putare non dedisse homini in quo habitat, viuificandi virtutem.* ORO. Hic iam operam ludis, quoniam antea datum est eas diuinas proprietates humanitati communicari à deitate quæ illam non euertunt, & nominatim expressi vim sanctificandi atque viuificandi carni Christi per deitatẽ posse cõuenire. Adhæc Cyrillus eleganter demonstrauit, quomodo viuificandi facultatem humanitas Christi habeat: Nimirum quòd verbi operationem suscipiat. Vis quippe Deitatis per humanitatem Domini transit, & in nos deriuatur. PAN. Sed totam ait recipere. ORO. Totam ego intelligo, quæ facit ad viuificationem & sanctificationem. Alioqui tota vis filij Dei. qua regit orbem terrarum, & se in infinitũ extendit, non clauditur & finitur in Christi humanitate, quæ finita est, & suis terminis circumscribitur. Similè verò quod affert de melle, satis illius mentem ac sensum declarat: Efficiuntur sanè dulcia quibuscunque mel admiscetur, at tamen haud quaquam tantum dulce dinis habent. quantum in seipso mel habet. Quo enim magis acribus, aut acidis commiscetur, dulcedo in eis minor deprehenditur, Idcircò antea cùm de communicatione proprietatum differebamus, affirmaui eas communicari quidem, sed pro naturæ participantis eas capacitate.

Cyrillus.

Simile Cyrilli

PAN. Sed audiatur idem ipse pater De incarnatione Verbi cap. 7. vbi ait. *Sicut corpus alterius est naturæ præter animam, vnus tamen ex vtroq; homo efficitur & vocatur: ita etiam ex perfecta Dei subsistentia, & ex humanitate perfecta, vnus est Christus. Idem in eodem simul Deus & homo. Et sua quidem dicit Deus Verbum, ea quæ sunt carnis propria: quia ipsius est corpus & non alterius. Communes autem facit tanquam cum sua carne diuinæ suæ Maiestatis operationes, vt possit etiam viuificare mortuos, & sanare infirmos.* Et capite *S. Cæterùm tanquam in imagine licet in carbone conspicere adunatum quidem humanitati Deum Verbum, non tamen proiecisse quod fuerat, transformasse autem magis assumptam naturam, in suam gloriam & operationem. Quemadmodum ignis ligno affixus & in id penetrans, comprehendit quidem ipsum, & quamuis lignum esse non desinat, vim tamen suam speciemq; transmittit omnem seque confert in lignum, & cum ipso iam quasi vnum aliquid æstimatur. Idem intelligo & de Christo. Adunatus enim inæstimabiliter humanitati, Deus, seruauit quidem ipsam in eo quod fuerat, & ipsa permansit quod erat. Semel tamen adunatus, quasi vnus iam cum ipsa putatur, ea quæ sunt illius, sua faciens, conferens autem ei & ipse naturæ suæ operationem, &c.* Et si autem hanc Cyrilli similitudinem de carbone, sicut illam de ferro, quam suprà recitauimus cauillari quispiam, & exagitare potest, ac fortassis accommodatior esset similitudo de ignito auro, quàm de ignito ligno aut ferro: Tamen non

est ignotum quatenus tales similitudines ad explicandum hanc idiomatum communionē adhibeantur, & quatenus pateant ac valeant. Neq; enim in alium vsum à nobis commemorantur, quàm vt saltem aliquo modo inenarrabilem illam Dei & hominis in persona Christi vnionem, ex qua cōmunicatio idiomatum oritur, demonstremus. ORO. Nunquam inficias iui. Deum Verbum sua dicere, quæ suæ carni propria sunt: at de modo videndum est, quo illa & dicat & faciat sua. Tu rē sic accipis (vt suspicor) quasi hæreant & recipiātur in ipsa natura, cui dicuntur communicari: quod minimè verum est, Non enim mors & passio Christi hæserunt in ipsa diuinitate, quæ nec pati nec mori potest. Nos verò idcircò ista cōmunicari dicimus, quia natura humana, cui mors & passio accidebat, ipsius Verbi erat, nam illam per incarnationem suam fecerat. Hunc sensum nos amplectimur, & Cyrillus eum expressit, dicendo: *Quia ipsius est corpus, & non alterius.* Ad hunc etiam modū vos deberetis de vestra vbiquitate pronunciare, vt sæpe te monui, sed frustrà vt video. Quamuis natura diuina cui humanitas est copulata vnione hypostatica, est vbique, ipsa tamen humanitas loco suo finitur & clauditur. Sicut dicimus, naturæ humanæ Christi mori & pati contigit, cui tamen iuncta erat hypostaticè natura diuina, quæ cùm perpetuò sit immortalis & impassibilis, re ipsa nec mortua est nec passa. Mortuorum autem viuificationem, & infirmorum sanationem, atque huius generis proprietates humanitati facile communicatas iam bis dedi, quòd nihil prorsus de illius natura detrahant. imaginem carbonis, quantum ad præsens negotium potèst accommodari, non reijcio. Verùm contra illam obijcio eadem, quæ prius aduersus eam quæ afferebatur de ferro candenti oppositi. Humi quippe iacent carbones, quamuis igniti, nec ad superiora feruntur, quemadmodum ignis. Habent etiam suum quantumcunque pondus, nec ignis leuitatem sunt assecuti. Sunt adhuc densarum partium corpora, nec rari euaserunt, vt ignis. Candēt quidem specie, at eos commjnuas, atrum videbis eorum puluerem. & nigra reddent corpora, licet candida fuerint, quibus eos affricueris. Iis addas: ignem & ligna consumere, ac ferrum imminuere cum inflammantur & ignita redduntur: cùm diuinitas Christi non sic humanitatem afficiat. Quare constat & dissimilitudinem hic esse, neque omnes proprietates communicari inter ignem, & lignum. Quid verò tibi velis de auro ignito, non satis percipio, nisi fortè innuas aurum ab igne non consumi, vt ligna & ferrum, sed potius perfici ac purius reddi, quemadmodum Christi humanitas à diuinitate non consumitur, sed perficitur. Ego verò quid in auro ignis faciat, aurifici expendendū relinquam. id tantùm affirmabo, ignem omnes suas proprietates auro minimè communicare Nam dum coquitur aurum, fluit & colliquescit, quod igni non est proprium. Deinde licet ignis illud peruadat, non tamen efficit vt sursum attollatur, vel vt siccum aut subtile reddatur, & forta

Cyrillus attulit similitudinem carbonis.

sis aliæ ignis proprietates possent reperiri, quas auro minimè communicat. Et illæ quas in eum transfundit, non ea excellentia præstant, ac eæ quas ipse in se habet. Nec porrò te oportuit laborare, vt similib. adeò multis communicationem proprietatum confirmares: quandoquidē à nobis ea vltrò ac sponte datur, si tamē illa recto modo, & orthodoxa ratione vtamur. Communicētur eæ proprietates, quæ naturis possunt cōgruere, quæ verò non queunt vel humanitati, vel diuinitati adaptari, eis non attribuātur, nisi modo iam expositō, & patrum testimonijs confirmato.

PAN. Adhuc quæso te, ne graueris audire quæ scribat idem pater ad Successum: *Vnde puto beatissimum Paulum dicere. Etsi cognouimus Christū secundū carnē, nunc non nouimus. Dei enim (vt dixi) propriū corpus existens, omnia humana trāscendit, &c. Et mox: Ideoque diuinum quidem dicimus corpus Christi, quia corpus Dei est, & ineffabili gloria illustratur, & incorruptibile, & iā sanctū, & viuificū confitemur.* *Cyrillus.* *Quomodo corpus Christi transcendat omnia humana.*

ORO. De illis verbis (vt video) mirificè gloriaris ac triumphas Nam ea ille vester liber maiorib. literis habet in se cōscripta, OMNIA HVMANA TRANSCENDIT, &c. At nos etiam fatemur Christi corpus omnia humana transcēdere, sed non ita vt corpus hominis esse desinat. Retinet quippe adhuc sua membra, lineamenta, fines atque circumscriptionem. Humana transcendit omnia, quæ ad imbecillitatē, infirmitatem, & necessitates huius vitæ pertinent: non esurit amplius, non sitit, non fatigatur, non patitur, non moritur. Hæc humana sūt quæ causa nostræ salutis assumpsit, & modò sūt ab eius felicitate subducta. Nec vera esset alioquin Pauli sententia, Nō cognosci à nobis Christum secundum carnem, si eam sic acciperemus, quasi & credamus, & profiteamur illum iam esse vero corpore humano destitutum. porrò si hæc esset nostra fides, ab orthodoxa & vera doctrina procul desciuissemus. Quod enim Verbum Dei semel assumpsit, nunquam passum est, neque patietur à se diuelli. Nunc verò minimè tecum disputo, an aliter quàm innuat Cyrillus Apostoli verba sint intelligenda: quoniam aduersus illū in præsentia non scribo: sed tuam interpretationem confutare pro viribus nitor, qui sic verbis huius patris abutaris: & liberè, in vniuersum, atque omnibus modis intelligas Christi humanitatem omnia humana transcendisse, ceu nihil amplius in se humani habeat. Carebit itaque corpore, carebit etiam animo. Nec attendis in sententia, quam posteà subijcis, eiusdem Cyrilli, minimè recensēri quòd tu maximè captas, Nempe Christi corpus effectum esse immensum, & esse vbique, Id profectò neque Cyrillus neque vllus ex patribus vnquam dixit. Illud ait, esse Illustratū ineffabili gloria, incorruptibile, sanctū, & viuificum. Huiusmodi autē ἰδιώματα communicari carni Christi nequaquam ambigimus,

PAN. Quoniam Augustino soles multùm deferre, illum quoque volo vt audias. Is in sermone 14. De verbis. Apostoli, ad hunc modum scribit: *Christus descendit, Idemque filius hominis, qui* *Augustinus.*

Filius

filius Dei, ſedet in cœlo, qui ambulat in terra. In cœlo erat, quia vbiq; Chriſtus: ideò Chriſtus, & filius Dei & filius hominis propter vnitatẽ perſonæ, in terra filius Dei, propter eãdẽ vnitatũ perſonæ probauimus eſſe in cœlo filium hominis, &c. ORO. Dũ ſic loquitur Auguſtinus, vnitatem perſonæ reſpicit, atque ita dictũ fuiſſe contendit, vt diſcamus non ſeparare naturas à perſona. Et hanc ſententiam ſuam ſatis oſtendit idem pater cùm pauló ſuperius obiecerit ſibi, ad hunc modum percunctando. *Filius ergo hominis deſcendit de cœlo? Nonne filius hominis in terra factus eſt? Nonne filius hominis per Mariam factus eſt?* Reſpõdet, *Sed ô homo*, (inquit) *noli ſeparare, quẽ volo copulare*, &c. Hoc dicit, nõ ſignificans humanitatem Chriſti eſſe vbique, quod alibi (vt apertiſſimè tibi oſtendi) liquidis & claris verbis pernegat. Verùm hìc ita loquitur, vt oſtendat vnam eſſe perſonam, & vnum Chriſtum, non duas perſonas, neque duos Chriſtos. Et cùm dicitur, *Filius hominis deſcẽdit de cœlo*, vocabulo Filij hominis perſona Chriſti demonſtratur, quæ eſt hypoſtaſis filij Dei. Nam is deſcendit de cælo, non humana natura. Nã quæ non fuit antequam ex virgine conciperetur, quomodo potuit è cœlo deſcendere. Cur verò Ieſus Chriſtus perſonam illam appellarit filium hominis, non eſt difficile videre, nempe quòd iam tum, cum hæc loquebatur, habuit naturam humanam ſecum hypoſtatica vnione coniunctam. Atque ita, loquendo remouit ſuſpicionem, qua potuiſſent aliqui cogitare illũ de duobus loqui filijs per ſe ſubſiſtentibus, quaſi eius perſona diuina eſſet in cœlo, perſona verò humana in terris. Ea verò fuiſſet diuiſio Neſtorij. Nec affirmat Auguſtinus, Naturam humanam in incarnatione re ipſa de cœlo deſcendiſſe. Nam id fieri non potuit, cùm ex ventre virginis, non de cælo prodierit. potuiſſet itaque dicere, Filius Dei deſcendit de cœlo, & filius Dei eſt in cœlo, vt paſsim & ſcribitur, & dicitur: ſed filius hominis dixit, quia cum hæc loqueretur in eius perſona humanitas, non autem natura diuina cernebatur. Vnde intelligere potes deſcenſum de cœlo non eſſe communicatum naturæ humanæ in incarnatione, cũ de virginis carne ſeu viſceribus: non è cœlo prodierit.

Filius hominis deſcendit de cælo, vt eſt intelligendũ.

Cæterùm illum eundem patrem audi, hæc verba exponentem ſuper Iohannem, vbi ad hũc modum ſcribit: *Hic erat carne in cœlo erat diuinitate imò vbique diuinitate. Vbique ait diuinitate, non autẽ pronunciauit eſſe vbique illius humanitatem*. Atque in eundem Euangeliſtam Tractatu 31. *Quæretis me & non inuenietis, & vbi ſum ego vos non poteſtis venire, quia quæſituri illum erant poſt reſurrectionem compuncti. Nec dixit vbi ero, ſed vbi ſum. Semper enim ibi erat Chriſtus, quò fuerat rediturus. Sic enim venit vt non recederet. Vnde alio loco ait: Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis qui eſt in cœlo, Non dixit qui fuit in cœlo, In terra loquebatur, & in cœlo ſe eſſe dicebat. Sic venit vt inde non abſcederet, ſic redijt vt nos non derelinqueret. Quid miramini? Deus hoc facit. Homo enim ſecundum corpus in loco eſt. & de loco migrat: & cùm ad alium locum venerit, in loco illo vnde venit non eſt. Deus autem implet omnia, & vbique totus eſt, non ſecundum ſpatia tenetur locis.*

Auguſtin.

A *Erat tamen Chriſtus ſecundum viſibilem carnem in terra, ſecundum inuiſibilem maieſtatem in cœlo & in terra. Ideò ait Vbi ego ſum, vos non poteſtis venire Chriſtum dicit ſemper ibi fuiſſe quò erat rediturus*, &c. Neque id nos diſſitemur. Deitate quippe ibi erat. Dicendo autem, *Deus hoc facit*, ipſam Dei filij perſonam reſpicit. Id autem nos manu largiſſima damus. Quoniam (vt ipſemet Auguſtinus exponit) non eſt in loco, ſed implet omnia, & vbiq; totus eſt. Deo hæc tribuantur, nec nõ Chriſto & filio Dei, non autem humanitati. Prudenter autẽ is pater diſtinxit, iuxta quam naturam in terra fuerit, & iuxta quam tum in cœlo, tum etiam in terra. Volo præterea interponere dictũ eiuſdem Auguſtini quod habetur in quadã oratione, & ſcilicet, De verbis Domini in Iohannem. *ſed à quibus homo abſcedebat, Deus non relinquebat: quia idem Chriſtus homo & Deus ergò & ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat. Ibat per id quod vno loco erat, & manebat per id quod vbique erat*, &c. Et mox ibidem: *per quod ergo filius non eſt æqualis patri, per hoc erat iturus ad patrem, à quo & venturus eſt, iudicaturus viuos & mortuos. per illud autem in quo æqualis eſt gignenti genitus, nunquam recedit à patre, ſed cum illo eſt vbique totus, pari diuinitate, quã nullus continet locus*, &c. Iſta tam perſpicua ſunt, ac dilucida, vt nulla egeãt expoſitione. Nõ poſſũ ad hæc præterire, quod in eadem oratione habetur. *Neq; enim homo Chriſtus non dicitur filius Dei, quod etiã ſola caro eius in ſepulcro meruit appellari. Nã quid aliud confitemur cum dicimus, credere nos in vnigenitum filium Dei, qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt & ſepultus? Et quid eius ſepultum eſt, niſi caro ſine anima? Ac per hoc cum credimus in Dei filium qui ſepultus eſt, profectò filium Dei dicimus & carnem, quæ ſola ſepulta eſt*, &c. In ijs verbis te oportet animaduertere, carnem Chriſti ſolam id eſt, ſeorſim & ab anima ſeparatam vocari filium Dei. Quid obſecro te, ſic dici oportuit, ſi proprietas etiam ſepulturæ ad naturam diuinam pertinuit? Non eſt dubium diuinitatem cùm ſit vbique etiam in ſepulcro adfuiſſe carni. Sed illam fuiſſe tumulatam, & ſepulcro concluſam, vt caro erat, nequaquam ſentiendum eſt. Quare vt proprietas paſſionis & mortis naturæ diuinæ minimè inhæſit, ita ſepulchri ambitus eam non concluſit. Nec illi proprietas communicata eſt, niſi modo ac ratione iam antea expoſita: quia nimirum corpus eſt ſepultum, quòd Verbum Dei per incarnationem ſuum fecerat. præterea ſi ſola caro ſepulta eſt (vt Auguſtinus ait) & anima propter vnionem hypoſtaticam cum Verbo erat (vt vultis) vbiq;, mirum quomodo & in ſepulcro non fuerit. Verùm ſi etiam ibi erat, ergò & vnà cum carne ſepulta erat, & caro vnà cum illa vbiq; erat, cùm & ipſa hypoſtaſi Verbi non deſtitueretur. Sed iſta expreſſius repetuntur mox in eadem oratione, vbi ſcribitur: *Agnoſcamus geminam ſubſtãtiam Chriſti, diuinam ſcilicet, qua æqualis eſt patri: humanã, qua maior eſt pater: vtranque autem ſimul non duo, ſed vnus Chriſtus, ne ſit quaternitas, non trinitas Deus. ſicut enim vnus eſt homo anima rationalis & caro, ſic vnus eſt Chriſtus Deus & homo, ac per hoc Chriſtus Deus & anima rationalis & caro. Chriſtum enim in his omnibus;*

Auguſtinus.

Auguſtinus.

& Christũ in singulis confitemur. Quis est ergò per quẽ factus est mundus? Christus Iesus: sed in forma Dei. quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus: sed in forma serui. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus: sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo iacuit in sepulcro? Christus Iesus: sed in carne sola. Dicitur ergò & in his singulis Christus. Verùm hæc omnia non duo vel tres, sed vnus Christus, &c. certè si omnia hæc erant vbique (vt vultis) non sic potuerunt distribui, vt sola anima fuerit in inferno, sola caro fuerit in sepulcro, & deitas vbique. Distributionem eandem in epistola ad Dardanum seruauit, vbi ad hunc modum scribitur: *Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulcro, secundum animam in inferno futurus erat. Deus verò idem ipse Christus vbique semper est, &c.* Item ibidem: *Hodie mecum eris in paradiso. Non ex his verbis in cœlo existimandus est esse paradisus. Neq; enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundum animam: in sepulchro autem secundum carnem, &c.*

Sed vt ad sententiam propositam ex Ioanne redeam, *Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo filius hominis*, &c. Cyrillus eam interpretans ita scribit: *Cùm autem Dei Verbum de cœlo descenderit, filium hominis descendisse ait, in duas post incarnationem diuidi personas recusans. Nec alicui permittens vt templum quod à virgine sumptum fuit, alium Filium, & alium Dei Verbum prædicet, quamuis duæ vtrique naturaliter insunt, decentem distinctionem suscipiant. Vt enim ex Deo Verbum est, sic homo ex muliere Vnus igitur ex vtriusque Christus filiatione indiuisibilis, & maiestate diuina. Quomodo enim aliter quæ soli Verbo Dei conueniunt, virginis filio accommodari poterunt Quomodo autem è conuerso quæ soli carni conueniunt, Verbo Dei attribuentur? Nunc enim de cœlo filium hominis descendisse ait, passionis verò tempore, ipse Dei tãquam ipse patiens quæ humanitati suæ solummodo congrua sunt, timuisse scribitur, &c.* Ex ijs iam intelligis (vt opinor) proprietates quæ dicuntur de vtriusque naturis, & ambabus, non possunt cõuenire, iustam requirere distinctionem seu distributionem. Deinde annotabis istas proprietates inter sese transferri, & accommodari locutione atque scriptione, ad tuendam vtriusq; naturæ vnitatem in eadem persona, cùm tamen reipsa (vt liquidè tradit) aliqua soli Verbo Dei conueniãt, & aliqua è diuerso carni soli congruant. Atque ita statuere oportet, quia natura humana de cœlo minimè descendit: neque diuina (si propriè loqui velimus) timuit, cùm tempus & passionis & mortis immineret. Nec rursus grauabor dictũ huius patris repetere De in carnatione Verbi capite 27. *Et à cœlo enim homo est Christus, licet carnem sanctæ virgo peperit. Quomodo igitur desuper & de cœlo? Deus enim Verbum quod est desuper & ex patre, carnem ex beata virgine accipiens, & eam suam propriamque existimans, tanquam si eam de super & de cœlo detulisset dicebat, & nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit Filius hominis. Ea enim quæ sua sunt, propriè carni semper attribuit. adunatum verò semel iam cum ipsa vnum scilicet æstimabitur, &c.* Hic primum fatetur Cyrillus quod anteà dicebam, reipsa humanitati Christi non esse communicatum è cœlo descensum, qui proprius Verbi fuit, sed tantùm ad illam phrasi & locutione scripturæ accommodatum, quo doceremur vnitatem duarum naturarum in eadem hypostasi. Exponens deinde hanc Domini nostri Iesu Christi dicẽdi formulã, ait, *Et eam suam propriamque carnem existimans, tanquam si eam desuper & de cœlo detulisset, dicebat, &c.* Hic videsne illam proprietatem descensus è cœlo, non esse reuera carni communicatam, sed tantùm æstimatione ac locutione ad carnem accommodatam & adaptatam, idque citra mendacium; cùm Deus Verbum illam carnem suam fecerit.

Cyrillus.

Arbitror de hac Euangelica sententia iam satis inter nos actum. De carne autem Christi vnà cum eius diuinitate adoranda, ita vt non alium & alium Christum adoremus, antea satis loquuti sumus. Quare nunc ea de re nil constituĩ addere. Tantummodo libet quid Cyrillus de incarnatione Verbi, loco iam adducto, scribat, referre. *Adorauit ipse nobiscum, inquit. Vos enim ait adoratis quod nescitis, Nos adoramus quod scimus, Adest etiam adorandus. Flectitur enim ipsi omne genu. Hoc quoque secundum aliud, & aliud. Adorat enim, quia naturam assumserit, quæ debebat adorare: Adoratur porrò idem quasi maior adorante natura, eo quod intelligitur Deus, &c.* Verùm inter nos de adoratione, quod sciam, nulla est controuersia. illum quippe honorem Christo, qui verè Deus est in solidum, impẽdimus, qui duabus constat naturis, neque in eo colendo vnam ab altera discerpimus.

DE VBIQVITATE LOCVS III.

PAN. Permulta sanè abs te sunt allata, Verùm ad singula respondere forte in aliud tẽpus differam. Nunc in animo habeo potius mea referre, quam tua confutare. Idcirco mihi nunc ad id respondeas velim, cùm humanitati Christi propter vnionem hypostaticam detis vim vuificandi, sanandi, & sanctificandi facultatem, cur postea tam difficiles estis & morosi, vt eam nolitis concedere vbique adesse, atque omnia implere, cum hæc proprietas dignitate ac excellentia iam commemoratis multò sit inferior. Dici autem vulgò solet, Qui dat maiora, cur neget minora? ORO. Ratio est in promptu. Quoniam vires & facultates, quas recensuisti, non destruunt naturam humanam, sed perficiunt. Humanitatem verò deitati coextendi fieri non potest. nisi eà quoque infinita reddatur: quod nihil est aliud, quàm illam extinguere.

Nunc

Nõ semper dãda sunt maiora ei, cui minora tribuimus.

Nunc missa disputatione, vtræ nam ex ijs dotibus aut proprietatibus, quas modo inter se comparas, alias antecellant: dico me non recipere dogma illud tuum. quo admodum confidenter affirmasti, danda esse minora ei naturæ, cui maiora tribuimus. Etenim homo factus est ad imaginem Dei, quæ conditio procul dubio est excellentissima: Nec tamen illi datum est robur leonum, neque in videndo aquilarum acies. porrõ argumenta huius generis probabilia sunt, nõ autem firmiter ac solidè vel (vt Græci dicunt) B ἀναδείκτως quod est in quæstione positum demõstrant.

PAN. Quicquid sit de rebus huiusque vltro citroque dictis, Id modò venit in mentem, de quo mecum sæpius cogitare soleo, vos Idcircò abhorrere à nostra sententia, quòd non rectè illam teneatis. Existimatis quippe humanitatem à nobis credi esse vbique, vel omnia implere sua natura: quod minimè statuimus. vt qui dicamus eam id ex seipsa non habere. Neque si sola cogi- C tetur, hoc ei attribuendum censemus. A Verbo ea ptoprietas illi cõmunicatur: ex ea coniunctione hypostatica, quam cum illo habet, illa prærogatiua ipsi adscribitur. Atque in summa dicimus corpus Christi non implere omnia in quãtum est corpus humanum, sed in quantum est corpus assumptum. ORO. Neutrum ferri potest: neq; enim corpus vt humanum est omnia potest implere, vti modò tu ipse fateris: Neque vt coniunctum est naturæ diuinæ in eandem per- D sona. Diuina quippe hypostasis non abstulit à corpore assumpto, quin verè sit humanum corpus: ad cuius definitionem id pertinet, vt sit ὀργανικὸν vt philosophi loquuntur, Instrumenta verò suis terminis finiuntur & comprehenduntur. Quare non possunt eodem tempore simulq; implere omnia loca, & cum terminata & finita sint infinito coextendi nequeunt. PAN. At non extendimus humanitatem Christi locali diffusione, sicut nec diuinitas ipsa localiter est diffusa. E ORO. Quid vos faciatis, ipsi videritis. Hoc nos certò scimus, humanum corpus quale quale fuerit, & cuicunque volueritis naturæ vnitum, idq; vnitate qua libuerit, non posse verè implere locum, nisi localiter: Id tantummodò conuenit deitati, quia spiritus est, vt adsit non localiter. Et quandoquidem spiritus est, & quidem infinitus, neque locis, neque vllis terminis circumscribi potest. PAN. Nostrum dogma est, ita duas naturas in Christo coniunctas esse, vt nullo F spacio loci à se inuicem separari queant. An tu assentiris, nec ne? ORO. Non dissentio, modò iustus & verus adhibeatur sensus. Is autem est, vt nullo spacio loci, quo Christi humanitas contineatur, siue nunc in cœlis, vbi est, siue in terra, dum inter homines vixit, abiuncta sit à diuina hypostasi, cui semper innititur. Iam tenes qua intelligentia, quòue sensu tuum decretum recipio. Quòd si alia interpretatione illud proposuisti, quasi velis ob vnionẽ, qua nimium licentiosè G abuteris, humanitatem Christi tam latè patere atque deitatem, non est quod tale dogma nobis credendum obtrudas, cùm ea proprietas naturæ humanæ adaptari nequeat. PAN. At nos relinquimus suæ cuiq; naturæ proprietates. Sed quas altera natura cum altera in Christo ita communes habeat, vt vnio harum naturarum in vna persona nequaquam diuellatur, sed potius confirmetur & stabiliatur. ORO. Iam bis terue dixi, quæ proprietates communicentur, quæue non communicentur, Nec minus exposui eas, quæ reipsa communicari nequeunt, quomodo interpretandæ, cùm interdum vel in scripturis vel apud patres loquutione communicari videantur. PAN. Neque nos volumus quouis modo & ratione humanitati communicari, vt sit vbique. ORO. Proinde rem explices, vt quid nam tibi velis denique percipiam.

PAN. Docendi gratia triplicem Vbiquitatẽ statuamus, Localem, Repletiuam, & Personalẽ. Hac distinctione posita dicimus nihil reperiri, quod locali vbiquitate sit vbique. Deus enim qui sua natura solus est vbique, nusquam est localiter, sed solùm repletiuè vbique est, Sed filius Dei postquam sibi vniuit humanitatem, necessariò sequitur quòd ea humanitas in vnitatem personæ à filio Dei assumpta sit vbique, vbiquitate personali. ORO. Locus esset expostulandi tecum, quòd voces peregrinas, alienas à sacris literis, & à patribus minimè vsurpatas induxeris, Verùm quia dicis causa docendi te sic loqui, nolo id exagitare. Sed hoc de te quæram, cur duo hæc genera vbiquitatis posueris, nimirùm Personaliter, & Repletiuè, cum alterum ab altero nil distare videatur? Humanitatem quippe testaris esse vbique cùm repletiuè, tùm personaliter: implet enim omnia loca personaliter, vt ais, licet non localiter. proinde rogo vt mihi explices, quæ nam sit hæc vbiquitas personalis, si non est repletiua? Intelligo quidem à vobis causam huius vbiquitatis repletiuæ quo, ad naturam humanam, constitui personam ipsam diuinam, quæ illam coniunctam secum habeat. Sed erat propterea fabricanda noua vbiquitas, quam personalem appellares? Nõne satis fuisset dicere, Vbiquitas repletiua est, quę homini Christo propter vnitatem cum diuina persona tribuitur? præterea, ne dissimulem, tua distinctio induci videtur non ad quæstionis enucleationem sed ad nouas tenebras inuehendas. Dumque me vis docere quod tibi erat ab initio probandum, sumis tanquam concessum, naturam Christi humanam esse vbique non localiter, sed repletiuè. Spiritibus fortasse dabo vt sint in loco vbi operantur (vt loquar tecum) repletiuè, vel vt alij dicũt, definitiuè vno Deo excepto, qui est, vbique, non localiter, quia non est corpus neq; definitiuè, quia nõ est finitus. Est itaq; vbique repletiuè: nam cũ sit infinitus, omnia implet. Corpus verò esse in loco nõ localiter, à me non auferes, nisi euidenter id probaueris & confirmaueris.

PAN. Audi etiam nunc, fortasse clarius dicam. Vocabulum Vbiq; rectè intelligendum est vsitato enim more includit in se diffusã, & vbiq; extensam localitatem. In hac autem loquutione Humanitas Christi est vbique, hæc vox vbique non significat vllam localitatem. Neq; enim dei-

Vbiquitates tres

Vbiquitas repletiua.

Propriũ est humano corpori vt sit organicũ

tas ipsa diffusa est & extensa localiter. Quomodo ergo diceremus humanitatem deitati vnitã localiter diffundi, & extendi? Sed hac voce Vbique exprimitur vtcunque id quod Paulus dicit, *Ascendit super omnes cœlos vt omnia impleret. & constituit eum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum, &c.*

Vbiq; quid significet.

Itaque si sermo est de Geometrico spacio locorum, Humanitas Christi non est Vbique, Et hoc sibi volunt illi ecclesiastici scriptores, qui negant corpus Christi esse vbique, & recte dicit Gregorius, *Christus non est hîc per præsentiam carnis (videlicet Visibiliter) qui tamen nusquam deest per præsentiam Maiestatis.* O P. O. Dum rem conaris magis explicare, illam videris data opera magis involuere, Significantiam huius aduerbij Vbique admodũ exprimis obscurè: ais enim illud claudere in se localitatem vndique diffusã ac extensam. Nonne planius dixisses aduerbiũ esse, quo latinis omnia loca significantur, vt cũ dicimus, Hoc vbique seruatur, id est in omnibus locis: Hoc vbique dicitur, id est in omnibus locis. Vnde cùm dicimus ipsum Deum esse vbique nil aliud enunciamus quàm illum esse in omni loco. Dicimus etiam, vbique nobis mortẽ imminere, quia in omni loco sumus ei obnoxij. Sed hęc mittamus. id miror vos obscuritate magnopere delectari, & semper quædam ineffabilia, & inenarrabilia fũdere, ac in eis ea includere seu inuoluere, quæ ipsi confinxistis. Deinde illa Euthusiastarũ more, cõtracto supercilio quã grauissimè pronunciatis, quo legentes vel audiẽtes mirificè percellatis. Vnde admiratione obstupefacti, à diligentiori consyderatione præsentis rei auertuntur. Et huc pertinet quod subiecisti, Cùm dicimus humanitatem Christi esse vbique, non intelligimus per Vbiq; vllam localitatem. Quid ita? Quis vos intelligat? Iam noua Grammatica nobis opus erit. Vel pueri norunt Vbique aduerbium esse loci. Quod si est (vt scholæ omnes & docent & intelligunt) cur ab eius significatione localitatem abiungitis? At dicis: ipsa deitas non est diffusa, & extensa localiter. Fateor: quia non est corpus. Verùm Christi humanitas cùm sit corporea, non potest esse in loco vel (vt vos fingitis vbique nisi localiter. proinde sicut deitatem vbique pro ratione suæ naturæ ponitis, id est non localiter, id etiam conseruetis in Christi humanitate, vt eam non collocetis nisi localiter quemadmodum eius naturæ congruit.

Aduerbium Vbique.

Vbique aduerbium Loci.

Quod verò ad Pauli dictum pertinet, quo ait Christũ ascendisse super omnes cœlos vt omnia impleret, id certò scias ad tuam constabiliendam sententiam nihil facere, Non enim oportuit iuxta vestrum dogma, illum vt omnia impleret in cœlum ascendere: nam absque eo, vel à prima sui conceptione, quod ad humanitatem & diuinitatem omnia implebat. porrò Apostolus ibi disertis verbis causam ascensus in cœlum exprimit, nimirum vt impleret omnia. Sed vos huiusmodi effectum ante suam causã fuisse statuitis, cũ Christi naturam humanam etiam ante ascensũ in cœlum omnia impleuisse affirmetis: nam & prius fuit naturæ diuinæ hypostatica vnione coniuncta, qua vna rationes vestras omnes concluditis Nos autẽ Apostoli verba sic intelligimus, cùm Dominus quo ad suã humanitatem, aliquandiu conuersatus esset in mundo, & in aere fuisset cùm in cruce penderet, in mari dum super eius vndas ambularet, in sepulcro itẽ & apud inferos triduo postquam animum expirauit, quis tandem ei locus restabat attingendus? nullus planè alius, nisi vt cœlos caperet, quo tum absolueret locorum omnium generum impletionem, id est, vt omnia locorum genera impleret. Hoc genus loquutionis Augustinus expressit, cùm Apostolũ interpretaretur, dicentem, *Deum velle omnes homines saluos fieri*, hoc est inquit ex omnibus hominum generibus atque conditionibus eos seruat, quos voluntate sua prius elegit. proinde cùm tantummodo cœli restarent, quos corpore suo adhuc non attigerat, ideò ascendit vt illos quoque impleret. Atque hanc intelligentiam eius loci, vir clarissimus ac eximius Theologus, Heinrychus Bullingerus, in suo perutili ac eleganti libello De mansionibus cœlestibus inseruit, & alias etiam satis accommodas, & à patribus locum illum Apostoli exponentibus haustas, quas in præsentia, cùm breuitati studeam, commemorare supersedebo.

Christus ascendit super omnes cœlos vt omnia impleret.

Id tantùm addam, Hieronymum in epistola ad Ephes cap. 4. ea verba interpretando, scribere, *Nunquid corporaliter omnes cœlos & vniuersas sublimitates & cælorum circulos, quos philosophi sphæras vocant, transiens atque transcendens stetit in summo cœli fornice, & vt ipso verbo vtar, aplide? An certè omnia corporalia contemnens atque despiciens & æterna contẽplans super cœlos, id est, super inuisibilia stetisse credendus est? quod ego melius puto. Descendit ergo in inferiora terræ, & ascendit super omnes cœlos Filius Dei, vt non tantùm legem, prophetasque compleret, sed & alias quasdam occultas dispensationes, quas solus ipse nouit cum patre. Neque enim scire possumus, quomodo & angelis & his qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, & tamen quin profuerit nescire non possumus. Descendit quoque ad inferos & ascendit ad cœlos, vt impleret eos, qui in illis regionibus erant, secundum id quod se capere poterant. Ex quo sciẽdum, quod antequam Christus descenderet & ascenderet, vacua fuerint omnia, & plenitudine illius indiguerint, &c.* Hanc impletionem omnium Hieronymus ad vbiquitatem non retulit, sed approbat eam expositionem, qua dicitur Christus ascendisse super cœlos & super inuisibilia stetisse, nimirum in regionibus beatorum quæ inuisibiles dici possunt nostra causa, qui visu ad eas penetrare non possumus. Et nominatim ait, *vt impleret eos qui in illis regionibus erãt:* quod, non diceret, si cœlum beatorum esse vbique sentiret. Et vacua fuisse tunc illa loca, & plenitudine illius indiguisse scribit.

Deinde cùm de loco agimus, & illum humanæ Christi naturæ cõparamus, nec possumus, nec debemus (vt ab initio dixi) à geometrico spacio cogitationes reuocare, cùm humano corpori, etiã Christi, locus tãtùm hoc modo cõuenire queat. Et sicut vbi de membris eius & cogitamus & tractamus, aliter de illis cõstituere non possumus, quàm de membris & partibus pulcherimi corporis

poris humani: ad eundem modum cum de loco eius aut loquimur aut disputamus, de illo sic definire oportet, vt humanis corporibus adaptatur. Inuenisti iam tandem præclarum, si Deo placet, suffugium, ad quod moliris te recipere, cùm tua sententia verbis Patrum acriter non tantùm oppugnetur, sed expugnetur. Dicunt enim passim, quemadmodum tibi suo loco planum faciam, corpus Christi modò nobiscum in terris non versari, atque vt consequens est non esse vbique: illis tu putas abunde superque responsum esse, dicendo, quod illi asserunt, de geometrico spacio locorum esse intelligendum cum tamen ipsi mentem ac sensum verborum suorum nusquam ad hunc modum sint interpretati. Quasi corpus Christi possit hoc tempore, si adesset, aliter quàm circumscriptum geometrico spacio locorum in terris versari, Certè Patres non ita rem intellexerunt.

Gregorius. Atque vt de isto Gregorio (cuius meministi) loquar, is rectè dixit Christum non esse hic per præsentiam carnis. Quod verò tu interposuisti (Visibiliter & Localiter) ille nec dixit, neque scripsit. Idcircò Gregorij non est, sed tuum inuentum, quod eius dictis assuis, vt libuit, Quod si liceat in scriptis Patrum facere pro nostro arbitrio, semper quod volumus, non ex iudicio suo loquentur. Gregorius quomodo intellexerit adesse nobis Christum, mox euidenter expressit, cùm illum inquit per Maiestatis præsentiam nusquam deesse. Nec dubium est per Maiestatem naturam diuinam indicari. Et ne ignores, ab Augustino illam dicendi formulam Gregorius est mutuatus: nam totidem verbis & ipse loquutus est, vt postea demonstrabo. Interea me non latet vestrum acumen, satis equidem obtusum, qui fingatis, cùm dicitur per Maiestatis præsentiam vbique Christum esse, ad naturam quoque humanam id referri, quæ habeat ex Maiestate qua pollet ob coniunctionem diuinitatis vt sit vbique, Cùm Patres longè aliter senserint nempe diuinitatem sic iure suæ infinitatis patere vt sit vbique præsens: At naturam humanam è diuerso tantummodo ibi esse, vbi humanitatis conditio, eam patitur præsentem adesse. Nec aliò scripta Patrum collimant, si quis ea, & pressius & penitius inspiciat. PAN. At si rationem habeamus illius diuini modi, quo affirmamus Deum implere omnia, si vos dederitis duarum naturarum vnionem in Christo hypostaticam, non potest fieri quin aut fateamini humanitatē Christi implere omnia, aut verbis quidem affirmetis personæ vnitatem, reipsa autem illam dissoluatis, duas faciendo personas: alteram alicubi cum humanitate, alteram alicubi absque humanitate. Retinet quidem vtraque natura diuina & humana in Christo suam proprietatem, sed ita vt persona Christi non diuidatur, & vbicunque est diuina natura, ibi habeat sibi vnitam humanam naturam: ne si hæ duæ naturæ diuersis locis separentur, diuersæ fiant personæ. ORO. Nos vtiq; Deum sua infinita essentia omnia implere concedimus, & vnionem hypostaticam duarum naturarum in Christo (vt sæpius audiuisti) non inficiamur: nec tamen ob id fateri cogimur, humanitatem Christi omnia implere. Quòd autem sequi contendis, nos verbis tantùm affirmare vnitatem personæ, re autem vera illam dissoluere, mera calumnia est. Etenim humanitatis vnio cum diuinitate sic metienda est, vt diuinarum proprietatum non plus in humanitatem transfundatur, quàm eius ferat capacitas. Et sicut infinitas deitatis non potest finibus humanitatis, vel hominis corpusculo terminari, sic finita humanitas, & corporis humani terminata substantia non potest immensæ diuinitati coextendi. Profectò humanum caput reliquo corpore vnitur, neque ab eo diuersam habet hypostasim, cùm tamen spatij non tantum occupet, atque residuum corporis. Quod si verum est dum corpus conferimus cum corpore ac vtroque finito, quomodo id non est magis concedendum, vbi creatura cum creatore, & finitum cum infinito comparatur? Ob vestrum coccysmum sæpe à vobis repetitum, cogor & ego ad meum simile redire sæpius.

PAN. Hieronymus tamen aduersus Vigilantium scripsit de sanctis in Christo quiescentibus. *Sequuntur agnum quocunque ierit. Si ergò agnus inquit, est vbique. certè & sancti vbique esse credendi sūt,* &c. Hæc Hieronymus. Et si autem non ignoro, quantum hoc loco Hieronymi abusi sunt Papistæ ad stabiliendam (vt somniarunt) sanctorum inuocationē. (Nec excutiam in præsentia quid de hac argumentatione alioqui sit sentiendum: & quantum pateat illud Apocalypseos, *Sequuntur agnum quocunque ierit:* & quod sit discrimen inter Christum, qui est in vnitate personæ Deus & homo, ac inter sanctos qui non sunt natura dij. (Tamen cùm Hieronymus sentiat sanctos propter agnum Christum, quem sequuntur esse vbique, manifestum est, quòd sentiat etiam Christum hominem esse vbique. Ita volui hunc locum recitare, vt ostenderem quòd hæc doctrina de præsentia humanitatis Christi nobiscum in his terris, non fuerit hactenus Ecclesijs ignota, & inaudita. Nam si hoc tam prodigiosum esset dogma, quàm illi fingunt, Hieronymus non tulisset impunè, præsertim cum multos habuerit aduersarios, qui in omnem occasionem reprehendendi scripta eius erant intenti. ORO. De verbis hisce Hieronymi quomodo sint accipienda, vtque cōtra vestram vbiquitatem apertè faciant, dilucidè monstrari posset, sed visum est potius te ad eruditissimum librum Heinrychi Bullingeri pastoris ecclesiæ Tigurinæ fidelissimi nuper editum relegare. Non enim oportet actum agere. Non tamen id tacebo, te mihi videri locum illum totum & integrum accuratè non legisse. Facilè quippe intellexisses, quomodo ibi adverbium Vbique à Hieronymo vsurpetur, Nempe vt significet omnia loca non simul & coniunctim, sed (vt ita dixerim) indefinitè ac diuisim: Et, agnum vnà cum sanctis tradidit vago discursu eoque celerrimo ad loca quæcunque visum fuerit, se conferre. Ac illum ita sensisse clarè inde cognoscitur, quod etiam diabolis illud genus vbiquitatis attribuit. Neque

Hieronymus.

si essent vbique tam agnus quàm sancti (vt ipse interpretaris) haberent locum vllum quò tenderent. Quis enim eò proficiscitur, vbi præsens adest? Sed me reprimo ne plura dicam. Animaduerto autem penuria firmorum locorum hæc Hieronymi abs te fuisse allata. Quòd verò illud eius dictum à nemine sit reprehensum, non debes mirari: quia nemo repertus est adeò hebes, quin viderit, quomodo aduerbium Vbique acceperit. Iamque illa ætas ita erat corrupta, vt sancti qui obierant crederentur sua sepulchra inuisere, vt ibi se inuocantibus opem ferrent. Et ipse Christus à multis putabatur per varia loca discurrere, & in illis quibus libuisset se patefacere. Verùm ijs dictis Hieronymi opponas Augustinum in Ioannem Tract. III. vbi scribitur: *Et non inquiratur æqualis patri filius vbi sit, quoniam nemo inuenit vbi non sit. Sed qui vult quærere, quærat potius vt cum illo sit, non vbique sicut ille, sed vbicunque esse potuerit. Qui enim homini pœnaliter pendenti & salubriter confitenti ait, Hodie mecum eris in paradiso, secundum id quod homo erat, anima eius: ipso die futura fuerat in inferno, caro in sepulchro, secundum autem id quod Deus erat, vtique & in paradiso erat. Et ideò latronis anima à priſtinis facinoribus absoluta, & illius munere iam beata, quamuis vbique sicut ille esse non poterat, tamen etiam ipso die cum illo in paradiso poterat. Vnde ille qui vbique semper est, non recesserat, &c.*

PAN. At nō me pudebit etiā ad Scholasticos Theologos descēdere. Petrus Longobardus in 3. dict. 22. scribit: *Christus vnus est: vbicūq; est sed non totum, &c.* Hoc falsum est, si intellexeris Christum alicubi esse, vbi non habeat secum personaliter & cœlesti modo vnitam humanitatem. Sic enim persona diuideretur. Sed verum est si per dictum Thomæ Aquinatis interpreteris. Sic enim scribit 3. parte. q. 52. art. 3. *Persona Christi est tota in quolibet loco sed non localiter, quia nullo loco circumscribitur, &c.* Est & illud verum, quod Christus non sit vbique, si per totum intelligas corporalem & visibilē corporis molem, & alias externas corporis circūstantias. Bonauētura scribit, *Cùm dicitur, Iste homo est vbique, Hoc pronomen Iste demonstrare potest personam Christi, vel singulare hominis. Si personā Christi, sic absquedubio ista vera est, Iste homo est vbique: si verò singulare hominis ad huc vera est, non autem per propriam naturam, sed per communicationem idiomatum, Quia quod conuenit filio Dei per naturam, conuenit isti homini per gratiam.* Etsi autem in eo loco addit Bonauentura. *Istam propositionem, Iste homo est vbique falsam esse, si ista vox Homo, ponatur à parte prædicati, & significetur per hoc quòd forma humanitatis extendat se ad omnem locum in Christo:* tamen paulò antè dixit Christum vbique esse personaliter & ego superius docui humanitatem Christi non esse vbique locali extensione. Sed tantùm eo ineffabili & cœlesti modo, quo est deitati hypostaticè & inseparabiliter vnita. Author compendij veritatis Theologicæ lib. 1. ca. 17. ait: *Corpus Christi, licet non sit vbique, cùm sit creatura, nec æquari possit in huiusmodi creatori: in pluribus tamen locis est totum sub diuersis hostijs, & hoc est propter vnionem carnis ad Verbum. Vnde meritò habet amplius quā alia creatura, quòd A in locis pluribus simul & semel possit esse, &c.* Hic ergo considera mihi quam causam recitet, cur corpus Christi sit totum in pluribus locis, sub diuersis (vt ipse loquitur) hostijs. *Propter vnionem,* inquit, *carnis ad Verbum,* sed annon propter eandem causam est vbique in omnibus locis? Nusquam enim non est personalis vnio carnis ad Verbum. Et cum dicit creaturam non posse in huiusmodi æquari creatori, rectè dicit, siquidem intelligat creaturam non ex se & sua natura habere, quod B sit vbique in omnib. locis. Ostendi autem supra quòd humanitas Christi, quæ est creatura, non simul sit in multis locis, nec in omnib. locis localiter & circūscriptiuè: Quod verò impleat omnia cœlesti modo, nō habeat ex seipsa, sed ex deitate, cui personaliter est & inseparabiliter vnita. Hæc Scholasticorum testimonia non commemoro, quòd sentiam nobis ad has sordes esse redeundum, & ab eis opem ad stabilienda pia dogmata petendam. (Non enim ignotum est quantum C cœlestem doctrinam humana Philosophia corruperint.) Sed vt ostendam quod ne ipsorum quidem sententia, si sophisticæ sordes abluantur, & dextrè intelligantur, nobiscum pugnet. ORO. Nullis adhuc ex Patribus ostendere potuisti, qui alicubi scripserint Humanitatem Christi esse vbique. Vnum tantùm Hieronymi dictum protulisti perperam abs te intellectum, & ex libello eius parum laudato descriptum. Nunc demum (si Deo placet) etiam scholasticos à te D stare contendis. Verùm vt erres toto cœlo, ex eorum verbis patefaciam.

Scholastici

Magister sententiarum.

Lōgobardus (vt ipse quoque refers) in 3. dist. 22. hac de re scripsit, & ex verbis Augustini contra Felicianum cap. 14. concludit ad hunc modum: *Christus eodem tempore, totus erat in sepulchro, totus in inferno, totus vbique, sicut & modò totus est, vbicunque est. sed non totum, Nec in sepulchro, nec in inferno totum erat, etsi totus. Sicut Christus, totus est Deus, totus homo, sed non totum. Quia non solùm est* E *Deus vel homo, sed & Deus & homo. Totum enim ad naturam refertur, Totus autem ad hypostasim. Sicut Aliud, & Aliquid ad naturam: Alius verò & Aliquis ad personam referuntur. Vnde Iohannes Damascenus: Totus Christus est Deus perfectus, non autem totum Deus est: non enim solus Deus est, sed & homo, Et totus homo perfectus, non autem, totum homo: non solum enim homo, sed & Deus, Totum enim naturæ est repræsentatiuum. Totus autem hypostaseos, &c.* Quid apertius contra te dici possit non video. Concedit quo ad F hypostasim Christum esse vbique, Negat verò quo ad naturā humanā. Atq; hoc exprimit duab. differentibus vocibus Totus & Totū. Cæterùm sententiam eius falsam esse dicis, quia non existimas dandum Christum alicubi esse, vbi non habeat secum humanitatem personaliter, & cœlesti modo vnitam. Frustra omnino hæc abs te interponuntur: quia non semel dedi vbicunque fuerit diuina hypostasis, eam habere sibi coniunctam humanitatem, cùm tamen humanitas ad G tot loca nòn pertingat, quod diuina hypostasis implet: Nec tamen propterea soluitur vnio. Sed ad Longobardum redeo, Quod ille negat, tu affirmas, & dogma eius vt falsum repellis

Verba Petri Lombardi.

nisi

Thomas. Aquinas.

nisi per Thomæ Aquinatis dictum id emolliamus, quo in 3. parte. quæst. 52. articulo 3. ait, *Persona Christi est tota in quolibet loco, sed non totaliter quia vllo loco non circumscribitur, &c.* Quod ab Aquinate affers, id sanè ad corpus Christi minimè attinet, sed ad personã diuinam, quam ille ait non esse totaliter in loco, quia loco vllo non circumscribitur. Neque ibi est sic tota, quin locum illũ excedat: non enim circumscribi potest, cum sit spiritus immensus. Ista sanè de corpore Christi dici non possunt, cùm & finitum sit, nec propter vnionem hypostaticam cum deitate in spiritum abijt. Quare ad huc & ambitur & continetur loco & circumscribitur. Vtque hoc liquidius intelligeretur, id te oportuit addere quod ab eo subijcitur, Nempe, *Sed nec omnia loca simul accepta eius immensitatem comprehendere possunt: Quin imò ipse sua immensitate omnia comprehendit. Hoc aut locum habet in his quæ corporaliter & circumscriptiuè sunt in loco. Quod si totũ sit alicubi, nil eius sit extra. Sed hoc in Deo locũ non habet, &c.* Iam clarè potes animaduertere illum non referre ad corpus dictum suum, verùm ad hypostasim diuinam.

Sed quia tibi libuit à Longobardo ad Aquinatem prouocare, quid ille senserit ex loco quem adduxisti demonstrabo. Ad hunc modũ illic scripsit, *Masculinum genus refertur ad hypostasim vel personam: neutrũ autẽ genus pertinet ad naturam. In morte autẽ Christi licet anima fuerit separata à corpore, neutrum tamen, fuit separatum à persona filij Dei. Et ideo in illo triduo mortis Christi dicendum est, quod totus Christus fuit in sepulchro, quia tota persona fuit ibi per corpus sibi vnitum: & similiter totus fuit in inferno, quia tota persona Christi fuit ibi, ratione animæ sibi vnitæ. Totus etiam Christus erat vbique ratione diuinæ naturæ, &c.* Hucusque à Longobardo nil discrepat. Sed mox ad primum argumentum respondens, ait, *Corpus quod tunc erat in sepulchro, non est pars personæ increatæ, sed naturæ assumptæ, & ideo per hoc quod corpus Christi non fuit in inferno, non excluditur quin totus Christus ibi fuerit, sed ostenditur quod non fuit ibi totum, quod pertinet ad humanam naturam, &c.* Hîc quæso te, attentè consyderes huius viri sententiam esse, corpus Christi non fuisse in inferno, & præterea Christum ibi non fuisse quo ad totam naturam humanam. Tibi nunc permitto vt in interpretando quantam libuerit dexteritatem adhibeas: Id certè nunquam assequeris, vt allatorum dictorum sensum inuertas. Et nihilominus vt Aquinatis mentem ista de re cognoscas, id referre non pigebit, quod in Summa eius contra gentiles habetur. *In Christo*, inquit, *fuerunt duo hæc admiranda, quæ in nobis non sunt. Etenim nobis motis mouentur omnia quæ sunt in nobis, per se vel per accidens. Sed non ita fuit in Christo: quoniam eo moto, persona Verbi mansit immobilis. Rursus in nobis natura excedit personam, quia humanitas innenitur extra individuum suum. Verùm in Christo persona excedit naturam assumptam, quia persona illa vbiq; est, non assumpta natura. In his verò in quibus non est nisi vna natura, verum est quod persona non excedit naturam, &c.* Iam citra controuersiam constat Pantache, hunc antesignanum Scholasticorum planissimis verbis aduersum te facere.

Petrus Tarantasius.

Idẽ etiam sensit Petrus Tarãtasius. Nam inquit, *Homo in subiecto supponit pro persona, in prædicato pro natura, quia in prædicato est loco formæ, ratione inhærentiæ prædicati ad subiectum. Ideò cum Homo ponitur à parte subiecti, dicendo, Christus homo est vbique, vera est propositio. Cùm verò à parte prædicati, est falsa, vt si dicatur, Christus est homo vbique, quia significatur humanitatem eius esse vbique. Hinc communicatio idiomatum fit in persona, non in natura, Vbi ergo persona supponitur, attributa vtriusque naturæ ei conueniunt, & prædicantur de ipsa, sed non vbi natura. Hinc quamuis conuenienter dicatur, Christus homo est vbique, non tamen Christus est homo vbique, &c.* Vult itaque aduerbium, Vbique, referri ad subiectum, id est personam, quæ est vbique, & est homo, quamuis eius humanitas non sit vbique.

Albertus Magnus.

Nec diuersum Albertus existimauit, quem vocant Magnum: etenim ait, *Propositio ista, Filius dei est homo vbique: duplex est ex sensu compositionis ac diuisionis. Si enim aduerbium Vbique determinat Verbũ gratis compositionis cum prædicato, est falsa: si autem referatur ad subiectum cum compositione participij sub intellecti, vera est, in hoc sensu, Filius Dei eius vbi que est homo.* Possum & aliorum Scholasticorum suffragia colligere, Vdalrici, Gabrielis Biel, Ricardi de media villa, &c. Sed hæc arbitror abundè sufficere.

Bonauentura.

P A N. Nihil interea Bonauenturæ, nil Compendio theologiæ respondes, cùm tamen eorum testimonia vt aspernãda respuere nequeas. Quare te oportet vel istos etiam confutare, vel oltendere illos tuam sententiam minimè lædere. O. RO. Rectè dicis: Istuc veniebam. Bonauenturam omnino stipulari nostræ sententiæ tibi confirmo. Et sanè ita oporter, nisi velit ex Italico Bonauentura fieri Græcus ἰσόχρως. In tertium sentent. Distinct. 22. ita scribit *Quæstio ista potest esse de rẽ & de sermone. Si de re, dicendum est planè, quòd humanitas Christi non fuit, nec est vbicunque est eius diuinitas, cum deitas sit immensa & incircumscripta nullum sibi locum determinans. Humanitas verò, cum sit finita & creata, determinat sibi locum, quãtum ex parte ipsius est. Quãuis sacramẽtaliter sit in pluribus locis.* Potuit ne iste scriptor ore magis rotundo tibi respondere? Dixit itaque planissimè quid sentiat de Christi humanitate. Verùm quia seculo eius de causa Eucharistica homines, vt etiam vos, hodie facitis, perperam senticbant, ideò Sacramentalẽ exceptionem interposuit: quam cum videret obscuram, & parum probabilem, vno verbo attigit. Et ne solus ipse tantum pondus tolleret, Innocentij authoritatem interposuit, dicendo: Vndè Innocentius I. ait, *quòd Christus est alicubi sacramentaliter, alicubi personaliter, alicubi localiter: quia in cælo est localiter, personaliter vbique, sacramentaliter autem in altari.* Hæc scripsit de re ipsa tuus Bonauentura: quod tibi propterea dictum volo, vt intelligas ea, quæ postea sequuntur, de quibus gloriaberis ad ipsam rem, de sententia huius authoris, non pertinere, sed ad locutiones, & communicationes verbales ἰδιωμάτων spectare pergit igitur, & ait: *Porrò si quæstio sit de sermone, dicendũ quod hæc dictio Homo, potest vel subijci vel prædicari. Dumque subijcitur, locutio vera est: quia cum dicimus, Iste homo est*

vbique, Pronomen, Iste, potest demonstrare Christi personam vel hominis singulare. Si personam Christi, sic homo Iste vbique est: si autem singulare hominis, adhuc vera est per ἰδιωμάτων communicationem, non per naturam humanam. Et quod conuenit filio Dei per naturam conuenit filio hominis per gratiam, seu per gratiam vnionis, &c. Quæ dicuntur obsecro diligenter expendas. Quoad rem ipsam inficiatus est, naturam humanam esse vbique. Nunc verò quod attinet ad locutiones & dicendi formulas, id concedit, aitq; id fieri iuxta communicationem ἰδιωμάτων. Quæ vtut sit verbalis, à mendacio tamen vindicatur, propter vnionem duarum naturarum. Quocirca frustra te siuisti efferri ea particula, *Per gratiam*, seu *per gratiam vnionis*, cùm ista non ad rem, sed ad sermonem pertinere testetur. Cumq; ait conuenire filio hominis per gratiam, quod filio Dei per naturá, de ipsa enunciatione intelligendum est. Nempe quòd propria filij Dei enunciantur de filio hominis propter gratiam illi concessam hypostaticæ vnionis cum diuinitate. Et ne ibi Lector impingeret, se magis explicuit è vestigio subijciendo: *si autem vocabulum Homo ponatur ex parte prædicati, propositio falsa est: quia vocabulum, Homo, prædicatur ratione formæ, atque adverbium, Vbique, determinat prædicatum, sicq; insinuatur, quod forma humanitatis se ad omnem locum extendit, quod falsum est, cum determinatum habeat locum. Ideò sicut ista est falsa, Christus semper fuit homo, ita ista est falsa, Christus est vbique homo, &c.* Iam liquet vt arbitror, quidnã iste autor de tota re sentiat. Ipse nunc videas quid te delectet. videas posthac, me monitore, vt cautius adducas testes ad tuam causam tuendam, & caue ne fucum facias, nisi forte velis re detecta pudefieri.

Compendium Theologiæ.

Nunc venio ad tuum Compendiũ Theologię, quod potius est eius Dispendium. Id omnino dat non tuæ, sed meæ sententiæ testimonium cũ perhibeat dilucidis verbis, *Corpus Christi nõ esse vbiq; quòd sit creatura, nec in huiusmodi æquari possit creatori.* Quid tibi vis apertius aut clarius dici? Quod si posteà subdit. *Id tamen in plurib. locis esse posse, id est, sub diuersis hostijs*: torrente Papistici erroris inuoluitur. Cumque illius exceptionis nullam causã vel probabilem posset reddere, ad vestram Gorgonẽ se conuertit, id est, ad hypostaticam vnionẽ quam vos consueuistis omnib. argumentis quamuis firmissimis, opponere. Hîc tu Pantache aduersus eum agis, quem tibi aduocaueras testem, de illo quærens, Cur si corpus Christi ob illam vnionem potest esse in multis locis, propter eãdem non possit esse in omnibus, id est, vbique, Causa est in promptu, Quia videt corpus Christi esse creaturam, & ideò non posse coextendi creatori. Hoc tu ceu verũ largiris, si hoc haberetur in telligeretur ex seipso ac natura sua. At iste tuus autor id nullo modo vult ei conuenire. Deinde hoc ipsum velle concedere videris, si localiter & circũscriptiuè poneretur esse vbique. Verũ vt sæpius dixi, quicunq; vel micá prudentiæ habent, corpus nolũt in loco aliter esse, quã localiter & circũscriptiuè Papistas nihilominus excipio, vt qui hac in re sapientiæ omnino sint expertes. Et enim ob suã præsentiã carnis Christi, quã in Eucharistia tueri volũt, hoc mẽdaciũ fabricati sunt, quod postea vos tanquam eorum simij amplecti-mini. Nec sanè huiusce modi Chimæram ex alijs lacunis expiscati estis. Nam scripturæ atque Patres nusquam corpori locum attribuerunt non localiter.

Papistarum figmentum est. corpus Christi esse in loco non localiter.

Tu quidem Scholasticos fortiter affirmabas tecũ facere, sed illos tibi etiá quàm maximè aduersari deprehensum est. Ipse quidem non potui eis detrahere sophisticen & barbariem, verborumque sordes: dextrè tamen ac verè me illos intellexisse non dubito. Quocirca omnes eorum scholas & iudices & testes appello. P A N. Si partes nostras ij lutulenti homines tueri nolunt hinc abeant quo digni sunt, O R O. quod hæc interposita sint, mihi vitio non est dandum tu in hoc cœnum me impulisti, Sed benè habet, quod inde non sine aliquo fructu emersi.

Lutherus.

P A N. Vtcũq; sit nunc ab illis ad irrefragabilem virum D. Lutherum me recipio, qui ex sessione Christi ad dexteram Dei patris docet corpus eius esse vbique, nec aliud intelligit, quàm quod Paulus dicit: Ascendisse Christum super omnes cœlos vt omnia impleret, & quod vulgò dicitur, Duas naturas, diuinã videlicet & humanã in persona Christi esse hypostaticè, indiuisè, indiuulsè, inseparabiliter vnitas. Quare si nec natura humani corporis, quod est cũ deitate hypostaticè & personaliter vnitum, impedit quo minus Christi humanitas impleat omnia cœlesti modo ita multò minus impedit, quo minus corpus & sanguis Christi sint in sacramento, hoc est pane & vino Cœnæ, non quidem localiter, nec circumscriptiuè, nec transsubstantialiter, vt Papistæ nugantur, sed verè realiter & substãtialiter & cœlesti, rationi humanæ incomprehensibili modo, præsentia. O R O. Velim citra πρόσωπον causam inter nos agi. In Luthero nos quoque agnoscimus dona Dei præclarissima, ac præsertim spiritum fortitudinis & vehementiæ in Euangelio prædicando, nec vsquam de illo nisi honorificentissimè loquor. At non obliuiscimur interea illum fuisse hominem, & in ijs quæ scripsit, aliquando errasse. Neque latet nos etiam alios viros extra illum eadem ætate fuisse à Deo instructos præstãtissimis charismatis & singulari doctrina. Ideò cum Heroicorum virorum pugnantes proponuntur sententiæ, de illis ad analogiam diuinarum scripturarum & fidei iudicandum censemus, non ad amussim humanæ authoritatis. Nec omnes qui Luthero maximè fauent, omnibus eius dogmatis citra discrimen subscribunt. Quam verò is probet firmis & solidis connexionibus ex sessione ad dexterã patris, corpus Christi esse vbique, inter nos tractabimus. Remouentur interea persona de scena, & de reipsa scripturis & iustis rationibus inter nos pugnemus.

De loco Pauli ad Ephesios quo testatur Christũ per ascensionem impleturum fuisse omnia, non amplius quicquam dicam: nam de illo superius disserui, vt videbatur. Et miror illũ abs te denuò repeti. Nec non rideo quod tanto studio concludas, nihil impedire, quominus corpus & sanguis Christi adsint in pane ac vino, verè, realiter

realiter & ſubſtantialiter. cœleſti modo & à ratione minimè cõprehenſibili, quaſi neſciamus totam illam diſputationem à vobis non aliâ de cauſa eſſe ſuſceptam, niſi vt veſtram illam craſſã & pinguem præſentiam confirmaretis. Verùm diuino, cùm eſſes tranſitionẽ facturus ad tractãda quæpiam alia, te voluiſſe ad extremũ ea claudere, quæ hactenus dixiſti, graui ſonanti, & plena oratione, ideoque aduerbia plura congeſſiſſe, dicendo: *Realiter, ſubſtantialiter, non localiter.* Deinde adieciſti *Verè, cœleſti modo, & rationi humanæ incomprehenſibili.* Ad hæc autem verba & cõſimilia mirum dictu eſt, quam veſtri obſtupeſcant. PAN. Mihi nunc non vacat iocis tuis occurrere. ORO. Equidem ad leuandum colloquij faſtidium apertis iocis & admodum parcè vtor: verùm ipſe mihi videris multò artificioſius iocari, vt qui nihil fermè hucuſque dixeris, quod nõ poſsit videri dictum per iocum. Nam perſuadere mihi neqꝫeo, cum doctrina ſis non contemnẽda, te ita ſentire vt loqueris. Et fortaſsis hæc dicis animi cauſa, vt animum grauioribus exercitijs fatigatum non nihil remittas. PAN. Quã ſeriò agam in excutiẽdo myſterio ſeu argumẽto de Aſcenſione domini, & ſeſsione eius ad dexteram patris, ſatis (vt opinor) cognoſces, quibus potiſsimum veſtri abutuntur articulis fidei, ad proturbandum corpus & ſanguinem Chriſti è cœna domini. Neque iam quæritur, neque dubitatur, num Chriſtus in cœlum aſcẽderit. Manifeſtũ enim eſt quòd Chriſtus à ſua reſurrectione quadrageſimo die aſcenderit è mõte Oliueti, videntibus diſcipulis, ad cœlum, & ſubductus ſit nube ab oculis eorum, Hæc viſibilis aſcenſio Chriſti in cœlum habet certiſsima propheticæ & apoſtolicæ ſcripturæ teſtimonia, & cur factà ſit in catechiſmo explicari ſolet: nec eſt huius loci. illud autem in præſentia quæritur, nũ Chriſtus in cælum ita aſcẽderit, vt nec anteà niſi iuxta diuinitatem fuerit in cœlo, & nunc in cœlo localiter & circũſcriptiuè ita commoretur, vt non ſit etiam (ſed cœleſti & inenarrabili modo) in terra, nec corpus & ſanguis eius poſsint verè & realiter eſſe in cœna. Hoc certè negandum non eſt, nec ab vllo firmis argumentis demonſtratũ eſt, quod corpus Chriſti hoc externum & mundanum cœlum ita occupet vt neceſſe habeat à cœna ſubſtantialiter abeſſe. Non ignoramus cœlum illud mundanum, etſi ipſum non eſt in loco (quẽadmodũ ſuprà dictum eſt) tamen habere & continere intra ſe ſua loca quæ ſint diuerſa, & à locis huius terræ iuxta humanos oculos longè diſtantia. Nec hoc negamus, quin Chriſtus poſsit etiam localiter in hoc cœlo eſſe, & vbicunq; voluerit localiter ac circumſcriptiuè ſe patefacere. Sed illud nunc agitur, Num quemadmodum loca cœleſtia & terreſtria, diſtant inter ſe in oculis humanis, ita etiam diſtent corpori Chriſti, quod eſt cum deitate perſonaliter & inſeparabiliter vnitum.

DE CHRISTI ASCENSIONE IN COELVM.
LOCVS IIII.

Cauſæ aſcenſionis Chriſti.

ORO. Aſcenſionis Chriſti cauſæ, quas tu præteriiſti, paucis attingi poſſunt. in cœlũ quippe ſubuectus eſt, vt nobis manſiones ibi pararet, ad illam beatam patriam aditum patefaciendo, vtque inde ad Apoſtolos mitteret ſpiritum ſanctum, nec non apud patrem pro nobis intercederet, atque vt poſt ignominioſã & probroſam mortem, gloria ſumma, decore, ac maieſtate feliciſsimè ornaretur, ſpemque faceret in ſe credentibus futuræ illorum aſcenſionis & gloriæ. Nec volebat Apoſtolos humanitati ſuæ, vel potius conuerſationi eius aſpectabili vlterius detinere affixos. Iam (vt arbitror) planum feci quæ fuerint aſcenſionis potiſsimæ cauſæ. Cũ autem quæris: An Chriſtus antea in cœlo fuerit quo ad humanitatem quàm eò aſcenderit: non fuiſſe reſpondeo. Nam & ſi perſona ſeu natura diuina ſemper vbique fuit, humanitate nihilominus in terris continebatur, vſque ad finem ſalutaris miniſterij, neque ſcripturæ ſanctæ aliter tradunt.

Quomodo verò id ſit intelligendum, *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cælo filius hominis qui eſt in cælo*, antea & quidem multis expoſui. Cæterum non grauabor de hoc loco & alijs cõſimilibus tibi etiã nunc referre, quid patres ante nos docuerint.

Ambroſius.

Ambroſius de Fide libro 2. capite 4. *Hic eſt panis viuus qui deſcendit de cælo. panis hic caro eſt ſicut ipſe dixit: Hic panis quem ego dabo, caro mea eſt, Hic eſt qui deſcendit, hic eſt quem pater ſanctificauit & miſit in hunc mundum. Hæc ipſa litera nos docet ſanctificatione non diuinitatem eguiſſe ſed carnem. Denique ipſe Dominus dixit: Et ego memet ipſum ſanctifico pro ipſis, vt agnoſcas, quod & ſanctificatur in carne pro nobis, & diuinitate ſanctificat, &c.* Hic videmus actionẽ & paſſionem, quæ per hæc verba ſanctificare & ſanctificari exprimuntur, per duas naturas diſtribui. panis autem hoc eſt caro, dicitur è cœlo deſcendiſſe, quia Verbum quod è cœlo deſcendit, panem illum ſeu carnem, ſuam fecit, & ideò quod ad locutionem attinet, ea de cœlo veniſſe dicitur.

Vigilius.

Vigilius lib. 2. contra Eutychen, *Siquis dicit hominem, id eſt, carnem de cælo deſcendiſſe, profectò anathema eſt. Quid ſibi ergo vult, quod idem Dominus ait, Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cælo deſcendit, filius hominis qui eſt in cælo? Et iterum: Si videritis Filium hominis aſcendentem illuc vbi prius fuerat? Ecce Filius hominis legitur deſcendiſſe de cælo, cùm conſtet ſolum Verbum, id eſt, nudum ſine carne, ſine hominis appellatione deſcendiſſe de cælo. Ecce caro id eſt, Filius hominis legitur tunc fuiſſe in cælo, quæ nunquam inde deſcendit, & quæ illuc necdum aſcenderat. Sed hoc eſt vnius perſonæ myſterium: hoc vnius Chriſti ex vtroque ſubſiſtentiis ſacramentum: hoc vtrarumque naturarum proprietatis arcanum. Quia enim Verbum cum carne ita eſt in explicabili modo vnitum, vt ipſum Verbum caro dicatur, licet Deus non ſit caro, quia non eſt in carnem mutatum, vt caro dicatur Deus. licet non ſit in deitatis naturam mutata, ſed Verbum propter carnem ſuam homi-*

sit, & caro propter verbum Deus sit, & quicquid est proprium Verbi, sit cõmune cum carne, & quicquid est propriũ carnis, cõmune cũ Verbo sit, quomodo Verbũ et caro vnus est Christus & vna persona. Idcircò propter hanc cõmunionẽ quã salua naturarũ proprietate personæ vnio præstat, & Verbum cum carne id est, Filius hominis legitur descendisse de cœlo, cùm solum Verbum sine carne descenderit. Et Deus legitur sepultus, & in monumento tribus i acuisse diebus, cùm sola caro sepulta est, Ergo secundum proprietatem naturæ sola caro mortem sensit, sola caro sepulturæ officium habuit: secundum vnionem autem personæ Deus mortuus est & sepultus, quia persona Verbi in carne est. quæ mortis dispendiũ sensit. Ergo secundũ proprietatem naturæ Verbum descendit de cœlo, non caro secundum proprietatem naturæ caro mortua est, non Verbum, Item secundum vnionem personæ, & caro descendit de cœlo & Verbum est mortuum atque sepultum. Cùm ergo dicimus Dominum passum & mortuum, non expauescat Nestorius: quia secundum vnionem personæ dicimus, Rursum cum dicimus Dominum nec passum nec mortuũ, quia est omnino impassibilis, non formidet Eutyches: quia secundum naturæ proprietatem dicimus magisque nec nos dicimus, sed scripturæ loquuntur.

Fulgentius.

Fulgentius ad Thrasymundum lib. 2. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cœlo descẽdit. Filius hominis qui est in cælo, Nõ quia humana Christi substãtia fuisset vbiq; diffusa, sed quoniam vnus idemq; Dei Filius atq; hominis Filius verus Deus ex patre. sicut homo verus ex homine, licet secundum veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra, secundum diuinitatem tamen, quæ loco nullatenus continetur, cœlum totus impleret & terram, Istam Christi veram humanitatem, quæ localis est, vt veram diuinitatem quæ immensa semper est, Apostolica quoque doctrina cernimus intimari. Nam vt Christi veri hominis corpus localiter contineri Paulus monstraret Apostolus. ait ad Thessalonicenses: Quomodo conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo & vero & expectare filium eius de cœlis quẽ suscitauit à mortuis, Iesum ipsum vtique monstrans corporaliter de cœlo venturum, quem corporaliter à mortuis nouerat suscitatũ propterea rursus ait, Nostra autem conuersatio in cœlis est, vnde etiam saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, &c.*

Cyrillus.

Cyrillus in oppositione Anathematismi 11. *Veruntamen quamuis proprium dicatur verbi corpus, est tamen ex muliere, & nostris cognatum secundum quod caro intelligitur. Iam & Beatus Paulus inquit, Primus homo ex terra terrenus, secundus è cœlo, ipse autem est Christus. Nullus ascendit in cœlum, inquit. nisi qui de cœlo descendit Filius hominis. Porrò dicimus, quod non ex cœlo corpus vnitum sibi deferens, Verbum hæc dicat, verùm cum desursum existens ipsum & ex cœlo corpus hoc sibi proprium fecit & vnitum tam mirè, vt nec edici nec intelligi valeat absque conuersione & confusione. Ideoque & de cœlo dicit se venisse, quando factus est Filius hominis, &c.* Idem Cyrillus in Iohannem libro 4. cap. 22. *Et certè corpus Christi in cœlo prius non fuit, quod nec fuit quidem ante incarnationem. Verbum autem Dei æternaliter cum patre est. Probè igitur Paulus, Vnus, inquit, Dominus Iesus Christus. Vnus enim & ante incarnationem, & post incarnationem filius est. Non est ergo alienum à Verbo corpus suum, idcircò filium hominis appellat Verbũ Dei quod de cœlo descendit, quodque secundum Euangelistam caro factum est, non in carnem mutatum: immutabilis enim natura est. Sed quia reuera homo factus est, in templo quod à Virgine assumpsit, habitare voluit. Dicit autem se ascensurum illò. vbi prius erat, vt audientes intelligant de cœlo quoque ipsum descendisse, & sic non vt homini, sed vt Deo attendentes, viuificam carnem suam esse facilius credant.*

Proinde audiuisti quomodo propositæ abs te quęstioni respõderim, & in eo quod respondi tantisper acquiescam, dũ tu ex verbis Dei me aliter docueris esse statuendum. Sed quando mihi demonstrabis Christum quo ad humanitatem potuisse in cœlum ascendere, si iam ibi præsens aderat? Nemo se ad ea confert loca quæ iam impleuit. Et ei qui est vbique non super est locus quo se moueat. Quòd si Deus qui alioquin omnia occupat. nonnunquam legitur aut descendisse, aut transiuisse, id proculdubio accipiendum est iuxta illam formam seu speciem, quã pro tempore ad se patefaciendum assumebat. Ea verò cùm esset res finita & creata, eorum motuum atque mutationum erat capax. Vnde Christi diuina hypostasis, quæ infinita erat, quo ad suam naturam ascendere non potuit cùm iam omnia occuparet. Humanitas autẽ quæ suas habet dimẽsiones terminatas, verè in cęlũ ascendit: Vbi si anteà fuisset eò nõ potuisse attolli, Atq; si verè ab angelo dici potuit Christi defũcti corpus in sepulchro nõ fuisse ac ipse Christus verè dixerit. se apud Lazarũ nõ fuisse, cũ diem suum obijt: Cur à nobis dici nõ potest, & quidem verè, illum quoad humanitatẽ in cęlo anteà non fuisse quàm eò ascẽderit? Nec scio quomodo sententiæ vestræ liceat per orthodoxam fidem subscribere, cùm statuatis ascensionẽ Domini tantùm ad speciem & pompam quandã pertinuisse, ceu ad Christi humanitatem illa nil sublimitatis. aut excellentiæ nouæ adiecerit. Hoc tibi responsum habeas de prima quæstione, qua rogabas, An humanitas Christi fuerit in celo ante ascensionem.

Quomodo intelligatur Deus aut descendere, aut transire.

DE CORPORIS CHRISTI LOCO IN COELO

LOCVS V.

QVod verò secundo interrogas, An in cælo nunc ita contineatur loco quo ad corpus vt non sit præsens in terris, Annuo. Nam si dixit apertè se relinquere mundum. Et, *Me non semper habebitis.* Quæ sanè verba, tantùm quo ad humanitatem possunt locum habere, cùm deitas perpetuò sit vbique. Et Petrus citrà vllum verborum inuolucrum testatus est Actorum 3. *illum oportuisse cælum accipere vsque ad tempora restitutionis omnium.* Ex cuius dicto verè colligimus, illum eò ascendisse. atque ibi vsque ad extremum diem esse mansurum. Et obseruandum non leuiter est Apostolum ad hunc modum loqui, eum oportuisse cælum accipere: quod si ascendendo accepit cælum, illud antea non acceperat vt ibi esset.

Cùm deinde subijcis, à nemine firmis argumentis demonstratum esse, Corpus Christi hoc extremum & mundanum cælum ita occupare vt ne-

vt neceſſe habeat à Cœna verè, realiter & ſubſtá
tialiter abeſſe, admiror te vehementer, qui a-
deò in ipſa luce caliges, vt valida noſtrorũ argu-
méta nõ potueris adhuc perſpicere. Si teſtimonia
diuinarum literarum nihil probant, ſi proprieta
tes humanitatis Chriſti nihil probãt, ſi aſcenſio-
nis dogma nihil probat, ſi patrum ſententiæ ni
hil probant: (quemadmodum ais) à nemine de-
monſtratum eſt, Corpus Chriſti ſic cœlo conti-
neri, vt non amplius in terris verſetur. Ad hæc
autem præcipua capita noſtræ rationes, quæ
ſunt permultæ, referuntur. Deinde quid noſtris
argumentis oportuit oppugnare corpus Chriſti
verè, realiter, & ſubſtantialiter (vt vos rotundè,
ſeu potius craſſè, loquimini) in pane atque in vi-
no adeſſe, cùm id nihil aliud ſit quàm humanum
figmentum? Nuſquam enim ſcripturæ id teſtan-
tur neque Chriſtus id vnquã eſt pollicitus. Non
fuit diu ludenda opera, quæ melius impendi po
teſt, in hominum Chimęris oppugnandis, cùm
illæ facilè ac vltro ſeſe prodant.

Cœlum autem mundanum in loco non eſſe
(vt denuò hîc repetis) quod hac σύγκρισις tibi vehe
menter placeas, nunc rurſus exagitare, quòd ſu-
perius ea de re copioſe dixerim, in præſentia
non inſtitui. Verùm id gaudeo te dare, Chriſti
corpus etiam localiter in hoc cœlo eſſe poſſe, &
vbicunque voluerit, localiter ac circumſcripti-
ùe ſe patefacere. Si das, Chriſti corpus localiter
in cœlo eſſe poſſe, cur etiam ſuper omnes cœlo-
rum orbes non etiam concedis eſſe poſſe locali-
ter? PAN. Quòd extra cœlum ſupremum ni-
hil ſit. ORO. Quis hoc docuit? PAN. Ariſto-
teles, qui ſcribit, Extra cœlum nihil eſſe. ORO.
Fideles attamen omnes confitentur, Chriſtum
ſuper omnes cœlos aſcendiſſe. Vnde nos colligi-
mus, & rectè quidem (vt ſpero) ſupra orbem ſu-
premum regiones beatorum feliciſſimas extare
vbi corpora ſanctorum iuxtá Chriſtum ſuo tem-
pore ſint collocanda, quæ nihil vetat, puriſſimo
aliquo aere vel quopiam alio corpore illius vice
ſic ambienda, vt loco ſuo non careant. Aut ſine
ambitu externi corporis ibi degant, modò ſuas
diſtantias, propinquitates, lineamenta, membra,
& terminos retineant, quia moroſi non vſque
adeò ſumus, vel anxij de corpore ambiente, vt
ipſum neceſſariò exigi dicamus ad corporũ bea-
torum conſeruationem. Non autem debes à me
id nunc expectare, vt ego qualia illa ſint Chriſti
& beatorum loca deſcribam. Sat nobis id eſſe de-
bet, quòd ſcripturæ ea appellẽt loca, quòd Chri-
ſtus dicat, *In domo patris mei multæ ſunt manſiones*,
quodque idem dixerit diſcipulis, *Ego eo, vt parem*
vobis locum. Vniuerſam autem locorum illorum
deſcriptionem tum demũ videbimus, cùm poſt
beatam illam reſurrectionem vnà cum corpori-
bus noſtris eò perueniemus. Interea illarum re-
rum exacta & diſtincta cognitio nec ad vocatio-
nem, nec ad ædificationem noſtram quicquam
facit. Sed id contendimus, humanum corpus vel
habeat diuinitatem ſibi coniunctam, vel non ha-
beat, in hoc noſtro mundo eſſe non poſſe, quin
occupet locũ & à circumſtanti corpore ambia-
tur, niſi fortaſsis in mũdo vacuum quis voluerit

A conſtituere. Quibus addo non illi poſſe vllo mo
do congruere, vt in loco non localiter ſit.

PAN. Tu, dum hæc ita narras, videris mihi de
humanitate Chriſti, & eius corpore non aliter
cogitare, atque de alio hominis corpore. Verùm
ne ſic erres, paulò altius rem cõſtitui repetere,
quatenus ad Chriſti aſcenſionem aſpectat, qui
non ſic in cœlum aſcendit, vt hæreat in aliquo
certo huius externi cœli loco. Tametſi .n. non a-
dimimus ei ſuam poteſtatem, quin (vt iam dixi-
B mus) poſſit, ſi velit, etiam in hoc externo cœlo
viſibiliter commorari, tamen aſcenſus eius non
ſic ipſum in hoc cœlo collocauit, vt non etiam
tranſcenderit, & ſuperauerit omnes cœlos. Non
Chriſtianum, ſed Ariſtotelicũ eſt, Corpus Chri-
ſti intra ambitum huius cœli concludere. Ariſto-
telis vox eſt, non Chriſti, Ἐκτὸς τοῦ οὐρανοῦ οὐδ' ἐστὶν οὐδὲ γί-
γνεται σῶμα. *Extra cœlũ nõ eſt, nec poteſt eſſe corpus.*
Fingamus autem Chriſtum in hoc externo cœ-
lo habere ſuum localem thronũ, ſeu (vt vocant)
C reſidentiam. Quid? Certè præſtantiori corpori,
quale eſt corpus Chriſti, debetur etiam præſtan-
tior locus in cœlo. Scio cœlum, hominibus ſub
eo habitantibus eſſe vndique ſurſum. Sed ſi Ari-
ſtoteli, hoc eſt, Phyſicis ſpeculationibus creden-
dum eſt, non polus Arcticus, qui ſupra nos no-
ſtro hemiſphærio apparet, ſed Polus Antarcti-
cus, qui infra nos eſt, ſuperior, ideoque etiam
præſtantior pars cœli iudicatur. Quare ſi Chri-
ſto præſtantior locus in cœlo debetur, certè
D non commorabitur ſupra, ſed infra nos, circa
Polum Antarcticum. Et ſi omnino libet corpus
Chriſti in peculiari ac certo loco huius externi
cœli collocare, neceſſarium eſt vt collocetur in
altero tantùm polorum, ſiue Arctico ſiue Antar-
ctico. Quippè quòd hi ſoli ſint in cœlo fixi & im-
mobiles. Alię autem cœli partes rapiuntur &
conuoluuntur motu firmaméti ſingulis diebus
circa terram. Niſi fortè ſentias quòd Chriſtus
E corpore ſuo ſingulis diebus ſemel circumuehá-
tur vnà cum cœlo circa terram, & contempletur
quid vbiuis in terris agatur. Et quo tandem ſe
recipiet Chriſtus cum corpore, adeoque cum
omnibus ſanctis ſuis, poſtquam externum hoc
cœlum præterierit. ſicut Chriſtus dicit, & igni
conflagrauerit, ſicut Petrus docet? Non enim
Ariſtoteles permittet, vt ſe recipiat extra cœlum
quòd quippe iuxta ſententiam ſuam fieri non
poſſit, vt corpus ſit extra cœlum, etiam ſi alioqui
ſentiat extra cœlum eſſe entia, quæ optimam
F vitam ducant, Sed abeant iſta. Vera ſententia de
aſcenſu Chriſti in cœlum petenda eſt, non ex hu-
mana ratione, ſed ex Verbo Dei. Aſcenſum illum
interpretatur primùm illa in Symbolo Appen-
dix, omnib. Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis
cõfirmata. *Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.*
Dextera autem Dei non eſt aliquis corporalis
aut mundanus locus ad quem Chriſtus ſeſe qua-
ſi alligarit, ſed eſt omnipotentia & maieſtas Dei
quæ cùm non ſit in aliquem peculiarem locum
G ſic concluſa, vt non cœlum & terram, adeòque
omnia impleat, neceſſariò ſequitur, quòd nec
Chriſtus humanitate ſua conſedit ad dexteram
Dei in hoc externo tantùm cœlo collocatus.

Quod enim dextera Dei, ad quam Christus consedit, impleat cœlum & terram, non tantùm significat regnum Christi & virtutem eius vndique patere, sed etiam humanitatem eius qua ad dexteram Dei consedit, omnibus rebus coram idq; cœlesti, non humano modo adesse, & omnia in conspectu suo habere, & præsentè gubernare.

ORO. Multa sanè Pantache iam recensuisti nec ego te loquentem interpellaui. Nunc verò cùm finem dicendi feciſti, res postulat vt respondeam. Nos vtique de corpore Christi longè magnificentius cogitamus quàm de carne cæterorum hominum. Sed illud non ita extollimus vt perdamus. Nouimus natum ex virgine, super aquas ambulasse, ieiunium quadraginta dierum pertulisse, tactu leprosos curasse, mortuos viuificasse, cæco visum restituisse, tertio die à mortuis resurrexisse, & ascendisse in cœlum, constitutum que super omnes angelos & omnes creaturas ad dexteram patris consedisse. Neque latet nos id habere coniunctam secum deitatem hypostatica vnione. An tibi hoc videtur sentire de Christi corpore perinde atque de corporibus aliorum hominum?

An Christus quoad corpus sit in aliquo loco cœli.

Dicis præterea Christũ non sic ascendisse in cœlum quo ad corpus, vt hæreat aliquo loco externi cœli. Si locum intelligas generalem, eaque voce complectaris omnes beatorum sedes, ac regiones viuentium, quę sunt extra cœlos aspectabiles, ego profectò affirmabo corpus Christi esse aliquo certo loco externi cœli, sed latissimo & amplissimo, vbi liberũ sit ei stare, sedere, ambulare, atq; vt libuerit, incedere. Quod si per certum aliquem locum intelligas angulum seu gurgustium, Ita inficias eo, corpus Christi certo loco cœli cõtineri & alligari. Tu verò si (vt profiteris) non adimis ei potestatem, quin si velit queat in hoc externo cœlo visibiliter commorari, cùm ipsum (vt postea mihi obiecisti) perpetuò rapiatur ab Oriente in Occidentem, De corpore Christi quomodo cõstitues, si fortè velit tibi præsens adesse? An circumuoluetur quotidie per totũ orbem? Si tua sentẽtia potest fieri, vt ibi hæreat, vtique cum cœlo circumuoluetur, Id si tibi vt præ te fers absurdum videatur, quare illi eam facultatem relinquis liberã? & cur postea nobis id tanquam absurdum objcis, vt circumuoluatur quotidie ab Oriente in Occidentem? Verùm ista de re mox fusius dicam.

De cœlo autem in præsentia ita mihi videtur distinguendum, vt si de aspectabili agatur, non arbitror Christi corpus illic habitare, cùm dicatur ascendisse super omnes cœlos. At si per cœlũ illa etiam spacia complectamur, & regiones viuentium, quæ sunt vltra cœlos, verùm philosophis incognitas, ibi corpus Christi degere, nec nõ angelos, beatos item spiritus, & corpora sanctorum post resurrectionẽ omnino sentio. Ideò tecũm affirmo, vt dicere videris, imò potius cum Paulo, corpus Christi cùm hinc auferetur, super omnes cœlos, nimirũ aspectabiles, fuisse sublatum. Quare illud sub ambitu cœlia spectabilis minimè concludo. Neque cum Aristotele sentio Extra cœlũ, si firmamentum, seu astriferum (vt nonnulli vocant) id intelligat, nullum posse corpus existere. Quapropter cùm supra visibiles cœlos credamus esse felices regiones beatorum vbi sint Christi, Angelorum, felicium item spirituum, nec non sanctorum corporum, quæ postremo tempore à mortuis excitabuntur sedes, parùm appositè (ne dixerim ineptè) abs te quæritur, An ea loca in Arctico, an in Antarctico polo sint constituenda, quasi vltra octauam, nonámue aut decimam sphæram non sint latissima spacia, incredibili & suauissima luce fulgida, quæ neque Arctico vel Antarctico polo finiantur, & cum diurno motu non rapiantur, stabilem fixamque præbeant sanctis habitationem. Ibi profectò lucem inaccessam esse par est, quam pater inhabitat, qua fruitur Christus, quãq; bonis angelis, & sãctis hominib. Deus pro sua bonitate assignauit. Atque si necesse non habet supremus orbis agitari omnib. motibus quibus inferiores orbes torquentur, nec est necessarium vt illæ supremæ regiones viuentium, motu diurno ab Oriente in Occidentem rapiantur. Manent igitur quietæ ac tranquillæ. Neque opus est Christo vt quotidie circumferatur firmamenti reuolutione per totum orbẽ, vt spectet quid vbique in terris agatur. Cum. n. Deus etiam sit, nec tantùm homo, in beata regione quo ad corpus manens, omnia nostra potest facilè cognoscere. Tu verò cùm argutus in ijs plus æquo, & quã te deceat videri cupias, meras ineptias mihi opponis, Cur oppidò quæris in cœlorum conflagratione dissolutione, ac interitu, cuius diuinæ scripturæ meminerunt, quò tandẽ humanitas Christi sit se receptura? Nec animaduertis in locis quos adduxisti, diuinas literas, vel de aere vel de aspectabilib. cælis esse loquutas. Vnde Naziázenus ex Epistola ad Cledoniũ apud Theodoretũ, luculenter ostendit corpus Christi non esse depositũ neque commorari seorsim inter aspectabiles cœlos, dicens: *Vbi.n. nunc est corpus, nisi cum eo quod id assumpsit? Neque enim (vt nugantur Manichæi) in sole est depositum, vt honoretur propter ignominiam, vel in aëreum effusum est & dissolutum, vt vocis natura & odoris fluxus & fulguris minimè consistentis cursus.* Vbi est autem etiam palpatum esse post resurrectionem, in qua aliquãdo videbitur ab ijs qui pupugerunt? Diuinitas autem per se sub aspectum non cadit. Quid verò illa conflagratio attinet ad beatas Christi, angelorum & sanctorum sedes? Quibus adde illas cœlorum immutationes, iuxta interpretationem aliquorum Patrũ, non ad substantiam & naturam illorum corporũ permeaturas verùm ad qualitates illorum tantum modò spectare, vt cœli noui tandem euadent, & mundi ac multò perfectiores quàm antea vnquam fuerint. At id vtut sit, non indesequitur cœlestes mansiones, & verè beatas regiones viuentium, pereuntibus aspectabilibus cœlis ac elemẽtis, euersum iri. Quare corpori Christi vt sese inde subducat necesse non erit. Ascendendo. n. per cœlos aspectabiles, in illis non est commoratus, sed vltra omnes qui mũdanę successioni seruiunt, ascendit. Aristoteles autẽ quàm rectè senserit, extra firmamentũ nõ posse vllà corpora degere, dessẽdum

Regiones viuentium cum firmamento non circumuoluuntur.

nunquam

nunquam ſuſcipiam. Non enim Philoſophi ſunt audiẽdi, ſed ſcriptura verbo Dei patefacta. Proinde cũ Apoſtolus nobis affirmet Chriſtũ ſuper omnes cœlos aſcendiſſe, teſtimonio eius docemur, humanũ Chriſti cõrpus extra cœlos aſpectabiles fuiſſe receptum. Nec Ariſtotelis placitũ nos adigit, vt Chriſti humanitatem intra huius cœli ambitũ concludamus. Verum ei (quemadmodũ par eſt) pro ſua dignitate qua omnia creata corpora excellit, præſtantiſſimũ locum, id eſt, lucidiſſimas regiones extra ſupremũ cœlorum aſpectabilium orbem aſſignamus, quæ tam ampliter ac latè ſe fundunt, vt neque anguli neque gurguſtia vocari poſſint.

Sedere ad dexteram patris non explicat aſcenſionem.

Vis præterea domini aſcenſum in cœlum per ſequentem appendicem exponi, quę ſubijcitur, *Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.* Et dexteram Dei ais nõ eſſe mundanum locum, ad quem ſe Chriſtus alligarit. At mihi non liquet, dogma de cõſeſſu ad dexteram patris appoſitum eſſe, vt rationem aſcenſus domini exponat, cum potiũs excellentiam quandam & prærogatiuã corporis aſſumpti ſuper omnes cœlos exprimere videatur, demonſtreturque humanitatem Chriſti nõ tantùm ſublatam ſuper omnes cœlos, verùm & apud Deum omnipotentem ſupremam dignitatem & gradum eſſe aſſequutam. Nam tranſcendit omnium angelorum, principatuũ & poteſtatum excellentiã. Et quod attinet ad Deũ Optimum Maximũ, qui eſt laudãdus in ſecula, rectè dicta eſt ad eius dexterã ſedere, quemadmodũ ſummis orbis monarchis ij aſſidere conſueuerunt, qui cęteris omnibus gratia & dignitate præſtant. Nõ habet ſanè Deus qui ſpiritus eſt, corpoream dexteram: ſed eleganti admodũ trãslatione, hominem Chriſtũ dicitur ad ſuã habere dexteram, quòd illum præ omnibus creaturis, excellentiæ honore, ac dignitate ornauerit.

Quid ſignificet ſedere ad dexteram Dei.

Demiror autem quomodo corpus Chriſti eſſe vbiq; inde colligas, quod omnipotentia & Maieſtas Dei, quæ dextera eius vis denotari, ſint vbique: Facito ſignificationem tuã conſtare, quamuis apertè demonſtraui, quid mihi articulus fidei ſignificet. Nonne fieri poteſt vt licet humanitas Chriſti proprietatib. illis, omnipotentiæ inquam & maieſtati coniungatur, non tamen ęquè ac illæ pateat? Etenim quotidie nobis occurrit pater quiſpiam proceræ ſtaturæ habens filiolum ſibi ad dexterã conſidentem: nec quicquam prohibet, quin dextera eius multò latius extendatur quã corpus filioli eius dilatetur. Idcirco is paralogiſmus, quem dialectici vocant accidentis, abſte manifeſtiſſimè vſurpatur. Ais quippe, Dextera Dei cum ſit immenſa, eſt vbique: igitur & humanitas Chriſti, quæ ſedet ad dexteram Dei, eſt vbique. Nec porrò eſt neceſſe vt illis rebus coextẽdamur, quibus hæremus. Nonne rex quiſpiam dum in ſuo throno ſedet, illi hæret, cum tamen crebrò thronus eius multò ſit & latior & longior illius corpore? Quin & latro hæret affixus cruci, qui tamen ea multò eſt minor. Proinde ſit dextera Dei hoc eſt (vt vis) eius omnipotentia & maieſtas vbiq;, permaneat autẽ Chriſti humanitas, quæ illi coniungitur ſuis terminis finita. Vt autẽ rem teneas magis perſpicuè, cogites oportet, dexteram Dei anceps eſſe vocabulum: quia non ſolùm potentiam & vim diuinam ſignificat, qua omnia fiunt & gubernantur, ſed etiam ſummam perfectãq; felicitatem. Scribit enim Auguſtinus de Agone Chriſtiano cap. 16. ad hunc modum: *Nunquid Deus pater habet latus dexterum aut ſiniſtrũ ſicut corpora? Nec nos hoc de Deo patre ſentiamus: nulla enim forma corporis Deus definitur atque concluditur. Sed dextera patris eſt beatitudo perpetua, quæ ſanctis dãtur, &c.* Similiter ſcripſit idem pater ad Conſentium. Epiſt. 122. *Vnde etiamſi corpus Domini, quod de ſepulchro excitatum leuauit in cœlum, non ſine ſpecie humana membrorũ cogitamus, non tamen ita putandũ eſt ſedere ad dexteram patris, vt ei pater ad ſiniſtram ſedere videatur. In illa quippe beatitudine, quæ omnem ſuperat humanum intellectum ſola dextera eſt, & eadem dextera eiuſdem beatitudinis nomen eſt, &c.* Non itaque illo vocabulo ſola Dei potentia & maieſtas exprimitur, verũ etiam ſuprema felicitas & beatitudo. Quocirca etſi omnipotentia & maieſtas diuina vbique ſint, locus felicitatis ac perfectæ beatitudinis vbique non eſt, cùm in hoc mundo non reperiatur. Chriſto autem, ſanctis angelis & beatis ſpiritibus affluit in regione viuentiũ. Vnde apparet, dexterã Dei iuxta poſteriorem hanc ſignificationẽ poſſe certa loca ſignificare, vbi felicitas plena & perfecta beatitudo floreat & habeatur. Proinde ſatis intelligis, vtrã quãq; ſignificationẽ amplectaris tuã rõnẽ efficaciæ nihil habere.

Dextera Dei anceps vocabulum.

Auguſtin.

PAN. Quæ narras de ſupremis regionibus ampliſſimis, fulgentiſſimis, & iucundiſſimis, quę ſint Chriſti, angelorum & ſanctorum manſiones abs te dicuntur, ſed nullo teſtimonio confirmantur. Imò, receptum eſſe videtur, & ab omnibus affirmatum, vltra octauam ſphæram, quam firmamentum vocant, nihil eſſe. ORO. Non eſt Pantache nouum quòd ego aſſero: quãdoquidẽ literæ diuinæ aſtruunt Chriſtum aſcendiſſe ſuper omnes cœlos. Ideò ſi tranſilijt cœlos iſtos aſpectabiles, neceſſe eſt, vt extra eos aliquid exiſtat. Quomodo enim quis ad nihilum ſe conferat Patres verò ita ſenſiſſe, non erit difficile oſtendere. Damaſcenus lib. 2. cap. 6. ita cœlum definiuit, οὐρανὸς ἐστὶ τὸ ἐσχατον σφαῖρα τὴ ϵ κόσμου, ἀπεριγραπτων σωμάτων περιϵκτικὸν ἁπάντων τῶν ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων δυνάμϵων, καὶ πάντα ἐν αὐτῷ περιλαμβάνων τὰ ϵἰρημϵνα. Id eſt, *Cœlũ ϵ cõplexio, vel (vt ita dixerim) continentia viſibilium creaturarum & inuiſibilium. Intra enim ipſum & intellectuales angelorum virtutes, & omnia ſenſibilia concluduntur, & ambitu eius terminantur, &c.* Hic tu mihi conſidera, an ſpiritus angelorum ſub ſtellato & aſpectabili cœlo velis concludere, an illis dare ſplendentes & ſublimes regiones vltra firmamentum, quas recentiores cœlum Empyreum nominarũt. Verum quid ego de te iſtud interrogo, cùm ibidem aliquanto poſt Damaſcenus explicet apertiſsimè quid ſentiat.

Probatur ſupra firmamentum eſſe regiones beatorum.

Cœli definitio.

Εἰ μὲν οὖν οὐρανὸς τὸ οὐρανοῦ ὑπερῷον οὐρανὸς ὑπὲρ αὐτὸν ὑπερχων τὸ στερέωμα· διὸ δύο οὐρανοί, ϵἰ τὸ στερέωμα δὲ ἐκκλησία ὀθϵὸς οὐρανὸν. Ϲυναληθϵύϵται δὲ καὶ ἡμῖν ἡ ϵἰρημϵνη ϵἶναι αἰθϵρα οὐρανὸν καλῶς. ἐπϵὶ δὲ καὶ τὰ ἄστρα ἐν αὐτῷ ϵἰσὶ καὶ φωτίζϵι αὐτὰ ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη ἐν τῷ οὐρανῷ, διὰ τοῦτο καὶ οὗτος οὐρανὸς ἐστὶν ὁ πλανώμϵνος καὶ ἀπλανὴς οὐρανὸς· διὸ καὶ τοὺς ἑπτὰ οὐρανοὺς ὁ Θϵὸς ἐν ἑκτϵλϵῖ, id est, *Est igitur cœlum cœli primum cœlum ſupra firmamentum collocatum. Ecce duo cœli: nam & firmamentum Deus vocauit cœlum.*

Consuetudo etiam diuinæ scripturæ est, aerem cælum vocare, ab eo quod est sursum videri. Benedicite enim inquit omnes volucres cæli, aerem intelligens. Nam aer est volucrum iter & non cælum. Ecce tres cæli, quos diuinus dixit Apostolus, &c. Liquido iam apparet, hunc scriptorem vltra orbes astriferos alias posuisse regiones illis altiores, quas item cœlum vocauit. Non itaque à me proferuntur inaudita. Lombardus etiam, quem vulgo Magistrum Sententiarum vocant. in 2. lib. Dist. 2. scripsit idem ijs verbis: *Testimonijs quarundam authoritatem euidenter monstratur, angelos ante casum fuisse in cælo, & inde corruisse quosdam propter superbiam. Alios verò, qui peccauerunt, illic perstitisse. Nec appellatur hoc cælum firmamentum, quod secunda die factum est, sed cælum splendidum, quod dicitur Empyreum id est igneum à splendore, non à calore, quod statim factum, angelis est repletum, quod est supra firmamentum, &c.* Vtque non existimetur suum figmentum obtrudere, Strabum adducit, qui ait, Genesin exponendo: *Non visibile firmamentum hic appellat, sed Empyreum, id est igneum vel intellectuale, quod non ab ardore sed à splendore dicitur, quod statim factum repletum est angelis, &c.* Cum cœlum illud intellectuale vocat, ne putes ipsum non esse corporeum, sed quia nostris oculis non potest cerni. Proinde cum videri non possit, cogitari tamen & vtcunque intelligi potest: Idcirco à Strabo vocatum est intellectuale. De hac eadem re Bedam scribentem inducit ijs verbis: *Hoc superius cælum, quod à volubilitate mundi secretum est, mox vt creatum fuit sanctis angelis impletum est, quos in principio cum cælo & terra conditos dominus testatur, dicens Iobo: Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Astra matutina & filios Dei eosdem angelos filios Dei vocat. Cælum enim, in quo posita sunt luminaria, non in principio, sed secunda die factum est, &c.* Cum itaque Damascenus, Beda & Strabus, necnon Lombardus constituant angelorum sedes vltra firmamentum, num tibi licet dicere, me primum sublimes beatorum sedes ac regiones fabricatum esse?

Magister sententiarum. *Strabus.* *Beda.*

PAN. At istorum virorum non est illustris authoritas, Velim vt patres maiorũ gẽtiũ mihi produceres, qui vltra cœlum stellatum affirment haberi splendidas & lucidas mansiones beatorum. ORO. Nec illi deerunt. Basilius in suo Hexaemero, Homil. 2. ita scribit, reddens rationem vnde tenebræ fuerint super abyssum. *Consideremus itaq; ait, quod siquidem quid erat ante sensibilis huius & corruptibilis mundi constitutionem, in luce nimirum id erat. Neque enim angelorum dignitas, neque cælestis omnis exercitus, neque in summa, siquid est nominatum, aut innominatum ex rationabilibus naturis & ministrantibus spiritibus in tenebris degebant, sed in luce & omni spirituali lætitia sibipsis conuenientem statum habebant. Et his nemo contradicit, qui saltem super cælestem lucem in sanctorum promissis expectat, de qua Salomon ait, Lux iustis semper. Et Apostolus: Gratias agentes patri, qui sufficientes nos fecit in portione sortis sanctorũ in luce. Si enim damnati mittuntur in tenebras exteriores, nimirum qui laude ac receptione digna operati sunt, in supermundana luce requiem habent. Quandoquidem igitur cælum iussione Dei factum est, acernatim circumextentum his quæ intra ipsum sub propria ipsius circumferentia contenta sunt, corpus habens continuum, sufficiens disparere ab externis ea quæ intra ipsum sunt, necessariò conclusum intra ipsum locum obscurum constituit, externo splendore interciso ac intercepto. Tria enim concurrere in vmbra oportet, lucẽ, corpus & obscurum locũ &c.* Hic ne prætereas Basilium statuere sanctos angelos & administratorios spiritus in luce cõmoratos esse ante creatum firmamentum. Illo deinde condito, lucem in qua degebant angeli, fuisse corpore firmamenti interceptam, & impeditam, ne penetraret ad interiora loca, quæ sub eo claudebantur. Vnde contigit, vt sponte sua tenebræ, non ex vlla creatione, ibi resultarint ac sederint, quoad Deus nouam lucem astrorum postea in cœlis creatis condiderit, Deinde attendas Basilium dilucidè ponere vltra mundum hunc visibilem lucidas atque splendidas habitationes. Et ne dubites hunc esse genuinum eius sensum, non grauabor adijcere simile, quod è vestigio subiecit: *Mundanæ itaq; tenebræ per vmbrã cælestis corporis substiterunt. Considera porrò mihi ab exemplo euidenti quod diximus, in serenitate meridionali tentorium quodam ex densa & arcta materia tibi ipsi constituendo, & in tenebris ex temporalibus te ipsum includendo. Tales etiam illas tenebras fuisse statue, non primordialiter subsistentes, sed ad alia consequentes, &c.* Constituendo tentorio in meridionali plaga tria demonstrat Basilius. Extra tentorium lucem esse magnam. Quæ postea materia tentorij excludatur, vt intus non valeat ingredi, præsertim si ea fuerit densa vt ex corio quandoque fieri solet. Intus ait postremò repente oriri tenebras. Si hoc pacto se res habet, certè minus prudenter me rogabas, quo angulo vel gurgustio cœli corpus Christi concludatur. & an circumuoluatur & rotetur ab Oriente in Occidentem, Quoue sit se recepturum cùm ista cœlestia corpora, quæ videmus, immutationem vel interitum sentient. Nihil horum Christi humanitatem sanctos angelos aut beatorum spiritus attinget, cum felicissimè super omnes istos cœlos degant, & inter illorum habitationes ac septem orbes erronum medium sit firmamẽtum seu, quod multi existimant, orbis quidam astris destitutus. Id autem permulti, siue rectè, siue perperam non refert, Crystallinum vocant.

Simile. *Basilius.*

Ambrosius.

A Basilij sententia nil discessit Ambrosius, qui libro Exaemeron primo cap. 8. sic scribit. *Erant tenebræ de obumbratione cæli, quia omne corpus vmbram facit, quo obumbrat vel finitima, vel inferiora, & ea maximè quæ vel operire, vel includere videtur. Includit aũt cæli polus, quia cælum sicut camera extenditur, quemadmodum supra demonstrauimus. Non ergo principalis erat tenebrosa substantia, sed quasi vmbra sequuta est mundi corpus caligo tenebrarum. Itaque momento diuinæ præceptionis mundus assurgens intra se inclusit vmbram. Vt si quis in campo medio quem Sol meridianus illuminet, locum aliquem repente obsepiat & densis ramorum frondibus tegat, nonne quo splendidior foris species loci eius effulgeat, hoc horrenti desuper scena gurgustiũ eius intus obscurius sit? Aut vnde antrum clausum vndique huius modi locum vocarunt, nisi quod atro inhorrescat situ atque obfusione tenebrarũ? Istæ ergo tenebræ super aquarum abyssos erant. &c.* Docet hic quoq; pater, extra firmamentum lucem esse, quæ corpore firmamenti

mẽti fuerit intercluſa. & ideò tenebras in abyſſo reſediſſe, quæ poſtea ſunt depulſæ, cùm aſtrorum noua lux Dei iuſſu in orbibus cœleſtibus effulſit. Illam itaque lucem quæ ſplendet extra mundanorum orbium loca, nos humanitatis Chriſti nec non angelorum, & ſeruandorum hominum ſedes, atque manſiones eſſe dicimus. Quamobrem vt liquere tibi poteſt, ſpacia, & quidem latiſsima regioni feliciter viuentium nequa quam deſunt. PAN. Satis intelligo quid apud vos conſtitueritis, nempe vltra firmamentum & aſpectabiles cœlos, manſiones felicicisſimas eſſe diſpoſitas, ad quas Chriſtus aſcendens vltra omnes cœlos ſit profectus, & eò excipienda etiam olim fore corpora ſanctorum, cùm extremo die à mortuis fuerint excitata. ORO. Id profectò & ſentimus & docemus. Neque Chriſti, aut ſanctorum cœlum patimur nobis obtrudi, quod vbique ſit, neque reuera ſurſum aut ſublime, ſed vt vos fabulamini etiam per omnes huius inferioris mundi partes locum habeat. Quod figmentum vt alienum à veterum patrum doctrina rurſus oſtendere non grauabor. Auguſtinus de ciuitate Dei libro 21. cap. 4. ita ſcripſit aduerſus eos qui negabant humana corpora in cœlo eſſe poſſe cum à mortuis reſurrexerint. *A Cicerone 3. de Republica commemoratum eſt, Herculem & Romulum ex hominibus Deos eſſe factos, quorum non corpora ſunt in cœlum elata, neque enim natura pateretur, vt id quod eſſet de terra, niſi in terra maneret, &c. Hinc eſt magna ratio ſapientium, quorum Deus nouit cogitationes quoniam vanæ ſunt,* &c. Deinde argumentum ſubijcit, quo probet corpora beatorum in ſublimi cœlo reuera collocanda eſſe, quòd animæ cùm ſint ſpiritus, corporibus terrenis volente Deo alligantur. Ideóque nil poſſe impedire quin volente Deo non poſsit terrenum corpus in cœleſte corpus attolli, cùm animus omni, ac per hoc etiam cœleſti corpore præſtantior, terreno corpori potuerit alligari, &c. Et mox: *Cur enim non vehementius admiramur incorporeos animos cœleſti corpore potiores, terrenis alligari corporibus, quàm corpora licet terrena, ſedibus quamuis cœleſtibus tamen corporeis, ſublimari, niſi quia hoc videre conſueuimus, & hoc ſcimus illud verò nec adhuc aliquando vidimus? Nam profectò ſobria ratione conſulta, mirabilioris eſſe diuini operis reperitur, incorporalibus corporalia quodammodo attexere quàm licet diuerſa, quia illa cœleſtia iſta terreſtria, tamen corpora & corpora copulari,* &c. PAN. Quorſum iſta? ORO. Vt intelligas Auguſtinum non credidiſſe cœlum beatorum, in quo etiam Chriſtus eſt quo ad humanitatem, quod nihil aliud ſit quàm omnipotentia, & Maieſtas diuina & vbique diffuſum: alioquin ſapientibus Ethnicis nullo negotio potuiſſet reſpondere, ſe pro cœlo non intelligere ſublimes illas regiones quę vulgo cœlum dicuntur, ſed ſtatum excellentem, diuinum, ſupermundanum & beatum. Hæc non dixit Auguſtinus: Verùm ſedes beatorum & corporeas fecit, & corpora: & noſtra corpora eò contendit olim eſſe attollenda. Et eadem affirmat, idem argumentum tractando, in eodem lib. cap. 21. cuius verba liçet breuitati ſtudeam, quo mens eius dilucidius teneatur, adſcribam: *Omitto dicere, quod iam 13. libro dixi, quàm multa grauia terrena ſint corpora, ſicut plumbum, & formam tamen ab artifice accipiant, qua natare valeant ſuper aquam. Et vt accipiat qualitatem corpus humanum, qua ferri in cœlum & eſſe poſſit in cœlo, omnipotenti artifici contradicitur?* &c. Et mox, de anima loquens, ait: *In terreno ergò quid facit corpore? In hac mole quid agit ſubtilior omnibus? In hoc pondere quid agit leuior omnibus? in hac tarditate quid agit celerior omnibus? Itane per huius tam excellentis naturæ meritum non poterit effici, vt corpus eius leueturin cœlum? Et cùm valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorſum, aliquo modo & animæ leuare ſurſum terrena corpora non valebunt?* &c. Et mox agens de Veſtali Virgine ſubijcit: *Cùm periclitaretur falſa ſuſpicione de ſtupro, cribrum impleuiſſe aqua de Tyberi, & ad ſuos iudices nulla eius parte ſtillante portaſſe. Quis aquæ pondus ſuper cribrum tenuit? Quis tot cauernis patentibus nihil inde in terram cadere permiſit? Reſponſuri ſunt, Aliquis Deus aut aliquis dæmon. Si Deus, nunquid maior eſt Deo, qui fecit hunc mundum? Si dæmon, nunquid potentior eſt angelo qui Deo ſeruit, à quo factus eſt mundus? Si ergò Deus minor, vel angelus vel dæmon potuit pondus humidi elementi ſic ſuſpendere, vt aquarum videatur mutata fuiſſe natura itane Deus omnipotens, qui ipſa creauit elementa, terreno corpori graue pondus auferre non potuerit, vt in eodem elemento habitet viuificatum corpus, in quo voluerit viuificans ſpiritus?* &c. Et mox: *Sicut ergò nullam puncta vel eſſe vel futuram eſſe terræ particulam in cœlo, ita nullam particulam videre debuimus ignis in terra. Nunc verò non ſolùm in terris, verùm etiam ſub terris ita eſt, vt eum eructent vertices montium,* &c. Et ad finem capitis: *Cur ergò nolunt vt credamus naturam corporum terrenorum aliquando incorruptibilem factam, cœlo conuenientem futuram, ſicut nunc ignis corruptibilis his conuenit terris? Nihil igitur afferunt ex ponderibus atque ordine elementorum, vnde omnipotenti Deo quo minus faciat corpora noſtra talia, vt etiam in cœlo poſſint habitare, præſcribant.* Hæc Auguſtinus. Quæ omnia fruſtra diſputaſſet, ſi cœlum beatorum credidiſſet eſſe vbique quemadmodum vos ponitis. At quia inter Chriſtianos receptum erat, in ſublimi eſſe atque altiſsima regione, quod oppugnabatur ab Ethnicis, qui cõtendebant humana corpora terrena & ponderoſa non poſſe illuc efferri, & in eius generis habitationibus degere. Ideò vir Dei Catholicum & orthodoxum dogma ijs rationibus defendit, Huc etiam ſpectant, quæ idem pater 13. lib. cap. 18. de iſta eadem re ſcribit, quæ prolixitatem ſermonis euitans, nunc præteribo. Tu ea per teipſum percurrito, cùm vacabit. PAN. Sententiarum Patrum ſatis habeo. ORO. Quando ita videtur, deſiſtam à recenſendis veterum dictis, & ad literas diuinas, vnde cœpi, me recipiam.

Locus Pauli ad Epheſios

Quando Apoſtolus ad Epheſ. cap. 4. ſcribit: *Cæterum illud aſcendit, quid eſt, niſi quod etiam deſcenderat prius in infimas partes terræ? Qui deſcendit, idem ille eſt, qui etiam aſcendit ſuper omnes cælos,* &c. ubi dicit, Apoſtolus ibi poſuit inter aſcendere ac

descendere, nec non inter cœlum & infimas terræ patres. Quare, cùm accipiatur propriè, quod ait, de partibus terræ inferioribus, in quibus Christus nostræ salutis causa versatus est, quid est cur cœlos item non accipiamus propriè, in quibus modò Christus quoad corpus contineatur vsque ad tempus restitutionis omnium, vt Petrus in Actis Apostolicis testatus est? Proinde non seruatis iustam ἀναλογίαν in Pauli doctrina, cùm terram cogamini veram & propriam intelligere, ac illi postea cœlum opponatis, nō quidem verum, sed μεταφορικὸν quod nihil aliud sit, quàm gloria, maiestas, dignitas, & potentia Dei. Quæ cùm vbique sint, cœlum etiam à vobis excogitatum esse vbique contenditis. Et idcircò non recipiendum censeo, quod abs te dicitur, Corpus Christi non esse assumptum visibiliter super omnes cœlos, vt ibi maneat: quandoquidem ibi degit, & mansurum est vsque ad extremum diem. Nam ea lege cœlum accepit, vel ab eo acceptum est, quemadmodum Petrus dixit. P A N. Non ita sunt hæc accipienda, quia non significatur Christum hærere in externo cœlo, sed esse sublatum ab oculis discipulorum, & habere non tantùm cœleste, sed etiam terrestre imperium. O R O. Nescio quid loquaris de cœlo externo. Vtique astriferum & quod ipsum vincit sublimitate, atque corporeum est, si ad nos referatur, non intimum, sed extremum vocari debet: quandoquidem extra nos est positum. Christum autem quoad hominem, in inferiori cœlo, id est, in firmamento non collocamus, neque Manichæis assentimur, sed (vt iam dictum est) in supremis regionibus beatorum agere affirmamus. Nam cùm Paulus loco superius allato propriè terram intelligat, nos etiam cœlum verum accipimus, vt significetur certum & verum spacium, in quo plena & solida felicitas sanctis exhibeatur. Nec te satis mirari possum cum tuis, qui cùm sitis alioqui Troporum acerrimi hostes, nunc in tam multos vltro vos præcipitetis, vt eis nullum modum faciatis.

P A N. Non videris mihi considerasse, quid nam verbis illis ad Ephes. ilicò subijciatur: nempe, *Vt impleret omnia.* O R O. De illa sententia superius nonnihil tecum egi, sumque testatus me nolle multa dicere, cùm vir doctissimus Heinrychus Bullingerus in suo libello De mansionibus cœlestibus, & satis, & eruditissimè scripserit. P A N. Memini: Sed quod ille ait Apostoli verba posse intelligi de Propheticis vaticinijs & diuinis oraculis, quę Christus ascendens in cœlum compleuerit, minimè verum esse iudico. Nam Paulus ibi non agebat de illius generis impletione, sed de impletione inferorum & superorum, hoc est cœli & terræ & omnium rerum. Paulo enim antè dixerat: *Qui ascendit, quid est, nisi qui & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse etiam est qui ascendit super omnes cœlos.* Hic audis inferiores partes terræ, audis supremos cœlos, vides ἀντίθετον descensus & ascensus: fieri ergo non potest, vt verbum implendi omnia, hoc loco referas ad vaticinia Prophetica, sed ad ea quæ proxima sunt, infimas videlicet ac supremas mundi partes, vt significetur Christum accepisse Maiestatem Dei patris sui, & dominationem omnium tam infimarum, quàm supremarum rerum, & eas coràm præsentem non deitate tantùm, sed & humanitate gubernare & conseruare. O R O. Si te audiuisset optimus vir Bullingerus, respondisset vtique ad tuam istam cauillationem. Sed cum librum ederet, non adhuc talia de te audiuerat. Et nihilominus tertiam in suo libro adiecit interpretationem de implendis fidelibus charismatis & donis paracleti spiritus. Veruntamen illam de complemento vaticiniorum & promissionum, certissimum est vel tua ipsius conscientia, & à veteribus, & à recentioribus esse receptam. Nec immeritò, cùm sit plana & admodum verisimilis interpretatio: quandoquidem ipsemet Apostolus tibi vaticinium seu promissionem de Christo explicat, commemorans datam quibusque fidelibus gratiam, iuxta mensuram donationis Christi. Quod probat verbi Dei testimonio, scribens: *Quapropter dicit, Cùm ascendisset in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus.* Hoc euidenti oraculo declarat quis nam is fuerit qui ascenderit, deinde cur ascenderit causam subiecit, nempe vt omnia impleret. In hac tam plana & aperta interpretatione quid abs te desideretur, prorsus ignoro, quia in ea iustus dicendi ordo conseruatur, neque à propositæ rei tractatione disceditur.

Quòd verò abs te additur, Christum accepisse maiestatem Dei patris sui: annuo, modò interponatur exceptio sæpius à me demonstrata, (quantum capax est natura humana) quæ citra controuersiam immensa reddi non potest, cùm sit creatura. Præterea vis Christum non tantùm deitate præsentem, verumetiam humanitate gubernare omnia & conseruare.

Ad rerũ gubernationẽ non est opus præsentia humanitatis. Simile.

Sed te percontari libet, ad rerum omnium gubernationem & conseruationem quid opus est humanitatis præsentia? Absens enim & in cœlis residens quo ad corpus, eam facilè potest exequi. Nam si cœlum hoc aspectabile, quod est corpus & à terra longissimè distat, eius fertilitatem & annuos prouentus influentia sua conseruat ac regit, cur id non poterit Christi humanitas erga omnia creata, licet ab eis dissita sit magno locorum spatio? Quot præterea sunt reges in orbe, qui suo consilio, potentia & authoritate multas prouincias à se plurimo loco distantes gubernant & administrant? Cur id Christo, quatenus hominis filius est, & iam clarificatus, non tribuatur?

P A N. Ad Hebr. 4. legimus, *Pontificem magnum nos habere, qui cœlos penetrauit.* Non dicit, qui hæsit in aliquo loco cœli, sed per cœlos penetrauit. Et in eadem epist. cap. 6. dicitur: *Sublimior cœlis factus.* Quod si sublimior est cœlis, quomodo intra cœlum in aliquo loco continetur, vt non alia quoque impleat? O R O. Nolim tecum iam actum

actum agere. Namquæ adfers ex epistola Pauli ad Hebræos fortè meam sententiam læderent, si Christum in cœlis visibilibus, quo ad humanitatem, affigerem. Sed cùm illum agere pronuntiem vltra istos cœlos in regione viuentium, quæ splendida est, immensa & plena beatitudinis, cum Apostolo prorsus consentio, illum nostrum Pontificem, & cœlos penetrasse & cœlis factum esse multò sublimiorem.

PAN. Velim Orothetes, vt diligentius expenderes eiusdem Pauli verba, quibus ad Ephes. cap. 1 significanter admodum expresit, in quan tam sublimitatem Christus humanitate sua euaserit. *Deus constituit Iesum*, inquit, *ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, potestatem & virtutem ac dominationem, & omne nomen quod nominatur, &c.* Idem etiam egit ad Phil. 2 scribens, *Deus exaltauit illũ, & dedit ei nomen super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, &c.* Hæc dicta efferunt Christum cum sua humanitate non super omnes tantùm externos cœlos, verum etiam super omnem creaturam, siue cœlestem, siue terrestrem. ORO. Quę adducis ex Apostolicis literis, habeo cõpertissima, & nobis omnibus Christi membris plurimum gratulor, quòd habeamus caput gloria & honore coronatum, & prælatum cùm dignitate tum etiam maiestate omnibus creaturis. Quocirca tibi laborandum non erat in eius dignitate ac excellentia commendanda.

PAN. Non dubito etiam vos humanitati Christi deferre, sed non quantum oportet. ORO. Quid ita? PAN. Queso te, considerastine vnquam Isaiæ Prophetæ verba in cap. 40. quibus Dei maiestatem expresit? *Metitur aquas pugillo*, inquit, *& ponderat cœlos palmo. Apprehendit tribus digitis molem terræ, & librat pondere montes, & colles statera.* Solomon item inquit 2. Paral. 2. cap. *Cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt.* Proinde cùm intrauerit dominus humanitate sua in gloriam patris sui, & acceperit omnem eius maiestatem, atque suo ascensu eò sit euectus, tantũ abest vt ascensus eius in cœlũ probet eũ in loco aliquo corporalis huius cœli hærere, vt potius testificetur eum, super omnes cœlos, adeoque super omnia tam infera quàm supera, tam terrena quàm cœlestia exaltatum. ORO. Magna & omnibus modis admiranda sunt quæ Prophetæ ac vniuersa scriptura de gloria, maiestate atque potentia Dei memorat. Nec dubito Filium Dei etiam quo ad humanitatem esse paternorum bonorum hæredem atque participem saluis nihilominus finibus & terminis humanæ naturæ, vt ne disipetur. Nam ita Christi diuinitas affirmanda est, ne humanitas eius destruatur.

Atque vt presius agamus, cùm dicis, hominem Christum omnem patris maiestatem accepisse, id non arbitror in vniuersum dandum esse. Non enim fieri potest vt immensa & tota Dei maiestas finito Christi corpusculo terminetur: sed necesse est vt multò sit eo amplior; nisi totam vel omnem maiestatem sic acceperis, vt ab initio nostri colloquij exposui. Deinde imprudens tecum pugnas, qui nunc dicas, Christi humanitatem suo ascensu euectam ad maiestatem & gloriam Dei patris, cùm eam sit consecuta, vt ipse quoque superius testabaris à primo cum incarnatione fuit, à Verbo suscepta, nisi fortè intelligas in ascensu eã fuisse magis declaratam. Quod verò postremò conficis, testificatum esse ascensione Christi, eum super omnes cœlos, super omnia tam infera quàm supera, tam terrena quàm cœlestia exaltatum esse, vnà tecum & approbo, & confiteor: quandoquidem constanter credo, nullam creaturam esse Christo Iesu, qua homo est, digniorẽ (vel vt rectius dicã) ei parẽ, tametsi nolim eũ concedere esse vbiq.

PAN. Video te à sententia non posse deduci: ego tamen institutum meum prosequar. Manifestum est Christum quadragesimo à resurrectione die in cœlum ascendisse, & in conspectu discipulorum sublatum esse visibiliter, vt sederet ad dexteram patris suiq; impleret omnia. Nunquid autem alias non ascendit inuisibiliter, an iam primùm ascendit in cœlum & concedit ad dexteram patris, cum sublatus est in monte Olueti ab oculis discipulorũ? Tũ quidẽ primũ ascendebat visibiliter, sed ascenderat etiam iam anteà, & consederat ad dexteram Dei inuisibiliter in sua à mortuis resurrectione. Est enim ascensus visibilis, qui factus est in monte Olueti. Est & ascensus inuisibilis, qui est factus in resurrectione. Apud Matth. ait Christus, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.* Negari autem non potest, quin statim post resurrectionem comederit & biberit cum discipulis. Manifestum igitur est, quod fuerit tum in regno patris sui, ad quod resurrectione inuisibiliter ascenderat. Et in Luca inquit: *Nónne oportuit hæc pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Absoluerat autem iam, postquam à mortuis resurrexisset, passionem suam. Reliquum igitur est, quod iam intrasset in gloriam & maiestatem suam, ac sederet ad dexteram Dei. ORO Rursus impingis, ac tibi ipsi vehementer aduersaris. Nam dicis, Christum quoad humanitatem visibiliter in cœlum sublatum esse vt impleret omnia. Verùm si iam anteà (vt statuis) implebat omnia ob hypostaticam vnitatem cum diuinitate, quam à sua incarnatione semper habuit, frustrà visibiliter ascendebat, vt id consequeretur. Deinde quo modo alias ascendit inuisibiliter, si semper omnia impleuit? Qui omnia implet, quò tandem ascendet aut se commouebit? Mirandum profectò est abs te in visibilem ascensum decerni, cùm iuxta tuam sententiam, Christi corpus inuisibiliter omnia impleat. Imprudens dicis ἀσύμφωνα. Nos verò tum primum illum ascendisse in cœlos quoad humanitatem affirmamus, cùm ab oculis Apostolorum sublatus est. Quoad humanitatem dixi: quid iuxta naturam diuinam neque ascendit, neque descendit, cùm sua immensitate omnia impleat,

De ascensu visibili & inuisibili.

Quæ verò tu fingis de ascensu visibili & inuisibili, nouum ac peregrinum est dogma, & in Ecclesia Dei, quod ego sciam, inauditum. Sed ita fieri oportet. Nam figmenta vbiquitatis consistere non possunt, nisi & nouis & magis absurdis fictionibus fulciantur.

Adhęc eò te proripis, vt dicas, istum ascensum inuisibilem à resurrectione factum quasi antea ob vnionẽ hypostaticam iuxta tuum decretum Christus quo ad corpus non fuerit vbique: quod tamen superius & semel & iterum affirmasti. Nec te quicquam iuuant illa testimonia ex Matthæo & Luca decerpta. Bibit quidem Christus cum discipulis, cùm resurrexisset à mortuis, & bibit in regno patris sui quia iam immortalitatem acceperat, & gloria incredibili erat illustratus. At non dicit se bibiturum de genimine vitis cum Apostolis in cœlo, quò nondum ascenderat, sed ait vbiscum. Vnde cùm illi essent in terris, ibi cum eis, non autem in cœlo se prædixit bibiturum. At quantum video, tu regnum Christi & gloriam eius vel immortalitatem idem esse putas, atque in cœlis agere, ideóque vis inde conficere, Christum quoad humanitatem fuisse in cœlis, etiam tum, cùm in terris vnà bibebat cum Apostolis. In hoc falleris: quia Christus regnum patris, nec non suam immortalitatem & gloriam habere potuit, quamuis post resurrectionem adhuc in terris ageret, nec ad cœlum sublatus esset visibiliter, vel (vt ipse fingis) inuisibiliter, quemadmodum regnum suum & gloriam habebit, cùm in mundo rursus appparebit vt homines iudicet. Non enim in descensu gloriam & regnum in cœlis deponet. Quid obstabat, quin gloriam suam & regnum patris haberet, quando post resurrectionem in terris vnà cum Apostolis versabatur? Profectò id obtinuit statim à resurrectione, vt corpus mortale atque corruptiuum in gloriam, incorruptionem, & immortalitatem fuerit immutatum, quod ad regnum patris & Christi gloriam pertinebat. Ascendit posteà, penetrans cœlos aspectabiles, & sese collocans in regione viuentium, ibi manebit, quemadmodum Petrus dixit, vsque ad tempora restitutionis omnium. Si diuinæ literæ assererent illum resurrectione statim recepisse cœlum, vel eò ascendisse, tibi fortasis aures adhiberem. At neq; Matthęus neque Lucas id testantur. Quare frustra illorum dicta videris citasse. Prius vtique Christum pati oportuit, quàm gloriam, resurrectionem & immortalitatem acciperet: & antea passus est, quàm spectantib. Apostolis in cœlum eleuaretur. Hæc planè suo gestasunt ordine: passionem præcedere necesse fuit, deinde tempore suo resurrectionem & ascensum ad cœlos consequi. Tu verò an dubitas patris regnum etiam in terris esse? Ille porrò vbiq; regnat, quamuis cœlum, de quo nunc agimus, non sit vbique. Christus itaq; à resurrectione habuit quando eò ascendit, non tamen simul eodemq; tempore fuit in cœlo & in terra.

Locus Hieronymi.

PAN. Ego verò nunc tibi referam, quid hac de re 3. Tomo ad Marcellam Hieronymus rescripserit. *Extrema inquit schedula continebat, vtrum post resurrectionem quadraginta diebus Dominus cùm discipulis conuersatus sit, & nunquam alibi fuerit, & latenter ad cœlum ascenderit atque descenderit, & nihilominus Apostolis suã præsentiam nõ negarit. Si Dominum Dei filium consideres, de quo sermo est, & illum esse qui loquitur, Nónne cœlum ego repleo, dicit Dominus? Et de quo alius propheta testatur, Cœlum mihi thronus & terra scabellum pedum meorum. Et rursus alibi, Qui tenet cœlum palmo, & terram pugillo. De quo Dauid, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. Et si habitauero in extremis maris: etenim ibi manus tua deducet me, & continebit me dextera tua. Profectò non ambiges etiam ante resurrectionem sic in dominico corpore habitasse Deum Verbum, vt in patre esset, & cœli circulum concluderet, atque in omnibus infusus esset & circumfusus, id est, vt cuncta penetraret interior, & contineret exterior. Stultum est igitur illius potentiam vnius corpusculi paruitate finiri, quem non capit cœlum: & tamen qui vbique erat, etiam in filio hominis totus erat. Diuina quippe natura, & Dei sermo in partes secari non potest, nec locis diuidi: sed cum vbique sit, totus vbique est. Erat igitur vno eodemque tempore & cum Apostolis quadraginta diebus, & cum angelis, & in patre, & extremis maris finibus, in omnibus locis versabatur, cum Thoma in India, cum petro Romæ, cum Andrea in Achaia, cum singulis Apostolis & apostolicis viris, in singulis cunctisque regionibus. Quod autem dicitur quosdam deserere, vel non deserere, non natura illius terminus ponitur, sed eorum merita describuntur, apud quos esse vel non esse dedignatur, &c.* Hactenus Hieronymus. Expendendum verò tibi est, quæstionem hic non fuisse de præsentia diuinitatis Christi, quam Marcella proculdubio non ignorabat, sed de præsentia humanitatis eius, An videlicet Christus post resurrectionem vsque ad diem ascensionis semper visibiliter Apostolis cum humanitate sua sit conuersatus an interea latenter in cœlũ ascenderit & descenderit. Hîc si Hieronymus cũ de Christi præsentia in omnib. locis & regionib. concionatur, præsentiam diuinitatis eius tantum intelligit, insignis sit impostor necesse est, quòd interrogatus de beta respondeat de cucurbita. Mulierecula nõ interrogauerat de præsentia diuinitatis, sed humanitatis. ORO. Quantum ex verbis Hieronymi colligitur, Marcella quæstionem proposuit de Domino Iesu Christo, qui duas in se naturas complectitur diuinã scilicet & humanam, eam autem interrogando respexisse ad humanitatem, quemadmodum tibi, sic & mihi fit verisimile. At Hieronymus animaduertens quòd illa suspicabatur, de latenti ascensu in cœlos & descensu quo ad naturam humanam concedit non posse, vt scilicet ea simul eodemque tempore in terra & in cœlis fuerit: Ad alteram partem, nempe ad naturam diuinam stylum vertit, & illam, personamque filij Dei prædicat esse vbique. Ad id verò quod rogabatur de latẽti ascensu nihil respõdet: quia è scripturis clancularis & latens ascensus in cœlũ quo ad naturam humanam confirmari nullo

Verbi potentia non finitur vnius corpusculi paruitate, dicit Hieronymus.

modo

modo poterat, nec etiam diuinitati, quæ infinita est, conueniebat. Est quippe sua immẽsitate vbiq; neque ob id ascendere neque descendere valet.

Quód autem sùum responsum ad naturam diuinã accõmodet, ex verbis, quib. vtitur, argumenta nõ leuia suggerũtur. Primùm quippe illã admonet, vt cogitet Dominum esse Dei filium, id est vtrũq; naturam in se habere, adijcitq; Deum verbum in corpore domnico habitasse. Ac volens ipsius Verbi naturam & potentiã declarare immensam, illam inquit non esse vnius corpusculi paruitate finiendã. Quid hæc sibi volũt? An si loqueretur de humanitate, diceret illius potẽtiam nõ esse finiendã eius corpusculi paruitate? Gregorius Nyssenus hoc dicit nõ esse credendum in
„ Orat. Catechetica scribẽs: Et quis hoc dicit quod
„ carnis circumscriptione tãquam vase aliquo in-
„ finitas deitatis circumscripta est? &c. Et mox:
„ Quid prohibet quãdã diuinę naturę vnionem &
„ appropinquationem ad humanã naturã cogno-
„ scere, & diuinitatis tamen intelligentiã, etiã in ea
„ appropinquatione cõseruare extra omnẽ circũ-
„ scriptionem credentes esse diuinitatẽ, etiam si sit
„ in hominibus? &c. Hæc indicant Dei naturã esse incircumscriptã, humanitatis autem circumscriptã. Quare necesse est, vt vna in immensum latius pateat quã altera. Profectò ib. Hieronymus agebat de ipso Verbo Dei: quod cũ latius pateat humano corpore in immensum, vbiq; reuera est: humanũm verò corpus finibus suis circũscribitur. Nec refert quod scribat de filio Dei, secũda inquã trinitatis persona, quod in hominis filio tota fuerit: quia id proculdubio sic est accipiendũ, vt iam ab initio nostri sermonis, (quemadmodũ te meminisse arbitror) fuit expositũ. Quod etiam mox ipse Hieronymus declarat. Nam inquit naturã diuinam, & Dei sermonẽ in partes nõ secari, nec locis diuidi. Nõ potuit is pater apertioribus verbis ostẽdere, se de natura diuina loq, nõ de humana. Aiso quippe, ac sermonis Dei apertissimè facit mẽtionem, & ab initio dixerat, Dei Verbũ & filium Dei eum esse, de quo proponebatur quæstio.

Proinde quod postea sequitur, dominũ eodem tempore vel in multis locis, vel vbique fuisse, dubium non est ad naturam diuinam spectare. Tu verò id respicis, Marcellã sciuisse deitatis præsentiam vbique confitendã, & idcirco de illa non interrogasse. Verũ hoc vel parũ vel nihil ad rem facit, quia generaliter de Iesu Christo interrogauit. Hieronymus autem ostendit iuxta quã naturam sit vbique. Nec, vt verba eius indicant, concedit vllum clanculariũ aut latentẽ ascẽsum. Dat verò id tantum, naturam diuinã esse vbique, ac omnia implere. Quod verbis Prophetarum luculenter confirmat, quorũ dicta satis constat naturã Christi humanam minimè respicere. Marcella, inquis, hoc sciebat. Fateor, sed hoc nõ obstat quominus Hieronymus in eo quod sciebat illam cõfirmare debuerit. Et cùm suam orationẽ deflexerit ad naturam diuinam, & humanitatẽ nõ attigerit, satis manifestè declarauit, se nolle tuam vbiquitatem ad naturam humanã extẽdere. Neque propterea tanquam impostor flagellandus est, cum interrogationi propositæ aptè responderit. Nempe Dominum esse quo ad naturã diuinã in multis locis, & vbique: Latentem verò ascensionem, quã fortassis Marcella suspicabatur humanitati attribuẽdã (vt ex verbis eius habetur) minimè approbauit. Quam etiã fidedisset, nil tibi patrocinaretur, qui humanitatẽ Christi ob hypostaticã vnionem esse vbique asseris. Vnde si vobis ipsis constare velitis, neque latenter, neque palàm ei licuit vel ascendere vel descendere. Potuit itaque Marcella ex respõso Hieronymi cognoscere illum naturæ humanæ vbiquitatẽ noluisse dare, cum de Deo Verbo, seu, natura diuina tantùm responderit.

PAN. Adducerem etiam locum Ambrosij nisi te vererer idem respõsurum. ORO. Per me tibi licet. Verũ si testimonia quę habes etiã tibi suspecta sunt, ipse considera, quã causam tuendã susceperis. Attamen proferas oro quid tandem habeas ex Ambrosio. PAN Super Lucã dum illud Christi dictum interpretatur, *Quodcunque supererogaueris, tibi reddam.* Spondet ergo, inquit, se rediturũ „ Quãdo reuerteris domine, nisi in die iudicij? Nã „ licet vbique sis tẽper, & stans in medio nostrũ nõ „ cerneris à nobis, erit tamẽ ẽpus quo vniuersa ca- „ ro te aspiciat reuertentem. Hæc Ambrosius qui „ vtique omnino loquitur de tota persona Christi quia humanitas eius in vnitatẽ personæ assumpta, non se tam libenter patitur à sua diuinitate auelli, quã facilè à vobis dicitur. ORO. Non est dictis conterẽdum tẽpus, vt ipse præuidisti. Nos istam præsentiam ad naturã diuinam referimus. Quod non soli, verũ vna cũ vestitoribus patribus facimus, & personã ipsã Christi, quæ diuina est, fatemur esse vbiq;, à qua tamẽ humanitas propterea nõ auellitur quod suo certo loco finiatur.

Ambrosij locus

Eustathius Antiochænus Episcopus apud Theodoretum ex Orat. habita super illo, *Dominus creauit me initium viarum suarum*, ait: Homo enim qui erat mortuus, tertio quidem die resurgit. Mariam autem, quæ propter animi fortitudinem ad sancta membra tangenda magna alacritate ferebatur, repellens, dixit, Ne me tangas nondum enim ascendi ad Patrẽ meum. Vade autem ad fratres meos, & dic illis, Ascendo ad patrẽ meum & ad patrem vestrum, Deũ meũ & Deum vestrum. illud autem, *Nondum ascendi ad Patrem meum*, non dixit Verbũ & Deus, qui è cœlo erat profectus & in sinu Patris versabatur, nec quę omnia genita contingit sapientia: Sed is qui ex omnibus membris erat cõpactus homo, hoc protulit: qui cum esset à mortuis excitatus, nondum post mortem ad Patrem ascẽderat, sibi autẽ profectionis primitias reponebat, &c.

Et Hippolytus Episcopus in Orat. in 23. psal mum apud Theodoretũ Dialogo 2. Venit ad portas cœlestes. Angeli vnà cum eo incedunt. Sunt autem portæ cœlorum clausæ: nondũ enim cœlum ascendit. Nunc primum videtur à cœlestibus potestatibus caro Christi ascendens &c. Quomodo itaq;, vt ipse arbitraris, etiam antea humanitas Christi fuit in cœlo? An ita fuit clanculariа ejus ascensio prior, vt etiam angelos & potestates latuerit? Et Athanasius ex quadam oratione apud eundem Theodoretum, Et spiritus adoptionis nõdũ erat in hominib. quia primitię acceptę

ex hominib. nondũ cœlum conſcenderant, &c.

Chryſoſtomus in Homilia de Aſcenſione, *Natura fragilis, natura contempta, in omnibus monſtrata deterior, omnia vicit, omnia ſuperauit, & omnibus hodierna die meruit excelſior reperiri. Hodie angeli diu vota deſiderata receperunt: hodie Archangeli, quod multo tempore cupiebant, inſpicere valuerunt, naturam noſtram in ſe de dominica.* &c.

PAN. A patrib. libet ad ſcripturas diuinas rurſus concedere, vt oſtendá non tantùm à reſurrectionis & aſcenſionis tempore Chriſtũ aſcẽdiſſe inuiſibiliter cœlum, ſed id iam inde ab initio feciſſe, in momento incarnationis. Tum enim primùm aſcendit inuiſibiliter in cœlum, & ad Dexteram Dei patris ſui conſedit, propter hypoſtaticam duarum naturarum vnionem in Chriſto, quæ ab initio incarnationis facta eſt. Nam ſi deitas & humanitas Chriſti vna ſunt & inſeparabilis perſona, certè negari non poteſt, quin cùm filius Dei aſſumpſit in vtero matris filiũ hominis in vnitatem perſonę, continuò euexerit & collocauerit eum in ea Maieſtate & gloria, in qua ipſe ab æterno apud patrem ſuum fuit. Nondum paſſus erat mortem, cùm coram diſcipulis transfiguratus eſt in monte, quo ſpectáculo, cùm Maieſtatis ſuæ quaſi guſtum quendam diſcipulis pręberet, palàm ſignificauit, cœleſtem Maieſtatem ſibi nec hactenus ab initio incarnationis defuiſſe nec vnquam in æternum defuturam. *Nemo*, inquit, *aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo.* Qui deſcendit, inquit, de cœlo. Et quando hoc factum eſt? Quando aſſumpſit in vtero matris Filium hominis in eandem perſonam. Itaque & tum aſcendit Filius hominis in cœlum, & eſt deinceps in cœlo, etiamſi in terra omni contumeliarum genere afficiatur. ORO. Iam videris mihi tua principia retinere. Cauſam quippe facis eius, quam tueris, vbiquitatis, hypoſtaticam vnionem duarũ naturarum in Chriſto, quæ cùm ab initio incarnationis conſtiterit, mirabar te paulò ante illius initium ponere à reſurrectione. Ideò te conabar in viá reducere. Nũc quando tua ſpontè id feciſti, reddita eſt diſputatio facilior. Duo verò teſtimonia, quæ adduxiſti, tuæ cauſæ nihil ſuffragantur. Scimus quippè, Chriſtum eſſe transfiguratum, & vt ſuæ gloriæ guſtum aliquem daret Apoſtolis, patefeciſſe lucem, claritatem, & candorem tam admirandum, vt oculi Apoſtolorum ea ferre non potuerint. Verùm tu mihi explices, quomodo ex eo facto probetur, illum tum fuiſſe quoad humanitatem in cœlis? In monte Thabor definito & certo loco, quemadmodum teſtantur Euangeliſtæ, illa res gerebatur: nec illorũ quiſquam prodidit, eum tum tẽporis, quod attinet ad corpus, vel in cœlis vel Hieroſolymis, vel in Bethania fuiſſe. Moſes item & Helias, qui adfuerunt, non loquebantur inter ſe de illius corpore, quod eſſet vbique. Vox etiam paterna, quæ inſonuit, id minimè teſtata eſt. Dixit tantúmodò: *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Adhęc tres Apoſtoli, qui aderant nihil huiuſmodi patefecerũt. Quomodo igitur ex transfiguratione tuá colligis vbiquitatẽ? Maieſtatem paternã Chriſto tum adfuiſſe, nec vnquã de fuiſſe, licet illã non voluerit paſſim exerere, minimè abnuo: ſed nego prorſus hoc dato conſequi, eius humanitatem, & in cœlo & vbique fuiſſe.

Ex transfiguratione minimè colligitur vbiquitas.

PAN. Vnus attamen ex ijs qui adfuerunt, Ioannes inquam, ſcripſit cap. 3. quemadmodum retuli, *Nemo aſcendit in cœlum*, &c. ORO. Non tunc agebatur de Transfiguratione, ſed Nicodemi, quamuis magiſtri in Iſrael, imperitia, Chriſtiana gigiſterio caſtigabatur. Deinde locus admodum planus eſt ac perſpicuus, niſi tu de induſtria eum infuſcares. Dixit enim Chriſtus, neminem ex hominibus in cœlum aſcendere, niſi eum qui antea deſcendit. Prius itaque Filius Dei hoc eſt, ſecunda Trinitatis perſona de cœlo deſcẽdit, id eſt ſe deiecit ad carnem ſuſcipiẽdam ex vtero matris. Nec poteſt filium hominis intelligi de cœlo deſcendiſſe quo ad humanitatem, quaſi de cœlo eam attulerit, nec illam ex vtero virginis acceperit. Dumque poſteà ipſum appellat Filium hominis, perſonam diuinam Filij hominis vocabulo demonſtrat, cui iam cùm loquebatur natura humana erat vnita, & ita vnita, vt Chriſtus perſonam ſuam, modo ab vna, modò ab altera natura nominet, ſed frequentius ab humana, quoniam ea conſpiciebatur. Interea nihilominus aſcenſus in cœlum & deſcenſus meminit, quo Nicodemum ad ſuam diuinitatem manu duceret, ne illum putaret Magiſtrum vulgarem, vt erant ſcribæ ac phariſæi: neque talem, vt antiquitus erant Prophetæ, ſed crederet illum nõ tantùm hominem, ſed Filium Dei & Deum eſſe.

Locus, Nemo aſcendit in cœlum.

Chriſtum verò, quoad diuinitatẽ de cœlo deſcendiſſe, & tamen in cœlo fuiſſe quamuis nomen filij hominis interponatur, oſtendit Cyrillus in libro de incarnatione Vnigeniti, dicens: *Et à cœlo enim homo eſt Chriſtus licet carnem ſanctæ Virgo pepererit. Quomodo igitur deſuper & de cœlo? Deus enim Verbum, quod eſt deſuper & ex patre, carnem ex Virgine ſanctæ accipiens, & eam ſuam propriamq; exiſtimans, tanquam ſi eam de ſuper & de cœlo detuliſſet, dicebat: Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Ea enim quæ ſua ſunt propriæ carni ſemper attribuit. Adunatum verò ſemel, iam cũ ipſa vnum ſcilicet æſtimabitur.* Hæc etiam verba Cyrilli ſuperius tibi retuli, cũ de cõmunicatione ἰδιωμάτων loqueremur, & locum Ioannis, quem tibi modò viſum eſt repetere, fuſius expoſui. Quod verò tu conaris hinc elicere naturá humanam domini è veſtigio ab incarnatione fuiſſe in cœlum euectã, ita vt ſimul eodemq; tempore tum in vtero Virginis eſſet, tum in cœlo, tum etiá vbiq;, nulla id ratione facis. Largiar tibi quidem illam perſonam, quæ naturam humanam aſſumpſerat, in cœlo & vbiq; fuiſſe: at corpori Chriſti minimè id eſſe dandum, prorſus affirmo. Neque vllo modo patiar, vt ex vnione hypoſtatica, quam paſſim & ad vnumquodque verbum prædicas, mihi obtrudas credendum quicquid volueris.

Cyrillus.

PAN. Annòn etiam Paulus dicit: *Regnum Dei eſt Iuſtitia, pax & gaudium in ſpiritu ſancto?* Chriſtus autem habuit omnem Iuſtitiam, & omnem cum patre ſuo pacem, omneque in ſpiritu ſancto gaudium, etiam priuſquam reſurgeret à mortuis, & in cœlum viſibiliter aſcenderet.

Negari

Negari ergo non potest, quin & tunc fuerit in regno patris sui. ORO. Verum quidem est, Iesum Christũ fuisse in regno patris sui, etiam cùm in terris ageret ante mortem, licet illud noluerit patefacere. At nõ cõsequitur, eius humanitatem fuisse in cœlo & vbique. Potest enim regnũ Dei latius patere, quàm humanum corpus, quod in eo esse conceditur. Multa, si rectè meministi, de hoc paralogismi genere dixi, Nunc addam, ex eo infirmitatẽ argumenti constare, quòd Christus Lucę 17. dixit Apostolis, *Regnum Dei intra vos est:* nec tamen inde quisquã conficeret, Apostolos & credẽtes fuisse vbiq;. Proinde nolim te mea patiẽtia sic abuti, vt hoc genere argumentorum agas.

Regnum Dei latius patet quàm humanum corpus.

PAN. Quando hæc ad tuum palatum non faciunt, id saltẽ mihi respõde, Nonne Christum credis, dum in terris egit, & grauia pro nobis passus est, illum interea sibi retinuisse Maiestatem suam, licet occultam? ORO. Credo. Quin & adijcio, illum non sic eam dissimulasse, quin aliquoties manifestis argumentis ipsam indicarit. Nam quadraginta diebus ac noctibus ieiunauit, super aquas ambulauit, inuisibilem se reddidit, mortuos tactu suscitauit, & corã discipulis corpus suum magna claritate ac gloria transformauit, aliaque permulta huius generis fecit, quæ diuinitati eius testimoniũ ferebant. PAN. Cùm res hoc pacto, vt dicis, habeat, mirandum vehementer est, cum vos qui admitis humanitati Christi suam cœlestem cum in cœlo & in terra, tum præcipuè in Cœna Dominica præsentiam, necesse habeatis multa spiritualia & cœlestia ornamenta, corporibus etiam aliorum hominum absque substãtiæ ipsorum immutatione tam in hoc quàm in futuro seculo cõsedere, non tamen eandem aut etiam excellentiorem Maiestatem illi corpori, quod in persona Christi cum diuinitate eius hypostaticè vnitum est, velle tribuere.

ORO. Non planè intelligo quid tibi velis. Nos enim Christo cœlestẽ præsentiam non adimimus. Nam cum sit Deus, illum quo ad diuinitatẽ vbique esse affirmamus, & Cœnæ suæ adesse nunquam negauimus. Interest quidem non tantũ diuinitate ac spiritu suo, verum etiã corpore ac sanguine, præsentia vtique, non vt vos passim crepatis reali, corporali, & substãtiali, sed præsentia fidei, quæ facit illa esse præsentia quo ad spiritum & animum credentium, quæ locorum spacio maximè distant. Verũ hoc argumentum in præsentia non decreui tractare. Quare de illa plura dicere supersedebo.

Tu verò (si videtur) clarius explicato, quæ cogamur aliorũ hominum corporibus ornamẽta dare absque substantiæ illorum immutatione Cęterum priusquam hoc me doceas, id accipito, alienum prorsus à nobis esse, vt corpori Christi negemus parem aut excellẽtiorem Maiestatem, quàm alijs corporibus demus, cùm (ceu crebro testatus sum) Christi humanitatem sentiam, & profitear omnes creaturas dignitate, potentia & Maiestate antecellere. PAN. Cogita quæso mihi quàm absurdæ rerum mutationes fierent, si firmũ & fixum teneamus, quòd vbi rerũ substãtijs accidũt, diuino miraculo ὑπερφυῶς statim substãtiæ ipsæ mutentur necesse sit. Vultus Mosis tanto splendore fulget, vt Israelitæ non possint in eum intendere. Elias corpore suo subuehitur in cœlum, Petrus corpore suo ambulat in mari, tanquam in arida, Philippus euanescit de repẽte ex oculis Euuuchi: Paulus rapitur in tertium cœlum, & in paradisum, & nescit an in corpore, an extra corpus. Atq; hæc quidẽ ὑπερφυῶς in hoc seculo humanis corporibus non immutata ipsorum substantia, mirabiliter contigerũt. Sed quid? Non tantùm hominum, verùm etiam aliarum rerum tã animatarũ, quàm inanimatarum corporibus multa ὑπερφυῶς accidere solẽt, manente interim substantia earum inuiolata. Asina Bileam loquitur, sicut homo. Aqua maris rubri stat vtrinque quasi murus. In Iosue Sol & Luna stant per vnum diem immobiles, & tamen natura eorum est, vt indesinenter currant. Plato ait, Solẽ & Lunam à veteribus dici θεοὺς, hoc est, cursores, quod sẽper solent θεῖν hoc est, currere. Et Aristoteles scribit, nullum esse finem motus cœlestis. Nũ igitur interea dum Sol & Luna stãt contra Gibeon immobiles, non retinuerunt suã substantiam & Sol nõ mansit Sol, nec Luna mansit Luna? In 4. lib. Reg. ferrum natat in superficie aquæ, & tamẽ manet ferri substãtia, etiamsi grauitas cedat. Dices, aut angelũ aut Deũ ipsũ supposuisse manũ ferro, vt in altũ sustolleretur: Rectè nec nos affirmamus quę ὑπερφυῶς accidũt corpori Christi, accidãt ei absq; potẽtia manus Dei. Et apud Danielẽ ignis in cãtum non lædit adolescentes, vt ne quidem capillos capitis eorum adureret. Sed de miraculis corporum in hoc seculo hactenus. In futuro autem seculo in resurrectione corpora humana etsi ornabuntur cœlesti gloria, non tamen non erunt vera corpora. ORO. Multa sanè Dei miracula Pantache recensuisti, & quidem lingua tam volubili, vt oratio tua instar fluuij seu torrẽtis ferri videretur. Sed quorsum? Vt ostenderes corpora tum humana tum aliarum rerum non fuisse immutata substantia sua, licet illis quædam transnaturalia contigerint. Et ideò (quantum assequor) vis conficere, neque substãtiã corporis Christi mutari, quamuis ei super naturã (vt opinamini) adiecta est vbiquitas. Verùm enimvero ad hanc tuam argumentationem duplex responsum potest reddi: Primum, quæ tu mira celeritate narrasti, sacris literis contineri; & idcirco à nobis citra exceptionem esse credẽda. Sed non adhuc sacris testimonijs probasti, corpus Christi simul esse, aut in multis locis, aut vbique. Propterea minimè cogor id tibi æquè dare ac illa quæ comme morasti Et sanè cùm diceres, attentè animũ aduertebam, an demonstrares ijs censendis quæ percurristi, aliquod humanum corpus aliquando simul in multis locis aut vbique fuisse: quod cum abs te non sit ostensum, hac allata inductione parùm, imò nihil, profeciſti. Deinde te scire oportet ea transnaturalia, de quibus tam copiosè disseruisti corpori cum humano tum aliarum rerum non auferre terminos, line amẽta & circũscriptionem, sine quib. constare nõ possũt, vt vestra facit vbiquitas. Quocirca in eis facilè potuit eadẽ substã-

Excutitur argumentum à miraculis.

tia manere, quamuis nouæ ac miræ qualitates acceſſerunt. Nam illæ vtut eſſent excellentes & admirandæ, ſubiecta ſua non reddebant infinita & immenſa, vt veſtra facit vbiquitas. Quamobrẽ certò ſcito, nihil te promoturum eſſe, niſi eã vel in ſacris literis haberi demonſtraueris, vel eſſe rem parem atque conſimilem ijs, quæ paulò antè memoraſti.

PAN. Etſi nihil profeci te iudice tot enumeratis admirandis rebus, pergam tamen vlterius, & experiar, an queam pluribus adhuc allatis corporum dotibus te de ſententia deducere. Theologi narrant in ſcholis quatuor eſſe dotes, quibus humana corpora poſt reſurrectionem ornabuntur, nimirum impaſsibilitatem, Claritatem, Subtilitatem & Agilitatem. *Seminatur*, inquit Paulus, *in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale.* Et mox: *Sicut portauimus imaginem terreni, ita portabimus imaginem cæleſtis.* Et Auguſtinus, *Credere*, inquit *debemus talia corpora nos habituros vt vbi velimus, quando voluerimus, ibi ſimus. Non ſine cauſa illa corpora ſpiritalia nuncupata ſunt: non tamen ideò dicta ſunt ſpiritalia, quia erunt ſpiritus non corpora. Nam ipſa quæ modo habemus, dicuntur animalia corpora, & tamen animæ non ſunt, ſed corpora. Sic illa ſpiritalia dicuntur, ſed non ſunt ſpiritus, niſi quia ad nutum ſpiritus ſeruient*, &c. Et mox: *Vbi volueris, eris, ſed à Deo non recedes. Vbi volueris eris, ſed, quocunque ieris, Deum tuũ habebis.* Audis quãta Maieſtas, quantæ dotes humanis corporibus diuinitus contingant, & putas tu non multò plures & illuſtriores & diuiniores illi corpori quod eſt à filio Dei in vnitatem perſonæ in hypoſtaticam vnionem aſſumptũ, contingere abſque ſubſtantiæ mutatione poſſe?

ORO. Dotes illas Impaſsibilitatis, Claritatis, Subtilitatis, & Agilitatis corporum beatorũ facilè recipio, præſertim cum inter eas tua Vbiquitas non connumeretur: & quidẽ rectè: nam omnes alias corrumperet. Diuerſas quoq; Pauli ſeminationes libens admitto. Non enim dicit, Nunc ſeminatur corpus in loco, reſurget corpus, abſque loco: ſeminatur nunc finitũ ac terminatum corpus, tum ſurget immenſũ & infinitum, quod omnia repleat. Nec me offendit Auguſtinus, cum ait, Nos talia eſſe habituros corpora, vt ibi ſimus, vbi velimus: quia dũ ſic loquitur, meam ſententiam confirmat. Vtitur quippe aduerbijs Vbi, & Ibi, quæ ad locum pertinent. Vnde conficitur, non fore illa corpora ſine loco. Tu modò illũ ſciſciteris, quomodo vltra orbes cœleſtes ſit ambiens corpus vt mihi eſt veriſimile. Quòd illa inquit ſeruitura eſſe ad nutũ ſpiritus rectè ſcribit: quia ſpiritus, cum ſit prudens, nunquam id volet, quod impoſſibile factu viderit, nimirum vt ſuum corpus ſimul ſit in varijs locis aut omnia impleat. Placet item, quod ait, Nos à Deo non eſſe receſſuros vbicunque fuerimus, aut eſſe voluerimus. Admodum ſapienter loquitur: non enim affirmat, nos futuros vbicũq; Deus fuerit. Et vtitur his aduerbijs loci Vbi, & Quocunq;: vnde colligimus noſtra corpora tum fore in loco, licet ſint vltra cœlos euehenda. Noui prętereà non minus ac tu magnas & præclaras dotes dãdas eſſe diuinitus humanis corporibus. Et perſuaſiſſimum habeo, Chriſti corpus multò plures, maiores & excellentiores iam eſſe conſecutum, idq; citra ſubſtantiæ ſuæ immutationem Sed vbiquitatem excipio quoniã ab ea ſubſtantia corporis eius nõ ſolũ immutaretur, ſed etiam funditus perderetur.

PAN. Id libet adhæc adijcere, Auguſtinũ & multos alios exiſtimare, Chriſtum in natiuitate ſua tranſiuiſſe per clauſum vterum maternum, & à reſurrectione per clauſa oſtia ad diſcipulos. *Quid mirum*, inquit *ſi dominus ad diſcipulos glorificatum corpus clauſtris ſtupentibus intromiſit, qui illæſo materni pudoris ſignaculo ianuam mũdi huius intrauit? Cuius ortum naturæ neſciunt, non dubites ſi potentiam exercere videas triumphantem, quem tam ſtupenda perſpicis egiſſe naſcentem. Et iterum: Quid mirũ ſi ſubſtãtiã corporis noſtri per clauſa oſſia tranſmiſit, cui etiam penetralia ſupernorum & ſolis angelis familiare ſecretum patere conſueuit*, &c. Hactenus Auguſtinus. Alij tradunt, corpus glorioſum tranſire ſphæras cœlorum ſine illarum diuiſione. Siue autem hoc fiat ex vi ſubtilitatis (vt ipſi loquũtur) ſiue ex virtute diuinæ potentiæ, certèduo corpora in vno loco ſint neceſſe eſt, quod non minus miraculũ eſt, quàm ſi vnum corpus fuerit ſimul in duobus aut pluribus locis. Ac breuiter, ſi filius Dei non dedignatus eſt Filium hominis in hypoſtaticam & inſeparabilem vnionem aſſumere & ſecum ad dexteram Dei euehere, non dedignatur etiam in eum omnem ſuam cœleſtem Maieſtatem, ſeruata interim ſubſtantia eius, conferre. Quare, tantũ abeſt vt viſibilis aſcenſus Chriſti in cœlum, & ſeſſio eius ad dexteram Dei patris impedimento ſint, quo minus corpus & ſanguis eius ſint verè & realiter præſentia in Cœna, vt id maximè omnium ſtabiliant & confirment: Nec potes ea à Cœna eijcere, niſi ſimul etiam ea de dextera patris detraxeris. ORO. Tuum hoc auctariũ cauſam quam defendendam ſuſcepiſti, non tuetur. Nam quę abs te ſumũtur, minimè firma ſunt, neque omnes de illis eodem modo loquuntur. Nam vterum Virginis poſt partũ manſiſſe clauſum verba Lucæ videntur negare. Sic enim ſcribit cap. 2. *Poſtquam completi eſſent dies purgationis eorum, ſecundum legem Moſis adduxerunt eum Hieroſolymam, vt ſiſterent illum domino, ſicut ſcriptum eſt in lege domini: Omne maſculinum adaperiens vuluã, ſanctũ domino vocabitur.* Fruſtra lex illa induceretur, ſi Chriſtus matris vterum naſcendo non aperuiſſet.

An vterus virginis manſerit clauſus in natiuitate domini.

Sed quia rationem hanc facilè poſſes cauillari dicendo, Chriſtum idcirco fuiſſe adductum in templum, ne alij offenderentur, qui Virginem peperiſſe ignorabant, & animaduertentes non obſeruari quæ lex præcipiebat, nõ tantũ deteſtati eſſent puerum, pro quo facta non fuiſſet oblatio, verum etiam Ioſephum & Mariam vt trãſgreſſores diuinæ legis accuſaſſent, Ideo quorundam interpretum hanc de re ſententiam tibi recitare nõ grauabor. Origenes ſuper Lucam exponens hunc locum, ita ſcribit: *Omne maſculinum*

Origenes.

quod

quod aperit vuluam, sacratum quippiam sonat. Quemcũque enim de vtero effusum marem dixeris, non sic aperit vuluam matris suæ, vt Dominus Iesus: quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulnam reserat. Matris verò domini eo tempore vulua reserata est, quo & partus editus: quia sanctum vterum & omni dignatione venerationis venerandum ante nativitatem Christi masculus omnino non tetigit, &c. Intelligis iam opinor, quid ista de re senserit Origenes. PAN. ille sæpe à vero aberrat: propterea dicta eius non magnifacio, ORO. Sed cùm habuerit permultos reprehensores, huius attamen erroris (vt ipse putas) nunquam est accusatus. possem etiam adducere Tertullianum de carne Christi, at supersedeo, quia & illum vt hæreticum hominem reijceres.

Verùm audias Ambrosium, quem inficari nõ poteris ætate sua fuisse incredibilis authoritatis. Ille quoque super Lucam ita scripsit: *Hic ergo solus aperuit sibi vuluam. Nec mirum: hic enim dixerat ad prophetam, priusquam te formarem in vtero, noui te, & in vulua matris sanctificaui te. Quia ergo vuluam sanctificauit alienam, vt nasceretur propheta, hic est qui aperuit matris suæ vuluam, vt immaculatus exiret, &c.* Hæc ille.

Ambrosius

Hieronymus item 1. Tomo ad Eustochium De custodia virginitatis, ait, *Dei filius pro nostra salute hominis factus est filius. Nouem mensibus in vtero vt nascatur expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur, pannis inuoluitur, blanditijs delinitur, &c.* proinde vides quàm dubium tuæ rationis fundamentũ ieceris. Interim non ignoro quid hac de re Hieronymus contra Heluidium disputarit. Cũ Heluidio non facio, neque virginitatem Mariæ incorruptam hisce patrum testimonijs in dubium reuocatam velim. Et scio locum Ezechielis 44. de porta clausa consueuisse à celeberrimis patribus ad beatam virginem adaptari, quemadmodum & Ambrosius cum quibusdam alijs episcopis 81. epistola libro 10. fecit. Ideò cum scripturis tradatur eam peperisse virginem, quodque ipse tibi sumis ab illis non doceatur, authoritate caret quod affirmas: vnde responsione longiori non indiget.

Deinde quod posteà subijcis Christum à resurrectione per ostia clausa intrasse ad discipulos nihilo plus habet firmitatis. Non enim tradit Euangelista dominum esse ingressum ostijs manẽtibus clausis, vnde intelligere possumus, ianuas ad eius accessum vel ingressum fuisse clausas. Nec est absimile vero illas continuo ipsius præsentiæ cessisse, quod non vulgare miraculũ fuit. Sic etiam mare rubrum virgæ Mosis cessit. Domino itaque cum vellet ingredi fores vltrò cesserunt. Mitto illum potuisse per fenestras, vel per tecta ingredi, vel vndecũque voluerit. Nõ enim eius corpori vel agilitatem vel subtilitatem adimo. potuit ascendere videntibus Apostolis in cœlum, & non potuit aut ad tectum, aut ad fenestras illius domus pertingere? Quãmobrem (vt arbitror) agnoscis duo illa quæ tibi ex Augustino sumpsisti, non esse tam firma quin possint reijci. Quare nihil ex illis certa connexione potes conficere.

De ingressu Christi ianuis clausis

Soletis etiã ex eo argumentum ducere, quòd Christi corpus è monumento clauso exierit, cum à mortuis resurgeret, quod nec Euangelista dicit, nec ab omnibus patribus est probatum. Leo quippe Romanus Episcopus & primus eius nominis in epistola 97. ad Leonem Augustum cap. 2. ita scribit, *Dicent ergo isti hypocritæ qui cæcis mentibus lumen nolunt recipere veritatis, in qua forma crucis ligno dominus maiestatis Christus affixus sit? quid iacuerit in sepulchro? & reuoluto monumẽti lapide quæ tertio die caro resurrexerit? &c.* Quin & antea in Epistola 83. ad palæstinos Episcopos eandem sententiam ac fere totidem verbis expressit.

An Christus è monumento clauso egressus sit.

Non dissimilis est farinæ quod adijcis. Corpus glorioſum transire sphæras cœlorum, citra illarum diuisionem. Eius fides penes authores esto. Scripturæ nos id credere minimè iubent. De Beato Stephano sanè in Actis Apostolicis legitur, eum vidisse cœlos apertos. Quod si vt viso suo penetraret ad Christum, cœli aperti sunt, quis neget sanctis ascendentibus ad regionem viuorum orbes cœlestes esse cessuros? Si tamen permanebunt vsque ad extremum diem.

An corpora sphæras cælorũ transeant citrà illarũ scisciõẽ.

Id etiam quod est incertum, vt confessum & verissimum tibi sumis, non minus esse miraculum, si duo corpora simul eundem locum occupent, quàm si vnum corpus omnia loca impleat. Si quis tibi hoc negaret, aut diceret sibi non liquere, vnde confirmationem tui dicti peteres? Scio philosophos vtrunque negare: sed nescio an affirment parem vtrinque absurditatẽ. Neque tu demonstras hoc ita se habere, quemadmodum pronuncias.

Rursus postea, sed frustrà, cuculi cantilenam repetis, Verbum Deum omnem suam Maiestatem contulisse carni quam assumpserat, ob hypostaticam vnionem. Omnem quidem contulit, quantam illa ferre potuit. Verbum Dei non fuit instar Iouis Ethnicorum, de quo poetæ fabulantur, eum gratificari voluisse amicæ quam deperibat, & illi eo splendore ac Maiestate adfuisse, qua reuera in sua natura pollebat. Verùm hoc ei cùm dedisset, illam miserabiliter extinxit. At filius Dei naturam humanam quam assumpsit, vult seruare, non autem perdere. Christi autem humanitas qui seruari poterit cum vestra vbiquitate? cùm sit necesse vt infinita & immensa euadat, si naturæ diuinæ coextendatur?

Quàm autem rectè atque constanter sessio ad dexteram patris, & ascensus in cœlum inferant corpus & sanguinem Christi realiter & substantialiter esse in Cœna, vel in pluribus locis eodẽ tempore, nunc non attinet dicere, quia superius demonstratum est, etiam si dextera patris sit in multis locis aut vbique, non inde fieri vt qui ad illam sedet pariter sit vbique: cœlum verò ponẽdum esse vbique nulli annuent, nisi qui vehemẽter desipiant.

Ad extremũ & mihi & meis exprobras, quòd è cœna corpus & sanguinem Christi conemur eijcere. Calumniaris hæc dicendo, non doces. Neque quod sentis profers. Cùm enim te, non lateat, nos monstrosæ vestræ præsentiæ in Cœna corporis & sanguinis Christi nõ assentiri, cur

dicis nos conari ea inde eijcere? Nimis fatui essemus, si niteremur alicunde aliquid eijcere, quod adesse non putaremus. At vicissim tu sic habeto, Vos non posse corpus & sanguinẽ Christi corporaliter & substãtialiter pani ac vino Cœnæ dominicę coniũgere, nisi è cœlo ea detraxeritis: quoniam in pluribus locis simul esse nõ possunt. Nec tu prudenter colligis ac ratiocinaris humanitatem Christi à dextera Patris esse auellendam, si præsens aliquibus locis esse negetur, cum dextera Patris illam multis modis amplitudine vincat,

DE PRAESENTIA CORPORIS CHRISTI LOCVS VI.

SEd post quã tam fortiter asseueras corpus & sanguinẽ domini adesse pani ac vino Cœnę sacrę, quo genere præsẽtiæ dicis ibi esse? PAN. Hæc nostra sententia est: In cœna, vbi est Verbum & mandatum Christi, accipitur corpus & sanguis eius, vt cum hæc antea ex personali vnione duarum naturarum in Christo, & ex sessione ad dexteram patris, verè quidem, non autem localiter sed personaliter & cœlesti modo præsentia sint, nunc fiant etiam præsentia definitiuè. Definit enim Christus verbo suo, vbi vellt corpus & sanguinem suum vt sumantur dispensare. Hanc definitionẽ vocamus alias Consecrationem. ORO. Deus bone, quid ego audio? Erant igitur ante Cœnę administrationem, aliàs præsẽtia in pane ac vino corpus & sanguis domini personaliter & cœlesti modo? Non arbitror te velle, cum Cœna inter fideles incipit agi, personalem illam & cœlestẽ præsentiam desinere. PAN. Cur desinat? Semper enim illa eodem modo sunt omnibus rebus præsentia, & vbique: postea verò ibidem, scilicet in Cœna fiunt præsentia definitiuè. ORO. Iã (vt video) pro vna præsentia multas habebimus. Et adeò fœcundi estis artifices, vt vestra industria, illa præsentia non solùm conduplicetur, sed triplicetur. Est enim in vestra Eucharistia præsentia corporis & sanguinis Christi, primùm personalis, deinde cœlestis, tertiò definitiua, seu consecrationalis. Vah, quis obsecro tantum acumen, tantãue subtilitatem posset assequi? PAN. Non est in sacris rebus ita ridendum. Religiosa sunt religiosè, non ridiculè tractanda. ORO. Absit, vt à me vel sacra vel religiosa rideantur. Vestra sunt Pantache figmenta, quę mihi risum mouerunt, non res diuinæ. Sed cum id te offendat, mihi temperabo.

Sed videtur (vt ad rem institutam redeam) ad tuum hoc dogma consequi, etiam impios & destitutos omni fide ad Cœnam Domini (vt fit) impudenter accedentes verè corpore ac sanguine Christi vesci. PAN. Quidni? Omnino est necesse, atque ita sentimus. Quod vt abs te clarè intelligatur, sic accipe. Cum ex personali duarum naturarum vnione in Christo, & ex verbo Christi cõstet, corpus & sanguinem eius verè ac substantialiter in Cœna adesse & distribui, mendacium hypocritarum & sceleratorum hominum non est tanti, vt veritatem verbi Dei euertat. *Incredulitas*, inquit Paulus, *illorum, fidem Dei non facit irritam.* Ac sumunt illi quidem corpus & sanguinem Christi in Cœna, tantum autem abest vt salutarem harum rerum fructum percipiant, vt potius periculum æternæ salutis hac sumptione illis creetur, iuxtam dictum Pauli, *Qui edit & bibit indignè, iudicium sibi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Et quid mirum? An non Deus ipse, qui cœlum & terram replet, in quo omnes sumus, viuimus, & mouemur, natura sua non est nisi iustitia, charitas, rectitudo, vita, lux, veritas, & felicitas: & tamen hominibus peruersis iuxta Psalmũ est peruersus, iniustis iniustus, excæcatis excæcatio, mendacibus mendacium, non quidem vitio Dei, sed vitio hominum impiorum, qui sibi talem Deum fingunt, quales ipsi sunt? Annòn Euangelium Christi, Dei sapientia & potentia est ad salutẽ omni credenti: & tamen stultis est stultitia, & pereuntibus exitium? Audi mihi Christum ipsum. *In iudicium*, inquit, *veni in hunc mundũ vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Fiunt autem cęci, non quia Christus non sit lux, sed quia ipsi sunt tenebrę, qui cum hac luce pugnant & suo ipsorum vitio excæcantur. Quare etsi corpus & sanguis Christi in Cœna sunt credentibus & cibus & potus ad vitam æternam, tamen hypocritæ & impœnitentes edunt & bibunt sibi iudicium seu damnationẽ, quòd quę sunt maximè salutaria, sua ipsorũ impietate abutãtur. ORO. Equidem hac de re tecum disputans, non contendo sceleratorum incredulitatem fidem abrogare Deo, ille quippè fidelis manet, neque seipsum negare potest, quantumuis homines perfidi sint & increduli. Sed rationes, quibus affirmo impios, cum sunt in sacra Cœna, neque corpore neque sanguine Christi vesci, aliunde sumo: nẽpe quòd fide illa percipiantur, qua cum destituti sint infideles, sacramento quidem externo possunt vti, verum à re sacramenti excluduntur. Deinde alimonia corporis & sanguinis Domini vitam æternam secum inuisibili nexu coniunctam habet, vt 6. Ican. luculẽtissimè docemur. Et huic sententiæ multos Patres habeo suffragatores.

An impij sumant corpus & sanguinem Christi.

Fide percipitur corpus & sanguis Christi.

Origenes in Matth. cap. 15. in locum illum *Quod intrat in os*, &c. ita scribit: *Multa porrò & de ipso Verbo dici possent, quod factum est Caro, verusq; cibus, quem qui comederis, omnino viuet in æternum, quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri posset, vt qui malus adhuc perseuerat, edat Verbum factum carnem, cùm sit Verbum & Panis vitæ, nequaquam scriptum fuisset Quisquis ederit panem hunc, viuet in æternum.* *Cibus corporis & sanguinis Christi habet coniunctam vitam æternã Origenes.*

Et Augustinus in Ioan. Tract. 26. ait, *Videte fratres panem cœlestem, spirituali ore manducate*, &c. Et ibidem: *Credere enim in eum, hoc est manducare panem viuum*, &c. Et paulo antè in Tract. 25. *Quid paras dentem & ventrem? Crede & manducasti* &c. Quod proculdubio à Cypriano mutuatus est. Idem autor præterea 26. Tract. in Ioannem, ait: *Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus proculdubio non manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet visibiliter & carnaliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit.* Ac in eodem Tract. rursus idem testatur *Augustinus.*

ſtatur, dicens: *Et de menſa dominica ſumitur quibuſdã ad vitam, quibuſdam ad exitium. Res verò ipſa cuius ſacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitium quicunque eius particeps fuerit*, &c. Quis hîc non intelligat rem Sacramenti, hoc eſt corpus & ſanguinem Chriſti à nemine ſumi poſſe ad exitium?

His addas de Ciuitate Dei lib. 21. cap. 25. ita ſcribi. *Qui ergò eſt in eius corporis vnitate, id eſt in Chriſtianorum compage membrorum, cuius corporis ſacramentum fideles cõmunicantes de altari ſumere conſueuerunt, ipſe verè dicendus eſt manducare corpus Chriſti, & bibere ſanguinem Chriſti, ac per hoc hæretici, & ſchiſmatici ab huius vnitate corporis ſeparati, poſſunt idem percipere ſacramentũ, ſed non ſibi vtile. Imò verò etiã noxium quo indicentur grauius, vel tardius liberẽtur*, &c. Hic ait, Vnitum corpori Chriſti, quod eſt eccleſia, verè corpus Chriſti manducare: hæreticos verò & ſchiſmaticos ſacramentum poſſe percipere, rem verò ſacramenti nequaquam. Et mox idem ſtatuit ſcribendo. *Non dicendum eſt eum manducare corpus Chriſti qui in corpore non eſt Chriſti*, &c. Apertius idẽ inculcat ſubijciens, *Nec iſti ergo dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti. Vt enim alia taceam, non poſſunt ſimul eſſe & membra Chriſti & membra meretricis. Denique ipſe dicens. Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo, oſtendit quid ſit non ſacramentotenus, ſed reuera corpus Chriſti manducare, & eius ſanguinem bibere. Hoc eſt enim in Chriſto manere, vt in illo maneat & Chriſtus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret. Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, nõ ſe dicat, aut exiſtimet manducare corpus meum aut bibere ſanguinem meum* &c. Et in Sententijs decerptis ex eodem Sententia 318. *Nam qui diſcordat à Chriſto, nec panem eius, nec ſanguinem bibit, etiam ſi tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat*. Idem Auguſtinus ſuper Iohannem tractatu 27. *Signum quia manducauit & bibit hoc eſt, ſi manet & manetur: ſi habitat & inhabitatur: ſi hæret, vt non deſeratur*. &c.

Præterea Hieronymus in Hieremiam libro 4. cap. 22. inquit. *Omnis enim hæreticus naſcitur in eccleſia, ſed de eccleſia proijcitur, & contendit & pugnat contra parentem. Quod infert, Non comedent, & non bibent, ſubauditur, corpus & ſanguinem ſaluatoris* &c. Hęc de hęreticis is pater loquitur. Poſſem & alia per multa loca ex veteribus producere, quibus demonſtrarem fide, percipi corpus Chriſti, & impijs ac deſtitutis fide ſymbola tantùm ſeu externum ſacramentum dari poſſe, non autem ab illis corpus & ſanguinem Domini percipi: ſed breuitatis ratio eſt habenda.

Neque dictum Pauli quod attuliſti, ſententiæ noſtrę quicquam officit. Non enim eſt abſurdum illum qui manducat & bibit indignè, reum fieri corporis & ſanguinis Domini: quãdoquidem ea iniuria, qua externum ſacramentum afficitur, in rem ſignificatam redundat. Quod etiam Hieronymus in Malachiam teſtatur, vbi ſcribit, *Prophetа Hebræos coarguit, quod ex vitiis vilibus, macilentis & mutilatis offerrent ſacrificia. Ita Deus contemnebatur & myſterium, quod eius inſtituto ſanctum erat, prophanabatur. Et parua oblatio ineptarum victimarum in contumeliam Dei cedebat*. Verba eius hæc ſunt: *Dum enim ſacramenta violantur, ipſe cuius ſunt ſacramenta, violatur*, &c. Damus itaque impios accipiendo externa ſymbola iudicium ſibi edere ac bibere, quòd nõ dijudicent corpus Domini. Non enim leuiter peccant, dum panẽ & vinum, quæ corpus Chriſti dicuntur, quod ſint eius ſacramentum, perinde habẽt atque communem panem & prophanum vinum. Quapropter cùm inter iſta nihil diſcernat, idcircò ſe declarant inſtitutũ Domini aſpernari. Præterea quod adieciſti, Deum alioqui iuſtum iniuſtum fieri ſceleratis. & peruerſis peruerſum, Euangelium etiam alioqui ſalutiferum euadere mortem: non minus confirmat noſtram ſententiam atque tuam. Sancta quippe dicimus & ſalutaria Euchariſtiæ ſymbola quæ Chriſtus inſtituit, nihilominus abutentibus fiunt laqueus & mors, & exitium.

PAN. In ſumma, id tibi affirmare poſſum, me nolle vel eſſe vel haberi alicuius noui in Eccleſia Chriſti dogmatis vel autorem vel defenſorem, Lutherum quippe in iſta controuerſia ſum ſecutus. quòd illum videam diuinis teſtimonijs munitum. ORO. Quomodo potes affirmare Vbiquitatis dogma non eſſe nouum, cum in ſcripturis diuinis minimè reperiatur, nec vllum ex Patribus oſtenderis, qui corpus Chriſti eſſe vbique ſcripſerit? Sed potius permulti ſint cum veteres tum recentes, qui diuerſum ſcribant, doceant, & defendant? PAN. Sed ij, vt videtur, in tanto myſterio magis rationibus philoſophicis quàm Theologicis vtuntur. Ideò malo ſequi quod oracula ſpiritus ſancti, quæ ſunt ſcripta Prophetica & Apoſtolica, credendum, quam quod rationes humanæ ſapientiæ intelligendum proponunt. ORO. Theologicis an Phyſicis rationibus vtamur, & quę hucuſque contulimus, & noſtrorum libri teſtari poſſunt. De veſtro autem figmento, rationibus & cogitatis, iudicium ſi quis velit facere, fundaméta & radices inquirere, nihil aliud tandem habebit quod proferat, niſi vnam hypoſtaticam vnionem, qua omnia mihi videris confundere, cœlum cum inferno miſcere, deitatem ex humanitate facere, nec vllum propemodum eſſe monſtrum, quod non ſit veſtra vbiquitate conceſſa, ſtatim ab Eccleſia recipiendum. Quòd ſi voluiſſes (quemadmodum præ te fers) credere atque agere tantum Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, vti ſpero, facilè diſceſſiſſemus concordes. At longè aliter, atque prædices, te geſſiſti, ex verbo Dei nihil fermè proferendo, ſed ex Luthero tantummodo accepiſti, quæ mecum es locutus, addiectis quibuſdam rationibus partim probabilibus, partim ſophiſticis, vnà cum aliquibus teſtimonijs Patrum, non tamen vſque adeò crebris, eiſque vel tecum pugnantibus, vel à præſenti controuerſia multum alienis.

Lutheri autem dictis, quę ſæpius in ore habes, & vbiuis contra noſtram ſententiam profundis, opponere nunc decreui Patrum veterum quàm apertiſsima dicta, quę ſenties veſtram vbiquitatem prorſus damnare.

Ruffinus in Symbolum, *Aſcendit ergò ad cœlos, non*

Caro ante ascensu n in cœlo non fuerat.

vbi Verbum Deus antè non fuerat, quippe qui erat semper in cœlis, & manebat in patre, sed vbi Verbum caro factum antè non fuerat. Denique quia nouus iste ingressus portarum cœli æduitis & principibus videbatur, videntes naturam carnis secreta cœlorum penetrantem, dicunt adinuicem, sicut Dauid plenus Spiritu sancto denunciat, dicens, Tollite portas principes vestras, &c. Hæc ita perspicua sunt, vt non egeant ex positione. Id tantum addendum est, hæc dicta in multis codicibus Cypriano ascribi.

Augustinus in Ioannem tractatu 102. ad finem *Planè credimus (neque enim propterea debet incredibile videri) quia sic ad mundum veniens, exijt à Patre, vt non desereret Patrem, sic vadit ad Patrem relicto mundo, vt non deserat mundum. Exijt enim à patre, quia de Patre est: & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de Virgine assumpsit. Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad Patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione,* &c. Et tractatu 106. *Vnde manifestum est eum de corporali sua dixisse præsentia, Cum essem cum eis, ego seruabam eos veluti iam cum eis ea præsentia non esses. Eo modo enim significare voluit ascensionem suam mox futuram, de qua dixit: Nunc autem ad te venio, iturus vtique ad dexteram Patris. Vnde venturus est ad viuos & mortuos iudicandos, præsentia itidem corporali, secundum fidei regulam,* sanamque doctrinam. *Nam præsentia spiritali cum eis erat vtique futurus post ascensionem suam & cum tota Ecclesia sua, in hoc mundo vsque in consummationem seculi. Non rectè itaque intelliguntur de quibus dixerit, Cum essem cum eis, ego seruabam illos, nisi bi quos in se credentes seruare iam cœperat præsentia corporali, & quos relicturus fuerat, absentia corporali, vt eos cum Patre seruaret præsentia spiritali.*

Corpore discessit è mundo.

Præsentia spirituali est nobiscum.

Nos reliquit absentia corporali

Adhæc in Ioannem Tractatu 78 interpretans. ea verba, *Non turbetur cor vestrum neque formidet. Audistis quia dixi vobis. Vado & venio ad vos,* &c. *Hinc ergò turbari & formidare poterat cor illorum, quòd ibat ab eis, quamuis venturus ad eos, ne forsitan gregem lupus boc interuallo inuaderet pastoris absentia. Sed à quibus homo abscedebat, Deus non recedebat, & idem ipse Christus homo & Deus. Ergò & ibat per id quod homo erat manebat per id quod Deus erat. Ibat per id quod vno loco erat, manebat per id quod vbique erat,* &c. Et mox: *Per quod ergò Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem, à quo venturus est viuos iudicaturus & mortuos. Per illud autem, in quo æqualis est gignenti vnigenitus, nunquam recedit à Patre sed cum illo est vbique totus, pari diuinitate, quam nullus continet locus.*

Homo abscedebat non Deus.

Idem in Ioannem Tractatu 107. *Restat igitur vt secundum id quod ipse etiam in mundo prius erat, in mundo se dixerit iam non esse. Profectò præsentia corporali, mundo scilicet, absentiam suam iam citò futuram, illorum autem tardius,* &c. Et mox: *Quando ergo seruabat discipulos suos Filius præsentia corporali, non expectabat Pater ad custodiendum succedere Filio discedenti, sed eos ambo seruabant potentia spirituali, quando ab eis abstulit Filius præsentiam corporalem, tenuit cum patre custodiam spiritualem.*

Absentia corporalis à mundo.

Prætera in Ioannem Tractatu 50. exponens dictum Christi, *Me autem non semper habebitis, Accipiant,* inquit, & *hoc boni, sed non sint solliciti. Loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secùdum Maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur quod ab eo dictum est. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Secundum carnem verò quam Verbum assumpsit, secundum id quod de Virgine natus est, secundum id quod à Iudæis prehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, &* B *eis deducentibus videndo, sed non sequendo, Ascendit in cœlum & non est hic, ibi est enim & sedet ad dexteram patris. Et bic est: non enim recessit præsentia Maiestatis Et aliter, Secundum præsentiam Maiestatis semper habemus Christum: secundum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, me autem non semper habebitis Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modo fide tenet, oculis non videt,* &c.

Præsentiã corporis non semper habebitis.

Non est bic.

Idem ad Dardanum scribit, *Secundum hominem* C *nanque in terra erat, non in cœlo, vbi nunc est, quando dicebat, Nemo ascendit in cœlum nisi qui de cœlo descendit. Filius hominis qui est in cœlo. Quamuis secundum id quod Filius Dei erat, esset in cœlo, secundum id verò quod Filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondumq; ascendisset in cœlum,* &c. Et mox: *Ac per hoc & Filius hominis secundum Deum erat in cœlo, & Filius Dei secundum hominem crucifigebatur in terra Sicut ergo potuit rectè dici dominus gloriæ crucifixus, cùm ad solam carnem illa passio pertineret, ita rectè dici potuit, Hodie mecum eris in paradiso, cum iuxta humanam humilitatem per carnem in se-* D *pulchro, per animam in inferno illo die futurus esset, iuxta diuinam verò immutabilitatem nunquam de paradiso, quia vbique est semper, recessit. Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est: memoriterque recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris, nec aliùnde, quam inde venturus est ad viuos mortuosq; iudicandos. Et sic venturus est illa angelica voce testante, Quemadmodum ire visus est in cœlum, id est in eadem carnis forma atque substãtia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit Secundum hanc formam non est putandus vbique diffu-* E *sus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequẽs vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit, quod in illo viuimus, monemur et sumus nec tamẽ sicut ille vbiq; sumus. Sed aliter homo ille in Deo, quoniã aliter & Deus ille in homine proprio quodã & singulari modo. Vna. n. persona Deus & homo est & vtrũq; est vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo,* &c.

Secundum hominem in terra non in cœlo.

Secundum naturam humanã non est vbique Quodẽ in Deo non est vbi vt Deus.

Humanitas Christi in cœlo.

Deinde in Ioan. Tract. 30. & habetur de Cõsec. F distinct. 2. Can. Prima quidem. &c. *Sursum est Dominus, sed etiam hic est Veritas Dominus. Corpus enim Domini in quo surrexit, in vno loco esse oportet, Veritas autẽ eius vbique diffusa est.*

Corpus Christi in vno loco esse oportet.

Et in Epist. Ioannis ad finem, *Dominus ergò noster Iesus Christus ideò ascendit in cœlum die quadragesima, & commẽdauit corpus suum, qua habebat iacere, quia vidit multos honoraturos se quia ascendit in cœlum. Et vi-* G *dit, quia honor illorum inutilis est, si conculcant membra eius in terra. Et ne quis erraret, & cum adoraret caput in cœlo, calcaret pedes in terra, Ascensurum caput in cœlum commendauit membra in terra, & discessit. Iam non inuenis Christum loqui in terra, inuenis eum loqui, sed in cœlo*

Corpus Christi in cœlo est & non de loquitur, nõ in terra.

cælo, & de ipso cælo. Quare? Quia membra calcabantur in terra. Persecutori enim Paulo dixit, Saule, Saule, quid me persequeris? Ascendi in cælum, sed adhuc in terra iaceo. Hic ad dexteram Patris sedeo: ibi esurio, sitio, peregrinus sum. Quomodo ergo corpus commendauit in terra ascensurus? Cùm interrogarent eum discipuli, Domine an in hoc tempore præsentaberis? Et quando regnum Israelis restitues? Respondit, Iturus: Non est vestrum scire tempus quod pater posuit in sua potestate. Sed accipietis virtutem spiritus sancti superuenientem in vos, & eritis mihi testes, &c. Videte qua diffundat corpus suum. Videte vbi calcari non vult. Eritis mihi testes in Ierusalem, tota Iudæa & Samaria vsque in totam terram. Ecce qua iaceo, qui ascendo. Ascendo enim quia caput sum. Iacet adhuc corpus meum. Qua iacet? Per totam terram.

Quali corpore adhuc in terra versetur.

Etiam ad Dardanum quæstionem sibi propositã soluens, ait: *Est autem sensus multò expeditior, & ab his omnibus ambiguitatibus liber, si non secundum id quod homo erat, sed secundum id quod Deus erat dixisse accipiatur, Hodie mecum eris in paradiso. Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat. Deus verò idem ipse Christus vbique semper est.*

Adhuc in Epist. ad Dardanum, quæ est 57. *Si ergò secundum hominem, quem Deus Verbum suscepit, putamus dictum esse, Hodie mecum eris in paradiso, nõ ex his verbis in cœlo existimandus est esse paradisus. Neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Iesus, sed in inferno secundum animam, in sepulchro autem secundum carnem*, &c.

Homo Christus Iesus non erat eo die futurus in cælo.

August. in Ioan. Tractat. 78. *Sed hoc erat ire ad eum & recedere à nobis, mutare atque immortale facere, quod mortale suscepit ex nobis, & leuare in cælum, per quod fuit in terra pro nobis*, &c.

Cyrillus in Ioan. lib. 11 cap. 21. *Putabant enim discipuli absentiam Christi, vt hominis dico, (Deus enim vbique adest) multorum eis incommodorum causam futuram, cum non adesset qui eos posset ab omnibus malis eruere. Sed oportebat (dicam enim etiam) si luminaria orbis posteà facti sunt, non solum in carnem Christi, verumetiam in deitatem respicere: quæ quamuis oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate, nec quicquam est quod prohibere possit, quin omnia repleat, & quod velit peragat. Non enim loco aut dimensionibus circumscriptibilis natura diuina est.*

Cyrillus.

Quare cum Deus & homo Christus verè sit, oportuit eos intellexisse ineffabili Dei potestate vnà cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset. Idcirò enim ipse quoque in superioribus dicebat: Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, apertè significans deitatis ratione non carnis præsentia eos posse seruari, &c.

Carne aberat.

Hic tu mihi consyderes, idcirco statui diuinitatem esse posse vbique quod loco & dimensionibus non sit circumscriptibilis. Ergò concluditur, è diuerso, carnem Christi seu corpus eius non esse vbique, quod loco & dimensionibus circumscribatur.

Carnis præsentia non est necessaria ad nostram salutem.

Idem lib. 9. in Ioan. cap. 21. *Credere autem oportet fideles, quamuis à nobis corpore absit, virtute tamen sua & nos gubernari, adesseq; semper ipsum omnibus qui eum diligunt. Propterea dicebat, Amen amen dico vobis. Vbicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nam quemadmodum quando vt homo in terra conuersabatur, tunc etiam cœlos implebat, & angelorum consortia non relinquebat: Eodem nunc modo cùm sit in cœlis cùm carne, terram tamen replet, & cum eis est qui eum diligunt.*

Corpore à nobis abest.

Obseruandum autem est, quia quamuis secundum carnem solummodò abiturus erat (adest enim semper virtute deitatis, vt diximus) modico tamen tempore cum discipulis se futurum dicebat, aperte seipsum nominans, ne quis in duos filios diuidere Christum audeat. &c.

Secundum carnem abijt.

Et mox idem. cap. 22. eiusdem libri. *Obseruandũ autem, quia Iudæis quidem dixit. Quæretis me & non inuenietis: ad discipulos autem hoc verbo vsus non est. Iudæis enim aptè accommodatur, qui nimia incredulitate impietateq; maxima ipsum inuenturi nec erant, nec sunt. A discipulis autem, qui toto animo Christum diligebant & diligunt omninò alienum, quibus cum etsi non corpore, virtute tamen deitatis vnà semper & fuit & futurus est*, &c.

Non corpore sed deitate adest.

Etiam super Ioan. libro 11. cap 3. *Nam etsi abest corpore patri pro nobis apparens, ac à dextris eius sedens habitat tamen in sanctis per spiritum, neque patitur (vt dixi) illos orphanos esse.*

Abest corpore, per spiritum adest.

Et in eodem libro cap. 22 scribit: *nihil ergò mali accidere vobis potest, ait, si carne abfuero, cum deitatis meæ potestas, quæ vos hucusque seruauit, in posterum etiam seruatura sit*, &c.

Carne abest, deitate adest.

Et mox: *Cùm igitur deitati seruatio attribuatur, non debetis, inquit, carnis præsentiam propter hoc desyderare*, &c. Et mox: *Hoc enim solum modo pacto etiam carne absens seruare suos poterit*, &c.

Carnis præsentia non est desyderanda.

Et cap. 3. eiusdem libri ab initio: *Post enim illam, scilicet passionem, in cœlum ascendens spiritum immisit: non enim conuersari cum Apostolis carne poterat, cum ad Patrem ascenderit.*

Non poterat carne versari cum Apostolis.

Adhæc de Trinitate libro 6. *Vnde dicebat Filius, Non relinquam vos orphanos, venio ad vos. Postquam autem ascendit ad Patrem, & ex mortuis reuixit, in nobis est per spiritum: proprius enim ipsius est, & non extrinsecus susceptus spiritus eius, sicut scilicet & hominis humanus.*

Christus in nobis est per spiritum.

Vigilius contra Eutychen lib. 1. *Expedit vobis vt ego eam: si enim ego non abiero, Paracletus ad vos non veniet. Et certè Verbum Dei, virtus Dei, sapientia Dei, semper apud Patrem & in patre fuit, etiam quando in nobis nobiscum fuit. Neque enim cum terrena misericorditer incoluit, de cœlesti habitatione recessit. Cum Patre enim vbique est totus, pari diuinitate, quem nullus continet locus. Plena sunt quippe omnia Filio, nec est aliquis locus diuinitatis eius præsentia vacuus. Vnde ergò, & quo se iturum dicit, aut quomodo se ad patrem perrecturum asserit, à quo fine dubio nunquam recessit? Sed hoc erat ire ad Patrem, & recedere à nobis, auferre de hoc mundo naturam quam susceperat ex nobis. Vides ergò eidem naturæ proprium fuisse, vt auferretur & abiret à nobis, quæ in fine temporum reddenda est nobis secundum attestantiũ vocẽ angelorũ. Hic Iesus qui receptus est à vobis in cælũ sic veniet, quemadmodũ vidistis eum euntem in cælum. Nam vide miraculum, vide vtriusque proprietatis mysterium. Dei. Filius secundum humanitatem suam recessit à*

Vigilius.

Abstulit de mũdo naturam humanam.

Secundum humanitatẽ recessit.

nobis: secundum diuinitatem suam ait nobis: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: si nobiscum est, quomodo ait, Venient dies, quando desideretis Filium hominis, & non videbitis? Sed & nobiscum est, & non est nobiscum: quia quos reliquit & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit neque deseruit diuinitate sua. Per formam enim serui, quam abstulit à nobis in cœlum, absens est nobis: per formam Dei, quæ non recedit à nobis in terris, præsens est nobis. Tamen præsens & absens ipse vnus idemque est nobis.

Nos relinquit & discessit humanitate.

Etiam lib. 2. contra Eutychen, Constat Dominum nostrum Iesum Christum feria sexta crucifixum & ipsa die ad infernum descendisse, ipsa die in sepulchro iacuisse, ipsa die latroni dixisse, *Hodie mecum eris in paradiso.* Caro igitur ipso die non fuit in paradiso nec in inferno, sed exanimis iacuit in sepulchro. Anima per illud triduum in inferno, non in sepulchro. Et iure tamen dicimus, Dominum Iesum Christum in sepulchro iacuisse, sed in sola carne, Dominum Iesum Christum non derelictum in inferno, sed in sola anima, &c. Colligamus hinc nec animum nec corpus Christi fuisse vbique, quamuis hypostaticè coniuncta fuerint cum Verbo.

Caro die mortis non fuit in paradiso.

Et mox: Ergo dicimus Dominum iacuisse in sepulchro, sed in sola carne, & dominum descendisse in infernum, sed in sola anima. Et sicut dicimus hominem audiuisse vocem, sed solis auribus, & vidisse lumen, sed solis oculis, sic dicimus Dominum passum, sed in sola carne, & Dominum non passum, sed in sola diuinitate. Ac per hoc, quia & Deus vnus est Christus, & passus est, secundum id quod homo, & impassibilis manet, secundum id quod Deus.

Pulchrum simile.

Verbum vbique, caro non vbique.

Præterea lib. 4. contra Eutychen Deinde si Verbi & Carnis vna natura est, quomodo cùm Verbum vbique sit, non vbique inueniatur & Caro? Namque quando in terra fuit, non erat vbique in cœlo. Et nunc quia in cœlo est, nō est vtique in terra. Et in tantum non est, vt secundum ipsum Christum spectemus venturum de cœlo, quem secundum Verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum vos, aut Verbum cum carne sua loco continetur, aut Caro cum Verbo vbique est: quando vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum est autem & longè dissimile circumscribi loco & vbique esse. Et quia Verbum vbique, Caro autem eius vbique non est, apparet vnum eundemque Christum vtriusque esse naturæ, & esse quidem vbique secundum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundum naturam humanitatis suæ. Creatum esse & initium non habere, Morti subiacere & mori non posse: quod vnum illi est ex natura Verbi qua Deus est aliud ex natura carnis, qua idem Deus homo est.

Quando erat in terra non erat in cœlo, & quando est in cœlo non est in terra.

Vna natura contrarium & diuersum non recipit.

Igitur vnus Dei Filius, idemque hominis factus filius, habet initium ex natura carnis suæ. & non habet initium ex natura diuinitatis suæ. Creatus est per naturam carnis suæ, & non creatus est per naturam diuinitatis suæ. Circumscribitur loco, per naturam carnis suæ, & loco non capitur, per naturam diuinitatis suæ. Minor est etiam angelis per naturam carnis suæ & æqualis est patri secundum naturam diuinitatis suæ Et mortuus est natura carnis suæ, & non est mortuus natura diuinitatis suæ. Hæc est fides & confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt.

Hæc est fides & confessio catholica.

Atque in Disput. inter Sabellium, Photinum, Arium & Athanasium: Eius est enim ire & venire, qui aliquibus locorum terminis circumscribitur, vt eum in quo erat desereret locum, ad alium vbi non erat, veniat, nisi quia vtique de illo quem assumpserat homine loquebatur, quod ipse erat iturus ad patrem, à quo & venturus est iudicare viuos & mortuos &c.

Et mox in eadem Disputatione: Non ergo inquam vnius naturæ est, præsepis gremio contineri, & astrorū inditijs prodi: hominibus subijci, & ab angelis ministrari: de loco ad locum fugere, & vbique præsentiam sui exhibere: terram incolere, & cælestia non deserere: tentari à diabolo, & eius in abyssum mittere legiones, et cætera.

Fulgentius.

Fulgentius ad Thrasymundum regem lib. 2. Filius ergo Dei tamen authoritate diuina, quàm sanctorum patrum fideli veracique sententia secundum diuinam naturam infinitus immensusque probatur vbique præsens, omnia replens, testis nunc cogitationum & operum, futurus iudex retributorque cunctorum. Quia verò idem Filius Dei verus Deus natus de Deo patre, verus homo factus est pro nobis ex homine: factus est enim ex semine Dauid secundū carnem, diuinæ humanæque naturæ in se continens veritatem: quæ fuerunt veræ Diuinitatis non amisit, & quæ sunt veræ Humanitatis accepit. Vnus idemque secundum carnem de matre temporaliter natus, qui secundum diuinitatem de patre permanet sempiternus. Vnus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex Patre. Vnùs idemque secundum humanam substantiam absens cœlo cum esset in terra, & derelinquens terram cùm ascendisset in cœlum. Secundum diuinam verò immensamque substantiam, nec cœlum dimittens cùm de cœlo descendit, nec terram deserens, cùm ad cœlum ascendit. Quod ipsius Domini certissimo potest cognosci sermone. qui vt localem ostenderet humanitatem suam, dixit discipulis suis, Ascendo ad patrem meum, & ad patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.

Homo localis ex homine.

Fuit absens cœlo, nunc reliquit terram.

Humanitas localis.

De Lazaro quoque cùm dixisset, *Lazarus mortuus est*, adiunxit, dicens, *Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi.* Immensitatem verò suæ diuinitatis ostendens discipulis dicit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Quomodo autem ascendit

Localis & verus est homo.

dit in cœlum, nisi quia localis & verus est homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus & verus est Deus? &c.

Caro Christi localis.

Idem ad Thrasymundum lib. 2. Cùm ergò caro Christi localis absque dubio in ascensione monstraretur, Diuinitas tamen eius vbique semper esse Paulo testante cognoscitur, qui fidelibus dicit, *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christi?* Quomodo autẽ in eo loqui potuit, si in illo non fuit? Vel quomodo corporaliter ascendit in cœlum & in suis fidelibus esse prædicatur in terra, si non est in illo diuinitatis immensitas, quæ cœlum implere possit & terram? &c.

Rursus ad Thrasymundum lib. 3. Humanitas ergò vera Filij Dei nec tota in sepulchro fuit, nec tota in inferno, sed in sepulchro secundum veram carnem Christus mortuus iacuit, & secundum animam ad infernum Christus descendit. Secundum eandem animam ab inferno ad carnem, quam in sepulchro reliquerat, redijt. Secundum diuinitatem verò suam, quæ nec loco tenetur, nec fine concluditur, totus fuit in sepulchro cum carne, totus in inferno cum anima, ac per hoc plenus fuit vbique Christus. Quia non est Deus ab humanitate, quam susceperat, separatus, qui & in anima sua fuit, vt solutis inferni doloribus ab inferno victrix rediret. Et in carne sua fuit, vt celeri resurrectione corrumpi non posset, &c. Hic spectes deitatem fuisse in inferno cum anima, nec ibi secum habuisse corpus. Quare non est verum quod semper vsurpas. Vbicunque est hypostasis Christi, ibi etiam corpus eius esse.

Leo.

Leo 2. Orat. de Ascensu Domini, Vt igitur huius beatitudinis dilectissimi capaces esse possemus, expletis omnibus quæ Euangelicæ prædicationi & noui Testamenti mysterijs congruebant, Dominus noster Iesus Christus quadragesimo post resurrectionem die coram discipulis eleuatus in cœlum, corporali præsentiæ suæ modum fecit, mansurus in patris dextera, donec tempora multiplicandis Ecclesiæ Filijs diuinitus præstituta peragantur, & ad iudicandos viuos & mortuos in eadem carne, in qua ascendit, aduenier, &c. Colligitur ex ijs corporalem humanitatis Christi præsentiam iam in terris, ab ascensu in cœlum desijsse, nec expectandam esse amplius vsque ad iudicij extremi diem.

Tandem Philippus Melanthon his veteribus Patribus meritò coniungetur, quia ætate solùm illis est inferior, eruditione verò ac pietate non item. Sed rectè non tantùm cum illis, sed etiam cum Doctore. Martino Luthero, quem tu præ cæteris vnum admiraris, conferri potest: nam illum sanctitate, scriptis ac doctrina, & scholasticis laboribus adæquauit saltem, si non vicit. possem & nostrorum virorum tam doctas quàm pias afferre sentẽtias Zuinglij scilicet ac Oecolã padij, & eorum qui etiam nunc sunt superstites. de quorum ornamentis & excellentia in præsentia nihil attinet dicere, quia tuis auribus parcere statui. Nam ita soles ad istorum sanctorum nomina commoueri, vt cacodæmonẽ potius nominari feras, quam istorum nomina, quamuis præclarissimorum virorum, commemorari, pertiaris. Philippum autem fastidire non potes. Fuit enim olim vestri decreti quo ad rem sacramentariam propugnator non infimus. At veritate denique victus, quo fuit candore, profiteri non erubuit, quid sentiret de vestra Vbiquitate.

Primum itaque referam, quidnam de Ascensione Christi, & loco eius, in Epistolam ad Colossenses tradiderit. In cap. 3. ita scripsit. De dicto, *Ascendit in cœlum.* Quomodo hæc congruunt? Alibi dicitur, *Filius qui est in sinu patris, &c.* Item Iohannis 3. *Filius hominis qui est in cœlo.* Respondeo. In Symbolo intelligatur dictum, vt sonat litera, & de corpore, & de corporali locatione, Ascendit scilicet corporali & physica locatione, in cœlum, id est in locum cœlestem, vbicunque est: quia hic non sunt fingendæ Allegoriæ. Ascensio fuit visibilis & corporalis. Et semper ita scripsit tota antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse, vbicunque vult. Et ascensio corporalis facta est sursum. Ideò Paulus in hoc capite locum illum nominat sursum. At in propositione, Filius qui est in cœlo, dictum intelligatur communicatione idiomatum, λόγου semper est in cœlo, etiamsi corporali locatione corpus est in virgine. Hæc narratio expressa est in enarratione Symboli quæ legitur in libris Cypriani, etsi alibi inscriptio est, *Enarratio Ruffini.* Ascendit ad cœlos, non vbi Verbum Deus antea non fuerat, (quippe qui erat semper in cœlo, & manebat cum patre) sed vbi Verbum Caro factum anteà non sedebat, id est, vbi corpus anteà non habuerat corporalem locationem. Sic Augustinus loquitur, & citantur verba in Longobardo libro 3. distinct. 22. Non dimisit patrem Christus, cùm venit infirmior, vbique totus, vbique perfectus. Deinde additur forma sermonis. bique totus est sed non totum. Alij concinnius loquuntẽ sunt. Propositio vera est in communicatione idiomatum, *Christus vbique est.*

Athanasius sic loquitur De incarnatione Verbi. λόγου non colligatus est corpori, sed ipse corpus cõtinet, vt, & in eo sit & extra omnia, & in sinu patris, neque cum sit in omnibus, sit pars aliorum, sed omnia vitam, substentationemque ab ipso accipiunt. Vt autem de locali ascensione naturæ humanæ dictum est, *Ascendit ad cœlos:* ita quoque de exaltatione naturæ humanæ super omnes creaturas dictum est *Sedet ad dexterã Dei Patris,* vt Paulus hic inquit, *Vbi est ad dexteram Dei sedens.* At Christum sursum esse, & quidem ad dexterã Dei, id est, non vt beati angeli, & homines sursum sunt, Sed exaltatus supra an-

gelos in illa arcana luce Dei regnans, & tamen corpus localiter alicubi est secundum veri corporis modum, vt Augustinus inquit. Et hæ propositiones, *Christus in vobis est, Ego in eis: Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus*, &c. intelligantur communicatione idiomatum, Et de hac præsentia filij, in prædicatione Euangelij, & in sanctis, necesse est Ecclesiam fideliter erudiri, vt agnoscamus Dominum nostrum Iesum Christũ adesse ecclesiæ, & esse caput, omnia in omnibus perficiens.

Hæc Philippus Melãthon doctè, sapienter ac piè scripsit, & inter cætera prorsus reiecit allegoricum cœlum. PAN. Multò consultius ea tacuisset. Non enim hoc decreto seu dogmate statuendo, ea defendere potuit de Sacramento Cœnæ, quæ visus est hactenus egregie tueri. ORO, Quid olim vir multis modis eximius de corporis & sanguinis Christi præsentia in Cœna senserit, non est quòd modò inter nos commẽtemur, sed nunc tibi expendenda offeram, quæ postremo tempore suæ vitæ hac de re ad illustrissimum principem Comitem Palatinum, sacri Romani Imperij Electorem scripsit, virum cum primis, omnium piorum testimonio, factum cùm ad Ecclesiæ tum ad Reipublicæ salutem. Ea verò ad hunc modum habent,

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI & Domino, Domino Friderico, Comiti Palatino Rheni, Electori, Duci Bauariæ, &c. Dom. suo clementiss. S. D.

ILLVSTRISS. & Clementiss. Princeps Certissimum est legitima imperia verè opus Dei esse clementer cõseruantis honestam societatem generis humani. Ideò verum DEVM æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI, creatorẽ generis humani, colligentem æternam Ecclesiam voce Euangelij, toto pectore oro, vt Cel. vestræ confirmet vires animæ & corporis, & tribuat salutaria consilia, & felicẽ gubernationem. Gaudeo etiam Principem & Dominum patriæ meæ vocatum esse ad agnitionem filij DEI, & rectè inuocare DEVM, & fouere Ecclesiã CHRISTI: quem oro vt vniuersam familiam Principum Palatinorum gubernet & protegat, nec sinat fieri barbaricam vastitatem in patria mea. Literas Cel. V. reuerenter legi, & virum integerrimum Stephanum audiui: ac mitto Cels. V. scriptam Responsionem, ac maximè opto, vt teneræ Ecclesiæ vbique tranquillæ sint, quam ad rem proderit, si non sinent gubernatores defendi contrarias sententias. Probo igitur consilium Cels. V. quòd vtrique parti silentium mandarit. Opto autem vt sapientium Principum consilio, & autoritate aliquando, & ex aliarum gentium Ecclesijs, & nostris, pij & eruditi viri conuocentur, vt de omnibus controuersijs deliberetur, & vnà consentiens forma doctrinæ vera & perspicua sine vlla ambiguitate posteritati tradatur. Interea quantum fieri potest, moderatis consilijs coniunctionem nostram Ecclesiarum foueamus. Bene & feliciter valeat Cels. V. Cal. Nouemb. Anno 1559.

Celsitudinis V.

Seruus Philippus Melanthon.

RESPONSIO AD QVAEstionem ab Illustrissimo Electore propositam.

NON difficile, sed periculosum est respondere: Dicam tamen quæ nunc de controuersia illius loci monere possum, & oro filium Dei, vt & consilia & euentus gubernet. Non dubium est de controuersia Cœnæ ingentis certamina & bella in toto orbe terrarum secutura esse, quia mundus dat pœnas idololatriæ, & aliorũ peccatorum. Ideò petamus vt filius Dei nos doceat & gubernet. Cùm autem vbique multi sint infirmi & nondum instituti in doctrina Ecclesiæ, imò confirmati in erroribus, necesse est initiò habere rationem infirmorũ. Probo igitur consilium illustrissimi Electoris, quòd rixantibus vtrinque mandauit silentium, ne distractio fiat in tenera Ecclesia, & infirmi turbentur in illo loco & vicinia. & optarim rixatores in vtraque parte abesse. Secundò remotis contentiosis, prodest reliquos de vna forma verborum conuenire. Et in hac controuersia optimũ esset retinere verba Pauli: Panis quem frangimus κοινωνία ἐστὶ τοῦ σώματος. Et copiosè de fructu Cœnæ dicendũ est, vt inuitentur homines ad amorem huius pignoris, & crebrum vsum. Et vocabulum κοινωνία declarandum est. Non dicit mutari naturam panis, vt Papistæ dicunt. Non dicit vt Bremenses, Panem esse substantiale corpus CHRISTI. Non dicit vt Hesbusius, Panem esse verum corpus CHRISTI: sed esse κοινωνίαν, id est, hoc quo fit consociatio cum corpore CHRISTI, quæ fit in vsu, & quidem non sine cogitatione: vt cùm mures panẽ roduut. Acerrimè pugnant Papistæ & eorũ similes, vt dicatur corpus CHRISTI extra sumptionẽ inclusum esse speciebus panis, aut panis: & postulant adorationem, sicut Morlinus Brũsuigæ dixit,

Du müst nit sagen / Mum / mum / sonder du müst sagen was dieses ist dz der priester in der hand hat.

Sarcerius iubet delapsas particulas colligi, & crasa terræ comburi. Cum Vuormatiæ essemus ante biennium quæstio ad nos mittebatur ex aula quadã: An corpus Christi descendat in ventrem. Talibus prodigiosis quæstionibus reiectis, vtilius est retineri formam verborum Pauli, & de fructu rectè doceri homines. Potest inspici forma verborum Cœnæ in Examine Megalburgensi: vbi & commone factio est de fructu Cœnæ. Adest filius Dei in ministerio Euangelij, & ibi certò est efficax in credentibus. ac adest non propter panem, sed propter hominem, sicut inquit, Manete in me, & ego in vobis. Item, Ego sum in patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Et in his veris consolationibus; facit nos sibi membra, & testatur se corpore nostra viuificaturum esse. Sic declarant veteres cœnam Domini.

Sed hanc veram & simplicem doctrinam de fructu, nominant

nominant quidam cotburnos: & postulant dici, an sit cor A *pus in pane, aut speciebus panis. quasi verò sacramentum propter panem, & illam papisticã adorationem institutum sit. Posteà fingunt quomodo includant pani, alij conuersionem, alij transubstantiationem, alij vbiquitatem excogitarunt. Hæc protestonsa omnia ignota sunt eruditæ vetustati.*

Negat Hesbusius se assentiri Origeni, qui nominat panem & vinum σύμβολα τοῦ σώματος, καὶ αἵματος. Reiecit contumelioſe Clementem Alexandrinum. pronunciabit eodem modo de Augustino, Ambrosio, Prospero, Dionysio, Tertulliano, Beda, Basilio, Nazianzeno, qui nominat ἀντίτυπα σῶμα Theodoreto, qui ait de pane, φύσιν οὐ μεταβαλὼν. Quæ est igitur tanta auctoritas Hesbusij, vt ipsi potius assentiamur, quàm tot probatis veteribus scriptoribus, qui perspicuè testantur tunc Ecclesiam non habuisse Pontificium dogma, B *& adorationem: quæ si noua sunt in Ecclesia, cogitandum est an recentioribus licuerit nouum dogma inuehere in Ecclesiam. Nec ego ignoro, multa citari notha veterum titulis, de quibus eruditi iudicent.* C

Nec verò iam institui longam disputationem: nec cum contentiosis, qui idola & parricidia stabiliunt, disputare volo: quorum sæuitiam & ego experior. Sed tantùm pro meo iudicio significare volui, quid in illo loco pro infirmitate teneræ Ecclesiæ faciendum esse existimem, ac manco in hac sententia, contentiones vtrinque prohibendas esse, & forma verborum vna & simili vtendum esse. Si quibus hæc non placent, nec volunt ad cõmunionem accedere, his permittatur vt suo iudicio vtantur, modò non faciant distractiones in po- D *pulo. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, sedentem ad dexteram æterni patris, & colligentem æternam Ecclesiam voce Euangelij, vt nos doceat, gubernet, & protegat. Opto etiam vt aliquando in pia Synodo de omnibus controuersijs horum temporum deliberetur.*

Ex autographo.

PAN. Satis audiui quot & qualia dicta cùm ex patribus tum ex Melanthone corrasisti ad confirmandum sententiam, quam tueris, nimirũ corpus Christi sic esse in cœlo, vt non amplius nobiscum versetur in terris: ad salutem verò nostram id sufficere, vt nunc & gratia & spiritu eius regamur, & gubernemur, qui nos, quo ad suam diuinitatem, nunquam deserit. ORO. Quid ergò restat quo minus tam orthodoxæ, facili, planeque sententiæ præbeas assensum? certè illam (vt audiuisti) permulti Patres non tam vetustate ac doctrina celebres, quàm sanctitate insignes, nec non recentes, & approbarunt, & docuerunt. PAN. Mihi Lutherus istis omnibus præstat. Sed tu ne putes iam vtcunque debellatum. Restant quippe adhuc aliæ quædam rationes, quas nondum effudi. Vt autem & illas excutias, nunc tibi eas proponere statui. ORO. Audiam.

PAN. Lux etsi creatura est, vt liber Geneseos attestatur, nihilominus ea simul & eodẽ tempore in multis locis est, atque vno momento Sole Oriente vniuersum orbem suo splendore implet. Res tam clara est, vt ei vel sensus testimonium perhibeant. Quæ (malum) igitur tanta est vestrorum hominum peruicacia, vt quod luci, quæ creatura est datum cernimus, corpori Christi pergatis negare, quod naturam diuinam secum hypostaticè vnitam habet? ORO.

An lux eodem tempore ac simul sit in diuersis locis.

Si ratio tua esset alicuius roboris, efficeret hanc lucem aspectabilem, angelis præstantiorem esse. Illis enim conuenire non potest, vt superius vidimus, esse vbique, aut simul eodem ẽq; tempore in multis locis, quod tamen (quemadmodum ais) luci concessum est. Quis autem compos mentis hanc lucem dignitate ac excellentia præferret angelis? Quare nihil imminuitur aut derogatur de corporis Christi dignitate, si non sit aut in multis locis, aut vbique, vt externa lux quam oculis cernimus. Ea enim potest esse, quẽadmodum reuera est, & nobilius & præclarius, licet sit locale, & alicubi cum maxima gloria contineatur. *Respondetur ad argumentũ de luce.*

Deinde in allata cõparatione abs te non leuiter peccatur, cùm illa quæ inter se confers, ad idem genus minimè pertineant. Corpus quippe Christi substantia est, & quidem corporea. At lux neque substantia est, neque corpus, sed in genere qualitatis comprehenditur, & subiectam habet aut corpus ipsum lucidum, aut corpus perspicuum, quod Græci vocant διαφανὲς. Illam verò corpus non esse id testatur, quòd simul in eodem loco est cum aere quem illustrat. non autem fieri potest, vt duo corpora sint eodem loco. De inde si lux aut lumen essent corpus, illustratio esset motus localis huiusmodi corporis. At nullus motus localis cuiusuis corporis, momento fieri potest, sed oportet vt suam habeat successionem seu continuationem, & antea pertingat medium, quàm ad extremum perueniat. Solem verò neminem latet è vestigio, vt est in puncto Horizontis, totum nostrum hemisphærium illustrare, vsque ad punctum sibi oppositum. Vt itaque Calor est qualitas efficax & agens, quæ consequitur formã & naturã ignis: Ita lux est qualitas agẽs & efficax, quæ consequitur formam seu naturam Solis, vel cuiusuis corporis, quod ex se splendeat. *Lux non est Corpus.* *Quid sit Lux.*

PAN. Tamen Augustinus de anima & eius origine, ad Vincentium Victorem, libro 4. cap. 12. ait. *Si autem corpus est quicquid maioribus & minoribus suis partibus maiora & minora spacia locorum obtinentibus constat, corpora sunt etiam ista quæ commeo morani. Corpus est aer, corpus est lux ista visibilis, &c.* *Augustinus*

ORO. Eo in loco vocabulo lucis aspectabilis non intellexit ipsam qualitatem puram, sed eius illustratum subiectum, in quo hæret. Sed te miror vehementer qui mihi hunc Augustini locum produxeris, vbi definiens corpus, locum in eius definitione posuit, indicans eum esse illi rem tam necessariam, vt eo carere nõ possit.

Sed redeo ad lucem, quam etiam potest inde cognoscere non esse corpus neque substantiam, quòd sit sensus, id est ipsius visus obiectum: ea quippe nostri oculi feriuntur. Neminem verò latere arbitror, sensus non à substantia corporea moueri, sed ab eius accidentibus. Auditus enim percipit sonos, olfactus odores, gustus sapores, tactus itẽ circa suas qualitates versatur. Quocirca

& lux, quâ vnà cũ coloribus oculi ſuauiter intuẽ
tur, qualitas eſt, non ſubſtantia, neque corpus.
Vnde non rectè confertur abs te cum corpore
atque carne Chriſti, quę vt ad aliud genus perti-
nent, ita diuerſas habent proprietates, neque
lucis qualitatibus afficiuntur. Deinde alia eſt
res, in qua non leuiter deciperis. Arbitraris quip
pe lucem, quam dixi eſſe qualitatem, ſimul eodẽ-
q́ue tempore in multis locis eſſe. Quod proculdubio non ita ſe habet: quia vnum idemq́; numero accidẽs, vna eademq́; forma ſeu perfectio,
Lux eadem numero non eſt eodẽ tempore in multis locis
nõ eſt in diuerſis ſubiectis Calor enim qui eſt in aqua, non eſt idẽ numero cum illo, qui eſt in ferro: quiq́; in ferro hæret, non eſt idem numero cũ illo, quo adficitur lignum. Accidẽtia cùm per ſe non exiſtant, non etiam per ſe numerantur, ſed iuxta numerum ſubiectorum ſuorũ diſcernuntur. Quare non eſt eadem numero lux quæ aerẽ Orientalem illuſtrat, cum illa quæ afficit Occidentalẽ. Et ſi diuerſus eſt aer Aquilonaris ab Auſtrali, diſtincta etiam eſt lux illorum, nec poteſt eadẽ eſſe numero, vtque aer domus eſt diuiſus ab aere horti, ita lux quæ domum illuminat, alia eſt qualitas numero, ab ea quæ in horto cernitur. Non ergò tibi rectè ſumpſiſti lucem vnam eandemque numero eſſe vel vbique vel in multis locis eodem tempore, cùm ſint diſtinctę qualitates numero, quæ ſunt in diſtinctis ſubiectis. Eędem quidem ſunt ſpecie, ſed non indiuiduo ſeu numero, vt cum ſcholis ad maiorem perſpicuitatem loquar.

Quomodo lux dicatur pertrãſire vitrum.

PAN. Attamen lux pertranſit vitrum citra vllam eius ſtractionem vel ſciſſuram. ORO. Hic etiam non parum hallucinaris. Fingis enim eandem numero lucem eſſe, quæ extra vitrum ſita ipſum illuſtrat, cum illa quæ domum intus illuminat. Falleris: quoniam hoc pacto res agitur. Lux exterma vitrum ipſum afficit, nimirum id illuſtrando & calefaciendo. Vitrum autem ſic affectum & immutatum, aerem qui eſt intra domum, & illuminat, & excalefacit. Quocirca lux & calor externi aeris, vitri, & aeris domeſtici, quamuis eiuſdem ſint formæ, numero tamen differunt, niſi ſtatuere velis, formas, accidentia, & rerum actus, vel perfectiones ex vno ſubiecto in alterum migrare ſeu transferri: quod à nemine qui rectè philoſophetur, impetrabis.

Nec alia eſt ratio imaginis Solis, quam vnam & eandem ſoletis dicere in diuerſis locis eſſe, hoc eſt, in permultis, varijs, & diſtantibus aquę partibus, vt in vtraque parte ripę, nec nõ in medio ſeu lacus ſeu fluminis. Non enim vna eſt imago numero, ſed innumerabiles quodãmodo à corpore Solari multiplicantur, & per aerẽ & in aqua vbi cõſpiciuntur, licet per aerem non videãtur. Proinde ſunt permultę numero, licet ſpecie omnes inter ſe conueniant. Cumq́; non habeant idem ſubiectum, vtique neceſſe eſt vt numero ſeu indiuiduo inter ſe non ſint eædem.

PAN. Vox tamen cùm vna eadẽq́; ſit, in locis innumeris propemodũ eſt. Nam ſi adfuerint prę ſentes eidẽ concioni bis terue mille homines, eodem tempore ac ſimul vocẽ cõcionatoris percipiunt, non autem perciperent niſi præſens illis adeſſet.

ORO. Hic etiã tibi ſin's ὁμωνυμία Eiuſdẽ, imponi. Alia quippe dicũtur eadẽ ſpecie, vt paulò antè demonſtraui. Alia verò ſunt eadẽ numero, vel indiuiduo. Cumq́; non bene diſtinguas inter idẽ & diuerſũ, nullo negotio & decipis & deciperis. Vt autem intelligas non vnam vocẽ eſſe numero quâ omnes adſtantes percipiunt, ſed tot numero eſſe voces, quot adſtãtes eas audiunt, rem paulò altius repetã, quo tibi clarè ac perſpicuè naturã ſoni explicẽ: nam ea cognita, & vocis naturã intelliges, quantũ ad prętentem rationem conducit. Vt ex Ariſtotele 2. libro de anima colligitur, Sonus eſt qualitas ſenſibilis ab auditu, quę producitur ex motu fracti aeris, & in eo tanquã in ſubiecto hęret, & per ipſum multiplicatur, & qui dem circulari figura, quo ad aures hominũ adſtãtium perueniat, &c. Soni iam audiſti genus differentias, & omnes vtiq; cauſas. Materia vel ſubiectũ eſt aer, Forma qualitas ſenſibilis. Agens cauſa id eſt à quo aer, circũſtans frangitur. Hęc autẽ cauſa ſi ad vocẽ cõtrahatur ſonus, eſt ſpiritus vel flatus ex ore loquentis cum aliquo impetu emiſſus, aerem frangens. Multiplicatio verò ſoni, aut vocis per aerẽ ſeu per aquam (nam vtrunq́; horũ elementorũ eſt harum formarũ ſoni ſcilicet & vocis ſubiectũ) ita fit. Pars elementi quę prius icta eſt, proximã ſibi partem ferit, illa deinde alteram, ſecũda tertiã, & ita deinceps contingit, quàmdiu vis percutiẽtis poteſt in eis cõſeruari. Fiuntq́; iſtę multiplicationes figura ſphęrica. Vnde cùm ſic feruntur ſoni, & voces per varios circulos, & feriunt, & ingrediuntur aures adſtantiũ, & ad myringam, id eſt ſenſiterium auditus perferuntur, ibi ſonus audítur, ac inde ſpecies eius ad neruos opticos defertur, & de ſoni conditione, ſeu proprietate ibi iudicatur. Quãobrẽ tot ſunt numero ſoni, & voces, quot ſunt audientes, niſi dicere velis idem accidens numero in diuerſis eſſe ſubiectis: quod fieri non poteſt, neque ab vllis phyſicis cõcederetur. Sunt quidẽ eiuſdẽ ſpeciei, ſed numero diſtingũtur. Huiuſcemodi verò multiplicationis forma ita deſcribi ſolet. Iaciat quiſpiam làpidẽ in lacũ, frangitur eo ictu aqua: Deinde fracta impellit circumſtantẽ aquam, & in ea oritur circuli figura. Pars autem illa identidẽ proximam ſibi ferit. Vnde maior circulus emergit, qui ſimiliter agitat poſteriorem aquã, & ibi ampliorem circulũ efficit. Ac ita multiplicatio circulorum pergit, quoad vis primi percutientis in ictibus conſeruatur. Denique ſucceſſus nouarum figurarum aboletur: & quo illi circuli ſunt remotiores & ampliores, eò figura eſt obſcurior ac debilior, do nec tandem euaneſcat. Non autem arbitror te adeò ineptum eſſe, vt nõ agnoſcas figuras illas circulorum permultas numerò eſſe, non vnam. Quòd ſi figuræ multiplicantur, nec ſunt eædem, quare ſoni & voces circulis illis inhærentes, nõ erunt numero ſeu indiuiduo multæ. Neque Auguſtinus iſtam ſonorum ignorauit multiplicationem. Scripſit quippe ad Dardanum epiſtola 57.

Quantò excellentius Deus natura incorporea & immutabiliter viua, qui non ſicut ſonus per moras temporum tẽdi & diuidi poteſt, nec ſpacio aereo, ſicut locus ſuo indiget,

Reſpondetur ad argumẽta de voce.

An ſonus & vox ad omnes audientes perueniat.

Soni definitio

get, vbi præsentibus præsto sit: sed æterna stabilitate in se ipse manens totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus, &c. Idcirco ἰσταζας, quas adduxisti, rudioribus & populo aliquâ fidem possunt facere, sed paulò diligentius & artificiosius eas considerantibus non imponunt. PAN. Ego nolim tam subtiliter philosophari. Didici quidem, sed malim Theologi professionē retinere. ORO. Subtilia hæc vtcunque videntur, sed tamen à me fūt perspicuè (quantum fieri potuit) exposita: nec dubito satis abste perceptum, quàm parum ad rem, quæ in manibus est, faciant.

PAN. Redeamus ad sacra, Necesse vobis est testimonio diuinarum literarum adactis confiteri, Christi humanitatem ab assumptione illius in cœlos in terris fuisse visam. Nam de Stephano sic scribitur in Actis cap. 7. *Cum autem esset plenus spiritu sancto, intentis in cœlum oculis vidit gloriam Dei & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos & filium hominis stantem à dexteris Dei.* Et in eodem libro capite 9. scripsit Lucas de Paulo: *Et subitò circumfulsit eum lux de cœlo, collapsusq; in terram audiuit vocem dicentē sibi, Saul, Saul, quid me persequeris? Dixit autem, Quis es Domine? Dominus autem dixit, Ego sum Iesus quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Is tremens ac stupens dixit, Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum, Surge, Ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere, &c.* Et non multo post: *Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias, & dixit ad illum per visum dominus, Anania. Et ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum, &c.* Adijciam etiam quod Ambrosius de Petro narrat libro 5. Epistolarum in oratione quam habuit in Auxentium Arrianum: *postea victo Simone, cùm præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos gētilium. Quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit. Et videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemq; ingredi, ait: Domine quo vadis? Respondit Christus, Venio Romā rursus crucifigi, intellexit Petrus diuinum ad suam crucem pertinere responsum, &c.* Ex ijs facilè potes colligere, Christum non habere humanitatem suam cœlo inclusam, sed nonnunquam se demōstrasse videndum & audiendum in terris.

Respondetur ad argumentū de Stephano.

ORO. Istis etiā historijs, quibus videris multum fidere, nequicquam proficis. De Stephano primùm dicam. An Christi humanitatem putas ad eum propius accessisse, vt ab illo posset conspici? Non est necesse vt sic fieret. Nam si eis assentiamur qui existimant in videndo radios ab oculis emitti vsque ad res quæ conspiciuntur, nōnne potuit vi diuina fieri, vt ita beati martyris oculi roborarentur, vt cū possent anteà vsque ad firmamentum acie sua naturaliter pertingere, ac in eo varia sydera cernere, tunc in summo discrimine, cum pro nomine Iesu Christi erat moriendum, vltra firmamentum vsque ad regiones beatorū extenderentur, ac ibi super omnes angelos, principatus & dominationes, atque adeò super omnē creaturam viderint Iesum Christum in gloria Dei stantem ad dexteram patris, vt se fortiter adiuuaret, & consolaretur? Sin verò magis placet eorum sententia qui aiunt, ad videndum nō emitti radios extra oculos, sed potius à rebus ipsis quæ cernuntur multiplicari per medium, formas vel imagines earum, quò ad perueniant ad intuentium oculos, in quibus dum recipiuntur, fit ipsarum rerum perceptio. Hanc inquam viam si libeat persequi, ac ea insistere, non video, quid obstet, quo minus Christus incredibili potentia & Maiestate præditus valuerit sui corporis imagines atque formas vsque ad oculos beati Stephani ex regione beatè viuentium multiplicare, cùm id syderibus octauæ sphæræ seu firmamenti sit naturaliter, id est, citra miraculum datum, vt vsque ad nostros oculos simulachra eorum perueniant. Quare non opus fuit, vt corpus Christi è cœlo detraheretur, cum se videndū Stephano præbuit. PAN. Sed erat in concilio, quando beata visio ei contigit. Domus autem concilij si tecta erat (vt est verisimile) qui potuit aciei oculorū tectū penetrare vsque ad cœlos, vel species & imagines corporis Christi transire per ipsum tectum vsque ad oculos beati martyris? ORO. Miror te istthæc mihi nunc objicere, qui tantus prædicator sis diuinæ omnipotentiæ. Quasi vel per fenestras vel alia lumina domus, aut radij oculorum Stephani ad cœlum vsque non potuerint emitti, aut per illos eosdem aditus, simulacra & imagines tum cœlorū, tum corporis Christi ad Stephani visum peruenire non potuerint. Deinde tibi sumis vt certum, quod admodum est ambiguum, nempe in domo quapiam fuisse peractū hoc iudicium, cùm Hebræi alioquin in ipsis portis (vt scriptura passim testatur) consueuerint iudicia exercere. Vnde potius est credibile sub dio hæc fuisse gesta. Præsertim cùm in fine 6. capitis dicatur, maximam turbam ad illud iudicium conuenisse. Ita enim scribitur: *Exorti sunt autem quidam è synagoga quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & Cilicum, & Asianorū disputantes cum Stephano, nec poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur. Tunc subornarunt viros qui dicerent, Audiuimus eum dicentē verba contumelioſa in Mosen ac Deum, Commouerunt q; plebem & seniores & scribas, atque inuadentes corripuerunt eū, & adduxerunt in concilium,* &c. Videmus hīc quot hominum genera conuenerint ad sacerdotes & Pontificem, qui causam erant iudicaturi. Quare consentaneum est, sub dio iudicium hoc fuisse administratum. Sed fingas (vt libet in domo pontificia fuisse cum Stephano actum. Est vtique probabile, non in aulis aut cubiculis interioribus, verùm in vestibulo seu atrio domus rem fuisse confectam. Nam & adhunc modum cum Christo fuit actum. Petrus in atrio erat, vbi cum alijs dum se calefaceret Dominum ter negauit: ad quem Christus oculos flectens pro sua incredibili misericordia illi salutarem pœnitentiam diuinitus afflauit. Non autem potuisset illum corporeis oculis aspicere, nisi statuissent eum coram iudicibus in eodem atrio. Scimus autem atria sub dio in priori parte domus esse sita, ita vt tota aqua ex omni tecto domus, in are-

Iudicium cōtra Stephanū vbi fuerit peractū.

An Christus appropinquauerit Stephano vt ab eo videretur.

& lux, quâ vnà cũ coloribus oculi suauiter intuẽ
tur, qualitas est, non substantia, neque corpus.
Vnde non rectè confertur abs te cum corpore
atque carne Christi, quę vt ad aliud genus perti-
nent, ita diuersas habent proprietates, neque
lucis qualitatibus afficiuntur. Deinde alia est
res, in qua non leuiter deciperis. Arbitraris quip
pe lucem quam dixi esse qualitatem, simul eodẽ-
q́ue tempore in multis locis esse. Quod proculdubio non ita se habet: quia vnum idemq; numero accidẽs, vna eademq; forma seu perfectio,
Lux eadem numero non est eodẽ tempore in multis locis
nõ est in diuersis subiectis Calor enim qui est in aqua, non est idẽ numero cum illo, qui est in ferro: quiq; in ferro hæret, non est idem numero cũ illo, quo adficitur lignum. Accidẽtia cùm per se non existant, non etiam per se numerantur, sed iuxta numerum subiectorum suorũ discernuntur. Quare non est eadem numero lux quæ aerẽ Orientalem illustrat, cum illa quæ afficit Occidentalẽ. Et si diuersus est aer Aquilonaris ab Australi, distincta etiam est lux illorum, nec potest eadẽ esse numero, vtque aer domus est diuisus ab aere horti, ita lux quæ domum illuminat, alia est qualitas numero, ab ea quæ in horto cernitur. Non ergò tibi rectè sumpsisti lucem vnam eandemque numero esse vel vbique vel in multis locis eodem tempore, cùm sint distinctę qualitates numero, quæ sunt in distinctis subiectis. Eędem quidem sunt specie, sed non indiuiduo seu numero, vt cum scholis ad maiorem perspicuitatem loquar.

Quomodo lux dicatur pertrãsire vitrum.

PAN. Attamen lux pertransit vitrum citra vllam eius ftactionem vel sciſſuram. ORO. Hic etiam non parum hallucinaris. Fingis enim eandem numero lucem esse, quæ extra vitrum sita ipsum illustrat, cum illa quæ domum intus illuminat. Falleris: quoniam hoc pacto res agitur. Lux exterma vitrum ipsum afficit, nimirum id illustrando & calefaciendo. Vitrum autem sic affectum & immutatum, aerem qui est intra domum, & illuminat, & excalefacit. Quocirca lux & calor externi aeris, vitri, & aeris domestici, quamuis eiusdem sint formæ, numero tamen differunt, nisi statuere velis, formas, accidentia, & rerum actus, vel perfectiones ex vno subiecto in alterum migrare seu transferri: quod à nemine qui rectè philosophetur, impetrabis.

Nec alia est ratio imaginis Solis, quam vnam & eandem soletis dicere in diuersis locis esse, hoc est, in permultis, varijs, & distantibus aquę partibus, vt in vtraque parte ripę, nec nõ in medio seu lacus seu fluminis. Non enim vna est imago numero, sed innumerabiles quodãmodo à corpore Solari multiplicantur, & per aerẽ & in aqua vbi cõspiciuntur, licet per aerem non videãtur. Proinde sunt permultę numero, licet specie omnes inter se conueniant. Cumq; non habeant idem subiectum, vtique necesse est vt numero seu indiuiduo inter se non sint eædem.

PAN. Vox tamen cùm vna eadẽq; sit, in locis innumeris propemodũ est. Nam si adfuerint prę sentes eidẽ concioni bis terue mille homines, eodem tempore ac simul vocẽ cõcionatoris percipiunt, non autem perciperent nisi præsens illis adesset.

ORO. Hic etiã tibi fin's μωνμία. Eiusdẽ, imponi. Alia quippe dicũtur eadẽ specie, vt paulò antè demonstraui. Alia verò sunt eadẽ numero, vel indiuiduo. Cumq; non bene distinguas inter idẽ & diuersũ, nullo negotio & decipis & deciperis. Vt autem intelligas non vnam vocẽ esse numero quã omnes adstantes percipiunt, sed tot numero esse voces, quot adstãtes eas audiunt, rem paulò altius repetã, quo tibi clarè ac perspicuè naturã soni explicẽ: nam ea cognita, & vocis naturã intelliges, quantũ ad prętentem rationem conducit. Vt ex Aristotele 2. libro de anima colligitur, Sonus est qualitas sensibilis ab auditu, quę producitur ex motu fracti aeris, & in eo tanquã in subiecto hęret, & per ipsum multiplicatur, & qui dem circulari figura, quo ad aures hominũ adstãtium perueniat, &c. Soni iam auditi genus differentias, & omnes vtiq; causas. Materia vel subiectũ est aer, Forma qualitas sensibilis. Agens causa id est à quo aer, circũstans frangitur. Hęc autẽ causa si ad vocẽ cõtrahatur sonus, est spiritus vel flatus ex ore loquentis cum aliquo impetu emissus, aerem frangens. Multiplicatio verò soni, aut vocis per aerẽ seu per aquam (nam vtrunq; horũ elementorũ est harum formarũ soni scilicet & vocis subiectũ) ita fit. Pars elementi quę prius icta est, proximã sibi partem ferit, illa deinde alteram, secũda tertiã, & ita deinceps contingit, quàmdiu vis percutiẽtis potest in eis cõseruari. Fiuntq; istę multiplicationes figura sphęrica. Vnde cùm sic feruntur soni, & voces per varios circulos, & ferunt, & ingrediuntur aures adstantiũ, & ad myringam, id est sensiterium auditus perferuntur, ibi sonus auditur, ac inde species eius ad neruos opticos defertur, & de soni conditione, seu proprietate ibi iudicatur. Quãobrẽ tot sunt numero soni, & voces, quot sunt audientes, nisi dicere velis idem accidens numero in diuersis esse subiectis: quod fieri non potest, neque ab vllis physicis cõcederetur. Sunt quidẽ eiusdẽ speciei, sed numero distingũtur. Huiusce modi verò multiplicationis forma ita describi solet. Iaciat quispiam làpidẽ in lacũ, frangitur eo ictu aqua: Deinde fracta impellit circumstantẽ aquam, & in ea oritur circuli figura. Pars autem illa identidẽ proximam sibi ferit. Vnde maior circulus emergit, qui similiter agitat posteriorem aquã, & ibi ampliorem circulũ efficit. Ac ita multiplicatio circulorum pergit, quoad vis primi percutientis in ictibus conseruatur. Denique successus nouarum figurarum aboletur: & quo illi circuli sunt remotiores & ampliores, eò figura est obscurior ac debilior, donec tandem euanescat. Non autem arbitror te adeò ineptum esse, vt nõ agnoscas figuras illas circulorum permultas numerò esse, non vnam. Quòd si figuræ multiplicantur, nec sunt eædem, quare soni & voces circulis illis inhærentes, nõ erunt numero seu indiuiduo multæ? Neque Augustinus istam sonorum ignorauit multiplicationem. Scripsit quippe ad Dardanum epistola 57.

Quantò excellentius Deus natura incorporea & immutabiliter viua, qui non sicut sonus per moras temporum tẽdi & diuidi potest, nec spacio aereo, tãquã loco suo indiget,

Respondetur ad argumẽta de voce.

An sonus & vox ad omnes audientes perueniat.

Soni definitio

get, vbi præsentibus præsto sit: sed æterna stabilitate in se ipse manens totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus, &c. Idcirco circulos, quas adduxisti, rudioribus & popello aliquâ fidem possunt facere, sed paulò diligentius & artificiosius eas considerantibus non imponunt. PAN. Ego nolim tam subtiliter philosophari. Didici quidem, sed malim Theologi professionē retinere. ORO. Subtilia hæc vtcunque videntur, sed tamen à me sūt perspicuè (quantum fieri potuit) exposita: nec dubito satis abs te perceptum, quàm parum ad rem, quæ in manibus est, faciant.

PAN. Redeamus ad sacra, Necesse vobis est testimonio diuinarum literarum adactis confiteri, Christi humanitatem ab assumptione illius in cœlos in terris fuisse visam. Nam de Stephano sic scribitur in Actis cap. 7. *Cum autem esset plenus spiritu sancto, intentis in cœlum oculis vidit gloriam Dei & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cœlos apertos & filium hominis stantem à dexteris Dei.* Et in eodem libro capite 9. scripsit Lucas de Paulo: *Et subitò circumfulsit eum lux de cœlo, collapsusq; in terram audiuit vocem dicentē sibi, Saul, Saul, quid me persequeris? Dixit autem, Quis es Domine? Dominus autem dixit, Ego sum Iesus quem tu persequeris. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Is tremens ac stupens dixit, Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum, Surge, Ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere, &c.* Et non multo post: *Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias, & dixit ad illum per visum dominus, Anania. Et ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum, &c.* Adijciam etiam quod Ambrosius de Petro narrat libro 5. Epistolarum in oratione quam habuit in Auxentium Arrianum: *postea victo Simone, cùm præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos gētilium. Quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit. Et videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemq; ingredi, ait: Domine quo vadis? Respondit Christus, Venio Romā rursus crucifigi, intellexit Petrus diuinum ad suam crucem pertinere responsum, &c.* Ex ijs facilè potes colligere, Christum non habere humanitatem suam cœlo inclusam, sed nonnunquam se demōstrasse videndum & audiendum in terris.

Respondetur ad argumentū de Stephano.

An Christus appropinquauerit Stephano vt ab eo videretur.

ORO. Istis etiā historijs, quibus videris multum fidere, nequicquam proficis. De Stephano primùm dicam. An Christi humanitatem putas ad eum propius accessisse, vt ab illo posset conspici? Non est necesse vt sic fieret. Nam si eis assentiamur qui existimant in videndo radios ab oculis emitti vsque ad res quæ conspiciuntur, nōnne potuit vi diuina fieri, vt ita beati martyris oculi roborarentur, vt cū possent anteà vsque ad firmamentum acie sua naturaliter pertingere, ac in eo varia sydera cernere, tunc in summo discrimine, cum pro nomine Iesu Christi erat moriendum, vltra firmamentum vsque ad regiones beatorū extenderentur, ac ibi super omnes angelos, principatus & dominationes, atque adeo super omnē creaturam viderint Iesum Christum in gloria Dei stantem ad dexteram patris, vt se fortiter adiuuarer, & consolaretur? Sin verò magis placet eorum sententia qui aiunt, ad videndum nō emitti radios extra oculos, sed potius à rebus ipsis quæ cernuntur multiplicari per medium, formas vel imagines earum, quò ad perueniant ad intuentium oculos, in quibus dum recipiuntur, fit ipsarum rerum perceptio. Hanc inquam viam si libeat persequi, ac eā insistere, non video, quid obstet, quo minus Christus incredibili potentia & Maiestate præditus valuerit sui corporis imagines atque formas vsque ad oculos beati Stephani ex regione beatē viuentium multiplicare, cùm id syderibus octauæ sphæræ seu firmamenti sit naturaliter, id est, citra miraculum datum, vt vsque ad nostros oculos simulachra eorum perueniant. Quare non opus fuit, vt corpus Christi è cœlo detraheretur, cum se videndū Stephano præbuit. PAN. Sed erat in concilio, quando beata visio ei contigit. Domus autem concilij si tecta erat (vt est verisimile) qui potuit acies oculorū tectū penetrare vsque ad cœlos, vel species & imagines corporis Christi transire per ipsum tectum vsque ad oculos beati martyris? ORO. Miror te isthæc mihi nunc obijcere, qui tantus prædicator sis diuinæ omnipotentiæ. Quasi vel per fenestras vel alia lumina domus, aut radij oculorum Stephani ad cœlum vsque non potuerint emitti, aut per illos eosdem aditus, simulacra & imagines tum cœlorū, tum corporis Christi ad Stephani visum peruenire non potuerint. Deinde tibi sumis vt certum, quod admodum est ambiguum, nempe in domo quapiam fuisse peractū hoc iudicium, cùm Hebræi alioquin in ipsis portis (vt scriptura passim testatur) consueuerint iudicia exercere. Vnde potius est credibile sub dio hæc fuisse gesta. Præsertim cùm in fine 6. capitis dicatur, maximam turbam ad illud iudicium conuenisse. Ita enim scribitur: *Exorti sunt autem quidam è synagoga quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & Cilicum, & Asianorū disputantes cum Stephano, nec poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur. Tunc subornarunt viros qui dicerent, Audiuimus eum dicentē verba contumelioſa in Mosen ac Deum, Commouerunt q; plebem, & seniores & scribas, atque inuadentes corripuerunt eū, & adduxerunt in concilium,* &c. Videmus hîc quot hominum genera conuenerint ad sacerdotes & Pontificem, qui causam erant iudicaturi. Quare consentaneum est, sub dio iudicium hoc fuisse administratum. Sed fingas (vt libet in domo pontificia fuisse cum Stephano actum. Est vtique probabile, non in aulis aut cubiculis interioribus, verùm in vestibulo seu atrio domus rem fuisse confectam. Nam & adhunc modum cum Christo fuit actum. Petrus in atrio erat, vbi cum alijs dum se calefaceret Dominum ter negauit: ad quem Christus oculos flectens pro sua incredibili misericordia illi salutarem pœnitentiam diuinitus afflauit. Non autem potuisset illum corporeis oculis aspicere, nisi statuissent eum coram iudicibus in eodem atrio. Scimus autem atria sub dio in priori parte domus esse sita, ita vt tota aqua ex omni tecto domus in aream

Iudicium cōtrà Stephanū vbi fuerit peractū.

eorum descēdat. Ex ijs omnibus (ut arbitror) intelligis, non oportuisse corpus Christi proprius fieri Stephani oculis vt eum videret. Huc accedit Stephanum dicere, se Christum in cœlis videre stantem in gloria patris, non in terris, aut propè sibi adesse. Vnde cum hunc locum nobis objcitis, parum attentè videmini scripturæ verba expendisse. Mitto præterea illos, qui hanc visionem imaginariam fuisse contendunt, cuiusmodi fuerunt Ezechiel, Daniel & permulti cæterorum prophetarum.

Respondetur ad argumentū de Paulo & Ananía.

Nunc ad Paulum venio, cum quo dominus in via loquutus est, & affirmo, ac tibi pro certo dico, Christū quo ad corpus in cœlo fuisse, quando loquebatur cum Saulo. Quod responsum nequāquā mihi fingo. Etenim id Augustinus pluribus in locis docuit. primùm in psalmum 58, ita scribit: *Caput in cœlo erat, & dicebat, Quid me persequeris? Nos cum illo in cœlo, sed per spem: ipse nobiscum in terra per charitatem, &c.* Idem in epistolam Iohānis circa finem sic ait, *Ascensurus in cœlum caput, cōmendauit membra in terra, & discessit. Iam non inuenis Christum loqui in terra, inuenis eum loqui, sed in cœlo & de ipso cœlo. Quare? Quia membra calcabantur in terra. persequutori enim Paulo dixit, Saule Saule, quid me persequeris?* Idemque testatus prius erat in eodē tractatu. Quin etiā De Ciuitate Dei, lib. 17. ca. 9. ait *Vt intelligamus de ipso dici quodammodo, quod de eius corpore dicitur, propter quod etiam ipse de cœlo, cùm corpus eius, quod sunt fideles eius, Saulus persequeretur, Saule inquit, Saule, quid me persequeris?* Desine itaq; fingere oportuisse Christi corpus de cœlo descēdere, vt cum Paulo adhuc persequutore loqueretur. Vox quippè de cœlis formari potuit, & ad aures vastatoris efficaciter pertingere. Apparuit item ei Dominus agenti in templo (vt cap. 22. Actor. habetur) cū extra se raptus esset. Nam sic ait. ἐγένετό μου ὑποστρέψαντος εἰς Ἱερουσαλὴμ καὶ προσευχομένου μου ἐν τῷ ἱερῷ, γενέσθαι με ἐν ἐκστάσει. Vnde potuit esse animi visio, nō oculorū inspectio. deinde in templo erat, id est, in atrio subdiuali. Adhæc adstitit ei cum esset in castris, sed noctu, ideoque nō fuit corporea visio, sed diuinum insomnium.

De Ananía verò nō est multum laborandum, quòd historia sacra doceat in visione id cōtigisse. Quomodo autem animi ac mentes hominum dormientium aut vigilantium diuinitus affici soleant, nunc tecum disputandum non censeo.

Respondetur ad narrationē Ambrosij.

Quod postremo loco ex Ambrosio attulisti, omnium est infirmissimum, quia illa qualis qualis historia, in diuinis literis non habetur, & idcircò tā potest recipi quàm repudiari. Multa quippe mendacia & confictæ narrationes, etiam de sacris rebus crebro in vulgum sparguntur, quæ vt apud aliquos fidem merentur, sic ab alijs magna confidentia irridentur. At demus ita contigisse. Quid iam tandem inde colliges? Petrus vtique potuit aliquo simulachro ad speciem Christi diuinitus efficto commonefieri ne fugeret, quòd mortis eius iam hora instaret: Neq; fuit necesse ad hoc indicandum vt Domini corpus è cœlo descenderet. Quare tu neque rectè, neque ordine facis, qui de tali, tantoque dogmate infirmis rationibus, instantijs dubijs, & narrationibus incertis, vel is constituere.

A PAN. Non tamen potes inficiari vnum oculum simul complecti multos homines. ORO. Nō sunt profectò aut grauitatis, aut eruditionis tuæ huiuscemodi obiectiones. Non es adeò rerū imperitus, vt verè credas multos homines in eodem oculo simul contineri. Quòd si visus plures complectatur, id potes cogirare duplici ratione fieri. Vel radios complures emittendo ad homines quos cernit. Atque hoc pacto dare oportebit ex oculo totidem radios effundi, quot homi- B nes cernit. Nec ἐπιτασις ad propositam quæstionē quicquam faciet. Non enim mirum est ex corpore lucido, vt est oculus, radios permultos exire, cùm quotidie videamus è Sole ac cæteris astris propemodum innumeros proficisci. Vel si visus fiat recipiendo simulachra, & imagines rerum quas percipimus, ea non sunt cōferenda cum christi corpore, quod citra controuersiam firmum ac solidum est, vt quod ossa & carnem habeat. At illa cùm simulachra sint, imagines C & res (vt multi loquuntur) intentionales, (non enim firmiter subiecto hærent, vt accidentia & qualitates reliquæ, à quibus accipiunt subiecta suas denominationes) non mirum est, si locum non occupant. Id autem fit duplici ratione. primum quòd accidētia sunt, non substantiæ corporeæ. Accidentium verò est, non per se, verùm per subiecta collocari. Deinde quòd potius imagines, & simulachra rerum sint, quàm res ipsæ, quas referunt. Quare satis agnoscit, qui non de- D lirat, corpus Christi cum hoc rerum genere non debere conferri. præterea cùm disceptemus, an corpus Domini simul sit in multis locis, aut vbique, tu è diuerso mihi obijcis multos homines esse simul eodemque tempore in vno eodemque oculo. Verùm hac de re iam satis multa.

Ad Argumēti de vno oculo qui multos comprehendit homines.

PAN. At de anima humana quid tandem es respōsurus? Ea, vt ab omnibus vulgò decātatur, est tota in toto corpore, ac tota in qualibet eius parte. Quod animo datur, corpori Christi non E concedetur? ORO. Multa sunt animis propria, quæ corpori congruere nequeunt. An tu arbitraris totum corpus (ut à tuo argumento non recedam) esse in qualibet sui parte? Non te credo sic insanire. Totum quippe corpus non est in ore, neque totum in vtraque manu, vel in vtroque pede. Cùm itaque id tum prædices animæ conuenire, vt sit tota in toto, non est consentaneum vt ad corpus id transferatur. Quod est igitur animi, animo relinquamus: & corpori Christi certa F sua localitas maneat salua. Deinde quod tu asseris ita vulgò decantatum, mihi non videtur esse verum: nec à sapientibus physicis recipitur. Nā Stoici & Plato senserunt animam rationalem in cerebro esse, ac ibi tanquam in subiecto residere: concupiscentem verò seu appetentem cordi attribuerunt: altricem verò seu nutrientem hepati adscripserunt. Atque hoc modo Plato (vt ex Timæo colligitur circa finem) vt in tres partes animam secuit, ita etiam loco & subiecto dis- G iunxit. Aristoteles verò totam rationalem animam videtur opinari subiecto vnam esse, sed viribus ac potestatibus diuiduam. proinde facit illam quiddam totum & vnum, seu (ut physici loquuntur

Anima humana an sit tota in toto & tota in qualibet parte.

Stoici & Plato.

Aristoteles

quuntur in scholis) potestatiuum, quod multiplices & varias habeat potestates, quas omnes cùm in omnibus membris non habeat, non est tota in qualibet parte, quia non in omni corporis membro potest audire, videre, olfacere, ac omnes actiones & opera exercere. Vnde non tota cum omnibus suis actionibus & viribus in qualibet corporis parte. Forma enim est organica, & vires suas habet certis organis & membris alligatas, nec eas potest ad alias partes corporis transfundere. Quocirca dicemus animam quo ad naturam & essentiam suam, quæ per definitionem exprimitur, esse totam in toto corpore, ac in omnibus eius partibus: siquidem est eius actus, vel forma, & ipsum constituit animatum. Quo autem ad vires eius, est tota in toto, quia omnes facultates & vires & actiones habet per corpus dispositas, & ordine pulcherrimo digestas. Non tamen est tota in omnibus partibus: sed tota in toto, & pars in partibus. Quamobrem tua hæc argumenta magis phalerata quam vera dici possunt. Aliquid roboris habuisset ratio tua, si probasses animam dum est in corpore, simul etiam eodemque tempore extra illud existere. At hoc neque ostendisti, neq; potest à quoquam ostendi.

PAN. Athanasius tamen ita scripsit in Symbolo: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Anima verò & corpus ita vnita sunt, vt vbicunque fuerit vnum, & alterum sit. Quare idem statuendum erit de vtraque Christi natura. ORO. *Respondetur argumẽto deducto ex verbis Athanasij* Athanasij & aliorum orthodoxorum Patrum de anima & corpore, nec non de vtraq; Christi natura simile à me vltrò ac libenter admittitur, quantum ad sacramentum dominicæ incarnationis declarandum facit, & duarum naturarũ in eadem persona vnitatem ostendendam. Sed tuum (qui alioqui satis haberis perspicax) esset attentè considerare, in similibus quæ producũtur causa docendi multa esse dissimilia, quod in hoc tuo euenire non erit laboriosum demonstrare. Verbum quippe ante omnem æternitatem naturam humanam, quam suscepit, antecessit. Verùm animæ humanæ non ita præcesserunt corpus quod animatum reddunt: ideò se quo ad tempus non mutuò excedunt. Deinde Christi deitas nunquam se à natura humana seiunxit, quam sibi per incarnationem adunauit. Animas verò corpora sua deserere quotidie videmus. Adhæc anima si à corpore seorsim consideretur, etsi præclara sit res, non tamen est perfecta & absoluta. Verbum autem Dei etiam antè incarnationem, æquè perfectũ fuit, atque post assumptam humanitatem. Nec ignoramus animam esse formam corporis: quod minimè possemus de verbo, quoad humanitatem affirmare. Neq; fieri potest, vt Verbo, quod (vt sæpe dictum est) quo ad æternitatem & quo ad essentiam est infinitum, humanitas adæquetur, quæ tam circumscriptam habet naturam, quã temporarium suę productionis initium. Postremò animus etsi vnà cum corpore non moritur, cum eo tamẽ simul dolet & afficitur: quod (vt superius demonstratum est) de Verbo Dei minimè possumus asserere. Quamobrẽ etsi valet hoc simile ad ostendendũ vnitatẽ per sonę Christi, nõ tamẽ conuincit vbiquitatẽ naturæ humanæ ob vnionẽ hypostaticã esse cõmunicarã: quia nec anima corpori cõmunicat immortalitatẽ.

PAN. Hoc quoque tacere non possum, cùm fateamini Christi corpus esse in cœlis, assentiri vos oportere, illud etiam esse vbiq. Nã dum inuocamus Deum, & Christi magisterio instructi dicimus, Pater noster qui es in cœlis: nos implorare illius Dei fidem & auxiliũ profitemur qui est vbique. Atque ad hunc modum eam loquutionem viri pietate ac doctrina insignes exposuerunt. ORO. Verum quidẽ est Deum omnipotentem, cœlestem inquam patrem, quem inuocamus, cùm sit infinitus, esse vbique. In cœlis attamen orando peculiariter esse prædicamus, quòd ea sit pars totius orbis pulcherrima. Nec ex alia regione mundi perfectiores, maiores, & præclariores Dei actiones hominibus quàm inde sese declarant. Neq; aliam rationem adduxerunt Philosophi, cur omnes nationes putauerint Deos in cœlis esse. Cæterùm hac de re volo vt ipsum audias Tertullianum, tam vetustum, quàm eruditum Ecclesiasticũ scriptorẽ. Is ait aduersus Praxeã: *Rursus quot quot personæ tibi videntur peruersissime Praxeas? Nisi quot & voces. Habes Filium in terris. Habes patrem in cœlis. Non est separatio ista, sed dispositio diuina. Cæterum scimus Deum etiã intra abyssos esse, & vbique consistere, sed vi, & potestate: Filium quoque vt indiuiduum cum ipso vbique. Tamen in ipsa οἰκονομίᾳ Pater voluit Filium in terris haberi, se verò in cœlis, quo ipse Filius suspiciens & orabat, & postulabat à patre, quo & nos erectos docebat orare, Pater noster qui es in cœlis, cùm sit & vbique. Hanc sedem suam voluit pater. Minorauit Filium modico citra angelos ad terram dimittendo, gloria & honore coronaturus illum in cælos resumendo,* &c. Discito hinc Deum quidem esse vbique, at id non significari cum oramus, *Qui es in cœlis*: Imò intelligi cœlos peculiarẽ sedẽ esse quã sibi Deus elegerit, quo & Christũ erat resumturus. Cuius humanitatẽ οἰκονομίᾳ, id est, functione sui ministerij voluit in terris agere. Deinde particulã, *Qui es in cœlis*: animaduertito à Tertulliano sic accipi, quòd Christus docuerit nos orare illò erectos, &c. Nec mirũ filiũ Dei hoc docuisse, cùm in Psalmis patris eius Dauidis passim occurrat, Deũ peculiariter in cœlis esse. Ibi enim scribitur: *Dominus de cælo respexit super filios hominũ.* Et, *Deus misit vel manũ vel auxiliũ de cælo, & liberauit me.* Nec nõ, *Dominus in cælo parauit sedem suã.* Præterea, *Cælum cœli domino, terrã autẽ dedit filijs hominũ.* Itẽ, *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Ac deniq; Psalmo 19. dicuntur cœli prædicare maiestatẽ seu gloriã Dei: quod sanè ibi aliquot versibus pulcherrimè ac elegãter explicatur. Taceo Augustini & quorũdã aliorũ interpretationẽ, qua sẽtiũt Deũ in cœlis esse, idcircò dici quòd eius voluntas perfectè inter cœlites, id est, angelos, & beatos hominum spiritus fiat: quod apud homines in terris minimè contingit, dum hanc miserã vitã exigunt.

Respondetur argumẽto ducto ab inuocatione Patris nostri qui est in cœlis. Quare Deus dicatur esse in cœlis

Tertullianus.

Quamobrem iam te arbitror satis intelligere, cur Dominus noster Iesus Christus nos orare docuerit, *Pater noster qui es in cælis.* Et parum, imò potius nihil habet rationis, vt ex ea loquutionis formula conuincatur Cœlum esse vbiq;.

P A N. Haud opinor te corpori Christi adeò parum fauere, vt non credas illud saltem à suo ascensu in cœlum, omnes infirmitates, & huius mũdi perituras propietates depo suisse. Inter quas etiam hæc est, vt non possit nisi in vno loco esse. Quocirca sequitur etiam hunc defectum à corpore Christi iam glorificato sublatum & ademptum esse, ac propterea nunc iam non cogi in vno loco agere, sed esse vbique.

Respondetur argumẽto ducto ex eoquòd iam corpus Christi deposuerit omnes defectus.

O R O. Equidem corpori Christi sum admodum propitius, atque illi mirum in modum faueo. At non existimo defectum esse humanitatis, vt illam certo loco esse oporteat, sed potius eius naturæ conditionem, in qua fuit ab initio creata. Nisi fortasis etiam dixeris infirmitatem aut defectum esse, quod humanũ corpus oporteat aures, nares, oculos & os habere. Certè vt ad eius perfectã cõstitutionẽ hęc sunt necessaria, ita illud oportet esse locale, ac propter corporis modũ, aliquo certo loco cõtineri.

P A N. Non me latet in vestris ecclesiis & scholis nõ minus quã in nostris inuocationẽ sanctorum prohiberi. Et rectè illud quidẽ: quoniam inuocatio tribuit inuocato maiestatẽ omnipotẽtię, omniscięti, vbiquitatis, & summę beneuolẽtiæ. Hæc autem sanctis citra magnã Dei ignominiã tribui non possunt. Christus aũt in toto terrarum orbe ab omnib. Christianis inuocatur, non tantùm vt Deus & Dei filius, sed etiam vt homo & hominis filius in vnitate personæ. Ergo necesse est, vt non tantum secundũ humanitatem sit omnipotens, omniscius, vbiq; præsens, & summè beneuolus, &c. O R O. Nos profectò (quemadmodum ais) inuocationem diuorum superstitiosam è nostris ecclesijs omnino substulimus, quòd inuocatio huiusce modi non potuerit ex fide proficisci. Nam ea citra verbum Dei locum habere non potest. Nusquam verò scriptura inuocationem mortuorũ approbauit, sed illam potius improbauit, Quod non est vt hoc loco excutiamus. Hoc tãtùm dicam, Scripturam & meliores ex Patrib. affirmare, defunctos quid hic agatur ignorare, nisi quantũ Deus illis voluerit ostendere: quod nos cùm ignoremus, non posse auxilium sanctorum implorare citra hæsitationem. Sed miror te vbiquitatis mentionem facere, quasi sit nephas eam sanctis tribuere, qui superius affirmaueris vnà cum Hieronymo contra Iouinianum, sanctos esse vbique cum agno. Sed ijs omissis, de Christo respondeo, illum per orbem à Christianis iure meritoque inuocari: quandoquidem id apertissimis verbis mandatur vt fiat. Deinde certi sumus, illum non tantùm esse hominem, sed etiam Deum. Neque illum inficiamur esse vbique quoad diuinitatem. Et in inuocando licet non excludamus ab eo humanitatem, non tamen inuocamus illum ratione humanitatis, sed ob diuinitatem quæ cum humana natura coniuncta est. vt cum quispiam alloquitur amicum quatenus audit, non tamen excludit ab eo manus, pedes, & ventrem, quę partes nõ audiunt. Et rex adoratur nõ seorsim à sua purpura, quamuis causa & ratio adorationis à purpura non sumatur. Et si quis adorãdo eam, se protestaretur illã à rege abiungere, iniuria non leui eum affic eret. Vides itaque nec adorationem neq; inuocationem Domini nostri Iesu Christi tuo dogmati patrocinari.

Respondetur argumẽto ex eo ducto quòd Christus vbiq; inuocetur.

P A N. Multa porrò hactenus Orothetes respondisti, quæ audiendo quàm diligentissimè attendi, & ea posthac maturè ac grauiter mecum expendã. Interea verò id tibi dicã, vos dum Christi carnẽ atq; corpus à rebus humanis in cœlũ, & ad nescio quas vestras beatorum, & feliciter viuentiũ regiones ablegatis, incurrere duo grauissima incommoda. Quorum vnũ est quod vobis ipsis in reb. tã aduersis quàm secundis pessimè consulitis. Nã vt sunt res hominũ etiam renatorũ in firmę, dũ tranquilla pace, ac securo fruimur ocio, ad fluxas voluptates, illecebras carnis, & fœda vitia corp. facilè dilabimur, vixq; nos refrenare possumus, quin in turpia & crassiora peccata liberius incidamus, ista persuasione vtcunq; freti, Christũ iam à nobis discessisse, frui suo cœlo, neq; illi curę esse quid à nobis in terris agatur: venturũ quidẽ esse tandẽ ad iudicandos viuos & mortuos, interea verò dũ absq; illius conscientia licet peccare, nõ esse tantã occasionẽ prætermittendã: siqu idẽ aut minus aut nihil peccatis nostris offenditur, cũ ea præsens non cognoscit. Verũ ex nostro decreto, si, recipiatur, & (vt par est) fideli pectore credatur nõ parua reuerentia, & castus timor animũ subibit, siquid turpe, aut Christiano indignũ se offerat cõmittendũ, cũ & illũ hominẽ, quẽ Verbum Dei assumpsit, præsentem adesse statuamus, nõ modò factis nostris, & dictis, verũ etiã cogitatis. Quis tunc, obsecro te, à pudendis & sceleratis culpis non sibi temperet, cernendo sibi adesse testẽ & iudicẽ tantũ virũ atq; Deũ? Seneca, ethnicus alioqui, tamẽ vir grauissimus, ad cuitanda clancularia vitia suadebat, vt semper quãdo soli versamur nobiscũ, seueriorisq; nũ aliquẽ virũ qualis fuit Scipio, Lælius, Cato, nobis & testẽ & inspectorẽ nostrarum rerũ adesse censeamus. Quòd si ea visa est medela qualiscunq; nostræ corruptelæ, cur multò efficacius nõ proderit ea fides, qua verè credamus Christũ etiã qua homo est, nostris omnib. & rebus & actionib. præsentẽ adesse? In rebus aũt aduersis gratissima nobis est consolatio, quòd nõ modò ipsum Deũ, sed etiã Christũ hominem habeamus adiutorẽ. Ita neq; mundus, neq; caro, neq; diabolus, neq; crudelissimi tyranni possunt in grauissimis tormẽtis & media morte nos perterrefacere: quia nobis procul non est (scilicet vltra omnes aspectabiles cœlos, vt vos fingitis) noster propugnator Iesus Christus, etiam quatenus homo. Non est quærendus in longinquis regionibus noster Pontifex qui pro nobis intercedat, & nobis auertat mala quib. premimur. Hoc genere præsidij eoq; dulcissimo & firmissimo vos ipsos infeliciter

Seneca.

Respondetur argumẽto ex eo ducto quod nos priuauerimus duplici commodo.

feliciter nudastis. ORO. Speciosa hæc sunt cõmemoratu, & facilè possunt aures plebis demulcere, sed nunquã falla referenda sunt ad populũ oblectandũ. Si tantopere, vt narras, optanda esset Christi corporalis præsentia vt vitia refrenarentur, atq; magis cohiberentur, præsertim bonis rebus, cur Christus ex hoc mundo se subduxit? Ad istũ modum potuissent cum eo Apostoli expostulare, ac reuera tristes erant, cũ eum audirent de suo abitu ad patrẽ permulta narrantẽ. Deinde quare ad nos magis retinendos & seruandos à peccatis, nõ se aspectabilem cuiq; nostrũ exhibet? Certè magis quoad hoc proficeret, si à nobis cerneretur, quàm sua cæca præsentia quã confinxistis faciat. Apage ista leuia, ne dixerim puerilia, argumenta. Nisi Dei summi ac Opt. Max. patrisq; cœlestis præsentia, nec nõ Christi diuinitas adsens & almi spiritus, vtriusq; nimirũ patris & filij viuificus & sãctus afflatus, nos à peccando per ministeriũ verbi & sacramentorũ auocet, quid faciet quæso te carnis aut corporis occulta & latens præsentia? Antiquitùs in columna & nube, die noctuq; dominus videbatur Israelitis præsens, nec tamẽ à peccando reuocabantur. Quid ergo faciet caro Christi dum non videtur? Senecæ consilium aliquid momenti habuisse non diffiteor. Sed pro Lælio, Catone, Scipione, atq; pro Christi (vt vultis) inuisibili humanitate, sufficit nobis Pater, filius, Spiritus sanctus, diuinæ literæ, sacramenta, & mutuæ fratrũ adhortationes. Qui non mouetur hisce potentissimis rebus, quid inuisibilis, ne phantastica dixerim, præsentia corporis Christi proficiet? Nec ideò quia præsens non adest carne, putandus est, si quid turpiter cõmittimus, id ignorare, cũ illũ & Deũ & hominem esse confiteamur. Quid potest Deũ latere? Quin potius ipsum audimus in Euangelica historia de suo abitu è mundo agentẽ, Lucæ 19. cap. vbi seipsum fecit instar hominis præclari ac nobilis, qui proficisceretur in regionem admodum remotam, & interim suas pecunias cõmitteret seruis, vt eas rectè ac industriè negotiãdo augerent. Audis Pantache quid ipse de seipso testetur, nimirũ quod abierit, & aliquandiu sit futurus in regione longinqua, quod scilicet ad carnem, ac nostras esse partes gratiam & charismata eius laborando in ecclea fructuosa reddere, vt illi non præsenti quoad corpus, sed reditu ro nos approbemus? In Matthæo quoq; cap. 24. habetur, *Beatus ille seruus quem cũ venerit dominus, inuenerit sic facientẽ. Amẽ dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Quòd si dixerit seruus ille malus in corde suo, cunctatur dominus meus venire, cœpitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs, veniet dominus serui illius in die quo non expectat, & hora quã ignorat, & diuidet eum*, &c. Hæc humanitatem Christi abesse à nobis docent, & seruos bonos dare operam pro viribus vt absẽti hero pareant: prauos autem ex illius absentia & mora occasionem capere flagitiorum quę committunt. Nulla verò fit mentio cæcæ atq; clancularię illius præsentię. Desinas itaq; nobis obtrudere credendum quod neq; sacrę litę ræ docent, neq; si daretur, plus momenti quo ad salutem nobis afferret, quã colores noctu in tenebris, dũ non cernuntur, oculos & visum nostrum vel iuuent vel oblectent.

Deinde quo ad auxiliũ in aduersis impetrandũ cũ illis crudeliter premimur, nil præsidij minus habemus ex nostra fide, quã vos ex vestra experiamini. Nam si diuina hypostasis filij Dei (quemadmodũ inter nos cõuenit) est vbiq;, nõ ne vbicunq; vexamur, poterit nos liberare, protegere ac defendere? Quid plus ad id momenti afferet natura humana si præsens adfuerit inuisibilis? Adhæc si omnes proprietates cõmunes habet cũ verbo (quemadmodũ statuitis) etiam si degat in cœlis, nos inde vnà cũ Verbo Deo tuebitur. Certè apud patrẽ Christus, qua homo est, intercedit, & opẽ ac defensionẽ quamcunq; nanciscimur ipse obtinet. Deinde humanitatẽ eius, cũ tanta vnione verbo insita sit, nostrę inuocationes & preces minimè latent: etiãsi procul hinc absit. Cur etiã nõ attendis beato Martyri Stephano non fuisse visum Christũ iuxta se stantẽ, vt se adiuuaret & consolaretur in summo discrimine, sed ait, *Ecce video cælos apertos & Iesum stantem à dextris*, &c. Profectò si erat in terris, ibi congruebat vt illi se ostenderet. Neque oportuisset cœlos aperiri, nisi supra cœlos aspectabiles eius corpus fuisset. De Pontifice autẽ nostro vbi nã in præsentia sit, non oportet multis explicare, cùm scribatur in Epist. ad Hebræos: *Habemus igitur Pont. magnum qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei.* Nec minus ibi quàm si cæca præsentia esset in terris, pro nobis patri suũ sacrificiũ offert, & illũ nobis placatũ & propitiũ reddit. Iam liquidò tibi ostensum esse reor, ea commoda quæ tam magnificè amplificasti, asserendo illa in nos ex præsentia latenti corporis Christi deriuari, etiã citra eam haberi & perfici.

PAN. De incõmodo priori satis est dictum. Quare ad alterũ explicandũ me confero. Id saltem præ vobis fructus & vtilitatis ex nostra sẽtentia capimus, quòd firmiter credimus, nec dubitamus corpus & sanguinem Christi verè, substantialiter, ac realiter adesse in pane ac vino Cœnæ, & ibi distribui ac sumi. quod vos dicere non potestis, nec etiam profitemini, cùm ipsam Christi humanitatẽ doceatis & mordicus propugnetis in aliquo certo loco esse cœli, idq; circumscriptiua locatione. Quare (vt vultis) cũ amplius nõ sit in terris, nõ potest cũ pane ac vino in Cœna manducari. Non est vtiq; leue bonum, seu aspernandum cõmodum, nos de tanto mysterio quid sentiamus posse apertè ac rotundè confiteri. Quod vobis minimè cõtingit: Nã ex vestris alij dicũt, in Cœna se frui gratia & fructu corporis & sanguinis Christi pro nobis traditi. Alij affirmant corpus & sanguinẽ Christi spiritualiter comedere. Ac alios audias dicere illic edi corpus Domini, ac sanguinẽ eius bibi tantũmodò fide, ita vt edere corp. Christi & sanguinẽ eius bibere nil aliud sit, q̃ credere corpus eius mortuũ esse nostra causa, & sanguinẽ eius fusũ in remissionẽ peccatorũ. Nec desunt qui affirmẽt celebrationẽ sacræ Cœnę tãtũmodo esse

Quamobrem iam te arbitror satis intelligere, cur Dominus noster Iesus Christus nos orare docuerit, *Pater noster qui es in cælis.* Et parum, imò potius nihil habet rationis, vt ex ea loquutionis formula conuincatur Cœlum esse vbiq;.

P A N. Haud opinor te corpori Christi adeò parum fauere, vt non credas illud saltem à suo ascensu in cœlum, omnes infirmitates, & huius mũdi perituras propietates depo suisse. Inter quas etiam hæc est, vt non possit nisi in vno loco esse. Quocirca sequitur etiam hunc defectum à corpore Christi iam glorificato sublatum & ademptum esse, ac propterea nunc iam non cogi in vno loco agere, sed esse vbique.

Respondetur argumẽto ducto ex eoquòd iam corpus Christi deposuerit omnes defectus.

O R O. Equidem corpori Christi sum admodum propitius, atque illi mirum in modum faueo. At non existimo defectum esse humanitatis, vt illam certo loco esse oporteat, sed potius eius naturæ conditionem, in qua fuit ab initio creata. Nisi fortasis etiam dixeris infirmitatem aut defectum esse, quod humanũ corpus oporteat aures, nares, oculos & os habere. Certè vt ad eius perfectã cõstitutionẽ hęc sunt necessaria, ita illud oportet esse locale, ac propter corporis modũ, aliquo certo loco cõtineri.

P A N. Non me latet in vestris ecclesiis & scholis nõ minus quã in nostris inuocationẽ sanctorum prohiberi. Et rectè illud quidẽ: quoniam inuocatio tribuit inuocato maiestatẽ omnipotẽtię, omniscięntię, vbiquitatis, & summę beneuolẽtiæ. Hæc autem sanctis citra magnã Dei ignominiã tribui non possunt. Christus aũt in toto terrarum orbe ab omnib. Christianis inuocatur, non tantùm vt Deus & Dei filius, sed etiam vt homo & hominis filius in vnitate personæ. Ergo necesse est, vt non tantum secundũ humanitatem sit omnipotens, omniscius, vbiq; præsens, & summè beneuolus, &c. O R O. Nos profectò (quemadmodum ais) inuocationem diuorum superstitiosam è nostris ecclesijs omnino substulimus, quòd inuocatio huiusce modi non potuerit ex fide proficisci. Nam ea citra verbum Dei locum habere non potest. Nusquam verò scriptura inuocationem mortuorũ approbauit, sed illam potius improbauit, Quod non est vt hoc loco excutiamus. Hoc tãtùm dicam, Scripturam & meliores ex Patrib. affirmare, defunctos quid hic agatur ignorare, nisi quantũ Deus illis voluerit ostendere: quod nos cùm ignoremus, non posse auxilium sanctorum implorare citra hæsitationem. Sed miror te vbiquitatis mentionem facere, quasi sit nephas eam sanctis tribuere, qui superius affirmaueris vnà cum Hieronymo contra Iouinianum, sanctos esse vbique cum agno. Sed ijs omissis, de Christo respondeo, illum per orbem à Christianis iure meritoque inuocari: quandoquidem id apertissimis verbis mandatur vt fiat. Deinde certi sumus, illum non tantùm esse hominem, sed etiam Deum. Neque illum inficiamur esse vbique quoad diuinitatem. Et in inuocando licet non excludamus ab eo humanitatem, non tamen inuocamus illum ratione humanitatis, sed ob diuinitatem quæ cum humana natura coniuncta est. vt cum quispiam alloquitur amicum quatenus audit, non tamen excludit ab eo manus, pedes, & ventrem, quę partes nõ audiunt. Et rex adoratur nõ seorsim à sua purpura, quamuis causa & ratio adorationis à purpura non sumatur. Et si quis adorãdo eam, se protestaretur illã à rege abiungere, iniuria non leui eum affic eret. Vides itaque nec ad orationem neq; inuocationem Domini nostri Iesu Christi tuo dogmati patrocinari.

Respondetur argumẽto ex eo ducto quòd Christus vbiq; inuocetur.

P A N. Multa porrò hactenus Orothetes respondisti, quæ audiendo quàm diligentissimè attendi, & ea posthac maturè ac grauiter mecum expendã. Interea verò id tibi dicã, vos dum Christi carnẽ atq; corpus à rebus humanis in cœlũ, & ad nescio quas vestras beatorum, & feliciter viuentiũ regiones ablegatis, incurrere duo grauissima incommoda. Quorum vnũ est quod vobis ipsis in reb. tã aduersis quàm secundis pessimè consulitis. Nã vt sunt res hominũ etiam renatorũ in firmę, dũ tranquilla pace, ac securo fruimur ocio, ad fluxas voluptates, illecebras carnis, & fœda vitia corp. facilè dilabimur, vixq; nos refrenare possumus, quin in turpia & crassiora peccata liberius incidamus, ista persuasione vtcunq; freti, Christũ iam à nobis discessisse, frui suo cœlo, neq; illi curę esse quid à nobis in terris agatur: venturũ quidẽ esse tandẽ ad iudicandos viuos & mortuos, interea verò dũ absq; illius conscientia licet peccare, nõ esse tantã occasionẽ prætermittendã: siqu idẽ aut minus aut nihil peccatis nostris offenditur, cũ ea præsens non cognoscit. Verũ ex nostro decreto, si, recipiatur, & (vt par est) fideli pectore credatur nõ parua reuerentia, & castus timor animũ subibit, siquid turpe, aut Christiano indignũ se offerat cõmittendũ, cũ & illũ hominẽ, quẽ Verbum Dei assumpsit, præsentem adesse statuamus, nõ modò factis nostris, & dictis, verũ etiá cogitatis. Quis tunc, obsecro te, à pudendis & sceleratis culpis non sibi temperet, cernendo sibi adesse testẽ & iudicẽ tantũ virũ atq; Deũ? Seneca, ethnicus alioqui, tamẽ vir grauissimus, ad cuitanda clanculatia vitia suadebat, vt semper quãdo soli versamur nobiscũ, seueriorẽ nũ aliquẽ virũ qualis fuit Scipio, Lælius, Cato, nobis & testẽ & inspectorẽ nostrarum rerũ adesse censeamus. Quòd si ea visa est medela qualiscunq; nostræ corruptelæ, cur multò efficacius nõ proderit ea fides, qua verè credamus Christũ etiá qua homo est, nostris omnib. & rebus & actionib. præsentẽ adesse? In rebus aũt aduersis gratissima nobis est consolatio, quòd nõ modò ipsum Deũ, sed etiá Christũ hominem habeamus adiutorẽ. Ita neq; mundus, neq; caro, neq; diabolus, neq; crudelissimi tyranni possunt in grauissimis tormẽtis & media morte nos perterrefacere: quia nobis procul non est (scilicet vltra omnes aspectabiles cœlos, vt vos fingitis) noster propugnator Iesus Christus, etiam quatenus homo. Non est quærendus in longinquis regionibus noster Pontifex qui pro nobis intercedat, & nobis auertat mala quib. premimur. Hoc genere præsidij eoq; dulcissimo & firmissimo vos ipsos infeliciter

Seneca.

Respondetur argumẽto ex eo ducto quod nos priuauerimus duplici commodo.

feliciter nudastis. ORO. Speciosa hæc sunt cõmemoratu, & facilè possunt aures plebis demulcere, sed nunquã falla referenda sunt ad populũ oblectandũ. Si tantopere, vt narras, optanda esset Christi corporalis præsentia vt vitia refrenarentur, atq; magis cohiberentur, præsertim bonis rebus, cur Christus ex hoc mundo se subduxit? Ad istũ modum potuissent cum eo Apostoli expostulare, ac reuera tristes erant, cũ eum audirent de suo abitu ad patrẽ permulta narrantẽ. Deinde quare ad nos magis retinendos & seruandos à peccatis, nõ se aspectabilem cuiq; nostrũ exhibet? Certè magis quoad hoc proficeret, si à nobis cerneretur, quàm sua cæca præsentia quà confinxistis faciat. Apage ista leuia, ne dixerim puerilia, argumenta. Nisi Dei summi ac Opt. Max. patrisq; cœlestis præsentia, nec nõ Christi diuinitas adsens & almi spiritus, vtriusq; nimirũ patris & filij viuificus & sanctus afflatus, nos à peccando per ministeriũ verbi & sacramentorũ auocet, quid faciet quælo te carnis aut corporis occulta & latens præsentia? Antiquitùs in columna & nube, die noctuq; dominus videbatur Israelitis præsens, nec tamẽ à peccando reuocabantur. Quid ergo faciet caro Christi dum non videtur? Senecæ consilium aliquid momenti habuisse non diffiteor. Sed pro Lælio, Catone, Scipione, atq; pro Christi (vt vultis) inuisibili humanitate, sufficit nobis Pater, filius, Spiritus sanctus, diuinæ literæ, sacramenta, & mutuæ fratrũ adhortationes. Qui non mouetur hisce potentissimis rebus, quid in uisibilis, ne phantastica dixerim, præsentia corporis Christi proficiet? Nec ideò quia præsens non adest carne, putandus est, si quid turpiter cõmittimus, id ignorare, cũ illũ & Deũ & hominem esse confiteamur. Quid potest Deũ latere? Quin potius ipsum audimus in Euangelica historia de suo abitu è mundo agentẽ, Lucæ 19. cap. vbi seipsum fecit instar hominis præclari ac nobilis, qui proficisceretur in regionem admodum remotam, & interim suas pecunias cõmitteret seruis, vt eas rectè ac industriè negotiãdo augerent. Audis Pantache quid ipse de seipso testetur, nimirũ quod abierit, & aliquandiu sit futurus in regione longinqua, quod scilicet ad carnem, ac nostras esse partes gratiam & charismata eius laborando in ecclea fructuosa reddere, vt illi non præsenti quoad corpus, sed redituro nos approbemus? In Matthæo quoq; cap. 24. habetur, *Beatus ille seruus quem cũ venerit dominus, inuenerit sic facientẽ. Amẽ dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Quòd si dixerit seruus ille malus in corde suo, cunctatur dominus meus venire, cœperitq; percutere conseruos, imò edere & bibere cum ebrijs, veniet dominus serui illius in die quo non expectat, & hora quã ignorat, & diuidet eum*, &c. Hæc humanitatem Christi abesse à nobis docent, & seruos bonos dare operam pro viribus vt absẽti hero pareant: prauos autem ex illius absentia & mora occasionem capere flagitiorum quę committunt. Nulla verò fit mentio cæcæ atq; clancularię illius præsentiæ. Desinas itaq; nobis obtrudere credendum quod neq; sacrę literæ docent, neq; si daretur, plus momenti quo ad salutem nobis afferret, quá colores noctu in tenebris, dũ non cernuntur, oculos & visum nostrum vel iuuent vel oblectent.

Deinde quo ad auxiliũ in aduersis impetrandũ cũ illis crudeliter premimur, nil præsidij minus habemus ex nostra fide, quã vos ex vestra experiamini. Nam si diuina hypostasis filij Dei (quemadmodũ inter nos cõuenit) est vbiq;, nõne vbicunq; vexamur, poterit nos liberare, protegere ac defendere? Quid plus ad id momenti afferet natura humana si præsens adfuerit inuisibilis? Adhæc si omnes proprietates cõmunes habet cũ verbo (quemadmodũ statuitis) etiam si degat in cœlis, nos inde vnà cũ Verbo Deo tuebitur. Certè apud patrẽ Christus, qua homo est, intercedit, & opẽ ac defensionẽ quamcunq; nanciscimur ipse obtinet. Deinde humanitatẽ eius, cũ tanta vnione verbo insita sit, postrę inuocationes & preces minimè latent: etiãsi procul hinc absit. Cur etiá nõ attendis beato Martyri Stephano non fuisse visum Christũ iuxta se stantẽ, vt se adiuuare: & consolaretur in summo discrimine, sed ait, *Ecce video cælos apertos & Iesum stantem à dextris*, &c. Profectò si erat in terris, ibi congruebat vt illi se ostenderet. Neque oportuisset cœlos aperiri, nisi supra cœlos aspectabiles eius corpus fuisset. De Pontifice autẽ nostro vbi nã in præsentia sit, non oportet multis explicare, cùm scribatur in Epist. ad Hebræos: *Habemus igitur Pont. magnum qui penetrauit cælos, Iesum filium Dei.* Nec minus ibi quàm si cæca præsentia esset in terris, pro nobis patri suũ sacrificiũ offert, & illũ nobis placatũ & propitiũ reddit. Iam liquidò tibi ostensum esse reor, ea commoda quæ tam magnificè amplificasti, assorendo illa in nos ex præsentia latenti corporis Christi deriuari, etiá citra eam haberi & perfici.

PAN. De iocõmodo priori satis est dictum. Quare ad alterũ explicandũ me confero. Id saltem præ vobis fructus & vtilitatis ex nostra sẽtentia capimus, quòd firmiter credimus, nec dubitamus corpus & sanguinem Christi verè, substantialiter, ac realiter adesse in pane ac vino Cœnæ, & ibi distribui ac sumi. quod vos dicere non potestis, nec etiam profitemini, cùm ipsam Christi humanitatẽ doceatis & mordicus propugnetis in aliquo certo loco esse cœli, idq; circumscriptiua locatione. Quare (vt vultis) cũ amplius nõ sit in terris, nõ potest cũ pane ac vino in Cœna manducari. Non est vtiq; leue bonum, seu aspernandum cõmodum, nos de tanto mysterio quid sentiamus posse apertè ac rotundè confiteri. Quod vobis minimè cõtingit: Ná ex vestris alij dicũt, in Cœna se frui gratia & fructu corporis & sanguinis Christi pro nobis traditi. Alij affirmant corpus & sanguinẽ Christi spiritualiter comedere. Ac alios audias dicere illic edi corpus Domini, ac sanguinẽ eius bibi tantũmodò fidę, ita vt edere corp. Christi & sanguinẽ eius bibere nil aliud sit, q̃ credere corpus eius mortuũ esse nostra causa, & sanguinẽ eius fusũ in remissionẽ peccatorũ. Nec desunt qui affirmẽt celebrationẽ sacræ Cœnę tãtũmodo esse

vt edēdo & bibēdo cōmemorem⁹ Christi morte, & de táto beneficio gratias Deo quátas possum⁹ agamus. Hoc nihil aliud est quá fluctuari animo, & modò in hanc modò in illam partem summa incertitudine pertrahi. Et sanè paucos mihi crede audiui ex ijs qui à vestra parte stant, paratos de hoc articulo suæ fidei rationem poscentibus reddere. ORO. Mihi (vt video) eluenda est ad extremum hæc nota, quam ecclesijs nostris conaris inurere, quasi nequeant fidei suæ de sacra Cœna rationem reddere, nec expedire possint quid nam in ea percipiant. Te autē Pantache minimè omnium decebat hæc objicere, cùm ipsi admodum sitis impediti quádo vobis explicandum est, vt panis sit corpus Christi, & vinum eius sanguis. Multa quidem vos dicitis, & cum detestemini tropos, citra illorum operam exitum vestræ interpretationis minime inuenitis. De præsentia item illa corporis eodem tempore in multis locis vt labore tis, iam (vt opinor) liquidò tibi constitit. Neque istam tuam vbiquitatem omnes Lutherani recipiunt. Sed ijs omissis, tibi me ostendere oportet, quàm facilis & expedita sit nostra responsio, cùm rogamur quidnam accipiamus in sacra Cœna. Prùm constituendum est fideles duplici ore præditos esse, quorum alterum physicum est, quo scilicet potum & cibum prophanum seu communem in ventriculum transmittunt, ad ipsum corpus alendum & nutriendum. Alterum os habent, non quidem propriè, sed per elegantem metaphoram ita dictū, quod ad rationalem animi partem, quatenus ex fide illustrata & instructa, pertinet, & eo cœlestem alimoniam recipiunt, ad animi & denique totius hominis diuinam instaurationem. Proinde cùm accedunt ad sacram Cœnam, naturali ore panem ac vinum sumunt, ore autem animi seu fidei ea percipiunt, quæ ipsis ex instituto Domini significantur, corpus inquam & sanguinem Christi, vt in crucem data fuerunt pro nostra salute. Vtq; os illud animi res est nō terrena, sed spiritualis, ita hæc mâducatio non est propria, sed metaphorica. Vnde manducare corpus Christi, ac eius bibere sanguinem, est verè ac efficaciter credere illa nostri causa fuisse à Deo in mortem crucis tradita

Respōdetur argumento ex eo quòd non possimus ostendere quid sumamus in cœna domini.

Duplex est os fideliū.

PAN. At necesse est ante quàm fratres ad mensam accedant, omnino ista credere: alioquin sibi iudicium seu condemnationem ederent ac biberent. Quare de mensa non accipiunt plus corporis & sanguinis Domini quàm prius habuerint. ORO. Falleris: quia dum hîc viuimus, fides non est absoluta, sed continuas habet accessiones, & coniunctio nostra cum Christi corpore, non est adeò intima, quin semper illam oporteat interiorē fieri. Quare in edēdo & bibendo, cùm Cœna Dominica celebratur, accenditur magis ac magis, & crescit fides, & sui obiecti, corporis inquam, & sanguinis Domini, magis redditur particeps, & amplius illa spirituali reficimur alimonia. PAN. Mira hæc videntur. ORO. Et nihilominus in baptismo adultorum vides idem vsuenire, nec miraris. Etenim qui iusta ratione volunt sacro baptismo tingi, prius necesse est vt credāt, quā tingantur. Quòd si credant, iam sunt iustificati, & condonationem gratuitam peccatorum acceperunt. Quid ergò ex illa tinctione sacra quæ consequitur plus accipient, quàm prius habuerint? Proinde tu prudenter cogites, quid hîc sis responsurus, ac tibi ipsi pro me totidem verbis esse responsum putes. Profectò vtrinq; tam in sacra Cœna quàm in baptismo ponēdus non est ludus inanis vacuorum signorū. Quare sic statuere oportet, res ipsas quæ per symbola demonstrātur, prius quàm ad sacram mensam accedamus, inchoata quadam coniūctione, animis ac fidei nostrę præsentes adesse, verùm quia semper nonnihil ei coniunctioni deest, ideò & ibi corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi sumere verè dicimur, quatenus harum rerum coniunctio maior, arctior, & absolutior euadit. Vnde Paulus vtilissimè scripsit, *Panis quem frangimus est cōmunicatio corporis Christi*: Nō sanè quòd panis ipse sit corp⁹ Christi, vel quòd caro Domini (vt vos dicitis) in eo delitescat inuisibilis: sed quia dū panē fractū edimus in sacra Cœna, idque fideliter, corpus & sanguis Domini magis magisq; spiritualiter nobis cōmunicatur.

An in Cœna coniunctio nostra cum carne Christi magis augeatur

PAN. An arbitraris aspectabilia symbola fidem in nobis excitare seu augere, dum illis vescimur? Equidem non recte operi operato (vt sophistæ loquuntur) quod pariter vt nos detestaris, fidem adhibere. ORO. Non eam vim rebus externis Pantache tribuo: quandoquidē nostra fides opus Dei est, & à solo spiritu Christi suggeritur. Is quandoque in animis nostris per seipsum præcipiè absque instrumentis agit, fidem aut gignendo, aut languentem redaccendēdo. Sed plerunque ac ordinaria via, vtitur verbo externo & sacramentis, vt electi ad percipienda cœlestia bona vehementer prouocentur. Quamobrem verbum quod extrinsecus auditur, & sacramenta quæ verba nuncupantur visibilia, non sunt causæ fidei, nisi adieceris instrumentales: quæ proculdubio nihil efficerēt, nisi magisteriū spiritus sancti operaretur interius. Nihilominus tamen id tibi non est surda prætereundum aure, scripturarum loquutionibus ijs instrumentis efficientiam quandā rerum cœlestium attribui. Nam fides asseritur ex auditu esse, auditus autem per verbum Dei. Et Paulus audet affirmare se Corinthios per Euāgelium regenerasse. Hoc autē idcircò fit, vt hæc externa instrumenta Dei non aspernemur. Nā sanè haud parui momenti habēda sunt, cùm Deus illis ad nostram salutem vti dignetur.

An symbola externa fidem augeant.

PAN. Audiui, & quidem sæpè de te, necnon de alijs vestris doctoribus, illud Pauli dictū, *Panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi*, exponi quòd sit illius communicationis signum, vel aspectabile sacramentū, eo quòd signa hæc sacra nominibus rerum vocentur.

Panis quē frangimus est communicatio corporis Christi, exponitur.

ORO. Dixi equidem, ac non semel, quod tu refers: & à nostris præclaris viris non raro affirmatur. Nec in presentia muto dictum. Sed quæ attuli de rerū ipsarū spirituali perceptione, in

in agitanda Cœna dominica, eo retuli, quo indicarem causam, cur ipsa Cœnę symbola nomina rerum assequuta fuerint, nempe quòd non sint vacua & inania signa, verùm fideli eorum vsu, rerum quoque significatarum spiritualiter efficiamur participes. Proinde considera, vt falsò nos insimulatus fueris, quòd retinendo sententiam nostram aduersus vbiquitatẽ, seu præsentiam corporis Christi in multis locis, nesciamus expiicare quid in sacra Cœna sumamus. Etenim tam perspicuè rem tibi demonstraui, vt minime possis ignorare quid sentiamus.

Nostrorũ sententiæ nõ pugnãt, neque sunt dissidentes.

Colliges etiam hinc sententias illas nostrorũ quas vt varias, dissimiles, ac dissidentes adducebas, nequaquam secum pugnare, sed optimè congruere. Omnia enim ea in sacra Cœna locũ habere oportet, si modò rectè atque ordine celebretur. Etenim verè dicitur nos in Cœnã corpus & sanguinem domini, credendo illa esse data in mortem pro nostra salute, spiritualiter edere ac bibere. Nec illi errant qui dicunt, se ibi accipere gratiam, meritum, & fructus mortis eius. Nam qui credendo edit, vt diximus, omnibus illis bonis vberrimè impletur. Nec dubitandũ est eo ritu mortem Domini ab ecclesia commemorari, vt ipse Christus Cœna instituenda mãdauit, & de tanto beneficio gratias Deo agi.

Apparet etiam hinc nostros affici magna iniuria, qui Cœnam sacram infamentur absque corpore ac sanguine Domini celebrare. PAN. Hãc vobis ipsi cõtumeliã accersiuistis, q̃ Christi humanitatẽ vltra omnes cœlos collocaueritis, & ita collocaueritis, vt nobiscũ amplius in terris minimè verletur. Quòd si ad eũ modũ res haberet, qui potest eius corpus atque sanguis vestrę Cœnæ adesse? Qua inquam ratione licet vobis carnis & sanguinis eius verè participes fieri? ORO. Subinde obliuisceris, & cùm maximè opus esset meminisse diuinæ omnipotentiæ, quam consueuisti perpetuò nobis obijcere ad tuam admirabilẽ Vbiquitatem defendendam. Ego profectò si par pari velim reddere, possem nunc dicere, illa omnipotentia facile posse fieri, vt rerum absentium, & quàm longissimè à nobis distantium reddamur participes, & verè ac realiter & substantialiter (vt vos ineptè loquimini) carni ac sanguini Christi coniungamur. Si persuasũ habetis viribus diuinis cõtradictiones rerum nihil obstare, cur dare grauabimini, res quæ absunt eodem tempore ac simul præsentes adesse? Hoc ego non propterea dico, quòd ita de potentia Dei sentiam, sed vt animaduertas, & reipsa experiaris, quàm tua ratio in opgnando nostro decreto hebescat & retundatur à scuto Dei omnipotentiæ, si ea (vt vos crebrò facitis) velimus abuti. Sed hoc respondendi genere omisso, te commonefacio, Ad vnitatem seu coniunctionem spiritualem, quam renati habent cum corpore ac sanguine Christi, non requiri spatij seu loci propinquitatem. Vn de licet Christi humanitas sita sit vltra visibiles cœlos, nobis tamen viuifica vnione coniungi, potest, qui adhuc in terris agimus. Nos porrò quotquot verè domino credimus, licet varios & distantissimos orbis terrarum incolimus tractus, membra sumus nihilominus eiusdem capitis, quæ ab eo pendemus, & verè dicimur caro ex carnibus eius, necnon os ex ossibus eius. Quare, si locorum distantia non obstat, quominus fideles qui agunt in Anglia, sint cum illis fratribus qui tam in Gallia quàm in Germania versantur, ástrictissimè coniuncti, quid impediet quin cum Christi natura humana iungamur, & quidem maxima vnione, quamuis à nobis longissimo tractu locorum distet? Vir si ab vxore (quẽadmodũ fit) aliqua peregrinatione interdum abiungatur, non idcirco desinit esse cum illa vna caro: Christum verò ecclesiæ, nec non cuique fideli iunctum esse spirituali iuxta. q̃ firmissimo coniugio, nemo inficiabitur. Quã obrem nostram vnionem cum eius carne ac sanguine distantia locorũ quantumuis longinqua, non potest auellere. Mitto eam vim esse fidei vt quæ procul distant, & quæ iam præterita sunt non tantum præsentia faciat, sed etiam credentium oculis mentis efficaciter subijciat. Vn de fidei iure ac efficacia corpus quod est in beata regione viuentium super omnes cœlos, nõ potest dici à nobis viuentibus adhuc in mundo abiungi, si ex fide iã simus renati. Ad hæc Sol iste mũdanus ab ipsius ortu usque ad occasum, toto inquam die, licet in cœlo sit affixus, & ibi vnà cum orbe suo moueatur, procul admodum à nobis videatur abesse qui habitamus terram, si spacia & locorum distantiam spectaueris: Attamen ab omnibus dicitur nobis præsens, quòd non solùm calorem & lucem, verum etiam dulces, efficaces, atque viuificas influentias rebus mortalibus perpetuò ac largissimè suppeditet, Quanto magis Christus etiam quo ad humanitatem verissimus Iustitiæ Sol, qui nunquam suis occidit, illis præsens esse credetur, non sanè carnali, reali, corporali & substantiali præsentia, vt vos confingitis, verùm spirituali, qua nos gratia, spiritu, & suis opulentissimis donis largissimè imbuit. Iis addas Cœnam Domini rẽ esse cœlestem ac spiritualem, non humanam & carnalem. Propterea fideles dum cõmunicant, vi spiritus sancti qui operatur in eis per externũ verbũ & huius mysterij symbola, mentem suam euehunt super omnes cœlos, vbi Christo reipsa præsẽte fruũtur, præsertim quo ad humanitatẽ, quã spectant & cõtẽplantur, quatenus p̃ salute hominum in cruce tradita fuit, pretium Deo acceptissimũ. Iam vides quot rationibus corporis Christi præsentiam asseramus in sacra Cœna. Quòd si nobis deest Papisticus & vester modus, qui paruo admodum à se inuicem discrimine separantur, non sumus propterea existimãdi habere δόγμα ἀνώμαλον. Fructus autem atque vtilitatis ipsi non plus habetis ex crassa illa præsentia, si vobis concederetur, quàm nos è spirituali hauriamus. Quare mihi semper visi estis minus quàm par est sapere, cũ pro dogmate æquè absurdo ac inutili sic laboretis, nec pro eo tuendo quicquam habetis nisi Christi τοῦτο, *Hoc est corpus meum*: quæ sententia vt dexterius atque commodius à nostris quàm à vestris exponã-

An habeamus cœnã sine corpore Christi.

Ad cõiunctionem spiritualem cũ corpore Christi, nõ requiritur propinquitas loci.

Similia.

Aliud simile.

Communicantiũ mentes ad cœlũ euehuntur.

tur, facile videritis, nisi animi obfirmatio vestris mentibus densas tenebras induxisset.

PAN. Quando te audio mihi de sacramentaria quæstione respondisse adeò multis, ego quoque duo tecũ statui conferre, quæ ad hanc rem apprimè dilucidandam plurimum conducunt. Atque tibi fortè nondum fuerunt hactenus ita expositа, vt me nunc expressurum confido. ORO. Animum tuum expleas, & quæ libuerit, per me liberè dicito. PAN. Tres in Christiana professione obseruandæ sunt enunciationum seu prædicationum formæ, quas & Philosophi aliud agentes ignorarũt, & multi ex ijs qui nomen Christo dederunt, eas parum attendentes, in errores non minus fœdos quàm pernicioſos horribiliter sunt prolapsi. Prima species prædicationis, causa docendi vocetur Personalis: qua Deum esse hominem, & vicissim hominem esse Deum pronunciamus, cum tamen in hac duarum naturarum coniunctione, quamuis hypostatica & arctissima, nulla intercedat earum transubstantiatio. Non enim Verbum conuertitur in hominem, suam abijciendo naturam, nec homo transit in Verbum desinens esse quod prius fuerat. Id Papæ mancipia dum attentè non perpenderunt, panem & vinum transubstantiari putarunt in sacra Cœna, ob coniunctionem corporis & sanguinis Christi quæ cum illis intercedit. Et in eo sanè turpissimè labũtur, quia longè minor est vnio corporis & sanguinis Christi cũ pane ac vino, quàm humanitatis Christi cũ eius diuinitate. Vnde cùm in ea, quæ omniũ arctissima est, nõ admittatur transubstantiatio, quia neutra natura in alterã commutatur, cur illã Cœnæ mysterio affixerunt? Profectò vt saluæ manent duæ naturæ in Christo, cur salua substantia panis & vini, corpus & sanguis Christi non possunt illis adiungi? Hinc fons & origo erroris Papistarum deprehenditur, quòd plus tribuerint vnioni seu prædicationi Sacramentali, quàm Personali. Habemus deinde aliam enunciandi seu dicendi formulam, quæ Sacramentalis appellatur, qua (vt decebat post aduentũ Christi) res quæ significãtur, propriè, verè ac substantialiter vel corporaliter signis externis præsentes adsunt. Atq; ita de pane ac de vino simpliciter dicitur & creditur, quòd sint corpus & sanguis Christi: quãuis ibi nulla interponitur elemẽtorũ transubstantiatio. Tertiam dicendi seu prædicandi rationẽ vocare possumus Ceremonialẽ seu Typicã, qua ritus veterũ & ceremoniæ declarantur vmbræ ac figuræ fuisse, nec nõ sacra signa Iesu Christi seruatoris nostri qui nondũ venerat, sed venturus expectabatur. Hoc discrimen cùm à multis nõ animaduertitur, nec discernitur inter Sacramentalẽ ac Typicã prædicationẽ, secta orta est Sacramentariorũ. Nã corpus & sanguinẽ Domini cũ pane ac vino tantũ significatione iungi arbitrantur, nec plus dant nostris sacramẽtis quã veterum figuris atque typis largiantur, cùm res ipsa exigat vt sacramẽta quę Christus instituit, res largiantur, quas veterum typi & vmbræ significabant & promittebant.

Modò alterum caput explicandũ tibi superest. ORO. Quæso te ne longius progrediaris, verùm finito vt de ijs quæ dixisti, quod meum sit iudicium prius expediam. PAN. Vt videtur. ORO. De primo enunciationis vel vnionis genere non esset quòd multa verba inter nos cõmutaremus. Damus quippe duas naturas in Christo eadem persona coniunctas, citra illarum conuersionem seu transubstantiationem. Sed vos videmini, licet id verbis negetis, naturarũ ibi confusionẽ seu transubstantiationẽ facere, quando naturã nõ modo diuinã, sed etiã humanã esse vultis infinitam & vbique. Deinde asseritis omnes proprietates nõ tantũ verbaliter, sed etiã reipsa inter illas cõmunicari: cũ tamẽ, vt iã ostensũ est, ex eis multæ sint ita deitatis propriæ, vt humanitatis esse non possint, & aliæ non paucæ quæ ad carnẽ & humanitatẽ sic pertinẽt, vt diuinitati nequeant attribui.

Sed quoniã de ijs anteà semel & iterũ actum est, ideò illa nolo prolixius refricare. Vnde ad reliquas duas prædicationes excutiendas, prout eas recensuisti, me conferã: quas licet vos cõgeminetis, nos vnã ac eandẽ esse affirmamus. Nec satis possũ admirari, vos Typicã seu Ceremonialẽ à Sacramẽtali discerpere, cũ in Cœna sacra ceremoniã seu ritũ habeamus à Christo institutũ, & ibi panis & vinũ typi dicti sint corporis & sanguinis Domini, ab autorib. Ecclesiasticis, qui Græcè scripserũt. Et Latini signa ea esse illarũ rerũ quę significãtur, nõ veriti sũt cõfiteri. Deinde negare veteres comedisse Christũ in suis figuris ac signis, est Paulo Apostolo quã apertissimè repugnare, qui ad Corinthios priori ait, illos eandã escã spiritualẽ comedisse, nec nõ eundẽ potũ spiritualẽ bibisse. Ac ne quis ambigeret quẽ cibũ spiritualẽ sũpserint, illicò subiecit, petrã fuisse Christũ, de qua biberint. Et vt doceret nostra & illorũ eadẽ sacramenta fuisse, non tantũ cibi potusq; spiritualis meminit, sed etiã baptismi. Et Augustinus istarũ rerum magister fidelissimus, Tractatu 26. super Iohãnẽ scribit: *Hunc panẽ significauit manna. Hunc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, sed in re quæ significatur, paria sunt. Apostolũ audi. Nolo .n. vos, inquit, ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Mosen baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandẽ escã spiritualẽ manducauerũt, Spiritualẽ vtiq; eandẽ. Nã corporalẽ alterã, quia illi manna, nos aliud: Spirituale verò, quãnos. Sed patres nostri, nõ patres illorũ, quib. nos similes sumus, nõ quib. illi similes fuerunt. &c.* Et mox: *Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili: quod tamẽ hoc idẽ significaret spirituale.* Idẽ fermè habet in libro de vtilitate Pœnitentię, vbi scribit, *Cibũ Spiritualẽ manducauerunt. Quid est eundẽ? nisi quod eũ, quẽ etiã nos,* &c. Et mox, *Quicũq; in manna Christũ intellexerũt, sũpserunt eundẽ quẽ nos cibũ Spirituale, id est qui fide capiebatur, nõ qui corpore hauriebatur,* &c. Et mox, *Eũdẽ ergò cibũ, eundẽ potum, sed intelligentib. & credentibus: nõ intelligentib. aut ĩ illud solũ manna, illa sola aqua. Credenti autẽ idẽ qui nunc. Tunc enim Christus*

stus vēturus, modò Christus venit. Vēturus & venit diuersa verba sunt: Idem autem Christus, &c. Liceret etiam ex alijs Patribus aliqua congerere testimonia, sed breuitati studeo. Idcirco ijs Augustini dictis ero contentus. Videris postea nos accusare, quòd nostris sacramentis nō plus quàm legalibus tribuamus. Quod profectò aliter se habet: Quoniam cum Augustino sentimus, qui nostra dicit esse illis faciliora, pauciora, clariora, vberiora, &c. Poteris etiam his addere communiora vel vniuersaliora: quoniam sunt non vni gēti Hebraicæ, sed toti orbi communicata. Hęc si velim singillatim amplificare, facilè intelligeres vt nostra sacramenta pluris quàm vetera faciamus.

PAN. At non percipio ex tuis dictis, quid amplius ex nostris mysterijs nos habeamus q̄ antiqui ex suis hauserint. ORO. Quod ad rem ipsam attinet, idem illi nobiscum habuerunt, nempe Christum, non tamen eadem mensura. Quia (vt de statu consueto & ordinaria illius populi ratione loquar) Christus qui ab eis percipiebatur vt mediator & redemptor humani generis, obscurè admodū ostendebatur. Erat quippe in mysterijs & ritib. Mosaicis caligo, & significatio tenebricosa. PAN. Quare te dixisti hæc pronunciare de communi sorte illius gentis? ORO. Quia Prophetæ ac Patriarchæ cùm spiritu Dei essent instructissimi, clarè atque apertè in Sacramentis Legalibus & Christum & redemptionem per illum dandam oculo fidei cernebant & contemplabantur, atque fideliter manducando corpore ac sāguine Christi feliciter vescebātur. PAN. At nondum in rerum natura hæc erāt. ORO. Id nihil refert: quandoquidem Christi manducatio spiritualis fide peragitur: ea verò & absentia & futura, præsentia efficit. Deinde non te latet in sacris literis dici, Agnum esse occisum ab origine mundi: quo? nimirum ad patris propitiationē & acceptationem. Quandoquidem eius victima oblatio ante omnem æternitatem electis profuit.

Verùm ad id redeo quod cœperam explicare de maiori atque illustriori nostrorū sacramentorum claritate. Profectò res perfectius atque solidius constant & intelliguntur cum præstitæ sunt & absolutæ, quàm cùm promissione duntaxat oblatæ fuerint. Magis .n. perspicuè intelligimus oracula & promissa cùm sunt perfecta & completa, quàm cùm per transennam vmbra ac promissi ostenduntur. Deinde sacris legalibus adiecta non erant verba, quæ Christi mortem ac passionem pro salute significanter explicarent, quemadmodum in Baptismo & Eucharistia, mysterijs noui Testamenti sunt apposita. Vnde cùm fides (vt testatur Apostolus) sit ex auditu, & auditus per verbum Dei, consequitur vt in quibus ritibus ac ceremonijs collocata sunt à Deo dilucidior significatio & illustrior verborum claritas, per illa spiritus sanctus, ordinaria & consueta via (vt superius exposui) excitet in hominum cordibus fidem ampliorem & efficaciorē, q̄ p obscura & magis caliginosa olim fecerit. Quare si credere sit corpore ac sanguine domini pasci, qui clariore ac splendidiore fide præditi sunt, ij opulentius atque vberius hac cœlesti alimonia fruuntur. Hinc (vt existimo) apertè demonstratum est, nos de sacramentis euangelicis multò sentire augustius quàm de veteribus. Neque illud simpliciter accipiendum est, quod ipse attulisti, & vulgò passim iactatur, Sacramenta quæ Christus instituit ea conferre ac dare, quæ in veteribus promittebantur: quoniam id est intelligendum sanè, quo scilicet ad Seruatoris aduentum qui sacris Mosaicis promittebatur futurus, nostris verò demonstratur, vt qui non amplius expectetur, sed iam datus fuerit, non quasi nunc Domini corpus reipsa in pane, vel sub pane communicantibus exhibeatur. Proinde in Cœna Christum edimus, vt iam pro nobis in mortē & passionem datum: veteres autem vt olim crucifigendum & moriturum fide manducabant.

Sed quia de hoc argumento nunc satis est dictum, aliud per me tibi libet cùm volueris proponere. PAN. Augustinus censet, cùm aliqua sententia diuinarum literarum proponitur ita vt ambiguū sit an eavel propriè vel tropicè sit intelligēda: hoc ex circūstantijs vel antè vel pòst adiectis esse dijudicandum. Quod potest exemplo allato confirmari. Christus de seipso dixit, Ego sum vitis vera. Possent autem ex ea loquutione aliqui suspicari, eum se vitem ex earum numero pronunciasse, quæ in vinetis coluntur: ij verò ne decipiantur, spectare necesse est quæ postea subijciuntur, nimirum, Et vos palmites. Cumque admodum sit perspicuum, Apostolos non fuisse veros palmites, pari eademque ratione cognoscitur, dominum haudquaquam fuisse naturalem vitem. Hanc etiam nos oportet regulam sequi, cùm à domino audimus pronuntiari de pane, Hoc est corpus meum: & ambigimus an simpliciter, an metaphoricè huiusce modi verba sint interpretanda, nempe vt expendamus quàm diligentissimè quid sequatur. Additur porrò statim, Quod pro vobis tradetur. Nemo verò, nisi data opera insaniat, affirmare audebit, panem ipsum aut corpus fictitium seu phantasticum fuisse in crucem pro nobis tradita. Ideò cōsectarium est id quod à Christo demonstrabatur, fuisse verò, propriè, ac naturaliter suum corpus. Et conficitur, ea verba simpliciter ac citra metaphoram seu tropum esse omnino intelligenda. ORO. Regulam siue ab Augustino siue ab alijs doctis viris propositam non reijcio, imò lubens & volens admitto, nempe vt ambigua dicta scripturarū per circūstantias vel anteà vel posteà expressas dijudicētur. Sed tamen allatæ regulæ aliam addiderim, Quando à circumstantijs alicuius dicti non potest iusta & clara interpretatio deriuari, ad alia diuinarum literarum loca respiciendum esse, ac diligenter expendendum, vtri nam sensui, proprio inquam an tropico faueant, & vtrum illorum oppugnent, atque inde iudicium de intelligentia seu interpretatione faciendum. Quod

attuli, exemplis illustrare minimè grauabor. Dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, &c. Hinc ἀνθρωπομορφίται cõfici dixerunt, Deum habere corpus & animam, & cætera membra, vt ea conspicimus in homine formata. Sed illos ex alijs scripturæ locis confutamus. Nam de Deo scribitur: *Spiritus est.* Et, *Spiritus carnem & ossa non habet. Deum nemo vidit vnquam*, &c. In Ioanne habetur, *Pater maior me est.* Hinc Ariani concludebant filium patre minorem: Nos autem dictum illud ad naturam humanam contrahimus, neque ad diuinam adaptamus, & diuinitatem Christi ostendimus ex 1. cap. Ioannis. 9 ad Romanos, & ex Epistola 1. Ioannis 5. Dixit Christus, *Ego & pater vnum sumus*, &c. ibi Samosatenus distinctionem personarum tollit. Nos verò illá astruimus, quòd pater dixerit: *Hic est filius meus dilectus*, &c. Hæc enim verba manifestè demonstrant personarũ discrimen. Et illud Ioannis, *Et Verbum erat apud Deum*, &c. quod verum non esset, si pater & filius eadem hypostasi constitueretur. Proindè liquet non tantùm ab ijs quæ antecedunt & sequuntur, obscuram sententiam illam esse interpretandam, sed etiam ex aliorum locorum diuinæ scripturæ analogia. Idcirco nos tum ex ijs quæ in historia Cœnæ habentur, tum ex alijs literarum sanctarum dictis euincimus, illa domini verba, *Hoc est corpus meum*, nõ esse propriè, vtque dicunt, literaliter accipienda. Primùm considéramus in sacra Cœna Christum corpore suo cum Apostolis accubuisse. Ab illis conspiciebatur: cum ipsis loquebatur. Vnde cùm panem acciperent, satis intelligebant sibi aliud à Christo distribui, quàm illud corpus quod videbant sibi adstare. PAN. Quid ergo sibi porrigi existimabant? ORO. Mysterium vel sacramentum, quod signum esset corporis & sanguinis domini, quæ pro nobis tradenda erant atque fundenda. Et ea si vera fide complecterentur, ipsis cæterisq; fidelibus fore cernebant instar panis & vini, quo ad spiritualem substentationem Quæq; sic in Cœna fuerunt instituta, pulcherrimè cum ijs quæ 6. cap. Ioannis habentur, consentiunt. Nam ibi Christus carnem suam panem vocauit, dicendo, *Ego sum panis viuus*, &c. Et, *Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*, &c. Hic verò propositionem conuertit, & panem dicit esse corpus suum. Idemq; significatur vtrobique, nempe corpus & sanguinem domini, quatenus data fuerint pro nostra salute, dum efficaci atque ardenti fide à nobis comprehenduntur, esse animi atque mentis nostræ salutarem panem atque potum, quo subinde reficiamur ac recreemur ad æternam vitam. Vt ita que dixit in Ioanne, carnem suam esse panẽ vitæ, ita nunc de pane pronunciauit, quòd esset corpus suum. Et sanè tam nobilis alimenti symbolum aptius inueniri nõ potuit quàm panis. Eo enim corpus quotidie reficitur atque instauratur. Vnde mihi facilè persuadeo, tũ Apostolos cùm hæc in Cœna fierent, ea planius intellexisse, quæ in 6. capite Ioannis à Christo dicta fuisse narrantur. Durum quippe tum videbatur & perabsurdum, carnes humanas edere, ac sanguinem potare, sed nunc docentur id non carnali, sed spirituali ratione faciendum. Accũbebat enim Christus integro & sano corpore, atque distribuendo, & calicem porrigendo adstantibus Apostolis, illa dicebat corpus & sanguinem suum esse. Quare mirari desierunt, apertè sentientes, non realiter, corporaliter, ac substantialiter carnes humanas edendas, & sanguinem humanum potandum, sed spiritualiter, hoc est animo atque fide, cuius interioris alimoniæ, cibus externi panis, & potus externi vini symbola, typi, & sacramenta essent. Nec edendo atque bibendo iussu domini terrore sunt perculsi: nec interrogarunt quic quam de ratione ac modo quo sui præceptoris carnes ederent, aut sanguinem biberent. Iam enim cognoscebant quomodo intelligenda essent quæ prius à domino audierant. Vnde Chrysostomus in Matthæi caput 26. Homilia 83. scribit, *Quomodo turbati non fuerunt cum audissent? Quia multa iam & magna de hoc ante disseruit.* Hæc itaque circumstantia, quòd viderent Apostoli corpus Christi sibi adstare, vel accũbere, non mutari, nec in panem transilire, aut suum sanguinem in calicem distillare, fidem facit id quod dicebatur, non propriè sed metaphoricè intelligendum. Accedit præterea dominum ex ipso pane atque potu vnà cum Apostolis edisse ac bibisse. Quî autem fieri poterat, vt realiter ac substãtialiter seipsum ederet ac biberet? Rẽ verò sic gestam esse verba eius indicant. Dixit enim, *Non bibam posthac de hoc genimine vitis*, &c. Et Chrysostomus in Matthæum Homilia 83. scribit, *Ipse quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent, Quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi solummodò propter verba scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id quoq; accideret, primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret.* Alia deinde circunstantia ibi se offert quæ nos ad tropicum sẽsum amplectendum impellit, quòd Christus hæc ad memoriam sui fieri mandauit. Memoriam verò non ignoramus præsentiam rei, quæ commemoratur, minimè requirere. Imò Bernardus agens de hoc mysterio, memoriæ præsentiam opponit. Scribit enim Sermone 33. in Cantica, *At quantalibet sanè abundantia pinguescãt ista, non pari omnino iucunditate sumitur cortex sacramenti & adeps frumenti, fides & species, memoria & præsentia, æternitas & tẽpus*, &c. Hæc autem dicta sint de ijs circumstantijs quę colliguntur ex Euangelistis de historia sacrę Cœnæ. Sunt alia loca prætera in scripturis, quæ verba illa non propriè, sed tropicè ostendunt accipienda, vt quæ traduntur de Christi ascensione super omnes cœlos, queq; à Petro dicuntur illum oportuisse cœlũ accipere vsq; ad omniũ rerũ restitutionem. Deinde vt id sentiamus, nos admonet veritas humanæ naturæ, quá vt illi tribuamus oportet. Est & Pauli testimoniũ, quo ait Patres in veteri testamento eundem cibum potumq; spiritua

spiritualem habuisse. Alia etiam permulta sunt quæ superius affatim commemoraui, à quibus idem persuademur. PAN. Quis ergò erit sensus verborum Domini? ORO. *Hoc est corpus meum*, sic exponendum erit, Hoc, quod scilices demonstrabatur, significat corpus meũ, Vel, est sacramentum corporis mei. Nec inusitatum aut nouum est, vt signa externa in mysterijs nomina rerum significatarum sortiantur, vt Augustinus & alij Patres docuerunt. Et quę subijciuntur, nos minimè adigunt ad propriũ illorũ verborũ sensum. Statim adijcitur, *Quod pro vobis tradetur.* At id non ad panẽ qui demonstratur est referendum, sed ad verũ Christi corpus, quod illo pane significatur, vel cuius ille panis typus est & sacramentum.

Iam ad illa duo, quę aiebas restare mihi obijcienda, responsum arbitror. PAN. Plus quàm satis accepi quæ pro tuo dogmate propugnando retulisti: quę propterea non recipio, quod ab humana ratione potius quàm à verbo Dei proficisci videantur. Id autem vehementer deploro, nos qui initio arma nostra spiritu alia aduersus Antichristianismum magno consensu expediuimus, ea nunc (ô rem miserrimã) in nostra ipsorum viscera ita conuertimus, vt alij veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna multò hostilius oppugnent, quàm vnquam aduersus Papistas sunt grassati: alij, ne non sit satis offendiculorum in ecclesia, vbiuis examicorum vel dictis, vel scriptis venẽtur, & calumnientur, & quod sectæ nomine anathematizent ac condemnent: qui cum multos innocentes falsò sectarios faciant, non intelligunt se nouũ sectę genus, quod est ἀναθεματισμῶν creare. Inter hęc socialia bella, & ecclesia filij Dei periclitatur, & hostes ad opprimendã eam haudquaquã dormitant. Quid ergò faciemus? Alius alia consilia proponit. Ego quod ad me in his difficillimis rebus, & in tanta animorum distractione attinet, memini quod de senibus dictũ est, ἰσχὺς δὲ γερόντων. Repeto igitur precationem regis Iosaphat, In nobis quidem non est tanta fortitudo, vt possimus tanta offendicula è regno Christi tollere, & tranquillitatem constituere. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te Domine Deus dirigamus.

Grauis & iusta querela.

Causa contentionum acerbissimarum vnde profecta.

ORO. Argumenta & confirmationes iam allatæ, an ex verbo Dei, an ex humana ratione ductæ sint, si rectè iudicare velis, exutus affectibus partium, eas diligenter expendas, nec detrectes nostros libros interdum consulere.

A Vestrum verò figmentum, ne portentum dixerim, Vbiquitatis, cuiusmodi sit, quid attinet amplius dicere? Id satis in colloquio nostro ostẽ monstraui. Calamos verò stringi potius in viscera nostra quàm in Papistas ego vnà tecum flebiliter lamẽtor. Sed quid iuuat collachrymari? Cur potius non spectas causas ex quibus res in tam acerbas & implacabiles contentiones ab ierit? Certè si eas diligenter intuearis, cognosces à nobis non esse profectas. Vos perpetuò B dedistis operam vt nos opprimeretis. Honorificis profectò atque clarissimis titulis nos (quæ vestra modestia est) ornastis. A vobis nil aliud audiuimus quã Hæreticos, Suermeros, Phanaticos, Sacramentarios, Sectarios, & quid non quod faceret ad contumeliam? Hoc addam prę terea, nunquam stetisse per nos, quin mutuò inter nos haberemus & appellaremus fratres. Quid autẽ de noua sectarum ἀναθεμάτων tibi velis, nõ planè intelligo. Nostri vtique (quod ego sciã) C nunquam vos anathematizarunt. At vestri, vt ipsi condemnaremur, pedibus manibus, velis remis, omnibusq; modis conati sunt. Et in cõuentu nuper habito Nauburgi res quàm acerrimè acta est, nec aliud fermè quærebatur, nisi vt solenniter, & quàm apertissimè damnaremur. Verùm Dei gratia, nec non quorundam principum virtute ac bonitate conatus ad optatam finem minimè peruenerunt. Nunc verò D ais nullum remedium extra preces tibi ac tuis esse relictum. Vtinam id verè in animo vestro statuissetis. Non.n. editione vestri postremi lib. quo defendere Vbiquitatem humanitatis Christi nitimini, de industria crabrones irritassetis. Verùm hoc vestrum est ingenium. Soli cæteris omnibus loqui affectatis de loco superiori, & supercilio erecto præscribere quid sit credendũ. Vtinam iam tandem per nomen Domini nostri Iesu Christi det Deus, vt idem in ecclesia omnes loquamur, nec sint inter nos dissidia, simusque integri seu aptati in eadẽ mente, & in eadẽ sententia, &c. Sed multum vereor, quæ nostra peccata sunt, ne hac ætate simus id impetraturi. PAN. Nolo vt colloquendo vlterius pergamus. Nam dum sermones cedimus, elapsum est per multum temporis, & alia mihi agenda sunt. ORO. Per me tibi licet quocunque volueris abire. Precor tibi meliorem mentem & saniorẽ F doctrinam. PAN. Ego verò quid tibi precer ignoro. Id tantũ peto, vt de re sacramentaria cum Luthero facias, & de nostra veneranda vbiquitate rectius posthac & sentias & loquaris.

FINIS.

D. PETRI

MARTYRIS VERMILII FLORENTINI LOCI IIII.

Defensionem doctrinæ veteris & Apostolicæ de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento continentes.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

VM permulta sint, pie Lector, quæ tibi istos meos labores consideranti possint esse admirationi, operæprecium facturum me arbitrabar, si cogitationes tuas anteuerterem, & tibi ad omnia, quàm possem breuissimè, responderem. Primum ergo, si fortè miraris me ad hoc opus ita tardè aggressum esse, illudq; nunc tandem ita serò edere, scire debes, eius tam diuturnæ dilationis iustas mihi fuisse, & uehementes causas. Nam cùm doctissimus iuxtà ac sanctissimus uir D. Thomas Crammerus, Archiepiscopus nuper Cantuariensis, eam in se prouinciam suscepisset, quem scirem isto Papistarum Achille in omni genere literarum longè esse superiorem, quod ego non adulationis causa dico, (quis enim aduletur homini mortuo?) sed quòd illum sciam ex multis, & variis disputationibus, quas habuit aliquando cum Vintoniensi, & cum uictoria, & summa cum laude discessisse, non putaui esse pudoris mei, ut illi tam sanctum, tamq; pium institutum præriperem. At ille, cum in carcere arctissima custodia obseruaretur, vbi uix charta ad scribendum, nedum librorum copia suppeteret, & postremò cum durissima morte, quam in ueræ fidei confessione denique constanter tulit, sublatus esset, opus, quod iam habebat præ manibus, coactus est relinquere inchoatum. Huc etiam hoc mihi præterea accessit incommodi, quòd ab eo vsque tempore, quo discessi ex Anglia, labores mihi quotidiani subeundi, & pensum perpetuum scholasticarum occupationum assiduè persoluendum fuerit, ut ad istas cogitationes nihil fermè sepositi temporis relinqueretur. Neque uerò ea mihi est conditio & firmitas uel ualetudinis, uel corporis, ut labores infinitos ferre possim. Taceo enim non ita me instructum fuisse ab opibus, ut tot operas, & amanuenses alere potuerim, quibus Gardinerus, etiam cùm in carcere esset, ita abundauit, ut quemadmodum olim ad exædificandum Tabernaculum, ita hic ad ornandum istum librum, seu Tabernaculum quoddam Papisticum, omnes, quicunque tum essent in illorum castris, etiam rustici, & tumultuarij milites, uideantur aliquid contulisse. Est enim hæc, ne nescias Lector, Pandoræ pyxis, in quam omnes etiam minorum gentium dij sua munuscula congesserunt. Nam, vt olim, quemadmodum est in fabulis, Vlyssi nauigaturo Æolus ventos omnes in vtrem contrusos in manum dedit, vt ille, cùm soluisset in altum, eis pro suo arbitrio vteretur: ita isti Gardinero, cùm nescio quid contra nos moliretur, omnia sua argumenta, satis ea quidem ventosa & leuia tradiderunt, vt ille ex aceruo deligeret quicquid vellet, & sibi alieno vento vela faceret. His ergo causis impeditus ad scribendum accessi tardius. Qua in re si quid à me peccatum est, oro te, pie Lector, vt id mihi, vel quod maximè cupio, in vniuersum, vel saltem aliqua ex parte condones. Hoc certè mea ista qualicunque opera effectum spero, vt ne Papistæ amplius triumphent, & clament, neminem inueniri posse, qui cum isto suo Goliatho ausit congredi.

Alij fortasse, vt sumus omnes ad reprehendendum nimium faciles, hoc mihi vitio dabunt, quòd voluerim in mortuum scribere, & cum larua luctari. Sed illi, quicunque sunt, scire debent, quod tamen mirum fortasse videatur, interdum etiã mortuos mordere. Nam & Arrij, & Martionis, & Manichæi insani furores, etiam cùm iam authores essent mortui, Ecclesiam grauissimè lacerarunt. Neque enim venenum & contagio hæreticorum vnà cum illorum morte extinguitur. Itaque Hilarius in Constantium Imperatorem mortuum: & Cyrillus, & ante eum Gregorius Nazianzenus in Iulianum Apostatam, cùm ille iam in bello Persico obijsset, acerrimè inuecti sunt. Nec mihi hic difficile esset alios complures, qui scripserint in mortuos, cõmemorare. Quod autẽ piorum hominũ exemplo fit, id negari nõ potest rectè fieri.

Alius forsan molestè feret, in hoc opere eadem à me toties inculcari. Verùm id ego non ex animo, neque meo ingenio obsequens, sed magno cum fastidio & perinuitus feci. Sum enim alioqui plus æquo studiosus breuitatis. Sed aduersarij importunitas huc me pertraxit, quem nihil puduit subinde eadem atque eadem & obijcere, & respondere. Cæterùm dices, oportuisse me illa omnia, cùm essent eadem, in vnum potius fasciculum collegisse, & vna opera ad omnia respondisse. Honesta quidem oratio, & prudens consilium, & mihi ad sequendum non difficile. Vidi equidem id iam inde ab initio, & fortasse etiam decreueram ita facere. Sic enim & labori meo, & libri magnitudini, & lectoris non tantùm pecuniæ, sed etiam tempori parci vtcunque potuisset. Verùm aduersarios habeo ita propitios, vt si id ita fecissem, statim clamaturi fuerint, me multa callidè præterijsse, multa de industria dissimulasse: breuiter, non esse satisfactum ad omnia. Adhæc ratio mihi habenda erat, non tantùm doctorum virorum, sed etiam tyronum, & rudium: qui quamuis maximè perspicuè & clarissimè dicas, tamen non statim quid dicas, possint assequi, nisi res eadem aljs aljs, & nonnunquam propemodum ijsdem verbis repetatur, & quodammodò ante oculos constituatur. Id autem homini pio ibi demum maximè curandum est, vbi illud, quo de disputatur, quemadmodum credendum sit, ad æternam salutem permagni referat: qualem esse hãc controuersiam de Cœna Domini, certum est. Non enim hic aut de Ideis Platonis, aut de Atomis Democriti, aut de Intermundijs Epicuri, aut de Aristotelis Entelechia, sed de Corpore ac Sanguine Filij Dei, quibus nostra redeptio persoluta est æterno Patri, quemadmodum ea cum symbolis Eucharistiæ coniuncta sint, disputamus. Homines, qui sunt elegantioris palati, non solent cibo inusitato vesci, nisi prius diligenter interrogent, quidnam illud sit, & quibus rebus constet:

ſtet: neque facilè pharmacum recipiunt à medico, niſi prius intelligant, quid ſit, & quibus ex medicamentis conficiatur. Quamobrem nos, qui Chriſtum profitemur, niſi & eſſe, & haberi velimus ſtultiores, quàm filij huius ſeculi, piam & ſalutarem notitiam huius Sacramenti, quo ſubinde paſcimur ad memoriam Domini, & ex quo vel prorſus ignorato, vel malè cognito multa in Eccleſia pernicioſè fiunt, non debemus vllo modo contemnere. Noli ergo, pie Lector, meas iſtas repetitiones, quas mihi extorſit improbitas aduerſarij, reprehendere, quaſi ſuperuacaneas. Nam etiam in ſacris literis, ſi mò dò fas ſit mea ſcripta cum oraculis Spiritus ſancti modeſtè & timidè comparare, ea, quæ ad æternam vitam ſint neceſſaria, iterum atque iterum repetuntur. Huc adde, rationes & confutationes aduerſariorum ſæpe obſcuras eſſe, ſæpe ita veriſimiles, vt lectori minus attento, & oſcitanti propenodum veræ videri poſſint. Hic imperitiores interdum nonnihil impediuntur, & hærent: & quamuis multa antea audierint, quæ ad iſtas nubes & præſtigias diſſipiendas valere poſſint, tamen non ſtatim ſua ſponte intelligunt, quidnam ex illis omnibus debeat ad quidque potiſſimùm applicari. Quare mihi, cùm illis quoque cuperem conſulere, neceſſariò aliqua ſcribenda erant, quæ doctioribus & probè inſtructis videri poſſint otioſa. In primis autem permouit me, vt ita facerem, quemadmodum ab initio dixi, iniquitas, atque importunitas aduerſarij. Is enim numerum noſtrorum argumentorum auxit in immenſum, ſine ratione, aut modo: ea & partim ſe fingit à noſtris hominibus accepiſſe: partim, quæ acceperat, comminuit, & laceruit in partes. Id autem quò faceret impunius, religio illi ſemper magna fuit, vel authorem certum, vel locum aliquem proprium, vnde ea accepiſſet, indicare. Quæcunque verò ego ex noſtrorum ſcriptis potui vtcunque diu quærendo inuenire, ea ita diſcerpta, ita lacera, ita mutilata, ita fœdè corrupta, ita barbarè relata, ita confuſa, diſtracta, conciſa, luxata, deiumbata, & miſerè habita reperi, vt niſi à me fuiſſent aliquo modo reſtituta, nõ diſputantium rationes, ſed ebriorum, aut furentium ſomnia videri potuiſſent. Quid quòd in illis referendis ne ordinem quidem voluit aliquem retinere. Alius enim quiuis ea omnia, quæ ad eandem ſententiam pertinebant, in eandem claſſem coniecisſet. Quod ſi iſte facere voluiſſet, mihi non fuiſſet difficile, eadem opera ſine vlla repetitione ad omnia reſpondere. Verùm ille de induſtria methodum inuerſam, & perturbatam, & quiduis potius aliud quàm methodum affectauit: quam ſi ego emendare, & in ordinem redigere voluiſſem, Deum immortalem, quibus me calumnijs & clamoribus Inconſtantiani ſatellites excepiſſent: Me, ne ſingula argumenta ſeorſim refellerem, multa in aceruum de induſtria conglobare, & callidè obſcurare voluiſſe: in vnaquaque ratione certas eſſe & proprias vires, quæ in cumulo facilè bebeſcant, & ceu uinum in aqua, extinguantur. Sed ſophiſta noſter cùm non ita hebes eſſet, quin vt facilè intelligeret, illud ſibi vitio dari poſſe, quòd tantum numerum rationum & confutationum, & ſubinde repetitarum, & ſæpe inanium, congeſſiſſet, vel potiùs quòd huiuſmodi ludos & ineptias ipſe ſibi animi, credo, cauſa malitioſè confinxiſſet, pulchrè ſe facturum ſperabat, ſi eam culpam, & inuidiam in nos veteratoriè tranſtuliſſet: Itaque homo bellus & facetus in ipſo limine atque aditu libri ſui proponit Lectori lepidam narratiuncularn de hoſpite Chalcidenſi, qui ex vna ſuilla carne, ſatis alioqui, inquit, ſua natura inſipida & fatua, ſplendidum conuiuium incredibili epularum & ferculorum varietate inſtruxit: ita nos ait ex vna ſacramentaria fatuitate omnia iſta argumenta concinnaſſe, & rationes alioqui inſipidas magna arte & induſtria, vt ad palatum facerent, condiuiſſe. Hæc ille, vt ſibi quidem viſus eſt, pulchrè ac ſuauiter. Sed quidquid eſt, noſtra iſta ſuilla caro, neſcio quo infortunio, incidit in fatuum & imperitum coquum, qui omnia non condiret, ſed conſpueret: nec artificioſè inciderat, ſed inclementer & turpiter laceraret. Neque id ſanè mirum: quamuis enim vnus eſſet Archimagirus, tamen tot erant operæ, tot manus, tot lixæ, tot calones, tanti fumi, tantum fuliginis, tantum confuſionis in culina, vt nihil potuerit rectè atque ordine adminiſtrari. Gardinerus autem ipſe, ſi fortè quæras quid de illo ſentiam, idem mihi in iſto ſuo libro videtur facere, quod Gyges ille, qui deſcribitur à Platone in libro de Iuſto. Eum enim Plato ait habuiſſe annulum admirandarum virium: cuius palam cùm in volam conuertiſſet, ſtatim illum, cùm eſſet in turba, ita latuiſſe, vt à nemine videri poſſet: eandem vbi auertiſſet ad lucem, repentè fuiſſe conſpicuum: cumq; iſta annuli opportunitate abuteretur, &, quoties vellet, poſſet eſſe ἀόρατος, multa illum & grauia ſcelera perpetraſſe. Eadem omninò audacia Gardinerus quiduis mentitur, & comminiſcitur: cumq; videt, ſe à nobis & ſolidis rationibus, & diuinarum Scripturarum teſtimonijs, & Patrum ſententijs oppugnari, ſtatim conuertit palam, abdit ſe in nubem inaniſſimarum fictionum, vtq; ipſe putat, ambulat ἀόρατος. Quicquid enim à nobis veriſſimè obijcitur de veritate humanæ naturæ in Chriſto, id omne ſperat vno verbulo refelli poſſe, ſi dicat, Deum eſſe omnipotentem, & corpus non niſi ἀόρατως eſſe in Euchariſtia. Deinde hoc commento armatus & tectus, nihil eſt quod vereatur ementiri. Cùm enim Gordios iſtos nodos non poſſit arte diſſoluere, tamen non dubitat ſe poſſe illos iſta ſecuri ſaltem ruſticè incidere. Verùm, vt redeamus ad hoſpitem Chalcidenſem, iſte noſter quantumuis ornet, fingat, pingat, poliat, variè proponat, & multipliciter coloret argumenta ſua, omnia tamen ad extremum ad ſylueſtrem illam, & inſulſam, & fatuam ſuem redeunt, Tranſubſtantiationem. Ex illa enim inſipida & putri carne, elegantes coqui nobis Adorationes, Oblationes, Reſeruationes, Concomitantias, Diſtractiones corporis Chriſti, Nundinationes Miſſarum, Indiuidua vaga, Accidentia ſine ſubiecto, & alia infinita portenta, & inſuauiſſima fercula pepererunt. Gardinerus ergo iſtam facetiam ſine vlla magna iactura potuiſſet ſibi retinere. Adhæc non dubito eſſe complures, & eoſdem pios, & à Regno Dei non alienos viros, qui longè conſultius arbitrentur, vt operam noſtram ad rectum vſum Euchariſtiæ, quàm ad iſtas de eius natura & conſtitutione altercationes & rixas conferamus. Ibi enim poſſe eſſe verrimum fructum: hic multa eſſe incõmoda. Illis ego libentiſſimè ſuffragarer: ſemper enim fui, ſi quis alius, ab ineunte ætate ſtudioſiſſimus pacis: niſi viderem rerum ignotarum nullum eſſe poſſe rectum vſum: & dogma iſtud de Euchariſtia perperam intellectum, fontem & caput eſſe turpiſſimorum errorum, & innumerabilium ſuperſtitionum. Itaq; ea maximè cauſa ad hanc diſputationem me pertraxit, quòd ſperarem, omni hoc negotio verè & commodè intellecto, fructum deinceps ex Euchariſtia verrimum eſſe ad pios homines rediturum.

Sed obijcient, oportere probos viros in huiuſmodi controuerſijs, non aſperè, acerbè, truculenter, ſed placidè, benignè, humaniter inter ſe diſputare: me autem in hoc libro aduerſarium meum non ſemel liberiùs, & acrius pupugiſſe. Sed iſti meminiſſe debent, non ſemper eodem modo agendum eſſe cum omnibus. Nam ſi qui ſunt, qui mero tantùm & ſimplici errore abducantur, & quamuis veræ doctrinæ non ſtatim aſſentiantur, tamen rectè monentes nõ contemnant, nec veritatem Dei petulanter conculcent, aut contumelioſè inſectentur, vt videantur lenitate verborum, quaſi oleo quodam

posse sanari, illi mollius & humanius tractandi sunt. Ita enim Christus ipse & cum Apostolis errantibus, & cum simplici turba sese gessit: & in Prophetis sæpe Spiritus sanctus multitudinem simpliciter errantem ad hunc modum castigauit. Contrà autem, qui sanam doctrinam, vt Petrus ait, audire non sustinent, & non tantùm maledicta atrocissima iaciunt in veritatem Dei, verùm etiam eius professores ferro & flamma crudelissimè persequuntur, & Euangelium Iesu Christi mendacijs suis, quæ ipsi sciant & videant esse mendacia ad fraudem & nequitiam comparata, adulterant, & opprimunt, & omnibus modis cursum veritatis impediunt, idq; perspicuum sit, illos opum tantùm suarum, & malè conciliatæ dignitatis causa facere, quas ad lucem Euangelij videant venire in periculum, & semel, iterum, tertio amicè & fraternè admonitos, pijs adhortationibus & consilijs Spiritus sancti semper impudenti & meretricea fronte restitisse: de huiusmodi, inquam, hominibus etsi quàm diu manent in hac vita, non debemus facilè desperare, tamen è diuerso sperare vix possumus, animos ita duros & saxeos molli aliquo & vsitato reprehensionis genere domari posse. Itaq; Deus ipse, quo nihil alioqui potest esse benignius, aut mitius, tamen interdum cum Israelitis suis agit seuerius, illos q; duram ceruicem, & ferream frontem habere dicit: & aliquando etiam, quò magis illorum scelera exaggeret, ne ab obscœnis quidem vocibus & descriptionibus abstinet. Ita Ioannes Pharisæos & Scribas, illos etiam, qui vltrò accesserant ad Baptismum, appellauit stirpem & progeniem viperarum: ita eosdem illos Christus: ita Paulus pseudoapostolos grauissimè exagitauit: eosq; modò homines amantes sui, modò malas operas, modò cultores ventris, modò Concisionem, modò Canes, modò inimicos crucis Christi appellauit. Veniat tibi, quæso, in mentem, pie Lector, quemadmodum Gardinerus iste per omnem vitam sese gesserit. Primùm Henrico Regi, eius nominis octauo, in optima causa, nimirum in ejicienda ex ea insula Paparum tyrannide ab initio, quantum ausus est, restitit: postea tamen retinendi honoris causa pertinaciam illam suam molliter inflexit, & succubuit, & Papam suum omnibus machinis oppugnauit. Postea sub sanctissimo Rege Eduardo instaurandæ Religioni incredibili audacia & contumacia sese opposuit: & quamuis varijs conflictationibus, & scriptis à Reuerendissimo viro D. Thoma Crammero, Archiepiscopo Cantuariensi victus & confutatus, nunquam tamen cedere voluit: imò in sanctum & mitissimum illum virum semper implacabili odio ferebatur. At iam vterq; vita functus est. De Gardineri morte nihil dicam, sed hoc de Crammero possum affirmare, quòd in vera fide & sancta confessione occubuerit, & constantissimè inter medios ignes testimonium Christo suo dixerit: quique calamitate sua grauissimum dolorem attulerat pijs omnibus, eosdem patientia & constantia sua incredibiliter confirmauit. Nihil ergo à me præter decorum, aut alienum factum arbitror, si istum hominem ita virulentum, & ad omnem veritatem, etiam reclamante conscientia, obfirmatum, interdum liberius acceperim. Qua tamen in re si mea scripta ad eius maledicta conferas, non dubito, quin iudicaturus sis me nimis parcè ac molliter me gessisse. Adde etiam, me non illum primùm prouocasse, sed tantùm maledicenti respondisse: &, si qua fortè aspersa sunt paulò acerbiora conuitia, ea non tam ferre, quàm referre voluisse. Neque sanè id egi, vt animo meo in ea re morem gererem, sed vt omnes intelligerent, à quali patrono, & quibus artibus nostræ causæ veritas oppugnetur. Vides ergo, spero, pie Lector, non tantùm licuisse mihi, sed etiam oportuisse me cum petulanti & præfracto aduersario aliquanto seuerius & liberius agere. Quoniam tamē homo sum, & id hominum scriptis tribui nefas est, quod solis conuenit diuinis literis, vt prorsus omni errore vacent, si quando mihi Gardineri importunitas plus æquo bilem commouerit, aut si cubi ego fortè videar ardentius & vehementius respondisse, id oro te, vt mihi pro tua pietate clementer ignoscas. Quòd autem illum perpetuò ferè appello Inconstantium, id equidem non conuitiandi causa, aut studio maledicendi feci. Sed cùm ille in eodem libro, quē edidit, nomen suū dissimulasset, & sese falsò, atq; arroganter appellasset Constantium, putaui, vt olim asino Cumano Leoninam pellem, ita huic glorioso militi istam laruam detrahendam esse, & illam tantam ferociam atque insolentiam aliqua esse ratione minuendam. Nam in illo, Deum immortalem, quod vnquam fuit vestigium constantiæ? An enim ista cuiquam sano constantis hominis facta videri possunt, modò Papam publicè, priuatimq;, & concionibus, & scriptis abiurare, modò ad eundem accedere supplicem, & ab illo pacem & veniam precari: modò in illis verbis Christi, Hoc est corpus meum, panem ostendi dicere, modò aliud nescio quod vagum, & inauditum, & inuisum Ipdiuiduum quærere: modò Missam priuatam, & alia multa superstitiosa scripto suo, quod ille sub Eduardo Rege fecit, condemnare, modò eadem omnia repetere, & comprobare: easdem nuptias modò irritas & iniustas, modò mutatis tantùm ventis legitimas & iustas pronuntiare? Quare id ego pro meo iure mihi fecisse videor, vt illum, non quemadmodum ipse sine vlla iusta causa appellauit, sed ex perpetua eius vitæ consuetudine & ratione appellarem Inconstantium. Postremò si qua sunt in illis, quæ ego ex Gardineri libro recitaui, ita perplexa, & obscura, vt aut nullus ex eis, aut nō satis congruus sensus possit elici, id mihi vitio vertere nemo debet, quasi eius orationem de industria & malitiosè corruperim, Deus meliora. Non ego vnquam didici audere tantùm in scriptis alienis. Quicquid est vitium, aut scriptoris fuit, aut typographi. Ego enim nunquam discessi ab exemplari. Verba aūt omnia Gardineri interdum non adscripsi, ne nimis prolixus essem: interdum scripsi, ne quis ea me finxisse arbitraretur: ita sunt sæpe obscura, sæpe sibi ipsis contraria. Si qua sunt alia, quæ me oportuerit excusare, ea ego, pie Lector, prudentiæ & æquitati tuæ permitto. Hoc tantùm præterea à te peto, vt librum istum attentè legas: ita enim non dubito, te totam istam controuersiam facilè & perspicuè esse intellecturum, & ita intellecturum, vt nullis sophismatis, aut tenebris aduersariorum possis postea perturbari. Deinde hac re tota bene explorata, & cognita, hortor te, atq; obtestor per Iesum Christum, cuius hîc passionis & mortis, quam tua causa subire voluit, memoria renouatur, vt hoc Sacramento benè & piè vtaris. Parui enim refert rem istam omnem intellexisse, si vel eam recipere nolis, & negligas, vel ea indignè accipiendo abutaris. Ita enim nobis expetenda est notitia rerum diuinarum, vt ea, quæ nouimus, possimus vita & moribus explicare. Vale, pie Lector, & Religionem Iesu Christi, qua vna salus tua vniuersa nititur, non ex inuentis hominum, sed ex vno verbo Dei metire, & retine. Tiguri, Cal. Martij. Anno 1559.

D. PETRI

D. PETRI MARTYRIS VERMILII FLORENTINI ANALYSIS LIBRI DE EVcharistia contra Gardinerum.

RES Eucharistica, quatenus eam nobis Dominus tradidit, cùm facilis, tũ simplex est cognitu. Hæc si diuinarum literarum arbitrio sensuáque tractaretur, haberetur què humanæ ratio naturæ Christi atque Sacramenti receptæ definitionis, in ea uel intelligenda uel tractanda nihil planè laboraretur. Sed contentione atque aduersariorum contigit importunitate, vt iam cæco labyrintho quodam impeditior euaserit, parumque absit, quin altercando ueritatem amiserimus. Illi enim, ut sententiæ orthodoxæ & præcipuæ non concedant, imò præ illa quibuscunque modis prodigiosa inuenta sua tueantur, omne genus fuci, cauillationum atque impostura adhibuerunt. Proinde cùm à me hisce diebus captionum & sophismatum, quibus utuntur, confertissimis acieb. sedulò occurreretur, & ea qua potui diligentia responderetur, uolumen propemodum in immensum creuit. Veritus ergo, ne pij homines lectione admodum prolixa nimis fatigati redeant item incerti atque antea fuerint, quàm ad meum librum euoluendum accederent, (nam rationibus vtrinque auditis, ijsque subinde recentibus ac nouis, fieri non potest, quin succedentia præteritorum memoriam obscurent, aut tantùm non obliterent) statui quadam epitome uel resolutione (quam Græci ἀνάλυσιν vocant) rem ipsam sub oculos totá ponere, ut lecturi mea, quique illa uel nunc legunt, uel iam perlegerunt, in promptu & ad manus habeant certa quædam capita non minus dilucida quàm breuia, ad quæ disputationis iam æditæ, cùm argumenta tum etiam responsa facilè referre queant. Id verò, ni fallor, eius disceptationis lectoribus non minus adiumento erit quàm nautis, dum per altum mare huc & illuc iactantur, incerti cynosuræ aspectus. Quod itaque à me bono amicoque fit animo, uelim omnes bonos & pios in bonam partem accipere, methodumque à me sic excogitatam quam attentissimè considerare, ac deinde ex verbo Dei de illa sententiam candidè ferre. Sed pluribus nolo præfari, cùm in epitome consectanda sit breuitas quàmmaximè.

VERBA COENAE ACCIPIENda esse tropicè.

PRimùm quidem in Sacramento Eucharistiæ panem & uinum, (quæ Diuinæ literæ, Patres ac sensus ibi verè adesse testantur) corporis & sanguinis Domini signa esse affirmamus: non utique prophana vel vulgaria, sed quemadmodum in cæteris mysterijs assignari consueuerunt.

Aduersarij nostri è diuerso corpus & sanguinem Christi propriè ac verè illa esse prædicant. Rogamus qui sciant: Quoniã, inquiunt, Christus dixit: HOC EST CORPVS MEVM. At nos dictum seruatoris nostri ea loquendi formula seu tropi genere interpretamur, quòd in Sacramentis præsertim signa, rerum ipsarum, quæ significantur, vocabulis appellari soleant. Nostræ huic sententiæ illi refragantur, aiuntque, Christi verba nõ tropica, sed propria omnino & simplicia esse.

A nobis objcitur, nullam esse certam rationem ex Euangelica historia, quæ verba illa simpliciter intelligenda conuincat. Nam cùm cœna Domini à Matthæo, Marco, Luca & Paulo explicatur, ibi permulti deprehenduntur tropi. Calix dicitur nouum Testamentum, nec ipsum tamen poculum, nec is qui in eo continetur liquor, est re ipsa testamentum.

Indignè sumentes affirmantur iudicium sibi ipsis edere ac bibere: at propriè iudicium nec edi nec bibi potest.

Est verò longè alienum à corpore Domini, vt verè comedatur, quia nefas est, omnino ipsũ frangi, dentibus commoli atque dissolui.

Dixit Seruator noster, cùm eidem mensę accubuisset, vehementer se desiderasse, illud pascha vnà cum discipulis manducare. Nemo verò ignorat, nõ ipsum Pesach, id est Domini transitum, sed agnum, qui vt eius symbolum adhibebatur, in ea solennitate fuisse comedi solitũ.

Quoties, inquit in epistola ad Corinth. priore, biberitis hoc poculum. Num poculum, an non potiùs quod in eo est infusum, haurimus? Paulus itaq; tropo quàm vsitatissimo est locutus. Quamobrem in cœna Domini referenda, cùm Spiritus Sancti scribæ permultis orationibus tropicis fuerint vsi, & id de quo agimus, nempe HOC EST CORPVS MEVM, figurato sermone ab eis fuisse dictum quid prohibet?

Mitto alias permultas diuinarum literarum sententias, quas ab omnibus piè sentientibus per tropos constat exponi. Etenim si velim eas commemorare, iam non epitome, sed iustus liber esset conscribendus. Cum itaque hanc nostram sententiam sic interpretamur, nihil nouum, vel à Scripturis alienum comminiscimur.

Quòd verba, quæ apud Paulum & Lucam de calice scribuntur, tropicè sint enunciata, vt iam docuimus, neminẽ inficias ire meritò posse, quis attentus lector non videat? vnde qui scripserant, Matthæus & Marcus, de eadem re, tropicè accipienda erunt, nisi quis neget, priora ex posterioribus esse exponenda: scripsisse verò Paulum & Lucã post Matthæum & Marcum, nemo ambiget.

Atqui nec quod Matthæus & Marcus de san-

guine tradunt, vt simpliciter dictum intelligi poteſt: ita ſcribunt illi, τοῦτ' ἐστι τὸ αἷμά μου. Iam verò quid Pronomen τοῦ aliud referre poteſt quàm poculum: ſiquidem illud Chriſtus & manibus accepiſſe, & Apoſtolis dediſſe commemoratur.

Nec Lucas & Paulus aliud aſſerunt, cùm dixiſſe Chriſtum tradunt, Hic calix nouum teſtamentum eſt. Poculum autem quis auſit docere propriè ſanguinẽ eſſe? Expendantur ergo verba Matthæi & Marci ex vna parte, & ex altera Lucæ & Pauli rectè, & negetur tropus ſi poſsit.

9 Ipſi aduerſarij, etſi præoptant inſeruire potius opinioni ſuę quàm veritati, verba Domini tamen abſque troporum adminiculo interpretari non poſſunt. Oſtenſo quippe Sacramento Euchariſtiæ, non licere ipſis de eo toto pronuntiare, Hoc eſt corpus meum. Pudeat ergo, nos eius criminis reprehendere, cuius ipſi accuſari iure & meritò poſſunt. Ipſa porrò Sacramenti definitio, quòd ſacræ rei ſit ſignum, & gratiæ, quæ non videtur, viſibilis forma: noſtram ſententiam maximè propugnat. Efficitur enim ex ea publicè recepta definitione, ea quæ in Euchariſtia videntur, corporis & ſanguinis Domini ſigna eſſe, niſi velimus ipſam Euchariſtiam ex albo Sacramentorum expungére.

10 Nec verò aliter exponi queunt formulæ dicendi, quibus diuina Scriptura vtitur, cùm de parte ſacramenti aſpectabili rem ipſam, quæ ſignificatur, pronuntiat. Circumciſio enim quî fœdus Domini vocaretur, niſi eam ſignũ ipſius eſſe dixerimus. Paulus huius ſententiæ eſt author, qui circumciſionem σφραγῖδα, id eſt ſigillum vel ſignum iuſtitiæ per fidem adeptæ appellat. Baptiſmus quoque regenerationis lauacrum dicitur. Et agnus in veteri Teſtamento, ſicut antea demõſtrauimus, Peſach vocabatur.

11 Accedunt & Patres, qui non ſemel diſertis verbis tradunt, Chriſtum ſui corporis ſignum dediſſe: figuram dediſſe: corpus ſuum repræſentaſſe: typum & ἀντίτυπα eſſe illa, quæ à nobis videntur, corporis & ſanguinis Domini, Cyprianus, Cyrillus, Auguſtinus, Gelaſius, & Theodoretus quàm apertiſsimè docent, iſta ſigna vocabulo rerum ſignificatarum nuncupari. Cùm ergo Diuinæ literæ in hoc Sacramento tradendo tropos admittant, eos ipſa natura Sacramentorum exigat, Patresque manifeſtiſsimè recipiant, nos, quòd vtamur tropica interpretatione in verbis Domini exponendis, accuſabimur?

Allatæ iam rationes tantum apud nonnullos valuerunt (quæ eſt vis veritatis) aduerſariorum, vt ea quæ in hoc Sacramento ſenſibus obuia fiunt, nimirum panem & vinum, ſigna corporis & ſanguinis Chriſti eſſe fateantur: hae tamen lege, vt ſignificatas res in ſeſe præſentes habeant. Sed hoc à vero longè alieniſsimũ eſſe permultis rationibus oſtenditur.

VERBORVM CHRISTI TROpus non exigit corporis & ſanguinis eius realem ſubſtantialémue præſentiam.

1 Primùm Scripturæ diuinæ tradunt, Chriſtum quò ad humanam naturam hinc abiiſſe: eius in cœlum aſcenſionem, vt in articulo fidei continetur, ſtatuunt. Aſſerunt, Chriſtum dixiſſe, nos eum non ſemper nobiſcum habituros, verùm oportere cœlum vſq; ad extremũ diem illum continere, vt inde tandem ad iudicandum veniat.

Deinde non conuenit humano corpori, vt 2 ſit eodem tempore in multis locis: nec etiam concedi poteſt, vt præſens ſit in mundo citra locum. Pugnant enim hæc omnino cum definitione humani corporis. Niſi velimus verum Chriſto adimere corpus, cauendum ne illud in multis locis vel diffuſum, vel præſens ſimul eſſe affirmemus.

Ne id quidem angelorum, vt ita dicam, eſſen- 3 tia habet, quæ mole corporis priuatur, vt eodẽ tempore ſimul diuerſis in locis eſſe poſsit.

Quin & ipſa Dei natura, ſi eſſet corporea, 4 haudquaquam euitare poſsit, quin & partitionem & definitionem admitteret. Hæc porrò cùm ita ſint, quemadmodum pleniſsimè Patres atteſtantur, omnino effiſitur, vt Chriſti corpus ijs adiunctis atq; proprietatibus ſit obnoxium.

Nec ipſa poſtulat Sacramentorum natura, 5 vt res ſignificatas vel ſibi cohærentes habeant, vel eas in ſeipſis contineant. An in circumciſione diuinum fœdus claudebatur? Sanè præterierat, & cum patribus initum fuerat, antequam Abrahamo præciperetur circumciſio: & ſi quid eius fœderis extabat, id totum in mente diuina & fidelium animis retinebatur, in carne verò non ipſum, ſed eius ſignum à Deo mandatum geſtabatur. Agnus item paſchalis tranſitũ Domini reipſa in ſeipſo non claudebat. Quis etiam diceret ſanę mentis, carnem & ſanguinem Domini vel in aqua deſerti, vel in manna clauſa fuiſſe, & in aqua Baptiſmi Spiritum & gratiam inuiſibiliter deliteſcere? Quod ſi certis Sacramentis non tribuitur, & quidem ex eorum natura, vt res præſentes habeant, vel ſibi cohęrentes, vel in ipſis clauſas: nec de Euchariſtia aliter ſtatuere debemus, ſi nobis eius ratio & proprietas cum cæteris Sacramentis conſtare debet, maximè verò cum de cauſa præſenti verbũ Dei nihil eiuſmodi tradiderit.

Præterea cùm Paulus ad Corinthios priori 6 ſcribat, veteres nobiſcum eundem cibum ſpiritualem comediſſe, & eundem ſpiritualem potũ nobiſcum bibiſſe: Carnem verò & ſanguinem Chriſti haudquaquã præſentia habuerint, cùm nondum extarent: iſti verò in Euchariſtia præſentia hæc ſtatuant: ſequitur ſanè, non eſſe nobis eadem ſacramenta cum veteribus, contra Pauli ſententiam. Symbolis minimè conueniunt. Manna enim illi & aquam: nos verò panem & vinum habemus. Rebus iam ſignificatis ſunt diuerſa: quia illi res ſignificatas abſentes, vtpote futuras fide percipiebant: hi verò res cũ ſymbolis præſentes ſe percipere dicunt. Nullum porrò maius diſcrimen in his Sacramentis excogitari poteſt, quàm cùm ſignis, tum rebus ſignificatis diſſidere. Quin ergo potiùs cũ Paulo dicamus, rebus ſignificatis veterum Sacramenta

menta cum nostris eadem esse, quanquam signa sint diuersa, & eodem modo, nempe fide & spiritu à nobis & illis percipi. Illi enim carnẽ & sanguinem Christi, vt pro salute nostra danda erant, fide percipiebant: nos verò vt iam data fide & Spiritu complectimur. A

7 Euitari quoque non posset, quin tam impij quàm pij carnem & sanguinem Domini comederent & biberent, si aduersariorum admitteretur sententia. Id quod apertè refellit Christus author Sacramentorum in Euangelio Ioannis 6. vbi carnem & sanguinem suum bibi fide & comedi, ait. Fide ergo cùm impij destituantur, & à Christo alieni, quam communionem quæso habent cum carne & sanguine Christi? Symbola sanè tantùm ore percipere valent, & ad ipsorum quidem condemnationem: siquidem neque Christus est in eis, neque in Christo ipsi manent. B

8 Rogandi sunt etiam isti, qui statuunt in hoc Sacramento Domini sanguinem præsentem adesse, qua ratione, quoúe colore sacrificium, vt vocant, suum ausint incruentũ appellare? Profectò si Domini sanguinem (vt Chrysostomus hyperbolicè scripsit) è latere Domini fluentem in suo calice volunt excipi, enitantur quantum volunt, sciunt & possunt, quin cruentũ potum hauriant, nunquam efficient. C

9 Est verò illa pugnantium natura, vt de eodem subiecto nunquam simul, hoc est, eodem tempore affirmari possint. Quamobrẽ Christi corpus tum sursum tum deorsum, visibile & inuisibile, vnum & multa, mortale simul & immortale, fractum & integrum simul esse non potest. Hanc rationem nobis non finximus, sed sumpsimus à Christo, Angelis, Apostolis, Patribus, & ipsa natura. Contestatur enim hi omnes, hæc nequaquá simul esse posse. Porrò longum esset referre, quot in locis & scriptis suis Patres hanc Domini secundũ carnẽ absentiam asseruerint. D

10 Quasi verò hæc ab istis iactata & propugnata præsentia carnis & sanguinis Domini in Eucharistia, dum ipsa peragitur, vel maiorem, vel præstantiorem, vel vllam aliam possit afferre vtilitatem, quam non ex perceptione spirituali, quæ, vti diximus, fide ac mente peragitur. E

11 Illud postremò quærimus ab aduersarijs nostris, An corpus Domini absq; sanguine in pane, & sanguinẽ in vino absq; corpore statuant. Hoc si dicant, Christi naturam humanam per duas mysterij partes distrahunt, quod citra impietatem committi non potest, cùm sanguis & corpus in natura humana Christi coniunctione perpetua sunt vnita. Sin verò dixerint, ea simul esse, ac suas nescio quas cõcomitantias finxerint, id saltem effugere non poterunt, quin corpus Christi non congeminent, totum videlicet sub vino, totumque sub pane, seu quemadmodum volũt, sub eorum accidentibus constituentes. F

12 Accedit postremò verbis Christi, minus quàm sit in partibus, Sacramenti de illis pronuntiari, cùm de pane solum corpus, & de vino tantummodò sanguinem prædicent. G

Hæc præcipua & summa sunt capita, quæ in libro meæ confessionis contra Gardinerũ continentur, quoad nostræ partis argumenta & cõfirmationes attinet. Nunc verò id reliquum est, vt nonnulla dicta seu certas quasdam sententias candido lectori proponam, ex quibus non tantùm argumẽta nostra propemodum omnia deducuntur: verùm etiam rationes aduersariorum facilè dissolui possunt. atque tota hæc disceptatio tum dilucida, tum facilis euadet.

1 CHRISTVS in Sacra cœna panem ipsum corpus suum, & vinum ipsum sanguinem suum appellauit. Quî fit, quòd verba eius, HOC EST CORPVS MEVM, simpliciter & absque tropo accipi nequeant, siquidem nec panis nec vinum propriè ac verè corpus & sanguis Christi esse possunt.

2 Hęc verba, HOC EST CORPVS MEVM, & HIC EST SANGVIS MEVS, tropicę sunt dicendi formulę, quibus Dominus ea, quæ significãtur, de symbolis externis pronunciauit.

3 Edere carnem seu corpus Christi, & bibere eius sanguinem, est credere hæc pro nobis in pretium redemptionis fuisse data, & istis, quæ pro nobis in cruce sublata fuerunt, coniungi.

4 Christi natura humana, ab ascensu in cœlum vsque ad extremum eius aduentum, quo Mundum iudicabit, nusquá alibi est quàm in cœlis.

5 In Eucharistiæ fideli sumptione corpori & sanguini Christi non tantùm animo seu mente per fidem copulamur, sed Spiritus gratię & virtutis Domini nostri participes euadimus, non sanè vi operis, sed ex ipsius bonitate ac fideli promissione, cui fidelem assensum communicando præbemus.

6 Impij homines ipsam Christi carnem & sanguinem haudquaquam comedunt & bibunt, nisi quatenus externa signa, panem inquam & vinum, quæ suo quodam modo sunt & dicuntur corpus & sanguis Christi, vsurpant.

7 Christo non minus iungimur in Baptismo, quàm Eucharistia: quare par vtrobique illius præsentia & perceptio minimum spiritualis ponenda est.

8 Patres in veteri Testamento corpus & sanguinem Christi, quo ad rem ipsam attinet, non secus ac nos edebant ac bibebant.

9 In Sacra cœna fideles corpus & sanguinem Domini verè sumunt, at spiritualiter, hoc est, fide, quo ad modum atque animum.

10 Corpora nostra corpore ac sanguine Christi suo quodam modo aluntur, & ad æternam vitam instaurantur.

11 Nos ipsi fideli participatione cœnæ Domini quodam genere spiritualis mutationis in corpus Christi alimur, & propemodum transelementamur.

12 Per incarnationem filij Dei carne & sanguine cum eo communicamus, quandoquidem natura nostra verè ab eo assumpta creditur. Et vicissim dum cõmunicando fide amplectimur corpus eius & sanguinem, quæ pro nobis in mortem data sunt, eorum spiritualiter efficimur participes.

13 Sermo diuinarum literarum vel auditus vel lectus, quatenus à nobis fide recipitur, corpus Christi est, & panis, quo animi nostri nutriũtur.

14 Cœtus credentium est corpus Christi, cuius ipse caput & nos etiam membra cum sumus, tum dicimur.

15 Pauperes & oppressi pro Christi nomine sunt eius corpus. Hinc illa vox Paulo, Quid me persequeris?

16 Miracula interdum circa Eucharistiæ symbola edita, neq; transubstãtiationem elementorũ eius, neque præsentiam corporis realem & substantialem (vt ita dixerim) probant.

17 Corpus Christi spiritualiter adesse communicantibus, non significat inuisibiliter quidem, sed tamen propriè adesse, vt Papistæ dicunt: sed quòd fidei nostræ ac spiritui præsens fiat non secus atque mors illius, quam verè credimus. Et bona futuræ vitæ, quæ spe certissima expectamus, quarum rerum præsentia tantùm ad fidem & spiritum nostrum referri potest.

18 Aduersarij, qui de sua consecratione panis & vini tam multa loquuntur, an precibus, an verbis ea perficiatur, expedire non possunt.

A In Eucharistia nullum aliud sacrificium admittimus quàm gratiarum actionis, precum, & nostri ipsorum oblationis: hæc verò non tantùm à ministro, sed etiam à plebe communicante afferri. 19

Sacrificium item ibi esse damus, quatenus veri sacrificij commemoratio ibi fit, & Sacramenta, id est externa symbola quæ proponuntur, eiusdẽ veri sacrificij signa sunt, & illud communicantibus ex instituto Domini referunt. 20

B Quas iam commemorauí sententias, prudẽs & candidus lector mei libri, in eo deprehendet non tantùm fuisse tractatas, imò etiam multis cùm Scripturæ tum Patrum testimonijs confirmatas. Quare si ei cordi fuerit, totam istam controuersiam, ceu in tabella quadam ob oculos habere perspicuè & dilucidè quodammodò pictam, sententias hasce cùm primis, deinde rationes, quas in hac Epitome attuli, cogitatione attenta frequentique repetitione faciat sibi

C quàm familiarissimas. Nam & inde, vt spero, & proficiet, nec eum operæ collocatæ vnquam pœnitebit.

FINIS ANALYSIS.

TOTIVS OPERIS HVIVS IN QVATVOR LOCOS DISTINCTIO.

LOCVS PRIMVS

Defensionem rationum nostrarum aduersus Gardineri confutationes complectitur.

II.

Quasdam regulas tuetur, quas author in sua tractatione de Eucharistia olim ediderat.

III.

Eas responsiones propugnat, quib. nos aduersariorũ argumenta in hac disputatione diluere consueuimus.

IIII.

Iustas verasque interpretationes certorum locorum asserit, quos ex Patrib. Gardinerus cũ suis pro se attulit.

PETRI

PETRI MARTYRIS DEFENSIONIS AD GARDINERVM DE EVCHARISTIA LOCVS I IN ORDINE PRÆCEDENTIVM VII.

OBIECTVM I.

Christus ascendit ad cœlos, sedet ad dextram Dei patris omnipotentis, inde venturus est iudicare viuos & mortuos: ergo secundum humanam naturam, qua ascendit, iam non est in terris, nec erit, ante secundum eius aduentum.

GARDINERVS.

FATETVR Christum exacta morte naturam humanam in cælum euexisse, vbi Deus & homo ad dextram patris sedeat, vnde sit venturus ad iudicandum viuos & mortuos. Quod sanè cùm eius voluntate sit factum, eadem contendit effici, vt illa sede maiestatis non relicta, corpore ac sanguine suo Eucharistiæ sacramento adsit, re ipsa, verè ac inuisibiliter: non significatiuè, aut figura, quod ratione comprehendatur, sed substantia, quod sola fides intelligat. Quæ singula, quia consentiunt cum eius voluntate scripturis testata, non debent videri cum eius potentia infinita pugnare. Quia esse in cælo, & esse in sacramento, mutua contradictione haud se perimunt, cùm solo existendi modo distinguantur.

MARTYR.

QVOD maximè dubiũ est, & confirmandum fuit, vt certum & probatum sumit. Sed cùm sophista sit, non debuit à sophistarum more discedere. Si hæc voluntas Christi consignata est, vt accipis tibi, diuinis literis, cur verba ipsa è codice sacro in primis non profers, quæ species panis & vini aspectabiles commemorent, quæ accidentia, vt dicitis, absque subiecto narrent, quæ sub illis inuisibilé corporis & sanguinis Christi præsentiam ipsa re atq; secundum substantiam testentur? Hoc sane, priusquam progredereris vlterius, præstandum fuit. Cumque à verborum Dei testimonijs res tota pendeat, & ipse dixeris diuinis literis hanc voluntatem Christi esse proditam, non rectè neque ordine facis, qui amotis testibus abs te citatis, ad patres, quorum nondum feceras mẽtionem, deflectas. Quorsum statim Basilij, & Chrysostomi liturgias depromis? Quorsum Chrysostomi complures sententias producis? Cur ad Ambrosium & Bernhardũ te confers? Scripturis potius certandum fuit, præsertim cũ scias, nos illis vnicè niti, solis illis authoritatem summam tribuere, illis tantùm nostram fidem obstrictam habere.

Nõ est scripturis desertis ad patres cõcedendum.

Tertullianus, Hæretici, si scripturis tantũ agatur, nõ possunt consistere.

Sed hæreticis ignoscendũ est, qui, vt ait Tertullianus in libro de Resurrectione carnis, ex cõscientia infirmitatis nunquam ordinariè tractant. Et mox in eodem libro: Hæretici, si de scripturis solis suas quæstiones sistant, stare nõ poterunt. Hoc illud est, cur à vobis adeò statim declinentur sacræ literæ. Ad patres itur, & ad Ecclesiæ, vt ipsi appellatis, canones & decreta, quasi dogmatum vestrorum veritas magis ibi, quàm in verbo Dei contineatur.

Quòd autem inquis, figurã ac significationẽ sacramenti ratione ipsa comprehendi, vt falsum non dabimus. Nam cum figura sit ex illis rebus, quæ ad aliud referuntur, eam profectò nemo cognoscet, nisi qui rem significatam norit. Quis verò est mortalium, qui naturali ratione assequatur, Christi corpus ad nostra eluẽda scelera in crucem fuisse actum, & sanguine ipsius Dei electos expiari: atque illo sacrificio lectissimo credentes à Deo in gratiam recipi: deinde nos corporis Christi membra, victimã illã fide perceptam pro spirituali cibo et potu habere, quibus ad cœlestem & æternam vitam feliciter vegetemur? Et denique ipsam Ecclesiam, quæ corpus Christi est, ita ex diuersis mortalium generibus conflari, dum spiritus à capite Christo per diuersas iuncturas & compagines ministratur, vt panis ex innumeris granis, & vinum ex multis acinis & botris constat? Hæc autem omnia Eucharistiæ sacramento exprimuntur. Quæ omnia de te libenter audierim, vtrum humana ratione an fide percipiantur. Ista, inquam, si fide noscuntur, vt non ambigo te fassurum, quî potest eorum figura vel signum ratione humana cognosci? Relatiuum, vt ita dixerim, nullum est, quod, eius termino ignorato, queat intelligi. Dicas eadem opera sacra Biblia, quia diuinarum rerum sunt signa, humana ratione posse cognosci. At non ita Christus docuit: qui cum verba hæc cœlestia proferret, Qui habet, inquit, aures audiendi, audiat. Et Paulus instruebat Corinthios, animalé hominé ea, quæ Dei sunt, non percipere: imò ne posse quidé. Nam vtvt qui huiusmodi sunt, verba Dei audiant, & sacros libros inspectent, quos diuinarum rerum signa esse negari nõ potest, nihil tamẽ assequentur. Nã quoad spiritu nõ adducuntur, vt credant, videntes non vident, & audientes non audiunt, vt Esaiæ vaticinio demonstratum est, quod omnes Euã

Sacramento rũ figura nõ potest ratione comprehendi.

Mira quæ ab Eucharistia significantur.

Relatiua nõ intelliguntur absq; mutua notitia.

Sacrũ verbũ humana ratione cognosci non potest.

gelistæ non grauati sunt in suis literis citare.

Quæ requirãtur ad sacramentorum notitiam.

Adhęc tibi compertũ credidi, quoniã te aduersatores tui iactitant omnia nosse, in sacramentis nõ satis esse, collationem signorum ad ipsas res comprehendere significatas, verùm ad hæc requiri, vt constituentis authoritas non ignoretur, & significationis efficacia. Multa sanè reperiuntur, quæ hominum voluntate quippiam referunt: at nos hìc sentimus, Christi Dei & hominis consilio panem & vinum ad tanta mysteria edocenda esse destinata: quod profectò à Dei spiritu, non ab humana ratione hausimus.

Quæ præter humanam rationẽ in sacramẽtis reperiãtur.

Credimus prætereà sic à seruatore nostro significationem sacramentorum institutam, vt spiritus sanctus illis ad salutem credentium efficaciter vtatur. Et quemadmodum credimus, Euangelium, sicut Paulus ait, esse Dei potentiam, quia illi credendo per potentiam Dei renouamur, & efficacissimè reficimur, quod vtique de literis ethnicorum nullus pius opinatur: ita sacramentis tribuimus, vt sanctissima organa sint, quibus spiritus fidem in nobis excitet, atq; ad hunc modum salutem & gratiam augeat.

Sacramẽta nõ ponimus frigida & nuda signa.

Quis hæc dixerit ab humana ratione suggeri? Certè nemo, qui sapiat. At iste nobis conatur semper inuidiam facere, quasi prophana signa & è triuio sumpta inducamus in Ecclesiam, & sacramenta Christi, non nisi frigida signa esse doceamus. Quod quam à nostra sententia sit alienum, non iste quidem non intelligit, sed non vult confiteri.

Scribit prætereà, *Corpus Christi esse quoad substantiam & verè in sacramento, & simul eodem tempore in cœlo esse, contradictione mutua se non perimere.*

Corpus hus manũ eodẽ tẽpore non est in multis locis.

Sed hoc tantùm dicit: confirmatio nulla subijcitur, quæ id efficiat. Nos verò pronunciamus, Aliquid esse humanum corpus, atque idem nõ esse humanum corpus eodem tempore, cõtradictione quàm euidentissima inter se pugnare. Nisi enim humani corporis natura & definitio funditùs euertatur, fieri non potest, quin suis proprijs certisque terminis claudatur, vt quod ὁρισθὲν esse oporteat, & habere partes ac membra, quæ iustis & aptis finib. terminentur. quãobrem cum illius natura omninò pugnat, vt per innumera loca fundatur & distrahatur. Cæterùm hac de re infrà latius agetur: nunc id solùm ideo retuli, vt omnes norint, inficiandum, inter hæc, vt iste fingit, nullam interuenire cõtradictionem.

Tantùm, inquit, *hæc à se inuicem distinguuntur existẽdi modo.* Quasi nos hìc de modis certemus,

Aduersarij nostri sunt Modistæ.

non autẽ de ipsa re atque substantia. Ridemur perpetuò ab hoc sophista, quod simus, vt comminiscitur, figuratores: quũ ipse multò iustius dici queat Modista, qui per suos existendi varios modos omnem contradictionem amouere se putet à sententia, quam tuetur. At sub manus opus illi non ita commodè procedit: quia humanum corpus, quibuscunque modis & formis existat, seu visibili, seu inuisibili ratione, dũ verè humanum corpus maneat, non est possibile, vt simul & totum in diuersis locis ponatur, vel, ceu natura diuina omnia impleat.

Prætereà quod sibi sumit, corpus Christi licet inuisibile, adesse mysteriis realiter, id quia videt literis diuinis confirmari non posse, liturgias Basilij & Chrysostomi producit, in quibus dicitur: *Attende domine Iesu Christe Deus noster de filij et Chry-*
sancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ regni tui, sostomi.
et veni ad eos sanctificandos, qui supra cum patre sedes, & hic inuisibiliter versaris: & dignare potenti manu tua impertiri nobis impollutum corpus tuum, & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo. Ecce, inquit, *duo simul fatentur sanctissimi patres: Christum suprà cum patre sedere, & hic inuisibiliter nobiscum versari.*

Locus ex liturgijs Basilij et Chrysostomi.

Vrget præterea, quod sequitur in Chrysostomo: *Deinde sacerdos adorat & discedit in eo, in quo est loco, ter secretò dicens: Deus propitius esto mihi peccatori: & populus similiter vniuersus cum pietate adorant*: quia maximè contra nos putat facere adorationem, vt quæ Christum exigat præsentem. Sed ne tam leuiter debellatum existimet, primùm secum putet, quàm leuib. armis pugnet: deinde intelligat illis eisdem causam nostram ne tantillum quidem lædi. Vtrunque horum, operam dabo, vt explicetur.

Primùm, quónam, obsecro, argumento euincet, has liturgias firmam solidamque authoritatem obtinuisse, vt non dubitemus, an à Basilio aut Chrysostomo editæ fuerint? Quis nam illarum, & Chrysostomum vixerunt, harum liturgiarum testimonio est vsus? Certè nullus, quem legerim. Immo dum quæ Gregorius Nazianzenus de Basilio prolixè narrat, quæq; in vita Chrysostomi leguntur, excutio, nil sanè reperio de liturgię ordine ab illis vel cõposito, vel restituto. Quod certè si fecissent, non erat tacendum, cum non fuerit vulgare opus liturgias nouas inducere, aut iam receptas immutare. Quis credat, eos, qui vitas eorum diligentissimè sunt persecuti, & gesta illorum lõgè minoris momenti literis consignarunt, hoc tam præclarum & illustre ipsorum factum præterijsse? Præterea huc accedit, non eadem esse harum liturgiarum, quæ circumferuntur, exemplaria. Quæ cum varia sint, quibus credemus? Erasmus ante complures annos illam, quæ Chrysostomo ascribitur, vertit in gratiam episcopi Roffensis: quæ à Græco exemplari, quod nunc habemus, frequentissimè discrepat. Quod magis vt liqueat, non discedendum à loco, qui adducitur, existimaui. Quod hic noster vertit, *Et veni ad eos sanctificandos*: Erasmus vertit, *Et veni ad sanctificandos nos*: & quidem rectè cũ Græcè legatur: ἐπὶ ἁγιασμὸν ἡμᾶς. Habent deinde Græca: καὶ καταξίωσον τῇ κραταιᾷ σου χειρὶ μεταδοῦναι ἡμῖν τῶν ἀχράντων σωμάτων σου, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος. καὶ δι' ἡμῶν παντὶ τῷ λαῷ. i. vt reddit etiã Pseudoconstantius, *Et dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo*. Hæc Erasmus ita reddidit: *Et dignos nos redde potenti manu tua, t participes simus immaculati tui corporis, & pretiosi tui sanguinis, & per nos omnis populus*. Porrò longè aliud est nos potenti manu sua dignos reddere, vt simus participes: atque est, *Dignare impartiri nobis*, &c. cum ibi supplicetur, vt nos dignos faciat participatione: hic verò, vt digne-

Dubiũ an liturgiæ illæ reuera sint Basilij & Chrysostomi.

Variãt exemplaria ipsas liturgias.

tur

tur nobis impartiri. Neque prætexendum est, Erasmum vim orationis Græcæ non tenuisse, cùm eius linguæ fuerit peritissimus. Restat igitur ipsum non idem nobiscum Græcum exemplar habuisse: quod luculenter, quæ sequuntur demonstrant. Nã de adoratione, quam M. Antonius ilico subijcit ibi haberi, & eius argumento se putat nos conficere, si Erasmo credamus, prorsus fallitur. Non enim ille subdit in liturgia, quam vertit: *Deinde sacerdos adorat, et diaconus in eo in quo est, loco, ter secretò dicens: Deus propitius esto mihi peccatori: & populus similiter vniuersus cum pietate adorant. Sed ad perfectas absolutasque sacerdotis preces hæc adiungit: Sacerdos autem spargit fumum incensi sacris. Declamatio attendamus. Sacerdos eleuat sanctum panem dicens: Sancta sanctis. Chorus dicit: Vnus sanctus, vnus dominus, Iesus Christus in gloria Dei patris. Et mox sacerdos eleuat panẽ dicẽs: Super omnes cælos Deus, & super omnẽ terrã gloria eius effusa est.* Sic habet Erasmi versio: cùm Græcus liber, qui modo circumfertur, quemq; sophista noster nunc obijcit, post illas preces, quæ noster hic nobis opponit, habeat: ὅτε ποιοῦσιν ὁ ἱερεὺς καὶ ὁ διάκονος, ἐν ᾧ ἕστι τόπῳ, λέγοντες μυστικῶς τοῦτο, ὁ θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ: καὶ ὁ λαὸς ὁμοίως πάντες μετὰ εὐλαβείας ποιοῦσιν. ὅταν δὲ ἴδῃ ὁ διάκονος τὸν ἱερέα ἐπαίροντα τὰς χεῖρας, καὶ ἀπλώσαντα τὸν ἅγιον ἄρτον πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ἁγίαν ὕψωσιν, ἐκφωνεῖ, πρόσχωμεν: καὶ ὁ ἱερεύς, ἅγια τοῖς ἁγίοις. Ὁ χορός, εἷς ἅγιος, εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός, Ἀμήν. Εἶτα ψάλλει ὁ χορὸς τὸ κοινωνικὸν τὴμεῖς, ἢ τοῦ ἁγίου, καὶ ὁ διάκονος ζώννυται τὸ ὠμόφριον αὐτοῦ σταυροειδῶς, καὶ τὰς ἐν δεξιᾷ τῆ ἱερεῖ κρατοῦντος τὸν ἄρτον, λέγει: μέλισον δέσποτα τὸν ἅγιον ἄρτον.

Quæ iam commemoraui, & quæ mox sequuntur, satis, vt arbitror, indicant prudenti lectori, vt exemplar Erasmi & Græcum, quod nunc in manibus vulgò habetur, discrepent: vtq; hę liturgiæ seu missæ varient: easq; his patribus potius esse asscriptas, quàm ab illis conscriptas, id liquidò testatur, quòd ad finẽ liturgię Chrysostomi habetur: ἀντὶ δὲ τούτου ἡ ἁγία καὶ πανάγιος σου &c. vsq; ad finem. Ista manifestissimè ostendũt, Chrysostomum de seipso talia noluisse scribere. Quare illarum liturgiarum sententijs aut verbis me non teneri, iure testor.

Atq; vt maximè tenerer, demonstrabo apertissime ea, quæ in his habentur mysticis libellis, nihil causam adiuuare papisticam: sed nostræ, licet non careant superstitionibus, multum fauere. Atq; ne temere confundam aut misceam ea quæ vertit Erasmus, cum his Græcis quæ habemus, à Græcis auspicabor. In illis statim ab initio legimus, sacerdotem, dum ingreditur templum, preces huiusmodi fundere: Κύριε ἐκπόρευσον τὸν χάριτά σου ἐξ ὕψους καὶ ἀπόστειλόν μοι τὴν ἐνίσχυσιν. Manũ domini verbis his implorat, quæ de excelso habitaculo ad se corroborandum emittatur, circa ministerium, quod iamiam est aggressurus. Neque per manum domini aliud intelligi potest, quàm vis & potentia spiritus. Quod idcirco dico, ne arbitremur ipsius corporis Christi manum quoad substantiam poscì, cum sacramentum nondum certis verbis confectũ habeatur. Quare id, quod inferius ab hoc nostro adducitur, *Et dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum*, &c. nõ sic est accipiendum, quasi manu ipsa Christi corporis præsenti quoad substantiam Eucharistia nobis tradatur. Sed hic est sensus precum, vt vi atq; potentia diuini spiritus habiles reddamur ad corpus Christi percipiendum. Quod sanè fieri potest, quamuis Christi corpus realiter non adsit: vt reuera etiam iuxta nostros aduersarios nondum adest, quando sacerdos templum ingreditur, neque adhuc liturgiam est auspicatus.

Deinde cum vinum aqua mixtum in poculo traditur sacerdoti à diacono, is Deum orat ad hunc modũ: πρόσδεξαι μίξιν τοῦ θυσιαστηρίου σου τὸ ἐν ἐπουρανίοις σου θυσιαστήριον, quib. verbis Deũ orat, vt quæ offert, assumat ad supercœleste suũ altare. Credemúsne ob ista, panem & vinum, quod tunc offertur, in cœlum realiter auehi? Nullũ equidem arbitror ita desipere, vt sic existimet. Vt itaq; ista dicuntur in cœlum recipi, quòd illa Deus in conspectu suo habeat grata: ita corpus Christi concedetur ad nos venire, quòd illius, quamuis in cœlo existentis, nos, dum manemus in terra, efficimur per fidem participes. Et quod dicimus de panis ac vini subleuatione ad cœlum, idem credimus de corporis Christi descensu ad sacra mysteria. Nec alia ratione censendum est, in Actis apostolicis dici: non tantum preces, sed etiam eleemosynas Cornelij ascendisse ad conspectum & ad memoriam Dei: nempe quòd illas Deus acceptas & gratas habuerit: haud sanè quòd pecuniæ, panes aut facultates, quas pauperibus dabat, quoad substantiam in cœlum auolarent. Quid igitur mirum si etiam corpus Christi patres dicant ad sacramenta è cœlo descendere, cùm fide ac spiritu in accipiendis eius sacramentis corpore ac sanguine eius vescamur & instauremur?

De corporis Christi descensu ad sacra mysteria.

Ad hæc aliquanto inferius inducitur sacerdos ad eundem modum orans, vno, duntaxat verbo immutato: Λάβετε ἐυλόγησον τὸν πρόθεσιν, ἐπίδεξαι ἐπὶ τὸ θυσιαστήριόν σου θυσίαν ἅγιον. quod supius dixerat θυσιαν, hic προθεσιν appellat. De his quippe loquitur, quæ tũ apponuntur donis, pane, inquã, & vino. Vbi prudens lector obiter annotabit, panem illum & vinum sacrificia nominari, cũ nondum verba cõsecrationis adhibita fuerint: quod eorum causa dico, qui tantum ob id Missam dicunt esse sacrificium, quòd ibi corpus Christi offeratur: cum tamen in his liturgijs multò antea panis & vinum appellentur sacrificium, quàm per verba consecrationis corpus Christi, vt isti putant, accesserit.

Panis et vinum ante cõsecrationẽ dicuntur sacrificium.

Scribitur præterea in eadem liturgia non nihil post recitationem illorum verborum, *Accipite, manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, in remissionem peccatorum*, diaconum dicere: *Benedic domine sanctum panem:* quem sacerdos subsequitur dicens: ἁγίασον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τῷ τιμίῳ σώματι τοῦ χριστοῦ σου. Et rursus diaconus: *Benedic do-*

mine ſanctū poculū. Et ſacerdos benedicēs dicit: τὸ δὲ ἐν τῷ ποτηρίῳ τίμιον αἷμα τοῦ χριστοῦ σου. Quid precatur Deum, vt illa faciat corpus & ſanguinem Christi, ſi iam, vt iſti ſentiunt, ita corpus Christi & ſanguis realiter adſunt, vt ſubſtantiam cum panis, tum vini per tranſubſtantiationem excluſerint? Quæ, obſecro, ſunt illa quæ vult fieri corpus Chriſti, ſi nō ſunt amplius, verùm, vt iſti prædicant, receſſerunt? Profectò quando ita res habet, inanes fūduntur preces. Sin verò panis adhuc eſt, quod fieri petatur corpus Chriſti, non per illa quinque verba prolata, vt iſti fingunt, realiter corpus Chriſti acceſsit, & ſic accelsit, vt rerum illarum ſubſtantia illi ceſſerit.

Poſt conſecrationē orat vt pro poſita fiant corpus & ſanguis Chriſti

Lædunt hæc verba Inconſtantij cauſam nō parum: ſed nobis mirificè ſuffragantur, qui ſtatuimus ex prolatione verborum Chriſti in ſacris myſterijs aſtantium fidem excitari. Vnde appoſitè ſacerdos precatur, cum illa dixerit, & quidem aliquando poſt, vt cum panis, tum vinum fiant, nimirum communicantibus, corpus & ſanguis Chriſti. Ná cum natura ſint panis & vinum, quaſi corpus & ſanguis Chriſti eſſent, nobis inſeruiunt, quando communicātes per illa deducimur ad corporis & ſanguinis Chriſti participationem.

Baſilius partes Euchariſtiæ ἀντίτυπα vocat.

Sed iam liturgiam audiamus, quæ Baſilij nomine iactatur. Is poſt verba, quæ vocant conſecrationis, appellat ſacramenti Euchariſtiæ vtranq; partē ἀντίτυπα, ceu diceres, exemplaria, & figuras, quæ rei ſimilitudinem habeant. Quā obrem, cum iſte nobis inſultat, & vocitat ſubinde figuratores, non animaduertit, quanta patres, qui ita loquuti ſunt, contumelia inſectetur. Verum ſolet, quo minus phraſim eorum infeſtam habeat, prædicare, illos dum ita loquūtur, ſic eſſe intelligendos, vt figuram dicant externam ſpeciem ſacramenti, non corporis & ſanguinis, quæ abſint, verum quæ adſint re ipſa, quamuis nō cernantur: ita vt figura cum re ſignificata propriè atque re ipſa cōiungatur. At ego ἀντίτυπον ſic arbitror à Baſilio vſurpari, vt etiam vſurpatur in ſacris literis, à quibus eam vocem eſt mutuatus.

Antitypon non dicitur de re præſēti.

Petrus epiſt. priori cap. 3. baptiſma vocat ἀντίτυπον ſalutis, quam per arcam octo homines tempore Noha quoad corporis vitam ſunt cōſequuti. Quis autem non videat noſtrum baptiſma ita ſeiunctum eſſe à re, quæ tempore Noha contigit, vt ſimul actu cum ea coniungi nequeat? In epiſtola quoque ad Hebr. cap. 9. legimus, Chriſtum non eſſe ingreſſum in manu facta ſancta, exemplaria verorum: quod Græcè eſt, ἀντίτυπα ἀληθινῶν. Iudicet aūt quiſq;, an tabernaculū antiquum, quod exemplar erat cœlorū, vbi eſt Dei ſedes, ita fuerit exemplar cœleſtis corporis, vt ipſum realiter in ſe habuerit. Quare, cum Baſilius ita loquatur vt ſcriptura, commentitiū illud genus τῶν ἀντίτυπων quo fucus modò ſtruitur, haudquaquam putandus eſt reſpexiſſe. Verum hac de re, faſente Deo, prolixè agetur inferius.

Blaſphemia eſt ipſi corpori Chriſti precari benedictionē & ſanctificationem.

Subdit præterea in eodē loco Baſilij liturgia: καὶ σὲ παρακαλοῦμεν ἅγιον ἅγιων εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγα-

A βότητος ἐλθεῖν τὸ πνεῦμα σου τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ καὶ ἁγιάσαι. Cū hæc quoque ſcribantur & recitentur poſt verba conſecrationis, quomodo non iniuria fit corpori Chriſti iam preſenti, quemadmodū fingitis, & ita præſenti, vt nulla ſubſtantia præter ipſum in pane & vino remanſerit, ſi ſpiritus ſanctus petatur, quo ſanctificetur & benedicatur? Chriſti corpus quis non credat, iam benedictum ſatis, ſanctificatum ſatis, & denique ſatis ſpiritu ſancto repletum? Aduerſatur igitur liturgia veſtræ præſentiæ reali, veſtrę q; tranſſubſtantiationi: noſtræque ſententiæ viciſſim fauet. Vbi enim retinetur integra ſymbolorū natura, & corpus Chriſti relinquitur in cœlis, ibi ſpiritu ſanctificante opus eſt, atque benedicente, vt ſacramenta ſuam erga communicantes efficaciam & vim habeant.

Huius farinæ haud pauca poſſem alia proferre: ſed lectorem monuiſſe ſatis eſt. Is enim liturgias illas percurrens, multas quidē ſuperſtitiones deprehendet: ſed agnoſcet itē aduerſariorum cauſam non parum lædi. Nos verò, quę ipſe adducit, facile damus: nimirū peti, vt Chriſtus de cœlo veniat ſuo ſpiritu. Neq; manus, vt dictum eſt, aliud, quàm vim eius cœleſtem ſignificat: neque inuiſibiliter dominus inter communicantes verſatur, niſi quoad naturam diuinam: quæ ſua gratia & ineffabili bonitate illis per fidem adeſt.

Ex adoratione eorum in ſacramentis percipiēdis adhiberi B

De adoratione autem, quomodo in ſacramētis percipiendis adhiberi queat, in præſentia parum dicam, nempe in re aperta. Quoniam ſi mens non ad ſymbola, ſed ad ſignificata referatur, poteſt adoratio licitè interponi: quemadmodum, cum auditur illud in ſymbolo, *Et Verbum caro factum eſt*, aut oratio aliqua conſimilis, permulti Chriſtum adorant, cum tamen corpus eius præſens non habeant. Quare cum percipiuntur ſacramenta, audiunturque promiſſiones ad ea ſpectantes, ſi Dominum adoremus, nō propterea illius realem corporalemque præſentiam teſtamur.

cent.

Papiſtica idololatria.

Atque hoc cur tam abſurdum videri debeat, nō intelligo, præſertim vobis, qui adoratis imagines ſanctorum, cereos illis accenditis, atq; ſuffitum facitis, inuocatiſq; bonis lateribus, quos tamen præſentes non creditis adeſſe: quo quid ſtultius fingi poteſt? Et tamen ad eam ſtultitiā etiam impietatem additis: vt qui contra præceptum Dei, inuenta hominum, operaq; manuum veſtrarum adoretis. Quod nobis obijcere non poteſtis, ſi quando in percipiendis ſacramentis Deum & Chriſtum adoramus: cum ibi non hominum figmenta, ſed inſtituta Dei, atque illius verba communicantibus proponantur. Quam ob rem, vt quod mihi videtur dicam, ad euitanda ſuperſtitionum pericula, nolim hoc tempore adorationis externæ ſigna in euchariſtiæ perceptione adhiberi, vtut non ad ſymbola panis & vini, ſed ad ipſum Chriſtum in cœlis regnantem dirigerentur. Verū nō ſatis mirari poſſum, Hortenſium iſtum noſtrum, acrem & induſtriū (vt ipſe videtur ſibi, vtque ſui eum prædicant) rhe-

In cena percipiendis ſignis idololatriæ conuadoratio.

torem

torem, ac theologorum culmen, in primo cau-
sæ huius conflictu non adhibuisse firmiora te-
stimonia, quàm ea sint, quæ istæ confictæ litur-
giæ pro eo dixerunt. At de illis, vt arbitror, iam
satis multa.

Pergit verò iste, neque sui similis esse desinit:
& pro scripturis, quas vnicè flagitamus, patres
obtrudit, eosque non puros ac simplices, vtq;
intelligi deberent: sed quemadmodum sui erro-
ris patroni, ac suffragatores videri possint. Ante
alios Chrysostomũ producit de sacerdotio lib.
3. vbi sic scribit: *O miraculum, ô Dei benignitatem:*
qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articu-
lo omnium manibus pertractatur: ac se ipsum tradit vo-
lentibus ipsum accipere, ac complecti: fit autem id nul-
lis præstigijs, sed apertis ac circumspicientibus circumsi-
stentium oculis. Num tibi ista contempta ac despectu
digna esse videntur? Addit sophista, *Ex ijs verbis*
Chrisostomi vides, Christum esse in cœlis, non aliud affere-
re probationis, ne sit in terris: cum hæ veritates nõ
collidantur. Quæ ab hoc tam malè sano capite sic
depromũtur ex Chrysostomo, si exposuerimus,
vt quæ præcedunt exponenda ea esse ostendũr,
quis non affirmet, scriptoris mentem nos tene-
re: istumque verborum superstitiosum capta-
torem è diuerso miserè falli, ac alios pernicioſè
decipere, cùm patrum sermones tam violenter
in suum errorem, simulato studio simplicitatis
traducit? Certè sanctorum orationes, vt prima
fronte significare videntur, non oportet accipe
re: sed potius ad ea, quæ priora, posteriorаque
dicta sunt, accommodare

Audiamus itaque paulisper, quæ Chrysosto-
mus ante illa, quæ iste adducit, scripserit, vt ex
ipsis cognoscamus, quid etiam de his sit creden
dum. Nam, *dum conspicis*, inquit, *dominum immo-*
latum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fun-
dentem, tum verò turbam circumfusam pretioso illo san-
guine intingi ac rubefieri, et idnunc te inter mortales vere
sari, atque in terra consistere censes? An potius è vestigio
in cœlos transferris? An non carnis cogitationem omnẽ
abijciens nudo animo, mente pura circumspicis quæ in
cœlo sunt? &c. Dicat nobis is, qui se patrum exi-
stimat consultissimum, quomodo in mysterijs
conspiciamus dominum immolatum? Nos im-
molationis eius memoriam celebrari scimus: at
ipsius immolationem repeti verè ac re ipsa quis
dixerit? Neque minister in sacrificium mortis
Christi aliter quàm commemoratione incum-
bit. Qua ratione præterea conspicimus turbam
circumstantem sanguine pretioso domini rube
fieri? Porrò nullius circumstantium os aut vul
tus nouo colore inficitur. Neque desinunt sa-
cramenta percipiẽtes in terris versari: nisi quo
ad curam, solicitudinem, atque mores, qui ma-
gis cœlestes cõditiones, quàm terrenas referũt.
Nam fide solùm, cogitatione, menteque in cœ-
los communicando transferimur. Quare si hæc
omnia dici à Chrysostomo vel translatione, vel
hyperbole, vel synechdoche negari non potest,
quid ea, quę sequũtur è vestigio, ita persequẽda
sunt ad vnguem, vt nil ibi, nisi propriè dictum
putemus? Profectò qua ratione priora lenimus,
neque morosè interpretamur: ita quæ proximè
adscribuntur, nemo potest nos cogere, ne eodẽ
modo accipiamus. Neque quisquam nostrum
inficiabitur, admirãdum esse diuinæ bonitatis
opus, vt corpus Christi, quod cœlo vsque ad ex
tremum iudicij diem clauditur, dum mysteria
celebrantur, omnium manibus, non quidẽ in
seipso, verùm in illius sacramento pertractetur:
quemadmodum Christum fatemur, non perse-
ipsum corporaliter præsentem esse: sed per suas
literas, & verba, & audiri à nobis verè, & verè
nos alloqui. Nec dubitamus Dominũ se omnib⁹
tradere, quotquot illum fide, animoq;, dum
communicãt, suscipere atque complecti volue-
rint. Sed quomodò id intelligemus fieri aper-
tis ac circumspicientibus circumsistentium om
nium oculis? Certè ea locutio, nisi vel ad ocu-
los fidei, vel ad sacramenti externi distributionẽ
referatur, vera esse nulla ratione poterit. Quos
duos intellectus quis non videat esse figuratos?
Damus igitur Chrysostomum agnoscere Chri-
stum in mysterijs præsentem: quod & nos fate-
mur, quo ad naturam Dei, atque de carne, cor-
pore ac sanguine idemtidem concedemus, si pre-
sentia fidem respiciat.

Sed his ita expositis duo libet interrogare.
Quànam fronte isti legant hæc verba Chrysosto
mi: quibus dicit Christum, qui sursum sedet,
illo temporis articulo omniũ manibus pertra-
ctari, cùm ipsi prohibeant, Eucharistiam manibus accipi? Si Chrysostomi orationem pium ve
ramque credunt, cur illi vsque adeò resistunt?
Sin verò pro recta piaque non habent, desinant
illam nobis obijcere, cum ipsi eam cõtemnant.
Percontor deinde, cum paulò superius dicatur,
sicut produxi, *Tum verò turbam circumfusam pre-*
tioso illo sanguine intingi ac rubefieri, cur si res ita se
habeat, altera sacramenti patre plebem fraudare audetis? Vester Chrysostomus nónne illam
quoque circumfusæ turbæ dari scribit? Vos ve-
rò non datis, verùm impiè aufertis, populumq;
altera specie iubetis esse contentum, ne sangui-
ne Christi, quemadmodum vos, intingatur, & rubefiat. Ad hæc missæ priuatæ, quas tanti facitis, vbi circumfusam habent illam turbam com
municantium? Desinite obsecro, desinite alio
quando, patres nobis obijcere, cùm ipsi eos tam
fortiter, tamque strenuè contemnatis.

Verùm ex eadem Chrysostomi pharetra no-
uam sagittam, atque vt arbitratur, validissimã
eiaculatur. Scribit enim ille ad populum An-
tiochenum homilia 2. *Quid igitur si vobis demonstre-*
mus aliud, quod illo multò maius omnes sacris my-
steriis imbuti recipimus? Helias nempè melotem quidẽ
discipulo reliquit: filius autem Dei ascendens suam no-
bis carnem dimisit. Sed Helias quidem exutus: Chri-
stus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit.
Subijcit Inconstantius: *Quid ijs verbis luculentius,*
vt ostendatur nobiscum eandem esse carnem in ter-
ris, quæ cœlum petijt: quam tamen Christus, vt daret
non exuit? vt tut Chrysostomi sermones verses,
nil amplius ex eo vales extorquere, quàm
elegantem allegoriam, vbi Helias cum seruato-
re nostro confertur. Nam quemadmodum ille
suam melotem demisit ascendens in cœlum, ita
dominus

dominus, cũm eodem ferretur, ſuam carnẽ nobis reliquit in terris. Quod ſi accipias de ſacramento carnis Chriſti, vel quòd eam noſtræ fidei præſentem perpetuò in myſterijs eſſe velit, quid obſecro, habet incommodi? Vel quid ſtatuitur, quod à nobis liberaliſsimè nõ cõcedatur? Nón ne ſententiæ huius veritas manet ſalua, ſi Chriſtum damus carnem ſuam aliquo modo fidelibus reliquiſſe? Certè ſi quis hinc inferre velit, eam ſimpliciter abſoluteque dimiſſam in terris, paralogiſmum incurrit, quem Sophiſtæ, à ſecũdum quid ad ſimpliciter appellant.

Paralogiſmus aduerſarij.

Verùm quia iſti tropos ac figuras admittere nolunt, cũ aliquid ex patribus eruerint, quod vtcunque à ſe ſtare ſuſpicantur: dicant illi viciſſim, quomodo in hac eadem homilia explicent, quod paulo antè de ipſo Helia ſcribitur: *Et erat poſthac duplex Helias ille: & erat ſurſum Helias, & deorſum Helias.* Hic dicant nobis: an propterea Helias ille reipſa & corporaliter erat deorſum interris, quia melotem demiſerat Eliſæo cum ſurſum fuiſſet raptus? certè non dicent, illum quoad ſubſtantiam in duobus locis ſimul fuiſſe: cũ tamẽ Chryſoſtomus ibi ſcribere audeat, eundẽ Heliam ſurſum & deorſum fuiſſe: quæ profectò ſic accipi debent, vt corpore præſentiaque reali ſurſum fuerit, deorſum verò ſpiritu atque virtute: quæ pallio ſeu melote ipſius aptiſsimo ſymbolo demonſtrabantur: vt pane ac vino, carnis atque ſanguinis Chriſti vis poteſtasq; oſtẽditur: atque ita pulchrè fit, vt ſit verum quod ſcribit Chryſoſtomus, vt Chriſtus & carnem ſuam nobis reliquerit, & ipſam habens in cœlum aſcenderit.

Allegoria de Helia.

Et quia hunc patrem ſibi non leuiter patrocinari arbitratur, eius adhuc teſtimonio alio in epiſtolam priorẽ ad Corinth. cap. 10. vtitur. Nam homilia 24. ſic ſcribit: *Quod ſummo honore dignum eſt, id tibi in terris oſtendam. Nam quemadmodum in regijs non parietes, non tectum aureum, ſed regiũ corpus in throno ſedens omnium præſtantiſsimũ eſt, ita quoque in cœlis regium corpus, quod nunc in terra tibi videndum proponitur: neque angelos, neque archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, ſed ipſum horum omnium tibi dominum oſtendo. Animaduertis, quonam pacto quod omnium maximum eſt atque præcipuum in terra, non conſpicaris modò, ſed tangis: neque ſolùm tangis, ſed comedis, & eo accepto domum redis.* Quaſi citra controuerſiam vllã quæ attulit ſententiam ſuam confirment, ſubiungit: *Hæc Chryſoſtomus, qui regium corpus, quod agnoſcit in cœlis, fateꝛtur proponi videndum in terris, & comedendum adeò, nimirum in ſacramento.* At ſi percontemur, quomodo corpus Chriſti nobis exiſtimet videndũ in terris proponi, quid reſpondebit? An oculis corporis dicet nos illud conſpicari? Quòd ſi carnis oculis & tactu corporis hoc fieri contenderit, non ſolũ ſenſibus repugnabit, ſed etiã ſibi ipſi maximè aduerſabitur: ipſe enim vbiq; clamitat, corpus Chriſti ſub ſpecieb. illis panis & vini, vt loquitur, inuiſibiliter adeſſe: neque cũ Auguſtino conſentiet, qui ait, viſum, guſtum, tactum, atque olfactum nil aliud, quàm panem & vinum renuntiare. At, vt arbitror, dicet, oculis & tactu fidei præberi nobis videndum atque tangendum. Quod ſi reſponderit, eum etiam reſpondere oportebit, cur opus eſſe ſtatuat corporali præſentia. Nam ad id, vt fide videatur, tangatur, & comedatur, ea non eſt opus præſentiæ ratione, cum veteres in deſerto nobiſcum eundem ſpiritualem cibum ederint, & ſpiritualem eundem potum biberint: & Abraham ſit dictus vidiſſe diem domini, qui tamen eum præſentem re ipſa non habuit. Nam fidei vis eſt, vt non minus in abſentia, quàm in præſentia feratur.

Vis fidei in abſentia feratur.

Accedit huc præterea, illa Chryſoſtomi verba, *in terra non conſpicaris ſolùm, ſed tangis, &c.* non poſſe niſi ad ſacramentum referri. Senſus quippe corporis in myſterijs tantùm panem & vinũ tangunt atque vident: niſi adeò quis velit deſipere vt rotundam illam figuram corporis Chriſti accidens eſſe, non panis exiſtimet, & ſaporẽ, odorem coloremq;, ac cæteras proprietates, quæ à ſenſibus communicantium percipiũtur, non panis & vini, ſed carnis & cruoris domini eſſe. Atque vt rem apertius explanem, cum ait, *quod ſummo honore dignum eſt, id tibi in terra oſtendam*: ſi de oſtentione loquamur, quæ ſub ſenſus externos cadat, ſolùm de ſacris ſymbolis intelligi poteſt, quæ in terra tractantur & diſtribuuntur: quibus nos docemur, qui ſumus identidem in terra: cum tamen id quod docetur atque ſignificatur, nempe corpus ipſum Chriſti, ſit in cœlis. In terra itaque ſunt, &, qui docentur, homines, & ſacramenta quibus docentur: ſed res ipſa, quæ docetur, præſentia reali cœlo continetur: in terra verò eſſe per ſignificationẽ, fidei apprehenſionem, & vi ſpiritus ac gratiæ, dici poteſt.

Quã in præſentia

Neque debemus adeò ijs quæ iſte adducit, Chryſoſtomi verbis aures accommodare, quin eundem audiamus paulò antè in eodem loco quàm iſta ſcriberet, ita diſſerentem: *Nam dum in hac vita ſumus, vt terra nobis cœlum ſit, facit hoc myſterium. Aſcende igitur ad cœli portas, & diligenter attende: imò non cœli, ſed cœli cœlorum: & tunc quod dicimus, intueberis.* Verba hæc Inconſtantius deiudustria præterijt, cum tamen ijs, quæ affert conuncta legantur: quia vidit ea ſui teſtimonij omnem vim retundere. Oſtendere vult Chryſoſt. regium corpus in throno ſedens ijs, qui ſunt in terra fidelibus. At qua ratione? Si ſic in terra ſint, vt animo verſentur in cœlo. Ideò illos aſcendere, nimirum fide, ad portas cœli, nec tantum cœli, ſed etiam cœli cœlorum iubet.

Chryſoſtomi locus.

Verum, ne ab hac homilia diſcedamus, operæpretium eſt videre, quomodo ille pater eam partem eius quam moralem inſcribit, auſpicetur. *Hæc ergo*, inquit, *cum intelligamus, dilectiſſimi, velimus inuicem vnitatem ſeruare: ad hoc enim nos inducit ſacrificium illud formidandum & admirabile, quod iubet nobis, vt concordia & charitate maxima ad ſe accedamus, & aquilæ in hac vita facti ad ipſum cœlũ euolemus, aut etiam ſupra cœlum. Vbi enim eſt cadauer, inquit, illic & aquilæ. Cadauer Domini corpus propter mortem. Niſi enim ille cecidiſſet, nos non reſurrexiſſemus.* Aquilas autem appellat, vt oſtendat,

Idem Chryſoſtomus.

Nobis inſtar aquilarum volandum eſt ad cœlum.

dat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei esse commune: neque ad inferiora trahi & repere, sed ad superiora semper volare, & in solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere. Hæc, ni fallor, satis declarant, quid in hac sua concione Chrysostomus docere voluerit. Possem facilè multa huius generis ex eodem authore proferre. Sed alibi, vt spero, erunt opportuniora. Idcirco nunc prętermittentur: Nam quæ modò sunt allata, satis docent, communicantibus in Ecclesia fidelibus exhiberi quidem corporis Christi sacramentum in terris: at rem in cœlis prorsus esse quærendam, quò illos adhortatur vt instar aquilarum mente ac spiritu volent.

Quòd verò noster iste posthæc eos reprehendit vt infideles, qui corpus Christi, cum sit finitæ naturæ, in multis locis virtute diuina simul esse non posse statuant, hanc suam calumniam si aliquo argumento confirmasset, ego quoque illam niterer confutare. At cum dicat tantùm, non probet, ego etiam eos, qui hoc sentiunt, infideles esse, satis habebo solùm negare: neque meam negationem illius affirmatione minoris ponderis futuram apud lectores verebor.

Ambrosij. Ambrosium prætereà, & aliquot patres facere secum existimat: quod vt sit verum diligenter excutiemus. *Ambrosius*, inquit, *in Psalmum 38. sic habet. Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem: vidimus & audiuimus pro nobis offerentem sanguinem suum. Sequamur, vt possumus, sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium, & si infirmi meritò, tamen honorabiles sacrificio. Quia & si nunc Christus nõ videtur offerri, tamen ipse offertur in terris quando Christi corpus offertur, imò ipse offerri manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur.* Audis, inquit Pseudo-constantius, *hic Christi corpus offerri in terris, idq; ab ipso Christo, ea ratione, quòd sermone eius sanctificatur sacrificium, quod offertur.* Quando Ambrosius cæterique patres aiunt, Christum, corpusque illius ac sanguinem in terris offerri, nihil aliud volunt, quàm hîc inter nos in Ecclesia memoriam celebrari, gratiasque agi Deo de illo vero perfectoq; sacrificio in cruce olim semel oblato: sentiuntq; nostra mysteria signa & imagines esse rerum, sanguinis, inquam, carnis, & corporis Christi iam longè antè immolati, & nunc in cœlo regnantis. Atq; hoc ita esse, quicquid iste blateret, ipse Ambrosius in hoc eodem loco testatur. Nam illa verba 38. Psalmi, *Siquidem in imagine pertransit homo, &c.* exponit. Facit autem rerum tres gradus, vmbram, imaginem, & veritatem atque veteres, qui sub lege vixerunt, vmbras habuisse memorat: in ecclesia verò nunc esse imagines in futura denique vita, seu in cœlo, esse res ipsas & rerum veritatem. Quæ ne ignoremus, exemplis demonstrat, & inter cætera illud ponit: veteres vmbram habuisse, quando petra illis concessa est, vnde aquam haberent ad sitim extinguendam. Ibi enim Christus demonstrabatur obscurius, & quodammodo per vmbram vt potus hominum salutaris: Eiusdem rei, corporis inquam & sanguinis Christi, nos hoc tẽpore in mysterijs imaginem tractamus: rerum veritas est in cœlis, quam si velimus intueri eò ascendamus oportet. Atq; adeò se continet Ambrosius ijs gradibus, vt etiam quoad offerentes rem ita se habere testetur. Nam veterem vmbram Christi suum corpus offerentis sub lege inquit, principem sacerdotum fuisse. Christus autem re vera tempore mortis seipsum obtulit: & in cœlo nunc est pro nobis intercedens. At in ecclesia sunt ministri, vel, vt loquitur, sacerdotes eius imagines, in quibus, vel per quos ipse Christus, ceu in imagine, offerri dicitur, quando eius mortis in synaxi memoria celebratur. Affirmatque ideò nos habere hîc Christum offerentem, quia Petrum, Paulum, Thomam, Iohannemq; habemus eius imagines. Neminem autem dubitare arbitror, ita Petrum, Paulum, Ioannem, reliquosque ministros Ecclesiæ Christum referre, atque illius imagines esse, vt tamen Christus nõ sint re vera, nec esse possint.

Quid intelligant patres per oblationem & sacrificium corporis Christi.

Vmbra, imago, & veritas.

Atque ne ista fingi à me credantur, haud grauabor eiusdem Ambrosij verba fusius adscribere, quæ sic habent: *Primum igitur vmbra præcessit, secuta est imago, erit veritas. vmbra in lege: imago in Euangelio: veritas in cœlestibus. vmbra Euangelij, & Ecclesiæ congregationis in lege: imago futuræ veritatis in Euangelio: veritas in iudicio Dei. Ergo quæ nunc celebrantur in Ecclesia, eorum vmbra erat in sermonibus prophetarum: vmbra in diluuio: vmbra in rubro mari, quando baptizati sunt patres nostri in nube & in mari. vmbra in petra, quæ aquã fluxit, & populum sequebatur. Nónne illud in vmbra erat sacrosancti huius mysterij sacramentum? Nõne vmbra erat aqua è petra, quasi sanguis è Christi latere, quæ fugientes se populos sequeba. ur, vt biberent, & non sitirent: redimerentur, & non perirent? Sed iam discessit vmbra noctis & caliginis Iudæorum: dies appropinquauit Ecclesiæ. Videmus nunc per imaginẽ bona, & tenemus imaginis bona.* Post hæc Ambrosij verba quæ modo adduximus, illa statim subijciuntur, quæ Inconstantius citauit: quem tamen oportuisset illa, quæ sequuntur, non omisisse, quia non parum ad rem præsentem faciunt. Sic enim habent: *Et ipse quidem nobis apud patrem aduocatus assistit: sed nunc eum non videmus: tunc videbimus, cum imago transierit, veritas venerit. Tunc iam non per speculum, sed facie ad faciem ea quæ sunt perfecta, videbuntur. Ascende ergo homo in cœlum, & videbis illa, quorum vmbra hic erat vel imago. Videbis non ex parte, non in ænigmate, sed in consummatione: nõ in velamine, sed in luce: videbis illum verum & æternum atque perpetuum sacerdotem: cuius hîc imagines videbas, Petrum, Paulũ, Iohannem, Iacobum, Matthæum, Thomam: videbis perfectum hominem iam non imagine, sed veritate.*

Ipsius Ambrosij verba.

Imago in verbis Ambrosij ab re ipsa distat.

Postrema hæc dicta idcircò adieci, vt hunc patrem intelligamus, imaginem accipere, quæ à re ipsa distet. Scio enim impostorum vafriciem, qui dicunt in sacramento quidem imaginem esse, propter panis & vini accidentia:

sed nihilominus rem ipsam præsentem sub illis esse. Cur non credunt exemplo Ambrosij, vt Petrus, Paulus, & Iohannes imagines erant Christi, sic Eucharistiæ symbola coporis & sanguinis Christi esse imagines? Quarum rerum naturam solidam & ipsam veritatem manifestam & patefactam si qui volunt percipere, in cœlum iubet Ambrosius vt ascendant: quod nunc fide tantum contingit pijs, & post mortem plenissimè concedetur? Nec plus præsentiæ rei concedendum est, Petri, Iohannis, & Thomæ imagini, quàm imagini panis & vini in Eucharistia: si quidem tam hic quam ibi, Christus vt ab imagine secundùm Ambrosium refertur.

Colligit præterea & obiter vult annotari Inconstantius, sacrificium Ecclesiæ non esse gratiarum actionem, vt quidam ex figuratoribus volunt, sed ipsum Christi corpus. Vnde dicitur sacrificium incruentum & viuificum. Ista refellendi non est in præsentia idoneus locus. Id tantum hunc rogabo, qui omnia quasi per nebulam iactat, & scribit, vt nos doceat, etiam si daremus corpus Christi, vt vult, re ipsa præsens, quænam esse possit eius oblatio, si memoriam & gratiarum actionem de morte, quam in cruce nostri causa obijt, subtraxerit? Dicat obsecro q̃d illud sit, quod ita plenis buccis clamat corpus Christi & sanguinẽ offerre? Hoc inquam, semel expediat. An ista patri ita sistunt, quasi eis careat? An ita offerunt, quasi præsentia illa coram se non habeat? Hæc opinor, minimè dicent. Quid verò aliud respondere possint, iam tandem aliquando inueniant. Quod cum fecerint, inde materiam confutandi eos nãciscar: nunc verò dum tantùm dicũt, nihil autem probãt aut explicant, eos licet absque metu, sed non sine iusta indignatione prę-terire, qui tam audacter loquantur, quę nesciant: & dum loquuntur, se ipsos non intelligant.

Ambrosij suppositicij locus.

Additur alius ceu ex Ambrosio locus, nimirum in capite ad Hebræos 10. quo sua iste probari suspicatur: ideò illum censeo cominus intuendum. *Proinde vnum*, inquit, *est hoc sacrificium: alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt: nequaquam, sed vnus vbique est Christus, & hîc plenus existens, & illic plenus, vnũ enim corpus. Sicut qui vbique offert vnũ corpus est, & non multa corpora: ita etiam & vnum sacrificium, &c.* Non possum huius hominis nõ mirari plumbeum iudicium: qui vt ipse, qui sint testes, quos adduxit, nihil pensi habeat, ita illos arbitratur à nobis absque vlla exploratione statim admittendos. At gratia dei nos non ita caremus naso, vt ille religione ac pietate destituitur.

Erasmi iudicium de commentarijs Ambrosij in epistolã ad Hebræos.

Primùm Ambrosij antiquiora volumina commentarium istum ad Hebæos non habẽt. Deinde quid Erasmus, in recognoscendis authoribus acerrimi vir iudicij, senserit hac de re in sua Censura, non grauabor subijcere. *Ex Anglia quidem docti miserunt ad me speciminis loco paginam descriptam ex commentarijs in epistolam ad Hebræos, quibus præfixum erat Ambrosij nomen. Sed tota phrasis magis referebat Remigium, aut Anselmũ, aut alium eius notæ scriptorem, quàm Ambrosium.* Erasmi ergo fretus censura, testem hunc vt adulterinum & commentitium possem reijcere: atque me ad hoc faciendum non parum iuuaret, quòd non solùm Primasius, Remigius, & Haymo hæc eadem propemodum verba extulerunt, verùm etiã Chrysostomus ante eos omnes ea scripsit. Et certè ab illo commentitius iste Ambrosius, & alij posteriores ea decerpserunt. Atque hinc est ille consensus, quẽ iste vt admirandum iactat. Et certè res leuis non fuisset, si omnes eodem tempore, in diuersis locis degentes, totidem verbis eadem scripsissent. At cum omnes vt dixi, ab vno acceperint, quid hîc obsecro, vel nouum, vel inusitatum accidit? Gardinerum verò non puduit, eundem testem mutatis nominibus, loco plurium supponere: ac ne miremur, eundem obtrudit sermonem, hoc ob scriptorum admirabilem consensum euenire affirmat.

Nec tamen hunc personatum Ambrosium ita pertimescimus, quasi contra nos testetur. Excutiatur, quæso, totus: & plus audiemus illum fauere nobis, quàm Inconstantio. Sic enim loquitur: *Proinde commemoratio fuit, non absolutio: quia quotidiè ijsdem purgabantur hostijs, & ipsi sacerdotes, & populus pariter. In Christo è contrario, semel oblata est hostia potens ad salutem sempiternam. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis eius. Et vna est hæc hostia, nõ multæ: quia semel oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplar illius est, idipsum semper offerimus: nec nunc quidem alium agnum cras, alium hodie: sed semper idipsum.*

Post hæc statim illa subdũt, quæ iste citauit: atque ijs hæc alia connectuntur, quæ de industria præterit, quòd apprimè declarent, si quid ambigui, aut obscuri haberent ea, quæ sunt interposita. *Pontifex enim noster ille est, qui hostiam mundantem nos obtulit. Ipsam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem, quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum est. Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud sacrificium, sicut pontifex, sed idipsum semper offerimus: magis autem sacrificij recordationem operamur.* Potuit φιλαγαθίτης ex ijs omnibus, quæ recensui, si voluisset facile intelligere, quid esset Ambrosio Christum, vel eius corpus sacrificari, quidũe in multis locis simul idem offerri: præsertim cum dicat, *Offerimus: quidem, sed recordationem facientes mortis eius.* Atque cum addat, *Hoc autem sacrificium exemplar illius est:* deinde, *Hoc autem, quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum est.* & ad extremum. *Sed ipsum semper offerimus. magis autem sacrificij recordationem operamur:* Sed quia ornando mendacio tantum studebat, ideò scribentis mentem ac sensum volens præterijt.

Nota ex quómodò Eucharistia sacrificium aut oblatio dicatur.

Statuit ergo Ambrosius, vt hic adducitur, Offerre Christum, vel corpus eius, esse recordationem

dationem mortis eius facere, ac eiusdem exemplar exhibere: & commemorationem quandá repetere eius quod antè gestum est: ita vt magis dicendi simus, recordationem sacrificij operari quàm offerre. Hæc tam conspicua sunt & adeò clara, vt patefaciant liquido quomodo sit accipiendum, quod dicitur, *In multis locis eundem Christum offerri.* Nempe quod idem sit Christus. non vtique alius aut diuersus, cuius mortis cõmemoratio, exemplar, recordatio fit simul ab Ecclesia in multis locis. Ministri sanè diuersi, alij communicantes, alius panis, aliud vinum est in diuersis locis, vbicunque cœna domini peragitur. At quis dubitet eundem Christum celebrari, ac referri, vbicunque mysteria hæc tractantur? Damus itaque Ambrosio licet cõmentitio, corpus Christi esse, vt dicit, vbiq; hac intelligentia, quod fidelibus liceat in quouis loco illud idem fide agnoscere, ac de ipso eodem pro nobis in crucem acto gratias communicando agere. Neque aliud iste Ambrosius potuit sentire, cum diceret: *Sed vnus vbique est Christus.* Id enim quoad corpus eius proprium dari nullo modo potest, cum sit finitum, neque possit esse vbique, quod vt singulare proprium quæ naturæ diuinæ conceditur. Plenus igitur Christus est vbique: quoniam vbicunque sacra mysteria peraguntur, eius integri ac perfecti, non autem mutilati aut diuisi exemplar, memoria, & recordatio, cum precibus & gratiarum actionibus, & summis laudibus peragitur.

Quo sensu corpus Christi dici possit aliquo modo vbique.

Est iam huic loco perspicuè satisfactum. Id tantum superest, vt dilucidum faciam, quid Remigius & Haymo sibi voluerint, cum adijciunt vt ille refert, *Animaduertendum est, quia diuinitas verbi Dei quæ vna est, et omnia replet, et tota vbiq; est, ipsa facit, vt non sint plura sacrificia, sed vnum, licet à multis offeratur.* Horũ verbor ũporrò hic est sensus: Si multa sacrificia essẽt, multi adeò Christi essent. at id prohibet diuinitas verbi, quę vnà duntaxat habet hypostasim, qua Domini etiã nostri natura humana subsistit. Proinde quia dari non possunt multi Christi absque multis hypostasibus, & persona verbi vna est hypostasis: ideo propter illam multi Christi esse nequeunt. Cũque vnus tantùm sit Christus, illius eiusdem memoria fit, vbicunque cœna domini habetur. Damus igitur vnum corpus Christi ex virgine sumptum in multis locis simul offerri: modò accipiatur oblatio, vt Ambrosius, vel potius Chrysostomus est interpretatus: & natura Christi diuina fieri, vt non multa sint sacrificia, quãdo propter illam non multi possint esse Christi. Mirorque vnde Inconstantius, cum illi tantùm habeant, *diuinitas verbi Dei*: reddat, *diuinitatis Christi potẽtia*: quasi illi voluerint opus esse potentia Christi, vt eius corpus sit simul in multis locis. Cum illi solum dicant, diuinitatem Christi efficere, vt non sint multa sacrificia: quãdoquidem, vt dixi, propter vnam hypostasin personæ verbi non possint esse multi Christi. Et sensum hunc esse proprium, declarat ipsa conclusio. Sic enim inferunt: Nã si aliter esset,

Quare non possint esse multi Christi.

A quoniam in multis locis offertur, multi essent Christi: quod absit. Sed interea percontari non omittam, si, vt isti consentiunt, non sunt multa sacrificia, sed vnũ: qua licentia permittitis vos in Canone vt dicatur: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata?* Quare vel Canonem vestrum, quò meretur, abijcite: vel definite aliquando hæc loca patrum nobis obijcere.

Papistæ in eucharistia multa ponunt sacrificia.

Nunc autem superfluũ sit, vt de verbis Chry
B sostomi quicquam dicam. Nam cum ea laruato Ambrosio fuerint assuta, qui vnũ norit, vtrũq; norit. Sed id non prætereundum, vanissimum hominem cum ob prauum corruptumque sensum affixum his patribus, putarit se hostes prostrauisse, insultare nobis petulantia plusquam satyrica: sed quàm verè, obsecro, audiamus. Verba enim mẽdacissimi Thrasonis libet ascribere. *Audi figurator, tam certò credebant ij patres, verum Christi corpus offerri, non figuram, vt in potentia*
C *diuinitatis Christi fidem fisterent, quem non dubitabãt id posse efficere, necesse haberent multos Christos confiteri. cum alioqui, si nihil aliud quàm figuram offerri credidissent, facile est, vnius Christi innumeras habere & cogitare in pane & vino figuras: quomodo vnius hominis mortalis, cum picturas plures pictas aut sculptas videamus, nõ eò magis hominem ipsum multiplicatum imaginamur. Sed vt ad Christum redeam, vnum & eundem Christum tot figuris, & tam variis in veteri lege præfiguratum, à figurarum numero multiplicari nõ*
D *dicebant: nec ij patres, si solam Christi figuram credidissent offerri, hæc ita tractassent, vt vbi nihil subesset causæ, absurditatem colligerent de multis Christis, quæ à figurarum multitudine non sequitur, sed à veritate corporis oblati omnino sequitur, nisi quatenus mira Dei omnipotentia id efficiatur, vt vnum & idem Christi corpus in multis locis offerri possit, ita tamen, vt vnus vbique sit Christus*, &c. Mirum quàm sibi placeat, vt epitheti noui repertor, quo nos flagellet, dũ ore tumido figuratores despectè appellat: neq;
E videt hunc præclarum titulum filio Dei, non autem nobis conuenire. Nam ille ipse voluit se in lege, atque ante legem multis figuris adumbrari. Atque idem in nouo Testamento sacramenta instituit: quæ vniuersa Ecclesia semper typos, exemplaria, signa, & imagines consueuit nominare. Quare ille in primis dici debuit figurator, qui, dum viuimus hîc, pro sua lenitate figuris infirmitati nostrę consuluit, res ipsas,
F & quidem apertas ac reuelatas, in cœlesti patria concessurus.

Filius Dei est præcipuus figurator.

Quod si & nos, ceu participes proprietatis filij Dei, & fratris nostri primogeniti, figuratores appellemur, quòd figuras ab illo institutas defendamus figuras esse, id nobis laudi nõ vitio ducimus. Gardinerum verò monebimus, ipsum & similes eius, præstigiatores iure appellari, quòd Christi corpus magna temeritate atque impostura conentur terminis, figura membris, & denique omni propemodum humana proprietate spoliare. Nusquam, quod
G ego sciam, præstigatores bene audierunt, cum fallant, imponant, mentiantur, & decipiant. Porrò qui præstigiatur in re tanta, is profectò

Gardinerũ cum suis appellari debere præstigiatores.

vt perniciosissimus est explodendus ab omni bo minum societate.

Verùm intempestiua & insulsa Inconstantij opinicia expendamus. *Non collegissent*, inquit, *patres absurditatem de multis Christis, quæ à figurarum multitudine non sequitur, si nihil aliud, nisi figuram offerri credidissent*. Vndénam accipis, aut nos, aut patres putasse, nihil aliud quàm figuram offerri? Certè neque ipsi hoc sentimus, neque patres hoc credidisse docemus. Contendimus enim in sacris mysterijs gratiarum actionem, commemorationem, & memoriam fieri corporis & sanguinis domini pro nobis traditi, atque hoc esse, quod patres appellarint offerre. Quare iuxta huiusmodi significationem Corpus & sanguis Christi dicitur offerri: nam ista sunt ea quæ commemorantur, & de quibus gratiæ aguntur. Commemoramúsne hîc figuras? aut de figuris gratias agimus? Nemo vnquam audiuit nos hæc dicere. Panem quidem & vinum docemus figuras esse & eas quidem non qualescunque, corporis & sanguinis domini: at pro illorum significatis gratias agimus: nec non eorundem memoriam facimus. Ideo præstigiator haud nostram sententiam reprehendit, sed alienam: nisi fortasse credat, se præstigijs suis effecturum, vt alienam opinionem credamus nostram. Sunto figuræ quàm velit multæ: vnum semper est quod commemoratur, quod fide percipitur, & de quo gratias agimus. *Cur ergo*, inquit, *patres absurditatem de multis Christis proferebant, quæ tantum videtur potuisse oriri ex veritate corporis oblati?* Causa propter quã patres absurditatem propulsare voluerint, & ita loquuti sint, duplex afferri potest. Prior, quoniam panis est, qui proponitur in mensa Domini: & à scripturis, & ab Ecclesia nihilominus vocatur corpus Christi, quia illud significat, & refert. Vnde, ne putemus ipsum panem ac vinum offerri, curarunt patres huius generis loquutionibus transferre animos audiorum ad rem ipsam, quæ offertur, & ad Christum illos euehere: ne si credant, panem re vera corpus Christi esse, tot cogantur Christos ponere, quot proponuntur panes. Videbant enim si symbola res essent, multos Christos fore: id verò naturam diuinam Verbi non pati. Vt subleuent igitur animos communicantium ad rem quæ offertur, & ne symbola putent vel corpus vel sanguinem Christi esse, ita loquũtur. Propterea vos transubstãtiatores atq; præstigiatores, qui corpus Christi sub illis accidentib. panis & vini clauditis, euitare non potestis, quin tot ponatis per orbem Christos, quot frusta panis ad mysteria adhibetis. Altera verò causa cur sic rem tractarint, est, quoniam offerendi aut sacrificandi verbis vti voluerunt: quæ verba si propriè acciperentur, quemadmodum victimæ adsunt & sacrificantur præsentes, ita eos corpus Christi oportet in cœna domini præsens habere, quod offerrent atque sacrificarent: quod profecto si fieret, Christi multiplicarentur, ni si multa corpora vni Christo vellemus attribuere. Ideo patres hoc sermonis genere ceu in motione quadam ostendunt, se verbis offerendi & sacrificandi non propriè vti, cùm eis gratiarum actionem, commemorationem, atque fidei perceptionem intelligant: atque ita fit, vt ex multis oblationibus huius generis Christorum multiplicatio non sequatur. Hæ sanè causæ sunt, cur tam cautè atque accuratè patres ij demonstrarint, ex multis oblationibus nõ oriri Christorum multitudinem. Voluerunt enim ostendere, symbola ipsa non offerri: & vocem oblationem non esse accipiendam vsitato more. Neque vt præstigiator fingit, vllam hîc diuinæ potentiæ mentionem fecerunt: sed tantum diuinitatis Verbi: cuius nihilominus Ambrosius, & Chrysostomus, vt puriores, non meminerunt. Liturgia quidem Chrysostomo adscripta, vt superius attigimus, iuxta Erasmi versionem eius meminit, cum inquit: *Et dignos nos redde potenti manu tua, vt participes immaculati corporis tui simus.* Quorum verborum sensus est, vt potentia Dei euadamus digni corporis Christi participatione. Vnde apparet, illud diuinam potentiam exigere ad nostram ipsorum immutationem.

Sed non patitur præstigiator verba patrum sic expplicatè, ac dilucidè intelligi: sed quendam Bernhardum adhuc producit, quo suam hanc diffusionem corporis Christi per multa loca se probare posse confidit. Is in sermone de Cœna domini sic inquit: *Sed vnde hoc nobis pijssime domine, vt nos vermiculi reptantes super faciẽ terræ, nos inquam, qui puluis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dexteram patris: qui etiã vnius horæ momento ab ortu Solis vsque ad Occasum, ab Aquilone vsque ad Austrum præsto es omnibus, vnus in multis, idem in diuersis locis? Vnde hoc, inquã. Certè non ex debito, nec ex merito nostro: sed ex voluntate tua, & dulcedinis tuæ beneplacito. Paratũ enim in dulcedine tua pauperibus Deus.* Et mox: *Gratulare sponsa, gaude incomparabiliter: præsidentem habes, & rectorem sponsum in præsentis exilij militia: pignus habes, arram tenes, quibus feliciter sponso vniaris in patria gloriosa & amabilis sponsa: in terra sponsum habes in sacramento: in cœlis habitura es sine velamento: & hic, & ibi veritas: sed hic palliata, ibi manifestata.* Bernhardum quendam hîc adduci sum præfatus, non iniuria: quia hic sermo non est inter legitimas Bernhardi lucubrationes annumeratus, vt in meo libro pagina 321. disertis verbis est annotatum. Neque tamen quisquis is fuerit, qui hæc dixit, suis verbis nostram assertionem confutat. Christum enim præsentem quoad eius diuinitatem, nunquã negauimus. Et quod ad corpus etiam attinet, potest dici præsens, cùm sacramentum corporis eius nobis passim præparetur, quod corpus Christi & dicitur, & suo modo esse perhibetur. Christũ itẽ nemo nescit præstò esse omnib. credentib. quandoquidẽ nemo credit, nisi Christũ in corde habitantem per fidem habeat. Cũq; testatur Ecclesiã habere in terra sponsum, quid velit explicat, dũ adijcit, In sacramẽto, velamine inquã, & significatione: habitura illũ deniq; in cœlo

Non de figuris gratias agimus in cœna, sed de rebus quæ Christus pro nobis posuit.

Figuræ sunt multæ, at significatum est vnum.

Potentia Dei redditur digni perceptione corporis Christi.

Bernhardi locus.

cælo absque velamento: quia tum coràm eo fruemur, illum videndo sicuti est: quem nunc signis, & inuolucris tantùm fide cernimus. Nec debet quenquam turbare quòd subdit: *Et hic & ibi veritas*: quia sicut in cœlo verum Christi corpus in conspectu habebimus, ita modò sacramento admoniti per fidem contemplamur non fictum, sed verum ipsius corpus. Non enim fides de falsis aut fictis credentes erudit. Vnde pulchrè concludit: *Sed hic palliata, ibi manifestata*: ceu diceretur, Veritas illa corporis Christi, quam modo apprehendimus fide, nobis per sacramenta demonstrata, quæ illum non planè aperiunt, sed tectè atque inuolutè testantur: in patria, vbi videbimus facie ad faciẽ, manifesta erit, & clara. Iam, vt arbitror, satis apparet, quid nam de verbis huius Bernhardi suppositicij iudicem.

Bernhardi veri alter locus.

Nunc ex ipso vero Bernhardo testimonia producam: quibus non obscurè patebit, quid hac de re senserit. In Cantica Canticorum serm. 33. ita scripsit: *Habeo & ego verbum, sed in carne: & mihi apponitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo satiatur grano: me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum: carnis furfure: literæ palea: velamine fidei. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferant mortem, si non de primitijs Spiritus quantulumcunque acceperint condimentum: prorsus mors mihi in olla, nisi de prophetæ farinula dulcoretur.* Confert hoc loco notitiam Christi, quam angeli habent cum illa, quam nos dum hîc viuitur, accipimus. Illi nudum eum contemplantur: at nos cognoscimus sacramento indicatum, velatum humanitate, atque fide perceptum. quæ omnia, quoniam à nostra ratione assensum minimè imperarent, neque illis crederemus, nisi spiritus nobis ea persuaderet, cõtempta, & repudiata, mortem & quidem æternam afferrent.

Deinde quam subijciat huius collationis explicationem audiamus. *Et quantalibet sanè abundantia pinguescant ista, non pari omnino iucunditate sumitur cortex sacramenti, & adeps frumenti. Fides & Species, memoria & præsentia, æterna & tempus, vultus & Speculum, imago Dei & forma serui. Nempe in omnibus his fides mihi locuples, intellectus pauper. Nunquid verò pars par intellectui fideiq́? Cùm sit in meritum ista, ille in præmium? Vides distare tantùm inter pabula, quantum inter loca: & sicut exaltãtur cæli à terra, ita inhabitantes in eis.* Docet hisce verbis Bernhardus, & homines & angelos pasci Christo, & pabuli diuersam esse rationem. Atq; inter cæteras differentias hîc assignatas ponit memoriam & præsentiam: nos memoriam habemus, angeli præsentiam possident. Seruetur quæso verborum ἀντίθεσις. Memoria opponitur præsentiæ: fides apertæ contemplationi speculum claro aspectui: forma serui diuinæ imagini. Proinde si antitheseos ratio spectetur, nobis memoria est relicta: angelis verò atq; sanctis in patria degentibus, præsentia cedit. Rem amplificare non statui, quia per sese dilucida est: & spero lectores Bernhardi longè fore diligentiores, quàm vt nudo Inconstantij testimonio velint esse contenti: qui nos audet ψευδομάρτυρας vocare, cum ipse mendacij, doli mali, perfidiæ, atq; proditionis nusquam non possit iure optimo accusari.

Memoria opponitur præsentiæ à Bernhardo

Argúmẽta nostra suauiter, vt sibi videtur, ridet. *Corpus Christi, quòd verè humanũ est, sedet in cælo: ergo non est in terris. Ibi est: ergo non est hîc. Reliquit mundum: ergo non est in sacramento. Est naturæ finitæ: igitur loco circumscribitur.* Hæc inter cætera quæ sanè multa præterit, argumenta nostra sunt. At ea recitando, & ridendo, atq; addendo conuitia non soluuntur. Quoniam humanum corpus suas quasdam habet proprietates & differentias, vt Dialectici loquuntur, essentiales: quas vbi sustuleris, humanum corpus esse desinet.

At dissimulant, inquit, *cuius sit corpus, nempe Dei cui parent omnia.* Vicisse sibi videntur, cum Christi corpus Dei omnipotentis corpus esse respõdent: quasi concedendum ilico sit: Corpus est Dei, ergo non est corpus: &, Quia Dei est corpus, est infinitum: Et caro Christi, quæ molem habet suis finib. & sua figura circumscriptam in cœlo, & in infinitis locis orbis eodem tempore præsens habebitur. Quis ista bene sanus largiatur? Audacter dico, sed vnà cum patribus hoc affirmo, Si diuinitas ipsa corpus esset, non posset in infinitis, & innumerabilib. locis tota esse.

Si diuinitas ipsa corpus esset, nõ esset tota simul in locis plurib.

Adducta sunt fateor, multa patrũ loca, sed nullibi adhuc reperire potuit, quamuis id magnificè iacter, ipsum Christi corpus re ipsa, & corporaliter, vt loquuntur, in diuersis locis simul esse. Aliquo modo adesse, nos etiam credimus, & damus. At carnalẽ illã & realẽ præsentiã constanter negamus. Deinde quæ, malum, insania est, in tanta re, quam q; diuinis literis testatam proposuerit, nullũ oraculum ex diuina scriptura protulisse? An patres adducendi sunt, cũ verbũ Dei poscitur? Certè sic agi non oportuit. Imò, quia dixit ab initio, hanc Dei voluntatem vt corpus Christi realiter in sacramento adsit scripturis esse testatam, ipsa diuinarum literarũ oracula debuit afferre. Sed hoc hypocritarum est, longè alia facere, atque ab initio se facturos præ se tulerint.

OBIECTVM I.

PAVPERES semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.

GARDINERVS.

CHRISTVS in pauperibus notauit euentum, non imposuit necessitatem: imò vt pauperes omnino essent, edita charitatis lege videtur à suis exegisse.

MARTYR.

PVtat noster sophista locũ hunc ita intelligendum, quod Christũ nõ simus instar pauperũ in terris habituri: quẽ intueri, alloqui, tractare ad terrenæ conuersationis modum possi-

mus, illi vt pauperibus humanitatis officia exhibituri. Primùm, si fateamur, quod isti volunt nos credere, corpus Christi re ipsa in Eucharistia esse, Domini sentẽtia in contrariũ vertetur, & dicemus: Christũ semper habebimus nobiscum, non autẽ pauperes. Quia post beatã resurrectionẽ, quando beati erimus in cœlis, paupertas ibi non erit: dominũ verò illic habebimus coràm: & dũ hic viuimus, in Eucharistia, vt isti volunt, semper habemus præsentẽ. Nam in omnib. eorũ templis seruatur clausus, aut suspẽsus.

At, inquit, habemus quidẽ, sed non ceu pauperem. Quasi Christus ibi sese pauperib. annumerauerit, cùm potius eis per antithesin se opponeret. Neq; Apostoli cum pauperib. illũ contulerunt: imò iudicarunt eum nõ opus habuisse illa pretiosi vnguenti effusione. *Potuit*, inquit Iudas, cum quo & alij murmurarunt, *istud vnguentum venundari magno, & dari pauperibus*. Neq; hoc scribo, quasi negẽ Christum fuisse paupere: sed vt demonstrem, illum hoc sermone se non coniunxisse cũ pauperib. ac si diceret. Me quidem habebitis, at nõ ea ratione, qua sunt vobis præsentes cæteri pauperes. Nihil ille de modo tradidit: solũ inquit, *Me non semper habebitis*. At præstigiatores per visibiles & inuisibiles modos omnẽ controuersiã putãt rectè esse compositã.

Aderit, inquiunt, *at non ita, vt illi officia humanitatis exhiberi possint*. Miror eos audere ita dicere cùm Eucharistiam in pyxide sic habeant, vt aurum argentumq; circumponant, & serica velã, suffitum & lucernas adhibeant. Inter hæc, & illam vnguenti effusionem, quid, obsecro, interest? Certè vt ista, quæ Deo suo panaceo faciunt, pauperibus non conueniunt, ita ijsdem non attribuenda est pretiosissimi vnguenti profusio. Si dixit Christus, Me non habebitis vlterius, eo modo, quo mihi positis nobilia hæc officia exhibere, quæ supra sortem pauperum existimantur, manifestè idololatras istos arguit, qui præbent ipsi, vt arbitrantur, præsenti eximios honores, quos memorauimus. Vertãt igitur se quo volunt, Christum non amplius quoad corpus habituri sunt. Non enim vt pauperem habebunt, quemadmodum & ipsi fatentur: non etiam eo modo, vt sic honorificè tractari possit, sicut Papistę in sua idololatria hodie faciunt, & discipuli murmurabant piam mulierẽ tum temporis fecisse. Nam dominus ipse negauit, id postea futurum.

Et ne sophista Dialecticas argutias credatur ignorare, inquit, *potius ex illis verbis fuisse concludendum: Me non semper habebitis, ergo aliquando habebitis, interdum habebitis: quia negatio collocata nõ præsentiam, sed frequentiam præsentiæ aufert*. Quis vnquam à Leguleio tantum acuminis Dialectici expectasset? Sed quis non videat, hoc genus conclusionis minimè nos lædere, sed causam Inconstantij maximè labefactare? Cur non fateamur Christum fuisse aliquando, postquam ea verba enunciauit, cum apostolis futurum? Cum illis profecto versatus est ab illo die vsq; ad mortem: ac post Resurrectionem per quadraginta dies: & denique nobiscum erit, cùm ad iudicandum venerit. Damus itaque sine cunctatione, *Me non semper habebitis vobiscum: ergo aliquando habebitis*.

At isti quomodo fatebuntur aliquãdo & interdum eum futurum nobiscum, non autem frequenter, quando illum semper nobiscum esse, licet modo inuisibili, statuant? Omnes certè, quotquot sunt ex Papistica colluuie, corpus Christi cõtendunt esse sub accidentibus panis consecrati, vel potius excantati, quandiu accidentia illa manserint. Et idcirco panem illum adorant & circumgestant, & omni honoris genere prosequuntur. Quod verò dabunt tempus, quodúe propemodum sacellum vel templum, in quo idolum huiusmodi non conseruetur, atque perpetuo, noctu inquam & diu, non habeatur? Quare velint nolint, coguntur dicere, iuxta superstitionẽ suam, semper Christum etiam quoad corpus nobiscum versari. Proinde sequendo argutias Dialecticas, dicent, Non semper me habebitis, igitur, me semper habebitis. Non enim possunt dicere vel Aliquando, vel interdum, nisi velint idoli sui conseruationem intermittere. Quod quia facere nolunt, desinant Dialecticè argutari.

At mox dicit: *Sed ijs formulis non subijcitur diuina scriptura*. Cur illas formulas, & spinas Dialecticas mouebas, si eas vidisti ad sacras literas non esse accommodandas? Quid ita nugaris? Timuisti fortasse, ne ista ignorare videreris, Te isto metu libero, quandoquidem ab omnibus pro sophista, & quidẽ non vulgari haberis. Vtinam ita calleres diuinas literas, vt in his captiunculis es iam inde à pueritia versatus: quibus & Ecclesiam & Rempub. maximo vtriusquè damno astutissimè fallis.

Ne tamen videatur omnibus modis verba Dei abijcere, locum inducit ex posteriori ad Corinth. capite quinto, vbi scribitur: *Et si Christum nouimus secundum carnem, at iam non nouimus. Istam negationem intelligimus*, inquit, *non vt omnem extinguat cognitionem, sed vt distinguat cognitionis modum. Nam & nunc cognoscimus Christum secundum carnem, confitentes Deum & hominem in cœlis regnantem, & eundem nobis in sacramento verè præsentem. Qui noster cognoscendi modus alius est, atque illorum fuit, qui Christi visibilem in carne conuersationem familiari consuetudine experti essent*. Locum Pauli iam adductum satis agnosco: quid verò isti prosit, non facilè video. Si Paulus inquit, nos Christum non nosse, nec tamen extinguere vult omnem Christi cognitionem: illud exprimit certis verbis, quod exceptum voluit, cum addit, *Secundum carnem*. Quę verba non debemus accipere vt iste sibi fingit, de carne in vniuersum, ac simpliciter. Quis enim nostrũm Christo veram carnem adimere ausit. Carnem itaque intelligimus, vt Chrysostomus & Ambrosius exposuerunt, infirmitatis, mortis, & humanarum calamitatum affectus, quibus ante Resurrectionem dominus volens factus est obnoxius. Paulus itaque, si non extinguit omnem Christi cognitionem, quid excipiat, explicuit: & quod excepit, ostẽdimus

Quomodo dicamus Christum non nosse secundum carnem.

dimus quemadmodum accipiatur. At Christus dum inquit, *Me autem non semper habebitis*, nihil excipit, simpliciter dictum suum enunciat. Vnde quicquid de visibili aut inuisibili modo affingitur, merum est Gardineri & similiũ eius figmentum.

De carne Christi, quòd salua quoad substantiã illi adhuc maneat, nos multis diuinę scripturæ locis probare possumus. Quòd verò sub pane inuisibilis delitescat, ille diuinis oraculis confirmet, ac tum de interpretatione eius non multum rixabimur.

Adhæc, ita sibi responsum habeat, Si Paulus illa negatione minimè omnem Christi cognitionem extinxit, ita ne nos quidem omnẽ Christi præsentiam ob illa verba, *Me autem non semper habebitis*, tollimus. Est nobiscum Christus per diuinitatem, est per gratiam, fidem: est per spiritum & multiplicia dona. Sic enim, vt ait Apostolus, in cordibus nostris habitat. Cùm itaque multæ præsentiæ species relinqui possint, cur iste ad corporalem hanc nos adigit?

Sed fortasse inquiet, Vos cur illam negatis? Quia Christi corpori, si verè humanum corpus sit, concedi non potest, nimirum vt simul eodẽq; tempore in cœlis & in terris versetur.

Quomodo Christus est nobiscum vsq; ad consummationem seculi.

Ambigit præterea, quomodò illud intelligamus, *Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi*: quasi verba illa sint nebulis circumfusa & magnam obscuritatem habeant. Est nobiscum Christus, vt promisit, spiritu suo, quo cœtus fidelium perpetuò regitur & conseruatur. Vnde quamuis graues diuexationes, tyrannorumque, crudelitates excitentur, adest ille, dum cœlesti vi suos corroborat & admirabili virtute confirmat, neque suos relinquit orphanos. Ista tam expedita sunt & aperta, vt ab omnibus palpari, nedum videri queant.

Sed nos vicissim & dubitamus, & percontamur, quid ille sibi velit, cùm inquit: *Nec quia in sacramento est præsens Christi humanitas, est igitur dicenda præsens semper absolutè; sed tum demum cùm conficitur sacramentum, quandiu conseruatur suo vsui idoneum: quod licet assidua frequentia possit cõtinuari, non est tamen verum semper adesse actu, quod semper vt adsit, eget interpellatione.* Sunt hæc verba meræ tenebræ: quas vt nos vno flatu depellimus, ita eos Papæ tota cohors non recipiet. Quomodo enim dicet, humanitatem Christi perpetuò semperque non esse in terris, cùm in infinitis locis panis excantatus nunquam desinat asseruari? An inficiabimur homines in mundo esse, quia opus est vt subinde nascantur? Eadem est vtrinque ratio. Si corpus Christi est in sacramento, cùm à presbyteris conficitur, & quamdiu conseruatur, vt iste fatetur, & quotidiè millies conficitur, & perpetuò asseruatur, quo pacto non semper in terris erit? Adducant illi, oportet, nouum Chrysippum, qui nodum hunc expediat. Sed quid hæc dico? Satis ijs est, vt impediant & inuoluant: expedire atque euoluere, in lucem producere, parùm, imò nihil curant.

Arbitratur postremò sententiam suam, qua inquit, Christum nobiscum futurum, sed non instar pauperum: ab Augustino manifestè confirmari: qui super Iohan. Tract. nonagesimo quinto sic scribit: *Postremò secundum hanc iustitiam, nunquid dicemus Paulum apostolum non fuisse iustum confitentem se Christum vidisse post Ascensionẽ eius in cælum, de quo vtique iam tempore dixerat, Iam non videbitis me? Nunquid secundum hanc iustitiam iustus non erat gloriosissimus Stephanus, qui cum lapidaretur, ait, Ecce video cælum apertum, & filium hominis stantẽ ad dextram Dei? Quid ergo est, Ad patrẽ vado, & iam non videbitis me, nisi quomodo sum, cum vobiscum sum? Tum enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati, qui esurire poterat, atq; sitire, fatigari, atque dormire. Nunc ergo Christum, id est, talem Christum, cum transisset ex hoc mundo ad patrẽ, non erant iam visuri, & ipsa est iustitia fidei, de qua dicit Apostolus: et si noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Hæc Augustinus,* ait Gardinerus, *qui præsentiam Christi & absentiã distinguit, præsentiæ & absentiæ modis: secundum quos rectè accommodatos non est absurdum, eundem, & præsentem fateri & absentem.* Quid obsecro Augustini testimonium ad nostram facit controuersiam? Duos ille domini status ponit: alterum mortalem, alterum immortalem: vnũ fami, siti, labori, & somno obnoxium: alterum ab ijs defectibus prorsus absolutum. Geminũ statum Christi, qui sic describitur, quando, vel vbi nos vnquam negauimus? De præsentia nunc agitur: iste de aspectu & visu rixam mouet: quasi nos dicamus, Paulum ac Stephanum vidisse Christum in statu & conditione mortali. Scimus porrò, illum se iustis ijs videndum præbuisse immortalem, atque vnà cum patre regnantem: non tamen illis in terris præsentem se exhibuisse. Nam in cœlis erat cum videbatur. Si Augustinus diceret, Christum simul fuisse in cœlis & in terra, cum à Paulo & Stephano videretur, aliquid Gardinero Sophistæ patrocinaretur. Sed hoc non dicit. Si de præsentia sermo esset, argueremur. At neutrum istorum asserit. Quia non de præsentia loquitur, sed de aspectu, & qualis in cœlo visus sit Christus, ostendit. Accipiat ex ijs, quantum licet, plura non colliget. Facilè dabimus corpus Christi non amplius vel fide vel oculis apprehendi passibili formâ, sed immortali. At simul in multis locis esse non dabimus. Quæ malum, proterua est, quæ de visu traduntur ea ad corporis præsentiam transferre? Videri posse Christum, quando voluerit, existentem in cœlo non negabimus: at & in cœlis, & in terris esse quoad corpus eodem tempore, negamus. Qua fronte infert Pseudoconstantius: *Hæc Augustinus, qui præsentiam Christi & absentiam distinguit præsentiæ & absentiæ modis:* cùm Augustinus verbum nullum vel de præsentia vel de absentia fecerit. Sed sophistis videri & adesse idem significat. Cùm verò Grammatica latina non ita doceat, illos ad eius prima rudimenta discenda remittemus.

Neque si quis rectè consideret, statuum cor-

poris Christi distinctio ad synaxin quicquam facit. Quia licet modò caro Christi sit immortalis, illam tamen ibi ad fidem nostram reuocamus vt pro nobis facta est mortalis, & in crucẽ tradita. Dum enim communicamus, memoriam mortis domini celebramus: & verba repetimus, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: & hic est sanguis meus, qui pro vobis funditur.* Sunt quidem modò ista impassibilia: sed in nostram fidem vt passibilia fuerunt & mortalia, incurrunt: licet postea mentem quoq; nostram proferamus, ad beatam illius Resurrectionem, & regnum credendum.

Quomodo carnẽ Christi cõsydere mus in sacra cœna.

At si velimus, quid Augustinus crediderit de ista domini responsione, *Me autẽ non semper habebitis*: intelligere, illum audiamus, dum ex professo locum interpretatur, super Iohã tract. 50. *Accipiant*, inquit, *& hoc boni, sed non sint solliciti. Loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem gratiam, impletur, quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Secundum carnem verò, quam verbum assumpsit: secundum id, quòd de virgine natus est: secundum id, quòd à Iudæis prehensus est, quòd ligno confixus, quòd de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quòd in sepulchro conditus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum. Quare? quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, & eis deducentibus videndo, sed non sequendo, ascendit in cœlum & non est hic. Ibi est enim & sedet ad dextrã patris: & hic est: non enim recessit præsentia maiestatis. Et aliter, Secundum præsentiã maiestatis semper habemus Christum: secundum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis: Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt.* Quid his apertius dici potuit? Audis Augustinum affirmantem, Christũ præsentia corporis & carnis non esse hic: sed nobiscum esse secundum maiestatem, secundum prouidentiam, & secundum gratiam inuisibilem?

Christus præsentia carnis non est hic.

Neque ab hac sententia dissidet Cyrillus: imò super eundem locum ita scribit: *Deniq; autem cum de se dixit, Me autem non semper habebitis, loquebatur dominus de præsentia corporis sui. Nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem, & inuisibilem diuinitatis gratiam, impletur, quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscũ sum vsque ad consummationem seculi.* Possem quoque huc in eandem sententiam Fulgentium & Vigilium citare, sed ea testimonia in aptiorem locum reijcio. Hæc iusta est distinctio: & inter humanitatem & diuinitatem rectè distinguit. Horum verò modi Visibilis & Inuisibilis, res confundunt, præstigijsq; tantum inseruiunt. Proferant ex diuinis literis Christum sui corporis præsentiam nobis inuisibilem promisisse, ac vicerint. Quid opus est verbis tam diu rixari? Hoc ostendatur: & cõposita est cõtrouersia.

OBIECTVM III.

IOANNIS XVI. Relinquo mundum, & vado ad patrem. At mundum non reliquisset, si per Transubstantiationem esset perpetuò nobiscum.

GARDINERVS.

CHRISTVS absoluta in terris legatione, ita mundum reliquit, vt nec destitueret orphanos, nec vllis promissis vnquam deesset.

MARTYR.

CHristum respondetur finiuisse conuersationẽ visibilem: sed tamen iuxta promissa nobiscum esse vsque ad consummationem seculi. At oportuisset promisionẽ, qua Christus recepit se quoad corpus fore nobiscum realiter (vt ita dixerim) demonstrare, quod isti non faciunt. Christum cum fidelibus esse gratia, spiritu & quoad diuinitatẽ, semper fatemur: quin & eius carnẽ præsentia fidei adesse, non negamus. Vnde, quod ait dominus, *Vobiscum ero vsque ad consummationem seculi*, piè ac fideliter amplectimur. Quodq; in illis verbis, *Ero vobiscũ vsq; ad consummationem seculi*, præsentiam per gratiã intelligimus, ex Chrysostomo habetur: qui in epistolam ad Thessalonicenses posteriorem capite 3. homilia 5. sic scribit: *Gratia vobis*, inquit, *& pax: & rursus, Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Hoc & dominus pollicitus est discipulis, dicens: Ecce ego vobiscũ sum omnibus diebus vsque ad consummationẽ seculi.* Nonne luce clarius hæc demonstrant, Christũ promisisse se nobiscum fore per gratiam? Atque id

Chrysostomus.

identidem exposuit Cyrillus, vt paulò antè ostendi. Quinetiam Cyrillus, quod aiebat dominus in 14. Iohan. cap. *Non relinquã vos orphanos*: quę domini sententia modò ab Inconstantio producitur ad præsentiam carnis & corporis confirmandam, sic exponit, vt libro nono super Ioannem habet capite 46. *Quamuis ergo in cœlos postquam ex mortuis resurrexit, dominus ascenderit, vt Deo pro nobis iuxta Paulum appareat, adesse tamen semper per Spiritum suum fidelibus pollicetur.* Rideat igitur, vt vult, Demipho nostras expositiones, quas adducimus, præsentiam interpretando Christi per gratiam, per spiritum, & diuinitatẽ. Patres, quibus ille omnibus modis iuratus est, sic exponunt: illis insultet, illos tropicos, illos figuratores iam appellet: nos tuti erimus.

Cyrillus.

Cum posteà subijcit, *Ecclesiam tradere, in sacra cœna vsque ad diem sui aduentus, eundem sacerdotem nostrum inuisibilem nobis adesse*: Respondemus, de natura diuina, gratia, & spiritu ista facilè posse concedi: quæ si ad corpus & carnẽ referantur, nescimus vbi Ecclesia tradat, re ipsa

& cor-

& corporaliter hæc adesse. Nam ea, cum verba sponsi sui tantùm doceat, & suos filios è scripturis sanctis tantũ erudiat, nusquam talia docuit. nisi fortasse M. Antonius alia Biblia cuderit. Quod enim allegat, Hoc facite, ad rẽ eius nihil facit. Iubemur enim illis verbis cœnam sacram in memoriam Christi celebrare: neque quisquam est adeò miser dialecticus, qui præsentiam ex memoria colligat. Dicere potest, vt vult, Christum cum in prima cœna visibilis adesset, seipsum inuisibilem præbuisse Apostolis comedendum. Nos ei non credimus, nisi quod loquitur probet. Quia de eodem corpore, ac eodem tempore, quoad easdem partes, eosdem homines, & in eodem loco contradictoria dici nequeunt: Nempe vt videretur, & non videretur, quis impostoribus hęc præstigia vnquam concesserit?

Præsentia non colligitur ex memoria.

Contradictoria de eodem ac eodem respectu non dicuntur.

Quis præterea ijs helleboro nõ dixerit opus esse, Christi corporis substantiam dicentibus sub accidentibus panis & vini delitescere, ac rursus mundum non repetijsse, quem reliquerit, sed tantum succurrere nobis in mundo laborantibus? Quid ista obsecro sibi volunt, nisi vt affirment, simul in terris corpus Christi quoad substantiam & adesse, & non adesse? Si carne sua præsenti subuenit & ascendendo in cœlum abijt, nec redit, aut venit ad nos, vtique carne sua præsens erit, & præsens non erit. Cogunturque isti dicere, nondum perfectã esse illam œconomiam, quam Christus exercendam per corpus suscepit, si quotidie corporaliter ad nos pascendos redit in mundum. Inquem vicissim eum si redire negant, corpore abesse, incunctanter concedant, necesse est.

Oeconomia quã Christus per corpus perficiendam suscepit, consumata est.

OBIECTVM IIII.

NON sunt nisi duo aduentus domini, & vnica est Ascensio eius in cœlum, quantum scripturæ meminerunt, ergo non transubstantiatur panis in corpus Christi.

GARDINERVS.

QVONIAM illud esse Christi in mysterio nobis præsens, nullam loci mutationem efficit, nec terrenæ nobiscum, & visibilis conuersationis speciẽ, nihil habet in sacramento præsentia cõmune cũ primo Christi aduentu.

MARTYR.

PRimùm respondetur, ex eo, quòd corpus Christi nobis in sacramento præsens habetur, nullã in eo effici loci mutationem. Et quia huic mysticæ præsentiæ deest species visibilis cõuersationis, quę in primo domini aduentu præstita fuit, deest etiam visibilis gloria maiestatis, quę in postremo domini aduentu cernetur, ideo ista præsentia in sacramento nihil cũ primo, nihilq; cũ secũdo habet cõmune. Quare ad finẽ concludit, nos per ignorantiam in eandem rationem cogere, quæ sunt diuersa.

Quod sibi accipit Christi corpus per nouã præsentiam in sacramento nullam facere mutationem loci, absurdissimum est. Quis enim dicat, corpus non mutare locum, quando aliquò venit, vbi prius non erat? Certè non possumus aliter hoc genus mutationis definire, quàm statuendo, per eum corpus aduenire, & locum occupare, quem prius non implebat. Quid hic sophistæ negabunt? Dicent corpus Christi sub accidentibus panis ante suam consecrationem adfuisse? Hoc si dixerint, non erit vis verborum, quæ transubstãtiet panẽ. Quod si prius non aderat, & in proferendis verbis ad est, eò venit. Corpus autem veniens aliquò, vbi prius non erat, quomodò locum non mutat? *Auser locum à corporibus*, inquit Augustinus ad Dardanum, *& non erunt.*

Corpus Christi nõ potest in sacramento incipere adesse nisi eò veniat.

Neque patiuntur patrẽs, quos in Obiecto primo Pseudoconstantius citauit, vt inficientur, corpus Christi dum est in sacramento, esse in loco. Nam ita Bernhardum in sermone de Cœna domini adduxit: *Qui totus & integer sedes ad dextram patris, qui etiam vnius horæ momento ab ortu solis, vsque ad occasum, ab Aquilone vsque ad Austrum præsto es omnibus, vnus in multis, idem in diuersis locis.* Iam audimus in loco esse, vel in locis, corpus Christi, quod est in sacramento. Quid isti locum ei negant, cum eorum patres locum ei tribuant? Nos ista testimonia non lædũt: quia locum, seu loca referimꝰ ad symbola, quæ sunt in diuersis locis, & idẽ corpus referũt vel ad fideles communicantes, qui in diuersis locis idem corpus Christi fide apprehendunt.

Patres corpori Christi locum tribuunt.

At nostri præstigiatores, qui omnia simpliciter & absque tropis accipiunt, iuxta naturã ipsam, & iuxta suorum patrum dicta, corpori Christi, dum est in sacramento, locũ negare nõ possunt. Coget etiam illos hoc dare Ambrosius & Chrysostomus: quorum eadem verba ibidẽ Gardinerus ad hunc modum protulit: Sed vnꝰ vbiq; est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus. Negent, si possunt, hic, & illic, differentias esse locorum. Quod si nequeunt inficiari, dent præsens corpus in sacramẽto esse localiter.

Hic & illic, differentiæ sunt locorum.

At hęc, quomodò negabunt, Christum venire ad panem per suam consecrationem, cum ipsorum Basilius, cuius liturgiã in primo Obiecto adduxerũt, ita scribat: *Attẽde domine Iesu Christe, Deus noster, de sancto tabernaculo tuo, et de throno gloriæ regni tui, et veni ad eos sanctificandos.* Hic iam audis orari dominum vt veniat.

Sed Chrysostomus quoque in homilia 24. super epistolam priorem ad Corinthios cap. 10. idem dicit, scribens: *Aquilas autem appellat, vt ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei esse commune, neque ad inferiora trahi ac repere: sed ad superiora semper volare, & in solem iustitiæ intueri, mentisq; oculum acutissimum habere. Aquilarum enim non graculorum hæc mensa est, & tunc occurrent ex cælis descendenti, qui nunc meritò fruun-*

tur, quemadmodũ qui indignè vltima patientur. Basilius dixit, Christum venire: Chrysostomus verò, è cœlo Descendere. Quid hîc facies Gardinere? Tu dicis hanc tuam præsentiam nullã facere loci mutationem. Tui verò patres & in loco ibi esse corpus Christi scribunt, & venire, & de cœlo descendere. Certè si tropos relinquas nobis, quibus tibi fas non est vti, medius teneris.

Duo tantũ sunt aduentus Christi.

Quid etiam illud sibi vult, quòd iactas, *nos per ignorantiam in eandem rationem cogere diuersa?* Facile tibi est alijs ignorantiam obijcere, cùm ipse non queas euadere. Nos dicimus duorum tantùm aduentuum Christi diuinas literas meminisse. Vos tertium ponitis: per diuinas literas illũ demonstrate, si vobis credi velitis: alioqui vestrum commentum esse dicemus. Negare conaris vos tertium aduentum ponere: at patres non sinunt vt inficiemini. Atq; etiam ratione ipsa cogimini vestram præsentiam tertio quodam aduentu fateri fieri. Nos aũt illum, vt peregrinum, & scripturis ignotũ repudiamus. Esto, quod scribis, vestrum hunc fictitium, quẽ aduentum negare non potestis, non esse prorsus eiusdem ratioo is cum priori & postremo. In eo tamen cum illis conuenit, quod est aduentus. Proinde argumentum non ita potes obscurare, vt sub tuis distinctionib. latenter fugias.

At de aduentu satis: nunc de ascensione frequenti quid blateret, audiamus. *Quod attinet ad ascensionem, non repetit cœlum Christus videntibus nobis, quomodo eleuatus est semel intuentibus discipulis.* Hic de more, verborum atramentum effundis, vt sub oratione infuscata quid sentias, lectores lateat. Sed non sic abibit: liquidò agi volumus. Speciebus corruptis panis & vini, quid fit de corpore ac sanguine Christi, quæ ibi credi vultis delituisse? Aut esse desinunt, quod est corrumpi, cùm substantijs, non accidentibus hęc annũmerentur, aut aliò abeũt. Corruptioni subijcere Christum, nimis esset blasphemum. Nam ad Rom. 6. scribitur: *Christus resurgens ex mortuis, iã nõ moritur.* Si aliò discedit, quò? Vel ad alios panes, qui consecrantur, vel ad cœlũ. Mirum est si peregrinationem eius corporis per panes infinitã vel continuam velitis instituere. Non puto, quamuis toti estis *περιούσιοι*, tantum ausuros. Cœlum ergo repetit. Cur igitur non erunt quodie nouæ quædam ascensiones?

Papistæ fingunt quotidie nouas ascensiones & nouas Christi ad cœlum euntis.

Verùm, inquies, non id inficior: sed tantùm dico, nõ id fieri nobis videntibus, quemadmodum accidit, cùm discipuli eum intuebantur in cœlum euntem. Quid mea refert, siue hoc cernatur, siue latenter & occultè fiat. Vt vos contenditis veram esse præsentiam, licet inuisibilem: ita ego ex vestra fictione colligo veram quandam ascensionem, & innumerabiles quotidie, tametsi non cernantur. Sed illã vestram nos dicimus fictam, neq; à scripturis vsquã indicatam. Hoc sibi voluit allatum argumentũ: neque vos, quãuis argutos Modistas, forma visibilis & inuisibilis quicquam adiuuat.

OBIECTVM V.

Christus daturum se promisit spiritum sanctum vt suum vicarium: quod fieri nõ oportuit, si quoad humanitatem & diuinitatem ipse nobis erat perpetuò adfuturus, vt Transsubstantiatores mentiuntur.

GARDINERVS.

Istud est diuinorum consiliorum rationem petere, potius quàm argumentari.

MARTYR.

CAuillatur sophista primùm, nos hoc loco diuinorum consiliorum rationem petere: atque ipse vicissim à nobis quærit duas quæstiones, ne parùm acutus videatur: vnam, cùm Christus diceret: *Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, cur alium mitteret monitorem, aut consolatorem: alteram, Si dedit spiritum cùm insufflaret in discipulos, quomodò posteà mittit eundem spiritum? Hic nos inquit implicari, atque caligantibus oculis carnis, non posse nos ex ijs angustijs expedire. Sed vt percontator intelligat, quàm sit facilis ad quæstiones eius responsio, ita paucis accipiat. Quòd promisit dominus, se futurum nobiscum vsq; ad consummationẽ seculi, quoniam poterat ab auditoribus, aut non intelligi, aut non rectè accipi, ob id voluit modũ explicare, quo credentibus adfuturus esset: nimirum per suum spiritum, quem erant accepturi. Vnde in Ioan. ca. 14. cum de hoc ageret, scriptum est, *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec nouit: vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.* Nihil est in his, quod redundet. Pollicetur, se futurum cum fidelibus, & modum explicat, nempè adfore se in suo spiritu. Atq; hanc expositionem facilè possem verbis patrum confirmare: sed modus prolixitati adhibendus est.

Si Christus ipse nobiscum futurus erat, cur misit spiritũ sanctum?

Dealtera verò quæstione interrogator ita sibi responsum habeat: dedisse quidem Christum insufflando spiritum sanctum Apostolis: quẽ rursus ideò dedit, vt miraculo externo suum donum testaretur: vtque non solùm diuini spiritus interiorem suggestionem haberent, sed etiam cæteris charismatis, & præsertim linguarum ad totius orbis ædificationem ornarentur. Quod illis non contigit, quando prima vice vnà cum domini flatu spiritum sanctum acceperunt. Atque hoc est

quod Lucę postremo capite scribitur, Domi-
nũ, cũ adhuc loqueretur Apostolis, vi sui spirit⁹
aperuisse illis intelligentiam scripturarum: &
nihilominus præcepisse, vt expectarent, sede-
rentq; in ciuitate, donec virtute induerentur
ex alto. Nos itaque propositas quæstiones tam
facilè dissoluendo, facilè docuimus, an oculis
vtamur in mysterijs caligantibus.

Nunc supereſt, vt sophista suos ostendat ita
perspicaces, vt sese à quęstione proposita vicis-
sim expediat. Hoc de illo quæsitum est: *Si Chri-*
stus totus, & integer, & quoad humanam, & quoad
diuinam naturam semper adest, saltem vt ipsi volunt,
in Eucharistia: non inquam, præsentia significationũ
& fidei, quemadmodum nos dicimus: cur fuit opus vi-
cario spiritu sancto? Respondere conatur: at suo
more loquitur: tenebras offundit, & ita nulli-
bi pedem figit, vt eum per spinas ambulare di-
xeris. *Operatio Trinitatis est vna*, inquit: *& ideò, cũ*
Christus in terris docuit, adfuerunt illi tam pater, quã
spiritus. Quasi nos Christum absque patre, &
spiritu aliquando fuisse dixerimus. Quorsum
ista, cùm id nobis nunquam in mentem vene-
rit. Subdit mox: *hoc mysterij spiritus sancti missio-*
nem habuisse, vt in Christo mortui carni prorsus per ba-
ptismum sola cœlestia & spiritualia sectemur. Sed
quid audio? Christus præsens nónne ad idem
incitabat, hortabatur, & impellebat? Certè stu-
dium eius dũ vixit in terris, ad id maximè spe-
ctabat, adhibita sui spiritus interiori suggesti-
one. Non enim solùm exteriori verborum sono
agebat, sed corda suorum Apostolorum vi sui
spiritus interius flectebat & persuadebat.

Quid verò sibi velit hæc, quæ posteà subijci
tur à nostra Sphynge, oratio, cùm Oedipus nõ
sim, non possum intelligere. Ac vereor ne ipsũ
quidem præstigiatorem satis scire, quid loqua-
tur. Sic enim inquit. *Cuius etiam ipsius magisterij*
conditio nos admoneret, subrogato in Christi absentis
vices sancto spiritu, qui nos induceret in omnem veri-
tatem. Quę est ipsius magisterij conditio? Quid
demonstratur? quid refertur? Filius an spiritus
sanctus? Non vtique filius: quandoquidẽ age-
bat de mysterio missionis spiritus. At si de spi-
ritu sancto hæc intelligenda sunt, quomodo
spiritus sanctus monet surrogato spiritu san-
cto? Hoc si est Gardinero quęstiones expedire,
quando ab eo quicquam discemus? Dispereã,
nisi plus laboris mihi fæpe impendendum sit
in eius tricis euoluendis, ac tenebris depellen
dis, quàm in confutandis eius nugacibus &
portentosis argumentis. Laudes eloquentiæ
multos audiui ei adscribere: sed cũ ad eloquen
tiam maximè pertineat dilucidè atque perspi
cuè dicere, suum istis admiratoribus eius relin
quam iudicium. Scio me nõnullos, & quidem
prudentes ac doctos viros de locis huiusmodi
consuluisse: vt quod ipse præ hebetudine for
tassis non consequerer, ab illis intelligerem.
Verùm neq; ipsi, quid iste *exercuit* vellet sibi, po
tuerunt iudicare: nisi quòd aliqui suspicati sũt,
eum vafricie quadam veteratoria vti, vt cùm
nequeat nodum dissoluere, saltem obscuritate
verborũ atq; sententiarum admirationem, stu
poremque lectoribus incutiat.

Argumentatio nostra perspicua est, & aper-
ta: Si Christus totus nobiscum perpetuò adest
quo ad humanam & diuinam naturam, opus
non fuit vicarium spiritum sanctum surroga-
re. Nam si adest ipse totus atque integer, vt
vultis, spiritum sanctum adhibere secum po-
test, vt cooperarium, quemadmodum cùm in
terris degerer, fecit. Non tamen id esset vi-
carium sui loco surrogare, sed ad idem opus
efficiendum adiutorem secum habere. Quan-
do loco sui alterum ponit, id vel quoad homi-
nem intelligis, vel quoad Deum. At Deus vi-
cario non indiget, cum sit vbique: proinde reli
quum est, eum id fecisse vt hominem: quando-
quidem sic à nobis abijt, ideoq; spiritum san-
ctum vice sua congruè dedit. Non tamẽ, quan-
tum iudico, latuit Inconstantium, hoc suo per
plexo & obliquo responso quæstionem potius
implicari, quàm expediri. Vnde operã dedit,
vt alia quadam stropha vteretur, qua rationem
allatam conuelleret. *Si efficax*, inquit, *hoc argu-*
mentum esset, non minus realem corporis Christi præ
sentiam, quàm Spiritualem impeteret: quæ propter
missum spiritum sanctum videretur vsque ad consum-
mationem seculi. Verum fortasse esset, quod so-
phista comminiscitur, si præsentia realis & spi
ritualis corporis Christi rationem eandem ha
berent. Quam cùm re vera non habeant, fictio
euanescit. Præsentia corporali docebat domi
nus, consolabatur, & instituebat suos efficaciss
mis verbis, & prędicandi Euangeliũ potentissi
mo ministerio. Vnde cũ è mundo, quatenus ho
mo erat, abijsset, spiritũ sanctũ emisit, qui suas
in ea functione docendi, consolandi, & institu
endi per Apostolos & eorum successores par-
tes obiret.

Corporis verò & sanguinis domini præ-
sentia spiritualis alia de causa requiritur, non,
inquam, vt istud munus exerceat, & prędican-
di & instituendi: sed vt corpus illius in mor-
tem traditum, sanguinem fusum, vitamq; car
nis datam nostra causa credamus. Qui enim
ista vtiliter & efficaciter credere possemus, nisi
ea in conspectu mentis per fidei apprehensio-
nem haberemus præsentia? Tantum ergo ab-
est, vt spiritus sancti missio spiritualem corpo-
ris Christi præsentiam impetat aut labefa
ctet, vt illam necessariò exigat, ceu fidei, quam
credentibus de illorum salute suggerit, præ-
cipuum & præstantissimum obiectum. Ad
hoc verò credendi opus, quod pijs est come-
dere ac bibere, realis illa vestra præsentia ni-
hil facit.

Missio Spi-
ritus sancti,
non exclu-
dit spiritua-
lem præsen
tiam corpo-
ris Christi.

Et prætereà ridiculum est in suo negotio præsentem quenquam vicario velle v-
ti, nisi fortasis laborem & curam, quæ in
Deo locum non habent, velit subterfugere.
Reges vtique ac monarchæ in aliquas regno-
rum suorum prouincias vicarios mittunt,
vbi non possunt ipsi quoad corpus adesse;
licet authoritate, potentia, & imperio, quæ
ad spiritualem quandam præsentiam attinent,

suis vicarijs adsint. Quod rursus intelligo nisi eos laborum & curarum tędeat. Vt itaque in rebus politicis præsentia corporalis principis vicarium non adhibet, imò si positus esset, impedit, ita Christus in Ecclesia si corpore adesset prędens, vicario opus non haberet. Atque vt princeps, dũ abest corpore, vicarium mittit, & authoritate, potentia & imperio adest: ita Christus absens corpore, vicarium spiritum suum emisit in Apostolos, cum quibus ipse virtute, gratia, & cœlesti vigore spiritualiter aderat. Iam, vt arbitror, conspicuum fecimus, quo ad corpus Christi diuersam præsentiæ spiritualis & corporalis esse rationem: ideoq; surrogationem vicarij: nimirũm spiritus sancti, sic vnã auferre, vt alteram præsentiam non impediat.

Nam si totus Christus corporaliter præsens, vt vultis, in Ecclesia habeatur, substituere illi alium vicarium non erat opus.

OBIECTVM VI.

ANGELVS dixit mulieribus: Iesum quæritis crucifixum: surrexit non est hic.

GARDINERVS.

Nihil hoc angeli responsum ad Eucharistiam.

MARTYR.

HOc nil ad institutum negotium de Eucharistia pertinere, vanus sophista existimat: quia Iesus, quamuis in sepulchro non erat, tamen in sacramento esse potest. *Nisi fortasse*, inquit, *velint inferre: Non est hic, ergo non est vbique.* Ad vltimum suspicatur nos esse tam ineptos, vt dicere velimus: Nõ est hîc: ergo nõ potest esse hic. Mirum porrò est, Lynceos oculos cùm se habere credant, quomodò ne id quidem cernant, quod vel talpæ oculis capti cernerent. Si vt fatentur, ex verbis angeli sequitur, Christi corpus non esse vbique (id enim ille negauit, dicendo: *Surrexit, non est hic*: quomodò non sentiunt, inde etiam concludi, corpus Christi non esse simul in pluribus locis? Nam vtrunque horum naturæ corporis humani aduersatur, eodem tempore simul in pluribus locis esse, atque vbique esse: quia tam in vno istorum quàm in altero, termini, fines, & figura humani corporis nõ seruatur. Quare is, qui dederit, Christi corpus in diuersis multisq; locis simul esse, pariter cogetur dare, illud vbique esse. Non enim refert, ad quot loca fundatur humanum corpus. Statim quippe vt suis terminis ac limitibus nõ clauditur, hominis corpus esse desinit, siue ad pauciora loca, siue ad multa, siue ad omnia diffund...Concedã quidẽ, minus fieri corpus, cùm ad omnia loca dilatatur, quã cum ad pauciora: sed tam hinc, quàm inde conficitur, non esse vlterius humanum corpus.

Atque de istis omninò scire velim, cur non statuant corpus Christi vbique esse? Certè nil aliud eos mouet, quàm ne dicant illud immensum esse, ac terminos humani corporis egredi. At ista etiam concluduntur, cum illud simul in pluribus locis ponunt. Non itaque dicimus, Eucharistiam esse vbique: neq; si corpus Christi haberetur præsens in Eucharistia, ob id esse vbique, Sed affirmamus, cùm dicitur simul esse in multis locis, idem incommodum sequi, ac si diceretur esse vbique: nec non concedendum, illud esse posse vbiq;, si detur esse posse in multis locis. Proinde non sunt hæc argumenta sic arundinea & flaccida tela, vt Gardinero, quamuis fallacijs præclarè instructo, nihil noceant. Neque nos, vt ipse blaterat, hoc argumentorũ genere fidem Catholicam de Eucharistia quatimus, verùm ineptias & deliria fatui transubstantiatoris detegimus, atq; ad lucem vt apertius cognoscantur, traducimus.

OBIECTVM VII.

DE Lazaro dixit Christus: Mortuus est: & gaudeo propter vos, vt credatis: quoniam non eram ibi. Ergo Christus quoad corpus non est simul in multis locis.

GARDINERVS.

CHRISTVS verum corpus humanum assumpsit: & quoniam, vt inquit Paulus, carne & sanguine pueri cõmunicarunt, & ille similiter illis participauit, vt corpus Christi finitæ naturæ quemadmodum nostrum omnino fuerit, secundum quam naturam ibi tantùm esset, vbi illud stiterat.

MARTYR.

PRimùm sophista fatetur, corpus Christi quemadmodũ nostrũ omninò fuisse, naturę, inquã, finitę secundũ quã ibi tantùm esset, vbi illud stiterit. Itaq; cùm alibi esset Christus, non erat ibi, quia noluit ibi esse. Verùm illud quærit, si voluisset ibi esse, dũ alibi erat, an potuisset? Ac neminẽ putat adeò insanũ, vt id negare ausit, qui quod per corporis naturã fieri non posset, diuina tamen virtute, salua etiam natura fieri posset. Nã deus naturę author est, cuius nutui & imperio parent omnia. Splendidè, ac dilucidè, nec nõ probabiliter hęc dici à se Incõstantius opinatur. Sed quàm turpiter fallatur, singulis excutiẽdis lector intelliget. Si corpus Christi erat naturæ ac molis finitę ibi vt sũ ibi esset, vbi ab ipso domino sistebatur, qua ratione illud in multis locis simul esse ponitis? Quí potuit cõuenire, vt in extrema cœna, qua Eucharistiã Christus instituit, corpus haberet, quod videbatur sedẽs, aut iacẽs, & itẽ idẽ corp⁹

nibus suis & discipulorum, & in ore suo & discipulorum? Hoc enim naturæ non est finiti corporis, vt non vnius loci, sed multorum, & à se inuicem distantium finibus concludatur. Quid hoc aliud est dicere, quàm corpus finitum esse simul & non finitum? Si dum hoc loco finitur, dicatur se ad alium locum extendere, priori non erat finitum. Quod enim aliquo loco finitur, alibi esse non potest.

Corpus humanũ simul nõ potest in multis locis esse.

Dicis præterea, *Christum cum esset alibi, non fuisse ibi, quia noluit.* Equidem concedo illum, si voluisset ibi esse, facilè potuisse: at non ita, vt simul quoad corpus alibi esset. Ideo noluit dominus corpus simul in diuersis locis habere, non tantùm quia non placuit, sed etiam quia corporis naturæ aduersabatur. Quòd verò arbitraris neminem adeò insanum esse, qui virtute Dei hoc fieri posse inficietur, salua etiam corporis natura, ego sic accipio, vt ipse vicissim mirer, vsque adeò te desipere, vt id corporis humani definitioni congruere minimè posse non intelligas. Quid stultè conaris id corpori humano attribuere, quod illius naturam omninò euertat? An quia & Deus est, & prædicatur omnipotens, efficere vnquam potuit, vt tria sint quatuor? vt ignis sit aqua? & vt præterita non sint præterita? Est author naturæ, inquis: fatemur. At quemadmodum non potest efficere perfectum & integrum hominem absque intellectu & ratione: ita corpus humanũ absque suis finibus & terminis facere non potest. Quod tamen sic est accipiendum: Deum quidem posse ab humano corpore suos terminos ac fines detrahere, sed ita vt hominis corpus esse desinat.

Multa fieri nõ possunt à Deo, citra eius omnipotẽtiæ imminutionẽ.

At subdit: *Christus dixit se potestatem habere ponendi animã suã, et iterũ sumendi eam: quod & præstitit: cum tamen sit à naturæ lege alienissimũ.* Quis in acutissimi sophistæ oculis tantas tenebras nõ miretur? Dic, obsecro, nobis: etiamsi Christus potestatẽ habuit, vt re vera habuit, ponendi animam suam, & assumendi, an id facere potuit, vt simul eodẽq; tempore illam & poneret & sumeret? Id profectò nemo dixerit, cum id euidentissimè pugnet, eundẽ hominẽ, eodẽ tempore vitã corporis habere & nõ habere. Quòd si Christus non potuit simul viuere quoad corpus, & non viuere: ita corpus eius nõ potest simul finitũ esse certis terminis, & nõ esse finitũ. Nõ pugnamus, quin Deus multa queat contra naturæ ordinariũ institutũ facere. Quandoquidem constanter credimus per Mosen apertum mare: ad preces Iosuah cohibitum solis cursũ: & ferrum enatasse vt Elizæus voluit. Sed nihil istorum naturas rerũ euertit. Mare quippe diuisum adhuc est mare: sol quoque non minus est sol dum quiescit, quàm dum suum zodiacum percurrit: neque ferrum in superficie aquæ de sua definitione, aut natura quicquam amittit. Potest enim ad arbitrium Dei, salua natura sua, tam deorsum, quàm sursũ trahi. At humanum corpus, quod organicum est, & varijs lineamentis & figuris cõstat, si fundatur extra suos terminos, neque suis finibus teneatur, propria natura statim exuetur.

Deus multa potest facere contra naturæ ordinarium institutũ.

Postremò dicit, declarasse Christum, se velle in sacramento esse. De potestate hactenus diximus. Nunc de voluntate verba facit: *Ergo nihil est,* inquit, *contra Eucharistiam argumenti, vt quia ibi, vbi esse nolebat, non fuit, igitur in sacramento non sit, vbi se esse velle declarauit.* Vbi Christus vnquam declarauerit, se præsentem corporaliter in Eucharistia esse velle, neq; modò à Gardinero demonstratur, neque poterit vsquam demonstrari. Perpetuò illud iactat: sed cũ ad proferendum locum venitur, ibi opus, ibi labor. Si naturæ corporis domini repugnat, vt in cœlo & in terra simul realiter sit, qui potuit hoc velle, cum sapientis nullo modo sit, ea velle, quæ fieri nullo modo possint? Plura de hac voluntate Domini, quam isti semper obijciunt, in præsentia dicerem, nisi posteà locus propriùs de illa tractandi futurus esset.

Non est sãpientis velle facere quæ nullo modo fieri possunt.

OBIECTVM VIII.

DEVS non habitat in templis manu factis, ergo neque Christus habitat vel continetur in pyxide super altari: quandoquidem Christus est Deus: & apud Esaiam Deus inquit, Cœlum est mihi sedes, nõ pyxis. & Dauid inquit, Deus noster in cœlo, non in pyxide: & Christus docuit nos orare, Pater noster qui es in cœlis.

GARDINERVS.

NEMO pius dicit, Christum Deum habitare in pyxide: sed adesse nobis in sacramento, non secundũ sed habitationes quæ in cœlo est, id est, in gloria Dei patris: sed secũdũ dispensationẽ sub illis elemẽtorũ speciebus.

MARTYR.

PRiusquam in ista responsione quippiam reprehendam, quæ sit argumenti adducti sententia & vis, paucis exponam. Nam rationem istam, vt ab hac Harpyia refertur, quæ quicquid tangit, cõtaminat, à nemine unquam audini proferri.

Quod nostri dicunt, hoc pacto se habet. Sicuti Deus, quandoquidem immensus est, templis arte humana extructis, atque idcirco finitis, claudi totus & contineri non potest: ita corpus

corpus humanum iustæ ac integræ staturę, cuiusmodi corpus Christus habet, vel sub accidentibus panis & vini, vel in pyxide admodum parua includi nequit. Neque reuelat quicquam istorum causam distinctio, secundum sedē habitationis, & secundum dispensationem. Quia de præsentia reali iam disputamus, & eam, quocunque modo illam acceperis, molem corporis, figuram, extensionem ac lineamenta membrorum non posse retinere dicimus, quando in pane, vino, aut sub eorum accidentibus, aut pyxide haberi aut contineri statuitur. Deinde sub elementorum speciebus adesse, loquutionem animaduertimus ab hominibus esse confictam, cuius nec vox, nec significatio, in diuinis literis inueniatur. Quod enim accidentia subsistant absq; subiecto, nusquam eloquia Dei perhibent.

Huc accedit, modò Christum, quatenus homo est, sedere in cœlis ad dextrā patris, vt symbolum fidei, ac sacri libri testantur. Quare vt pater in manu factis templis non habitat: ita domini humana natura in ijs non est quærenda, quando eandem cum patre sedem habet: nisi quis dextram Dei & cœlum in accidentibus panis & vini, atque in pyxide collocet.

Contendit etiam prodigiosus disputator, corpus Christi adesse realiter Eucharistiæ, nō vt in loco, sed vt in sacramento, iuxta mysterij conditionem. Quis non videat, ab istis mera monstra confingi? neque eos portentorum modum vllum facere, quando corpus alicubi adesse re ipsa statuunt, cui tamen locum subtrahant? Quod tamen contra patres suos imaginantur, quos adduxerunt paulò antè dicentes, in multis locis corpus Christi esse. Quomodò vos illi negatis locum, quando vestri egregij testes illi attribuant locum? Vestra porrò mendacia eò vos adducunt, vt cum à vestris testibus dissentiatis, neque vobis, neque illis fidem habeamus. Atq; corpus re vera dici præsens absq; loco, nullus est qui non intelligat fatuum esse figmentum.

Corpus nō potest adesse præsens absque loco.

Mysterij conditionem semper opponunt: sed quæ illa sit, nunquā ostendunt: quod tamē facere omnino deberēt. Alioqui voces iactare, quarum sensus nesciatur, non est vtique docere, sed tenebras auditoribus offundere. Nobis verò mysterij conditionem explicare, non est difficile aut operosum. Siquidem mysterij hāc dicimus esse conditionem, vt significet: atque hanc vocis notionem Paulus nos ad Romanos docuit, quando inquit de Abrahamo. *Et accepit circuncisionem signaculum iustitiæ fidei.*

Mysterij conditio est, vt significet.

Præterea cauillatur, nos patrem à filio non distinguere. Licet quippe nobis, quāuis hę duę personæ inter se distinguuntur, argumentari: Pater in cœlis habitat, vt oratio Dominica testatur: ergo filius etiam quoad naturam humanam ibidem habitat: quandoquidem in cœlis est ad dextram patris. At cum sit in cœlis, neque in accidentibus, neque in pyxide claudatur, cùm salua corporis vnitate, in tam diuersis locis esse nequeat. Atque inuocando patrē vt ad cœlum eleuamus animum: ita quærendo Christum, neque à pyxide, neque à pane debemus pendere, sed sursum, vt dicit Apostolus, eum quærere.

OBIECTVM IX.

SI quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Ecce prædixi. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Ita Christus nos præmonuit, vt caueamus, neque sinamus persuaderi nobis, Christum, quatenus homo est, esse in pyxide.

GARDINERVS.

LOCI huius contextus ostendit, de secundo aduentu sensisse Christum, de quo ita voluit præmonere suos.

MARTYR.

EX contextu hæc *ad secundum aduentum pertinere*, inquit Gardinerus, *demonstratur. Voluit enim dominus præmonere suos, falsos prophetas exorituros, à quorum mendacijs cauerent, ne à vero, quod palàm audiuerant à suo doctore, abstraherentur.* Ad hæc quispiā fortasis diceret, Si de secundo Christi aduentu hæc accipi debent, ad vestram fictā transubstantiationē omninò pertinent. Vos enim ob vestra mendacia tres aduentus cogimini statuere. Primū incarnationis, alterum transubstantiationis, tertium verò extremi iudicij. Quare si dominus adducta verba de secūdo, vt dicitis, aduentu intellexit, nos ea meritò ad Eucharistiam applicamus.

Verùm quia Christi corpus venire ad panē, dum transubstantiatur negatis, quod tamē vobis esse affirmandū, nisi velitis vobiscū pugnare, superius luculenter ostensum est, ne arbitremini defensione destitui, aliter occurrere statui. Sic ergo dico: Si dominus ea dixit, quę sunt allata, de suo postremo aduentu ad iudicandū, ergo vsq; ad illud tempus, quo iudicatū veniet, Christū neq; hìc, neq; illic aut credere aut quærere debemus: quēadmodū Iudā & Theodā Christos esse, nō oportuit illos Iudæos credere, qui seditionem, vt legimus in Actis Apostolorum, mouerunt. Quare neque in postremo tempore, neque modò credendum est illis, qui nobis, Ecce hìc Christus, aut illic dixerint. Et à discessu Christi per ascensionem ad cœlos vsque ad finem seculi hæc sententia obseruanda est, cum illuc usque perpetuò valeat.

Sed

Sed noſter ſophiſta ſe velle argutari ſubtilius dicet: nempè. Chriſtum hoc tantum voluiſſe monere, ſi viſibili forma, qua eſt ad iudicãdum venturus, dicatur hîc aut illic eſſe, ne id credatur, néue ob id huc, aut illuc, in deſerta, vel in penetralia nos trahi patiamur. Audio aranearum ſubtilem texturam. Sed hoc viciſſim de illis quæram, cur dominus ea de re tam diligenter cauerit. Nónne vt Chriſtiani temerè credendo non decipiantur? & pro Chriſto alicui ſeruiant impoſtori? atque per fraudem ad ſeditiones & tumultus alliciantur? Hæc profectò eſt admonitionis huius certiſsima cauſa. Sed non minus periculum imminet, ſi Chriſtum præſentem adeſſe in pane & vino crediderimus. Creaturam enim pro creatore adorabimus, elementis huius mundi affigemur, neque ſurſum, vt nobis præcipitur, dominũ quæremus. Quamobrem tam hîc, quàm ibi decipiemur. Neque accuſari poſſumus aut reprehendi, ſi ad tollendum præſentiſsimum idololatriæ periculum ſententia domini vtimur, admonendo, ne Chriſti præſentia vel hîc, vel ibi quæratur.

Neque vos poteſtis exceptionem Euchariſtiæ afferre: cum Chriſtus non dixerit, Neq; in deſerto, neque in penetralibus adeſſe me credatis, ſed tantum in pane & vino, ſeu in accidentibus me quærite. Si hoc aliquando ſuos docuiſſet, idq; præſtigiatores noſtri poſſent oſtendere, non vtiq; illis pertinaciter obſiſteremus. Verùm dum iſta tantũ fingunt & pingũt, ſe apud pios & prudentes nil promouere ſciãt.

Neq; hic pedem ſiſtit Inconſtantius: ſed ne parùm ſtrenuè videatur cauſam agere, ex loco iam adducto nobis inſultat, quaſi à Chriſto notemur vt pſeudoprophetæ atque ſectarij, qui noſtra tantùm in angulis, & clanculum doceamus, oſtendamusq́ Chriſtum non palàm, ſed in deſerto, & in penetralibus. Nec videt iſte nugator, per Germaniam, Heluetios, Daniam, & Angliam publicè in eccleſijs aduerſus Tranſubſtantiationem doceri & diſputari? libros & ſcripta paſsim edi? colloquia ijs de rebus in publicis & Imperialibus Comitijs inſtitui? ſanctos viros pro hoc veritatis genere morte quamuis atrociſsimam non formidare? Dicito Gardinere, ſi quam frontem habes: an hoc eſt lucem fugere, atq; in angulis inſuſurrare? Iam ita Dei gratia clamatum eſt, & vociferatum, vt iam in Europa nullus prope modũ ſit locus, vbi hæc doctrina purior non inſonuerit. Quòd ſi tam in Gallia, quàm in Italia Chriſti fideles clam conueniant, id non eſt illis vitio vertendum, quaſi veritas, quam profitentur, mendacij vel impietatis poſsit argui: ſed in vobis culpa hæret, qui per ſummam tyrannidem, & inauditam crudelitatem, non rationibus aut verbo Dei, ſed ignibus & ferro Veritatis curſum impedire conamini. Cuius tamen longè maior, quàm Hydræ vis eſt. Illi enim pro vno capite dempto ſeptem renaſcebantur: ſed pio & Euangelico viro extincto, centum & mille bonitas diuina ſubſtituit. Cohibete inſanos & furioſos veſtros impetus: atq; tum videbitis, an ſtrophas & nodos veſtrarum frigidiſsimarum diſputationum pij timeant. Vos illos cogitis ad angulos, & clancularios conuentus, vt olim fiebat in primitiua Eccleſia, quando Imperatorum, qui adhuc erãt à Chriſto alieni, gladius atrociter ſæuiebat. Eo inquam, tempore Chriſtiani extra vrbem in monte Soracte conueniebant, & Romæ in cryptis, & ſubterraneis locis, qui adhuc tempeſtate noſtra extant, & vſuntur, ſacros cœtus habebant: neque interdiu ſæpè, ſed horis anteluca-nis, vt Plinius teſtatur ad Traianum, Chriſto ſimul coacti hymnos canebant. Cum itaque noſtri haud leuiora, imò longè acerbiora patiantur à vobis quàm à Neronibus, Domitianis, Commodis, & Galienis olim perpeſſa ſit Eccleſia, non eſt illis vitio dandum, quod ſanctiſſimorum patrum ac martyrum ætate geſtum eſt.

Quid verò iſtis addat Inconſtantius, iam audiamus. *Illi poſt tot annorum centenarios*, inquit, *à Chriſto nato, paſſo, & prædicato, quaſi hactenus veritas eius omnes latuerit, eam tanquam à ſe repertam modò, & inuentam, tenui aure ſibilo inſpirant ſuis cũ demonſtratione, Ecce hic eſt Chriſtus.* Quis nos, obſecro te prudens lector, alicuius nouitatis poteſt arguere, cum potius veterem doctrinam quæ in ſacris literis habetur, mores & ritus Apoſtolorum tempore vſitatos, & Eccleſiæ primitiuæ ſanctas conſuetudines reuocemus, quàm noua dogmata, ſacramenta, aut ceremonias fabricemus? Vos arguendi eſtis: vos, inquam, ſine fine accuſandi, qui auſi eſtis ex veſtro capite cuncta innouare in Chriſti Eccleſia, ita vt nihil integrum, nihilq́ ſuo loco reliqueritis. Confutate prius ex diuinis literis, ea, quæ à nobis docentur, & arguuntur in Eccleſia: deinde, vt vultis, nouitatis nos arguite, ſi poteſtis. Relinquite nobis vetera: noua, quæ induxiſtis, hinc auferte, nec tria verba ſimul commutabimus.

Noſtra doctrina non eſt noua.

Calumniatur ad hæc, nos clanculum deliberare, quomodò factionem noſtram promoueamus: & in pios bonosq́ ſæuire, qui aduerſantur. Quo tandem ore, quáue fronte ab Inconſtantio hæc ſcribuntur? cum ipſe, ac ſimiles eius, quantum in illis eſt, nullum mactandi, occidendi, comburendiq́ue finem faciant: & nos viciſsim vbi magiſtratus noſtri gladium habent, ne vnum quidem Papiſtam vnquam occiderimus? An itaque nos de ijs rebus deliberamus? An huc tendimus? Aut potius ipſe mendax eſt, & ex patre mendacij diabolo ad iſta comminiſcenda & fingenda natus?

Chriſtiani qui vel in Italia, vel in Gallia clam conueniunt, ſunt excuſandi.

Quod verò poſteà dicit, nos alium Chriſtum prædicare, atque aliam Euangelij veritatem orbi proponere, legant candidi iudices noſtros libros, noſtras ingrediantur Eccleſias: & nullo, ſpero, negotio cognoſcere poterunt, vtri noſtrùm Chriſti doctrinam & Apoſtolorum, mẽdacijs & traditionibus humanis diluerint,

aut ſacramentorum ritus lacerarint, corruperint, ac turpiſsimè fœdarint. Audiantur vtrorumque conciones: & miniſteria eccleſiæ vltrò citroque componantur: comparationes huiuſmodi non formidamus. Rationem inſtituti noſtri parati ſumus reddere. At vos quando vnquam, obſecro, veſtros fœdos abuſus, ac turpiſsimos errores probabitis?

Dicunt & iactant ore diducto, ſe facere quæ ſpiritus ſuggeſsit Eccleſiæ. Ego verò percontor, an ſpiritus Chriſti ſecus Eccleſiæ ſuggerat faciundum, atque in diuinis literis ab eo præſcriptum fuerit? Quis dixerit, ſpiritum Dei ſecum pugnare? Chriſtus & ſpiritus eius docuit per ſcripturas, Euchariſtiam ſub vtraque parte ſumendam eſſe, nunc aiunt, ſpiritum ſecus decreuiſſe. Spiritus in Epiſtola Pauli priori ad Corinth. docuit, vt lingua cognita in ſacro cœtu fideles vterentur: iſti verò modo ſe iactant, afflatu diuini ſpiritus debere ſecus agere. An Domini ſpiritus quę per Apoſtolos mandauit, ea nunc deſtruit? Paulus ad Galatas cap. 2. ſcribit: *Si quæ deſtruxi, ea rurſus ædifico; tranſgreſſorem legis me ipſum conſtituo.* Cu. iſti magnifici profeſſores Apoſtolici ordinis, non alloquuntur ſeipſos eodem modo? Si quæ ſcriptis Apoſtolorum ex Eccleſia ſublata ſunt, nos reſtituimus, & contraria placitis diuinarum literarum facimus, tranſgreſſores ac violatores Chriſtianæ religionis nos conſtituimus. Ablatus eſt ab Eccleſijs per Apoſtolos vſus ignotæ linguæ: vos illum reſtituitis. Per eoſdem ablatus eſt cultus imaginũ: vos illum reſtituiſtis. Ablatũ eſt diſſidium, ne alij Pauli, alij Cephæ, alij Apollo dicerentur: vos dum alios vultis Benedictinos, alios Dominicanos, alios Franciſcanos dici, illud reſtituiſtis. Ablatæ ſunt traditiones humanæ, quæ cum verbo Dei pugnarent: vos illas reſtituiſtis. Ablata eſt doctrina, quæ matrimonia prohibeat, & delectum ciborum inducat: vos eam reſtituiſtis. Et denique, vt aliquando finiam, nec in hunc locum innumeras tranſgreſsiones veſtras congeram, nil eſt propemodum in diuinis literis aſtrictum, quod vos non laxaueritis: nihil eſt laxatum, quod non aſtrinxeritis. Nos verò omnia, vt in diuinis literis poſita ſunt, ita ſuo loco relinquimus. Vtri ergo noſtrum nouum Chriſtum prædicant? aut nouum Euangelium orbi propinant? Quiuis iudicare poteſt.

Papiſtæ abſtulerunt quæ Apoſtoli in Eccleſia conſtituerant.

Sequitur: *Nec de Chriſto loquuntur, vt hic argutator calumniatur, clauſum eſſe in pyxide: etiamſi in pyxide ſint ſpecies ſub quibus in myſterio adeſt.* Si corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, vt ſemper obſtrepitis, adeſt, & ſpecies in pyxide claudi, non poteſtis negare, quî fit, vt & corpus Chriſti non claudatur in pyxide? Niſi fortaſſe per illud verbũ, Adeſſe in myſterio, quod ſubinde inculcatur, aliquam chimæram intelligatis. Tenebras vocum ſemper offunditis: cur aliquando explicationis flatu aliquo eas non depellitis, ne ſemper cogamur per nebulas & caliginem abſque vllo fructu intelligentiæ audire quæ dicitis? Alioqui nos etiam corpus Chriſti pani ac vino adeſſe in myſterio fatemur: ſed ita, vt myſterium ſignificationem exprimat. Adeſt enim corpus Chriſti, quatenus per illa ſignificatur. Vbi præterea myſterium ſuum legunt iſti in ſacris literis? Ibi certè nuſquam traditur, corpus Chriſti ſub accidentibus panis & vini realiter eſſe ac latere. Si myſterium ergo eſt, humanum dici debet, non diuinum: quandoquidem myſteria diuina ſolùm in diuinis literis ſunt quærenda.

OBIECTVM X.

NEGANT corpus Chriſti eſſe vbique, cum tantum ſit vbi ſacramentum habetur. At ſi eodem tempore ac ſimul poſsit in viginti locis eſſe, non repugnabit, quin poſsit in centum, aut mille, & demum in omnibus locis eſſe. Vnde corpus Chriſti conſtituunt infinitum, atque inſtar diuinitatis effuſum per omnia.

GARDINERVS.

ILLVD certum eſt, cùm de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia catholici loquuntur, intelligere eos præſentiam ſecundum arcanum myſterij modum, non ſecundum rationem ambientis loci.

MARTYR.

PRæſentiam, inquit, *corporis Chriſti ſecundum arcanum modum myſterij intelligimus, non ſecundum rationem ambientis loci. Et tamen vbicunque ſunt viſibilia ſigna myſterij incorrupta, verum corpus Chriſti adeſſe fatemur. Quod non eſt naturam corporis conſtituere infinitam, ſed potentiam Dei agnoſcere immenſam.* Hìc rurſus in ſermonum Labyrinthos abdit ſe Inconſtantius, myſterij arcanum modum interpretando. At non ita cornicibus oculi configuntur: nihil planè à nobis peram bages auferetis, niſi tandem aliquando vos abiſtis nodis liquidò explicaueritis. Et mirum eſt, quàm ſibi audacter iſte ſumat, corpus Chriſti adeſſe, verùm non ſecundum rationem loci ambientis: quaſi nos daturi ſtatim illi ſimus, adeſſe corpus alicubi, & locum non occupare: cum fieri id nequeat, & corpori organico ſummopere aduerſetur. Probare iſtud oportuit, non audacia ſophiſtica vt conceſſum accipere. Nos vtiq;, ne hoc poſthac ignores, talem propoſitionem vobis ne per ſomnium quidem vnquam dabimus: quandoquidem id ſacræ literæ non docent, repugnat natura, & nulla certa ratio confirmat. Negat naturam corporis à ſe infinitam conſtitui: cum tamen eam neget, vt verba eius demonſtrant, certo loco terminari. Potentiam

Potentia Dei ad ea non extenditur quæ contradictionem implicant.

tentiam Dei iactant immensam: quasi nos eam velimus imminutam, licet dicamus illam ad ea, quæ (vt vulgo dicitur) contradictionem implicant, non extendendam. Quid verò magis pugnat, & magis inter contraria censeri debet, quàm aliquid esse corpus humanum, & non esse corpus humanum: esse creaturam, & non esse creaturam?

Ponit ad hæc, virtute immensa Dei fieri, vt ita corpus Christi adsit, vbicunque signa visibilia incorrupta seruantur. Vbi nam in diuinis oraculis hoc suum dogma consignatum nobis ostendet? Non est cuiquam difficile comminisci: quilibet potest mendacijs abundare: atque fictionum copiosus est vbique prouentus. Veritas certè istis tectorijs non indiget: neq; verbi Dei synceritas huiusmodi prodigijs est incrustanda.

Addit: *Si est insanum cogitare, panis & vini species per omnia diffundi. Quæ est hæc sine mente collectio, futurum tandem vt corpus Christi sit infinitum, illis probationibus à centum in mille: quæ infinitatis eò vsque non progrediantur, quin aliquid saltem vacui ipsis relinquatur hominibus, illis profectò, qui sacrificant, vt non sit vbique corpus Christi.* Dum hanc Gardineri sursum ac deorsum rationem verso, tota videtur culmea & arundinea: nec satis queo tarditatem hominis admirari, qui non viderit gradationem huius argumenti sic fuisse contextam: Cum vos magna pertinacia Dei potentiam semper obijciatis, eaque dicatis corpus Christi, vt vt humanum sit, in multis locis esse posse, tum ita nos colligimus: Si vi diuina corpus Christi simul eodemque tempore in viginti locis potest adesse, poterit non minus in centum, & in mille, & in omnibus locis esse. Quia ratio nulla potest afferri, cur in pluribus, & non in omnibus esse possit. Neque soli nos gradatione huiusmodi vtimur, cum de potentia Dei agitur, vt si per eam quod minus est datum fuerit, maius item dandum sit, vel si ad infinitum quodammodo extendatur. Sed Hieronymi contra Iouinianum habemus eandem argumentandi formulam: is quippe libro 2. ita scribit: *Moyses & Elias quadraginta diebus ieiunauerunt, ac noctibus. Hoc hominum natura non patitur, sed quod homini impossibile est, Deo impossibile non est.* Et mox: *Qui quadraginta diebus potest ieiunare & viuere, imò non potest ieiunare, sed viuit virtute Dei: & æterno tempore poterit absq; esca & potu viuere.* Audis Gardinere Hieronymum argumentari, à quadraginta diebus ad æternum tempus? Non ergo mireris quòd nos à 20. vel centum locis, in quibus corpus Christi simul, Dei potentia dicitis esse posse, concludamus, vos oportere illud confiteri, eadem potentia Dei esse in infinitis locis posse. Neque obstabit quicquam, quin corpus illud ponatur infinitum, hoc est, nullis alicuius certi loci limitibus terminatum.

Quod autem obijcitur de sacrificantibus & communicantibus hominibus, friuolum est, & extra causam obijcitur. Quandoquidem nos non agimus in præsentia, quid in re ipsa fiat, sed quid per Dei potentiam, quam nobis magno supercilio semper opponitis, effici possit. Nam si per illam queat caro Christi per multa loca effundi, ad omnia quoque poterit amplificari. Cumque figura, lineamenta, membra, & certa corporis moles non impediant, iuxta vestram sententiam, quin corpus Christi per multa loca spargatur, eadem valebit ad omnia ipsum dilatare.

Fatetur postea, *naturam diuinam vbique diffusam: sed ita, vt diffusionis modum non assequamur.* Nunquam audiui quenquam lites mouentem de ratione, qua natura diuina sit per omnia diffusa. Tam certè hoc notum fuit hominibus, vel ethnicis, vt poetæ dixerint, *Iouis omnia plena: nosque in eo moueri ac esse.* Vnde cum dicatur, sua præsentia omnia implere, ita vt rebus motum, vitam, & essentiam tribuat, satis declaratur, qua ratione sit vbique. Quod etiam à patribus & scholasticis doctoribus conclusum est: qui dixerunt, vbique Deum esse, per præsentiam, essentiam & potentiam: quæ illorum dicta, quòd sciam lectoribus & huic importuno sophistæ notissima esse, non laborabo explicare. *Deus vbiq.*

Nos, inquit, *vereri, ne tandem, quod agit Deus, exeat in absurdum.* Quibus verbis bis insanit: Primùm quòd arbitratur Deum agere, quæ ipsi fingunt eum facere, cum neque sint, neque vllo modo fieri possint: deinde quod ita nostros putat esse fungos, vt in operibus Dei absurda captent. At nos absurdum esse, quod Deus faciat, ne cogitare quidem possumus. Illud tamen quod ipse clamitat Deum facere, vt absurdissimum, magna cum ratione cõfutamus.

Panis denique, ait, *vrgente fame, summa interdum laboratur inopia: tantum abest vt infinitæ sint eiusmodi species, & corpus Christi queat in immensum multiplicari.* Quare infert nostrum argumentum sua seipsum iugulare ineptia. Hic si liberet certare cõuicijs, aperiret se campus ad id valde idoneus. Sed quia hoc studium Pseudoepiscopo libens remitto, istud tantùm dicam: nos haud affirmare, panem & vinum re ipsa omnia mundi loca occupare. Sed quid potentia Dei facere valeat spectamus. Quod si vim illam diuinam sibi à nobis opponi tam ægrè patiũtur, cur ipsi eam in medium producendi, & ex ipsa nectendi nobis nodos, vt putant, indissolubiles, nullum finem aut modum faciunt? Proinde non de nobis, sed de se ipsis conquerantur. Nam turdorum instar, ex illorum ventre hic viscus egeritur, quo ipsi & impediuntur, & capiuntur. Vos Dei potentiam infinitam semper opponitis. Nos per eandem respondemus pos-se fieri, vt omnia loca speciebus panis & vini repleantur iam consecratis. Ergo corpus Christi ad omnia loca diffundetur. Quare vel negate Dei potentia omnia loca posse huiusmodi speciebus impleri: aut definite affirmare corpus Christi realiter sub illis speciebus contineri: aut date absurdum, ad quod adducimus: posse tandem fieri, vt corpus Christi sit vbique.

OBIECTVM XI.

FIDES Ecclesiæ est, idem corpus non posse simul esse in diuersis locis: ergo corpus Christi, quod vnum est atque verè humanum corpus, non potest in cœlis & in Eucharistia, quæ in terris administratur, esse in eodem tempore.

GARDINERVS.

Iustinus Martyr.

FIDES Ecclesiæ profitetur Deum omnipotentem, nouitq; vim naturæ finitæ ab infinita virtute distinguere. Vnde Iustinus Martyr, cuius sanctimoniam doctrina æquauit, in libro ἀνοχείσιων πρὸς ὀρθοδόξους, ijs qui putabant corpus Christi post resurrectionem in spiritum versum, quòd ingressus sit ad discipulos ianuis clausis, respondet, quod per naturam esset impossibile, id per virtutem diuinam supra naturam fuisse effectum.

MARTYR.

PRrimùm, si tuam velim cauillandi ac vtilitigandi aliquantisper vsurpare libidinem, falsæ versionis & imperitæ iustè possem te arguere. Tu Iustinum inquis respondere: Quod per naturam esset impossibile, id per virtutem diuinam supra naturam fuisse effectũ. At verba eiꝰ hoc pacto habẽt: τὰ γὰρ φύσει γιγνόμενα, κατὰ τὸ θεῖον δύναμιν, ἀδύνατον κατὰ τὸν λόγον τῆς φύσεως ποιήσασθαι τῷ παραστῆναι. Vbi tu in hac oratione reperisti, Quod per naturam esset impossibile? aut, Per virtutem supra naturam fuisse effectum?

Non multum, inquies, ad rem nostram facit. Attamen tu bis peccas: tum quia sententiam fideliter non reddis: tum quia, cum putas nos interdum aliquid non ad verbum reddidisse, vociferaris, fidem Dei & hominum imploras, cœlum terræ misces, fraudem fieri clamitas, neque lectorem pateris absque aculeo & suspicione discedere. Cur tu eandem fidem non præstas? Certè tota sententia ita debuit reddi: Quę supra naturam in natura diuina potentia efficiuntur, fieri non potest, vt iuxta rationem naturæ probatione confirmentur. Hæc Iustini sententia quid, quæso te, contra nos continet? An putas nos id sudare, vt omnia miracula tollamus? Non impij sumus, omnia illa credimꝰ, quæ facta diuinæ literæ attestantur: & ea credimus, prælucente nobis Christi spiritu, non autem naturali ratione vlla confirmante. Expostulauimus ne vobiscum vnquam, quòd Christi natiuitatem ex virgine, resurrectionem ex mortuis, ascensionem in cœlum, & alia eius prodigiosa facta, quæ à scripturis sanctis referuntur, argumentis ex natura ductis non confirmaueritis? Hoc vnum querimur, vos dicere, corpus Christi esse in multis locis: quod non ex oraculis librorum diuinorum, sed ex vestro capite fingitis: &, nisi quis vobis credat, ferro & igne in eum crudelissime animaduertitis. Querimur præterea, quòd semper Dei potentiam obijciatis, cum hoc ex illarum sit rerum genere, ad quas Dei potentia se non extendat: nempè vt multis in locis eodem tempore corpus humanum salua natura sua diffundatur. Hoc genus miraculorum scriptura sacra non commemorat. Tu perpetuò potentiam Dei vrges, quasi nos eam in miraculis, quæ testimonio verbi Dei constant, non agnoscamus: aut quasi ad probanda miracula, diuinis literis testata, naturales rationes postulemus.

Duo à vobis quærimus: vt huius vestri prodigiosi figmenti ex diuinis oraculis testimonium producatis: vtque ostendatis, naturam humani corporis absque sui dispendio in multis locis posse simul adesse. Hæc vobis demonstranda præscribuntur. Quid per tam multa vagaris? In ista Iustini responsione traditur Christum ambulasse super aquas. Atque eum Petro idem concessisse, & ad discipulos ianuis clausis penetrasse, credimus: nam & scripturæ ista tradunt.

Addidit ille, corpus etiam Christi, dum à mortuis excitaretur, egressum monumento, quod lapide tegebatur. Id etiam admittere non recusamus, quamuis ad articulum fidei non pertineat. Quid enim erraret, qui crederet reuoluto per angelum monumenti lapide, Christum rediuiuum exijsse. Certè hoc sensit Leo primus eius nominis Rom. episc. in epistola, quam dedit ad Episcopos Palęstinos, vbi sic ait: Dicant igitur isti phantasmatici Christiani, quæ substantia Saluatoris affixa sit ligno, quæ iacuerit in sepulchro, & reuoluto monumẽti lapide quę tertio die resurrexerit, vel quale corpus Iesus discipulorum visui clausis ad eos ostijs ingressus intulerit. At, siue hoc modo fuerit, siue illo, non contendo. Quia mihi dubium non est, vi diuina, partes ostij ac lapides cedere potuisse, donec transiret domini corpus, atque post illud obsequium rursus fuisse coniunctas. Quid hic est incommodi? Certè lapides & ligna vt cæteræ creaturæ Deo parẽt, abeunt, & redeunt, cum iusserit. Sed vos fingitis, mansisse lapidis & ligni soliditatem, atq; ea salua, neque cedente corpus Christi transijsse. Cur suam potius non relinquitis corpori Christi soliditatem, cui lapis & lignum ad momentum cesserit? Profecto quod à me dicitur, & facilius est, & longè verisimilius. Si cui tamẽ videretur vestræ imaginationi assentiri, quod mihi non videtur, posset adhuc rixam moue re, an ἰσοδύναμα sint, ac tantundem absurdi habeant, Duo corpora simul in eodem loco esse, & vnum idemque corpus, præsertim humanum, per multa loca diffundi.

An Christus exiret de monumento, lapidem penetrarit.

Leo episcopus Romanus.

Duo corpora esse in eodem loco, & vnum corpus in pluribus locis, an sint æquè absurda.

Vos

Vos, scio, dicetis paria hæc esse. Quid si ille negarit? dixeritque hîc tolli atque aboleri naturam humani corporis, ibi verò seruari? Quibus, obsecro, rationibus illum à sua sententia dimouebitis? Proinde, cum Iustinus de eo, quod modo agimus, nominatim non fecerit mentionem, quia corpus domini esse in multis locis non tradit, miracula, quæ commemorat, recipimus: & quæ à vi Dei supra naturam fiunt, naturalibus argumentis confirmari non petimus.

Addit: *Nos autem Enoch & Eliam natura mortales, viuere etiam nunc in corpore diuina virtute, idque supra naturam.* Qui multa verba soles incassum fundere, necessarium verbum hoc loco intermittis: *Nos verò*, inquis, *Enoch & Eliam viuere*, &c. Puto desiderari, Credimus, aut Asserimus. Hoc est sophisticari, abuti obscuritate, atque mutilata oratione ad fallendum. Si credis, Enoch & Eliam adhuc viuere, id absque scriptura credis. Admirabili ratione subleuatus est Elias, & ab Elizeo in igneo curru abstractus. At quòd spiritus eius corpore non sit exutus, quo testimonio scripturæ confirmabis? De Enoch haberi scio ad Hebræos cap. 11. illũ fuisse translatum ne videret mortem. In quem verò finem translatus fuerit, liber Sapientiæ cap. 4. declarat. *Quia Deo placuit, & charus ei est habitus, ideò cum inter peccatores viueret, de medio sublatus est: abreptus, ne malitia immutaretur sensus eius, neue anima eius fraude circumueniretur.* Et in Ecclesiastico cap. 44. scribitur: *Enoch Deo placuit, & sublatus est, exemplum emendandæ vitæ nationibus.* Vbi notandum, in Latina versione haberi: Et translatus est in paradisum: cum in Græco non habeatur paradisi mentio. Ex isto versionis errore procul dubio est orta vulgi opinio, istos adhuc duos viuos in paradiso terrestri asseruari, & extremo tempore mittẽdos, atque ab Antichristo mactandos, vt 11. capite Apocalypseos scribitur, iuxta Græcorum scholiorum interpretationem: quamuis Augustinus locum illum interpretando reclamet, & de viris huiusmodi testetur id non posse intelligi. Qui tamen alibi, nempe super Genesin ad literam lib. 9. cap. 6. & in libro 83. quæstionum, quæstione 58. dicit, *Eliam sperari præcursorem secundi aduentus Christi.* Atque id conatur ex Matthæo cap. 17. elicere: sed conatu frustratur. Quia ibi Christus de Ioanne Baptista se profitetur loqui. Et idem propemodum dicit super Ioannem Tractatu 4. Nec iuuat locum adducere vltimi capitis Malachiæ: nam quæ ibi dicuntur, ad Iohannem Baptistam referri debent: vt finis librorum veteris Testamenti cum initijs Euangelistarum copuletur.

An Elias viuat.

Locus Ecclesiastici.

Locus Malachiæ.

Sed ad epistolam ad Hebræos redeamus. Translatus est Enoch, &, vt demonstraui ex libro Sapientiæ, ne malitia sensus eius immutaretur: &, quia Deus illum amauit, suam hanc voluntatem erga illum testatam omnibus esse voluit. Ideò communi vulgarique morte illum non oppressit. Nam id vi naturæ, aliàue de causa homines opinati essent contigisse. Ideò voluit Deus eadem opera illum à periculo eximere, atque efficere, ne homines, quanti eum faceret, ignorarent. Abstulit itaque illum, & saluti eius cauens, & hominibus exemplum proponens, quo ad rapti viri iustitiam ac probitatem imitandam incitarentur. Viuum itaque rapuit, & Enoch, priusquam gustasset mortem, ad se asciuit.

An Enoch sit mortuus.

Sed quid tu nosti eum posteà non esse mortuum, cum iam in tuto esset, neque illi amplius periculum esset à peccatis? Dices epistolam ad Hebræos habere, *Ne videret mortem.* Id intelliget quispiam, ne mortem experiretur, dum in mundo agebat: ne morte communi atque ordinaria extingueretur. Sed quin post raptum sit mortuus, vnde tandem fidem facies? Certè Rabbi Aben Esra, & Rabbi Selomo inter Hebræos interpretes non postremi, Enoch mortuum putant, dum caput 5. Geneseos interpretantur. Nec desunt Hebræi, qui exponentes secundum librum Melachim, dicant, Eliæ corpus & vestes omnes, præter pallium, in ipso turbine consumpta fuisse: spiritum verò prophetæ ad Deum migrasse. Hæc ideo sum prolixius exequutus, vt Gardiner intelligat, quàm temerè de fide pronunciet: qui dicat, Nos, hoc est, Ecclesiam, credere, Enoch & Eliam natura mortales, adhuc diuina virtute in corpore viuere. Potest hæc multorum esse opinio: sed fides, quæ orta sit ex verbo Dei dilucidè intellecto, & fideliter explicato, esse non potest. At Inconstantius traditiones humanas, & verbũ Dei susq; deq; habet: & æque hinc, atque inde fidem nasci arbitratur: neque magni, vt iudicat, interest, siue hominibus, siue scripturæ credatur. Ego verò de corporea vita Enoch & Eliæ me nihil scire, aperte dico: neque mea referre iudico, vtrumuis concedatur.

Humanũ corpus absq; cibo sustentari potest diuina potentia.

At facito illos, vt sophista credit, viuere. Quid hoc ad rhombum? Vbi nos vnquam sumus inficiati, vi diuina humanum corpus absq; cibo spectabili posse sustentari? Certè hoc substantiam nostræ carnis haud euertit, nihil contra eius naturam & definitionem affert. Absq; cibo quadraginta dies vixit Christus: Moses item, & Elias. Neque propterea membris, figura, & mole, ac lineamentis humani corporis exuti fuerunt. Quis adhæc nos certos reddet, hos duos, si viuunt, mortalem vitam viuere? Potuit certè illos Deus gloria superinduere, & ad beatam vitam transferre. Nec dubitandum est, sanctos in patria sine corporali cibo victuros. Quare si ad rem vis dicere, scripturæ disertis verbis confirmes, aliquod humanum corpus, siue Christi fuerit, siue alterius, non refert, in diuersis locis eodem tempore fuisse. Tum cedemus, tum dabimus manus, tum viceris. Dum verò pergis ἀπὸ τοῦ δύνασθαι inducere, atque, vt sophista, deflectere à re proposita, te nihil profecturum certò certius habeas.

Aristoteles.

Audiamus iam quid adducturus sit ἀπὸ τοῦ δύνασθαι. *Aristoteles*, inquit, *sola naturæ speculatione nitens, prius absque posteriore fatetur esse posse. Quæ ratione sequetur, vt substantia, quæ est omni acciden-*

te prior, esse interim sine accidente possit. Adeò captum communem superat naturæ vis creatæ. Quid iam ego hic audio? Vi naturæ creatæ posse quamlibet substantiam esse absque omnibus accidentibus? Et, quod prius est, à posteriori posse semper diuelli? Certè si Gardinero vel per vnum diem mediocris cum Peripateticis consuetudo intercessisset, non tam stupidè colligeret ex illorum placitis. Demus isti nouo Philosopho, substantiam priorem esse accidentib⁹. Annuamus, vt vult, prius à posteriori posse diſiungi. Collectione Peripatetica quid sequetur? Aliquam substantiam sine accidentib⁹ reperiri. Talem fatebimur esse Deum. At omnem substantiam à quolibet accidente distrahi posse pernegabimus.

Quomodo substantia intelligatur prior ac eidentibus.

Dicat nobis hic mirabilis Peripateticus, an humanum animum censeat esse substantiam? Non negabit. Vim seu facultatem intelligendi rursum dicat, ad quam κατηγόρεμα attineat. Certè ad qualitatem, & ad illud eius genus, quod naturalis potentiæ & impotentiæ vulgo dicitur. Quod cùm ita sit, diuellat, si potest, animũ humanum à vi cognoscendi atque ratiocinandi. Quid consequetur? Animum humanum, non esse animum humanum. Scimus etiam substantiam aliquam sine mole ac quantitate inueniri. Talis enim Deus est, & tales sunt angeli. At substantiam corpoream non quantam, Aristoteles nunquam concedet. Non ignoro, substantiam Dei loco nullo comprehendi. Sed humani corporis substantiam præter locum esse, quando vnquam dabit⁹ est tuus ille quem adducis & tanti facis, Aristoteles? Deinde motus natura tempus antecedit. Nunquam tamẽ erit motus, quin statim consequatur tempus. Nemo præterea philosophus dubitabit, propositionem esse necessariam, qua propria quædã affectio seu qualitas de subiecto suo dicitur. Omnesq; scimus necessarium esse, quod aliter se habere non potest. Quare, vtut subiectum prius dicatur suo accidente proprio, tamen ab eo separari non potest: alioqui ex illis propositio necessaria minimè constitueretur. Et vnde, quæso, orta est illa distinctio, separabilium, & inseparabilium, vt loquuntur, accidentium: nisi quod eorum aliquod genus sit, quod à subiecto suo diſiungi, eo saluo, non possit: alterum verò facilè remoueri ac diuelli possit? Proindè quod Aristoteles dicit, Prius esse posse absque posteriore, non id re ipsa & quoad existentiam intelligit, sed ad notitiam omninò refert. Etenim fieri potest vt mens nostra de priori cogitet, non attendendo vel spectando quod est posterius. Nunquam tamen, nisi falsò intelligemus in exemplis iam prius adductis, prius existere absque posteriore: quamuis prius contemplari facilè quis poterit, & de illo commentari absque posteriori. Imò Aristoteles Platonem ex eo videtur sæpius arguere: quòd, quia naturas rerum, seu notiones vniuersales absque singularibus ac indiuiduis possumus intelligere atque contemplari, propterea ideas à rebus singulis auulsas existere posuit, statuendo, vt Iũ-

Non omnis substantia potest à quouis accidentis genere separari.

Substantia corporea nõ potest non esse quãta.

Quid necessarium.

Accidentia separabilia & inseparabilia.

An prius esse possit absque posteriori.

De ideis Platonis.

constantius iactat, prius absque posteriori existere posse.

Videat igitur, quàm decorè personam tueatur hoc loco Peripatetici, quam ipse sibi imposuit. Detestantur planè omnes Peripatetici eam sententiam, quæ statuit vniuersalia præter singulas res & indiuiduas existere, vtut concedant ea priora esse. Non tenuit ergo nouus Peripatericus noster vulgatam distinctionem sectæ, cuius nunc vtitur patrocinio: separari ab alijs aliqua vel re ipsa, & quoad existentiam: vel tantum quoad intelligentiam & contemplationem. Quod si humanum corpus à loco velimus posteriori modo auellere, id vt fiat, facilè dabo. Quis enim de corpore humano cogitare non queat, dum nihil de loco meditetur? Est vtique hoc facile: quippe quod prius est, mente abstrahere à posteriori philosophi passim consueuerunt. Nunquam tamen verè pronunciabit quisquam, vel apud se statuet, corpus absque loco esse: neque seiunget re ipsa & quoad existentiam corpus à suo loco.

Res à se inuicem dupliciter separantur.

Corpus absque loco intelligi potest. sed absque eo existere non potest.

Hic iam liquet, quàm turpiter impingant, qui sui animi somnia sequuntur, palpant in meridie, & talpis efficiuntur cæciores. Nullus præterea theologus, tametsi fateatur, patrem origine priorem esse filio, patrem vel cogitatione vel existentia concedet esse posse absque filio.

Sed ad Aristotelem redeo, qui dat substantiam quidem priorem accidentib⁹ esse: verùm omnem substantiam ab illis quoad existentiam diuidi, reclamat. Nam id proprium Deo est ac peculiare, vt accidentibus prorsus careat. Naturalis verò substantia proprijs accidentibus nullo modo potest exui, ac suam retinere saluam naturam: quin vt absque omnibus separabilibus accidentibus integra maneat, fieri non potest. At si tui Aristotelis iudicium ubi tantoperè probatur, cur in hac eadem materia illud non sequeris? Ille idem pronuntiauit, posteriora non posse à prioribus diuidi ac separari: neque patitur, aut vnquam dabit, accidentia sine subiecto posse consistere. Tu verò, ac tui similes, vobis permittitis oppositum statuere: atque si Deo placet, propter vestram panis & vini transubstantiationem cœlum terræ miscetis, & ea quæ neque picta neque scripta vlibi sunt, impudenter ac pertinacissimè affirmatis.

Aristoteles nõ vult posteriora à prioribus posse diuidi.

Adducis mihi præterea Danielem, à quo scribatur Abacuk prophetam momento temporis in Babyloniam raptum, salua & integra illius natura, vt cibum Danieli præberet, qui leonibus deuorandus erat obiectus. Verum, quid in hoc exemplo habes, quod nostram sententiam lædat? Cum Eliam & Enoch translatos hinc vi Dei non negemus. (quamuis dubium est, an posteà viuant an obierint) & confiteamur, Christum quoad carnem in cœlum ascendisse, non abnuemus, potuisse fieri vi diuina, vt Abacuk ex Iudæa in Babylonem transferretur. Quòd verò scribis id momento temporis factum, id historia Danielis non habet. Tamen

De Abacuk abducto in Babylonã.

men quod est controuersum probasses, si Abacukum eodem tempore & in Iudæa, & in Babylone fuisse demonstrasses. Quod cum non feceris, tu videas, quò ista spectent. Deinde miror, pro Daniele te mihi fabulam opponere. Sic enim tota illa narratio Beli euersi appellatur, non à me, sed à maioribus.

Postrema pars Danielis fabula dicitur.

Audi quid Hieronymus dicat, cùm explicatis ijs, quæ verè Danielis erant, ad hæc postrema interpretanda veniret. *Expositis*, inquit, *vt potuimus, quæ in Danielis libro iuxta Hebraicum continentur, ponam breuiter, quid Origenes in decimo Stromatum suorum libro de Susannæ & Beli fabulis dixerit.* Benè habet, vt cùm solidis literarum diuinarum testimonijs causam non possis obtinere, deflectas ad fabulas. Rectè de vobis Paulus ad Timotheum est vaticinatus: fore, vt cum sanam doctrinam non sustineatis, conuertatis vos ad fabulas.

Atqui non grauabor aliud eiusdem Hieronymi testimonium hac de re adducere, in prologo super Danielem, vbi sic scribit: *Daniel apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec Hymnum trium puerorum, nec Belis draconis fabulas: quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, veru antepositò, casúque iugulante subiecimus: ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.* Quæ verba sic annotatione sua illustrauit Erasmus: *Mirum, quod Hieronymus nunc veru iugulat, id passim nunc legitur & canitur in templis, ceu res in primis sancta. Tanto plus valet consuetudo multitudinis imperitæ, quàm viri eruditi iudicium: imò nullo delectu legimus de Bel dracone historiam, quam Hieronymus non est veritus appellare fabulam: nec additurus, ni veritus fuisset, ne bonam voluminis partem detruncasse videretur. Sed apud quos tandem? Apud imperitos, inquit ipse. Sic vbi commodum est, quiduis apud nos valet Hieronymi authoritas: vbi non est commodum, ne tantulum quidem valet.*

Sed ad Hieronymum redeo, qui de quodam suo Iudæo in eadem præfatione sic scribit: *Cum verò ad Abacuk veniret, & de Iudæa in Chaldæam raptum discophorum lectitaret, quærebat exemplum, vbi legissemus in toto veteri Testamento, quenquam sanctorum graui volasse corpore, & in puncto horæ tanta terrarum spatia transisse. Cui cum quidam è nostris satis ad loquendum promptulus Ezechielem adduxisset in medium, & diceret eum de Chaldæa in Iudæam fuisse translatum, riſit hominem, & ex ipso volumine demonstrauit, Ezechielem in spiritu se vidisse transpositum. Denique Apostolum nostrum, videlicet, vt eruditum virum, & qui legem ab Hebræis didicisset, non fuisse ausum affirmare, se raptum in corpore: sed dixisse, Siue in corpore, siue extra corpus nescio: Deus scit.* His & talibus argumentis apocryphas in libro Ecclesiæ fabulas arguebat. Porphyrius quoque locum historiæ Susannæ calumniatus est, quòd à vocibus Græcis πρίνω & τρίνον etymologias peteret homo Hebræus, nempe Daniel, qui Chaldaica lingua scribebat. Vnde constat, non ipsius Danielis illud esse scriptum, sed hominis Græci commentum. Vide igitur, Gardiner, quò te rapiat impetus cauillandi, cui nimium obsequeris. Nihil non audes in mala causa: & cum omnia vndique commouisti, nihil succedit.

Porphyrius.

OBIECTVM XII.

CONTRA naturam & rationem est, corpus quantum esse alicubi, & non occupare locum. Sed si ponatur corpus Christi in sacramento realiter, vt dicunt, erit ibi corpus quantum sine occupatione loci. Quod est destruere naturam corporis Christi.

GARDINERVS.

QVI omnia in omnibus operatur Deus, aliter in naturæ ordine à se præscripto, aliter virtute, cum ita illi visum est, quæ fiunt, efficit.

MARTYR.

VT multa, quæ hîc responderi possent, omittam, illud attingam peccatum, quod in hoc sophista perpetuò hæret. Semper id statuit, sibique vt datum sumit, *Deo ita visum, vt domini corpus reipsa Eucharistiæ adsit, & vnà in cœlo sit præsens, atque dum mysterio cœnæ interest, locum non occupet: cum alioqui substantialiter sit corpus, & realiter, vt loquuntur, sub accidentibus panis & vini occultetur.* Deum ita velle demonstretur: confirmetur diuinis literis hæc eum reuelasse: atque fidelibus ista proposuisse credenda ostendatur. Hoc dum ab eo quærimus, frustrà quærimus: testimonia huius diuinæ voluntatis nusquam proferuntur. Potentiam Dei nusquam non obijcit, & vim diuinam in quæcunque visum fuerit efficacissimè distribuit. Adducit similia interdum, & exempla: sed quàm controuersiæ nostræ congruant, nihil moratur. Satis illi est, modò aliquid comminiscatur, quo lectori fucum faciat.

Nunc vt probet quędam cũ vsitato cursu naturę pugnare, quę tamen haud pugnant cũ primaria Dei authoritate, ac ratione: *Petrus*, inquit, *Deo secundũ naturã cooperante ambulauit super terras: & idẽ Petrus Deo secundũ ipsius virtutẽ cooperante ambulauit super aquas.* Nõ vna ratione, quod Inconstantius modò adducit, à re, de qua nunc agimus, est alienum. Primùm quod refert de Petro, à

te prior, esse interim sine accidente possit. Adeò captum communem superat naturæ vis creatæ. Quid iam ego hic audio? Vi naturæ creatæ posse quamlibet substantiam esse absque omnibus accidentibus? Et, quod prius est, à posteriori posse semper diuelli? Certè si Gardinero vel per vnum diem mediocris cum Peripateticis consuetudo interfessisset, non tam stupidè colligeret ex illorum placitis. Demus isti nouo Philosopho, substantiam priorem esse accidentib⁹. Annuamus, vt vult, prius à posteriori posse diuiungi. Collectione Peripatetica quid sequetur? Aliquam substantiam sine accidentib⁹ reperiri. Talem fatebimur esse Deum. At omnem substantiam à quolibet accidente distrahi posse pernegabimus.

Quomodo substantia intelligatur prior ac sine accidentibus.

Dicat nobis hic mirabilis Peripateticus, an humanum animum censeat esse substantiam? Non negabit. Vim seu facultatem intelligendi rursum dicat, ad quam κατηγόρημα attineat. Certè ad qualitatem, & ad illud eius genus, quod naturalis potentiæ & impotentiæ vulgo dicitur. Quod cùm ita sit, diuellat, si potest, animũ humanum à vi cognoscendi atque ratiocinandi. Quid consequetur? Animum humanum, non esse animum humanum. Scimus etiam substantiam aliquam sine mole ac quantitate inueniri. Talis enim Deus est, & tales sunt angeli. At substantiam corpoream non quantam, Aristoteles nunquam concedet. Non ignoro, substantiam Dei loco nullo comprehendi. Sed humani corporis substantiam præter locum esse, quando vnquam dabitur? est tuus ille quem adducis & tanti facis, Aristoteles? Deinde motus natura tempus antecedit. Nunquam tamẽ erit motus, quin statim consequatur tempus. Nemo præterea philosophus dubitabit, propositionem esse necessariam, qua propria quædã affectio seu qualitas de subiecto suo dicitur. Omnes q; scimus necessarium esse, quod aliter se habere non potest. Quare, vtut subiectum prius dicatur suo accidente proprio, tamen ab eo separari non potest: alioqui ex illis propositio necessaria minimè constitueretur. Et inde, quæso, orta est illa distinctio, separabilium, & inseparabilium, vt loquuntur, accidentium: nisi quod eorum aliquod genus sit, quod à subiecto suo disiungi, eo saluo, non possit: alterum verò facilè remoueri ac diuelli possit? Proindè quod Aristoteles dicit, Prius esse posse absque posteriore, non id re ipsa & quoad existentiam intelligit, sed ad notitiam omninò refert. Etenim fieri potest vt mens nostra de priori cogitet, non attendendo vel spectando quod est posterius. Nunquam tamen, nisi falsò intelligemus in exemplis iam prius adductis, prius existere absque posteriore: quamuis prius contemplari facilè quis poterit, & de illo commentari absque posteriori. Imò Aristoteles Platonem ex eo videtur sæpius arguere: quòd, quia naturas rerum, seu notiones vniuersales absque singularibus ac indiuiduis possumus intelligere atque contemplari, propterea ideas à rebus singulis auulsas existere posuit, statuendo, vt Inconstantius iactat, prius absque posteriori existere posse.

Non omnis substantia potest à quouis accidentis genere separari.

Substantia corporea nõ potest non esse quãs.

Quid necessarium.

Accidentia separabilia & inseparabilia.

An prius esse possit absque posteriori.

De ideis Platonis.

Videat igitur, quàm decorè personam tueatur hoc loco Peripatetici, quam ipse sibi imposuit. Detestantur planè omnes Peripatetici eam sententiam, quæ statuit vniuersalia præter singulas res & indiuiduas existere, vtut concedant ea priora esse. Non tenuit ergo nouus Peripateticus noster vulgatam distinctionem sectæ, cuius nunc vtitur patrocinio: separari ab alijs aliqua vel re ipsa, & quoad existentiam: vel tantum quoad intelligentiam & contemplationem. Quod si humanum corpus à loco velimus posteriori modo auellere, id vt fiat, facilè dabo. Quis enim de corpore humano cogitare non queat, dum nihil de loco meditetur? Est vtique hoc facile: quippe quod prius est, mente abstrahere à posteriori philosophi passim consueuerunt. Nunquam tamen verè pronunciabit quisquam, vel apud se statuet, corpus absque loco esse: neque seiunget re ipsa & quoad existentiam corpus à suo loco.

Res à se inuicem dupliciter separantur.

Corpus absque loco intelligi potest. sed absque eo existere non potest.

Hic iam liquet, quàm turpiter impingant, qui sui animi somnia sequuntur, palpant in meridie, & talpis efficiuntur cæciores. Nullus præterea theologus, tametsi fateatur, patrem origine priorem esse filio, patrem vel cogitatione vel existentia concedet esse posse absque filio.

Sed ad Aristotelem redeo, qui dat substantiam quidem priorem accidentib⁹ esse: verùm omnem substantiam ab illis quoad existentiam diuidi, reclamat. Nam id proprium Deo est ac peculiare, vt accidentibus prorsus careat. Naturalis verò substantia proprijs accidentibus nullo modo potest exui, ac suam retinere saluam naturam: quin vrabsque omnibus separabilibus accidentibus integra maneat, fieri non potest. At si tui Aristotelis iudicium ubi tantoperè probatur, cur in hac eadem materia illud non sequeris? Ille idem pronuntiauit, posteriora non posse à prioribus diuidi ac separari: neque patitur, aut vnquam dabit, accidentia sine subiecto posse consistere. Tu verò, ac tui similes, vobis permittitis oppositum statuere: atque si Deo placet, propter vestram panis & vini transubstantiationem cœlum terræ miscetis, & ea quæ neque picta neque scripta vllibi sunt, impudenter ac pertinacissimè affirmatis.

Aristoteles nõ vult posteriora à prioribus posse diuidi.

Adducis mihi præterea Danielem, à quo scribatur Abacuk prophetam momento temporis in Babyloniam raptum, salua & integra illius natura, vt cibum Danieli præberet, qui leonibus deuorandus erat obiectus. Verum, quid in hoc exemplo habes, quod nostram sententiam lædat? Cum Eliam & Enoch translatos hinc vi Dei non negemus, (quamuis dubium est, an postea viuant an obierint) & confiteamur, Christum quoad carnem in cœlum ascendisse, non abnuemus, potuisse fieri vi diuina, vt Abacuk ex Iudea in Babylonem transferretur. Quòd verò scribis id momento temporis factum, id historia Danielis non habet. Tamen

De Abacuk abducto in Babylonã.

men quod est controuersum probasses, si Abacukum eodem tempore & in Iudæa, & in Babylone fuisse demonstrasses. Quod cum non feceris, tu videas, quò ista spectent. Deinde miror, pro Daniele te mihi fabulam opponere. Sic enim tota illa narratio Beli euersi appellatur, non à me, sed à maioribus.

Postrema pars Danielis fabula dicitur.

Audi quid Hieronymus dicat, cùm explicatis ijs, quæ verè Danielis erant, ad hæc postrema interpretanda veniret. *Expositis*, inquit, *vt potuimus, quæ in Danielis libro iuxta Hebraicum continentur, ponam breuiter, quid Origenes in decimo Stromatum suorum libro de Susannæ & Beli fabulis dixerit.* Benè habet, vt cùm solidis literarum diuinarum testimonijs causam non possis obtinere, deflectas ad fabulas. Rectè de vobis Paulus ad Timotheum est vaticinatus: fore, vt cum sanam doctrinam non sustineatis, conuertatis vos ad fabulas.

Atqui non grauabor aliud eiusdem Hieronymi testimonium hac de re adducere, in prologo super Danielem, vbi sic scribit: *Daniel apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec Hymnum trium puerorum, nec Belis draconis fabulas: quas nos, quia in toto orbe dispersæ sunt, verum antepositum, casúque iugulante subiecimus: ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse.* Quæ verba sic annotatione sua illustrauit Erasmus: *Mirum, quod Hieronymus nunc verum iugulat, id passim nunc legitur & canitur in templis, ceu res in primis sancta. Tanto plus valet consuetudo multitudinis imperitæ, quàm viri eruditi iudicium: imò nullo delectu legimus de Bel dracone historiam, quam Hieronymus non est veritus appellare fabulam: nec additurus, ni veritus fuisset, ne bonam voluminis partem detruncasse videretur. Sed apud quos tandem? Apud imperitos, inquit ipse. Sic vbi commodum est, quiduis apud nos valet Hieronymi authoritas: vbi non est commodum, ne tantulum quidem valet.*

Sed ad Hieronymum redeo, qui de quodam suo Iudæo in eadem præfatione sic scribit: *Cum verò ad Abacuk veniret, & de Iudæa in Chaldæam raptum discophorum lectitaret, quærebat exemplum, vbi legissemus in toto veteri Testamento, quenquam sanctorum graui volasse corpore, & in puncto horæ tanta terrarum spatia transisse. Cui cum quidam è nostris satis ad loquendum promptulus Ezechielem adduxisset in medium, & diceret eum de Chaldæa in Iudæam fuisse translatum, risit hominem, & ex ipso volumine demonstrauit, Ezechielem in spiritu se vidisse transpositum. Denique Apostolum nostrum, videlicet, vt erudítum virum, & qui legem ab Hebræis didicisset, non fuisse ausum affirmare, se raptum in corpore: sed dixisse, Siue in corpore, siue extra corpus nescio: Deus scit.* His & talibus argumentis apocryphas in libro Ecclesiæ fabulas arguebat. Porphyrius quoque locum historiæ Susannæ calumniatus est, quòd à vocibus Græcis σχίνος & πρίνος etymologias peteret homo Hebræus, nempe Daniel, qui Chaldaica lingua scribebat. Vnde constat, non ipsius Danielis illud esse scriptum, sed hominis Græci commentum. Vide igitur, Gardi nere, quò te rapiat impetus cauillandi, cui nimium obsequeris. Nihil non audes in mala causa: & cum omnia vndique commouisti, nihil succedit.

Porphyrius.

OBIECTVM XII.

CONTRA naturam & rationem est, corpus quantum esse alicubi, & non occupare locum. Sed si ponatur corpus Christi in sacramento realiter, vt dicunt, erit ibi corpus quantum sine occupatione loci. Quod est destruere naturam corporis Christi.

GARDINERVS.

QVI omnia in omnibus operatur Deus, aliter in naturæ ordine à se præscripto, aliter virtute, cum ita illi visum est, quæ fiunt, efficit.

MARTYR.

VT multa, quæ hîc responderi possent, omittam, illud attingam peccatum, quod in hoc sophista perpetuò hæret. Semper id statuit, sibiq; vt datum sumit, *Deo ita visum, vt domini corpus reipsa Eucharistiæ adsit, & vnà in cœlo sit præsens, atque dum mysterio cœnæ interest, locum non occupet: cum alioqui substantialiter sit corpus, & realiter, vt loquuntur, sub accidentibus panis & vini occultetur.* Deum ita velle demonstretur: confirmetur diuinis literis hæc eum reuelasse: atque fidelibus ista proposuisse credenda ostendatur. Hoc dum ab eo quærimus, frustrà quærimus: testimonia huius diuinæ voluntatis nusquam proferuntur. Potentiam Dei nusquam non obijcit, & vim diuinam in quæcunq; visum fuerit efficacissimè distribuit. Adducit similia interdum, & exempla: sed quàm controuersiæ nostrę congruant, nihil moratur. Satis illi est, modò aliquid comminiscatur, quo lectori fucum faciat.

Nunc vt probet quędam cũ vsitato cursu naturę pugnare, quę tamen haud pugnant cũ primaria Dei authoritate, ac ratione: *Petrus*, inquit, *Deo secundũ naturã cooperante ambulauit super terras: & idẽ Petrus Deo secundũ ipsius virtutẽ cooperante ambulauit super aquas.* Nõ vna ratione, quod Inconstantius modò adducit, à re, de qua nunc agimus, est alienum. Primùm quod refert de Petro, à

diuinis literis narratur: quod isti dicunt, & credi volunt, ab ipsis confingitur : Deinde quæ Petrꝰ fecit, idem tempus non respiciunt. Nam cum super aquas ambularet, non ambulabat in terris.

At dominus dum sacramentum Eucharistię instituit, & corpus in loco habuit, nam cum discipulis ad mensam discumbebat: & corpus identidem suum, vt isti volunt, sub accidentibus panis & vini totum & realiter habuit. Quare idem corpus eodem tempore cogentur dicere in loco fuisse, ac non in loco, atque id quoad omnia illius membra. Sed Petrus non eodem tempore super terram, & super aquas ambulauit.

Quomodo Petrus ambularit super aquas.

Postremò quid absurdi habet, grauitatis aut ponderis actionem à Dei omnipotentia fuisse in Petri corpore suspensam, ne in aquarum imademergeretur? Hoc certè fatemur in igne factum, à quo tres viri sancti non fuerunt combusti, cum tamen in ardentissimam fornacem coniecti fuissent. Idem contigisse scimus cum Elias in cœlum eleuaretur, & dominus noster Iesus Christus illuc ascẽderet. Nemo nostrum inficiatur, potentiorem esse vim Dei, grauitate ac pondere humanorum corporum. Neque tamen si ea sustineantur, ne deorsum ruant, ideò humana corpora esse desinunt. Propterea quæ de Petro adfers, vt nil te iuuant, ita omnino sunt extra oleas.

Audiamus tamen ea, quæ addis. *Christus Deus & homo secundum conditionem assumptæ naturæ passus est in corpore: & idem Christus virtute sua diuina ianuis clausis ingressus ad discipulos, effecit, vt corpus eius, quod solidum esset, penetraret, quod in ianuis solidum erat, nec loco pelleret: quo nihil sit magis à naturæ legibus alienum.* Hìc quoque idem opponam, quod anteà: Christi corpus idem non esse eodem tempore passum, & non passum: vt vos ponitis, eodem tempore in loco fuisse, & non in loco. Deinde, quod accipis, Christi solidum corpus ianuæ solidum corpus penetrasse, ita, vt illud loco non pepulerit, quando probabis è scripturis? Nobis est satis, vt Euangelica historia narrat, Christum ad Apostolos, cum ostia essent occlusa, venisse. Tu dicito, quid obstiterit, quin solidita ianuarum intranti Christo cesserit, & post officium præstitum, ad locum pristinum redierit. Quasi dominus vi sua non potuerit rarefacere solida, & densare, cum voluerit: vel ea repellere, pristinoque loco repone re, cum visum fuerit. Ista nil pugnant. At simul densum & rarum esse, cedere & non cedere, quoad easdem partes, repugnaret. Et pugnat, corpus humanum esse quantum, & membra distincta in seipso habere, atque idem ad loca diuersa, multa, & propemodum infinita diffundi: præsens esse, ac non in loco esse. Hi sunt nodi: hinc te impeditum explices oportet.

Quomodo Christus sit ingressus clausis ianuis.

De ingressu verò Christi ad discipulos ianuis clausis, non multum est laborandum: nam & superius, quantum satis erat, dixi: & adhuc possem dicere, Ianuis clausis dominum ad Apostolos non per ianuas, sed aliunde ingressum esse. Quod si dicerem, à scripturis, certò scio, non posse confutari.

Dicit præterea Inconstantius: *Et dicemus, Deum corpus quod assumpsit, destruere, nisi secundum communes naturæ leges eodem semper vtatur? Quod virtute Dei fiat, mirari debemus: excutere non possumus: quando in tam multis, quæ natura fiunt, cæcutimus.* Mirum est hunc sophistam nunquam audisse in scholis vsitatam distinctionem: nisi, vt veterator est, iam se nosse dissimulet. Verùm ne sibi persuadeat, nos quoque illam ignorare, paucis explicabitur. Leges naturæ quædam sunt ita constitutæ, vt si violentur, contradictoria statim pugna oriatur. Vt, si quis hominem dari velit absque animo vi prædito intelligendi: aut si quis triangulum dicat figuram quadratam. Legibus ijs naturæ nulli sunt habiti vnquam theologi, qui dicerent, Deum posse obsistere: quandoquidem id non Dei vitio, sed rerum ipsarum conditione ac natura fieri non possit. Aliæ verò naturæ leges ita se habent, vt earum transgressio nullam afferat contradictionem: talesque Dei potentia non semel victas & superatas, vt diuinæ literæ tradunt, nemo ambigit, qui Christo nomen dederit. Videas nunc tu, Gardinere, an dicere, certum aliquod corpus simul in loco esse, ac non esse: humanum esse, ac non humanum: contradictoria pugn opponatur. Quod itaque à vobis in ijs portentis confingitur, ad primum allatæ distinctionis membrum pertinet: ideóque nos haud immeritò reclamamus.

Distinctio legum naturalium.

At vt viuus, inquit, *non est quærendus inter mortuos: ita, quæ Dei virtute supra naturam fiunt, ad inferioris naturæ regulas non sunt exigenda.* Imò quoad non reuelarit dominus, aliquid secus futurum aut factũ esse, quàm ordinaria ratione agatur, licet modum quærere, atque exigere. Ita Maria dixit ad angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Si licuit virgini hoc dicere angelo, qui felicissimum ei conceptum nuntiabat, cur nos absterretis, ne vobis idem occinamus, qui nobis absque verbo Dei tanta portenta credenda obtruditis? Dicitis corpus Christi nobis passim realiter adesse & latitare sub minimis panis & vini specieb⁹: dicitis, locũ non occupare: dicitis, hic simul & in cœlis esse. Nec vultis nos quærere, quomodo ista fiant. Si Deꝰ hęc diceret (quę non dicit, cũ re vera, vt est ostẽsum, contradictionẽ coniunctã secum habeãt) sed si diceret, non quidem dubitando, sed tamen instructionem petendo, liceret interrogare, Quomodo fiet? Quod non tantùm à Maria, verùm etiam ab Abrahamo & à Gedeone factum scimus. Et vobis, qui ad ista, quæ dicitis, confirmanda verbum Dei nunquam affertis, non licebit idem occinere?

An liceat quærere quomodo?

Verùm, quid ad nostram interrogationem dicas, operæpretium est audire. *Esse autem in mysterio, nõ est loco comprehendi, sed Dei virtute fisti, quomodo ille nouit. Atque hoc mysterium visibilia indicent, quæ loco illa ambiente finiuntur secundum naturam: cum mysterium, quod significent, sic fiat virtute Dei, & sic nobis fistat Christus*

ſtum præſentem, vt nulla id ratio aſſequi, nullis in natura exemplis demonſtrari queat. Quod iſte nunc ſomniat, eſſe in myſterio, non eſſe comprehendi loco, vt prius dixi, facilè dabo. Nam id nobis adeſt in myſterio, quod per myſterium, ſeu ſacramentum ſignificatur: & hoc ipſum, vt refertur, per fidem comprehenditur, & verè credentibus præſens efficitur: non quidem, vt ita dixerim, corporaliter, aut realiter, ſed ſpirituali perceptione. At iſte per myſterium, vt verba A eius præ ſe ferunt, longè aliud intelligit: nempe aliquid adeò potens & efficax, vt nobis ſiſtat Chriſtum quoad carnem præſentem. Paulò ſuperius id virtuti diuinæ tribuebat, vt Chriſtum ſiſteret nobis: poſtremò verò myſterium hoc dicit efficere. Sed puto, illum ſeipſum non ſatis intellexiſſe. Fingit præterea corpꝰ verè præſens adeſſe, nec locum occupare: quod figmentum vt inane ſit, & prorſus mendax, probatione vlla non eget.

OBIECTVM XIII.

SENSVS huius propoſitionis, Hoc eſt corpus meum, vel eſt literalis, vel tropicus. Senſus literalis, quem quiſque ſenſu communi præditus, ex forma verborum colligit, eſt huiuſmodi: Panis, quem Chriſtus accepit in manus, eſt corpus Chriſti. Quod ſanè falſum eſt. Nam & Dialectici aiunt: Vnum diſparatum non prædicatur de altero, niſi vel figuratè, vel per ſignificationem: vt Petra eſt Chriſtus. Ergo verus ſenſus huius propoſitionis eſt tropicus: nimirum, Panis, quem Chriſtus accepit in manus, eſt figura corporis eius, vel, corpus eius ſignificat.

GARDINERVS.

FALSO aſſumitur, hominem communi ſenſu præditum, ſecundum ſenſum literæ intellecturum ex verbis Chriſti, dixiſſe eum, panem eſſe corpus. Quia illud (Hoc) quod eſt ſubiectum in verbis Chriſti, in ſenſu communi non æquipollet diſparato: quaſi iſtæ propoſitiones, Hoc eſt corpus meum, &, Petra erat Chriſtus, eſſent ſimiles. In hac enim Chriſtus diſparatum prædicatur de petra diſparato: & ex duobus diſparatis conficitur propoſitio, Petra erat Chriſtus. In illa verò, Hoc eſt corpus meum, non ſunt duo diſparata: ſed verbum (Corpus) quod eſt diſparatum, prædicatur de (hoc) pronomine, quod certæ naturæ nomen non exprimit in ſenſu communi, ſed ſolùm deſignat, quod eſt in eo, quaſi demonſtratur vnum, nec altius in eius naturam penetrat.

MARTYR.

HOc loco ſophiſta ita ſe prodit, vt nunquam magis, quàm hîc, ſuis coloribus, ſuoq; penicillo ſe ipſum expreſſerit. Certè, hoc illius commentum, quod modò adducit, linea eſt, quę Apellem probat: & hunc, ſi non prius eum noueris, quàm apertiſsimè indicat ſophiſtam eſſe. Pronomine (hoc) fingit, Chriſtum non demonſtraſſe panem, ſed neſcio quod vagum indiuiduum. Atque hoc ſuo glorioſo inuento, quod tamen eius non eſt, putat ſe latibulum inueniſſe, quo & errorem, & mendacia ſua, ne deprehendantur, occultet. Se appellauit Conſtantium, quaſi eo cognomine ſuum adamantinum pectus iactans. Vult haberi ſolidus, firmus, & ſtabilis, cum tamen eo nihil ſit magis varium, aut vanius, aut inconſtantius. Chamæleonta, Vertumnum, & Proteum potius dixeris quàm Conſtantium. Non itaq; mireris, Lector, ſi ego illum pro Conſtantio, Inconſtantium nomino. Quòd enim dicit, pronomine (hoc) panem non demonſtrari, ſed indiuiduum quoddam indeterminatum, id illi non placuit, cum libellum ſcriberet, Contra diabolicam ſophiſticam. Hoc enim magnifico, & horribili titulo librum eum inſcripſit. Ibi omnino voluit, panem eo pronomine demonſtrari. Quod itaq; tunc aiebat, modo negat: quodq; tum negauit, modo affirmat. Præclaram vtique conſtantiam hæc indicant. Atque nunc, ne ſit ſui diſsimilis hoc poſtremo tempore, Papæ rurſus eſt factus abiectum viliſsimumq; mancipium, quem & verbo, & ſcripto, B & ſacramento prius abiurauerat. Stomachetur in nos, quantum volet: appellet inconſtantes, varios, lubricos, inſtabiles. Patiemur, hac tamen lege, vt prius in ſeipſum deſcendat. Quod ſi fecerit, nos de ingenio ſuo ſentiet non mentiri.

Pro Conſtantio ſe prodit Inconſtantium.

Liber Gardineri Contra diabolicam ſophiſticam.

At nolo in campo eius inconſtantię prolixius expatiari: ad rem redeo. *In iſta propoſitione, Hoc eſt corpus meum*, inquit, *non eſſe duo diſparata.* C *Nam verbum (Corpus) dat eſſe diſparatum, & prædicari de pronomine (Hoc) quod certæ naturæ notam non exprimit.* O lautum Dialecticum. Si verbum, vt concedis (corpus) eſt diſparatum, à quo quæſo eſt diſparatum? Nónne hîc vides eſſe collationem, vt quicquid ſit diſparatum, ab aliquo ſit diſparatum? Si corpus, vt ſtatuis, non prædicatur de pane, ſed de pronomine (hoc) quod ab illo non abhorret, ſed cum ipſo coniungi poteſt, quomodo in ea propoſitione D (Corpus) diſparatâ vocem eſſe cõcedis? A quo enim ea diſparata erit? A pane? At panis non demõſtratur, neq; in propoſitionem ingreditur, vt tu arbitraris. An diſparata erit ab (hoc) pronomine? At id tu cõtendis non eſſe: cum velis, has duas voces bellè inter ſe conſentire. Proinde ſupereſt, vt illa vox in ea propoſitione diſparata ſit à ſeipſa. Quare tibi conſulo, vt poſthac prudentius aliquanto ſophiſticeris.

Deinde quod nobis propoſuiſti, id ex loquutionibus familiaris & quotidiani ſermonis probare niteris. *Quis enim*, inquis, *non ſic loquitur? Hoc eſt vinum, hoc eſt mel, hoc eſt lac:* E

porrecto

porrecto videlicet digito, aut nutante capite in rem explicatam. In quibus formulis sermonis quotidiani, si, quod est in obiecto, hoc vim obtineret disparati, & quantum in prædicato est, significaret, iam nugatoria prorsus illa forma loquendi esset. Quasi diceres: Vinum est vinum: mel est mel: lac est lac. Vt fucum istis exemplis detrahamus, videndum est, an cum re, de qua modò agimus, congruant. Ista, quæ iste inducit, cum demonstrantur, iam actu id sunt, quod prædicata illorũ exprimunt. Cum enim dicis, Hoc est vinum, quod ostendis, re ipsa est vinum. Et cum dicis, Hoc est lac, quod indicatur, actu est lac. At id quod minister vel Christus ostendit in cœna, quicquid illud sit, vel panis, vel indiuiduum vagum, cum monstratur, nondum est corpus Christi: quoniam, vt statuistis, non habetur, nisi completis & perfectis verbis consecrationis, vestra transsubstantiatio. Quare frigida & inepta sunt exempla: neq; allatæ formulæ cum hac nostra conferri possunt.

Deinde non parum miror, tantum artificem sophistices ignorare, quæ in sua schola dicantur Disparata. Ea sanè apud Dialecticos ita vocantur, quæ ad diuersa genera seu species pertinent, ideoque de se inuicem dici nequeunt: vt equus, & homo: lignum, & leo: aqua, & ignis. Quid verò isti sint disparata, hæc eius verba indicãt: cum enim pro exemplo has loquutiones adduxisset, *Hoc est vinum, hoc est lac, hoc est mel:* subdit, *In quibus formulis sermonis quotidiani, si quod est in subiecto (hoc) vim obtineret disparati, & quantum in prædicato est, significaret, iam nugatoria prorsus illa loquendi forma esset: quasi diceres, Vinum, est vinum: mel, est mel: lac, est lac.* Quid obsecro iste sibi sumit? Si, quod est in subiecto (hoc) vim obtineret disparati, & quantum in prædicato est significaret, &c. Quando id vnquam fieri poterit, vt subiectum sit disparatum, & quantum in prædicato est, significet? Certè si dixerim, homo est equus: hæc duo, nimirum Homo, & Equus, Dialecticorum iudicio sunt disparata: ideoq; sic iuncta propositionem faciunt non solùm falsam, sed etiam impossibilem: tantum abest, vt subiectum significet, quãtum est in prædicato. Proinde hominem hunc oporteret ad medicos ducere, qui caput eius elleboro purgarent.

Apud dialecticos quæ sint disparata.

Deinde ita languet iudicio, vt putet istas propositiones, Hoc est vinum, hoc est lac, hoc est mel, fore nugatorias, si subiectum tantum, quantum in prædicato est, significet. *Tantum,* inquit, *esset, ac si diceres mel est mel.* Ego verò è diuerso statuo propositiones illas non posse veras esse, nisi re vera illud per subiectum ostendatur, quod significatur per prædicatum. Et vtut absurdè fortasse dicatur, mel est mel, vinum est vinum: haud tamen absurdum, imò necessarium est, in vera propositione subiectum & prædicatum pro eadem re, vt sophistæ loquuntur, supponere.

In vera propositione subiectum & prædicatum pro eadem re supponunt.

Sed ijs remissis, quæso, iam mysterium subtilitatis huius audiamus. *Nunc verò,* inquit, *quando illud (hoc) eam modò vim habeat, vt vnum quid esse significet, quod ipsum, quale quid sit, explicandum relinquat prædicato, apta est hæc loquutionis formula, nimirum sic constructa, vt ab obscuriori subiecto ad notius prædicatum sit progressus.* Quid si Proteus iste suis ipsius laqueis vinciatur? Hoc, pronomen, inquit eam vim habere, vt vnum quid esse significet, quod ipsum quale quid sit explicandum relinquat prædicato. Ergo cum sacrificus dicit, Hoc est, aliquid esse ponit, quod demonstrat explicandum à prædicato. At quãdo illam orationem profert, nondum corpus Christi adest, ergo illud non potest demonstrare, quod per prædicatum postea explicetur. Nemo enim demonstrat id, quod non adest. Quid igitur sibi vult vnũ quid esse per (hoc) significari, quòd quale quid sit, prædicato relinquatur explicandum? Si dixisset, quod quale futurum sit, per prædicatum explicabitur, absurde quidem loquutus esset, attamen aliquantò ad sententiam suæ transubstantiationis magis accessisset: absurdum ex eo non excitasset, quòd iam esse posuisset, quod nondum esset, sed futurum expectaretur.

Videtur sibi præterea placere suo figmento, quod in ea propositione iuxta suam interpretationem, ab ignoto ad magis notum procedamus: ceu nos hoc loco quæramus, quid magis, quidúe minus sit notum. Hoc nihil moramur: sed id interrogamus, quæ nam sit res, quæ demonstratur. Eam procul dubio in rerum natura esse oportet, & definitam, non vagam, & mẽte abstractam. Quicquid enim existit, & singulare & finitum est: nisi velint isti Platonis ideas fabricari. Neque ad quæstionis nostræ dissolutionem quicquam refert, siue naturam eius, quod demonstratur, sciamus, siue ignoremus. In eo controuersia est: oportere quod ostenditur, esse definitæ, certæque naturæ, in qua prædicatum, seu quod per illud significatur, insit.

Quærit ad hæc noster Spinosus Chrysippus, inductas tenebras alterius cuiusdam exempli luce nonnihil illustrare, quod est, agere multa, & nihil peragere. *Veluti,* ait, *cum dicimus, Hoc est dulce: hoc rursus est amarum. Quorum naturas si quærat quis, non dubitabimus, siquidem ita sit, fateri nos ignorare: vt appareat istud (hoc) in sensu communi, non demonstrasse rei certæ nobis naturæ substantiam, sed vnum quiddam, cui ex gustu sentimus dulcoris inesse qualitatem.* Est certè mirum, hũc strophodædalum tanta cæcutire caligine, vt non sentiat, quàm ista sua exempla sint extra oleas. Cum enim, demonstrato aliquo fructu, liquore, aut ligno, dicitur, Hoc est dulce: aut, Hoc est amarum, facile potest fieri, vt is, cui hæc ostenduntur, eorum ignoret naturam. At Christus in mensa cum diceret, Hoc est corpus meum, id in manibus habuit, quod sensu communi ab Apostolis non potuit ignorari. Videbant enim omnes esse panem. Quamobrem hic non est opus ad ignota, vel ad vaga & incerta indiuidua confugere.

Sed

Sed vt adhuc magis è suo latibulo mõstrum hoc in lucem proferamus, & laruæ tantùm ad illudendum confictæ vanitas appareat, quid ab Euangelista de altera sacramenti huius parte dicatur, attendamus. *Hic calix, ait Christus, nouum testamentum est in meo sanguine.* Quodnam comminiscetur hic indiuiduum vagum Inconstantius? Demonstratio profectò ad calicem apertis verbis dirigitur, ac tropo illo, quo continens contentum significat, ostenditur. Nemo autem dubitat, cum dominus poculum accepit, in eo fuisse vinum: nisi quis noua audacia fingere velit, in calice fuisse rem incertam, & vagum indiuiduum, mente abstractum: quod quicunque ausit dicere, is à mente alienus, vagus, & prorsus abstractus iudicabitur. Atqui res multò adhuc fiet dilucidior, si quę Matthæus ilico subiecit verbis de calice prolatis attendamus. *Dico autem vobis*, inquit, *non bibam posthac ex hoc genimine vitis vsq; in diem illum.* Dicat nobis Gardinerus an fructus vitis indiuiduum vagum dici debeat. Profectò natura vini certa & definita hoc sermone designatur. Valeant igitur impostura: cedant figmenta: Chimæræ poetis relinquantur. Certam rem vtique dominus ostendit, & definitam, quæq; re ipsa existeret, atq; actu adesset, de qua suum corpus pronunciaret.

Verùm vt adhuc propius pedem conferam, de isto araneo scisciabor, vtrum demonstrata res transeat & desinat esse, an maneat. Si non transeat, nulla erit transubstantiatio, de qua tantopere digladiantur. Sin verò transit, de illa, quod sit, affirmari non potest: tantum abest, vt corpus Christi esse dicatur. Neq; mihi persuadeo vllũ ex Papistis ita desipere, quin dum transubstantiationem defendit, id transubstantiari dicat, quod in subiecto propositionis demonstrabatur. Iste verò, qui putat indiuiduum vagum demonstrari, nobis respondeat, vtrum illud manere, an transubstantiari velit. Quòd si dixerit, non ad indiuiduum vagum, sed ad id, quod ostenditur, debere transubstantiationem accommodari, nimirum ad panem: quomodo id persuadebit, si neque in subiecto, neque in prædicato propositionis vlla fiat mentio panis? Nónne dicunt, & passim vsq; ad rauim iactitant, hanc domini orationem esse operatoriam, quòd faciat idipsum, quod significat? At significari non potest panis mutatio in corpus Christi, nisi panis in aliqua parte propositionis significetur.

Quodq; de subiecto iam dixi, hoc est, de (hoc) pronomine, de parte altera (corpus meum) vrgere possum. Nam cum illa dicuntur, aut corpus Christi est, aut non est in eo, quod per subiectum significatur. Si nondũ est, falsò pronuntiabitur esse: sin vero, quando verba illa proferuntur, iam est, vi eorum verborum nõ fiet transubstantiatio. Vnde oportebit, vt vel anteà sit facta, vel postea expectetur. Si ante verborum enuntiationem fuit, demonstretur, per quæ verba: sin verò prolatis verbis est accessura, igitur propositio dum proferebatur, falsa erat: quæ dixit esse, quod nondum erat. At solent isti belli homines dicere, propositionem veram esse, non pro tempore præsenti, sed pro eo, quod statim futurum est: quasi Christus non potuisset dicere, si hoc voluisset, Hoc erit corpus meum: qui tamen dixit, Hoc est corpus meum. Cui vtiq; si transubstantiationem credi ab Apostolis voluisset, dicendum fuit, non, Hoc est corpus meum: sed, Quod pani vinoque succedet, quod istorum loco subintrabit, erit corpus meum. Adeóne in re tam ad salutem necessaria delectatus est Christus ænigmatica oratione, vt pro ijs omnibus formis, quæ propriæ fuissent, & ad sententiæ vestræ institutum accommodatæ, vnam illam protulerit, Hoc est corpus meum: quæ nihil eorum indicet, quæ vos passim cogitis homines fateri se credere, & constanti attestatione affirmare?

Nugatur adhuc in suo simili enuntiato, Hoc est mel: & ait, *naturam, quæ subiecto demonstratur, vel ab authoritate dicentis, in re quam nos patet latere, vel ex ipsis præsentis rei indicijs cum fuerit prestius contemplata substantia, constare.* Equidem ista duo, quæ hîc vafrè admodum & circunspectè sibi delegisse videtur, accipio: & eorum vtrunq; in suum authorem retorqueo. Si authoritatem dicentis quærat, panem minimè commutabit: quandoquidem scripturæ & patres Eucharisti am panem appellant: vbi si Gardinerus tropũ velit, ne nobis quidem debet indignari si tropo vsi fuerimus. Alterum quod accipimus, est: Sunt ipsa rei præsentis indicia, per quæ, vt ille vult, secundo loco substantia nobis potest constare. Quæ, obsecro te per tuam mitram & pedum, indicia sunt in Eucharistia, nisi panis & vini? Ea sanè abs te negari nullo modo possunt, nisi te sensibus etiam ita priues, vt à recta ratione iamdudum es alienatus.

Venio ad proxima: vbi, quo nos miseros iam, vt videri vult, confutatos & protritos bis lædat, ceu Capernaitas traducit, & sophistices telo rursus impetit: quasi cum eo facturi simus, & affirmaturi de eo quod est consecratum, Hoc est panis: non quod velimus dicere, Panis est panis: sed illud pronomen, Hoc, complicare prædicato. Quæso te respondeas paulisper, vtris nostrum Capernaitarum cognomen seu titulus magis conueniat? Capernaitæ, vt ex Iohannis 6. colligitur, cum dominus de carne sua manducanda loqueretur, ita ea intellexerunt quæ dicebantur, quasi ore corporis ac dentibus humana Christi caro comedẽda esset. Ideo que ceu à facinore, atque horrendo scelere abhorrebant. Nos quomodo facimus cum istis, qui fide, anima, ac spiritualiter carnem & sanguinẽ Christi percipienda credimus? Sũt sanè ab Capernaitarũ parte multò potius mancipia Papæ, & quib⁹ corpus Christi crassissimè, realiter, & substantialiter manducari, ore, dentib⁹, ac palato edi prędicatur. Hoc est καπερναΐζειν. At nõ est mirum si isti nobis vitium suũ tribuunt. Quia vt panem in corp⁹ Christi fingũt mutari, ita Capernaismũ, quo ipsi laborant, in nos men-

Qui Capernaitæ.

daciter deriuant. Solis ipsis concessum est pro libidine mutare, inuertere, ac transponere quic quid occurrerit.

Sed videamus, qua fraude nos imprudentes & nolentes conetur ostentare captos, & in sua nassa conclusos. Putat à nobis dici, ostensa Eucharistia, Hoc est panis, ceu prædicato velimus explicare incertam naturam, & vagum in diuiduum, quod in subiecto per pronomen (hoc) demonstramus. At longè fallitur: non enim ita stolidè nostram propositionem interpretamur, vt ille suam exposuit. Dicimus enim, *Sensus propositionis Hoc est corpus meum.* Ista natura certa & infinita panis, quę monstratur, & de qua sensus rectè iudicant, neq; ratio ex illorum indicijs decipitur, est caro domini: quam eandem Christus verisimè dicit, corpus suum esse. Neque secum eæ significationes pugnant: quia substantia illa certa & definita, quæ monstratur, est panis, idq; natura: corpus verò Christi est significatione. Non igitur nobis indiuiduo vago est opus. Neq; de notionibus, verùm de ipsis rebus agimus. Quid ad causam faciunt istæ nebulæ? quid prosunt scommata? Si Capernaitæ istam propositionem tecum interpretantur, illos, vt volueris, à tuis partibus habeto. Nos verò dilucidè ac explanatè, quemadmodum recensui, sermonem illum exponimus, & ab eorum sensu manifestissimè disidemus. Habet Veritas, mihi crede, faciles exitus: Mendacia semper sunt impedita.

Cauillatur adhæc, suum Capernaitã (suum idcirco dico, quia tales homines ad nos minimè pertinent) in subiecto propositionis non positurum panem, vt dicat, panis est panis: verum vtetur (*hoc*) pronomine. Quid ad hęc suus Capernaita respondere velit, ipse disquirat. Nos, cum aliquando sic loquitur, Hoc est panis, à congrua loquendi consuetudine minimè discedimus: cùm alioqui per pronomen (*hoc*) panem demonstrari non dubitemus. Et quia nescit modum finemque facere συμμαχίας, inquit, per (*hoc*) pronomen intelligendũ esse veluti entis quiddam singulare. Non controuersum est inter nos, quid nam quispiam intelligat: sed quæ sit natura ea, quę demonstratur. Neque vllum est, aut reperiri potest quiddam singulare in rebus, quod non propriam naturã, formam, & speciem certam habeat. Non certamus hîc de ideis Platonis, neq; de notionib. & conceptis animi: sed de ipsis rebus disputamus. Putásne me adeò ἄμουσον, vt nesciam, mathematicos, & metaphysicos mente à rebus multa posse abstrahere, quæ tamen ita separata in rerum natura inuenire nequeant? Ista vel à puero sciebam. Sed cum de notionibus ijs iam non agamus, verùm de ipsis rebus, quæ sunt, contendamus, precor te, desinas argutari, atque tuas aranearum telas nimis ambitiosè ostentare.

Pro conclusione & epilogo, hæc deinde adducuntur: *Atque ita me Spero luculentum feciſſe, propoſitionem iſtam, Hoc eſt corpus meum, non conſi ri ex diſparatis: quemadmodum ille, Petra erat Chriſtus.* & Paulò post: *Nec dicit, Hic panis eſt corpus meum.* Quia mendacibus talibusque rationibus hucusq; vsus est, quid mirum si mendaciũ & vanitatem concludat? Certè, vt petra erat Christus, ita panis dictus est corpus Christi. Neque duo hîc disparata sunt, nisi vtrunque iuxta natura suam accipiatur. Sed quando corpus Christi per mysterium, & significationem intelligatur, pane in sua natura manente, nulla est pugna. Neque illa duo vt disparata inter sese conferuntur. Nec iuuat quicquam Christum non dixisse, Hic panis est corpus meum. Nam quod Christus non dixit, protulit eius Apostolus, cum inquit, *Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt?* Et quod Paulus ibi pronunciauit, alij patres quam apertissimis verbis confirmarunt. Quid enim scripsit Irenæus libro quarto capite 32? *Chriſtus panem, qui eſt creatura, corpus ſuum: & calicem, ſanguinem ſuum confeſſus eſt.* Et eodem libro, capite trigesimo quarto, *Panis in quo gratiæ actæ ſunt, corpus domini eſt.* Et capite quinquagesimo septimo, *Huius conditionis, quæ eſt ſecundum nos, accipiens panem, ſuum corpus confitebatur.* Et libro quinto: *De pane, qui eſt corpus eius, augetur,* & cætera. Tertullianus etiam contra Iudæos ait: *Chriſtus panem corpus ſuum appellauit.* Idemque libro tertio & quarto contra Marcionem sæpius repetit. Multò plura ex patribus in hanc sententiam possem congerere. Sed quia postea suis locis excutienda erunt, supersedeo. Hæc nihilominus attuli, vt omnes intelligant, quanto labore iste se torserit, vt nihil diceret: quando contendit, non esse dandam istam propositionem, Panis est corpus Christi, quasi ex disparatis componatur: neque similem eius vult esse, Petra erat Christus. Et quantum hallucinetur, iam est ostensum: omnesque videre possunt, istæ syco phantiæ, fumi, nebulæ, scommata, quibus hic locus vndique scatet, quàm parùm huius sophistæ causam adiuuerint. Porrò cùm Christus dixit, & hodie minister Ecclesiæ illius nomine recitet, *Hoc eſt corpus meum:* per illud pronomen (*hoc*) oportet vt intelligat certum aliquod vnum, quod in re sit: non tantùm in eius, qui dicit, imaginatione, Propterea vel panis est, vel corpus Christi: quorum vtrunque absurdum est, si horum sensum & interpretationem sequamur. Corpus enim Christi non est: quandoquidem consecratio nondum est perfecta, & panis adhuc non abijt. Quare corpus demonstrari non potest. Panis item non ostenditur: quia timendum illis est, ne propositionem ex disparatis componant. Non enim tropum significationis volunt admittere: quem quàm stultè, ac sine ratione inficientur, alibi dicendum erit.

Paulus a. gnoscit panẽ in Eucharistia. Irenæus.

Verùm conducit ea expendere, quę adiecit, *Hoc vnum, quod erat in manibus, dixit eſſe corpus ſuum: non ſermone ſolum indicatorio & enuntiatorio, quomodo*

quomodò nos homines loquimur, ſed operatorio, & efficaci: vt, quia ipſe dicit, de quo ſcribitur, Ipſe dixit & facta ſunt, omninò facta eſſe, quæ dicit, vt dicit, certo certius fide perſuadeamur. Cum hæc dicendo ſophiſta vaferrimus petat more ſuo, quod eſt in principio, id ſe putat tam ſcitè atque callidè facere, vt non ſentiatur. Scimus quidem ſermones Dei partim eſſe indicátes, vt ſit in doctrina, in ſimilitudinibus, atque in parabolis, & diuerſis colloquiorũ generibus: partim verò effectores earum rerum, quæ iubentur. Quare verba iſta Chriſti debuit iſte probare, potius ad hanc, quàm ad illam formam pertinere. At diſſimulata confirmatione, ſumit ſibi, vt per ſe notum, atque manifeſtiſsimum, ſermonem hunc operatorium, quemadmodum loquitur, non indicatiuum eſſe. Quid ſi ego idem facerem, cũ idem dominus de ſe ipſe dicat, *Ego ſum vitis:* & de Iohanne, *Ipſe eſt Elias:* & clamarẽ, Sermo domini eſt operatorius: an ergo Chriſtus transſubſtantiabitur in vitem: & Iohannes in Eliam? Si reſiſtat Gardinerus, magno ſupercilio eum à me repellam, dicamque: Sermo non tantùm eſt indicatiuus, ſed etiam operatorius: facit enim ea quæ dicit: nam ſcriptum eſt, *Dixit & facta ſunt.* Quid, obſecro, hic haberet Inconſtantius, quod aduerſum me diceret? Imò hoc dicet, non ſemper Chriſti ſermonem eſſe operatorium, ſed quandoque indicatorium. Hoc quoque in propoſitione, *Hoc eſt corpus meum*, ſibi à me dictum puter. Quod vt confirmẽ, hoc adijciam: Quando ſermo Dei earum rerum quæ dicuntur, eſt effector, id ſcriptura nõ tacet. Inquit iam inde ab initio Deus, *Fiat lux.* Subiecerunt diuinæ literæ, *Et facta eſt lux.* Idemque videas de alijs, quæ in creando mundo Deus dixit. Aquam etiam in vinum: & virgam Moſis in colubrum verſam, oracula ſacra non tacuerunt. Iſti quoque mihi oſtendant in libris canonicis eiuſmodi orationes, Panis eſto, vel fiat corpus meum, & hoc factum eſſe. Manus dabo: vicerint, nec vnum vlterius verbum commutabimus: Deinde ſi velim, Chriſti ſermonem hoc loco effectorem fuiſſe, cur non dixerim, panem, quem oſtendebat, ſacramentum effectum eſſe corporis Chriſti, quod ſanè anteà non erat? Vertat itaque ſe iſte rabula quocunque libuerit: neque album in nigrum, neque lucẽ in tenebras poterit vertere.

Petit principium.

Sermo Dei aut indicãs eſt, aut operatorius.

His non quidem explicatis, ſed miro modo inuolutis, quaſi re feliciter geſta, tragica quadã exaggeratione inuehit in nos Inconſtantius: malamq; ſegetem appellat inimici hominis opera natam, qui zizania in triticũ ſparſerit. Figuratores idcirco nos dicit, quòd tropicam, & figuratam illam orationẽ eſſe, *Hoc eſt corpus meum*, cum Auguſtino, & multis alijs patribus aſſeramus: idq; quàm verè, & iuſtè, atq; ad inſtituũ ſuo loco demonſtrabo. Is verò, cùm ſibi ſtrophas, indiuiduũ vagũ, indiuiduum entis, & naturę incertę, ac prodigioſa ſophiſmata paſſim permittat: cur adeò ſtomachatur in tropicas loquutiones, à quibus neque diuinę literę, neq; patres, neque ſermo hominum quotidianus abhorret? Non eſt hoc, mihi crede, probi viri, permittere ſibi quidvis: aduerſario autem quod ęquum eſt, veriſimile, ac vſitatũ, pro libidine interdicere.

Zizania & malam ſegetem, non poteſt quiſpiam, niſi ex fructibus, dijudicare: vt dominus Apoſtolos docuit, cùm diceret, *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Noſtra doctrina ſuperſtitiones aufert, idololatriá remouet, purum vſum ſacramẽtorum docet, ligua vtitur qua populus ædificetur, ſtudioſos reddit homines verbi Dei, ab elemẽtis huius mũdi fideles Chriſti liberat. Arguat iſte, ſi poteſt, hos fructus: hęc ſi audet, reprehendat. At nos viciſsim dánare poſſumus, & quidem iure, in his iuratis Papę mancipijs, veręque Chriſti Eccleſię deſertoribus, abuſus innumeros, adeoq; craſſos, vt plurimum eorum confœderati non auſint eos negare, ſuperſtitiones tam euidentes vt palpentur, idolomaniam atrociſsimã. Ligna enim, ſaxa, picturas, panem & vinum ſine vllo pudore adorant: ſacramenta miſerè truncant, lingua peregrina vtũtur, verbo Dei populo interdicunt. Nam libros ſacros à populo non patiuntur legi: eoſq; vellẽt, ſi fieri poſſet, Cymmerijs tenebris obrui. At breui futurũ eſt, vel ego vehementer fallor, ni Deus hanc peſtem procul auertat, vt ſacra Biblia inſtar librorum Sibyllinorum, tantũ ab epiſcopis, & aliquibus doctoribus aſſeruari in penitiſsimis adytis iubeant: vnde ſi quippiam de dogmatibus in controuerſiam aliquándo veniat, illi ſoli pontifices conſulendi ſint, & quicquid reſponderint, verbũ Dei eſſe, illis incunctãter & è veſtigio credatur. Hi ſunt papiſticæ ſementis execrandi fructus. Fiat collatio inter nos ab ęquo iudice: atque tũ videbitur, vtri noſtrũ vel cum zizanijs, vel cum tritico faciant. Noſtra tempora nos, hoc eſt noſtram doctrinã, produxiſſe, ait. Sed quã iuſtè hoc dicat, illi cognoſcere poterũt, qui noſtrã doctrinã, vel cum ſacris literis, vel cũ patrum ſentẽtijs cõferre voluerint. Nihil nos inueximus noui: quę à maioribꝰ accepimus retinemꝰ. Veſtrũ eſt, quicquid prodigioſè ac falluciter eſt excogitatum.

Quomodò zizania diſcernantur à bono ſemine.

Verba illa, *Hoc eſt corpus meum, iam dicit per nos iudicium pati, non præſtare.* Quaſi non ab eo iudicium patiantur, qui ea non putet abſque vago indiuiduo, natura incerta, & quodã indiuiduo entis poſſe intelligi. Cum itaque iſte cogat ea, & quidẽ violenter, ferre ſenſum quẽ voluerit, vtrum, obſecro, per eum iudicium præſtant, an patiuntur? Hæc in eum dicta ſunto, qui videri vult omne iudicium verbo Dei detuliſſe: cum ſit alioqui erga illud violentiſsimus carnifex: Cæterum nullum Dei verbũ eſſe puto, de quo ſpiritualis homo non debeat iudicare, quo ſenſu ſit dictũ. Si tu de verbo Dei non iudicas, cur illam orationẽ, *Hoc eſt corpus meũ*, tantopere cõtendis iuxta tuã interpretationẽ, & non iuxta meã eſſe accipiẽdã? Aut ſi rixari adeò cupis, nihil plus tibi arroges, quã alijs velis concedere.

Audet præterea iactare, verba illa, *Hoc eſt corpus meum, iam inde ab incunabilis Eccleſiæ ſummum obtinuiſſe locum, in Euchariſtico ſacramento ẽ-*

ſtimando. Quo nomine illam appellationem meruerunt, vt verba conſecrationis dicerentur. Primum quare adducatur, non ſatis intelligo. Nemo enim noſtrum eſt, qui de hac oratione, aut veritate illius quicquam detractum velit. Imò in nulla noſtra Eccleſia Cœna domini abſque illis verbis habetur. Sin id eum malè vrit, quòd tropũ adhibemus in illis exponendis, iraſcatur & multis veteribus, qui figuratam illam eſſe loquutionem, minimè veriti ſunt affirmare: vt poſteà ſuo loco fuſius dicemus. Deinde à primis Eccleſię incunabulis verba illa fuiſſe ita intellecta, vt ab iſtis accipiuntur, luculentum eſt mendacium. Non enim antiquiius ij fuerunt abuſus circa Euchariſtiam, quos iſti hodie cũ ſua noua interpretatione introduxerunt. Vbi enim legimus antiquitus tot Euchariſtię aſſeruationes, & circumgeſtationes? Vbi circa illam audimus fuiſſe luminaria, cereosúe interdiu accenſos? Vbi ad illam dirigebãtur inuocationes, adorationes, ſuffitus? Certè ſuperſtitiones iſtæ vnà cum opinione tranſubſtantiationis, & realis, corporalisque præſentiæ natæ ſunt. Veteres autem cum grauitate, ac dignitate ſacramentum hoc in Cœna fidelibus diſtribuebant, ac poſteà reliquias comburebant, vt Heſychius teſtatur. Iubebant alicubi clericos, id quod ſupererat, inter ſe comedere. Mulieres domi reliquias eius quandoque apud ſe habebant, vt ex Tertulliano & Cypriano licet cognoſcere. Dabatur aliquando vel pueris panis Euchariſtiæ deferendus ad ægros, vt hiſtoria Eccleſiaſtica docet. Quæcertè non feciſſent, ſi vobiſcum Tranſubſtantiationem, & realem corporalemque præſentiã habuiſſent ſibi perſualam. Poſtremò non eſt vſq; adeò certum, omnes veteres illas quatuor ſeu quinq; voculas, pro verbis conſecrationis habuiſſe. Chryſoſtomus quidẽ tomo 3. in oratione de proditione Iudæ, hoc videtur innuere, ſed eã orationem quicquid alij ſentiant, ego Chryſoſtomi eſſe vehementer ambigo. Cæteros autem patres docere, ijs duntaxat verbis conſecrationem fieri, ego non legi, neque Inconſtantius probauit. Imò à recentioribꝰ theologis aliquando reuocatũ eſt in dubium. quæ præcipuè ſint conſecrationis verba. Quod non licuiſſet in re tam comperta & clara, quàm eam iſte vult videri. Nec defuerunt qui precibus, non certis verbis conſecrationem fieri putarĩt. Sed prudens mitto iſta ſeueriꝰ exagitare: quãdoquidem video tam impudenter omnia rapi ad calumniam, vt potius iudicio, quàm confutatione opus habeant.

Quomodo veteres erga Euchariſtiam ſe geſſerint.

Poſt hæc quaſi de ſuperiori loco, grauius quidã intonat, & ait: *Verba de quibus nunc tracto, Chriſti ſunt verba, Dei & hominis: cuius eſt magna & mirabilia tum dicere tum fecere: qui nihil vnquã dixit, fecitque, aut paſſus eſt, quod non aliquid habuerit admirationis adiunctum.* Quorſum hæc attinent? Certè nuſquam nos audiuiſtis negantes Chriſti verba & admiranda eſſe, & efficacia. Hoc & nos Gardinere, fatemur, dicimus, & docemus. At id mihi tu reſpondeto. Potéſtne admirandus eſſe Chriſti ſermo, & magnificus, licet non tranſubſtantiet, nec prodigia ea quæ vos inducitis, faciat? Profectò, idem Dominus, qui dixit, *Hoc eſt corpus meum*, dixit & diſcipulis, *Vos eſtis ſal terræ*: & de ſe ipſo, *Ego ſum oſtium*: & multa id genus, quæ miræ ſunt doctrinæ, & ædificationis vtiliſsimæ. Nihil tamẽ tranſubſtantiant, nihil mutant. Sed quemadmodum reliqua verba eius vitam æternam ſpirant.

Enumerat permulta, quæ Chriſtus mirabiliter & magnificè geſsit, cum in mundum veniſſet. Deinde, quod eſt eius acumen interrogat: *Quàm igitur nõ eſt conſentaneũ, vt poſt expletas epulas agni typici, quæ aliquid habebant exterioris apparatus, & commonefactionis, in nudam tandem deſineret & frigidam figuram? vt fruſtum panis daret in ſui memoriam, & qui in cæteris tam eſſet mirabilis, nihil hîc diceret, aut faceret ſui ſimile, quod ſuorum fidem ad eius contemplationem exitaret?* Itáne impoſtor egregie? Húcne te rapuit calumniandi libido vt nobis perpetuò impingas nudam frigidamque ſacramenti huius figuram? Nunquam nos tale quippiam vel dicere, vel ſcribere audiuiſti. Nuda vtique frigidaque figura eſſet Euchariſtia, ſi corpus & ſanguis Chriſti ijs non propinaretur ſpiritualiter, qui de menſa domini ex fide comedunt ac bibunt. Verùm cum ij tam precioſo epulo iuxta Chriſti promiſſum reficiantur, quid nobis fruſtum panis, quid nudam frigidamque figuram exprobras? Hîc tuam, Inconſtanti, appello conſcientiam. An, quia in aqua baptiſmi ſpiritus, gratia, & condonatio peccatorum, & Chriſtus ipſe, quem baptizando fideles induunt, non deliteſcunt, vnda illa non eſt, niſi aſpergo quędam aquæ, & nuda ac frigida figura? Et quia in ſcriptis Legis, Prophetarum, & noui Teſtamenti realiter non concluduntur ea, quæ in illis deſignantur, nec deliteſcit in illis ſalus, aut vita æterna, aut reſurrectio mortuorum, aut Chriſtus incarnatus, mortuus, ſepultus, excitatus, in cœlum ſublatus, verùm ſolummodò ſignificatur, an ea omnia habebis pro inani ludo, pro vacuo ſigno, pro futili vmbra? Vide, quid agas. Iſta ſi aſſerueris, diuinæ ipſæ literæ vehementer tibi reſiſtent. De lege per ſe à Deo lata Moſes inquit: *Vita & mors appoſita ſunt tibi.* Paulus verò Euangelium Dei virtutem appellat omni credenti. Si vita & mors non latitant realiter ſub verbis Moſis, neque potentia Dei realiter ſub verbis Euangelij deliteſcit, an iſta dicas frigidas, nudas, & vacuas figuras, & ſonum, quo aer verberetur, & atramentum chartas miſerè inficiens? Verum iſtis fortaſſe parcendum eſt: quoniam eis nil eſt magnum aut venerabile, niſi quo portentum Tranſubſtantiationis fulciatur. Tam vanè autem quiſpiam Euchariſtiam dixerit fruſtulum panis, atque baptiſmum vilem aquæ aſperginem. Sed bene habet: veſtra nec contemptione abiectiſsima, nec hyperbole audaciſsima, Chriſti ſacramenta, aut augentur aut minuuntur.

Arguit

Arguit nos amarè ſatis & odioſe, qui verba Chriſti non putemus res admirandas & incredibiles continere, neque ſenſum accipiamus, quem illa præ ſe ferant. Quid auguſtius poſſumus illis verbis tribuere, quàm vt nobis referant promiſsionem reconciliationis cũ Deo per Chriſtum, qui noſtra cauſa ſuum corpus in crucem dederit, ſanguinem ſuum fuderit, peccata nobis condonauerit, Eccleſiæ quæ corpus eius eſt, nos inſeruerit, & ſui ſpiritus, atque omnium bonorum ſuorum participes fecerit? Neque, ſi naturam ſacramentorum ſpectemus, ea domini verba diuerſum à noſtra interpretatione ſenſum præ ſe ferunt: neque nos ſermonem Chriſti vlla iniuria afficimus, cum illa ita exponimus, quemadmodum ſacra ſcriptura, cum agit de ſacramentis, loqui ſolet. Vos, Inconſtanti, vos illi eſtis, qui violenter & obtorto, quod aiunt, collo verba Chriſti trahitis ad prodigia & portenta, quæ ipſi finxiſtis.

Verbis his clamitat ad rauim vſque verboſus orator, dominum eſſe operatum id, quod ſignificabat. At nos regerimus literas diuinas nihil huiuſmodi referre. Oſtendat vel vnum iota de conuerſione panis & vini, ſi poteſt: tũ demum illum aliquid putabimus dixiſſe. At dum tantùm loquitur, & verba incaſſum fundit, eius terrificas exaggerationes pro laruis habebimus.

Tranſit ad 6. caput Ioannis: *vbi Chriſtum intonat magna viſum fuiſſe de carne ſua in cibum danda polliceri, & quæ hominum captum omnino ſuperent. Qui ſi in cœna niſi figuram carnis dedit, ſuos in promiſſis turbauerat, quorum expectationem in cœna fruſtraretur (vt figuratores dicũt) fruſto panis. Quis non ad illum modum dare carnem ſuam poterit? Quis rurſus durum putet eo modo manducare?* Miror tanti theologi tam obtuſum acumen, qui verborum Chriſti, quæ in ſexto Iohannis habentur, ſublimitatem, & magnificentiam percipere nõ poſsit, niſi panis & cœna domini tranſubſtantietur. Certè non magna, ſed maxima loquebatur dominus, cum carnem & ſanguinem ſuum pro nobis danda in cruce prædicaret: quæ vita noſtra, & cibus, & potus, futura eſſent, modò à nobis credendo maducarentur, & biberentur. Quod qui putarunt ore ac dentibus faciendum, vehementer à ſcopo domini aberrarunt. Quare ne ita deſiperent, néue ſua verba carnaliter intelligenda exiſtimarent, ſuæ aſcenſionis in cœlum mentionem interpoſuit: vt ſuum corpus, licet abeſſet loco, fide manducandum, non ore diſcerent. Neque ibi Chriſtus, vt ſophiſta noſter argutatur, de fruſto panis, aut de Euchariſtiæ ſymbolis eſt loquutus. Iſta enim adiecit in extrema cœna, quam cum diſcipulis fecit. Panis autem ille de quo in Iohanne ſcribitur, ipſum Chriſti corpus, aut carnem ſignificat. Neque aliud eo verbo metaphoricè docuit, quàm ipſam carnem ſuam, quando à fidelibus credendo manducaretur, fore inſtar panis, hoc eſt, verum cibum, quo illi ad æternam vitam vegetarentur. Atque ita

Chriſtus in 6. cap. Iohannis non loquitur de ſymbolis.

A fit, vt quemadmodum in Iohanne corpus vel caro dicitur panis, ita in cœna, cùm poſtremo tempore vitæ ſuæ dominus hoc ſacramentum inſtitueret, panis dicatur corpus, mutatis eiuſdem propoſitionis terminis, eademque confirmata vtrinque methaphora.

Quod verò Inconſtantius blaterat, facilè ſic eſſe cuique, ſuam dare carnem ad manducandum, vt ſolet, nugas agit. Quis enim hominum potuit ſeipſum dare in pretium mundi, B vt Chriſtus dedit? Quis morte ſuæ carnis poteſt mundo conferre vitam? Cum itaque nullius alterius caro poſsit eſſe pretium mundi, aut eſſe viuifica, nemo ſic potuit dare carnem ſuam manducandam, vt Chriſtus dedit: quæ ſcilicet fide percepta redimeret, & mortuos in peccato viuificaret.

Nemo potest carnẽ ſuam dare ad manducandum vt Chriſtus.

Contendit etiam, *non eſſe ſatis dignum Chriſto, Deo & homine, ſenſum, vt, qui carnem ſuam ſe daturum pollicitus eſſet, ſolam carnis figuram dediſſe intelligatur.* Imò fuiſſet ſenſus multò abſurdiſsimus, & Chriſto valdè indignus, ſi carnem ſuam C voluiſſet illis realiter & ſubſtantialiter dare manducandam, vt ipſi putarunt futurum, & vt vos falsò prædicatis. Ideoque ſicut illi malè intelligendo, nempè carnaliter, quæ ſpiritu dicebantur à domino, ſunt auerſati ſalutem: ita vos eundem cum illis prędicando errorem, à via veritatis populum Dei ſeducitis.

Mendacium etiam eſt, quod nobis impingitis, Chriſtum in cœna ſolam dediſſe carnis D ſuæ figuram. Non enim vnquam nos audiuiſtis id aſſerere. Dedit ſacramentum Euchariſtiæ, quod vtique, vt cætera ſacramenta, ſigno conſtat, & re ſignificata. Quare vtrunque ſimul dedit, & ſignum externum panis, & id quod eo monſtrabatur. Sed non vtrunque dedit eodem modo. Panem voluit, vt ore carnis manducarent: corpus verò ſuum in crucem tradendum, & pro ipſorum ſalute moriturum, vt fide perciperent. Quò verò vtrunque horum perficeretur, neque tranſubſtantiatione opus erat, neque vt eius caro ſub pane realiter deliteſceret. Clara verba pio candidoque animo, ſophiſtæ tam egregio, tanque vafro videntur abſtruſa ænigmata. Sed quid hic facias? Opera Dei hæc ſunt: qui ſapientiam ſapientium infatuat: vt quiduis potius videant, & intelligant, quam id quod videndum & intelligendum eſſet.

Pergamus tamen, & aranei huius telam vlterius euoluamus. Chriſtum Paulus à Moſe ita diſtinguit, vt hic miniſter fuerit typicus: Chriſtus tanquam filius adminiſtrauerit domum à ſe conditam. Hæc quid ad rhombum? An tibi fingis ita Chriſtum noui teſtamenti domum adminiſtraſſe, vt omnia propoſuerit nuda, ſine vlla parabola aut ſimilitudine, vt nulla inter Chriſtianos patiatur eſſe ſymbola? Hanc tu videris antitheſin inter Moſen, & Chriſtum conſtituere, quaſi Moſis adminiſtratio tota fuerit typica: œconomia verò Chriſti realis abſque typis: quod nemo ſapiens vnquam dederit. Habet enim & nouum Teſta-

mentum ſua ſigna, ſacramenta, & ceremonias: quamuis nunc ſit minor horum numerus, clarior ſignificatio, & obſeruatio facilior quàm olim in leg. fuit. Dabimus tamen, ſi redemptionem humani generis, & pretium pro peccatis diſſoluendum ſpectes, diſcrimen, quod tu affers eſſe veriſsimum: nempe Moſen ſolos typos & ſigna attuliſſe: Chriſtũ verò ſolum ea perfeciſſe.

Sequitur: Iam verò ſi illa, quæ Chriſtum ſibi per allegoriam de ſe dixiſſe conſtat, conſideremus, ita comperiemus, vt allegoria, quæ ſenſum verborum proprium pellit, quiddam ſubſtituat proprio ſenſu maius, & auguſtius. Itaque cum Chriſtus diceret, Ego ſum oſtium, non erat quidem oſtium materiale, quod ſenſus proprius præ ſe fert: ſed maius quiddam & diuinius, videlicet vitæ æternæ oſtium. Ita, Ego ſum vitis, inquit: non erat ſanè communis vitis: ſed vitis erat melior, & diuina vitis, cui pater agricola eſt. Adeò nihil de ſe aut ſuis myſterijs dixit vnquam Chriſtus hyperbolicôs, quod aliqua allegoria extenuaretur. Et habet ſemper parabola, quod ſit ſenſu proprio maius. Et nos in ijs vnis Chriſti verbis interpretandis, Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt ſanguis meus: tantum detrahere audebimus ex ſenſu verborum proprio, vt illo reiecto, pro viuo corpore, & rutilante ſanguine, mortuam & aridâ ſubſtituamus figuram? & Chriſti ſenſum tantò anguſtiorem verbis non merebimur profiteri, vt nouum ſuauiſsimi ſanguinis muſtum verbis commendatis, inſipidam porrigeret veteris figuræ vappam? Nam & vinum veteris teſtamẽti fuit figura ſanguinis. Retinet ſuum antiquũ: inuoluit multa: quæ ſi per tranſennam ſpectarentur, ſimpliciorib⁹ viderentur fortaſſe aliquid. Verùm explicata, & preſsius conſiderata mirè frigent.

Primum quod affert, minimè controuerſum eſt, ea quæ Chriſtus allegoricè de ſe ipſo loquitur, quiddam proprio ſenſu maius, & auguſtius referre: vt cum dicit, *Ego ſum oſtium, Ego ſum vitis.* Nõ enim iſta metaphorica de Chriſto dici queunt, quo nil maius eſt, niſi vltra proprium ſenſum amplificentur. At non ita vſu venit, quando Chriſtus non de ſe ipſo, verùm de ſuis myſterijs agit. Videamus, cum dominus dicit: Hoc eſt corpus meũ, an de ſeipſo ſit loquutus. Certè non de ſe hoc pronuntiauit, quod eſſet corpus ſuum. Non enim vel Chriſtus, vel quiuis homo eſt ſuum corpus. Dixit itaque id non de ſe ipſo, verùm de eo quod in manus acceperat. Iam ſatis patet, ſatis, inquam, patet iſta verſutia quàm ſit leuis & ridicula.

Chriſtus nõ dixit de ſe ipſo quod ſit corpus ſuũ.

Primùm inquis, vbi Chriſtus de ſe ipſo loquitur per allegoriam, metaphoricum verbum eſt amplificandum. Hoc largimur. Nam creaturæ, ſi cum Chriſto conferantur, non queunt ei æquari. Aſſumere ſtatim debebas: at cum diceret dominus, Hoc eſt corpus meum, de ſe ipſo loquebatur. Hic eſt lapſus, vel, vt rectius dicam, hæc eſt manifeſta fraus. Quod pronuntiauit dominus de ſymbolo, iſte adfert, quaſi id de ſe ipſo dixerit. Vides quemadmodum vacillet, vel cadat potius hoc argumentum. Quod enim ſic aſſumis, negamus. Quia de ſe ipſo Chriſtus non loquebatur. An dixiſſet vnquã, Ego ſum corpus meum? Non vtique dixiſſet: quia veritatis os loqui nõ poterat niſi vera. De pane dixit, Hoc eſt corpus meum, iuxta ſenſum iam ſæpius declaratum.

Verùm alterum etiam illud, quod ais, conſideremus: *Chriſtum de ſuis myſterijs nunquam quicquam loquutum eſſe hyperbolicôs, quod aliqua allegoria eſſet extenuandum.* Profectò neque id in vniuerſum eſt verum. Dixit enim Chriſtus de ſermone ſuo, quem certè negare non potes, eſſe magnum myſterium, *Verba mea ſunt ſpiritus & vita.* Figurata iſta loquutione oſtẽditur, verba Chriſti ſpiritum & vitam adferre, iſta ſignificare & proponere audientibus, & inſtrumenta eſſe, per quæ Deus in audiẽtibus ſpiritum & vitam producit. Cum itaque ſignificatio atque inſtrumenta vitæ, ac ſpiritus, dicuntur eſſe ſpiritus ipſe & vita, plus pronunciatur, quàm ſit intelligendum: & nonnihil extenuatur poſtea interpretando, quod per figuram ſimpliciter prolatum erat, *Verba mea ſunt ſpiritus & vita.* In Paulo etiam ſic loquitur dominus de Euangelio: *Potentia Dei eſt ad ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco.* Quis in his verbis tropum ſeu figuram non agnoſcat? inſtrumentum eſt diuinæ potentiæ ſanctum Euangelium: quoniam per illud vim ſuam ad ſeruandos homines Deus declarat. Significatur etiam in euangelio vis illa Dei, qua per Chriſtum homines reparat. Multò autem auguſtius illud eſt, quod verbis indicatur: Euangelium nempe ipſum eſſe Dei potentiam: idque poſtea figura nonnihil extenuatur, cũ vim illam Dei aut ſignificari Euangelio interpretamur, aut illud eius inſtrumentum eſſe dicimus, quo ad ſalutem credentes adducantur. Iſta planè declarant Chriſti verba de myſterijs amplius quiddam natiua ſignificatione verborum indicare, quàm iuſta eorum interpretatio patiatur. De Petra quoque ad Corinthios priore dicitur: *Petra erat Chriſtus:* & figurata loquutio plus in iſta propoſitione ſignificat, quàm rei veritas ferat. Nam qui rectè ſentiunt, ex illis verbis nil aliud, quàm petram Chriſtum retuliſſe, aut ſignificaſſe, accipiunt. Inde fit vt natiua ſignificatio propoſitionis extenuetur allegorica interpretatione, quæ ſola in ea ſententia poteſt locum habere. Quis præterea dixerit aquam ipſam remiſsionẽ eſſe peccatorum, cum tamen qui baptizantur, in remiſſionem peccatorum dicantur abluí? Et matrimonium, cum ſit myſterium magnum inter Chriſtum, & Eccleſiam, eſt multò minus, quàm Chriſtus, & Eccleſia: quæ nihilominus duo veriſsimè refert. Proinde in myſterijs exprimendis perpetuò videas multò plus dici in propoſitionibus, quàm interpretatio recta queat ferre.

In myſterijs crebrò plus dicitur, quã ſignifi-catur.

Notabimus itaq; metaphoram quo ad Chriſtum, cum de ipſo agitur, à rebus indignioribus transferri.

Allegoriæ de Christo, & de mysterijs eius diuersam rationem habent.

transferri. Vt, *Ego sum hostium, Ego sum vitis, Ego sum pastor, Ego sum panis.* Atque tum dabimus, figuram loquutionis amplificationem requirere. At si de rebus Christi, aut eius mysterijs loquatur scriptura, vt ea non contemnâtur, sed in honore sint, & iusta veneratione, amplissima verba solent adhiberi: quorum commoda & vera expositio debet admitti, licet ea nonnullam imminutionem aut extenuationem prima fronte videatur adferre.

Ad illud verò, quod postremò dicit, *Parabolam semper habere, quod sit proprio sensu maius:* quid aliud responderi potest, quàm non ita rem in vniuersum habere? Legimus enim, *Fœdus meum erit in carne vestra.* Vbi similitudine quadam, seu parabola fœdus pro circumcisione ponitur: quæ reuera carni tum temporis affigebatur. Cum itaque fœdus, quod significatur, circumcisioni multò præstet, quæ illud significat, constat figuram hoc loco per expositionem extenuari, atque id, quod minus est, per maius referri. Hoc idem in 12. capite Exodi legitur de pascha: Ibi enim scribitur: *Et mactate Pesah,* ושחטו תפסח: & infra, פסח הוא ליהוה, *Transitus Domini est.* Nec dubium est, pesah ibi accipi pro agno. Quî enim pesah, id est transitus, potuisset occidi? Aut quî potuit agnus esse transitus domini? Agnus itaque mactabatur: sed quia memoria transitus domini agebatur, ideò ea victima sic est dicta. Et longè minus intelligimus, quàm sit propria significatio vocis. Et in eodem capite aliquanto inferius: *Et victima est pesah domini.* In ijs locis omnes animaduertere possunt, nomen rei significatæ attribui signo: & in hoc figuræ genere plus dici, quàm significari. Vnde generaliter non est verum, figuram seu parabolam seu allegoriam semper habere, quod sit proprio sensu maius.

Inunc, Gardinere, atque imperitis huiusmodi strophas, quanta potes ambitione ostenta. Porrò quemcunque non pigebit ista legere, ille primùm te intelliget falsò affirmare, Christum de se ipso loquutum, cum diceret, Hoc est corpus meum: deinde verum non esse, quod ais, dominum, cum de suis mysterijs agit, nil vnquam ita hyperbolicῶs pronuntiare, quod aliqua sit extenuandum allegoria: & denique mendacium esse luculentum, quod addis, *Parabolam semper habere aliquid, quod sit proprio sensu maius.* Atque cum hæc falsa sint, nemo debet mirari, si falsissimam inde conclusionem Inconstantius eliciat.

At operæpretium est audire, seu potius retexere, quanta bucca ementiatur blasphemias. *Pro viuo corpore, & rutilanti sanguine* ait *nos figurã aridam substituere.* Quid, oro te, aridam figuram appellas? num panem? Atqui panis à nobis in sacramento non substituitur. Christus illum accepit, illumque suum corpus dixit: vt diuinæ literæ docent, & complures ex tuis vel potius nostris patribus testantur. Si panis Eucharisticus sit sterilis & frigida figura, cum ille à Christo sit destinatus ad hoc sacramentum, iam non in nos, verum in Christum, qui est Deus benedictus in secula, blasphemia tua redundat. Sterilem dicis tu, & quidem impiè, hanc figuram, cum ea sit optimorum fructuum fœcundissima. Nam vnà cum illa fideles corpus Christi spiritu, ac mente credendo manducant: atque inde fiunt Deo, & seruatori magis magisque coniuncti: gratijs & donis cœlestibus ditantur: fitque illorum salus indies plenior & opulentior. Tibi hæc sterilia sunt: pijs verò grauida cœlestibus & incomparabilibꝰ diuitijs. Pari quoque ratione dicas mortuam & aridam sanctam scripturam, & sterile Christi Euangelium: quòd corporaliter ac realiter in se non claudant ea quæ significant. Nos interea ista scripta, libros vitæ appellabimus, verba salutis, & spiritus sancti lectissima organa. Sed vobis nil est fœcundum, quod portentis, & transubstantiationibus non tumeat. Quis tandem mortuum dixerit, quod fungatur suo munere? Dum itaque vsui piorum in Ecclesia panis Eucharisticus inseruit, & instrumentum illis est, quo Christo salutariter iungantur, id efficit, ad quod est à Christo destinatus, neq; vllo iure mortuus dici potest. At præstigiatoribus nostris nihil est in Eucharistia viuum, quod prodigiosa metamorphosi non sit deformatum.

Tamen cauillatur nos esse, qui de proprio sensu verborum domini tam multum detraxerimus. Mera hæc est calumnia: siquidem in tanto honore sacras literas habemus, vt nihil præ illis in terris veneremur. Quòd si τροπικὴν hanc sententiam interpretamur, id nostro ausu minimè facimus: Christus ita nos docuit, cum diceret, *Caro non prodest quicquam: spiritus est, qui viuificat.* Verba domini haud more Capernaitarum carnaliter intelligimus: verùm, vt ipse vult, ea ad spiritualẽ manducationem traducimus: quæ tam præstans est, quàm carnalis est abiecta. Nihil autem nostra expositio corpore Christi fingit indignum. Longè quippe magis illi conuenit per panem mysticè significari, quàm quod vos fingitis, per innumera loca diffundi: illiusque præclarissimam vim excellentius, quam vos prædicamus: cum illud eadem præstare absens dicimus, quæ vos illud nisi præsens facere non posse opinamini. Nullus namque fructus recenseri potest à vobis sacræ communionis, quem spiritualis nostra mãducatio non comprehendat. Quamobrem, vt hoc quoque obiter dicam, incassum laborabas anteà, cum verba domini de mysterijs contenderes non sic esse hyperbolica, vt allegoriã extenuanda sint. Etenim licet hoc verissimis instãtijs ostenderim non esse verum, attamen nego à nobis re ipsa mysterium Eucharistiæ imminui: cum potius à nobis amplificetur. Siquidem longè præstãtius est ac sublimius, corpus Christi comedere spiritualiter, quã carnaliter. Iste autem constantissimus nugator id esse putat de verbis domini detrahere, si illa commodo, pio, vero, ac legitimo sensu intelligantur.

Nos nihil indignum corpore Christi fingimus.

Maiꝰ quidam est comedere Christum spiritualiter quã carnaliter.

Sed quid hæc pluribus explico.

Ad horribilem eius blasphemiam tandem veniendum est, qua scribit, *Veteres figuras insipidam fuisse vappam.* Siccine quæso decet sacramentis à Deo Optimo Maximo institutis insultare? Si vappa erant illa mysteria legis antiquæ, cur à sanctis viris tanti fiebant? Cur Deus illa tanta diligentia, & cautione tractari mandauit? An hominibus illusit? An populum suum decepit, iussitq; vt pro sanctissimis, & sapientissimis ritibus ceremonijsq; diligenter obseruaret ea, quæ re vera nihil essent nisi corruptio, &, vt iste audet appellare vappa? Quæso, Paule, nobis adsis: obiecro te, feras opem contra tam impudentem audaciam. Sacramenta veterum collata cum ijs nostris, dic, oro, qui conueniant. Respondet ille scribens ad Corinthios priore, capite decimo: *Nolim vos ignorare fratres, quòd patres nostri omnes sub nube erant, & omnes mare transierunt, & omnes per Mosen baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducarunt, & omnes eundem potum spiritualem biberũt.* Néue dubites, cuiusmodi ille fuerit spiritualis cibus, aut potus, fingasq; illum à nostro longè fuisse diuersũ addit: *Bibebant autem de spirituali sequente eos petra: Petra autem erat Christus.* Quare si Christum bibebant, & manducabãt in illis figuris, an illæ ab isto dici debuerunt vappæ? Si nos, quæ tua est arrogantia, contemnis, at Paulum audito: ille te arguat: ille tuam cohibeat audaciam.

Blasphemia est figuras veterũ sacramẽtorum dicere vappas.

Neque mihi dixeris, Paulum scribere, Iudæos habuisse spiritualem cibum, & potum eundem inter se, non autem eundem cum nostro cibo, & potu spirituali. Quia ibi Apostolus nõ confert Iudæos inter sese, sed nobiscum. Ideò baptismi facit mentionem, vt intelligas eos vnà nobiscum baptizatos, quantum ad rem spiritualem perceptam attinet. Deinde duorum tantùm sacramentorum meminit: baptismi, & almoniæ: cùm tamen Hebræi alia innumera sacramenta in lege habuerint. Sed hoc ideò fecit, quia nos ista duo sacramenta ex tam multis à domino accepimus. Illos ergo nobiscum, nõ inter sese comparat. Deinde si vmbram illi tantummodò habuerunt, cuius nam rei, obsecro, illa erat vmbra? Quandoquidem vmbra semper ad rem solidam, & corpus, cuius vmbra sit, refertur. Nulla profectò alia res hîc assignari potest, nisi Christus. Nam is vt finis legis erat, ita omnes ritus & ceremoniæ in illum referebãtur. Atque illos veteres Christum nõ habuisse, qui affirmant, spiritui sancto, qui loquebatur in Paulo, quam manifestissimè resistunt. Is enim ait, eos manducasse cibum spiritualem, & spiritualem potum bibisse. Deinde Christũ ipsum ab illis perceptum nominatim affirmat. Impiũ est itaque, figuras appellare vappas, quæ tantã rem, Christum, inquam, spiritualiter propinabant. Isti tamen ita sunt obfirmati, vt veritatem in animum non facilè admittant, & credant, patres eandem escam nobiscum, eundemq; potum spiritualem sumpsisse.

Patres eandem escam nobiscum spiritualiter comederunt.

Audiant itaque saltem Augustinum, si nos non audiunt: qui nõ aliter atq; nos verba Pauli exposuit. Is enim super Iohannem Tractatu 26. ait: *Sacramenta illa fuerũt: in signis diuersa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi: Nolo vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Mosen baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerũt: spiritualem vtique eandem: nam corporalem alteram. Quia illi manna, nos aliud: spiritualem verò eandem, quam nos.* Hæc satis superq; indicant, quid nam patres in illis vel sub illis signis spiritualiter perceperint. Quare vappæ non debuerunt appellari, cùm pro suo tempore tam insigne ac splendidũ ministeriũ habuerint. Sed non est locus de ijs rebus fusius agendi. Solùm hoc addam, nõ esse mirum, cum apud veteres panis & vinum in sacris nostrum redemptorem Christum Iesum retulerint, si dominus voluerit hæc eadem pro sacramentis, Euangelij tempore, retineri. Quia ille non venit, quasi hostis patris ad omnia delenda, quæ in veteri testamento instituta erant, sed ad perficiendam Ecclesiam: quæ per illum cum perfectior euaserit, non tanta pædagogia, neque tam prolixo rituum apparatu opus habuit. Ideò ex tam multis veterum sacramentis admodum pauca retinuit, eaque vbique obuia: nimirum aquam pro baptismo, panem & vinũ ad Eucharistiam. Atque ita nostra mysteria pauciora esse voluit, faciliora obseruatu, magis perspicua, & efficaciora. Non tamen ideò, quia veteribus præstant ijs conditionibus, idcircò illa sunt blasphemanda: neque, vt Inconstantius ausus est dicere, vappæ appellari debent.

Augustinus.

Panis & vinum etiã apud veteres erant symbola Christi.

Quid igitur, dixerit Gardinerus, panis & vinum, cum in vetere Testamento Christum referebant, à symbolis Eucharistiæ nostræ differebant? Permultum. Quod enim tum, vt expectandum significabatur, nunc vt præstitum propinatur. Tunc pretium salutis, at nondum solutũ ostendebatur: nunc verò vt datum & effusum apprehenditur. Quod ne tanquam à me dictum, contemnat, legat Augustinum contra Faustum libro 20. capite 21. vbi sic ait: *Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur.* Idemque de Doctrina Christiana, libro 3. capite 9. alia discrimina recensuit, quæ à me paulò antè de paucitate, facilitate, atque alijs huiusmodi conditionibus enumerabantur. Verùm de his alibi occasio dabitur, vt pluribus agam.

Panis & vinum aliter nunc, aliter apud veteres figuræ Christi fuerũt.

Augustinus.

Nunc verò expedit, vt quæ subduntur audiamus. *An fallere conuiuas in illa mensa voluit,* inquit Inconstantius, *dum splendidioribus verbis ornaret epulas, quàm re ipsa subsisterent? quando inter homines, qui paulò modestiores conuiuatores sunt, soleant vrbanè suas epulas extenuare verbis: non, quod isti modestiæ Christi tribuunt, supra verum tollere, & magnifacere.* Ponit iam hic noster seuerioris disputationis rigorem, & se recipit ad ciuilem conuiuantium

uiuantium modestiam: vt quòd axiomatis theologicis minus processerit, saltem festiua conuiuantium modestia obtineatur. Ad id autem, quod percunctatur, an Christus voluerit suos conuiuas in mensa fallere, qui splendidioribus verbis epulas ornarit, quàm re ipsa susbisterēt, non est difficile respondere: hoc, in mysterijs præsertim, vsitatissimum esse, vt signa nominibus rerum significatarum ornentur. Nonne enim scriptura Circuncisionem fœdus domini appellat? & agnum Pesah? An ijs scripturarum testimonijs voluit dominus populum suum fallere? Et Paulus, quando ait, Petram esse, vel fuisse Christum, Corinthios decipiebat? Non opinor.

Non itaque nos falsi, aut deceptionis arguì rectè possumus, qui mysteriorum vsitatam phrasim conseruauimus. Vos autem è diuerso, qui vestra transubstantiatione, quam in literis diuinis neq; pietatem, neque scriptā legitis Ecclesię misere illuditis, optimo à nobis iure condemnamini. Atque signa nominibus rerum, quæ referuntur, infigniri, non modò scriptura docuit, vt iam ostendi, sed etiam Augustinus disertis verbis, non solùm in epistola ad Bonifacium, verùm etiam in Quæstionibus super leuiticum, quæstione quinquagesimaseptima, vbi sic ait *Solet autem res, quæ significat, eius rei quam significat, nomine nuncupari. Sicut scriptum est, Septem spicæ septem anni sunt: non ait, septem annos significant. Et septem boues septem anni sunt. Hinc est, quod dictum est, Petra erat Christus. Non enim dixit, Petra significat Christum: sed tanquam hoc esset, quod vtique per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Sic & sanguis, quoniam per vitalem quandam corpulentiam animam significat, in sacramentis anima dictus est.* Non itaque falsi vlla suspicio ibi est, vbi perspicuus & vsitatus loquendi modus adhibetur. Neque Christi simplicitati, aut integritati, aut veritati conuenit, vt, sicut homines faciunt in conuiuio, sua modestè extenuet atque abijciat. Sed Inconstantius firmis argumentis destitutus, ad hæc friuola & inania tandem se recipit, ne dicam impia. Qui enim rem, quam dat, extenuat, mentitur: vt ciuiles isti conuiuatores, qualem Gardinerum in aula esse frequenter non dubito, luculenter mentiuntur, dum conuiuium, quod ipsi lautum, opiparum, ac sumptuosè structum esse non dubitant, verbis deijciunt, ac tenue fuisse prædicant, excusantq́ue multa defuisse, & pollicentur se alias meliori tempore sarcturos, quod nunc sit omissum. Non est pij animi, non est, mihi crede, talia Christo affingere. Quamobrem cùm diceret, Hoc est corpus meum: neque amplificauit, neque extenuauit quicquam ad fallendum conuiuas. Verùm vt fidelissimus pietatis & æternæ vitæ doctor, mysterij, quod instituebat, declarationem attulit, explicando quidnam panis & vinum in hoc sacramento significarent, quid referrent, quidue credentes illis piè vtendo animo fideq́ue perciperent. Quemadmodum in Veteri lege, Deus, cùm Circuncisionem appellaret fœdus, quid ea significaretur, demonstrauit.

Christus docendo, Hoc est corpus meum, nō est mentitus.

Argutatur adhuc & ex capite sexto. Iohannis, Christum, ait, de carne sua docuisse, illam esse verè cibum, pollicitumq́ue illum se cibum daturum, cùm diceret: Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Ex ista promissione conatur elicere, id, quod promissum erat, aliquando tandem verè fuisse præstitum, atque illam impletionem promissionis refert ad Eucharistiam. Nos verò primum hoc statuendum affirmamus, Iohannis capite sexto ideò dominum adductum fuisse, vt de pane, vnde cibus, & animæ vita deriuetur, sermonem faceret, quòd turba Iudæorum, quæ ad illum venerat, id potissimùm expeteret, vt pane ab illo pasceretur. Ad quod faciundum prouocabant illum exemplo Mosis, qui manna in deserto Israelitis dederat. Christus propterea eos reuocare studuit sua doctrina à cibo corporis ad animæ alimoniam, vt intelligerent se panem illum viuum esse, qui de cœlis descendisset: & ob id oportere, vt, qui vitam vellent animæ, & æternam salutē adipisci, se manducarēt. Et ne vita, quam pollicebatur se manducantibus, existimaretur solius esse naturæ diuinæ, quæ hominibus abstrusa esset, & inuisibilis, declarat vitam illam æternam, quæ à fonte diuinitatis emanat, nobis posse communicari per carnem suam, quæ in mortem nostra causa tradenda erat. Sic enim diuinam naturam ipsius carni se communicasse, vt per illam ad nos transfunderetur: neque aliter nos talem viuificum cibum posse consequi, nisi fide carnem eius manducemus. Dixerat itaque prius, *Ego sum panis viuus.* Deinde qua parte, vt panis, communicet nobis vitam, ostendit, nimirum per carnem. Nam illa moriendo pretium pro nobis dissoluit: & nos sacrificio illius Deo sumus reconciliati: & per vim oblationis eius, peccata nobis remittuntur: & nos iustitiæ filij Dei participes efficimur. Hæc itaque iure meritoque panis, & cibus perhibentur, quo pascamur, & alamur ad æternam vitam. Istud porrò est, quod ibi Christus nobis promisit.

Quare Christus Iohannis 6. suæ carnis māducā dæ mentionē fecerit.

Promissa in ca. 6. Iohannis quā do præstita.

Quòd si quæsieris, quando tandem præstiterit dominus hoc promissum: respondeo, quando illam in crucem dedit: & rursus quotidiè, quando illam prædicatione sancti Euangelij, & suggestione spiritus interiori offert per fidem manducandam: & expressè, quando in cœna domini symbolis accōmodatis ad hoc, vino, inquam, & pane consignatur, & credēda, menteq́ue religiosè comedenda proponitur. Quid, obsecro, in hac doctrina salebrarum? quid scrupuli, aut nodi est quod verè fideles absterreat? Huius carnis Christi sic datæ pro mundi vita & nobis oblatæ ad manducandum

per fidem, in veteri testamento per multa symbola & figuras antecessisse fateor: nempe manna, & annonam panis ac vini, quam Melchisedech Abrahamo, & exercitui eius à prælio redeunti distribuit, panes propositionis, agnum paschalem, & varias legis oblationes.

At nunc operæpretium est, audire, quid Gardinerus hinc eliciat. *De effectu autem cœnæ, quod est extremum vltimum, Paulus dicit, quod calix benedictionis, cui benedicimus, communicatio sanguinis Christi est: & panis, quem frangimus, communicatio corporis Christi est.* Commemorauit carnis Christi dandæ figuras ex veteri testamento: promissum ex sexto capite Iohannis adduxit: nunc ad exhibitionem rei promissæ descendit, atque hoc appellat extremum vltimum, vt est elegans & disertus: quasi aliquod sit vltimum, quod non sit extremum. Sed hoc non magni referret, si de re saltem benè iudicaret. Quod caro Christi sit vitalis cibus, inter nos conuenit. Sed nos eam animo ac fide percipi affirmamus: ille ore ac dentibus corporis assumi contendit. Nos in regeneratione credentes, quando Christo inseruntur per fidem, huius cibi fieri participes docemus: & istam communionem in cœna domini consignari symbolis, & efficaciter significari, & testatam fieri, & quia ibi fides excitatur, suum augmentum, suosque fructus habere, asserimus. At iste videtur istã perceptionem communionis carnis Christi in eo solùm ponere, vt transubstantiatorum elementorum species, vt ipse prodigiose fingit, à communicantibus ore ac palato sumantur.

At fortasse, quæ opinatur, firmamentis astruit inuictis. Nihil minus. *Calix benedictionis*, inquit, *cui benedicimus, communicatio sanguinis Christi est: & panis quem frangimus, communicatio corporis Christi est.* Quid ista commemorare oportuit? An communionem arcanam Christi nobiscum inficiamur? Certè illam quàm maximè affirmamus. At isti, vt sunt crassi, & rerum spiritualium inopes, eam communionem solam respiciunt, qua corporaliter corpus Christi deuoretur. Nos verò à Christianis manducari ac bibi carnem Christi atque sanguinem scimus: sed animo, & per fidem. Nam teste Paulo, cibus iste, quem etiam patres nostri habuerunt nobiscum communem, est spiritualis. Quare spiritu tantùm accipitur. Experientia hoc satis docet. Vt res visibilis visu solo excipitur, audibilis auditu, tactilis tactu, ita si iustam conseruemus analogiam, spiritualis cibus spiritu solo sumitur. Et hac spirituali alimonia, quamuis, dum credimus, perpetuò vescimur, in cœna tamen sacra, quia nobis non tãtùm verbis, sed etiam symbolis externis proponitur manducanda, hoc est credenda, ibi eã edi, & bibi fatemur: & coniunctionem nostrã cum Christo, quia hoc modo augeri scimus, ideò sacrum istud mysterium frequentandum prædicamus.

Nostram communionem cum Christo nõ negamus.

Corpus Christi à nobis per fidem, & spiritu sumitur.

Quomodo verè calix aut panis dicatur à Paulo communicatio corporis & sangauinis do

A mini, quiuis potest intelligere: nempe quòd illa communio symbolis ijs proponatur, significetur, & quodammodo sigillis appensis obsignetur: neque solùm verborum, verùm etiam rerum externarum testimonio confirmetur. Videmus igitur Gardinerum ex tanto verborum apparatu, non quod volebat, sed ceu ex ouo subuentaneo, flatum solùm exclusisse.

At fortasse felicior erit in verbis epistolæ ad Ephesios tractandis. *Paulus ad Ephesios*, inquit, B *huius cœnæ effectum notans, vt Irenæus sentit, tam esse nos dicit de carne Christi, quàm fuit Eua de latere Adæ. & ad Colossenses, quod Chrysostomus notat, gentes factas Christo concorporeas. Nam & id fieri communione carnis Christi dicit* Quod modò scribit, nos ita esse ex carnibus Christi, vt Eua fuit ex carne Adami, non ita simpliciter, vt dicitur, admittendum est. Os enim translatum est ex Adamo, & caro item, vnde facta est Eua. Quis autem dixerit, substantiam carnis nostræ trãs- C latam, seu detractam è corpore Christi? Corpulentiam quippe carnis & ossium prius habuimus ex vtero matris quàm Christo essemus insiti. Eua autem priusquam ex Adamo sumeretur, nullam substantiam per se ipsam carnis habuit. At fortasse dixerit Inconstantius, hoc quidem verũ esse. Nihilominus carnem Christi postea commisceri substantiæ carnis nostræ, quando in mensa domini sanctam Eucharistiam sumimus: atque inde sequi, nos non minus D habere in carne nostra de substantia carnis Christi, quàm Eua in suo corpore habuerit, de ossibus, & de carnibus Adami. Scio illos ita opinari: sed quàm hallucinentur, ac turpiter errent, confido me palàm facturum.

An ita nos ex Christo simus vt Eua ex Adamo.

Caro Christi à natura diuina seiungi non potest.

Si nostræ carni re ipsa substantia carnis Christi misceretur, nostra vtique caro cum filio Dei haberet eandem hypostasin, pro ea saltem portione, qua sibi admixtam haberet carnem Christi. E Non enim caro Christi à natura diuina seiungi vllo modo potest, quin in eadem cum illa sit hypostasi. Proinde non iam adoptione, sed natura essemus filij Dei: & cuique licerer fratrem suum, vt Christum, adorare, si re ipsa carnem illius in se ipso haberet. Deinde cum tota caro nostra moriatur, cum animus à corpore seiungitur, corpus Christi, nempe quoad istas portiones, rursus vnà nobiscum moreretur, cum tamen de Christo dicatur ad Romanos: *Quòd autem mortuus est, mortuus est semel,* F *mors illi vltra non dominatur.* Videant hinc Hyperbolici & audaces doctores, in quos laqueos sese induant. Has, obsecro, pedicas exuant, si possunt.

Deinde mihi considerent, si carnem Christi realiter statuant nostræ admisceri, & alere nos per communionem Eucharistiæ, atque ita nos membra Christi fieri, quid responsuri sint de infantibus, qui non adhuc Eucharistiam perceperunt? An habent illi communionem G Christi? An sunt eius membra? An panem viuum comederunt, qui eos ad vitam æternam adducat? Quid respondebunt de Abrahamo,

Isaaco,

Isaaco, & antiquis prophetis? An dicent eos fuisse ab Ecclesia alienos? Videant quid agant. Si eos ab Ecclesia separent, excludunt etiam eos à salute. Nemo enim extra Ecclesiam, quæ corpus Christi est, potest habere salutem. Si verò in Ecclesia illos quoq; comprehendant, erunt, vt dicit Paulus, non tantũ membra corporis eius, sed etiam carnes ex carnibus eius, & ossa ex ossibus eius. Et Hieronymus in epistolam ad Galatas cap. 4. de veteribus ita scribit: *Verè in Christo vnus panis sumus, & duo consensimus super terram, & quomodo nos super prophetas fundati sumus, ita patriarchæ in Apostolorum fundamine constiterunt. Apostolus ergo etiam veteres vnum panem dicit nobiscum fuisse, quemadmodum Paulus in Eucharistiæ communione nos esse facit.* Quî verò id fieri potuit, vt illi re ipsa, & substantiam carnis Christi, quæ nondum nata erat, in se ipsis habuerint? Quò se vertent isti? Quid sunt dicturi? Ipsi viderint. In istos nodos conijcit eos crassum illorum, & audax commentum.

Locus epistolæ ad Ephesios.

Verba autem epistolæ ad Ephesios longè alium habent, quàm isti suspicantur, sensum. Nil sanè aliud ibi Paulus voluit, nisi Ecclesiæ cœtus omnium fidelium, quocunque tempore illi fuerint, siue sub lege, siue domino adhuc in terris agente, siue hac nostra ætate, Christum esse caput: quare vbicunque demum sint homines pij, in Italia, in Germania, in Gallia, in Anglia, in Hispania, modò credant in Christum, ab illo pendent, ab illo mouentur, ab illo viuificantur: suntque illius corpus ita compactum, & coagmentatũ, vt per commissuras subministrationis alimoniam & augmentum iuxta mẽsuram congruam partium recipiant. Vnde possunt dici carnes ex carnibus Christi, & ossa ex ossibus Christi: non quòd ex istis constent, quasi ex materia, sed quòd donum sustentationis & donum vitæ non percipiant à natura diuina, nisi ea fluant, & deferantur ad illos per carnem Christi, & ossa eius, quæ nostra causa data sunt in crucem & mortem. Sic, inquam, dicimur pendere ex carne & ossibus Christi: nec solum quoad nostrum animum, verùm etiam quoad carnes, corpus, & esse: quoniam & ista non capacia fiunt beatæ resurrectionis, & æternæ vitæ, neque instaurantur ad seruiendum spiritui, quandiu hîc agimus, nisi per gratiam, & vim, quæ à diuinitate Christi, per eius carnem, sanguinem, ossa, & corpus ad nos deriuantur.

Fiunt autem carnes nostræ carnes Christi, dum in eum credimus, & mortem illius in pretium pro nobis persolutam fide comprehendimus. Ad id autem non exigitur physicus aliquis contactus, aut localis continuitas seu contiguitas. In corpore vtique nostro carnes & ossa pedis dicuntur esse ex carnibus & ossibus capitis: non quòd carnibus capitis, & eius ossibus sint commixta, aut illa physicè tangant, aut sint cum illis eodem loco: sed quòd natura communicent, & multis proprietatibus, quodque à capite regantur, ac moueantur, indeque influxus per neruos & alias commissuras recipiant. Ita nostræ carnes, postquam sumus regenerati, iam sunt eiusdem naturæ cum carnibus Christi, earundem proprietatum, & ab eo vera vita donantur, & motu, & gratia, & spiritu. Neque carnes nostræ sunt ex carnibus Christi, nisi quatenus regeneratæ: vim enim qua renascimur, a Deo per Christi carnem habemus, vt pro nobis in pretium & mortem data fuit.

Eant isti modò, & iactent, ad istam coniunctionem, siue arcanam communionem exigi realem corporalemq; præsentiam carnis Christi in Eucharistia, quæ nostræ substantialiter misceatur. Hoc si aliquando patres dixerunt, hyperbola sunt vsi, quam nisi sano, dextroque intellectu temperemus, in absurda, & inexplicabilia permulta incidemus. Paulum verò sic sensisse, vel id potest confirmare, quoniam ibi agit de coniunctione maritorum cum vxoribus. *Debent*, inquit, *viri vxores suas diligere, vt corpora sua. Qui enim diligit vxorem, se ipsum diligit. Carnem suam nemo odio habuit: sed eam fouet ac nutrit.* Dicat mihi vnicus iste theologus, quomodo caro mariti quoad substantiam misceatur cũ carne vxoris. Certè distinctæ sunt numero illorum carnes: & vterque illorum suas habet. Conueniunt tamen natura, proprietate, affectu, & alijs modis. Verum quòd ossa vnius ex ossibus alterius, & carnes vnius ex carnibus alterius tanquam ex materia constent, nullus sanæ mentis dicere ausit.

In ijs explicandis fateor me aliquanto fuisse prolixiorem. Sed volui rem semel euoluere, vt cum posthac huius eiusdem rei mentio fiet, habeat lector quò se recipiat. Ex illis enim, quæ iam dixi cognoscet, quomodò carnes dicamur ex carnibus Christi, & concorporei dicamur illi facti. Sic etiam intelligendo, ista non modò ad nos, verùm etiam ad patres veteris testamenti accommodari poterunt.

Sed iam tempus est, vt audiamus, quid concludat. *Cum hæc*, inquit, *tam claram de Christi carne in cibum data mentionem faciant, exigunt illa profectò, vt verba Christi in cœna, quibus se suæ pollicitationi satisfacere ostendit, etiam de vera carne dicta intelligantur, cum diceret, Hoc est corpus meum. Nã promittere carnem, & dare figuram, non est promissa præstare.* Non est simpliciter dandum, quod iste sibi assumit, Christum in cœna tantum suæ pollicitationi satis fecisse. Quia carnem suam dedit, vt promiserat, etiam quando se passus est crucifigi: eamque manducandam offert, quoties prædicatione proponitur, aut spiritu excitamur ad illam fide apprehendendam, tanquam nostræ salutis pretium. Quod quia in cœna etiam fit, dum nobis non tantùm verbis, sed etiam symbolis externis caro eius pro nobis oblata inculcatur, ideò ibi quoque fatemur, promissum præstari, nempe Christum carnem suam dare nobis manducandam. Sed non ita, vt ibi solùm hoc fiat, & non etiam alibi præstetur.

Christus non solum in Eucharistia dat suã carnem mãducandam.

Verba

Verum corpus Christi fide manducamus, non fictitium.

In cœna vtrunque datur, & res & figura, sed non eodem modo.

Verba verò Christi de vera carne intelligenda esse, non repugnamus. Quis enim nostrũ dicit, fictam aut commentitiã carnem fide apprehendi, & manducari? Certè fides vera, in falsa non potest ferri. Damus itaq;, ac libentissimè dam⁹ non fictã, sed verã carnẽ per fidẽ, hoc est, spiritualiter mãducari. Quod verò subdit, promittere carnẽ, & dare figuram, nõ est promissa præstare: in quos dicat, ipse viderit. Certè in nos ista minimè quadrant, qui vtrumque pijs atque credentibus dari affirmamus in cœna, rem inquam, & figuram. Figura quidem manu datur, & ore corporis accipitur: res autem, id est, vera Christi caro verbis domini offertur, & ore animi per fidem sumitur: & illam nos spiritualiter manducamus, dum verè ipsam pro nobis datam in crucem credimus. At iste sum mus theologus, si Deo placet, ad eum scopulũ semper impingit: quia carnem Christi manducandam non putat aliter posse dari, nisi re ipsa, & quoad substantiam sub accidentibus conclusa, in os corporis communicantium manu suorum sacrificulorum conijciatur. Istæ sunt eius tenebræ, quas à se depellere, vel non vult, vel non potest: cum tamen res adeò clara sit, vt docti omnes vehementer mirari debeant, quomodò iste se in meridie palpare non sentiat. Quia tamen in alijs rebus non est lusciosus, ideò illum potius animi peruicacia, quàm ignoratione in re tam euidenti peccare credo.

Christus itaque nihil promisit, quod non præstiterit: isque vti iam dixi, in cœna quoque dat veram carnem suam manducandam communicantibus: quam etiam alibi eis offert, sed absque symbolis. Quòd si dum habetur cœna, panis & vini signa, vt ipse instituit, adduntur, non propterea de promisso quicquam imminuitur: imò plusculũ præstatur, quàm sit promissum. Non enim in sexto capite Iohannis pollicitus erat dominus panis & vini symbola, sed tantùm carnem suam manducandam, & sanguinem bibendum. Quare posteà cum cœnam sub finem vitæ instituit, non solùm quod promiserat dedit, sed vt magis excitaremur, præter verba, visibilibus etiam signis rem eam, quam dabat, obsignauit.

Sed iste, quasi non satis in ijs, quæ iam attulit, desipuerit, pergit & se magis crassum, magisq; ridendũ orbi propinat. *Tum autem figura*, inquit, *non communicat substantiam carnis: quam tamen in cœna communicatam, alterum extremorum in effectu demonstrat. Et Cyprianus dicit, ab effectu in hoc sacramento causam æstimandam.* Quid hoc aliud est, quàm meras loqui tenebras, & secum pugnare? An est absurdum, panem & vinum, dum cœna celebratur, substantiam Christi nõ communicare? Imò si communicarent eam, absurdum esset. Dei bonitas, Christi veritas, & spiritus sancti efficacia est, quæ substantiam carnis Christi animo per fidem ac spiritualiter manducandam communicat: quamuis interim vtatur ministerio, & instrumento panis & vini, quæ sunt figuræ corporis & sanguinis Christi. Sed vos, quæso te, quî dicere potestis, figuram non communicare substantiam carnis, qui panis & vini accidentia, signa, typos, & figuras esse conceditis: per quæ nihilominus clamatis vsque ad rauim, substantiam ipsam realiter, & corporaliter, & naturaliter ori corporis communicari? Figura ergo vestra sententia substantiã carnis communicat. Sed is vester est, mos vsitatissimus, eadem affirmare, atque vt lubet, vicissim eadem negare. Et quod maioris est peruersitatis, communionem aliam non agnoscitis, quàm carnis & sanguinis domini cum carnibus, sanguine, ac ossibus nostris realem corpulentamque mixtionem. Valetis, fateor, numero, potentia, & opibus. Verùm quia ista non perpetuò durant, & veritas æternum manet, de vobis aliquando posteritas nasuta iudicabit, vt meremini.

Locus Cypriani.

Pro se Inconstantius Cyprianum in sermone de Chrismate in hæc verba citat: *Ab effectu in hoc sacramento causam æstimandam esse.* Locum, quæso, lector, apud authorem expendito. Non dubito, quin dicturus sis, pro nostra sententia confirmanda nihil potuisse vel efficacius, vel appositius inueniri. Multa iste sancti Martyris verba concidit, vt nihil ex ijs, quemadmodum adducuntur, queat intelligi. Sic eius testimonium habet: *Dedit itaque dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuium, proprijs manibus panem & vinum.* Audis Gardinere, dominum dedisse Apostolis panem & vinum? Vbi vestra est apud Cyprianum transsubstantiatio? *In cruce verò*, inquit, *manibus militum corpus tradidit vulnerandum: vt in Apostolis secretius impressa syncera veritas, & vera synceritas exponeret gentibus, quomodo vinum & panis caro esset & sanguis, & quibus rationibus causæ effectibus conuenirent: & diuersa nomina, vel species ad vnam reducerentur essentiam: & significantia & significata ijsdem vocabulis censerentur.* Oegregium oratorem, & cautum iurisperitum: qui, dum pro se dicit, id afferat, quod maximè contra se faciat. Dicit Cyprianus Christum tradidisse corpus suum manibus militum in cruce vulnerandum: Apostolis verò in mensa dedisse panem & vinum. In quem, obsecro, finem? *Vt in Apostolis secretius impressa syncera veritas, & vera synceritas exponeret gentibus, quomodo panis & vinum, esset corpus & sanguis.* Quid in Apostolis comedentibus cum domino in mensa gentes videre aut dicere possunt, nisi eos re ipsa, & corporaliter non manducasse corpus domini? Integrum enim ibi cernebant: non ille se in panem coniecerat, aut in calicem. Cum omnibus membris dominus vnà discumbebat, & mystica symbola ministrabat. Discipuli cum comederent, non infigebant dentes in carnes domini, cui assidebant, sed in panem, qui porrigebatur. Erant ergo panis & vinum, corpus & sanguis Christi, sed mysticè: quia illa significabant, & nomen idcirco significatarum rerum participabant: atque sub hac ratione mystica, quę alioqui panis & vinũ naturaliter erãt, ad essentiã carnis & sanguinis domini referebãtur, analogia minimè noua, sed frequẽtissimè in sa-

in ſacramentis vſitata: nimirum vt ſigna nominibus rerum ſignificatarum appellentur.

Clamabit Inconſtantius, nos iſta fingere. Audiat ſuum, imò meum Cyprianum, quem ipſe adduxit: *Et quibus*, inquit, *rationibus effectibus cauſæ conuenirent*. Cauſa, cur panis & vinum à domino myſticè diſcipulis darentur, fuit carnis illius in cruce vulneratio, & mactatio, & ſanguinis pro nobis effuſio. Effectum nunc videamus, quomodo iſti cauſæ conueniat. Vt panis & vinum alimenta ſunt corporis: ita caro illa & ſanguis, quæ pro nobis fuerunt ſanctũ & acceptum ſacrificium, animum, dum fide cõprehenduntur, paſcunt, & viuificant ad æternam vitam. Ita cauſa cũ effectu conuenit. Sed pergamus: *Et diuerſa*, inquit, *nomina, vel ſpecies ad vnam reducerentur eſſentiam*, Hoc agnoſcimus in cœna, quam dominus Apoſtolis diſtribuit: quomodo nomina diuerſa panis & vini, ac variæ illorum naturæ, quas appellat ſpecies, ad eſſentiam vnam, naturam nempè Chriſti quoad humanitatem reducantur: id autem fit per myſticam relationem, atque ſacramenti ſignificationem. Vnde ſubdit: *Et ſignificantia & ſignificata eiſdem vocabulis cenſerentur*. Iam nos nõ fingimus, panem dici corpus Chriſti, quòd ſit eius ſignum, & nomine rei cenſeatur. Sed Cyprianus hoc ſcribit: & ita ſcribit, vt neque luculentius, neque apertius queat pro nobis teſtimonium dicere. Ito nunc, Gardinere, atq; induſtriam tuam, acumen, & ſubtilitatem inter tuos adulatores iacta quantum volueris: cordatis lectoribus certè non impones. Omnes iam intelligent tuos fucos, quibus ampliſſimis patrum teſtimonijs abuteris falſò ad fucandam & colorandam cauſam tuam.

Iam videamus, ecqua afferas meliora. *Quin & illud*, inquis, *proprietatem ſenſus verborum exigit, vt Chriſtus qui omnium præcedentium vmbrarũ corpus erat, (nam de ſe ipſo loquitur: Corpus aptaſti mihi,) omnes de cibo carnis ſuæ figuras videretur impleſſe & ipſam veritatem veris reuelaſſe: veris, inquã, non nouis rerum abſentium figuris: ne aliquid hic poſt Chriſtum præſentius expectemus*. Chriſtum omnium præcedentium vmbrarum corpus fuiſſe, non dubitamus. Non tamen propterea noſtra cauſa vlla ex parte labefactatur. Quia ob id Chriſtus vmbrarum dicitur corpus, quod in omnibus veterum ſacrificijs, oblationibus & hoſtijs mors eius futura ſignificabatur, quã ille veniens perſoluit. Ideo dicitur ad Hebræos 10. & in Pſalmo 40. vt ibi citatur, *Quapropter cum ingreſſus eſt mundum, dicit: Sacrificium, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi*. Cum enim Deus cogitaſſet in plenitudine temporũ, ſacrificijs veterum finem imponere, Chriſtum dedit, qui re ipſa præſtaret, quod erat veterum vmbris præfiguratum. id autem abſque humanæ naturæ aſſumptione præſtari non potuit. Idcirco ait, *corpus aptaſti mihi*: nempe, quo cruci affigerer, & vnicum, diuq́ue expectatum ſacrificium tandem offerrem. Atque illum ſermonem huc ſpectare, nempe ad mortem Chriſti, teſtantur verba, quæ in eodem capite 10. ad Hebræos leguntur: *Tum dixit, Ecce adſum, vt faciam Deus voluntatem tuam*. Et mox tollit prius, vt poſterius ſtatuat: *per quam voluntatem ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel peractam*. Proinde non erat hîc ſermo de veſtro miſſario ſacrificio, ſed de morte domini: quæ ſemel, vt audis, eſt peracta. Voluntas autem illa Dei, quam vt impleret dominus, in mundum venit, erat vt Chriſtus immolaretur. Et ideò Chriſtus, qui fideliter obedire ſtatuerat, dixit: *Ecce adſum*. Et per hanc immolationem, quæ poſtremis temporibus eſt peracta, ſuſtulit dominus illa ſacrificia quæ prius erant ſub lege. Manducatio verò carnis eius, quam veteres quoque habuerunt, dum fide conſtanti ſperabant aliquando futurum, quod erat promiſſum, vt filius Dei pro mundi ſalute moreretur, nobis poſtea conceſſa eſt: noſq́ue ea fruimur, cum indubitatò credimus, iam impletum eſſe, quod antiquitùs erat promiſſum.

Cur varia ſymbola ſint in nouo teſtamẽto.

Quæ igitur, inquies, inter noſtram communionem & illorum eſt diuerſitas? Hæc ſanè, quæ eſt inter expectata, & iam præſtita. Et quia non ijſdem ſignis, vocibus & literis futura exprimimus, quibus præterita, ideò alio ritu, alia cerimonia, & ſymbolis alijs Chriſtus voluit apud veteres, quã apud nos, communionẽ, quam cum eo habemus, teſtatam & obſignatam eſſe. Quod verò iſte cauillatur de figuris rerum præſentium & abſentium, inane commentum eſt. Quia loco abeſt quidem à nobis domini caro: ſed fidei & ſpiritui communicãtium præſens eſt: vt etiam veteribus eſſe potuit.

Veterum ſacramenta promittebant, noſtra verò præſtant.

Atque non oſcitanter eſt conſiderandum, dici quandoque à patribus, hoc differre ſacramenta veteris legis à noſtris, quòd ea promiſerint, noſtra verò præſtent. Quia veterum myſteria Chriſti mortem, atque noſtram in ea redemptionem, vt futuram oſtendebant: noſtra verò eam, vt iam repræſentatam commemorant, quod ab Auguſtino præ alijs non ſemel explicatur: & à me paulò ante fuit commemoratum. Quamuis itaque corpore ſuo Chriſtus realiter non ſit præſens, an propterea negabitur veniendo in mundum, moriendo, & manducationis ſuæ dando ſymbola, quæ illam iam mortem illius præteritam oſtendant, promiſſa non perfeciſſe? Quæ, malùm, veſtra inſania, vt nos, cum nondum ſimus in patria, neque reuelata facie videamus, peregrinemurq́ue ad dominum, velitis prorſus figuris eſſe liberatos? Figuras adhuc habemus, non quidem quæ Chriſtum venturum ſignificant: ſed quæ eum iam veniſſe doceant: eaq́ue præterea bona, quæ ventura expectamus in æterna patria, vitaq́ue cœleſti adumbrent. Tales figuræ ſunt ſacramenta, & permultæ parabolæ, ſimilitudinesq́ue diuinarum literarum. Imò ipſæ diuinæ literæ quid quæſo ſunt, niſi ſigna? Quæ tamen in ſe ipſis ea quæ ſignificant, minimè realiter continent? Quando Deum, & Chriſtum ipſum coràm habebimus, quando illũ ſicuti eſt, & facie ad faciẽ videbimus, tũ ſigna

Chriſtus fuit corpus vmbrarum veteris teſtamenti.

Adhuc noũ ſumus liberati à figuris & ſignis

& figuræ proceſſus faceſſent. Quod ne anteà ſperemus, cùm experientia, tum diuinæ literæ nos admonent.

Sed vide, candide lector, quid Incõſtantius iſtis addat. *Denique in cœna Chriſtus nos certos reddidit voluntatis ſuæ, & nouum teſtamentum ſuo ſanguine obſignauit: quod figura ſanguinis minus firmum & imbecillum reddiderit.* Suæ voluntatis, fateor, Chriſtũ reddidiſſe Apoſtolos in cœna certiores. Nam teſtatus eſt apertiſsimis verbis, iam ſe pro nobis conſtituiſſe mori: ac velle ſuam carnem & ſanguinem, quæ in mortẽ tradenda erant, nobis eſſe ſpiritualem eſcam, quæ mente ac fide à nobis perciperetur. De quo eius dono haud fas eſt quenquam dubitare. Non tamen vnà cum Apoſtolis cœnando nouum teſtamentum, vt hic fingit, ſanguine ſuo obſignauit. Myſterio quidem, ac ſacramento, & expreſsis verbis teſtatus eſt, quod futurum erat. Siquidem in cruce moriendo nouum teſtamentum ſuo ſanguine obſignauit, cum mundi redemptionem ibi perficeret. Obſignatur illud tamen quotidie ſacramentis, cum illis vtimur. Sed hoc non eſt obgnare ſanguine: cum id ſolum in cruce factũ fuerit. Alioqui dicendum eſſet, nos à Chriſto in menſa fuiſſe redemptos, quod nunquam ſcriptum legitur, niſi apud hunc delirum impoſtorem.

Chriſtus in cœna teſtamẽtum non obſignauit ſuo ſãguine.

Non ſumus à Chriſto in ſacra menſa redempti.

Figura, inquit, *ſanguinis teſtamentum nobis minus firmum & imbecillum redderet.* Figura per ſe non confirmat Teſtamentum, ſed res, quæ figura ſignificatur, & verbis exprimitur, vim cõfirmandi habet, cum fides acceſſerit. At ſi figuræ, vt dicis, nullo modo confirmant, abs te quæro, vtrũ baptiſmus ſit figura mortis Chriſti, & eius reſurrectionis? Id non potes inficiari. Ita tamen baptiſmus eſt harum rerum figura, vt eas nõ habeat in ſe cõcluſas, & deliteſcẽtes. Negabisne baptiſmõ nouũ Teſtamentum confirmari? Certè mihi, & cæteris pijs in eo ſacramento non eſt infirma & imbecilla confirmatio. Tu ipſe videris, quanti ſacramentum regenerationis facias.

Quomodo figuræ teſtamentũ confirmẽt.

Cum ſibi viſus ſit Inconſtantius, quę ad verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, pertinent, dilucidè atque copioſè diſſeruiſſe, ſubdola, verſutaq; correctione ſeipſum reprehendit: & nos amarulento conuicio aſpergit. Subiraſcitur ſibi, qui rem adeò claram tantopere laborauerit illuſtrare, quaſi ſuperuacaneum id fuerit. Nos verò inſectatur, qui noſtra improbitate illum vel inuitum ad hoc faciendum adegerimus: denique ait, *Quum alioqui ad dogmatis catholici cuiuſcunque vel ſenſus verborum veritatem confirmandam, illud ſuffecerit, veteres & antiquitatẽ conſulere, atque ex vniuerſitate & perpetuitate eius, quod per ſingulos ætatum gradus in depoſito conſeruatum reperiatur, quid verum, quidue ſecus, inde æſtimare, &c.* Noſtram improbitatem, quam accuſat, hoc tempore nolo neque excuſare, neque confutare, neque deprecari: at illum omninò correctione, imò increpatione dignisſimum arbitror, qui tot nugis, fabulis, mendacijs, & ſophiſmatis, falſum verborum domini ſenſum ſit conatus aſtruere: & veritatem, quæ cæteroquin nuda, ſimplex, & aperta eſt, puluere, nube, ac tenebris, ita offundere, vt ea ab hominibus ſimplicib⁹ & rudibus agnoſci non queat.

Sed illud, quale tandem eſt, quod ait, *ad catholici cuiuſque dogmatis, & ſenſus verborum veritatem confirmandam, ſufficere, vt veteres & antiquitatem conſulamus?* Facito ita eſſe. Quãdo res, quę, vt fert hominum infirmitas & malitia, quotidiè labefactantur, inſtaurari poterunt? Semper qui patrocinari velint erroribus, maiorum opiniones atque conſuetudinem prætexent. Ita certè fiet, vt nihil vnquam reſarciatur. Chriſtus, Apoſtoli, & illorum ſucceſſores nihil ab initio profeciſſent. Iudæi & ethnici perpetuò dixiſſent: Catholica dogmata, quibus hactenus vſi ſumus, quæque à patriarchis, prophetis, & ſapiẽtiſsimis ac ſanctiſsimis hominib⁹ recepta, cõſtituta, & decreta ſũt, retinere volum⁹. Mutemus hîc, quæſo, vices: Tu te loco Chriſti, Apoſtolorũ, & primitiuæ Eccleſiæ ponito. Quid iſtis veteranis, & qui præſcriptione lõgi tẽporis errores defendebant, reſpondiſſes? Certè, vt legis peritus es, ſi ſapuiſſes, dixiſſes longæ præſcriptioni quicquam non eſſe deferẽdum, niſi iuſtus titulus & bona fides oſtenderetur.

Veritas dogmatum ab authoritate hominum vel antiquiſſimorum non pendet.

At ego miſſa legum ciuilium authoritate, me ad patres conuertam, & ex illorum ſententia tibi reſpondebo. Cyprianus de conſuetudine ſic loquitur, in epiſtola, quam aduerſus Aquarios conſcripſit: *conſuetudo, quæ apud quoſdam irrepſerat, impedire non debet, quò minus præualeat Veritas & vincat. Nam conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt. Propterea relicto errore, ſequamur veritatem: ſcientes, quia apud Eſdram Veritas vincit: vt ſcriptum eſt, Veritas valet, & inualeſcit, & viuit in æternum, & obtinet in ſecula ſeculorum.* Et mox: *Si Chriſtus ſolus audiendus eſt, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, ſed quid, qui ante nos eſt Chriſtus prior fecerit. Neque enim homines conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem: cùm per Eſaiam loquatur, & dicat: Sine cauſa colunt me mandata & doctrinas hominum docẽtes.*

Cyprianus.

Conſuetudo quanti facienda.

Neque aliter docuit Auguſtinus de Baptiſmo paruulorum, cum ait: *Qui contẽpta Veritate, præſumit conſuetudinem ſequi, aut circa fratres inuidus eſt ac malignus, quibus veritas reuelatur, aut circa Deũ ingratus eſt, inſpiratione cuius Eccleſia inſtruitur. Nam dominus in Euangelio, Ego ſum, inquit, Veritas. Non dixit, Ego ſum conſuetudo. Itaque Veritate manifeſtata, cedat conſuetudo Veritati. Reuelatione igitur facta Veritatis, cedat cõſuetudo: quia Petrus, qui circumcidebat, ceſſit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cum Chriſtus veritas ſit, magis veritatẽ, quàm conſuetudinem ſequi debemus. Quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit.* Idemque libro 4. de Baptiſmo paruulorum: *fruſtra quidam, qui ratione conuincuntur, conſuetudinem nobis obijciunt: quaſi conſuetudo maior ſit veritate, aut non ſit in ſpiritualibus ſequendum, quod melius à ſpiritu ſancto reuelatum eſt. Hoc planè verum eſt, quia ratio & veritas conſuetudini præponendæ ſunt.*

Auguſtinus.

Item Auguſtinus.

Verbũ Dei, non conſuetudo ſequenda.

Quid

Quid itaq; iſte blaterat, ſufficere, vt de quoque dogmate veteres & antiquitatem conſulamus? Quaſi mos & conſuetudo, præſertim in hiſce rebus, primũ indicationis locum habere debeant. Cur non ad literarum diuinarum κριτήριον potius nos ablegauit? Cur nõ ad rationes è ſacris oraculis deductas? Id nunquam feciſſet. Nam ibi nullum habet cuniculum, per quem effugiat. Ad aliquos Patres & Canones libenter prouocat: in quibus ſperat ſe caliginem, & fumũ poſſe offundere. Apud ſenatum verò diuinarum literarũ ægrè vult cauſam dicere. Videturque neſcire, quòd ad Patres, quos adduxerit, vno verbo liceat nobis cum Auguſtino reſpondere, in epiſtola ad Hieronymum, quæ octaua eſt numero: *Ego ſolis eis ſcriptoribus, q iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorem q deferre, vt nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere: aut ſi aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud exiſtimem, quàm mendoſum eſſe codicem, vel non eſſe aſſequutũ interpretem, quod dictum eſt: vel me minimè intellexiſſe, non ambigam. Alios verò ita lego, vt quantalibet ſanctitate quantalibet ve doctrina polleant, nõ ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi per alios authores canonicos, vel probabiles rationes, quòd à vero non abhorret, perſuadere potuerũt.* Habenturq; complura huius farinæ à ſancto iſto viro ſcripta: quę Gardinerus & veterator iam in iure ciuili, & recẽs papiſta optimè legere potuit in Decretis colle cta, diſtin. 9. Et legiſſe eum illa non dubito, ſed potiùs contempſit: quòd ſemper crediderit ſufficere ad intelligenda & confirmanda dogmata fidei, veteres, vt hîc dicit, & antiquitatẽ conſulere: neque multum eſſe morandum, quic quid diuinæ literæ ſtatuãt. Nam in hoc à Smythæo rabula quodam Oxonienſi nõ diſſentit: ille enim homo fatuus vbique tonat, diuinas literas ad Patrum amuſsim eſſe interpretandas: non Patres ad gnomonem diuinarum literarum aut accommodandos, aut corrigendos. Neque mirum eſt, hos duos tam pulchrè inter ſe colludere, cum inconſtantia, & aliis virtutibus papiſticis, quibus præ cæteris ornati ſunt, ſibi mutuò bellè congruant.

Smythæus rabula Oxonienſis.

Sed redeo ad huius non theologi, ſed patrologi ſcripta. Rationem adducit, quare veteres conſulendi ſint. *Nam*, inquit, *ſecundùm Apoſtolũ, vna eſt fides, quæ in mutatione morũ, hominum, & temporũ, manet tamẽ ipſa immota & immutabilis.* Fateor, vnam eſſe fidem, per quam omnes & nunc ſeruẽtur, & ſeruati ſint hactenus, & olim ſint ſeruandi. At ſemper apud omnes homines hanc fidem incorruptam, & inuiolatam manſiſſe, quo tandem argumẽto euinces? Multi proculdubiò ſæpè aberrarũt, imò ab ea, vt loquitur Apoſtolus, naufragium fecerunt. Ideò cùm omnis homo ſit mendax, nõ ex Patribus, qui homines fuerunt, ſed è ſcripturis fidei explicatio, vel vt vulgò dicitur obiectum fidei petendum eſt.

Sed audi quomodo rem concludat. *Ergo omiſſis coniecturis noſtris, conſulamus veteres.* Rectè ſanè inquit, Omiſſis coniecturis. Nam cùm argumenta ſpectata, clara, & firma è diuinis literis elicere non potuerit, per inanes coniecturas diu eſt vagatus: quæ illius cauſæ quàm nihil profuerint, arbitror me liquidò patefeciſſe.

Iuſtinum ante alios producit, qui apologia ſecũda ad Antoninum dicat: *Neq; verò hæc pro pane potúve communi ſumimus: imò quemadmodum verbo Dei Ieſus Chriſtus ſeruator noſter incarnatus habuit pro ſalute noſtra carnem & ſanguinem, ita per orationem illius verbi conſecratum hoc alimentum, quo ſanguis & carnes noſtræ per immutationem nutriuntur, eiuſdem incarnati Ieſu Chriſti carnem & ſanguinem eſſe, ſumus edocti. Siquidem ipſi Apoſtoli in illis ſuis, quæ vocant Euangelia, monumẽtis, ita ſibi Ieſum imperaſſe docuerunt: accepto nimirum pane, peracti q; gratijs dixiſſe: Hoc facite in mei commemorationem: Hoc eſt corpus meum. Ad eundem modum accepto poculo, poſtquã egiſſet gratias, dixiſſe: Hic eſt ſanguis meus, illiſq; ſolis ea tradidiſſe. Hæc Iuſtinus, qui cùm fidem Chriſtianorum ita aperiat, vt dicat alimentum verbo conſecratum carnem & ſanguinem Chriſti eſſe, quomodo caro & ſanguis Dei verbo in vtero Virginis à Domino Ieſu aſſumẽrentur, addit ita docuiſſe Apoſtolos, ex verbis illis, Hoc eſt corpus meum. Quæ verba, niſi proprià ſignificatione intelligantur, non id docerent. Nam quomodo figuratores hodie volunt, vt ex verbis intelligatur ſola figura, non teſtarentur carnem & ſanguinem in cœna verbo fieri: quemadmodum in vtero Virginis Verbo ſumpta eſt caro: niſi etiam cũ Marcionitis illam Chriſti carnẽ in vtero ſumptã, non veram, ſed figuratiuam & phantaſticã velint haberi.* Verba Iuſtini nonnihil aliter video ab iſto eſſe reddita, quàm Græcè habentur. Cùm inquit, Ita per orationẽ illius verbi conſecratum hoc alimentum: Verba Iuſtini, quæ his reſpondent, hæc ſunt: οὗτος καὶ ὁ δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεὶσαν τροφὴ. Alimentum non dicit, vt Gardinerus reddidit, conſecratũ. Dixiſſet enim ἱερωθεὶσαν. At inquit εὐχαριστηθεὶσαν, quod eſt, gratiarum actione adhibita: vt tota oratio ſit: Ita & per preces verbi eius, adhibita gratiarũ actione, alimoniam, qua ſanguis & carnes noſtræ per immutationem enutriuntur, eiuſdem incarnati Ieſu carnem & ſanguinem eſſe, ſumus edocti. Quod non ideò annotaui, quaſi neſciam apud Patres, præſertim Latinos, cùm hac de re agitur, voces illas Conſecratio, & Conſecrare, frequẽter legi: ſed quòd mens Iuſtini eo vocabulo non exprimatur. Non enim conſecratio & gratiarum actio eiuſdem ſunt ſignificationis. Atque hoc mendum facilè diſſimulaſſem, niſi animaduerterẽ, Inconſtantium, quò habeatur omniſcius, aliorum verſiones paſsim cauillis meris exagitare, atque ſuas interpretationes omnino uelle haberi pro oraculis.

Sed ad rem iam venio. Quid hîc habet Iuſtinus, quod à nobis non facilè detur? Fatemur vtique panem atque potum in ſacra cœna eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, quòd harum rerum ſint ſacramentum, & nobis offerát ea, quæ maximè ad corpus & ſanguinem Chriſti attinent, nimirum ſpiritum, gratiam, & vitam æternam, atq; peccatorum condonationem. Haud ſecùs atque verbum Dei, cùm prædicatur, hæc

dicitur credentibus largiri, cùm instrumẽtum sit Spiritus sancti, qui hæc in nobis efficit. Sed iste, inquit, sensus parũ dextrè conuenit. Quia si, vt vos figuratores vultis, vt ex verbis, Hoc est corpus meum, intelligatur sola figura: non testarentur ea verba, carnem & sanguinẽ in cœna verbo fieri, quemadmodũ in vtero Virginis verbo sumpta est caro. Miror porrò, vbi mens huius fuerit, cũ sic intelligeret Iustinum. Quasi non aliter panis & vinum fiant caro & sanguis Christi, quàm verbũ Dei sit factum caro in vtero Virginis. Facito, quæso, me ita hunc martyrem interpretari, vt ipse flagitas, ac exigis. Argumentum hîc proferam, & quidem plusquam Achilleum. Si, vt vis, hæc ita fiunt caro & sanguis Christi, vt verbum caro factum est in vtero Virginis, nulla profectò erit transubstãtiatio. Nam cùm verbum factum est caro, natura & substantia eius integra mansit. Ergo & panis ita fit caro, vt natura eius & substãtia non pereat. Quid ad hæc dicet noster sophista? Confingétne verbum abiisse in incarnatione? Faciétne Christũ purum & simplicem hominem? Fatebitur verbum mansisse? Concedat & panem in Eucharistia, quoad substantiam & naturam non abire. Negabit similitudinem inter sacramentũ hoc, & incarnationem ita exquisitè ac propriè accipiendam? Patiatur & nos eadem vti licentia. Si panis substantiam sibi sumunt ab Eucharistia post consecrationem diffugere, solumq; volũt relinqui proprietates & accidẽtia: nos quoq; dicimus, in Eucharistia corpus & sanguinẽ Christi nõ adesse realiter: sed illorũ effecta, proprietates, & merita: vt gratiam spiritus, vitam æternam, & condonationem peccatorum, quæ re ipsa piè atq; fideliter communicãtibus adesse, non negamus. Vides omnia vtrinq; iam æquata: nos nihil dicimus, quod nõ vos etiam vultis. Inter nos hoc tantùm interest, quòd sententia, quam afferimus de absentia reali, naturali, & corporali sanguinis & corporis Christi, præsentibus eius effectibus & proprietatibus, verbi Dei astipulationem habet: cùm vestrum impudens commentum, quo substantiam panis aboletis, eius accidentia relinquentes, non tantùm absurdum sit, verùm etiam cum diuinis literis pugnet: quę in Eucharistia panem agnoscunt, & euidenter testantur.

Id etiam interest, effecta & proprietates corporis & sanguinis Christi, quæ nos in cœna ponimus, non requirere earum rerũ realem præsentiam, cùm panis accidentia non queant absque pane sustentante manere.

Sed ne locus Iustini maneat inuolutus & obscurus, iã explicabo quid voluerit. Ideò hic vir Dei, similitudinẽ Eucharistię ab incarnatione Dñi accipit, quia nisi verbum fuisset verè factum caro, sed illã fictitiam, seu phantasticam assumpsisset, vt Martionitæ ac Valentiniani stabant, nemo veram Christi carnẽ per fidem in hoc sacramẽto posset comedere. Quis enim vel spiritualiter potest veram carnẽ Chimeræ comedere, cùm talis caro nusquã sit? Ad hæc si Christus in vtero Virginis carnem veram non assumpserit, neque posset in cœna panis esse sacramentum veræ carnis eius. Ob istam causam fit, vt contra Martionem scribẽtes Patres argumenta sumant frequentissimè ab Eucharistia. Quæ, si sacramentũ est veri, & nõ ficti corporis Christi (vt est, & omnes fatemur) Christũ non fictum, sed verisimũ corpus habere oportuit.

Si Christus non habuisset verã carnem ex Virgine sumptã, nemo illam per sacramẽtum posset comedere.

Atq; hanc meam interpretationem Tertullianus pulcherrimè, atq; euidentissimè confirmauit, aduersus Martionem lib. 4 dicẽdo: *Acceptum panem, & distributũ discipulis, corpus suũ illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem nõ fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figurã capere non posset.* Ad hæc Tertulliani verba mens tua redeat quæso domũ: & intelliges quò spectet Iustini similitudo, cùm dicat: Quemadmodum verbũ caro factum est, ita sacram hanc alimoniam edocti sumus esse carnẽ & sanguinem Iesu incarnati. Et desine tandem nobis exprobrare solam figurã, cùm sacramẽto, quà cũ fide accipitur, tot clarissima dona, quæ ad verisimum corpus Christi pertinent, adiungamus.

Videbis etiam, si pauli per aduigiles, quàm procul absimus à Martionitis. Nos enim ne sacramentum quidem Eucharistiæ saluum esse posse prædicamus, si Dominus, vt Martion voluit, carnem phantasticam assumpsisset. Quandoquidem phantasma, aut fictio, quemadmodum ex Tertulliano audiuisti, figurã sui vllam nõ admittit. Hæc adeò clara sunt, & perspicua, vt Inconstantius queri non possit, iniquis legibus extortam sibi esse victoriam.

Phãtasma, seu fictio, nullam sui veram figuram admittit.

Neq; prætereundum est, quod Iustinus ait, per immutationẽ eo cibo carnes & sanguinem nostrum alĩ. Si ea mutatio ad nostras carnes nostrumq; sanguinem referatur, plana facilisque interpretatio est. Nã cũ animus fide particeps fiat, dũ communicamus, corporis & sanguinis Christi, reddaturq; mundus, cœlestis, diuinus, ac sanctus, redundant etiã eædem proprietates ad carnem & sanguinẽ nostrum. Nam ea, licet natura corrupta sint, & vitiosa, & mortalia, conditionum tñ longè diuersarum redduntur capacia: nimirũ sanctitatis, incorruptionis, & immortalitatis. Quòd si mutationẽ ad ipsa referas αὐτίτυπα, nimirũ panem & vinum, & de illis cogites, priusquã à communicantibus percipiantur, ex instituto Christi ea mutari dabo: nempe in sacramentũ corporis & sanguinis Dñi. quod certè anteà non fuerant. Postquã verò mandu cando & bibendo in sacra cœnæ sunt assumpta, nullum possunt, nisi naturalem in ore, atque in ventriculo mutationẽ pati. Verùm de his, quoniam inferiùs offeretur occasio, latiùs dicam.

Quomodo nostræ carnes & sanguis alãtur eo cibo.

Duæ mutationes pertinent ad symbola, physicam & sacramentalem.

Quæ verò hucusq; allata sunt, indicãt, quàm fœdè fallatur Inconstantius, cùm subdat: *Deum nostrum Christum, quo miraculo, & qua potẽtia, & veritate carnem suscepit ex Virgine, pari potentia, & veritate pari, dare carnem: ad cuius rei probationẽ ait Iustinum citare hæc verba, Hoc est corpus meum.* Hæc verba nõ sunt Iustini, neq; sensus is est in adducta collatione. Nusquam certè dicit per miraculum, parem potentiam, aut parem veritatẽ esse vtrinque,

vtrinque, nempe in Eucharistia, & in incarnatione Domini. Sed Inconstantius ex capite suo hanc affinxit impudentem interpretationem.

Deinde quo euincat, Iustinum intellexisse, propriè, atque vt ita dixerim, realiter, Eucharistiam esse corpus & sanguinem Domini, ait, *Illum talia scripsisse, vt videant ethnici, ideò credere Christianos, se carnem & sanguinem Christi sumere, illo alimento in cœna consecrato: quia Christus dixit, Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus. Quæ verba per figuram, vt dixi, interpretata nihil afferrent probationis: & Iustinus quos placare & lenire simplicis veritatis confessione conaretur, si hæc aliter se haberet, ac refert, temerè ac sine causa exasperasset.* Si panis in cœna Dñi sit sacramentum carnis Christi, nõ tamen illam corporaliter & realiter in se comprehendat, inquit Gardinerus, ex verbis Dñi, Hoc est corpus meum, non probari nos edere carnem Christi. Certè si non videt iste hanc probationem, & quidem euidentem, miserè cæcutit. Si enim interim dum ore comedimus & bibimus panem & vinum, mente, spiritu, ac fide corpus Christi & sanguinem illius spiritualiter sumimus, oportet ex instituto Dñi hoc esse, qui voluerit duo illa, suæ carnis atque sanguinis esse symbola. Istam eius voluntatẽ vnde possemus nosse, nisi ex eius verbis? Ideò verba illa, quibus dixit, Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum: fidem faciunt, & manifestè probãt, hoc esse Iesu Christi pactũ, vt, qui fideliter credendo hæc manducant, eius corpus & sanguinem, verè quidem, sed spiritualiter sumant. Et sanè mirum erat, hunc hominem, si tamen homo erat, & ratione vtebatur, cùm hæc scriberet, voluisse manducationem corporalem, ac realem probari ex verbis Dñi: cùm nolit ex illis iisdem verbis probari manducationem spiritualem, quæ per fidẽ habeatur: cùm in sacramentis visibilia, & externa signa idcircò habeãtur, vt de spiritualibus rebus nos certiores faciant, & eorum, quæ significantur, nos animo capaces reddant.

Ethnici putarũt Christianos in cœna Domini re ipsa carnes humanas comedere.

Contendit præterea ex ista confessione simplicis veritatis ethnicos potuisse à Iustino temerè exasperari. Sed nõ animaduertit, aut se videre dissimulat, ex istis verbis Christi, quæ adduntur, alijsq; loci ac temporis circunstantijs, ethnicos facilè potuisse cognoscere qualis esset Christianorũ esus, ac potius corporis & sanguinis Christi: & quomodo illa, panis, inquam, vinum, corpus Christi & sanguis dicerẽtur esse à Dño, & à Christianis crederẽtur. Ostẽdit quippe Iustinus ex eis, quæ scribit, nõ apponi Christianis in cœna Dñi carnes humanas corporaliter edendas, vt multi falsò iactabant: sed panẽ & vinũ, quæ tamen ea ceremonia per preces, & gratiarũ actiones, iam nõ communis & propha na esca essent, sed nos ad verum Christi corpus fide comprehendendum manu ducerẽt. Quare Iustinus hac sua confessione lenit admodum ethnicos & Romanos, qui putabãt Christianos habere inter se Thyestæas cœnas, & reuera carnibus humanis corporaliter vesci. Docetq; nos edere carnes, nõ quasuis, sed tantùm Christi, qui cùm iam sub Tiberio Cæsare fuerit mortuus, & resurrexerit, atq; in cœlum ascenderit, facilè ostenditur, quomodo carnes eius mandu cemus: nimirũ mysticè, hoc est, per sacramẽta, & externa symbola, quæ cibi sunt omniũ innocentissimi. Proinde liquet Iustinum ex verbis Dñi probasse, nos manducare Christi carnem, sed spiritualiter, & opinionem ethnicorum de nostra religione temerè non exasperasse.

Videtur autẽ Inconstantio, si res haberet, vt nos dicimus, Iustinũ commodiùs potuisse liberare Christianos omni suspitione, si scripsisset, illos in mysterijs tantũ vesci pane, & bibere vinum, pernegando, alimoniam carnis, aut potũ sanguinis admiscri. Et quærit, cur ita nõ sit loquutus. Atq; tam diu in isto loco commoratur, vt quiuis intelligat, illum in eo sibi mirificè placuisse. Atq, ille fortasse affectus ita mentẽ eius hebetauit, vt responsionẽ cernere nõ valuerit: quæ alioqui cuiq; facilè potest esse obuia. Quis enim non videat, ideò Iustinum esus carnis potusq; sanguinis Christi, ob id fuisse coactũ facere mentionem, qd Christiani, quos defendendos susceperat, inter se ita loquerentur? Quorum sermo ne putaretur humano consilio, aut fortuita quadam temeritate vsurpatus, ideò reuocatur ab eo ad ipsum Dñi mandatum, & primam sacræ cœnæ institutionẽ. Neq; sanè aliud ex peroratione huius Martyris colligitur: quãuis de illo quoque Inconstantius more suo intempestiuè argutetur.

Neq; nostrũm quisquã arbitratur, Iustinum hîc rẽ cœnæ Dñi amplificasse, sed potius bona fide retulisse, quæ forma sermonis in Ecclesia Christianorũ esset: nimirum vt panem corpus Dñi, & vinum sanguinem eius appellarẽt, dum inter eos sancta mysteria celebrarẽtur. Aperitq; rationem, cur ita loquatur: nempe, quoniã ipse Dñs hoc pacto rem hãc instituit. Demumq; in peroratione, non vt sophista noster statuit, de sacramento Eucharistiæ tantũ agit, sed de summa Christianæ religionis vniuersa. Quæ si iudicetur veritati & rationi consona, rogat vt illã in pretio habeãt, & honorẽt: sin verò nugas existimarint, ipsis autor est, vt tanquã nugas contemnant: neq; ipsam ita persequantur, vt insontes vltimo supplicio ista de causa afficiant. Quid, obsecro, hæc magis ad Eucharistiam, quàm ad cætera dogmata, & ritus Christianos pertinẽt?

Peroratio Iustini.

Sed ne videar aliquid fingere de meo, Iustinus ipse audiatur. Iam omnia nostræ religionis capita defenderat aduersus ethnicos, & quales nostri sint cœtus, cùm ad Deum colendum coimus, ostenderat, quãdo ad calcem orationis rationem adfert, cur Dominico die cõueniamus: Τῇ γὰρ πρὸ τῆς κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτὸν, καὶ τῇ μετὰ τὸν κρονικὴν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς Ἀποστόλοις αὐτοῦ, καὶ μαθητὰς ἐδίδαξε ταῦτα ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἐδώκαμεν: hoc est, *Pridie quippe Saturni crucifixerunt eum: & postridie Saturni, quæ est Solis dies, cùm apparuisset Apostolis & discipulis suis, hæc eos docuit, quæ vobis quoq; consideranda obtulimus.* Hæc autoris huius verba Inconstantius fortiter transiliuit. Nã illis euincitur ea, quę sequuntur, non tantũ ad Eucharis-

ſtiam, ſed ad omnia ea, quæ Chriſtus docuit, eſſe referenda. Quod ne fieret, vafricie ſolita, quę ſtatim Iuſtinus adiecit, quaſi ſermone perpetuo adhuc de cœna Domini ageret, interponit, ſubdēs, Ἐὰν μὲν δοκῆ ὑμῖν λόγῳ, ᾧ ἀληθείας ἔχεσθαι, τιμήσατε αὐτά. Εἰ δὲ λήρῳ ὑμῖν δοκῆ, ὡς ληρῳδῶν παραγμάτων καταφρονήσατε, καὶ μὴ ὡς κατ' ἰχθῦν, κατὰ τῶν μηδὲν ἀδικούντων θάνατον ἐπάξητε. hoc eſt: *Et ſi videntur vobis rationi veritatiq; conſentanea, bonorem eis habete: ſin verò nugæ viſa fuerint, vt res nugatorias contemnite: neq; aduerſus inſontes, quaſi aduerſus hoſtes, capitale ſupplicium decernite.*

Cùm hęc aſtutè Gardinerus ἀνέφαλα huc adduxiſſet, ſtatim ſubiecit: *Quæ peroratio oſtendit, non amplificaſſe Iuſtinum myſteria, quò magis abſurda iſta auribus redderet, ſed veritate coactum, vt id quod eſſet, fateretur: cautius tamen & parcius, libentius etiam per figuram quod in cœna ederetur, ſi per veritatem licuiſſet, confeſſurum, quàm in ſenſu proprio propalare myſterium, quod infidelium auribus inſaniſſimum iudicetur.* Indicant hæc verba, quemadmodum iſte illam perorationem Iuſtini ad myſteria & ſacramentum cœnæ accommodet, cùm ea ad omnia quæ prius dicta erant, quæq; Chriſtus Apoſtolos ſuos docuit, attineant.

Sed iam ad Irenæum veniendum eſt, qui ſecundo loco teſtis adducitur. Verba eius hæc ſunt: *Sed & ſuis diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint: eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum: & calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt: & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem: quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo.* Hæc Irenæi verba excutit Inconſtantius: neque attinet dicere, quo acumine, quáue dexteritate: id enim res ipſa loquetur.

Primùm ita colligit: *Si de terrenis elementis loquendo, mentionem creaturæ, & ſecundùm nos facit, inſinuat verba Chriſti ex illis efficere, quod non eſſet ſecundùm nos, & creatura maius. Quare proprius verborum ſenſus accipiendus eſt, cùm dicitur: Hoc eſt corpus meum. Nam ſi Chriſtus figuram ſe dare ſignificaret, ſecundùm nos creaturam daret.* Hæc adeò flaccida ſunt & leuia, vt vno flatu, nedum vno verbo poſsint diſsipari. Panis enim & vinum, creaturæ ſunt ſecundùm nos, vt Irenæus inquit: & â Chriſto fiunt quippiam maius creatura, quæ ſecundùm nos eſt, nempe naturali. Quis enim ſacramentum rem naturalem dixerit? Nónne modum communium creaturarum ſacra myſteria longè excedunt? Certè nemo noſtrum in ſacro vſu iſta pro communi pane, communique vino habet. Deinde an prædicamus, figuram tantùm communicantibus à Chriſto datam? Quoties ad rauim vſque clamamus, & corpus Chriſti, & ſanguinem credentibus in cœna dari, quæ fide, atque animo percipiantur? Sed attendendum eſt, non inficiari nunc Irenæum, creaturam etiam dari. Dantur vtique creaturę, ſed vnà datur aliquid maius, nēpe corpus Chriſti. Verùm ijs hominibus perſuaderi non poteſt, dari, niſi quod præſens, realiter, & corporaliter ſub accidētibus panis & vini deliteſcat, & dentibus atque ore corporis manducetur, & more cæterorum ciborū in ventriculum tranſmittatur. Neque animaduertunt, mentem ſacramentis & verbo Dei excitatam, in cœlum ſubuehi, vbi præſens corpus Chriſti cernat, & illo ſpiritualiter maxima cum vtilitate fruatur. Diuinæ quoque literæ ſuum ſenſum animo noſtro porrigunt: cùm tamen illum præſentem incluſum in ſe ipſis non habeant, quaſi ille ſub illis coloribus & figuris literarum latitet. Fatemur itaque, Chriſtum creaturas, ſecundùm nos, panem, inquam, & vinum feciſſe aliquid maius creatura. Transfert enim illa ad ſacramentorum conditionem, & dat ea nobis, quæ maiora ſunt, quàm quæuis creatura. Dat enim nobis ſuum corpus & ſanguinem: ſed eo modo, de quo idem diximus: dat enim gratiam, ſpiritum, condonationem peccatorum. Quæ omnia maximo interuallo omnem creaturam, quæ ſit ſecundùm nos, vincunt. Neque cauſæ noſtræ obeſt quicquam, Chriſtum dixiſſe, panem ſuum corpus: & calicem ſanguinem ſuum confeſſum eſſe. Quoniam nos ipſi hæc ſacramenta ijs nominibus appellare, non veremur. Quare ſuis iſtis verbis Irenæus nihil nobis aduerſatur.

Sed quo pacto, inquit iſte, *docuit Chriſtus nouam Eccleſiæ oblationem?* Atque hîc ſe putat nos tenere, cùm ipſe medius teneatur. Nam ſi de pane & vino loquamur, oblatio in his locum habere poteſt, quatenus à fidelibus hæc offerebantur ad ſacrum cœtum, partim vt inde myſteria fierent, partim verò vt pauperibus ſuccurreretur. Concedimus etiam ibi eſſe oblationem, quod attinet ad preces, gratiarum actionem, & omnia illa, quæ communicando ad cultum Dei facimus. At quæret ſophiſta noſter, Quomodo noua eſt hæc oblatio? *Antiquitùs enim*, inquit, *panes offerebantur, vt de Melchiſedecho legimus. Et offerebant Deo veteres preces, & gratiarum actiones, & vnà in ſacrificijs, præſertim pacificis communicabant.* Fatemur hæc omnia fuiſſe in veteri lege. At hęc noua oblatio eſt, partim quia ceremoniarum ritus, quoad tempus, locum & mactationem pecudum, non habet ſecum adiunctos: quæ in vſu erant ante aduētum Chriſti: partim etiam, quòd cùm veterum ſacrificia Chriſtum vt venturum adumbrauerint, noſtra iſta oblatio de aduentu illius iam præſtito gratias agat. Quod Auguſtinus euidentiſsimè docet, de fide ad Petrum, cap. 19. *Firmiſsimè*, inquit, *tene, & nullatenus dubites, ipſum vnigenitū Dei verbum carnem factum, ſe pro nobis obtuliſſe ſacrificium & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis, cui cum Patre & Spiritu ſancto à Patriarchis, Prophetis & Sacerdotibus, tempore veteris Teſtamenti animalia ſacrificabantur: & cui nunc, id eſt, tempore noui Teſtamenti, cum Patre & Spiritu ſancto, cum quibus illi eſt vna diuinitas, ſacrificium panis & vini in fide & charitate ſancta Dei catholica Eccleſia, per vniuerſum orbem terræ offerre non ceſſat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris ipſe ſine peccato fuerat oblaturus, & ſanguinis, quem erat effuſurus in remiſſionem*

In ſacra cœna dantur creaturæ, atque vnà quippiam, qd eis maius eſt.

Quomodo noſtra oblatio ſit noua.

nem peccatorum noſtrorum. In iſto autem ſacrificio gratiarum actio, atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis quem pro nobis idem Deus effudit: de quo Paulus dicit in Actis Apoſtolorum: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. In illis ergo ſacrificijs, quid nobis eſſet donandum, figuratè ſignificabatur: in hoc autem ſacrificio, quid nobis iam donatum ſit, euidenter oſtenditur. In illis ſacrificijs pronunciabatur Filius Dei pro impijs occidendus: in hoc autem pro impijs annunciatur occiſus. His verbis Auguſtinus prudenter & perſpicuè oſtendit, quam Eccleſiæ ſacramenta & oblationes, ſi cum veteribus ſacris conferantur, habeant nouitatem.

Verùm ne putes Auguſtinum hoc tantùm tradere in illo Enchiridio ad Petrum, quem librum nonnulli ſuſpectum habent, afferemus aliud illius teſtimonium contra literas Petiliani libro 2. capite 37. *Lex enim & Prophetæ*, inquit, *vſque ad Iohannem Baptiſtam ſacramenta habebant prænunciantia rem futuram: noſtri verò temporis ſacramenta veniſſe conteſtantur, quod illa venturum eſſe prædicabant.* Item de Doctrina Chriſtiana, lib. 3. capite 9. *Hoc verò tempore poſteaquam reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti, manifeſtiſſimum iudicium noſtræ libertatis illuxit, nec eorum ſignorum, quæ iam intelligimus, operatione graui onerati ſumus: ſed quædam pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus, & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt baptiſmi ſacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis Domini: quæ vnuſquiſque cùm percipit, quò referantur imbutus agnoſcit: & ea non carnali ſeruitute, ſed ſpirituali potius libertate veneratur.* Idem aduerſus Fauſtum libro 20. cap. 21. *Huius ſacrificij caro & ſanguis, ante aduentum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur: in ipſa paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur: poſt aduentum Chriſti per ſacramentum memoriæ celebratur.* Et contra eundem Fauſtum libro 19. capite 12. *Proinde prima ſacramenta, quæ celebrantur in lege, prænunciatiua erat Chriſti venturi: quæ cum ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt: & ideò ablata, quia impleta. Non enim venit ſoluere legem, ſed adimplere. Et alia ſunt inſtituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora: tanquam iuſtitia fidei reuelata, & in libertatem vocatis filijs Dei, iugo ſeruitutis ablato, quod duro, & carni dedito populo congruebat.* Ex ijs facilè poterat Gardinerus, niſi peregrinãte animo hæc tractaſſet, intelligere, quę diſcrimina eſſent inter noſta & veterum ſacramenta: licet vtrinque ſemper idem fuerit ſignificatum, nempe Chriſtus, & per mortem eius, hominum redemptio: & interdum etiam fuerint eadem ſymbola, vt in oblatione panis, in libatione vini, in aquæ ablutione. Potuit, inquam, videre, ſacramenta noſtra Chriſtum ſignificare datum, quique iam ſalutem nobis ſua morte pepererit, & ſanguinem ſuum in odorem ſuauitatis fuderit. Intellexiſſet etiam noſtra eſſe apertiora, facilio ra, pauciora, & cætera, quæ Auguſtinus commemorauit. Neque ita fuiſſet hallucinatus, vt hîc diceret, ſacrificia illa & oblationes veterum fuiſſe figuram tantùm noſtræ cœnæ Dominicæ, ſed addidiſſet illas præcipuè Chriſtũ ipſum & mortem ipſius in cruce figuraſſe: nam hoc quoque adijciendum erat.

Vmbræ illæ ſanè fuerunt, & figuræ: ſed mortis Chriſti, & oblationis eius in cruce faciendę. Quod ſophiſta non animaduertens, ita ſcribit: *Nam obtuliſſe panem & vinũ in veteri Eccleſia Melchiſedech dicitur. Quam oblationem conſtat veræ oblationis, verè futuræ, fuiſſe figuram. In qua vera oblatione verum Chriſti corpus & ſanguis ſub illis ſpeciebus offerẽtur.* Mitto quàm turpiter iſte erret de Melchiſedecho, quòd eum dicat, panem & vinum obtuliſſe Deo. Non enim ille Deo, ſed Abrahamo, & exercitui eius protulit, quo reficerentur bello fatigati. *An Melchiſedech obtulerit Deo panem & vinum.*

Sed nunc illud examinandum eſt, quod ſcribit, verum Chriſti corpus & ſanguinem offerri ſub illis ſpeciebus. Cui tandẽ offertur corpus Chriſti & ſanguis? haud dubiè Deo: idque à ſacrificio in Miſſa: ſic enim ſentit vbique Gardinerus. At ille præterquã quòd aduerſatur Paulo, qui ad Hebræos ſcribit, Chriſtum vna oblatione conſummaſſe omnia, debuit reuocari, ne ita ſentiret, ac ſcriberet, huius ipſius Patris Irenæi verbis, quem in præſentia præ ſe fert ſe tanti facere. Is enim paulò poſt quàm ea ſcripſit, quæ ab iſto adducuntur in capite 34. contendit, Sacrificia, quæ offeruntur, grata Deo eſſe, atque ſanctificari, ob puritatem, ſanctitatemq; offerentis: ideò ait, Deum nõ reſpexiſſe ad munera Cain, quòd ille vitiato corruptoq; animo offerret. Et locum ex Euangelio adducit: *Si recordatus fueris, quòd frater aduerſum te aliquid habet, relinque munus tuũ ad altare, ac vade, & reconciliare prius fratri tuo.* Deinde ſermonẽ ſuum in iſtam eandem ſententiam vir Dei concludit. Igitur non ſacrificia ſanctificãt hominem. Non enim indiget ſacrificio Deus: ſed conſcientia eius q̃ offert, ſanctificat ſacrificium, pura exiſtens, & præſtat acceptare Deum, quaſi ab amico. Peccatori autem inquit: *Qui occidit mihi vitulum, quaſi qui occidat canem.* Quoniam igitur cum ſimplicitate Eccleſia offert, iuſtè munus eius purum ſacrificium apud Deum deputatum eſt. Si, vt docet iſte Pater ſanctiſsimus, munus, quod offertur, ab offerentis puritate ſanctificatur, quî fieri poteſt, vt à ſacrificio in Miſſa corpus Chriſti Deo Patri offeratur? An immaculatum Domini noſtri corpus à ſordida presbyteri conſcientia ſanctificabitur? Chriſtus ea victima eſt, vnde pij omnes hauriunt ſanctitatem. Eſt ſanctus ſanctorũ: & ab homine polluto dignitatem mutuabitur, qua Deo fiat acceptus? Certè vel hinc Sole clarius eſt in cœna Dñi corpus Chriſti non offerri, ſed tantũ gratiarũ actiones pro eo in cauſa noſtra dato. Preces etiam offeruntur, eleemoſynæ, laudes, ac propoſitum ſanctè, innocenterque viuendi. Quæ omnia grata Deo non ſunt, neque pro ſanctis habentur, niſi à fideli & ſancto animo proficiſcantur. *Sacrificiũ non ſanctificat offerẽtem, ſed è diuerſo ſit.*

Sed ijs omiſsis, expẽdo rurſus verba Irenæi, quæ iſte, vt arbitror, imprudens adduxit. Si acceptum panẽ, qui eſt creatura ſecũdùm nos,

corpus ſuum vocauit: & calicem, qui eſt creatura, ſecundùm nos, ſanguinem ſuum confeſſus eſt: non oſtendebat, cùm diceret, Hoc eſt corpus meũ: vel cùm diceret, Hic eſt ſanguis meus, indiuiduum vagum: vt iſte delirat. Quia indiuiduum vagum eſt commune quiddam ad creaturam, ſecundùm nos, & ad corpus Chriſti. At iuxta Irenæum Chriſtus nõ huiuſmodi aliquid cõmune pronunciauit corpus ſuũ, ſed creaturã ipſam, ſecundùm nos, quã in manus acceperat.

Quod idem Pater dilucidiùs oſtendit in eodem capite, cùm paulò pòſt ſubdit: *Quomodo autem conſtabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ ſint, eſſe corpus Domini, & calicẽ ſanguinis eius, ſi nõ ipſum fabricatoris mundi filium dicant? id eſt, verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, & dat primum quidem fœnũ, pòſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum?* Iſta contra Valentinum, Martionem, ſimilesque peſtes dicuntur: qui Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti non credebant huius orbis fuiſſe creatorem: ſed ſomniabant à quodam alio malo principio iſta, quibus vtimur, fuiſſe condita. Quibus iſte præcipit, ſi ita ſit, vt deſinant hæc offerre in Euchariſtia: cùm fieri non poſsit, vt panis, in quo gratiæ actæ ſunt, ſit corpus Domini, ſi panis non ſit creatura Patris Ieſu Chriſti: quia tum Dominus non vtiq; ſuam, ſed alienam creaturam vſurpaſſet. Et ne illum putes, corpus Chriſti per metaphoram panem vocare, de illo pane ſe loqui ait, qui conficitur è ſpicis & tritico. Verùm de ijs, fauente Deo, aliàs fuſiùs.

Origenem poſt Irenæum teſtem accerſit, à quo, ſicut perſpicuum fiet, tantundem, atq; ab alijs iuuabitur. Homilia 9. in Leuiticũ ſic eum refert ſcribere: *Sed tu, qui ad Chriſtum veniſti, Pontificem verum, qui ſanguine ſuo Deum tibi propitium fecit, & reconciliauit te Patri, ne hæreas in ſanguine carnis, ſed diſce potius ſanguinem verbi: & audi ipſum tibi dicentem, quia hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſsionem peccatorum. Nouit qui myſterijs imbutus eſt, & carnem & ſanguinẽ verbi Dei.* Quid hinc noſter ſophiſta colliget? An carnem & ſanguinem Chriſti nõ eſſe puri hominis, ſed carnem & ſanguinem Verbi? Nos id fatemur, nunquam enim hoc negauimus. Neque Origenes hoc loco aliud monet, niſi vt ne hæreamus in ſanguine carnis. Quia ſi tantùm carnis ille ſanguis fuiſſet, Deum nobis minimè placaſſet. Quare ad ſanguinem Verbi eſt aſſurgendum, vnde noſtra redemptio fluxit. Illum cogitandum, & in eo inſiſtendum eſſe Origenes prædicat, ſi peccatorum condonationem volumus aſſequi. Nam verba Domini ſanguinem illum in hunc finem effuſum eſſe teſtantur: ait enim, *Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Quæ verba Chriſti, quia certiſsima fide nobis credẽda ſunt, ideò ſacramento Euchariſtiæ ab eo ſunt annexa, ibiq; nobis perpetuò inculcantur.

Chriſti ſanguis nõ eſt cogitandus vt puri hominis ſanguis.

Sed inde cõtra noſtram ſentẽtiam quid iſte tandem elicit? An vinũ in illũ ſanguinẽ per iſta verba eſſe tranſubſtantiatum? An verã ſubſtantiam ſanguinis Chriſti, quo redempti ſumus, operiri ſub ſpeciebus vini, atq; ibi vſq; dum aſſeruari queãt, latitare? Minimè omnium. Hoc tantùm docemur, in ſanguinẽ verbi credendũ eſſe: quia ſi fuiſſet vel alterius animãtis, vel puri hominis ſanguis, peccatores non redemiſſet. Iſta profectò nihil cauſam noſtrã lædunt: quandoquidem pretiũ quo redempti ſumus, nõ modò ſanguinẽ verbi eſſe damus, verũ etiam fideles communicãdo eo ſpiritualiter veſci credimus.

At, inquit, *verba illa ſua, nimirum, Hic eſt ſanguis meus, Chriſtus intellexit propriè non tropicè.* Vnde id habes? Certè ex verbis non potes hoc colligere. Nam quocunq; modo ſermonem illum accipias, ſignificat ſanguinem Chriſti, ſeu verbi, in remiſsionem peccatorum eſſe effuſum, quod Origenes ex verbis ipſius probare voluit.

Vidit porrò Inconſtãtius hoc teſtimonium parum iuuare ſuam cauſam, idq; viſum iri valde debile, niſi amplificatione, ac fucis commendaretur: quod facere non eſt grauatus, ne ſuo errori etiam Origenes vetuſtiſsimus author non videretur fauere: ideò ſubijcit, *Niſi verus ſanguis carnis daretur in calice, non eſſet, cur diceret Origenes, Non hæreas in ſanguine carnis.* Quid hîc agam? Quò me vertam? Sic iam exiſtimor verbis Origenis premi, vt nullum mihi pateat effugium. Sed reuocemus aliquantiſper hanc Origenis tractationẽ ad caput, vnde ſuum habuit exordium. Leuitici ſententia, quam interpretatur, hæc fuit: *Et ſumet de ſanguine vituli, & reſparget digito ſuo ſuper propitiatorium contra Orientem.* Super ijs Leuitici verbis Origenes ita commentatur: *Ritus quidem apud veteres propitiationis pro hominibus qui fiebat ad Deum, qualiter celebraretur, edocuit. Sed tu qui ad Chriſtum veniſti, Pontificẽ verum.* Docent hæc verba veteres vſos fuiſſe in legalibus expiationibus ſanguine victimarum: qui ſanguis erat carnis. At nobis expiationem ſeu remiſsionem peccatorum non conſtare ſanguine carnis, verùm ſanguine Chriſti, qui eſt verbum Dei. Sanguine itaq; Verbi pro nobis effuſo, remiſsionem peccatorum habemus. Et hoc præſtat ſanguis Dñi ſanguini victimarũ, quoniam nõ eſt ſanguis animalis bruti, aut nudi hominis, ſed verbi Dei. Proinde fide noſtra nõ debemus hærere in ſanguine carnis, aut vulgaris hominis: quia inde non habemus condonationem peccatorum: ſed tantùm in ſanguine Chriſti: quod ipſe teſtatus eſt, cũ diceret: *Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſsionem peccatorum.* Hac de re Chriſtus ſæpius Apoſtolos iam antea monuerat, & præſertim in Ioan. 6. Vnde & poſtremo tempore cœnæ voluit, quod alias ſimpliciter dixerat, externo ſymbolo, ne vnquã excideret, Eccleſiæ cõmendare. Nil autẽ ad veritatem hanc aſtruendã refert, ſiue in calice reipſa fuerit Chriſti ſanguis, ſiue tantũ ſignificatione offeratur. Quia ſemper manet eadem veritas, Dñi ſanguinem, verbi, inquam, ſanguinem, non carnis, datum eſſe pro redemptione peccatorum. Quod fide conſtantiſsima, ſi cordi nobis eſt ſalus noſtra, debemus amplecti.

Denique cùm non poſſet garriendi finem facere, velitq; teſtimonium hoc Origenis aliqua

bella

bella cõclusione obsignare, sic ait: *Atq; hoc est, qd Origenes ijs Christi verbis agit: quæ nisi proprio sensu intellecta fuissent, quæ dicit Origenes, non consisteret. Quid enim admoneret, ne hæreant in sanguine carnis, vbi nullus est sanguis, sed sola figura, vt figuratores volunt?* Mirabar si absq; cõuitio, & mendacio iste hinc discederet. Mentitur, vt solet, nos sentire, in communione solam dari figuram: cùm, vt sæpius dictum est, credamus, verum Christi corpus, & verum sanguinem credentibus offerri. Nobis verò, vt sibi videtur, magno conuitio, figuratores occinit: quasi nos primi in illis verbis Christi, tropi aut figurati sermonis fueri mus inuentores. Cur potius hac de re cum veteribus Patribus non expostulat? Nam illi & tropum, & figuratam loquutionem in ijs verbis & agnouerunt, & docuerunt. Sed ne videar stomacho nimium indulgere, hoc tantùm regeram: multò esse melius figuris & tropis, vbi veritas id exigit, vti, non cum pernicie, sed cum vtilitate populi Dei, quàm fidelium animis prætigijs & portentis ad illorum damnationem illudere.

Quæris, Gardinere, quid admonere potuerit Origenem, ne homines in sanguine carnis inhærerent, vbi nullus esset sanguis. Paucis accipito, cur id admoneat. Vt cùm in sanguinem Christi credimus, illumque credendo spiritualiter bibimus, quod maximè in sacra cœna fit, vbi commemoratio sanguinis Christi celebratur, in cruce pro nobis effusi, non sistamus in carne, sed illam cum diuina natura coniungamus, ex qua illa vim redimendi nostrum genus à peccatis obtinuit. Sic tibi responsum habeto, & desine aliquando tantum fumi legentium oculis offundere.

Cyprianum deinde aduocat, illum de cœna sic scribere: *Significata olim à tempore Melchisedech prodeunt sacramenta: & filijs Abrahæ facientibus opera eius, summus sacerdos panem profert & vinum: Hoc est, inquit, corpus meum. Manducauerunt de eodem pane secundùm formam visibilem. Sed ante verba illa cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat: sed ex quo à Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem: hæc est caro mea: & hic est sanguis meus, quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni consecratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit: simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.* Nil obstat, quantum video, quin in sententiam Cypriani manibus & pedibus descendã. Quare cùm in ijs verbis Inconstantius tam insolenter exultet, triumphum agit, cùm adhuc nulla parta sit victoria. Sed age, singula expendamus. Melchisedechum vmbram Christi gessisse non inficior. Vt enim ille Abrahæ milites refecit, ita Dominus relinquendo sacramentum cœnæ, Dei Patris exercitum, Ecclesiam, inquam, suam perpetuò instaurat. Sed vt non legimus panem & vinũ à Melchisedecho fuisse oblatum Deo: ita in Ecclesia non offeruntur Deo corpus & sanguis Christi, nisi per oblationem intelligas memoriam, & gratiarum actionem.

Neque illud inficiamur, quod sequitur, panem Eucharistiæ ante consecrationẽ, & priusquàm ad sacrum vsum cœnæ porrigatur, corpori tantùm nutriendo esse commodum: at in sacro ministerio ad totius hominis vitam salutemque proficere: nempe quòd institutum Domini, & verbum eius accesserit. Quomodo verò sancta Eucharistia pertineat ad totius hominis vitam salutemque, ita declaratur. Primùm quidem est ibi panis ac vini cibus naturalis. Non enim, vt præstigiatores fingunt, earum rerum substantia discedit. Deinde instituto & verbo Christi adiecto, qui comedunt fide, animo plurimùm vegetantur, & mentis huiusmodi pastus atque instauratio in corpus redundat, idque felicis & æternæ vitæ capax reddit, atque indies ista ratione instrumentum Spiritus sancti efficit, magis idoneum ad opera Dei sancta & incorrupta præstanda. Id tantùm dico à Cypriano figuratè dici, seu tropicè: Eucharistiam sacrificium ac holocaustum esse, ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates: siquidem est monimentum illius holocausti vnius, quo verè purgati & sanati sumus. Non autem dici potest holocaustum propriè. Verùm Patres id sibi perpetuò permiserunt, vt rei signi ficatæ nomẽ signis attribuerẽt, Christum imitati, q suũ corpus dixit, sui corporis sacramentũ.

Eucharistia facit ad totius hominis vitã, et salutem.

Quomodo Eucharistia dicatur holocaustum.

Friuolum autẽ est, proprietatem sermonum Christi, quibus dicit, Hoc est corpus meum: ex eo colligere, quòd Cyprianus loco huius vocis Corpus, supposuit Caro: quasi non possit caro dici, quod est sacramentum carnis: vt corpus dicitur, quod est corporis sacramentum. Quid hoc aliud est, quàm muscas per aerem venari? Quemadmodum aũt pollicitatio facta Ioan. 6. de carne danda ad manducandũ intelligenda sit, satis superq; superius est explicatum. Nihil enim de pane mystico cœnæ ibi Dominus est loquutus: tantùm suam carnem promisit nostrum fore cibum, eamque fore nobis instar panis, quo spiritualiter essemus reficiendi. Atque hanc suam carnem, suumq; panem spiritualem tum dedit, quãdo pro nobis in cruce mortuus est, & quando eam hodie offert fidelibus in verbo & sacramentis à se institutis.

At si, vt isti præstigiatores vrgent, Christus cùm diceret 6. Ioan. *Panis, quem ego dabo, caro mea est*: respexit ad Eucharistiæ symbola, cur illa panem abijciunt? Nam si panis, vt dicitur, est caro Christi, debet manere panis. Alioqui nõ erit caro, si nihil sit. Aut cur Christus non dixit, Sub accidentibus panis est caro mea? Si panis euanescit, & sola eius manent accidentia, non potest dici, panis est caro mea. Deinde si locus Ioannis, transferatur ad cœnã Domini, & præsertim ad ea verba, *Hoc est corpus meum*, non demonstrauit Christus indiuiduum vagum, vt fingit Inconstantius, sed panem ipsum, vt vera esset pollicitatio, *Panis est caro mea.*

Locus, Panis quem ego dabo, caro mea est.

Notandum præterea, cũ Cyprianus ita scripserit, Quotiescunque his verbis, & hac fide

actum est, sophistam hæc verba subijcere: Hic arripiet verbum fidei, sectarius, & clamabit, efficaciam fidei. Imò fidem exigit Cyprianus, ne quis putet incantatoria verba esse, quæ à quouis sine Deo dicta hæc efficerent: sed credamus Domino, qui hæc iussit fieri. Sed sectarius iste, postquam Inconstantio ita libuit eum appellare, dicet Cacolyco, dicet Inconstātio, dicet præstigiatori: Si Cyprianus exigit fidem, cur vos ista verba mussitatis, vt non audiatur à plebe? *Contra mussitationem, et linguam peregrinā.* Cur illa pronunciatis Latinè, vt non intelligantur? Profectò si fides illis adhibenda est, & audiri, & intelligi ea oportet. Quid præterea sibi voluit, cùm adderet, Ne quis putet incantatoria verba esse, quæ à quouis sine Deo dicta, hæc efficerent? Nonne hîc rursus dici potest huic Cacolyco, Quid si vester sacrificus, vt sæpe accidit, sine Deo esset, & impius? An hæc, quæ fingitis, portenta non efficeret, vt verbis illis panem vinumque transubstantiaret? O vos miseros. Tum enim non corpus Christi, sed frustum panis, poculumque vini habebitis: hæc vt Christum adorabitis: ista pro carnibus & sanguine Domini comedetis. Malè certè vobiscum agitur, si verba hæc à quouis sine Deo dicta, ista, quæ fingitis, & credi vultis, non efficiant.

At, inquit, *secundùm fidem Ecclesiæ fiet hæc mirabilis verborum operatio. Quæ verba proprio sensu accepta, & interpretata fuisse constat, cùm ad probandam istam mirabilem mutationem allegentur.* Quid si Ecclesia præstigiatricem istam vestram operationem non credat? Vt reuera maximæ illius parti semper fuit incognita: nec etiam credi potest, cũ verba Dei talis mutationis nusquā meminerint: *fides autem sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Quare vbi non est verbum Dei, nec fides esse potest. Adhæc, nónne passim clamatis, Veritatem sacramentorum non à vi fidei pendere, sed ab instituto Domini? Quomodo ergo nunc dicitis, Cyprianum fidem exigere, atq; illum interpretamini, secundùm fidem Ecclesiæ fieri hanc mirabilem verborum operationem? Sed mirum non est, si hac de re vobis ipsi non constatis: quia mente alienata stilo tantùm scribitis, & voce loquimini.

Athanasio adhæc, Patre certè incomparabili, mendacium suum quærit confirmare. Verba eius adducit, quæ à Theodoreto citantur in dialogo 2, *Corpus est ergo, cui dicit: Sede à dexteris meis: cuius etiā fuit inimicus diabolus, cũ malis potestatibus, & Iudæi, & Græci: per quod corpus Pontifex, & Apostolus, & fuit, & dictus est, per id quod nobis tradidit mysterium dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Sanguis noui Testamenti, non Veteris, qui pro vobis effunditur. Diuinitas enim neque corpus habet, neque sanguinem, sed homo, quem ex Maria portauit. Quid Athanasius his verbis concludere studeat, ipse non expediā, ne credar aliquid fingere: testimonio ipsius Gardineri contentus ero. Hoc agit Athanasius, inquit, vt ostenderet Christum fuisse verum hominem, quem ex Maria sumpsit. Ideoque nouæ legis Pontifex est & Apostolus.* Huc vsq; non exorbitat: ideò hactenus illi credo. Eos hæreticos oppugnabat Athanasius, qui Christum verum hominem fuisse non credebant: fabulabanturque corpus eius phantasma fuisse. Quod si daremus, Christus verè per mortem sese non obtulisset in cruce, nostræ liberationis causa: & ob id neque Pontifex fuisset, neque Apostolus. Quis enim Pontifex appellatur, qui victimā non offerat? Quisve Apostolus nostræ redemptionis dicetur, qui nos non redemerit? At si vero corpore caruit Christus, neutrum fecit. Fuisse autē illum verè Pontificē & Apostolum: id est, suum corpus in cruce sacrificasse, ac nos redemisse, luce clarius probatur ex verbis ab ipso in cœna extrema recitatis. Ibi enim dixit, corpus suum pro nobis dari, & sanguinem suum pro nobis effundi in nouum testamentum. Qui potuit apertius demonstrari, Christum habuisse verū corpus, & verum sanguinem: cùm ipse ibi testetur, hæc in nostram redemptionem dari? Quare conficitur ineluctabili argumēto, illum per corpus & naturam humanam verè fuisse Pontificem nostrum & Apostolum.

In eo verò fallitur, & fallit Inconstantius, quod subdit: *Atq; hunc pontificatum & apostolatum Christum in eo demonstrasse nobis constat, quòd mysterium tradiderit, dicens: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Adeò ijs verbis propria humanitatis natura monstratur, vt necesse habeamus, de vero corpore suo loquutum fuisse Christum intelligere, & hominis corpore ex Maria sumpto, vt secundùm illud veritas apostolatus & pontificatus constet, vt in vera carne missus Deus & homo, & hinc Apostolus veram etiam carnem immolaret Deus & homo, vnde sit etiam Pontifex.* Possem vno verbo respondere, ex istis verbis cœnę confici, vt iam sum confessus, Christū habuisse verum corpus, & verum sanguinem. Quod enim posset esse sacramentum veri corporis, & veri sanguinis Domini, si ille nullum verum corpus, nullumque verum sanguinem habuisset? Vt enim inquit Tertullianus, quem locum nos antea citauimus, aduersus Martionem lib. 4. *Figura non fuisset, nisi veritatis esset corpus.* Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figuram capere non potest. Ideò connexa hæc sunt, & quidem firmissimè: Christus in cœna tradidit sacramentum veri sui corporis, & veri sanguinis: igitur, verum corpus, & verum sanguinem habuit. Quia rei fictæ, & quæ non sit, nullum potest solidum verumq; dari sacramentum: nisi velimus, ea verba, quibus constat sacramentum, mendacia & falsa esse.

Sed video ex ijs verbis duo assumere nostrum sophistam, omnino erronea: ideoq; non sunt prætereunda. Vnum est, quòd nobis videtur adscribere opinionem, qua putemus, in verbis Domini, *Hoc est corpus meū*, illam vocem Corpus, vmbram, phantasma, aut figurā signi ficare: quod ne per phrenesim quidem vnquā somniare potuimus. Corpus enim in ea propositione verū Christi corpus significat, cuius panis est sacramentum. Et quia sacramentum est corporis, nomen illius gerit, & metaphoricè dicitur corpus Christi. Sed vox illa Corpus omnibus credentibus verissimū corpus Domini significat: de quo gratias agimus Deo, quòd

Nos non dicimus vocabulum Corpus in verbis Domini significare figuram.

pro

pro nobis in cruce datum fuerit: & illud idem mente fideque percipimus instar cibi salutaris ad æternam vitam.

Christus in cœna verũ corpus non immolauit.

Alterum, in quo vehementer hallucinatur, est, quòd putat Christum in mensa cùm Apostolis daret sacramentum, verè corpus suum immolasse, & ob illam actionem dictum illum esse Pontificem & Apostolum: quę sententia quàm sit absurda, & ridicula, nihil nunc attinet multis ostẽdere: quia posthac, provt ille hoc suum somnium stabilire nitetur, prolixius occurrendum erit. Nunc sit satis rem attigisse, vt Lector videat, in quo iste versetur errore.

Sed vt ad Athanasium redeam, cogitare apud se debuit Gardinerus, non esse inter nos vllam controuersiam, an Christus verum corpus habuerit: id enim nos non minus constanter fatemur, quàm Inconstantius. De eo contendimus, an illud verissimum Christi corpus in pane realiter adsit, & sub eius accidentibus deliteſcat. Hoc ille ex Athanasio & alijs Patribus probare debuit. At quando id præstabit? Tum puto, cùm Inconstantius erit constans, cumq; Gardinerus, Gardinerus esse desierit. Tamen quòd dixerit, nempe in cœna Christũ corpus suum & sanguinem sacrificasse, verbis Hesychij probare contendit: qui Leuitici 1. cap. 4. scribat: *Tum autem Christus in cœna voluntatis suæ nos certos reddidit, verè corpus suum daturus crucifigendum manibus militum, quod proprijs manibus in mysterio dedit manducandum.* Miror quomodo hæc verba iste iudicet huc pertinere. Certè nisi ei lippirent mẽtis oculi, nihil huiusmodi hic videret. Quis nesciat, verum Christi corpus militibus datũ crucifigendũ, & Apostolis comedendum? Hoc nihilosecius nobis videtur, quàm illi. Sed addendum est, alia ratione datũ militibus, quàm Apostolis. Nam à militibus crucifigi non potuit, nisi re ipsa, & corporaliter inter illorũ manus adfuisset. Verùm ab Apostolis in sacramento & per fidem spiritualiter comedi potuit, licet in pane, aut sub eius speciebus non concluderetur, sed loco ab ore comedentium distaret. Ideò perperam colligit Inconstantius, cùm sic infert: *Quare dicit Athanasius, per id quod tradidit mysterium, fuit, & dictus est Pontifex & Apostolus.* Quòd nisi proprium corpus illis verbis dedisset, non potest intelligi vt seipsum, nõ sui ipsius figuram immolasse diceretur.

Quæ, malum, impudentia est, vt nos perpetuò sic traducat, quasi dicamus Christũ suis verbis non dedisse suum proprium corpus? Id enim non negamus: sed animo, ore, manibus, pedibus, & toto corpore fatemur. De modo tantũ altercatio est, quo verum Christi corpus in sacramẽto detur. Quamobrem istum potiùs iocari, quàm disputare dixeris: fingit enim aduersarios dicere, quæ non dicunt: & Patres dicere comminiscitur, quæ in eorũ verbis ab ipso adductis nusquam leguntur. Scripsit quidem Athanasius Christum per corpus suũ & fuisse, & dictum esse Apostolum, & Pontificem: & id probauit per verba, quæ tradẽdo discipulis mysterium dixit: sed illum suum corpus, atq; sanguinem tum in cœna sacrificasse, Athanasius in adducto loco non dicit. Dixit quoq; in Leuitico Hesychius, corpus Christi traditũ militibus crucifigendum, & Apostolis comedendum: at in cœna immolatũ nõ dixit. Concedimus itaq; Christum per illud idem corpus, qd' Apostolis tradidit in cœna comedendum, & dictum, & re vera fuisse Pontificẽ & Apostolum: quia illud in cruce sacrificauit, & nos à morte redemit. At non ea causa Pontifex fuit, quod illud in mensa communicando cũ Apostolis immolarit: quandoquidem tota illa cœnæ actio ad mortem futuram & crucem, referebatur. Ideoque corpus non tradidit præsens in pane, sed fide ac mente vnà percipiendum cũ cibo & potu commendauit. Quorsum autẽ dicat, Christum non immolasse sui figuram, ipse viderit. Nos enim in mensa neq; panẽ, qui figura fuerit, neq; suum corpus illum immolasse prædicamus. Verùm iste sua vanissima suspicione per corpus nos vmbram existimat intelligere, quam velimus à Christo in cœna sacrificatam concedere.

At fortasse Iuuencum Christianum poetam magis habebit propitium, q̃ Hesychium: & ex eo apertè colliget, Christum in cœna seipsum sacrificasse. Carmina eius, quę citat, ita se habẽt:

Hæc vbi dicta dedit, palmis sibi tangere panem,
Diuisumq; dein tradit, sanctęq; precatus:
Discipulos docuit proprium se tradere corpus.
Hinc calicem sumit Dominus, vinoq; repletum
Gratis sanctificat verbis, potumq; ministrat:
Edocuitq; suum se diuisisse cruorem.
Atq; ait, hic sanguis populi peccata remittet,
Hunc potate meum, &c.

Ista quoq; Iuuenci pia carmina Christum ne vel syllaba quidem testantur, in sacra cœna suum corpus, aut sanguinem sacrificasse. Neq; porrò id fieri potuit: nisi velimus dicere, Dñm non vno sacrificio, vt epistola ad Hebræos docet, salutem nostram consummasse, sed duplici, quasi priore non potuerit litare. Deinde, si fuit in cœna sacerdos, vt volunt, iuxta ordinẽ Melchisedech, incruentũ offerendo sacrificium, qualis in cruce sacerdos fuit, vbi sanguis est effusus? Nil deest ad illorum stultitiam Ecclesiæ propinandam, nisi vt dicant, quemadmodum insipidissimus rabula Smythæus aliquando scripsit, & postea publicè Londini ad Crucem D. Pauli recantauit, Christum in cruce tantùm fuisse Sacerdotem, secundùm ordinem Aaronis.

Papistæ duo Christi sacrificia cõstituunt.

Smythæi error & recantatio.

Iuuencus, inquit Gardinerus, nullam figurę mentionem facit. Quid tum? Num propterea negat panem vinumq; signa fuisse corporis & sanguinis Christi? Imò, inquit, proprietatem sensus illorũ verborum significari curauit, addito ad verbum Corpus, adiectiuo, Proprium. Quasi nos vnquã dixerimus, Christum dedisse Apostolis manducandum nõ suum corpus, sed alienum. Non de corpore dato contendimus, sed de modo, quo detur. Vos corporaliter & realiter præsens illud dari contenditis, nos verò spiritualiter, & fide percipi. Emissenus post hæc imploratur, qui testimonium dicat contra nos: vt longa Patrum serie magnificè se iactet Incon-

De modo contenditur, non de re.

Inconstantius, quasi stent vniuersi ab eius sententia. Quid tandem Emissenus ait? *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substãtiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite, & bibite, Hic est sanguis meus.* Creaturas Patres dicere, mutari aliquo modo, & conuerti, dum sacra cœna celebratur, non ignoramus: verùm nõ ita, vt suam naturam vel substantiam relinquãt: sed vt fiant sacramẽta substantiæ corporis Christi. Sed ait Sophista, *Ex ijs quæ habet Emissenus, liquidò apparet, in verbis Christi vocabulũ Corpus, corporis substantiam significare. Nam scribit, in substantiam corporis fieri conuersionẽ.* Conuersio quomodo ponenda sit in sacramento, satis est dictum. Corpus autẽ significare substantiam concedimus. At cùm Dñs inquit, *Hoc est corpus meum*: nõ est videndum, quid verba significent, sed quomodo res significatæ verbis iungantur. Subiectum illius propositionis panem demonstrat: prædicatum, nempe corpus, verè substantiam corporis Christi significat. At ista non iunguntur ipsa re, atq; corporaliter: sed vt signum, vel sacramentum, seu memoria cum re indicata: vel vt instrumentum cũ effecto. Quia symbola illa non modò sunt corporis & sanguinis Christi signa, sed etiam instrumẽta, quibus vtitur Spiritus sanctus ad nos alendos spiritualiter corpore & sanguine Domini.

Symbola nõ tantùm signa sunt, sed instrumenta sunt Spiritus S.

Excipit Sophista, *Si sic esset, vt figuratores volunt, dixisset, Emissemus, non quomodo nunc dicit, in substantiam corporis, sed in figuram corporis, vel sacramentum corporis fieri conuersionem.* Si non ita dixit, tamen ita sensit: & quod ille non dixit, alij Patres dixerunt: qd Inconstantius nunc videtur pro solita sua simplicitate dissimulare. Vtq; alios taceam, proferam Tertullianum. Is contra Martionem lib. 4. ait, *Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, figura corporis mei.* Audis non me, sed Tertullianum explicantem, quid vetus Ecclesia crediderit? Corpus suum Christus panẽ fecit: quia dedit illi, vt in hoc sacramẽto sui corporis figura esset. Augustinus item contra Adimantum Manichæum lib. 6. cap. 12. scribit: *Non enim dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meũ, cùm daret signum corporis sui.* Audis ex ijs Augustini & Tertulliani verbis, quomodo panis fiat Domini corpus? Verùm ne longior sim, abstinebo à catalogo Patrum citãdo, qui verba Domini sic intellexerint. Nam alibi cõmodius eorum sententiæ patefient. Hoc tantùm in præsentia annotare volui, vt Gardinerus desinat aliquando tam ineptè cauillari: & discat quòd in aliquibus verbis Patrum non videtur haberi, quærere an alibi apud eosdem legatur.

Patres figuram in hoc sacramento agnouerũt.

Basilij præterea verba citantur in Quæstionibus compẽdio explicatis, Interrogatione 22. Vbi cum interrogaretur, quanto cum timore, qualiúe cũ animi persuasione affectioneúe corpus & sanguinem Christi communicemus, ita respõdit: *De timore quidem habemus Apostolum, qui ait: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Fidem autem faciũt verba Domini, qui dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Ecce,* subdit Inconstãtius, *quomodo Basilius hæc verba Christi, Hoc est corpus meum, illa dixit, quibus fides nostra innitatur: & consequenter ea vult nobis fidem facere corporis vere dati, vt intelligamus verum corpus comedendum dari.* Facilè simplex aliquis huius versuti prælatoris laqueis caperetur, nisi Patrum, quos adducit, sententias acutius diligentiusque ex consequẽtibus illorum sermonibus expenderet. Vult Inconstantius Basilium his verbis ostendere, opus esse credere, corpus Christi realiter & corporaliter præsens communicãtibus dari. At non ita res habet. Communicantes docuit Basilius debere afferre secum & timorem, & dilectionem. Timorem, inquit, docet nos Apostolus, dicens: *Qui edit & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Dilectionem verò siue charitatem nos inde vult nanciſci, quòd fidem adhibeamus verbis Domini, qui dicens, *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur,* testatus est, se suum corpus dare in mortẽ pro nobis, & sanguinem fundere. Quis enim eum nõ diligat, qui sic nos amauit, vt cùm ditissimus esset omni bonorũ genere, atq; in summa gloria, nostra causa morti sese obtulerit, idq; morti crucis, in demississimi abiectiúque serui forma? Vt hoc intelligamus, accendamurque ad Dominum nostrum amandum, verbis illius plena fides est adhibenda. Verùm Gardinerus putat, Basilium fidem ideò tantùm retulisse, vt per illa verba credamus, nobis in cœna dari corpus Domini verè, corporaliter, atque realiter præsens. Non inficior quidem credendum esse, communicantibus dari cum pane ac vino verum Christi corpus, spiritualiter quidem, ac fide percipiendũ. At fidem Basilius in suis verbis eò non retulit, sed ad Christum pro nobis in mortem traditum. Ex qua fide in nobis erga ipsum accenditur charitas.

Communicantibus et timor, & charitas Christi debet adesse.

Ita verò se habere, verba ipsa Basilij, quæ adiuncta sunt, luculenter testantur. Sic enim scribit: *At verò certitudinis perfectionem inducit fides verborum Domini, quibus dixit: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur, Hoc facite in mei commemorationem: & cùm testimonium Ioannis prius gloriam verbi testatum sit, & incarnationis modum induxerit, cùm dixit: Et verbum caro factum est, & habitauit inter nos, & vidimus gloriã eius, gloriam velut vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate: & cùm Apostolus scripserit: Qui cùm in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo: sed se exinaniuit forma serui assumpta, in similitudinem hominum constitutus, & habitu repertus vt homo, humiliauit seipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Cùm igitur anima ijs, & talibus verbis credens maiestatem gloriæ didicerit, & excellentiam humilitatis ac obedientiæ admirata fuerit, quòd talis ac tantus obediuit patri vsque ad mortem pro nostra vita, arbitror, quòd acquisierit affectum ad dilectionem, tum erga Deum & Patrem, qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum: tum erga vnigenitum ipsius Filium, qui obediuit vsque ad mortem pro nostra redemptione & salute. Et potest sic Apostolum sufferre, qui velut terminum quendam sanis exposuit, bonam in his conscientiam, dum inquit:*

Charitas

Charitas enim constringit nos, illud iudicantes, quòd si A
vnus p omnibus mortuus est, ergo omnes mortui erant:
& pro omnibus mortuus est, vt viuentes non amplius
sibi ipsis viuant, sed ei qui pro eis mortuus est, & resur-
rexit. Talem affectum ac præparationem debet habere
is, qui particeps sit panis & poculi. Hæc beati Basilij
est integra respõsio, qua statuit oportere illum,
qui communicat, cũ timore, tũ dilectione Dei
ornatũ esse. Timorem concipiendum ostendit
ex imminẽte iudicio, si indignè comederimus:
Charitatem verò, si verbis scripturæ fidem ha- B
beamus, quibus ea Christi mortẽ pro nobis, &
obedientiã commemorat. Et inter verba, quæ
hoc testentur, locũ illis tribuit, quibus Dñs ait:
Hoc est corpus meũ, quod pro vobis traditur:
Hoc facite in meam commemorationẽ. Iactet
modò vt vult, noster Thraso suam diligentiam
in Patribus excutiendis: cũ ex illorum armen-
tario arma proferat, quibus aut nostra causa ni
hil lædatur, aut ipse turpissimè iuguletur.

Sequitur Epiphanius, quem ille in hæc ad- C
ducit verba: *Et quot sunt, quæ similia sunt? Videmus*
enim quod accepit Seruator in manus suas, velut Euan-
gelium habet, quòd surrexit in cœna, & accepit hæc, &
vbi gratias egisset, dixit: Hoc meum est, hoc, & hoc: &
videmus, quòd non æquale est, neq; simile, non imagini,
non inuisibili deitati, non lineamentis membrorũ. Hoc
enim est figuræ rotundæ & insensibile, quantum ad po-
tentiam: & voluit per gratiam dicere: Hoc meum est,
hoc, & hoc: & nemo nõ fidem habet sermoni. Qui enim
non credit esse ipsum verum, sicut dicit, is excidit à gra- D
tia & salute. Quod autẽ audiuimus, id credimus quod
est ipsius: Dominum nostrum nouimus totum sensum,
totum sensitiuum, totum Deum, totum mouentem, to-
tum operantem, totum lucem, totum incomprehensibi-
lem: sed qui cũ gratia hæc nobis largitus est. Hæc Epi
phanius, qui in hanc cœnæ Dñi commemora-
tionem dilapsus est ob eam causam, quòd iam
disputãdo, Quomodo factus esset homo ad ima
ginem Dei, cõcluserat, nos, quamuis rationem
huius imaginis neq; in corpore, neq; in mente E
videamus, tamen verbis scripturæ omninò de-
bere credere: quæ ita esse testatur. Quemadmo
dum & verbis Christi credẽdum est: qui quod
acceperat in manibus, quodq; rotundæ figuræ
erat, & insensibile, quantũ ad potentiam, non
æquale, neq; simile, id corpus suũ esse dixit. Et
qui non credit esse, vt dicit, excidit à gratia & sa
lute: quãuis inter corpus Christi, & ea quæ ille
cepit in manus, magnum sit discrimen. Hanc
summam Epiphanij sermonum esse fatemur. F
Quærat modò Gardinerus, contra quem hæc
faciant. Mihi videtur iste Pater ipsi cùm primis
aduersari. Is enim semper iactat Christum de-
monstrasse indiuiduũ vagum, de quo dixerit,
quòd suũ corpus esset. Siquidem Epiphanius
ait, Corpus Christi dictum de eo, quod erat ro-
tundæ figurę. Certè vagum indiuiduum nõ est
alicuius certæ figuræ. Cùm enim figura termi-
natur, iam non vagum est, sed definitum. Vter,
quæso, nostrûm hîc læditur? Inconstantius, an G
ego? Ego certè panẽ demonstratum aio: quod
Epiphanius fatetur, cùm dicat eum rotundæ
fuisse figuræ: Inconstantius negat, & cùm non
habeat quod dicat, indiuiduum suum vagum
vnà cum sophisticis theologis nobis ventilat.
Non enim ipse tam acutus erat, vt hæc per se
inuenire, atque excogitare potuerit. Panem
verò credimus esse, quod Dñs dicit, nimirum
corpus suum: at nõ simpliciter, sed certo quo-
dam modo: quòd sit corporis eius sacramentũ:
idq;, vt Epiphanius ait, per gratiam, aut cũ gra
tia. Nam si fide percipiamus hunc panem, in-
strumentũ est, quo nobis corporis Christi me-
rita, spiritus & gratia communicatur. Neq; ad
hoc, vt ista sint, vel fiant, requirimus in ipso pa
ne similitudinem, figurã, aut lineamenta mem
brorum, & corporis Christi.

Sed, inquit Gardinerus, *hoc pacto argumenta-*
tio illa Epiphanij tota concidit, & ceu inepta deridebi-
tur. Quia in figura corporis, quæ non sit vel picta, vel
sculpta, sed alterius rei exhibitione notata, nulla exige-
ret lineamẽta membrorum, nisi qui stultus esset. Stul-
titiæ certè huius tua papistica ecclesia potest
meritò coargui: quæ ne desiderarentur huius-
modi imagines ac lineamenta, in pane illo ve-
stro missario imagũculam quandam expressit
Domini pendentis in cruce. Nos verò quia si-
militudines huiusmodi, aut lineamẽta nõ quæ-
rimus, verbo Domini acquiescimus, & credi-
mus panẽ in cœna suo modo esse corpus Chri-
sti: sicuti hominem etiam suo modo credimus
esse imaginem Dei. Cur itaq; concidit Epipha
nij ratio? Vt enim nos ad imaginẽ Dei sumus
nostro quodam modo, qui tamẽ dij per substan
tiam non sumus, cùm inter nos & Deum, nec
quoad corpus, nec quoad mentem, appareat vl
ua & solida similitudo, quam cum Deo habea-
mus, & tamẽ concedimus sic se rem habere, vt
scriptura testatur, ita etiam panẽ corpus Chri-
sti suo modo esse credimus, vt verba Dei nos
docent: qui tamẽ per substantiam corpus Chri
sti non sit, neque inter illum & corpus Christi
necessaria similitudo appareat. Si Gardinerus
huius rationis euidentiam non videt, haud est
mirum: quia suo more cæcutit in Sole.

Videamus adhæc, quid Ambrosius habeat,
qui de iis qui initiantur cap. 9. sic dicit: *Ipse cla-*
mat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum. Ante bene-
dictionem verborũ cœlestium, alia species nominatur,
post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse di-
cit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dici-
tur: post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu di-
cis, Amen: hoc est verum. Quod os loquitur, mens in-
terea fateatur. Quod sermo sonat, affectus sentiat. Hęc
Ambrosius. Contẽdit Inconstantius, ehemen
tia sermonis, & ijs verbis, *Ambrosiũ proprietatem*
sermonum amplectandã indicasse mente, & exprimen-
dã affectu. Sed quicquid ille dicat, nos purè sim-
pliciterq; Ambrosiũ admittimus: neque plura
ex eius verbis elicimus, quàm quæ ipsa expri-
mant. Imò gratias Deo agimus, qui tale huius
patris voluerit extare pro veritate testimoniũ:
in quo audimus, qd & ipse Gardinerus vidit,
corpus Christi significari, dici, nũcupari: q̃ nos
etiã affirmamus: neq; solùm credimus, verùm
pro isto sensu, tanquam pro legitimo, labora-
mus. Imò ijs ipsis Ambrosij verbis pro exposi-

tione vtimur, cùm aut ipſe, aut alij Patres aliter videntur loqui. Nam hinc apparet euidenter, quid Eccleſia tum temporis crediderit, licet interdum amplioribus, auguſtioribusque verbis in hoc explicando ſacramento vteretur.

Quemadmodum fecit idem Ambroſius in 4. libro de Sacramentis, capite 5. quod nobis Inconſtantius obijcit: *Vide, omnia illa verba Euangeliſtæ ſunt, vſque ad, Accipite, ſiue corpus, ſiue ſanguinem. Inde verba ſunt Chriſti: Accipite, Bibite ex eo omnes: Hic eſt ſanguis meus: vide ſingula. Qui pridie, quàm pateretur, in ſanctis manibus ſuis accepit panem. Antequamconſecretur, panis eſt, vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Denique eum audi dicentem: Accipite, edite ex eo omnes: Hoc eſt corpus meum. Et ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit.* Hactenus Ambroſius: in quibus eius verbis Gardinerus notat, quatenus hæc verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meũ, dicit operatoria eſſe, ita vt quod ante conſecrationem panis eſſet, poſt ea prolata ſit corpus Chriſti, propriam illorum verborum ſignificationem eſſe, probari quàm euidentiſſimè.* Primùm Lector, quæſo, mihi diligenter conſidera: poſſe concedi, verba Chriſti operatoria eſſe: quid autem faciant, ſæpe diximus: nimirum, vt panis & vinum ſacramẽtum ſint corporis & ſanguinis Chriſti: quod antea non erant. Quod verò iſte ſemper vrget propriam ſignificationem verborum, neſcio profectò, cum quibus rixetur. Nos enim in verbis Domini, Panem, ſignificare panẽ dicimus? &, corpus, nil aliud, quàm ipſum verum Domini corpus. At nodus & ſtatus quæſtionis eſt, quomodò corpus Domini cũ pane cohæreat. Hoc nos dicimus, panem ſacramentum eius eſſe, aliud referre, eſſeque illius figuram & ſimilitudinem. Et loquutionẽ illam: *Hoc eſt corpus meum*, non propriam, ſed metaphoricam, & tropicam eſſe affirmamus. Significationem autem propriam vocibus relinquimus. Quis dubitat, iſtas voces, Corpus, Carnem, & Sanguinem, nil aliud ſignificare, quàm corpus, carnem, & ſanguinem? At illud eſt, quod contendimus, quomodo hęc ſignificata, corporis, inquam, carnis, & ſanguinis, ad panem vinumque transferantur. Iſte autem præſtigiator & importunus ſophiſta nobis perpetuò impingit, quòd corpus, aut carnem, aut ſanguinem intelligamus figuram corporis, aut ſanguinis. Qua in re cùm impudenter mentitur, tũ facit nobis grauem iniuriam. Nos enim id tantùm declaramus, quomodo propria illa ſignificata iſtarum vocum, vel pani, vel vino queant conuenire. Et panem, vinumque, atque hæc elementa, earum rerum ſacramentum & figuram eſſe dicimus.

Ambroſius autem, vt ad illum redeam, quomodo panẽ vinumq; Chriſti corpus & ſanguinem, aut fieri, aut eſſe intelligat, ſatis ſuperq; ex loco iam adducto ab Inconſtantio, demonſtratum eſt. Sed ne iſte cauilletur, hunc Patrem ſolùm ibi eodem modo loquutum eſſe, oſtendamus illum & alibi ſe ad eundem modũ eſſe interpretatum. In libro 4. de Sacramen. cap. 4. ita ſcribit: *Sicut enim mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis, vt nullus horror cruoris ſit.* Audis hic nomen ſimilitudinis: clamites quantum libet, nos eſſe figuratores. Ambroſius ita loquitur. Et ne ſimilitudinem fingas rei præſentis, ait, *Sicut ſimilitudinem mortis ſumpſiſti.* Quis autem dixerit, mortem Chriſti realiter, vt ita dixerim, præſentem in cœna Domini ſumi, aut adeſſe? In eodem lib. cap. 5. ſcribit idem: *Fac nobis hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilẽ: quod eſt figura corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hîc quoq; uocem figuræ habes. Quid ergo nobiſcũ expoſtulas? Cum Patribus digladiare, ſi velis, qui paſſim ita loquuntur. Libro etiam 6. cap. 1. idem autor ita ſcribit: *In ſimilitudinem quidem accipis ſacramentum: ſed veræ naturæ gratiam, virtutemq; conſequeris.* Quid his clarius dici poteſt ad noſtram ſententiam enucleandã & confirmandam? Et in cap. 11. 1. epiſt. ad Corint. de Euchariſtia loquẽs, ait: *Memoria enim noſtræ redemptionis eſt, vt redemptoris memores maiora ab eo conſequi mereamur: mortem Domini annuntiantes, donec veniat. Quia enim morte Domini liberati ſumus, huius rei memores in edendo et potando carnem & ſanguinem Domini, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus.* Rurſus idem Ambroſius hoc loco ſignificationem adfert, quã ad hoc ſacramentũ accõmodat. Et ibidẽ adhæc habetur, *Teſtamentum ergo ſanguine conſtitutum eſt, quia beneficij diuini ſanguis teſtis eſt: in cuius typum nos calicem ſanguinis myſticum, ad tuitionem corporis & animæ noſtræ percipimus.* Hîc quoq; calicem myſticum appellat typum. Quis aũt ignorat typum nihil aliud ſignificare, quàm formam, figuram, & exemplar? Prolixius de Ambroſio hæc referre volui, non quòd in aliis Patribus eædem loquutiones nõ reperiantur: ſed quia iſtum præ cæteris Patribus iactant aduerſarij nobiſcum pugnare. Dabitur etiã alibi locus ad excutiendos alios, & ad oſtendendum ex iſto etiam ipſo Ambroſio, panem in Euchariſtia non tranſubſtantiari. Sed non omnia poſſunt aut debent ſimul explicari.

Miſſo Ambroſio, Theophilũ Alexandrinum in libro 2. Paſchalis adducit in hæc verba: *Conſequens enim eſt, vt qui priora ſuſceperit, ſuſcipiat & quæ ſequũtur: & q pro dæmonibus dixerit Chriſtum crucifigi, ad ipſos quoq; dicendum eſſe ſuſcipiat, Hoc eſt corpus meum: & accipite, & bibite, Hic eſt ſanguis meus. Si enim & pro dæmonibus crucifigitur, vt nouorum dogmatum aſſertor affirmat, quod erit priuilegiũ, aut quæ ratio, vt ſoli homines corpori eius ſanguiniq; communicent, & non dæmones quoq;, pro quibus in paſſione ſanguinem fuderit?* Hæc Theophilus. Verba huius Theophili ſic Gardinerus ad ſuam cauſam pertrahit: *quia ſanguinẽ in ſacramento*, inquit, *ſumptũ, æquat ſanguini in cruce fuſo.* Et ad probandũ, ſanguinem in ſacramẽto dari, citat illa Chriſti verba, *Hic eſt ſanguis.* Apparet propriam illorũ verborum ſignificationem tum receptam, & creditam fuiſſe. Et mox cõcludit de ſanguine Chriſti: *Qua veritate fuſus eſt, eadẽ veritate bibitur.* Theophilum Inconſtantius extollit mirũ in modũ. Quod eum idcircò credo facere, quòd ſciat illum

Similitudo rei abſentis.

Theophilus qualis vir fuerit.

lum alioqui malum fuisse virum. Nam quamuis Hieronymus illi blandiatur, veluti hosti Origenis, tamẽ quantam ille crudelitatẽ & tyrannidem in Chrysostomum exercuerit, qui nosse volet, historiam Ecclesiasticã legat & vitã Chrysostomi. Certè illum pessimis verbis exagitauit, deiecit loco, damnauit, neq; ab eius infestatione destitit, quoad illũ vidisset exterminatum. Nec tamen quæ in suo Paschali scribit, quæque huc citauit Inconstantius, causam nostram quicquam lædunt. Primùm enim cũ illo fatemur, Christum non esse mortuũ pro diabolo. Damus etiam, solos homines oportere sanctam Eucharistiam sumere, & corpus Domini ac sanguinẽ percipere, cùm pro illis solis Christus sit mortuus. Et quia diaboli non sunt eius mortis participes, ideo ad illos nõ esse dictum, Hoc est corpus: &, Accipite, bibite, hic est sanguis meus. Proinde nil habet in ijs verbis Theophilus, quod nos inficiemur.

Sed tu eum hinc elicis sanguinem in sacramento sumptum, æquare sanguini in cruce fuso. Primùm hoc ille non dicit: verùm ipse, quia tibi putas id vtcunq; commodum, fingis. At facito, illum hoc sensisse. Quid nobis huiusmodi sententia refragaretur? Nos enim non tantũ æquamus sanguinem qui bibitur in Eucharistia cũ eo qui fundebatur in cruce, sed omnino dicimus eundem esse. Non enim, dum ore panẽ & vinum in cœna comedimus & bibimus, spiritu, fide, ac mente alium sanguinem bibimus, quàm in cruce pro nobis fusum: neq; aliud corpus Christi percipimus, quàm id quod pro nobis datũ est in mortẽ. Quid oportuit, vbi summum posses videre colensum, tantas excitare tragœdias? Cur ita gaudes fumo tuo, & inani verborũ ludibrio tete iactas? Putas deniq; te vicisse, cùm Theophilũ fingis dicere, sanguinem Domini eadem veritate bibi qua fundebatur. At id ne pilo quidem nobis aduersaretur, etiamsi à Theophilo diceretur: quanquã nihil ille tale dicit. Neq; enim illum ista dicere, cùm te adeò esse malæ fidei sæpe aliàs deprehenderimus, nisi eiusmodi verba ostenderis, tibi sumus crediturí. Fatemur alioqui, rem ipsam ita esse. Nam vt verè sanguis Christi fusus est in cruce: ita nos illum cõmunicando verè percipimus. At si hæc ad præsentiam corporalẽ referas, velisq; eodem præsentiæ genere sanguinẽ adesse in cœna, quo adfuit in cruce: neq; Theophilus hoc sensit, scripsit, aut somniauit vnquã, neq; nos vnquam dabimus. Nam in cœna præsens est, quod attinet ad fidẽ cõmunicantium. in cruce verò adfuit loco, & vt vos dicitis corporaliter. Quare videris id vt confessum assumere, quod & controuersum est, & prius euincendum fuit. Disce posthac non tantũ verborũ incassum fundere, vtq; aiunt, aerem verberare.

Illũ ipsum sanguinem qui pro nobis in cruce fusus est, in cœna bibimus, sed spiritualiter.

Chrysostomum iam audiamus in Hom. 83. super Matthæum: *Credamus itaque*, inquit, *vbique Domino, neque repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit. Superet sensum & rationem nostram, quæso, ipsius: quod in omnibus, & præcipuè in mysterijs faciamus: non illa, quæ ante nos iacent, solummodò aspicientes, sed verba quoque eius tenentes: nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facillimus est. Illa falsa esse non possunt: hic sæpius atq; sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus & oculis intellectus id perspiciamus. Hæc sunt*, inquit Inconstantius, *quæ populum docuit Chrysostomus, ne fidãt sensibus, sed adhæreãt verbo, licet sensus eius absurdus videatur. Quod tum accidit, cùm propria significatione accipitur: non cùm verbum Domini vel metaphora, vel tropo diluitur, ita vt solam figuram corporis datam intelligamus. Quod carnalium hominum iudicio bene congruit: nempe vt aliud alio significetur, & vt figuram sui ipsius quis alteri det, siue edendam, siue conseruandam. Chrysostomus, vt fides adhibeatur Christi verbis, exigit, vt nulla ambiguitate teneamur: sed oculis intellectus, eius, quod Christus dixit, veritatem inspiciamus.* Iubet Chrysostomus, vt verbo Domini credamus, credamusque illi dicenti: Hoc est corpus meum: licet hoc ab humano sensu alienum videatur. Aequa petit Chrysostomus, ideoq; nos illi paremus: & licet panem videamus & vinum, illa tamen corpus & sanguinem Domini suo modo credimus esse & prædicamus. Illum autẽ modum sensus non videt, neque de illo quicquã potest iudicare. Imò si tantùm sequeremur sententiam eius, in sacramentis admodum falleremur. Sensus enim aquam, tantùm aquã diceret: panẽ & vinum simpliciter panem & vinũ pronuntiaret. Ideò non sensui, sed intellectui fide instructo & uerbo Dei æstimanda committimus elementa sacramentorum, quemadmodum Chrysost. admonuit.

Sensus ad intelligentiam sacramenti non pertingit.

Credimus itaq;, & oculis intellectus perspicimus, Christũ rebus sensibilib. tradere insensibilia: quod ipsum docuit Chrysostomus, cùm subijceret: *Sic & in Baptismo per aquã, quæ res sensibilis est, donum illud cõceditur. Quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet & renouatio, intelligibile quiddã est.* Quid tibi videtur, Gardinere? Quæ Chrysostomus dixit de Eucharistia, id similiter ait se habere in Baptismo: vbi si per aquam regeneratio & renouatio quædam tribuitur, an ista tu arbitraris in aqua realiter concludi, aut latitare in ea, aut sub eius accidentibus condi? Sed audi, quid in Chrysostomo sequatur. Ipse debebas integrum, non mutilum afferre locũ. At religio tibi est synceriter agere. *Nam si tu incorporeus esses*, inquit, *nudè ipsa incorporea dona tradidisset tibi. Quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.* Si vel mercede fuisset à me cõductus Chrysostomus, vt meæ sententiæ testimonio suo astipularetur, non potuisset aut commodius, aut explanatius pro me dicere.

Et quoniam illa homilia eius 83. tantoperè delectaris, hæc quoq; audito, quę ibi scribũtur: *Ipse quoq; bibit ex eo, ne auditis verbis dicerent, Quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba fecit, multi solummodò propter verba scandalũ passi sunt. Ne igitur tunc quoq; id accideret, primus ipse hoc facit, vt tranquillo animo ad cõmunicationem mysté-*

riorum induceret. Docemur iam hinc, veterē Ecclesiam in ipso pane ac vino haud sensisse, realiter comedi corpus Christi, & bibi sanguinem eius: sed tantū in mysterio. Nam Chrysost. inquit, Apostolos potuisse auditis illis verbis dicere: *Quid igitur sanguinē bibimus, & carnē comedimus?* Ne ita existimarent: Christus ipse prius voluit bibere atq; comedere, vt illorum pertur bationē atq; scandalū auerteret. Nemo quippe mortalium re ipsa carnē suam & sanguinē tuū potest comedere & bibere. Quare cùm illū viderent edere ac bibere, & nihilominus integrū ad mensam accūbere, satis iam sentiebant, totū hoc negotiū, vt spirituale, ad fidē & intelligentiā, nō ad dētes, nō ad os, nō ad ventrē ptinere.

Nemo suā carnē aut edit aut bibit.

At vlterius aliquāto in eadē hom. pergamus. *Nam quando dicunt*, inquit, (nimirum hæretici) *vnde patet immolatū Christum fuisse, & alia multa: mysteria hæc afferentes ora ipsorum cōsuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signū hoc sacrificium est?* Iam hîc nō ex me, sed ex Chrysost. ipso audis Inconstanti, quod nobis per calumniam & malitiosum odiū semper obijcis: nempe Eucharistiam symbolum ac signū Iesu esse. Deinde apparet Chrysost. cum Tertulliano, Ireneo, ac alijs veterib. consentire, Martionē, Valentinū, cæterosq; hęreticos, qui negabāt, Christum verā carnem verumq; corpus habuisse, ac verè mortuum esse, posse argumento ducto ab Eucharistia conuinci. Si enim hoc sacramentū est veri corporis, veriq; sanguinis pro nobis in cruce dati, & corpus Christi, & sanguinē verū fuisse oportet, nisi sacramēta velimus coargue remēdacij. Vt enim sigilla & literas falsi arguimus, si res, quæ in illis significatur, nō ita fuisse deprehenditur: ita sacramēta nostra proculdubio mentirentur, nisi Dominus verā carnē, verū sanguinē, verumq; corpus habuerit, quę illa testantur eū pro nostra vita in cruce tradidisse.

Ab Eucharistia probatur veritas corporis carnis & sanguinis Christi.

Verba Chrysost. quæ subijciuntur hæc sunt: *Nam quoniam Martion, Valentinus, Manichæus, eorumq; sequaces negaturi erant, hanc dispensationem in memoriam passionis, per hoc semper ita reducit mysterium, vt nemo non insanus seduci possit. Ita per sacratissimā istam mensam & saluat & docet.* Iam vides Chrysostomum docere, nos in Sacramētis instrui de veritate humanæ naturæ Christi: non quòd corpus eius aut sanguis reipsa & corporaliter existant in pane & vino præsentia: sed quòd veri corporis veriq; sanguinis Christi pro nobis fusi symbola & signa sint.

At dicit Inconstantius: *Hoc non est tam sublimis excellentiæ, neq; tantùm superat nostros sensus, vt absurdū videatur, exigaturq; fides, vt acquiescamus. Nā naturali hominum iudicio bene congruit, vt aliud alio significetur, et vt figuram sui ipsius quis alteri det, siue edendam siue conseruandam.* Huius hominis malitiosam pertinaciam non possum satis mirari. Perpetuò nos audit respondere, in sacra cœna verum Christi corpus, & verum sanguinē dari: ac nos impudenter semper arguit, quasi solam figuram tradi contēdamus. Quod externè datur, panis est, & vinum iam in sacramentū conuersum: sed vnà menti per fidē verum corpus verusq; Christi sanguis percipienda offerūtur.

Ad percepti onē mentis et fidei præsentia corporis nōre quiritur.

Quid hic amplius quæris? An ad perceptionē, quæ à mente per fidem fiat præsentia corporis requiritur? Putásne, oro te, per tuam illam obfirmatissimā obstinationē, totū an potius dimidium sacramentū prohomines in cōmunione accipere? Nō audebis certò scio, quantūuis im pudēs, dimidiatū tantùm illis sacramentū concedere. Quib. enim alioqui totū dabis? Impijs? Nimis peruersum id esset. At si totū des, & signa concedas, oportet & significata. Nam totū sacramentū non symbolo tantū aut re sola constat: sed vtrunq; in se cōprehendit. Certè qui epistolā ad aliquē scribit, non tantū literas & elementa descripta, sed ea quę per illa significantur, offert legenda. Vnde si qui accipit non destituatur intelligentia, quæ significantur optimè percipiet: neq; minus earum veritatē in animo suo habebit, q̄ literas ipsas, quas in manib. tenet. Ita cōmunicādo nisi quis vera synceraq; fide careat, vt ore panē vinumq; sumit, ita percipit animo verū corpus & sanguinē Domini. Fatemur itaq; Gardinere, sensū humanū in eo non vinci, quòd quis sui figurā dare possit, sed quòd Christus vnà cum figura rem designatā sic per suum spiritū in animo imprimat, vt eam recipiens inde pascatur & vegetetur, atq; excitetur in eo fides, vtq; totus Christo mirificè cōiungatur. Quæ humana signa hoc præstare queunt? Quæ symbola mundana vel naturalia ita sunt instrumenta Spiritus sancti, vt per ea Christo q̄ arctissimè iūgamur & viuificemur? Ista tantū fide credenda sunt, & mente pia percipiēda. Hoc pacto dixit Christus: Hoc est corpus meum: quòd vellet postea in cœna panem instrumentum esse Spiritus S. ad verū corpus suū animo & fidei noltrę cōmunicandū. Ideoq; verbo eius oportet credere, neq; illi vllo modo repugnare: quamuis hæc Sacramentorum vis, vt quę naturam superet, non videatur cōgruere tam vilib. elementis; absurdumq; videatur, per hæc tam abiecta Deum velle hominib. tam eximia dona cōmunicare. Patefactū iam est, vt arbitror, quantū verborum Gardinerus incassum fuderit: vtq; frustra sententiam Chrysostomi adductam in nos detonuerit.

Quòd figura sacramēto. rum figu vulgaribus præsent.

Sed aliam adiungit: qua fortasse sperat se magis, quàm priori iuuare posse. Eaverò est: *Dixit, simul rem confecit. Dixit autē: Hoc est corpus meum.* Hæc in hom. 51. super Matt. scribuntur: sed rectius dixissem, non scribuntur. Quia Incōstantius fraude sua & perfidia omnia corrūpit, vitiat, & truncat. Plura vidit ibi esse, quæ cōtra se q̄ quæ pro se facerēt: tamē (adeò est impotēs) abstinere non potuit, quin duo saltem aut tria verba decerperet, quæ putauit vtcunq; sibi fauere. Et certè fauerent nōnihil, si ita collocata essent à Chrysostomo, vt ab isto referuntur. Ac ne videar istum deprauationis ac sycophantiæ temerè aut malitiosè accusare, verba Chrysostomi diserte referam. Sic ergo scribit: *Vis corpus Christi honorare? Nō despicias ipsum nudum. Neq; hic quidē in Ecclesia sericis pannis induas, foris autē frigore ac nuditate cōfici negligas. Qui enim dixit, Hoc est*

Pij non dimidiatum, sed totū sacramentum percipiunt.

corpus

corpus meum, & rem simul cum verbo confecit: idem dixit, Esurientẽ me vidistis, & non cibastis: & in quantum non feciſtis vni eorum minimorum, nec mihi feciſtis. Hoc corpus Chriſti non amictu, ſed anima munda certè indiget: illud autem multa cura & diligentia eget. Fatemur, panem factum eſſe corpus Chriſti, vt ſæpius iam expoſuimus: quia Chriſtus de eo dixit, Hoc eſt corpus meum: & quod dixit, cum verbo ſimul cõpleuit. Sed obſecro te, quorſum hęc Chryſoſtomus protulit? Nonne vt probaret, etiam pauperes eſſe corpus Chriſti, vel potius Chriſtum ipſum? Certè is fuit animus Chryſoſtomi: ideoque ſubiecit: *Et idem dixit, Eſurientem me vidiſtis, & non cibaſtis. Quando idem eſt, qui dicit, & manet eadem eius authoritas, vbi probia concedenda eſt eadem veritas. Vt ia panis eſt corpus Chriſti, quia ipſe dixit: ſic pauper erit corpus Chriſti, quia idem dixit.* Quam hic inuenies rimam ad elabendum? An dices pauperem aliquo modo eſſe Chriſtum, aut corpus Chriſti? Identidẽ reſpondeto tibi ipſi, aliquo modo panem eſſe corpus Chriſti. Et ne arbitreris, lector, Chryſoſtomum in ea homilia hoc leuiter vrgere, ſi ea quæ ſequuntur, legas, per teipſum videre poteris, quoties idem repetat. Ideoque ne mentiri putaretur, ſi pauperem aut Chriſtum, aut corpus eius diceret, illa confirmatione ſua verba prꝫmuniuit: *Qui dixit, Hoc eſt corpus meum: et rem ſimul cum verbo confecit: idem dixit, Eſurientem me vidiſtis.* Quæ verba, Inconſtanti, tu, quæ tua eſt bona fides, hoc modo citaſti: *Dixit, & ſimul rem confecit. Dixit autem, Hoc eſt corpus meum.* Id ego ſi tam indignè tuli, qui rem bene perpẽderit, credo, mecum non expoſtulabit.

Hieronymus adhuc vocatur teſtis ad Hedibiam quæſtione 2. qui ſic ait: *Nos autem audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditq; diſcipulis ſuis, eſſe corpus Domini ſaluatoris: ipſo dicente ad eos, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum: & calicem illum eſſe, de quo item locutus eſt, Bibite ex hoc omnes, hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur. Quis dubitat Hieronymum,* addit Inconſtantius, *de veritate carnis & ſanguinis ſentire, cùm dicat: Nos audiamus: videlicet à reliquis ſenſibus prouocans ad auditum. Nam fideles quod audiunt de Domino, credunt. Ergo audiamus, inquit Hieronymus, panem quem dedit Dominus, eſſe corpus ſuum.* Si Hieronymus hanc propoſitionem cõcedit, Panis eſt corpus Chriſti, panem in ſubiecto accipit pro vero pane. Nam ſi pro pane corpus Chriſti intelligeret, quid quęſo diceret, niſi, Corpus Chriſti eſt corpus Chriſti. At ſi panem pro vero pane ſumit, quo abijt Inconſtantij noſtri vagum indiuiduum? Multũ fortaſſe vagatum eſt: ſed ad Hieronymum non peruenit. Is enim nõ de illo, ſed de vero pane pronunciat corpus Chriſti. Quod verò attinet ad noſtram controuerſiam, expedita res eſt: quia nos panẽ cœnæ fatemur ſuo modo eſſe corpus Chriſti. Verùm quęſo te Gardinere, per tuam ſophiſticen, quid ſibi vult Hieronymus, quando in eadem quæſtione 2. ad Hedibiam inquit: *Aſcendamus cum Domino in cœnaculum magnum ſtratum atque mandatum, & accipiamus ab eo ſurſum calicẽ noui Teſtamenti, ibiq; cum eo paſcha celebrantes inebriemur ab eo vino ſobrietatis.* Certè hoc eſt, quod nos prædicamus, non in ipſo pane deliteſcere corpus Chriſti, neq; in vino eius ſanguinem: ſed ſurſum aſcendendum eſſe mente, ac fide ad cœlũ, vbi Chriſtus eſt, quò ſpiritu ijs alimẽtis potiamur, illisq; alamur ad æternam vitam. Superuacaneum autẽ eſſet nunc repetere, nos quoq; dare Chriſtum ſenſiſſe de vera carne ac de vero ſanguine, cũ diceret, Hoc eſt corpus meum: &, Hic eſt ſanguis meus: altercationemq; tantùm eſſe de modo, quo vera caro & ſanguis Domini pani & vino ſint coniungenda.

Poſt Hieronymum Cyrillus eſt audiendus, qui ſuper Ioan. lib. 4. cap. 14. ſic ait: *Oportebat igitur fidei primùm radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda ſunt. Illi verò antequã crederent, importunè quærebant. Hac igitur de cauſa Dominus, quomodo id fieri poſſet, non enodauit: ſed fide id quærendum hortatur. Sic credentibus diſcipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Calicem etiam ſimiliter circumtulit, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Perſpicis, quia ſine fide quærentibus myſterij modum nequaquam explanauit. Credentibus autẽ etiam non quærentibus expoſuit.* Ex his Gardinerus elicit, proprio ſenſu Cyrillum verba illa Domini accepiſſe, Hoc eſt corpus meum: hoc enim illũ ſibi velle, Chriſtũ in cœna ſuis Apoſtolis modum ſuæ carnis manducandæ tradidiſſe. Prius de verbis Cyrilli diſſerendũ eſt, poſtea de Gardineri argumẽtatione dicendũ eſt. Dominum in cœna modum carnis ſuę manducandæ Apoſtolos docuiſſe poſſumus facilè concedere: videlicet vt experientia ipſa & ſenſu doceret, accumbens cum ſuis, fide, non reipſa, non dentibus, nõ ore corpus ſuum eſſe manducandum. Nam Chriſtum videbant integrum, ſaluum, & accumbentem, edentemque priori loco ex eo quod illis porrigebat. Cùm itaq; rem ſic agi viderent, fuiſſent plus quàm ſtipites & fungi Apoſtoli, ſi putaſſent, carnes Chriſti realiter ibi diſtribui. Iam ſentiebant myſterium eſſe quod tractabatur, & panẽ illum corporis in crucem tradendi ſacramentum eſſe. Vnde carnes Chriſti & ſanguinem illius, quibus redemptus eſt mundus, fide comedenda & ſpiritu, menteque comprehendenda & amplectenda, certiſsimè cognoſcebant. In ſexto verò capite Iohannis Chriſtus hoc idem docuit: imò illa verba ſunt eorum, quæ poſtea in cœna geſta ſunt, vera plenaque interpretatio. Sed Cyrillus putat rem tunc non fuiſſe patefactam. Eſto, ſed id referendum eſt ad incredulos Capernaitas & apoſtatas diſcipulos. Illi enim cùm fidem non haberent ijs quæ à Domino dicebantur, illicò murmurarunt, & abierunt. At ſi verba ſeruatoris expendiſſent, ibi quoq; manducationem hanc ſpiritualẽ, animi ac fidei eſſe animaduertiſsẽt: quod idem poſtea in Cœna, vt expoſui, quàm apertiſsimè declaratum eſt.

Chriſtus in cœna docuit modũ ſuæ carnis manducandæ.

Sed cur iſte tam ſubtilis & diligens ponderator verborum Cyrilli diſsimulat, quod ab eo

prudentissimè dicitur: *Sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum.* Adeò premitur ijs verbis, Gardinere, vestra trãsubstantiatio, vt prorsus non possit consistere. Cùm Dominus dixisset, aut diceret, Hoc est corpus meum: quid Apostolis distribuit? Nos dicimus, panem. Tu hoc, vt hæresin auersaris pestiferam, neque vis nos audire. Saltem audias Cyrillum, illum inquam ipsum quem obtrudis nobis, quemq; nos tantoperè audire iubes: tu, inquam, vicissim illum audi. Nam quod nos dicimus, id ille apertè dicit. Quid autem dicit? *Credentibus discipulis fragmenta panis dedit.* Iam Cyrillus nobiscum hæreticus est. Quid hîc faciet Inconstantius? Quid? Ab ingenio suo minimè discederet. Rem, quæ illius impudentia est, fortiter dissimulabit. Nam in hoc stratagemate tam diu se exercuit: & sanè in vniuersa ista disputatione hoc grauissimo laborat incommodo, vt nullum Patrum testimonium pro se afferre queat, quin ipse eo vehementer & palàm vapulet. Sed ea est eius ambitiosa patientia, vt malit istas ferre quantũuis duras plagas, quàm videri inermis. Ita fit, vt quãdo in hostes aliud non potest, ea tela iaciat, quibus illi vel nihil, vel quàminimum vulnerentur: ipse verò penitùs conficiatur.

Stat igitur à nobis Cyrillus, & panis fragmenta Apostolis distributa in Cœna confirmat, & de illo pane dixisse Christũ, Hoc est corpus meum. Videtur igitur Inconstantio idem accidere, quod Chrysippo: de quo Galenus libro 3. de Placitis Hippocratis & Patonis, ita scribit: *Et Chrysippo contra, quàm velit, accidere videtur. Nam dum ab argumentis rei, quæ à natura ipsius disquiritur, continuè recedit, & rhetoricè magis, quàm philosophicè in testium multitudine victoriam ponit, ab ipsis, quos citat, proditur.*

Sed de verbis Cyrilli satis: nunc videamus quid ex illis iste colligat: *Christum scilicet propria significatione ea verba pronunciasse, Hoc est corpus meum.* Et qua euidentia collectio hæc, quæso, nititur? *Quoniam*, inquit, *Cyrillus interpretatur, Dominum in cœna modũ manducationis suæ carnis tradidisse.* Itàne? Si Christus in cœna ostẽdendo se accumbentem, saluum, integrum, neque à suo statu consueto dimotum docuit Apostolos, vt nihilominus carnem suam ederent, & sanguinem suum biberent, nónne apertè illis patefecit, spiritus, mentis, ac fidei hanc actionẽ esse, atq; ob id corpus suum tradendum, & sanguinem fundendum, ad panem & vinum, quẽ porrigebat, metaphoricè esse accommodanda, nõ autem realiter aut propriè, vt vult Inconstantius? Quare hinc etiam apparet, ex fundamento ipso quod affert, non id quod maximè vult, concludi: sed id potius, quo ipse maximè redarguitur. Certè prudenti lectori tam ineptã futilemq; collectionem Inconstantius proponere non debuit: sed illam potius seruare domi suis illis lapideis & plumbeis adulatoribus, qui se quæcunq; ille crepat, fingunt attonitos admirari.

Verùm ne putemus Cyrillum aliter existimasse, aliud eius testimonium subijcit ex libro 12. super Iohannem cap. 58. vbi ait: *Quòd autem mysticæ benedictionis cõmunio resurrectionis Christi quædam confessio est, ex ipsius verbis probatur. Fractũ enim panem distribuebat, dicens: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Participatio igitur mysterij vera quædam confessio & commemoratio est, quod propter nos & pro nobis Dominus & mortuus sit, & reuixerit: & diuina nos benedictione propter hæc replet. Fugiamus igitur incredulitatem post tactum Christi, vt firmi atq; stabiles ab omni longé ambiguitate inueniamur. Cyrillus*, inquit Inconstantius, *tam certam & veram Christi præsentiam in Sacramento docet, vt illum, qui communicant, ibi à resurrectione tetigisse dicantur. Qui tactus, quemadmodum in diuo Thoma, sic etiam à nobis omnem de Christi resurrectione hæsitantiã expellat.* Hoc rursus huius patris testimonio nos nihil lædimur, sed Inconstantius ipse grauissimè vulneratur: quia nos pani asserimus attribui nomen corporis Christi, tum quòd sit eius sacramentum, tum etiam quòd illo tanquam instrumento quodã mens nostra & fides excitetur ad corpus Christi apprehendendum. Ideò facilè dabimus corpus Christi tangi, dum communicamus: quia panis tangitur, quem Christus esse voluit sui corporis sacramentum. At iste, qui sub accidentibus panis & vini claudit corpus & sanguinẽ Domini, dicat nobis vicissim, quomodo ista tangat. Sensus nostros aut substantiam dicet attingere, aut substantię accidentia. Nullum enim corpus alia ratione tactui subiacet: oportet enim, si percipiatur sensu, vel vt eius tractetur substantia, vel saltem vt substantiæ illius accidentia. Verùm in Eucharistia quis dixerit propriam corporis Christi substantiam sensu percipi? De accidentibus verò quid dicemus? Figuram corporis Christi, membra, colorem, pondus, humorem, calorem, siccitatem nullus deprehendit sensus. Imò potius, vt præstigiatores ipsi fatentur, panis accidentia tantùm occurrunt sensibus. Quare nullo modo sensus dici potest attingere corpus Christi. Proinde nos, qui metaphoricis vtimur interpretationibus, promptè satis, dilucideq́ue verba Cyrilli excipimus. At isti proprietatis vindices, & omniũ troporum mastyges proferant, obsecro, machinas & strophas, quibus ex tantis angustijs possint portenta sua expedire.

Sensus nullo modo corpus Christi attingit.

Taceo ad hæc, Cyrillum ijs verbis constanter affirmare, Christum, cùm diceret, Hoc est corpus meum, discipulis fractum panem distribuisse. Hîc ego appello Inconstantij mei in scrutandis voculis anxiam, morosam, subtilemq́ue diligentiam. Si fractus distribuitur panis, vbi est Transubstantiatio? Manet panis, & fractus manet, vt Cyrillus dicit: Inconstantius autem cùm Transubstantiationem perpetuò nobis obtrudat, suis ipsius armis ita denique impeditur, vt nisi quemadmodum solet, per tenebras euadat, rima ad elabendum nullã ei relinquatur. Nam vt olim Midas, quemadmodum fabulantur

bulantur poetę, in aurum omnia vertebat, quę tetigisset: ita quæcunq; patrum dicta iste pro sua causa in medium proferre potest, ea inter manus eius ita subitò immutantur, vt non iam in hostẽ, sed contra ipsum citata videri possint.

Augustinum nunc audiamus, quem iste experiri vult ecquid pro se faciat. Hæc eius verba sunt in Psalm. 33. *Et ferebatur*, inquit, *manibus suis. Hoc verò, fratres, quomodo fieri possit in homine, quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam non inuenimus. In Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Ipsa est humilitas Domini nostri Iesu Christi: ipsa multum commendatur hominibus. Augustinus*, inquit Inconstantius, *intelligit, Christum secundũ literam portasse se manibus suis. Quod nisi verba illa Christi, Hoc est corpus meum, proprio sensu accipiantur, ex illis non probauit.* Per hanc loquutionem, Ad literam, Augustinus nil aliud intelligi voluit, quàm iuxta historiam. Contenditq; Dauid, si eius historiam sequamur, quam diuinæ literæ tradũt, illum nunquam se manibus suis gestasse, ideoque titulum Psalmi ad Christum referendum statuit: quoniam illum se gestasse suis manibus, non quidem absolutè, sed certo quodam modo potest ex Euangelistarum historia demonstrari: quia manibus suis gestauit panem, quem in cœna corpus suum dixit. Et ideo Augustinus prudenter loquitur, cùm ait in secunda concione super eundem Psalmum 33. quod iste de industria dissimulauit: Et ferebatur in manibus suis. Quomodo ferebatur in manibus suis? Quia cùm commendaret ipsum corpus suum, & sanguinem suum, accepit in manus suas, quod norunt fideles, & ipse se portabat quodammodo cum diceret, Hoc est corpus meum. Hoc sanè posteriori loco diuus Augustinus exponit, quid priori loco intellexerit. *Accepit in manus suas*, inquit, *quod norunt fideles à Domino in cœna fuisse in manibus acceptum*: id planè, quod Euangelistæ commemorant. Illi dicunt, Christum accepisse panem in manibus, gratias egisse, fregisse, atque Apostolis distribuisse. Nil aliud nosse queunt fideles, Christum in manibus accepisse, cùm Euangelistæ, quibus maximè credendum est, ita scripserint. Et quia Christus fecit illum panem sacramentum sui corporis, & illum corpus suum appellauit, ideò subdit Augustinus, illum se suis manibus gestasse, non quidem simpliciter, sed quodam modo.

Eat nunc Inconstantius, & alios aduocet sibi testes: quoniam Augustinum præsertim in hac re parum propitium habebit. Ex quo quid postea citet ex quodam sermone de Quarta feria, cap. 6. non multum deberem esse sollicitus: cùm libellus ille ad Augustinum, nihil pertineat. Sed vtut id se habeat, me tamen non piget audire, quid ibi scribatur. *Mensa sponsi tui panem habet integrum, & calicem sanctum: quem panem etsi fractum & comminutum vidimus in passione, integer tamen mansit in illa sua cum patre indiuidua vnitate. De isto pane, & de isto calice dicebat idem Dominus: Panis quem ego dedero, caro mea est pro saculi vita: & calix, quem ego sanctificauero, sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Nunc audiamus, quomodo sophista verbis ijs abutatur. *Patet*, inquit, *hinc, Augustinum sentire, verba illa Christi, Panis quem ego dabo: ad cœnam pertinere: & verba Christi in cœna illorum sensum referre: ut cùm Christus diceret, Hoc est corpus meum: carnem senserit, non corporis figurã.* Quod attinet ad Augustini, vel alterius cuiuspiam, quisquis ille fuerit, verba, ille Ecclesiæ orthodoxæ fidem commendat: dehortaturque pios, ne cum hæreticis communicent: quòd illi Christum non sinerent esse integrum: sed eum mutilarent, frangerent, & à patris vnitate diuiderent. Huius autem sceleris Arrianos, Manichæos, & consimiles hæreticorum pestes accusat. Ad mensam, & communionem sanctæ Ecclesię aduocat credentes: nam eius mensa panem, inquit, habet integrum. Nam in Sacramentis prędicatur Christus, non à patre diuisus, verùm illi consubstantialis. Fractus quidem est quoad naturam humanam, in passione, cùm anima diuulsa esset à corpore: nihilominus per naturã diuinã cum patre mansit, in vnitate indiuidua coniunctus. Hucusq; scrupulus nullus est in ijs verbis, quæ Augustino asscribuntur.

Quomodo Christus fractus in passione.

Nunc id superest, vt videamus, an verba illa Domini, Ioannis 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro Mundi vita*, spectent ad cœnam. Si ad cœnæ sacramentum hæc omnino spectant, & aliter exponi non possunt, quid facient, qui mortui sunt Christi fideles, priusquã communicare potuerint ad sacram mensam? Certè multi martyres prius obtruncati sunt, quàm eis ad Eucharistiam accedere licuerit. Atque hodie permulti pueri & adolescentes Christiani prius moriuntur, quàm illis sacra communio exhibeatur. Certè istos omnes necesse est in æternum cõdemnari: præsertim cùm Christus post ea verba statim subiecerit: Amen, amen dico vobis: nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qua ratione adductus est Augustinus, vt crediderit, vel infantibus, cùm essent baptizati, statim dandam esse Eucharistiam. Quod cùm Papistæ nostri hodie non sentiant, videant quid agant, cùm asserant, Christum in Iohanne omnino loquutum esse de Eucharistia. Quid aliud hæc dicendo assequuntur, nisi vt imprudentes seipsos coijciãt in laqueum? Nobis verò hîc omnia sunt in tuto, neque redargutionem, aut laqueos vllos formidamus. Nam sermonem illum, *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quem ego dabo pro Mundi vita*: ad mortem Christi referimus. Corpus quippe illius in crucem datum, cùm à nobis vera fide percipitur, noster est panis, qui nos ad vitam æternam alit, condonatione peccatorum sustentat, & meritorum donorumq; Do-

mini lautiſsimo ſucco nos impinguat. Si Chriſtus in cœna, quemadmodum iſti volunt, illam promiſsionem impleuiſſet, quid amplius eum mori oportuit? Homines enim per illâ ipſam carnem, ſi eam in ſacramento perciperent, poſſunt habere vitam. Morte non amplius opus erat: niſi hominibus vita fuiſſet bis danda. Sed tamen propter manducationis genus, quo fideles corpus Chriſti edunt, verba illa nos quoque ſolemus aliquo modo ad ſacram cœnam accommodare. Quia in ſacra cœna non ſolùm fides requiritur, qua fiduciam noſtram locemus in mortem Domini, verùm etiam addun tur externa ſymbola, quibus fides communicantium prouocetur, oſtendaturq; quid manducatio ſpiritualis corporis Chriſti conferat: nempe id, quod panis in cibum ſumptus, & vinum in potum vitæ comedentium & bibentium præſtare ſolent. Quare ſentimus, id quod Dominus in ſexto Iohan. ait de ſpirituali manducatione ſuæ carnis morituræ pro Mundi vita, fuiſſe poſtea in cœna ſymbolis & appendicibus externis obſignatum, atque ob id, alterum iſtorum locorum, alterum quàm commodiſsimè interpretari. Et eam ob cauſam videmus, patres duo iſta loca frequentiſsimè coniungere. Panem itaq; illum pro ſalute Mundi Dominus in cruce dedit, quando ibi caro eius eſt crucifixa, quæ nomine panis vocatur: quia cibus ſpiritualis eſt credentium. In cœna Domini eadem caro aſtantibus comedenda per fidē propoſita eſt, ſignis panis & vini additis. Hæc adeò lucida ſunt & clara, vt vel à pueris queant intelligi. Solùm Papiſtæ vmbratici homines, qui tenebras in oculis circumferunt, hic cæcutiunt, & in ipſa meridie palpant.

Euthymium quoque habet Inconſtantius, quem obijciat, in Matthæum cap. 64. *Itaque ſicut vetus teſtamentum hoſtias & ſanguinem habebat: ita & nouum, corpus videlicet & ſanguinem Domini. Non dixit autem, Hæc ſunt ſigna corporis & ſanguinis mei: ſed, Hæc ſunt corpus meum, & ſanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eorum, quæ propo nuntur, aſpicere, ſed ad virtutem eorum. Quemadmodum enim aſſumptam carnem ſupernaturaliter deificauit, ſi ita loqui liceat, ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipſum viuificum corpus ſuum, & ipſum pretioſum ſanguinem ſuum, & in gratiam ipſorum.* Sophiſta ſubijcit: *Hic Euthymius non ſolùm confirmat ſenſum verborum proprium, ſed verbis apertis excludit tropum: cùm dicitur, Non ſunt ſigna.* Si Euthymius ſimpliciter eſt intelligendus, cùm panem & vinum dicit, in cœna non eſſe ſigna, pugnat cum cæteris patribus. Nam Baſilius dicit antitypa, vt ſuperius oſtendimus. Et Auguſtinus contra Adimantum lib. 1. cap. 12. *Non enim Dominus*, inquit, *dubitauit dicere, Hoc eſt corpus meum, cùm daret ſignum corporis ſui.* Et idem in libro tertio de Doctrina Chriſtiana, cap. 16. ſcribit hac de re: *Figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit.* Idem in expoſitione Pſal. 3. *Iudam adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis ſuis commendauit.* Aduerſus Martionem libro quarto idem teſtatus eſt Tertullianus, dicens: *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit: hoc eſt corpus meum dicendo, hoc eſt, figura corporis mei.* Ambroſius etiam hic figuram agnouit, cùm dicat in libro de ijs, qui initiantur myſterijs, cap. 9. *Ipſe clamat dominus Ieſus, Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur.* Idem lib. 4. de Sacramentis cap. 8. *Fac nobis*, inquit, *hanc oblationem aſſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt figura corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti.* Verbis his prodit Ambroſius in Canone ſuo, ſacramentum Euchariſtię figuram eſſe nuncupatū. Idem in lib. 6. de Sacram. cap. 1. *Ideò in ſimilitudinem quidem accipis ſacramentum, ſed veræ naturæ gratiam virtutemq; conſequeris.* Quod ſuprà dixerat figuram, hîc ſimilitudinē vocat. Et in epiſt. ad Cor priorem, cap. 11. *Teſtamentum ergo ſanguine conſtitutum eſt, quia beneficij diuini ſanguis teſtis eſt, & in cuius typum nos calicem myſticum ſanguinis ad tuitionem corporis & animæ noſtræ percipimus.* Hic queq; calicem ſanguinis aut teſtamenti nominat typum. Et Chryſoſt. homil. 83. ſuper Matth. *Si enim mortuus Ieſus non eſt, cuius ſymbolum ac ſignum hoc ſacrificium eſt?* Ad hæc in epiſtola ad Hebr. homil. 17. *Hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius.* Atq; in Pſal. 22. ſcribit: *Vt quotidie in ſimilitudinē corporis & ſanguinis Chriſti panem & vinum ſecundum ordinem Melchiſedech nobis oſtenderet in ſacramēto.* Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. *Per venerabilia ſigna Chriſtus ſignatur ac ſumitur.* Origenes in Leuitic. cap. 10. homil. 7. tractans illa verba: *Niſi manducaueritis carnem meam, &c.* inquit: *Agnoſcite, quia figuræ ſunt, quæ in diuinis voluminibus ſcriptæ ſunt: & ideo tanquam ſpirituales, & non tanquā carnales examinate & intelligite, quæ dicuntur. Si enim quaſi carnales iſta ſuſcipitis, lædunt nos & non alunt. Eſt enim & in Euangelijs litera quæ occidit. Non ſolùm in veteri teſtamento litera occidens deprehenditur: eſt in nouo teſtamento litera, quæ occidit eum, qui non ſpiritualiter quæ dicuntur aduertit. Si enim ſecundum literam ſequaris hoc ipſum quod dictū eſt: Niſi manducaueritis carnem meam, &c. occidit hæc litera.* Cyprianus libr. 2. epiſt 3. *In aqua populus intelligitur, in vino ſanguis oſtenditur.* Idem quoque de vnctione chriſmatis ait: *Quomodo vinum & panis caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſæ effectibus cōuenirent, & diuerſa nomina & ſpecies ad vnam reducerentur eſſentiam, & ſignificantia & ſignificata eiſdem nominibus cenſerentur.* Chryſoſtomus ſuper Matthæum operis imperfecti homil. 11. ſuper cap. 5. *Si vaſa ſanctificata ad priuatos vſus transferre peccatum eſt, in quibus nō eſt verum corpus Chriſti, ſed myſterium corporis cōtinetur: quanto magis vaſa corporis noſtri?* Auguſtinus ad hæc contra Maximinum epiſcopum Arrianorū lib 3. cap. 22. *In Sacramētis non quid ſint, ſed quid oſtendant, attenditur: quoniam ſigna ſunt rerum aliud exiſtentia, & aliud ſignificantia.* Idem in ſermone ad infantes: *Sacramēti illius participatione ac beneficio non priuatur: quando ipſe hoc, quod illud ſacramentum ſignificat, inuenit.* Idem

Patres figurā agnoſcūt in Euchariſtia.

epiſtola

epistola 23. ad Bonifaciũ: *Ex similitudine plerunq; sacramenta ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut enim secundum quẽdam loquendi modum, sacramentũ corporis Christi, corpus Christi est, & sacramentũ sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita sacramentũ fidei, fides est.* Nec non in libro 2. de Doctrina Christ. cap. 3. *Sacramento corporis & sanguinis sui prægustato, significauit quod voluit.* De Trinitate quoque lib. 3 cap. 4. *Apostolus potuit significando prædicare dominum Iesum Christum, aliter per linguam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis & sanguinis eius.* Adhæc idẽ in lib. Sent. Prosp. & habetur in Decretis de Conſ. diſt. 2. cap. *Hoc est, Cœlestis panis, qui Christi caro est, suo modo nominatur corpus Christi, cùm re vera sit sacramentum corporis Christi. Vocaturq; ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio.* Quæ Augustini verba quem in sensum glossa Decretorum acceperit, non piget subijcere: *Cœleste*, inquit, *sacramentum, quod verè repræsentat Christi carnem, dicitur corpus Christi, sed impropriè. Vnde dicitur, Suo modo: sed non rei veritate, sed significante mysterio. Vt sit sensus: Vocatur corpus Christi, id est, significat.* Gelasius præterea contra Nestorium & Eutychen: *Imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebratur.* Beda in Lucam: *Christus pro carne & sanguine agni suæ carnis sanguinisq; sacramentum in panis ac vini figura substituit.* Bertramus deniq; de pane, qui à sacerdote offertur, loquens, ait: *Quia panis ille vinumq; figuratè Christi corpus & sanguis existit.* Et mox: *In pane illo non solum corpus Christi, verùm corpus etiam in eum edentis populi figuratur.* Et mox: *Corpus Christi, quod in Ecclesia per mysterium geritur, secundũ quendam modum corpus Christi esse cognoscitur: & modus iste in figura est & imagine.*

Hæc susius hoc loco à me scripta sunt, cùm vt prudens lector intelligat, eos qui dicunt in sacramento cœnæ figuram non esse, quàm orthodoxis, veteribusq; aduersentur, qui secus, quemadmodum iam ostendi, scripserint, confirmarintque suo apertissimo testimonio: tum vt orbis vniuersus intelligat, quanta iniuria nos Inconstantius passim traducat, idque non solùm odiosè, verùm etiam sine vllo modo, vt est loquaciter litigiosus, appelletque figuratores, troporum inuentores, & signorum assertores. Hæc eadem si patres non sensissent, docuissent, scripsissent, pro sua libidine potuisset aduersus nos aliqua saltem cum specie pietatis hominum animos concitare, quasi primi omnium voluerimus plano sensui verborum Domini obsistere. At cùm à nobis stent diuinæ literæ cùm primis, deinde etiam tantus cœtus piorum patrum, quid aliud suo tanto conatu est assequutus, quàm vt ostenderet, se in re frigida & stultè & frustra caluisse?

Ast huic Euthymio quid faciemus? & paucis quibusdam alijs, cùm dicant hic non esse neque figuras corporis, & sanguinis Domini? Istis equidem, ne formula cadant, cùm alijs proceribus theologis modo loquendi contrarij videantur, hac ratione succurrendum censeo, vt intelligamus eos inficiari talia signa, & tales figuras in Eucharistia esse, qualia in veteri Testamento fuerunt. Illa enim Christum significabant venturum esse: hæc iam datum testantur. Illa fuerunt obscuriora: hæc sunt multò clarissima. Vel fortasis id voluerunt salubriter admonere, non hic esse figuras nudas, aut è triuio, quæ scilicet nihil virium haberent, nullumque momentum ad salutem. Si sic intelligant, nos quoque illis assentimur: istis enim symbolis Spiritus sanctus vtitur ad nostram fidem excitandam, qua verum corpus verumq; sanguinem Christi apprehendamus, & ijs spiritualibus alimonijs spiritualiter ad æternam vitam nutriamur. Non sunt ergo hæc sacramenta tantùm figuræ, non sunt signa prophana, non sunt vulgaria symbola. Vnde adiecit piè ac prudenter Euthymius, nos non oportere ad rerum, quæ proponuntur, naturam aspicere, sed ad illarum virtutem. Hæc autem vis quam debemus attendere, illa est, quam Spiritus sanctus per hæc, ceu per instrumenta iam à filio Dei præscripta & definita, in vsum Ecclesiæ suæ declarat & exerit: virtusq; ista maximè in nobis efficax est ex veritate signorum, & rei significatæ animaduersione.

Patres, qui negant in Eucharistia figurã, quid sibi velint.

Et ne dubitemus, panem & vinum, creaturas alioqui vulgares, à suo pristino vsu & prophano statu ad hanc transferri tam excellentem & nobilem functionem, vt organa Spiritus sancti fiant, Euthymius dicit, hoc ea vt filij Dei fieri posse, quia ille naturam humanam sibi in eandem hypostasin aptauit, eaque à gradu communium creaturarum ad intimum Dei consortium transtulit. Quod autem ista in viuificum corpus & pretiosum sanguinem transmutari dicit, id de sacramento eorum exponendum est: vel dicendum, eum id, quod prius obscurius dixerat, postea interpretari, cùm addat: Et in gratiam ipsorum. Nam per panem & vinum, cùm iam sint mysteria, Spiritus sanctus animis communicantium corpus Christi & sanguinem spiritualiter offert, idque gratia symbolorum vtcunq; dici potest, quòd ad eam producendam, illa vt instrumenta concurrant. Quàm verò prudenter loquuti sint isti posteriores patres, ipsi viderint. Certè suis huiusmodi formis dicendi alienioribus & hyperbolicis Ecclesiæ posteriori maximam erran di occasionem præbuerunt.

Quid sit elementa in corpus & sanguinem Christi conuerti.

Corpus & sanguis Christi gratia quædã symbolorũ dicuntur.

Posteriores patres minus prudenter loquuti sunt.

Verùm Oecumenius quoque audiendus est, cùm & ipse testis à Gardinero citetur. In epistolam priorem ad Corinthios, capite vndecimo ita inquit: *Ad eundem modum & poculum: erant enim in veteri quoque testamento pocula, in quibus libabant: vbi etiam postquam victimas immolassent, sanguinem irrationalium excipientes poculis libabant. Pro sanguine itaque irrationalium Dominus proprium dat sanguinem: & bene in poculo, vt ostendat, vetus Testamentum antea hoc delineasse. Propterea dixit: Nouum testamentum est per meum sanguinem: non per irrationalium sanguinem, vt in veteri Testamento.* Ex ijs colligit Inconstantius: *Breuiter hoc vult Oecumenius, tam certò*

& tam verè nos bibere in cœna ſanguinem Chriſti, quàm libabant in ſuis ſacrificijs veteres ſanguinẽ irrationalium. Verè ac certò nos in Cœna bibere ſanguinem Domini, haud inficiamur: imò liberè atq; apertè prędicamus. At eodem modo cõtineri in calice ſanguinem Chriſti, quo olim continebatur ſanguis brutorum in poculis veteris Teſtamenti, id nihil neceſſe eſt concedere. Neque id ſophiſta, vtut inſultet nobis, & amentatam haſtam, quam ab Oecumenio accepit, pro viribus in nos torqueat, audebit affirmare. Nam ſanguis brutorum in pateris Moſaicis videbatur: hîc verò in calice vinum apparet, non ſanguis. Deinde color & ſapor in antiquis libaminibus brutorum extabat: in poculo Domini nullus color ſaporúe ſanguinis humani ſentitur. Quare non eodem modo continetur in calice noſtro, quo ſanguis brutorum antiquitùs fuit in cratere Leuitico.

Quomodo ſanguis Domini ſit in calice.

Quòd ſi liceat Inconſtantio fingere modum, quem putet magis ad ſuum mendacium confirmandum eſſe idoneum, dicatque in poculo Domini, ſanguinem eius reipſa contineri, ſed inuiſibiliter, cùm tamẽ hoc modo ſanguinem Chriſti diuinæ literę nobis adfuturum nuſquã teſtentur: cur mihi viciſsim non liceat alium modum pro veritate tuenda proponere: nimirum ſanguinem Domini idcircò haberi in calice, quòd vinum, quod eius ſacramentum eſt, in eo contineatur? Et certè vinum eſſe in calice, de quo Dominus bibit, & Apoſtolos omnes bibere iuſsit, Chriſtus, vt ſcribit ſanctus Euangeliſta, indicauit, cùm diceret: Amen dico vobis, non bibam poſthac ex hoc fructu vitis vſq; in diem illum, cùm illum bibam vobiſcum nouum in regno patris mei. Matthæi vigeſimo ſexto. Et ne credat quiſquam, de alio genere potus hæc Dominum protuliſſe, illa teſtatur Euangeliſta fuiſſe ab illo dicta, cùm Euchariſtiæ poculum Apoſtolis porrexiſſet. Fuit ergo in calice vinum, verus inquam fructus vitis. Fuit etiam ibi ſanguis Domini. Si modum requiris: Sacramentali reſpondeo. At dices: Ita etiam in pateris Moſaicis fuiſſe Chriſti ſanguinem: quoniam & in illis continebatur eius myſterium ſeu ſacramentum. Verum quidem eſt etiam patres aliquo modo in illis libaminibus habuiſſe Dominici ſanguinis myſterium. Quomodo enim alioqui eundẽ nobiſcum potum ſpiritualẽ bibiſſent, vt Paulus docet priori ad Corinthios 10. quod idem Auguſtinus quoque affirmat ſuper Iohannem tractatu vigeſimoſexto ſcribens: *Hunc panem ſignificauit manna, hunc panem ſignificauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt. In ſignis diuerſa ſunt: in rebus quæ ſignificantur, paria ſunt.* Damus itaque in libaminib. Moſaicis fuiſſe aliquod ſanguinis Chriſti ſacramentum: at non ita vt in noſtro poculo. Quia hîc nos non ſanguinem brutorum habemus, vt illi habuerunt in ſuis pateris, de quibus loquitur Oecumenius. Huc enim ille reſpexit, cùm ita ſcriberet: *Propterea dixit, nouum Teſtamentum eſt per meum ſanguinem: non per irrationalium ſanguinem, vt in veteri Teſtamento.* Et magis videri potuit quodammodo Chriſtus dediſſe ſanguinem ſuum Apoſtolis in cœna, cùm iam tempus implendæ promiſsionis de ſanguine illius in cruce fundendo eſſet in foribus, quàm veteribus patribus ſub ſacramento ſanguinis brutorum, cùm tot annorum centuriæ diſtarent adhuc ab illius promiſsionis complemento. Accedebat præterea explanatior eius myſterij notitia ex ipſius Chriſti dilucidis verbis, quàm antiqui habere potuerint ex obſcuris prophetarum vaticinijs. Hæc ad Oecumenij perſpicuam intelligentiam ſufficere arbitror.

Damaſcenus.

Ideò Iohannes Damaſcenus audiendus eſt, quem Inconſtantius celebrem vocat authorem. Is libr. 4. cap. 14. ait: *Non eſt figura panis & vinum corporis & ſanguinis Chriſti. Abſit hoc: ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum, ipſo domino dicente: Hoc eſt corpus: non figura corporis, ſed corpus: & non figura ſanguinis, ſed ſanguis. Et ante hoc ipſis Iudæis: Quoniam niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitã æternam. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Applaudit Damaſceni dictis Inconſtantius, ita ſubdens: *Hæc ab iſtis patribus ſcripta ſunt, quaſi iam in ſpiritu præuidiſſent, exorituros figuratores, quibus iugulandis tela ſuis ſcriptis pararẽt catholicis.* Equidem iſto boatu ac ſtrepitu verborum facilè potuiſſem perterreri, niſi Gardinerum non ignorarem ad huiuſmodi epiphonemata & epinicia eſſe inuictum, qui alioqui ſit ad ſeria inutilis, & in pugna tantùm oſtentator ignauus. Et certè de iſto Damaſceno liceret mihi parum eſſe ſolicito. Nam & recens eſt ſcriptor, ſiquidem vixit ſub Leone Imperatore quinto Iſaurio, fuitque poſt Gregorium Magnum vltra centum annos, quo tempore iam in Eccleſiam multi, & non diſsimulandi errores peruaſerant: & ipſe in plerisque alijs dogmatis grauiter errauit: & imagines in iſto eodem quarto libro defendit: quarum tuendarum cauſa gravia ſubijt pericula, neq; tantùm eas faciendas, verùm etiam colendas & honorandas iudicauit & docuit. Reliquias autem defunctorum vſq; adeò extulit, vt illas fontes donorum Dei vocare non dubitauerit. Sanctos etiam docet fide colendos eſſe: quod omnino fieri non poteſt, cùm fides tantùm Deo & verbis illius debeatur. De purgatorio etiam multa comminiſcitur: & precibus Gregorij Traianum Imperatorem non modò idololatram, verùm etiam ſanctorum martyrum atrocem diuexatorem, liberatum ab inferni ſupplicijs affirmat: & alterius cuiuſdam precibus Falconillam idem fœminam idololatricam ſeruatam fuiſſe, cùm iam mortua eſſet, atque tartareis pœnis mancipata. Nec veretur, fabulã de quodam Macario inducere, qui cum defuncti hominis cranio ſit colloquutus, à quo audierit, tempore ſacrificij miſſæ defunctorum animas, quæ ſupplicijs diuexantur, aliquantò mitius tractari. Totumq; ſuum ſermonẽ Damaſcenus huiuſmodi fabulis reſpergit.

Damaſceni authoritas nõ magna.

Mitto, quàm peruersè Scripturarũ locos torqueat:

queat, & illum præsertim locum Geneseos, vbi dicitur Nohæ ac liberis eius: *Etenim requirã animas vestras de manibus bestiarum. Deus*, inquit, *in resurrectione illas requiret: & ex illis verbis resurrectionẽ mortuorũ probare nititur. Nam*, inquit, *Propter hominẽ bestiæ nõ morientur.* Ignorauit itaq; legem à Deo in Exodo latam, ac in Deuteronomio, vbi lapidari mandatur bos cornupeta, si quempiam occiderit. Idemque in capite de Virginitate ita scribit: *Si Adamus non peccasset, non fuissent homines in matrimonio commixti ad procreandum.* At quia videt sibi diuinã sententiam aduersari, qua dicitur: *Crescite & multiplicamini*: fingit homines potuisse fortasse alia quapiam corporis parte multiplicari. Idem postrem õ, vt ad rem præsentem redeam, verba torquet Magni Basilij. Nam cùm illum animaduertat dicere, panem & vinum esse ἀντίτυπα corporis & sanguinis Domini: fingit, hæc de pane ac vino dici ante illorum consecrationem: quod omnino est à vero alienum, cùm antequã consecrentur, nihilo plus habeant quàm alij communes cibi. Porrò si tunc ἀντίτυπα dicerentur corporis & sanguinis Domini, iam sacramenta essent ante sacrorum verborum prolationem. Ad hæc in Liturgia, quæ Basilio asscribitur, ommino post consecrationem illa verba leguntur. Et in Græcorum Canone post consecrationem apertissimè oratur, vt panis fiat corpus Christi. Quin & Latinorum Canon panem appellat sacramentum post consecrationem. Ista, quę iam commemoraui, & alia huius viri errata, quæ demõstrari in eius scriptis multò plura possent, me, quantum existimo, excusarent, si responderem, causam meam eius authoritate neque premi, neque vrgeri.

Sed ijs omissis, attendamus, quib. argumentis hanc suam, quam prædicat, mutationẽ confirmet, & figurã ab Eucharistia remoueat. Primum à Dei potentia deducit: qui cùm potuerit suo verbo cœlum & terram condere, plantas inducere, animantia, volucres & pisces, cur nõ possit ex pane corpus suum facere? At hoc genus argumenti est infirmissimum, ita vt vel pueris sit decantatum in triuijs, à posse ad esse consequentiam esse inualidam. Neque certè de potentia Dei nunc est nobis controuersia. Nemo enim nostrum posse Deum vertere panem in carnem, inficiatur. In eo verò tota est cõtentio, an id velit facere. Alterum eius argumentũ loquutionis Domini forma nititur, qui non dixerit, Hoc figura aut signũ est corporis mei: sed ipsum illud corpus esse dixerit. Ad quod respondemus, non opus fuisse Christum, cùm hæc diceret, Apostolos admonere de metaphora, nisi fortè verendum fuisset, ne illi ita essent mente ac ratione capti, vt quod viderent panem esse, id corpus humanum esse crederẽt. Metaphora seu figura à reipsa, quam Dominus gerebat, ipso etiam tacente, prodebatur. Neq; semper Christus cùm figuratam loquutionem protulit, figuram ibi esse dixit. Herodem appellauit vulpem, Petrum satanam, seipsum vitem & ostium: in quibus omnibus dictis relinquit audientib. sanam veramq; intelligentiã, quamuis eos de tropo aut figura loquutionis nõ admoneret. Huius tamen loquutionis in cap. 6. Iohan. habetur explicatio. Ibi Dominus appellat seipsum panẽ, quòd esset futurus nobis instar cibi. Sic in cœna vicissim panem dicit corpus suum. Quare quemadmodum Christus in 6. Iohan. quamuis se panem esse diceret, non tamen conuertebatur in panem: ita panis in Cœna, quãuis de eo diceretur, Hoc est corpus meũ, re ipsa in aliam substantiam non mutabatur. Nõ rectè itaq; Damascenus colligit ex eo quod Christus non dixit, Hoc est figura, ibi non esse figuram. Et certè quod loquitur, si sic accipiat, vt verba eius prima fronte significant, omnib. patribus, ex quibus aliquos paulò antè recensui, aduersatur. Nam illi, vt eorũ testimonia confirmãt, in illis Domini verbis figurã agnoscũt.

semper dicebat figurã in suis verobis esse.

Nota vtile argument.

Sin verò significet, ibi non esse figuram tantùm, quæ nimirùm sit inanis, cassa, & inutilis, nos id libenter admittimus. Nõ enim facimus sacramenta vacua & inania signa. In suis tamẽ dictis quædã sparsim habet, quibus videri possit, non tam crassè, vt præ se fert, sensisse. Nam ita scribit: *Panis communionis non est simplex panis, verùm diuinitatem habet adiunctam.* Nos quoque hoc nõ grauatim fatemur. Quia in Eucharistia panem communem aut simplicem non ponimus, verùm iam sanctificatum, atque in naturam sacramenti conuersum, cui diuinitas idcircò potest dici adiuncta, quòd eo Spiritus Sanctus, vt sæpius dictum est, tanquam instrumento ad salutem nostram vtatur. Sed quidam hoc non ita magnificiunt, quòd putent illum ibi vocabulo panis ipsum Christi corpus intelligere, quod simplicis hominis nõ erat, cùm diuinitatem haberet adiunctam: vbi, vt mox ostendam, falluntur. Id tamen sine controuersia pluris est, quòd hoc sacramentum cum baptismo confert, & consueuisse ait deum consuetudini humanæ sese attemperare. Cùm itaque homines soleant aqua lauare, & vngi oleo, idcircò Deus ijs rebus gratiam suam adiunxit, & Spiritum baptismo. Ita cùm sit mos hominum edere panem, & bibere vinum, ijs rebus adiunxit suam diuinitatem: at ex Transubstantiatorum sententia non adiunxisset gratiam suam, aut Spiritum, aut diuinitatem illis naturis, sed potius illas expunxisset, & substantiam panis & vini abiecisset. Ex verbis item nunc adductis apparet, Damascenum sentire, vino diuinitatem adiungi: vnde non est necesse, vt cùm superius idem videtur dicere, per vocabulum panis, Christi corpus intelligamus. Ad hæc ratio collationis eius requirit, vt sicut baptismi cõiunctio cum gratia & Spiritu sancto non expungit aut repellit naturam aquæ: sic res huius sacramenti non perdant aut abijciãt symbolorum essentiam. Ait deinde, ita Deum nostræ se attemperasse consuetudini, vt per ea quæ sunt consuera, & secundũ naturam in ijs, quæ sunt supra naturam, collocaremur. Quibus dictis nostrã significat in Christum transmutationem: quæ vt nõ mutat naturæ nostræ

Christus cũ tropica vtebatur oratione, haud

ſubſtantiam: ita uidetur innuere ſymbolorum naturas in hoc mutationis genere ſubſtantiam ſuam non mutare. Atq; hoc etiam obſeruandũ eſt, ſymbola ſacramentorum ab eo dici ſecundùm naturam. Quî poteſt igitur fieri, ut accidẽtia tantùm ſint abſque ſubiecto, quæ in ſeipſis contectum habeant corpus Chriſti? Profectò ſi hoc modo res habeant vt illi fingunt, ſymbola illa ſecundum naturam eſſe non poſſunt.

Video equidem, iſtum Damaſcenum verbis vti quibus doceat, naturam panis tranſmutari, tranſumi, & effici corpus Chriſti: quæ ſi de mutatione ſacramentali, vt ſæpe loquuti ſumus, intelligantur, nihil cauſam noſtram lædunt.

Mutatio ſacramentalis eſt ſupra naturã

Quodque ait ſupra naturam iſta fieri, aſſentimur. Non enim eſt naturale, vt ex communi vulgariq́ue pane ſacramentum fiat: ſicut nec ex aqua lauacrum regenerationis naturaliter conſtituitur. Ab eo autem ſi exigas modum iſtius tranſmutationis, panis, inquam, & vini in corpus & ſanguinem Chriſti: reſpondet, nobis quoque facile non eſſe, modum explicare, quo naturali alimento panis tranſeat in carnem noſtram. Sed quod ad hoc attinet, dici poteſt, ſi allatum ſimile gen raliter ſumatur, vt in ſacramento Euchariſtiæ aliqua mutatio concedatur, ſermoni ſcriptoris huius eſt ſatisfactum. Sin verò ſpeciatim collationem velit fieri, vt talis ſit mutatio panis in Euchariſtia, qualis eſt mutatio alimenti in corpore animantis, tum non ſolùm natura panis expungenda erit, verùm eius etiam accidentia: cùm ea prorſus aboleantur, quando ex huiuſm di cibis noſtrũ corpus nutritur.

Hæc pro qualicunque Damaſceni excuſatione ſcribere volui, ne lector arbitretur, me Patres è neuo, vel ex crepundijs, ut dicitur, vel le iudicare, ſed potius operam dare, vt ex toto corpore ſcriptorum, quæ ipſi ediderunt, illorũ ſententiam, quàm fieri poteſt, maximè veriſimilem, & piam aſſequar. Quòd verò poſt hæc Damaſceni dicta iſte palæſtricè ſpatiatur, clamatq́ue patres talia ſcripſiſſe, quaſi ſpiritu prę uiderint figuratores exorituros, ad quos iugulandos tela Catholicis præparauerint: hæc fortaſſe vera poſſent videri, ſi res Theologica ita eſſet comparata, vt Iuriſperitorum, qui putant defringendo ſurculum poſſeſsionem fundi vſurpari. At in Patrum ſcriptis non ita eſt agendum, vt ex vna vel altera ſententia malè miſereq́ue detorta, ſtatim iudicetur quid illi ſenſerint. At quid iſti faciamus? præceps eſt Inconſtantius, & adeò cæcis oculis in ipſam veritatẽ impingit, vt in dictis Patrum quiduis arripiat, neque poſsit, quid pro ſe, quidúe contra ſe faciat diſcernere. Damaſcenum, vt ſumus teſtati modò, pro ſe citat: at interea non expendit, quàm illum claudum, & ſuis mendacijs vix ſemiſauentem habeat.

Quomodo ſit de patrũ ſententia iudicandũ ex illorũ ſcriptis.

Poſtremo denique loco ne quid videatur iuſto Patrum numero defuiſſe, Theophylactus inducitur, qui 28. cap. in Matthæum ſic ſcribit: *Porrò dicẽs, Hoc eſt corpus meum, oſtendit, quòd ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur altario, & non reſpondens figura. Non enim dixit, Hoc eſt figura: ſed, Hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim operatione tranſmutatur, etiamſi nobis videatur panis. Quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem, & ideò panis quidẽ apparet, ſed caro eſt.* Idemq; in Marcum 14. *Cùm benedixiſſet, hoc eſt, gratias egiſſet, fregit panẽ: id quod etiam nos faciamus preces adiungendo: Hoc eſt corpus meum: hoc, inquam, quod nunc ſumitis. Non enim figura & exemplar dominici corporis panis eſt: ſed in illud ipſum conuertitur corpus Chriſti. Dominus enim dicit, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt: non dixit, figura carnis meæ: ſed, caro mea eſt.* Et iterum: *Niſi ederitis carnem meam.* Verba Theophylacti huc uſq; ſunt allata: ſed præſtat Inconſtantij trium phos audire: *Hæc tam clara, tam certa, & tam aperta*, inquit, *ſunt, vt de lectoris æquitate diffidere videar, ſi illa coner annotationibus tractare.* Deinde veritus ne teſtium adductorum numeri lector fortaſsis oblitus, quemadmodum par eſt, eorũ multitudinis rationem nõ haberet, illos, quaſi pecudes eſſent, in vnum gregem cogit, atque ait: *Produxi ex patribus Iuſtinum, Irenæum, Origenem, Cyprianum, Athanaſium, Iuuencum, Emiſſenũ, Baſilium, Epiphanium, Ambroſium, Theophilum Alexandrinum, Chryſoſtomum, Hieronymum, Cyrillum, Auguſtinũ, Euthymium, Oecumenium, Damaſcenum, Theophylactum: qui omnes ſuperiorum ſeculorũ fuerunt ante annos ſeptingentos. Quòd ſi in citandis nominibus ambitioſus eſſem, quantum eiuſdem ſententiæ conficerem catalogum?* Quis in alijs, quæ poſthac dicturus eſt Inconſtantius, eum habeat pro homine bonę fidei, cùm audiat eum nunc negare, ſe tot patrum nomina ambitiosè congeſsiſſe? Nullum ſanè, quem adducere poſſet, omiſit, & ceu nouus quidam Vulcanus hanc Pandoram ſui delirij ad omnium patrum veterum cõmentarios circumtulit: vt à ſingulo quoq; ipſorum aliquid in eam ornamenti conferretur, quò mortalibus, quos per eam decipere ſtudet, fucus aliquantò vendibilior videretur. Si ambitioſus non fuit in congerendo tot nominum cenſu, cur non tres, quatuórue teſtes ſatis eſſe iudicauit? Si hoc nõ eſt, quid obſecro tandem erit, nomina Patrum ambitiosè iactare? Illorũ ſigillatim induxiſſe teſtimonia parum erat, niſi eorum nomina magna quadam pompa in epilogo fuiſſent expreſſa, & lectori ante oculos poſita: quò ſcilicet illius labori parceretur, quem nimis grauem fore iudicabat, ſi teſtimonia ſingula huius catalogi, nõ minus mẽdacis, quàm numeroſi, fuiſſent illi ab initio repetenda.

Mirantur quidam ingenium Homeri, qui catalogum auxiliarium nauium & copiarum cùm Troiani, tum Græcorum exercitus adeò ingeniosè finxerit, & tam congrua ſerie digeſſerit: cùm tamen ille præ noſtro Inconſtantio nihil fecerit. Longè quippe Homero facilius erat fingere quod vellet, quàm iſti fuerit in ſcriptis Patrum variare, mutilare, torquere, vt pro mendacio facerent, quæ illi bona fide ſcripſerãt pro veritate. Fuit quidem Homerus citra controuerſiam inſignis poeta: & iſte citra controuerſiam luculentiſsimus eſt impoſtor. Vult

sibi credi, se in ijs recensendis patribus nō fuis- A se ambitiosum. Impetrasset id fortasis, si in Augustino, aut Ambrosio, aut saltē Cyrillo desijsset. Verùm quando vsque ad Theophylactos, si Deo placet, suum catalogum digerat, quomodo illi potest fides haberi? Proferat, obsecro, quos omiserit. Circumspice quæso diligenter: vide obsecro, num quis ex veterib. absit, quem non aduocaueris. Vix alioqui persuadebis cuiquam, te in hac re non fuisse ambitiosum. Iam sentio, saluus est hominis pudor. Vnus abest: B nimirum Theodoretus: vir alioqui sanctitate, doctrina & ætate clarissimus, qui vnus ex multis esse potuit. Sed videndum est, vtrum ita remissus fuerit Gardinerus, vt hunc testem negligētia quadam & simplicitate præterierit, quod sanè illum ambitionis crimine liberaret: an potius ita callidus, vt illum vafricie quadam & astuta cautione dissimularit, ne in suo catalogo testem haberet eum, quē sciret contra se quàm apertissimè dicturum testimonium. Iam non C tantùm ambitiosus est, sed callidus etiam vetērator, qui deprecetur ambitionis crimen, quòd non omnes recensuerit patres, quos potuisset, cùm tamen nullos prēterierit, nisi eos, quorum testimonio sciret se casurum causa: nimirum Theodoretum, Fulgentium, Vigilium, atque alios consimiles. Verùm illi condonandū censeo: nam impotens habet ingenium, & ei non potest non obsequi.

Theophylactus nō est antiquus scriptor.

Vidimus iam, quàm propemodum nihil sit D adiutus Inconstantius istis testibus, quos huc usque adduxit: vtque illi potius à nobis quàm ab ipso steterint. Ideo & de Theophylacto non nulla non sunt indigna, quæ à nobis proferantur. Scriptor ille non est adeò antiquus, verùm admodum recens. Et licet qua ætate vixerit quod sciam, literis consignatum nō extet, sunt nihilominus aliquæ satis probabiles coniecturæ, quibus diuinare possimus, illum in tempo- E

Quando Bulgari susceperint Christianissimum.

ra superstitiosa incidisse. Nam Bulgari, quorū ille fuit archiepiscopus, Christi religionem sub Nicolao episcopo Romano eius nominis primo, anno domini 865. susceperunt. Neq; Theophylactus eorum ecclesiæ statim ab initio præfuit: quoniam illi primo tempore cum Ecclesia Romana senserunt: at postea cùm illa cœpisset displicere, ad Ecclesiam Constantinopolitanam Latinis relictis sese contulerunt. Fuisse verò Theophylactum Latinis aduersarium, F expositio eius in tertium caput Iohannis demonstrat: vbi Latinorum sententiam de processione Spiritus sancti à patre & à filio, redarguit: nosq; contendit errare, qui sic existimemus. Quare Theophylactum aliquanto postea Bulgarorum archiepiscopum fuisse cōstat, quàm ea cōtrouersia de Spiritu sancto moueretur. Circa quæ tempora iam in Ecclesiā permulta dogmata cùm impura tum peregrina irrepserant, & de hac ipsa Transubstantiatione cœptum erat agi: imò ea iam quodāmodo rece- G

Berengar.

pta erat. Quia Berengarius Andegauensis archidiaconus cùm se opponere ausus esset, à Leone 9. conciliabulo Vercellis habito condemnatus est circa annum Domini 1049. Et postea sub Nicolao eius nominis secundo, qui fuit anno Domini 1059. Romæ coactus ad palinodiam, quæ adeò turpis fuit & indocta, vt satis queat de statu Ecclesiæ illorum temporum testari.

Ideo non mirandum est, si Theophylactus vir alioqui non magni iudicij ob suorum temporum tenebras aliqua scripserit, quæ nonnihil à vero sint aliena. Vnde authoritas eius non tanti facienda est, vt per eam veritati quicquā debeat præiudicari. Quod enim patribus multò eo sanctioribus, doctioribus ac vetustioribus dandum non est, quomodo isti obscuro, minus docto ac recentiori tribuemus?

Attamen dicta eius, quæcunque sint, excutiamus, ne illa cōtempsisse omnino videamur. Super Matthęum capite vigesimosexto, vt Inconstantius locum illum adducit, *Panem Eucharistiæ*, inquit, *corporis Christi figuram non esse*. Vbi si vacuam & inanem figurā excludere voluit, rectè sensit: neque sanè nos figuram eius generis hîc ponimus. Atque hanc interpretationem vt verbis eius conuenire credam, eò adducor, quia scribens in Marcum rem magis explicuit. Dicit enim, panem non esse figuram tantùm. Quamuis alij clamitant, particulam Tantùm in Græco textu non haberi. Sed ego ista de re infrà cùm rursus de hoc authore agetur, iudicium meum aperiam. Quòd si vellet ab hoc sacramento figurę omne genus excludere, à cæteris patribus apertè dissentiret, quorum antea citaui luculentissima testimonia. Vtitur quidem ijs verbis transformari, conuerti, transelementari: quæ si sacramentalem, vt ita dixerim, mutationem referat, illi non repugnabimus. Nam panis & vinum, cùm adhibentur ad sacram communionis functionem, sacramenta fiunt, & in elemēta diuinarum rerum transeunt, formamque symbolicam induunt.

Panis et vinū in usum corporis & sanguinis Christi conuertuntur.

Sed inquiunt, istum scribere, carnem & sanguinem idcircò non videri, vt ne à Sacramenti vsu abhorreamus. Fateor loquutionem hanc aliquanto duriorem esse: præsertim si accipiatur in eum sensum, quasi significet corpus & sanguinem Domini re ipsa in pane vel in eius accidentibus inuisibiliter concludi. At colligamus inde, propterea voluisse Dominum corpus & sanguinem suum animo ac fidei piè communicantium offerri: carnali autem ori tantùm visibilia sacramenta ministrari: quia si caro & sanguis re ipsa in os communicantium ingereretur, nasceretur horror, esseque nostrę naturæ cibus ille & potus intolerabilis. Et, siue appareant, siue non appareant, omnino crederetur flagitium, hominis carnem & sanguinem vel edere, vel bibere. Ideoque Augustinus de Doctrina Christiana censebat, ad figuratam loquutionem esse confugiendum.

Sed quoniam ista verba Theophylacti aduersarijs arridēt, quare non ita è diuerso expendunt, quid in Marcum idem scripserit: species, inquam, panis & vini in virtutē corporis & sanguinis Domini cōuerti? Certè hoc eius dictum sen-

sententiæ nostræ omnibus modis astipulatur. A Quando enim panis & vinũ sacramenta fiunt, iam instrumenta diuinæ virtutis ac potentiæ spiritus esse incipiunt. Quòd si dixeris, Theophylactum alibi non scribere, species panis & vini in virtutem corporis & sanguinis Domini conuerti, sed in ipsum corpus & sanguinẽ Domini: respondebo, quod in Marco ab eo memoratur, iustam esse interpretationem illius sententiæ durioris, quam alibi posuit. Et sanè haud minus efficaciæ ac virtutis habent sacra- B menta, quando illis in sacra functione Spiritus sanctus vtitur, quàm si res ipsæ quoad substantiam in illis essent. Ideoq; nomina ipsarum rerum iure sortiuntur, & horror, vt dictum est, communicátium tollitur, quando harum specierum non in res ipsas, verùm in virtutem earum fit mutatio. Atque vt de Theophylacto semel finiamus, referam id quod ille scribit in 6. caput Iohannis. *Sicut mutabatur*, inquit, *dum super terram Christus viueret, panis in carnem eius vsi-* C *tata ratione alimenti per naturalem eius transmutationem: sic iste panis mutatur in corpus Christi.* Non diffiteor, sententiam hanc nonnihil violentam esse, neque illam iuxta sensum, quem præ se fert, admittẽdam censeo. Vnde ab eo peterem, sicuti à Damasceno, cùm istud idem simile ab eo allatum expenderẽ, vtrum collationẽ hanc generaliter fieri velit, an speciatim? Si primum dixerit, non litigabimus: quia in Eucharistia symbolorum qualemcunque mutationem con- D cedimus, nempe sacramentalem. At si dixerit, similitudinem se velle ita intelligere, vt illam proponit, nimirum vt ita verè mutetur panis in sacramento Eucharistiæ, quàm verè conuertebatur in' substantiam corporis Christi, cùm Dominus illo vesceretur, agens adhuc in terris: grauissimum absurdum euitare nõ potest, quodq́ue cùm Transubstantiationis sententia valde pugnet, nempe symbolorum species vel accidentia in hoc sacramento non esse re- E tinenda: quandoquidem in alendo corpore Christi dum hîc viueret, illa non retinebantur. Nam ita panis, quo vescebatur in carnem eius transibat, vt nulla panis amplius indicia seu vestigia remanerent.

Neq; tacebo istum eundem interpretem in sextum caput Iohannis verba illa exponentẽ, *Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo:* ita scribere, *Hoc fieri dum quodammodò miscetur mihi, & transelementatur in* F *me, qui possum viuificare.* Quibus verbis, quemadmodum cæteri patres, tantam esse docet nostri mutationem in Christum, vt nos in eum dicat transelementari. Et nihilominus nemo sapiens dicere audebit, pios homines in Christũ transubstantiari, quasi substantiã naturamq; suam amittant, quam prius habuerunt, & solùm eius retineant figuram & accidentia. Non itaq; debemus ex verbo transelementandi statim colligere transubstantiationem, vt nostri doctores G prodigiosi confinxerunt. De Theophylacto satis iam esse quæ dixi, existimo.

Nos in Christum transelementamur.

Insultatione tandem amarissima Gardinerus absoluit suum catalogũ. Et ostentata confertissima turba testium, ornat illos vicissim suo testimonio, attribuens eis authoritatem, doctorum pondus, ætatis venerationem, & consensum maximum. Deinde in nos tonat, & fulminat canina sua facundia, qui simus recentes, tenebricosi, pauciss imi, nostro scelere clari, vel infames potius. Quis contra hæc vel mutire audeat? præsertim cùm illi antesignani partiũ nostrarum, quamuis pauculi essent, & potius viderentur, quàm essent, iam obierint, Berengarium dico, Vuiclephum, Oecolampadium, Zuinglium, Ioachimũ Vadianum: supersintq; tantùm minorum gentium dij, testes falsi illi quoque, sed cum istis, qui aliquid videbantur, haud connumerandi: quoniam suum ferè nihil habent: sed quod ab alijs acceperunt, mangonizant, deinde & popello vendũt. Hæc sunt Inconstantij gloriosa ἀγώνισμα. Iam quasi debellatum sit, & parta victoria citra puluerẽ & sanguinem, arrogãter & superbissimè triumphat. Meminerit tamẽ velim in tanto triumphi strepitu non esse magnam & solidam laudẽ, quam sibi ipsi quispiam attribuat: sed quæ aliorum sano iudicio constet. Deinde cogitet, prudentes lectores flumine inanium verborum nõ facilè conturbari. Ornat patres, quos citauit, dignis encomijs. Gaudemus: Quia, vt demonstratum est, nobis potius illorum testimonia fauent, quàm ipsi. Quod cùm ita sit, qua fronte paucos tenebricosos, infames & recẽtes appellare potest nostros testes? Nostri sunt, quos facit suos. Vuiclephum, deinde Zuinglium, Oecolampadium, Vadianumq́ue, viros integerrimos atque doctissimos absq; vllo pudore contemnit, proscindit, lacerat, & indignis modis, quæ est illius episcopalis mãsuetudo, infamat, vt qui nesciat iam illos extra iactum telorum esse. Ideoq́ue sanctissimis hisce viris, huius impuri & crudelissimi carnificis furor & insania nihil nocet. Quiq́ue superstites adhuc sunt, & eorum qui præcesserunt, pietatem & doctrinã æmulantur, dij mĩnorum gentium cõtemptim ab ipso vocantur: quia scilicet nihil illi videtur magnum, quod pedo, mitra, sigillo regio, equitatu superbo, auro, argento, gemmis, & torquatorum comitatu non sit ornatum atq; illustre.

Si nihil è suo illi habent, sed ab alijs accipiunt, mangonizant, & popello vendunt: dic quæso tu, maximarum rerum inuentor, quid in tuis rhapsodijs habeas, quod tuum queas dicere? Certè si ex tuis libris mendacia, sophisticen, & vulpinã astutiam auferas, cætera omnia sunt aliena. Putas fortasis homines ignorare, quib. operis, quóue Theseo seu Achate in tuis istis elucubratis tenebris, ac tumidis elatisque libellis fueris vsus? Scitur, & plus quàm credas, exploratum est, te alienis videre oculis, & alienis manibus permulta scribere: quæ prius alieno edas nomine, non quòd ab alijs conscripta esse velis confiteri, sed quòd illi captandæ gloriolæ, quàm miserè deperis, tempus videris non fuisse idoneum. Quo postea commutato, nomen tuum alienis laboribus asscribis, teque

Gardinus inscribit libro suo nomen alienum.

pauonis

pauonis plumis, insolentissimus graculus, impudentissimè iactas. Hoc pacto metis, quæ nõ seminasti, quæque ipse non consuisti, gloriosè induis.

Alij, inquis, mangozinant, quæ ab alijs accipiunt. Sed tu si quid fuerit ab alijs fortè fortuna bene scriptum, id totum non mangonizas, sed vitias, & corrumpis.

Veruntamen, vt de me ipso quod est dicam, summę laudi semper duxi Theologica scribendo, si quàm minimum fieri posset, minimum afferrem ex meo, sed omnia ex diuinis literis, aut ex orthodoxis ac veteribus patribus depromerem. Te verò facilè concedam & tuos illos, qui te in tuis consarcinandis iuuerunt, paucissima reuera inseruisse aliena, sed omnia propemodum sua congessisse. Nam licet interdum videantur citare aut scripturas, aut patres, non illos tamen, vt tu dicis, mangonizant, sed vitiant, corrumpunt, & nihil iusto sensu, aut integra narratione, ad animum scribentis referunt: omnia flectunt, imò potius torquent ad errorẽ quem tueri & confirmare nituntur.

Postremò, si Deo placet, nos falsos testes appellat: se ipsum præ nobis os veritatis prædicans. At veritas simplex est, & eadem semper manet. Tu verò frigidum & calidum ex eodẽ ore tuo frequẽter soles flare. Idcircò nemo prudens facilè credet vera esse quæ loqueris. Nónne enim tu ipse Gardinere libellum de Vera obedientia in Papam scripsisti? Nónne deinde idem tu consilio, suffragio, & publica concione Papam reuocasti? Nónne pugnantia pro diuersitate temporum testimonia dixisti? Quis igitur deprehenditur falsus testis? Inconstantius, opinor, & ita deprehenditur, ac tenetur medius, vt absolui nequeat saluo iudicum pudore. Subscriptione tua primum librum rituum Anglicorum confirmasti, quo missa priuata, & peregrina lingua fuerat abolita. Deinde inter primos eandem, quam prius manu tua damnaueras, missam fecisti. An falsus testis non conuinceris? In tuo libello, quem contra diabolicam sophisticen olim scripsisti, pronuncias de ijs verbis domini, *Hoc est corpus meum*, pronomen, Hoc, panẽ demonstrare. Modò contendis indiuiduum vagum ostendi. Quomodò igitur non testaris falsa?

Proinde vide, obsecro, ne posthac huius criminis quenquam accuses, cum ipse illo maximè graueris. Alioqui tibi dicetur, Medice cura teipsum: & manticam aliquando respice, quam in tergo gestas.

Concludit tandem ad hunc modum hanc sũam decimamtertiam responsionem. Et verborum Christi authoritas agnoscitur, quæ sensu suo proprio catholicam de Eucharistia fidem & veteribus prodiderunt, & firmarunt nobis. Qua fronte, quo ore à veteribus ait, verba Christi fuisse proprio sensu accepta: cũ patres panẽ signum corporis Christi esse scripserint, idque passim aliquando figuram, & nonnunquam ἀντίτυπα, & nominatim Augustinus, vt docui, locutionem hanc inter figuratas retulerit? Vellet sanè hîc triumphare Gardinerus. At patrum antiquorum senatus neq; triumphum illi, neq; ouationem decernit. Abijciat igitur lauream, & fasces, priuatusq; in decimamquartam responsionem ingrediatur, cum in hac decimatertia tam diu sine fructu sit commoratus.

Libellus Gardineri de vera obedientia.

Inconstãtia Gardineri.

OBIECTVM XIIII.

QVICVNQVE imponit fidei scripturæ sensum extraneum, qualem spiritus sanctus non requirit, est hæreticus. At sensus horum verborum, Hoc est corpus meum: si statuatur, quasi substantia latens realiter sub ijs accidentibus absq; subiecto sit corpus Christi, vel quod per eorum verborum prolationem substantia panis transeat in corpus Christi, extraneus est, neque à spiritu sancto requiritur: proinde qui sensum hunc defendunt, sunt hæretici.

GARDINERVS.

MAIOR propositio contra figuratores maximè facit. Nã ipsi extraneũ & nouum sensum ingerunt, quem spiritus Domini non flagitat. Nam inquiunt, Christum solam corporis sui figuram dedisse: cum in verbo Domini nulla sit figuræ mentio.

MARTYR.

CAlumniam istam sæpius iam dilui. Ideoque bona conscientia lectorem ad ea, quę dicta sunt, possem relegare. Sed tamen vt dilucidior fiat nostra sententia, primùm dico sacramentum duplici parte constare, signo, inquam, & re significata. Vbi quæso audiuit nos Inconstantius docere, sacramentum fidelibus non integrum, aut mutilatum dari? Nos hoc nunquá diximus: dari affirmamus integrum: ita vt os corporis externa symbola sumat: significatum verò, id est corpus & sanguis Christi, mente p fidem & spiritualiter accipiatur. An enim dum Euangelium prædicatur audientibus, dantur solùm voces & soni? Certè vnà cum illis etiam significata dantur: quamuis loco, & longis interdũ spatijs distent. Est itaq; mera, & impudẽs calumnia, qua perpetuò ab hoc sycophanta indignè premimur, quasi statuamus, communicantibus nudam figuram dari.

Laborat præterea rursus in explicãdo sensu verborũ Christi: & nihil noui adfert, sed suũ illud indiuiduũ vagũ denuo nobis obtrudit: quasi prius non satis, vel potius non ad nauseã vsq; audiuerimus. Neq; repetitio hæc aliunde oritur, quã ex φιλαυτίᾳ: valde quippe sibi iste hoc inuento placet, quod tamẽ propriũ eius non est. Siquidẽ Scotus, inter Scholasticos Theologos nõ ignotus, eiusmodi vago indiuiduo ea verba,

Fidelib. integrũ datur sacramentũ duabus partibus constans.

Scotus illius indiuiduũ vagi autor.

Hoc eſt corpus meum, cenſet interpretanda. Sed ipſum Gardinerũ audiamus: *Chriſtus accepit panẽ in manib. vnde vnã tantũmodò ſubſtantiam habuiſſe Chriſtũ in manibus conſtat. Deinde illud vnũ Ens in ſubſtãtia, quod habebat in manib. demonſtratione, Hoc, ſignificans definiuit eſſe corpus ſuũ, dicens: Hoc eſt corpus meũ, quod & definiendo effecit, cùm verba ſint quæ Chriſti ſunt, operatoria.* Chriſtũ inquit in manib. vnã habuiſſe ſubſtantiã, ideſt, vnũ ens in ſubſtantia. Quis hîc nõ ſtupeat, qui audiat, indiuiduũ vagũ, ens vnũ in ſubſtantia, quod ad nullam adhuc ſpeciẽ ſeu formã ſubſtantiæ pertineat, ſed indefinitũ ſit, tamẽ in manib. haberi? Mẽte quidẽ iſta poſſunt concipi: ſed manu teneri nõ poſſunt. Et Chriſtus, vt Euangeliſtę atq; Paulus teſtantur, panem accepit in manib. Non igitur in manib. habuit ens in ſubſtantia, quod non eſſet definitum.

Deinde ſubjcit: *Prædicatũ verò quoniã ex nomine Corpus, conſiſtit aperit illã ſubſtantiã, quæ in ſubiecto pronomine illo, Hoc, obſcurè notabatur, eſſe ſubſtantiã corporis Chriſti.* Mirũ, et abſurdiſsimũ profectò eſt quod hic molitur: pronomine hoc, fuiſſe notatã, licet obſcurè, ſubſtantiã, quę in manib. habebatur, fuiſſe corporis Chriſti ſubſtantiã. Quid enim potuit notari, quod verũ nõ erat? Subſtantia quippe, quã dominus accepit, & in manib. habuit, panis fuit, vt Euangeliſtę perhibent: vt ſenſus iudicabant: vt ipſi oculi omniũ aſtantiũ cernebant. Adhęc ſeſe torqueat, quantũ velit, Incõſtantius: nõ potuit ſubiecto illius propoſitionis corporis Chriſti ſubſtantia vel obſcurè, vel clatè notari, ſalua ſermonis veritate: cũ ibi Corpus domini tũ temporis, cũ diceretur, Hoc, ſub accidentib. nõ adfuerit. Non.n. ſubſtantia panis diſcedit, corpúsue Chriſti ſuccedit, niſi cũ tota propoſitio completa ſit, vt omnes, vel Papiſticiſsimi theologi definiunt. Eat modò Gardinerus, ac ſolus fruatur Chimæra ſua, quæ vt à veritate orthodoxa diſſentit, ità ne cum Papiſticis quidem decretis conuenire poteſt.

Confert poſtea ſe ad explicandũ, quod aiunt, corpus Chriſti latere ſub accidentib. Hunc ſenſum ait duplici nomine verũ eſſe: primò, quòd omnis ſubſtantia lateat: deinde quia Chriſtum dediſſe corpus ſuum nõ ſpecie viſibili res ipſa docet. Quod ad primũ attinet, fatemur quidẽ, ſenſus externos ad ipſam nõ pertinere rerũ ſubſtantiã: at illam haud concedimus latere, cũ ſe ipſam probet certis proprietatibus & accidentibus. Vnde meritò dicimur videre panẽ, videre vinũ, videre terrã, videre cœlũ, & deniq; ſubſtantias omnes, quas, quòd ſentiantur, ſenſibiles appellant. Quamobrẽ ſummę eſſet cæcitatis & oſcitantiæ, ſtatim cum iſto dicere, omnem ſubſtantiã latere. Id enim ille facit quò pro ſua voluntate, nulla autem cũ ratione concludat, corpus Chriſti eo nomine latere, quòd ſit ſubſtantia: imò è diuerſo, cum ſubſtantia ſit ex earũ numero, quæ ſenſibiles dicuntur, iuxta naturã ſuam non debet dici latere, ſed potius abeſſe, cũ ſuis proprietatibus & accidẽtib. ſeſe nõ prodat. Quòd ſi fieri vultis miraculo vt corpus Chriſti ſeſe non declaret, non oportet cauſam illius occultationis ex natura ſubſtantiæ quærere.

Subſtãtiæ ſenſibiles.

De altero verò, nempe quòd Chriſtus corpus ſuum non viſibili ſpecie dederit, ſi rectè intelligatur, nõ inficiabimur. Nã & nos docemus Chriſtum offerre corpus & ſanguinem ſuum p fidem à mente ſpirituq; noſtro percipiendum. Neq; fides ad capiẽda ea, quæ credimus, viſibili ſpecie indiget. At hinc nõ ſequitur, corpus Chriſti latere ſub accidentib. panis & vini. Nã probè poteſt à fidelibus ſpiritualiter comedi etiam manens in cœlo, & edens ad dextram patris. Quapropter Inconſtantius duabus rationibus, quibus probare voluit corpus Chriſti latere, latuit ſe ipſum bis in vna re ineptientem.

At maius opus mouet, quando pòſt explicare nititur, quare ſubſtantia panis abijciatur, & accidentia ſine fulcro ſubiecti, pendula in aere maneant, contineantque in ſe latens domini corpus. Sic ait: *Quemadmodum autem illud vnũ, quod Chriſtus manibus tenebat, erat anteà per naturã ſubſtantia panis, nunc autem ab eo qui id efficere poſſit, dicitur ſubſtantia corporis, ſcilicet, quia corpus quod eſt nomen ſubſtantiæ, illam vnam ſubſtantiam determinat, excluditur illa vnitate binarium: atque vt ne bina ſit ſubſtantia, non poßit dici conſiſtere illa ſubſtantia panis: cuius tamen accidentia ſenſibus manent, quemadmodum ſpecies corporis Chriſti ſenſibus non exhibentur: quoniam vnum illud in ſubſtantia, hoc, indicat, quod ſub accidentibus panis omninò lateret. Quæ ſingula ſi conſideres, reperies hunc ſenſum ex verbis conſtare, ſubſtantiam latentem corporis Chriſti ſub panis accidentibus verè, re ipſa exhibitam eſſe: quod tantundem valet, quaſi dicas, Realiter. Et quia ſubſtantia panis abeſt, quæ illorum accidentium panis ſubiectum erat, dicuntur accidentia manere ſine ſubiecto. Nam dicere, illa accidere corpori Chriſti, quod neque augetur, neque minuitur, eſt abſurdum. Vnde liquet, ex verbis Chriſti hunc ſenſum colligi: videlicet, ſubſtantia latens realiter ſub hoc accidente ſine ſubiecto, eſt corpus Chriſti.* Ex ijs tam longis ambagibus, quis non videat, peregrinum & alienum ſenſum eſſe, quem verbis domini affingitis? Nuſquam diuina ſcriptura iſtis vocabulis, aut loquutionibus vſa eſt. Iſti conantur ex ea, velit & nolit, & ſenſus & ſermones exſculpere, non quos ferat, ſed quos ipſis viſum fuerit. Libenter de Gardinero velim diſcere, quid illud vnũ fuerit, quod Chriſtus in manibus habuit, cũ inciperet loqui. Dicit mihi quid fuerit anteà: nimirũ panis. at quando tandẽ panis eſſe deſijt? An cũ Chriſtus dixit, hoc? quid eſt illud vnum in genere ſubſtantiæ, quod, hoc, demonſtrat? Corpus Chriſti non eſt, quia nondum abſoluta eſt excantatio quinque verborum. Demonſtratur itaque panis. Quod ne concedat Inconſtantius, vnum illud in genere ſubſtantiæ fingit, non definitum, neque terminatum, ſed per prædicatum, nempe Corpus, quod eſt ſimiliter in genere ſubſtantiæ, finiri, terminari, ac declarari. Atque hoc inani fictoque commento triumphat noſter inuictus Achilles, ſibique adeò illo blanditur, vt fermè nil aliud queat vel cogitare, vel ſcribere. Hoc tamen addit noui, vnitatem

tem illam naturæ, vel ſubſtantiæ, quæ ſigni A
ficatur per pronomen, hoc, & declaratur aut
finitur in prædicto per vocem, Corpus, adeò
eſſe neceſſariam, & omnibus modis retinen-
dam, vt binarium omninò excludat: ideoque
non poſsint duæ ſubſtantiæ, panis, inquam,
& corporis Chriſti ſimul eſſe, ac manere in Eu-
chariſtiæ ſacramento. Magna ſanè vis eſt illi-
us pronominis hoc. Quis vnquam putaſſet
ab eo tantam iniuriam ſubſtantiæ panis potu-
iſſe fieri, vt illam ſuo loco extruderet? *Seruanda,* B
inquit, *eſt vnitas, cum demonſtratur illud vnum,*
quod eſt in genere ſubſtantiæ: neque binarius admitti
poteſt numerus ſubſtantiarum: Sed age, accipiamus
ferrum candens, cui iam ignis ſit admixtus.
Nonne licebit de illo dicere, hoc eſt ferrum?
Certè licebit, & paſsim ita loquimur. Permit-
tatur mihi nunc Inconſtantij vti ſophiſtica in-
terpretatione. Hoc, quod eſt in ſubiecto, v-
num demonſtrat indefinitum in genere ſubſtã C
tiæ, quod terminandum, finiendum, & decla-
randum relinquitur prædicato, ſcilicet, ferrũ.
Tum quæro, an hic conficiatur, binarium
ſubſtantiæ nullo modo poſſe admitti, ſic vt
ſimul & ignis & ferrum non queant conſiſtere.
In ferro cãdenti eſt binarium naturarum. Profectò, ſi Gardinerus inficietur ignẽ hoc caſu
adeſſe, oporteret ei candẽti ferro vel in frõte vel
in manu dextra cauterium inurere: vt ne mi-
nus has partes corporis geſtaret cauteriatas,
quàm conſcientiam. Præterea quiuis videre D
poteſt, quàm longè iſte cum ſua ſpinoſa inter-
pretatione diſcedat à vero: cum ſcripturæ pa-
nem appellent id, quod vocatur corpus Chri-
ſti: & patres ſcribant paſsim, dominum vo-
caſſe panem corpus ſuum. Et ne ambigas de
quo pane loquantur, de illo ſe teſtantur age-
re, qui eſt fructus terræ, & ſecundum nos
creatura.

Sed fortaſsis iſte, quia alioqui totus eſt The
ologus, & in rebus diuinis humanam rationẽ E
& ſenſus iubet valere, hîc perſonam, quam ſu-
ſtinet, aliquantiſper deponit: exiſtimatque
non pati naturales rationes, & ſenſum commu
nem, duo corpora, quæ ſint de genere ſubſtan
tiæ, ſimul eſſe, aut ſeſe mutuò penetrare. Si
hoc dixerit, mirabor, cum ſæpè nobis obijciat,
corpus Chriſti tranſiuiſſe per fores clauſas, atq;
ita, vt contra naturæ leges vbi duo corpora ſi
mul fuerint. Niſi fortaſſe velit, & fores illas per
quas dominum ait tranſiuiſſe, in corpus Chri- F
ſti tranſubſtantiare: vt illæ iam deſierint eſſe li
gnum, ea ſaltem parte, qua dominus penetra-
uit: ne illa parte oſtenſa ſi quis tunc dixiſſet,
Hoc eſt corpus Chriſti, demonſtrando illud
vnum per hoc, quod eſt in genere ſubſtantiæ
indefinitum, declarandum poſtea per prædica
tum (corpus Chriſti) binarium admitteret ſub
ſtantiarum, quod eſſet in Theologia Gardine
rica flagitium inexpiabile. Quales itaque
ſint collectiones Inconſtantij, vnicus iſte locus
apertè docet, vbi ex illis quinque verbis Chri G
ſti concludi vult, ſubſtantiam latentem rea-
liter ſub hoc accidente ſine ſubiecto, eſſe cor-
pus Chriſti. Certè ſenſus eiuſmodi inde non
colligitur: niſi quantum vos eam orationem
tyrannica violentia à tropo ſuo diuellitis. Ve
rùm audiamus de Tranſubſtantiatione, quid
comminiſcatur: *Supereſt de Tranſubſtantiatio-*
ne dicere, quam alij mutationem, alij conuerſionem,
alij tranſelementationem dicunt: ſed ſimpliciſsimè,
qui tranſubſtantiationem. Nam hoc verbi nihil altius
ingreditur myſterium, quàm quaſi dicas: Alia ſub-
ſtantia fuit in manibus Chriſti, quæ modò non eſt:
alia porro modò eſt, quæ antèa non fuit. Ergo di-
cet carnalis, illa, quæ fuit, perijt. Reſpondeo,
quia in manibus Chriſti nihil perit, fugio illa abſur-
da dicere: & quia melior ſubſtantia ſuccedit, non eſt
annihilatio. Sed deſinere illam dico in meliorem: quæ
verba ſumma veritate nituntur. Atque hanc deſi-
nentiam alij conuerſionem dicebant, alij mutatio-
nem. Quæ verba quoniam calumniandi materiam
dabant hæreticis, ex naturalibus conuerſionibus &
mutationibus argumenta ducentibus, ſimplex catho-
licæ veritatis ſenſus verbo tranſſubſtantiationis expre-
ſus eſt: vt omiſsis verborum argutijs, intelligamus
eſſe quod dixit Ambroſius, panem ante conſecratio-
nem, corpus Chriſti poſt conſecrationem. Incon-
ſtantius pro ſuam agiſtrali ſagacitate, ſimplicius
& expreſsius iudicat dici tranſſubſtantiatio-
nem, quàm mutationem, conuerſionem, aut
tranſelementationem. Credo illi ſic videri, vt
cui nihil placere poſsit, quod non ſit audaciſsi
mum. Qui mutationem, conuerſionem, trans
elementationemúe dixerunt, ſuis illis vocibus
ſubſtantiam panis nõ extruſerunt: ſed aliquod
ibi mutationis genus tantùm innuebant per di
uinam inſtitutionem interuenire. At poſteri
ores, quibus accepta ferenda hæc eſt furioſa
idololatria, qua hodie Chriſti Eccleſia turpi-
ter & miſerè deformatur, verbum hoc non ſo
lum falſum, & barbarum, ſed etiam portento
ſum confinxerunt. Horum igitur audaciam,
furorem, temeritatem volens ac lubens confir-
mat Gardinerus & probat. Patefacta eſt vera
cauſa, qua nomenclatura hæc iſti noſtro tanto-
perè placuit.

Sed illam nunc ſcrutemur cauſam, quam
ipſe adfert. *Quia*, inquit, *eſt, quaſi dicas: Alia*
ſubſtantia fuit in manibus Chriſti, quæ modo non
eſt. Quo argumento id perſuadetur, ſubſtan
tiam, inquam, panis, quæ prius in manibus
fuerat, modò non eſſe? Nam ſcriptura nuſ-
quam hoc dicit. Hoc maximè dicimus perti-
nere ad peregrinum ſenſum, quem ipſi affingi
tis. Nec minus probatione indiget, quod ſub
ditur: *Et aliam modò in manibus eſſe ſubſtantiam*
quæ antea non erat. Nam ſubſtantia corporis
Chriſti, vt ſcriptura teſtatur, in cœlo eſt, non
in manu ſacrifici. Si ſtatim credendũ eſt, quic
quid tu dixeris, non oportet diſputare. Et ſi
veſter hic ſenſus non eſt peregrinus, cur illum
ex diuinis literis non probatis?

Alia præterea ſubijcitur cauſa, propter quam
hęc appellatio prę cęteris allubeſcat. *Quoniã alia*
vocabula mutationis, conuerſionis, tranſelementatio
nis, materiam calumniandi dabant hæreticis. O ſoler
tem cautionem. Hoc eſt ſapere: hoc eſt vera
columina Eccleſiæ agere. Vidiſtis, vt exiſtimo,

pericula, & præcidere curastis viam omnibus qui voluissent inualescentem idololatriam prohibere. Confirmato quippe errore vestro vocabulo transubstantiationis, quid misero pepello relictum est aliud, nisi vt panem in vestris missis & templis adorent pro Deo? Vtque Sacrificuli huc & illuc detestandum illud idolum circumferant? Cumque cupieretis iustis reprehensoribus, ea voce, materiam emendandi erroris præcidere, quantam obsecro, materiam errandi præbuistis adhærentibus Martioni, Valentino, Eutycheti, cæterisque pestibus, qui Christum non habuisse verè humanam carnem affirmarunt? Nam si substantia corporis eius, vt vos ponitis, inuisibilis omni temporis momento circumuolitat per innumera loca, & modò hic incipit esse, modò illic: in hoc loco esse desinit, & subinde in alio: quis illam non suspicetur esse phantasma? Non igitur, mihi crede, voluistis hæresibus occurrere, sed potius erroneam vestram opinionem confirmare: quam cùm rationibus ex verbo Dei sumptis non possetis tueri, commentitijs istis vocabulis studuistis munire: sed frustra: quia hodie in Ecclesia, Deo gratia, tam aperta, tamque perspicua veritas est, vt vestræ calliditati non amplius locus relinquatur.

Transsubstantiatio aperit fenestram Martioni, Valentino, & Eutycheti.

Deinde inquit: *Vt omissis verborum argutijs intelligamus esse, quod dixit Ambrosius.* Ecquando verborum argutias & sycophantias missas faciet Inconstantius? Cum esse, qui nunc est, desierit: & non panem, sed se ipsum in alium virum, ab eo qui nunc est, transsubstantiauerit. Quid tandem Ambrosius inquit in libro de Sacramentis quarto, capite quarto? *Panem ante consecrationem: corpus Christi post consecrationem:* At, quæso, mihi liceat ex eodem libro, eodemque capite verba quædam afferre, quæ hunc locum explicent. Dicit ibidem Ambrosius: *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione.* Consecratione igitur, inquit, fieri potest, vt qui est panis, sit corpus Christi, Non scribit: Vt, qui fuit panis, aut quid desijt esse panis: vt loquitur Inconstantius. Verùm sic habet: *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi?* Sentit proinde panem manere, non extrudi. Et mox: *Si ergo tanta vis est in sermone domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?* Audis? Vt sint, quæ erant, inquit. Non desinit esse panis: sed quod erat est, & in aliud commutatur. Nam fit, vt diximus, suo modo corpus Christi, quia fit eius sacramentum. Vnde paulò antè dicit Ambrosius: *Vbi venitur, vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos vtitur, sed sermonibus Christi.* Quis hic non videat, istum virum Dei fateri, verbis domini, & consecratione fieri sacramentum? Certè id expressè fatetur. Et quia sacramentum id est corporis Christi, propterea corpus Christi & est suo modo, & dicitur. Sed vt manere panē adhuc certius ex verbis Ambrosij videas, audi hanc eius aliá sententiá: *Tu ipse eras*, inquit, *sed eras vetus creatura, postquā consecratus es, noua creatura esse cœpisti. Vis scire quàm noua creatura? Omnis*, inquit, *in Christo noua creatura.* Voluit ostendere ijs verbis Ambrosius, posse fieri, vt vi Dei panis efficiatur per consecrationē corpus Christi: eo videlicet modo quem iam ostendimus. Et simile affert: *Prius*, inquit, *eras tu quoque vetus creatura. Consecratio in regeneratione accessit: & mutatus es, factusque noua creatura.* Hic appello Gardinerum, an cum regeneramur efficimurque in Christo noua creatura, substantiam hominis, quam prius habueramus, deponamus, &, vt ipse loquitur, transsubstantiemur. Quòd si respondeat non ita fieri, quare in pane genus hoc portentosæ mutationis comminiscitur? Si Ambrosius placet, eius quoque similitudo placeat oportet. Ille sic ista inter sese cōfert, vt quod in vna istarum mutationum fatemur fieri, etiam in altera non dubitemus Dei potentia & consecratione verborum Christi euenire.

Nos qui fuimus vetus creatura, efficimur noua creatura.

Aliud præterea est in dictis Inconstantij, quod vtique prætereundum non censeo. Quærit de substantia panis recedente, vel extrusa, num pereat. Negat perire. Sed operæ pretium est, causam audire cur non pereat. *Quia nihil in manibus Christi perit.* Quàm religiosus est interdum, ne superstitiosus dixerim, Gardinerus? Fortasse nō putat dominum vnquam excrescentes amputasse vngues, & proiecisse: ne quid fateri cogatur, de manibus eius periisse. Non tamen poterit negare, illum, cum verè homo esset, & verè comederet, iuglandium putamina, & cortices ficuum aut vuarum, quas in manus acceperat, abiecisse. Vnde negari non potest, de manibus domini aliquid interdum perijsse. At cauillabitur se dixisse, In manibus domini, non, De manibus domini. Sentio verborum argutias: quas si vult missas facere, cur adhuc retinet? Illum tamen hoc rogabo, Si panis in manibus Domini non perit, quid fit de illo? Desinit, inquit, esse. Non perire, quæ desinant esse, dici quidem potest: sed credi non potest. Et quo modo putabitur, id non annihilari, cuius natura fit nihil? Quia melior natura succedit, ideo non vult hic esse annihilationem. Profecto hæc adeò subtilia & tenuia sunt, vt minus quàm fumus consistāt. Quando cibus, quem in ventriculum trasmittimus, in carnem & sanguinem mutatur, succeditque nobilior forma, vt physici loquuntur, an propterea negabimus cibi corruptionem intercedere? Itaque siue sit nobilior forma, siue indignior, quæ per generationem succedit, quando esse desinit, quod prius erat, corruptio semper interponitur: non tamen annihilatio, cùm subiecta materia non pereat, sed retineatur.

Quod desinit esse, perit.

In vestra transsubstantiatione, cum totus panis vnà cum materia & forma esse desinit, vt fatemini, & abit in nihilum, quo pacto ibi negare potestis panis annihilationem? Etiamsi res, vt vultis, nobilior succedat, id ad panem nihil facit: qui, vt statuitis, iam nullus est, & nusquam

Paulò post vt dicetur in transsubstantiatione annihilari.

nusquam existit. Si ageretis cùm beluis, non deberetis audere tam ἀνύσατα, & monstrosa loqui. Gratia sit Deo qui tá manifestè perdit sapiẽtiá sapientium, & intelligentiam intelligentiũ reijcit. Ipse nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Hoc quoque tempore ad nostram institutionem non dedignatur comprehendere sapientes in astutia ipsorum.

Et denique vt sciamus non deesse commenta, substantiam panis Inconstantius fingit, transitione mutari in substantiam corporis. Atque verbo transeundi statuit nil aliud significari, nisi, hoc fuit illa substantia: nunc est ista. Quem Oedipum accersemus ad hæc ænigmata explicanda? Quàm multis fucis eget mendacium, vt speciem aliquam veritatis præ se ferat? Quid illud est, quod prius alia substantia fuit, & nunc est ista? Si panis transit in corpus Christi, sic vt in illud conuertatur: ergo fiet corpus Christi ex alia materia, quàm ex substantia carnis & sanguinis beatæ virginis: nimirum ex substantia panis. Quo commento nihil falsius, aut frigidius excogitari potest. Dixerit fortasse, panem haud esse materiam corporis Christi, sed in illud transire, quod ei cedat. At hoc non est illud transire: sed ab illo resilire: ab eo discedere veniente, atque in nihilum abire. Quare nihil est, quod panis annihilationem se negare contendant: cum illam nolentes & imprudentes maximè statuant. Neque potest Gardinerus peregrinum sermonem hunc esse, quem tuetur, inficiari. Nusquá scripturæ nusquá patres ita sunt loquuti, substantiam panis transire in substantiam corporis Christi.

Quod verò pòst adijcit, sic habet: *Quomodo præterea fiat, contra istorum argutias nescire sit tutissimum, & illorum curiosis quæstionibus ita respondere, vt Christum lacessant potius: qui vt pro se respõdeat, ætatem habet.* Fingit se nostrorum argutias taxare, cùm ipse nusquam desinat argutari. An hoc non est argutari, &, vt quod est dicam, ineptissimè sophisticari, dicere panem transire in corpus Christi, cùm materia corporis eius neque sit, neque fiat, sed esse desinat, & nusquam amplius existat? Dispeream, si seipsum iste intelligit. Vult nos cum Christo commitere: illum ipsum inquit, lacessant, quasi Christus aliquando talia portenta sit loquutus. Porrò vt Christum veracem credimus, & prædicamus, ita vos mendaces coarguimus. Vnde non Christus, qui talium loquutionum nunquam fuit author, sed vos mihi lacessendi estis.

Objcit deinde Ambrosium, si Deo placet, qui sic scripserit: *Christum accepisse panem, quem natura formauit: dedisse corpus, quod benedictio consecrauit. Vnde patet manifestè transsubstantiatio.* Hic iam præstat artificè quem solet. Nam vult persuadere incauto, cõsecrationẽ & transsubstãtiationẽ idẽ valere. Ambrosius ait, *Christum dedisse corpus, quod benedictio consecrauit.* non quod benedictio transubstantiauit. Panem audio, benedictionem, & verbum consecrandi: verùm transubstantiationis nulla est mentio. Dicunt patres, aquam quoque baptismi benedictione consecrari: nullus tamẽ vnquam eam putauit, aut scripsit transubstãtiari. Proinde Ambrosium recipimus: Inconstantij verò interpretationem, vt ab eo alienam, omnino reijcimus. Longas hucusque Gardinere ambages attulisti: non tamen adhuc ostensum est, vos in vestro interpretamento, peregrino sensu, & verbis peregrinis non vti. Quamobrem stat, & stabit, vt spero, nostrum argumentum: vestram autem doctrinam, cùm sensum peregrinum & alienum scripturis diuinis affingat, vt malè sanam, & ruinosam non dubito casuram.

OBIECTVM XV.

In verbis domini, Hoc est corpus meum, per pronomen Hoc, nesciunt quid demonstretur. Nam quidam aiunt demonstrari, quod ante fuit, nempe panem: qui fiet, vt panis materialis sit corpus Christi. Alij volunt ipsum corpus demonstrari: atque tum propositio significabit: Corpus meum est corpus meum. Alij neque panem, neque corpus demonstrari aiunt: sed indiuiduum vagum, & indiuiduum in genere, ac nescio quid mathematicum. Vnde patet, in quæ proruant, & quibus angustijs teneantur, qui monstrosam hanc transubstantiationem ac præsentiam fingunt.

GARDINERVS.

Si hæc vis consequutionis obtineret, omnem scientiam scripturæ in Ecclesia euerteret. Nam catholici maxima varietate vsi sunt ad illustrandam scripturam, dum eam interpretantur: & ex ijsdem verbis alij hunc, alij illum sensum eruunt: qui non abhorrent à scopo veritatis.

MARTYR.

DAbimus hoc quidem Inconstantio, modò probet nobis, sensus illos, qui afferuntur à papistis suis, cum diuinis literis conuenire: vt sensus orthodoxorum patrum, quibus aliqua loca scripturæ interpretando illustrant, omnes pij & probabiles extiterunt. At vestri illi sensus, qui enumerati sunt, ἀνύσατα, & sine sensu deprehenduntur: neque ijs verbis, quæ interpretamini, possunt aptari. Nam panem ipsum materialem, esse corpus Christi propriè,

quod prima interpretatio indiçat, vos ipsi ferre non poteſtis, cùm panis ſubſtantiam omninò excludatis. Per nos quidem vobis ea expoſitio permitti poſſet, ſi panem, admittendo tropum, vt nos facimus, vtque ſacræ literæ iubẽt, retineretis. At ipſi vobis, abiecto pane, hunc interpretandi modum præciditis. Corpus autem Chriſti demõſtrari nullo modo eſt veriſimile: imò abſurdum etiam eſt, neque fieri poteſt. Nã & veſtra ſententia nondum adeſt, vt demonſtretur: & ſi adeſſet, propoſitio tamen illa nil aliud ſignificaret, quàm corpus meum, eſt corpus meum. Quod vt alienum ſit, ex eo liquet, quòd neque ſcriptura neque patres vnquam huiuſmodi loquendi formã vſurparunt. Nilq; profectò diſcunt auditores ex eo ſermone, quo idem de ſe ipſo eiſdem vocibus prædicatur. De oſtenſione indiuidui vagi, nihil attinet, vt nunc probem, quàm vanum commentum ſit, & ludibrium potius, quàm ſana, & vera interpretatio: cũ ſupra ſatis ſuperq; ea de re ſit diſputatũ. Quamobrem varietas iſta interpretationum, quam excuſat Incõſtantius, quaſi faciat ad ſcripturæ luculentiorem explicationem, hoc loco non poteſt recipi. Nam ſingula huius multipli citatis membra verbis domini, tum ob rei veritatem, tum ob illarum abſurdiſsimam theſin aptari non poſſunt.

Cauillatur poſteà contra noſtram argumentandi formam, quaſi à particularibus ad vniuerſalia progrediamur, ijs verbis: *Atq; hæc eò dico, vt oſtendam ineptiam confirmationis huius, quæ è particularibus ſit: cùm alioqui inter eos, quos hic argutator dicit, aliter atque aliter demonſtrationem interpretari ſit ſummus conſenſus in veritatem.* Formam collectionis tantus hic dialecticus non intelligit, atque inde fit, vt illam ita contemptim reprehendat. Non enim ex particularibus ad vniuerſalem propoſitionem, vt ille calumniatur, argumentamur: verũ ſingulos modos enumeramus interpretationũ, quibus illi vtuntur, qui tranſubſtantiationem, & portentoſam præſentiam tueri volunt: illosq; ſingillatim euertimus. Vnde nil aliud conficimus, niſi hos præſtigiatores nullam habere viam, aut rationem interpretandi verba domini. Multis enim varijsque fumis in illis exponendis conati ſunt aliquid proficere. Sed omnia, vt apparet, inauſpicatò tentarunt. Neque putaui oportere me huic ſophiſtæ regulas in memoriam reducere, quas vel pueri norunt: nimirùm auferri totum, cùm omnes eius partes ſint ſublatæ: ac diſiunctam propoſitionem tum denique falſam eſſe, cùm omnia eius membra ſint confutata.

Ex regulis dialecticis cõfirmatur argumẽtũ.

An verò illi, quos hoc argumento taxamus, ſummè conſenſerint in veritatẽ, vt inconſtãtius aſſeuerat, non vacat nunc id pro meritis exagitare. Hoc tantùm dicam, eos conſpiraſſe contra veritatem, non in illã tuendam conſenſiſſe. Nã omnes ſcholaſtici, quicunque poſt Berengarium iniuſtè damnatũ ſcripſerunt, cæca quadam, pertinaciq; veſania turpiſsimè adulati ſunt Decretis Paparum. Sed quia ex allatis interpretationibus nulla eſt, quæ magis eum torqueat,

Poſt Berengariũ, ſcholaſtici Papæ ſunt in ſcribendo adulati.

quàm illa, in qua panem demonſtrari traditur, ideo videamus, quomodò illam conetur emollire.

Nam, inquit, *ex interpretatione eorum, qui dicũt, demonſtrari quod antè fuit, non ſequitur neceſſario, panem eſſe corpus, ſed ex pane, qui ante fuit, iam factum corpus.* Miror, hunc apud ſe ſtatuere, illos, qui panem aiunt demõſtrari, velle oſtendi id, quod demonſtratur, præſens adeſſe. Vnde ſi fuit an teà panis, & nunc non eſt amplius, iam demonſtrari non poteſt panis. At hęc dũ fit demõſtratio, Gardinerus magna fiducia ſibi aſſumit, ex pane iam factũ corpus. At ex ipſorũ ſuperſtitione corpus nondũ adeſt, cùm fit demonſtratio. Illi.n. ſtatuunt, tũ demũ fieri tranſubſtãtiationẽ, cũ excantatio illa quinqueuerbia prorſus fuerit completa & abſoluta. Præterea ſenſum, quem Inconſtantius elicit, alienum à vero eſſe, Chriſti ipſius verba demonſtrant. Nõ.n. dixit, Ex hoc fit corpus meum: Sed verbis diſertis enuntiauit, Hoc eſt corpus meũ. Ex ijs patet, q̃ iſte ſit facilis & propenſus ad tropos, cũ alioqui in re ſacramẽtaria vbiq; deteſtetur. Si nos pronomen, Hoc, interpretaremur, ex hoc, & non tantũ adderemus præpoſitionem, ſeu etiã mutaremus caſum, quid noſtri σαρκοφάγοι non dicerent? Miſcerent cœlũ terræ: clamarent vndiq;, O tempora ô mores. Hæ ſunt iſtorũ æquiſimę conditiones: Omnia ſibi permittere, atque aduerſarijs omnia prohibere. Quis ijs legibus contra eos litigaret? Placent Gardinero verba Cypriani: *Panis omnipotentia verbi factus eſt caro: quia ſecundum hanc interpretationem, vocauit Deus quod non erat, vt eſſet.* Verba Cypriani agnoſco: fateorq; panem per verbum factum eſſe carnẽ, ſuo modo, vt iam ſæpius expoſui. At non dicit ſanctus martyr, panem ſic factum carnem, vt panis eſſe deſierit: quemadmodum vos impudentiſsimè fingitis.

Quod demõſtratur oportet præſens adeſſe.

Chriſtus ad dixit, Ex hoc fit corpus meum.

At preſsius aliquantò conſideremus appendicem, quam Gardinerus affinxit: Quia ſecundum hanc interpretationem, vocauit Deus quod non erat vt eſſet. Hic ſcire velim, quid id ſit, quod non erat, & vocatur, vt ſit. An corpus Chriſti? At id ante conſecrationem erat. Non enim ſacrifici verbis, de nouo generatur. An ergo panem dicetis ita vocari? At panis erat, neque vocatur, vt ſit: imò potius vt vos arbitramini, quinqueuerbali prece, vt non ſit, expellitur: tantum abeſt, vt vocetur, quòſit. Non erat, vt arbitror, Inconſtantius apud ſeipſum, cùm hæc ſcriberet. Adducit deinde factum, vt videri vult, ſimile, longè tamen alienum, vt oſtendam, & diſſimile, ex Ioanne capite ſecundo: *Quemadmodum*, inquit, *Euangeliſta ſcribit, guſtaſſe architriclinum aquam vinum factam.* Tam hoc ad rem propoſitam facit, quàm id quod ſcribit Euangeliſta: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Niſi poſthac Gardinerus exempla & rationes melius colligat, ex Inconſtantio, facilè Anaxagoras fiet: qui quodlibet ex quolibet factũ dicebat. Conferamus hæc duo inter ſe. Scriptura, vt ſcimus, aquam vinum factam eſſe clariſsimè

risimè testatur. Sic etiam doceamur, eum A dicere, panem in corpus Christi esse versum, aut transsubstantiatum: & vicerit Gardinerus. Adhæc illud miraculum assidentes ad mensam conuiuæ deprehenderunt, non solùm gustu, sed etiam visu. Euangelistæ verò dum hanc historiam tractant, & Paulus eandem scribens, nullum hìc miraculum editum indicant: nec sensus mutationem factam deprehendunt. Quare ista quæ ita conferuntur, sunt inter sese plurimum dissimilia. Denique B vos in Eucharistia sic panis materiam ac substantiam extruditis, vt sola puraque velitis eius accidentia seruari. E diuerso in aqua vsu venit, quæ vertebatur in vinum: vbi, cum eadem fuerit materia, in qua vini forma successit formæ aquæ, non tamen aquæ species, aut accidentia remanserunt. Quàm igitur hæc inter sese dissimilia sint, iam satis ostensum est.

Verùm Inconstantius fortasse clamabit, de loquutione se agere, in qua id, quo gustabatur, C aqua vocata est, cum iam vinum esset, non aqua. Scio de hoc agi: ideo respondeo, scripturam id, quod gustabatur ab architriclino, aquam simpliciter non appellare, sed adijcere particulam, Vinum factam: qua satis ostendebatur, aquam non amplius fuisse, quod in nuptijs Christi beneficio erat propinandum. Verisimilis vtcunque Inconstantij esset collatio, si posset in diuinis literis ostendere con- D similem de Eucharistia loquendi formam, panem corpus Christi esse factum: quam vtique non reperiet. Neque tamen si eam reperiret, quod vult conficeret. Quia cum talis tamque prodigiosa conuersio à scripturis non tradatur, panis intelligi posset corpus Christi factus, quòd is eum fecerit sui corporis mysterium: qua nos interpretatione vtimur, quoties patres audimus dicere, dominum panem suum corpus fecisse. Adductum autem exemplum ex Ioanne, quàm sit imbecille ad concluden E dum id, quod vult Gardinerus, ex eo cognoscimus: Si quis, facto iam miraculo, hydriam ostendisset, immutato liquore plenam, dixisseque, Hoc est vinum: petijsseque ab eo alius quispiam, an aquam ostenderet, ille putasset omnino se derideri: cum aqua in vase non amplius esset. Proinde non minus, imò haud parum magis ridiculi sunt & Gardinerus, & illi quos defendit, si dicant, se demonstrare panem, qui ante fuerit, postquam iam factus sit F corpus Christi.

Contendit etiam illos tuendos esse quoquo modo, qui corpus Christi demonstrari aiunt: quòd nil aliud re ipsa velint, quàm indiuiduum vagum demonstrari. Primum iam sæpius dictum est, corpus Christi non potuisse tum ostendi, cum nondum accessisset. Deinde vehementer miror, isti homini idem esse corpus Christi, ac indiuiduum vagum. Quàm verò G absurdum alienumque sit commentum hoc demonstrationis indiuidui vagi, satis anteà superque declaraui. Inconstantius autem instar vrsi reperto hoc melle, nulla ratione potest ab eo abstrahi. Et mirum est, cum de re ipsa quæ demonstretur, nos disputemus, illum perpetuò reuocare quæstionem ad vagationem, quæ solùm mentis est, quasi de ea simus vehementer solliciti. Sed isti fortasse vaga tantoperè placent, quòd & turbidũ habeat, & confusum ingenium: & nulla in re præterquam in inconstantia sibi constet. Et quemadmodum mens te perpetuò vagatur, ita in Eucharistia, vbi omnia certissima esse debent, atque firmissima, cum indiuiduo illo suo vago miras sibi facit, delicias.

Admiranda præterea, ne sophistica dixerim argutia, hæc nobis occinit: *Hoc est nihil aliud, quam indiuiduum, quod animi nostri conceptione generalius est ipso indiuiduo integro. Quod est quasi dicas indiuiduum indiuidui. Itaque, Hoc, à grammaticis pronomen dicitur, quasi nominis vice vsurpatum, sed minus quiddam à nomine indicans. Quoniam nomen, quod quidem sit proprium, rem verè afficiat, rei ipsius naturam cum speciali insigni refert.* Ista sunt, quæ Inconstantius videri vult è cœlo cecidisse. Idcirco aliorum diffisus interpretationibus, huic vni ceu diuinæ vocis oraculo innititur. Nec interea sentit, vel se fingit non sentire, quàm exoticæ sint & alienæ à Christiana simplicitate istę voces: Indiuiduũ vagum, indiuiduũ indiuidui, in genere enuntiatiuũ, indiuiduũ ingeneralius indiuiduo integro, indiuiduum insignitum, indiuiduum in genere. Hoc scilicet sophisticarum vocum interpretamento simplicissima scripturæ veritas declarabitur. Solum Aristophanem hìc deesse video, qui Gardineri λιπτολογίας admiretur. Sed illo poeta quid opus est? Ipse Gardinerus seipsum satis miratur, & isto spinoso inuento, quod tamen ipsius non est, vsque adeò sibi placet, vt eo ceu rete quodam ad capiendas muscas aptissimo assiduè vtatur.

Vtque ne ignoremus aliam istius vagi indiui dui commoditatem, ista subijcit, *Si quærat aliquis, quidnam hoc sit quod demonstratur, cum dicitur, Hoc meum est, si nesciat, quoniam non naturam demonstrasti, sed indiuiduum in genere, fieri potest, vt huic quæstioni respondeas rectè, nescio, si nescias: Quia de re, cuius naturam ignoras, potes demonstrare indiuiduum, & in genere. Quoniam licet naturam ignores, certò scis esse vnum & indiuiduum: vt per illud indices in demonstratione, Hoc.* An parua hæc est indiuidui vagi commoditas? vt per illud tantam quæstionem sine ambagibus, imò verbulo vno queas dissoluere? nempe vt respondeas, te nescire quid demonstretur? Vah, eximium & præclarum artificium, quo dicere possis, te nescire, quod scriptura prædicet quàm apertissimè, quod res ipsa euuidẽtissimè testetur, quod sensus certissimè cognoscant: nimirùm panem esse quod demonstratur. In summa hæc illa sunt, quæ docet Inconstantius, vt dicas te nescire, quod scias: & ignorare ea, quæ scriptura clarissimè tradat: Porrò si hæc discas, non parùm in Inconstantij schola profeceris.

Deinde ne putemus ista noua, atque inusitata

ta esse, ex familiari quotidianoq; sermone petit exempla. *Dicimus enim, Hoc est vinum, Hoc est mel: vbi nō ita nugamur, ac si dixeris, Hoc vinum est vinū, Hoc mel est mel. Sed conuenienter dicitur, vbi sub eo, quod sit ex demonstratione, quoniam explicatione egeat, adiungitur tanquam illustrius prædicatum ex ipso nomine rei explicandæ, quod indiuiduo in genere & vago notam addat, qua cognoscatur.* Nisi velim tē pori & verbis parcere, contra exempla iam adducta, è quotidiano sermone proferrem multa. Sed confido, lectorem non tam hebetem fore, quin per seipsum animaduertat maximum discrimen inter familiares huiusmodi sermones, & verba illa, Hoc est corpus meum. Ideo enim ibi licet dicere, Hoc est vinum, Hoc est mel: quia id, quod demonstratur, est re ipsa vinum, aut mel. At non ita est ibi, cùm dicimus, Hoc est corpus meum. Nam id quod demonstratur, nondum est corpus Christi, sed erit, vt ipsi docent aduersarij, post completam enunciationem: & ob id non illustratur prædicato subiectum, vt iste sibi finxit: cùm prædicati significatum in subiecto insit, quod demonstratur. Ex quibus liquidò apparet, hunc qui nos argutatores perpetuò vocat, se ipsum non spectare. Is enim nil aliud molitur, quàm vt sua mendacia possit sophisticis argutijs colorare, quæ ita tenues & obscuræ sunt, vt potius argutiarum vmbræ, quàm argutiæ dici queant. Obscuritatem tamen ac tenebras illarum minus miramur, quod sciamus eas proficisci ex ea scholastico rum secta, quæ à tenebris nomen habuit. Cuius dogmata Gardinerus quòd potuerit vtcunque tandem intelligere, ita sibi placet, vt nos ceu tantorum arcanorū imperitos ex alto despiciat, non sine magno stomacho, & fastidio. Dicit enim: Quæ cùm hic argutator non intelligat, nil aliud, quàm deridet, quod non assequitur: & tandem exit in maledicum, vt præsentiam Christi in Eucharistia lingua petulanti dicat esse monstrosam. Putat, vt vides candide lector, sua hæc Scotica dogmata non intelligi à nostri ordinis hominibus: quasi solus ipse atq; alij similes eius, in tenebrosis illius doctri-

E Scotistarū secta ista Gardinerꝰ produxit.

næ specubus sese exercuerit. Vtinam ego, vt de me ipso loquar, in illis aridissimis scopulis meliori ætate non tam diu hæsissem,

Quæ verò præterea memorat intempestiuè nostra maledicta, & quas blasphemias? An quòd realem, naturalemq́ue corporis Christi præsentiam, quam illi ponunt in sacramento, monstrosam appellamus? Ea certè cùm & sacris literis, & veritati humanæ ipsius Christi naturæ plurimum aduersetur, non tantùm mōstrosa, verùm etiam falsa & impia dici debuit: præsertim, quæ tam vesana pertinacia defenda tur. Nos ait in maledicos exijsse: neque se videt qui iam diu in blateronem, & pernicioſisimum impostorem abierit. Denique præsentiam illam monstrosam vtcunque fatetur, quòd legibus naturæ non respondeat, horrorem tamen ab eo remouet, si Deus illam vellet retegere. Nam vt putat iucundissima futura esset fidelibus. Quod prius maledictum & blasphemum indignatione episcopali pronunciauerat, nunc ad se rediens vtcunque recipit. Sed iuuat considerare, quo antidoto venenum huius blasphemiæ corrigat. *Horrorem*, inquit, *non haberet illa realis præsentia, si Deus eam vellet retegere: sed pijs lætissima esset & iucundissima.* Sæpius audiui, mendacem oportere memorem esse. Nunc autem video Inconstantium, non quidem memorem, sed mendacem esse potuisse. Nónne tu is ille es, qui Theophylactum Damascenumq́; paulò antè nobis proferebas, qui dicerent, idcircò Christi carnem & sanguinem in mysterijs non apparere, quia communicantibus, edentibus, inquam & bibentib. horrorem essent incussura? Cur nunc aduersus tantorum patrum authoritatem contendis nullū horrorem fore pijs, si Deus præsentiam huiusmodi realem patefaceret, ac pijs retegeret. Vtri ergo vestrum credemus? Tibine, an illis veteribus? Illis tu ipse prædicas omnino credendum. Quamobrem quid superſit, non video, nisi vt tibi, ceu homini mendaci & impostori omnis fides abrogetur.

OBIECTVM XVI.

Si manducare corpus Christi est figurata loquutio, vt Augustinus affirmat, hæc etiam, Accipite, manducate, hoc est corpus meum, figurata erit.

GARDINERVS.

Manducare corpus Christi carnalibus & infidelibus, qui non secundum spiritum iudicant, figurata est loquutio: quæ eadem propria est fidelib. vt in sacramento manducetur, secundum institutionem Christi: qui, vt Cyrillus ait, modum manducationis suis aperiens, dixit, cum daret, Accipite & manducate.

MARTYR.

Nostra pietas aut impietas orationis formā non cōmutat.

EAdem loquutio, si referas eam ad eadem significata, & propria & metaphorica esse nō potest. Attamen vsu venit interdū, vt quæ figurata est, propria videatur: & quæ propria sit, existimetur tropica. Nostra verò pietas atq; impietas orationis formā nō cōmutat. Neq; nunc mirum est, Inconstātiū ita scribere: quoniā eius licentia multis parasangis & picturam & poeticam superat. Quid verba Cyrilli super Ioannem lib. 4. cap. 4. huc faciant, ego non video, & ille fortasse vix intellexit. Illa tamen adducere voluit, ne videretur nihil dixisse. Vt illa interpreter, necesse non est: quoniam ea superius perspicuè, vt arbitror exposui.

Pergit

Pergit ad hæc: *Tum autem*, inquiens, *& illud dicendum est, verba illa (manducare corpus Christi) quoniam multa nobis mysteria & arcana exhibent, verba nimirum quæ Christus Spiritum esse, & vitam pronunciauit, quatenus quidem ea non omnes statim percipiunt, figuratam esse loquutionem, Augustinus rectè dicit: vt ne quis fidelium vna sacramenti perceptione se defungi putet. Significat enim manducare, credere: significat Christo compati: quod etiam ipsa sacramenti perceptio, & totum hoc Eucharistiæ mysterium significat, vt Bernhardus ait. Significat præterea Christo incorporari, & in eo manere, atq; vt Basilius ait, omnẽ Christi vitam imitari. Quæ ista tam multa propriam illam actionem manducandi, suo modo in sacramento suscipiendo peragendam non tollunt. Nam & de illa etiam sæpius interpretatur Augustinus. Adeò nihil prohibet, eandem locutionem simul & figuratam esse & propriam.* Componantur ante omnia hæc vltima cum ijs, quæ Inconstantius hac de re supra docuit: manducare corpus Christi carnalibus & infidelibus esse loquutionem figuratam, propriam verò fidelibus. Nonne hic secum pugnat, cum illam fidelib. quoque facit figuratam, quòd eo sermone tropicè multa significentur, atque ita existimat Augustino satisfactum. Vbi est ergo illud fidelium, & infidelium discrimen? Nullum iam apparet, quandoquidem ijsdem, nempe fidelibus, ea loquutio iam est & propria, & figurata.

Verùm ad hæc scio quid Gardinerus sit dicturus. Pijs propria est, quoad veram corporis Christi manducationem: figurata verò, quoad illa plurima significata, quæ commemoraui. At, quæso, quid hoc sit, videamus: quoniam ista inuenta sunt, vt Augustini sententia nobis ex manibus eripiatur. Videamus, inquam, vtrum ille figuratam loquutionem in verbis, Manducare corpus Christi, &, Hoc est corpus meum, sic accipiat: an potius, vt nos dicimus, realem, corporalemq; corporis Christi manducationem excludat.

Tractatu vigesimo sexto super Ioannem sic scribit: *Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo & in quo nõ manet Christus, proculdubio nec manducat Spiritualiter eius corpus, nec bibit eius sanguinem: licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit: quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta.* Indicant hæc verba certo certius retrò cedere, atque commeare, vtq; vulgò dicunt, conuerti has propositiones, Manducare corpus Christi: &, In Christo manere: ita vt, quicunque manducat, idem maneat: & qui manet, idem etiam manducet. Extra hoc qui corporaliter Eucharistiam sumit, eum dentib. carnaliter & visibiliter corporis & sanguinis Christi sacramentum dicit premere: & tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducare & bibere, quòd ad Christi sacramentũ indignus accedat. Sacramenta igitur ait, huiusmodi homines percipere, non propriè corpus Christi manducare. Quis itaque relinquitur locus in ijs verbis Augustini propriæ atque reali, seu carnali manducationi corporis Christi? Duas ille assignat manducationes corporis Christi, & vtranq; vt liquet, figuratã. Vna spiritualis est, & exigenda, qua manemus in Christo: altera item figurata est, qua dentibus sacramenta corporis Christi premuntur. Inconstantius ex suo fingit, non tantùm sacramenta premi dentibus, sed ipsum etiam reale ac naturale corpus Christi. Verùm neque scripturæ, neq; Augustinus hoc testantur.

Conuertuntur ista, mãducare carnẽ Christi, & in eo manere.

Apud Augustinũ duæ tantum sunt manducatiõnes corporis Christi, & ambæ sunt figuratæ.

Est etiam audiendus in hac eadem re idem Pater contra aduersarium Legis & prophetarum libro secundo capite nono, vbi sic scribit: *Sicut mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum nobis carnem suam manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde & ore suscipimus, quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere: & humanum sanguinem potare, quàm fundere. Atque in omnibus sanctis scripturis secundum sanæ fidei regulam, figuratè dictum, vel factum, si quid exponitur de quibuslibet rebus, & verbis, quæ sacris paginis continentur, expositio illa ducatur, non aspernanter, sed sapienter audiamus.* Non tradit hic Augustinus, quod Inconstantius facit, figuratam esse loquutionem manducandi corpus Christi, quòd multa alia mysteria, & arcana illis verbis significentur: sed quia horribilius, inquit, videtur manducare humanam carnem, quàm perimere: & bibere sanguinem, quàm fundere. Ideò ne in ista videamur incidere, figurate illa verba iudicat esse exponenda. Non sanè vt præter illam carnalẽ manducationem, quã explodit, alia quædam arcana quæramus, cùm sanè illa carnali manducatione non simus defuncti. Manducationem enim illam carnalem excludit vt horribilem.

Corde atq; ore carnem ac sanguinẽ domini suscipimus, quomodo intelligendũ.

Neque nos quicquam debet mouere, quod scribat, nos fideli corde & ore carnem ac sanguinem Christi suscipere. Quia vera hæc sunt, si rectè accipiantur. Corde quippe, id est, animo & mente, per fidem ipsum corpus Christi & sanguinem apprehendimus: ore verò symbola eius, panem, inquam, & vinũ quæ suo modo corpus & sanguis Christi appellantur.

De doctrina quoque Christiana libro tertio capite vigesimo sexto in eandem propemodum sententiam sic ait: *Si loquutio flagitium, aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus, vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo præcipiens passioni domini esse communicandum, & suauiter ac vtiliter recondendum in memoria, quòd caro eius pro nobis crucifixa & vulnerata sit.* Hic etiam manifestissimè apparet, ideò istam figuratam loquutionem dicere, vt manducatio carnalis & corporalis explodatur: in qua videtur flagitium & facinus committi.

At Incon-

At Inconſtantius manducationem illam realem conſtare ait: & quod ad illam attinet propriam eſſe loquutionem: figuratá verò propter alia quædam myſteria, & arcana conſequentia: quæ vt longiſſimè diſtent ab Auguſtini ſententia, omnes iam facilè intelligunt. Quod verò attinet ad illa tam multa myſteria & arcana, quæ iſte commemorat, vt incorporari Chriſto, manere in eo, communicare paſſioni eius, & vitam illius imitari, omnia reuocantur ad vnum caput, vt verè atq; efficaciter credamus, carnem Chriſti pro nobis in cruce ſublatá, & ſanguinẽ eius ibidẽ ad noſtra peccata delenda fuſum. Nã citra controuerſiá per eiuſmodi efficacem atque ſaluificam fidem Chriſto ipſi penitus incorporamur, in eo manemus, paſſioni eius cõmunicamus, cum illius merita & dona ita credendo vſurpamus, & deniq; ad illius vitã ſanctitate atq; ſynceritate puriſsima exprimendá incitamur. Ita verò de carne Chriſti atque illius ſanguine credere ac ſentire, nil aliud eſt, quàm corpus eius manducare ac ſanguinem bibere.

Poſtremò quo res adhuc certius agnoſcatur videamus, cum manducandi verba referuntur ad ipſum corpus Chriſti verũ & reale, quomodo Auguſtinus illa intelligat. In Iohan. tract. 25. inquit: *Vt quid paras dentẽ & ventrem? Crede & manducaſti.* In quam eandem ſententiam ſcribit Cyprianus in ſermone de Cœna domini: Hęc quoties agimus, non dentes ad manducandum acuimus: ſed fide ſyncera panem ſanctum frangimus, & partimur. Sed ad Auguſtinum redeo: Tractatu 26. ſuper Iohannem: *Credere*, inquit, *in eum, hoc eſt manducare panem viuum*. Idemque de Verbis domini in Lucam, ſermone 33. *Nolite parare fauces, ſed cor.* Item de Verbis Apoſtoli, ſermone 2. *Tunc autem hoc erit, ideſt vita vnicuiq; erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur, ſpiritualiter bibatur.* Hæc & pleraque alia huius patris, & aliorum etiam veterum loca ſatis indicant, cum de veri corporis Chriſti manducatione loquimur, quid ſentiendum ſit: eam nimirùm faucibus, dentib. aut ore carnis non fieri: ſed mente, fide, ac ſpiritu, quemadmodum nos & credimus, & prædicamus. Exterius verò, dẽtibus, inquam, lingua, faucibus, & ore corporis percipi tantùm ſacramenta. Et de his hoc loco ſatis dictum exiſtimo.

OBIECTVM XVII.

Cum Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum, id non ad panem & vinum dixit, ſed ad corpus ſedens in cœna. Vnde apparet, per illa verba nõ fieri conuerſionẽ panis.

GARDINERVS.

Hoc argumentum & ſtultum eſt, & infame.

MARTYR.

GArdinero non eſt eſt laborandũ, quomodo iſta confutet. Nos. n. etiá vnà cũ eo hoc commentũ exibilamus. Nam, vt ea omnia indicant quæ hucuſq; ſcripſimus, nos panem à domino illis verbis demonſtratũ fuiſſe contendimus. Hoc tamen de illa prima Cœna ſentimus: Cum Chriſtus panẽ demonſtrans diceret, Hoc eſt corpus meũ, propoſitionis illis prædicatum, nempe, Corpus meũ, non ſignificaſſe corpus Chriſti, quod in pane, vel ſub accidentib. panis latitaret, vt vult Inconſtantius: ſed illud ipſum corpus Chriſti, quod tũ vnà cum Apoſtolis diſcumbebat, quodq; illis mox in crucem, & in mortẽ erat traditurus. Illud autẽ corpus quomodo verè prædicetur de pane, quia iá ſæpiſsimè dictũ eſt, nunc nõ repeto. Quod ſi authores eius argumẽti huc reſpexerunt, Inconſtãtius p ſuo candore ſententiá illorũ peruertit. Sin verò ſenſerunt, vt ipſe ſcribit, à Chriſto non fuiſſe demonſtratũ panẽ, ſed corpus, quod vnà cũ Apoſtolis diſcumbebat, à nobis requirendũ non eſt, vt eorũ ſententiá à verò alienã defendamus.

Non ſentimꝰ Chriſtũ demõſtraſſe ſuum corpus, ſed panem.

OBIECTVM XVIII.

In ſacramento eſſe materialem panem ex eo demonſtratur, quod Chriſtus accepit panem, fregit panem, dedit panem diſcipulis: cum ſcriptura dicat, Accepit Ieſus panem, benedixit, & fregit, deditq; ſuis diſcipulis. Et Paulus quinquies meminit panis. Quæ cum clara ſint & aperta, proprium panem intelligere debemus. Et ideò ſi angelus è cœlo ſecus euangelizauerit, eſto anathema.

GARDINERVS.

Adhibetur ſacramẽto conficiendo panis materialis, quẽ Chriſtus in ſacras manus accipiens, vocauit quod non erat, vt eſſet. Cuius operationis ſi nullus eſſet effectus, iam verum ſit, dediſſe quod acceperat panem. Sed ſi quod dixit, effecit, dicens: Hoc eſt corpus meum: non panem, quem acceperat, ſed corpus, quod effecerat, dediſſe dicendum eſt, ne nihil egiſſe diceretur.

MARTYR.

QVorſum, obſecro, illud vocauit, quod nõ erat, vt eſſet? Si. n. id de corpore Chriſti dictũ intelligatur, quomodo corpus Chriſtus ante verba illa non erat? Id fieri omnino nõ poteſt: quandoquidem Chriſti corpus à ſua creatione prima in ventre virginis, nunquam eſſe deſiijt. Ad panem verò referri minus poteſt. Non enim dominus illum vocauit abſentem: nam aderat, cũ Chriſtus illũ in manus acciperet. Imò ſi credas iſtis, Chriſtus eum nõ vocauit abſentem, ſed potius excluſit præſentẽ. Sed Inconſtãtius vult potius quiduis quãtumuis *inepte diuos* dicere,

dicere, quàm tacere. Veretur præterea ne si Transubstantiatio non admittatur, Christi verba nihil fecerint, sed otiosè fuerint prolata. Quasi parum sit mysterium sacrum instituere, ac sacramentum nouum Ecclesiæ tradere.

Neque mirandum est huius ingenium: quia vt poetæ, quod poeticum non fuerit, aspernantur: ita præstigiatoribus non satis faciunt nisi præstigiæ. Paulum posteà caussatur mentionem fecisse panis, vt de tanto mysterio tectè loqueretur. Nouum est hoc pharisæorum fermẽtum, Paulum voluisse mysterium Eucharistiæ occultare, cum Christianæ Corinthiorum Ecclesiæ scriberet. Nihil fuit in Ecclesia Christi notius, quàm sacramenta. Vnde fit, vt Paulus argumenta sua sæpè tanquam à re illustri, atq; cognitissima, depromat à sacramentis: nimirũ à baptismo, & sacra cœna: quemadmodum apparet ex epistola prima ad Corinthios. Ex eo quippe conficit, illos debuisse mutuo sese in cœnis expectare, quòd dominus Apostolos simul omnes iusserit comedere, ac bibere de sacris mysterijs. Et longum esset, alia omnia consimilia, ex epistola ad Romanos & alijs locis huc reuocare. Nõ itaq; Paulus obscuritatẽ captauit, cùm doctrinam cœlestem Ecclesijs Christi traderet. Hoc enim quid aliud esset, quã tenebras adferre pro luce? Hic scilicet est egregius ille prætextus, quo scripturas quæritis de manibus plebis excutere, quòd tectę sint, & obscurę: quoq; illa verba Domini, Hoc est corpus meum, in missa inhalatis in panẽ, vix illa tacitè submurmurantes, scilicet, vt omnia quàm rectissimè agantur. Neq; fortassis alia de causa in diuinis, sicut loquimini, lingua Latina vultis vti, nisi quo arcana, & bene tecta conseruetis ea, quæ Christus omnes suos ciues, atque domesticos planè & perspicuè scire voluit.

Sacramẽta fuerunt in ecclesia notissima.

Paulus non captauit obscuritatem.

Ad hæc Apostolum ait panis voce vti tanq; materię adhibitæ vnde mysteriũ conficeretur. *Proinde*, inquit, *appellatione vtitur veteri: sed de substantia mysterij agitur, non de appellatione. Appellatio quatenus in panis nomine remanet post consecrationẽ, præteritum respicit.* Quis obsecro, cùm hoc tam importuno genere hominũ, non differentium sed insanientium velit vnquam disputare? Cũ premuntur, neque ad euadendum rimula patet vlla, ad tropos sese conferunt. *Panis*, inquiunt, *in Eucharistia idcirco dicitur, quia prius ibi fuit: neque obstat quicquam, quòd modò absit.* Audio. Sed cur illi vicissim non audiunt nos: Quid prohibet, Panem vocari corpus Christi, cum illud significet, sitque eius mysterium? Nam quod corpus Christi realiter, aut corporaliter absit, id nihil refert: quandoquidem vos quoque hoc sacramentum dicitis vocari posse sacramentum panis, quamuis panis absit. Vtrobique tropus est. Quo iure à nobis petitis, vt vestrum recipiamus, cum ipsi tanto supercilio, tantoque fastu, atque stomacho nostrum exibiletis?

Exemplo, inquit, *contendemus: quoniã in Matthæo cap. 11. scribitur, cæcos videre, & claudos ambulare, Iesu sanante*. Locus adductus erit similis, si, vt ibi testatur Euangelista, Iesum sanasse eiusmodi ægrotos, ita etiam hìc testetur, Christum transubstantiasse panem in corpus suum: aut substantiam panis iussisse abire, vt suo corpori cederet. Quod si ab Inconstantio non poterit demonstrari, superest, vt allatam rationem dicamus & esse sophisma, & adductam à sophista, ideoque sophisticè accipiendam. Præterea oro lectorem, vt iustitiam aduersariorum ex eo spectet. Vbi nos adducimus exempla ex diuinis literis, hæc verba, *Hoc est corpus meum*, ita debere accipi, vt illa de Ioanne, *Ipse est Elias*, *Petra erat Christus*, *Victima est Pasch*: et innumera huiusmodi probamus; q; hanc esse mysteriorum naturã, vt nomina accipiant rerum significatarum, ibi ceu deliri, inepti, insaniq; ue deridemur. Rogamur etiam, an collectio sit firma, Tropus alibi reperitur in consimilibus loquutionibus, ergo in hac quoque tropus est recipiendus. Nunc verò quasi robustissima sit ea connexio, ablegamur ad caput vndecimum Matthæi, quòd ibi claudi, & cæci dicantur illi, qui iam sanati erant. Sic nobiscum agitur, si Deo placet, ab ijs hominibus, qui sibi nihil moderantur, & ab aduersarijs nihil non importunissimè requirunt.

Sed audiamus reliqua breuiter. *Accepit Christus panẽ, benedixit panem, fregit deinde, et dedit, quod ex benedicendo pane confecerat: quod illud, quale quid esset, extulit ijs verbis, Hoc est corpus meum. Quibus verbis an verum prædicauerit ipsa veritas, qui addubitauerit, anathema sit. Nam, vt Epiphanius dicit, ab omni excidit gratia & salute. Accepit panem, benedixit panem.* Hucusque iste à vero non discedit. Cùm verò addit, *Fregit deinde, & dedit quod ex pane benedictẽdo confecerat*: hìc ad sophismata redit Et cũ nõ aliud habeat nomẽ accusatiui casus, ab Euangelista positum, quod illa verba post se regat, vt Grammaticè docent, nisi panem, illud tacitus iam præterit, & Christum dedisse inquit Apostolis corpus suum. Vnde necesse est, vt statuat ipse quoque suum corpus Iesum fregisse, ac simul habuisse corpus integrũ et corpus fractũ: quod omnib. piè sentientibus debet esse quàm absurdissimum. Præterea videtur dissimulare, nos perpetuò fateri, Christum in cœna corpus suum vnà cum pane dedisse, at spiritualiter & per fidem accipiendum: ipse verò cur non assentitur vicissim, vt sacer contextus cogit, & loquutio Euangelistarum exigit, panem cum corpore Christi vnà datum? Veritatẽ autem, id est ipsum Christum vera dixisse, non ambigimus: sed vos meritò accusamus, qui verba illius tanta peruertatis astutia. Quamobrem si vestrum anathema eos ferire debeat, qui scripturæ non credunt, vobis per tempus consulite, ne à salute & à gratia excidatis. Quia nos cum vndiq; scripturæ credamus, satis Dei fauore in tuto sumus.

OBIECTVM XIX.

Christus accepit panem, benedixit panem, fregit panem, dedit panem, scripturæ testimonio: quia illa quatuor verba tantum vnum accusatiuum, panem, regunt. Proinde vt verus panis est, dum accipitur & benedicitur: ita non minus erit eiusdē naturæ, cum frangitur, & datur. Quapropter Christus panem dedit: alioqui dixisset Euangelista, Christum fregisse corpus, & dedisse corpus.

GARDINERVS.

Si Grammaticam consulimus, omnis accusatiuus actionem in se recipit verbi, cui subjcitur: & ideò ex accusatiuo fit nominatiuus eiusdem verbi passiuo congruens. Et vt à Christi verbis nō recedamus, Christus accipiebat panē: quod est mutato verbo, panis accipiebatur à Christo. Et panē quē accepit Christus, post consecrationē dicimus panē acceptum, tanquā ipsa actione affectū. Vnde post verbū, Benedixit, vt plenus accusatiuus sit oportebit repetere panē acceptū: & post verbū, Fregit, panē acceptū, benedictū: & post verbū, Dedit, panē acceptū, benedictū, fractū. Atq; hæc dico, vt ostendā, nō vnū esse accusatiuū, etiamsi verbis istis præter simplicē significationē, nihil inesset altioris mysterij.

MARTYR.

VVlt Inconstantius videri, noua hæc arcana ex penitissima Grammatica nobis proferre: cum ea reuera ex abditissima sophistica traxerit. Nemini arbitror, in hac præfatione audienti subtilitatē adeò affectatā, non statim subolere aliquā splendidā impostūrā sibi necti. Nos verò qui rudiorē Grammaticā didicimus, quādo inter multa verba generis actiui, quæ accusatiuum post se regunt, vnum duntaxat nomē eiusdem casus audimus, illud omnib. verbis ita simul positis assignandum statuimus. Vnde, cū diuinę literę Iesum tradant panem accepisse, benedixisse, fregisse, & dedisse, iure meritoque ijs verbis vnum accusatiuum, nimirum Panem ab initio positū, diximus esse attribuendum. Fatemur nihilominus, pani serie quadam, & successione congrua, in illa cœna sacrosancta hæc accidisse, vt acciperetur, benediceretur, frangeretur, distribueretur. Quorum accidentium Euāgelistæ nullū tradiderūt substantiā panis immutasse, vt quemadmodū isti fingūt, illa esse desierit.

Quæ pani acciderint in sacra cœna.

Deinde si regulam istius noui Grammatici sequi velimus, nullum actiuum verbum reperietur, quod simplicem accusatiuum regat. Nā si dixeris, Petrus amat Deum, quia ille accusatiuus afficitur actione, vt iste docet interpositi verbi, erit duplex, Deum amatū. Atq; ita Petrus amabit Deum amatum. Et ita verbumquodcunque actiuum, non vnum, sed geminū accusatiuū rege. Authoritate proinde ac iudicio istius logodædali accusentur Grammatici, quòd suas regulas tam imperfectè, ac negligenter tradant. Et mirum est, cum vt impleret suum accusatiuū dixerit, panē acceptū, benedictū, fractū: cur nō vlterius pergat, dicatq; panē acceptū, benedictū, fractū, accepisse discipulos. Hoc nō adiecit, quoniam vt video, panem omninò dari noluit.

Sed iam audiamus, cui strophæ seu fallaciæ hac sua noua Grammatica viam strauerit, *Et illud*, inquit, *omnino obseruandum, vt secundum modum actionis alicuius verbi præcedentis aptetur in vltimo verbo accusatiuus. Adeò si quod verbum præcesserat, quod substantiæ mutationem designet, in vltimo accusatiuo continebitur. Verbi gratia: Accepit quis vinum & mel, miscuit porrò & dedit bibere. Non repetā pro accusatiuo vinū & mel, quæ, vt ait Iurisconsultus, propter mixtionem in sua substantia non durant, sed aliam conflituunt speciem, videlicet mulsum. Itaque actio verbi, Miscuit, non est dissimulanda in vltimo accusatiuo. Nec quia dico, Accepit vinum & mel, deinde miscuit vinum & mel, non dicam tamen dedisse bibere vinum & mel. Sed accusatiuus verbi Dare, erit mulsum, ad exprimendam vim verbi Miscuit, præcedentis, quæ ex communi sensu, & regulis Grammaticis non potest sileri.* Mirum quàm sibi placeat Gardinerus, cum per hos gradus ascendit à Grammatica ad Iuris prudentiam, & inde ad Theologiam. Nam hoc est omnia nosse, atque varias eodem tempore scientias ostentare: sic enim sperauit famam suam posse supra astra innotescere. Sed ego vicissim aliquid ex Grammatica, & nonnihil ex Iurisprudentia respondebo. Nam & mihi, quando sic prouocor, in hoc exē plo vini & mellis libet paulisper ludere, atque ea paucis tractare, quæ à mea professione longè sint aliena.

Proinde à Grammatica auspicator. *Si quod verbum*, inquit Gardinerus, *præcesserat, quod mutationem substantiæ designet, in vltimo accusatiuo continebitur:* Hoc dari potest. Sed in verbis commemoratis in mysterio cœnæ, Accepit, Benedixit, Fregit, Dedit, ostendat Inconstantius, quodnam eorum sit, à quo substantiæ mutatio denotetur. An dicet benedicendi verbum id significare? Quasi benedicere nil aliud sit, quā vt ita dixerim, transubstantiare. Hoc si dixerit, haud dubiè ridebitur à suis Grammaticis, maximè verò à Theologis. A Grammaticis quidē quia in illa tota facultate nusquam reperiet, Benedicere, in hac significatione, præsertim cum Græcè sit, εὐλογεῖσθαι, omnesque sciant eo verbo significari, gratias agere, non substantiam immutare. Sacræ verò literæ citra controuersiam testantur, Deum primis nostris progenitoribus benedixisse. An ergo eorum substantiam putabimus ob id fuisse mutatam? Filijs quoq; Noe benedixit Deus optimus Maximus: neq; tamen illorum substantias mutauit. Christus item seruator noster ascendens in cœlum Apostolis benedixit: quos nemo dixerit fuisse ab eo transubstantiatos. Quamobrem si hominis huius impostūras & deliria sequamur, id reliquū nobis

Verbo benedicendi non gratias agendi nulla significata mutatio.

nobis est, vt nouam discamus Grammaticam: qua verbum hoc, benedico, significet substãtiæ mutationem: & in diuinis omnia intelligamus transsubstãtiata, quibus vel Deus, vel Christus aliquando benedixerit. At satius est à verbis Dei hæc abiurare sophismata, quàm significatione verborum consectari, quæ nusquam vel caput vel pedes habeant.

Nunc venio ad simile de mixtione vini & mellis: & conscientiã Gardineri appello, an sic iudicet panem abire in sua transubstantiatione, vt substantia mellis & vini discedit in mulso? Certè in mulso cum vini, tum mellis permanet substantia, quamuis formam seu speciem mutent: permulta etiam vtriusque substantiæ conseruantur accidentia. Verùm isti in illa sua transubstantiatione totam panis & vini substãtiam & materiam abire aiunt, solis eius relictis aut superstitibus accidentibus. Cùm itaque in ista similitudine tanta diuersitas animaduertatur, eam ad rem præsentem non facere, quiuis intelligat. Propius adhuc accedendum est: & rogare oportet Inconstantium, an hæc duo verba, Miscere vinum cum melle, & Benedicere, seu gratias agere, vim & potestatem eandem in significando habeant? Exue omnem pudorem, perfrica frontem: & dicas, mutationem vtrinque significari, cum nemo ignoret, Benedicere nullam denotare mutationem: quam omnes tamen intelligimus tum succedere, cum vinum admiscetur melli. Prætereà quis non videat, & corpus Christi & panem non esse res liquidas, vt mel & vinum? Quare licet in illis ex admistione mutetur forma, nam vtrunque illorum duorum dilabitur, liquescit, & diffunditur in alterum, tamen idem de pane atque Christi corpore dici non potest. Capiantur autem è diuerso grana tritici & hordei, aut grana tritici, mei & tui, ac inter sese misceantur: confundas illa simul, vt libuerit: ob eam causam nec formam ea, nec naturam, nec speciem mutabunt. Neq; mea est hæc sententia, sed Legum Ciuilium: quarum iste summam scientiam profitetur. Ná in ff. de rei vendicatione, l. Idem. Vlpianus statuit, non mutatam speciem: ideoque pro suis granis concedit actionem: vti ibidem quoque Accursius interpretatur. Quamobrem nunquam speraui fore, cùm eadem lege ista contineantur, quæ ego nunc adduco, & quæ Gardinerus produxit, vt egeret monstratore, qui iuberet illum animaduertere portentosam transubstantiationem, quam tuetur, mixtioni liquidorum nullo modo congruere. Congrueret potius mixtioni siccorum, si ea concedenda esset: cum ambo corpora solida sint, corpus inquam Christi, & panis. Vnde minus illi despuerunt, qui volentes realem, corporalemque præsentiam in Eucharistia corporis Christi statuere, vtranque simul, panis, inquam, & corporis Domini substantiam retinent: quòd videant non esse necesse, vt ex mutua coniunctione, substantiæ & naturæ immutentur. Proinde cum Grãmatica, Iurisprudentia, & verba scripturarum nil iuuent istud commentum transubstantiationis, tibi consilium salutare, atque optimum damus, Gardinere, vt à causa temerè suscepta, & infeliciter probata, desistas.

Mixtio siccorum & liquidorum.

Sed pergit, atque ita scribit: *Quare, vt ad verba Christi redeam, quoniam credimus Christum ita benedixisse panem, quem in manus acceperat, vt verè efficeret, quod verbis professus est, dicens, Hoc est corpus meum. Cuius verbis magis credit fidelis de effecta vera præsentia corporis, & mutatione panis, quàm sensibus renunciantibus de confecto per mixtionem mulso.*

Quod ais, te credere, Christum ita benedixisse panem, vt illum mutarit, friuolum est. Potes enim, quod credis, falsò credere. Ita etiam Iudæi hodie ac Turcę multa credunt, in quibus falluntur. Fidem tuam veram esse, de scripturis diuinis probes oportet. Vnam tantùm ex illis sententiam promis. *Hoc est corpus meum.* Quæ cum longè aliter possit & debeat intelligi, atq; de illa tu sentias, illa frustrà niteris. Est quidem panis Eucharistiæ suo modo corpus Christi: at nó eo modo, quo tu opinaris. Vtq; Dñm veracem non dubitamus: ita te vel imprudentẽ, vel fraudulentum interpretẽ esse, citra vllam controuersiam asserimus. Neq; verba Christi quicquam de vera præsentia, neque de panis mutatione, quæ tu fingis, attestantur. Quod si facerẽt, Nos quoq; illis multò facilius q̃ sensui tuo de confecto mulso ex vini mellisque permixtione fidem haberemus. Proinde non est, quòd iactes, fidem tuam nostræ fidei antecellere. Non est hic adeò insanus & cęcus Inconstantius, vt non videat, quid maximè obsistat suæ confictę subtilitati, qua imaginatur, benedicendi verbum transsubstantiationem perfecisse. Nam: *Quòd si quis hic obgannierit*, inquit, *Ergo consecrauit Christus benedicendo: & tum sequitur, illum fregisse corpus: Respondeo, fregit quidem in mysterio: sed expedita est fractio in visibili signo: & dedit demum quod dare promiserat, quodq; egit vt daret corpus suum. Atq; huc spectasse benedictionem verbis suis operatorijs exponit, dicens: Hoc est corpus meum.* Quid est frangere in mysterio, & fractionem in signo visibili expedire? Hic prorsus tenetur: & ita leuiter se putat elapsum. Certè fractio illa realis & visibilis fuit. Per mysterium verò, aut rem significatam intelligit, & dabit, quod sibi opponitur, nimirum, Corpus Christi frangi: aut symbola, quę & ipsa mysteria sunt: quandoquidem aliud sensibus præ se ferunt astantium, & aliud significatione indicant. Vnde panis frangetur, qui prius acceptus, & benedictus erat: qd nos volumus, & narratio Euangelistæ, velit, nolit Gardinerus, exigit. Quid autẽ aliud per vocem, Mysterium, iste sibi fingat, diuinare non possum. Sed expedit, inquit, fractionem in signo visibili. Conficitur ergo, aut panem ipsum fuisse fractum, vt Patres testantur: aut accidentia panis, vt isti somniant. Quo figmento quid futilius excogitari potest?

Videmus præterea, impostorem hunc, suis præstigijs, quoties libet, accusatiuũ casum illorum verborũ mutare. Iam cũ panis est benedictus, alium accusatiuum putat substituendum, nimirum corpus. Etenim verbosa sua disputa-

tione nil aliud conatus est concludere, q̃ ipsius mutationis in aliquo verbo prę cedente ſignificatę in proximo accuſatiuo habendá esse rationem. Vt ſi dictũ fuerit, quempiá miſcuisse mel & vinum, illa poſtea nõ intelligatur dediſſe, ſed mulſum. Cur nunc diſcedit à pactis ſuis? Benedicendo Chriſtus mutauit panem, abijciendo eius naturam atq; ſubſtantiam, illiq; ſubſtituendo ſuum corpus. Additur verbum fregit. Cur quærit vel panẽ, vel panis accidentia, quæ franguntur? Cogitur, velit, nolit, fateri, verbum qd̃ ſequitur, Fregit, ad corpus referri: vt dicatur Chriſtus, iuxta eius interpretationẽ, ſuum corpus fregiſſe. Mirabilis ſanè est fabulæ iſtius ludus. Verbum, Accepit, ad panẽ refertur. Benedixit, interpretatur, panẽ expulit, & ſubſtituit corpus. Fregit, aut panẽ repetit, aut eius accidentia ſpectat, quæ franguntur. Dedit, & corpus, & panis accidẽtia cõplectitur. Vides q̃ ſint horũ ſtrophæ multiplices & copioſæ? At ipſis illud accidit, quod eis euenire neceſſe est, qui multa falſa comminiſcuntur, nimirum vt pugnantia dicãt.

Monſtrosũ & nouum genus interpretandi.

Qui multa falſa comminiſcuntur, dicunt pugnantia.

Reuocemus, quæſo, in memoriam, quid ſuperius de verbis, *Hoc eſt corpus meum*, Inconſtantius non ſemel dixerit: illa nimirũ operatoria eſſe: vt ante illa panis ſit, quod est in manibus: at poſt illorum prolationem ſit corpus Chriſti. Nunc verò conſecrationem, ſeu immutationẽ, panis contendit factam illo verbo, Benedixit. Nam verbum, Dedit, ad corpus omninò refert. At Euangeliſtarum narratione Dñs cùm benedixiſſet, fregiſſet, & dediſſet, inquit: *Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum.* Ex quo concluditur, nondum fuiſſe corpus, cùm frangebatur, & dabatur, ſi verba illa, *Hoc eſt corpus meum*, operatoria ſunt, & mutant panẽ in ſubſtantiam corporis Chriſti: vt etiam hoc loco videtur affirmare. At ſi cùm benedixit, ſeu gratias egit, mutauit panem, id nõ est tribuendum illis verbis, *Hoc eſt corpus meum*, cùm benedictionem ſequantur, non antecedant. Vertat ſe Gardinerus quò lubet: & cauilletur quantum volet: medius tenetur: illi enim neceſſe est fateri, ſe aut hîc aut ſuperius mentitum eſſe.

Verùm huic plagæ medicinam facit, vt poteſt: at ita replicabitur, inquit, *Illa verba, tanquam poſtea dicta, narrat Euangeliſta: & præceßiſſe illa, Accipite, & manducate. Quaſi verò rei geſtæ veritas ex ordine narrationis ſit omnino æſtimanda: ſecundùm quem ne corporis quidem figuram iußit manducari Chriſtus. Nam narratur, dixiſſe eum, Accipite, & manducate, nondũ explicato, quid eſſent manducaturi. Sed iſti in re ſeria nil aliud, q̃ nugãtur. Ad quẽ modũ ſi quis in ſermone quotidiano cauilletur, non conſiſteret.* Modus, quo ſe quærit Inconſtantius éxpedire, id est, vt dicat rei veritatẽ ex ordine narrationis æſtimandam non esse. Quod ſi grauitatem, ſynceritatem authoritatemq; diuinarum literarum æquè ſpectaſſet, atque auidè aulicas dignitates & honores propemodum regios admirabatur, & ambiebat, non dixiſſet. Vnde enim, quæſo te, veritatem geſtarum rerum à Chriſto, præſertim in tanto myſterio, æſtimare poſſumus, aut cognoſcere, niſi ab Euangeliſtis? In hac ſanè hiſtoria huius myſterij recitanda omnes conſentiunt: & illis Paulus quoq; concinit, idq; in toto omnium iſtorum verborũ ordine. Siquidem Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus aiunt, Chriſtum panem accepiſſe, gratias egiſſe, aut benedixiſſe, fregiſſe, dediſſe, ac dixiſſe: *Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum.* Nónne ſatius est, ex ijs fontibus veritatem trahere, qui diuinitùs ſcaturiunt, q̃ è veſtris fractis ciſternis temeritatem, errorem, atq; vanitatem haurire? Neq; indoctè ſolùm, verùm etiam impiè illi Theologi faciũt, qui acies humanæ mentis à verbo Dei abducunt, vt hominum fictionibus & commentis fidem habeant. Quocirca mihi ſanè conſtans & ratum erit, id quod eodẽ ordine omnes Euangeliſtæ de tanto myſterio narrauerunt.

A narratione ſacrarũ literarũ hiſtoriæ veritas æſtimãda eſt.

Mirum est præterea, quo iſte æſtu conetur nos quoque ijſdem, quibus ipſe tenetur, impedire difficultatibus. *Quia hoc pacto*, inquit, *ne corporis quidem figuram iuſſerit Chriſtus manducari.* Sed fruſtrà cauillatur: quia ſi ad mentem & fidem ſacra hæc functio reuocatur, non figuram, ſed ipſum Chriſti corpus verè percipimus. Panem verò ſumimus ore corporis: de quo ſi nos percontetur, quando incipiat eſſe ſacramentum, vt dici poſsit corpus Chriſti, expedita, faciliſque reſponſio est: nempe, cùm omnia dicta ſunt, & recitata, quæ Chriſtus cum diſcipulis myſteria communicans geſsit, & dixit. Neque conſecrationem aut verbo Benedixit, aut quatuor ſeu quinque verbis ſuperſtitioſè attribuimus: aut illam perfeciſſe Chriſtum, cùm ſuper pane gratias ageret, aſſerimus. Nos turdi non ſumus, qui viſcũ, quo capiamur, ipſi nobis egeramus. Gardinerus & ſimiles eius Papiſtæ, conuincuntur pugnantia dicere: qui modò ſuam conſecrationem aut tranſubſtantiationem verbo Benedixit, modò illi orationi, *Hoc eſt corpus meum*, attribuunt. Hæc illorum inuenta ſunt, quibus, vt præſtigiatores, toti orbi Chriſtiano conati ſunt illudere. Sed ita Deus voluit, vt ſe ipſos cum primis, & meritiſsimè ijs laqueis implicarent.

Quando panis incipiat eſſe ſacramentum.

Inconſtãtia tranſubſtãtiatorum.

Nos deinde ait in re ſeria nugari. Sed reſponſum ſibi habeat, nos quidem agnoſcere, Chriſti myſterium eſſe rem valdè ſeriam: commenta verò illorum, & mendacia, quæ oppugnamus, pro meris ineptiis, gerris, & tricis perniciosiſsimis habere. Neque, dum ex verbis Dñi, ac ſerie narrationis euangelicæ argumentamur, poſſumus dici, nugari: ſed potius exiſtimari debemus ex puriſsimo veritatis fonte rationes ducere. Friuolum deniq; admodum est, quòd in ſermone quotidiano ait, ſi quis hoc pacto cauilletur, fieri nõ poſſe, vt conſiſtat: quaſi huiuſmodi portenta, qualia ipſi finxerunt, aut frequenter accidant, aut homines ita ineptè & prodigioſè inter ſeſe loqui ſoleãt. Si habeat ſermo familiaris hominũ multiplicia & copioſa huiuſmodi exempla, cur illa grauatur proferre? Argutatus est, vt libuit, nõ vt debuit, de vino & melle Sed ita clarè & perſpicuè illi reſponſum est, vt inde Lector colligere poſsit, qua via conſimiles loquutiones, cũ fortè objicientur, ſint diluendæ.

OBIE-

OBIECTVM XX.

Hoc poculum est nouum Testamentum in meo sanguine. Verba hæc per tropum exponenda nemo ambigit. Quare non absurdum erit, & illa, Hoc est corpus meum, cùm circa idem sacramentum versentur, per tropum explicare.

GARDINERVS.

HIC tropus quoniam apud alios Euangelistas propria loquutione explicatur, cedit sensui secundùm literam, quæ in Matthæo sic habet: Hic est sanguis. Quod autem ad illa Christi verba attinet, Hoc est corpus meum, sua forma loquendi tropum reijciunt, nedum admittunt.

MARTYR.

SI verba illa, Hoc poculum est nouum Testamentum, cedunt sensui secundùm literam, quæ habetur in Matthæo: ista quoque, Hoc est corpus meum, cedere debent alijs diuinæ scripturæ locis: quę declarant, non simpliciter, sed tropicè, verba illa esse accipienda. Non enim semel Paulus dixit, in Eucharistia panem esse. Atque vt visum est ratione superiori, euincunt Euangelistarum verba, panem à Christo fuisse demonstratum, cum diceret, *Hoc est corpus meum.* Idemque suadent omnes illæ sententiæ scripturarum, quæ Christum verum hominem prædicant: quæque illum in cœlum ascendisse tradunt, & ibi detinendum quoad venturus sit postremo die ad nos iudicandos: multaque alia quæ nunc prolixum esset recensere: Quapropter æquius est, vt tam multis locis ille vnus cedat, *Hoc est corpus meum,* quàm vt ille vnus præ omnibus alijs ita intelligatur vt verba ipsa præ se ferunt, cum magna fidei orthodoxæ pernicie.

Ad hæc quo argumento, Gardinere, prædicas hanc propositionem, *Hoc poculum est nouum testamentum in meo sanguine*: debere illi cedere *Hic est sanguis meus*, quàm è diuerso istã illi: præsertim cum in re sacramentaria versemur, in qua signorum, & proprius, & familiarissimus est vsus? Tu quidem, vt video, dicis: at nulla ratione probas. Idcircò scire debueras, apud Lectores verba tua non pluris fore, quàm eorum, qui diuersum credunt, & probant. Quòd verò garris, ea verba *Hoc est corpus meum*, sua forma loquendi tropum reijcere, vanissimum est: cum de Iohanne sit dictum, *Ipse est Elias.* In qua propositione, vt in ea, quã præ manibus habemus, pronomen demonstratiuum *Ipse*, pro subiecto habetur. Atque consimiles huius permultę alię possunt adduci: *Ego sum vitis: Vos estis sal terræ.* Eæ quoque in subiectis habent pronomina, quæ singulares personas denotant: & nemo aut sapiens aut sanus est, qui eas negare velit esse tropicas. Idcircò non est verum illam formulam reijcere tropum, cum eadem in multis alijs reperiatur, quæ uel à vobis dantur esse tropicæ.

Cæterùm iste, vt vulpes, cùm videt, se posse fugiendo latius vagari, ad foueam, seu cubile cõsuetum recurrit. Latebra Inconstantij consueta est indiuiduum vagum, quod in subiecto demonstrari testatur. Idque quàm vanè atq; inutiliter ab eo fiat, altera propositio declarat: *Hic est sanguis meus*: in qua subiectum non potest indiuiduum vagum demonstrare, cum sit masculei, non neutrius generis. Et certè vt verum fatear, piget me de eadem re toties loqui: vt qui sciam, quemadmodum ἄλις τῷ τρὶς τὸ καλὸν: ita ἄλις κράμβῃ ἄπαξ θάνατον. Quamobrem parcet mihi lector, cum videat, non esse mihi liberum atque integrum, quæ velim dicere: sed arbitratu sophistę tenebricosi cogi me tractare, quę nolim.

Cum aliqua de suo illo vago indiuiduo deblaterauit, ita n nos inuehit, si Deo placet: *Quo loco, qui tropum subdit, tenebras addit, vt nihil intelligatur.* Hæc non videt in se longè magis, & verius quadrare: qui dum splendorem tropi, & quidem leuis, atque vsitatissimi fugiat, in obscurissimas ambages fictionum mendacissimarum sese conijcit. Scribit ad hæc: *Si quis dicat, Hoc est panis: intelligimus ex prædicato fuisse in subiecto demonstratam substantiam. Sin ita dicat, Hoc est dulce, demonstrauit in subiecto ens in qualitate, cum substantiam forsan ignoraret.* Velim de Gardinero hic libenter scire, cur, cum dicitur, Hoc est dulce, non intelligatur Ens in substantia demonstrari, cui dulcedo acciderit. Respondere videtur, Quia substãtiam forsan ignorat. Quid hoc ad ista facit? siue sciat, siue ignoret, certa res quædam est, quæ demonstratur. Et demonstrator ipse, fieri potest, vt quemadmodum substãtiam ignorat, ita etiam nesciat qualitatem. Rudes quippe homines prædicamenta nesciunt subtiliter distinguere, aut appositè nominare. Deinde si id, quod Inconstantius dicit, recipiamus, nimirum, ex prædicato nos intelligere, quid sit in subiecto confusè demonstratum, vt cum dicitur, Hoc est panis, in subiecto demonstretur, vt ipse vult, Ens in substantia: quæro, cum dicimus, Hoc est rotundum, quid in subiecto demonstretur. Si analogiam suę doctrinę sequatur, dicet, Ens in qualitate demonstrari, nõ substantiam: cũ figura, & rotunditas, ad genus qualitatis pertineãt, non substãtiæ. At Epiphanius in Ancorato, vt superius audiuimꝰ, ait, de eo quod Christus in manibus accepit, Hoc enim est rotundæ figuræ: & voluit p gratiam dicere. Hoc meum est, hoc, & hoc. Quare conficitur, Christũ pronunciasse corpus suum, non de Ente in substantia, sed de Ente in qualitate: quod quã absurdum, & alienum à vero sit, non opus esse arbitror, vt multis exponam, omnes enim sciunt qualitatem non posse esse corpus Christi. Et hæc tantùm dico, vt lector animaduertat, quàm rata sint, & constantia, quę Inconstantius tam obfirmatè asseuerat.

Verùm adhuc non minus delirat, cum ait: *Si*

quis verò de ſtatua dicat, Hoc eſt homo, ſenſus communis intelligit, illum non demonſtraſſe ſubſtantiam hominis, aut ſtatuæ: ſed quod eſt accidens in homine, cum eo, quod eſt in ſtatua accidens, comparaſſe ſimilitudine: ac ſi dixiſſet, figura huius ſtatuæ, eſt figura hominis. Quod & in omnibus his loquutionibus obtinet, vbi nõ ſubſtantias, ſed rerum qualitates explicamus, quando eorum quæ in prædicato dicuntur, ſimilitudo aliqua res lucet in ijs, quæ hoc modo loquendi quaſi conferuntur. Vide obſecro, Lector, quemadmodum hæc ſæpia res claras, perſpicuas, & dilucidas nube ſophiſmatum opacet. Quid in re plana ſic oportet ἀπορεῖσθαι? Cùm de ſtatua dicitur, Hoc eſt homo, certum aliquod lignum, aut lapis, aut metallum, aut certa quædam huiuſmodi materia demonſtratur, quæ definitam in rerum natura ſubſtantiam habeat, nõ autem vagam & indefinitam. Et propoſitio ea, ſi perſpicuitatem ſectemur, ita reſoluenda, & explicanda eſt. In hoc ligno, lapide, aut metallõ eſt figura hominis, vel humanæ figuræ ſimilitudo. Cùm pateat regia & plana via, non eſt per labyrinthos vagandum.

Pergit verõ, & dicit: *Qui de pictura loquens, ait: Hic eſt rex, accidens regis demonſtrauit in accidenti picturæ.* At quomodo in pictura propriè demonſtrari poteſt accidens regis, cùm in ea non ſit? Tabella ſanè demonſtratur, in qua coloribus expreſſa eſt regis ſimilitudo. Ad hæc, quibus non videatur admodum noua, ne dixerim abſurda, hæc dialectica, in ſubiecto demonſtrari prædicatum, cùm dicitur, Hoc eſt panis: aut, Hoc eſt rex? Ego nunquam credidiſſem, tam facilè ἀνύστατα, vel pugnantia iſti hominì excidere potuiſſe. Si demonſtratur in illis propoſitionibus prædicatum, non poteſt, vt iam vbique docet, indiuiduum vagum oſtendi. Quandoquidem prædicatum naturæ vtique certæ, ac definitæ eſt: Indiuiduum autem vagum, res confuſa, nullaque certa finitione terminata. Neq; hoc nouum eſt, Gardinerum, cùm alioqui ſibi videatur prudens, non bis, aut ter, ſed frequentiſsimè ad eundem lapidem impingere. Nam hîc quoque illud, quod ſuperius dixerat, repetit ijſdem verbis: *Quia de ſtatua loquens & dicens, Hoc eſt homo, fortaſſe neſciat interea, lapis ſit, an lignum, an alterius materiæ ſtatua.* Quaſi ad oſtenſionem quicquã referat, vtrum ille ſubſtantiam rei demonſtratæ ſciat, an ignoret. Scientia vel ignorantia demonſtrãtis efficere nõ poteſt, quin res demonſtrata in ſua natura certa ſit, ac definita.

Scientia & ignorantia demonſtrãtis, naturã demonſtratæ rei non mutat.

Sed vt à re præſenti non diſcedatur, ignoratio in re, quam Chriſtus demonſtrauit, locum habere non potuit: cùm omnes diſcipuli, qui ei accumbebant, panem eſſe viderint, quod demonſtrabatur. Ad hæc, quod magis mireris, in ijs loquendi formulis contẽdit Gardinerus, non eſſe tropum: nimirum, cùm de ſtatua dicitur, Hoc eſt homo: aut, Hic eſt rex: ſed potius ipſorum accidentium collationem eſſe. Iſtum multi arbitrantur perfectum Grammaticum, & ſummum Rhetorem. Illos omnes nunc adeſſe velim, vt pro Inconſtantio ſuo nobis explicent, quomodo loquutiones, quibus per ſimilitudines aliquid efferimus, nomine aut nota ſimilitudinis detracta, non ſint metaphoricæ, aut figuratæ? Metaphoræ fuiſſent, & quidem notiſsimæ, ſi quis demonſtrato Achille, dixiſſet, Hic eſt Leo in acie: aut oſtenſo Hectore, Hic eſt murus, vel arx Troianorum. Veræ quippe ſunt huiuſmodi ſententiæ, quod in Achille ſimilitudo leoninæ ferocitatis videretur: in altero ſimilitudo muri, & propugnaculi Troianæ gentis. At earum metaphora ita nota eſt, vt vel pueri eam norint. Ita de lapide cùm dicimus, Hic eſt homo, aut Cæſar, verum tropicè dicimus, quando in lapide aliqua ſimilitudo humanæ, aut Cæſareanæ figuræ deprehenditur.

At ſint ſimplices iſtæ ſententiæ, ac tropo careant, vt iſte paradoxo à ſe reperto prædicat. Qua ratione arguet, aut probabit interpretationem noſtram inuehere tropum in illa verba Domini, *Hoc eſt corpus meum?* Certè nos etiam hoc pacto regerere poterimus, ſenſum quo vtimur, non eſſe tropicum. Quia dicemus, nos hîc tantùm ſtatuere collationẽ ſubſtantiæ, & proprietatis panis, cum ſubſtantia & proprietate corporis Chriſti. Et ſanè nil aliud clamamus, quàm in ea propoſitione hanc analogiam eſſe retinendam. Iam Inconſtantio non ſupereſt iuſtus vllus prætextus, quo nos figuratores vocet. Suo rete, non alios, ſed ſe ipſum cepit. Nam ſi propoſitiones huius generis à tropo abſoluit, ne noſtram quidem poteſt rectè appellare figuratam.

Addit præterea, cùm nemo tam ſtupidus ſit, vt altero de ſtatua propoſita dicente, Hoc eſt rex, ideo contenderit non eſſe, quòd ea ex lapide ſit, cũ rex ſit carneus. Nemo ſapiens ita contendet, ſed cùm tantum inter ſe diſtent caro & lapis, propoſitionem illam potius admittet per tropum: vel quòd aliquam ſimilitudinem regis lapis referat: vel quòd vt eius monumẽtum ſit aliquando erectus. Neque conſuetudo, qua loquutiones iſtas homines tam facilè recipiunt, efficit quin tropicæ ſint & figuratæ.

Deinde, ne ſit parum facetus, ac lepidus, ita ſcribit: *Quod ſi de lapide rudi quiſpiam diceret, Hoc eſt rex: lapide, opinor, illi diminueret caput is, qui regium nomen ſanctum haberet, educatus in regno, nec expectaret ænigmatis explicationem.* Videtur Gardinerus, quamuis & à ſe ipſo, & à ſuis adulatoribus pro doctiſsimo habeatur, nunquã legiſſe, veteres loco ſtatuarum columnas rudes erexiſſe. Vnde quemadmodum poſterioribus temporibus de ſtatua Iouis, aut Saturni dicebatur, Hoc eſt Iuppiter: aut, Hoc eſt Saturnus: ita veteriſsimo tempore dici potuit τροπικῶς de rudi columna, Hoc eſt Iuppiter: aut, Hoc eſt Saturnus. Verùm quid me per veterum hiſtorias vagari oportet? Arca fœderis in lege Moſaica quid oro ſimilitudinis, figuræ, aut proprietatis habuit, quod referret Deum magis, quàm columna, aut rudis lapis? Et nihilominus ea in ſcripturis vocatur Deus, idque nomine Tetragrammato. Petra etiam rudiſsima, vnde aqua adducta eſt ad Iudæos potãdos, nõne à Paulo Chriſtus appellatur. Scribit enim ad Corinthios

Veteres loco ſtatuarũ columnas erigebant.

thios, *Petra autem erat Christus.* Inconstantius de ijs nunquam cogitauit: alioqui non dixisset, comminuendum caput cuipiam, qui de rudi lapide pronunciaret, Hoc est rex. Nullam quippe regi, qui sic diceret, iniuriam faceret: quum neque regem ipsum, neque illius accidentia in lapide collocaret, sed tantùm eius monumentum, aut aliquam similitudinem: neque lapidem propria loquutione, sed figurata regem nominaret.

Sed videamus quid sequatur: *Cùm verò Christus acciperet in manus panem, non aliquid pictum, aut sculptum accepit, in quo corporis sui effigiem demonstraret, vt illud Hoc, in corporis sui accidente explicaret. Nam, vt Epiphanius ait, nil est simile corporis in pane, non effigies, non lineamenta membrorum: nam est, inquit, rotundæ figuræ. Hæc cùm ita sint, apparet, illis verbis, Hoc est corpus meum, substantiam significari corporis, nec de pane, cui nil erat simile, quicquam intelligi: quando corpus de substantia sua, non aliena, prædicetur.* Si nulla est in pane similitudo, aut proprietas, quæ Christum referat, Inconstantius reprehensionem suam, qua nos adeò taxat, in Christum ipsum ore blasphemo, si ausit, conuertat. Is de seipso dixit, *Ego sum panis.* Quam propositionem si conuersione simplici, vt Dialectici aiũt, inuertamus, dicemus, Panis est idem, quod ego. Quid hic faciet Gardinerus? Christum ridiculè loquutum dicet? Dixit etiam Dominus: *Panis, quem ego dabo, carò mea est:* indicàs carnem suam esse illum panem, quo suos vellet alere. Quî possunt hæc vera esse, si, vt iste docet, inter Christum, carnémue illius, ac panem, nulla analogia, nulla similitudo, nullaq; figura intercederet? Omnes profectò norunt, panis proprietatem, postquam assumitur in cibum, esse, alere & confirmare. Quæ duo Christus fideliter communicantibus corpus suum, vberrimè largitur. Quod verò ad Epiphanium attinet, satis videmus, quid ille respexerit, externam scilicet, sensibilémque figuram. Sed mirum est, adeò sui commenti oblitum Inconstantium, vt ea verba Epiphanij rursus velit adducere: cum illa apertissimè testentur, non individuum vagum, sed ipsum panem à Dño fuisse demonstratum, cũ diceret, *Hoc est corpus meum*: vt superius declaratum est lucidissimè. Neq; verum est, qd Gardinerus tandem subiecit, *Quando corpus de substantia sua, non aliena, prædicatur.* Siquidem corpus Christi & de pane dici potest, non quidem identica, vt loquuntur scholastici scriptores, sed figurata seu tropica prædicatione.

Inter panem & corpus Christi similitudo, et analogia certa intercedit.

Corpus Christi de pane prædicatur, sed non identicè.

Vult posteà Inconstantius, verba Christi perinde haberi, ac si dixisset, Quod vos ex sensuum iudicio æstimaretis panem, quem in manus accepi, effeci secreta potestate, vt sit corpus meum. Et ideò ne fidite sensibus, sed verbo meo: qui dico vobis, *Hoc est corpus meum.* Quę afferuntur, cùm leuia sint, & probationem nullam habeant, non est laborandum vt ea confutemus: sed potius vt ea cõtraria interpretatione corrigamus. Quod Dominus inquit, *Hoc est corpus meum*, id perinde fuit, ac si dixisset: Quod est panis, vt sentitis, ac videtis, nolim vt posthac dum hoc mysterium sacræ communionis celebratis, tanquam vulgarem, prophanumq; panem habeatis: sed pro symbolo, & quidem sacro & efficacissimo corporis mei: cuius perceptione ad salutem, & ad vitam æternam alamini. Vter tandem nostrũm, Gardinere, suæ interpretationis facilius, explanatiusque poterit, & congruentius diuinis literis rationem reddere? Non est opus vt respondeas, cùm res ipsa loquatur, videatque Lector, quibus ambagibus & strophis tu cum tua ista interpretatione inuoluaris.

Quòd si Christus, inquit, *de figura sola sui corporis danda sensisset, vel dixisset, Hic panis est corpus, vt in verbo, est, intelligeremus tropum: vel apertè dixisset, Hoc est figura corporis mei. Quod non dixisse Christum Theophylactus notauit. Et licet Tertullianus, quasi causæ subseruiens, id dicere voluit, addidit tamen, Christum fecisse panem corpus suum: ne quid illa interpretatione officeret veritati: secundùm quam colligi potest, visibilem speciem elementi pro figura esse, cùm verè simul adsit ipsa substantia corporis, propter vim horum verborum, Hoc est corpus: quæ tropum reijciunt, nisi violenter adhibeamus. Christus*, inquit, *si nobiscum faceret, dixisset, Hic panis est corpus: vt in verbo. Est, intelligeremus tropum.* At si Christus ita non dixit, ratio est, cur non dixerit. Omnes Apostoli, qui aderant, sensu videbant panem ostendi: cernebant etiam corpus Christi vnà secum discumbere. Ideò quod ille tacuit, ex circunstantijs patefiebat ita esse intelligendum. Quibus postea sublatis, vt deceptionibus præcluderetur aditus, panis Apostolus Paulus apertissimè facit mentionem, cũ dicat: *Panis, quem frangimus, communicatio corporis Christi est.* &, *Omnes ex eodem pane participamus.* Habes itaque cãusam, cur Christus non ita dixerit: & ex Apostolo remedium aduersus errorem, qui posset obrepere.

Fateor etiam Theophylactum scribere, Christum non dixisse, Hoc est figura corporis mei. Sed quid illi tribuẽdum sit, aut quomodo eius verba debeãt accipi, iam anteà est explicatum.

Sed quia non latuit Inconstantium, veteres hoc sæpe confessos esse, Christum dedisse corporis sui figuram, ideò producit vnum Tertullianum, quem ait hoc dixisse, vt inseruiret causæ suæ. Quasi pugnantia cum veritate, ac falsa dicenda sint, vt veritas confirmetur. Si nos hæc suffugia cõminisceremur, quo modo quæso ab Inconstãtio acciperemur? Sed iam dicat nobis, quomodo Tertullianus cùm sic scriberet, inseruierit causæ suæ. Contra Martionem hoc profectò voluit probare, Christum habuisse verum corpus, non fictitium, aut phantasticum. Nonne hoc ex transubstantiatione vestra, si tum tẽporis fuisset credita, & publicè admissa, iam probatum erat? Nihil verius probare potuisset, Christum habuisse veram carnem, quam si quis dixisset, ab omnibus in Ecclesia publicè credi, eam in sacramento realiter præsentem sub accidentibus panis exhiberi. Quamobrem illa interpretatione, qua vtitur, Hoc est corpus meũ, id est figura corporis mei, si vera sit vestra opinio, argumentum Tertulliani debilitat, tantùm

Disputãdo falsa nõ sũt dicenda, vt veritas confirmetur.

abeſt, vt ſeruiat cauſæ, quam tractat. Sed coactus eſt ita dicere, quia Eccleſia eo tempore ſacramentum Euchariſtiæ figurã corporis Chriſti eſſe credidit. Vnde Tertullianum oportuit, allatum à ſe argumentum explicare, & ita ſubijcere: *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterùm vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poteſt.* Ita Tertullianus euidens reddit argumentum, quod ex illis verbis infirmum videri potuit. Non itaq; ſic loquutus eſt, quòd cauſæ inſeruiret: ſed quia ſic vulgò in Eccleſia credebatur. At mirum eſt Gardinerum illa iſtius Patris verba non conſideraſſe, quæ adducit: *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus illum fecit.* Certè pronomen Illum, ſi maſculinum genus reſpicias, non indiuiduum vagum, vt iſte fingit, ſed panem refert. Quomodo autem corpus ſuum illum fecerit, nunc non eſt repetendum, cùm iam ſæpius explicatum fuerit.

Quod verò tandem illud commentum eſt, viſibilem ſpeciem elementi pro figura eſſe, cùm verè, vt iſti volunt, ſimul adſit iſta ſubſtãtia corporis? Si hoc dixiſſet Tertullianus, minus iſte accuſandus eſſet. At cùm ille dixerit, Dñm feciſſe panem corpus ſuum, nullam mentionem facit vel ſpeciei, vel elementorum. Neq; res præſens figura opus habet, vt demonſtretur, niſi ſit ſpiritualis, & ſua natura prorſus inuiſibilis. Et nouum eſt, quod inquit, vi verborum corpus Chriſti adeſſe, cùm ſuperius id verbis non cenſuerit attribuendum, ne magia quædam videri poſsit. Sed fieri nequit, quin mendax, qui diu loqui pergat, ſua ipſius prodat mendacia.

OBIECTVM XXI.

SI Chriſtus eſſet corporaliter in ſacramento, quotidie pateretur, & ſanguis eius quotidie funderetur. Nam Scriptura dicit, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: &, Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur. At corpus eius non quotidie patitur, neque ſanguis eius quotidie funditur: ergo Chriſti corpus & ſanguis corporaliter non eſt in ſacramento.

GARDINERVS.

SI Chriſtus in ſuprema cœna, quam viſibiliter præſens celebrauit cum ſuis, nihil eſt paſſus, in qua tum corpus & ſanguinem verè dedit, in myſterio eadem eloquutus verba, quæ nos proferimus de corporis traditione, & fuſione ſanguinis: quæ tandem ratio eſſet, vt cùm eadem à nobis cœna quaſi repetita celebretur, aliud nunc fieret, quàm tunc eſt factum: & eorundem verborum tanta ſit hodie vis, vt paſſionem verè præſentem exigant, quæ in prima cœna illis ipſis verbis prolatis non erat.

MARTYR.

ID primum nos oportet in hoc argumento cogitare, magnum eſſe diſcrimen inter noſtra iſta tempora, & illam noctem, qua Chriſtus præſens inſtituit ſacram cœnam. Nam certè illa nocte facilè potuit dici, corpus Chriſti tradi, & ſanguis effundi: quoniam iamiam hora mortis eius imminebat, imò à Iuda iam tradebatur. Nunc verò quando mille, atque quingenti anni, & aliquantò amplius elapſi ſunt, neque poſthac Chriſtus eſt rurſus moriturus, verba illa ſine figura eſſe vera non poſſunt. Imò tunc etiam in illa ipſa cœna, quam Chriſtus celebrauit, tropus admitti debuit. Nam ea hora ſanguis dominicus re vera non effundebatur. Figurata verò loquutione aliquid dici poteſt nunc fieri, quod paulò pòſt ſit faciendum. Neque aliud hoc argumento concluditur, quàm verba Domini, velint, nolint aduerſarij, eſſe exponenda per tropum. Idque hoc noſtro tempore longè magis, quàm tunc in cœna. Quamuis dici poteſt, ea verba nunc recitatiuè, vt loquuntur, à nobis enunciari: quod authorem huius argumenti certum eſt nõ reſpexiſſe: nec tamen ob id ratio non concludit, quin ſaltem cùm Chriſtus ea diceret, figurata fuerint. Quare ſi vera propter tropum eſſe potuit propoſitio, quamuis Chriſti ſanguis tum non funderetur: hodie quoque, quamuis corpus eiùs non tradatur, erit etiam vera: quamuis corpus illud non ſit in pane, vel ſub accidentibus eius corporaliter præſens. Sicut enim verba præſentis temporis, & tunc figuratè accipi debuerũt pro futuro, & modò pro præterito: ita corpus quoque Chriſti licet realiter non adſit, tamen de pane dici poterit. Hoc itaque probare conati ſumus: Verba Domini, quæ Inconſtantius plenis buccis detonat ſua natura tropũ reſpuere, abſque tropo non poſſe rectè intelligi.

Scribit ad hæc: *Quanta, Deus bone, ſe prodit iſtorum ignorantia, qui non vident, ſi verba hæc, Traditur, & Funditur, ita vrgeantur, probaremus paſſionem Chriſti, vt minimum, geminam: vnam à Iudæis in cruce, alteram ab ipſo Chriſto in Cœna.* Imò quia hæc videmus, quæ Gardinerus ſerò acutus, nunc tandem cernit, reſpondemus, Ne ſint duæ, tres, aut infinitæ paſsiones Chriſti, tropo ſuccurrendum eſſe: quo admiſſo, omnia rectè habent. Cæterùm ſic euadere abſurda vobis non licet, qui tropum in ijs verbis omninò repudiatis. Quocirca ſi Domini ſermonem ita nudè ſimpliciterque, vti ſonat, intelligendum putatis, ab hoc nodo vos non poteſtis expedire: quem tamen nos facilitate ſumma per tropum diſſoluimus.

OBIE-

OBIECTVM XXII.

SI verba, Traditur & Funditur, accipiantur vt ſonant in conſecratione, tum corpus Chriſti ſignificabitur modò in crucem tradi, & ſanguis eius modò effundi, aut mox effundendus. At ſi hæc in præteritum conuerti voluerint, vt intelligamus corpus olim traditum, ſanguinemque olim effuſum, id erit figuratè loqui, cùm tempus pro tempore accipiatur. Quare noſtrum etiam tropum ferre poterunt, cùm ſuum admitti volunt.

GARDINERVS.

VERBA in oratione & ſermone familiari non ſemper actionis, aut paſſionis tempus notant: ſed certam illius actionis paſſionisve veritatem, vel præteritam, vel futuram, ſed tamen indiſcreto tempore, maximè cùm in præſenti enunciãtur. Vnde Iohannes cùm de ſe diceret, Ego baptizo in aqua, non ſignificabat illo ipſo tempore ſe baptizare, ſed de actione, quæ præterierat, & quam eſſet repetiturus, præſentis temporis verbo eloquutus eſt, quaſi id iam faceret: quæ propria eſt loquutio exprimentis ſine tempore actionem.

MARTYR.

Gardinerus noſtra argumenta aut lacerat, aut ineptè recitat, aut eadem ſæpius repetit.

PRO ſua fide, ac verboſitate Inconſtantius hîc ſeſe gerit. Argumẽta noſtra pro ſua libidine fingit, ac refingit, torquet, & mutilat: & quæ re vera ſunt eadem, bis repetit. Quod illum non impudentem, ſed ex malitia innata facere, minimè dubito. Non enim potuit non videre, argumentum iam prius allatum, idem eſſe cum illo, quod nunc affert. Deinde quid eum oportet orationis ſermonisq; familiaris exemplũ proponere, vbi actionis paſſionisve tempus interdum minimè notentur, cùm in ſermone familiari tropi maximè admiſceantur? Quod ille ſi non animaduertit, & ipſe quid loquatur, ignorat, & alios admodum incogitanter audit.

Iohannes verò cùm diceret, *Ego baptizo aqua*, per actiuum verbum, non actionem, vt ille fingit, intellexit, ſed ſuam vocationem: ſuumque munus baptizandi, quale eſſet, ita loquendo, non ſine tropo indicauit.

Sed addit: *Vnde quum Paulus ad Romanos dicat, Qui prædicas non furandum, furaris, non ſignificat ſimul eos eodem momento prædicare, & furari, ſed vtrunque agere ſuo tempore. Et Chriſtus vt futuræ ſuæ præſentiæ certitudinem ſignificaret, Ego vobiſcum ſum, inquit, vſque ad conſummationem ſeculi. Non dixit, ero, nec tropo eſt vſus, ſed vim expreſſit quotidiani ſermonis. Et ipſa Grammatica tradit, inflecti præterita & futura paſſiua præſentis temporis ſubſtantiuo verbo. Vnde perpeſſus ſum, & paſſurus ſum dicitur: & in ſermone familiari nihil frequentius, quàm vt rerum vel præteritarum, vel futurarum certitudinem & ſecuritatem exprimentes, illam verbo præſentis temporis efferamus.* In loco Pauli ad Romanos interpretando rurſus eadem ratione Inconſtantius hallucinatur, cùm putet ibi nullum eſſe tropum, cùm dicitur: *Qui prædicas non furandum, furaris.* Primùm non animaduertit libertatem numeri, quam Fabius Quintilianus, cùm ſcribit de tropis, agnoſcit eſſe tropicam. Vt quum Liuius ait, *Romanus prælio victor.* illa voce Romanus, non certum quendam militem, ſed totum Romanorum exercitum intelligens. Ita nunc Paulus numero vnitatis Iudæum alloquitur, dicens: *Prædicans non furandum furaris.* Et prius, *Ecce tu Iudæus cùm ſis.* Ita loquitur, cùm de gente Iudaica tota ſcribat. Et Gardinerus hîc nullum agnoſcit tropum. Eodem loco idem Quintilianus tradit, illum quoque tropum eſſe, cùm ex eo, quod dicitur, aliud quiddam indicatur, quod tacetur. Vt apud Vergilium,

Aſpice aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci:

nox oſtenditur ingruere, quod boues ab aratione deſierint, ac domũ vomere ſuſpenſo redeant. Hîc quoque apud Paulum videmus, vnum, quod tacetur, oſtendi ex alio, quod dicitur. Exprimit ipſe Iudæorum ſanam prædicationem, vt doceat eam gentem à Deo accepiſſe legem ſanctam, atque iuſtiſsimam, ex qua prædicatio recta depromebatur. Cùm verò addit, eos furari, ex peccati actione vult intelligi, eos interiori iuſtitia caruiſſe. Atque ita ex eo, quod ait, aliud quod tacetur indicat. Quod genus loquendi omnes docti tropicum eſſe affirmant: licet id Gardinerus, quæ illius eſt vel imprudentia, vel impudentia, perneget. Proinde in loquutione Paulina, quã adduxit, quàm verè ſcribat nullum eſſe tropũ, iudicet prudens Lector. Certè nos ibi deprehenderimus duos tropos.

De eo autem quod Chriſtus inquit, *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi:* ibi quoque non facilè conceſſerim, ſimplicem, ac non tropicum eſſe ſermonem. Chriſtus quippe duplici cõſtat natura, diuina & humana. Et, quod attinet ad diuinitatem, ſimpliciter Chriſtus eſt vbique: deinde etiam ſua gratia, & ſpiritu perpetuò Eccleſiam fouet, ac viuificat. Humana verò natura ſubſtantiali præſentia non eſt nobiſcum: ſynecdoche igitur eſt, qua de toto dicitur, quod tantum de altera parte verum ſit.

Id quod addit, Grammaticam ipſam tradere, præterita & futura paſſiua inflecti verbo ſubſtantiuo præſentis temporis, non eſt verum in vniuerſum. Romanis quidem id accidit ob Latini ſermonis penuriam. Græca verò lingua & Hebraica non ita inflectitur: & nihilominus

Verba præterita passi non flectuntur per verbũ substantiuum, in omni idiomate.

rerum præteritarum & futurarum vtraque lingua certitudinem, cùm oportet, exprimit. Quare Gardinerus ista fingẽs maximas nugas agit: præsertim cùm diuinæ literæ vel ex Hebraico, vel Græco sermone fuerint in Latinum conuersæ. Quid ergo prodest, vt loquutio illa Domini ostendatur simplex, & absque tropo, Latini sermonis exemplum adducere, cum ea non ex Latina Grammatica, sed ex Græca metienda sit? Ad id ergo, quod probare voluit, nil id conducit, quod affert. Sed ad id maximè prodest, vt omnes intelligant, Inconstantium tantùm dicere, vt dicat: quasi actio hæc, qua de istis rebus scribimus, non ad veritatem inquirendam, sed ad gloriam herciscundam sit instituta.

Concludit tandem: *Christus ergo rei certò gerendæ, ijs verbis, funditur, & traditur, veritatem expressit: quã nos ijsdem verbis certè gestam agnoscimus, vt nullo hîc tropo sit opus ad sermonis explicationem, quam ipsa consuetudo loquendi fecit propriam.* Christum eo modo loquutum esse: partim vt rem imminere iamiam demonstraret, partim ob certitudinem, vt ipse asserit, non inficior: sed hoc addo, id non efficere, quin tropus in eo sermonis genere agnosci debeat. Et quod subijcit, consuetudinem loquendi sermonem eiusmodi fecisse proprium, audacter nego: quoniam loquendi consuetudo solet emollire tropos, & faciles reddere, non tamẽ eos prorsus tollere. Vnde Cicero primo de Oratore, inquit, Gemmare vites, luxuriem esse in herbis, lætas segetes etiam rustici dicunt. Quamobrem valde ineptit Inconstantius, qui tamen in ijs loquutionibus metaphoram agnoscit, cùm putet, sermonem ex eo, quòd sit familiaris & quotidianus, ob id tropicum esse non posse.

Consuetudo loquendi non tollit tropos.

OBIECTVM XXIII.

FATEMVR, corpus Christi hactenus passum: non quòd nunc tradatur in crucem, aut nunc sanguis eius effundatur. At si velint isti sermonem Christi rigidè interpretari, cùm inquit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: oporteret eos dicere, panem fuisse crucifigendum: aut saltem Christum ipsum velatum accidentibus in sacramento. Nam Christus ostendens id, quod habebat in manibus, illud dicebat pro eis tradi, & fundi, iuxta ipsorum interpretationẽ. Quòd si dicant, id fuisse corpus & sanguinem, sed non eo modo, aut ea forma, iam quærunt interpretationes & suffugia, & non simpliciter propositionem accipiunt.

GARDINERVS.

FRIGIDA interpretatio, de qua hic frigidè & sine sensu loquitur, stulta prorsus & insana foret: quando verbum, Traditur, de corpore Christi dicitur, non de pane: neque rursus de pane corpus dicitur, sed de individuo illo vno, cuius naturam demonstratio, Hoc, non explicat quid sit, sed est nuda modò indicatio vnius, quod, quale sit, prædicatio aperit.

MARTYR.

QVAM defensionem iste sibi muniat ex ijs, quæ præfatur, non apparet, *Verbum*, inquit, *Traditur, de corpore dici, non de pane.* At argumentum ita habet: Christum de eo, quod habebat in manibus dixisse ea, quæ protulit. Quod habuit in manibus, vel, vt nos dicimus, erat panis, de quo corpus Christi suo modo sit dictum: vel, vt ipsi volunt, erat Christi corpus latitans sub accidentibus. Vtrumuis horum concedatur, si tropus, quemadmodum ipsi nituntur, excludatur, omninò conficitur, velit, nolit Gardinerus, significari aut panem esse crucifigẽdum, aut corpus ipsum Christi latens in sacramẽto sub accidentibus. Quorum vtrunque quàm sit absurdum, nemo est qui non sentiat. Nos verò ad hoc incommodum non impingimus. Quia etsi panem à Christo demonstratum esse voluimus, tamen Tradi & Effundi, ad Christi corpus referimus, & ad sanguinem. Quanquam ea de pane quoque dici aut prædicari dicimus, ratione iam sæpius exposita.

Iste autem veretur, ne fortasis indiuidui sui vagi, obliti simus. Quamobrem non iam bis, aut ter, sed sæpius repetit suam Cramben. Deinde subdit: *Illud verò stultius, quòd modum & formam ita annectat substantiæ corporis, vt quod de corporis substantia dicitur, de modo & forma vnà intelligatur. An non credemus, eundem Christum natum ex Virgine, & in cruce passum? Neque tamen eisdem modo & forma natus est, quibus passus est. Puer videlicet natus est, infans, staturæ modicæ. Creuit postea & ætate auctus in alio modo corporis pilis iam vestitur, & capite & mento pro decoro, qui recens iam nato non aderant. Forma denique virili, & animo non pueri, sed hominis passus est. Et ex ijs corporis modo & forma variatis, dicemus scilicet, non id corpus passum, quod natum est? Neque vera erit vox Angeli de iam concepto in vtero, & adhuc latente, quod is saluum faceret populum suum à peccatis eorum, quia vterum egressus, & in terra visibilis, non latitaret, quomodo erat in vtero, sed visibiliter in carne perpessus esset?* Modum & figuram nos non annectimus substantiæ corporis: sed ea à vobis illi iam antè pinanissimas fictiones annexa accepimus. Vos quippe illi estis, qui frigidè ac sine sensu deblateratis,

teratis, corpus & sanguinem Domini sub accidentibus panis ac vini delitescere in Eucharistiæ sacramento. Deinde quod de corporis ac sanguinis substantia dicitur, nempe, Tradi, aut Effundi, necesse est vt ad corpus Christi referatur sub illo modo & forma, qua est, cũ illa proferuntur. Quia illa per verba præsentis temporis indicatiui modi enunciantur. Neque vobis, qui tropos omninò respuitis, licebit ad figuratam loquutionem confugere, vt tempus ab Euangelista pro tempore positum intelligatur. Quare si de præsenti tempore absq; tropo propositio illa sit vera, necesse fuit corpus Christi crucifigi, vt nunc latebat sub accidentibus panis, & sanguinem eiusdem effundi, vt erat tum sub accidentibus vini.

Quæ verò ab Inconstantio adferuntur de modo & forma variata in corpore Christi, cùm esset in vtero, deinde puer, & postea vir, sunt quidem vera, sed ad rem præsentem non faciunt. Primò quidem, quoniam illi modi & formæ, quòd pro diuersitate temporum in corpore Christi mutatæ fuerint, scripturæ testantur: quæ Christum in vtero matris fuisse tradunt: deinde natum, & oblatum in templo: idque ita, vt in vlnis Simeonis exciperetur. Scribitur ad hæc fuisse puer, atque cum parentibus Hierusalem ascendisse, ibique disputasse inter legis Doctores. Dicit etiam Euangelista illum & ætate & sapientia profecisse, & postremò à Iohanne tinctum fuisse in Iordane, cùm iam triginta esset annorum. At è diuerso modum, & formam qua Christus, quod attinet ad corpus & sanguinem, re ipsa contineatur sub accidentibus panis & vini, sacræ literę nusquam testantur. Itaque cùm grex Papistarum & sophistarum pecus, ad hæc suffugia, cùm veris & firmissimis argumentis vrgeantur, se recipiunt, frustrà se mendaciorum & fictionum folijs contegunt. Si negaremus Christum fuisse in vtero Virginis, & aut puerum fuisse, aut virum, nostrum errorem scripturæ diuinæ confutarent. At si accidentia sine subiecto, corpus Christi sine quantitatis aut qualitatis modo, aut absque loco esse, non credamus, quæso, nos è scripturis arguite: non autem ex vestris Entibus communibus, indiuiduis vagis, subiectis ignoratis, prædicatis aperientibus & enucleantibus: quæ magis ληρωῶτας, & φλυαρωῶτας decent, sophistas, inquam, & ψοδοκλάστας, quàm graues, pióſque Theologos.

Præterea cùm Christus esset in vtero, deinde infans & puer, nullus verè dixisset præsenti tempore, Crucifigitur, Moritur, Saluum facit à peccatis: sed futuro tempore potius, Crucifigetur, Tradetur, Morietur, Saluum faciet. Et sic Angelus ad Mariam est loquutus. Quamobrẽ in allatis exemplis duo euidentissimè discrepantia cernimus, quæ totam responsionem Inconstantij vitiant ac debilitant.

De Christo postea transfigurato litem mouet, dicens: *Quin & illud quæro, Num de Christo transfigurato verum erat, illum ipsum moriturum: cùm tamen illis modo & forma esset immortalis.* Respondemus Inconstantio, verum fuisse, illum Christum, qui transfiguratus erat pro nostra salute, fuisse moriturum. Non tamen verum fuit, interim dum transfiguratus esset in mõte Thabor, & suam gloriam discipulis ostenderet, præsenti tempore, illum mori, in crucem tradi, aut sanguinem eius fundi. Non sunt eadem tempora præsens & futurum. Verum etiam fuit, vt diximus, de Christo in vtero, quòd esset populum suum à peccatis eorum seruaturus: sed non præsenti tempore, quasi tum in vtero pro nobis pateretur, & nos antequam nasceretur, moriendo seruaret. Non est itaque argutia, sed potius sycophantia, loquutiones, vt similes, adferre, quæ maximè ab illa distent, de qua disputatur: & in eo præsertim distent, in quo tota versetur disceptatio.

Sequitur: *Quòd si modus & forma existentiæ tantùm habeant momẽti, cur grani exemplum affert Paulus, in quo resurrectionem nostram adumbret, vt idem videatur crescere, quod seminatur: cùm eodem modo & forma non crescat, quo seminatum est? Ergo ipsa intelligendi simplicitas à nobis exigit, vt suum cuique functioni modum relinquamus: nec à modo & forma, quæ diuersam causam habent, substantiæ varietatem inducamus: vt non idem sit corpus sub specie panis inuisibiliter datum, quod in forma visibili in cruce passum est: quasi substantia eadem diuersos non admittat modos: quod affirmare sit insanum.* Non istud est, Gardinere, qd agimus. Non tuemur commutato modo, seu forma, per varia, quę interdũ succedunt, accidentia, variari substantiam; vt ea non sit eadem. Neq; vnà cum Democrito, aut alijs similibus nugonibus, opinamur nõ esse manè ac vesperi hominẽ eundem numero, propter continuam vel materię, vel accidentium mutationẽ. Argumentum nostrum hoc tantùm concludit: Si omninò defendatis, in illis verbis Dñi abstinendum esse à tropis, velitisque simplicissimo sensu accipi, quod Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, necesse esse illa quoque simpliciter accipere, quę statim sequuntur, (Traditur, & Effunditur) vt præsenti tẽpore interpretemini, Corpus domini tradi, & sanguinem illius effundi. Quòd si ad figuras, & tropos ita confugitis, vt vobis permittatis mutationẽ temporum, non potestis nos vllo iure accusare, si in ijsdem verbis Christi vtamur tropis. Ad hoc in quo totũ argumenti pondus & vis nititur, Inconstantius nihil respondet: sed multis productis inanibus, vt ostensum est, exemplis, quod erat maximè necessarium, fortiter dissimulat, & præterit. Maneat igitur per nos, & ratum sit, eandẽ substantiam sub diuersis accidentibus, quæ sibi mutuò succedant, posse conseruari. Sed illud vicissim Gardinerum præstare volumus, cum præse ferat tantam religionem simplicitatis in loquendo, vt illam in ijsdem verbis ne violet, in quibus nobis est author, vt omninò à tropis abstineamus. Retineat, inquam, proprium sensum, & literalem, ijs præsertim verbis, quæ vbiq; veneratur, tanquam Sacramentalia, & Sacrosancta.

OBIECTVM XXIIII.

BIBITE ex hoc omnes: & biberunt ex eo omnes. Quæro, quid iusſit Chriſtus diſcipulos bibere? Non ſanguinem: nam verba hęc ſunt ante conſecrationem. Ergo non poteſt aliud eſſe, quàm vinum.

GARDINERVS.

SI quid roboris haberet hæc collectio, quæ ex ordine ſumitur narrationis, nõ ſolùm adimeret Eccleſiæ veritatem præſentiæ, ſed illis ipſis figuratoribus veritatis aduerſarijs ſuam figuram. Quomodo enim id velut figura demonſtretur indicatione præſenti, quod ſit ipſo vſu in bibendo conſumptũ? Imò ad huius argumenti rationem de vino epoto dixiſſet potius Chriſtus, non (Hoc) ſed (Illud.) Tum (Fuit) adderet, non (Eſt) figura corporis: ſi ſenſiſſet, vt illi volunt: cum eſſe quicquam, quod non iam ſit, verum eſſe non poteſt.

MARTYR.

ARgumentum, quod hìc tractatur, præſentiam corporis Chriſti non oppugnat, ſed tranſubſtantiationẽ. Inconſtantius autẽ, quia iuſta reſponſione deſtituitur, à ſtatu controuerſiæ diſcedit, pro more ſuo. Dominus, priuſquam verba illa pronunciaret, quæ iſte appellat Cõſecrationis, ſic alloquutus eſt diſcipulos ſuos, *Bibite ex hoc omnes:* quibus verbis illũ haud dubiè liquorem ſignificabat, quem habebat tum in manibus, quemq; illis propinabat: quem ſi illi erant bibituri, non eum oportuit abijci, & ſpoliari natura ſua: vt iſti Tranſubſtãtiatores fabulantur. Accedat ſanguis Chriſti, quantumvolunt. Apoſtolos tamen illud bibere oportuit, quod Chriſtus oſtenderat. Illud autem, quod negare non poteſt, erat vinum. Quare verba ea, quæ poſteà ſequuta ſunt, non abiecerunt naturam vini. Atque hæc eſt vis argumenti.

Verùm Inconſtantius, quoniam illud ferre non potuit, deflexit ad ambages. Figuram etiã, inquit, auferri oportet, ſi narrationis Euangelicæ ordinem ſequi volumus. Quid ita? *Quia*, inquit, *quod eſt conſumptũ indicatione præſenti, non poteſt oſtendi, vt figura.* Quaſi verò nos affirmemus, Apoſtolos prius bibiſſe, quàm Dominus illa verba pronunciarit. Hoc nos tantùm contendimus, demonſtrationẽ prius fuiſſe factam, cùm Chriſtus diceret, *Bibite ex hoc omnes:* quàm altera illa verba, quæ iſti conſecrationis vocãt, exprimerentur. Quare, ſi Apoſtoli Chriſto voluerunt obtemperare, neceſſe eſt, vt vinum, quod oſtendebatur, biberint. Hic autẽ noſtra nihil refert, ſiue figura, ſiue ipſe Domini, vt loquuntur, realis ſanguis acceſſerit. Satis habemus, ſi hoc argumento verè concludatur, naturam & ſubſtantiam vini remanere. Nos verò cùm affirmamus, illo inſtituto, & verbo Domini factum eſſe Sacramentum, non dicimus, rem abſumptam demonſtrari potu, ſed præſentem, & eam, cuius natura & ad os, & ad ventriculum conuiuarum perueniat.

De reali autem præſentia corporis Domini erit alius dicendi locus. Hìc de Tranſubſtantiatione tantùm agitur: quam ordine ipſo Euangelicæ narrationis certum eſt clariſsimè refutari. Neque opus erat, vt Chriſtus diceret (*illud*) aut (*fuit*) cum de re adhuc præſenti loqueretur: ea, inquam, de re, quam conuiuis aſsidentibus, & cernentibus propinabat. Inter nos autem & Inconſtantium hoc intereſt: quòd nos cum Sacramento, aut figura, quam ponimus, naturam vini conſeruamus: quam iſte cum ſua Tranſubſtantiatione retinere nec vult, nec poteſt. Fruſtrà ergo iactat, hoc genere argumenti non magis ſe, quàm nos ipſos lædi.

Quod autem ad pronomina illa, de quibus Inconſtãtius ita argutè philoſophatur, attinet, nihil refert, ſiue Hoc, Chriſtus dixiſſet, ſiue Illud. Quis enim hoc genus loquendi reprehendat, vt parum congruum, Hoc quod bibiſtis, aut, Hoc quod in ventriculum tranſmiſiſtis, eſt ſanguis meus? Aut quis contendat, non Hoc, ſed Illud fuiſſe dicendum? Grammatici, ni fallor, non ita ſuperſtitioſè nugari ſolent. Verùm hic nouus Ariſtarchus aliquid ariolari voluit, quod non alius quiuis poſsit cernere.

Addit, *Itaq; beata Virgo monuit Chriſtum in nuptijs, cùm iam vinum omne epotum eſſet, ijs verbis, Vinum, inquit, non habent: cùm tamen eos anteà habuiſſe vinum, conſtet ex verbis Architriclini, cùm vinum ex aqua factum prætulerit priori.* Quid iſte ſibi velit ex beatæ Virginis oratione, non ſatis queo diuinare. Ita prorſus currit extra oleas. Cùm vinum iam abſumptum eſſet, Maria inquit, *Non habẽt vinum.* Non appellat id vinum, quod amplius non extabat: ſed oſtendit, illos omni genere vini eſſe deſtitutos: & tacitè petit, vt Dominus pro ſua bonitate illis proſpiciat. Quid ſi etiam hoc concederem, illam dixiſſe, Vinum, quod habuerant, defeciſſe? Ex ea forma loquendi, ſi addatur, defecit, intelligitur, illos vinum non habere, & vinum iam epotum non extare. Ex eo autem, quod dicebatur, *Bibite ex hoc omnes*, cùm certum ſit, id, quod illis propinabatur fuiſſe vinum, nemo poteſt intelligere, illos, qui bibebant, non bibiſſe vinum. Ea autem, quę poſtea inculcantur ex Matthęo & Marco ad oſtendendum, vinum adhuc fuiſſe in calice, cùm Dominus diceret, *Hic eſt ſanguis meus*, iſte Sophiſta inutiliter deblaterat, nec ea diluit. Nos enim facilè concedimus, diſcipulos non antea bibiſſe, quàm Chriſtus ſermonem ſuum abſoluiſſet.

Pronomina illud.

Addit præterea: *In hoc narrationis ordine apud Marcum notauit eruditorum pietas ὕστερον πρότερον, figuram in narrationibus frequentiſsimam. Quare, quod in Marco narratur, Omnes bibiſſe, verum eſt: ſed eo ordine rei geſtæ, qui cum reliquis circunſtantijs conſentiat:*

vt quæ

vt quæ mandato bibendi connexa essent, intelligantur suo loco fuisse prolata, &c. Verba Marci sic habẽt: *Et accepto poculo, cùm gratias egisset, dedit illis: & biberunt ex eo omnes, & dixit illis: Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur.* Hìc Inconstantius veretur, ne nos vrgeamus ex ordine huius narrationis, Apostolos prius bibisse, q̃ Christus diceret, *Hic est sanguis meus.* At nõ ita sumus callidi, & versipelles, vt Inconstantius esse solet, qui in omnibus literis & apicibus consectatur calumnias. Nos quidem credimus, discipulos pependisse ab ore Christi, nec prius id quod offerebatur, gustasse, quàm eum audissent imposuisse finem sermoni suo. Adhęc absurdum esse dicimus, ea, quæ postea à Christo adiecta sunt, frustrata esse ea, quæ anteà dixerat. Anteà ostenderat vinum, illudq́ue discipulis suis propinauerat, iusseratq; bibere. Hisce ea, quæ sequuta sunt, non possunt abrogare fidem. Illud, quod Christus porrigebat, fingito, quod nos dicimus postea factum fuisse Sacramentum sanguinis Christi: vel, quod aduersarij nostri dicunt, sanguinem Christi corporaliter accessisse. Non tamen ea causa oportuit vinum suo loco cedere: cùm Dominus illud & mandasset bibendum, & propinasset.

Sed quid hoc loco Gardinerum iuuat piorum & doctorum hominum ὕστερον πρότερον, cùm vbiq; impudenter & ineptè clamet, in istis Domini verbis nec tropum vllum, nec figuram ferendam esse: & velit, omnia omninò simpliciter vt efferuntur, accipi oportere? Postea miser, vbi premitur, quasi oblitus edicti sui, vni cum perfugium, & sacram anchoram cõstituit in tropis. Et tamen nihil dissimulabo, illam figuram ὕστερον πρότερον, mihi hoc loco non videri necessariam. Potuit enim Christus commodissimè dicere, Accipite, Edite: &, Accipite, Bibite: & deinde addere, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Figuratam enim, præsertim isto tropi genere, nõ esse illam orationem, vel id satis magno argumento esse potest, quòd & tres Euangelistæ, & Paulus Apostolus ea verba eodem ordine collocarunt. Quare hæc summa est iustæ veræq́ue responsionis: quoniam omnes Euangelistæ ita scribunt, vt testentur, Dominum prius dixisse, Accipite, Edite: Accipite, Bibite: quàm ea diceret, quæ sequuntur de corpore & sanguine suo, necesse esse Apostolos id comedisse & bibisse, quod Dominus in manus acceperat, & illis porrexerat. Verba autẽ ea, quæ sequuta sunt, ita omninò debent accipi, vt eius, quod antea dictum fuerat, veritas maneat incolumis. Quod certè fieri non potest, si prior natura panis & vini, vt isti somniant, abijciatur.

An ὕστερον πρότερον fuerit in verbis Christi.

OBIECTVM XXV.

COMEDERE & Bibere corpus & sanguinẽ Christi, in sacris literis accipiũtur spiritualiter, pro eo quod est, Credere. Igitur Dominus in Cœna sua, quum iubet nos comedere & bibere, iubet nos credere, & considerare, & mente reuoluere, Christum pro nobis mortuum esse, vt nos corpori suo mystico incorporaret.

GARDINERVS.

HOC argumenti genus à Sæpe ad Semper, non modò sæpe, sed semper est insanum: quo morbi genere laborãt, qui hoc Sacramentum impetunt, dum eiusmodi nobis edunt argumenta.

MARTYR.

NON nos ita insanimus, Gardinere: tu potius multò insanus es, qui nos putas ita insanire, & velle ratiocinari à Sæpe ad Semper. Non enim regulas dialecticas corrumpimus, vt grex iste vestrorum sophistarum solet. Hoc aũt nostrum argumentum est, quod tu, vt omnia soles, de industria deprauasti: verbum Edendi & Bibendi in 6. cap. Iohannis, vbi verissima ratio comedendi corporis Christi, & bibendi eius sanguinis traditur, ipsorum etiam Patrum testimonio significat Credere. Igitur Christus in Cœna, cùm iubet corpus suum comedere, & sanguinem suum bibere, verba illa accipit eodem modo, hoc est, spiritualiter. Id enim antea docuerat in 6. cap. Iohannis, & illi doctrinæ postea in Cœna adiecit symbola. Ratio autẽ ista ex eo firma est, quod oporteat etymologiam aut interpretationem cum verbis illis, quæ explicantur, congruere. Non est difficile Inconstantio dissoluere argumenta, quæ non ab aduersarijs, sed ab ipso adferuntur.

Hæc ille de forma rationis: nunc de causa qd cõminiscatur, videamus. De re autẽ argumenti ita sentiendũ est, *Eucharistiæ sacramẽtum etsi fidem manducantium exigat, vt dignè sumatur, tũ autem corpus Christi adesse, quãuis sola percipiatur, id est, intelligatur fide, non sola tamen fide, sed etiam corporis officio accedente sumitur, vt ore secundùm Leonẽ percipiatur, quod fide creditur, præsertim cũ id Christus exegerit, dicens, Accipite, & manducate. Nihil quidẽ sine fide rectè fit: sed nõ fiũt sola fide rectè omnia.* Multa porrò præterea sunt, quę Gardinerus pro more suo inuoluit, quadam verborum caligine. Ea nobis, ne fucum Lectori faciant, diligẽter sunt excutienda.

Primùm, fidem ait exigi, vt sacramentum Eucharistiæ dignè sumatur. Ea de re, cùm ab omnibus concedatur, verba commutare non oportet. Deinde ait, corpus Christi adesse, sola fide percipi, hoc est, intelligi. Vtrumq; horum falsum est. Adesse enim corpus & sanguinem

Christi, præsertim, vt isti fingũt, sub speciebus, vel accidentibus panis & vini, idque realiter, atque substantialiter, commentum est, non minus falsum, quàm pernicioſum. Neq; vnquam Gardinerus, aut omnes sophistæ, quicunq; aut sunt, aut futuri sunt, quicquam proferet è diuinis literis, quod id re ipsa ita esse confirmet. Id ergo cùm falsum sit, & commentitium, quomodo obsecro, fide percipi, aut intelligi potest? Ea enim non nisi vera & certa respicit. Ad hęc fide percipi, aut intelligi, apud hunc nouum Theologum ita accipitur, quasi fides nihil adferat præter intelligentiam. Verùm diaboli quoque credunt: & illi ἀνέγκαιροι, qui arescũt, & in tribulationibus deficiunt, non possunt dici nihil credere: illi etiam, de quibus habetur apud Hebræos, qui gustatis cœlestibus donis, prolapsi sunt, nec possunt amplius refici atque instaurari per pœnitentiam, aliquid certè credũt. Quare cùm Gardinerus veræ Iustificationis & solidæ pietatis prima adhuc elementa non teneat, non mirum est, si hæc tam ridicula, tamq; inepta commenta effutiat.

A corporis nostri tantùm occupatum est in symbolis, nimirum vt comedat & bibat Sacramenta externa, videlicet panem & vinum. Mens autem nostra, & fides res ipsas amplectitur, Corpus, inquam, & sanguinem Domini. Neq; aliter Leo Rom. Episcopus eius nominis primus, in Sermone 6. de ieiunio septimi mensis, intelligendus est, cùm dicat, *Vt ore percipiatur, quod fide creditur.* Fide autẽ credimus panem & vinum esse mysteria corporis & sanguinis Domini: & B illa cum hac fide, & hoc proposito comedimus, & bibimus. Credimus etiam, corpus Christi pro nobis in cruce fuisse oblatũ: nosq; hac fide ali, nutriri, & sustentari ad vitam æternam. Et idcircò panem & vinum percipimus ore corporis, quæ suo quodam modo prædicamus & credimus esse corpus & sanguinem Christi.

Addit postea, *corpus Christi non sumi sola fide, sed etiam officio corporis accedente. Quocirca nos quoq; in administratione sacræ cœnæ oris externi munus requirimus.* Non enim alioqui obtemperaretur Christo dicenti, *Accipite, Edite, Bibite.* Os autem

Nunc autẽ disputare, an sola fide omnia rectè fiant, quoniam ab instituto alienũ est, super sedemus. Illud aũt taceri non debet (nam ex eo C vniuersum ferè robur huius argumẽti pendet) verba illa Manducare & Bibere, quoties nõ ad externa Sacramenta, sed ad res ipsas per illa significatas, hoc est, ad corpus & sanguinem Domini referũtur, semper ita accipi, vt nihil aliud significent, q̃ credere: quæ tamen eadem cùm accommodantur ad symbola, naturalem edendi & bibendi rationem indicant.

OBIECTVM XXVI.

CHRISTVS dixit de poculo, Diuidite inter vos. At sanguis Christi in Sacramento non potest re ipsa diuidi: & verba ea prolata erant à Domino ante consecrationem. Quare Dominus iusit discipulos vinum inter se diuidere, ac bibere, quod propinauerat.

GARDINERVS.

LOCVS ex Luca profertur ambiguus, vt, quod ipsum incertum est, certum statuat: cum dubia certis firmentur, non contrà. Vt liberè dicam, quod sentio, hic argutator nimium largiter opinor diuiserat vinum cùm hoc conficeret argumentum. Nam si cum illis sentit hic argutator, qui arbitrantur Lucam, quod fusius narrat historiam, quàm cæteri, etiam moris illius solennis meminisse, secundùm quem in ingressu omnis conuiuij solebat fieri prælibatio, atque ideò illud poculum ad Eucharistiam non pertinere, quid ergo argumentator extra causam? Dixerit sanè Christus, Diuidite, de vino non consecrato. Quid hoc ad Eucharistiam? Quòd si illum locum Lucæ, quomodo Euthymius, & Augustinus intelligunt, accipiat argutator, vt vnum poculum sit, quod ante Cœnam, & quod post Cœnam porrigeretur, vel præoccupatione narrationis, vel quòd acceptum in ingressu Cœnæ poculum in finem reponeretur, quodcunque horum sit, demiror venisse in mentem argutatori, ab hoc verbo, Diuidere, potius quàm ab illo, Bibere, ducere argumentum. Cùm enim Christus diceret, Bibite ex eo omnes, an non diuidi poculum iussit? ne vnus semel exhauriat vniuersum, quò minus omnes biberent? Ergo ne vereamur dicere, Diuidi Christum in mysterio sine diuisione, dum singulis integer distribuitur: manducare item sine consumptione: quod est magnum in Eucharistia mysterium, nulla nostra ratione explicabile.

MARTYR.

SI verba Domini, vt à Luca referuntur, de Eucharistia intelligimus, nõ possumus videri nouæ expositionis fabricatores. Habe D mus enim in ea sententia complures ex Patribus: quod ne Inconstantium quidem ipsum latuit. Fatetur enim Augustinũ, & Euthymium hoc sensisse. *Sed cùm hoc incertum sit,* inquit, *non potestis ex eo certũ constituere.* Illi nos iure optimo possumus respõdere: Quod alijs incertum est, tibi debet esse certissimum. Tu enim omnia dicta Patrum, quæcunq; ea tandẽ sunt, pro sacrosanctis habere soles. Quare cùm ista sit expositio Patrum, ea tibi homini patrologo dubia & incerta videri non debet. Deinde ratione etiam habemus ex diuinis literis, non tantũ ex Patribus, cur ista credamus dicta de poculo Euchari stiæ. Legimus enim in Matthæo Dñm, cùm de poculo dixisset, Hic est sanguis meus noui

Testa-

Testamenti, qui pro vobis effunditur in remis- A sionem peccatorum: illicò subiecisse, Dico autem vobis, non bibam posthac ex hoc fructu vitis vsque in diem illum, quo bibam illum vobiscum nouum in regno patris mei. In Luca verò post illa verba, Diuidite inter vos: ita legitur, Dico autem vobis, non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat. Cùm ergo & Matthæus & Lucas memorent, eadem verba fuisse dicta post propinatum poculum, cur nõ illud poculum putemus in vtroq; idem esse? B & Matthæus quidem disertè scribit, calicem illum fuisse Eucharistiæ, de quo Christus pronunciauerat, Hic est sanguis meus. Sequimur ergo non tantùm patrum authoritatem, sed etiam Matthæi ipsius Euangelistæ.

Argumenti autem nostri duplex est firmamentum. Primum, quòd ea verba, Diuidite inter vos: vt illa quoque, Bibite ex hoc omnes: à Domino prolata sint, quàm adderet ea verba, quæ isti appellant Consecrationis. Itaque ne- C cessariò concluditur, discipulos iussos fuisse illud bibere, quod ostendebatur, nec aut mutatam, aut abiectam fuisse naturam vini. Nam illud, cùm ostenderetur, citra controuersiam vinum erat. Nam, vt ipsi etiam fatentur, nulla adhuc accesserat consecratio: quæ etsi postea adiecta fuerit, non tamen rei demonstratæ naturam immutauit, vt sententia, quam Christus antea pronuntiauerat, inciperet esse falsa.

Diuidi, bibi, manducari & frangi corpori Christi non proprie conueniunt.

Alterũ, quo argumentum nostrum nititur, D est, quòd Diuidi, Bibi, Manducari, Frangi, corpori & sanguini Christi, nisi per tropũ, non possunt propriè conuenire. Illæ quidem actiones, quæ istis verbis significantur, ad symbola, hoc est, ad panem & vinum propriè possunt accommodari: ad carnem autem & sanguinem Christi, quæ integra viuunt & regnant in cœlis, non item nisi per tropum. Quòd verò Inconstantius authorem huius rationis incesit conuitijs, antiquum suum obtinet, vt argumenta, quæ iusta responsione dissoluere non potest, ea contumelijs & scommatis insequatur. Sunt autem ista conuitia eiusmodi, quæ in ipsum & illarum partium homines magis conueniant, quàm in quenquam nostrum. Ait enim, authorem huius argumenti nimis largiter vinum diuisisse, cùm hanc rationem conficeret. Atqui nemo vnquam optimum illum virum & reuerendissimũ archiepiscopum Cantuariensem, nunc autem etiam martyrem Iesu Christi vidit ebrium. Missifici autem isti theologi Papistarum passim sese vino optimo siceraque ingurgitãt, vt miseri aut domũ inter manus sint auferendi, aut totam noctem sub ipsa mensa in œnopolio relinquendi: nec tantùm vino & sicera obruuntur, sed etiam, quod miserabilius multò est, furore somnoque ignorantiæ, eoq; planè letargico, perpetuò noctes diesque sepeliuntur. Quàm autem temperanter Gardinerus ipse vixerit, quid me oportet dicere? Certè hydrops, qua miserrimè confectus obijt, alium locum videtur relinquere suspicioni.

Miratur post, si Deo placet, cur magis à verbo Diuidere, quàm ab altero verbo Bibere, ducere velimus argumentum: quasi verò liberũ esse non debeat disputanti, à quibus maximè locis, aut verbis, aut sententijs petere velit argumentum. An ille in sua causa patereturtales arbitros? Non opinor. Ipse enim sibi non solùm argumentari pro libidine, sed etiam sophisticari permittit. Nos verò non tantùm ex verbo Diuidendi, sed etiam ex illo altero verbo Bibendi, peruersa illius dogmata refutabimus. Neutrum enim horum, quemadmodum iam docuimus, sanguini Domini verè ac propriè conuenit. Is enim in venis corporis dominici continetur, neque est vspiam extra illud corpus, quod in cœlo summa gloria ornatum sedet ad dexteram Dei, & sedebit quoad extremi iudicij dies aduenerit.

Ad extremum Inconstantius pro sua constantia concludit, Christum in mysterio diuidi sine diuisione, integrũq; distribui, ac manducari sine cõsumptione. Quòd si de metaphorica manducatione ac potione acciperetur, dari posset: posset etiam concedi, si id referret ad symbola. Cùm autem ista propriè velit accipere, & ad ipsum reale, &, vt ita dicam, substantiale corpus Christi accommodare, portenta sunt, & meræ fictiones, non disputantium sophistarũ, sed delirantium. Facilè quidẽ istis est, hæc & alia simili a comminisci. Sed ea & abhorrent à pijs auribus, & à sacris scripturis probari nõ possunt.

OBIECTVM XXVII.

CHRISVVS etiam post consecrationem dixit, Non bibam à modo ex hoc genimine vitis. Sanguis autem Christi non est fructus vitis, neque vini accidentia sine subiecto, sed ipsa vini substantia. Quare Christus & Apostoli in sacra communione verè biberunt vinum.

GARDINERVS.

HAEC verba Christi, Non bibã à modo ex hoc genimine vitis: mystica sunt, nec vno sensu à Catholicis intelliguntur: sed semper pio & veritati Catholicæ consentaneo. Origenes enim, vt ab eo ordiar, exponit genimen vitis, id est vinum, quod gaudium animi significare dicit, & lætitiam mentis, quod bibat nobiscum in cœlo. Hilarius eodem modo intelligit fructum vitis, quem Christus pollicetur, sanctos bibituros secum in regno cælorum. Gregorius Nazianzenus sic interpretatur, vt Nouum id videatur significare nouam doctrinam, quam à Christo per visionem docebimur. Nam hoc est, inquit, Christo bibere, docere: nobis verò discere. Et Nouum dicit vult pro ratione temporis, quo cognoscitur. Chrysostomus verò vinum, quo Christum vsum dixit in nuda myste-

mensa post resurrectionem. Et ex genimine vitis dicit, quæ vinum, non aquam producit: vnde ex eo loco extinguatur Aquariorum hæresis, qui aquam solam mysterio conficiendo adhibebant. Hieronymus intelligit sanguinẽ Christi vitis veræ, quem Christus nobiscum bibet in regno Ecclesiæ. Augustinus horum verborum meminit de Ecclesiasticis dogmatibus, sic scribens: In Eucharistia non debet aqua pura offerri, vt quidam sobrietatis falluntur imagine: sed vinum cum aqua mixtum. Quia & vinum fuit in redemptionis mysterio, cùm dixit: Non bibam à modo de hoc genimine vitis: & aqua mixtum, non quòd post cœnam dabatur, sed quòd de latere eius lancea perfosso, aqua cum sanguine expressa, vinum de vera eius carnis vite cum aqua expressum ostenditur. Eucherius ita scribit: Regnum Dei Ecclesia est, in qua quotidie bibit sanguinem Christus per sanctos suos tanquã caput in membris suis. Euthymius in horum verborum intellectu astipulatur Nazianzeno. Theophylactus sic scribit, Quòd Christus accepto poculo renuntiat corporali potioni: & cætera ferè, vt Chrysostomus.

MARTYR.

Allegoriæ dogma non constituũt.

CVm istæ Patrum sententiæ, quibus Gardinerus clarissimũ locum obscurare conatus est, inter se discrepent, nos, quoniam hîc controuersia est de dogmate, nullum ex illis omnibus, quæ sequantur sensum allegoricum, probare possumus. Ex allegorijs enim, illis præsertim, quæ testimonium non habeant ex diuinis literis, nõ possumus satis firmiter dogma constituere. Sequimur ergo Chrysostomi C sententiam. Is autem verba illa Domini ita propriè intelligenda putat esse de vino, vt existimet, se ex illis firmissimum habere argumentum contra Aquarios. Augustinus etiam de Dogmatibus Ecclesiasticis idem scribit, & contra eosdem illos Aquarios rationem colligit, & disertissimè ait, Christum post cœnam dedisse vinum, idque aqua non mixtum. Nunc autem ait admisceri aquam, propter illa quæ defluxerunt ex perfosso Christi latere. Ludant alij in D allegorijs & inuentis suis, quantum volunt. Certè historicus sensus est, Christum loquutum esse de vino.

Sed audiamus quid Inconstantius addat. *Quin & illud*, inquit, *considerandũ est, si Christus ea verba protulit, exhausto calice, non mysterium significabatur iam absumptum: sed generaliter loquutus est, significans se omni corporali potioni renuntiasse, quod Theophylactus dicit, & ideò vinum, quod supererat in amphoris, demonstrasse.* Atqui à Christi consilio E longè alienum erat, vt significaret illis verbis, se velle renuntiare omni corporali potioni. Speciatim enim in genimine vitis mentionem facit vini. Ridiculum autem est velle quærere genus, vbi species disertis verbis sit expressa. Vanissimum verò commentum est, quod ait, Dominum vinum illud, quod in amphoris su-

Cur Iudæi amphoras habuerint in cõuiuijs.

pererat demonstrasse. Quis enim potest affirmare pro certo, amphoras illas fuisse in mensa? Iudæi quidem amphoras habuerunt, vt ap- F paret ex Euangelio Iohannis, sed aquę, nõ vini plenas, quò iuxta suas purificationes subinde abluerent manus. Vini autẽ amphoras in mensis fuisse positas, nusquam legimus. Et quis nobis testis erit, vinum in alijs amphoris superfuisse? Ita Gardinerus dubia & incerta nobis profert, ad ea, quæ certissima & clarissima sunt confirmanda. Certè Christus id demõstrabat, quod tum bibebatur. Hæc enim verba statim post eam, quam isti Consecrationem appellãt, G subiecta sunt. Et nisi Dominus ea retulerit ad Eucharistiam, Augustinus & Chrysostomus aduersus Aquarios frustra sudant.

Sed oro te pie & prudens Lector, considera paulum, quàm isti homines sint simplices, qui, ne medij teneantur, amphoras etiam nouas nobis confingunt. Quidnis potius parati sunt cõminisci, quàm vt cedant, & manus dent veritati. Simulat tamen Gardinerus, velle se diligenter agere scilicet, & nihil prætermittere, quod ad huius loci controuersiam faciat. *Dixerit*, inquit, *aliquis, Hoc non est respondere argumento, sed quæ obijciũtur, ipsa perplexitate obscurare. Nã alioqui quid attinet tam varias Patrum sententias proferre? Imò, inquam, quòd Patres ferè omnes ea verba allegorijs explicant, sensus autem literæ tenuior sit, quàm vt tum Christo conuenire videretur, non est ab eo sensu literæ ducendum argumentum, vnde dogma aliquod statuatur aut refellatur.* Cur potius mystica & allegorica sunt hæc verba Christi, quàm illa, Hoc est corpus meum? *Quoniam*, inquit, *Patres ista allegorijs explicarunt.* At nónne illa quoque, Hoc est corpus meum, ijdem Patres interpretati sunt, Hoc est figura corporis mei? An illi ibi nõ agnouerunt tropum? An loquutionem illam figuratã esse nõ scripserunt? Si ista ratio tibi ita firma & solida videtur, cur non eadem quoque à nobis faciat? Nisi fortè, quæ tua est arrogantia, tibi licere velis, quod alijs non liceat.

Præterea hoc etiam non leue indicium est alienatę mentis & vagi, ac peregrinantis animi, quòd Inconstantius ea loquitur & scribit, quæ ipsius sententiam maximè euertãt. Patres, inquit, allegorijs hæc verba explicant. Cur ergo ipse tropos & figuratas locutiones in istis præsertim locis tantoperè abhorret & fugit? Si allegoria recipitur, cur metaphora, metonymia, & alij similes tropi, cùm adhibentur ad regulã fidei, repudiantur? Præterea literalis sensus horum verborum isti nobili & purpurato sophistę tenuior videtur, quàm vt Christo possit cõuenire. Ergòne Inconstantij iudiciũ erit posthac nobis regula, ad quam exigamus verbum Dei? Et scripturę nihilne posthac significabũt, nisi quantum isti videbuntur cum Christi persona & dignitate conuenire? Cur non istam tam præclaram censuram ætati nostræ gratulamur? Aristarchũ iam habemus, qui contempto sensu historico aliud quiddam nobis præscribat, quod non cum sacris literis conueniat, sed Christi maiestati sit idoneum. Nos verò soli, tanquã pecus & vulgus ignobile, astringendi sumus, vt in istis verbis, Hoc est corpus meum, vnicum tantum sensum literalẽ amplectamur.

Quod autem addit, non esse hinc ducendum argu-

argumentum, vnde dogma aliquod aut ſtatuatur aut refellatur, in eo non tantùm nos, ſed etiam Auguſtinum & Chryſoſtomum coarguit. Illi enim, vt diximus, ex his verbis confutant Aquarios. Cum ergo ipſe fateatur iſtos tantos patres hoc auſos eſſe ſcribere, cur idem in nobis tam petulanter taxat? Si ſcripta illorum, quos iſte vbique tanti facit, nobis debent prælucere, cur nobis non liceat ex iſtis verbis, non ſolùm rationẽ pro veritate conficere, ſed etiam nouum iſtud dogma Tranſubſtantiationis longè, quàm erat illud Aquariorum, portentoſius, & pernicioſius coarguere, & confutare?

Addit Inconſtantius: *Et mihi videtur notandum maximè, quòd Chriſtus ita loqueretur de hoc genimine vitis. Nam vt illud genimen ſentiret, quod erat in amphoris, quomodo biberet illud nouum, quod ipſo tempore inueteraſceret? Sin generaliter vinũ intelligeret, cur hoc genimen diceret, cùm vitis vnum ſit genimen, nempe vinum? Ergo neceſſe eſt, illius pronominis, Hoc, aliquam eſſe emphaſim, vt ſignificet ſecundùm Hieronymum genimen vitis veræ, nempe ſuum ſanguinem: cuius vim & virtutem illo Chriſto bibente nobiſcum, id eſt, docente nos ſecundum Nazianzenum, nouo modo cognoſcimus, id eſt, bibimus in regno patris. Nam hoc ſignificat etiam noſtrum bibere, eodem Nazianzeno authore.* Gardinerus cum per genimen vitis intelligit vinum, quod erat in amphoris, haudd ubie ſomniat vigilans. Statim enim ambigit, quomodo illud bibiturus eſſet nouũ, cum illud ipſo tempore inueteraſceret. Quid ita opus eſt cæcutire in meridie? Poſtremus ille vini potus erat, de quo Chriſtus loquebatur. Neq; ab illa hora vinũ bibit in carne mortali. Poſt Reſurrectionem verò id bibit cũ Apoſtolis, idq; nouo modo, & noua ratione: nimirum, vt probaret ſe verè à mortuis reſuſcitatum: non quod glorioſum eius corpus eius generis alimento amplius egeret. Verùm poſteriorem hanc partẽ propoſitionis, nimirum, quomodò ille potus futurus eſſet nouus in Regno Dei, quoniam ad hãc quæſtionẽ nihil facit, prætermitto: quãuis paucis innuerim, quid mihi ſignificari videatur.

Quomodo vinum nouum biberit Dominus in regno Dei cũ Apoſtolis.

Priorem autem partem clariſsimam, & maximè perſpicuam eſſe affirmo, qua Chriſtus pronuntiat, ſe in hac vita non amplius bibiturum eſſe vinum. Quærat Inconſtantius, quam velit emphaſin in pronomine, Hoc. Nobis ſatis eſt, potum vini talem, qualis tum erat in manibus, ea voce ſignificari. Sed operæpretium eſt audire, quemadmodum iſte ſophiſta vel inuitus impingat in ſenſum noſtrum. Ait genimen vitis veræ ſignificare ſanguinem Chriſti, cuius vim, ac virtutem Chriſtus ipſe dicatur nobiſcum bibere, quando nos docet: nosq; nouo modo intelligimur bibere cognoſcendo: quia noſtrum bibere, teſte Nazianzeno, ſignificat cognoſcere. Quid noſtræ ſententiæ dici poteſt conuenientius? Nam nos quoq; affirmamus in Euchariſtia bibi ſanguinem Chriſti. Sed Bibere illud dicimus eſſe credere, quod eſt efficaciſsimè cognoſcere. Nõ autem credimus, niſi Chriſto per ſpiritum ſuum interius nos docente. Gardinerus itaq;, cum ita ſcribit, *In regno Dei, hoc eſt in Eccleſia Chriſtum bibere ſanguinem ſuum nobiſcum, cùm nos doceat: & nos cum illo, cum nouo modo, id eſt Spiritu reuelante, non natura oſtendente, noſtræ ſalutis myſteria cognoſcimus:* iſta, inquam, cùm ſcribit, eãdem nobiſcum doctrinam profitetur. Et ne ſibi quaſi vano interpreti parum crederetur, huius veræ ac ſanctæ expoſitionis authores citauit Hieronymum & Nazianzenũ. Hanc ego allegoriam libenter admitto, modò ne perimatur hiſtoria, nempe, Chriſtum ea verba dixiſſe de potu vini: cuius naturam & ſubſtantiã verbis ſuis è poculo non extruſerit, ſed ea vſus ſit ad ſanguinem ſuum ſignificandum, qui pro nobis ad ſalutem in mortem dandus erat, & Chriſto docente, nobisq; fideliter diſcentibus ad æternam vitam ſpiritualiter bibendus.

Poſteà Gardinerus videtur ambagib. & obfuſcationib. uelle finẽ aliquẽ ponere. Ait enim, *Poſtremò, vt ad ipſum veniam argumẽtum, quid prohibet, Chriſtum appellare Accidẽtia vini in Sacramento genimina vitis, cùm ex ipſa vite orta ſint? Dices, Non ſola. Fateor. Nam quod verum eſt de toto, de parte etiam verum eſſe neceſſe eſt: vt mihi videatur ſtupidum de parte negare, quod ad ortum & originem ſpectat, quod conceſſeris de toto. Si enim totus homo agnoſcit Deum conditorem, ergo & corpus à Deo eſt: vt geniminis appellatio nihil amplius probationis habeat, quàm vini, quod de calice poſt conſecrationem prædicare non eſt abſurdum: imò Scripturæ phraſi maximè conſentaneum.* Si Gardinero liceat vti nuda & inermi aſſeueratione, vt dicat: *Quid prohibet, Chriſtum appellare Accidentia vini genimen vitis, cùm ex vite orta ſint:* cur mihi etiam non liceat dicere, Quid prohibuit, Chriſtum appellare panem corpus ſuum, cùm eo ipſius corpus nõ minus repræſentetur, additis præſertim verbis domini, quàm Accidentibus repræſentatur vinum? Quod autem dicit, Accidentia naſci, aut oriri ex vite, videat ipſe, quàm propriè & ſignificanter id dicat. Multò autem minus propriè loquitur, cum ait, Accidentia eſſe partes vini: quaſi partes Subſtantię poſsint eſſe in qualitate. Certè partes Subſtantiæ, quę quidem ad eſſentiam pertinent: Materia ſunt, & forma. At ea non ſunt Accidentia. Sin autem ſunt Integrales, in ijs Homogenea ita ſunt comparata, vt quælibet pars, & naturam, & nomen habeat totius. Omnis enim pars aquæ eſt aqua: & omnis pars vini eſt vinum. Prætereo Species, quæ ſunt partes Generum. Cõſtat enim, ne eas quidem eſſe Accidentia. Nam ſpecies vini ſunt Phalernum, Chium, Maluaticum: quę vina nemo, opinor, dicet eſſe tantùm vini Accidentia.

Accidentia nõ ſunt partes ſubſtantiæ.

Hęc ego idcircò dicere volui pluribus, quòd viderem Inconſtantium velle confirmare delirium ſuum argumento à toto ad partes, ne parùm videretur magnus Dialecticus. Quod enim, inquit, de toto verum eſt, de parte etiam verum eſſe neceſſe eſt. Stupidum autem ait eſſe, negare de parte, quod de toto conceſſeris. Eat nunc aliquis, & auſit affirmare, Gardinerum non eſſe egregium & ſubtilem philoſophum. Id enim ille tandem aliquando inuenit,

quod alij philosophi videre hactenus nunquã potuerunt: nempe, Accidentia partes esse substantiarum. Verùm vt eius errorem, vel potius stuporem, & inscitiã magis etiam detegamus, habet substantia quasdam partes, quæ etiam ipsæ sunt substantiæ, quę ex matre non nascantur, cùm tamen totum ipsum nascatur ex matre. Nascitur enim Iohannes ex Lucretia, ex qua tamen dentes eius non nascuntur: nam nisi post annum, aut plus eo, dentes non proueniunt. Ne barba quidẽ Iohannis ex matre nascitur. Bis ergo turpiter peccauit Gardinerus: primùm, quòd Accidentia vini appellarit partes vini: deinde quòd argumẽtetur ab ortu totius ex aliquo ad ortum partium eiusdem: cùm id videamus ne in illis quidem partib. quę verè sint partes, esse verum. Ne id quidem verũ est, quod sibi sumit, nõ posse negari parti, quod toti sit concessum: de toto quippe homine animal prędicatur, quod nihilominus de pede, manu & crure non dicitur. Cùm ista omnia mecũ reputo, video necesse esse, vt Gardinerus concedat, vites producere Accidentia absq; vino: aut vt ad tropum, qui solus illi supereſt, ceu ad sacrum perfugium sese recipiat: nimirùm, vt per synechdochen ex toto partẽ intelligamus: vt, quoniam vites producunt vinum vnà cum Accidentibus, per fructũ seu genimen vitis intelligamus, non vinum, sed accidentia: quod etiam illi minimè licebit, nisi dederimus accidentia esse vini partes.

Vel hinc ergo videat, quàm iustè in re sacramentaria abhorreat à tropis, cùm eos sentiat ita esse necessarios, vt absq; illis sese tueri non possit. Nec tantũ ineptias quas memoraui consectatur, sed etiam ipsum pronomẽ, Hoc, quod negare non potest, significare numerũ vnitatis, cogit vel inuitum, non vnum certum singulare indicare, sed multa, nimirum omnia vini accidentia. Vbi hîc est ratio Grammaticæ? Dicendum enim potius fuit, Ex his geniminibus vitis, non ex hoc genimine vitis: cùm tam multa sint vini accidentia. Sed Inconstantius indignum esse iudicat authoritate sua, rationem habere Grammatices: nisi si quando ex ea subtilitatem aliquam elicere posset sophisticam, qua sua portenta cõfirmet. Postea velit nolit, cogitur fateri, si hanc suam interpretationem velit retinere, Christum cum suis Apostolis bibisse vini accidentia, nõ autem sanguinem: is enim certè non est ex vite, nisi fortè, vt est homo historici & literalis sensus fastidiens, ad suas allegorias velit pueriliter recurrere. Ad has præstigias tam ridiculas quis risum contineat?

Quòd autem postremo loco ait, vinum posse prædicari de calice post consecrationẽ, neq; id esse absurdum, imò phrasi Scripturarũ consentaneum, Id equidem libenter recipio: etsi ille, cùm hæc dicat, nullam rationem Grammaticæ suæ habeat, aut Dialecticæ. Quis enim congruè aut verè dicat, Calicem esse vinum? Sed scio, respondebit, se cõtinens accipere pro contento. Cur ergo ita detestatur tropos, cùm, vt apparet, sine illis ne loqui quidem possit? De re autem illa, quæ in calice cõtinetur, dabimus, vinum propriè ac rectè prædicari: non tamen vt iste fingit, quò externæ formæ natura significetur. Ille enim naturam externam intelligit proprietates & accidentia vini: atq; ita rursus etiam incidit in tropum, vt vinum non suam ipsius naturam & substantiam, sed vini tantùm accidentia significet. Consulo ergo Gardinero, vt posthac patronus potius troporum esse velit, quàm vt eos velit ita ferociter oppugnare; cùm absque illis ne mentiri quidem satis callidè ac speciosè queat.

OBIECTVM XXVIII.

DOMINVS iubet hoc fieri in sui memoriam, & mortem suam annuntiari donec veniat. Hæc indicant absentiam corporis.

GARDINERVS.

MORTIS memoria agitur in hoc sacramento, quam mortem ipso sacrificij nomine Ecclesia fatetur abesse, cùm sacrificium Ecclesiæ appellet sacrificium incruentum, id est, sine omni sanguinis effusione celebratum. Sistitur tamen passionis figura in mysterio corporis & sanguinis verè exhibiti: quod efficacissimè, & quo modo hominum captus non assequitur, ipsius veri corporis & sanguinis certissima repræsentatione. Quæ ipsa ni verè adessent, & panis triticeus tantùm significaret corpus, & vinum sanguinem, quàm diluta mortis, & tenuis foret significatio? dum figura figuram insinuaret: videlicet dum panis sit figura corporis, tum corporis figura absentis, annuntiatio mortis?

MARTYR.

VEritas & odium ab eodem animo expectari non debent. Quare Inconstantius cùm tanto nostri odio laboraret, non potuit argumenta nostra neq; rectè neq; integrè proponere. Quis enim ex nobis, quamuis infantissimus, rationem vnquam ita concisam & elumbem in medium attulit? Ego certè illius dicta non ita commemoro. Nam etsi & pudeat me, & pigeat verba tam inepta referre, tamẽ ea, vti ab illo scripta sunt, ita describo. Ratio nostra ex eo pendet, quòd memoria non sit rerum præsentium. Non enim præsentes res memoria celebramus, sed illis fruimur. Christus autẽ iusit vt ista faceremus in memoriam sui. Igitur eum cum substantia corporis sui adesse non est credibile. Sophista fatetur, mortem quidem Christi, quæ commemoratur abesse. Cur non etiam fatetur abesse Christum, quod attinet ad realẽ

præsen-

Eucharistiæ vsus est etiã in memoriam Christi, nõ tãtùm mortis eius.

præsentiam carnis, cùm Christus apertè dixerit, In memoriã mei facietis? Memoria ea cùm nõ minus Christi ipsius sit, quã eius mortis, cur non notat vtriusque realem absentiam? mortis quidem in vniuersum: Christi verò tantùm quod attinet ad carnem & sanguinem?

Figuram oportet esse notiorem quàm rẽ significatã.

Quale autem, obsecro te lector, hoc commẽtum est, quod iste fingit, corpus & sanguinem Christi in Eucharistia figurã esse mortis eius? Nam vel pueri hoc vident, oportere figuram re figurata esse notiorem. Nam nisi ita esset, qui posset aliquid ostendere? In Veteri Testamento mysteria de Christo venturo exponebantur sensibus: & putabimus, ex huius Rabbini sententia, figuras noui Testamenti minus claras esse, & minus illustres, quàm olim fuerunt sub lege? Hoc certè Lux Euangelica non ferret. Nostram figuram, quam nos cum omnibus Orthodoxis Patribus statuimus in pane, iste criminatur nimis tenuem & dilutam esse: suam autem quam ipse sibi finxit, non videt talem esse, vt ne

Præcipuũ est in figura vt sit euidens.

figura quidem esse possit. Nullam. n. habet euidentiam, quod caput est in figura. Sed quid iste faciet tandẽ de suis Magistralibus Doctoribus, qui statuunt sacramẽta esse signa visibilia? Ego quidem figuram in sacramentis non agnosco, quæ non sentiatur. At Gardinerus vult, corpus Christi & delitescere sub Accidentibus, & idẽ tamen mortis iam præteritæ figuram esse.

Nos figuras non geminamus.

Ad hęc impingit nobis insipidissimã fatuitatẽ: quasi dicamus, figuram, insinuare figuram. At qui nos nõ geminamus figuras, vt iste somniat. Dicimus enim panem triticeum, & vinum, nõ figuras, sed res ipsas significare: nimirum corpus Christi actum in crucem, & sanguinẽ eius pro nobis effusum. Miror Inconstantium ista non videre. Sed fortasse homo simplex id nos putauit facere, quod ipse facit. Illi. n. Accidẽtia figuræ sunt: quæ cùm sint multa, necesse est fateatur augeri numerũ figurarum. Deinde corpus Christi est noua figura mortis præteritæ. Ita accidentia sunt figura corporis: & corpus vicissim figura mortis. Quid hoc aliud est, quàm figuram vnam alterius figuræ figuram ponere? Sed vbi tandem aut vidit, aut audiuit, aut legit Inconstantius, corpus Christi mortis eius figuram esse? Proferat vel vnũ testimonium è scripturis, aut è patrib. aut rationẽ saltem aliquã, quæ ducta sit è verbo Dei: & vicerit.

Sed addit: *Ergo agitur, vt dcxi, in sacra Cœna non solùm Christi memoria, sed etiam mortis eius memoria: deinde substantiæ Christi communicatio, qua nos re in vnam massam redigere conatur: nos carne sua gloriosa fouens & nutriens: quod Paulus ait, magnum esse sacramentum in Christo & Ecclesia. Itaq; Christus ait, Accipite, manducate, hoc est corpus meum. Atq; hæc vt fieret realis Christi præsentia, ex verbis Christi, verè persuasa est nobis, consensu Ecclesiæ recepta & confirmata.* Si non tantùm Christi, sed etiam mortis eius memoria in cœna celebratur, necesse est vtriusque aliquam absentiam designari. Memoria enim, vt diximus, non est præsentium. Sed addit, ibi dari communicationem etiam substantiæ Christi, quò carne sua gloriosa nos foueat & nutriat. Verùm vt Christus nos foueat & nutriat carne sua, vnde probabit noster iste logomachus, substãtialem carnis eius præsentiam esse necessariam? Nos nihil dubitamus, homines pios foueri, & nutriri carne Domini: non tamen ea causa necesse est, corpus eius, vt dicunt, realiter adesse. Et nisi Gardinerus huius connexionis necessitatem ostendat, nihil agit.

Non est necessaria carnis Domini nostri præsentia realis, vt nos ea nutriat.

Locus Epistolæ ad Ephesios.

Locus verò, quem citat ex epistola ad Ephesios, nihil eius causam adiuuat. Verba enim illa, *Nos sumus caro ex carnibus eius, & os ex ossibus eius*, Chrysostomus exponit ad hunc modum: *Et quomodo? Iterum audi, quid beatus iste iterum dicat ad Hebræos 2. Quoniam pueri commercium habuerunt cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorundem. Sed hîc ipse nobiscum commerciũ traxit, non nos cum illo. Quomodo ergo ex carne eius, & ex ossibus eius sumus? Sunt qui per sanguinem dicant, & aquam: verùm nihil est. Sed quemadmodum ille sine virili congressu natus est ex Spiritu sancto, ita & nos illud efficimur in lauacro. Vide quanta exempla adducat, vt generationi illi fidem faciat.* Hæc Chrysostomus. Dicit Inconstantius in Cœna fieri cõmunicationem carnis Christi: quod ipsum nos quoque dicimus. Sed Chrysostomus ait, eandem illam communicationẽ fieri etiam in Baptismo: idque non absurdè. Nam qui baptizantur, Christum induunt. Colligimus ergo ex interpretatione Chrysostomi, carnem Christi absque ipsius reali aut substantiali præsentia credentibus posse communicari: nisi fortè Incõstantius etiam in Baptismo velit carnem, sanguinem atque ossa Christi realiter & corporaliter cum aqua coniungere. Quòd si pro suo pudore dixerit, primùm nouum atq; inauditũ dogma mirabimur: deinde rogabimus, vt rationem huius recentis fidei reddat nobis ex verbo Dei. Quod si facere non possit, cogetur confiteri, vt caro Christi communicetur Ecclesiæ, nihil opus esse eius reali præsentia. De verbis autem illis Domini, Hoc est corpus meum, nihil opus est vt hîc iterum dicamus. Suprà enim & luculenter & sæpe ostendimus, legitimum & genuinum illorũ sensum longè alium esse atque iste somniat.

In baptismo communionem recipimus carnis Christi.

OBIECTVM XXIX.

PAVLVS scribit, Qui manducat hunc panem indignè: non autem dicit, Qui manducat corpus Christi indignè.

GARDINERVS.

Quoniam indignus non iudicat corpus Domini, sed sacra illa tanquam profana tractat, rectè non quod sit, sed

quod illi esse videatur, à Paulo appellatur. Et tamen Paulus, vt insinuet veritatem, non dicit simpliciter panem, sed panem hunc, quem ille indignus indignè pro pane triticeo habet, cùm sit re vera corpus Christi. Atque hoc sensisse Paulum, illud arguit quod subdit, Non dijudicans corpus Domini. Si enim, vt habent Græca Scholia, corpus Domini dijudicasset, non seipsum ingessisset, cùm esset indignus. Vnde fit reus corporis & sanguinis Domini.

MARTYR.

Hic rursus desidero fidem Incõstantij. Refert quidem nostrum argumentum: sed, vt solet, truncatum, & sine pedibus. Conclusionem enim, quæ capiti responderet, nullam addidit. Paulus ait, Qui manducauerit hunc panem indignè: non autem dicit, Qui manducauerit corpus Domini indignè. Hic sistit Inconstantius, & callidè dissimulat, quid nos ex his verbis concludamus. Deinde parat se ad respondendum. Cui autem rei respondere velit, nõ apparet. Non discedit ab ingenio & more suo. Dimicare vult in tenebris, & inde sibi pollicetur victoriam: quod tamen, mihi crede, impunè non facit. Nam cùm omnia ita turbat in obscuro, seipsum sæpius vulnerat, quàm aduersarium.

Nos ex illis Pauli verbis duo concludimus: Primùm, in Eucharistia manere panem, eumq; nouo miraculo transubstantiationis non auferri. Paulus enim non tantùm agnoscit, ibi panem esse, sed etiam panem disertè nominat. Deinde addimus, illos, qui ita indignè sacramentũ accipiunt, cùm careant fide, non posse manducare corpus Domini: sed tantũ accipere panem Domini, hoc est, symbolũ & sacramentum à Christo institutum. Nunc expendamus, quemadmodum iste sophista hæc oppugnet.

Ait, Eucharistiam à Paulo appellari panem: non quòd ita sit, sed quòd indignè comedentibus ita videatur. Quæ ista tandem impudentia est, id sibi arrogare, quod nobis nullo pacto velit permittere? Nam cùm nos dicimus, panem appellari corpus Christi, non quòd re vera, & quod ad substantiam ipsam attinet, sit corpus Christi, sed quòd sit eius corporis sacramentũ: vociferatur nos figuratores & blasphemos esse, nec interpretari Scripturas, sed deprauare & corrumpere. Nunc verò, cùm audiat diuinas literas Eucharistiam appellare panem, hoc ait, non ita dici, quòd re vera ita sit, sed quòd indignis ita videatur. Cur nobis hîc vicissim non liceat Inconstantium appellare corruptorem & depranatorem Scripturarum?

Non tamen ego facilè dederim Inconstantio indignos illos, quos Paulus notat in Ecclesia Corinthiaca, prorsus destitutos fuisse omni fide. Nam si ita fuisset, Apostolus ad eos, tanquam ad Christianos, non scripsisset. Quòd si præditi erant fide, vt est probabile, quomodo arbitrabantur, Eucharistiam esse nudum panem? Cumq; versarentur in Ecclesia, cur non sequebantur sensum istum vestrum, quem iactare soletis, in Ecclesia semper fuisse receptũ & comprobatum, vt Eucharistiam crederent esse corpus Christi? Quare vel cœtus ille Corinthiorum, ad quem Paulus scribebat, non erat Ecclesia: vel in Ecclesia sensus ille vester nõ agnoscebatur. Hoc verò est cauillari, quòd nobis ab isto toties objcitur, & ἀνόητα dicere, & quiduis potius velle comminisci, quàm manus dare veritati.

Tamen ne non videatur aliquid dicere, *Paulus*, inquit, *non simpliciter dicit panem, sed hunc panem.* Quasi verò nos id nesciamus, nisi admoniti: aut, quasi id nostræ sententiæ quicquam aduersetur. Nos quidem fatemur, panem Eucharistiæ, postquam ad sacrũ ministerium admotus sit, non amplius esse communẽ aut vulgarem. Quare postquam sacramentum diuinarum rerum factus est, mirari non debemus, si à Paulo singulari quadam emphasi & significantia demonstretur.

Quid sit dijudicare corpus Domini.

Postea verò Inconstantius cùm vrgere vult illa verba, *Non dijudicans corpus Domini*: frustra luctatur. Illi enim propriè dicuntur dijudicare corpus Domini, qui communicando profitentur se cõiunctionem habere cum Christo: quã indignè accedentes re vera non habent. Itaque illam suam professionem apud se non reputãt, neque sano iudicio expendunt, vnde istum cibum sacrum, qui corpus Domini est, & dicitur suo modo, à vulgari & profano cibo non discernunt. Adhæc semper iste ita videtur nobiscum agere, quasi negemus, cõmunicantibus offerri corpus Christi spiritualiter comedendum: cuius doni excellentiam & magnitudinem, qui indignè communicant, aspernantur: & idcirco iure optimo dicũtur corpus Domini quod illis offertur, non discernere. Verùm, vt sæpe docuimus, hinc est illa hallucinatio aduersariorum, quòd nõ putant offerri communicantibus corpus Christi, nisi illud substantialiter & corporaliter in os ipsum ingeratur: qui error ita cæcus & crassus est, vt misericordia magis opus habeat, quàm seria confutatione.

Hoc, inquit, *argumentum suspicione constat, quam pectus incredulum Pauli verbis affinxit.* Vter tandem nostrũm incredulus est Inconstantine, qui substantiam panis aufers ab Eucharistia, quam Paulus disertis verbis confitetur: an nos, qui sermoni Apostolico, quemadmodum proponitur, simpliciter credimus? Certè nobis hîc nihil aduersatur, quo minus genuinũ proprium q; verborum sensum retineamus. Vestra autem factio ibi demum maximè tropos respuit, vbi minimè erat opus: vel potius vbi locus ipse sine tropo intelligi commodè non potest. Vbi verò nihil opus erat, ibi tropos ad fastidium vsque inculcatis. Ais, Erasmum ex hoc maximè loco conuincere veram & realem præsentiam corporis Christi. Quid Erasmus colligat, ipse viderit. Nos quidẽ scimus, eos qui regis purpuram aut imaginem indignè tractent, reos esse læsi regis: quamuis rex ipse corporaliter

ter nec in purpura concluſus ſit, nec in imagine. Cur in ſacramentis corporis & ſanguinis Domini idem non poſsit fieri, velimus nobis liquido ad veritatem demonſtrari.

Addis, Iuſtinum dicere, ſe didiciſſe ex Euangelijs, panem Euchariſticum eſſe carnem Domini. Nobis cum Iuſtino nihil eſt controuerſiæ. Nos enim quoque fatemur, panem illum certo quodá modo carnem eſſe Chriſti, quemadmodum Auguſtinus etiam loquitur: qui quemadmodũ intelligat, carnem illam in Cœna datam fuiſſe Iudæ, partim ex illis, quæ iam diximus, cognoſci poteſt: partim infrà, fauente Deo, fuſiùs explicabitur. Sed iam huius ſophiſtæ aliam ſtropham audiamus.

Quin & illud, inquit, *in vniuerſum dicendum eſt, quando panis vocabulum Latinis, & quæ ſimiliter à Græcis, & ab Hebræis vſurpantur huius vocabuli loco ipſorum lingua omne, quicquid alendi vim habet, ſignificare ſit compertum, mirum eſt, quod ab hac appellatione aliquid firmi argumenti ſe proferre iſti putent, vnde colligant, panem triticeum ſignificari magis, niſi quatenus aliæ id circumſtantiæ confirment, quàm à voce generis probent certam ſpeciem.* Explicanda nobis iſta ſunt, quæ iſte, vt ſolet, & falsò & confusè protulit. Primùm לחם non ſignificat Hebræis propriè omne genus cibi, ſed panem. Tropo tamen & amplificatione quadam non negauerim, eam vocem pro omni genere cibi aliquando vſurpari: quòd panis ſimplex purusque non ſoleat comedi, ſed vnà cum obſonio. Atque ita eſſe, oſtendit locus ille Deuteronomij, Non in ſolo pane viuit homo: quibus verbis Hebræi docebantur, cùm panem peterent, non ſolo pane homines ali, ſed etiam quacunque re Deus illos nutrire voluiſſet. Hic panis ἀντίθεσιν habet ad mannam: ac ſi diceretur, Hebræi putabant omnino opus eſſe pane, quo alerentur. Deus autẽ re ipſa oſtendit, ſe poſſe eos alere etiam absque pane, manna videlicet illa, quæ illis copiosè fluebat de cœlo. Quòd ſi panis eo loco ſignificaret omne genus cibi, quomodo potuiſſet verè opponi mannæ? Nam illa quoque Hebræi vtebantur pro cibo. In eandem omnino ſententiam Chriſtus vſus eſt illis verbis ad refutandum diabolum: Non in ſolo, inquit, pane viuit homo: quaſi diceret, Tu ſuades, vt lapides conuertam in panem, ac ſi mihi ad pellendam famem omnino opus ſit pane: ego verò ali ac ſuſtentari poſſum quacunque re Deus voluerit. Hîc quoq; panis per anthiteſin opponitur alijs omnibus generibus ciborum. Quare, ſi nos in illis etiam verbis Pauli propriam huius vocis ſignificationem amplectimur, non poſſumus iure reprehendi. Adhæc Paulus Græcè dixit ἄρτον: quam vocem Latini reddiderunt panem. Iſte ergo tantus Grammaticus id, quod pro ſuo iure ſibi ſumpſit, nondum probauit, illas duas voces apud bonos authores & Græcos, & Latinos propriè ſignificare omne genus cibi. Et tamen ſi fortè per tropum quandoque ita vſurpantur, an iſte ita tropos deperit, vt nullo loco illis carere poſ ſit, niſi vbi maximè ſunt neceſſarij? Iuuat autẽ hic nos non tantùm propria vocis ſignificatio, ſed etiam loci ipſius circumſtantia, vt panem triticeum intelligamus. Nam certũ eſt in menſa poſitum fuiſſe panẽ triticeum: & illum Chriſtũ ſumpſiſſe in manus, & ſuper illo egiſſe gratias, illumque, vel inuito Inconſtantio, fregiſſe ac diſtribuiſſe. Quare alium panem, aut aliud genus cibi nec volumus recipere, nec poſſumus ſomniare.

Quomodo panis apud Hebræos omne genus cibi ſignificet.

Patres etiam nobiſcum ſentiũt. Aiunt enim illum fuiſſe panem, qui cõſtaret multis granis tritici: atq; illo ſignificari coniunctionẽ, quam nos & inter nos, & cum Chriſto habere debemus. Fateor in Oratione Dominica, cùm petimus nobis dari panem quotidianum, eo vocabulo ſignificari omne genus alimoniæ. Sed reſpondeat mihi Inconſtantius ingenuè, eam orationem propriámne eſſe putet, an tropicá? Certè niſi mihi agnoſcat ſynechdochen, quia ex parte totũ intelligatur, cæcus eſt. Sed quid huc opus erat Iuriſperitum aliegare? Fortaſſe vt oſtenderet, ſe non imperitum eſſe legum: in quibus, vt verum fatear, magis multò verſatus eſt, quàm in Scripturis.

Sed ait, Iurisperitum voce alimenti non tantùm intelligere cibum & potum, ſed et amictus, & alia ſimilia. Eſto. Atqui Iuriſperitus cũ dicit alimentum, non dicit panem. Neq; Iuriſperiti conſilium fuit eo loco oſtendere, quid propriè ſignificet alimentũ: ſed quomodo intelligendum ſit, cùm alimentum alicui legatũ dicitur. De vocis autem illius propria ſignificatione magis philoſophis & medicis, quàm Iuriſperitis credendum cenſeo. Verùm Inconſtantius cùm iuſtas & ſolidas confutationes nõ inueniret, huiuſmodi offucijs & creſphygetis vti cogebatur. De loco autem illo Iohannis, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*: nihil opus eſt, vt multa dicamus. Ibi enim panis verum panem ſignificat. Per metaphoram tamen intelligendus eſt cibus animi ſpiritualis. Quia caro Chriſti nobis futura erat inſtar panis. Quod ni vox illa propriè ſumatur, non intelligemus vnde illa ſimilitudo ducta ſit. Adhæc ſi iſti in illo loco Iohannis vocem Panis confusè velint accipere pro omni genere cibi: cur tam ineptè indè concludunt, ſubſtantiam, quæ fuit antea ſub accidentibus panis, tranſire in corpus Chriſti? Si enim ibi caro Chriſti ſignificetur in illo genere panis, ea ſignificari poteſt, vt nos dicimus, quatenus in crucem acta fuit. Eam enim ſic apprehenſam & creditam, non dubitamus eſſe cibum animi noſtri ad vitam æternam. Adhæc ſi panis eo loco ſit quoduis genus cibi, & deinde addatur, Eſt caro mea, Species prædicabitur de Genere: ac ſi dicas, Animal eſt homo. An autem veriſimile ſit, Chriſtum voluiſſe ita loqui, non huius ſophiſtæ, ſed æqui lectoris erit iudicium. Non ergo nos argumentamur à Genere ad Speciem: ſed iſte propoſitionem nobis fingit, in qua Species prædicetur de Genere.

Iuriſperiti quid per alimentum cuipiã legatum intelligant.

OBIECTVM XXX.

PANIS, quem frangimus. Paulus hoc dixit de pane vel consecrato, vel non consecrato. Sed panis non consecratus non est corpus Christi. Id ergo dictum est de pane consecrato. Quare sequitur, post consecrationem manere verum panem, qui frangi possit. Talis autem non potest esse corpus Christi. Ergo necesse est, manere panem materialem.

GARDINERVS.

HAEC verba Pauli non eandem apud omnes Catholicos habent interpretationem. Prætermittam quod dicit Chrysostimus, & huius argutatoris occurram dilemmatis.

MARTYR.

CAllidè prætermittit ea, quæ in hunc locum patres dicunt: quia nullum ex illis omnibus inuenire potest cum ista interpretatione, quam ipse nobis peperit, consentientem: nimirùm, qui dicat, panis accidentia frangi. Ait, se velle Chrysostomum prætermittere: ob eam, opinor, causam, quòd videret, id quod Chrysostomus ait, nisi per hyperbolem, aut alium aliquem tropum exculetur, portentosum esse. Sic enim scribit, *Hic frangi corpus Christi, quod in cruce fractum non fuerit*. Si hæc verba sine figura exponi non possunt, quid est, quòd Inconstantius toties vociferetur, cùm nos docemus, patres, vbi de Eucharistia augustius loquuti sunt, dextrè & commodè accipiendos esse, & illorũ verba, vbi rigidiora videntur esse, mollienda esse tropis? Huc accedat Inconstantius, & sese aliter, si potest, explicet. Ille verò, vt miles gloriosus, continet se post principia, atque inde alios fortiter increpitat.

Nos ità facilè Chrysostomum adiuuamus. Dicimus enim, eum hoc sensisse, dominum in Eucharistia corpus suum, id est, panem, qui aliquo modo corpus eius est, voluisse frangi: cum in cruce de corpore suo id fieri noluerit. Sed missum faciamus Chrysostomum: quem ne Inconstantius quidem ausus est attingere. Et videamus, quemadmodum nostrum argumentum infirmet.

Si panem, inquit, *non consecratum intelligis, ille certè non est corporis Christi communicatio. Rectè sanè, siquidem nihil aliud frangitur, quàm panis communis. Sed si per verbum illud, frangitur, tota mysterij celebratio intelligatur (non raro enim fit, vt ex parte significetur totum) sensus erit consentiens veritati, vt panis non consecratus, sed communis, adhibitus tamen vt frangatur, hoc est peracta mysterij actione consecretur, & factus ex profano Eucharisticus, hoc est, vt Iustinus scribit, caro Christi, idem deinde, quia verè factus est corpus, communicat nobis corpus domini.* Primum cornu argumenti nostri, quod expectauimus, vt iste perfringeret, erat de pane profano. Quia per profani panis fractionem, ac distributionem haberi non potest communio corporis Christi. Si volebas, Inconstanti, hoc cornu retundere, probandum tibi erat, in Cœna frangi, ac distribui panem profanum. Id enim nos negamus. Et tua quæ tandem est probatio? *Quoniam*, inquis, *per verbum frangendi tota mysterij celebratio intelligitur, quòd totum à parte possit intelligi*. Quæ sunt ista ænigmata? Nos quidem non negamus, per fractionem totam interdum mysterij celebrationem intelligi: & scimus aliquando in vsu esse synecdochen, vt Cœna domini dicatur fractio panis. Sed quid tu hinc colligis? Adhuc non videmus, in Cœna domini, etsi vniuersam intelligas actionem, frangi, ac distribui panem non consecratum. *Panis*, inquis, *ab initio profanus adhibetur, vt posteà frangatur: aut, qui posteà frangitur, erat antea profanus.* Quis istũ nõ videat præ libidine cauillãdi susque deque turbare omnia? atque ita turbare, vt nihil eum pudeat id affirmare, quod certè alius nemo, ne ex infima quidem sorte Papistarum faceret, nimirum, in Cœna frangi, ac distribui panem non consecratum? Nemo nostrûm est, qui nesciat, Panem ab initio fuisse communem & profanum: eumque omnes scimus proponi in sacra mensa, vt posteà frangatur, & sumatur. Nos de actione præsenti fractionis disputamus: iste sua sophistica nos & ad præteritum tempus, & ad futurum vult reuocare. Argumenti autem nostri cornua, mihi crede, plumbeis istis responsis non franguntur. Iste enim nondum ostendit, panem, qui in Cœna frangitur, profanum esse. Atque ita disputationis nostræ cornua consistunt: huius autem frigida Synecdoche abijt in fumum.

Sed fortasse, quod hîc parum feliciter succesit, procedet in altero argumẽti cornu melius. Addit ergo, *Quòd si de pane iam consecrato intelligamus, qui ideò frangitur, vt singuli communicent, etiamsi secundum veram mysterij rationem absente per miraculum substantia, panis propriè materialis non sit, qui in mysterio pro signo manet, quod frangi tamen potest, quid amplius desideret hîc argutator, non video.* Verba iam ista non sani hominis videntur esse, sed potius phœbadis cuiuspiam, aut mente moti. Ait substantiam panis abesse per miraculum: quod tamen miraculũ ex omnibus sacris literis ostendi non potest. Deinde subitò oblitus sui fatetur, panem manere, qui frangatur. At, cũ eius substantia iã abierit, quomodo, quæso, manere potest? Quis vnquam sanus dixerit, hominem manere, cùm eius natura & substãtia sit sublata? Si panis manet, quo modo substantiã eius auferes? Aut, si panis substantiam & naturã tollis, quomodo cõtendis

Cœna dominj quan. doque dicitur fractio panis.

tendis manere panem? Hæc verò noua est, philosophiáne dico, an potius stultitia & insania, rem ipsam à sua substãtia velle diuidere? Quòd si ista ita inter se differunt, vt alterum ab altero possit auelli, certè neutrum alterius substantia dici potest. Dicis, nihil te videre, quid amplius possimus desiderare. Dicam, quia vrges: Constantiam in Inconstantio. Dicis enim, signum panis esse panem: cumq; illud signum frangitur, clamas impudenter frangi panem. Atque hanc postremò cõtendis Scripturarum esse sententiam. Cùm autem nos illud signum in Eucharistia appellamus corpus Christi, statim incipis debacchari. Quòd si tibi licet signũ panis appellare panem, cur nobis eodem iure non liceat signum corporis Christi appellare corpus Christi? Imò id nos multò iustius facimus quàm tu: & quia Scripturæ ipsæ ita loquuntur, & quia à re ipsa substantiam rei non separamus. Nam tu, ablata substantia panis, panem tamẽ dicis superesse qui frangatur. Quòd si velis nostra tuaque argumenta eadem lance ponderari, nihil aliud petimus, quàm vt legẽ, quam nobis tuleris, ipse feras.

Quod potest ab altero auelli, substantia eius nõ est.

Sed quoniam patres, & in primis Chrysostomum videt alicubi dicere, corpus Christi frangi, non autẽ signum panis, vt ipse cum suis quibusdam comminiscitur, idcircò vt eos aliquo modo tueatur, addit: quando corpus propriè ad sensum carnis nõ frangitur, etiamsi ad exprimendam mortis & passionis memoriã corpus etiam in mysterio sanctis Ecclesiæ patrib. frangi dicatur. Quid patres ea sibi loquutione voluerint, iam exposuimus: nimirum panẽ frangi: qui cùm sit suo quodam modo & dicatur corpus Christi, ea causa frangi etiam quodammodo videri corpus Christi. Inconstantius ait, Patres sensisse id fieri in mysterio. Quid autem sit frangi in mysterio, nusquam explicat. Si id non est quod nos dicimus, dicat ipse aliquando quid sit. Nos affirmamus, corpus Christi frangi in mysterio, quando frangantur symbola, quæ mysteria & sacramenta sunt corporis Christi. Tu verò Inconstanti dicas nobis aliquãdo, quid illud tandẽ sit, quod manet & frangitur? Si dices, Accidentia, rideberis à pueris: si Corpus Christi, eris blasphemus: si Panem nõ consecratum, & falsissima dices, & cum tua sententia maximè pugnantia. Nam si panis manet, vbi est illa tua mirifica Transubstantiatio?

Quid sit corpus Christi frangi in mysterio.

Sed attentè consideremus huius responsionis clausulam. *Frangitur*, inquit, *propriè, quod manet ex accidentibus panis: vnde panem frangi non inconuenienter dicitur, vt totius appellationẽ obtineant, quæ ex parte supersunt.* Quis hanc hominem vnquam ita tropicum fore existimasset? Alterum cornu argumẽti nostri putauit se resecare posse per synechdochen: ad alterum etiam incidendum expedit idem genus teli. *Accidentia*, inquit, *per synechdochen habent nomen panis.* Quid aliud superest, nisi vt huic histrioni plausum demus? Cœpit à tropis, progressus est per tropos: postremo, credo, ne ipse à se deficeret, desinere voluit in tropos.

OBIECTVM XXXI.

HIC est panis qui descendit de cœlo: sed corpus Christi non descendit de cœlo: Ergo, Hic panis non est corpus Christi.

GARDINERVS.

HÆC est mera fallacia nothã habens conclusionem, non ex prioribus in maiori & minori, extensis terminis confectam, sed quarto supposititio adulteratam. Nam panis in maiori significat cælestem cibum diuinitatis Christi, qua viuunt omnia: cùm panis in Conclusione significet creaturam ad corporis alimentum ex tritico factam & aqua.

MARTYR.

ITa profectò est. Non contendit Inconstantius cum iusto veroque aduersario: sed cum eo, quem ipse sibi finxit. Nam hoc argumento nemo vnquam nostrũm vsu est. Non dubito tamẽ fieri aliquando potuisse, vt in nostrorum hominum scriptis huiusmodi aliquæ propositiones extiterint. Quouis autem sacramento ausim contendere, neminem vnquam nostrorum ita concluisse argumentum. Quis huiusmodi aduersarium non facilè superet, qui nihil loquatur aut scribat, nisi quod antagonista velit? Non erat sanè Inconstantio difficile, nodos dissoluere, quos ipse sibi nexuerat. Vera autem & solida argumenta diluere, hoc opus, hic labor est. Itaq; Inconstantius cùm videret quàm malam causam suscepisset, noluit sibi deligere vnum aliquem certum librum, quem confutaret: sed ipse potius sibi farraginem argumentorũ ineptè & insulsè & malitiosè coacernauit, in quam baccharetur & fureret, vt olim Aiax, qui arietes & vitulos per insaniã dum conficeret, videbatur sibi Agamemnonem, Menelaum & Vlyssem verberare ac iugulare.

Verùm de furore Inconstantij plura dicere supersedeo: & quod argumentum ex his propositionibus, quas ipse attulit, elici possit, ostendam. Fatemur, verum corpus Christi descendisse de cœlo propter coniunctam diuinitatem in eadem hypostasi cum humanitate. Alioqui caro Christi non aliunde nata est, quàm ex substantia beatæ Virginis, non autem delata de cœlo. Ista tamen proprietas descẽdẽdi de cœlo ei cõmunicata est propter naturam diuinam, & Verbum, quod certum est descẽdisse de cœlo, cùm corpus humanum induceret. Præterea etiã dicimus, corpus Christi

Quomodo corpus Christi dicatur de cælo descendisse.

descendisse de cœlo, quòd nõ ex virili semine, A sed vi Spiritus sancti in vtero Virginis formatum fuerit. Illud autem corpus, quod in sacra communione frangitur & distribuitur, istis modis de cœlo non descendit. Panis enim & vinum, eorumq; accidentia in terris orta sunt, naturæ legibus producta, neque diuinitatem in eadem hypostasi secum coniunctam habẽt. Quare nec ista symbola, nec eorum accidentia sunt proprium & substantiale corpus Christi. Et veritas quidem primæ propositionis, Hic B est panis, qui de cœlo descẽdit: ad corpus Christi pro nobis passum referenda est. Illa enim caro dicta est panis, qui de cœlo descendit. Altera verò illa propositio, Corpus Christi nõ descendit de cœlo, referenda est ad panem Eucharisticum, qui & dicitur, & suo quo dam modo etiam est corpus Christi. Cùm itaque corpus Christi, quod natũ est ex Virgine, & postea passum, descenderit de cœlo: panis autem Eucharisticus è cœlo non descenderit, manifestum est, panẽ Eucharisticũ non esse propriè corpus Christi. Quare cùm de illo dicitur, Hoc est corpus meum, nõ est illa propria, vt sæpe monuimus, locutio, sed tropica. Ea verò, quæ hoc loco Incõstantius fingit, refingit, comminiscitur, sunt prorsus ἀκατασκεύαστα. Nec mirum, neque enim contra nos pugnat, sed contra vmbram suam.

OBIECTVM XXXII.

EA quæ citantur ex sexto capite Iohannis, vel pertinent ad hoc sacramentum, vel non pertinent. Si non pertinent, quorsum ea citant aduersarij cum à proposito sint aliena? Sin ad hoc negotium pertinent, cùm ibi tantùm manducatio spiritualis tradatur, qua corpus Christi suscipitur per fidem, quid oportet in Cœna aliam nouam manducationẽ carnalem confingi, qua idem rursus accipiatur?

GARDINERVS.

CATHOLICI sentiunt, doctrinam Christi in 6. Iohannis ad esum sacramentalem pertinere, propter illa Christi verba: Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Cyrillus verò scribit, Christum in sexto Iohannis doctrinam manducationis sui corporis tradidisse: modum autem, quo id fieret, credentibus discipulis aperuisse in Cœna, cùm fragmenta panis daret, dicens, Hoc est corpus meum.

MARTYR.

DE sexto capite Iohannis an ad Eucha- A ristiam pertineat, nos ita respondemus: Sermonem ibi de Sacramento Cœnæ non instituit. Ibi enim Cœna cum symbolis non ordinatur. Nam nec panis, nec calicis, nec gratiarũ actionis, nec fractionis, nec distributionis, nec testamenti, nec memoriæ, nec annunciationis mortis Christi mentio vlla eo loco instituitur.

Caput. 6. Iohannis an pertineat ad Eucharistiam.

Huc spectabant illi, qui dixerunt, illud caput ad Eucharistiam non pertinere. Quoniam tamen res ipsa, id est, corporis & sanguinis Chri- B sti spiritualis manducatio & potus ibi luculenter traditur, ad quam postea Euangelistę ad finem historiæ suæ declarant Christum adiunxisse symbola externa panis & vini, idcircò nos caput illud à sacramento Eucharistiæ non putamus esse alienum: imò patres illos libenter recipimus, qui illa verba ad hoc negotiũ transtulerunt. Quid enim aliud sibi volunt panis & vinum, quæ postea addita sunt in cœna, nisi vt magis excitemur ad manducationem illã cor- C poris & sanguinis Domini, quæ multis verbis diligentissimè tractata fuerat in sexto Ioannis? Satis ergo apparet, quemadmodum nos ista coniungamus.

Hallucinatur tamen iste noster, ut solet. Spectat enim illa verba, Panis, quem ego dabo, caro mea est. Et panem refert ad cœnæ symbola: quasi Christus dicat, naturam panis vi sacramenti, vt isti dicunt, transubstantiari in carnem suã. Atqui Christus nihil minus, quã illud vo- D luit. Nam vt docuimus, carnẽ suam nõ propria, sed metaphorica locutione appellauit panem.

Cyrillum autem fateor doctè ac piè scribere, Christũ in vltima illa sua cœna modũ manducationis aperuisse. Ibi enim saluus, hospes & integer cũ Apostolis discumbens, neq; in panẽ aut vinum insiliens, aut sese illis admiscens, totum illud negotium spirituale esse, & fidei opus demonstrauit: atq; ita clarissimè docuit discipulos suos, quisnam esset modus comedendæ suę carnis, & bibendi sui sanguinis. Illud autem velim mihi respõdeat Inconstantius, quãnam fronte Cyrillum ad nos alleget: cùm ille lib. 4. cap. 14. ita scribat: *Cùm fragmenta panis daret dicens: Hoc est corpus meum.* Istis enim verbis videre potuit, nisi cæcus esset, Transubstantiationem suam prorsus explodi. Luculentissimè enim testatur, Christum in cœna dedisse fragmenta panis. Hæc verò est noua huius nostri bellatoris sapientia, vt se ipsum grauius & sæpius quàm hostem feriat.

Christus in cœna docuit modum & deinde fuit carnis.

Quanquam ne hoc quidem censeo tacendũ, etiam in 6. cap. Iohannis modum traditum esse comedendi carnem Christi, nimirũ per fidem. Cùm enim Christus dixisset, *Ego sum panis vitæ:* statim subiecit, *Qui venit ad me, non esuriet: &, Qui credit in me, non sitiet vnquam.* Maximè verò id ostendit, quod postea dixit, *Caro non prodest quicquam:* ita nimirum, si ore sumatur, vt vos cogitatis: *Spiritus est qui viuificat: & verba, quæ ego loquor vobis, Spiritus sunt & vita.* Lapides oportet esse, nõ homines, qui negẽt ad modum manducationis ista pertinere. Quem tamen modũ fateor, vt Cyrillus inquit, vsu atq; experientia in cœna clarius esse demonstratum: non ita tamẽ, vt statuam, carnem Christi non aliter percipi posse, quàm per Sacramentũ. Eam enim Deus etiam

In sexto ii capite Ioh. docetur modus manducationis.

Caro Christi non aliter percipitur quàm per Sacramentũ.

etiam sine sacramẽto impertitur credentibus, nisi dicere velimus, pueros Christianorum, & eos qui aliqua necessitate impediantur ab Eucharistia, si ita fortè moriantur, decedere absq; communione corporis & sanguinis Christi.

Ea verò, quæ postea de constantia & vnitate Ecclesiæ adducuntur ab Inconstantio, Nazianzeni authoritate confirmata, ad nos nihil spectant. Nos enim vellemus nihil mutatum de simplici & pristina institutione Apostolorum: Papistarum verò chorum vniuersum potius vexant, qui nouorum huiusmodi inuentorũ nullum in Ecclesia finem aut modum faciunt. Iam videamus hisce omnibus quam iste addat coronidem.

Cæterùm, inquit, cùm Christus multifariam, varijs q; modis dignetur nos respicere, nunc spiritualiter nos refouens vt Deus, quod spirituali manducatione fit: nunc corporaliter per mysticam benedictionem, vt nos sua humanitate sibi coniungat vnione carnis, prorsus ineptum est huius argutatoris, Rursus, dum quærit quid id oporteat. Hic duas manducationes omnino statuit, suauis homo, vnam spiritualem: alteram, quæ fiat, vt ait, vnione carnis. Sed respondeat iste mihi, Spiritualis istius manducationis, quam ipse non credit, sed potius, vt opinor, somniat, vbinam diuinæ literæ mentionẽ vllam faciant? Certè non potest respondere, in sexto Iohannis: illum enim locum totum referri vult ad mysterium cœnæ Dominicæ: nec in vltima cœna: ibi enim Sacramentum tantùm à Domino institutum est, quo iste vult nos humanitate cum Christo coniungi. Quod si ita habet, vos ipsi de vestro spirituale manducationem peperistis: non autem eam hausistis è sacris literis.

Vt tandem aliquando concludam, nos asserimus, in sexto capite Iohannis traditam esse spiritualem manducationẽ carnis Christi per fidem: & Christum in vltima illa sua cœna symbola ad tam & certa quædam verba addidisse: nec vllam cõcedimus veræ carnis Christi manducationem, nisi spiritualem, quam ita distinguimus, quòd externa symbola interdum adiuncta habeat, interdum non habeat. Hæc perspicua & clara esse, quiuis videre potest. Istorum autem dictata, Deum immortalem, cuiusmodi sunt? Christus in 6. cap. Iohannis corporalem & realem manducationem corporis sui promisit: in cœna verò promissum præstitit. Esto. Sed ita vterque locus ad realem manducationẽ pertinet. Vnde ergo spiritualem illã, quam tantùm per transennam ostenditis, habuistis? Hæc vis & summa est argumenti nostri: non illa frigida conclusiuncula, quam sibi ipsi obiecit Inconstantius.

OBIECTVM XXXIII.

CHRISTVS dixit, Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. Sed Papistæ dicunt, hoc non sufficere, nisi credamus etiam illum panem insensibilem, qui à pistore euenit, esse Christum.

GARDINERVS.

NEmo Catholicus dicit, Christum esse illum insensibilem panem, quem confecit pistor: sed panem viuum supernaturalem, quem dari quotidianum orare docemur ab ipso Christo: qui ipse corpus suum & sanguinem sub specie creaturarum panis & vini exhibere dignatus est.

MARTYR.

ADeone subtilis disputator est Inconstantius, vt ad huius argumenti conclusionẽ collimare nequeat? Eo certè hoc solum conficitur, istum cum suis plus docere & statuere, quàm Christus dixerit. Christus enim ita de se testatus est, Ego sum panis viuus: isti adijciũt, panem visibilem & sensibilẽ re ipsa Christum esse, cùm exhibetur in sacra cœna: & illa verba Domini, quæ habentur in 6. cap. Iohannis, eò trahunt: & quamuis ibi accidentia tantùm panis & vini esse dicant, tamen velint, nolint, id quod ibi datur, re vera est panis, & quidem insensibilis.

Neque tamen dicimus, eos id fateri: sed hanc conclusionem necessariò elicimus ex illorum doctrina. Nam cùm statuant, Christum in sexto Iohannis agere de Sacramentis, quæ postea distribuerentur in Cœna, cumque Dominus, quemadmodũ dixit, Ego sum panis: ita etiam dixerit, Panis, quem ego dabo caro mea est: eáque isti verba ad species, vt appellant, sacramentales referri velint, quid aliud dicunt, quàm panem verum & insensibilem esse corpus Christi? Scimus quidem, eos id negare symbolum Sacramenti esse panem. Sed cùm illum transubstantiando magnas nugas agant, & panis interim re vera maneat, volunt tamen miseram plebeculam credere, panem insensibilem à pistore acceptũ, esse re vera Christum. Quod quàm absurdum sit, ipsi iudicent. Ita ergo contexi debet argumentum. Christus dicit, Panis quem ego dabo caro mea est. Hoc eius dictum ad symbolum sacramenti refertis: illud verò est panis à pistore acceptus: itaq; iuxta vestrã sententiam panis à pistore acceptus est corpus Christi. Nec vos iuuat, quod illum transubstantiari fingitis: quia id valde leue est ac nugatorium. Panem autem à pistrino allatum, esse carnem Christi, & ineptum, & falsum, & absurdũ est: ergo vox illa Panis in sexto Iohannis ad symbolum non est trahenda, nisi velitis panem pistorium esse carnem Domini.

Huius argumenti scopum quoniam Inconstantius non vidit, idcircò intempestiuè falsus

etiam videri voluit. Ita enim responsionem suam concluſit: *Semè verè insensatus videtur, qui hoc confecit argumentum. dignus eo nomine, qui in pistrinum detur, ea lege, vt qui eum inde exemerit, ipse pro eo molat.* Ita Inconstantius ludibundus quasi parta victoria insultat nobis: neque interim animaduertit, se aut fungum visum iri, si argumentum non intelligat: ac malitiosum ac vafrum, si dissimulet. Mitto verò, quàm appositè scribat, nos in Oratione Dominica petere ipsum Christi corpus, quod in Eucharistia comedendum sit, cùm precamur, vt panis [illegible] nobis detur. Non enim mirum est, ista illum ignorare, qui de genuina Scripturarum interpretatione nunquam fuerit solicitus.

OBIECTVM XXXIIII.

IN eodem errore Papistæ versantur cum Capernaitis. Dicunt enim, se manducare Christum corporaliter & carnaliter. Capernaitæ quoq; in mente volùebant nescio quam carnalem manducationem carnis Christi. Sed ab istis carnalibus cogitationibus reuocat nos Christus, dicens, verba sua esse spiritum & vitam: carnem autem nihil prodesse. Itaque illis obiecit mentionem ascensionis suæ in cœlum.

GARDINERVS.

NOn est hoc argumentum Dialecticum, sed Rhetorica rerum in verbis deprauatio. Primùm fides ab hoc Catholica erroris appellatione infamatur: Catholici fideles cum Capernaitis infidelibus in communis erroris ratione æquantur. Porrò autem eorum cogitationibus, non ad veritatem, sed ad calumniandi libidinem excussis, fidelium cogitatio, quantum potest ad absurditatem falsò extenditur: infidelium contrà Capernaitarum insana mentis imaginatio, vt quàm minimum absurdi pateat, ipsa loquendi forma extenuatur. Adeò iustificat hic argutator Capernaitas à Catholicis: cùm re vera infideles illi supra carnem nihil cogitabant, toti carnales. Catholici verò fideles omnia secundùm spiritum dijudicant.

MARTYR.

VEllem ex isto nostro Chrysippo audire, cur argumentum nostrum neget esse Dialecticum. Ita enim componi debet: Si Papistæ A vnà cum Capernaitis corpus Christi realiter, & corporaliter, & carnaliter affirmant esse manducandum, idem errando sentiunt cum illis. At Papistæ vnà cum Capernaitis in eo consentiunt: Ergo simul errant. Sic argumentando Inconstantius videre potuisset, nos à formula Dialectica non errasse. Quòd si agnoscit rationem Dialecticam à nobis conseruari, ad se tuendum id ei superest, vt neget suos Papistas idem sentire cum Capernaitis. Si autem id, quod à B nobis in minori propositione assumebatur, persuasum velit, desinat cum Capernaitis dicere, Comedi à communicantibus in sacra cœna corporaliter, realiter, carnaliter & substantialiter corpus Christi: vtque nos dicimus, & docemus, illud per fidem spiritualiter manducari fateatur. Quoad enim idem loquuntur quod Capernaitæ, quomodo fugere possunt nomen Capernaitarum? Nam corda hominũ abdita & abstrusa sunt, nos in verba tantùm C possumus intueri, & ex illis iudicare quid quisque in animo sentiat.

Cæterùm operæpretium est audire, quemadmodum iste conetur suos Papistas à Capernaitis distinguere. *Qui licet*, inquit, *veram Christi carnem in mysterio datam sub accidentibus panis verè præsentem se in os admittere communicantes intelligunt, corporis in hoc officium ex Domini præcepto exhibentes, non cogitant tamen se carnali modo sacrosanctam illam escam vt reliquos cibos vel dentibus commo D lere, vel deglutire faucibus: sed præsentem Dominum eius authoritate, modo quem ipse instituit, tanquam hospitio excipiunt, ab eodem sanctificandi: nõ velut in illum acturi quicquam (quod absit) quo patiatur.* Fingit hîc, vt audimus, præstigiator noster manducationem quandam carnis Domini, quæ cum fiat ore corporis, tamen sit spiritualis. In sua autẽ ista fictione bis peccat. Primùm, quòd in Cœna carnem Christi putat comedi ore corporis. Id enim à vero alienissimum est. Vnde Augustinus ait: *Quid paras dentem, & ventrem? crede & manducasti.* & Cyprianus ait, istum cibum non ventris, sed mentis esse. Deinde etiã fœdissimè in eo peccat, quòd ori externo corporis nostri tribuat actionem spirtualem: cùm ea & sentiri & videri possit. Quare istum ego nonnihil suspicor, quid spiritus aut res spiritualis sit, prorsus ignorare, cùm actiones corporis appellet spirituales.

Os nostri corporis nõ potest habere actionẽ spiritualẽ.

Addidit præterea, suos non cogitare, se illam escam dentibus commolere aut faucib. deglutire. Atqui ego respondeo, Si hoc nec cogitatis nec dicitis, necesse est, vt translatam & metaphoricam manducationem constituatis. Nam sine his rebus, quas excluditis, vera & propria manducatio nulla est. Deinde nescio qua licentia fingit sibi, Christum in sacra cœna recipi à fidelibus iure hospitij. Christus enim ipse pollicetur, se daturum seipsum esse ratione cibi & potus. Quantum autem inter cibum interfit, & hospitem, hebetem esse oportet, qui non intelligat. Nam hospes est, qui non perpetuò incolit, & habitat domũ aliquam, sed qui ad tempus tantùm in eam diuertit. Ex huius ergo acutissimi viri sententia, Christus recipitur in sacra Cœna, non vt perpetuò mansurus, sed vt tanquam hospes, breui postea abiturus. Cæterùm

Esca quæ nec dentibus commolitur, nec deglutitur faucibus, nõ dicitur propriè manducari.

Multũ differunt cibus & hospes.

rùm iſte, vt video, quiduis potius paratus eſt dicere, quàm vt cedat veritati.

Addit porrò, *Iudaicum denique (Quomodo) non quærunt Catholici: ſed fidei ſimplicitati innixi, ad myſterij arcanum cum veneratione obſtupeſcunt. Immane quantum diſcrepent Capernaitarum cogitationes: qui cum de Chriſti diuinitate nihil intelligerent, carnem communem communis hominis more reliquarum carnium datum iri ſomniabant, vel crudam, vel coctã: quomodò à Patribus eſt annotatum, omninò de carne carnali modo cogitantes, tum paranda, tum ipſa manducatione prorſus conſumenda.* Iudaicum illud, Quomodo, ab importuno ſophiſta paſſim nobis obijcitur. Interim tamen non animaduertit, Veteres & Orthodoxos patres, cum aduerſus hæreticos diſputarent, hoc interrogationis genere ſæpiſsimè vſos eſſe. Quod ſi hoc ita eſt Iudaicum, nolo mihi ſoli hanc litem intendat, ſed illis potius, qui ante me ita Iudaicè loqui non dubitarint. Chriſtus etiam cum interrogaſſet Scribas, cuius filius Meſsias futurus eſſet, & illi reſpondiſſent, Dauidis, ſubjecit, *Et quomodo appellat eum Dauid in ſpiritu dominum ſuum?* Quòd ſi Chriſtus potuit ita ſuos aduerſarios interrogare ſine ſuſpicione Iudaiſmi, quid nobis obſtet, quò minus altercando cum iſtis Papæ mancipijs eadem interrogandi formula vti liceat? Et Maria mater Chriſti nónne interrogauit, *Quomodo fiet iſtud?* Nónne ita Angelum interrogauit Gedeõ? Nónne Daniel ita loquutus eſt cum Angelo: *Domine in viſione inuerſi ſunt in me cardines mei, & non retinui vires: & quomodo poterit ſeruus huius domini mei loqui cum illo domino meo?* Cumq; Samuel mitteretur ad vngendum Dauidem, nónne illi licuit dicere, *Quomodo ire poſſum? Si enim audierit Saul, interficiet me.* Tantum autem abeſt, vt hac interrogatione dominus offenſus fuerit, vt illi modum, de quo interrogauerat, oſtenderit. Si quis igitur vel Deum, vel Angelos ita interroget, vt inſtruatur: vel vt difficultates & impedimenta, quibꝰ tenetur, remoueantur: vel, ſi agat cum pertinaci aduerſario, vt eum vel inuitum coarguat: an ille ſtatim condemnabitur Iudaiſmi? Sed id agit Incoſtantius, vt, cùm nobis impingat Iudaiſmum, videatur ſe ſatis purgare Capernaiſmi.

Patres etiã diſputando cum hæreticis iſto aduerbio, Quomodo, illos interrogabant.

Fingit Papiſtas ſuos immane quantum diſtare à Capernaitis, quòd illi nihil de Chriſti diuinitate intelligerent, & carnem communem communis hominis ſibi datum iri ſomniarent. Quid Capernaitæ de Chriſti diuinitate ſenſerint, ad hoc inſtitutum non multum facit. Neque enim id nunc contendimus. Nam controuerſia eſt de reali manducatione carnis Chriſti. Non oportet nos inter nos tanquam in tenebris dimicare, vt nec, quid conſtet, nec, quid dubium ſit, diſtinguamus. Ais, *illos putaſſe, carnem Chriſti ſibi erogandam eſſe, vel crudam, vel coctam, & denique ita conſumendam. Ab illis autem cogitationibus veſtros plurimùm abhorrere.* Hic ego, quoniam res eſt non parui momenti, facere nõ poſſum quin moneam te, fieri non poſſe, quin carnem domini vel crudam, vel coctam comedatis, ſi eam ita carnaliter in os velitis inſerere. Tantùm enim intereſt inter ſpiritualem manducationem, & corporalem, quantum inter ſpiritum, & corpus. Nam cum clamatis, vos ore corporis carnem Chriſti manducare, neceſſe eſt, vt fateamini, dentes veſtros ad veram, & propriam carnem pertingere. Quare aut nobiſcum, & cum orthodoxis patribus ſpiritualem manducationem conſtituite, aut mirari deſinite, ſi de carne cruda, cocta, molenda, abſumenda coarguamini. Hæc enim abſurda non nos vobis obijcimus, ſed vos ipſi vobis accerſitis.

Caro Chriſti realiter & ſubſtantialiter manducatur, neceſſe eſt, vt vel cruda vel cocta edatur.

Sed iſte, ne nihil dicere videretur, Athanaſij poſtremò vti voluit patrocinio. Sed fruſtrà. Is enim de peccato in ſpiritum ſanctum ita ſcribit: *Et quomodò vnum vnius hominis corpus vniuerſo mundo ſufficeret? Quod tanquam in illorum verſatum cogitationibus commemorat. A quibus vt eos auocaret Chriſtus, quemadmodum paulò antè ſui è cœlis deſcenſus, ſic nunc ſui in cœlos reditus mentionem facit: & de repetendo, vnde deſcenderat, cœlo apertè loquitur: videlicet, vt de carne in cibum danda altius quiddam, & ſublimius cogitent, quàm de carne nudi hominis poſſet ſentiri: Et denique, vt Dei carnem intelligãt, quam dixit filij hominis. Vnde carnem nihil prodeſſe, ſpiritum viuificare addidit: cuius carnis, ſi nihil aliud eſſet, quàm filij hominis, inutilis foret alimonia: quoniam ſpiritus eſt, qui viuificat. Nunc verò cum idem filius hominis Deus ſit, qui de cœlo deſcendit, eò iterum aſcenſurus, ſit propter carnis & ſpiritus ineffabilem vnionem, vt caro, quæ ſola iuxta naturæ ſuæ modum nihil prodeſſet, ipſa ſpiritus virtute dotata ſanctificet, & ſit viuifica.* Quid oportuit Inconſtantium occaſione huius ſententiæ tantum nugarum nobis offundere? Nam Athanaſium vera ſcribere non dubitamus. Niſi enim eſſet manducatio ſpiritualis, & niſi corpus Chriſti fide percipieretur, vna illius caro toti orbi non poſſet ſufficere. Videat ergo Inconſtantius, ſi quid habet cordis, cum corporalem & realem manducationem inuehat & defendat, quomodò ea caro omnibus Chriſtianis, qui vbiq; terrarum ſunt, poſsit eſſe ſatis. Etſi enim ſit ea caro Dei, quod nunquam nos negauimus, tamen infinita eſſe non poteſt: niſi Chriſti humanitatem velis per omnia diffundi, & vbique eſſe confiteri.

Athanaſius.

Caro Chriſti non eſſet ſatis omnibus Chriſtianis ſi re aliter comederetur.

Quid autem Athanaſius velit, ipſe poſteà ſatis apertè ſe exponit. Addit enim, *vt hæc ſpiritualiter in vnoquoque diſtribuatur, fiatque omnibus conſeruatorium ad reſurrectionem æternæ vitæ.* Hìc audimus, carnem domini, non carnaliter aut realiter diſtribui, ſed ſpiritualiter. Eam autem perceptionem fide, non ore fieri, probari poteſt ex illis verbis domini in ſexto Iohannis: *Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, vt omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Quoniam igitur caro Chriſti credẽdo manducatur: nam, qui credit, edit: idcircò dicitur conſeruatorium ad beatam illam reſurrectionem. Quod nos quoq; fatemur, non potuiſſe nobis contingere, ſi caro illa, quam ſpiritualiter ſumimus, nudi, aut ſimplicis eſſet hominis. Ex tali enim

carne nec redemptio, nec vita hauriri posset. Non ergo de natura diuina coniuncta cum carne altercamur cum Inconstantio, sed de modo manducationis: quem ille officio, atque ore corporis, nos verò animo, spiritu & fide constare dicimus. Cumque iste prouocet ad Athanasium, nos eius arbitrium non recusauimus, sed satis, vt opinior, ostendimus, ex eius verbis nostrã fidem, non Inconstantij somnia, cõfirmari.

Sed iam videamus, quantum eius causam Cyrillus iuuet. Eum enim inducit ita scribentem: *Quod vt insinuaret Christus, subiecit, Verba mea spiritus & vita sunt: de carne, inquit, sentiens non in spiritum versa, sed quia per vnionem cum spiritu à sanctificatione, quam peragit, spiritus dici possit.* Hæc Cyrillus: quæ, quàm sobriè ab isto adducantur, lector iudicet. Sæpè diximus, nos quoque fateri spiritum, id est naturam diuinam, coniunctam esse cum carne Christi: illiúque à natura diuina communicatam esse vim redimendi & sanctificandi. Quare cùm nemo nostrûm credat, carnem simplicis, & nudi hominis in sacra cœna comedi, vniuersa ista Inconstantij disputatio aliena est, & eo consilio inducta, vt hamus huius fictionis, qua caro Christi prædicatur spiritualiter, & tamen interim etiam realiter & corporaliter manducari, escam istam vnionis diuinæ naturæ cum humana sibi haberet inhærentem: atque ita ab incautis, & simplicibus hominibus deuoraretur. Verùm esca illa semota, quæ ad rem præsentem nihil facit, omnes intelligimus, carnem humanam, etsi eadem sit caro Dei, spiritualiter simul & corporaliter externi corporis ore nõ posse manducari.

OBIECTVM XXXV.

QVOD si aduersarij dicant, se comedere totum Christum indiuisum: Capernaitas autem cogitasse, carnem Christi in frusta esse dissecandam, quid refert, cùm vtrique corporalem & carnalem manducationem somnient? Quid enim interest, siue eum per partes accipias, siue totum simul deglutias?

GARDINERVS.

MANDVCATIO vera carnis Christi in mysterio verè exhibita, fidelibus expenditur secundum mysterij modum: vt corporis nostri officium institutioni obsequatur: & animus fide persuasus à veritate doctrinæ traditæ ipsa corporis actione non abstrahitur. Adeò fideles, dum de carnis Christi manducatione cogitant, nihil habent simile cum Capernaitis. Fideles enim norunt, spiritualem se carnẽ in mysterio accipere, sed veram. Capernaitæ carnales quicquid est spiritus ignorabant. Et tamen ab hoc argutatore ex solo verborum sono eadem vtrisque impudenter affingitur cogitatio.

MARTYR.

INconstantius, vt paucis multa diceret, obscuritatem sequutus est de industria, quò facilius commenta illa sua, & leuissimas ineptias tegeret: vt ita latentia, minus ad confutandum exponerentur. Res autem non sic abibit. Excutiemus enim singula.

Manducationem iste verę carnis Christi dicit veré exhiberi in mysterio: & per modum mysterij à fidelibus expendi. Nisi iste, vt solet, fucum suum ijs dictis aspergeret, hæc ipsa quam dicit, nostra est sententia. *Carnem enim Christi comedere per mysterium, re vera, si rectè intelligatur, nihil aliud est, quàm animos nostros per externa symbola incitari, vt carnem Christi pro nobis datam in cruce, fide & spiritu complectamur: atque ita illa fruamur spiritualiter, non quidẽ ficta, aut phantastica, sed vera, syncera, integra.* Hic verus, & purus est orationis allatę sensus: quem Inconstantius fuco suo sic adulterat, vt, Per misterium comedere, nihil aliud velit esse, quàm carnem Christi realiter latitantem sub pane & vino, vel potius, vt ille loquitur, sub illorum speciebus, re ipsa ore corporis manducare. Quæ etsi millies inculcet, & ad fastidium vsq; repetat, tamen nunquam hactenus probare potuit. Adeò autem vel pueris notum est, modum mysterij, modum significationis esse, vt mirum mihi sit huius acumen tam clara in re potuisse ita turpiter hebetari. Quis enim non videat mysterium apud Græcos idem esse, quod nostri vocarunt Sacramentum? At Sacramentum, vt vulgò etiam definitur, est signum rei sacræ. Quare carnem Christi comedere per mysterium, aut sacramentum, est eam significatam symbolis, per fidem apprehendere.

Quid sit comedere carnem Christi per mysterium

Modus mysterij est significatio.

Deinde, si quis diligentius attendat, inueniet verbum illud Manducare, tanquam aliquantò crassius, ab isto homine delicato bis, terúe aliquantulum leniri. Ait enim, corporis obsequium adhiberi, & instituto domini obsequi: cùm interim officium istud vel corporis, vel oris, nihil aliud re vera sit, quàm manducatio: quam tamen iste suo nomine non appellat, quòd neque physicam eam esse velit, neque nostram, quæ per fidem fit, admittat. Quare necesse est vt aliud quoddã genus comedendi ipse de suo affingat. Quam tamen ipsam ita somniat esse spiritualem, vt nihilominus externo corporis ore conficiatur. Istæ, videlicet, illæ sunt reconditæ ac mysticæ subtilitates. Sed respondeat, si potest, absque tergiuersatione ac fuco, quodnam istud tandem sit officium corporis. Nam illud ad symbola vsque pertinere nos nunquam negauimus. Quo autem modo illud ad carnem Christi adhiberi possit, expecto quẽadmodum sese expediat Inconstantius. Quod idcircò dico, quia corpus Christi propriè manducari non potest. Nam quod non scinditur dentibus, & commolitur, non verè dicitur comedi. Hæc autem nemo sanus attribuerit corpori domini.

An verò Cacolyci isti nostri idem cogitent, & sentiãt,

& sentiát, quod olim Capernaitæ ipsi viderint. Nobis certè videntur: nisi quòd isti Christi diuinitatem confitentur, quam illi ignorabant. Tamen quod ad manducationem attinet, vel parũ, vel nihil ab illis differũt. Parũ autem idcircò dico, quia illi fortasse somniabant carnem Christi in partes & frusta esse lacerãdam: isti verò nõ minus magno errore putãt eã integram & totam simul esse deglutiendã. Nam quod fingunt de spirituali nescio qua manducatione, quæ tamen interim sit corporalis, quouis somnio vanius est, & ipsis tenebris tenebricosius.

Pergit Inconstantius, *Capernaitæ carnalẽ manducationẽ cogitabant, quæ & re, & modo carnalis esset secundùm sensum communem. Fideles quidem manducationem veræ carnis in re agnoscunt, at non in modo carnali: cum officio quidẽ corporis, at non vt in reliquos cibos, secundum sensum communem agente corpore, sed secundum sensum fidei.* Suam istam fictionẽ Inconstantius ita deblaterat, & premit quodámodo sub dentibus, vt videatur de industria nolle intelligi. Neque mirũ: cũ ne ipse quidẽ satis intelligat, quid velit. Equidẽ mihi persuadeo, nec illum, nec eius vniuersum gregem vllá habere omninò manducationẽ corporis domini. Spiritualem enim per fidem abijciunt: physicá autem, quæ re vera defendi non potest, negãt. Mediam verò quandá fingunt: sed ea, si ad verũ excutias, nulla est. Vtiná omnes aliquando intelligant, & agnoscant, diaboli hoc artificiũ, & inuentũ esse, qui per Papistas mũdo cõcionatur, vt per huiusmodi inuentiones, & mendacia verum sacramẽtorũ fructũ hominib. interuertat.

Fideles, inquit iste, *veram carnis Christi manducationem in re agnoscunt, at non in modo carnali.* Mira sanè ista sunt, & perplexa verborũ prodigia. Hæc manducatio perficitur ore corporis: & tamen non habet modum carnalem. Quis, nisi Inconstantius, ista diceret? Facultas apprehendens carnalis est, nimirùm, vt isti volunt, os corporis. Id autem quod sumitur, ipsissima caro Christi est, res corporalis, & ori realiter prẽsens. Tamẽ modũ apprehẽsionis omninò vult esse spiritualem. Vtque hoc, quàm absurdum sit, pie lector, penitus videas, expende mihi id, quod additur: *At non vt in reliquos cibos secundum sensum communẽ agente corpore.* Hic audis corpus agere, sed non secundum sensum communem. Iuxta quẽ ergo sensũ agit? *Iuxta sensum*, inquit, *fidei.* Quis vnquam audiuit, fidem in corpore, aut in ore esse positam? Ego quidem hactenus putaui, eam in animo sitam esse. Inconstantius verò fidem suam, quo magis opinor haberet in promptu, in ore voluit circumferre. Sed dicet, se hoc sensisse, Corpus eorũ qui percipiant Eucharistiá, agere iuxta fidem, quam cõmunicãtes habent in animo. Sed nesic quidẽ elabi potest. Nam si statuat, perceptionẽ eã esse ex fide, non potest dicere, corpus Christi manducari nisi per metaphoram. Os enim corporis propriè, ac verè non nisi symbola attingit. Ea autẽ perceptio, quę ad fidem pertinet, spiritualis omninò est, neque ad corporis officiũ quicquá pertinet. Neque quisquam sobrius, & sui compos actionẽ eam, quę à corpore proficiscatur, & in corpus feratur, dixerit non esse corporalẽ. Videat ergo Inconstantius, quo spiritu agitetur, qui illam dicat esse spiritualem. Nam actio idcir cò dici debet spiritualis, vel quod agat circa spiritum, vel quòd à spiritu proficiscatur. Neutrũ autem horum iste dicit. Mãducationem enim istam & circa carnem Christi versari ait, & ab ore corporis exerceri.

Fides est in animo, non in corpore, non in ore.

Neque tamẽ ita hebes fuit, quin viderit mãducationem istam, etiam si ad ipsius verba examinetur, appellandam esse corporalem. Addit enim: *Quia verò corpus Christi verum in mysterio inuisibiliter exhibitum, visibili corporis nostri officio excipitur, vtroque nomine dicitur manducatio corporalis.* Si est, vt dicis, corporalis, cur eam adscribis fidei? Ais enim, *Corpus non secundum sensum communem agere, sed secundum sensum fidei.* Deinde ex quibus diuinis literis vnquam ostendes promissum, corpus Christi exhibendum nobis esse inuisibiliter? Carnem quidem Christi fidelibus dandá esse legimus: realiter autẽ, & inuisibiliter dandam esse non legimus. Hæc vos non tantùm excogitare, verùm etiam probare oportuit, si vobis volebatis haberi fidem.

Non legimus in sacris literis carnem domini dandam inuisibiliter.

Addit porrò: *Sed persuademur, Corpus Christi in nos sanctificandos agere: a nobis contrà illa manducatione non posse pati: cum Capernaitæ corporalem communi more peragendam somniarint.* Si nihil in corpus Christi manducando agimus, quomodò hanc manducationem veram esse, & corporalẽ toties & tam importunè contenditis? Si ne ea quidem, quæ sorbemus, aut bibimus, aut lambimus, dici possumus manducare, quòd ea dentibus non comminuamus, quamuis alioqui corpus nostrum agat in ea naturaliter, quantò minus propriè, & verè, & corporaliter dici possumus manducare carnem Christi? Quòd si fateri vis, istas voces esse metaphoricas, cur nobis tãta religione, & tã seuerè tropis interdicis?

Addit præterea: *Sed peracutũ huic argutatori videtur, quod subdit scõmatis, tanquã vnũ de dictis melioribus. Quid interest*, inquit, *per partes ne accipias, an deglutias totũ?* quasi iam euicisset, hoc vno differre Catholicos à Capernaitis: quasi deuictis hostib. triũpharet. Sed canit ante victoriam trium phũ. Non. n. deglutiunt Christũ fideles secũdũ iudiciũ carnis: sed in os reuerenter excipiunt secundũ Christi institutionẽ: quam ratio in Capernaitis carnea non potuit intelligere. Qui hoc argumentũ, vt de hoc primũ dicã, adduxit, non id quæsiuit, vt intempestiuè facetus esset: quod tu pueriliter soles, etiá cũ nihil est opus: vt in re graui scenicos interdum versiculos interponas. Neq; sanè iniuria. Nam cum parasiti personã perpetuò in aula gesseris, nõ est mirũ, si tibi verba parasitica succurrant in loco. Et quánis ea causam istã, quã defendis, parũ iuuẽt, tamẽ quis olim fueris, & adhuc sis, nõ obscurè docent. An verò nos ita importunè dicimus, nihil referre, vtrum Christi corpus per partes comedatis, an totum simul deglutiatis, cum à vobis audiamus, corpus Christi in cœna non diuidi, non commoli, non lacerari, quemadmodum

cogitabant Capernaitę? Vos, inquam, vos huic interrogationi cauſam dediſtis.

Sed ais, *fideles non deglutire Chriſtum ſecundum iudiciũ carnis.* Ex iſtis tuis coloribus nihil aliud quiſquam poteſt colligere, quàm corpus Chriſti non ſcindi dentibus, non imminui: ſed realiter illud manducari non probatis. Deinde quorſum huc facit iudiciũ carnis? Nobis ſatis eſt ſi concedatis, quod certè facitis, Chriſtum verè & corporaliter, totum, & integrum deglutiri. Abs te tamen quantum video, adhuc non poſſumus impetrare, vt explanes nobis, quid interſit, totúmne Chriſtum ſimul deglutias, an illum per partes, & minutim comedas. Et certè ſi ad potentiam Dei, quam vos perpetuò in iſta quæſtione, habetis in ore, reſpicere velitis, ea quę madmodũ efficere poteſt, quod vos dicitis, vt totum corpus Chriſti ſimul verè & realiter comedatur, ita efficere etiam poteſt, vt idem per partes abſque vlla ſui iactura aut læſione tranſmittatur. Et cur hoc tandem non dicitis, cum ita in procliui ſit, & ad realem illam veſtram manducationẽ maximè pertineat?

OBIECTVM XXXVI.

FINGVNT aduerſarij, ſub Sacramento panis ſanguinem quoque contineri, per concomitantiam: & iſto ſuo commento feneſtram aperiunt multis dogmatibus ſuppoſititijs. Nullum enim eſt dogma, cui non poſſunt infinita annecti per concomitantiam. Et ſequeretur, Omnes ſanctos adeſſe huic Sacramento per concomitantiam. Semper enim ſequuntur agnum, quocunque iuerit.

GARDINERVS.

QVI veritates rerum verbis, quoad poſſunt, conantur exprimere, immeritò notantur illi fictionis, quippè qui, quod credunt, loquuntur, vt alijs annuncient fratribus, & prophetiæ donum proferunt ad Eccleſiæ ædificationem.

MARTYR.

EX procœmio ipſo intelligi poteſt, quò ſpectet hæc excuſatio tam accurata barbaræ, peregrinæ, ſuperſtitioſæ, ne dicam idololatricæ vocis. Dolere certè debent omnes pij, eò iam inſaniæ ventum eſſe, vt monſtrũ turpiſsimum concomitantię defendendum & tegendum ſit velo ſacræ prophetiæ. Sed prophetia iſta non eſt, ô bone vir, verbis domini, quę in ſacris literis expreſſa ac definita ſint, de tuo capite velle portenta affingere. Si Chriſtus voluit corpus & ſanguinem ſuum proprijs & diſtinctis notis Eccleſiæ ſuæ tradere, quid opus erat, vt vos ad eas veſtra commenta adſcriberetis, & omnia prorſus ſus que deque cunfunderetis, & pani ſanguinẽ, vino carnem admiſceretis? Iſta verò non prophetia eſt, ſed furor & amentia, terminos à domino poſitos ita temerè violare.

Verùm explicationem audiamus. *Sed, vt de re loquamur,* inquit, *ſi Chriſtus in corpore glorificato totus & integer regnat, omni paſsione ſuperior, de quo ſit abſurdum, vllam diuiſionem fateri, nónne rectè dicunt & docent Catholici, Vbicunque ſit viuũ Chriſti corpus, ibi comitari ſanguinẽ? & rurſus, vbicunque ſit ſanguis, ibi comitari corpus? Vt autem, quod re ipſa ſit verũ, verbo exprimatur ſignificantius, num concomitantiæ vocabulum tam ineptum videatur? Ne ſapiat ſanè Latinam elegantiam; Catholicam certè veritatem dilucidè explicat. Sed ægrè ferunt hæretici veritatem, quam vt trucidẽt in obſcuro, quæſtionibus, & cauillis data opera obtenebrant, adhibita verborum luce, diſtingui, & illuſtrari.* Si Chriſtus totus & integer, vt affirmas, in corpore glorificato regnat, vt ſit abſurdum, illi diuiſionem aliquam attribuere, cur vos illum funditis per tot altaria? cur illum in tot pyxides, penè infinitas concluditis? Corpus enim Chriſti vt integrum eſt, & indiuiſum, ita etiam finitum eſt & terminatum, non autem per infinita loca diffuſum. Nos autem non ità inſanimus, vt Chriſtum aliquo modo velimus diuidere. Eum enim in cœlis integrum, totumque veneramur & colimus. Symbola verò Euchariſtiæ ſeparatim ac diſtinctè, vt ipſe nos docuit, corpus eius & ſanguinem referre dicimus Neque domino noſtro videri volumus prudentiores: ſed duos myſterij huius typos ad duas eius partes pro nobis in cruce datas referẽdas docemus. Vos autem meritò accuſandi eſtis qui ea, quæ Chriſtus ſub diuerſis ſymbolis inſtituit, ſpiritualiter & per fidem à credentibus percipenda, ita temerè permiſcetis, & ſine vllo pudore confunditis.

Non ſunt confundenda in ſacramento per concomitantiam quæ Chriſtus diſtingui voluit.

Quare ſuperfluum omnino eſt, quod addis neceſſe eſſe, vt, vbicunque Chriſtus eſt, ibi ſit etiam eius ſanguis. Nam pro more tuo id petis, quod tibi à principio probandum erat: nimirùm, corpus Chriſti re ipſa in tot locis eſſe, quot in locis Euchariſtia conficitur. In cœlo quidem Chriſtus eſt: & totus atque integer ibi manet: neque ab vllo noſtrùm, vt vos fingitis, in partes diuiditur. Eoque ſomnolẽtum iſtud veſtrum portentum de concomitantia prorſus explodimus. Noli ergo nobis dicere, Id quod re vera eſt & ita ſe habet, fas eſſe voce aliqua ſignificantiori exprimere. Nobis enim nondum probare potuiſti, rem ita ſe habere. Quam obrem vocem illam veſtram, nõ tantùm vt parum Latinam & barbaram, ſed etiam vt ſuperfluam & commentitiam repudiamus: & apertiſsimè docemus, vos veſtris impoſturis & fraudibus eò adductos eſſe, vt fictiones iſtas veſtras

stras ad instituta domini sine portentis non posſitis accõmodare. Nos dilucidè, & sine vlla captione concludimus: Christus manet integer, neque potest diuidi, ut vos ipsi confitemini: Corpus autem suum idem Christus attribuit vni parti Eucharistiæ, sanguinem verò alteri, vt omnes Euangelistæ confirmant: Ergo, corpus Christi re ipsa & substantialiter non est in cœna: sed in ea magno nostro bono significatur, & per fidem spiritualiter comedendum offertur. Hoc est solidum, perspicuum, & firmum argumentum: quod papistę vt refutarent coacti sunt nouam, & inauditam vocem, Concomitantiæ, fabricari, vt eo fuco realem illam suam præsentiam tuerentur.

Papistæ discedunt à sensu borũ verborum, Hoc est corpus meum, dũ ibi per concomitantiam sanguinem effingunt.

At nisi præsentiam illam certioribus argumentis doceant, velum istud nouæ vocis omninò ridiculum videbitur, & vos vestrę amusis & regulæ oblitos redarguet. Cum enim adducitis verba illa Christi, *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, clamatis, nullo pacto discedũ esse à sensu verborum. Nunc postquam verbis ipsis medij tenemini, nec potestis effugere, fingitis, non tantùm corpus esse in vna parte sacramenti, sed etiam sanguinem, & totum Christum: in altera autem parte, non tantum esse sanguinem, sed etiam carnem, & vniuersum corpus. Mirum ni vestes etiam Christi velitis vtrinque constituere per concomitantiam.

Conqueritur verò Incõstantius, nos parum æquos esse, qui vocabulum calumniemur, vt parum Latinum: cum tamen illud rem ipsam, & verum dogma aptissimè consignet. De dogmate, quàm illud falsum sit, diximus: neque sophista noster quicquam hactenus secus docere potuit. Barbariem verò criminis loco nõ obijcimus. Peregrinas tamen voces in rebus diuinis iure, ac meritò repudiamus, maximè verò cùm illæ ad superstitionẽ, & idololatriam apertissimam defendendam faciant. Et opportunè mihi in mentem venit illud Dauidis: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt Lex tua.* Ostende mihi quæso in omnibus sacris literis vel minimum vestigium huius vestræ Concomitantiæ. At nos facilè possumus ostendere, quantum à vobis impietatis in hoc putri fundamento extructum fuerit: hoc scilicet, vt dicatis nullam hominibus, quos appellatis laicos, iniuriam fieri, cùm illis alteram tantum partem Eucharistiæ distribuitis. Sed hoc Inconstanti nescias, impium & impudens mendacium est, illos non minus habere in vna parte, quàm si integrum sacramentum, vt dominus instituit, perciperent. Quod nisi vos hoc commentum excogitassetis, nunquam populus siuisset tantam à vobis fraudem, & iniuriam impunè sibi fieri. Quare non dubitamus, diabolum, & istud inuentum, & nouam illam vocem per vos in Ecclesiã inuexisse. Is enim dũ loquitur mendaciũ, ex proprijs loquitur. Vides ergo, nos non tantũ vocis inconcinnitatem, sed etiam multo magis rem ipsã, & vestras imposturas, & fraudes reprehendere. Quare permittamus in sacra Cœna, vt dominus instituit, duo esse symbola, per quæ fides nostra distinctè feratur ad apprehendendũ corpus & sanguinem Christi pro nostra salute in crucem tradita.

Peregrinæ voces in rebus diuinis sunt repudiandæ.

Per concomitantiam defendunt mutilationem sacramenti.

Sed qua, quæso, tu frõte potes dicere, *nos non posse ferre veritatem, sed illã cauillis, & quæstionibus in obscuro, data opera obtenebrare?* An Inconstantius ista nobis? Vos, inquam, vos Inconstanti, ambagibus illis vestris Transubstantiationum, Concomitantiarum, Indiuiduorum vagorum, Præsentiarum inuisibilium, Officiorum oris, & alijs infinitis similibus portentis conijcitis mortales in cæcos & inextricabiles Labyrinthos. Quæ cum ita sint, tamen te non puduit dicere, à te tuisque veritatem verborum luce distingui, & illustrari. Nos ergo non iniuria monemus populum, vt ab istorum doctrinis spurcis, & mendacibus tanquam à fermento nouorum Pharisæorum, sibi diligenter caueant. Atque vtinam aliquando omnium animos ad colendam pietatem excitemus, & ab istis fascinationibus ad simplicem veritatem traducamus.

Pergit Inconstantius: *Ad id verò, quod additur, de concomitantia sanctorum, illud dixisse sufficiat: quoniam & alibi à nobis huic cauillo responsum est. Sancti comitantur Christum in gloria, id est, in regno patris: vt vbi sit Christus, ibi sint sancti. Vnde non sequitur, adesse in humilitate dispensationis: qua cœptam Ecclesiæ ædificationem in aduentus sui diem perficit, atque absoluit. Et quanquam ibi sint, non tamen illorum est mysterium, sed vnius Christi: qui dixit, se dare corpus quod traderetur, quod erat corpus non mysticum, sed naturale. Respondet, sanctos adesse Christo in gloria: at non humilitate dispensationis.* Hoc Theoligis inauditum est, dominum post ascẽsionem suam in cœlum, versari adhuc in humilitate dispensationis: Sed non est mirum, in tanta segete fictionum, & portentorum istud quoque commentum potuisse nasci, & germinare. Idem ergo Christus, vt iste somniat, & in gloria est, & in humilitate, idq; prorsus simul & eodem tempore: vel certè perpetuò transit modò ex humilitate ad gloriam, modò à gloria ad humilitatem. Puderet istum, nisi esset Inconstantius, ita temerè res absurdas publicare. Is autẽ ex mendacijs suis, quorum me vehemẽter & pudet, & tædet, voluptatem etiã magnã capit. Ne insani quidem, & mente moti ita prorsus insaniunt, vt, cum audiãt Apostolum dicere, *Christum amnon mori, nec mortem illi amplius dominari*, ausint illum adhuc humilitati, & humanæ salutis dispensationi subijcere. Quomodo enim, quæso te, sedet ad patris dextrã in gloria, si adhuc subit humilitatem? Sedere in gloria, est in illa acquiescere, non autem rursus ad humilia ministeria se demittere.

Christus post ascensionem non versatur in humilitate dispensationis.

Quid sit sedere in gloria.

Sed ne, dum istas ineptias studeo confutare, similis illi videar, qui eas nobis peperit, desino de hac re plura dicere. Hoc tantùm vnũ addo, hanc exceptionem Inconstantij, qua dicit, Sanctos adesse Christo in gloria, non autem in humilitate dispensationis, pugnare apertè cum sententia sacrarum literarum. Illæ enim testantur, Sãctos sequi Agnum, id est Christum, quocunque iuerit. Hisce verbis huius sophistæ suf-

fugium perimitur. Sancti enim dicũtur comitari, & sequi dominum, non tantùm in gloria, sed etiam quocunque sese conferat.

Verùm Inconstantius etiam ipse sensit, exceptionem istam suam subinfirmam esse: ideoque quasi pro Colophone addidit, *Et quanquam ibi sint, non tamen illorum est mysterium, sed vnius Christi.* Non est nunc altercandum, illorúmne sit Cœnæ mysterium, an Christi. Nam si Inconstantius de ea re ambigat, ambigat etiam de elementis Christianæ religionis. Sed hoc dico, hominem istum adeò circumspectum eò se denique præcipitare, vt non tantùm corpus Christi, sed etiam sanctos eodem tempore in locis innumerabilibus esse dicat. Nam si, vbicunque habetur mysterium Eucharistiæ, ibi re ipsa adest corpus Christi, & illum sancti perpetuò comitantur, illos quoque in omnibus huiusmodi locis esse, necesse est. Atque ita id tribuetur sanctis mortuis, quod nec Basilius, nec Dydimus tribuere voluerunt spiritui sancto. Sed mirabilis est candor Inconstantij: qui, modò illum vicissim patiaris quiduis commisci ac dicere, quidlibet tibi vltro lagiatur.

OBIECTVM XXXVII.

CHRISTVS dixit, Volo, vt vbi ego sum, & minister meus sit. Ergo si Christus sit in sacramento, ibi etiam sunt omnes sancti, & ministri Dei: & Transubstantiatio ponenda est in omnes sanctos, quemadmodum in corpus Christi.

GARDINERVS.

DE statu gloriæ sentit Christus, quod regnum patris est æternum duraturum, non de œconomia & dispensatione corporis isto modo exhibẽdi: quod est temporale, donec veniat. Sed ab isto argutatore quæsierim, an istis verbis Christus, vt etiam in cruce, dum mortem obiret, omnes vnà adessent ministri, vbi ille esset? Imo vniuersam dispensationem solus in persona obijt suorum ministrorum causa, quibus comitatus vult regnare in cœlis: vt vbi ille sit, ibi sint & ministri, gloriæ participes futuræ. Quanquam etiam tametsi Christum comitentur in Sacramento, non sequitur, in illos fieri Transubstantiationem, quandoquidem de solo suo corpore naturali dixit Christus, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

MARTYR.

EX his colligimus, Inconstantium hoc sentire, Christum cũ est in Eucharistia, non esse in gloria Dei patris. Nam in illa sanctos habet comites, quemadmodũ ipse ait: in Eucharistia verò non habet. Quare suadeo mancipijs istis Papæ, si ita sentiant, vt à conficienda Eucharistia abstineant: ne Christum toties exolient sua gloria. Nam quę est ista impietas, Christum à sua gloria detrahere, vt rursus inter homines versetur in humilitate dispensationis? Quòd si vobis videatur, vt est, absurdum, Christum in vestris crustulis cum gloria potius collocare, & illi omnes sanctos comites adiungite: quicquid autem ab aduersarijs vestris, tanquam absurdum obijcietur, contemnite. Namque, vt aiunt vestri Dialectici, ad impossibile sequitur quodlibet. Ideoque, quemadmodum statuitis, corpus Christi, etsi, vt est creatura, claudatur suis terminis, tamen per infinita loca diffandi, idem etiam de sanctis prædicate: & omnem veritatem humanę naturæ potius euertite, quàm vt panaceum istum verstrum Deum vobis extorqueri patiamini. Magni enim momenti res est. Nisi hoc numen strenuè defendi tis, stare diu & regnare, & orbem terrarum excæcare non potestis.

Quòd autem posteà pro suo illo mirabili acumine nos interrogat, vtrum illa verba Christi de cruce quoque intelligamus, vt Christus ibi quoque ministros suos voluerit habere comites, Deus bone, quid hîc tandem possumus respondere? Nihil certè aliud, quam quod Inconstantius respondet ipse: videlicet, ea verba ad gloriam Christi pertinere. Hanc expositionem ego nunquam reprehendi. Sed ea istum nihil iuuare potest: nisi fortè dicere velit, quod videtur non obscurè significare, Christũ, quod attinet ad naturam humanam, rursus redire ad humilem & seruilem statum, vt passim latitet sub panis & vini accidentibus, vt edatur, vt bibatur, vt frangatur, vt excipiatur ore, vt claudatur in pyxide, vt circumgestetur per plateas & cubicula, vt eleuetur, vt deponatur, vt quotidiè in infinitis locis & esse incipiat & desinere. Ista autem Deus rogandus est, vt quàm absurda sint, aliquando patefaciat. Magna enim pars hominum ita hodiè infatuata est ab istis mundi rectoribus, vt oculos mentis ad aspiciendam veritatem nequeant attollere. Adhæc, si ita se res habet, vt iste dicit, miror in omnibus omnium Papistarum Ecclesijs publicas preces non haberi, vt Christo à tam laboriosis negotijs requies aliquando impetretur.

Sed iste ne parùm fœcundus responsionum videretur, ait postremò, *Etiam si sancti comitarentur Christum in Eucharistia, non sequuturum tamen, vt in illos fieret Transubstantiatio.* Verum interea non videt, perfectam cum Christo societatem & coniunctionem requirere, vt sancti quoque sub ijsdem accidentibus cum illo delitescant. Quod si pergat quærere, qua vi connexionis ex ipsius opinione hoc deducam, respondeo, eam me iam anteà ostendisse: nimirùm, quòd ex impossibili sequatur quodlibet. Nemo autẽ non videt, impossibile esse, vt aut sancti, aut alia vlla res creata sit eodẽ tẽpore in infinitis locis.

OBIE-

OBIECTVM XXXIIX.

NEC ſcriptura vlla, nec vllus doctor catholicæ fidei vnquam docuit, Chriſtum debere honorari hic in terris cum candelis, & genuflexione: Ergo ſi non eſt taliter adorandus, non eſt hîc realiter præſens.

GARDINERVS.

SCRIPTVRA docet, adorandum Deum: Chriſtus autem Deus & homo, cum in terris ageret, exhibitam adorationem non repudiauit. De adoratione Chriſti in Sacramento, quid doctores Catholici tradiderint, mox ſubijciam: vnde tu lector intelliges, quod hic addit de candelis & genuflexione, vafritiem eſſe callidè mentientis, vt iſtis, ſi arguatur, ſe poßit tueri, ne conuincatur. Genuflexio ſymbolum eſt adorationis ſecundum Paulum.

MARTYR.

QVoties in hoc libro argumenta confuſa & diſſoluta referuntur ſub perſona noſtrorum hominum, toties vel inuitus cogor accuſare fidem Inconſtantij. Nam quis vnquam quenquam noſtrorum audiuit hoc modo argumentari, vt diceret, idcircò Chriſtum non adeſſe realiter in Sacramento, quòd candelis, & genuflexionibus non ſit ibi adorandus? Non ſumus ita ignari Dialecticæ, vt argumentorum membra luxa, & diſſipata, tanquam arenam ſine calce connectamus. Iſte verò, vt eſt peruerſus iudex & malitioſus cauillator, cùm audit à pijs & doctis viris meritò reprehendi ſuperſtitioſorum hominum importunitatem & ineptias, qui non ſolùm placentulas illas conſecratas flexis & fixis genibus adorant, verùm etiam illis cereos & tintinnabula, & ſuffitus adhibẽt, panemque aſſeruatum in tabernaculis, & circumgeſtatum per plateas, & agros, & in miſsis ſuis eleuatum atque oſtenſum, tanquam ſummum numen venerantur: iſte, inquam, cum audit hæc iuſtiſsimè reprehendi, ait hæc noſtra eſſe argumenta, quibus probare velimus, corpus Chriſti non adeſſe realiter in Euchariſtia: atque ita non iuſtis rationibus, ſed parùm doctis dolis, & fraudibus non ſatis artificioſis fruſtrà ſtudet optimam cauſam euertere.

Nunc quoniam oſtendimus, hoc non argumentum eſſe noſtrum, ſed tantum ſuperſtitionis & impietatis iuſtiſsimam reprehenſionem, videamus, quibus iſte fucis & ſtrophis candelas, & genuflexiones ſuas tueatur. Primùm ait, *Chriſtum adorandum eße, quòd ſit verus Deus*. Hoc nos quoque non ſolùm confitemur, ſed etiam defendimus. Addit, *Chriſtum, cum eßet in terris, oblatam ſibi aliquam adorationem non repudiaße*. Id quoque etiam damus. Quanquã hoc addimus. Chriſtum, cum viueret inter homines, quod quidem legi poſsit, nunquam à quoquam adorationem poſtulaſſe. Genuflexionem etiam aliquando externum eſſe ſymbolum internæ adorationis, non negamus. Sed quid iſta ad veſtrã placentam pertinent? Hic, Inconſtantius, hic, inquam, nodus eſt. Niſi enim certa ratione, & firmiſsimis teſtimonijs diuinarum literarum euiceris, Chriſti corpus & ſanguinem reali, ſubſtantialique præſentia eſſe in Sacramento, nunquam cuiquam ſano fidem facies, adorationem & eius externam notam, genuflexionem, illis ſymbolis eſſe exhibendam.

Candelas autem ſuas hoc modo excuſat. *Accendi*, inquit, *candelas in ſacris ab ipſis primordijs Eccleſiæ præceptum eſt*. An hoc tibi videtur eſſe ſatis? Certè Hieronymus contra Vigilantium ita ſcribit: *Cereos non clara luce accendimus, ſicut fruſtrà calumniaris: ſed vt noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecũ dormiamus in tenebris*. Vides iſta diuturna lumina non ita paſsim in Eccleſia fuiſſe recepta. Mox idem Hieronymus fatetur, mulierculas id facere abſque ſcientia, quas ſimplicitatis tantùm & imperitiæ nomine excuſat. Denique vſum diurni luminis in Eccleſijs orientalibus fuiſſe affirmat, ſole iam rutilante cum legeretur Euangelium: non ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Non rectè ergo aſſumit Inconſtantius, vſum candelarum fuiſſe in Eccleſia ſtatim à primordio, præſertim, quæ ad cœnam domini, aut ad pyxidem accenderentur. Atque hæc ex Hieronymo referre volui, quòd eum ſciam ſuperſtitiones quaſdam magis contentioſè, quàm ſolidè ſolere defendere.

Vſus accendendi cereos in eccleſia.

Nobis verò non debet tantæ curæ eſſe, quid aliquis ex patribus aut fecerit, aut dixerit, ſed quid fides noſtra ex diuinis literis hauſta exigat. Satyrus frater Ambroſij adhuc Catechumenus, cum eſſet in naui, habuit ſecum Euchariſtiam inuolutam in Orario. Benedictus iuſſit Euchariſtiam in os inſeri defunctæ mulierculæ. Et veteres Euchariſtiam domi in arculis aſſeruabant: eãq; dabant etiam infantib. Dic mihi Gardinere, cur hæc hodiè quoq; nõ fiunt? Dices opinor, quoniã deprehenſa ſunt aliena à ſacris literis. Ego quoq; viciſsim dico. Si accẽdere lumen interdiu ad cultũ Dei, alienũ ſit à ſacra ſcriptura, cur à vobis ita mordicùs retinetur?

Exemplũ Satyri.
Exemplũ Benedicti.

Vnde autem ea res ortum habuerit, non eſt difficile coniectura conſequi. Primis illis temporibus, cum Chriſtiani à principibus infidelib. vbiq; vexarentur, nec auderẽt interdiu accedere ad ſacros cœtus, cogebantur modò noctu, modò horis antelucanis inter ſe in aliquam domum conuenire. Illo tempore ad pellendas nocturnas tenebras neceſſe erat accendi lucernas & cereos. Sed ita factum eſt, vt, quod primùm neceſsitas inuexerat, id poſteà data pace Eccleſijs, κατὰ ζηλίαν continuaret. Hoc autem nihil facere ad cultum Dei, non ita eſt abſtruſum, quin vt à pueris quoq; videri poſsit. Huc etiam acceſsit prætereà ſuperſtitioſorũ hominũ peruerſitas: qui antiquatas ceremonias Iudæorum omnib. temporib. in Eccleſiã Chriſti miro ſtudio conati ſunt inuehere: &, ne noſtra templa minus auguſta viderentur, quã vetus Iudæorũ

Vnde vſus luminum in Eccleſia.

tabernaculum, in quo interdiu, noctuque lucebat aureum candelabrum, in nostris sacris cœtib. interdiu, & clara luce candelas & cereos accēdi voluerūt. Hęc illa est καθζηλία, & superstitio, quam nostri iure, meritoque taxant. Neque ista ab illis ita referuntur, vt si euincatur, Christo præsenti deberi adorationem, eludant veritatem. Causabuntur fortasse adorationem illam absque candelis & cereis adhibendam esse: ideoque contendent, aduersarios nec rectè nec ordine facere, qui istis nugis in sacris conuentibus abutantur. Nunquam fuit animus nostrer de honore Christi quicquam imminuere. Imò id vnum agimus, & contēdimus, vt ille ab omnibus verè, & castè adoretur, quamuis fumum istum lucernarum, & cereorum ex hominum oculis auferamus. Addimus etiam, adorationem illam deberi Christo sedenti ad patris dextram in cœlo, non autem tanquam delitescenti sub speciebus panis & vini. Verùm operę pretium est audire, quemadmodum probet, sacramentum esse adorandum. *Illud tenendum est* inquit, *Doctores Catholicos, qui adorationem adhibendam censent, Christum, cui adoratio debetur, verè præsentem sentire. De qua quomodo patres suis scriptis prodiderunt, non grauabor adscribere. Ordiar autemà Nazianzeno, qui sic scribit: Quid igitur magna, & maximis digna faciebat anima? & quodnam aduersus infirmitatem remedium habebat? Iam enim occultum proditur. Cùm iam de omnibus desperasset, ad omnium confugit medicum: noctisque captauit solitudinem, cùm illi morbus paruas concessit inducias. Ante altare cum fide procubuit, ac illum, quem super altare venerabatur, magna voce, & omni inuocauit conamine, eique miracula cuncta, quæ olim fecerat, in memoriam reduxit. Hæc Gregorius. Ex quibus verbis liquet, obseruatum tum fuisse, vt Christus super altare coleretur. Cuius altaris expressio istis occurrit, qui dicunt, patres sensisse Christum in cœlis adorandum.* Imò Gregorius super altari dicit. Hic te, pie lector, oportet in primis attentum esse, & quod ego te moneo, diligenter obseruare. Salutem nostram non ita committendam esse dictis, & sententijs quorundam patrum, vt, quicquid illi factum aliquando retulerint à sanctis viris, aut laudarint, sine iudicio, sine examine, sine regula & amussi diuinarum literarum debeamus necessariò recipere. *Omnia probate*, inquit Paulus, *quod bonum est, tenete.* Et Deus in Deuteron. monuit populum suum, vt ne prophetæ quidem crederent, si ad idololatriā incitaret. Quamobrem, si vel verba Gregorij, vel factum Gorgoniæ, vel patrum aliquorum, quantumuis antiquorum, & piorum sententiæ, vel denique, vt Apostolus ait, Angelus de cœlo, nos prouocare velint ad adorandā sacramenta, & honorem diuinum rebus creatis exhibendum, sine vlla exceptione anathema sunto. Hæc ego ideo prefari volui, non quòd antiquos illos patres hac tam crassa idololatria cōtaminatos fuisse putem, sed ne, si aliquando, quod absit, tales fuisse deprehendantur, quisquam nostrum eorum aut scripto, aut exemplo adductus aberret à iusta obseruantia diuinæ legis.

Non statim quibuis patrum dictis credendum est.

Vtq; de hoc Nazianzeni loco primū dicā, hoc primum video, Inconstantiū in eo referēdo parùm synceriter se gessisse. Nō .n. vt debuit, integrā historiā retulit: sed ab illis, quę sequebantur, de industria abstinuit, quod ea suis imposturis manifestè videret refragari. Gregorus. enim cum dixisset, vt iste retulit, *Magna voce, atque omni conamine inuocauit*, statim subiecit, σοφὴ γὰρ ἐκείνη καὶ τὰ παλαιὰ, καὶ τὰ νέα, τέλεον ὑστεροῦσα πίνα, καὶ καλῶς ἐναντίαν ἀναιρωτέα. Μιμεῖται τὴν τοῖς κραιπαλοῖς χεῖρον ξηράναντα τὸ κλινὸν αἷματος. Καὶ τί ποιεῖ; τῷ ἰχῶρι τῶν κεφαλῶν ἑαυτῆς ἐπισχοῦσα, μὴ τὴν ἰσης βοης, καὶ ὁμόκλυστον τοῦτο τοῖς ὠσὶ τοῦ πάλαι τοὺς πόδας χρίσαν καὶ ἐξιάσασα, καὶ μὴ πρότερον ἀνῆκεν, ἢ τὴν ὑγείαν τυχεῖν ἀπείλησαι, εἰπὼν τῷ παρ' ἑαυτῆς Φαιδράκῃ τοῦτο τὸ σῶμα πᾶν ἐπαλείψασι, καὶ εἴ πῃ τῶν τιμίων σώματος, καὶ αἵματος ἡ χεὶρ ἐψαύσασα, τοῦτο καὶ μιγνῦσα τοῖς δάκρυσιν, ὧν ἐβάπτισεν αἵματος, ἀπελθεῖν ἐδίδου ἀποδομένη τὴν σωτηρίας. Hoc est. *Veterem quippe, ac nouam scripturam callebat: denique pia quadam, ac honesta impudentia impudens facta eam imitatur, cui sanguinis fons exiccatus est fimbrijs Christi. Quid verò facit? Adhæret capite ipsi altari, atque id pari clamore, plurimisq; lachrymis. vt quædam pridem fecit, pedes Christi lauit: & se non anteà dimissurā comminabatur, quam sanitatem consecuta esset. Deinde eo pharmaco, quod apud se habuit, totum corpus sibi perunxit: &, si quid è symbolis venerandi corporis & sanguinis alicubi manus recondidisset, id lachrymis perfudit. O rem admirandam. Statim salute recepta discessit.* Tria ex his, quæ Nazianzenus adiecit, & ego iam commemoraui, Inconstantius vidit suo commento refragari: & ob id veritus est ea lectori proponere. Primùm Gregorius hic sacramentum Eucharistiæ non simpliciter, & absolutè appellat Corpus & sanguinem Christi, sed eorum ἀντίτυπα, hoc est exemplaria, aut symbola. Deinde ex his apparet, ea non asseruata fuisse in altari, sed potius circumlata vel in veste, vel in sudario: eo videlicet in loco, in quo manus Gorgoniæ ea recondidisset. Ita enim factum legimus ætate Cypriani: & posteà Satyrum fratrem Ambrosii reliquias Eucharistiæ habuisse in orario suo colligatas. Postremò satis liquet, Gorgoniam non Eucharistiam adorasse, sed Christum ipsū, cuius altari assistebat. Suprà enim scribitur, τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μὴ τῇ πίστεως, καὶ ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον ἀναπαλαμένῃ. Hoc est, Ante altare cum fide procumbit: & illum, qui colitur in eo, magna voce, omnibus quę inuocationibus inuocabat. Quod nos reddidimus In ipso: videlicet altari, id Inconstantius reddidit, super altare: cum Græcè legatur, ἐπ' αὐτῷ. Quis autem dubitet, homines tum temporis in ipso altari veneratos esse Christum, cùm Deo, & Christo altaria dicata fuerint? Quam verò id rectè atque ordine fecerint, nunc non disputo. Iste autem fingit pyxidem, vel vt appellant, ciboriū positum fuisse super altari, vbi crustulum panis seruaretur: & Gorgoniam illud idolum adorasse. Neque dubitauit, ea verba sic accipere. Sic enim addit, *Cuius altaris expressio illis occurrit, qui dicunt, patres sensisse Christum in cœlo adorandum. Imò Gregorius super altari dicit.*

Locus Gregorij Nazianzeni.

Primū, si τὸ ἐπὶ τοῦ vrgēdum sit, semel tantū, nō bis, vt iste clāmat, vocabulū altaris positū est à Gregorio. Nō enim ait, Super altari, vt Inconstantius,

ſtantius, ſed ἐπ' ἀυτῇ. Sed ille veritus, ne parum attenderemus, pronomen illud referre altare, vocabulũ illud ipſum repetere maluit. At fruſtrà. Non enim ita ſumus impudentes, vt negare velimus ea dici de altari. Sed in ipſo altari Chriſtũ coli, id verò multo aliter intelligimus quã in Inconſtantius. Altare .n. typus Chriſti eſt, vt habetur ad Hebræos. Nam verum altare, de quo nos omnes comedimus & reficimur, Chriſtus eſt. Vnde qui refertur & ſignificatur, is inuocatur & colitur, non quaſi ille honor ſignis aut typis debeatur, cùm animum per fidem ad res ipſas, quę referuntur, oporteat attollere. Quare Gorgonia, vt Chriſtum ardentius precaretur, altari & ſacramenti reliquijs vti voluit. Iſtis enim rebus externis infirmæ hominum mentes ſolent non, parùm commoueri. Nazianzenus verò vt artificioſus & eloquens orator factum ſororis amplificationibus, & collationibus auxit, quantum potuit. Contulit enim eam cum muliere illa peccatrice, quæ in Euangelio legitur lauiſſe atque vnxiſſe pedes Chriſti: deinde etiam cum illa, quę à fluxu ſanguinis curabatur tontactu fimbriarum Chriſti. Gorgonia igitur ad altare acceſſit, & ἀντίτυπα corporis & ſanguinis domini ſecum attulit, vt ad precandum contentius & inflammatius incitaretur: dumque orando attingeret altare, capite videlicet in illud reclinato, Gregorius eam ait magna fide attigiſſe fimbrias Chriſti: cumque lachrymis illa ἀντίτυπα, que circumferebat, madefeciſſet, ait, eam lauiſſe atque vnxiſſe pedes Chriſti. Quis hîc non videat amplificationem Rhetoricam, vt quæ exhibita ſint ſymbolis, ea dicantur ipſi facta Chriſto?

Apage ergo hinc, Inconſtanti, cum tua iſta ſophiſtica, nec eã in his rebus importunè exerceas. Hic ego, quid à Nazianzeno in hac hiſtoria proponatur, candidè retuli, & quomodò res ea geſta fuerit ſimpliciter expoſui. Quare cũ Inconſtantij cauillo ſatis iã reſponſum ſit, ſupereſt, vt te, pie lector, tua maximè cauſa fideliter moneã, exẽplum iſtud Gorgoniæ & aliorum ſimilium, non eſſe proponendum nobis ad imitandũ, nimirũ, vt reliquas & fruſtula Sacramẽti no biſcum in ſudariolis, aut mantilibus circumferamus. Vis enim vniuerſa illorum eſt, vt ad ſacram cœnam adhibeãtur, vt comedantur, vt bibantur: quemadmodum dominus præcepit. Dum enim ibi vſurpantur, & verbis domini clarè atque apertè recitatis adhibentur, magnum ad ſalutem noſtram adiumentum adferunt: præter hunc autem vſum, nihil eſt in illis aliud, quam abuſus & ſuperſtitio. Deinde iſta muliercula, quod ſalua eius fratriſque Gregorij pace dicatur, videtur in Chriſtiana religione non ſatis fuiſſe inſtructa, quæ altari opus eſſe crediderit, vt preces ſuę à domino audirentur. Sacra quidẽ loca preces fideliũ reddunt efficaciores, ſi adſit piorũ cœtus. Dominus .n. promiſit, ſe effecturum quicquid à duob. aut tribus in eius nomine conuenientibus peteretur. Neque vnquam deeſt promiſſo ſuo: ſed quæcunque in ſacro cœtu impetu & impulſu ſancti ſpiritus poſtulantur, benignè largitur. Adeſt etiam orantibus in cubiculo & intimis penetralibus, qui ſacri conuentus copiam non habent. Pollicitus enim eſt, qui vel ſic orant, eos quoq; patrem cœleſtem, qui videt in abſcondito, auditurum. Eſt item id attendendũ, ſacram menſam, vbi cœna domini eſt celebranda, non propriè dici altare, licet patres ea voce paſsim abuſi fuerint, quod cùm feciſſent, plebs credidit illam ſacram menſam, Chriſti non minus ſymbolum fuiſſe, quam Hebræorum altare, ſicut epiſtola ad Hebręos interpretatur. Quod tamen non ita eſt: præterierunt quippe veterum vmbræ: vtque non amplius habemus altare, ſic illud genus figurę ac ſymboli apud nos deſijt, Chriſtiani tamen illis temporibus, moti plus quàm oportuit verbis patrum, in ipſa mẽſa ceu in ſymbolo Chriſti, eum conſueuerant adorare, quem in illo ſignificari putarunt. Quod autem ad præſentem diſputationem attinet, ſatis oſtendimus, Inconſtantium id, quod ſibi propoſuerat efficere non potuiſſe: nimirùm, vt ex verbis Gregorij, & exemplo Gorgoniæ adorationem Euchariſtiæ confirmaret. Neq; illi quicquam profuit, ea, quæ ſequebantur, ita callidè reſecare: aut vocem eam, quæ à Gregorio ſemel tantùm ſcripta ſit, ſemel atque iterũ inculcare.

Nunc nos ad alia quoque eius teſtimonia referanda conferamus. *Et de Chriſti*, inquit, *cultu in myſterio ſic loquitur Emiſſenus, in Sermone de corpore & ſanguine domini: Et ideo quia corpus aſſumptum ablatus eſt ab oculis noſtris, & ſideribus illaturus, neceſſarium erat, vt nobis in hac die Sacramentum corporis & ſanguinis ſui cõſecraret: vt coleretur iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretiũ: vt quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominis ſalute redemptio, perpetua eſſet eius redemptionis oblatio, & perennis illa victima, viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia. Hæc Emiſſenus, qui loquitur de iugi cultu per myſterium; quod Sacramentum altaris appellat Auguſtinus. Et Emiſſenus ait, Chriſtum inſtituiſſe, vt coleretur. Quare idem Emiſſenus eodem in loco accedentes ad altare hortatur: vt reſpiciant corpus Dei ſui, honorent, & mirentur. At enim, inquiet hic ſectarius, Non audio verbum Adorationis. At enim, inquam, rem iſte dicit. Et ex Ambroſio audiemus Adorationis verbum.* Quantum iſti Emiſſeno tribuendum ſit, equidem non video. Sed numeratur inter veteres, inquies. Scio equidem, Hieronymum de viris illuſtribus Euſebij Emiſſeni bis, terúe mentionem facere. An autem eius illa ſcripta ſint, quæ circumferuntur, mihi non eſt ſatis compertum. Verùm, ne videar nimis durus, per me auferat Inconſtãtius, quod quęrit. Sit ſanè ſcriptum illud Emiſſeni: modò mihi ne eripiat, quod ipſe pro ſua facilitate & candore nobis, quaſi neſcientibus indicauit: nempè in illa ſententia vocem Adorationis non haberi. Hoc.n. eius concluſionẽ multum impedit. Nam, quod comminiſcitur, rem ipſam ibi ſatis diſertè haberi, falſum eſt. Longè enim aliud eſt colere, aliud adorare, vt nos quidem nunc de Adoratione loquimur. Eam hic intelligimus adorationem, in qua ſit proprius & peculiaris honor vnius

An colerè idem ſit quod adorare.

vnius & ſummi Dei. Puerili enim animo & ingenio ſit neceſſe eſt, qui neſciat, monimenta & memorias rerum diuinarum aliquo modo coli & obſeruari opprtere. Coluntur enim viri graues: coluntur parentes. Ait enim quidam, Ego te ſemper, vt parentem colui. Colimus etiam domũ, colimus eos, quos amamus. Quodque ad rem etiam magis facit, coli dicuntur ea, quæ à nobis exercentur, & aliqua dignitate ornantur. Ita enim dicimur colere vitam, ſtudia, militiam. Quòd ſi Emiſſeni verba referas ad Sacramentum, dabimus non inuiti, id à Chriſto fuiſſe inſtitutum vt ab hominibus coleretur. Voluit enim, eos qui futuri eſſent ipſius diſcipuli, frequentes adeſſe, & ſancta panegyri participare Sacramento inter ſeſe, & myſterium ſuum colere. Quod tamen vbi fit, quis ibi dixerit, Sacramẽta ipſa vel à miniſtris, vel à communicantibus adorari? Sed quid agas? Turba iſta ſtupidiſsima Papiſtarum neſcit, nec quis honor, nec quis vſus ſit Euchariſtiæ. Omnem enim honorem in eo ponunt, vt ſymbola illa dũ vel tolluntur, vel circumferuntur, contentis oculis ſuſpicias, vt pectus tundas, vt brachia expandas, vt palmas iactes, vt ad terrã te proſternas, denique vt quiduis agas, quàm vt ex inſtituto domini edas & bibas, & eius mortem pio animo & fideliter commemores.

Non eſt adorandum ſacramentum, ſed res ipſæ in pretium ſunt oblatæ.

Sed verba iſtius Emiſſeni melius & preſsius expendamus. *Vt coleretur*, inquit, *iugiter per myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium.* Quis noſtrum dubitat, corpus & ſanguinem domini, vt pro nobis oblata fuerunt in pretium & redemptionem, coli oportere & adorari? Ad eius autem corporis adorationem & cultum per myſteria aut Sacramenta vehementer excitamur. Iſta clara ſunt, & noſtram ſententiam nihil lædunt: imò eam explicant potius & iuuant. Non enim docent, ſacramentum eſſe adorandum. Ne id quidem nobis vel pilum obeſt, quod addit, Vt perpetua eſſet redemptionis oblatio. Quia in Cœna domini celebranda communicantibus fit oblatio redemptionis, quando illis proponitur peccatorum condonatio. Quare ſi viua & efficaci fide apprehendant ea, quæ per myſteria ſignificantur, quæque verbis domini à miniſtro Chriſti nomine interpoſitis promittuntur, haud dubiè aſſequuntur redemptionem ſuam. Atque ita vox illa Oblatio, non ad Deum referenda eſt, ſed ad illos, qui animo pio ſacramentis veſcuntur. Illis enim, vti iam dictum eſt, offertur remiſsio peccatorum. At ſi quis eam vocẽ ad Deũ ipſum referre omninò velit, nõ tamen ille ſenſus fuerit, de quo Papiſtæ ſomniant, & ſanguinẽ Chriſti per ſacrificulũ in Miſſa offerri Deo patri: ſed redemptionis oblationem ſemel à Chriſto in cruce exhibitam illo ſacramento commemorari, & quodammodo ſub oculis poni, ac de illo gratias agi.

Quomodo Euchariſtia dicatur redẽptionis oblatio

Auguſtinus.

Neque alienum eſt vel à ſcripturis, vel ab vſitata patrum loquendi formula, vt oblationis myſterium, ſeu ſacramentum oblationis ipſius nomine appelletur: vt Auguſtinus teſtatur ad Bonifacium, & Cyprianus, & Chryſoſtomus in epiſtolam ad Hebræos. Sed quid opus eſt alijs teſtibus? Ipſe hoc teſtatur Emiſſenus. Addit enim, Vt perennis illa victima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia. Videmus hic Emiſſenum vnà cum alijs patribus ſtatuere oblationem illam corporis & ſanguinis domini in ſacramento, poſitam eſſe in memoria, non autem Chriſtum in ſingulis miſsis à ſacrificulo offerri Deo patri.

Cyprianus. Chryſoſtomus.

Sed cũ Inconſtãtius noſter tam Lynceos oculos habere exiſtimetur, quomodo non vidit Emiſſenum iſtum clariſsimè docere, quo pacto viua victima, hoc eſt corpus & ſanguis Chriſti, præſens adſit in ſacra Cœna? Ait enim, *Vt ſemper præſens eſſet in gratia.* Præſens eſt in Cœna dominus: præſens eſt eius caro. At quomodo? Non ſanè realiter, aut corporaliter, ſed per gratiam. Quamobrem ſi hæc habemus præſentia, quid plura quærimus? Crede Inconſtanti, crede ſaltem tuis teſtibus. Non illos ego produco, ſed quod à te ipſo allatum eſt accipio. A verbis autem Emiſſeni ne latum quidem vnguem diſcedo. Nondum enim audiuimus ex eo, ſacramentum eſſe adorandũ. Sed in eodem loco, inquit Inconſtãtius, hortatur accedentes ad altare, vt ſuſpiciant corpus Dei ſui, vt honorent, & mirẽtur. Sed cur verba eius non deſcripſit? Videlicet, quia voluit ſibi potius credi. Vidit enim in illis verbis, vt ab authore ſcripta ſunt, eſſe quiddam, quod noſtrã cauſam valdè iuuare poſsit, ſuam autem prorſus euertere.

Caro domini præſens eſt in cœna, non realiter ſed per gratiã.

Sed facito, ita eſſe, vt Inconſtantius commemorauit. Nos quoque fatemur, communicantes monendos eſſe, vt corpus Dei ſui ſuſpiciãt. Sed quibus oculis? Non corporis, ſed animi: hoc eſt, oculis fidei. An realiter, & corporaliter præſens? Certè hoc Emiſſenus non dicit. Incõſtãtius hoc fingit, & pro ſuo more id, quod probandũ erat, quaſi demonſtratum, & confeſſum ſumit. Sed videat, quid agat: ſciat ſibi cum illis rem eſſe, qui hominũ inuentis non tantum tribuant. Verum vt ſententiam Emiſſeni clarius exponamus, Omnes, quicunque ſumus Chriſtiani, corpus Chriſti tanquam noſtræ redemptionis pretiũ, oculis fidei ſpectare, & contẽplari debemus: idq; tum maximè, cũ accedimus ad Cœnam domini. Neq; aliud fideles Eccleſiæ miniſtri optare magis debent, quã vt homines ipſorũ curæ cõmiſſi interim, dum verbũ Dei audiũt, & ſacra myſteria celebrãt, Chriſtũ ſeruato rẽ ſuũ ſerio intueãtur, & habeãt in oculis mẽtis, ac ſi viderẽt eũ depictũ, aut, vt Paulus ait ad Galatas, corã crucifixũ. Atq; vtinã aliquãdo experiamur, Chriſtianos æquè commoueri audito Euãgelio, & perceptis ſacramẽtis, atq; ſi dominus re ipſa inter eos, & corporaliter verſaretur.

Oculis fidei corpus Chriſti cõtẽplamur in Cœna.

Apparet Inconſtantiũ nunquã interfuiſſe idololatricis ſpectaculis cõcionũ Paraſceues matoris hebdomadæ. Ibi enim concionator aliquis, vel, vt verius dicã, Clamator, & rabula, vt vulgo & mulierculis lachrymas & clamores excitet, expoſitis omnibus Chriſti tormentis & cruciatib. attollit imaginẽ eius iã crucifixi,

Mos Papiſtarum in die Paraſceues.

& popu-

& poculo clamat, Videte, atq; intuemini dominum vestrum crucifixum. Hic ille est, qui peccata vestra expiauit. Anne dicet iste noster, Concionatorem istum suum mentiri, nisi corpus Christi realiter prẽsens sit in statua? Sed satis multis opinor, respõsum est ad Emissenum.

Ambrosius. Videamus iam, quid dicat Ambrosius. Nam eum quoque citat plenis buccis. Is de spiritu sancto libr. 3. cap. 12. ita scribit: *Itaque per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in domino Iesu, vt supra diximus, adorarunt. Neque enim diuisus est Christus, sed vnus. Hæc Ambrosius,* inquit Inconstantius, *quid de Adoratione loquitur disertis verbis. Addit, in mysterijs, ne de Christi in cœlo adoratione loquutum quis cauilletur. Ambrosium imitatur Augustinus eũdem Dauidis locum explicans in psalm. 98. qui sic scribit: Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam ad manducandum nobis ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum domini, vt non solũ peccemus adorando, sed peccemus non adorando. His verbis ostendit Augustinus adorationem carnis Christi in sacramento tum à fidelibus obseruatam, lucem illi dedisse, qua perspiceret reconditum sensum illorum verborum Dauidis. Adorate scabellum pedum eius. Tam erat illis temporibus certa adorationis traditio.* Hæc verba Inconstantius maiori citat confidentia, quòd ea eminus tantùm considerarit. Nam si ea propius inspexisset, primùm, vt opinor, hoc illi venisset in mentem, neque Ambrosium, neque Augustinum, aut hîc, aut vspiam alibi scribere, sacramenta esse adoranda. Atqui hoc tantùm est in controuersia. Quid ergo aiunt? Carnem Crhisti in mysterijs adorari. Hoc nos fieri oportere, non negamus. Christum enim vbique & in verbo suo, & in sacramentis ab ipso institutis adoramus. Statim enim, audito nomine Iesu, caput aperimus. Et in Italia, cum in Euangelio legitur, *Et verbum caro factum est*, cum que ex symbolo recitatur, *Et homo factus est*, omnes astantes procumbunt. At cum Christus in ijs verbis pura sinceraque fide adoretur, an in illis credemus realiter, & corporaliter esse Christum?

Augustinus.

Deinde hoc etiam Inconstantius vidisset, nec Ambrosium, nec Augustinum, cum dicerent corpus Christi adorari in mysterijs, eius corporalis & essentialis præsentiæ vllam fecisse mentionem. Si Regem in suis insignibus, in literis, in nuncijs, in sigillis veneramur, quamuis eum sciamus in illis nõ esse inclusum: quid obstat, quò minus fideles venerari possint Christum in recto sacramentorum vsu, etsi ille interim cõtineatur in cœlis? Quòd si istis exemplis Inconstantius non habet fidem, respondeat saltem nobis de imagine Crucis, quam negare non potest à suorum Papistarum grege passim ac revera superstitiosè adorari? Quid an illi adorant lignum, aurum, argẽtum? Nunquam hoc dicet. Sequetur potius suum illud Concilium Nicænum, & ex sententia Constantini episcopi Constantiæ, quæ est in Cypro, respondebit, adorationem illam ad σχετικὸν esse referendam: & imagines illas aliqua veneratione susci pi: λατρείαν tamen ipsam, vt in eodem Concilio dixit Tharasius patriarcha Cõstantinopolitanus, beatæ Trinitati reseruari. Quare si adoratio ea, quæ ab Antichristi mancipijs contra verbum Dei impẽditur picturis & imaginibus, non ad signa refertur, sed ad res significatas, cur non potest idem fieri in sacramentis, etiamsi in illis non adsit realiter, & corporaliter caro Christi?

Concilium Nicænum sub Irene. Constantinus episcopus Constantiæ.

Tharasius.

Qua fronte hic nobis obicijunt absentiã corporalẽ magis hic impedire adorationẽ, quá in statua, aut in cruce? Nisi fortè, vt sunt audaces, & omnia fingunt & refingũt pro libidine, statuas quoq; velint trãsubstantiare: & sub illarũ etiã speciebus, & accidentibus corpus & sanguinem Christi concludere. At si modestius volunt agere, & eas relinquere in natura sua, & in illis tamen Christum corpore absentem adorare, quo iure nos impediunt, quo minus idem in Eucharistiæ vsu faciamus? qua tamen in re nostra causa multò potior est, quàm illorum, quod nos ad cultum Dei non humanis inuentis vtimur, vt illi contra Dei expressissimũ verbum statuas & imagines adorant, sed tantùm mysterijs à Christo institutis.

Nolim tamen, lector, te ex his colligere, me probare adorationem imaginum. Nam istis exemplis in eum tantum finem abuti volui, vt perspicuè videres, eius argumenti, quo iste tantoperè confidit Inconstantius, quanta sit infirmitas: Quemadmodum enim propter adorationem, quam isti exhibent imaginibus, non sequitur, corpus & sanguinẽ Christi in illis realiter includi: ita ex eo, quòd patres dicũt, Christũ in sacris misterijs adorari, non sequitur, in illis realiter & substantialiter esse corpus Christi.

Improbanda est adoratio imaginum.

Adhæc videre potuisset Inconstantius, nisi ista sophisticè tractare maluisset, id quod Augustinus ait, cum nostra sententia non pugnare: Neminem illam carnem manducare, nisi prius adorauerit. Non enim iudicamus, Christi mensam posse à quoquã dignè vsurpari, nisi qui Christi carnem pro nobis traditam in cruce pura fide & syncero spiritu adoret. ex eo tamen non conficitur, vel Sacramenta ipsa & symbola adorari, vel corpus & sanguinem domini in illis realiter adesse.

Cæterùm quoniam visum est huic homini citare Augustinum, non video, cur non mihi quoque liceat sententiam eiusdem patris hac ipsa de re scriptam proferre. Is in libro 3. de Doctrina Christiana cap. 9. ita scribit: *Qui aut operatur, aut veneratur vtile signum diuinitùs institutum, cuius vim, significationemq; intelligit, non illud veneratur, quod videtur & transit, seu illud potius quò talia referenda sunt.* Sed ne Inconstantius clamet, hæc non pertinere ad Eucharistiam, legat ea quæ sequuntur: & ea audiet, & ad Baptismum & ad cœnam accommadari. Alia quoque sunt, quę in istis Ambr. & Aug. verbis Incõstantius videre potuisset, si ea apud se voluisset expẽdere.

Sed istis ille non contentus, alia verba citat Augustini, quæ leguntur in epistola 120. ad Honoratum, ad hunc modum: *Neque verò fruſtrà ita diſtincti ſunt, vt de pauperibus ſuprà diceretur, Edant pauperes, & ſaturabuntur: Hic verò, Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipſi quippe adducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de corpore & ſanguine eius. Sed adorant tãtùm, non etiam ſaturantur: non enim imitantur. Manducantes enim pauperem, dedignantur eſſe pauperes. Quia Chriſtus pro vobis paſſus eſt, vobis relinquens exemplũ, vt ſequamini veſtigia eius. Et in ijs verbis manifeſta eſt mentio adorationis Chriſti & veræ præſentiæ, cum fateatur Auguſtinus manducari pauperem, ſignificans Chriſtum, quemadmodum alijs etiam eiuſdem verbis conſtat, in pſalm. 21. Manducauerunt, inquit, & adorauerunt omnes diuites terræ. Manducauerunt corpus humilitatis ſuæ etiam diuites terræ: nec ſicut pauperes ſaturati ſunt vſque ad imitationem: ſed tantum adorauerunt. Hæc Auguſtinus, qui de adoratione loquitur quomodo à maioribus acceperat.* Quoniam de adoratione, quam pij cõſueuerunt adhibere ad Sacramenta, ſatis iam diximus, vt non dubito, ex illis, quę iam dicta ſunt, facilè liquere poſſe, quo modo iſta verba Auguſtini ſint intelligenda. Nam quod ad ſuperiorem locum reſponſum eſt, huic quoque loco poteſt ſatisfacere. Nam Auguſtinus in epiſtola ad Honoratum eundẽ illum Pſalmum 21. eodem modo exponit, quo in Commentarijs. Poterat ergo Inconſtãtius, niſi eſſet profuſus & prodigus verborum, ab altera iſtarum machinarum abſtinere.

Mihi nunc id ſolùm ſupereſt expendendum, quòd ait, pios, cum communicant, comedere Chriſtum pauperem. Qua loquutione ſophiſta putat realem manducationem carnis Chriſti demonſtrari. Ego verò ſecus iudico. Videamus ergo, vter noſtrum rectius ſentiat. Quare Chriſtus hoc loco appelletur pauper, Auguſtinus ipſe explicat. Primùm, inquit, quia paſſus eſt pro nobis. Deinde, quia manducauerunt corpus humile. Sed hoc velim mihi reſpondeat Inconſtãtius, num corpus Chriſti, cum iſta Auguſtinus ſcriberet, fuerit adhuc paſsibile. Negabit, ſi ſapiat. Paulus .n. ad Romanos ait, *Mors illi vltrà non dominabitur.* Et, *Quòd mortuus eſt, mortuus eſt ſemel.* Hoc etiam reſpõdeat, an caro Chriſti Auguſtini tempore fuerit humilis. Ne id quidem dicet, opinor: niſi prorſus inſaniat. Omnes enim credimus, Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, & ſedere ad dexteram patris in ſumma gloria. Quare ſi adeſt in cœna realiter, ſubſtantialiter, corporaliter, vt iſti perpetuò clamant, nõ patibilis, aut humilis, ſed impatibilis & glorioſus adeſt. Non ergo pauperem comedimus, ſed glorioſum & opulentum. Auguſtinus ergo cum dicit, Chriſtum in cœna pauperem comedi, ſignificare voluit Chriſtum à nobis ita fide apprehendi, vt noſtra cauſa paſſus eſt in cruce, vtq; humilimas atque abiectiſsimas contumelias pertulit.

Quomodo in communione manducemus Chriſtum pauperem.

Quare ſi velis Auguſtinum loqui de reali & corporali manducatione, non eſt verum quod ait: Chriſtus enim nunc pauper nõ comeditur. Regnat enim cum patre in gloria. At ſi de ſpirituali manducatione loquatur, quæ animo & fide conſtat, Chriſtum comedimus crucifixum, non tantùm humilem. Non ergo magnoperè extimeſcere debemus congreſſus iſtos magnificos Inconſtantij: imò eum potius orare atque obſecrare, vt huiuſmodi teſtes plures adferat. Illorum enim conſentientiſsimis ſuffragijs noſtra cauſa non parùm confirmatur. Taceo verò Auguſtinum ipſum non obſcurè docere, quam intelligat manducationem. Nam ſaturitatem, quæ illam conſequitur, per allegoriam vult eſſe imitationem. Cum autem Conſequens ſit metaphoricum, quis neget, in Antecedenti eſſe tropum?

Sed fortaſſe Inconſtantius erit paulò fortunatior in Chryſoſtomo: nam ex eius homilia 24. in priorem epiſtolam ad Corinthios citat hæc verba: *Hoc corpus in præſepi reueriti ſunt magi, & viri impij, & barbari longo itinere confecto cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur barbaros ſaltem nos, qui cœlorum ciues ſumus. Hæc Chryſoſtomus. Et ſentire eum, dum dicit, Hoc corpus, illud Chriſti corpus eſſe, ſequens eiuſdem teſtimonium declarabit, in eodem loco: Magi, inquit, cum id præſepe & tugurium tantum (neque enim quicquam eorum, quæ tu nunc intueris, viderunt) cum ſumma acceſſerunt reuerentia & horrore. Tu verò non in præſepi id, ſed in altari: non mulierem, quæ in vlnis teneat, ſed ſacerdotem & Spiritum abundè ſuper propoſito diffuſum ſacrificio vides, nec ſimplex, vt illi, corpus intueris, ſed etiam potentiam & omnem cognoſcis adminiſtrationem. Et nihil eorum, quæ per ipſum facta ſunt ignoras: & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur, horreſcamus, & maiorem, quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem. Hæc Chryſoſtomus: qui confert præſentiam corporis Chriſti in myſterijs, cum præſentia corporis Chriſti in præſepi: atque ita docuit populum, vt exemplo Magorum Barbarorum, eos excitaret ad adorationem. Et quiſquã cum hæc legerit, vel de adoratione, vel de Chriſti in myſterio præſentia, ſit ne realis, nec ne ſit, audebit ambigere? Et de adoratione idem Chryſoſtomus in Liturgia tradit, & quid ore etiam dicant adorantes: ſic enim ſcribit: Qui ſuprà vnà cum patre ſedes, & hic vnà nobiſcum viſibiliter verſaris, dignare potenti manu tua nobis impertiri impollutum corpus tuum, & precioſum ſanguinem, & per nos toti populo. Deinde ſacerdos adorat, & diaconus in eo, in quo eſt loco, ter ſecreto dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori: & populus ſimiliter, omnes cum pietate & reuerentia adorant.* Hæc Chryſoſtomus quem ſolum produxiſſe fuiſſet ſatis. O quàm ſuauiter ſibi placuit Inconſtantius, cum ita corrogaret è Chryſoſtomo? Proculdubio videbatur ſibi audire paraſitos ſuos applaudentes. Quid quæris? Tantùm hîc non triumphat. Sed in ſumma quid colligit? Ait inter ſe comparari præſentiam corporis Chriſti in altari, & illam quæ erat in præſepi. Audio: & fateor. Adeſt præſens vtrobique. Sed an ne etiam eodem modo? Probet id Inconſtantius ſi poteſt. Corpus Chriſti eſt in altari per ſignificationem: quoniam in eo ſunt eius ſymbola, quæ, vt ſæpè diximus, rerum nomina ſortiuntur. Venerunt Magi

Chryſoſtomus.

Quomodo corpus Chriſti ſit præſens in altari.

Magi ad præsepe, quos tamen ego cum Chrysostomo impios homines non appellarem. Ita nos quoque accedere debemus ad altare. Viderunt illi infantem iacentem in præsepi, aut in vlnis Beatæ virginis: nos in sacramento corpus eius ad mortem traditum contemplamur. Illi adorarunt ad præsepe: nos monemur, vt eundem Christum adoremus in perceptione sacramenti, idque mente saltem sublata in cœlum.

Christ⁹ Eucharistiam administrauit sedẽtib. seu discumbentibus.

Nam vt prostrato corpore, aut genu flexo eo tẽpore adoremus, verbo Dei non monemur. Imò Christus Eucharistiam Apostolis vnà secum sedentibus aut discumbentibus exhibuit. Quid ergo tantopere exultat Inconstantius? Nihil.n. hactenus confecit, quod nostræ sententiæ aduersetur. Conferuntur, inquit, inter se duæ prę sentiæ. Fateor. Sed non eiusdem generis. Adorationem agnoscit, & postulat Chrysostomus: illã nos nõ negamus, modò ne ea in sacramenta ipsa feratur, sed in res significatas. Vide, lector, telũ illud, quod Inconstãtio videbatur inuictũ, quàm facilè ex eius manibus sit excussum.

Sed fortasse tibi adhuc idem videtur, quod visum est illi: Chrysostomum putasse corpus Christi esse nunc in altari eadem prẽsentia, qua fuit olim in præsepi. Verba quidem, fateor, id aliquo modo præ se ferunt. Re autem vera Chrysostomum ita non sensisse duobus argumẽtis potest colligi. Primùm enim ille ad exaggerandas laudes Cœnæ dominicæ, & efferendum singulare donum Christi, vsus est sermone hyperbolico. Id ex eo apparet. quod ait, nos videre spiritum abundè diffusum super propositio sacrificio. Quis enim vnquam oculis suis, aut sensu aliquo potuit apprehendere spiritum? Et paulò infrà addit, ipsum Christi corpus videri à nobis. Corpus inquit Regium, quod est in cœlis, nunc in terra tibi videndum proponitur. Atqui nos symbola tantũ eius corporis & sacramenta videmus. Nã ipsum quidẽ domini corpus ne Inconstantius quidem dicet videri à quoquam, imò illud inuisibile esse prædicat. Chrysostomus autem hac hyperbole nõ contentus, addit: Quod omnium maximum est, atque præcipuum, in terra non conspicaris tantùm, sed etiam tangis. At nemo mentis compos dicit se in Eucharistia tangere corpus Christi. Nam nec visus, nec tactus, nec odoratus aliud in sacramentis esse renunciant, quàm panem, & vinum, vt Augustinus ait: vtque nos quotidiè experientia ipsa docet. Quare cùm sermo ille Chrysostomi sit hyperbolicus, qualis etiam Pauli fuit ad Galatas, cùm diceret, Christum illis ob oculos fuisse crucifixum, nõ oportet eum ad simplicem intelligentiam reuocare,

Chrysostomus vtitur hyperbole.

Corp⁹ Christi nõ in altari sed in cœlo quærẽdum est.

Deinde quod attinet ad realem præsentiam, idem Chrysostomus in eadem homilia scribit, corpus Christi non in altari, sed in cœlo animo & spiritu quærendum esse: Sic loquitur: *Iubet nobis, vt concordia, & charitate maxima ad se accedamus, & aquilæ in vita facti ad ipsum cœlum euolemus, vel potius supra cœlum. Vbi enim cadauer, inquit, ibi & aquilæ. Cadauer domini corpus est propter mortem, nisi enim ille credidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas autem appellat, vt ostendat, ad alta illũ oportere cõtendere, qui ad hoc corpus accedit: & nihil cũ terra debere illi esse cõmune, nec ad inferiora trahi, aut repere, sed ad superiora semper volare, & in solẽ iustitiæ intueri: mentis oculum acutissimum habere. Aquilarum enim, non graculorum, hæc mensa est. Et tunc occurrent è cælo descendenti, qui nunc meritò fruuntur: quemadmodum, qui nunc indignè, vltima patientur.* Audis Inconstanti, vbi propriè quærendũ sit Christi corpus? In cœlis, inquit Chrysostomus, non autem in symbolis, quæ vsurpantur, & tractantur in altari. Qui aquilæ sunt, alis spiritus, & fidei subuehuntur in cœlum: atque ibi vident, & contẽplantur Christum. Vultures autẽ, quorum è genere est Inconstantius, Christianos, non aquilas esse volunt, cum communicant, sed graculos. Quare & ex hyperbolico genere sermonis, & ex illis verbis, quibus Chrysostomus vsus est ab initio huius homiliæ, satis liquet, illum non statuere corpus Christi esse in altari eadẽ prorsus præsentia, qua olim infans iacuit in præsepi. Est quidem vtrobique, sed non eadem ratione.

At obijciet, Cur ergo scribit Chrysostomus: nos occursuros Christo descendenti de cœlo, nisi quod crederet, illum verè ac realiter sese ad sacramentum Eucharistiæ demittere? Erras Inconstanti, longè extra oleas. Chrysostomus enim ibi loquitur de Vltimo Christi descensu, quo sub finem mundi venturus est ad iudicandum: ait enim: *Vt qui sacramentum indignè percipiunt, tunc extrema patientur: ita qui nunc sacra mensa meritò, hoc est, dignè fruuntur, in fine mundi occurrent domino de cœlis venienti:* Quibus verbis alludit ad sententiam illam Pauli ad Thessalonicenses: *Nos qui viuemus, qui reliqui erimus, simul rapiemur cum illis in nubibus in occursum domini in aera: & sic semper cum domino erimus.* Hunc illi fructum habebunt, inquit Chrysostomus, qui in mensa domini, non graculi sed aquilæ fuerint, quique ad cœlum fide, ac spiritu euolarint, vt non solum ibi lætentur, & fruantur præsentia Christi, inuitati verbis diuinarum literarum, & sacramentis: sed etiam ad finem mundi Christo venienti ad iudicandum occurrant obuiam.

Quomodo Christo descendenti è cælo dicamur occurrere.

De liturgia verò Chrysostomi non multum dicendum arbitror. Eam enim non arbitror esse Chrysostomi. Atque ea de re, ab initio huius libri tantum mihi dixisse videor, quantum æquo lectori foret satis. Hoc tantùm nunc addendum censeo, illa verba, quæ citauit Inconstantius, *deinde sacerdos adorat*: in meo exemplari non haberi. Quanquam id non magni refert. Huiusmodi enim adorationes ad sacramenta, vt sæpè diximus, non prorsus natura sua damnandas iudicamus: modò illæ non ad externa signa, sed ad res significatas referantur, & modò ne fenestra ad superstitionem aperiatur: alioquin adorare licet ad eius verba, siue visibilia ea sint, siue audibilia. Sed quoniam Inconstantius sub nomine Cypriani, Dionysij, Bernardi, Theophylacti, Damasceni muta tantùm

citauit testimonia, vt illorum verba non produ ceret, si nihil illis respondeo, non video, cur debeam reprehendi. Quid enim illi responderi potest, qui nihil dixerit?

Quare nunc accedamus ad eius peroratione m. *Ideo nunc candelas suas accendere iubeo sectarium istum, vt Doctores Catholicos propius adhibita luce intueatur, num quæ refero, scripserint de adoratione. Qui, quoniam ita tradiderunt, sentiat se victum suo argumento, vt quia à negatione adorationis consequi putauit corporis Christi absentiam, nunc ab eiusdem adorationis certa confessione, quæ ex doctoribus Catholicis liquet, confiteatur cum Ecclesia corporis Christi præsentiam.* Iubet nos Inconstantius lucernas accendere. Festiuè verò, vt ipse sibi videtur, vt autem alijs, non dubito, quin haud magno cum lepôre. Accendere candelas & adhibere lumen ad sanctos patres intelligendos, nos nunquam putauimus ita esse vitiosum. Ideoque id vel iniussu Incôstantij & fecimus semper, & facimus. Vter autem nostrûm duorum plus luminis adhibuerit, res ipsa declarat. Certè quæ de adoratione ita copiosè citauit è patrib. illa eum docuimus non intellexisse. Sed sinamus eum aliqua etiam cum venia errare. Nam cùm ad conficiendum & adorandum suum crustulum, tantû candelarum tam prodigè accendisset, posteà legenti & scrutanti patres lumen defuit. Quare illum pro nostro iure monemus, vt candelas à suis illis potius placentis remoueat, quàm vt illarum penuriam in suis lucubrationibus patiatur. Ita fortasse & plus veræ pietatis, & minus stolidorum conuitiorum obtrudet orbi terrarum. Nos certè, quoniam scimus Christum nô semper vbicunque esset, imò ne tum quidem cùm inter Apostolos discumberet in cœna, fuisse adoratum, vt à negatione adorationis non concludimus, negandam esse præsentiam corporis Christi ita, si interim dum Sacramenta administrantur, adoratio à patribus adhibeatur, ex eo Inconstantius realem & substantialê suam præsentiam nunquam probabit.

OBIECTVM XXXIX.

Papistæ veri Antichristi sunt, qui populum simplicem deceperunt, eos ad horribilem idololatriam inducendo, vt adorent res visibiles suis manibus factas, persuadentes creaturam esse creatorem. Nam alioqui cur relinquerent homines sedes suas, cur ab vno altari ad aliud altare currerent, cur manus tollerent, nisi crederent, quod vident oculis corporeis, id se adorare? Cur sacerdotes eleuant Sacramentũ, nisi vt populus id adoret, quod videt? Et quorsum ista verba populi, Hodiè vidi factorem meum: nisi se putent eum adorare visibilem? Quòd si dicant, se non adorare externa Sacramenta, sed id, quod sub illis credunt realiter adesse, cur mutant locos, cur modò huc, modò illuc cursitant, vt spectent res visibiles, quas fatentur, se non adorare? Ita enim occasionem dant simplicibus, vt adorent, quod vident. Cur non in locis potius suis quieti sedent, & adorant Deum in spiritu & veritate?

GARDINERVS.

VEhemens est hæc asseueratio & inuidiosa: quam non argumentis, sed quæstionibus ab ignorantia natis conatur confirmare. Quid ego audio? An facit ille, quæso, creaturam creatorem, qui Christum in sacramento præsentem exigit adorari? Quò, inquit, alioqui? Quare relinquunt sedes? aut quare eleuat sacerdos, nisi vt videatur, & adoretur, quod est visibile? Audi, Lector, quid refero. Hic si ea, de quibus quærit, nescit, cur pugnat in tenebris & quod ignorat, reprehendit? Sin scit, cur quærendo exaggerat tractandi forma, vt faciat ex musca elephantem? Nam quæ hîc quæruntur, facilè est expedire.

MARTYR.

NE tantùm putemur næuos, & leuia quædã vitia reprehendere, intelligat lector, hoc argumento, vel potius hac reprehensione (illa. n. quæ si à nobis proferuntur, non habent formã argumentationis) taxari impiã ἰδιολοτρικὴν Papistarũ: quòd homines Christiani: quos oportebat in templo summa cũ grauitate: & ordine, & decoro versari, tam stultè atq; immode stè puerorum, vel potius morionum in modũ ad quærendũ Christum huc atq; illuc cursitẽt: quo cũ perpetuò versantur, modò rectã fidẽ obtineant, vbicunq; demũ terrarũ fuerint. Non. n. possunt prætexere, se ea causa id facere, quòd sacramento à Christo instituto vti velint. Illud. n. nõ percipiunt. Et dubitat Inconstantius, an qui ista tradat aut doceat, ex creatura faciat creatorẽ? Cur, quæso, minus, q̃ is, qui ligneã, aut lapideã statuã iubeat adorari? Nam vt ille ex lapide aut ligno facit Deum: ita vos panem prædicatis [illegible] & substantialiter esse corpus Christi.

Verùm quoniam iactat, facilè esse se explicaturum, audiamus sanè, quid afferat: *Qui sedes, videlicet, relinquunt & ab altari ad altare discurrunt, leuantes manus, magnã vi certè fidẽ exprimũt, quæ corpori alacritatẽ in hæc officia addit: quando his nimirum officijs, quod de Eucharistia verè creditur, ad reliquos excitandos hoc gestu corporis quasi quodam sermone fides profert in confessionẽ: quã de loco in locũ currentes, apud omnia altaria, vbi mysteriũ celebretur, iterũ atq; iterũ gestiunt repetere. Vbi nõ adorant quid videnr, sed quod creditũ. Nec sacerdos eleuat, vt ab omnib. videatur, quod est visibile: sed vt Sacramẽtũ, quod in vsum futuræ cõmunionis omnib. paratũ est ab omnib. itẽ adoratione agnoscatur. Quod illud, Amẽ, tacitè insonat: Quod Amẽ, cũ populus rarior esset, ore solitũ erat respõdere.* Hoc verò Inconstanti, sophisticũ tantũ nugamentũ est, excusare insanas populi discursiones per tẽpla, quòd ad diuersas aras leuando manus & adorãdo, fidẽ suã testentur de Eucharistia, suaq; confessione alios extimulent ad rectè credendum.

Nam

Nam quæ apprehendēda fide & profitēda sunt, ea non humanis traditionibus & abusibus niti oporret, sed vno duntaxat Verbo Dei. Illo vero cū in hac causa destituamini, non minus insanitis circumcursitādo per altaria quā si vos ipsos ad statuas, & idola adoranda prosterneretis.

Duo igitur mendacia Inconstantius ceu filū filo conexuit. Primùm, eos, qui ita stolidè vagantur, rectè credere: Deinde eos ita immodestè se gerendo instituere alios, vt rectè credant. Quod autem addit, istos non adorare, quod vident, sed quod credunt, non possum non mirari, id istum potuisse scribere. Suprà enim citauit ex Chrysostomo, nos intueri & videre corpus Christi. Quare aut in Chrysostomo hyperbolem esse fateatur, atque ita frigeat illa superior tam ardens asseueratio: aut si ea velit nudè ac simpliciter intelligi, fateatur, Papistas suos id adorare, quod vident. Sed cùm cogito, istum, quod quidē ad Inconstantiam attinet, semper esse sui similem, mirari desino.

Addit. *Sacramentū in vsum futuræ communionis paratum esse omnibus: & idcirco à sacerdote attolli, vt ab omnibus item adoratione agnoscatur.* Hoc quàm verum sit experiendo scimus. Nam si populus accederet, & ex eodem pane & calice ad idem altare vellet sibi communicari, nullo pacto admitteretur. Quid quod calix populo nunquā propinatur? Eum tamen sacerdos Antichristi nihilominus attollit adorandum. Hinc ergo apparet, Inconstantius, cùm ista nugaretur, quàm sibi præsens fuerit. Sacramentum enim, quod eleuatur, vt adoratione agnoscatur, videt reuera non esse, vt ipse finxit, paratum omnibus. Mitto hoc mysterium non fuisse idcirò institutum à domino, vt spectandum attolleretur, aut adorandum ostenderetur: diserte enim Christus dixit, Accipite, Edite: Accipite, Bibite: nō dixit, Attollite, spectate, Adorate. Sed hoc Papistæ habent in summis delitijs, quod Christus mandauit, negligere & præterire: id verò quod ipsi sibi repererunt, nō solum mordicùs retinere, sed etiam ferro & flamma defendere.

Papistæ faciunt de Eucharistia quod Christus non instituit.

Tempore Ambrosij & Augustini populus nō erat rarus in Ecclesia.

Populus inquit, *cùm esset rarior, respōdere solebat Amen.* Hic verò ille est Hippas omni scius, quē Papistarum chorus parasiticus iactat, nihil nescire. Quæso te, Inconstanti, an rarior erat populus in Ecclesia temporibus Ambrosij, Augustini Hyeronimi, cū parta tranquillissima pace Christi nomen per orbem terrarum vniuersum resonaret? cumq; adhuc Turcica superstitio nulla esset? Tum omnes Christiani qui aderant, respondebant, Amen: & illam acclamationē populi Hieronymus ait fuisse instar cœlestis tonitrui. Sed non temerè interposuit istam annotatiunculam Inconstantius. Verebatur enim ne ex illa responsione Ecclesia sua excitaretur, in qua cùm omnia gerantur ignota, & peregrina lingua, populus non potest respondere Amen. Itaque mentiri potius voluit de multitudine populi, quàm in Papatu corruptelam aliquam confiteri. Pergit Inconstātius: *Sed aliqui*, inquit, *dicunt, se vidisse factorem suum. Sensus, videlicet, redegerunt in obsequiū fidei: & quod est corporis, transferunt ad animum: quomodo contra carnales, quod est animi, transferunt ad corpus deflexione iniqua. Quin illa loquutione nihil frequentius: vt regem, verbi gratia, se vidisse quis iactet, qui quod sit Regis, præter vestem nihil viderit. Sed quibus id agitur, vt sacramenti maiestatem minuant, ij veritatem prædicari tā ægrè ferunt, vt in formas loquendi cauillentur. Cæterum vt finiam, Confessio veritatis, quæ vel oris, vel corporis sermone editur, non detrahit adorationi in Spiritu, & veritate. Denique cùm omnes ita doceantur Catholici, ne in sacramento Eucharistico æstimando sensibus fidant, sed Christum verè præsentem, quod sensus nesciunt, credant, quomodò constiterit, quod hic in Catholicos obijcitur, eos videlicet doceri, adorare, quod oculis vident? Qui aiunt, se vidisse factorem suum, sensus redegerunt in obsequium fidei*, inquit Inconstantius. Pulcrè. Ergo iuxta hanc nouam Theologiā mentiri erit obsequi fidei. Vulgum ita de sensibus externis, nō de fide loqui, vel hinc apparet, quòd ista nō dicunt, nisi vbi fuerint in Missa, & placentam à sacerdote sublatam viderīt. Nam fide & animi oculis factorem suum domi, in agro, & vbicūq; tandem sint, videre possunt.

Tempore Ambrosij & Augustini populus nō erat rarus in Ecclesia.

Hieronymus Amē, instar tonitrui in Ecclesia.

Creator non sterfide vbi que videri potest.

At si dicas, eū clarius, & efficacius videri in missa, nihil egeris. Nam de cōtemplatione fidei habemus & præceptum, & promissionem: vt autem homines vndique accurrant ad videndam Eucharistiam, id hominum tantùm inuentum est. falsum ergo assumis Inconstanti, cùm ais populū id, quod est corporis, transferre ad animū, quasi homines imperiti, & idiotæ, Videre, velint esse Credere. Nam, vt dixi, in Christū credere vbiq; possunt. Quinam autem illi sint, quos quereris iniqua deflexione ea, quæ sunt animi, transferre ad corpus, nescio. Quare cùm tu nec illos indicaueris, nec eorum sentētiam explicueris, nihil esse necesse iudicaui, vt causam incognitā susciperem.

Quod autem addis, multos dicere solere, se vidisse Regem, qui præter vestem, quod Regis esset, nihil viderint: nihil ad id aliud respōdeo, nisi eos, qui ita loquuntur, imprudenter loqui. Sed video te, vt es vafer sophista, à priori defensione, quam videbas infirmam esse & ineptam, occultè dilabi ad aliam: videlicet, vt dicas, populum á vobis pessimè institutum non mentiri, si dicat, se oculis corporis in Missa vidisse factorem suum: non quòd aut vestem, aut fimbriam etiam eius viderit, sed tantùm quòd accidētia panis, & vini, quæ tu esse vis corporis & sanguinis domini sacramenta, à sacrificulo sublata spectarit. Id autem si à te vestrisque symmistis commodè intelligeretur, panisque relinqueretur integer, posset aliquo modo tolerari. Nam & veteres Patres, & scripturæ sæpè sacramentis tribuunt nomina rerum significatarum. Vnde qui spectat symbola panis & vini, eum Christū factorem suum, aliquo modo videre concedimus. Cumque patres ibi adhibuerunt adorationem, elementa externa non colebant, sed ad Christum ipsum regnantem, & assidentem in cœlo ad dextram patris mētem, fideinq; transmittebant. Cæterum vt Ethnici, olim numina Deorum alligata putabant esse columnis & sta

tuis,ita vos docetis,corpus & sanguinem Christi cõprehensa,et quodammodò ligata esse sub accidentibus, atq; ita miseram plebeculam ad cultum panis & vini, & crassissimam idololatriam compellitis.

Quòd autem dignitatem sacramentorum à nobis labefactari criminaris, id quoniã falsum & vanum est,vt spero, pij lectoris animum non mouebit. Nos enim sacrorum mysteriorum dignitatem non imminuimus: vos autem omnẽ illorum vsum, rationem,veritatem funditùs sustulistis.Tu verò adorationem fœdissimam panacei lagani hoc tantũ nomine defendis,quòd per Transubstantiationem, quam nunquã hactenus probare potuisti,dicas,corpus & sangui A nem Christi clausa esse sub accidentibus panis & vini. Id autem nihil aliud est,quàm vt Dialectici aiunt,petere principiũ. Ait postremò nos errare,qui putemus, Papistas docere populum adorare id,quod videant oculis corporeis.Illos enim credere præsentem Christum,quod sensus nesciunt.Sed interim iste videre noluit,nos errorẽ populi ex vulgato sermone colligere, & iure ac meritò Antichristianam illam nouam B doctrinã cõarguere:qua non tantùm docentur sed etiam coguntur homines panem & vinum adorare:quòd illis assiduè prædicetur,Christũ verè conclusum esse sub accidentibus, vt olim Ethnici Iouem,Iunonem,Mercurium sub imaginibus & statuis affixos crediderunt.

OBIECTVM XL.

HONORIVS decreuit hostiam,cùm eleuatur,& circumfertur,debere adorari. Apparet ergo hanc adorationem,veteribus fuisse incognitam.

GARDINERVS.

ADORATIONEM Eucharistiæ fuisse veteribus cognitam,ex patrum scriptis satis liquet. Dionysius.n. adorauit,qui ex primis fuit. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus adorationis meminerunt. Emissenus vult accedentem ad altare respicere corpus Dei sui, honorare, mirari. Quid dici potest apertius? At replicabit hic argutator, Ignorabant hanc adorationem. Mirum ni scirent, cum essent mortui: tempora autem & circumstãtiæ eiusmodi sint, de quibus liceat cuiq; suo sensu abundare: dum tamen omnia ἐυσχημόνως fiant. Cum vuicuiq; dico, non significo singulos, sed Ecclesias singulas: dum tamen ab vniuerso corpore sine causa non discrepent. Vt autem ad argumentum propius accedam,non sunt ita connexa, Decernere lege, & de suo inducere: De nouo inuenire,& firmare lege: vt valeat argumentum, Hic primus firmauit lege: ergo primus inuenit: Primus decreuit, Ergo primus induxit. Quando enim quod anteà vel natura, vel more iustum erat,lege præcipitur,populi morbus notatur in officio cessantis,& per legem fit cognitio peccati. Quod olim sua sponte faciebat populus, legum sanctiones grauissimas, quoniam sic ferebant tempora,interdum exigebat. Est cùm decretum admonitionis vicem obtinet:veluti quod de fornicatione decreuerunt Apostoli,quã non effecerunt decreto criminosam,sed semper illicitã,tũ fugiendã docuerunt. Et hæc cum ita sint,nihil tamen est ineptis sectarijs hoc argumento in ore crebrius:Ille, aut ille primus statuit, ergo fuit illorum inuentum:ergo erat veteribus ignotum. Quod quàm friuolè sit dictum, tu lector facilè æstimabis.

MARTYR.

MAgnum sanè studium, multamq; operam impendit suprà Inconstantius, vt ostenderet,adorationem Eucharistiæ fuisse in vsu apud patres. Quantum autem profecerit, spero me satis docuisse. Adorabant illi quidem ad Eucharistiam,sed verum Christi corpus,quod sciebãt esse in cœlo. Exterum autem Sacramentum, quod sciam, non adorabant. De illis tamen interim ista loquor, qui seculis melioribus extiterunt. C

Quod autem adiungit, quasi probare velit idolomaniam, qua ad panem vel in Missa sublatum, vel in pyxide conclusum homines ita miserè insaniunt,& ais, fas esse singulis Ecclesijs, quod ad ritus, & ceremonias attinet,abundare sensu suo, dum tamen omnia ἐυσχημόνως admini strentur, ad suum quidem arbitrium, non ad præsentem causam ista scribit. Nos enim in hac quæstione non ceremonias, sed idololatriam damnamus. Hoc primum probet nobis Inconstantius ἀρτολατρείαν tolerari posse in Ecclesia.Id si euicerit, aut si nos id illi maximè dederimus, posteà tamen de diurnis luminibus, de suffitu, de cibarijs, de eleuatione, de insano discursu populi ad omnia altaria, disputandi locus relinquetur: de quibus & diximus iam nonnihil, & plura. si opus erit, suo loco dicemus. D

Interea istos Papæ parasitos moneo,vt Paulum audiant iubentem omnia in sacro cœtu ἐυσχημόνως, & κατ' ἐυταξίαν γίνεσθαι: quod nunc Incõstantius commemorat,quamuis id illi in superiori disputatione,cum confusissimas illas populi discursiones tueretur, nescio quo pacto protinus exciderit. Posteà fingit,se propius accedere velle ad causam. Et comminiscitur,lege illa Honorij notari morbum populi cessantis in officio: quasi ille edicto suo adducere voluerit homines ad cognoscendum peccatum.

Sed hic mihi responderi velim: Si omnes Christiani etiam ante Honorium credebant in Eucharistia realiter & corporaliter esse corpus Christi,quid erat,quòd illud detrectarint adorare? An Ecclesia tum ignorare potuit Christũ vbi vbi esset,adorandum esse? Quòd si homines cessabant,& hoc genus officij Sacramento non exhibebãt,res ipsa indicat eos nõ credidisse,corpus & sanguinẽ Christi in pane & vino realiter cõtineri.Istæ ergo sanctiones nõ adhibitæ sunt, vt populus, quod anteà spõte fecisset, deinceps facere cogeretur, sed vt Ecclesia impulsu Antichristi in turpissimã idololatriã induceretur. Sed decretũ,inquit,quandoq; admonitionis vicẽ obtinet.Fateor: & exemplũ,quod addit libẽter amplector:id videlicet,quod Apostoli de fornicatione decreuerunt. Sed illud decretũ suum Apostoli quibus,quæso,hominib.imposuerũt?

Dices

Dices gentibus. At illæ ſcortationem peccatũ A esſe anteà non audierant. Senex.n. apud Comicũ ait, ſcortari non eſſe peccatum. Opus ergo erat, vt Gentes ea de re Apoſtolico decreto admonerẽtur: id quoq; luculentiſsimè apparet ex priori epiſtola Pauli ad Corinthios. Quare ſi hoc exemplum valeat, conficiã ex eo, Romanã Eccleſiam ante iſtum Honorium neſciuiſſe adorandam eſſe Euchariſtiam: quod certè neſcire nullo modo potuiſſet, ſi compertum habuiſſet corpus Chriſti in ea adeſſe realiter, B

Sed magnæ nos imperitiæ arguit Inconſtantius, qui ex hoc decreto cõcludere velimus, adorationem iſtam ignotã fuiſſe veterib. At nobis tamen videtur iſta ratio ſanè probabilis, Adorationem iſtã non fuiſſe in vſu, quando Papam de ea nouo decreto cauere oportuerit. Deinde in Decretis Conciliorũ, & epiſtolis pontificijs hoc obſeruauimus, ſi quid in illis inſtauretur quod antea vſurpatũ, populi negligentia fuerit intermiſſum, ſemper moré priſtinũ, & antiquitùs receptũ ſolere laudari: abuſum autẽ temporũ, & populi negligentiam reprehendi. Honorius autem nihil huiuſmodi facit: ſed ita nouũ ſuum edictũ proponit, quaſi Romana Eccleſia adorationẽ Euchariſtię nunquã ante illa tempora vſurpaſſet. Poſtremò hoc te ſcire volui, pie lector, in tota iſta ſycophantica rhapſodia leuiſſimas quasq; noſtrorũ hominũ confirmationes ita proponi ab Inconſtantio, ac ſi in illis eſſet vniuerſum robur noſtræ cauſæ: potiores autẽ & firmiores rationes intereà callidè diſſimulari.

OBIECTVM XLI.

DICVNT, hoſtiam non ex eo præcipuè eſſe adorandam, quod ſit corpus Chriſti, ſed quod in ſe abſconditè contineat corpus Chriſti. Ergo, cùm Trinitas ipſa increata, quæ longè eſt perfectior, quàm hoc corpus, magis ſit in qualibet creatura, ſequitur propter contentum abſconditum, quamlibet creaturam eſſe adorandam. Atq; ita omnis creatura erit idolum.

GARDINERVS.

MVLTA eſt in ijs verbis calumnia, & ſenſus deprauatio. Nam verbum Hoſtia, cum de Sacramento Euchariſtiæ prædicatur, non ſignificat, quod eſt viſibile in Euchariſtia, ſed corpus Chriſti inuiſibile ſub viſibili ſpecie latens: manna videlicet abſconditum, quod vera fuit & eſt hoſtia pro peccatis. Sed & noſtra Euchariſtiæ adoratio ad Chriſtum penetrat: nec poteſt hærere, quod iſti calumniantur, in viſibili creatura. Quare ſi quis ita fortè loquatur, adorari viſibile, propter id quod continetur, quomodo hic citat, ſentit idem, quod reliqui: Creatori videlicet, qui in myſterio adeſt, deberi adorationem. Sed tamen, quoniam ſua ſpecie non exiſtit, dirigitur ipſius adorantis geſtus, & externus habitus in illa externa viſibilia, propter id quod cõtinetur in myſterio: non vt in illis viſibilibus hæreat adoratio, ſed vt per illorum ſignificationem in diuinam ſubſtantiam tendat ſub illis præſentem: quæ ſignificatur à viſibilibus in myſterio contineri. Non ergo quod eſt hoſtiæ viſibile adoratur: ſed quia indicat contentum, rectè dirigit adorationem, vt id quod adoratione dignum eſt, adoretur. Atque hæc cùm ita ſint, inanis eſt collectio iſtius de modis continendi. Quin & illud falſum eſt, quod argutator ait, magis realiter Trinitatem in quouis mortalium eſſe, quàm corpus Chriſti in Sacramento, aut, vt ille ſentit, in viſibili elemento contineri. Et tamen nomẽ hoſtiæ excludit, quod eſt viſibile, vt dixi. Ergo vt modus ſit loquendi, Viſibile adorari propter contentum, nunquã tamen verum eſt, in viſibile, ſed in vnum illum, quem viſibilia indicant, adorationem dirigi. Quòd autem affingitur, Trinitatem magis contineri in creatura homine, quàm corpus Chriſti contineatur ſub viſibili elemento, ſi veritatem ſpectes præſentiæ, falſum eſt: ſin modum continentiæ, non eſt improbandum. Quoniam corpus Chriſti non vnitur, quomodo homo per gratiã vnitur Deo. Et tamen in homine non eſt plenitudo diuinitatis, quæ in vno Chriſto habitat corporaliter. Et idcò vera Chriſti præſentia in Euchariſtia adorationẽ exigit: cũ in nullo alio homine, præterquã in Chriſto homine Deo inſit plenitudo. Nõ quia Deus non ſit ſemper in ſe plenus: ſed quoniã homines eius nõ ſunt capaces: quemadmodũ Iuſtinus in expoſitione fidei eleganter tractat. Quæ ratio diſcriminis eſt, vt Deus ſub ſpecie panis in Chriſti corpore præſens, ſit plenè præſens, & ideo adorandus: in hominibus autem, quia plenitudo, non ineſt, id eſt, quia non ſunt, vt Chriſtus, Deus, non ſit in diuinitatem in illis præſentem adoratio dirigenda.

MARTYR.

VOcabulũ illud Hoſtia, quod in argumẽto C poſitũ eſt, vt vulgo accipitur, panẽ illũ ſignificat, quo ſacrifici in Miſsis ſuis vti ſolẽt. Inconſtãtius autẽ fingit ea voce ſignificari ipſum corpus Chriſti, quod latens contineatur ſub accidentibus. Atqui, quantumuis diſſimulet, tamen neſcire non poteſt, gregẽ ſuũ vulgò nihil, aut ſæpius, aut aſſeuerantius clamare, quã ſub illa hoſtia, quã ſacrificulus attollit, abſcondi corpus Chriſti. Quòd ſi, vt iſte ait, cũ dicunt hoſtiã intelligant Chriſti verum corpus, quomodo ſub corpore Chriſti poteſt corpus Chriſti cõtineri? D

Addit, Adorationẽ Euchariſtiæ penetrare ad Chriſtum, nec hærere in creatura viſibili. Placet mihi quidem iſta defenſio, ſed hac lege, vt eã dem ipſe à nobis accipiat, intelligatq;, pios dum adorant ad Euchariſtiã in cõmunicando, nõ in panem, aut vinũ cultũ ſuum dirigere, ſed in verũ Chriſti corpus, quod illis elementis ſignificatur, etſi illud ibi realiter, & corporaliter nõ deliteſcat. Satis enim putamus eſſe ad excitandã adorationẽ, vt ſymbola propoſita de illa nos admoneant. Taceo verò, quã ſophiſticè agat Inconſtantius, cùm vt ſolet, quod probare nõ potuit, id quaſi probatũ, & confeſſum ſumit: videlicet corpus domini latere ſub accidentib. Id inquã in præſentia taceo. Oſtendam autẽ, quàm rectè in argumento concludatur, Si res ita habeat, vt iſte fingit, nõ minus debere creaturas alias adorari, quàm Euchariſtiam. Quod vbi à nobis fuerit explanatum, intelliget noſtram collectionẽ à modis continendi non fuiſſe inanem.

Nos cõtendimus beatiſsimã Trinitatẽ perfectius eſſe in quauis creatura, q̃ iuxta horũ hominũ ſententiã corpus Chriſti dici poſsit eſſe in accidentibus panis & vini. Id iſte negat, ſi ſpectemus veritatẽ præſentię. Nos autẽ id ita probamus: Quoniã Deus ita natura ſua eſt in quacunque re creata, cũ vbiq; ſit, vt illi, quamuis naturã aut formã ſuã immutet, adeſſe nõ deſinat. Suo enim cõplexu omnia in quocunq; ſtatu, aut cõditione ſint, fouet & cõtinet. At corpus Chriſti quod fingitis eſſe ſub veſtris accidentib. poſtquã illa corrumpuntur, neq; in eorũ loco, aut materia, ſi qua ſit, aut formis ſuccedentibus, aut qualitatibus, aut accidentibus amplius adeſt. Quare cum vniocorporis Chriſti cum pane aut eius accidentib. nõ ſit maior, imõ lõgè longeq; minor, q̃ eſt ſanctę Trinitatis cũ alijs creaturis, cur hunc tantũ honorẽ tribuitis ſpecieb. panis alias autẽ omnes creaturas relinquitis inhonoratas? Quoniã inquit iſte, cæterę creaturæ non æquè ſunt capaces totius diuinę naturæ Chriſtus. Deus, inquit, eſt perfectus, & plenus, et integer, quod attinet ad ipſius naturã: ſed creaturæ illũ nõ capiunt. Reſpõdeat ergo iſte nouus logodædalus, cur panis, aut eius accidentia magis ſint capacia totius corporis Chriſti, & per Concomitantiã totius & plenæ diuinitatis, q̃ aliæ creaturæ totius trinitatis? Vnde nã cõſtat accidentia iſta cõmentitia tantũ nacta eſſe priuilegium? Ex ſcripturis certè id nõ conſtat, vt Inconſtantius ipſe confitetur. Quid ergo ſupereſt, niſi vt fateatur, eſſe artolatrarum merũ mendaciũ?

Natura diuina rebus omnib. adeſt, quocunque in ſtatu verſentur.

Accidẽtia nõ ſunt magis capacia Chriſti & totius diuinitatis, quã cæteræ creaturæ totius trinitatis.

De Chriſto cur adoretur, cũ alij homines nõ adorentur, cũ ſacra trinitas, quę vbiq; eſt, in illis eſſe credatur, libenter cauſam accipio. Natura enim diuina in hypoſtaſi, aut perſona in vno domino, & ſeruatore noſtro, nõ etiã in alijs hominib. vnita eſt. Sed vtatur eadẽ ratione de pane, aut eius accidentib. atq; ita dicamus, Neq; corpꝰ Chriſti, neq; diuinitas in vna hypoſtaſi coniuncta eſt cũ pane, aut eius accidentib. ergo Eucharistia nõ eſt adoranda: ne ſic quidẽ, ſi fateri velimus, corpus domini ibi eſſe, vt iſti fingũt. Vel ſi eam omninò cõtendant eſſe adorandã, adorent etiã alias creaturas: nã illę quoq; naturã diuinã ſecũ vtcunq; habent coniunctã. Quòd ſi loqui volunt de eadẽ hypoſtaſi, ea nõ magis in accidẽtibus Euchariſtię, q̃ in cæteris rebus creatis inuenitur. Nã quod ait iſte, ſe nõ adoraſſe viſibilia, ſed id, quod per ea ſignificatur, eodẽ modo tueri poſſet omnẽ idololatriã. Nulli.n. vnquã fuerunt Ethnici tam craſsi, qui dicerent, ſe lapides aut truncos per ſe ipſa adorare: ſed quòd illis externis imaginibus ſignificari putarant naturã Dei. Interea tamẽ proſtrati, et venerabundi ſpectabant ſuas ſtatuas, vt hodie Papiſtæ ſuũ panem: nos quidem adoramus id, quod elementa viſibilia ſignificant: in ipſa tamen nec mentem, vt Papiſtæ faciunt, nec adorationem dirigimus. Non enim credimus, corpus domini latere in pane, aut in eius ſpecieb. niſi fortè, vt res ſignificata dici poteſt latere in ſigno, aut magna myſteria latere in ſermone aut libro: nimirum, per ſignificationem. Ad hunc modũ non negamus, corpus & ſanguinem Chriſti latere in pane & vino. Tamen vt hoc etiam admoneam, iſtud argumentum eiuſmodi eſt, vt illud affirmare auſim à nemine vnquam noſtrũm fuiſſe ſcriptum.

Quare Chriſtus adoretur, cũ alij homines nõ adorentur.

OBIECTVM XLII.

HOC etiam errore impeditur frequentia Communionis. Multi enim cùm perſuaſerint ſibi, Chriſtum realiter eſſe in Euchariſtia, ſatis id ſibi eſſe putant, ſi eant ad templa, atq; ibi contemplentur, adorent, inuocent, candelas accendant. At ſi crederent, ea tantũ ſacramenta eſſe corporis domini, intelligerent, nihil inde ad ſe commodi peruenturũ, niſi cõmunicarent. Atq; hoc eſſet verè obſequi inſtituto Chriſti.

GARDINERVS.

NON eſt error, ſed Catholica veritas, quã explicat Tranſubſtantiatio: quã qui credunt, non illi quidẽ ſatis eſſe putant, ſi eant ſaltem ad templa, videant, adorent, inuocent: ſed cùm ſe ipſos probantes, quod Paulus admonuit, ab ipſa ſacramentali communione per reuerentiam abſtineant, aliquid eſſe putant, quod faciunt eundo, videndo, adorando, inuocando, etiamſi id ſummũ non eſſe ſciant. Quod vnũ ſit, ſatis reſtare faſtigiũ ſciunt ſacramentalis cõmunionis, ad quod ſuſpirant. Sed ab hoc argutatore quæſierim, num qui in ſpiritu & veritate adorat, & inuocat, contemplans Chriſtum fide, quem credit præſentem, num is, inquam ſpiritu Chriſto communicat? Age verò ſi conſtet doctrinæ ſunt, vera videlicet Catholicorum, quæ Chriſtum verè præſentem in Euchariſtia docet, & iſtorum erronea, quæ excluſa veritate præſentiæ inducit figuram, hæc erronea figuratorum potius eſt illa, quæ frequentiã impedit: ſi quã ſæpè fiat, nõ quã benè fiat æſtimamus: quæ illorũ doctrina erronea ita extenuat vim ſacramenti, vt fideles nõ minus verborũ organo, quã ſignorũ vſu, corpus Chriſti accipere, nitantur perſuadere: quod ipſum minuat neceſſe eſt frequentiã cõmunicandi ore: quando maiori vtilitate, aut certè pari, nulla ceremonia, quæ iſtis odioſa eſt, aurib. valeant cõmunicare. Sed Paulus in hoc myſterio celebrando nõ tã frequentiã exigit, quàm ſumentiũ dignitatem: quæ cùm minus adſit, morbos & mortem pro vltione ſuccedere memorat, deterrens ne veniant, qui ſint indigni nõ dijudicantes corpus domini: quod proprium eſt eorum, qui ſolam in ſacramento docent figuram.

MARTYR.

SOlet interdũ Inconſtantius authoritatẽ, & doctrinã Chryſoſtomi mirabiliter prædicare. Hîc tamẽ, quaſi qui eius decreta velit aliquã tulũ conuellere, ait, multos eſſe, qui ob reuerentiã abſtineant à ſacramentali cõmunione: idq; addit, Paulũ nõ tantũ velle, ſed etiã requirere. At Chryſoſtomus improbos, & impudentes appellat eos, quicunq; aſsiſtant ad menſam domini, & vnà cũ alijs nolint cõmunicare. Paulus requirit quidẽ probationẽ: ſed nuſquã, quod qui dẽego legerim, abſtinentiã. Qui ſe contulit ad ſacrã Cõmunionẽ, ſi quid in ipſo veſtigio ſentiat ſibi premere conſcientiã, nónne poteſt ſtatim ingemiſcere, & à domino veniã errati petere? Vt

Probatio fui nõ debet impedire communionem.

flectas

flectas propitiũ patrem, modò illis ex animo te subijcias, nõ est opus ita longo tẽpore. Cur hoc no faciunt, qui sese indignos iudicant? Cur nõ ad Deũ confugiũt, & viua fide peccatorũ veniam postulant, quã ille certissimè promisit, quacunq; hora ingemueris? Hęc Chrysostomi doctrina est. Huius aũt hominis dilationes & excusationes nõ moratur. Probationem sui cuiusq; tantum abest vt nos repudiemus, vt eam multò seuerius quàm omnes Inconstantij, exigamus.

Superstitionẽ verò suorũ ita defendit, quòd illos dicat aliquid esse arbitrari, ire ad templa & panaceũ illũ Deum tuum videre, adorare, inuocare. Scio miserã vestrã plebeculã ijs rebus multum tribuere. Nec mirũ, Nõ enim ex verbo Dei, sed ex vestris Traditionibus, vel potius ex vestris proditionib. instituuntur. Hoc equidem certo scio, Inconstantium nunquã inuenturum in omnibus sacris literis, Sacramentũ Eucharistiæ aut videndum, aut adorandum, aut inuocãdum esse. Quare si populus vester putet ista aliquid facere ad pietatem, esset deniq; dedocendus hunc errorem: quod ne vnquã fiat impostores vestri impediunt, quantum possunt.

Ad inuocationẽ et adorationẽ Christi in spiritu nõ est opus reali præsentia.

Quod autẽ quærit, an ille, qui orat in spiritu & veritate, & vera fide inuocat, & cõtemplatur Christũ, illi spiritu cõmunicet, non est difficile dissoluere. Cõmunicat quidẽ Christo, qui illũ adorat in spiritu & veritate, quiq; illũ inuocat, & per fidẽ cõtemplatur. Ad ista autẽ Christus Sacramentũ nõ instituit. Nõ. n. dixit, Spectate, adorate, inuocate, sed, Accipite, comedite, bibite. Vos autẽ videri potestis inter vos cõiurasse, vt omni conatu, omnib. eius institutis aduersemini. Adhęc ad istã inuocationẽ & adorationẽ in spiritu & fide, nihil opus est reali illa vestra præsentia. Imò si quis existimat, carnẽ et sanguinẽ Christi cõtineri in specieb. panis & vini, id sibi nõ ex fide persuadet, sed ex doctrina vestra. Itaq; cũ vero Christo cũ de eo tã aliena & absurda opinẽtur, minimè cõmunicant: Sed potius cum illo suo Christo fictitio, quem somniant latitare sub illis vestris mendacissimis accidentibus.

His addo, eum, qui Christo per fidelem contemplationem verè communicat, cùm illi offeratur copia, astringi, vt ex mandato Christi accedat etiam ad sacramenta: quod nisi faciat, reũ fore neglecti instituti Dei. Quibus enim obsecro dicit minister sacræ cœnæ, Accipite, edite: Accipite, Bibite, nisi fidelib. qui attant ad mensam sacram? Hanc inuitationem qui cõtemnit, haud dubiè insolenter fastidit res diuinas. Quis autẽ ferat, nostram doctrinam ista collatione inuidiosè traduci, vt nos ita dicamur, homines à communione impedire, quòd Sacramenta extenuemus? Quòd si extenuatio sit, vera simplex & facilis doctrina assentior sanè Inconstantio, Eucharistiam à nobis extenuari: ita tamen, vt omnes hoc intelligant, nos simpliciter rẽ ipsam dicere: nec amplificationibus, aut mendacib. hyperbolis superare veritatẽ. Sed vrgeamus sanè collationem, quando eo genere Inconstantius delectatur. Vtra ergo sanior est doctrina? Eáne quæ multa fallò, & Thrasonicè polliceturtan ea quæ ritus & ceremonias, vt à domino institutę sunt, ita nudè tradit? Eáne, quæ signa pro rebus venditat, quod Augustinus ait esse peruersissimũ & docendi & credendi genus: an ea, quę res à signis distinguit nec cũ symbolis significatacõfundit? Ista dissimulat Inconstantius Tibi tamẽ, lector licebit ea diligẽter ponderare. Quod autẽ posteà addit, nos sentire & docere, corpus Christi verborũ organo non minus accipi, quàm Sacramento, idq; aut maiori, aut certè pari cũ fructu, etiá absq; vlla ceremonia, quã nobis calũniatur valdè scilicet esse odiosam, sic respondeo: Primũ, præceptum domini extare nõ minus de vna perceptione, q̃ de altera. Nõ minus enim ad mandatum pertinent verba domini in sexto capite Iohannis, quàm ceremonia illa quã instituit in vltima cęna. Quare si obseruatio mandatorum Dei nõ caret fructu, vt ait Inconstantius, cur clamat, imminui à nobis vsum cõmunionis, si statuimus non tantũ Sacramentis, verùm etiam verbis diuinarum promissionũ excitari fidẽ nostram ad corpus & sanguinẽ Christi, hoc est ad pretia redemptionis nostræ percipienda? Duplex ista via, qua Christus possit percipi, non est nostrum inuentum, sed domini. Tantum autem vno modo accipi, quantum altero, non potest piè dubitari. Eadem enim vtrobiq; interponitur promissio. Non tamen id circò dicimus, Christum frustra quicquam instituisse. Habemus enim quosdam fructus ex sacra cœna, quos ex priuata illa Communione interdum non æquè plenè percipimus.

Augustinus. Peruersissimũ est, signa pro rebus accipere.

Duplex est via percipiendi corpus Christi, et p sacramentũ & citra sacramentũ.

Perceptio Christi per sacramentũ non frustra est instituta.

Sed quid multis? Auctús ne, an imminutus doctrina nostra sit vsus sacræ cõmunionis, quid euidentius docere potest, quã experientia? Si decem accedunt ad cõmunionem in Ecclesijs Papisticis, si tamẽ ea appellanda est cõmunio, in nostris accedunt mille. Sed sancta, inquit Inconstantius, cœna magis spectanda est, q̃ numerosa, neq; videndum, quã id sæpè, sed q̃ bene fiat. *Quis tu, quæso es, qui alienũ seruũ iudicas? Domino suo aut stat, aut cadit.* Quis tibi ostendit, homines Christianos indignè cõmunicare? An verò vester grex meliori conscientia & fide integriore communicat? Cur sacrificulorũ tuorũ, qui quotidie missificant, vitam & dignitatẽ non examinas? Quo autem ore dicere potes, Paulum frequentiam non requirere? Annón ille iubet, vt Christiani ad celebrandũ sacrũ mysteriũ sese mutuò expectent, vt vnà omnes communicent, neúe quispiam propter diuersam conditionem alũ fastidiat? *Omnes*, inquit, *de vno calice bibimus, & de vno pane participamus.* Cur, obsecro te, cœna, cur cõmunio, cur Græca voce συναξις appellatur? Sed Inconstantius, ictum, quo se ipsum sensit premi, voluit in nos retorquere.

Paulus requirit frequentiã cõmunicãtiũ.

OBIECTVM XLIII.

SI corpus Christi sit realiter in Eucharistia, necesse est, vt à nobis vel animo vel corpore percipiatur. Animo non percipitur: nihil enim corpo-

rale in eum ingreditur. Si dicent corpore, quærimus, in quem finem? Si dicent, vt homo sanctificetur, id erit agere præposterè. Nã sanctificatio ab animo incipit, nõ à corpore. Et Eucharistia spiritualis cibus est, ad id institutus, vt pascat mentẽ, nõ ventrẽ.

GARDINERVS.

QVanta est Sophistica, à veritate rei præsentis admodum præsentiæ deflexis vocabulis? Illud est certum, sic dari Christum in sacramento, vt totum sanctificet hominem, pignore dato immortalitatis & gloriæ integri hominis olim futuræ.

MARTYR.

ARgumentum quod diluere non potest, clamat esse sophisticum: & cauillatur nos argumentari à veritate rei præsentis, ad modũ præsentiæ. Nihil minus Inconstanti. Nam de modo præsentiæ vos non patimini vt simus solliciti. Affirmatis enim carnem domini adesse realiter, & corporaliter. Quomodò autem corpus & sanguis in animum ingrediatur, id quærimus, id cupimus nobis aliquando ad veritatem responderi. Quæ tandem ista est peneB tratio? An ita prorsus spiritus & corpora, & omnia denique sursum deorsum miscere, ac turbare vultis, vt vestrum commentum tueamini?

Papistæ modũ præsentiæ corporis Christi definiunt.

Inuenit tamen sibi rimam aliquam Inconstãtius. Ait enim, *corpus domini dari vt totus homo sanctificetur*. Id nos quoque & docemus, & asserimus. Sed si veram, & synceram doctrinam sequi volumus, sanctificatio à mente proficiscitur, quæ corpus Christi pro nobis in cruce traditum fide complectitur. Illud enim, salua rerũ natura, corporaliter non potest recipere. PostC quam autem ea tam sanctum & diuinum donũ fide percepit, ita sanctificatur Dei spiritu, vt non solùm ad cæteras animi partes, verũ etiam ad corpus, & omnia membra sanctitatem suam transmittat. Symbola verò externa, cùm corporis ore percipiuntur, vnà cum verbis domini intelligentiam Communicantium incitant ad spiritualem Communionem, quæ accipitur fide. Isti verò cùm statuant, corpus Christi realiter, & corporaliter comedi, necessariò coguntD dicere, illud non in animum, sed in corpus ingredi. Quare ex istorum sententia nos rectè colligimus, carnem nostram in Communione prius sanctificari, quàm animum: imò sanctificationem illam ad mentem nostram non nisi per aliquam redundantiam peruenire.

Sanctificatio à mente incipit.

Sanctitas à mẽte ad corpus transmittitur.

Recipitur, inquit iste, *corpus Christi & corporis nostri & animi officio*. Atqui, vt ostendimus, animi officio realiter & corporaliter recipi non potest. In eum enim fide tantùm admittitur,E qua verè credimus, Christum pro nobis carnẽ & sanguinem suum impendisse. Sed sequamur certè rationẽ Inconstantij. Fingit enim rei corporeæ spiritualem quandam præsentiam, quæ tamẽ & realis sit, & corporalis. Vide, quæso, pie lector, in quæ monstra isti incidant, & in quos laqueos sese induant. Ergo corpus nostrũ plus in communicando habebit sanctitatis, quàm anima. Corpus enim & corporali fruetur præF sentia domini, & spirituali: cùm anima spiritualem tantùm præsentiam possit capere. Posteà vbi se videt impeditum, & cauillis penè destitui: *Non ita*, inquit, *loquitur Catholicus: nimirùm vt dicat corpus Christi in animum ingredi.* Si Papista A ita nõ loquitur, missis dicẽdi formis, videamus de sensu: num fateri velit, corpus Christi realiter & corporaliter in animũ ingredi. Respõdere videtur, *illud spirituali quodam modo adesse animo. Verũ vt corpus Christi fide, ac spiritualiter percipiatur ab animo, nihil opus est, vt realiter & corporaliter in os admittatur corporis, panis accidentibus occultatum.*

Addit posteà: *Et vt adest spirituali modo, & diuino in mysterio, ita modo suo intrat, spirituali, id est diuino, si dignè recipiatur, nõ præposterè, sed rectà, quib. nouit vtis dominus, totũ, quantus quãtus est, hominẽ ad maiorẽ in spiritu & corpore vigorem alit, tũ mente, tũ corpore modo suo.* Inconstantius cũ ista dicit, oratiB onẽ suam colorib. istis tantũ fucat. Ita. n. quærit eludere argumentũ nostrũ, vt ea, quæ quæsita fuerãt, nõ explicet. An corpus in animũ ingredi atur: An corporalis præsentia faciat ad animi spiritualẽ perceptionẽ: An corpus nostrũ in cõmunione potius sanctificetur, q̃ animus: An animC in cõmunicando sanctitatẽ accipiat à corpore, magnũ silentium. Videtur super aristas incedere: nil solidè, & apertè velle dicere. Sed fortasse posteà sese colliget, & aliquid tandem adferet, in quo possimus acquiescere. Audiamus ergo.

Cæterùm, inquit, *vtrum anima per carnem, quod hic argutator negat, sanctificationem assequatur, ex verbis Tertulliani æstimetur: qui ait, Caro corpore & sanguine Christi vescitur, at anima de Deo saginatur.* Tertulliani testimonio se putat nosD posse obruere. Sed interea quæstionis propositæ statum commutauit. Non enim id erat in controuersia, vtrum per sensus corporis, & ritus, qui corpore geruntur, occasiones offerantur animo, vt ad fidei exercitia incitetur, per quæ nanciscatur à Deo sanctificationem. Certò enim scimus instrumenta quibus Deus vtitur, qualia sunt verba, & sacramenta, per corpus ad animum peruenire. Sed id quærebatur, sanctitas in animone prius, an in corpore ponenda sit? In corpore autem prius collocare,E etsi est absurdum, tamen id ostendimus ex Inconstantij sententia necessariò consequi. Nã si statuitis, corpus Christi realiter, quamuis vti fingitis, spirituali modo in corpus nostrum ingredi, necesse est corpus nostrum duplici eius frui præsentia, corporali videlicet, & spirituali: cùm animus vix frui possit spirituali. Deinde quia, quemadmodum corpus Christi ingrediatur corporaliter in animum, neque docere potestis, neq; affirmare audetis, ea in dubium reuocauimus, & ex vestra inepta atq; absurda opinione conclusimus. Vt autem propter verba illa Tertulliani cogamur concedere, corpus aut prius, aut magis sanctificari perceptione sacramẽtorũ, quàm animum, causa nulla est. Nam quod il-

le dicit, corpus ablui, vt anima emaculetur, nos quoque dicimus, carnis ablutionem eò esse referendam, vt animus fide accendatur, & ex ea maiorem purgationem à vitijs consequatur, & cœlestium donorum copiam largiorem. Quæ omnia cùm in animo prius hæserint, posteà redundant in corpus, vt illud quoque sanctum fiat. Quodq; addit, Caro corpore & sanguine domini vescitur, vt anima de Deo saginetur: more scripturarũ, & veteris Ecclesię externa sacramenta appellat carnem & sanguinem Christi. Sacramenta autem carne, id est, corporis ore sumuntur, vt animus fide intus apprehendat Christum, & pinguedine spiritus eius opulenter alatur.

Non tamen hoc affirmat Tertullianus, corpora communicantium aut prius, aut magis sanctificari, quàm animum: sed inde organa & instrumenta peruenire ad nos, quibus animus ad credendum excitetur: nimirùm, vt credendo salutem, & sanctitatem & pro se ipso, & pro corpore consequatur. Iubet nos Inconstantius Tertulliano credere. Sed cur ipse illum non audit, cum aduersus Martionem libro primo ita scribat: *Hoc est corpus meum: id est figura corporis mei.* Ad ista aurem vtranque occludit: illa verò, quæ aliqua saltem specie putat pro se facere, diligenter inculcat. Quæ tamen ipsa satis docuimus nostram sententiam nulla ex parte labefactare.

Neque moueri debes lector, quòd Tertullianus eo loco carnem appellet salutis cardinem. Non.n. illis verbis contendit, carnem aut prius aut magis sanctificari, quàm animũ. Sed per carnem ait instrumenta sacramentorum primùm nobis applicari, quibus animus ad sanctificationem adipiscendam adiuuetur. Neque id dissimulandum censeo, carnem à Tertulliano magis, quàm ab alijs patribus commendari. Is enim existimauit, animos humanos ex traduce, hoc est per semen carnis propagari. Nec tacenda illa verba sunt, quibus ait, animam in Communione de Deo saginari: Id autem non est aliud, quàm diuinis & cœlestibus donis repleri, dum corpus & sanguinem domini, quæ pro nostra salute data sunt, fide complectitur. Atqui nullam hîc mentionem facit de corpore Christi, realiter & corporaliter in animos communicantium ingrediente.

Tertullianus ex traduce posuit animas produci.

OBIECTVM XLIIII.

SI corpus Christi realiter & corporaliter præsens adsit in Eucharistia, Papistarũ sacrificium desinet. Nam Paulus ait, Mortem domini annunciabitis donec veniat: Quare, si annunciatio mortis domini, est illorum sacrificium, & Christus iam venit, est enim, vt illi volunt, corporaliter in sacramento, desinet illorum sacrificium. Non enim amplius erit annunciatio mortis domini.

GARDINERVS.

ANnunciatur mors domini, donec veniat, cũ maiestate iudicaturꝰ mundũ. In Sacramento verò adest sanctificaturus suos. Ad iudicium veniet visibilis: nam, quemadmodũ vidistis ascendentem, ita veniet, inquit Lucas.

MARTYR.

COnsecratores laganorum & placentarum tantùm turbantur hoc argumento, vt Christum, quem volunt realiter præsentem esse in Eucharistia, inficientur eò venire: tantùm ibi esse vociferentur. Sed hoc mihi primùm respondeant, num ante Consecrationem adfuerit? Negant. At si prius non adfuit, posteà autẽ adest, certè aut venit, aut gignitur, aut creatur. Nihil autem horum possunt dicere, quin statim teneantur medij. Si venit, desinãt mortem domini amplius annunciare: si gignitur, aut creatur, necesse est, vt fateantur infinitas generationes, aut creationes corporis Christi esse quotidiè in terris. Inconstantius verò cùm videret se incidisse in angustias, consultissimum esse iudicauit, vt diceret, hoc mysteriũ nullis verbis esse explicabile. Sed si ita res habet, cur ita confidenter definis, corpus Christi adesse realiter & corporaliter? Cur audes dicere illud simul sedere in cœlo ad dextram Dei, & tamen adesse sine maiestate & inuisibile? Annón ista pertinent ad hoc mysterium? Cũ ergo tu mysterium istud ijs verbis explicas, quomodo illud ais esse inexplicabile? Sed tãtus artifex est Inconstãtius, vt possit inexplicabilia explicare.

Si res nõ potest explicari cur Papistæ desinunt?

Verùm dic sodes: Quis ista tibi spiritus afflauit? Quis te docuit, corpus Christi adesse inuisibile? Quis tibi indicauit, illud sub accidentibus carere maiestate? Si videri & cerni non potest, quî scis illud maiestatem aut habere, aut non habere? Quis reuelauit illud sanctissimum corpus simul & adesse in Eucharistia, & assidere in cœlis ad dextram patris? Cùm ista haurire non potueris è sacris literis, quid supereſt nisi vt ea finxeris de tuo capite? Nunc autem tandem video mihi intelligere, quid tibi volueris cum diceres, hoc mysterium nullis verbis esse explicabile. Hoc videlicet dicere volebas, illud nullis verbis diuinis, aut è sacra scriptura petitis posse explicari. Nihil enim ibi inueniri potest, quo ista deliria & portenta confirmes. Ex humanis tamen somnijs non desperabas, id aliquo modo posse explicari. Sed ista etsi in Papatu, hoc est, in medijs tenebris, & inscitia sint satis vendibilia, tamen apud eos, qui de diuinis dogmatis non audiunt nisi diuina oracula, locum non habent.

Verũ audiamus alia. *Atq; hæc vt huius ostendã ineptiam, qui de verbo Venit, argutatur. Cæterum catholici dicunt, Nisi corpus Christi præsens in Sacramento esset, Ecclesiæ sacrificium, tanquam substantia sua defectum verè cessaret. Nam hoc demum est sacrificium incruentum & munda oblatio, de qua Malachias prædixit iugiter in Ecclesia offerẽda.* Fingit nos argu-

tari de verbo, Venit: cùm nos solida & firma quæramus: non ἀσύνατα, qualia sunt, quæ isti asferunt. Vter verò nostrûm in disputando ineptus videatur, nihil dico. Prudens lector facilè iudicabit. Quòd autem ait, *suos Cacolycos affirmare, nisi corpus Christi esset præsens in Sacramento, sacrificium Ecclesiæ nullum fore, cũ sua*, vt ait, *substantia destituatur*, his verbis satagit ex nostra sententia absurdum conficere, videlicet, Ecclesiam carere sacrificio. Sed quomodo potest Ecclesia destitui sacrificio, cùm Christum veram & vnicam victimam perpetuò colat, eumq; vt ille instituit, commemoret? Nam ego tria tantùm video genera sacrificiorum. De pijs enim & Deo gratis tantùm loquor. Primùm fuerunt victimæ veterum patrum. Deinde Christi sanctissima oblatio in cruce, quæ veterum vmbris & sacramentis finem imposuit. Sunt ad hæc oblationes precum, gratiarum actiones, cõtriti cordis, eleemosynarum & veteris hominis perpetuæ mortificationis. Hæc sacrificiorum genera ostendi possent ex sacris literis. Atq; hoc tertium genus & reliquum esse in Ecclesia, & mundũ atq; incruentum esse fateor. Quòd ergo Inconstantius cauillatur, Ecclesiam sacrificium non habituram, si corpus Christi realiter non adsit in Eucharistia, vanum & nugatorium est. Nónne enim sacrificium est, cũ percipimus Eucharistiam, agere gratias de Christo nostra causa in crucem tradito? Ibiq́ue cũ preces, eleemosynas, nos ipsos in obsequium tradimus, nónne perfectè ac spiritualiter sacrificamus? Quod aliud genus sacrificij quærit hoc tempore Inconstantius? Nec tantùm aliud, sed etiam ab omnibus diuinis literis alienum? Non enim putat esse sacrificium, nisi substantia ipsa corporis Christi Deo nostro per sacrificum offeratur. Ea verò forma oblationis quia confirmari non potest verbo Dei, nec ad legitima sacrificiorum genera, quæ iam commemorauimus, pertinet, idcircò à pijs omnibus iure ac meritò repudiatur. Sciat ergo Inconstãtius nostras Ecclesias nunquã eã receptu ras, nisi certo aliquo scripturæ loco cõfirmetur.

Ecclesia nõ destituitur iusto sacrificio.

Tria genera sacrificiorũ.

Nam oraculum illud Malachię de oblatione munda per orbem vniuersum offerenda, nostrę verisimę sententiæ, non Papistarum leuissimę opinioni patrocinatur. Nec Hieronymus cũ illum locũ interpretaretur, huius realis vestræ prę sentiæ corporis Christi per sacrificũ offerendi mentionẽ vllam fecit, sed precum: quas Christiani Deo vero, non in Iudæa tantùm, sed per vniuersum orbem offerunt. Tertullianus etiam antiquissimus scriptor aduersus Iudæos ita scribit, exponens hunc locum: *Sic itaque sacrificia spiritualia laudis designantur, & cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur.* Et addit, *Sacrificium non accipiam de manibus vestris: quoniam ab oriente sole vsque ad occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus: dicit Dominus.* De spiritualibus verò sacrificijs addit, dicens: *Et in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo, dicit dominus.* Non ergo ita absurdum est, vt putat Inconstantius, deesse nunc Ecclesiæ sacrificium, quo offerat substantiam corporis Christi. Neque enim patres vt ostendimus, senserunt Christum aliter nunc offerri in Ecclesia, quàm vt de illo semel oblato in cruce perpetuò agantur gratiæ: quemadmodum Chrysostomus luculenter docuit in epistolam ad Hebræos.

OBIECTVM XLV.

Missa caret verbo Dei: imò etiam illud inhonorat, & Christi institutionem destruit. Quare non est credibile, corpus Christi in ea adesse, videlicet, vt tractetur, & ostendatur.

GARDINERVS.

Quatenus Missæ vocabulo sacrosanctæ Cœnæ celebratio intelligitur, quomodo dici potest destitui verbo Dei?

MARTYR.

LIberamus te hac molestia Inconstanti, vt quæras, an in diuinis literis vox ista Missa inueniatur. Non.n. de vocula aliqua, vt tu soles, sed de re ipsa mouemus controuersiam. Esto, dixerint veteres Latini Missam, quòd cũ ad Cœnã ipsam veniendum esset, Cathechumeni & alij, qui ad eam non erant admittendi, soliti fuerint missi fieri. Ista de re nos nihil rixamur. Neque id improbamus, quòd ad sacram Communionem, Paulo & alijs fortasse Apostolis monitoribus, preces, postulationes, intercessiones & gratiarum actiones adiectæ fuerint. Id enim constitutum, & confirmatum est diuinis literis. Hæc Inconstantius sola commemorat: quasi satis constet missam rem planè innocentissimam esse, & sanctissimam: nisi illorum fortè aliquid vellimus reprehendere.

Vnde vocabulũ Missæ

Missæ abusus.

Sed cur tacer, Papistas solere iactare, Missam suam esse sacrificiũ, in quo filius Dei Iesus Christ⁹ patri suo à misero sacrificulo offeratur? Cur dissimulat, velle te illud sacrificiũ propitiatoriũ esse pro viuis, & mortuis? Cur verba domini, præsertim plenissima consolationis, & promissionem æternæ vitæ continentia, secum tatitè musitant? Cur loquuntur lingua aliena? Cur vnus tantùm communicat? Cur alijs astantib. nõ sumenda proponuntur mysteria, sed spectãda? Hæc omnia Inconstantius, quia negare nõ potest impura, & flagitiosa esse, tacere maluit. Defendit autem Missam suã eo nomine, quod mandato & iussu Pauli preces adiunctę fuerint ad sacrã Cœnam. Neq; tamẽ videt, q̃ impudenter mentiatur, cũ in Missa Papistica dicat esse Cœnam domini. Quę.n. obsecro, potest ibi esse Cœna, vbi vnus tantũ comedat, vnus tantùm bibat? Ex his satis iam liquere arbitror, argumẽtum nostrum satis firmum esse, nec esse, vt iste calumniatur, maledictũ. Nam etsi alia vtcunq; conuenirent, tamẽ quis putaret, verum Christi corpus esse in Missa, cum ea, vt nunc à Papistis agitatur, nihil aliud sit, quàm ritus execrabilis & peruersissima corruptela instituti domini?

In Missa Papistica non est Cœna Domini.

OBIECT.

OBIECTVM XLVI.

VETERES in celebratione Cœnæ ſoliti ſunt dicere, Surſum corda, volentes hominum animos in cœlum ferri, non autem affixos manere elementis externis. Ergo apparet, illos nunquam cogitaſſe de reali præſentia corporis Chriſti, ad quod animi erant deorſum potius conuertendi.

GARDINERVS.

HOC argumentum diuinatione conſtat: in quo fictio conuenienter parit fictionem. Nã de ſignificatione horũ verborum, Surſum corda, non eſſe probabile, quod hic dicit, ex circumſtantijs facilè erit animaduertere.

MARTYR.

DE conſilio Eccleſię, cur moneat ſuos, vt in myſterijs ſurſum habeant corda, Inconſtãtius ait nos tantùm diuinare, & id conijcere quod velimus. Atqui ego primùm de vi argumenti dicam: poſteà de occaſione illorũ verborũ, Surſum corda, reſpondebo. Rationem ſic explico: Si Chriſtus totus, nõ ſolũ quod ad humanã eius naturã attinet, ſed etiã quod ad diuinã, tẽpore Cœnæ deorſum eſt in terris, nimirum, vt vos ſtatuitis, in pane, quorſum vocamur ſurſũ, cũ facilius deorſum inuenire poſsimus, quod quærimus? Cæterùm in terris mente non eſſe agendum quando communicamus, Chryſoſtomus docet, cũ dicat vt ſuprà citauimus, cõmunicãtes cũ ſunt ad menſam domini, oportere ſubuolare in cœlum vſque inſtar aquilarum. Non ergo ex augurijs, & diuinationibus hoc argumentum commenti ſumus, vt diuinat & auguratur Inconſtantius. Ipſe potius ſomniat, cũ fingat, ideo ſurſum auocari animos aſtantiũ, vt curis terrenis ſoluti, & expediti gratias agant. *Nam inter hæc verba*, inquit, *& Conſecrationem, gratiarũ actiones interponuntur. Itaque illam admonitionẽ nihil ad Euchariſtiam pertinere.*

Primùm, vt opinor, hoc non negabit, in illa ſua Miſſa anteà etiam gratias agi, quàm ad illũ locum perueniatur, Quid.n. hymnus ille, Gloria in excelſis, aliud continet, q̃ laudes Dei, & gratiarum actionem? Ante illum ergo hymnũ dicere oportuit, Surſum corda, ſi ſequi volumꝰ fictionem Inconſtantij. Imò etiam peracta Cõmunione gratiæ aguntur Deo, quòd cœleſti pane, potuq̃ filios ſuos refecerit. Cur ergo non ibi quoque canitur, Surſum corda? Sed, vt agã cum eo liberaliter, ſit ſanè ita vt fingit, illis verbis admoneri homines de gratiarum actione. Nónne in veſtra conſecratione, & in perceptione ſacramentorum eſt ſolennis quædam gratiarum actio de noſtra redemptione? Negaid, ſi potes. Quare ergo, ſi vt ſtatuitis, corpus & ſanguis domini realiter eſt in pane & vino, ſurſum vocatis corda ſtantium? Chriſto.n. gratiæ agendę ſunt, quẽ vos contenditis ibi eſſe corporaliter. Sinite ergo hominũ corda, atq; animos deorſum agere, ſi eo ipſo tempore Chriſtus, cui gratiæ agendæ ſunt, deorſum agat. Quòd ſi hęc ad illos tantùm pertinent, qui animo ad res mũdanas diſtrahũtur, cur tota Eccleſia reſpondet, *Habemus ad dominũ?* Fieri.n. poteſt, vt multi ex aſtantib. adhuc huiuſmodi cogitationib. indulgeãt. Deinde diu anteà oportuit miniſtrũ ea de re populũ admonere, cũ haberentur preces, cũ Epiſtola, cùm Euangeliũ cũ ſymbolũ legeretur.

A Ad iſta ſingula non minus, quàm ad gratiarum actionem, oportuit animũ habere attentiſsimũ.

Longè verò ibi aliud agitur, q̃ quod fingit Inconſtantius. Nam vetus Eccleſia credidit, omnino ſpiritualem eſſe totã hanc actionẽ Cœnæ dominicæ. Ideoq; ne animi communicantium plus, quàm par eſſet, hærerent in ſymbolis, eos ſurſum auocabat, vt vero Chriſti corpore, nõ in placentula recondito, ſed dato in crucẽ, & iam aſsidente ad patris dextrã, fruerentur. Atq; B ita Eccleſia cũ reſpondet, *Habemus ad dominum*, nõ ſignificat abſtractionem animorum à rebus temporarijs, ſed prohibetur quodammodò illis verbis, Omnes Chriſtianos ita credere, vniuerſum illud myſterium ad cor, ad animum, ad fidem pertinere.

Sed pergit Inconſtantius. *Tum illud*, inquit, *videt: Tradunt iſti, ſymbola eſſe verba viſibilia: quæ quodammodo concionentur. Et interea volunt, aſtantes cauere à ſymbolis, vt ne auſcultent ea, ſed negligant, vt à* C *domino aliena, cũ tamen ſpirituali domini manducationem, & mortẽ annuncient. Si ſymbola, inquit, iſta ſunt vt vos creditis, verba viſibilia, et concionantur nobis de noſtra redemptione, quomodò illis non attenditis? cur illa non ſpectatis? Si ea negligimus, fructum quem vos illis affingitis, non habemus.* Pingues, Inconſtanti, oportet tibi eſſe aures, cùm noſtra verba ita dextrè accipias. Nos.n. non negamus, elementa eſſe verba quædam viſibilia: quemadmodum Auguſtinus myſteriorum naturam piè & doctè deſcribit: Imò concionem iſtorũ ſymbolorũ D & dulciſsimas promiſsiones, quas habent ſecũ coniunctas libenter audimus. Neq; ita homines ab eis auellimus, quaſi illa nec guſtare debeant. Quomodo enim alioqui obedire poſſemus domino dicenti, *Accipite, Manducate, Accipite, Bibite?* Sed ab eo auocamus animos piorũ, ne Chriſtũ quaſi in illis latitantẽ quęrant: vt à veſtris anthropophagis & artolatris caueant: vtq; ab horrenda idololatria ſibi temperẽt. Hoc inculca- E mus, hoc monemus, hoc docemus pias mentes, vt corpus Chriſti, quod verbo Dei, & Sacramẽtis prædicatur, in cœlo quærant, nõ autẽ ſuper terram: vtq; adorationem ſuam non ad panẽ & vinum referant, ſed ad dextram patris, ad quã ſcripturæ certiſsimè docent Chriſtũ aſsidere.

Noſter autem, ne eum parùm putes Sophiſtam eſſe, ea quæ à nobis dicuntur de corpore & ſanguine Chriſti, ſimpliciter ad Chriſtum ipſum per ſe transfert: & iactat nos docere, Chriſtum non dignari intereſſe noſtris conuentibus, neque quicquam habere commercij cũ externis ſymbolis. Impudens verò mnedaci

um, Inconſtanti, & diabolicam ſophiſticen. Quis enim noſtrûm vnquam docuit, patrem, filium & ſpiritum ſanctum noſtris cœtibus nõ adeſſe? Quis vnquam noſtrûm dixit tibi, Chriſtum nihil habere commercij cum ſuis ſymbolis? An quia caro & ſanguis Chriſti illis, quaſi quibuſdam inuolucris, non teguntur, ideò ſtatim ea ad Chriſtum nihil pertinent? Cur non etiam dicis, aquam Baptiſmi, quòd in Chriſtũ non tranſſubſtantietur, nec eius ſanguinem in ſe reconditũ realiter contineat, nihil ad eum pertinere? Non iſtæ rationes ſunt, mihi crede, ſed calũmniæ. Hoc ſcilicet ingenium erat Pſeudoantonij, argumenta noſtra, quæ diluere non poſſet, mendacijs ſuis conſpergere, vt veritatem, quam ipſe ſemper odiſſet à puero, alijs quoque efficeret odioſam. Sed luſiſti operam. Quis enim ſapiens homini vafro & mendaci fidem habeat.

Sed pergit. *Si ea erat de Euchariſtia illis temporib. doctrina, quam iſti volunt, vt ſymbola in ſuis naturis manentia nihil aliud eſſent, quàm ſigna & figuræ rei abſentis, ſi tam negligenter tractarentur, vt paſſim darentur pueris in manus, ligneis & vitreis vaſis exhiberentur, nihil denique adorationis ſolitum eſſet adhiberi, quid opus tam ſollicita cautione, ne mentes haberent fixas ſymbolis: quod aliter accidere non poſſet, niſi quatenus animum in patinis dicerentur habere, vbi intelligerent, nihil appoſitum, præter panem & potum?* Seculo illo incorrupto ſymbola credebantur retinere priſtinam ſuam ſubſtantiam: Tranſſubſtantiatio autem, quod vos portentum de veſtro finxiſtis, fuit adhuc inaudita. Quanta verò cum ſimplicitate tractari ſolita fuerit Dominica cœna, ſatis ea docent, quæ narrat Cyprianus, quæ Hieronymus de Exuperio Tholoſano, quæ Euſebius, quæque Ambroſius de Satyro fratre. Σαρκασμὸς ergo iſte Inconſtantij de Sacramento pueris in manum tradito, in ligneis, vitreisque vaſis, in ciſtis, in orarijs, in thecis, abſque vlla adoratione circumgeſtato, potuiſſet melius in aliud tempus reſeruari. Nõ enim noſtrûm quenquam pulſat, quaſi nos iſta confinxerimus, ſed ſanctiſsimos illos patres, quos iſte tanto ſtudio ad ſuas partes conatur traducere. Ab illis enim nos iſta didicimus: quod ne ipſe quidem poteſt diſsimulare.

Magna ſimplicitate tractabatur antiquitus Euchariſtia,

Quid, inquit, *tanti periculi imminebat? Cur tam diligenter auocandi erant homines, vt ſurſum ſpectarent? An enim illi in nudis figuris & frigidis ſymbolis inhæſiſſent? Nam ſi de pane & potu cogitaſſent, animum habuiſſent in patinis.* Itaque concludit hoc argumento maximè oppugnari ſententiã noſtram. Si ego velim toties oſtendere, elementa Sacramentorum non appellari à nobis meras, & inanes figuras, quoties iſte id iniquiſsima calumnia nobis obtrudit, nimium importunus, vt ipſe eſt, & lectori moleſtus eſſem. Verùm ille ſua impudentia nunquam eò me adducet, vt velim rem eandem millies repetere. Si memineris, Lector, eorum quæ nos ſuprà fusè diximus, facilè intelliges, quàm in procliui ſit Inconſtantio mentiri. Quàm autem egregiè cum ſuis iſtis concluſiunculis ineptiat, ſic accipe: Facito, dicis cauſa, ſymbola Euchariſtiæ mera eſſe ſigna. Nihilo tamen minus admonendi eſſent homines, vt ſe altius & ſublimius attollerent. Nam etiam cum verba Dei recitantur, quæ auribus noſtris haurienda ſunt, & animis ac mentibus excutienda, prudenter admoneri ſolemus à concionatoribus vt mentem altius attollamus, nec ſono, aut compoſitioni verborum attendamus, ſed ad ſignificata, hoc eſt, ad magnifica conſilia atque opera Dei noſtras cogitationes referamus. Structura enim orationis humilis ſæpè & abiecta eſt: cùm ſignificata ſint eximia & illuſtria. Nam Paulus ait, ſe ſermone quidem imperitum eſſe, ſed non ſcientia. Eat nunc Inconſtantius & clamet, Si oratio ſacrarum ſcripturarum humilis eſt & penè barbara, quid periculi eſſe poteſt, ne in illis immoremur, et nos ipſos diutius quá par ſit, oblectem? Quid patres nos ab oratione ad ſignificata reuocant? Si hoc patrib. obijceres, illi cũ te viderent nõ ſimplicitate labi, ſed malitia vinci, & odio veritatis tantũ non rumpi, Apage, dicerent, veteratorias iſtas argutias. Nonne enim monere debemus homines, ne phraſi ſcripturarũ offendantur, quę quamuis humanæ prudentiæ rudis & abiecta videatur, aptiſsima tamen & compoſitiſsima ſit iudicio ſpiritus ſancti? Nõ iubemus, ne quis Verba Dei audiat: imò hortamur, vt aſsiduè legant & commendent etiam memoriæ: ſed ad res ipſas, adque ſignificata in primis hominum animos extimulamus, eosque ad ſenſa ſpiritualia & cœleſtia mente, ſpiritu, fide comprehendenda rapimus. Hæc atque alia ſimilia ſancti patres Inconſtantio reſponderent. Quare idem nunc à nobis reſponſum arbitretur. Nam, quod ipſe videt & obijcit, Symbola ſacramentorum dicimus eſſe verba viſibilia cum Auguſtino.

Mirum autem eſt, quomodò iſte putet, non poſſe aliter fieri: homines enim ſua ſponte, neglectis figuris, ſine admonitore, velle ad ſignificata contendere. Quotidiè enim videmus contrà accidere. Innumeri.n. ſunt, qui pro rebus ipſis vmbras vaniſsimas conſectentur. Neque alia magis cauſa hodie Iudæi accuſantur, quàm quòd diligenter obſeruatis figuris, à rebus ipſis & ſignificatis exciderint. Quemadmodum maiores eorum æneo ſerpenti, quem ſatis ſciebant nihil eſſe aliud, quàm imaginem conflatam ex ære, tantum tamen detulerunt, vt eum colere & ſuffitum ei facere non dubitarent. Ex hoc errore fœdiſsima illa veſtra nata eſt artolatria. Vos enim, vos inquam, ita ſuſpexiſtis elemẽta huius mundi, vt ex illis feceritis res ipſas. Nam circa panem & vinum in cœna domini, circa aquam in Baptiſmo quid non commenti eſtis? Hoc Inconſtanti, hoc vetus illa Eccleſia timuit ne accideret, & cauere voluit. Atque vtinã eam vos monentem audiuiſſetis. Sed quoniam cætera omnia, ita illam quoque contemnitis, dabitis, mihi credite, aliquando pœnas.

Iam audiamus concluſionem. *Eam*, inquit, *ad monitionem locum habere poſſe in Eccleſia ſi fideles moneantur, vt à terrena ſymbolorum natura ad cæleſtem*

lestem substantiam, quæ desursum est, præsentem, fidei oculos intendant. Sed ante consecrationẽ, inquit, *adhibita fuerit intempestiua.* Quæ mihi tu narras symbola, à quibus Ecclesia vestra moneat suos, vt attentionem fidei transferant ad cœlestem substantiam? Nulla enim vultis terrena symbola amplius vobis supereſſe. Nam elementa illa panis & vini docetis transubstantiari in corpus & sanguinem Domini. Quæ igitur superſunt elemẽta, à quibus vos ad cœlestem substantiam conferatis? Accidẽtia fortè dices. At ea vix terrena credi possunt, cùm sint, vti traditis, in aere pendula citra omne subiecti fulcrum: ideoque res potius cœlestes & spirituales videri possint, si modò cedendum sit mendacijs.

Deinde si præsens adest illa diuina substantia sub panis & vini accidentibus, ea iam non sursum, sed deorsum quærenda est. Hoccine est corda hominum ab elementis mundi auocare sursum? Imò multò potius videmini velle vestris incãtationibus Christum deorsum de cœlo deuocare.

Ita verò Inconstantius placet sibi de illa exceptione temporis, vt denuò etiam repetat, illam admonitionem, *si ad Eucharistiam referenda sit, intempestiuè commemorari.* Ita scilicet, isti in sua Missa religiosè obseruant temporis rationem. Atqui eam si quis diligenter excutiat, inueniet vndique perturbatam. Sed quoniam iam antè, cur ista admonitio tempestiua sit, & suo loco posita, satis copiosè diximus, nihil causę est, cur ea nunc denuò repetamus. Certè ab illis verbis minister incipit Deo gratias agere: neq; aptius esse potuit initium ad totum mysterium perficiendum: præsertim cùm Christus etiam sic illud inchoauerit. Verùm isti Quinqueverbij Consecratores non aliam arbitrantur esse confectionem Eucharistiæ, quàm quinque illarum vocum prolationem, vel inhalationem potius, si patiantur nos dicere. Sed pudet me tam futiles cauillos tam multis refellere. Ait Inconstantius, *illis, qui hoc argumentum texuerunt, nihil fuisse cordis.* Ego verò, vt Tertulliani verbis illi respondeam, illum puto peponem habere pro corde. Nam si aliquid haberet humani cordis, intelligeret, opinor, quorsum illæ Veterum gratiarũ actiones post admonitionem de corde sursum tollendo spectarint. Illæ enim Inconstanti, si nescis, ad corpus & sanguinem Christi referebantur. Ea enim memoria recolenda erãt, quatenus pro salute & redemptione humani generis fuerant tradita. Fructum autẽ ex illis aliquẽ si volumus percipere: fide, atq; omni mente sursum, vbi ea iam sunt, contendendum est.

Deinde iactat, se hanc expositionem adferre potuisse è Chrysostomo. Sed quis putet, Thrasonem voluisse tantam gloriæ suæ iacturam facere? An ergo verbis & chartæ parcit Inconstantius. Certè si quid haberet ex Chrysostomo, quod nobis cum fructu obijceret, vt solet, petulanter & insolenter insultaret. Multis quidem in locis scripsit Chrysostomus, pios, cùm recipiunt Eucharistiam, animis attolli in cœlum. Hoc tamen tibi persuasum esse debet, pie Lector, frigusse Inconstantium, neque illum quicquã ex Chrysostomo adferre potuisse, quo suum commentum tueretur. Sed, vt est modestus, & verecũdus, huiusmodi exornationibus efficere voluit, vt suæ causæ tam quod non habebat, quàm quod habebat, inseruiret. Quia tamen hac de re Chrysostomus nonnihil conscripsit, visurus es infrà quid sibi ille voluerit. Nam quæ sophistæ importunitas est, nos denuò coget, vt de hoc rursus dicamus.

Iam ipse vicissim audiat, quid Augustinus, de Bono perseuerãtiæ, siue lib. 2. cap. 13. de Prædestinatione, hac de re scribat. *Quod ergo*, inquit, *in sacramentis fidelium dicitur, vt sursum corda habeamus ad Dominũ, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere post hãc vocem, quibus hoc dicitur, admonẽtur, & Dignum, & iustum est, respondent.* Hîc videmus, qd Inconstantius negauit, verba illa proferri in ipsis etiam mysterijs. Deinde intelligimus, non ea causa sursum auocari animos, vt purius gratias agant: sed de eo potius agi gratias, quòd iam ea sursum habeant. Iam ergo iudica Lector, vter noster diuinet de sensu veteris Ecclesię. Nos sententias nostras Patrũ testimonijs & Scripturis sacris confirmamus: Inconstantio autem satis est gloriosè iactare, Patres omnes suos esse, & à se facere, quorum tamen verba citare non possit.

OBIECTVM XLVII.

CHRISTVS portauit se quodammodo in manibus suis, vt ait Augustinus: ergo se ipsa, & verè non portauit.

GARDINERVS.

MODVS actionis nihil imminuit de veritate rei gestæ, quam verè credimus gestam esse: quod addo propter ænigmatica, quæ cùm fuerint explicata, exeunt in ridiculum.

MARTYR.

SI modus actionis, qui ab Augustino per aduerbium, Quodammodò, indicatur, de veritate rei gestæ nihil imminuit, nisi quis ænigmata loquatur, vt tu dicis, quí fit, vt quispiã de inimico suo citra ænigma verè dicat: Ita me intuetur, quasi qui vellet me oculis suis quodammodo deuorare. An hisce verbis actio illa deuorandi nihil imminuitur? Ita dicimus, cum

qui celeri eqũo iter faciat, quodammodo volare. An ergo quisquis ita vehitur, re vera volat? quid ergo habet Inconstantius, quòd queratur, nostros malè colligere, si ex eo, quod Augustinus ait, Christum se quodammodo portasse suis manibus, concludunt eũ non verè, aut realiter se gestasse? Verùm, vt intelligas Lector, huius impostoris vafriciem, cogitare debes, nõ solere nostros vti argumentis ita futilibus. Sed iste, quicquid inuenit fortè in nostris libris, statim id fingit esse argumentum: atq; ita non nobiscum, sed cum vmbra sua confligit. Cur autem nostri huius loci mentionem fecerint, vno verbo dicam. Isti rabulæ verbis illis Augustini contra nos abuti solent. *Augustinus*, inquiunt, *credit veram & corporalem præsentiam corporis Christi in Eucharistia. Ait enim Christum seipsum portasse in manibus suis.* Nos respondemus, Augustinum non simpliciter dixisse Christum se portasse in manibus suis, sed addidisse, *Quodammodo.* Vides Lector, quodnam nostrum illud argumentum sit, quod iste tam acriter persequitur. Et de hoc vno iudicium facito, quid de alijs argumentis, quæ ille vel supposuit, vel concîdit, vel immutauit, sentire debeas.

Augustini locus emendatur.

Nunc autem responsionem illam nostram, quam iste ait esse argumẽtum, videamus, quanta cum ratione confutet. Quod primùm arripuit, quàm alienum, & falsum sit diximus. *Neq; illos huius magnificos iactatores, qui, cũ boues in charta depictos gerant in humeris, dicant, se boues posse gestare, quicquam moror. Neq; pluris eos facio, qui dicant, se decem talenta habere in crumena, cùm tantùm habeant debitoris syngraphã* Huiusmodi enim exempla ad hanc rem nihil faciunt: nisi fortè his figuris & syngraphis nos perstringat, quasi sacra mysteria faciamus picturas, & consignatas Dei promissiones, quod quoniam & verum est, & nostram causam nihil lædit, non video cur debeam dissimulare. Dici non potest, quàm mole stè Inconstantius ferat nomen figuræ, typi, aut significationis. Necesse tamen est, vt ferat, cùm res mutari non possit. Ita enim & scripturæ loquuntur, & Patres interpretantur: neque alio pacto sacramentorum natura constare potest. Neque certè puto prudentem Lectorem, si ea satis attentè consideret, quæ suprà diximus, existimaturum, quenquam nostrum docere, sancta mysteria esse vulgares quasdam picturas, aut syngraphas. De illis enim summa cum reuerentia & loquimur, & scribimus. Quare ad istam perpetuam calumniam, quærat illos Inconstantius, in quos ea quadrat, qui respondeant. Sed addit, *Augustinũ ista de Christo retulisse, quasi qui narrare vellet ingens aliquod miraculũ, quod alius præter Christum nemo fecerit: & eum declarationem adiecisse de sacramẽto, quæ propositionem allatam non destruat, sed illustret.* Concludit autem, nostram expositionem de figura veritatem propositionis Augustini prorsus tollere. Nos quidem nunquam negauimus, Augustinum illis verbis seria & admiranda sensisse. Nam cùm sacramenta ab hominibus institui non possint, id Christus fecit, quod nemo hominum facere potest: nimirum vt gestaret in manibus sacramentum sui corporis. Potuisset quidem Cæsar & Pompeius imagines & figuras suas circunferre: at ea tamen sacramenta illorum non fuissent. Inconstantius hîc habet vngues suos perpetuò, tanquam in vlcere: quasi nos dicamus, Eucharistiam vulgarem & inanem esse imaginem aut figuram corporis Christi. Sed, vt diximus, longè & malitiosè fallitur.

Augustinus ergo, cùm adderet particulam illam, *Quodammodò*, nõ euertit veritatem propositionis: sed eam potius prudenter cõfirmauit. Exposuit enim, quemadmodum ea esset intelligenda. Idem Augustinus, cum ita interpretatur verba illa Pauli, Petra erat Christus: hoc est, petra significauit Christum: an euertit veritatem Paulinæ sententiæ? Aut cùm ait, Christum dedisse Apostolis corpus suum: idque exponit figuram corporis, an dictum Christi vlla ex parte violauit? Augustinum verò suo isto modo, quẽ dicit realem illam corporalemq; corporis Christi præsentiam excluisse, duobus ex locis facilè agnosci potest. Primùm ex eo, quod ad Bonifacium, epistola 23. ita scribit: *Si sacramenta, inquit, similitudinem quandam earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, & sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est: ita sacramentum fidei fides est.* Hîc vides quem modum Augustinus intellexerit: nimirum similitudinem, atque eam etiam similitudinem, quæ rem ipsam à se disiunctam habeat. Confert enim Eucharistiam cum Baptismo: & ita vult Baptismum dici fidem, vt Eucharistia dicitur corpus Christi. Fides autẽ in animo est, cùm Baptismus adhibeatur foris. Res ergo, & similitudo aut sacramentum subiecto, aut loco, vt scholastici dicunt, separantur. Mitto, quod Augustinus eodẽ loco alijs exemplis vtitur: nimirum dierum mortis & resurrectionis Domini: qui cùm rerum illarum memoriam tantùm referant, tamen illarum nomina sortiuntur. Audi rursus, quid scribat in Psalmum 98. *Non hoc, inquit, corpus, quod videtis, manducaturi estis: nec bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui. Id spiritualiter intellectum viuificabit vos: & si necesse est, illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi.* Hæc verba ita clara sunt, vt luce maiore non egeant. Quare noli posthac, Inconstanti, si sapis, nobis figuras, typos & similitudines obiectare. Et, si iam intelligas, quem Augustinus modum intelligat, nimirum sacramẽtalem, noli amplius frustrà tergiuersari.

Interpretis quampiam sententiam nõ est tam violare.

Ea, quæ sequuntur in Inconstantio, facilius refellentur, si dicta illa Augustini paulò altius repetamus. Verba eius prima concione in Psalmum 33. sic habent: *Hoc verò fratres quomodo fieri possit in homine, quis intelligat? Quis enim portatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in*

ipso

ipso Dauid secundùm literam, non inuenimus: in Christo autem inuenimus. Hìc Inconstantius, vt nihil tutum est à Sophistis, id quod Augustinus ait, *Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundùm literã, non inuenimus: in Christo autem inuenimus*, arripit, quasi id eius causam vehementer iuuet. Aitq; hoc annotasse Augustinum, verum esse secundùm literam, Christum se portasse in manibus suis: hoc autem nostram gestationem, quam in figura ponimus, excludere. Sed respondeat mihi, cur illud Augustini dictum sacramentalem gestationem excludat? Hoc non ita leuiter attingendum, sed firmè & solidè probandum erat. Certè dictum Augustini tam apertum est, vt longa interpretatione non sit opus. Nam in historia rerum gestarũ à Dauide non legimus, eum vllo modo proprijs manibus se gestasse. Christum verò, secundùm literam, hoc est, ex narratione Euangelistarum, scimus aliquo modo se ipsum portasse in manibus suis: eo nimirum tempore, cum sacramenta sui corporis teneret in manibus. Quid hìc, obsecro, ambiguitatis, aut obscuri relinquitur? Inconstantius verò illud, Iuxta literã, nihil aliud putat, quàm realiter, corporaliter, substantialiter. Quod autem Augustinus paulò suprà dixerat, Christum id quodammodo fecisse, ita aggrauauit aures suas, & cor adamãtinum indurauit, vt id planè nec intelligere, nec audire velit. Satis ergo est Augustino, Christum illud iuxta literã, hoc est, narrationem Euangelistarum aliquo modo fecisse. Nam id à Dauide nullo modo ex historia sacra factum legimus. Hoc discriminis est inter Christum & Dauidẽ: quòd Dauid nullo: Christus autem aliquo modo se ipsum gestauit. Sed pergit Inconstãtius *apud Augustinum vocem illam, Quodammodò, eò pertinere, vt mens humana comprimatur, ne putet, congeminatum fuisse corpus Christi, cùm ille seipsum gestarit: quasi verò Augustinus monere voluerit, Christum id certo quodam modo fecisse, ita tamen, ne corpus suum geminaret. Istum autem modum, cùm à nobis percipi non possit, vt arcanum & abstrusum, soli Deo relinquendum esse.* Deus bone in quas angustias iste se conijcit? Semper concipit vanitatem, & vbique parit mendacia. Quis enim dubitet, si vestrum commentũ audire velit, oportuisse geminari Christi corpus? Nam si corpus suum totum gestauit suis manibus, illudque totum comedit ore suo, quomodo negare potes, duo illa & distincta fuisse corpora? Hæc enim, vt in Scholis dicitur, contradictionem implicant, nempe vt quispiam re ipsa gestet se ipsum totum, & re ipsa comedat se ipsum totum: ideoque nec diuina vlla potentia possunt fieri: neque certè diuinarum literarum authoritas istud vspiam credi iussit.

Illud verò quod addit, *δὶς κράμεν, vel potius, αὐτοῦ κράμεν, signum infidelitatis esse, cùm in locis obscuris & difficilibus quæritur*: Quomodò, inanius est, quàm vt debeat toties confutari. Nam & beata virgo, & alij multi viri sancti, & Deum ipsum, & Angelos percontati sunt, Quomodo. Sed quoniam id ab hominibus incredulis semel atque iterum vitiosè factum est, idcircò Inconstantius fingit, nunquam id rectè posse fieri. Atqui vel ex Dialecticis suis discere facilè potuisset, ex aliquot propositionibus singularibus, non posse concludi vniuersalem.

OBIECTVM XLVIII.

CORPVS Christi est in cœlo: corpus Christi est in sacramento Eucharistiæ. Ergo sacramentum Eucharistiæ est in cœlo.

GARDINERVS.

REdundat peccatis hæc argumentatio. Adhibentur (quod est vitiosissimum) quatuor termini: dictionum sensus variatur, cùm ab vno existendi modo, ad allum migretur.

MARTYR.

RECtè sanè. Nouus iste noster Aristoteles, vel Chrysippus potius argumẽtum istud reuocat ad regulas dialecticas. Ait id constare quatuor terminis. Ego verò, qui in his spinis & argutijs ætatem meam minus contriuerim, pro mea hebetudine tres tantùm terminos in hoc argumento videre possum. Primus est, Existens in cœlo: alter est, Existens in sacramento: tertius autem est, Corpus Christi. Sed quoniam sophisticis illis oculis careo, quibus nimium abundat Inconstantius, quartum non possum deprehẽdere. Expectemus igitur, dum illum iste nobis commonstret. Quoniam autem agendum est dialecticè, contendo hoc argumentũ esse in tertia figura: & formam habere syllogismi, vt vocant, expositorij. Nam si verum est ita dicere, Hoc est calidum: Hoc est piper: Ergo piper est calidum: cur non idem valeat de corpore Christi? Illud enim cùm habeat adiunctum pronomen demonstratiuum, non minus est singulare, quàm alterum. Si ita dixero, Corpus Christi est in cœlo: Corpus Christi est in Eucharistia: Ergo Eucharistia aut id, qd est in Eucharistia, est in cœlo: velisne tu, an nolis, non magni refert, certè omnes mihi id Scholastici largientur. Nam corpus Christi, quod dicunt esse in Eucharistia, affirmant etiam esse in cœlo. Quàm autem illi crassè ac stolidè hal-

Syllogismus expositorius.

lucinentur, nolo in præsentia explicare. Ex eo autē sequi, Eucharistiam esse in cœlo, ita ostendam. Cùm ista dici velint de eodem corpore Christi: idque simul & eodem tempore, nimirum & in cœlo esse, & in Eucharistia, omnino necesse est, vt fateantur, Eucharistiam esse in cœlo. Contradictio enim est, idem corpus eodem tempore, & cum Eucharistia esse, & non cum Eucharistia. Sed ne rixemur de forma syllogismi dialectica, reuocabimus argumentum ad primam figuram, vt magis esse possit perspicuum. Omne corpus Christi, seu quicquid est corpus Christi, est in cœlo: Sacramentum Eucharistiæ est corpus Christi: ergo sacramentum Eucharistiæ est in cœlo. Maior propositio non potest negari: nisi fingere velitis, aliquod esse corpus Christi, quod non sit in cœlo. Minor verò est idolum vestrum, pro quo tantopere dimicatis. Omnino enim vultis, Eucharistiā realiter & corporaliter esse corpus Christi. Quare de conclusione non potestis ambigere, cùm propositiones ita sint collocatæ. Falsum autem est, & vanum, & absurdum, quod conficitur, videlicet Eucharistiam esse in cœlo. Itaque cùm maior improbari non possit, necesse est, vt vitium hæreat in minori: quam vos ipsi vobis peristis, & defenditis pro vera. Abijcite ergo illam in tempore, ne vos in alia absurdiora præcipitet. Instantia verò illa, quâ inducit Inconstantius de manu & chirotheca, ea sanè ex parte, qua cum nostro argumento conferri potest, si rectè connectatur, nihil concludit absurdi: nimirum aliquid hominis, vel aliquam partem hominis esse in chirotheca. Manus, inquit, est in chirotheca: Manus est in homine, ergo homo est in chirotheca. Qui ita concludit, Inconstanti, non homo est, sed asinus, etiam si sit episcopus. Ex illis autem præmissis hoc rectè sequeretur: Ergo aliquid hominis, aut aliqua pars hominis est in chirotheca. Sed quantum sit discriminis inter nostrum argumētum & tuum, vel ex eo videre potes, quòd tuum reduci nō potest ad primam figuram. Nam an ita dices in maiori: Omnis manus, aut quicquid est manus, est in chirotheca? Nō arbitror. Dein de non potes addere, Hominem esse manum: vt eum concludas in chirotheca. Ista ergo argumenta, quæ tu putabas similia esse, iam vides dissimilia. Nostrum enim est expositorium, & singulare, aut indiuiduum habet pro medio: tuum autem, medium habet infinitum, nempe manum. Neq; ita potest dici, Homo est manus: vt vos putatis licere dicere, Eucharistia est corpus Christi. Adhæc duo illi varij modi existendi, quos manus habet in chirotheca, & in homine, satis sunt perspicui, & ab omnibus agnoscuntur. Ille verò modus, quo vos fingitis corpus Christi re ipsa, & substantialiter esse sub accidentibus panis & vini, à vobis solis confictus est, vt animis fidelium facilius illuderetis. Nam nec in sacris scripturis vspiam traditur, nec veteri & puriori Ecclesiæ fuit in vsu. Verùm cùm vos nobis criminis loco tam sæpe, tamque acerbè obijciatis, quòd in hoc negotio vtamur istis vocibus, signo, figura, typo, symbolo, quas voces à veteri Ecclesia & sanctis Patribus, & omnibus omnino pijs, cùm de Eucharistia ageretur, constat fuisse vsurpatas, an putatis nos posse vobis tam facilè cōdonare, si ad statuendam meram superstitionē, & crassissimam idololatriam, nouos existendi modos sine modo, aut exemplo, sine etiam declaratione aliqua pro vestra libidine effingatis? Nos semper sine fronte figuratores appellatis. Quare nō debetis ægrè ferre, si vos à nobis vicissim Modistæ, aut Modales appellemini.

Altera verò instantia, quam Inconstantius excogitauit, quia medium habet indiuiduum singulare, nimirum Christum, videri potest syllogismus expositorius. Eo autem concluditur, id, quod est in cœlo, esse nobiscum vsque ad consummationē seculi. Sic enim argumentum conficitur in prima figura. Christus est nobiscum vsq; ad consummationem seculi. Quod est in cœlo est Christus: Ergo quod est in cœlo, est nobiscum vsque ad consummationem seculi. Hoc tamen discriminis est inter hoc argumentum, & nostrum: quod quamuis Christus sit vnum suppositum, tamen constat ex duabus naturis. Et libēter damus illum, quod attinet ad naturam diuinam, & in cœlis semper præsentem esse, & hîc etiam semper nobiscum in terris. Nos verò in nostro argumento de corpore tantùm Christi: hoc est, de vna tantùm eius natura loquimur. Quod certè in cœlo simul & in sacramento esse non potest, nisi fateri velis, sacramentum quoque esse in cœlis. Nam cùm sit idem corpus numero, quomodo potest & in sacramento esse, & sine sacramento eodem tempore? Sed hoc fefellit Inconstantium, quod nos putauit immediatam, vt ita dicam, fecisse conclusionem: videlicet sacramentum esse in cœlo. At non considerauit, nostros eam necessariò elicuisse ex alia conclusione, quæ tacetur. Ea autem est hęc: Corpus Christi, quod est in sacramento, est in cœlo. Ea autem sententia, vt ab istis Paparum mancipijs intelligitur, nimirum de reali & corporali præsentia, vera esse non potest, nisi fateri velint, etiam sacramentum esse in cœlo: vt cogantur geminare corpus Christi, vt alterum in cœlis sit sine sacramento, alterum autem cum sacramento sit in terris.

Sunt quidem ista nostra dura & spinosa, pie Lector: oro tamen te, vt ea boni consulas. Nam si ista dissimulare voluissem, & istis cauillis ex vera dialectica non respondissem, clamarent omnes Inconstantiani adulatores, suum istum Achillem in hac palæstra solùm regnare: neque eius acumini & subtilitati posse à quoquam responderi.

Quòd autē ad finem ita nos perstringit, vt dicat nos in eo constantes esse, quòd per omnia simus nostri similes: hoc est, vt ipse ait, ex omni parte vitiosi, sciat, istam dicacitatē suæ maximè petulantiæ conuenire. Eius enim & scripta, & acta, & res gestæ satis docent, illum nulla vnq̄ in re constantem fuisse, nisi in mendacijs.

OBIE-

OBIECTVM XLIX.

CHRISTVS voluit Eucharistiam seorsim esse duarum partium: corporis videlicet sui, ac sanguinis. Sed hæc duo in corpore Christi reali, atque carnali separari, ac diuidi non possunt. Ergo hæc duo in sacramento, quod Christus instituit, non accipiuntur realiter & corporaliter.

GARDINERVS.

CHRISTVS in hoc mysterio non diuiditur: sed cum sanguine corpus, & cum corpore sanguis, totus vbiq; est Christus.

MARTYR.

SI Christi corpus, vt vos dicitis, in hoc mysterio, nec patitur quicq̃, nec diuiditur, sed per concomitantiam, vt loqui soletis, sub vtraq; specie totum, atq; integrum continetur: necesse erit, eos qui communicant sub vtraque specie, totum Christi corpus, totumq; sanguinem bis accipere: primùm cum pane: deinde cum vino. Nec negari potest, esse ibi duo Christi corpora: si totum sit & sub panis accidentibus. Nam cùm illæ res distinctę sint, ac diuersę, loco etiam & situ separatæ à se mutuò, ac disiunctæ, neq; vtræq; eodem tempore sumantur: necesse est, vt qui accipiunt vtramq; speciem, bis accipiant corpus Dñi. Christum autē vtramq; huius mysterij partē instituisse, vt corpus eius in crucem actum, & sanguis pro nostra salute fusus, expressius & distinctius ob oculos communicantium poneretur, Ecclesia Christi semper & agnouit, & testata est: & in primis illa ipsa verba luculenter docēt, quæ ad vtramq; partem recitamus. Totum autē Christi corpus, totumq; sanguinē, qđ ad substantiā attinet, realiter sub vtraq; specie contineri, nunq̃ hactenus, nec ex sacris literis, nec ex veteribus Patrib. audire potuimus. Superest ergo, vt qđ somniatis de Concomitātia, vestrū tantū commentū sit.

Inconstantius autem de nobis, tanquā de vitilitigatoribus conqueritur, quòd statim à veritate rei præsentis in hoc mysterio deflectamus ad modum præsentiæ: vt in vtraq; parte arripiamus, quod nobis videatur opportunū ad cauillandum. Sed hîc iniuriam nobis facit, vt solet. Reprehendit enim nos, quasi modum præsentiæ alium inducamus, quàm ipse prædicet. Atqui nos illum tantùm modum præsentiæ oppugnamus, quem ipse obtrusit: nimirum realem, substantialem, corporalem. Hosce enim modos isti perpetuò strepunt. Nec mirum, cū ipsi eos soli pepererint. Nos autē nolunt inquirere modum: id enim clamāt esse Iudaicæ perfidiæ. Ipsi tamen modum præsentiæ nunquam crepare, atq; inculcare desinunt. Quare si videant se vrgeri ab hac parte, de se potius ipsis, quàm de nobis conquerantur. Quis vnquam audiuit rectè disputantes criminari aduersarios, quòd in argumentando partes quæstionis controuersæ aggrederentur & exagitarent? Vos vtramque partē inuexistis, & veram præsentiam corporis Christi, & modū. Quòd si ab alterutra istarum partium vos putatis minus esse munitos, licebit per nos ab eius assequeratione desistere.

Ait nō diuidi corpus à sanguine, nec sanguinem à corpore: sed vtrumq; simul esse coniunctum & integrū sub vtraq; specie p quandam concomitantiam. Libet hîc paulùm cū Inconstantio de verborū simplicitate contēdere: quā ait se in hoc mysterio vbiq; velle retinere. Certè Dñs dixit de pane, Hoc est corpus meū: nō autem de eo dixit, Hic est sanguis meus. Et vicissim de calice, Hic, inquit, est sanguis meus: non aūt, Hoc est corpus meum. Qua igitur audacia in pane sanguinē ponit Inconstantius, aut corpus in calice? Cur hîc ita peccul discedit à simplicitate verborū Christi? Si vobis licet comminisci nouam vocē Concomitantię: vocem, inquā, à vobis tantùm confictam, veteri autē Ecclesiæ inauditā: cur nobis non liceat cū omnibus antiquis Patrib. in hoc negotio vti figuris & typis? Nulla enim vox alia naturæ sacramentorū videri potest conueniētior. Sacraměta enim dicuntur formæ, figuræ, typi, signa rerum sacrarum.

Addit adhæc, nos non intelligere, Christum se nobis exhibere in Eucharistia sub diuersis speciebus, aut symbolis, nō ad sui diuisionem, sed ad significationem. Atqui hoc probè nouimus Inconstanti. Imò nihil aliud docemus, q̃ istis duobus typis mortem Christi & pretium nostrum, tam quod ad corpus, quàm quod ad sanguinem attinet, significari. Eaque de causa, nec diuisionē vllam corporis & sanguinis Domini nobis fingimus, nec Concomitantiæ vestræ vmbratili præsidio indigemus.

OBIECTVM L.

PAPISTAE dicunt, vi verborum Christi effici, vt in Eucharistia sit reale corpus Christi. Sed si esset tanta vis illorum verborum, id efficerent etiam abs quouis pronuntiata, siue à laico, siue à muliere: idq; in quouis loco, siue in foro, siue ad altare. Cùm enim sint eadem verba, necesse est, vt habeant vbique eandem vim.

GARDINERVS.

ETSI Ecclesia plurimum tribuat verbis Christi, tamen ab illis non disiungit Christi mandatum, quod nos certos facit, Ecclesiæ ministerio adesse Christum.

HOC mihi primùm admonendus es, Lector, istum sycophãtam proponere istud tanq̃ simplex nostrorum hominum argumentum. At quiuis facilè videre potest, in nostris Ecclesijs huiusmodi ἀταξίαν, & confusionẽ nullam esse, vt cuiq; liceat sacramenta populo administrare. Verùm illa à quibusdam nostris tantũ in superstitiosos Papistas dicta sunt, qui toties nobis plenis buccis tam confidenter clamant, vi quinque illorũ verborum panẽ haud dubiè transubstãtiari in corpus Christi. Quod si esset verum, à quocunq; illa verba pronuntiarentur, sequeretur idem effectus. Vbi enim est tota & perfecta causa, non video, quid effectum impediat. Vt si vis expellendi morbũ alicui pharmaco per se & propriè tribuatur, illud certè idem efficiet, siue à puero, siue à muliere fuerit propinatum. Quare Inconstantius rixas tantũ captat, vt solet: nec potest abstinere à calumnijs. Videt enim si rationes & argumẽta nostra proponeret fideliter, nullam sophisticæ suę rimam superfuturam, qua se possit insinuare.

Non probãda est ἀταξία in Ecclesia.

Verbis Christi potest nimium tribui.

Illud verò perridiculum est, quod ait, Verbis Christi non posse nimium tribui. Quasi incantatores, & magi nõ abutantur oratione Dominica: aut quasi multi nõ putent, initio Euangelij Iohannis suspenso ad collum, morbos auerti posse, & multos prosperos euẽtus cõciliari. Sed vt ne discedã ab instituto, illud nimiũ & planè superstitiosum esse contẽdimus, quinq; verborũ potẽtia subst̃atiam panis auferri atq; abijci, & in eius locũ succedere corpus Christi. Alioqui nunq̃ negauimus, vim esse maximam verbi Dei. Sed cùm venitur ad sacramenta, libẽter sequimur Augustinum. Is enim ait, Verbum Dñi ibi esse efficax, nõ quia dicitur, sed qa creditur.

Ait Inconstantius, à verbis Christi nõ disiungendum esse mandatũ. Rectè. Fatemur enim in sacramentis & mandatum & Verbum requiri. Atq; vtinã id à vobis fuisset obseruatũ. Vos enim & sine Verbo vllo, & sine mãdato complura vobis finxistis noua sacramenta. Nam in vestro illo sacramento matrimonij, quo quęso te, vtimini verbo Dei? quo in confirmatione vestra? quo in extrema vnctione? Hîc tñ impudenter iactas, mandatũ Christi non esse diuellendũ ab eius verbis. Id nos & recipimus, & obseruamus. Vos aũt vestram ipsorum regulam violatis. Christum aũt Ecclesiæ suæ ministerio adesse, nos nihil dubitamus: præsertim si ea vtatur ministerio ritè, & legitimè, & ad præscriptum Dei. Alioqui si sacerdos velit consecrare omnẽ panem, quẽ fortè inuenerit in pistrino, aut tota dolia vini, quæ viderit vspiam in cœnopolio, an erit hoc mysterium, cui tu dicas, Christum vel le interesse? Non ergo ex vi verborum, quæ à vestro sacrificulo proferantur cum voluntate & consilio transubstantiandi panem & vinum in corpus & sanguinem Christi, quantumcunq; libuerit, & vbicunq; voluerit, fiunt illa tam magna, & tam stupenda miracula, quæ vos ab omnibus firmissimè teneri, & credi vultis.

Dices fortasse hoc, vt à me scribitur, nõ posse fieri. Id equidem & scio, & video, & doleo, à vobis tam impiè, & tam stultè credi. Vos autẽ negare non potestis doctrinã istam vestrã esse. Vestrum enim illud est, ad conficiendũ sacramentum Eucharistiæ, tria requiri: materiã, vt loqui soletis, debitam: verba requisita, quæ à sacrifico pronuntientur: & voluntatẽ, atq; animum consecrandi. Quid igitur fingis? te religiosè morari Ecclesiæ ministeriũ? Illud enim vos miseris modis profanastis, cũ Christi mandatis & Apostolorum institutis vestra commẽta & superstitiosissimas nugas atq; ineptias præponeretis.

Tria Papistæ requirunt ad sacramẽtum conficiendum.

Præterea quid opus erat ita ambitiosè rhetoricari, Christũ huiusmodi varietate ornare voluisse Ecclesiam suã, vt ne omnes Apostoli, ne omnes Prophetæ, ne omnes ministri essent. Hæc tu ita scribis Inconstãti, quasi in Ecclesijs nostris, tali vtamur confusione. Atqui nos ordinem in sacris literis institutũ, q̃ possumus maximè, & diligentissimè retinemus. Vos potius eius accusandi estis, cuius nos insimulatis, qui vel ipsis laicis, vel mulierculis ius baptizãdi tribuitis. Quod autẽ postea fingis illa verba, Hoc facite in meam commemorationẽ, non pertinere ad omnes credentes, vanũ & falsum est. Prorsus enim omnium communicãtium est, annuntiare mortem Dñi, & cum gratiarum actione illius commemorationem renouare. Putat iste nos ignorare, suorum hoc commentũ sophistarum esse, illis verbis in vltima Cœna Apostolos à Dño consecratos fuisse, vt aiunt, in presbyteros: quasi verò illi non fuerint veri ministri, & antistites Ecclesiæ, cùm primùm à Christo ablegarentur ad prędicandum verbũ Dei. Certè vocatio Christi satis erat, vt illi efficerentur ministri Ecclesiæ. Sed ea vocatio tum demũ confirmata est, cùm Christus ascendẽs in cœlum eos dimitteret in totũ orbem terrarũ. Verùm hæc maxima est fraus istorũ impostorũ, quòd prædicationem verbi Dei, & administrationem Baptismi penè nihili faciunt: lagano verò isti suo consecrãdo tribuunt omnia, & in solo proram & puppim constituunt: penesque omnes suos Ecclesiasticos ordines distinguunt: vt neminẽ simi parum habere velint pro absoluto ministro Ecclesiæ, vtq; ipsi impiè loquũtur, pro sacerdote, qui nõ habeat ab episcopo potestatem conficiendi Eucharistiam. Subdiaconos autẽ, quorum sacræ literæ nullam faciunt mentionẽ, & Diaconos ita distinguunt, vt istis liceat propius accedere ad consecrandum & attrectãdum illud sacramentum: illi verò longiusculè summoueantur. Hãc tam acutã & diligentem distinctionem, ex quibus tandẽ scripturis nobis astruent? Neq; enim Diaconi ad hoc ministerium fuerunt ab initio instituti: sed ad alendam familiam Dei, & Ecclesiasticas eleemosynas distribuendas. At illi hodie apud vos frustulum aliquod ex Euangelio cantãt in templo, & circa sacrificulum sursum, deorsum, nescio quid histrionicè nugantur. Hæc illa vestra est ἀταξία, scilicet propter quas scenas vestras nostris Ecclesijs vultis anteponi. Nec tñ ego propterea dico, ministrum non esse distinguen-

Papistæ nõ sunt ordinati sacerdotes in cœna Domini proferenda.

Papistæ præ dicationem administrationẽ Baptismi parum tribuunt.

Papistæ p sacerdote neminẽ habẽt, nisi qui cõficere possit Eucharistiam.

Diaconi & Subdiaconi

distinguẽdum à reliqua Ecclesiæ multitudine. Agnosco & Pastores, & Doctores, eosq; in gradu in quo à Deo, & ab Ecclesia collocati sunt, libenter esse, & manere volo. Non potui tñ dissimulare, vos illos vestros ordines, maximè verò Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros, penes cõfectionẽ Eucharistiæ, & attrectationẽ sacrorũ vasorũ, nec rectè, nec ordine distinguere. Deinde vos docetis, neminẽ posse ordinari presbyterum, qui prius nõ fuerit Diaconus: cũ ille mos nec Apostolis, nec veteri Ecclesiæ fuerit in vsu: cùm tamẽ apud vos nihil pulchrius sit, aut vsitatius, q̃ ex milite aliquo, aut Iurisperito, repentè creare vel Episcopum, vel Cardinalem, qui decem aut quindecim diebus ordinetur Clericus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & postremò Episcopus. O admirabilem & optimè constitutam ἀταξίαν, quę ad nullum alium vsum valeat, q̃ ad simplicium oculos perstringẽdos, nec aliud quippiam spiret, q̃ simulationem & hypocrisim. Est apud vos Diaconus, est Presbyter, qui ista munera nunquam exercuerit, neq; vt exerceret, in animo habuerit: imò qui in munere suo, vt Cicero iocatur in Gabinium, nec hyemem, nec æstatem viderit. Id qd̃ tibi Inconstanti vsu venit, cũ ex Iurisperito, & cautore formularũ repentè renuntiarere Vintoniẽsis Episcopus. Augustinum, cùm adhuc inter Laicos versaretur, lego apprehensum fuisse à populo, & à Valerio Episcopo factum Presbyterum. Eum autem antea ordinatum fuisse Diaconum, non lego. Si aũt Christus, aut Apostoli superstitiosam istam vestram rationẽ tradiderunt, proferte legem. Quam si videbimus petitam è sacris literis, nos quoq; desinemus creare pastores Ecclesiarum, qui antea non fuerint Diaconi.

Presbyterũ Papistæ fieri nolunt, q̃ antea diaconus nõ fuerit.

Augustini ordinatio.

Ista volui paulò prolixius tractare, quòd viderem Inconstantium arguere nos ἀταξίας, & confusionis: quasi in nostris Ecclesijs omnia fiant promiscuè. Sciat igitur, nos habere & Pastores, & Doctores, & Diaconos: neq; quenquã ad huiusmodi gradus promoueri, qui antea probatus non fuerit. Sacramentorum verò administratio, cùm & simplicior, & minus periculosa sit, præsertim vbi forma constituta est ex præscripto verbi Dei, non magna opus habet exploratione. Ea tamen à nostris nunquã committur, nisi Pastoribus, aut Diaconis.

Nostræ Ecclesiæ confusionẽ, & ἀταξίας nõ admittunt.

Verùm vt redeam aliquãdo eò, vnde sum digressus, argumentũ illud ex eo habet vim suã, quod passim à Papistis dicitur, Consecrationẽ panis fieri præcisè, vt ita dicam, vi illorũ quinq; verborum. Quod si ita simpliciter accipiatur, vt dicitur, necesse est à quocunq;, & vbicunq; illa proferantur, eundem effectũ sequi. Nos confusionem in Ecclesia nec moliri, nec ferre, satis iam ostensum est. Quod autem Inconstantius episcoporum, & presbyterorum ordinationẽ, refert ad Paulum, id nostræ causæ nihil obest. Mentionem quidem facit Paulus episcoporũ, & presbyterorũ, sed illos diuersos ordines esse nõ docuit: si credimus Hieronymo. Is enim ait, *Ex multis presbyteris vnũ electum fuisse in Concilio, qui cæteris dignitate, non ordine anteiret: idq; ad vnitatem Ecclesiæ conseruandã:* scilicet ne Christi corpus distraheretur. Idq; probat ex epistola ad Titum. Tantum aũt abest, vt nos confusionem in Ecclesiam inuehamus, vt hanc potius eandẽ rationẽ sequamur. Nulla est enim apud nos diœcesis, aut ciuitas, vbi nõ è multis pastoribus deligatur quispiam, doctrina, & experientia excellens, quem Ecclesiæ superintendentem vocãt. Ille cæteros omnes cõgregat, monet, regit, iuxta verbum Dei: pro vt rerum status exigit.

Distinctio inter episcopum & presbyterum.

In Euangelio nõ sunt plures sacerdotes, sed priè ioquamur.

Inconstantius verò cùm suos Missatores appellat sacerdotes, eosq; ait perpetua successione originem duxisse à Christo: mentitur, vt solet. Plures enim iam sacerdotes esse non possunt. Nam successio illa tantùm in veteri Testamento locũ habuit si fidem habemus epistolæ ad Hebræos. Ibi enim oportuit, vt vnus alteri succederet, quòd illi semper morerentur. Christus aũt est Sacerdos æternus, & vna oblatione omnia perfecit. Itaq; nũc huiusmodi successione non est opus. Neque, vt fingit Inconstantius, sacramentorum administratio propria est iam functio sacerdotij. Epistola enim illa ad Hebræos ait, sacerdotis esse, munera & sacrificia offerre Deo pro peccatis. Id olim iam Christus vnus præstitit, vt nunc alia oblatione pro peccatis nõ sit opus. Atq; hæc causa est, cur sacerdotium ad vnũ Christum translatum sit. Deinde, quî credere possumus, istos sacrificos perpetua successione venisse à Christo, cùm ille suos instituerit, & miserit ad prædicandũ Euangeliũ: isti aũt neq; id faciant, neq; ad id faciendũ mitti soleant? Habẽt potius successionẽ suam ab hominibus, & ijsdem impijs & idololatris. Splendidum illis titulum affingit Inconstantius. *Dei*, inquit, *funguntur legatione.* At quânam, obsecro, in re? In laganis, credo, consecrandis. Sed quis Christus hoc illis dedit in mandatis? Certè nõ ille, qui dixit, *Pasce oues meas: Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: Facite discipulos Domino vestro, docẽtes eos obseruare quæ ille præcipit.* Sed reclamat Inconstantius, Nónne illos etiam voluit administrare Eucharistiam? Voluit sanè, sed ita tamen, vt prius doceant. Nã sacramenta sine doctrina inutilia efficiuntur, & frigida. Vestri autem isti hodie doctrinam habent pro re nihili: proram autem, & puppim, & omnem dignitatem sacerdotij constituunt in altaris (vti dicunt) sacramento. Qua ergo audacia iactant se habere successionem à Christo? A Belial potius ducunt originem, & ab Antichristo consecrantur.

Sacerdotij propria functio non est administratio sacramenti.

Ministrorum Christi est Euangelium prædicare.

Sacramẽta inutilia sine doctrina.

Addit Sophista, Christum adesse suis mandatis exequendis. Verùm ille interea nos doceat, quomodo isti artocrearum confectores Christi mandatum exequantur, cùm eorũ omnium, quæ Christus aut dixit, aut gesit in cœna, nihil faciant. Sacramentum enim alijs non exhibent: memoriam mortis Dñi, vt ab astantibus audiri possit, non celebrant, mortuos inuocant: sacrificant pro mortuis: cœnam omnem soli deuorant: & panem & vinum spectandum, atq; adorandũ proponũt, balbutiunt lingua peregrina, ne ipsis quidem satis cognita: quidui-

Abusus Papistarum.

deniq; potius faciunt, q̃ vt Christum cum suis cœnantem imitentur. Quare non possumus credere, Christum facilè velle adesse istis ita nefariè atq; impiè ipsius mandata peruertẽtibus.

Audiamus autem ad extremum quanta nos iste authoritate condemnet. *Hæretici*, inquit, *secundùm Iohannem soluunt Christum*. Si nos illi sumus, quo in dogmate Christũ soluamus, ostendito. Certè cũ omnibus Orthodoxis illũ vnam personã, seu hypostasin esse, duabusq; naturis cõstare, diuina & humana, dicimus. Quomodo ergo dissoluimus Christum? Diuinam eius naturam ab humana non distrahimus. *At*, inquit, *ea quæ ab illo coniuncta sunt, vos diuisione attenuatis*. Quænam tandem ista sunt? *Verba Christi*, inquit, *ab eius mandato diuellitis*. Hoc si Inconstãtius dicat in Eucharistia à nobis fieri, non rectè dicit. Nos enim, dũ illud mysteriũ celebramus, historiam de cœna, vt in Euangelijs proditũ est, fidelissimè recitamus: quodq; Christus in cœna fecit, nos quoq; ad vnguẽ facimus, quemadmodum ille præcipit. Est ergo hæc manifesta calumnia, qd̃ ait, nos verba Christi ab eius mandato diuellere. Ad hæc Ecclesiæ nostræ vbiq; docent, sacramentum constare, non tantùm vi verborum, vt Papistæ dicunt, sed etiam manda to Dñi. Neq; scimus ex diuinis literis, quænam illa verba sint, quæ sacramentũ constituant. Satis tamen esse ducimus, ea referre, quæ scimus Dñm dixisse: & ea facere, q̃ ille fieri præcepit. Quid vos hîc plura requiritis? Persuadere vultis miseris mortalibus, vi quorundam verborum, postquã illa semel à vobis in panem & vinum inhalata fuerint, naturas illorũ statim aboleri, idq; nõ vllo mandato Dei, sed mero vestro commento, & superstitiosa ac tyrannica fictione. Illam autẽ vestrã Quinqueverbiam oratiun culam tacitè vobis ipsis musitatis: vehemẽter interim soliciti, ne populus fortè audire possit, q̃d à vobis murmuretur. Atqui illis verbis Dñi astantis populi fides excitãda, atq; inflammanda erat. Sed apud vos piaculum magnum est, si quis ex laicis, quos appellatis, non solùm mysteria consecrata digitis contingat, verùm etiam si verba illa mystica auribus fortè accipiat. O religiosam coniunctionem verborũ Dei cum eius mandato: quã Inconstãtius iactat à suis sanctissimè retineri. Vbi, quæso, vobis à Christo mandatum est, vt verba illa musitetis? Proferte locũ, docete nos, si erramus. Vbi iusit Christus, illis tantũ quinque verbis confici Eucharistiã? Si non potestis ostendere præceptum, certè ne illa quidẽ vestra quinque verba cum Dñi mandato coniungitis. Nullum enim habetis, quod cum illis coniungatis. Adhæc reprehẽdit nos, quod tamen ad præsens institutum nihil facit, quasi fidem ab operibus diuidamus. Puto equidem virum istum sententiam de fide & operibus, quam nos docemus è sacris literis, nunq̃ intellexisse. Quomodo enim nos diuidimus fidem ab operibus, qui eam docemus, & contendimus nullam esse sine operibus? Hoc non est, fidem ab operibus, aut opera à fide distrahere. Vos autem, Inconstanti, vos huius maleficij rei estis, qui fidem in impijs sine vllis bonis operibus collocatis: & vicissim in hominib⁹, quamuis alienis à Christo, tamen bona opera sine fide esse dicitis. Si hoc non sit, equidẽ non video, quid sit, fidem atq; opera dissoluere.

Sed addit, nos quærere iustificationem seorsim à sacramentis. Hoc non diffitemur: imò ita prorsus iudicamus esse faciendum. Potest enim aliquis iustificari & seruari, qui nullum percerperit sacramentum. Valentinianus Imperator nondum baptizatus interijt. Tamẽ Ambrosius in oratione eius funebri, illum nõ dubitat affirmare seruatum esse, & in cœlo regnare cũ Christo. An putat Inconstantius, id cuiquã sine iustificatione posse contingere? Nónne & Augustinus, & Magister sententiarũ, & cohors vniuersa Scholasticorum docuit baptismum flaminis & sanguinis. Istos autem commemoro, nõ quòd fidem Ecclesiæ illorũ authoritati astringẽdam putem, sed vt, si quem istorum Inconstantius fortè reijciat, deos ipsos Ecclesiæ suæ à se contemni sciat. Nos Spiritum S. in Paulo loquentem magistrum ac ducem sequimur. Is autẽ Abrahamo iustificationẽ tribuit sine vllo sacramento. Ante enim q̃ circuncideretur, scriptum est illi ad iustitiã. Deinde accepit Circuncisionem vt signaculum adeptæ iustitiæ per fidem. Quæ tempore anteuertunt, quæq; sequuntur, annon ea seorsim spectari debent? Nisi ea Apostolus separatim considerásset, certè suis illis rationibus nihil effecisset: quibus tamen ille efficacissimè probauit, hominẽ absq; operibus iustificari. Pergit porrò, nos à verbis sententiam diuellere. Sed quæso, quæ tandem sunt illa verba, quorũ nos sententiam ita discerpimus? Certè si quę habuisses, ea tu pro tuo candore Lectorem nõ celauisses. Atqui ea criminari, quæ probare non possis, non accusatorum est, sed sycophantarum & rabularum. Nos autem non turbare Ecclesias, aut ordines tollere, res ipsa satis luculenter testatur. Mirum tamẽ est quantum Inconstãtius præ se ferat studium Ecclesiastici ordinis, & εὐταξίας. Quæ tamen q̃ illi cordi sit, vita ipsius quam agit, quamq; semper egit, apertissimè declarat. Nam cũ se scribat & prædicet episcopũ, tamen perpetuò gerit profanũ magistratum: in templis, & præsertim in suggestu nunq̃ ferè potest conspici: semper autem versatur in aulis: sed & magnificè pro tribunali, oues Domini sui contemnit. An hoc, Inconstãti, non est Ecclesiæ faciem atq; ordinem perturbare? Hæc ego, aliaq; multa decreueram reticere, nisi ea mihi importunitas tua extorsisset.

Christum non dissoluimus.

Nos ea facimus et dicimus in cœna, q̃ Christus & fecit, & dixit.

Nos fidem ab operibus non diuidimus.

Quisquis potest seruari absque sacramẽto.

Abrahamus iustificatus est ante circuncisionem.

OBIECTVM LI.

CORPVS Christi quod frangebatur in cruce, est satisfactio pro peccatis totius mundi. Sacramentum Eucharistiæ non est satisfactio pro peccatis totius mundi: ergo sacramentũ Eucharistiæ nõ est corpus Christi, quod frangebatur in cruce.

GARDI-

GARDINERVS.

LICET nemo sic dicat, Sacramentum est satisfactio, tamen in sacramento fatemur, corpus Christi præsens esse, quod satisfecit pro peccatis mundi.

MARTYR.

COnatur Inconstantius, quantum potest, esse hoc argumento explicare. Sed hic nihil aliud, q̃ petit id, quod à principio probandum fuit: videlicet corpus Christi, quod satisfecit p̃ peccatis mundi, verè, ac propriè contineri in sacramento. Certè qui hoc argumentum adferunt, id non credunt. Quid tu ista dicis tantùm, & non confirmas? Vbi scriptura sic vnquã loquuta est, corpus Christi in pane, aut in eius accidentibus contineri? Quod tu quasi certum, & confessum assumis, abs te probari nõ potest, nec authoritatem habet è sacris literis. Argumentum ergo quod tu videri vis vno digitulo leuiter depulisse, manet adhuc firmum & inconcussum.

Addis nos in voce illa *Sacramentum*, ludere. Id enim ais, per figuram dicendi appellari corpus Christi, ideoq; in argumentis, quæ proprietatẽ verborum exigunt, non adhiberi vt proprium terminum ad euitandum fallendi periculum. Quis hîc non miretur Inconstantium scribere, sacramentum Eucharistiæ per dicendi figuram appellari corpus Christi? Hactenus acerrimè clamauit contra nos, nullam hîc figurã, nullum tropum adhiberi oportere: omnia simplicissimè accipiẽda esse, & τὸ ἁπλοῦν, interpretationibus non esse offuscandum. Nunc autem vt constantiam illam suam retineat, scilicet præter spem omnium, figuratã fatetur esse orationem, cùm Papistæ dicant, sacramentum Eucharistiæ esse corpus Christi. Quid nos aliud aut docemus, aut prædicamus, aut scribimus? Quid amplius verbum vnũ commutamus? Redire possumus in gratiam, si Inconstantius constãter & ex animo ista dicat. Sed, vt est homo, statim redibit ad se, & nos pro more suo figuratores appellabit. Non debet ergo posthac indignè ferre, si iubeatur eadem ista in se dicere, & se ipsum cum ista figura dicendi figuratorem appellare. Videtur tamen mihi non satis candidè facere: qui cùm in illa oratione figurã esse fateatur, tamẽ quænam illa sit, non indicarit. Sed condonandum illi est hoc peccatũ. Nam cùm vellet Lectorem intelligere, quid sibi vellet, dubia & incerta reliquit omnia. Deinde dum ita loquitur, videri vult multa dixisse, cùm nihil dixerit.

OBIECTVM LII.

REALIS ista præsentia corporis Christi nihil adfert vtilitatis, quod è spirituali præsentia habere non possimus. Nam Dominus in 6. Ioan. edentibus carnem suam promittit vitam æternam: seq; in illis mansurum, & illos in ipso. Amplius autem nihil expectari potest ex præsentia reali. Est ergo ea inutilis, & superuacanea: ideoq; non ponenda.

GARDINERVS.

QVIN omnia possit Spiritus, nemo dubitat. Et tamen secundùm scripturas annotauit Cyrillus sanctificationem carnis Christi, quam ipsa in mystica benedictione, propter vnionem efficit, & est verè caro viuifica.

MARTYR.

PRimùm Inconstantius fatetur, spiritũ posse omnia: quod nos quoq; libenter recipimus. Tamen hîc sermo est, non de vi & potentia, sed de re ipsa, & facto. Dñs enim in 6. Iohannis non ait, Qui edit carnẽ meam, potest habere vitam æternã sed habet: nec ait, illos posse in se manere, aut se in illis, sed illos re ipsa mansuros in se, & se in illis. Quid ergo mihi núc iste agenti de facto, obijcit potentiam? Illud enim non erat in controuersia, an hæc fieri possint spiritu Dei: sed hoc potius, quid commodi afferat realis illa præsentia carnis Christi in Eucharistia, quod ex spirituali manducatione habere non possimus.

Commemorat deinde sanctificationem carnis Christi, quam illa in mystica benedictione propter vnionẽ efficiat. Est enim verè caro viuifica. Atq; ista ait Cyrillum scribere in Iohannem libro 4. cap. 14. Cyrillum interea relinquimus, dum quærimus, quàmnam possint quispiam maiorem habere sanctificationem, q̃ illa est, qua nos toti habitamus in Christo, & Christus vicissim totus in nobis? Age, Inconstanti, profer quæso, si quid habes Christo sanctius. Si nihil habes, hoc saltẽ dicito, quãnam ille ratione possit magis à nobis participari, q̃ vt ille maneat in nobis, & nos in illo. Viuificam autẽ esse carnem Christi, nunq̃ dubitauimus. At Christus ipse in 6. Ioan. ait illam viuificare, cùm à nobis spiritualiter comeditur. Quid ergo vos realem istam præsentiam vestram tantopere vrgetis? Nam ea, si vlla esset, quæ re vera nulla est, nihil adferre amplius posset, q̃ quod habuimus anteà ex præsentia spirituali. Nemo aũt est, qui minus velit. Sumus enim omnes maiorum donorum cupidi. Si tantundẽ datur, bis idem datur, quod esset superuacaneum, & nefas esset de Christi sacramentis dicere. Restat ergo cœnam Domini symbola tantùm addere ad illam manducationem, quæ scribitur in Iohanne: vt illis symbolis ad exercendum internam manducationem vehementius & efficacius incitemur.

Atq; hoc illud est, quod Cyrillus ait, *Benedictionem, quæ apud illum est externum sacramentum, in nobis efficere sanctificationem à carne Christi.* Nam externo signo mẽs excitatur, vt carnẽ Christi p

fidem arctius comprehendat. Ea apprehensa nos sanctificat & vitæ æterna donat. Quam autem caro Christi coniunctionem habeat cum benedictione, seu externo sacramento, sæpius iam dictum est, nimirum significationis, quæ per Spiritum sanctum sit efficax ad excitandam fidem.

Quod autem Inconstantius addit ex suo, *eum non comedere spiritualiter corpus Christi, qui non omnia eius instituta libenter agnoscat, & sine vlla dubitatione profiteatur vtilissima: & cùm certissimum sit, Christum banc realem præsentiam instituisse, impium esse de illius vtilitate dubitare:* istæ sunt, si Deo placet, strophæ & artes Inconstantij. Illis ego hoc primùm respondeo, Nos libēter amplecti omnia instituta Christi, & vt ille iusit, in cœna communicare. Id Papistæ de se testari non possunt. Illi enim omnia Domini instituta, maximè verò in hoc sacramento, præuaricantur. Id autem nullo modo recipio, quod iste quasi concessum assumit, Christum instituisse in Eucharistia realem præsentiam corporis sui. Id enim nec Inconstantius hactenus probare potuit, & à nobis multiplicibus & firmissimis rationibus est confutatum. Quæstionem autem illam, quę vtilitas ex reali ista præsentia consequatur, relinquit, vt inutilem & superuacaneam: quo artificio Sophistæ plurimùm valent, vt id reijciant, atque extenuent, quod videant, se non posse dissoluere. Ea istis videtur inanis quæstio, qua vidēt se apertè coargui vanissimi dogmatis, quod tamen obtrudere volunt populo, & venditare pro instituto Domini. Atqui non ea inanis quæstio est Inconstanti, sed vtilis & pia. Omnia enim vendicat spirituali præsentiæ corporis: quod Christus ipse in 6. capite Iohannis facit.

Sophistarū artificium.

Addit, *Fidelibus ex fide catholica persuasum esse, Christum præsentem esse in sacramento.* Id non erat in controuersia. Nam quod attinet ad diuinam eius naturam & spiritum, conceditur ab omnibus. Quæstio autem est de corporis & carnis Christi reali præsentia. Illam autem fides catholica, vt iste iactat, ex verbo Dei agnoscit. Ex illis autem tot vtilitatibus, quas ait sese nobis offerre, & à pijs hominibus sentiri & prædicari, ne vnam quidem commemorat. Ex quo prudens Lector facilè potest suspicari, nihil illum ne fingere quidem satis commodè potuisse, quod responderet. Sed pulchrum est id vbique esse dicere, quod nusquam possis indicare. Verùm, vt est homo delicatus, fortè ista non satis digna putabat esse, ad quæ consignanda stylum summitteret.

Atqui hoc argumento non tantùm Eucharistiam, sed etiam Baptismum impeti à nobis cauillatur. Nam si verum est, inquit, quod Christus ait, Qui credit in me, habet vitam æternā: quæ erit vtilitas Baptismi? Sed scire debet, nostris argumētis nec sanctam Eucharistiam, nec Baptismum labefactari. Neutri enim sacramento vim seruandi tribuimus. Oportet primùm, vt fides antecedat, qua significata rerum externarum complectamur, à quibus iustitia nostra dimanat. Ea autem iustitia, vt Paulus loquitur ad Romanos, externo sacramento obsignatur. Neque verò eiusmodi obsignatio inutilis aut superuacanea videri debet. Ea enim Spiritus sanctus vtitur ad fidem nostram augendam & excitandam. Cùm hæc dicimus & docemus, an videmur tibi imminuere, aut abolere instituta & sacramenta Christi?

Sacramēta non tribuimus vim seruandi.

Verùm, vt huius hominis nequitiam magis etiam videas, cogita tecum, Lector, quemadmodum duæ istæ præsentiæ, seu duę manducationes corporis Christi inter se conferantur: spiritualis, inquam, quam nos ex scripturis prædicamus: & illa carnalis, quam isti ex suo capite inuentam mordicus tuentur. In ista nos eon tendimus, nihil vtilitatis posse ostendi, quod non habeatur ex altera. At Inconstantius statim sermonem auertit, ad externum vsum sacramenti. At ibi nemo est, qui non videat externa specie rerum sensibilium fidem exerceri, atque incitari: & idcircò sacramenta à Domino fuisse instituta, vt mentis, & fidei nostræ infirmitas adiuuaretur. Ostendi iam, quid vsus sacramenti habeat cōmodi. Nunc vicissim ipse dicat, si potest, ad præsentiā Christi spiritualē, quid carnalis ista præsentia emolumenti adferat. Hoc est ingenuè & dilucidè agere: nō, vt iste solet, strophis & cuniculis omnia obscurare.

OBIECTVM LIII.

CORPVS Christi multis profuit ante institutionem huius sacramenti, At sacramentum Eucharistiæ prodest tantùm recipientibus. Ergo Eucharistiæ sacramentum non est corpus Christi.

GARDINERVS.

NON *dicunt catholici, sacramentum propria appellatione esse corpus Christi, sed sacramento contineri corpus Christi.*

MARTYR.

HIC Inconstantius testatur, catholicos non dicere, sacramentum propria appellatione esse corpus Christi. Istos equidem nonnihil suspicor, ne se ipsos quidem intelligere, nedum illos quibus cum disputant. Si quæro ex illis an Dominus in Cœna instituerit

tuerit Sacramentum Eucharistiæ, opinor, non negabunt. Si quæro, an de re illa externa, quam tenebat in manibus, Dominus dixerit, Hoc est corpus meum, cogētur fateri. Imò de suo etiam addent, propositionem illam sine omni tropo, propriè & simpliciter accipiendam esse. Quare cùm dicunt, Sacramentum propria loquutione non esse corpus Christi, recedunt à proprietate verborum Domini, & aliter loqui volūt, quàm Dominus est loquutus: cumq; figuratores omnibus maledictis & conuitijs defigant, tamen in illis ipsis verbis, quæ sine omni figura & tropo intelligenda esse clamant, inauditos quosdā tropos & figuras quærunt.

Postea nos traducit, quasi formas negligamus, argumentorum ordinem non feramus, consequentias non curemus: quod quàm ab illo contumelioſè falsoque dicatur, huius argumenti forma, quam perspicuè adducam euidenter indicabit. Ea verò est huiusmodi. Quicquid est inutile, nisi externo vsu accipiatur, nō est corpus Christi: Sacramentum autē inutile est, nisi externo vsu percipiatur: Ergo, sacramentum non est corpus Christi. Maior propositio liquet. Nam corpus Christi vtile est credentibus quamuis illi re ipsa externo sacramento non communicent. Veteribus enim Patribus profuit, cùm nondum esset natum. Minor autem manifesta est. Nam nisi baptizeris, & communices, cùm liceat, fructum horum sacramentorum non habebis. Iam vides, opinor, Inconstanti, nos in argumētis nec materiam, nec formam contemnere. Quid ergo cōquereris, quasi res tibi sit cum hominibus parum dialecticis? Et maiorem propositionem & minorem habes ob oculos. Tu iam vide vtrā negare velis. Cùm figura syllogismi negari non possit, si dederis vtranque propositionem, efficere non potes, quin conclusio necessariò consequatur.

Quoniam autem nos dicimus, sacramētum nō prodesse nisi recipientibus, primùm respondet Inconstantius, *id sacramento non esse proprium. Christum enim non prodesse cuiquam, nisi recipiatur. Illum enim venisse in sua, & suis, qui eum non receperunt, non profuisse: alijs tamen sese recipientibus fecisse potestatem, vt filij Dei fierēt.* Sed quorsum tandem ista? An enim Ioannes loquitur de reali & substantiali perceptione? Certè de illis potius agit, qui non crediderunt in eum: quod haud dubiè ad spiritualem Christi participationem attinet. Instantia tua, Inconstanti, ad rem eam, cui obiiciebatur, erat accommodanda. Nos dicimus, corpus Domini non esse inutile ijs, qui illud externa & substantiali perceptione non recipiunt. Prodest enim nūc credentibus, & profuit olim antiquis Patribus, sine aliquo huiusmodi substantiali & externo vsu. Hîc si quid falsi est, confutato.

Obijcis Christum illis non profuisse, qui illum per fidem non receperunt. Fateor: sed hoc cum nostra propositione nihil pugnat. Vtrunque verum est: Christum & absentem prodesse credentibus, & incredulis inutilem esse, etiam præsentem. Neq; id à nobis in argumento assumebatur, eam esse propriam notam sacramēti, vt prosit tantùm recipientibus. Id enim conuenit etiam verbo Dei, vt nō adferat salutem, nisi recipiatur. Ne sit ergo hæc propria nota sacramenti. An propterea, quod nos dicimus, falsum erit, sacramentum non prodesse, nisi sumentibus? Etsi esse animal bipes, non sit propria hominis nota, tamen an verum nō erit, Hominem esse animal bipes? Nunc vter, quæso, nostrum argumentandi formas negligit? Vter non patitur ordines? Vter non curat Consequentias?

Sacramentū prodest accipienti.

Postea tamen, si res procederet ex sententia, videtur velle negare minorē. *Et quomodo*, inquit, *probabit hic nobis, sacramentum prodesse tantū recipienti, contra articulum fidei, quo credimus Sanctorum communionem, vt vniuscuiusq; membri augmentū cæteris in eadem corporis compage prosit ad ædificationem.* Hic ego, quantū video, nisi mihi caueo, teneor medius: & vt sibi persuadet Inconstantius, in fidei articulum impingo. Sed benè habet: salui apud nos sunt articuli fidei. Inconstantij autē acumē nimium hic dilutum est: neq; id sanè alia magis de causa, q̄ quòd ad strophas istas suas potius respicit, q̄ ad verbum Dei. Nos preces piorum incredulis, & non precantibus prodesse, nō negamus. Christus enim orauit pro illis, à quibus crucifigebatur, cū illi adhuc essent impij. Ita Stephanus quoq; orauit pro illis, à quibus lapidibus cædebatur. Et Paulus ad Timotheū iubet, vt in Ecclesijs preces habeantur pro omnibus. Sunt etiam alijs vtiles admonitiones, doctrinę, conciones. Ista enim ad alios diriguntur. Fatemur ergo in Ecclesia multa p̄ alijs cū fructu fieri. Non tamen ex eo sequitur, licere sacramenta quoq; pro alijs percipere: neq; id Inconstātius, quantumuis contendat, vnquam probabit: vt qd̄ presbyter in Missa comedit, aut bibit, id verè credatur prodesse alijs. Nam sacramenta data sunt, vt obsignationes suæ cuiusque propriæ iustitiæ, qui illis vtitur. Nec magis licet Eucharistiam pro alio sumere, q̄ baptizari pro alio. Quod tamen intelligi volo de ipsa tantùm sacramenti perceptione. Nam alioqui nihil obstat, quin in communicando oremus pro alijs, idq; cum illorum, pro quibus oramus, magno fructu. Nec est difficile videre, quomodo cum hac doctrina statuamus Sanctorum communionē. De profectu enim & gloria vnius membri cætera quoque membra lætantur. Non tamen idcirco regeneratio vnius est regeneratio alterius: nec comestio vnius est comestio alterius. Deinde precibus, doctrina, eleemosynis, admonitionibus, bonis exemplis sancti se mutuò iuuant: atque ita retinetur communio piorum, etsi nemo aut credat, aut baptizetur, aut Eucharistiam recipiat pro alio.

Preces etiā incredulis prosunt.

Nō licet sacramenta p̄ alijs percipere.

OBIECTVM LIIII.

VETERES in Ecclesia Patres, calices habuerūt ex ligno & vitro. Lignum verò

Christi sanguinem facilè imbibissет: vitrum autem, cùm sit ita fragile, sanguinem Domini facilè effudissет. Quare credibile est, veteres non putasse sanguinem Christi in illis vasis substantialiter fuisse. Nam alioqui videri possent negligenter, ne dicam temerè, illa tractasse.

GARDINERVS.

NON est temeritatis, aut negligentiæ, quæ temporum & locorum ratio dederit, illis, cùm alia desint, per necessitatem vti. Et nescit hic argutator ligna quædam tam solida, vt nihil imbibant.

MARTYR.

QVicquid Inconstantius fabuletur de locorum & temporum ratione, argumentum nostrum nititur probabili coniectura: Patres cùm essent prudentes & pij, conflare debuisse calices ex alia potius quauis materia, quàm ex ea quæ infusum liquorem imbiberet, aut facilè frangi posset: si idem de Eucharistia credidissent, quod isti somniant. Quòd si inopia obstabat, quò minus aurea aut argentea vasa possent emere, plumbea tamen, aut stannea non erat ita difficile comparare. Nihil autem moramur, ligna quædam, aut vitra interdum inueniri, quæ istis incommodis non sint obnoxia: partim quia illa rarò inueniũtur: partim quia, quòd minus est periculosum, non caret omnino periculo.

Ea verò quæ Inconstantius adfert ex lib. 6. Optati contra Parmenianum, aduersus hoc argumentum nihil faciunt. Neque enim dubitamus, cõfirmata iam religione, cùm Cæsares iam Christiani essent, Ecclesiam vti cœpisse & aureis poculis, & argenteis. Ex eo tamen non efficitur, veteres nõ fuisse vsos & ligneis, & vitreis. Quod certè non fecissent, si vestram istam realem præsentiá credidissent. Nec Ambrosius libro 2. de Officijs, cap. 28. negat maiores suos ligneam, aut vitreã materiam ad sacra vasa adhibuisse, etsi postea, cùm res Ecclesiastica esset lautior, auri, argentique splendor accesserit. Quòd autem scribit, sanguinẽ Christi auro infusum, vt de eo quoq; Inconstantio respondeam, symbolo attribuit nomẽ rei. Nam quemadmodum Arca Dei appellatur Deus, Circuncisio fœdus, Agnus Pesach: ita vinum infusum sacro vasi appellabatur sanguis Christi: quod Inconstãtius, vt est cæcus, & surdus, nec audire vult, nec intelligere.

Nec dissimulandũ est, Ambrosium, doctum alioqui, & sanctum virum, magna hyperbole vsum esse, cùm diceret, Sanguinem illum Christi diuinæ operationis calici impressisse virtutem. Quæ si iste sophista contendere velit, propriè & simpliciter esse dicta, ostendat, quænam diuina virtus impressa sit calici. Cuius enim diuinæ & cœlestis virrutis potest res stupida & inanimis esse capax? An hodie per calicem, vt olim per virgam Aaronis, eduntur miracula? Non opinor. Quæ ergo est ista virtus calicis? Aut quid ille potest, quod alia vasa nõ possunt? An aliquis inuisibilis & mendax character illi imprimitur, qualem isti suis diaconis & presbyteris, & episcopis inuri somniant? Fabulæ. Non ergo sensit Ambrosius, huiusmodi vasis nouam aliquam virtutem, aut dignitatẽ accedere: sed tantùm ea ad sacrum vsum, & Ecclesiæ ministerium destinari. Si quam Inconstantius habeat aliam virtutem, quam illis tribuat, explicet eam nobis. Et si eam diuinam & cœlestem esse constiterit, hoc etiam dicat, cur vendendo, conflando, & frangendo calice, vt captiui redimerẽtur, eam Ambrosius voluerit delere, & irritam facere? Quòd si, velit, nolit, cogitur hìc agnoscere hyperbolem, fateatur etiam eandem esse in verbis illis, quæ præcesserant. Detracta autem hyperbole, nullam omnino virtutem in poculis hærere intelligemus: nisi vt contineant sanguinis Christi sacramentũ. Atqui ea ratione, quæcunque adhibentur ad sacrum ministerium, sacra vtcunque dici possunt.

Citat etiam Chrysostomum hom. 51. in Matthæum: *Animarum*, inquit ille, *munditia opus est: propter quas etiam vasa hæc Deus recipit. Et certè non erat ex argento illa mensa, nec ex auro ille calix, quo Christus discipulis præbuit sanguinem suum: pretiosa tamen erant omnia, & venerationis plena, qui spiritu abundabant.* Si Chrysostomus notauit his verbis, quod Inconstantius etiam fatetur, mores suorum temporum, quòd homines vasa destinata mysterijs pretiosissima conquirerent, animorum autem suorum munditiem negligerẽt, cuius primã oportuit esse curam, nónne idem eadem opera notat gregem omnem Papistarũ? Apud illos enim sacrificj, cùm sint omnium bipedum & quadrupedum impurissimi, tamen in aris illis suis nihil habere volunt, quod non sit aut aureum, aut argenteum. Sed addit ex eodem Chrysostomo: *Hæc dico, non quòd vetare velim talium vasorum oblationem, sed quòd dignum putem, ante omnia misericordiæ & benignitati incumbendum. Nam & vasa Deus suscipit: sed ista multò magis illi grata sunt. Et vasa quidem danti solùm profuerunt: benignitas verò etiam accipienti.* Si diligenter expendas, horum verborum hæc est sententia: Ait, se nolle quidem vetare vsum pretiosorum poculorum: ea tamen parui, vel potius ferè nihil esse: si ad eleemosynam conferantur. Quòd si eleemosynæ Deo sunt gratiores, quæ insania, inquit, est, ad illas potius opes nostras nõ conuertere, præsertim cùm Sacramenta nec meliora, nec præstantiora sint, cùm in aureis, quàm cùm in ligneis poculis exhibentur? Verùm hac ego de re non contendo. Tantùm absit luxus & fastus: & per me quæuis materia congrua adhibeatur. Hoc tantùm dicam, semper quo meliora fue-

Melioribus temporibus frugalius administrabantur sacramenta.

ra fuerunt Ecclesiæ tempora, eò homines simplicius & frugalius Sacramenta administrasse. Dicite pontifices, ait profanus poeta, in sacro quid facit aurum? Neque hìc mihi quisquam obijciat Mensam, & Candelabrum veteris tabernaculi. Vmbrę enim iam recesserũt: à Christianis autem animi aurei exigendi sunt, posthabitis figuris, maximè verò à vobis, Inconstanti, qui eas tanto odio prosequimini. Curate, vt res ipsæ aliquando populo exhibeantur: cœnam domini absque sordibus, frugali ac tenui apparatu, quod quidem ad ista externa attinet, celebrate.

Sed audiamus Theophylactum. Is enim, vt sit Inconstantius, cap. 14. in Marcum, grauiter increpat eos, qui prætextu pauperum, aurea vasa detraherẽt sacrificio. Sic enim scribit: *Audiant igitur, quomodo Christus præferat sui curam pauperibus. Christi autem corpus propriè, quod in disco aureo: & sanguis, qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, & cogit, vt corpus Christi in viliori ponatur, prætexens scilicet pauperes, sciat cuius partis sit.* Hæc Theophylactus. Hinc Inconstantius colligit, fuisse etiam veteribus aurea & argentea vasa in ministerio. Tamen, velit nolit, ex Triburiensi Concilo cogitur fateri, lignea quoque & vitrea vasa aliquando fuisse in vsu. Velim autem hoc mihi vnum respõdeat, in illâne tenuitate Ecclesia melius tum habuerit, an posteà in ista pompa? Si tergiuersabitur, pro illo Bonifacius Martyr respondebit. Olim aureos fuisse sacerdotes, cum calices essent lignei: postea verò, cum calices essent aurei, sacerdotes euasisse ligneos. Quòd si ministri, vt Bonifacius testatur, erant in illa simplicitate meliores, verisimile est, eos de Sacramentis rectius iudicasse, quàm illos deteriores & ligneos, qui postea sequuti sunt: atque ita nobiscum potius, quàm cum istis Sarcophagis & Transubstantiatoribꝰ sensisse. Neque illam tenuitatem Inconstantiꝰ temporum iniquitati, aut hominum inopię debet assignare. Nunquam enim fuit Christiano-

Bonifacius Martyr in concilio Triburiens.

A rum hominum tam tenuis fortuna, quin aut vnum, aut alterum argenteum poculũ ad sacram cœnam sibi potuerint coemere: aut certè ex aliquo viliori metallo, quantumuis res omnes aduersæ essent. Sed vt ad Theophylactum redeam, video illum cum Ambrosio verbis disertissimis pugnare. Ille enim antiquus, & pius pater ad redimendos captiuos calices aureos vendendos & conflandos esse censuit: iste autẽ eum, qui, vt iuuentur pauperes, cogit corpus
B domini in disco viliori collocari, habet pro luda proditore. Ego verò eum aduersus Ambrosij tam piam & grauem sententiam nullo modo tueri possum: nisi ille fortè prætextum tantũ, & vanam excusationem quorundam hominũ intelligat, qui, vt Iudas, nihil soliciti fuerint de pauperibus, sed tantùm aureos templorũ calices in suam rem conferre voluerint speciosotitulo eleemosynarum. Illi certè, quicunque
C sunt, vt hypocritæ, auari, sacrilegi, iure optimo debent accusari. videat ergo Theophylactus ipse quid sibi voluerit. Ego enim illi, vt ne quid dissimulẽ, nunquam multũ tribuendum cẽsui.

Theophylactus pugnat cum Ambrosio.

Mirari autem non debes, Lector, Inconstantium de aureis poculis, & ornamentis tantopere contendere. Nam ille præter se ipsum, alia omnia vult habere aurea: aulam suam auro, argentoque vndique relucere: famulos holosericatos & torquatos per publicum magnificè vehi. Quare cùm domi suæ auream supellectilem semper tanti fecerit, mirum non est si in tẽ
D plis quoque hoc genere voluptatis sese voluerit oblectare. Iactat postremò occasione huius argumenti se demonstrasse, in calicibus sacris, ex quacunque tandem materia fuerint, verum corpus & verum sanguinem Christi contineri. Idque ait, in Ecclesia semper fuisse receptum, & creditum. Sed stupidos oportet Lectores esse, qui non videant, quibus ille argumentis hoc effecerit. Certè ita verè & fortiter hoc pro-
E bauit, atque argumentum nostrum dilucidè, aperteque dissoluit.

Inconstantius cupidè aureæ ac argenteæ supellectilis.

OBIECTVM LV.

VETERES Eucharistiæ Sacramentum pueris in manus dabãt, vt illud deferrent domum. Quare vel nimium erant in ea re negligentes, vel corpus Christi substantialiter in eo esse non credebant.

GARDINERVS.

DEEST huic conclusioni tertium membrum, quod ego adjciam: Hoc est, vel hic arguitor de veteribus fingit & mentitur impudentissimè.

MARTYR.

QVod Inconstantius addit pro tertio mẽbro nostrę conclusionis, id potuit ex suo liberaliter dare. Fictionibus enim & mendacijs satis superque abundat. Etsi autem vitium istud suum nobis maximè velit affricare, tamẽ non dubito, nos mundos fore: & illum suam sibi mendaciorũ lepram & lentiginem habiturũ.

Primùm cauillatur, nos ex vno facto, quod apud Eusebium legimus, velle conclusionem
F indefinitam colligere. Non autem cogitat, eos qui mores veterum describunt ex historijs, & illis, quæ aliquando facta legunt, consuetudinem & instituta colligere illorum temporum. Vt, quia in diuinis literis legimus, Iudã filium Iacobi defuncto primo filio suo, Thamaram nurum secundo filio collocasse, illo autem etiam mortuo iussisse, vt vidua expectaret, quoad tertius adoleseret, qui cum ea posset, contrahe-

re matrimonium: colligimus ex illo vno facto, consuetudinẽ eam fuisse, etiam ante legem, vt, cùm quispiam esset mortuus sine liberis, eius frater, aut qui esset genere proximus, vxorem illius relictam duceret, & ex ea fratri demortuo sobolem suscitaret. Aut, vt ex eo, quod semel legimus, Iacobum cùm primogenituram à Rubeno ad Ioſephum transtulisset, duplicem illi partem assignasse, non absurdè concludimus, morem illum fuisse ante legem, vt primogenitis duæ partes hæreditatis à parentibus testamento legarentur, ita ex eo, quod factum narrat Eusebius, rectè colligimus, quæ fuerit consuetudo illis temporibus in Ecclesia. Non opinor, nimium sollicitè videndum est, quæ fuerit p̃sona, quę illud fecerit. Erat enim minister Ecclesiæ. Nec probabile, est illũ committere voluisse, quod non vidisset ab alijs solere fieri. Aut vnde tu nosti illud semel tantùm accidisse? Aut quî scis, illum solum voluisse facere, quod ab alijs fieri non vidisset? An hoc ascribit Eusebius, illum hoc fecisse contra morem? An admonet Lectores, ne talia in exemplum trahant? Si nihil horum responderi potest, quid hoc factum inusitatum, & singulare fuisse cauillaris?

Cæterum hui⁹ sophistæ calliditatem, quam simplex Lector fortasse non olfaceret, operæpretium erit paucis retegere. Nostri vt ostenderent, quanta cum simplicitate veteres vsi fuerint hoc sacramento, multa exempla, & signa firmissima coaceruarunt: quale sit, Veteres in sacra Cœna vsos fuisse calicibus ligneis: tempore Cypriani mulieres consueuisse sacramentum domi asseruare in cistis: tempore Hieronymi nouos coniuges Eucharistiam sumpsisse domi: tempore Tertulliani, morem fuisse, vt Eucharistia domi comederetur ante alios cibos, sacrũ potum datum fuisse infantibus, quẽ facilè possent reuomere: Satyrum fratrem Ambrosij habuisse Eucharistiam, cùm adhuc Catechumenus esset, in orario: à D. Benedicto iussum ingeri in os defunctæ sanctimonialis: & alia hoc genus plura: quæ sanè omnia simul cõiuncta fidem probabilem possent facere, Veteres non putasse in illo pane corpus Christi substantialiter contineri: quod argumentum neminem esse puto qui micam habeat aut candoris, aut sanæ mentis, cui non possit videri probabile: hæc, inquam, omnia cùm nostri, firmio rib⁹ anteà rationib⁹ causa confirmata, ad extremum conglobassent, Inconstantius ea singula separatim distraxit, & dissoluit: atque ita seorsim vnumquodque explicat, & confutat, ac si id peculiare esset nostrum argumentum. Hac, scilicet, arte debellat aduersarios: &, quasi re benè gesta, sibi ipsi canit pæana. Didicit hoc opinor, ex Medea: quæ vt facilius effugeret, fratrem suum membratim discerpsit. Ita iste nostra discerpit argumenta, eaque barbarissimè lacerat, vt cùm ea ita dissipata iaceant, ipse effugiat: & insequentes admiratione fraudulenti artificij perturbati restitent, & fugientem tardius persequantur. Falleris tamen, Inconstanti. Nos enim adsumus, & de singulis membris argumenti nostri reddituri sumus rationem. Nam quòd rixaris, particulam Eucharistię puero non fuisse datam in manum, friuolum tantũ est, & contentiosum. Neq; enim adfuisti corã, qui nobis ista renuntiares. Puerum autem illum manu sua Eucharistiam attigisse, non potest dubitari. Eusebius enim ait, presbyterum illi mandasse, vt illam vino infunderet, & in os moribundi senis instillaret. Quomodò autem potuisset puer ista facere, nisi Eucharistiam digitis attrectaret? An eum putas vsum fuisse chirothecis, ne nudis manibus sacramentum profanaret? Cur tibi lingua mundior videtur esse, quàm manus? Apud vos Laicis fas est ore, lingua, dentibus sacramentum attingere. Si quis autem eorum illud manu, aut digito cõtrectet, scelus id iudicatis esse piaculare. Quasi verò nesciamus ex historijs, & Veteribus patribus, Eucharistiã olim in veteri Ecclesia, populo dari solitam fuisse in manus. Sed in istis rixis libenter sese iactat Inconstantius. Ita enim visus est sibi primùm posse tempus terere: deinde acumen aliquod ingenij sui venditare: postea etiam sanctissimi illius Regis Eduardi instituta perstringere: postremò veritatem obfuscare. Sed ne videatur parùm ineptire, puerum illum contendit non vsq;, adeò fuisse paruulum. Imò probabile esse, illum fuisse grandiusculum, qui potuerit à presbytero moneri, quid facto ὀpus esset. Quasi verò nostra id magni referat, qua ętate puer ille fuerit. Satis est, fuisse profanum, vt vos dicitis, & laicum. Ægrotantis presbyteri nepos erat ex filia: puer erat, non seruus. Sed cum in historia appelletur puer, Inconstantius illi voluit ætatem adiungere, vt ex puero virum faceret. Mirum autem est, eum illi tintinnabula non dedisse in manu cum laterna, ne sanctũ panem videatur parùm honorificè gestauisse. Verùm cum ex historia id exprimere nõ possit, eò tandem confugit: vt id dicat semel tantùm, idque magna vrgente necessitate fuisse factum. Quod ab eo quàm verè, quamque ad præsens negotium appositè dicatur, prudens lector iudicabit. Hoc tantùm vnum velim mihi respondeat Inconstantius, an hodiè in vlla huiusmodi necessitate, videlicet, ne quis, vt loqui solẽt, sine viatico moriatur, velit puero tradere Eucharistiam domum ad ægrotum deferendam? Si tum licuit, cur hodiè quoque non liceat? Eadem est Ecclesia, & eadem sacramentorum necessitas. Sed frustrà quæro: nunquam tradet. Dicat ergo, quæ illa tum fuerit necessitas, cur hodiè quoque non possit eadem contingere: Aut desinat commentitiam illam necessitatem excusare: & superstitionem ætatis nostræ sinat à nobis iustè ac meritò reprehendi. Sed ne hoc quidem tacendum arbitror, panem Eucharistiæ ita asseruatum, & domum missum ad ægrotum, ab Inconstãtio appellari sacrificium. Quę ratio loquendi, quàm rectè conueniat cum sacris literis, ipse viderit. Sed quoniam hac de re alibi occurret aptior dicendi locus, ideò de ea nunc dicere supersedebo.

Nota veterum simplicem Eucharistiæ tractationem.

Lingua ministri est magis digna quæ tangat Eucharistiam quam manus.

Vltimo

Vltimo verò loco, quasi pro Colophone monet Inconstantius, nihil nobis credendum esse de verbis Dei, qui de verbis hominum ita impudenter mentiamur. Hæc verba si tam vera essent, quàm sunt acerba, & virulenta, possent me fortasse nonnihil permouere. Sed quoniam nos nihil in hac re finxisse, & historia Ecclesiastica, & Patres satis docent, nihil autem est Inconstantio familiarius, quàm magnificè mentiri, patiatur sanè, ista maledicta, quæ in nos iecit, illibata, atque integra ad se redire.

OBIECTVM LVI.

EA EST natura Sacramenti, vt res significata ab eo absit, etsi signũ interim gerat nomen rei significatæ: quemadmodum videre licet in omnibus sacramentis cum Veteris, tum etiam Noui testamenti. Igitur in Eucharistia quoque res significata, hoc est, corpus Christi, absens est.

GARDINERVS.

NOVAE Legis Sacramenta res præsentes exhibent, quo vno nomine sacramentis veterum sunt vberiora.

MARTYR.

PRiusquam me ad respõsionem confero, hoc operæpretiũ erit lectorem admonere: Cùm de absentia earum rerum, quæ per sacramenta significantur, ageretur, authorẽ huius argumẽti id sibi voluisse, nullum inueniri sacramentũ, B quod in se rem ipsam delitescentem habeat, quam significat. An autem res significata extet, duret, & adhuc maneat, non contẽditur. Id enim interdum dari potest, interdum pro rei natura non potest.

Sacramẽta non sunt latibula seu loculi rerũ significatarum.

Id solùm est in controuersia, an sacramenta videri debeant latibula quædam, & loculi, in quibus res significatæ absconditæ delitescant. Nostra verò sententia facilè potest dilucida inductione confirmari. Sacramentum Baptismi C significat mortem, & sepulturam Christi, quæ iam olim prærerierunt, & condonationem peccatorum, quæ in voluntate Dei sita est, nostris peccatis ignoscẽtis, & gratiam regenerationis, quam baptizati habent, & in animo & in corpore. Non tamẽ illa cum aquis coniũgitur aut illis cooperitur, vt ità inuoluta transeat in Baptizatos. Circumcisio fœdus, olim à Deo ictum cum Abrahamo, significabat: & Christum ex Abrahami stirpe nasciturũ adumbrabat: quorum alterum iam præterierat: alterum expectabatur. Sacrificia certæ quædã erant notę Christi aliquando morituri: & idcircò rem eam, quam significabant, præsentem habere non poterant. Sacra cœna memoria est mortis Christi, quæ iam olim præterijt. Significat etiam coniunctionem eam, quæ inter nos & Christũ intercedit. Eam autem, cum primùm ad Christum accessimus, per fidem nacti sumus. Talem ergò esse naturam Sacramentorum, vt rem E significatam substantialiter in se præsentem nõ habeant, ex hac inductione satis, vt opinor, liquere potest. Superest ergo, corpus & sanguinem domini, quæ pane & vino referuntur, in illis re ipsa, & propriè non contineri, vtque isti dicunt, corporaliter delitescere.

Iam videam⁹, quid respõderi possit Inconstãtio. Ab initio, ceu modestus aliquis disputator, accipit id, quod nemo sanus illi concesserit: vi- F delicet, Sacramenta nouæ Legis res ipsas præsentes exhibere: & illa eo vno nomine Sacramentis veterum esse vberiora. Augustinus de Doctrina Christiana, in Iohannẽ, in Psalmos, & multis alijs in locis longè aliter describit nobis discrimina vtriusq; Testamenti, nimirum, quòd ista pauciora, faciliora, augustiora, clariora sint quàm illa fuerint. Quòd si quãdo vel Augustinus, vel alij patres fortè dicant, veterũ Sacramenta salutẽ promisisse, nostra autem illam re ipsa dare, longè tamen aliter senserunt, quã Inconstantius. Ad Christum enim illi spectabant, quem Legis mysteria venturũ promittebant, Euangelij autem Sacramenta eum testãtur iam venisse. Illa redemptionẽ aliquando futuram esse indicabant: Baptism⁹ autem & Eucharistia pretium iamdudũ pro nobis in cruce datũ esse, clarissimè & euidẽtissimè docẽt. Alio qui nec veterũ patrũ, nec nostra Sacramẽta re ipsa & substantialiter in se carnem & sanguinẽ Christi conclusa continent. Vtrinque erat rerũ istarum significatio, & in illorum sacramentis, & in nostris: etsi significandi modus non sit idem, vel quod ad temporum rationem, vel quod typorum diuersitatem attinet. Res ipsæ, archetypa, exemplaria, eadem nunc nostra sunt, quæ erant olim patrum. Signa autem ip- D sa non parum sunt immutata. Dominus illis proponebatur aliquãdo dandus: nobis autem iam datus, & in cœlis regnans ostenditur.

Distinctio Sacramentorum veterum & nouorum.

Certè Paulus nouũ hoc Gardineri discrimẽ Legis, & Euangelij non agnoscit. Imò contrà potius ait, patres fuisse baptizatos, & eundem nobiscum cibum spiritualem bibisse. Néue dubites illum de nostro cibo & potu spirituali loqui, addit dilucidissimam interpretationem. Illam enim petrã, ex qua patres biberunt, affirmat fuisse Christũ. Proinde quod tanta authoritate sibi assumpsit Inconstantius, id intelligat sibi non esse datum, nec certè dandũ, nisi id argumẽtis firmiorib⁹ comprobauerit. Sed nemo alius est, à quo id min⁹ posim⁹ expectare. Neque. n. iustas, & solidas rationes quęrit: sed, vt Sophistæ solent, nouas tantùm rixas cõmouet. Subtiliores enim nescio quos, nobis Sacramẽtarios obijcit, quibus absurdũ videatur, corpus & sanguinem domini omninò abesse ab Eucharistia. Ideoque eos ait præsentiam quandam fingere, quæ re ipsa nõ constet, sed quæ tantùm sit quadam fidei nostræ efficacia. Itaq; nos ait, tan-

re matrimonium: colligimus ex illo vno facto, consuetudinẽ eam fuisse, etiam ante legem, vt, cùm quispiam esset mortuus sine liberis, eius frater, aut qui esset genere proximus, vxorem illius relictam duceret, & ex ea fratri demortuo sobolem suscitaret. Aut, vt ex eo, quod semel legimus, Iacobum cùm primogenituram à Rubeno ad Ioſephum transtulisset, duplicem illi partem assignasse, non absurdè concludimus, morem illum fuisse ante legem, vt primogenitis duæ partes hæreditatis à parentibus testamento legarentur, ita ex eo, quod factum narrat Eusebius, rectè colligimus, quæ fuerit consuetudo illis temporibus in Ecclesia. Non opinor, nimium sollicitè videndum est, quæ fuerit p̃sona, quę illud fecerit. Erat enim minister Ecclesiæ. Nec probabile, est illũ committere voluisse, quod non vidisset ab alijs solere fieri. Aut vnde tu nosti illud semel tantùm accidisse? Aut quî scis, illum solum voluisse facere, quod ab alijs fieri non vidisset? An hoc ascribit Eusebius, illum hoc fecisse contra morem? An admonet Lectores, ne talia in exemplum trahant? Si nihil horum responderi potest, quid hoc factum inusitatum, & singulare fuisse cauillaris?

Cæterum huiꝰ sophistæ calliditatem, quam simplex Lector fortasse non olfaceret, operæpretium erit paucis retegere. Nostri vt ostenderent, quanta cum simplicitate veteres vsi fuerint hoc sacramento, multa exempla, & signa firmissima coaceruarunt: quale sit, Veteres in sacra Cœna vsos fuisse calicibus ligneis: tempore Cypriani mulieres consueuisse sacramentum domi asseruare in cistis: tempore Hieronymi nouos coniuges Eucharistiam sumpsisse domi: tempore Tertulliani, morem fuisse, vt Eucharistia domi comederetur ante alios cibos, sacrũ potum datum fuisse infantibus, quẽ facilè possent reuomere: Satyrum fratrem Ambrosij habuisse Eucharistiam, cùm adhuc Catechumenus esset, in orario: à D. Benedicto iussum ingeri in os defunctæ sanctimonialis: & alia hoc genus plura: quæ sanè omnia simul cõiuncta fidem probabilem possent facere, Veteres non putasse in illo pane corpus Christi substantialiter contineri: quod argumentum neminem esse puto qui micam habeat aut candoris, aut sanæ mentis, cui non possit videri probabile: hæc, inquam, omnia cùm nostri, firmioribꝰ anteà rationibꝰ causa confirmata, ad extremum conglobassent, Inconstantius ea singula separatim distraxit, & dissoluit: atque ita seorsim vnumquodque explicat, & confutat, ac si id peculiare esset nostrum argumentum. Hac, scilicet, arte debellat aduersarios: &, quasi re benè gesta, sibi ipsi canit pæana. Didicit hoc opinor, ex Medea: quæ vt facilius effugeret, fratrem suum membratim discerpsit. Ita iste nostra discerpit argumenta, eaque barbarissimè lacerat, vt cùm ea ita dissipata iaceant, ipse effugiat: & insequentes admiratione fraudulenti artificij perturbati restitent, & fugientem tardius persequantur. Falleris tamen, Inconstanti. Nos enim adsumus, & de singulis membris argumenti nostri reddituri sumus rationem. Nam quòd rixaris, particulam Eucharistię puero non fuisse datam in manum, friuolum tantũ est, & contentiosum. Neq; enim adfuisti corã, qui nobis ista renuntiares. Puerum autem illum manu sua Eucharistiam attigisse, non potest dubitari. Eusebius enim ait, presbyterum illi mandasse, vt illam vino infunderet, & in os moribundi senis instillaret. Quomodò autem potuisset puer ista facere, nisi Eucharistiam digitis attrectaret? An eum putas vsum fuisse chirothecis, ne nudis manibus sacramentum profanaret? Cur tibi lingua mundior videtur esse, quàm manus? Apud vos Laicis fas est ore, lingua, dentibus sacramentum attingere. Si quis autem eorum illud manu, aut digito cõtrectet, scelus id iudicatis esse piaculare. Quasi verò nesciamus ex historijs, & Veteribus patribus, Eucharistiã olim in veteri Ecclesia, populo dari solitam fuisse in manus. Sed in istis rixis libenter sese iactat Inconstantius. Ita enim visus est sibi primùm posse tempus terere: deinde acumen aliquod ingenij sui venditare: posteà etiam sanctissimi illius Regis Eduardi institutа perstringere: postremò veritatem obfuscare. Sed ne videatur parùm ineptire, puerum illum contendit non vsq;, adeò fuisse paruulum. Imò probabile esse, illum fuisse grandiusculum, qui potuerit à presbytero moneri, quid facto opus esset. Quasi verò nostra id magni referat, qua ętate puer ille fuerit. Satis est, fuisse profanum, vt vos dicitis, & laicum. Ægrotantis presbyteri nepos erat ex filia: puer erat, non seruus. Sed cum in historia appelletur puer, Inconstantius illi voluit ætatem adiungere, vt ex puero virum faceret. Mirum autem est, eum illi tintinnabula non dedisse in manu cum laterna, ne sanctũ panem videatur parùm honorificè gestauisse. Verùm cum ex historia id exprimere nõ possit, eò tandem confugit: vt id dicat semel tantùm, idque magna vrgente necessitate fuisse factum. Quod ab eo quàm verè, quamque ad præsens negotium appositè dicatur, prudens lector iudicabit. Hoc tantùm vnum velim mihi respondeat Inconstantius, an hodiè in vlla huiusmodi necessitate, videlicet, ne quis, vt loqui solẽt, sine viatico moriatur, velit puero tradere Eucharistiam domum ad ægrotum deferendam? Si tum licuit, cur hodiè quoque non liceat? Eadem est Ecclesia, & eadem sacramentorum necessitas. Sed frustrà quæro: nunquam tradet. Dicat ergo, quæ illa tum fuerit necessitas, cur hodiè quoque non possit eadem contingere: Aut desinat commentitiam illam necessitatem excusare: & superstitionem ætatis nostræ sinat à nobis iustè ac meritò reprehendi. Sed ne hoc quidem tacendum arbitror, panem Eucharistiæ ita asseruatum, & domum missum ad ægrotum, ab Inconstãtio appellari sacrificium. Quę ratio loquendi, quàm rectè conueniat cum sacris literis, ipse viderit. Sed quoniam hac de re alibi occurret aptior dicendi locus, ideò de ea nunc dicere supersedebo.

Nota veterum simplicem Eucharistiæ tractationem.

Lingua nõ est magè digna quę tangat Eucharistiam quam manus.

Vltimo

Vltimo verò loco, quasi pro Colophone monet Inconstantius, nihil nobis credendum esse de verbis Dei, qui de verbis hominum ita impudenter mentiamur. Hæc verba si tam vera essent, quàm sunt acerba, & virulenta, possent me fortasse nonnihil permouere. Sed quoniam nos nihil in hac re finxisse, & historia Ecclesiastica, & Patres satis docent, nihil autem est Inconstantio familiarius, quàm magnificè mentiri, patiatur sanè, ista maledicta, quæ in nos iecit, illibata, atque integra ad se redire.

OBIECTVM LVI.

EA EST natura Sacramenti, vt res significata ab eo absit, etsi signũ interim gerat nomen rei significatæ: quemadmodum videre licet in omnibus sacramentis cum Veteris, tum etiam Noui testamenti. Igitur in Eucharistia quoque res significata, hoc est, corpus Christi, absens est.

GARDINERVS.

NOVAE Legis Sacramenta res præsentes exhibent, quo vno nomine sacramentis veterum sunt vberiora.

MARTYR.

PRiusquam me ad respõsionem confero, hoc operæpretiũ erit lectorem admonere: Cùm de absentia earum rerum, quæ per sacramenta significantur, ageretur, authorẽ huius argumẽti id sibi voluisse, nullum inueniri sacramentũ, quod in se rem ipsam delitescentem habeat, quam significat. An autem res significata extet, duret, & adhuc maneat, non contẽditur. Id enim interdum dari potest, interdum pro rei natura non potest.

Sacramẽta non sunt latibula seu loculi rerũ significatarum.

Id solùm est in controuersia, an sacramenta videri debeant latibula quædam, & loculi, in quibus res significatæ absconditæ delitescant. Nostra verò sententia facilè potest dilucida inductione confirmari. Sacramentum Baptismi significat mortem, & sepulturam Christi, quæ iam olim prærerierunt, & condonationem peccatorum, quæ in voluntate Dei sita est, nostris peccatis ignoscẽtis, & gratiam regenerationis, quam baptizati habent, & in animo & in corpore. Non tamẽ illa cum aquis coniũgitur aut illis cooperitur, vt ita inuoluta transeat in Baptizatos. Circumcisio fœdus, olim à Deo ictum cum Abrahamo, significabat: & Christum ex Abrahami stirpe nasciturũ adumbrabat: quorum alterum iam præterierat: alterum expectabatur. Sacrificia certæ quædã erant notę Christi aliquando morituri: & idcircò rem eam, quam significabant, præsentem habere non poterant. Sacra cœna memoria est mortis Christi, quæ iam olim præterijt. Significat etiam coniunctionem eam, quæ inter nos & Christũ intercedit. Eam autem, cum primùm ad Christum accessimus, per fidem nacti sumus. Talem ergò esse naturam Sacramentorum, vt rem significatam substantialiter in se præsentem nõ habeant, ex hac inductione satis, vt opinor, liquere potest. Superest ergo, corpus & sanguinem domini, quæ pane & vino referuntur, in illis re ipsa, & propriè non contineri, vtque isti dicunt, corporaliter delitescere.

Iam videam⁹, quid respõderi possit Inconstãtio. Ab initio, ceu modestus aliquis disputator, accipit id, quod nemo sanus illi concesserit: videlicet, Sacramenta nouæ Legis res ipsas præsentes exhibere: & illa eo vno nomine Sacramentis veterum esse vberiora. Augustinus de Doctrina Christiana, in Iohannẽ, in Psalmos, & multis alijs in locis longè aliter describit nobis discrimina vtriusq; Testamenti, nimirum, quòd ista pauciora, faciliora, augustiora, clariora sint quàm illa fuerint. Quòd si quãdo vel Augustinus, vel alij patres fortè dicant, veterũ Sacramenta salutẽ promisisse, nostra autem illam re ipsa dare, longè tamen aliter senserunt, quã Inconstantius. Ad Christum enim illi spectabant, quem Legis mysteria venturũ promittebant, Euangelij autem Sacramenta eum testãtur iam venisse. Illa redemptionẽ aliquando futuram esse indicabant: Baptism⁹ autem & Eucharistia pretium iamdudũ pro nobis in cruce datũ esse, clarissimè & euidẽtissimè docẽt. Alioqui nec veterũ patrũ, nec nostra Sacramẽta re ipsa & substantialiter in se carnem & sanguinẽ Christi conclusa continent. Vtrinque erat rerũ istarum significatio, & in illorum sacramentis, & in nostris: etsi significandi modus non sit idem, vel quod ad temporum rationem, vel quod typorum diuersitatem attinet. Res ipsæ, archetypa, exemplaria, eadem nunc nostra sunt, quæ erant olim patrum. Signa autem ipsa non parum sunt immutata. Dominus illis proponebatur aliquãdo dandus: nobis autem iam datus, & in cœlis regnans ostenditur.

Distinctio Sacramentorum veterum & nouorum.

Certè Paulus nouũ hoc Gardineri discrimẽ Legis, & Euangelij non agnoscit. Imò contrà potius ait, patres fuisse baptizatos, & eundem nobiscum cibum spiritualem bibisse. Néue dubites illum de nostro cibo & potu spirituali loqui, addit dilucidissimam interpretationem. Illam enim petrã, ex qua patres biberunt, affirmat fuisse Christũ. Proinde quod tanta authoritate sibi assumpsit Inconstantius, id intelligat sibi non esse datum, nec certè dandũ, nisi id argumẽtis firmioribꝰ comprobauerit. Sed nemo alius est, à quo id minꝰ posſimꝰ expectare. Neque. n. iustas, & solidas rationes quęrit: sed, vt Sophistæ solent, nouas tantùm rixas cõmouet. Subtiliores enim nescio quos, nobis Sacramẽtarios obijcit, quibus absurdũ videatur, corpus & sanguinem domini omninò abesse ab Eucharistia. Ideoque eos ait præsentiam quandam fingere, quæ re ipsa nõ constet, sed quæ tantùm sit quadam fidei nostræ efficacia. Itaq; nos ait, tan-

quam homines quosdam rudiores, collegarum nostrorum euulgasse mysteria: ideoq; fatetur, nos, etsi sim⁹ tardiores, minus tamē esse malos. Ista illa sunt pie lector, ad quę te auocare voluit Inconstantius, cùm discrimen illud suum inter Legem & Euangelium, quod posuerat, probare non posset. Quæ tamen eius παράφρονα ne sic abeant, vt ille in sinu gaudeat, quasi nos inter nos dissentire, & in factiones, & schismata distractos esse verè dixerit, sciat nos nihil alienū ab illis, vt appellat, subtilioribus sacramentarijs, aut credere, aut docere. Nam si Eucharistiam integrā, hoc est, symbolū & rem significatam intelligas, ea constat duabus partibus, vt ait Irenęus, vna cœlesti, altera terrena: cœlestē fide complectimur: terrenam ore corporis. Imo etiam ab ipsa cœna, vt ea in cœlo perficitur, & à mētibus nostris ibi per fidem versantibus absoluitur, caro Christi abesse non potest. Imò Christus totus integer & plenus adest: eoq; nos & fruimur & alimur, & ad æternam salutem sustentamur.

Irenæus.

Vt caro Christi non absit à sacra cœna.

Quoniam autē nunc agitur de ratione, qua corpus & sanguis Christi cū pane & vino coniungūtur, idcircò, ne in Transubstantiatores & alios Sarcophagos impingam⁹, ea re ipsa abesse à symbolis apertè & ingenuè profitemur. Humanam tamen Christi naturam dicimus adesse cœtui communicantiū, & symbolis, per communicationē idiomatum: quemadmodū in capite sexto Iohannis filius hominis dicebatur esse in cœlo, quando cum Iudæis loqueretur in terris, propter naturam diuinam, quæ vt est infinita, ita implet omnia. Nullū ergo est inter nos dissidium, nisi quantum iste omnis veræ pacis acerbissimus hostis esse fingit. Spirituale prę sentiā, quæ ad animum, & ad fidem pertinet, omnes cōfitemur: Idiomatū etiam cōmunionē omnes agnoscimus. Substantialem autem & carnalem colligationem corporis & sanguinis domini cū pane & vino, aut cum illorum accidentibus, rē vanam & commentitiā esse certissimis rationibus confirmauimus. Sentimus item, vnā corpus Christi sic in cœlo esse: vt non amplius in terris per multa loca vagetur, aut diffundatur. Neq; verò nos mouere debet, quòd ab istis animalibus, vt Paulus ait, hominibus, Sacramētarij inuidioso nomine appellemur. Nam cùm agatur de sacramentis, à natura Sacramentorū nolle discedere, quid aliud est, quam ex propriis velle disputare?

Quòd autem fabulatur, nos malle constituere, Eucharistiam esse totum panē cum accidēte corporis, Christi quàm verū corpus Christi cū accidētib. panis, vt ingenuè fatear, nō intelligo, quid sibi velit: nisi fortè Accidens intelligat respectū, quē pani & vino attribuim⁹, cū ad vsum sacrę cœnę accōmodātur. Ea enim quadā relatione repræsentāt nobis res significatas. Ille tñ respectus rationis, vt dicūt, est: & ad mētē fide imbutam pertinet. Hoc autem genus accidentis si Inconstātius intelligat, miror, cur illud dicat esse corporis Christi. Relatio enim illa sacrorum verborū non magis ad illud pertinet, quā ad sacramenti externa signa. Sed nōnihil vereor, ne iste, vt est vbique perspicuus, se ipsum nō intellexerit: sed ornamentū aliquod Rhetoricū potius captauerit, quàm vt sententiæ rationem vllam habuerit. Quām autē naturæ sacramentorū conueniat, res ipsas significatas in se delitescentes non habere, spero me satis perspicua inductione probasse. Cumq; singula, quæ à me allata sunt, certissimā euidentiā habeant ex diuinis literis, nō video, quid iste Sophista possit cōqueri. Friuolū.n.est, quod addit, in mysterio Eucharistiæ ad instituētis domini verba confugiendū esse: nam ex illis ait, rectius concludi, corpus Christi præsens adesse. Sed quàm graue genus hoc sit probationis, non grauarer in prę sentia plurib. dicere, nisi satis iam suprà, quemadmodū verba illa intelligēda sint, ostēdissem.

OBIECTVM LVII. LVIII. LIX.

Ista tria malui coniungere, q̄ ad singula respondere: quoniam idem continēt argumētū.

IN Sacramento Eucharistiæ non videntur ponenda tot miracula, quot isti, cum panem & vinum transubstantiant, coguntur inuenire. Nazianzenus enim cùm omnia Christi miracula persequatur, mentionem nullam facit de Trāsubstantiatione: imò ne ille quidem liber, qui ascribitur Augustino de Mirabilibus sacræ scripturæ. Quod certè non videtur illis fuisse prætereundum silentio, si idem sensissent, quod hodie Papistæ. Cumque sancta scriptura neminem adigat ad credendum, corpus Christi realiter, corporaliter, & naturaliter in pane contineri, multiplicare tot miracula, sine aliquo eius certo testimonio, nec religiosum, nec Theologicum videtur. Huc accedit, omnia miracula vel ratione, vel sensuum experiētia intelligi, vel scripturarū disertis verbis probari posse. Ita enim Maria sensit, se concepisse è spiritu sancto: idq; scripturæ apertè docent. Sancti quoq; sentiunt, animū sibi immutari, cū à pristina sua conuersatione regenerantur. Hæc autē miracula, quę isti cōfinxerunt, nec sensu, nec ratione, nec scripturæ testimonio intelliguntur. Quare Papistæ, cùm vrgentur in disputando, frustrà implorant opem à miraculis.

GARDINERVS.

MAGNA cura egisse videntur patres Catholici, ne religionis nostræ mysteria euulgarentur, ea præsertim quæ Ethnici, veluti carnali iudicio stulta deriderent.

MARTYR

TOt, ac tanta miracula Inconſtátius fingit ideò tacita fuiſſe à Patribꝰ, quòd illi timerẽt ne religionis noſtræ myſteria euulgarentur: & ea præſertim, quæ Ethnicis carnalibus poſſent videri ridenda. Itaque ait, Auguſtinum, cùm loqueretur de arcano Euchariſtiæ, ita dixiſſe, *Quod norunt fideles.* Ea autem verba oſtendere altiſsimorum miraculorum ſignificationẽ. Cũ nulla occurreret Inconſtantio iuſta, & probabilis reſponſio, non incommodum tamen illi videbatur, vt ſe reciperet ad ſuſpiciones. Patres ait cauiſſe ſibi, ne irriderentur ab Ethnicis. Nominatim autem commemorat Auguſtinum: quaſi verò eius ætate religio Chriſtiana ita fuerit obſcura. Non ſat commodè temporibus diuiſa erant tibi Daue hæc? Deinde illud etiam cogitare debuit, Patres nõ Ethnicis, ſed Eccleſijs Chriſti lucubrationes ſuas conſcripſiſſe. Quare, etſi nõ Gentibus, tamen ſaltẽ Chriſtianis fidelibus illa miracula erant aliquãdo proponẽda: vt de illis gratias agerẽt, & in fide quotidiè magis, ac magis promouerẽt. Quòd autẽ Auguſtinus aliquando in Concione dixit, *Norũt fideles*, id dixit propter Catechumenos: quibus ad ſacram domini menſam admitti, & myſterijs intereſſe non licuit.

Auguſtini tempore Chriſtiana religio erat vulgata.

Catechumeni non communicabant.

Sed velim mihi verè expediri, vnde Inconſtátius auguretur, quòd verba illa, *Norũt fideles*, notẽt tã recõdita miracula. Multa enim fideles ad ſaluté pertinentia norunt, quæ miracula nõ ſunt, eo certè modo, quo nos nũc loquimur de miraculis. Tres eſſe perſonas in vna & eadẽ eſſentia, omnes Chriſtiani confitentur: quod tamen non eſt miraculũ. Aeternam Dei prędeſtinationem electorum ad ſalutẽ, Eccleſia credit: quod tamen miraculũ eſſe non prædicat. Credimus Chriſti mortem, & ſepulturã, & Eccleſiam Catholicam per totum terrarũ orbem diffuſam: & alia id genus multa ſoli fideles nouimus, & profitemur; quę tamen nemo, qui propriè loqui velit, appellarit vnquam miracula. Sed pugnat mirificè ſecum Inconſtátius. Nam, cùm prius conſtanter dixiſſet, Patres nullam feciſſe mentionem iſtorũ miraculorum in Euchariſtia, ne videlicet riderentur ab Ethnicis, poſteà tamẽ ſubijcit, ea Patrum ſentẽtijs poſſe confirmari. Quòd ſi Patres, vt tu ab initio dixiſti, tantum ſtudium adhibuerunt, ne iſta miracula euulgarentur, cur ea poſteà publicarũt? An tibi proſpiciebant, ne tu aliquãdo excluſus omnibus ſcripturis, & rationibus, careres teſtibus? Si tacent, ſi iſta miracula domi continent, ſi nihil dicunt, quomodò tibi ferũt teſtimonium? Sed hæc eſt fortuna mendaciorũ, vt inter ſe ipſa nunquam conſentiant.

Multa creduntur quæ non ſunt miracula.

Addit, *nec Auguſtinũ, nec Nazianzenum omnia Chriſti miracula recenſuiſſe: & ſi omnia & potuiſſent, & voluiſſent, magnã tamẽ fuiſſe cauſam, cur iſta iudicarint reticenda.* Imò ea cum primis debuerunt populo inculcare. Erat enim illorum vſus in Eccleſia frequẽtiſsimus. Neq; idcircò eduntur à Deo miracula, vt obſcura, & neglecta iaceãt: ſed potius vt verba Dei, & ſanam doctrinã confirmẽt. Quare oportet ea vel maximè eſſe euidentia. Imò etſi homines curent ea obſcurare, & tegere, tamen Deus ea vult palàm publicari. Neque enim ſua dona in terram defoſſa atque abdita occultari patitur. Itaq; quæ verè ſunt miracula, ea ſacra ſcriptura non tacet. Chriſtus in nuptijs aquam conuertit in vinum. Id factũ hiſtoria Euangelica habet pro miraculo. Eadẽ hiſtoria narrat mortuos reuocatos ad vitam: ægrotos reſtitutos: ficum virentem exaruiſſe. Quæ ergo cauſa eſt, cur taceat, panem conuerſum in carnem & vinum in ſanguinem? Hìc Inconſtantius, cum ſe ipſum explicare nõ poſſet, tamen conſtanter aſſeruit, maximã fuiſſe cauſam cur illa tacerentur. Interim tamen, quænã illa cauſa fuerit, non oſtendit: niſi fortè ad illud redire velit, quod à principio dixit, Patres iſta obſcuraſſe, ne riderẽtur ab Ethnicis. Quaſi verò Virginem peperiſſe, verũ Deum factum eſſe hominem, eumq; mortuum fuiſſe, & reſurrexiſſe, & alia ſexcenta huius generis ab infidelibus non rideãtur. At ea tamen & in ſcripturis paſsim, & in Patribus non obſcurè inculcãtur.

Miracula non edũntur à Deo, vt obſcura iaceãt.

Poſteà verò, cùm hius ſilentij nullam ſatis iuſtam cauſam poſſet comminiſci, de argumẽti forma rixari voluit. Ait enim, *non eſſe ſatis ſolidũ argumentum, ideò iſta miracula non extare, quòd non recenſeantur nominatim. Sæpè enim fieri, vt quod alibi taceatur verbis, alibi ſententia exprimatur. Euchariſtiæ autem miraculũ tum ſcripturis, tum etiam Patrum ſententijs probari poſſe.* De argumento primùm nihil eſt, cur tergiuerſetur. Etſi enim aliquid eſſe poſsit, quod in ſacris literis non prodatur, id tamẽ quicquid eſt, nec vt articulus fidei, nec vt res creditu neceſſaria obtrudi debet. Quis enim noſtrum dubitet, eſſe quędã arcana Dei, quæ non liceat homini loqui? Ea tamen quęcunque ſunt, quoniam ſcripturis non ſunt prodita, ſub fidei profeſsionẽ non cadunt. Iſta autem noua miracula ſi Inconſtantius è ſcripturis docere poteſt, quid tam diu cunctatur? Hoc enim nos expectamus, quęrimus, rogamꝰ. Vbi hoc oſtenderit, nil erit amplius controuerſiæ: vicerit. Quare aut locũ aliquem è ſcripturis euidentem proferat: aut miraculũ ſuum ex ſcripturis efficaciter concludat: aut, quod non poſsit, id ſe poſſe, tam magnificè iactare deſinat. At ille ne ſui fortè diſsimilis videretur, ſepoſitis modeſtè diuinis literis, ſeſe referre maluit ad Patres.

Nihil credẽdum obtrudi debet, quod ex ſacris literis non habeatur.

Chryſoſtomus, inquit, *libro tertio De Sacerdotio exclamat, O miraculũ. & Emiſenus, Honora, inquit, & mirare corpus Dei tui, & Ambroſius confert Euchariſtiam cum ſummis veteris Teſtamẽti miraculis. Cyrillus etiam inquit, Vt hoc miraculum crederetur, citauit in veteri Lege edita à Deo miracula: nimirum ſentiens hoc quoque eſſe ingens miraculum.* Hoc in primis de Inconſtantio iure optimo poſſum conqueri: quòd cum teſtimonia requirantur è ſcripturis, ita repente ſeſe auertat ad patres: quod tamen ego illum non malitia feciſſe puto ſed vel quòd patres & ſcripturas eodem loco, & numero habeat, quod fortaſſe Magiſtrum

ſuum Petrum Lombardum paſsim feciſſe vide-
rat: vel quòd ſcripturarũ oraculis deſtitutus,
ſperet, ſe obtrudere nobis poſſe pro articulis fi-
dei, quicquid vſpiam videat dictum à patribus.
Non æqui parant ſua ſcripta patres ad ſacras literas
Sed longè errat. Neque enim ipſi patres vllo
modo conferri volunt ſcripta ſua cum ſacris li-
teris: deinde non quæcunque ab illis dicta, aut
ſcripta ſunt, ſtatim recipienda, ſed cum delectu
& iudicio legenda, atque expendẽda ſunt. Ita-
que quoties illos legimus ſtatuere miraculum
in Euchariſtia, intelligere debemus, eos abuti
Quid interdum miraculum dicatur, ſed impropriè.
nomine miraculi: quod etiam ſcriptores Lati-
ni non rarò faciunt. Res enim magnas, & inex-
pectatas, & opinionem, non autem naturam ſu-
perãtes, appellant miracula. Ea loquẽdi forma
veteres Eccleſię ſcriptores mortem, ſermones,
conuerſationẽ domini in terris miracula dixe-
runt. Cæterùm nos in præſentia Tranſubſtan-
tiationes, Accidentia ſine ſubiecto, Corpus hu-
manum idem in infinitis locis, & alia ſexcenta
portenta huius generis, quæ naturas rerũ cor-
rumpant, mutent, abijciant, quæ nec ſenſu, nec
ratione poſſunt percipi, ſiquidem ea credenda
ſint, cupimus nobis ſcripturarum teſtimonio
confirmari. Hoc autem patres in Euchariſtia
dixerunt miraculum, quòd pij interim, dum
communicant, vnà cum pane & vino, quæ ore
corporis recipiuntur, animo & mente corpus
& ſanguinem domini comedant & bibant, &
vi fidei ſubuecti in cœlum ibi manducent pa-
nem in menſa Dei, ad conſequendam vitam ę-
Quæ miracula in Euchariſtia concedi poſſint.
ternam. Magnũ etiam eſt, & longè ſupra om-
nem vim naturæ, quòd ſpiritus ſanctus exter-
nis iſtis elementis vti velit, quò nos intus ani-
mo & ſpiritu confirmemur. Atque ea ratione
magnum etiam miraculum eſt Verbum Dei,
per quod Deus vim ſuam & potentiam ad in-
ſtaurandos & renouandos homines exerit, &
declarat. Ita Chryſoſtomus in Baptiſmo quo-
que multa dicit eſſe miracula: quibus tamen
verbis non intelligit iſta prodigia, quaſi naturę
rerum abijciantur, & illis neſcio quæ aliæ no-
uæ ſufficiãtur: qualia illa ſunt, quę iſti de quin-
queuerbia excantatione orbi terrarum prodi-
derunt. Iſta ea ſunt miracula Inconſtanti, quæ
tu nec ex ſcripturis vnquam, nec ex patribus
probare poteris.

Sed negas à te multiplicari miracula, cùm
explices veritates iuxta ſcripturas. Nos autem
addis veritatem calumniari, cùm verbis alienis
& calumnioſis eam efferamus. Qui veritates
explicant iuxta ſcripturas, certa quędam loca
ex diuinis literis adducere ſolent, quibus veri-
tatẽs eas confirmẽt, quas probare velint. Cùm
autem ſophiſta iſta ſua miracula nullo teſtimo-
nio ſacrarum literarum probare poſsit, quo ore
iactat, ſe explicare veritates iuxta ſcripturas?
Suas autem iſtas veritates inuidioſis & alienis
verbis à nobis efferri, iniuſtè queritur, quemad
modũ docebimus. Verùm, vt ita eſſet, iniuriam
tamen non illatam ſibi, ſed repoſitam intelli-
gere debuit. Ille enim noſtra argumenta nun-
quam ferè retulit bona fide: & ſemper, quocũ-
que genere verborũ poteſt, omne in nos odiũ
ſuum & virus euomit. Cùm ille hæc perpetuò
faciat, aliquando non iniuria experiri poſſet ſi-
milia. Nos autem erga eum ſemper maiori mo-
deſtia vſi ſumus.

Sed audiamꝰ, cur ita ab iſto accuſemur. *Quis*, inquit, *catholicus ita loquitur, corpus Chriſti comprehendi in pane realiter, corporaliter, naturaliter? Quæ verba talem modum præſentiæ inſinuant, qualem Eccleſia non docuit.* Ad hæc negat, catholicos dicere, pane cõprehendi corpus Chriſti. *Profitemur*, inquit, *corpus Chriſti adeſſe ſub ſignis viſibilib. et cõtineri ſacramẽto.* Eſt ergo triplex calumnia, qua Incõſtantius fingit ſuos catholicos à nobis onerari. Prima, quòd dicamus, illos credere, corpus Chriſti eſſe realiter, coporaliter & naturaliter in Sacramento. Nam illos ait nullũ talem præſentiæ modum profiteri. Cur ergo illi adegerunt Berengariũ in Concilio Romano ad hanc
Berengarius quid confiteri ſit adactus.
de Euchariſtia profeſsionem, vt diceret, ſe credere authoritate Nicolai Papæ & Romanæ ſynodi, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem eſſe, non ſolùm Sacramentũ, ſed etiam verum corpus & ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti? Idq; non ſolùm in Sacramento, verùm etiam ſenſualiter, nam ita loquitur, & in veritate manibus ſacerdotis tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri. Hæc extant in Decretis veſtris de conſecra. diſt. 2. cap. Ego Berengarius. Dic mihi ſodes Inconſtanti, modus iſte, quo ſedes Romana decernit, corpus Chriſti ſenſualiter tractari in Euchariſtia, aliúsne ſit ab eo modo, quem nos Papiſtis veſtris adſcribimus, an idem? Certè corpus, quod percipitur ſenſibus, frangitur manibus, dentibus atteritur, negari nõ poteſt adeſſe realiter, naturaliter, corporaliter. Nihil ergo nos vobis adſcribimus, quod non à vobis ipſis doceatur, & decantetur publicè. Sed fortaſſe Inconſtantius, cum iſta ſcriberet, videri voluit, ſedem Romanam non tanti facere: Nam vt epiſcopalem ſuam dignitatem retineret, ab ea palã defecerat: nec id ſolùm, ſed etiam contra eam declamationes, & libros ſcripſerat. Nunc autẽ poſtquam ita conſtanter ad eam redierit, pro ſua conſtantia non debet à Berengarij profeſsioné, quam illa ſedes ei dictauit, abhorrere. Ne ergo poſthac modos iſtos præſentiæ queratur Eccleſiæ ſuæ à nobis affingi per calumniam, niſi fortè decreuerit, à Romana ſede rurſus deficere. Ad hæc meminiſſe debet, omnes, qui hodiè hac de re ſcribũt, & illas partes propugnãt; ita & ſcribere & loqui. Illorum ſaltẽ authoritatem non oportuit Inconſtantium negligere.

Alteram calumniam eſſe dicit, *quòd fingamus; catholicos credere, corpus Chriſti comprehẽdi pane, aut Sacramento.* Ad quam calumniam depellendam non video, quibus potius verbis vti debeam, quàm ipſius Inconſtantij. Catholici, inquit, adeſſe ſub ſignis viſibilibus dicunt, & contineri Sacramento. Ex iſto homine ſubtiliſsimo ſcire velim, quid inter contineri, & comprehendi ſit diſcriminis. Niſi ego vehemẽter fallor, qui alis quo loquo continetur, eodem loco comprehẽditur. Quare, ſi Inconſtantius fatetur, corpus
Contineri & comprehendi non differunt, quoad negotium præſens.
Chriſti

Christi adesse,& in Sacramento contineri: eadem opera fateatur, illud etiam Sacramento comprehendi.

Sed vltimo loco clamat, de voce illa, Pane, *magnam sibi fieri iniuriã. Se enim credere, corpus illud contineri non sub pane, sed sub visibilibus signis.* Nos autem in Sacramento panem tantùm, & vinũ agnoscimus esse visibilia, prætereà nihil. Accidentia verò illa pendula, quæ vos primi inuexistis, nulla vnquam antiqua Ecclesia agnouit. Imò si reuocationem illam Berẽgarij, quam vos illi obtrusistis, cõsideretis, videbitis illum affirmare, panem & vinum, esse corpus & sanguinẽ Christi. Et patres ita loquuntur, de pane dominum dixisse, illum esse corpus suum. Quocunque te vertas Inconstanti, inuenies, istas Sycophantias, non ad nos, sed ad te ipsum pertinere. Mitto autem ineptam illam cantilenam, qua iste ait, se reddere ea, quæ Cæsaris sint, Cæsari. Si de censu & tributo ageretur, videri posset hanc sententiam satis opportunè vsurpare. Sed cum causa nulla fuerit, quamobrem mentionem vllam faceret de tributo, dicemus Inconstantium voluisse verbis, non ratione se redimere. Argumentũ autem nostrum satis cõsistit. Dicimus enim vestrum errorem infinita propè sequi miracula, quæ tantùm abest, vt cõfirmari possint è scripturis, vt illis è diametro aduersentur. Itaque concludimus, non esse hominis Christiani & Theologi, tantùm ad fictionem suam defendendam tot miracula sine causa multiplicare.

Berengarius in cõfessione sua dicit, panẽ & vinum esse corpus Christi.

Pergit prætereà, & quod erat probandũ, pro suo more sumit quasi confessum: *Christũ enim ait, ista miracula dicere esse facta: itaque illi esse assentiendum. At Christus non dixit, Panem per Transubstantiationem conuersum esse in corpus suum. Aut si ita vspiam dixerit, ostendito. Neque enim te iuuat, quod Christus dixit, Hoc est corpus meum: quibus verbis contendis, miraculum ostendi iam absolutũ: & idcircò Christum non dixisse, Hoc factũ est corpus meum. Ita enim in Genesi, cùm prius dictum fuisset, Fiat lux, subiectũ fuisse, Et facta est lux.* Sed quę sunt istę, quęso, collationes? aut quę est ista noua scripturarum interpretatio? Quis enim est, qui non videat, quàm coactè intelligatur ex illis verbis, Hoc est corpus meum, id quod vos concludi vultis, Hoc factum est corpus meũ, & miraculum demõstrari absolutũ? Quasi, cùm lux crearetur, perfectũ non fuerit miraculum. Phantasmata ista Inconstãti, sunt: ne decam diliria. Nõ enim quoties Christus vsus est verbo illo substantiuo, Est, toties ostendit miraculum absolutum. Nam de Iohanne dixit, Ipse est Elias: & de se ipso, Ego sum vitis, Ego sum ostium. Nullũ tamẽ istis locutionibus indicauit miraculum. Patres intellexerunt de pane dictum esse, Hoc est corpus meum: non de illo tuo vno, quod in rerum natura nunquam extitit.

At si oculis cerneretur, inquis, *substantiã panis desinere, & eius loco corpus domini succedere, increduli protinus exclamarent, esse præstigias, & incantationes.* Sed, quæso te, cum Iudæi dicturi essent, Christum in Beelzebub eijcere dæmonia, an ea causa Christus aspectabili miraculo non sanauit dæmonicos? Quod in alijs omnibus miraculis non valuit, id cur tantopere contẽditis valere tantùm in Eucharistia? Imò, si liceat ita dicere, Christus non debuit tantum miraculum occultare. Quia enim non videtur, maxima pars hominum id non habet pro miraculo. Candidius agendum erat Inconstanti, præsertim in rebus diuinis, quam tu aut assueueris hactenus, aut si posses, velles nunc constantiæ saltem tuæ causa assuescere.

Quàm autem bellè illud in nos quadret, *Mosen habent, & prophetas: &* illud, *Si quis à mortuis resurgat, non credent,* tu, Lector, pro tua prudentia, & pietate iudicabis. Nos enim miracula à vobis non quærimus. Verum cum vos vltrò innumera penè in hoc sacramento confingatis, ea contendimus, mendacia mera esse & à sacris literis non probari. Mosen, & scripturas maxima reuerentia veneramur. Scripturarum autem nomine vestra commenta non recipimus. Non petimus aut à te, aut à tui similibus, vt mortuos nobis excitetis, qui dicãt errori vestro testimonium. Hoc potius agimus, & iam diu à vobis frustra postulamus, vt ex Mose, Prophetis, aut Apostolicis literis certum aliquod testimonium proferatis. A vobis autem nihil vnquam aliud occinitur, quàm, Hoc est corpus meum: quasi ea verba exponi aliter nõ possint, quam quomodo nunc à vobis corruptissimè deprauantur.

Hucautem ita ineptè accommodatur miraculum à Christo editum in nuptijs, cũ aquam mutaret in vinum, quod simile habeat cum hoc negocio, videre non possim. Nam de facto illo Christi non ambigimus. Id enim scriptura testatur, & nominatim testatur, primum illud fuisse miraculum, quod Christus coram discipulis suis fecerit. Iam de vestra ista Transubstantiatione cedo mihi, Inconstanti, simile scripturæ testimonium: & nisi tibi crediderimus, nos posthac iure, ac meritò habebo pro hæreticis. At si diuinę literę nusquam dicant, substantiam panis factam esse corpus Christi, quemadmodum Ioannes dicit, Aquam factam esse vinum, non debes nos tua ista rabie ita temerè insectari, & pro tua libidine appellare incredulos. Illud erat haud dubiè miraculum. Habet enim & à scriptura, & à sensibus testimonium. Vestra verò ista, cùm vtroque destituantur, cur nobis, tanquam credenda, obtruduntur?

Postremo miratur, nos dicere, miracula sentiri ratione: quasi verò alio aliquo instrumento intelligi, ac sentiri possit, cum aliquid acciderit, miraculúmne id sit, an ab ordinaria naturæ consuetudine profectum. Quod autem dicit, *Homines carnales interdum pro suo vitiato ingenio ea, quæ supra naturam geruntur, detorquere ad calumniam,* ad istam controuersiam nihil facit. Dominus illos suo tempore iudicabit: qui eorum malitia noluit impediri, quin ea miracula rationi, & sensibus hominum proponeret, quæ facerent ad confirmandam doctrinæ suæ veritatem.

OBIECTVM LX.

PRAESENTIA realis & corporalis carnis Christi, non est ad salutem necessaria: nam ad eam nullum momentum habet. Ergo non est credenda.

GARDINERVS.

VANISSIMVM est, quod assumitur, præsentiam realem nullum habere momentum ad salutem: quando eam à salutis authore credimus institutam.

MARTYR.

SI præsentia vestra realis à salutis authore fuisset, vt ais, instituta, faceret certè ad salutem. At ea nō ab authore salutis, sed à vobis inuecta est. Tantùm autem abest, vt Christus eam vnquam tradiderit, vt corpore subduci ab Apostolis, & in cœlum abire maluerit, quàm quod illi maximè cupiebant, cum illis in terris commorari: idq; etiam illis dixerit expedire. Ne autem illi se putarent desertos, pollicitus est, se suo loco missurum ad illos spiritum sanctum. Neque cùm iam abiturus esset in cœlū, dixit, Bono animo estote: semper corpus meū habebitis in pane, aut, vt vos dicitis, in panis accidentibus vobiscum Hoc, Inconstanti, hoc aliquando doceri cupimus è sacris literis. Sed surdis canimus. Nam pro testimonijs scripturarum tantùm ambages quasdā, & inania somnia reportamus. Cùm itaque istud portentum vestrum nec sensu, nec ratione, nec diuino aliquo testimonio probari possit, quid superest, nisi vt dicamus, illud esse à vera fide alienum?

Nec mirari debes, mentionem à nobis fieri carnalis præsentiæ sublatæ ab Apostolis cùm Christus ascenderet in cœlum. Non enim video, quid amplius ad nos commodi redire possit ex ista vestra commentitia præsentia, quàm Apostoli tum ex illa fuissent habituri. Quare si Christus rectè dixit, eam illis non expedire, nos rectè concludimus, ne vestram quidem istam, quæcunq; est, expedire. Sed vt quiuis videat, quàm firma sit tua responsio, illud addo, vestrum fuisse, hærere in ea maximè parte explicanda, quæ & minus obscura sit, & vtrinq; sit confessa. Omnes fatemur, & damus, ea, quæ Christus tradidit, vtilia esse ad salutem: eaque quæ ille credi voluit omnino recipi oportere. Quid ista te oportuit tam crebrò commemorare? Illud te potius docere oportuit, Christū dixisse, Habebitis carnem meam reali præsentia in pane: & sanguinē meum habebitis corporaliter præsentem in vino. Sed cùm ista docere non posſitis, satius multò esset tacere, quā multa garriendo nihil dicere. Ais lethale esse contemnere, & reijcere hoc Sacramentum, cū eius haberi possit copia. Nos quidem idem dicimus: nec eū habemus pro homine Christiano, qui Christi instituta contemnat. Sed hoc ambigitur, An Christus docuerit, corpus suum & sanguinem in pane ac vino realiter & substantialiter contineri.

Deinde addis id, quod & absurdum, & falsum est, *pios homines ducere, ebrietatem istius calicis*, sic enim appellas Eucharistiæ perceptionem, *summam esse felicitatem*. At non est ea summa felicitas, in speculo & in ænigmate videre. Spe enim, non autem re salui facti sumus. Expectāda est beata Resurrectio, vt nostra felicitas perficiatur, & possit appellari summa. Sed argumenta nostra tantas Inconstantio tenebras, talemq; vertiginem offundunt, vt cum cogatur multa temerè iactare, sæpe imprudens incurrat in mendacia.

Non est felicitas summa percipere Eucharistiam.

Ne id quidem verum est, quod postremò addit tanquam pro coronide, *Hoc sacramentum ad æternam requiem adipiscendam momentum habere maximum*. Fatemur quidem, vsum Sacramētorum momētum aliquod habere ad salutem, non tamen maximum. Mors Christi, Spiritus sanctus, Vocatio, Fides, Iustificatio, maius multò momentum habent ad salutem, quàm sacramenta. Sed Inconstantius ita subtilis est theologus, vt proram, & puppim salutis nostræ constitutam esse velit in rebus externis.

Sacramenta non habent momentum maximum ad salutem adipiscendam.

OBIECTVM LXI.

IN tota scriptura nihil inuenitur credendum tam contrarium sensibus, vt corū experientia affirmet, quippiam esse, cuius contrariū doceat fides. Si autem Transubstantiatio sit, aliquid sensus affirmant, cuius contrariū docet fides. Ergo Transubstantiatio pugnat cum scriptura: vel saltem in scripturis nullum tale miraculū reperitur. Quod non est credibile.

GARDINERVS.

PAVLVS, vt Hebræis suaderet hospitalitatem, refert aliquot inscios recepisse Angelos hospitio.

MARTYR.

AIt Inconstantius, Abrahamū & Lotum recepisse hospitio Angelos, quos tamen putarint homines. Et testem citat epistolā ad Hebræos, quò ostendat contra nostrū argumentum, sensus & rationem, ipsarum scripturarū sententia, non semel aberrasse. At si legisset Tertullianum contra Martionē, ista non ita facilè garriret. Is enim corpora illa, quorū pedes abluebantur, quæque incurrebāt in sensus, testatur, verè fuisse humana corpora: nullo autē pacto habēda esse pro phantasmatis. Quare in illis humani sensus non fallebantur. Angelorū quidem natura nec sentitur, nec sentiri potest. Itaq; nihil est, quod quisquā dicat, sensus in illa falli. At cū Angeli induissent corpora, & sensus & ratio de illis corporib⁹ iudicabāt. Nemo autem

tem ſanus dixerit, illa corpora tranſubſtantiata fuiſſe in naturam Angelorum, vt Angelorũ natura accidentibus tantùm corporum tegeretur, Subſtantia enim illa, quæ videbatur, & tangebatur, verè erat corporea. Ad hæc Angeli ipſi & Abrahamo, & Loto prodiderunt, quinam eſſent: vt quemadmodum in aſſumpto ab illis corpore non fallebantur, ita ne de latenti quidem eorum natura, quæ ſentiri non poterat, poſſent ambigere.

Neque ſacra ſcriptura tacet, quinam illi fuerint, qui miſſi fuerant à Deo ad ſanctorum patriarcharum domos: vt nec tunc ipſi patres, nec hodiè Lectores poſsint de ea re dubitare. At neque ſcriptura nos docet, neque Chriſtus Apoſtolis indicauit, carnem ſuam realiter & ſubſtantialiter eſſe in pane. Deinde etiam iſtã Tranſubſtantiationem, ſcripturæ non tantùm diſsimulant, ſed etiam apertè oppugnant. Apparet ergo iſta ſimilia cum re propoſita nihil habere ſimile. Nec dubito, quemuis prudentem Lectorem facilè poſſe intelligere, robur noſtri argumenti iſtis ineptijs non debilitari. Angeli enim naturam corporum, quam aſſumpſerant, non tranſubſtantiabant: iſti verò naturã & ſubſtantiam panis prorſus auferri volunt. Huc adde, quòd Chriſtus hoc ipſo genere argumenti probauit, Reſurrectionẽ ſuam à mortuis. *Palpate* enim, inquit, *& videte: quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Quare, ſi quẽadmodum videtur Inconſtantio, ſenſus in accidentibus à ſubiecto diſiunctis falleretur, probatio iſta Chriſti vana, vel potius nulla eſſet: & Martionitis, qui docebant, Chriſtum non verum, ſed fictitium, & phantaſticum corpus ſuſcepiſſe, maximam feneſtrã pateſaceret.

OBIECTVM LXII.

IN myſterio Incarnationis vehementer mirata eſt Beata Virgo, & interrogauit, quomodò id fieret. Sed iſta mutatio panis in corpus Chriſti, nihil cedit magnitudine myſterio Incarnationis. Mirum ergo eſt, in diuinis literis nullam de ea re admirationem vſquam legi.

GARDINERVS.

QVANDOQVIDEM apud ſcriptores catholicos receptũ eſt, Chriſtũ in ſexto Iohannis doctrinã de Euchariſtia tradidiſſe, quicquid ibi admirationis accedebat, certũ eſt ad iſtã in Euchariſtia mutationẽ pertinere.

MARTYR.

ADmirationem illam Capernaitarum, qua in ſexto capite Iohannis dixerunt, Quomodò poteſt hic dare carnem ſuam manducandam, Inconſtantius inopia conſilij transfert ad Euchariſtiam: & omninò decernit illo loco doctrinam de Euchariſtia expreſsè tradi. Sed in vtroque longè errat: primùm, quia, vt ſæpè docuimus, in ſexto Iohannis mentio tantùm fit de manducatione carnis Chriſti: de Sacramentis autem, & ſignis ſacramentalibus nihil traditur. Nemo ergo homo poteſt ſomniare, in ea doctrina excitatam fuiſſe admirationem de tranſubſtantiatione panis & vini: quod in noſtro argumento proponitur. Deinde, an putat, nos ſibi credituros, Capernaitas ex admiratione dixiſſe, Quomodò dabit hic nobis carnem ſuam manducandam? Certè indignatio ea magis fuit, quàm admiratio. Nam, vt Auguſtinus rectè ait, de Doctrina Chriſti horrebant, & execrabantur Chriſtum, quaſi facinus, & flagitium præcipientem. Horrendum enim illis videbatur, comedere carnes hominis viui. Et eadem perturbatione victi cæteri diſcipuli, præter duodecim, omnes abierunt. Nõ debuiſti, Inconſtanti, ludere in re tanta: vt, cũ de Tranſubſtantiatione, quam tantoperè defendis, poſtuleris, nihil reſpondeas: inanes autem ſtrophas, & perfugia quæras. Nam ſi Capernaitæ, & illi Diſcipuli manducationem eã ſpiritualem fore, quemadmodum re vera eſt, cognouiſſent, quæ fide perficeretur, & ad mentem ſpiritumque pertineret, nunquam à Chriſti doctrina abhorruiſſent. Nam ita Auguſtinũ ſyncerè, & purè interpretatur, Credere, eſſe Manducare.

Comminiſcitur præterea Inconſtantius egregia confidentia, ne dicam, an aſtutia, an mẽdacio, Diſcipulos, cùm audiſſent Chriſtum dicere, *Panis, quẽ ego dabo, caro mea eſt, ſtupore diffidẽtiam ſuam indicaſſe, & dixiſſe, Durus eſt hic ſermo: & quis poteſt eum ferre?* Quę malum, iſta inſania eſt, credere Chriſtum in ſexto Ioãnis loquutũ eſſe de pane, quẽ poſteà accepturus erat in Cœna, & diſtributurus Diſcipulis? Carnẽ ſuam Chriſtus dicebat eſſe panem, id eſt cibũ, quo alendi eſſent fideles. Nullũ autem panem dixit in ſuã carnem eſſe tranſubſtantiandũ. Quomodò ergo potuiſſet aut turba, aut quiſquam ex Apoſtolis iſta diuinare? Neq; enim ſcire potuerũt, Chriſtum ſub extremũ vitæ tempus cogitaſſe talem Cœnã inſtituere, aut hominibus tale Sacramentum relinquere. Inconſtantius verò, vt commentũ ſuũ ſine vllo diuino teſtimonio, aliquo modo ſtatuat, Diſcipulos illos, & Capernaitas facit prophetas: quaſi illi vaticinati tãtò antè fuerint, fore aliquãdo tempus, cũ Chriſtus acciperet panẽ & vinũ, & ea in corpus & ſanguinem ſuũ tranſubſtantiaret: ita aũt eos fuiſſe cõtumaces & ſtupidos ad iſta credẽda, vt inter ſeſe murmurarint, & abierint. Atqui illorũ animos non Tranſubſtantiatio, ſed eſus humanæ carnis perculit: quòd audiſſent, Chriſtũ dicere Carnem ſuam fore cibum. Panis enim, inquit, hoc eſt, cibus & alimonia, qua alendi eſtis, eſt caro mea. Vt patres manducauerũt Manna, vtq; vos ipſi panẽ, quẽ ante paucos dies iuſsi vobis diſtribui: ſic fideles ad ſalutem ſuã comedẽt carnẽ meã, Ex his verbis non magis Tranſubſtantiatio, quàm Purgatorium, & reliqua turba veſtrarum ſuperſtitionum probari poteſt.

Sed

Sed quoniam video Inconſtantium tantopere contendere, vt vox illa Panis in ſexto Iohannis referatur ad ſignum ſacramentale, atque ita Tranſubſtantiatio à Chriſto attingatur, etſi id verum non eſt, facito tamen eſſe verum. Ex iſta ſophiſtica quid, quæſo, ſequitur? Illud certè, Panem illum eſſe corpus Chriſti. Dominus enim ait de illo pane, Caro mea eſt. Tu autem perpetuò clamas, prædicatum non de pane, ſed de, neſcio quo, Indiuiduo tuo vago dici. Hic vt tuam ſequaris interpretationem, cogeris, velis, nolis, fateri, carnem domini prędicari de ipſo pane. Quò ergo nunc fugit, quò euaſit Indiuiduum tuum vagum? Certè ab iſta tua noua ſententia longè vagatur.

Sed quia videt nos nominatim oppugnare trãſubſtantiationẽ, & ſentit, ſe nullã oſtendere poſſe vel admirationem, vel interrogationem, vel doctrinam de illa in diuinis literis traditam, experiri tamen vult, an poſsit eam concludere à genere, vt ait, ad ſingula. Id autem genus argumenti, quàm ridiculum, & infirmũ ſit, quiuis puer facilè videre poteſt. Facito, Diſcipulos generatim admiratos eſſe myſterium Euchariſtiæ. An idcircò ſtatim confectum eſt eos admiratos eſſe tranſubſtantiationẽ panis? Prudentes Dialectici non ita ſolent argumentari, vt à re communi ad contractam deſcendant affirmando. Nam ex admiratione, quæ multis de cauſis potuit euenire, iſte hoc tantùm vnum vult conficere, eos miratos eſſe, panem aliquando eſſe tranſubſtantiandum in carnem Chriſti: quod nihil aliud eſt, quàm ex genere concludere velle ſpeciem.

Argumentum nõ eſt bonum ab vniuerſali ad ſingulare affirmãdo.

Sed videamus, quò iſte porrò pergat. Ait, *Diſcipulos, etſi multa mirarentur, auſos tamen non fuiſſe Chriſtum de illis quicquam interrogare.* Verùm addendum fuit, ſi quid eſſet creditu neceſſarium, id Chriſtum illis vel non interrogantibus explicuiſſe. Vos autem ea neceſsitate adigitis homines ad credendam veſtram Tranſubſtantiationem, vt, ſi quis contrà ſentiat, eum è veſtigio comburatis. Sed cur tabulas veſtras, cur oracula Dei in apertum non profertis? Cur iſtam doctrinam à Chriſto traditam, ab Apoſtolis promulgatam, ſacris literis confirmatam non oſtenditis? Poſteà dat manus quodammodò, & fatetur, Apoſtolos iſtam Tranſubſtantiationem non fuiſſe miratos: cur autem non fuerint mirati, adfert cauſas. Primùm, inquit, cùm traderetur Sacramentum, non obſtupuerunt, quòd iam anteà de illo fuiſſent edocti. At vbi? Si dicas, quod neceſſe eſt, in ſexto Iohannis, ergo iam anteà intellexerant. ſe ſpiritualiter comeſturos eſſe carnem Chriſti: quam ad rem nec Tranſubſtantiatione, nec reali præſentia opus erat. Itaque cùm hoc intelligerẽt, quomodò ſtupere potuerunt. Bonitatem autem, & clementiam, & ſummam illam humanitatem Chriſti eos admiratos eſſe non negauerim: cùm viderent illum ſempiternam memoriã mortis ſuæ in ſacramento inter homines extare voluiſſe. De iſta verò Tranſubſtantiatione, quæ nec cernitur, nec docetur vſ piam, non eſt credibile illos quicquã cogitaſſe.

Neceßaria creditu, Chriſtus Apoſtolis explicuit.

Addit ex Chryſoſtomo, *Chriſtum de illo pane & calice prægustaſſe, quò ſuos ad idem faciendum induceret: ne myſterij magnitudine deterriti abſtinerent.* Quorſum autem iſta pertineant, ne ipſum quidem Inconſtantium arbitror ſatis intelligere. Nam ſi prius erant edocti, & animo iam ſatis pacato, prægustatio Chriſti admirationem depellere non potuit, quæ nulla erat. At ſi dicas, eos non ità plenè fuiſſe inſtructos, vt ſupor planè omnis abierit, ideoque Chriſtum ad extirpandas reliquias prægustare illis voluiſſe, adhuc tamen quæro, qua ratione concludatur, ſublatam fuiſſe admirationem de Tranſubſtantiatione panis & vini, cùm Chriſtus illa prægustaſſet. Vis argumenti hoc petit, Quomodò in ſcripturis ſanctis nulla nec admiratio, nec interrogatio legatur de re tanta. Inconſtantius reſpondet, quod Chriſtus Diſcipulis ſuis prægustaſſet. Hoc quidem, vt Chryſoſtomus ait, inducere potuit Apoſtolos, vt ſimul ederent, ac biberent. Admirationem autẽ de Tranſubſtantiatione augere potuiſſet potius, quàm minuere: præſertim cùm iam vidiſſent, Chriſtum ipſum corpus ſuum comediſſe. Oportet Inconſtanti, vt cauſæ cum effectis aptius cohæreant, ſi quid ex illis velis rectè concludere.

Sed ijs omiſsis, quæ ait ſe tantùm generatiuè dixiſſe, quęque ait ſatis facere poſſe hominibus pijs, oſtendere etiam vult ex Patrum ſententijs, quantam illi potentiam Dei, quantam vim, quantam efficientiam in hoc ſacramento efficiendo annotauerint. Non diſcedit à more ſuo. Rogatus enim de ſcripturis reſpondet de Patribus: quos nemo eſt, qui neſciat, dum in ſuis illis hyperbolis, & exaggerationibus multi, vel potius toti ſunt, prædicare multa, & ingentia miracula in Euchariſtia. Sed ea verbis tantùm ornant, re ipſa nulla proferunt. Ea enim, quæ verè dici poſſent miracula, aſpectabili quadam euidentia ſenſibus ita ſeſe offerũt, vt doctrinæ ſpiritus ſancti, & diuinis oraculis poſsint fidem facere. Quare huius ſacramenti magnitudinem, & laudes efferant Patres, quantum volunt. Miraculum autem propriè ibi vllum eſſe, nunquam docebunt. Facito tamen ex Patrum ſententia, in Euchariſtia multa eſſe miracula: an tu ſtatim effeciſti, eos ſtatuere Tranſubſtantiationẽ? Iidẽ teſtificati ſæpè ſunt ingentia miracula eſſe in Baptiſmo: at de Tranſubſtantiatione vlla, quæ ibi fiat, nihil dicunt. Sed Inconſtantius, quicquid in hoc ſacramento audit eſſe miraculoſum, ſtatim putat eſſe Tranſubſtantiationem.

Miracula debent eſſe manifeſta.

Primùm audiamus Irenæũ, quem ante alios producit in aciem. *Quomodo*, inquit, *conſtabit eis, illum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini ſui & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant: id eſt, verbum eius per quod ligna fructificant, defluunt fontes, dat primùm quidem fœnum: poſt deinde plenum triticum in ſpicas?* Elicit ex his verbis Inconſtantius, probabilitatem veritatis Euchariſtiæ requirere

authorem

authorem Deum: verbum videlicet, eius, per quod ligna fructificant, & omnia producuntur. Quid si hoc prorsus falsum est? Certè Irenæus disputat ibi contra Martionem, qui negabat, fabricatorem mundi esse patrem domini nostri Iesu Christi. Quod si esset verum, nos in Eucharistia Deo patri nostro offerremus aliena, panem nimirùm & vinum. Illa enim sunt creaturæ fabricatoris mundi. Neque par est, vt panis, & vinum, quæ, vt Martion impiè docebat, sint opera mali Dei, sint etiam corpus & sanguis Christi. Esset enim illicita coniunctio, & quodammodò rerum alienarum vsurpatio. At si statuamus id, quod sac- literæ testificantur, ipsum verbum Dei Christum, seruatorem nostrum, pe- ctificant ligna, de fluunt fontes, datur -i fœnum, deinde spica: in hoc sacramento nihil erit absurdi. Dicimus enim, Christũ vsum esse suis rebus, pane videlicet & vino: & nos eadem illa Deo Christi patri, & nostro, iure offerimus. Ad illum enim, non autem ad malum principium, aut malum Deum, quem illæ pestes somniabãt esse fabricatorem mundi, illa pertinent. Atque hãc esse mentem & sententiam Irenæi, eius ipsius verba facile indicabunt. Sic enim scribit, vt aliquantò altius repetam, quàm Inconstantius: nam ille de industria sentẽtias patrum adducit truncas & mutilas. *Oportet*, inquit, *nos oblationẽ Deo facere, in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo in sententia pura & fide, sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, primitias offerentes earum, quæ sunt eius creaturarum. Et hanc oblationẽ Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Iudæi autem iam non offerũt. Manus enim illorum sanguine plenæ sunt. Non enim receperunt Verbum, per quod offertur Deo. Sed neq; omnes hæreticorum synagogæ. Alij enim alterum præter fabricatorem dicentes patrem, ideò quæ secundum nos creaturæ sunt, offerentes ei, cupidũ alieni ostendũt eum, & aliena concupiscentem. Qui verò ex defectione & ignorantia, & passione dicunt, ea facta, quæ sunt secundum nos, & ignorantiæ, & defectionis, & passionis fructus offerentes, peccant in patrem suum, contumeliam magis ei fabricantes, quàm gratias agentes.* His verbis statim annectitur id, quod citat Inconstantius: quod hinc omninò, non aliunde oportet intelligi. Recenset duo genera hæreticorũ, exclusis Iudæis: à quibus testatur iustâ Deo oblationẽ nõ offerri. Et Iudei quidẽ repellũtur, quòd cœlestẽ Christi doctrinam nõ receperint. Alij verò volebant pro consuetudine Ecclesię offerre panem & vinum. Ex illis autem, qui authorem creaturarum faciebant Deum malũ, & principium, nescio quod, aliud quàm patrem domini nostri Iesu Christi, & nostrum, aliena offerunt Deo patri, vt ipsi credunt. Panis enim & vinum ad fabricatorem mundi pertinẽt, qui ea produxit. Deus ergo pater non potest gratam habere huiusmodi oblationem, vt qui nolit alienarum rerum vsurpator, & cupidus haberi. Alij verò, qui non statuunt aliud principium, sed creaturas manare putãt ex defectione, ignorantia, & passione, nullam inire possunt gratiam apud Deum, cùm illi offerant panem & vinum: imò contumeliam illi potius nõ vulgarem faciunt, cùm illi fructus, non ipsius, sed rerum tam viliũ, & abiectarum offerant. Quid enim illi gratias agunt, si ille ea non produxerit? Gratiæ de beneficijs illi agendæ sunt, qui ea contulit. Nam qui ea non dedit, derideri se putabit, si videat sibi de illis agi gratias Hîc ea sequuntur, quæ attulit Inconstantius: Quomodò autem cõstabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse domini, & calicem sanguinẽ eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant? Id est, Verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, & dat primùm quidem fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. Hucusque Irenæum citat inconstantius. Tu autem Lector, non dubito quin iam videas, quid sibi Irenæus voluerit. Non enim quærit probabilitatem veritatis Eucharistiæ: quasi in ea fiant ita magna miracula, vt credi non queant, nisi potentia Verbi, quo omnia fructificant, interponatur. Nihil vnquam tale Irenæus cogitauit. Huc tantùm ille spectat, vt concludat, solam Ecclesiam ritè offerre cœlesti patri panem & vinum, vt fiant corpus & sanguis Christi eo modo, quo sæpè iam diximꝰ: quòd ea credat, has omnes creaturas à Deo per Verbum suum esse creatas. Itaque Irenæus, paucis quibusdam interpositis, institutum suum ita concludit. *Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant ab offerendo ea, quæ prædicta sunt. Nostra verò sententia omninò consonans est Eucharistiæ. Et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei, quæ sunt eius.* In eo proculdubio hallucinatus est Incõstantius, quòd locum totum non legisset. Fortasse, vt fit, putauit operis illis suis satis fuisse credere. Et idcircò, quod Irenæus ait, *Quomodò eis constabit eum panem, in quo gratiæ actæ sunt*, et cetera, id retulit ad probabilitatem veritatis: quasi ea res tam esset creditu difficilis, vt nisi potentia Verbi accederet, cuius vi miraculum Transubstantiationis factum putaretur nullo pacto quisquam esset crediturus: cum tamen Irenæus in toto hoc loco de potentia Dei nullam faciat mentionem, qua panis & vinum transubstantientur in corpus & sanguinem Christi. Non potest, inquit, illis constare Eucharistia, id est, illam iure non habebunt, nisi creaturas panis & vini à Deo, quem colimus patre domini nostri Iesu Christi conditas fateantur & credant. Vides ergo Lector, sententiam Irenæi satis iam claram esse, eamque ad rem præsentem nihil facere. Hîc enim quæritur de nostro isto portento Ttransubstantiationis, non de creatione rerum.

Sed hîc mihi paulùm cõsidera ex testimonio huius ipsius patris, quantam plagã accipiat causa Inconstantij. Primũ ait, Ecclesiam creaturas istas offerre Deo, panem, videlicet, & vinũ Ex quo intelligere quiuis potest, patres nõ putasse se corpꝰ Christi offerre in Eucharistia, sed ab vsurpatione panis & vini primũ natam fuisse vocẽ oblationis: qua tamẽ voce multi posteà pa-

Sed quoniam video Inconſtantium tantopere contendere, vt vox illa Panis in ſexto Iohannis referatur ad ſignum ſacramentale, atque ita Tranſubſtantiatio à Chriſto attingatur, etſi id verum non eſt, facito tamen eſſe verum. Ex iſta ſophiſtica quid, quæſo, ſequitur? Illud certè, Panem illum eſſe corpus Chriſti. Dominus enim ait de illo pane, Caro mea eſt. Tu autem perpetuò clamas, prædicatum non de pane, ſed de, neſcio quo, Indiuiduo tuo vago dici. Hic vt tuam ſequaris interpretationem, cogeris, velis, nolis, fateri, carnem domini prędicari de ipſo pane. Quò ergo nunc fugit, quò euaſit Indiuiduum tuum vagum? Certè ab iſta tua noua ſententia longè vagatur.

Sed quia videt nos nominatim oppugnare trâſubſtantiationẽ, & ſentit, ſe nullâ oſtendere poſſe vel admirationem, vel interrogationem, vel doctrinam de illa in diuinis literis traditam, experiri tamen vult, an poſsit eam concludere à genere, vt ait, ad ſingula. Id autem genus argumenti, quàm ridiculum, & infirmũ ſit, quiuis puer facilè videre poteſt. Facito, Diſcipulos generatim admiratos eſſe myſterium Euchariſtiæ. An idcircò ſtatim confectum eſt eos admiratos eſſe tranſubſtantiationẽ panis? Prudentes Dialectici non ita ſolent argumentari, vt à re communi ad contractam deſcendant affirmando. Nam ex admiratione, quæ multis de cauſis potuit euenire, iſte hoc tantùm vnum vult conficere, eos miratos eſſe, panem aliquando eſſe tranſubſtantiandum in carnem Chriſti: quod nihil aliud eſt, quàm ex genere concludere velle ſpeciem.

Argumentum nõ eſt bonum ab vniuerſali ad ſingulare affirmãdo.

Sed videamus, quò iſte porrò pergat. Ait, *Diſcipulos, etſi multa mirarentur, auſos tamen non fuiſſe Chriſtum de illis quicquam interrogare.* Verùm addendum fuit, ſi quid eſſet creditu neceſſarium, id Chriſtum illis vel non interrogantibus explicuiſſe. Vos autem ea neceſsitate adigitis homines ad credendam veſtram Tranſubſtantiationem, vt, ſi quis contrà ſentiat, eum è veſtigio comburatis. Sed cur tabulas veſtras, cur oracula Dei in apertum non profertis? Cur iſtam doctrinam à Chriſto traditam, ab Apoſtolis promulgatam, ſacris literis confirmatam non oſtenditis? Poſteà dat manus quodammodò, & fatetur, Apoſtolos iſtam Tranſubſtantiationem non fuiſſe miratos: cur autem non fuerint mirati, adfert cauſas. Primùm, inquit, cùm traderetur Sacramentum, non obſtupuerunt, quòd iam anteà de illo fuiſſent edocti. At vbi? Si dicas, quod neceſſe eſt, in ſexto Iohannis, ergo iam anteà intellexerant, ſe ſpiritualiter comeſturos eſſe carnem Chriſti: quam ad rem nec Tranſubſtantiatione, nec reali præſentia opus erat. Itaque cùm hoc intelligerẽt, quomodò ſtupere potuerunt. Bonitatem autem, & clementiam, & ſummam illam humanitatem Chriſti eos admiratos eſſe non negauerim: cùm viderent illum ſempiternam memoriã mortis ſuæ in ſacramento inter homines extare voluiſſe. De iſta verò Tranſubſtantiatione, quæ nec cernitur, nec docetur vſ piam, non eſt credibile illos quicquã cogitaſſe.

Neceſsaria creditu, Chriſtus Apoſtolis explicuit.

Addit ex Chryſoſtomo, *Chriſtum de illo pane & calice prægustaſſe, quò ſuos ad idem faciendum induceret: ne myſterij magnitudine deterriti abſtinerent.* Quorſum autem iſta pertineant, ne ipſum quidem Inconſtantium arbitror ſatis intelligere. Nam ſi prius erant edocti, & animo iam ſatis pacato, prægustatio Chriſti admirationem depellere non potuit, quæ nulla erat. At ſi dicas, eos non ità plenè fuiſſe inſtructos, vt ſtupor planè omnis abierit, ideoque Chriſtum ad extirpandas reliquias prægustare illis voluiſſe, adhuc tamen quæro, qua ratione concludatur, ſublatam fuiſſe admirationem de Tranſubſtantiatione panis & vini, cùm Chriſtus illa prægustaſſet. Vis argumenti hoc petit, Quomodò in ſcripturis ſanctis nulla nec admiratio, nec interrogatio legatur de re tanta. Inconſtantius reſpondet, quod Chriſtus Diſcipulis ſuis prægustaſſet. Hoc quidem, vt Chryſoſtomus ait, inducere potuit Apoſtolos, vt ſimul ederent, ac biberent. Admirationem autẽ de Tranſubſtantiatione augere potuiſſet potius, quàm minuere: præſertim cùm iam vidiſſent, Chriſtum ipſum corpus ſuum comediſſe. Oportet Inconſtanti, vt cauſæ cum effectis aptius cohæreant, ſi quid ex illis velis rectè concludere.

Sed ijs omiſsis, quæ ait ſe tantùm generatiuè dixiſſe, quęque ait ſatis facere poſſe hominibus pijs, oſtendere etiam vult ex Patrum ſententijs, quantam illi potentiam Dei, quantam vim, quantam efficientiam in hoc ſacramento efficiendo annotauerint. Non diſcedit à more ſuo. Rogatus enim de ſcripturis reſpondet de Patribus: quos nemo eſt, qui neſciat, dum in ſuis illis hyperbolis, & exaggerationibus multi, vel potius toti ſunt, prædicare multa, & ingentia miracula in Euchariſtia. Sed ea verbis tantùm ornant, re ipſa nulla proferunt. Ea enim, quæ verè dici poſſent miracula, aſpectabili quadam euidentia ſenſibus ita ſeſe offerũt, vt doctrinæ ſpiritus ſancti, & diuinis oraculis poſsint fidem facere. Quare huius ſacramenti magnitudinem, & laudes efferant Patres, quantum volunt. Miraculum autem propriè ibi vllum eſſe, nunquam docebunt. Facito tamen ex Patrum ſententia, in Euchariſtia multa eſſe miracula: an tu ſtatim effeciſti, eos ſtatuere Tranſubſtantiationẽ? Iidẽ teſtificati ſæpè ſunt ingentia miracula eſſe in Baptiſmo: at de Tranſubſtantiatione vlla, quæ ibi fiat, nihil dicunt. Sed Inconſtantius, quicquid in hoc ſacramento audit eſſe miraculoſum, ſtatim putat eſſe Tranſubſtantiationem.

Miracula debent eſſe manifeſta.

Primùm audiamus Irenæũ, quem ante alios producit in aciem. *Quomodo*, inquit, *conſtabit eis, illum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini ſui & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant: id eſt, verbum eius per quod ligna fructificant, defluunt fontes, dat primùm quidem fœnum: poſt deinde plenum triticum in ſpica?* Elicit ex his verbis Inconſtantius, probabilitatem veritatis Euchariſtiæ requirere

authorem

authorem Deum: verbum videlicet, eius, per quod ligna fructificant, & omnia producuntur. Quid si hoc prorsus falsum est? Certè Irenæus disputat ibi contra Martionem, qui negabat, fabricatorem mundi esse patrem domini nostri Iesu Christi. Quod si esset verum, nos in Eucharistia Deo patri nostro offerremus aliena, panem nimirùm & vinum. Illa enim sunt creaturæ fabricatoris mundi. Neque par est, vt panis, & vinum, quæ, vt Martion impiè docebat, sint opera mali Dei, sint etiam corpus & sanguis Christi. Esset enim illicita coniunctio, & quodammodò rerum alienarum vsurpatio. At si statuamus id, quod sac- literæ testificantur, ipsum verbum Dei Christum, seruatorem nostrum, pe- ctificant ligna, defluunt fontes, datur .i fœnum, deinde spica: in hoc sacramento nihil erit absurdi. Dicimus enim, Christũ vsum esse suis rebus, panem videlicet & vino: & nos eadem illa Deo Christi patri, & nostro, iure offerimus. Ad illum enim, non autem ad malum principium, aut malum Deum, quem illæ pestes somniabãt esse fabricatorem mundi, illa pertinent. Atque hãc esse mentem & sententiam Irenæi, eius ipsius verba facile indicabunt. Sic enim scribit, vt aliquantò altius repetam, quàm Inconstantius: nam ille de industria sentẽtias patrum adducit truncas & mutilas. *Oportet*, inquit, *nos oblationẽ Deo facere, in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo in sententia pura & fide, sine hyprocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, primitias offerentes earum, quæ sunt eius creaturarum. Et hanc oblationẽ Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura eius. Iudæi autem iam non offerũt. Manus enim illorum sanguine plenæ sunt. Non enim receperunt Verbum, per quod offertur Deo. Sed neq; omnes hæreticorum synagogæ. Alij enim alterum præter fabricatorem dicentes patrem, ideò quæ secundum nos creaturæ sunt, offerentes ei, cupidũ alieni ostendũt eum, & aliena concupiscentem. Qui verò ex defectione & ignorantia, & passione dicunt, ea facta, quæ sunt secundum nos, & ignorantiæ, & defectionis, & passionis fructus offerentes, peccant in patrem suum, contumeliam magis ei fabricantes, quàm gratias agentes.* His verbis statim annectitur id, quod citat Inconstantius: quod hinc omninò, non aliunde oportet intelligi. Recenset duo genera hæreticorũ, exclusis Iudæis: à quibus testatur iustã Deo oblationẽ nõ offerri. Et Iudei quidẽ repellũtur, quòd cœlestẽ Christi doctrinam nõ receperint. Alij verò volebant pro consuetudine Ecclesię offerre panem & vinum. Ex illis autem, qui authorem creaturarum faciebant Deum malũ, & principium, nescio quod, aliud quàm patrem domini nostri Iesu Christi, & nostrum, aliena offerunt Deo patri, vt ipsi credunt. Panis enim & vinum ad fabricatorem mundi pertinẽt, qui ea produxit. Deus ergo pater non potest gratam habere huiusmodi oblationem, vt qui nolit alienarum rerum vsurpator, & cupidus haberi. Alij verò, qui non statuunt aliud principium, sed creaturas manare putãt ex defectione, ignorantia, & passione, nullam inire possunt gratiam apud Deum, cùm illi offerant panem & vinum: imò contumeliam illi potius nõ vulgarem faciunt, cùm illi fructus, non ipsius, sed rerum tam viliũ, & abiectarum offerant. Quid enim illi gratias agunt, si ille ea non produxerit? Gratiæ de beneficijs illi agendæ sunt, qui ea contulit. Nam qui ea non dedit, derideri se putabit, si videat sibi de illis agi gratias Hîc ea sequuntur, quæ attulit Inconstantius: Quomodò autem cõstabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse domini, & calicem sanguinẽ eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant? Id est, Verbum eius, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, & dat primùm quidem fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica. Hucusque Irenæum citat inconstantius. Tu autem Lector, non dubito quin iam videas, quid sibi Irenæus voluerit. Non enim quærit probabilitatem veritatis Eucharistiæ: quasi in ea fiant ita magna miracula, vt credi non queant, nisi potentia Verbi, quo omnia fructificant, interponatur. Nihil vnquam tale Irenæus cogitauit. Huc tantùm ille spectat, vt concludat, solam Ecclesiam ritè offerre cœlesti patri panem & vinum, vt fiant corpus & sanguis Christi eo modo, quo sæpè iam diximꝰ: quòd ea credat, has omnes creaturas à Deo per Verbum suum esse creatas. Itaque Irenæus, paucis quibusdam interpositis, institutum suum ita concludit. *Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant ab offerendo ea, quæ prædicta sunt. Nostra verò sententia omninò consonans est Eucharistiæ. Et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei, quæ sunt eius.* In eo proculdubio hallucinatus est Incõstantius, quòd locum totum non legisset. Fortasse, vt fit, putauit operis illis suis satis fuisse credere. Et idcircò, quod Irenæus ait, *Quomodò eis constabit eum panem, in quo gratiæ actæ sunt*, et cetera, id retulit ad probabilitatem veritatis: quasi ea res tam esset creditu difficilis, vt nisi potentia Verbi accederet, cuius vi miraculum Transubstantiationis factum putaretur nullo pacto quisquam esset crediturus: cum tamen Irenæus in toto hoc loco de potentia Dei nullam faciat mentionem, qua panis & vinum transubstantientur in corpus & sanguinem Christi. Non potest, inquit, illis constare Eucharistia, id est, illam iure non habebunt, nisi creaturas panis & vini à Deo, quem colimus patre domini nostri Iesu Christi conditas fateantur & credant. Vides ergo Lector, sententiam Irenæi satis iam claram esse, eamque ad rem præsentem nihil facere. Hîc enim quæritur de nostro isto portento Ttransubstantiationis, non de creatione rerum.

Sed hîc mihi paulùm cõsidera ex testimonio huius ipsius patris, quantam plagã accipiat causa Inconstantij. Primũ ait, Ecclesiam creaturas istas offerre Deo, panem, videlicet, & vinũ Ex quo intelligere quiuis potest, patres nõ putasse se corpꝰ Christi offerre in Eucharistia, sed ab vsurpatione panis & vini primũ natam fuisse vocẽ oblationis: qua tamẽ voce multi posteà pa-

Irenæus testatur panẽ & vinum offerri Deo.

tres ita abusi sunt, vt videri possint voluisse dicere, in Eucharistia offerri corpus Christi. At qui illi ita prudenter orationem suam temperarunt, vt non semel apertè testati sint, se oblationem appellare oblationis monimentũ. Alterum, quod Inconstantium valde premit, est, quod Ierenæus dicat, panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus domini. Vbi igitur nunc est Incostanti, indiuiduum illud tuum vagum? Si corpus prædicetur de pane, certè pronomẽ illud, hoc, non vagum, nescio quod, indiuiduũ indicat, sed panem. Non satis callidè illum pro te testem citas, qui doctrinam tuam prorsus euertat. Nec illa tantùm verba Irenæi nouam istam doctrinam oppugnant, sed multò magis ea, quæ sequuntur: si totum locum diligenter consideres. Imò verò ipsa etiam Transubstantiatio verbis Irenæi planè tollitur. Ait enim, panẽ, in quo actæ sint gratiæ, esse corpus Christi. Quid hoc aliud, est quàm contra se ipsum citare testes? Quod autem Inconstãtius ait, Dei potentiam requiri ad hoc sacramentum conficiendum, id nos non inuiti concedimus. Scimus enim, non esse in hominis cuiquam potestate situm, vt Sacramenta instituat. Neque nos Eucharistiam statuimus talem figurã esse, quæ non sit sacramentum. Perspicuum ergo est, id in nos non quadrare, quod Inconstantius concludit in Arrianos: quasi nostra sentẽtia quicquã pro illis faciat. Citra omnẽ enim controuersiã nos ab illis longius dittamus multò, quàm Inconstantius cum suis Papistis ab Eutychianis. Sed pergit. *Et Cyprianus*, inquit, *sic scribit, Panis iste, quem dominus discipulis suis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro. Istis autem verbis tantam ait excitari admirationem, vt nulla excogitari possit maior. Neque enim maius quicquam est, quàm omnipotentiã Dei, qua ille panis à Cypriano dicitur esse mutatus.* Primùm, quoniam video, mihi rem esse cum homine obliuioso, vel potius cum eo, qui se de industria fingat obliuisci, idcircò repetam, ad instituenda sacramenta opus esse omnipotentia Dei. Ea enim nec vllo humano ingenio, nec vi vlla creata possunt fieri. Vnde omnipotentia Dei ex pane communi & vulgari fieri sacramẽtum, nec ambigimus, nec negamus. Figuram autem pristinam eum non abiecisse, tum sensꝰ, tum etiam scripturæ renunciant. Quid ergo in eo mutatum est? Certè natura, hoc est, proprietas, aut conditio. Est enim instrumentum spiritus sancti, aptum ad fidem nostram excitandam, & ad animos nostros in cœlum subleuandos, itque æterna vi Dei, vt cœlesti cibo & renouentur, & alantur. Habet iam ille panis nouam significandi efficaciam: est enim obsignatio quædam diuinarum promissionum: quod anteà non erat. Mutatus ergo est panis, cùm talem naturam, seu proprietatem suscepit. Vocabulum autem illud naturæ, hoc significare, ostendere possem multis optimorum scriptorũ testimonijs, si iudicarem esse opus. Sed illis omissis, satis nũc erit id docere è scripturis. Paulus ad Ephesios ait, nos esse natura filios iræ.

Papistæ ab Eutychianis parum aut nihil videntur distare.

Quomodo natura dicatur in panẽ mutata.

Natura interdum significat proprietatem seu conditionem.

Eo loco nemo vnquam tam cœcus fuit, vt vellet naturam, corporis aut animi nostri substantiam significare. Paulus enim tantùm intellexit vitiatas quasdam qualitates & conditiones, quas propter peccatum primi Adami genus humanum vniuersum subijt. Idem Paulus ad Galatas, *Nos*, inquit, *natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores.* Hic natura significare nõ potest substantiam. Nam, quod ad illã attinet, Petrus & Paulꝰ nihil differebant ab alijs peccatoribus. Paulus autem sensit proprietates, idque maximè animi, qua Iudæi religionis causa à reliquis nationibus differebant. Aut si id omninò velis referre ad corpus, non tamen vox illa corporis essentiam, sed stirpem, & ortum, à sanctis Patribus, quibus data erat promissio salutis, significabit. Quare cùm Natura etiam in scripturis significet cõditionem, aut proprietatem, nihil est, quòd Inconstantius iactet, Transubstantiationem suam ex mutatione naturæ necessariò probari.

Sed adhuc Inconstantius in eodem Cypriano se nactum esse quiddam arbitratur, quod ad rem suam mirabiliter faciat. Ait enim, *illum Martyrem in eodem sermone de cœna domini scribere, Inter Dominicæ mensæ conuiuas animalis homo non recipitur. Quidquid caro & sanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur. Nihil sapit, nihil prodest, quicquid humana subtilitas molitur humani sensus. Omne, quicquid à suis rationibus deuium videtur, sapientes huius seculi ad demẽtiam referũt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit.* Hæc videlicet, ea sunt, quæ sophista noster ex his verbis vult elicere. Primùm, admirationem non posse maiorem prædicari, quàm cum homines nihil eorum intelligant, quæ agantur: deinde iugulari argumenta omnia quæ à natura, à sensibus, ab experiẽtia contra Eucharistiæ veritatem confingantur: postremò, doctrinam de figura & signo prorsus refutari. Eam enim in se nihil altius continere, quàm quod sensus, & ratio possit assequi. Ad ista singula ego eodem ordine respondebo, quo sunt proposita. Quod ad primum attinet, homines nihil eorum intelligere, quæ agantur in sacra cæna, Cyprianus in vniuersum nõ potest dicere. Quis enim Apostolorum, qui domino assidebant, non sensit, eum accipere in manus panem & calicem, gratias agere Deo, frangere, diuidere? Ista eiusmodi fuerunt, vt à quouis homine quantumuis animali sentiri potuerint. At si agatur de spirituali perceptione corporis & sanguinis domini, quæ pro nostra salute danda, & effundenda erant, & tantùm fide capi poterant, & de sacramento, quod ad id institutũ est, vt esset instrumentum spiritus sancti, qui quod animo & mente subueheremur ad cibum & potionem viuifici pastus, ista inquam, ista animalis homo non potest percipere: quod satis videre possumus in Capernaitis. Nam illi, cum audirent dominum de carne sua edenda, & sanguine suo bibendo differentem, nihil eorum potuerunt intelligere: imò abierunt grauiter offensi. Verùm hic est error perpetuus

Quæ in Eucharistiæ percipiat animalis homo.

petuus Inconſtantij, vt quicquid Patres admirationis tradunt eſſe in hoc negotio, id omne ad realem præſentiam, & ad Tranſubſtãtiationem ſuam referat. De re autem ipſa, de ſpirituali manducatione & potione, de fructu & inſtitutione ſacramenti, de fide, de motu ſpiritus ſancti, de mutatione noſtri, & animi ſubleuatione in cœlum, putat Patres nihil vnquam cogitaſſe. Sed legat attentè Chryſoſtomum cùm loquatur de Baptiſmo. Nam ille certè in Baptiſmo quoque miracula conſtituit: & homines animales ab eo excludit, non minus, quàm Cyprianus ab Euchariſtia. Quid? an ibi quoq; Tranſubſtantiationem aquæ, & realem preſentiã corporis Chriſti ſtatuemus? Fatemur quidem, ſpiritualem Chriſti perceptionem, quam habemus in cœna, ſuperare omnes humanos ſenſus: non ita tamen, vt externi ſenſus ludificentur in illis, circa quæ verſantur.

In altero autem, quod ex Cypriano elicit, videat ipſe, contra quos illud iaciat, De illis loquitur, qui contra Euchariſtiæ veritatem diſputant: At nos certè illi non ſumus. Tuemur.n. veritatem Euchariſtiæ. Inconſtantij quidem, & Papiſtarum furores, & ſomnia exagitamus: Contra ſacramentum autem à Domino inſtitutum nihil vnquã diximus. Contra Tranſubſtantiatorum & Καρνοφόρων portenta diſputamus: contra quos veriſimè dicimus, & verbum Dei, & ſenſus, & naturam dicere clariſſimum teſtimonium.

Quod autem ad tertium attinet, quis non miretur iſtum dicere, paruam dignitatem à Chriſto collatam eſſe ſymbolis, ſi verum ſit, quod nos defendimus? Nam an parum videtur eſſe, illa & ſignificatione, & vſu, & officio æquare verbo Dei? Si infideles vim & dignitatem ſermonum Dei aſſequerentur, protinus ad noſtram religionem accederent. Sed quoniam ea putant eſſe communia tantùm verba, & ab hominum ſermonibus nihil habere alienum, idcircò ea contemnunt, & pro nihilo habent. Ita iſte Patrologus, cùm excellentiam ſacramentorum non intelligat, ideò nullam in eis putat eſſe dignitatem. Quàm autem verba Dei parui faciat, quibus in mundo nihil habemus pretioſius, apparet ex eo quod ita ſcribit: *Quin & illa de figura doctrina reprobatur, quæ nil habet altioris ac reconditioris myſterij, quàm vt eorum, quæ verbo audibili vera didiceramus, ſymbolorum, verbo viſibili memoria refricaretur. Nam fides ex auditu fuit, quæ nunc etiam per oculos ſibi aditum parat, vt meditemur iam cognita & intellecta.* Putat Inconſtantius perparum eſſe, quòd fides, qua viuimus Deo, & iuſtificati ſumus, quemadmodum extitit, & aucta eſt verbo Dei, ita etiã fouetur, erigitur, & creſcit ſacramento Euchariſtiæ. Cùm non vereatur iſta effutire de ſacramento, facilè oſtendit, quid ſentiat de verbo Dei. Atqui Paulus Verbum ait eſſe virtutem Dei ad ſalutem omni credenti. Quòd ſi ſacramenta æquant dignitatem verbi, quo illis virtus Dei ſeſe adiungit, non video, quę altiora aut reconditiora myſteria Inconſtantius deſideret.

Deinde ſumit ſibi, quaſi ſuo iure, vt ſolet, nos in pane & vino ſolam figuram conſtituere. Atque id à carnali ratione ait non eſſe alienum. Si nuda illa figura ab hominibus fuiſſet inuenta, eſſet aliquo modo probabile, quod ait. At cũ eam Deus inſtituerit, & ad vſum Spiritus ſancti accommodauerit, eiusq; dignitatem æquauerit cum dignitate verbi ſui, ea, mihi crede, ab animalium hominum ſenſu non poteſt nõ videri aliena. Si huius ſycophantæ ſannas & ſcõmata recipimus, quid Baptiſmo, quid Circumciſioni, quid reliquis Veterum ſacramentis relinquetur dignitatis? tamen in illis cæremonijs Deus ipſe in Deuteronomio teſtatur incredibilem fuiſſe ſapientiam. Sacrificia illa Patrum ſæpe dicta ſunt ſancta ſanctorum: & Baptiſmus ab orthodoxis ſcriptoribus miris ſępe encomijs celebratur. Figuras tamen illa fuiſſe, negari non poteſt. Quare ſacrificia non debebant eo nomine ab iſto Thraſone tam ſuperbè, ne dicam, tam impiè & imprudenter contemni. Quòd ſi dixerit, figuras eas non fuiſſe inanes: cur non ita nos quoq; patitur reſpondere? Figura, vti ſuprà me dixiſſe memini, ex eo genere rerum eſt, quę referuntur ad aliud, neq; ſine eo, ad quod referuntur, poſſunt intelligi. Dicat nunc mihi Inconſtantius, an vis mortis Chriſti, quæ ſacramento Euchariſtię ſignificatur, & paſtus potioq; cœleſtis ab homine animali, poſsit intelligi? certè ab homine animali, qui fide, & ſpiritu careat, non poteſt. Niſi enim rem ſignificatam intelligat, vim figuræ nunquam capiet. Neque quenquam puto ita modeſtum eſſe, vt riſum teneat, qui attentè cõſideret iſtorum ſophiſticam Rhetoricam. Extenuant quanta maxima poſſunt eloquẽtia vim ſignificandi, quæ propriè attributa eſt ſacramentis, vt præſentiam iſtam Chriſti corporalem, quam ipſi commenti ſunt, amplificent. Atque ita ſua inuenta inſtituto Dei grandi ſpacio præferunt.

Figura eſt ex relatiuo rũ genere.

Poſtea ait, Capernaitas putaſſe amentiam eſſe, quòd Chriſtus dixiſſet, ſeſe daturum carnem ſuam ad manducandum. At qua fronte poteſt iſte Capernaitas accuſare amentiæ, cùm ipſe vnà cum ſuis ruat, etſi non in eundem errorem, tamen certè in ſimillimum? Nam quod illi ex verbis Chriſti perperam colligebãt, corpus eius re ipſa, vel vt ita dicam, corporaliter & realiter comedendum eſſe, id iſte vt à ſe prudentiſsimè intellectum fortiſsimè propugnat.

Iam ordine videamus, quid dicat Athanaſius. Ille quod Chriſtus ait, *Verba quæ loquor vobis, Spiritus & vita ſunt*, idem valere ait, ac ſi diceret, *Quod quidẽ oſtenditur oculis, ac datur pro mundo, dabitur alimonia, vt ſpiritualiter hæc in vnoquoq; digeratur, fiatq; omnibus conſeruatorium ad reſurrectionem æternæ vitæ.* Hæc verba Athanaſij Inconſtantius ait eſſe admiratione pleniſsima. Sed ab ingenio ſuo non diſcedit. Qua enim eſt impudentia, eos pro ſe citat teſtes, qui contra ipſum apertiſsima dicant teſtimonia. Quare pauca iſta verba Athanaſij mihi paulò videtur altius repetenda. Sunt autem in eo libro, qui

inscribitur, De eo, quod dictum est in Euangelio: *Quicunq; dixerit verbum aduersum filium hominis. Hoc vos scandalizat? Si igitur videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius. Spiritus est, qui viuificat: Caro non prodest quicquam. Verba, quæ ego loquutus sum vobis, spiritus sunt, & vita. Et hic, siquidē vtrunque de se prædicauit, carnem & spiritum, & spiritum à carne distinxit: vt non tantum quod videbatur, sed hoc etiam, quod in illo erat inuisibile credentes discerent, quod ea quoque, quæ loquebatur, non erant carnalia, sed spiritualia. Quod enim corpus suffecißet hominibus ad escam, vt hoc totius mundi fieret alimētum? Sed hac de causa meminit ascensus filij hominis in cœlum, vt corporalem cogitationem ab eis auelleret: & posthac discerent, carnem de qua fuerat loquutus, cibum è supernis, cœlestem, & spiritualem alimoniam ab ipso dari. Quæ enim dixi vobis, spiritus sunt, & vita.* Statim post ista sequuntur illa, quæ adducit Inconstantius. Nec sanè difficile est, eum ex illis ipsis, quæ citauit, confutare. Athanasius enim clarissimè loquitur: Dabitur alimonia, vt spiritualiter in vnoquoque digeratur. Nam primùm, quod ait, spiritualiter, id verba Athanasij in nostram sententiam prorsus trahit. Deinde, cùm subijcit alimoniam illam in vnoquoque nostrùm digeri, ea metaphora satis, quid velit, indicat. Cibus enim absque coctione non digeritur. Id autē de vero & reali Christi corpore vel cogitare, nefas est. At si ea, quæ paulò suprà ab eodem Athanasio dicta retulimus, præsius consideres, facilè videbis, quàm ruinoso fundamēto iste nitatur. Primùm quēadmodum in Christo fuit quiddam aspectabile, quod caderet sub sensus, aliud autem quiddam interius omninò spirituale, quod sentiri non posset, sed tantùm comprehendendum esset fide: ita verba Christi sensum alium habere externum, satis crassum, & animalem: alium autem interiorem, reconditum, & spiritualem. Hoc satis indicat, illum non sensisse pastum corporis Christi de re ipsa, & substantia, quæ corporis ore, vt Capernaitæ iudicabant, comedatur, sed de communicatione animi interna, & spirituali. Nā alioqui, inquit, si corpus Christi eo modo, quo Capernaitæ somniabant, esset comedendum, quot illud hominibus suffeciisset? Certè pauciſsimis. Quare, cum illud institutum sit ad alimoniam totius mundi, hunc esum oportet ad fidem, & spiritum pertinere. Et addit, hac de causa Christum fecisse mentionem de ascensione sua in cœlum, vt illos à carnali cogitatione auelleret. Hæc genuina est interpretatio verborū Ioannis: ac si dominus dicat, Vos existimatis carnalem fore pastū mei corporis. Sed nihil erit tale. Vos enim ipsi videbitis corpus meum subduci in cœlum. Hoc loco dissimulare non possum, illos vehemēter errare, & sentire contra omnem veterem Eccle siam, qui corpus Christi putant iam vbique diffusum esse. Nam, si esset, vt illi statuunt, infinitum, omnibus hominibus, & orbi vniuerso, etiam si corporaliter ederetur, esset satis. Quod tamen Athanasius, vt audiuimus, habet pro absurdo. Athanasius ergo nihil iuuat Inconstantij, & Papistarum causam: imò potius eam prorsus euertit. Quid autem perceptio Eucharistiæ faciat ad resurectionem, & suprà diximus, & posteà suo loco dicturi sumus. Nunc redeundum est ad Inconstantij testimonia. Nam ex Athanasio nihil habet, quod ad Transubstantiationis portentum quicquam faciat.

Locus ex Ioanne.

Contra vbiquitatē corporis Christi.

Emissenus autem, inquit, huius Sacramenti constitutionem, & admiratur ipse, & accedentes ad altare vult mirari. In illis verbis Emissēni, quicunq; tandem ille fuerit, nihil habet Inconstantius, quod ouet: multò minus, quod triumphet. Illa enim, vt sępissimè fit in scriptis patrum, suam secum coniunctam habent interpretationem. Primùm ait, ista fide æstimanda esse, & interioris hominis affectu. Fides autem qua vtimur in hoc mysterio, duo potissimùm spectat: primùm vt filium Dei credamus pro nobis rraditum: deinde, vt eum ita traditum, et affixum cruci credamus esse cibum nostrum & potum spiritualem, quo ad æternam vitam sustentemur: quod Christus & testatus est in sexto capite Ioannis, & cùm instituere Sacramentum Eucharistiæ, repetijt. Hoc illud est mirificum quod patres ita vehementer prædicant: mirantur enim externa ista symbola naturæ alioqui futilis & caducæ, in eum honorem adducta esse, vt Deus iam illis vti velit ad nos iuuandos, & salutariter alendos. Quod verò aut Emissenus, aut alij patres interdum dicunt, bonitatem, & potentiam Dei requiri ad Sacramenta, id nobis nec ita durum videtur, nec ita nouum. Imò cùm aduersarij contra nostram sententiam obijciunt nobis, figuram esse rem leuem ac tenuem, nos vicissim illis naturam, & dignitatem Sacramentorum tanquā rem eximiæ præstantiæ regerimus.

Quid spectet fides in Eucharistia.

Miraculis autem, quæ prædicant De Eucharistia, vt suam constituant Transubstantiationē, obijcimus illa miracula, quæ à patribus prædicantur de Baptismo: in quo nulla fit aquæ mutatio, quod quidem ad physicas conditiones attinet. Fatemur etiam alimoniam corporis Christi, quam spiritualiter percipimus, prædicari interdum à patribus, vt rem maximè admirabilem: non autem transubstantiationem istam panis, quæ nulla est. Et certè patres mutationem panis conferre solent cum mutatione nostri: quod satis apparet ex istis verbis Emissēni. Quis autem sanus dicat, nos in Baptismo substantiam, & naturam nostram abiecisse? Mutamur tamen toti prorsus & animo & corpore, & ex hominibus profanis efficimur homines Dei. Naturam tamen, & substantiam eandem, quam prius habuimus retinemus. Quemadmodum autem verba illa Emissēni non probant Transubstantiationem, ita non concludunt corporalem præsentiam. Præterquam enim quòd ait, hæc æstimanda esse fide: & affectu interioris hominis, addit etiam, Sacrū Dei tui corpus fide respice, mente continge, cordis manu suspice, haustu interiori assume. Nos quidem ad nostram sententiam confirmandam non aliam dicendi, aut scribendi

bendi formulam deligeremus. Atque hæc ad priorem partem Emisseni possunt esse satis.

Postea subdit, *Quid mirum est, si ea quæ verbo potuit creare, verbo possit creata conuertere? Imò non minoris videtur esse miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur, iam conditum in melius valeat commutare.* Hæc Inconstantius ad transubstantiationem probandam rapit. Sed quod sæpius iam diximus, id etiam nunc sibi responsum putet. Si Emissenus talem statuat mutationem panis & vini, qualis est in nobis ipsis, cùm in regeneratione conuertimur in homines Dei, cum eo nihil pugnamus. Atque adeò ita eum sensisse suspicamur. Sin ea ad vestram transubstantiationem referat, cùm eam non habeat è sacris literis, per me sanè vnà vobiscum valeat. Sed hoc etiam addendum est, vocem illam Miraculum, non aliter hic accipi oportere, quàm quomodo suprà explicuimus.

Postea succedit Epiphanius. *Is quoq;*, inquit Inconstantius, *magnitudinem miraculi veluti certò ab omnibus illis temporibus creditam ducit in argumentum. Epiphanius eo loco ait, hominem verè conditum esse ad imaginem Dei, licet sensu aut ratione vis illa similitudinis non possit animaduerti. Et addit, alia multa reperiri, quæ re vera aliud sint atq; videantur. Atque inter cætera hoc quoq; proponit de Eucharistia: & rectè quidem meo iudicio. Nam externo sensu, quod ad figuram, colores & quantitatem attinet, nihil videri potest in eo pane, quod habeat imaginem aut similitudinem corporis Christi. Superest ergo, vt ea similitudo à nobis credatur, vt quæ spiritu Christi & verbo eius sit obsignata.* Verùm hîc medius stringitur & tenetur Inconstantius. Epiphanius enim illud quod dicitur corpus Christi, ait esse rotundæ figuræ. Hic mihi respondeat, illa rotunditas qua de re prædicetur. Non certè de vago, nescio quo, indiuiduo. Illud enim figuram nullam habet. Nam postquam figura aliqua comprehenditur, statim desinit esse vagum. Est enim iam certum & comprehensum terminis. Fortasse dicet, accidentia esse rotunda. Esto: sed illa non appellantur, Hoc: sed numero multitudinis dici debuissent, Hæc. Restat ergo, vt Epiphanius dicat, panem esse rotundę figuræ. Voluit, inquit, per gratiam dicere, Hoc est corpus meum. Hanc prærogatiuam habet ille panis, quam Epiphanius vocat Gratiam, vt dicatur corpus Christi: non quòd substantia eius transeat in substantiam & naturam panis: sed quòd panis fiat sacramentum corporis Domini, idque ita verè fiat, vt qui non credat, excidat à gratia. Sed interea velim ex hoc tam solerti & subtili disputatore intelligere, quî possit Christus totus esse sensus & sensitiuus. An verò capilli etiam Christi sentiunt? An partes corporis humani, quæ sensu carent in alijs hominibus, in Christo sentiunt? Hoc etiam scire velim, quomodo, si Christus totus sit sensus, & sensitiuus, eius corpus frangatur in pane, vel in accidentibus panis, & dentibus commolatur, nec tamen doleat. Si totus est sensus & sensitiuus, id non videtur posse fieri. Nec facilè video, quemadmodum totus dicatur incomprehensibilis. Corpus enim Christi haud dubiè certis finibus terminatur: nisi fortè illud fingere velimus esse indiuiduum vagum: quod Inconstantius somniauit de pane, quod nisi hominum cogitatione nusquam sit. Oro atq; obsecro Inconstantium per sophisticam suam, vt nos aliquando ista doceat. Quæ si fateatur, se non posse expedire, ego quoq; multo æquius respondebo, me in scriptis Patrum quædam interdum non intelligere: idque mea non multum referre, præsertim cùm salus nostra in verbo Dei, non in hominum sententijs sit collocata.

Sequitur Hesychius. Is, inquit Inconstantius, apertam facit mentionem miraculi in Leuiticum lib. 6. cap. 22. Sic enim scribit: *Sanctificationem mystici sacrificij & à sensibilibus ad intelligibilia rationem siue commutationem ei, qui verus est sacerdos, videlicet Christo oportet dari, id est, ipsum de eis miraculū cedere & imputare: quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum tam sanctificata sunt, quàm cunctum carnis excedunt sensum.* Hæc verba diligenter nobis expendenda sunt. Nam quòd ait Hesychius, sanctificationem mystici sacrificij: per mysticum sacrificium intelligit panem: is enim appellatur mysticum sacrificium, quòd sit mysterium aut sacramentum veri sacrificij semel oblati in cruce. Quæ verò sit ista sanctificatio, per ἐκτύπωσιν interpretatur. Appellat enim translationem à sensibilibus ad intelligibilia. Iam enim physicas conditiones panis & vini non contemplamur, sed ex ea parte illa consideramus, qua sacramenta sunt, significantia corpus Christi pro nobis crucifixum, & sanguinem eius pro nobis fusum. Hæc sensu non cernuntur, mente tantùm per fidem intelliguntur. Neque enim natura sacramẽti sub sensum cadit. Hæc primorum verborum est sana intelligentia. *Quæ sit panis & vini sanctificatio.*

Sed priusquam longius progrediar, quæro ex Inconstantio: Istam sanctificationem, quam Hesychius commemorat fieri verbo Dei, ad quid censeat referendam, & quæ sint illa significata, quorum paulò pòst facit mentionem? Si dixerit, illa esse corpus & sanguinem Domini, illa certè semper sancta sunt, neque opus habent, vt quotidie verbo Domini sanctificentur. At si illa dicet esse panem & vinum, magis etiam mirabor, illa dici posse sanctificari, quæ abijciantur, & pereant, & prorsus esse desinât. Quod si manerent, & aliqua noua dignitate ornarentur, possent dici sanctificata. Tertium tantùm quiddam supereſt, quod respondeant, nimirum accidentia illa sanctificari: quod nemo sapiens putabit vnquam vel Hesychio, vel cuiquam Patrum venisse in mentem. Si enim hoc putassent, aliquando certè fecissent mentionem accidentium, quæ sine subiecto consisterent & seruarentur. Nam scholastici cùm id semel cœpissent credere, vsque ad nauseam de ea re disputarunt. De miraculo autem, quod Hesychius constituit, nihil dicam aliud, quàm quod responsum est antea.

Huc adscribit Inconstantius Ambrosium,

Sed quid quibus, inquit, *loquendi formis Ambrosius miretur, audiamus. Si ergo, inquit, tanta vis est in sermone Domini, vt inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud conuertantur?* Hæc verba Ambrosij commentum Transubstantiationis apertissimè refutãt, Ait enim, Sermonem Domini esse operatorium, vt siqt quæ erãt, & in aliud cõuertantur. Si panis & vinum sint ea post consecrationem quæ fuerant antea, manet haud dubiè illorum natura & substantia: quæ tamen nihilominus dicitur conuerti in aliud, quòd videlicet iam sacramenta sint, quæ prius non erant. Hoc verò potentia Dei & verbo fieri, quibus ijsdẽ rebus Mundus conditus est, Inconstantius non credit. Nam sacramenta fieri, & nos in homines Dei mutare posse putat tantùm humanis viribus. Nos verò, qui creaturarum infirmitatem probè nouimus, hæc omnia bonitati, gratiæ, & potentiæ Dei accepta referimus.

Adhæc Chrysostomus, inquit, *pleriq; in locis magnitudinem prædicat. Ex omnibus tamen, quod sequitur, videtur huic argumento maximè commodũ: Credamus vbique Deo, neque repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ videatur absurdum esse quod dicit. Superet & sensum & rationem nostram verbũ, quæso, ipsius: quod in omnibus, & præcipuè in mysterijs faciamus: non illa, quæ ante nos iacent, solummodò aspicientes, sed verba quoq; eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non possumus: sensus verò noster deceptu facillimus est. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus.* Duo ex istis verbis Chrysostomi Inconstantius proponit expendenda: primùm, eum monere, vt sensuum iudicium reprimamus, neque id statim reijciamus, quod illi videatur absurdum: alterum, cùm exigeret à nobis fidem, quam illis omnibus, quæ à Domino dicta sunt, habeamus. Video quidẽ quid Chrysostomus vrgeat: quid autem illud nostræ causæ tantoperè officiat, nondum video. Nam quid, quæso te, iudicare potest sensus de illis verbis, quibus Christus dixit, panem esse corpus suum, quod tradendum esset ad mortem? Rationem sacramenti, aut mysticæ significationis sensus nõ attingit: neque tantarum rerum quis vsus aut finis sit, potest suspicari. Quare nisi fides accesserit, sensus in his reb. facilè nos potest fallere. Is enim in illis, quæ proponuntur, nihil aliud videt, quàm panem & vinum. Requiritur ergo in hoc negotio fides, qua in Circũcisione opus erat, vt Patres crederent, eam pactum esse & fœdus initum cũ Deo. Eadem etiam necessariò exigitur in Baptismo: vt iuxta analogiam fidei credamus, illam tinctionem esse lauacrum regenerationis: quod certè sensus noster nullo modo potest percipere.

Sensus rationem Sacramẽti nõ attingit.

Sed præter ista, quæ à Chrysostomo in Matthæum hom. 83. dicta sunt, adfert Inconstantius alia ex eodem, homil. 45. in Iohan. Quo in loco ille Capernaitas reprehendit, qui nimis diligenter inquirẽtes, quomodo Christus daturus esset carnẽ suam manducandam, & sanguinem bibendum, rogarent, quomodo id posset fieri: quibus verbis prodebant incredulitatem suam. Illos ego infideles fuisse, nõ inficior. Sed eam formam interrogandi, vt suprà docui, nego semper ex incredulitate proficisci: video enim eam etiam à sanctissimis viris, salua fide, aliquando vsurpari potuisse. Quòd autem postea Chrysostomus ex miraculo panis, quem Christus auxit, vt aliquot hominum millia saturaret, conciliat fidem verbis Christi, id non aberrat ab ijs, quæ in sexto capite Iohannis agebantur. Illi enim redierant ad Dominum, vt ab eo rursus explerentur panibus. Christus autem ex occasione illius panis, quem illis antea dederat, cœpit illis spiritualem & cœlestem panem prædicare. Sed quia adduci non poterãt, vt crederent, carnem Domini aliquando esse spiritualiter comedendam, quomodo re vera intelligendum & credendum erat, Chrysostomus ait, id eos ex miraculo, quod paulò antè viderant, intelligere & credere debuisse. Sed quid hoc ad Transubstantiationem? Quòd si verba illa Domini è sexto Iohannis trahantur ad symbola, haud dubiè à genuino illorum sensu disceditur. Ibi enim Christus de spirituali tantùm esu suę carnis loquutus est, qui fide sola absque vllis symbolis perfici potest. Deinde si concedamus, illa intelligenda esse de Sacramento, credi poterat, Christum authorem fore illius instituendi ex ea virtute atq; efficientia, quam in faciendis miraculis exeruerat. Addit Inconstantius, Miraculum in institutione solius figuræ non fuisse necessarium. Ille credo, ne fortè videri possit sui dissimilis, perpetuò impingit nobis suum mendacium: quasi nos doceamus, Sacramentum solam & nudam figuram esse: cuiusmodi sunt illæ, quæ hodie finguntur à pictoribus & statuarijs. Chrysostomum autem habere quasdam interdum phrases violentiores, quas ne aduersarij quidem nostri velint ad verbum admittere, partim antea docuimus, partim infrà suo loco fusius explicabimus.

Chrysostomus interdum plus sesse videtur rei habet.

Deinde citat Cyrillum: *Cæterùm*, inquiens, *cum ijs, qui per naturam impossibile putant, quod de carne sua dixit Christus, ita agit Cyrillus: Si putatis carnem meam vitam vobis afferre non posse, quomodo tanquam volucris in cœlum ascendet? & quomodo per aera volabit? Hoc enim similiter generi humano impossibile est. Quòd si præter naturã caro mea in cœlum conscendet, quid prohibet, ne similiter præter naturam viuificet? Nam qui terrestre hoc corpus cœleste confecit, is etiam viuificum reddit, quamuis natura sua corruptibile fuerit.* Cyrillus hoc loco, qui est in Iohannem, libro quarto, capite vigesimo secundo, totus in eo est, vt ostendat, quomodo Christus probarit Iudæis carnem suam esse viuificam. Quoniam, inquit, tanquã volucris ascendit in cœlum: quod vim naturæ humanæ longè superat. Quare qui dedit huic corpori terrestri facultatem ascendendi in cœlum, is illud reddidit viuificum: quamuis ex natura sua esset corruptibile. Hanc sententiam Cyrilli nos quoque fidelissimè retinemus: videlicet carnem

nem Christi habere vim viuificádi propter adiunctam naturam diuinam. Damus etiam coniunctionem diuinitatis quam credimus & prędicamus, & ascensione in cœlum, & alijs multis miraculis fuisse declaratam. Quanquam silentio prætereundum non est, quod suprà dixit Athanasius, quodque Inconstantius, cùm illum locum modò admodum citarit, tam cito obliuisci non potest, Christum mentionem fecisse Ascensionis, vt ostenderet, corpus suum spiritualiter, non corporaliter esse manducandum. Quare ex sententia istorũ duorum patrũ, duo ex illa commemoratione de Ascensione elicimus. Primum, pastum illum carnis Christi constare fide: quæ in res etiam absentes ferri potest. Iste ergo pastus omnino spiritualis est, nec aut Transubstantiatione, aut reali præsentia opus habet. Alterum est, quod Cyrillus ait, carnem Christi posse viuificare. Sed illud prius magis genuinum est, & verbis Euangelistę magis conuenit. Sed posterior etiam Cyrilli interpretatio potest non malè conuenire: quoniam illi dixerant, Patres nostri manducauerunt, & mortui sunt. Præterea quòd Cyrillus ait, corpus Christi sua natura fuisse corruptibile: dextrè intelligendum est. Christus enim nullum vnquam peccatum admisit, vnde naturali necessitate cogeretur mori. Quòd autẽ mortuus est, id ex dispensatione factum est. In eo etiam Inconstantius non leuiter hallucinatur, quòd quicquid in ijs verbis Cyrillus loquutus est de potentia Dei, id omne referẽdum putat ad institutionem Eucharistiæ: quod tamen à consilio Cyrilli prorsus est alienum. Ille enim agit de vi illa, & potentia, qua carnem Christi pollere ait ad nostram carnem viuificandum.

Cur Christus in 6. Ioannis mentionẽ ascensionis fecerit.

Quomodo corpus Christi fuerit corruptibile.

Sed addit, Cyrillum ista frustra dixisse, si Eucharistia non aliud sit quàm figura, & omnis illa sanctificatio peragatur spiritu. Quorsum ista? Obsecro. Panis & vinũ symbola sunt carnis & sanguinis Domini, quatenus viuificant. Hoc Cyrillus laborat, ne habeatur pro absurdo, illa, quę hîc significantur, & fide percipiuntur, posse viuificare: cùm illa caro, quæ repræsentatur, non sit nudi & puri hominis, vt Nestorius & Arrius docuerant: contra quos Cyrillus perpetuò dimicat. Sed ad hoc quid facit aut realis præsentia, aut Transubstantiatio? Disputatur porrò ibi, An caro Christi vim habeat viuificãdi. Iste autẽ omnia turbat, & susq; deq; rapit: & ridet eos, qui putant, istã sanctificationem spiritualiter perfici: quasi verò res ista sit carnalis. Nec videre vult, Christum, cũ ageret de mãducatione suæ carnis, semper nos reuocasse ad spiritum. Neq; nos istam actionẽ docemus tam esse spiritualẽ, quin & verba Scripturarum aut concionum, & sacra mysteria dicamus ad eam pertinere. Sciat ergo Inconstantius, Cyrillum huiusmodi strophis & cauillis non posse adigi, vt dicat illud, quod ipse eum vult videri dicere.

Augustinum ita citat: *Hoc quod videtis in altari Dei, etiam transacta nocte vidistis: sed quid esset, quid sibi velit, quàm magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo vidistis panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi: vinum est sanguis.* Rursus ex hoc quoq; testimonio Augustini Inconstantius grauius vulnus accipit, quàm putet. Primùm quod ait, Sacramentũ in Eucharistia contineri, nobiscũ facit. Re enim vera in Eucharistia sacramentũ est, hoc est signum rerum spiritualium. Deinde id, quod videtur, panem esse ait: quod & Transubstantiationi, & in primis Indiuiduo vago Inconstantij maximè aduersatur. Postea cùm rem presius interpretatur, ait, panem esse corpus Christi: quod nos quoq; certo quodá modo non negamus. Sed rursus quæro, si panis est corpus Christi, vbi est vestra Transubstantiatio? Neque enim Augustin. in ijs rebus oculos nostros falli dicit. Panis est, inquit, quod sensus quoq; vestri renuntiant. Sed addit, Sacramẽtum quoq; ibi esse, quod sensus nesciũt, fides tãtùm credit: idq; eiusmodi etiam sacramentum, quod sua quadam ratione sit corpus Christi. Non potuisset Augustinus verbis magis appositis Indiuiduum illud vestrum vagũ, & Transubstantiationem euertere. Figuram corporis Christi Inconstantius negat in Eucharistia contineri: Augustinum enim dicere, contineri in ea magnum sacramentum: idque eum explicare de corpore Christi. Ad quod ego ita respondeo, Sacramentum seu mysteriũ apud Patres interdum significare externa symbola: interdum res eas, quæ in symbolis referuntur. Hic Augustinus posteriori significatione dicit sacramentum, cùm dicat in pane & calice magnum sacramentum contineri: quod nos minimè inficiamur, modò verbum illud Contineri, ad significationem referatur, quod neque absurdum, neque alienum videri debet. Signa enim aliquo modo dicuntur significata continere. Nam quis neget in Sacris literis maxima contineri sacramenta? Vanissimum autem est, quod garrit de pañibus propositionis, illos quoq; fuisse figuram Christi: quasi verò veterum symbola cum nostris symbolis non possint vllo modo conferri. Certè vtrobique tam in Veteris, quàm in Noui testamenti mysterijs videre possumus signa & figuras, quamuis cum aliquo discrimine. Id autẽ toties iam antea monuimus, vt iam pigeat repetere.

Mysterij apud Patres duplex significatio

Signa dicũtur continere significata.

Huc addit Inconstantius testimonium Euthymij: *Habeo,* inquit, *ex Euthymio duo præclara loca. Nos, inquit, credamus vbiq; Deo, nec contradicamus, etiamsi quod ab eo dicitur, contrarium esse videatur nostris cogitationibus. Ita quoq; in adorandis mysterijs faciamus. Cumq; ille dicat, Hoc est corpus meũ. Hic est sanguis meus: pareamus & credamus. Siquidẽ etiam in Baptismo sensibilis quidem est aqua: sed intelligile donũ est regeneratio.* De verbis istis Euthymij minus laborandum censeo, quòd videam eum referre sensum & verba Chrysostomi: de quibus abundè iam dictum est. Hoc tamen vnum silentio prætereire non possum, id, quod ait, Non ea solùm quæ proponuntur, intuendum esse: maximè illustrare nostram sententiã.

Nam ſi caro & ſanguis Chriſti proponerentur nobis ſub accidentibus panis & vini, ea haud dubiè eſſent in primis intuenda. Ab illis verò, quæ proponuntur, Euthymius nos abducit, & monet vt credamus ſermonibus Chriſti. Ea enim, quæ Chriſtus ait ſola fide poſſe comprehendi. Quid autem debemus credere? Hoc videlicet eſſe illius corpus: &, Hoc eſſe illius ſanguinem. Credimus quidem iſta: nō tamen quaſi ea in pane & vino deliteſcāt: ſed eo modo, quo nomina ipſarum rerum conueniunt ſacramentis. Ita autem Euthymium ſenſiſſe, ea ſatis indicant, quæ ſequuntur. *Siquidem in Baptiſmo quoq;* inquit, *ſenſibilis quidem eſt aqua: ſed donum intelligibile eſt regeneratio. Quoniam enim in nobis anima conſerta eſt corpori, in ſenſibilibus intelligibilia tradidit nobis Deus.* Confert aquam Baptiſmi cum regeneratione, & ſimilem facit analoglam harum rerum cum illa, quæ eſt in Euchariſtia ſymbolorum ad carnem & ſanguinē Domini. Quare reſpondeat mihi velim Inconſtantius, vtrum exiſtimet, regenerationem noſtrā inuolutam eſſe in aquis, quibus Chriſtiani tingimur, an potius earum natura ſignificari. Reſpondeat etiam, vtrum illi, qui ficto animo & abſque fide accedunt ad Baptiſmum, aſſequantur regenerationem. Si hoc negat, cur illud ait, Infideles vnà cum accidentibus panis & vini recipere verum corpus & ſanguinē Domini? Sint vera verba illa Euthymij: ſit firma illa analogia: Corpus & ſanguis Chriſti ita contineantur in pane & vino, vt regeneratio noſtra continetur in aquis. Cumq; ea ab elemēto ſuo poſsit diuidi, vt alterum illorum abſque altero ſumi poſsit, idē fateamur in Euchariſtia quoq; fieri. At regeneratio, inquiet Inconſtantius, illis qui tinguntur, datur, & ab illis reipſa percipitur. Eſto: ita nos quoque fatemur, Corpus Domini haberi & accipi ab illis, qui rectè vſurpant ſacramenta. Sed hoc contendimus, ad illā perceptionem realem præſentiam non requiri. Satis enim eſt, vt corpus Chriſti animo nobiſcum per fidem coniungatur.

Quòd ſi quærat præterea, vnde fiat, quòd ipſam regenerationē concedamus realiter præſentem eſſe in Baptiſmo, & inhærere illis, qui fideliter vtuntur ſacramēto, quamuis ſub ipſis aquis non latitet, corpus autem Chriſti in Euchariſtia realiter adeſſe nolimus, neque tamen ſubſtantialiter à nobis percipi. Reſpondeo, quia nihil obſtat, quò minus multæ eſſe poſſint regenerationes. Imò tot ſunt, quot veri ſunt Chriſtiani, qui regenerantur. Corpus autem Domini multiplicari, aut in infinitum diffundi, quod hodie quidam ſtultiſsimè, ne quid grauius dicam, ſomniant, non poteſt. Hæc vera & iuſta eſt ratio diſcriminis. Accipimus ergo libenter id, quod dat Euthymius, nō eſſe hærendum in illis, quæ proponuntur: ſed fidem referendam eſſe ad Chriſtum, & quantum fieri poteſt, quantumq; verba Dei patiuntur, inter Euchariſtiam & Baptiſmum retinendam eſſe analogiam.

Citat alium etiam locū Euthymij in 6. Ioan.

Decertabant ergo Iudæi inter ſeſe dicentes: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? Turbabantur non potentes ſermoni credere, quòd hoc impoſsibile videretur. Nam cùm omnia ſecundum naturam inquirerent, nihil quod ſupra naturam erat, admittebant. Dixit ergo illis Ieſus: Amen, amen dico vobis, niſi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Illi quidem hoc impoſsibile iudicabant: ipſe verò omnino poſsibile oſtendit: neque id tantùm, ſed etiam neceſſarium: quod etiam fecit ad Nicodemum. Addit etiam & ſanguinem, ſignificans de pane & de poculo, quæ, vt dictum eſt, daturus erat diſcipulis in Cœna. In his Euthymij verbis tria ſunt annotādā. Primum, Capernaitas non potuiſſe intelligere, carnem Domini manducandā eſſe ad vitam, quòd rem omnem phyſica tantùm ratione metirentur: quaſi caro niſi ore, & morſibus corporis, & naturali traiectione non poſſet comedi: cùm tamen ſit alius modus credētium propriùs, quo modo illi per fidem complectūtur mortē Domini, atq; ita eius carne ac ſanguine ſpiritualiter ſaginantur. Hoc autem neq; intelligebant, neq; credebant Capernaitæ. Atqui ad iſtam tamen intelligentiam Chriſtus eos aduocabat, cùm diceret, Caro non prodeſt quicquam: ſpiritus eſt qui viuificat: cumq; ſuæ in cœlū aſcenſionis mentionem faceret, quemadmodum teſtatur Athanaſius. Alterum eſt, Oportere nos in Patribus conſiderare, illos abuti ijs locis, vt oſtendāt, carnem Chriſti poſſe viuificare: quod argumento erat, eum non fuiſſe purum nudumque hominem, cùm ſimplicis & puri hominis caro id efficere non poſsit. Itaque aiunt, Chriſtum dixiſſe, eſſe ſpiritum, id eſt, diuinam naturam, vnde id ipſius caro haberet: ita autē Chriſtum dixiſſe, vt oſtenderet, ſe non minus Deum eſſe quàm hominem. Capernaitæ verò cùm id non crederēt, eum abſurdiſsima loqui exiſtimabant. Poſtremò id quoque expendendum eſt, quod ait, Chriſtū ſimiliter dixiſſe Nicodemo. Ea enim mihi videtur omnium illorum, quæ iam allata ſunt, certa & euidens interpretatio. Nicodemo enim Chriſtus propoſuerat nouam generationem, vt rem ad ſalutē perneceſſariam. Ille autem cogitans realem & ſubſtantialem generationem, qualis ea eſt, qua effundimur ex vtero matrum, rem eam totam alienam putauit eſſe & abſurdam. Nihil autem illi de ſpirituali generatione, quam per fidem adipiſcimur, veniebat in mentem. Ex hoc ſimili de Nicodemo reſpondeat ſibi Inconſtantius. Vt enim ad nos regenerandos fide opus eſt, non phyſica ſubſtantia, aut partu mulierū: ita vt fide atq; animo comedamus & bibamus corpus & ſanguinem Chriſti, nihil opus eſt eius reali & ſubſtantiali præſentia. Inconſtantius verò tantùm generatim colligit, Euthymium docere magnitudinem myſterij: eam enim tantam eſſe ait, vt naturali ratione fieri nō poſsit. Id nos ſi rectè accipiatur, nō difficulter dabimus. Vis enim myſterij, quæ à Spiritu ſancto per illud operante omnino pendet, facultates naturę omnibus modis ſuperat. Neq; enim

res,

res, vt naturâ existunt, vi sua tanto commodo A hominibus esse possunt, quanto Christus panem, vinum & aquam cum verbo coniuncta nobis esse voluit.

Adhæc aduocatur huc etiam Damascenus. *Si igitur*, inquit Damascenus, *verbum Domini viuens est & efficax, &c. non potest panem corpus facere, & vinum & aquam sanguinem?* De Ioanne Damasceno nō decreui in præsentia omnia referre, quæ possem. Hoc vnum tantùm dicam, illū ita hyperbolicè, ne dicam portentosè loqui de B Eucharistia, vt neq; Inconstantius, neq; alius quispiam ex omni grege Papistarū tam impudens sit, vt eius dicēdi formulas velit recipere. An.n. dares tu vnquā Incōstanti, Deum fecisse panem corpus suum, & vinū sanguinē? Si concedis, vbi est tua illa Transubstātiatio? Si abit, vt tu dicis, forma & substantia panis, nō panis fit corpus, verùm ex pane, id est post panem fit corpus: nec vinū fit sanguis, sed ex vino, id est post vinū fit sanguis. Nam cū homo fit doctus, C aut diues, manet certè eius essentia: & lignum, cùm fit arca aut statua, naturā suam & substantiam retinet. Nō potuisset vnquā Damascenus alijs verbis vestram Transubstantiationē fortius oppugnare. Quod autē dicit, verū esse non potest, nisi propositio sit metaphorica: vt, quēadmodum quispiam modò fit iustus, modò diues, modò pulcher, ita panis & vinū fiant corpus & sanguis Christi, cùm retinētia naturam suam, quam prius habuerunt, subeunt rationē D sacramenti. Et quemadmodum in Exodo scribitur de Agno paschali, Occidite Pascha: cùm tantùm offerendum esset sacramētum paschatis: & quemadmodum Christus ait, se velle comedere pascha, cùm esset sacramētum tantùm paschatis comesturus: ita panis fit corpus Christi, & vinum sanguis eius, iuxta phrasin & loquendi rationē & Damasceni, & aliorū Patrum. Ad ea verò, quæ spectant ad admirationem & potentiā Dei, quæ in istis verbis Incon- E stātius annotauit, nihil est, quòd multa respondeam. Satis enim fusè suprà non vno loco ostendi, quid in hoc sacramento patres fuerint admirati, quoq; retulerint potentiam illā Dei. Quòd si noster sophista contendere velit, illos aliter sensisse, aut legat alios illorū locos, in quibus videri possunt sententiam suam satis explicuisse, aut alias etiam omnes illorum locutiones sine aliqua mitigatione aut exceptione recipiat. Quòd si æquissimis istis legib. stare nolit, eum ego cum suis patribus valere iubeo. F

Nos à principio huius argumenti Scripturas postulauimus ab Inconstantio, quæ nobis nouum istud miraculū Transubstantiationis prædicarent, & docerent, fuisse aliquos, vnum saltem aut alterum, qui hoc portentum in Eucharistia, cùm primū institueretur, fuerint admirati. Is autem, si Deo placet, pro Scripturis Patres nobis, eosque malè intellectos profert. Miror tamen, eum ita impudenter calumniari, G patres à nobis non legi. Nam profectò, si quis alius, ipse maximè laborat hoc vitio. Etsi enim vbique crepat patres, tamen eos nunquā vidit, nisi alienis oculis: nec vnquā nisi operariorum suorum manibus euoluit. Luce enim clarius suprà non semel ostendi, illum in locis illis, quæ citauit, neq; spectasse quid antecesserit: nec expendisse quid sequutum fuerit. Postremo autē loco, quoniam ille ita vult, Bernhardum quoque audiamus. *Legissent*, inquit, *saltem ex posterioribus Bernhardum, qui sic scribit: Mira sunt, quæ de Sacramento isto scribuntur: Fides est necessaria: scientia rationis superuacua.* Sermo iste, qui adscribitur Bernhardo, est admodum suspectus. Ego enim ipse in Codice quodam vidi, illum non Bernhardo, sed alteri cuidā attribui. Sed cuiuscunque sit, id enim non magni refert, Bernhardum non fuisse alienum à superstitionibus, nec vbique doctrinam puram & synceram tradidisse, nemo qui eius scripta viderit aut legerit, potest ignorare. Nihilominus tamen Inconstantium parum fuisse attentum in scrutandis huius Patris Sermonib. vel ea testantur, quæ scribit in Serm. 33. in Cantica Cantic. Verba eius hæc sunt: *Nō omnino pari iucunditate sumitur cortex Sacramenti, & medulla frumenti: fides & species: memoria & præsentia: æternitas & tempus: speculū & vultus: imago Dei & forma serui.* Agit ibi de Sacramento, & de perceptione corporis Christi, cuius hîc non præsentiam, sed memoriam disertissimis verbis haberi testatur: & statum huius vitæ confert cum futura beatitudine. Neq; abs re fore arbitror, si excutiam sermonē Bernhardi de cœna Domini: qui ante locum istum ab Inconstantio citatum l. itur. Sic.n. scribit, cùm agat de natura Sacramentorum: *Vt de visualibus sumamus exemplum, da.. annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad inuestiendum de hæreditate aliqua, & signum est: ita vt iam dicere possit qui accepit, Annulus non valet quicquam, sed hæreditas quædam est, quam quærebam. In hunc itaq; modum appropinquās passioni Dominus, de gratia sua inuestire curauit suos: vt inuisibilis gratia signo aliquo præstaretur. Ad hæc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hæc Eucharistiæ participatio, ad hæc pedum ablutio, ad hæc denique ipse Baptismus.* Et mox: *Sicut enim in exterioribus diuersa sunt signa, & vt cæpto imitoremur exemplo, variæ sunt inuestituræ secundùm ea, de quibus inuestimur: verbi gratia: inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum: sicut, inquam, in huiusmodi rebus est, sic & diuisiones gratiarum diuersis sunt traditæ sacramentis.* Ex ista similitudine Bernhardi quiuis videre potest naturam Sacramentorum. Qui annulo inuestitur de aliqua hæreditate, non habere eam inclusam in annulo: neque quisquam tam stupidus est, vt arbitrari possit annulum in hæreditatem transubstantiari. Vellem, vt Inconstantius ista diligentius expendisset: non dubitaret, Bernhardum aliosque patres magnis hyperbolis naturam Sacramentorum, & præsertim Eucharistiæ exornasse: cùm ijdem tamen interdum sincerius & moderatius loqui soleant, & ab ea sententia, quam nos defendimus, aut nihil, aut parum discrepare.

Bernhardi doctrina nō est pura.

OBIECTVM LXIII.

ARTICVLI fidei, etsi sint supra sensus externos: credimus enim ea, quæ non videmus, quæque nullo alio sensu percipimus: illi tamen eiusmodi sunt, vt cum externis sensibus non ita pugnent, vt in illis rebus, quas vidimus, quasque alijs sensibus percipimus, decipiamur. Doctrina verò Transubstantiationis cum externis sensibus apertissimè pugnat: dicit enim, panem & vinum non adesse, quæ tamen visu gustu, olfactu, tactu sentiuntur. Igitur doctrina Transubstantiationis non est censenda inter articulos fidei.

GARDINERVS.

ARTICVLI fidei sunt veritates certissimæ diuinitùs nobis reuelatæ, & scripturis comprehensæ, quæ Deo inspirante creduntur à fidelibus: in quibus articulis non quid sensibus videatur, quidue ijs contrarium aut repugnans sit, quæritur, sed quid verum.

MARTYR.

ARticulos fidei scripturis cõprehensos esse, libenter recipio. Quare, si Transubstantiationem vestram è scripturis ostendere & probare possetis, hęc omnis lis facilè dirimetur. Atqui hîc vos, vbi maximè opus erat, nunquam quicquam respondetis. Deinde qui hoc argumento vsi sunt, non fecerunt sensus arbitros suæ fidei. Fatentur enim, multa credi, quæ omne sensuum iudicium superent. Sed in hoc mysterio, vt in alijs omnibus articulis fidei, creatoris institutum seruandum contendunt. Illum autem aiunt noluisse sensus, quos dedit animalibus, in operib. suis decipi. Ea enim esse certissima instrumẽta, quibus sensibilia possint percipi. Quod nisi seruetur, facilè Marcionitæ, Valẽtiniani, & omnes illi hęretici, qui negant Christum fuisse verum hominem, vicerint. Dicerent enim, sensus humanos in eius substantia omnino fuisse deceptos: nec eum re vera fuisse hominem, quamuis visus sit fuisse homo: quemadmodum in Eucharistia non est panis, quamuis videatur esse panis. Et argumentum Christi, quo vsus est ad probandum sui corporis resurrectionem, inane fuisset & infirmum. Quanti enim est illud, Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet: si nulla fides habenda sit sensibus? Nihil ergo nos sensibus plus tribuimus, quàm quantum Deus ipse author sensuum tribui voluit. Credimus enim, eum non magis in Eucharistia, quàm in alijs articulis fidei voluisse sensus nostros falli. At si hoc peculiariter datum sit mysterio Eucharistiæ, id scripturis erat demõstrandum. Nam alioqui æquum est, vt ab ea, quod alijs omnibus articulis fidei & sacramentis commune est, ne discedamus.

Quod autem Paulus de vniuersa Christi doctrina ait, Animalem hominem non posse eam percipere, vt cui sapientia Dei prorsus stultitia videatur: id toto pectore amplectimur. Sed hoc addimus, non esse hic certamen de sapientia Dei, quam haud dubiè fatemur superare omnem sensum: sed de pane contendi, an sit panis, quem sensus externi nuntiant esse panem: &, an Deus piorum & fidelium sensibus velit illudi. Sapientiam Dei præsertim in his, quæ ad fidem pertinent, nos nunquá dubitauimus superare sensus: & tamen à quibusdam Papistis vestris videmus vehementer dubitari, An in Eucharistia supersit substantia panis. Nec defuerunt ex illis quidam, qui re vera affirmarint, naturã panis, vel vt ipsi barbarè loquuntur, paneitatem quandam manere. Alij fatentur, se quoq; salua sacramenti veritate idem potuisse statuere, nisi Ecclesia secus decreuisset.

Addit porrò Inconstantius, si vnus articulus aliquid contineat à cæteris singulare, non continuò reliquis dicatur aduersari. Articulum autem istum de Transubstantiatione pugnare cũ sensibus confitetur: eum tamen ait consentire cum veritate. Sed quî, quæso, potest consentire cum veritate, cùm Scripturarum testimonium nullum habeat? Neque articulus aliquis fidei eo nomine dicitur adulterinus, aut nothus, quòd aliquid habeat singulare distinctũ à cæteris articulis. Quiuis enim articulus aliquid habet, quod cæteris non sit commune. Sed sententiam istam vestram de Transubstantiatione dicimus esse à fide alienam, quòd per eam putetis illudi sensibus, & panẽ ac vinum fingatis, nescio quò, abijsse, quæ omnes propemodum sensus adesse nuntiant. Ostendimus etiam, quàm sit periculosum, huiusmodi fictionibus & præstigijs credere. Noluit Deus ita agere cum hominib. ne ad extremũ omnia Christi mysteria reuocarẽtur in dubium. Quomodo verò hęretici semper exegerint similia mysteria cõprobanda, ipsi viderint. Nos eam viam probationis ab Apostolica doctrina scimus nõ damnari. Paulus enim 1. ad Corinth. ait, Nos non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum, qui ex Deo est: vt sciamus, quæ à Christo donata sint nobis: qui & loquimur, non sermonibus, quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus sanctus, spiritualibus spiritualia comparantes. Audis, Inconstanti hos facere solere Christianos, & hanc esse doctrinam Apostolicam, vt spiritualibus spiritualia comparemus? Non est ergo, cur ista de causa nos numeres cũ hæreticis. Quid rusticus Diaconus responderit acephalis, nostra non multum referre arbitror, cùm acephali non simus.

Hoc

Hoc tamen interea miror asseri, duas naturas vnitas in Christo non facere vnum, quemadmodum corpus & anima faciunt hominem vnum. Nam symbolum, quod vulgò appellant Athanasij, ita loquitur: Sicuti anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo est vnus Christus. Quiuis videre potest assignari hîc similitudinem: vbi tamen Inconstantius asserit nullam esse. In similitudine autem omnia congruere & conuenire non dicimus: nulla enim sunt ita inter se similia, quin aliqua ex parte sint dissimilia. Huc addemus, Acephalos fortasse in rebus creatis aliquam quæsiuisse similitudinem, qua ostenderetur, duas perfectas naturas in eandem hypostasin coiuisse: quemadmodũ fides orthodoxa docet de Christo. Atque illi quidem iure ac merito reprehensi sunt. Nos verò exemplum aut similitudinẽ de illusione sensuum non quærimus in creaturis, verùm in diuinis miraculis & articulis fidei. Nec petimus similitudinem, quæ sit eiusdem formæ aut naturæ. Tantùm de illa vniuersali conditione disputamus, an Deus in rebus credendis velit sensus circa sua definita obiecta falli. Cumque diuinæ literæ nusquam doceant, sensus falli in hoc sacramento, non videmus cur permittere debeamus aduersarijs, vt exceptionem in casu ponant. Nam cùm eò confugiunt, id sibi vsurpant tanquam certum & confessum, quod ambiguum & controuersum est.

An Deus velit in rebus credendis falli sensus.

Posthæc Inconstantius, quasi possit causam suam aliquanto verisimilius tueri, negat in hoc negotio sensus decipi. *Nam odor*, inquit, *sapor, color, figura, pondus, aliáq; huiusmodi, quæ sentiuntur, verè adsunt, neque sensus ea renuntiando mentiuntur.* Itaque subiecit, non sensuum errorem esse, sed rationis: quæ dum circa inferiora versatur, facilè possit falli, credendo substantiam adesse, naturam, inquam, panis & vini interiorem, cuius proprietates & accidẽtia sensus percipiũt. Sed hæc ratio, vt appellat, inferior cedit superiori, nimirum fidei: quæ rem aliter se habere admonet. Videtur sibi Inconstantius pulchrè commentum suum coloraſſe, quasi quispiam ita insaniat, vt illi sine vllo Scripturarum testimonio dare velit, Accidentia panis & vini absque suo naturali subiecto consistere. Præterea cogitare debuit, nos non loqui de sensibus, qui non habeant secum coniunctam rationem. Itaque dicimus, nõ tantùm accidentia & proprietates rerum sentiri, sed per illa substantias ipsas & naturas rerum sensibilium percipi. Atque ita philosophi dixerunt, ignem esse sensibilem, & alia corpora inferiora posse sentiri. Nec alia ratione Augustinus in eo sermone, qui paulò suprà citatus est, ad infantes, ita loquitur: *Quod vidistis, panis est.* Hoc ergo est, quod contẽdimus, iudicium humanæ rationis, dum sequitur apprehensionem sensuum, de rebus familiariter notis non falli: modò ne accidat aut furor, aut in sensibus aliqua oblæsio. Neque enim aut natura, aut Scriptura, aut ratione constat, Deum velle illudi nostris sensibus: aut rationem, dum sensibus integris, & sanis, & in suo obiecto versantibus vtitur, illorum ministerio decipi: etsi ex illis non semper rectè colligat. Rationem verò cedere fidei, quod attinet ad spiritualia & diuina effecta, non dubitamus. In iudicandis autem rebus creatis, quæ subiectæ sunt humano sensui, non video cur cedendum sit fidei. Fides enim nusquam persuãdet ex diuinis literis, panem & vinum, quæ sensu deprehenduntur, non esse panem & vinum.

Pergit Inconstantius: *Sed vt ad istum argutatorem veniam, qualis est ista consecutio: Articulus transubstantiationis aliquid habet à reliquis articulis singulare: Ergo cum fide pugnat, vel non est articulus fidei?* Atqui Inconstanti, nos id non sumimus in argumento, quod tu putas. Non sumus ita stupidi, vt in articulis fidei dicamus nihil esse singulare, quo vnus ab altero discernatur. Nam alioqui omnes articuli essent vnus articulus. Vt autem sunt multi, ita varias continent sententias: quarum tamen nulla inueniri potest, qua sensibus & rationi cum illis coniunctæ illudatur. Fallitur quidem interdum ratio, at vnà cum sensibus circa propria obiecta versantibus coniuncta non fallitur. *In Christo*, inquit, *fallebantur oculi carnis, qui nudi hominis, & in persona humana consistentis indicia referebãt: cùm idem homo Deus esset non duabus distinctis personis, sed in vna persona.* Imò verò sensus, Inconstanti, in Christo nihil fallebantur. Ratio enim sensibus admonita iudicabat, illum esse verum hominem: & in eo nihil fallebantur. An autem esset purus homo, & an in vna persona sustinerentur duæ naturæ, id non erat sensus iudicare. Et idcirco ratio in ea re fallebatur: nec mirum, cùm in ea à sensibus adiuuari non posset. Longè autem aliter habet de pane & vino: ista enim vel pueri possunt discernere.

Ad extremum addit Inconstantius, quasi iam securus, profligata causa, se nimium diu hæsisse in hoc cauillo. Id autem cauillum si suum intelligat, verissimè loquitur. At si nostram rationem, quam negare non potest probabilem esse, appellat cauillum, antiquum obtinet, vt rationes non rationibus diluat, sed conuitijs.

OBIECTVM LXIIII.

SENSVS non decipiuntur circa substantiam visibilem. Sensus autem iudicant, in Eucharistia vnum solum corpus esse, nimirum panem. Non ergo corpus Christi in ea est, sed tantùm panis.

GARDINERVS.

HOC argumentum etsi propriæ conclusionis nihil habeat, tamen argutatoris ineptiam obiter demonstrat, ne sit omnino otiosum.

MARTYR.

QVid opus erat, argumenta ita minutim & frustulatim concidere? Quid habet hoc argumentum aliud, quàm quod iam dissoluimus in superiori? Si quis Inconstantium ipsum ita secaret in frusta, vt ille incidit & delumbat aliorum rationes, nemo illum amplius agnosceret pro Inconstantio. Queritur, hoc argumentum non habere suam formam. Quid mirum, cùm ipse ille, qui tot sanctorum hominum corpora lacerauit, argumentum nostrum conciderit, & forma sua spoliarit? Sed nos argumentum nostrum facilè in integrum restituemus. Sensus circa substantiam sensibilem non decipiantur. Quæ autem in Sacramento ostenditur, est substantia sensibilis: Ergo circa illam sensus non decipiuntur. Panis autem videtur in Sacramento: Ergo re vera panis est. Iam opinor non potes conqueri abesse formã.

Sed clamas, sensus non penetrare in cuiusquam rei substantiam, sed tantùm hærere in suis obiectis: ad internam autem naturã non pertingere. Nos verò, vt suprà monuimus, sensus non diiungimus à ratione. Ea autem adminiculo sensuum de rebus illis, quas philosophi appellant sensibiles, rectè iudicat: & in illis, quæ nobis familiaria & nota sunt, minimè fallitur. Neque Deus vspiam testatus est, se in Eucharistia illudi velle nostris sensibus, vt vos confingitis. Nam Lotum & Abrahamum deceptos fuisse pernegamus: etsi eos, qui erant Angeli, putarint esse homines. Neque enim aliter res habebat, quàm quomodo sensus renuntiabant. Corpora enim illa, quæ videbantur & tangebantur, humana erant. Eaque ratio cùm ita esse existimaret, non fallebatur. Quòd si argutari velit, corpora illa, quæ Angeli induerant, non fuisse humana, quòd animo non esserit prædita, sciat humanum corpus appellari id etiam quod anima non agitatur. Cadauer enim appellari solet corpus hominis: idq; cùm ratio ita iudicat ductu sensuum, non fallitur. Iam cùm corpora illa, quæ Angeli sibi assumpserant, humana fuerint, quod Tertullianus contra Martionem firmissimè probat, quid nobis obijcit Inconstantius, sensus Loti & Abrahami fuisse falsos? De Angelis verò intus latentibus neque sensus, neq; ratio quicquam potuit iudicare. Illæ enim naturæ non subijciuntur sensibus. Ne autem ratio Loti & Abrahami diutius falleretur, & ignoraret intus esse Angelos, illi sese vltro, quinam essent, declararunt: idque nobis Scriptura testatissimum reliquit.

Corpora, quæ induerunt angeli, erant humana.

Primùm ergo Inconstantius relinquat nobis in Sacramento substantiam panis & vini: ita enim Angeli illi, quos obijcit, habuerunt vera & solida, & vt Tertullianus ait, humana corpora: & nihil erit, quòd sensus aut ratio decipiatur. Deinde luculenter nobis probet è Scripturis, intus in pane, aut si mauult, cũ pane re ipsa esse corpus Christi. Nam scripturæ perspicuè docent, in illis corporibus humanis re vera fuisse Angelos. Id si fecerit, nos statim in eius sententiam descendemus. Ego tamen nonnihil miror, ausum fuisse istum argumenta petere à Marcionitis. Sic enim illi probare voluerunt, Christum nõ habuisse verum corpus, & sensus hominum ita in eo fuisse falsos, vt oculi Loti, & Abrahami olim falsi fuerant in Angelis. De aceto verò & chrystallo, quòd alterum interdum à vino, alterum ab aqua nõ discernatur, non laboramus. Ita enim comparatum est à natura, vt sensus sese mutuò iuuent, & corrigant: vt quod seorsim ab vno præstari non potest, præstetur ab omnibus. Nam si oculus nõ discernat acetum à vino, accedat gustus & odoratus: & facilè erit iudicium. Et chrystallum non esse aquam, tactus iudicabit, si oculus non posit. Et idcircò Christus cùm sese Apostolis post Resurrectionem exhiberet viuum, non dixit, Palpate tantùm, aut tantùm videte: sed vtrumque coniunxit, *Palpate*, inquiens, *& videte: quoniam spiritus carnem & ossa non habet.* Firmum igitur, & incõcussum est, quod erat propositum, rationem cum sensibus coniunctam non falli.

Transsub. stantiatores imitatur Marcionitas.

Sensus mutuo sese iuuant & corrigunt.

Quòd si dicas, rationem, cùm argumentatur, & vnum ex altero colligit, interdum falli, quamuis sensus habeat coniunctos, nihil repugno. Nam in concludendo & colligendo non vtitur sensibus, sed ipsa per se rationatur. Verùm in apprehendendis naturis simplicibus, dum sensibus vtitur, ijsque pluribus, nec impedimentum aliquod interponitur, nunquam errat. Si hoc principium labefactetur, nihil certi supererit in rebus humanis. Omnia omnium Patrum argumenta, quibus probare voluerunt Christi humanitatem, imò etiam Christi ipsius eadem de re rationes concident. Neque est, quòd mihi aut Inconstantius, aut alius quispiã obijciat, herbas, lapides, gemmas & metalla, in quibus ratio nixa sensibus non raro decipitur. Hæc enim ad rem præsentem nihil faciunt. Primùm quidem & si deceptio aliqua primo aspectu vel occursu fiat, ea non diu durat, aut perpetuò, sed retegitur, idq; citò vel paulò post, vt experientia docet. At vos istam deceptionem de pane & vino, vt vultis, absentibus, perpetuam, id est vsq; ad finem seculi, ponere cogimini. Deinde hìc agimus de rebus vulgatis & notis, videlicet de pane, de humano corpore: in quibus non est credibile, Deum voluisse sensus nostros & rationem falli: præsertim cùm nusquam tẽstatus sit in omnibus sacris literis, panem & vinum Eucharistiæ naturas suas abijcere.

Si sensuum fides tollitur, nihil certi erit in rebus humanis.

OR

OBIECTVM LXV.

PAPISTAE dicunt, Accidentia panis & vini pendula esse in aere sine aliqua subiecta substantia, qua possint sustineri. Quid autem stultius quàm hoc, aut absurdius dici potest?

GARDINERVS.

QVOD legitur ab aliquibus dictum, refertur hîc per calumniam ad vniuersos.

MARTYR.

FIngit sophista id, quod nos dicimus, ab omnibus suis non dici, Accidentia videlicet post consecrationem hærere pendula in aere. Itaque iniuriam fieri si quod ab aliquibus dictum sit, impingatur omnibus. Vtque impetum obiectionis nostræ aliquo modo infringat, citat Magistrum Sentẽtiarum. Illum enim referre, fuisse quosdam qui crediderint, accidẽtia illa pro subiecto, quo sustententur, habere aerem, idque illum, vt parum verisimile, reiecisse. Sed Inconstantium oportuit cogitare, eos qui hoc obijciunt, non dicere, aut omnes Papistas, aut partem illorum aliquam ponere aerem pro subiecto accidentium istorum panis & vini: sed id potius accipere, quod ab vniuerso istorum grege dicitur & defenditur, Accidentia illa manere absque subiecto: quod absurdum esse, Inconstantius ipse, si posset, neget. Non dicimus, Papistas statuere, proprietates illas panis & vini fieri formas accidentales aeris, quod tamen aliqui eorum dixerunt: sed illos eo maximè nomine coarguimus, quòd asserant ea absq; aliquo subiecto pendere in aere. Nec Magister Sententiarum hoc negat: imò ea carere subiecto, in quo hæreant, clamat quantum potest: nam probare non potest. Et certè si Inconstantius noster id probare potuisset, nunquam ad miseram istam & frigidam stropham se contulisset.

OBIECTVM LXVI.

PANIS & vinum Eucharistiæ alunt corpora nostra. Ea autem est ratio alimenti, vt in eius naturam conuertatur quod nutritur. Quare statuendum est, vel corpus Christi & ista accidentia conuerti in substantiam humani corporis, vel in Eucharistia manere substantiam panis & vini.

GARDINERVS.

ACCIDENTIA panis & vini pro visibili & terrena materia sacramenti, & vim significationis pro ratione analogiæ, & nutriendi virtutem per miraculum retinent.

MARTYR.

NVnquam credidissem, tantam esse pertinaciam & impudentiã Papistarum, nisi eam mihi Inconstantius, vt aliàs semper, ita hîc maxime indicasset. Illum enim, vt transubstantiationem suam aliquo modo tueatur, nec cogatur fateri panem & vinum in Eucharistia remanere, non pudet noua & inaudita miracula comminisci. Deinde similia petit à natura, quæ ad hoc negotium nil faciunt. Quæritur, quo pacto corpora eorũ, qui sumunt sacramenta, illis physico alimento nutriantur: si, vt isti fabulantur, substantia panis & vini abierit. Primùm Inconstantius respondet, communicantes ipsis nutriri accidentibus: quo equidem non video quid aut impudẽtius aut absurdius dici possit. Quis enim vnquam audiuit, solida & firma hominũ corpora vesci accidentibus? Sed fortasse istud miraculum aut Scripturarum, aut Patrum aliqua authoritate confirmabitur. At nihil adfertur, ne gry quidem, scilicet nudæ ac simplici Inconstantij authoritati credendum, & acquiescendũ est. Quid iste non diceret, si nos ita sententiã nostrã probaremus.

Corpora nostra cũ sint firma & solida nõ nutriũtur accidentibus.

Verùm omnia sibi licere putat: idque ex eo maximè apparet, quod addit, *fas esse credere, naturam panis & vini, quæ iam abierat, denuò redire.* Vnde id tibi in mentem venit? *Quoniam par est,* inquit, *vt quod à grandi miraculo cœpit, exeat iam in miraculum.* Erit ergo miraculum, eam restitui. O fœcunditatem incredibilem miraculorum, ne dixerim mendaciorũ? Quàm pulchra mendacia è mendacijs proseminantur? Non satis erat istis finxisse Transubstantiationem: oportuit insuper accidentibus vim alendi dare, & naturam panis & vini, quæ nescio quò extrusa fuerat, reuocare. Oportet huic homini os amplum esse & mirabile: nihil enim loqui potest, nisi portenta & miracula. Magnum semper visum est, & singulare miraculum, excitare posse mortuos. Quo tamen in opere corpus & anima, quæ adhuc extant, tantũ rursus cõiungũtur. Non enim ea, cùm morte distrahuntur, in nihilum abeunt: vt isti de pane & vino somniant. Quare ista restituere, multò maius erit opus & admirabilius, quàm si quis mortuũ ad vitam reuocaret. Inconstantius autem ista tanta & tam stupenda miracula credi vult sine vllo aut Scripturæ, aut Patrum testimonio.

Atqui, inquit, *simile quiddam videmus quotidie in natura fieri.* Cedo: Quid istud tandem est? *Corporibus*, inquit, *in matrum vtero præparatis, animus à Deo datur. Vnde agnoscimus esse naturale, perfectionem accedere, cùm præparatio summoperè idonea fuerit.* Etsi stupere me facit huius hominis incredibilis furor & amentia, tamen facere non possum, quin eum interrogem: Fœtus in vtero scimus aliquando summopere esse præparatos & idoneos ad animam suo tempore recipiendam. Sed in Eucharistia vbi erit ista tam insignis præparatio ad recipiendũ denuò materiam illam, ex qua communicantium corpora posint ali? Credo equidem eum ita responsurum: Accidentia illa, quæ diu iam fuerant absque subiecto, discedente corpore Christi, (fieri enim id non potest, quàm diu corpus Christi, vt isti volunt, illis tegitur) fore præparata, vtque loquuntur, summopere disposita ad pristinam substantiam recipiendam. Sed facito nos velle ad ista prodigia conniuere. Tamen adhuc percõtabimur, quodnam spatium corpori Christi præfiniatis, quo illud velitis sub accidentibus detineri? Omnes Transubstantiatores, quos quidem ego viderim, contendere solent, carnem Christi tantisper latêre sub accidentib. quoad qualitates illæ aut species maneant. Illis enim corruptis, statim corpus Christi auolare. Quare si corpus Christi tũ demum discedit, cùm illæ naturæ corrumpuntur, &, vt Inconstantius ait, tum demum pristina materia redit, certè eo tempore restituitur, quo species illæ panis & vini minimè præparatæ, & idoneæ sunt ad eam recipiendam: nã tum temporis aut pereunt, aut prorsus iam corruptæ sunt. Vides ergo Lector, regulam illam, quam Inconstantius attulit de præparatione & dispositione physica, ad hoc institutum nihil facere.

Huc adde, istam similitudinem ab hoc negotio longè disparem, & alienam esse. Nam cùm animus præparato corpori diuinitùs adspiratur, nihil sanè redit, quod antea perierit. Mirari itaq; non debet Inconstantius, quòd hic ei tantoperè aduersemur: nã ea, quæ ait diuina quadam vi & potentia redacta fuisse in nihilum, subitò vult de integro refici & redire, eaque substantia sua communicãtes nutrire, cùm nec in Sacris literis, nec in Patribus, nec à Concilijs huius rei vlla vnquam mentio facta fuerit.

OBIECTVM LXVII.

DOCENT historiæ, Victorem Papam veneno hausto è calice, perijsse: Henrichum quoque Imperatorem veneno in pane Eucharistiæ sumpto, fuisse extinctum. At salutare corpus Christi, & eius sanguis non possunt esse venenata aut mortifera. Quare non tantùm accidentia panis & vini manent in Eucharistia, sed etiam illorum substantiæ.

GARDINERVS.

VICTOREM & Henrichum, quoniam mortales fuerunt, nec iam supersunt, morte hinc ereptos fuisse, credibile est. Vnde verò perierint, mera coniectura est.

MARTYR.

REsponsum ad hoc argumentum duplex adfertur. Vnum est, Fabulosum esse, Victorem & Henrichum veneno hausto è Sacramento perijsse. Hoc autem quantum habeat pudoris aut modestiæ, Lector facilè potest per seipsum iudicare. Sed mauult Inconstantius fidem abrogare omnib. historijs, quàm vt vel latum vnguem discedat à suis fictionib. Quanquam credibile non est, quenquam ista referre voluisse in historias illorum temporum, nisi venefici sacrificuli confessione fuissent deprehensa & testata. At si fidem habere nolumus historijs, fingamus, hodie maleficum aliquem ita facere, vt vinum Eucharisticum temperet veneno. Quid futurum putas? An vt tu sine periculo ex illo poculo communices? Imò illud ipsum, quod ipse postea subiecisti de casu aranei in sacrum poculum, quo tandem pacto dissolues? An tu vinum illud audebis bibere, in quo araneus fuerit præfocatus? Vtrum proijcies, & combures sanguinem Domini, an temet bibendo expones manifesto periculo?

De araneo præfocato in calice mystico.

Alterum caput responsionis est, Id tantùm consecrari, quod ex instituto Domini adfertur consecrandum, aptum vt cõsecretur: nõ quod stultitia, malitia, aut casus adiecerit à mysterijs alienum. Sed velim, vt iste secum ea repetat, quæ suprà commemorauit. Nam cùm de vino & melle, quæ inter se miscerentur ageret, ea dixit transire in aliam speciem, neque amplius in prioribus suis naturis conseruari. Vt ergo videmus paululũ aquæ, si vino misceatur, transire in naturam vini: ita paululum veneni, si vino temperetur, transit in eandẽ speciem. Quare nisi hic quoque Inconstantius nouum aliquod miraculum fabricetur, necesse erit vinũ venenatum consecrari. Suis ergo istis portentosis argutijs nondum sustulit vim argumenti: quod tamen author ipse non opinor adduxit, tanquam insuperabile, sed tantùm vt eo vnà cum alijs probabilibus rationibus Papistarum impostura oppugnaret. Et certè alij sophistæ doctiores, huic argumento aliter occurrissent: quod ideo obiter moneo, ne Inconstantius vnus omniũ Papistarum doctissimus videatur, & solus, exclusis alijs, palmam ferat.

OB-

OBIECTVM LXVIII. & LXIX.

RELIQVIAE Sacramenti olim igne comburebantur, quemadmodum Origenes testatur in Leuiticum. Atqui impium fuisset, si quis Deum suum ita tractasset, & tanquam hæreticum in ignem coniecisset. Et interim dum Sacramentum in igne absumitur, dicant Transubstantiatores, quidnam comburatur? Necesse est, vt alterutrum horum respondeant, vel panem comburi, vel corpus Christi. Si dicant, panem, fatentur eius substantiam manere: atq; ita nulla erit Transubstantiatio: sin corpus Christi, negare nō possunt, se eius combustores & carnifices. Argumentum autem firmum est: quoniam accidentia comburi non possunt.

GARDINERVS.

LINGVÆ est hæc petulantia, non argumentatio. Deus ignis consumens dicitur, &c.

MARTYR.

PErstringit iste linguas nostras, quasi petulantes in Deum: cùm tñ nos de vero Deo & seruatore nostro Iesu Christo nunquam audiat, nisi honorificentissimè, & cum summa veneratione loqui. Tantùm in idolum illud ab ipsis impudentissimè excitatum, & flagitiosissimè prostitutum inuehimur, idq́ multò mitius, quàm illorum nequitia, & rei ipsius dignitas postulat. Ista autem, quæ hîc adferimus, eò tantùm spectant, vt Lectores videant, in quot & quanta absurda isti Transubstantiatores sese induant.

Cæterùm his omissis, huius in respondendo acumen audiamus. Primùm, cùm Sacramentum conijcitur in ignem, negat vnà conijci corpus Christi. Quod ego non possum non vehementer mirari. Nam si re ipsa, & vt loquuntur, substantialiter corpus Christi sub illis reliquijs & accidentibus continetur, quoad illa manent salua, & incolumia, fieri non potest, quin corpus Domini vnà cũ illis mittatur in flammas. Alterutrum enim horum omnino necesse est, vt fateantur: vel corpus Christi re vera sub illis accidentibus non latere: vel illud vnà cum eis in ignem conijci. Adhæc addit, *Actionem comburendi ad corpus Christi non pertinere.* Id nos quoq; prædicamus. Dominũ enim scimus semel tantùm passum esse, & mortuum. Sed ostendere tantùm voluimus, quid horum fictiones, & ineptias consequatur: hoc nimirum, vt sine modo vllo, aut modestia perpetuò noua miracula multiplicentur. Nam velint, nolint, coguntur dicere, quoties antiquitùs reliquiæ Eucharistię comburebantur, toties corpus Christi illæsum per ignes transiuisse. Quod si ita fuerit, mirum est, nullum ex omnibus Patribus, quos isti tanquam maximos patronos sententiæ suæ citare solent, quicquam vnquam de hac re prodidisse.

Quod verò iste obiter inculcat, *Profanos hæreticos iustissimè comburi, ne quid eorum supersit ad contagium*: ipse aliquando videbit ad tribunal Christi, quàm id sibi sit patrocinaturum. Ipse enim non profanos hæreticos, sed sanctos confessores, & testes constantissimos veritatis, & membra Christi crudelissimè flammis occidit. Cæterùm de hac re non est nunc dicendi locus.

Sed pergit, &, *Quicquid*, inquit, *comburitur, id certum posse comburi: & quarum rerum natura est, vt ignis possit consumere substantiam cum accidentibus, annon possit earum ipsarum accidentia sola consumere?* Affirmat hoc posse fieri. Nec mirum. Fortasis enim nunquam audiuit, ordinaria naturæ regula oportere in his inferioribus causam efficiendi communicare materia cum ea re, quæ patitur: præsertim quod attinet ad motus, quos Generationem, & Corruptionẽ, & Alterationem vocant. Quare si ab accidentibus auferatur materia subiecta, non possunt ab igne pati: nisi fortè rursus Inconstantius absque vlla authoritate scripturarum inducere velit noua alia miracula. Sed ait, *Non esse necessarium, vt sacramentum, cùm est in igne, & comburitur, sit idem, quod antea fuerat: aut vt, quod nunc est in igne, fuerit anteà in sacramento.* Ista videri possunt ænigmata, nisi quis expendat ea, quæ antè dicta sunt, quæq; postea in responsionis huius calce dicentur, nimirum in consumptione ipsa mysteriorum pristinam redire materiam. Hoc etiam nunc sibi vult Inconstantius, cùm ait, Non esse idem in igne, qd̃ antea fuerat in sacramento: videlicet quòd in mysterio accidẽtia fuerint sine subiecto: in igne autem, cùm reliquiæ comburuntur, subiectum redeat, nõ ob aliud opinor, nisi vt comburatur. Sed quomodo redditur subiectũ illis accidentibus, si illa, quoad manent in propria natura, contineant in se corpus Christi? Quòd si corpus Christi non discedit, nisi corruptis illis accidentibus, quibus obsecro speciebus redditur illa pristina materia? Certè nullis. Nam, vt vos ipsi fatemini, illa iam corrupta perierunt.

Addit tamen, *Si quis hoc sentiat, eũ nihil absurdi opinari.* Atqui satis liquere arbitror, absurdum esse, rem eandem eodem tempore simul & esse, & non esse confiteri. Ait, *Se permittere velle naturæ id, quod agitur in igne.* Sed cur eadem ratione non permittis naturę, vt panis maneat in sacramento? Imperat deinde, vt desinamus molesti esse quæstionibus. Sed cur potius ipse non desinit imposturas, & ficta miracula comminisci? Ait se velle potius ignorantiam suam fateri cum pijs, quàm in temeritatem incurrere cum impijs. O vulpem simplicem, & candidam. Velare vult obstinationem suam & peruicaciam, specie aliqua modestæ ignorantiæ. Sed si hæc,

vti dicit, ignorat: cur id simpliciter non fatetur? Certè vertit se in omnes formas, & vndecunque accersit omnia miracula, ne videatur quicquam ignorare. Cùm est commodum, naturas panis & vini restituit accidentibus: eas rursus, cũ libet, ita tollit, vt clamet, omnes iam A sublatas esse illas confiteri & credere oportere. Si Deus illas abstulit, quomodo hic eas restituit. Aut si Deus ipse eas restituit, quo iste id Dei verbo, aut promissione comprobabit? Infelicissimi omnino sunt, qui patiũtur, se huiusmodi nebulis obcæcari.

OBIECTVM LXX.

NATVRA abhorret vacuum. At si panis & vinum non maneant in sacramento, necesse est locum illum, in quo illa prius fuerant, cùm nulla substantia compleatur, manere vacuum. Ergo transubstantiatio pugnat cum natura.

GARDINERVS.

AN dicet vas figulo, Cur me feciſti ſic? Et quiſpiam naturæ patronus ineptus, in myſterijs diuina virtute confectis de naturæ legibus violatis audebit conqueri?

MARTYR.

EXprobrat nobis ore fastuoso naturæ patrocinium: quasi velimus tueri naturam contra instituta Dei. Atqui Inconstanti, nos leges naturæ præferimus vestris impostu-
ris, & mendacijs, non verbo Dei. Christi conce B ptioni ex virgine nunquam obijcimus naturæ dogmata. Scripturæ enim id asserẽti credimus. Resurrectionem ex mortuis naturæ violatione non oppugnamus. Videmus enim, eam affirmari verbo Dei. Miracula Christi, quæ descripta sunt ab Euangelistis, sine omni dubitatione recipimus: neq; naturæ, quæ vi diuina superata sit, patrocinamur. Transubstantiationem autẽ istam vestram à vobis inuentam, & intolerabili arrogantia obtrusam Ecclesiæ, suscepimus istis C rationibus confutandam: non tamen illis solis nitimur: nam & scripturis, & Patrum sententijs rectè ac sanè intellectis dimicamus. Neque vobis leges naturæ alia de causa obijcimus, nisi vt omnes intelligant, quanta vos impudentia miracula miraculis: hoc est, mendacia mendacijs cumuletis. Si contra Deum disputaremus, collatio ista de vase & figulo posset in nos fortasse conuenire. Sed quando hoc tantùm contendimus, ne sophistæ & impostores sint archi- D tecti & fabri nostræ fidei, videat Inconstantius, quantum ista ad rem faciant. Nos certè non agnoscimus religionis nostræ tales figulos. Imò addit se suosq; edoctos à Spiritu sancto, transubstantiationem profiteri. Atqui quæcunque Spiritus sanctus docuit esse credenda, ea in sacris literis reuelantur. Quare cùm ista portenta ex illis ostendi non possint, non à Spiritu sancto, sed à spiritu mendacij, & erroris, & vertigi- E nis profecta videri debent.

Quæ sunt credẽda, Spiritus ſanctus in ſacris literis reuelauit.

Sed ait, *Non rectè colligi, si discedat substantia panis & vini, spacium, quod diffunditur intra illorum superficies, relinqui vacuum.* Rectè. Sed quomodo non erit vacuum, si nihil supersit, quo illæ impleantur? *Imò*, inquit, *natura ipsa decedenti substantiæ aliquid substituit: si Deus partes aliquas in mysterijs illi permittit. Quid si permittat? Visum enim, gustum, & tactum nonne adhuc illa symbola vi ipsa naturæ afficiunt, non minus quàm antea?* Sed tu mihi, quæso, percontanti respondes. Si natura substituit aliquid, quo vacuum repleatur in sacramento, illud autem, quicquid est, præsentiam corporis Christi non impedit, cur illam impediat substantia panis & vini? Si corpus Christi illud ferre potest, cur ista non potest? Ostende nobis inter hæc aliquid discriminis, vt videamus, quid panis natura ita grauiter peccauerit, vt cùm aliud quoddam corpus aduentitium, quod illi decedenti successerit, cum Christi corpore possit in sacramento consistere, illa non possit. Vertas te, quocunq; voles: nihil vnquam inuenies discriminis, quo temet explices.

At in nostro cauillo peccata multa esse cauillaris. Interim tamen in tuis istis portentis, & mendacijs absurda infinita esse, non vides. Quod autem addis, argumenta nostra infirma esse, & nihil concludere, nihil miror. Nullæ esse possunt ἀποδείξεις tam firmæ, quæ non facilè miraculis diluantur. Sed ad illa omnia hoc vnum responsum accipito: nulla à fidelibus recipi miracula, quæ non aut scripturarum testimonio, aut sensuum experientia comprobentur. Deinde taxat authorem huius argumenti, quòd statuat vacuum sequuturum, si substantia decesserit: cùm tamen implere locum proprium sit, non Substantiæ, sed Quantatis. Quasi substantia panis, quæ corporea est, absque corpore possit abire. Sed esto sanè, quemadmodum fingis, totam magnitudinem panis, abeunte substantia, remanere & implere locum, vti prius. Corpus Christi accedens postea, vbi, quæso, continebitur? Si, vt vos dicitis, sub accidentibus, iam in eodẽ spacio erunt duo quanta, duo, inquam, corpora ex genere quantitatis. Nam & magnitudo panis manet, vt tu dicis, quamuis substantia decesserit: & corpus Christi cùm à sua magnitudine diuelli non possit, illam ibi secum necessariò coniunctam habet. O subtilem Dialecticum. Vt euitet vacuũ, incurrit in errorem alium æquè absurdum, aut si fie-

Nullæ ſunt demonſtrationes tam firmæ, quæ iſtorum miraculis non diluantur.

Ponit duo quanta, ſiue duas magnitudines in eodem loco.

si fieri potest, etiam absurdiorem. Deinde si magnitudo panis, quam dicis remanere, spacium illud impleat, nec patiatur esse vacuum, nihil erat opus, cur anteà fingeres, substantijs decedentibus à natura quippiam substitui.

A Sed nolo in his ineptijs refutandis hærere longius. Iamdudum enim, opinor, vides, pie Lector, istorum mendacia, quàm sint fœcunda portentorum.

OBIECTVM LXXI. ET LXXII.

CVM ex Eucharistia procreentur vermes, nutriantur sorices & canes, fit generatio sine corruptione: & rursus corruptio sine generatione: quæ principiis naturæ, ac rationis aduersantur. Cumque ex pane Eucharistiæ nascuntur vermes, iuxta istorum opinionem substantia fit ex accidentibus.

GARDINERVS.

QVOD ex terrena parte Eucharistiæ fiat, quicquid corruptione fiat, si quid videlicet fiat, id ex naturæ proprietate accidit. Ex quo si consequitur substantiam tum adesse, non probat tamen, cùm seruiret elementum mysterio, tum adfuisse.

MARTYR.

NVNC sese iste denuò recipit ad amissæ substantiæ restitutionem: quo vermes, & alia huiusmodi possint procreari. Vt autem panem, nescio vnde, redijsse fateatur, magis vermiculorum generatione ducitur, q̃ B verbo Dei. Nam vt procreationi vermium seruiatur, concedit, panem reuocari. Vt autem seruetur testimonium verbi Dei, & analogia sacramenti, panem in mysterio ferre non potest. Et garrit, nescio quid, hæc esse incerta experimenta naturæ. Quasi verò ex naturali scientia non sit certissimè compertum, ea, quæ nutriuntur, substantia nutriri, non accidentibus: eaq; quæ generantur, non ex accidentibus generari, sed ex substantia. Si hæc in natura incerta C sunt, non video, quid in ea certi, aut firmi possit intelligi. Sed nostras istas naturæ leges, quas tu incertas vocas, cum tua ista restitutione substantiæ semel amissæ conferto. Et tecũ seriò cogita, quàm illa veteribus Patribus, aut etiam Scholasticis, qui illos longo pòst tempore sequuti sunt, comperta fuerit. Deinde, si libet, experientiis nostris insultato, easq; tanquam incertas explodito. Certitudo regularum physicarum immane, vt tu soles dicere, vincet fictio- D num tuarum probabilitatem.

Quî potest sciri, inquit, *canes, aut sorices illis speciebus nutriri?* Et subijcit, nihil nos habere, quod possimus probabiliter respondere. Quasi non possimus illum etiam interrogare, an si multum panis & vini, vt ab ipsis in Paschate solet fieri, à ministro cõsecretur, homo aliquis possit ex illis nutriri, non tantùm canes & sorices? Si sapiat, credo, non negabit. Et certè si hæc ita obijcerentur, non quòd fieri vnquam E visa sint, sed quod fieri possint, non essent tamen ita scurriliter irridenda. Verùm, ne nesciat Inconstantius, ista aliquando à viris doctissimis disputata sunt. Fuit aliquando Presbyter quidam, qui biduum, aut triduum duraret absque cibo, neque quicquam interim comederet, nisi Eucharistiam. Hinc cœptum est dubitari, an ille ex ea aliquid reciperet naturalis alimenti. Cur autem author huius argumenti soricum, aut canum magis mentionẽ fecerit, quàm hominum, mea nihil refert. De vermibus & muribus Inconstantius aliàs à se responsum ait. Sed illud cur nunc reticuit? Erat hìc dicendi locus. Commentum illud suum de Indiuiduo vago repetiit, inculcauit, ingeminauit, reuocauit ad nauseam vsque. Nunc delicias facit: & quia semel respondit, cùm locus postulet, detrectat respondere. Id autem, mihi crede, non modestiæ causa facit: sed quòd eum restitutionem istam pristinæ substantiæ parum plausibilem to ties Lectori obtrudere pudeat.

De vermibus tamen ad argumentum septua gesimum secundum aliquid respondet. Ait enim, *Vermes aliquando in visibili elemento existere, etiam qui non vidit ipse, referenti non difficulter credet. Verùm vnde vermes enascantur, ex crassi aeris, situs ve substantia, an ex ipso cui adhærent, visibili elemento, quoniam altioris est speculationis, non est cuiuis affirmanti temerè cedendum.* Primùm videtur ambigere, an vermes interdum in pane illo asseruato diutius, reperti, ex aere crasso ambiente, an ex Eucharistia ipsa scateant. Et quiduis potius paratus est comminisci, quàm quod verũ est, confiteri, scilicet substantiam panis relinqui in sacramento: quod & sacræ literæ, & Patres testantur. Sed quicquid tergiuersatur de vermibus, certè cineres ex illo pane combusto fieri, negare non potest. Quare si grauatur respondere de vermibus, cogitare tamen debuit, fore aliquando aliquem, qui idem interrogaret de cineribus. Iterum repetit, *Experientias incertas esse.* & in eo abutitur Hippocratis testimonio, qui experientiam fallacem appellauit. Atqui Hippocrates non de hoc genere experientiæ agit eo loco, quod sensui subiiciatur: sed de

morborum variis, & multiplicibus rationibus, de incertis curandi modis, & dubijs medicamentorum viribus. Hæc ille quum ſpectaret, experientiam fallacem appellauit. Ille tamen certiſsimè vidit, & nouit id, quod ne ruſticos quidem latere poteſt, ex rebus putridis vermes gigni.

Inconſtantius autem, quoniam nos putat argumentari tantùm à conuerſione naturali, quam ſolùm opinemur, non autem certò tenea mus, ideò nos magnæ impudentiæ reos facit: qui re incerta conuellere velimus tranſubſtantiationem orthodoxa fide, & ſcripturarum teſtimonio confirmatam. Ita autem iſta videtur dicere, quaſi fides Orthodoxa, & ſcripturæ teſtimonia ſeiungi poſsint: & quaſi non omnia in ſacris ſcripturis contineantur, quæ ad fidem Orthodoxam pertineant. Sed ſi tranſubſtantiatio iſta veſtra conſignata eſt verbo Dei, cur illud non indicatis? Nos ſubſtantiam panis & vini probamus retineri, è ſcripturis. Ea verò, quę mutationem iſtam teſtificentur, cùm videatis obſcura eſſe, cur vos apertis & euidentibus verbis Dei non patefacitis? Id niſi efficitis, mihi credite, portentum iſtud veſtrum ab omnibus relinquetur, vt quod omnes facilè videre poſsint, & cum verbo Dei, & cum ſenſu, & cum ratione pugnare.

Certè iſte ne fortè videatur miraculorum copia deſtitui, ſi quis alterum illud commentum probare nolit, ſubſtantiam panis, quæ abierat in nihilum, redire, admonet ſe poſſe adhuc aliud quoque nouum miraculum fabricare: videlicet vt, *Deus accidentia illa, quæ finguntur eſſe abſq; ſubſtantia, idonea faciat ad aliam quandam ſubſtantiam ex ſe ipſis procreandam.* Quid huic homini facias? Omninò miraculis diſputare decreuit, non ſcripturis. Et ita confidenter argumentatur à potentia Dei, quaſi illi aliquando fuerit à ſecretis, & ab eo audiuerit, eum in hoc ſacramento omnia velle facere, quæ poſsit, ne Papiſtarum grex vniuerſus iure poſsit argui mendacij.

Ad extremum, *Nihil à nobis afferri*, ait, *quo catholicus cogi poſsit, vt myſterij modum, quem fides catholica tradit, neget.* Commentum ſuum & à ſacris ſcripturis, & à fide alienum appellat fidem catholicam. Et iactat ſe noſtris argumẽtis non cogi. Ita illa tamen te coegerunt, vt multis modis coactus fueris præſtigias illas tuas exponere: quas, mihi crede, niſi tu ipſe prodidiſſes, nemo noſtrûm (ita ſunt ineptæ & putidæ) vnquam tibi adſcripſiſſet. Sed vt eſt homo lautus & delicatus, ait, ſe in his locis nimis diu inuitum eſſe commoratum. Quod equidem facilè credo. Nam etſi multum luctaretur, tamen ſe nunquam potuit explicare. Denique ne pertinaciam ſuam fateatur, alios, ſi Deo placet, appellat ſtultos. Ipſe tamen interim ſe in omnia ſtultiſsima, atque abſurdiſsima commenta induit potius, quàm vt velit ab inſaniæ patrocinio ſemel ſuſcepto diſcedere.

OBIECTVM LXXIII.

VINVM diutius aſſeruatum poſt conſecrationem vertitur in acetum, & panis, vt experientia probamus, fit mucidus. At neque corpus Chriſti, neque ſanguis, neque accidentia fieri poſſunt acetum, aut conuerti in mucorem. Manet ergo panis & vinum poſt conſecrationem, vnde iſta poſſunt fieri.

GARDINERVS.

CERTAM & fide receptam myſterij veritatem incertis experientijs impiè impetis. Quod ſentis eſſe acetum, & panem mucidum, rectè à ſenſibus pronuncias huiuſmodi eſſe.

MARTYR.

RVrſus occinis, experientias noſtras incertas eſſe, & priſtinam materiam reſtitui vi diuina. Quod inſulſum commentũ cùm ſemel ſatis refutatum ſit, pluribus verbis non eſt opus. Iſte autem, vt nos perſpicuè coarguere videatur, *Quis*, inquit, *non ita concluderet, fultus experientia: Vinum eſt: igitur ex vite. At in nuptijs ope Chriſti vinum adfuit, nec tamen ex vite.* Videri vult iſta magna ſimplicitate obijcere: & ea, quæ à nobis adferuntur, illis, quæ ipſe retulit, putari eſſe paria. At nemo eſt ita hebes, qui hîc maximum diſcrimen non ſentiat. Primùm enim, ne erremus, Euangeliſta perſpicuè teſtatus eſt, vinum factum fuiſſe ex aqua. Et illi, qui aquam illam hauſerant, id alijs facilè potuerunt indicare. Adhæc nihil ſenſus in ea re fallebantur. Nam quod vinum erat, id viſu & guſtu iudicabant eſſe vinũ. Hic mihi viciſsim tria iſta membra conſiderato. Scriptura non ait, panem fuiſſe tranſubſtantiatum: imò potius teſtatur, manere panem. Deinde nemo eſt mortalium, qui de iſta conuerſione quicquam poſsit teſtificari. Poſtremò, vt Auguſtinus ait, omnes ſenſus renunciant, manere panem. Veſtra ergo iſta fabula nihil habet ſimile cum hiſtoria Euangelij.

Si quis, inquis, *dixiſſet, Vinum eſt, igitur ex vite, fuiſſet falſus.* Non mirum: nam & ſcriptura, & haurientium teſtimonium eum facilè refutaſſet. Illis vijs tu quoque nos confuta, Inconſtanti, ſi potes. Illud miraculum ſcriptura indicat: quę tamen, quod ſciam, nuſquam dicit acetum fieri ex accidentibus. Et quamuis tu ſuprà ex

Patribus

Patribus multa de hoc ſacramento miracula cumulaueris, tamen nullum ex illis omnibus adducere potuiſti, qui diceret, ex accidentibus aut vermes, aut acetum, aut cineres, aut alimentum fieri, aut materiam anteà annihilatâ reuocari. Queritur Inconſtãtius, ſe à nobis nimium vrgeri quæſtionibus. At nos, niſi tu, alijque tui ſimiles miraculis, & mendacijs veſtris modum aliquem ſtatuetis, iſta perpetuò vrgere, & quærere non deſinemus. Nihil autem eſt, cur dicatis, vos iſtis fabulis tueri velle fidem, & veritatẽ myſterij. Illa enim facilè defendi poſſunt, ſine huiuſmodi portentis.

OBIECTVM LXXIIII.

PAPISTAE dicunt, ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe in ſacramento realiter, corporaliter, naturaliter, ſine omnibus ſuis accidentibus. Atque ita ſtatuunt accidentia ſine ſubſtantijs: & ſubſtantias corporeas, & creatas abſque accidentibus.

GARDINERVS.

IN vera corporis Chriſti præſentia confitenda, à veritate corporis nihil excludunt Catholici: de modo præſentiæ, quoniam ſuperat humanum captum, ſuam ingenuè confitentur ignorantiam.

MARTYR.

NEgat Inconſtantius, tolli à ſuis accidentia corporis Chriſti, aut quicquam de illo detrahi, quamuis illud re ipſa præſens adeſſe fateantur. Tantùm ait ſe ſuosque ea negare, quæ comprehendantur ſenſu: qualia ſunt præſentia ſecundùm naturam, & modus quanti, quòd iſta locum aliquem ambientem exigant. Tamen quidam ex veſtro grege mihi aliquando Oxonij, cùm vnà diſputaremus, publicè reſpõdit, Corpus Chriſti in ſacramento non eſſe Quantum: neq; id me debere mirari. Subſtantiæ enim prædicamentum prius eſſe omnibus prædicamentis accidentium: & idcircò ab illis poſſe ſeparari. Qua in re quàm ille ſtupidè, & inſulſè falſus fuerit, nihil nunc diſputo. Neminem enim arbitror ignorare, qui vel prima Dialecticorum rudimenta guſtauerit, magnitudinem, etſi poſterior ſit ſubſtantia corporata, tamen ab illa ſeiungi non poſſe, niſi prorſus corrumpatur. Ita etiam homo quoque eſt rationalis, vt vi illa, aut facultate rationis, quæ ad prædicamentum qualitatis pertinet, ſublata deſinat amplius eſſe homo.

Sed miſſo illo nugatore, ad Inconſtantium redeo. Facito, neminem veſtrûm id ſenſiſſe. Accipio id, quod vltrò largiris. Quid, quæſo te, ſibi vult Quantum, ſine modo Quanti? An verò tu potes ſtatuere numerum quaternarium, ſine modo quaternarij: aut lineam, ſine modo lineæ: aut latitudinem, aut profunditatem, ſine vtriuſque modo? Quomodo iſta à ſuis modis ſeparari poſſint, tu vide, qui ea etiam, quæ nuſquâ, & nulla ſint, videre potes. Sed diſpeream, ſi vos ipſi ea, quæ dicitis, intelligatis. Præterea contendis, corpus Chriſti adeſſe, idque ſub finitis & determinatis accidentibus, & tamen abſque loco. Ita cuditis nobis noua dogmata, & ſine ſenſu, & ſine ratione, & ſine authoritate ſcripturarum. Chriſtum, quà homo fuit, ſcriptura fuiſſe teſtatur ſine peccato: eadem illũ ait non amplius eſſe moriturũ. Atqui illum, quod quidem ad corpus attinet, aut ſine loco eſſe, aut modum quanti non habere, nulla vnquam ſcriptura docuit. Imò quidam ex Patribus diſertè ſcripſerũt, eum, qui corporibus loca tollat, eadem opera corpora ipſa tollere.

Deinde Inconſtãtius, cùm dixiſſet, ſuos non adimere accidẽtia ſubſtantijs, id excuſat, quod tamẽ nõ minus eſt abſurdũ, quâ licere accidentibus auferre ſubſtantias: nimirum quòd Eccleſia ita doceat. Quòd ſi Eccleſiæ nomine intelligat antiquos Patres, vnum ſaltem, aut alterum ex illis proferat, qui ita ſenſerit: recitet locum aliquem ex omnibus ſcripturis, quo iſta portenta confirmet. Quod ſi neutrum poteſt, fateatur ſuum iſtud, & ſuorum commentum eſſe, non inuentum Eccleſiæ. Aduerbia verò illa, Corporaliter & Naturaliter, ait adhibita fuiſſe, non ad modum præſentiæ indicandum; ſed ad præſentiæ veritatem exprimendam. Quòd ſi ego hîc tacere vellem, tamen non dubito omnes, etiã pueros intelligere, in his aduerbijs iſtos homines prorſus inſanire. Nemo enim Grammaticus vnquam dubitauit, ea ſignificare modum. Quid enim aliud eſt Clementer, quàm clementi modo, aut ſeueriter, quàm ſeuero modo? Obijcietur fortaſſe mihi locus ille ad Coloſſenſes, *Diuinitatem habitaſſe in Chriſto corporaliter*: quo aduerbio Paulus nihil aliud ſignificarit, quàm verè. At ſi prorſus eam loquutionem excutias, videbis eam haud dubiè modum corporis indicare. Vt enim corpus ſolidum quiddam eſt, & conſtans, & firmum, quod vmbræ fluxæ, & caducæ opponitur: ita Paulus ait; diuinitatem fuiſſe in Chriſto, nõ eo modo, quo habitat in alijs hominibus. Paulus ergo in eo loco vſus eſt metaphora ducta à corpore, quod opponitur vmbris. Apparet ergo, quàm iſte ſit contumelioſus, qui impuro ore ſemper nos appellet calumniatores.

OBIECTVM LXXV.

CHRISTVS communicauit cum diſcipulis. Ergo ſi vera ſunt, quæ Papiſtæ

dicunt, ipse se ipsum manducauit: & respectu eiusdem simul fuit & agens, & patiēs. Quod certè fieri non potuit.

GARDINERVS.

Si tam verum esset, Christum pati sacramento, quàm est idem falsum de Christo, tamen agens & patiens non eodem respectu prædicarentur.

MARTYR.

INconstantius, cùm ne specie quidem vlla veritatis, causam suam tueri possit, confugit ad strophas. Amici isti nostri semper contendunt, corpus illud, quod Christus distribuit in Cœna coopertum accidentibus, prorsus idem fuisse cum eo quod versabatur in terris. Iste tamen audet dicere, comedere, & comedi: agere, & pati, relata non fuisse ad idem, cùm Christus vnà cum Discipulis reciperet sacramētum. Sed quæ, malum, Inconstantii, est hæc constantia? Multa quidem tu sæpe dicis absurda, & secum pugnantia: tamen alia omnia præ hoc nouo commēto tolerabilia videri possint. Si ista contradicentia non sunt, Idem corpus esse, & Idem corpus non esse, quæso, quæ possunt esse contradicentia? Equidem putabā, Inconstantium, & cùm esset in aula, & cùm in turri, & cùm in castris, tamen eundem semper fuisse Inconstantium: quod tamen ipse ista sua noua strophā videtur velle inficiari. Certè si ipse se intelligeret, nunquam diceret, corpus Christi aliud esse in cœlo, aliud in cruce, aliud in mensa, aliud, vt isti loquuntur, sub accidentibus.

Postea tamē colligit se vtcunque, & ait, omnem passionē diuellendam esse à corpore Christi, quod ponitur in sacramento. Sed iste mirabilis Dialecticus eam solam intelligit passionē, qua substantia aut læditur, aut corrumpitur. Quod haud dubiè nemo est, qui nolit de Christi corpore, vt nunc est, glorioso, immortali, & impassibili confiteri. Verùm si fateri velit, Christum suum ipsius corpus ore suo comedisse, quomodo negare potest, idem tum fuisse comedens & comestum: continens & contentum: percipiens & perceptum? Atqui ista tam actionem, quàm passionem, etiam inuito Inconstantio, significant. Tamen istis hominibus non videtur absurdum, totum atq; integrum corpus A Christi fuisse in ipsius Christi ore. At cùm idem seipsum comederet, fieri profectò non potest iuxta istorum sententiam, quin duplex fuerit.

Addit prætereà *corpus Christi, cum distribuatur communicantibus in cœna, cùm sit impassibile, nullas subire nouas qualitates: tantùm relationes quasdam accedere: quæ quamuis verbis passiuæ significationis efferantur, tamen non aliam passionem significent quā metaphoricam*. Hic videmus, istos ipsos acerrimos defensores realis & corporalis præsentiæ, B tandem intelligere, quo denique se se trudant: nimirùm, ad relationes, & respectus, & metaphoricas perceptiones. Profectò si Christus ipse suū ipsius corpus percipiat, & comedat, hic admiscere metaphoram, viderint ipsi, quàm sit tutum. Primùm volunt, manducationem istam esse realem & substantialem, deinde, quasi obliti sui, subijciunt metaphoricam. Quoniam autem satis videbat Inconstantius se ex hoc Labyrintho nullum posse exitum inuenire, finxit, C se velle causam reddere, cur dominus discipulis suis præguſtare voluerit Sacramentum: nimirùm, quemadmodū ait Chrysostomus, vt suos induceret ad comedendum. Sed nos in argumento non quærebamus causam, cur Christus voluerit vnà cum discipulis suis cōmunicare: sed qui fieri potuerit, vt Christus seipsum reuera, & corporaliter comederit. Hoc caput erat quæstionis. Hoc expediendum erat Inconstantio. Sed ille pro sua consuetudine alias res agere D maluit: & hoc propemodùm totum dissimulare. Chrysostomus quidem vera dicit. Dominus enim nulla aptiori ratione allicere potuit discipulos suos, vt comederent Sacramētum, quàm si ipse illis præguſtaret. Ex eo enim facilè intelligere potuerunt, id quod agebatur, spirituale esse. Quanquam de hac re iam sæpius dictum est.

OBIECTVM LXXVI.

SI panis, quem Christus dedit discipulis, fuisset transubstantiatus in eius corpus, idem fuisset corpus & gestans, & gestatum: idemque agens & patiens, pro eodem tempore, & respectu eiusdem: quod, vt dictum est, fieri non potest.

GARDINERVS.

CARO Christi data in mysterio non patitur ipsa, sed agit, viuifica nimirùm, & per ineffabilem cum spiritu vnionem sanctificans.

MARTYR.

AB hoc argumento, cum nihil distet à superiori, Sophista debuit abstinere: præsertim, cùm nihil aliud respōdere possit, quàm quod iam anteà responderit. Sed voluit, crē-

do,

do, implere chartas. Mirum autem est, quàm gaudeat vnum atque idem argumentum lacerare in partes, quò illud magis deformet, omnique specie veræ conclusionis expoliet. Ait, corpus Christi effugisse omnem passionem, quæ corrumpat, aut lædat naturam. Rectè. Sed meminisse debet, actionem & passionem apud Dialecticos alia quoque significare. Sed quicquid est, quamuis multa nugetur, tamen cauere non potuit, quin diceret, idem hic esse mouens & motum. Christus enim ipse erat, qui manibus leuabat Sacramentum, cùm illud porrigeret, & daret discipulis. Et quod Augustinus ait in Psal. 33. *Christum se ipsum quodammodò gestasse in manibus suis*, id nostram sententiam maximè confirmat. Modus enim ille, quo ille se ipsum gestabat, explicandus est, nimirum per Sacramentum. Christus enim manibus suis gestauit non naturale, ac proprium suum corpus; sed Sacramentum, aut symbolum sui corporis: quod tamen symbolum suo modo gerebat nomen rei significatæ.

OBIECTVM LXXVII.

SI totum corpus Christi concludatur in minimo pane, & in quauis eius minima particula, necesse est illud exui, ac spoliari & quantitate sua, & situ, & distantia partium. At sacrilegium esset, naturam corporis Christi ita confundere, & expoliare suis proprietatibus.

GARDINERVS.

HOC argumentum ignorantia genuit, peperit stultitia. Et vtriusque parentis gerit imaginem.

MARTYR.

INconstantius rationes, quas verè diluere nõ potest, risu tamen, & maledictis exagitat. Quanquam & operæ, & oleo parcere potuisset, si hoc quoque argumentum reticuisset. Eius enim summa, & vis vniuersa satis anteà explicata est. Sed vt est astutus, cum ista scriberet, voluit non tantùm homines, sed etiam tempus fallere. Primo loco exprobrat nobis ignorantiam. Non enim ita loqui oportet de isto Sacramento, inquit, vt dicamus, corpus Christi contineri sub pane. *Docti enim*, inquit, *viri vtuntur alia formula, dicuntq; corpus Christi adesse sub specie panis in mysterio, & illo mysterio non pane contineri.* O mirificum castigatorem. Quantum hic ponderis putat esse in leuissima mutatione vocularum? Nos *Concludi* diximus, idque casu magis, quàm malitia. At iste, *Non licet*, inquit, *ita omnia peruertere, Oportet, adesse, dicere, & contineri.* Nos fortè, panem, diximus: at ille contrà clamat, speciem dici oportere, & mysterium. Quasi verò panis non æquè mysterium esse possit, atque accidentia. Nam si Aqua in baptismo mysteriũ esse potest, cur Panis in Eucharistia nõ potest?

Deinde, *istam loquutionem stultam esse, quòd videatur operationi diuinæ necessitatem attribuere.* Equidem nullos vnquam audiui, aut noui, qui Christo grauiorem necessitatem imponerent, quàm solent vestri Sacrificuli Papistici. Illi enim pertinacissimè defendunt & docent, corpus Christi post consecrationem omninò sub accidentibus contineri, quòd species, vt illi loqui solent, sint superstites: idque, confecto semel sacramento, fieri aliter non posse. Sed ridiculum est, tantam Christo imponere necessitatem, deinde eam existimare voce leniori molliri posse. Lector fortasse alicubi mirabitur acumen Inconstantij, nunquam tamen opinor, magis, quàm hoc loco, vbi ita callidè, & subtiliter voces, & syllabas ponderat. Quis enim vnquam suspicari potuisset, nisi iste nos docuisset, tantũ esse discriminis inter Concludi, & Contineri?

Addit, *Corpus Christi, quod est in Eucharistia, esse Quantum: non autem dari populo per modum quanti. Id enim*, inquit, *esset humano modo dare.* Ego quidem, quod ad me attinet, de modo nihil quærerem. Nam cùm aduersarius dederit semel, illud corpus esse quantum, id, quod sit quantum, modum quanti habere nunquam dubitarem. Verùm cùm Inconstantius fateatur, corpus illud dari diuino & spirituali modo, videtur accedere velle ad nostras partes. Et certè ita esset, nisi vocibus pro sua libidine abuteretur. Quæ posteà subiecit de admiratione Iudaica, ea satis iam anteà sunt refutata.

OBIECTVM LXXVIII.

SI corpus Christi, vt isti dicunt, adest realiter, aut adest cum tota sua quantitate, & integra statura, aut non: si ita, tum tam paruo pane concludi non potest: si non, tum suis proprietatibus expoliatur. Quod tamen à vero alienum est. Nunquam enim reliquit, quod semel assumpsit.

GARDINERVS.

QVIN, adsit Christi corpus realiter, nulla est ambiguitas: & quomodò adsit, nescit ratio: qua disceptatrice & iudice conficitur hoc dilemma.

MARTYR.

NEminem quidem tam cæcum esse arbitror, qui studium huius nugatoris non videat. Dilacerare voluit argumenta, eáque, quæ erant coniuncta, disipare, ac diuellere, & de industria, quàm potuit ineptissimè proponere: quo & illis derogaret fidem, & nugacissimis istis suis dissolutionibus aliquam conciliaret authoritatem. Ait, *Cornua huius dilemmatis diuinam operationem non complecti.* Nec videt interim, inter Contradictoria ne fingi quidem posse aliquod medium. Rectè ergo istos præstigiatores vrgemus, vt respondeant, corpus Christi, quod ponunt in Eucharistia, totam suam magnitudinẽ, & integram staturam, habeátne, an non habeat. Horum duorum alterutrum respondeant necesse est. Sed deinde paulò se humaniorem præbet, quàm antè. Videtur enim velle donare nobis illam formulam loquendi, qua nos diximus, corpus Christi concludi sub pane, quod tamẽ facit cum huiusmodi exceptione, vt illam dicat non esse Catholicam. Hac noua specie liberalitatis ostentare voluit, se responsionibus abundare: cùm re vera nihil habeat, quod respondeat. Sed hoc illi ideò ignosci debet, quòd nihil eximium, aut singulare adferre possit. Satis habuit, si ad locum communem, & centies iam inculcatum & repetitum se reciperet: videlicet, non esse fas in operibus Dei reijcere, quicquid humanæ rationi aduersetur. Nemo Christianus tam impudens est, qui hoc negare ausit. Sed Inconstantio solidè probãdum erat, opus esse Dei, vt corpus Christi contineatur sub accidentibus. Id enim nos verisimè humanum commentum esse dicimus, non opus Dei.

Esto, maius quiddam esse, corpus Christi simul, & eodem momento ab ortu ad occasum tot locis exhiberi, quàm integra statura in tam paruo pane concludi. Siue id dicat Bernharduf, siue non dicat, id tamen, quod sumebatur, Inconstantio probandum fuit: corpus Christi vno, atque eodem momento realiter, & substantialiter præsens exhiberi, quibuscunque in locis hæc mysteria celebrentur. Hoc Inconstanti, hoc inquam, tibi probandum erat: quod certè tam magnum, & incredibile est, vt credi non debeat, nisi illud, Adesse præsens, intelligatur spiritualiter: vt communicantes corpus Christi mente, ac fide complectantur. Nec sanè alia de causa adductum est hoc argumentum, quàm vt animaduerso absurdo, quod ex eo concluditur, tollatur id, quod antecedit: nimirum corpus Christi, vt istis fabulantur, in sacramento realiter contineri.

OBIECTVM LXXIX.

SI Christus dedit corpus suum realiter in Cœna, necesse est, illud vel passibile fuisse, vel impassibile. Non autem potuit esse passibile: tale enim corpus non potuisset in frustulis panis contineri. Nec impassibile. Scriptura enim dicit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

GARDINERVS.

VERVM corpus dedit in mysterio: videlicet substantia ipsum, quod pateretur: quia verè dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

MARTYR.

ABsurdũ illud, in quod nos docere voluimus istos ruere, Inconstantius vltrò cõfitetur: videlicet corpus Christi semel & eodem tẽpore & passibile fuisse & impassibile. Sed putat ista tã absurda, tamen sophistica stropha defendi posse. Itaq; operæpretium arbitratus est se facturum, si modos existendi variaret. Ait ergo, corpus Christi, vt erat specie visibili, fuisse passibile: vt autem erat in mysterio fuisse, impassibile. Inconstantius, cùm nos ita sæpè, ac liberè appellare soleat Figuratores, nũc vicissim ferre debet, si audiat se à nobis Modistam appellari. Videt enim iam eò rem deductam esse, vt ex istis laqueis & verisimis rationibus expedire se non possit, nisi varietatem modorum comminiscatur.

Sed putat etiam, exemplo nos posse confutari. *Dominus*, inquit, *cùm olim transfiguraretur in monte, corpus idem habuit, quod antè, nimirum passibile: cùm tamen sub eo existendi modo pati non potuerit.* At hoc exemplum cum proposita quæstione quid habet, quæso, simile? Quod ad substantiam corporis Christi attinet, fatemur illud idẽ fuisse ante transfigurationem, cũ eo quod iam immutatum esset in monte. Oppositas autem qualitates, quis sanus dixerit illud simul habuisse? Corpus quod tum in monte erat impassibile, non erat eodem tempore passibile. Non enim, vt tum erat, pati poterat: vt Inconstantius ipse confitetur. Deinde etiã antequam transfiguraretur, & postquam descendisset è monte, ita erat passibile, vt non esset simul impassibile. Vt aũt breuiter dicam, istę qualitates, Passibile, & Impassibile, rectè possunt sibi mutuo succedere in eodem subiecto, vt appellant, simul autem in eo esse non possunt: nisi dicere velis,

velis, naturam contradicentium propositionum posse violari: vt idem eodem tempore & passibile sit, & non passibile. Quare cùm Christus haberet cœnam cum discipulis, nisi fortè corpus suum geminauerit, vt alterum passibile habuerit, alterum impassibile, corpus suum re ipsa, vel in pane, vel, vt vos mauultis loqui, in accidentibus non dedit.

Post ista omnia Inconstantius canit palinodiam. Nam cùm antea dederit, corpus Domini sub pane, aut sub accidentibus contineri, nunc refert pedem, & vocem illam *Contineri*, prorsus damnat. Ait enim, catholicos hoc tantùm dicere, corpus Domini adesse accidentibus panis. Et postea repetit, corpus illud sacramento contineri. Equidem videre non possum, quid iste discriminis esse putet inter id, quod dicit, Accidentibus panis contineri, & sacramento contineri. Ea tamen iste ita putat immensum interse distare, vt alterum recipiat, alterum planè explodat. Nec satis mirari possum, quid frustula panis eum tantopere offenderint: cùm Cyrillus in Ioannem libro 4. capite 14. ita ea vocarit. Sic enim scribit: *Credentibus discipulis Christus fragmenta panis dedit, dicens: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum.* Quantum quæso, Inconstanti fragmenta differunt à frustulis? Sed iam video quid te ita malè habeat. Videlicet volebas nos dicere, non panis, sed accidentium frustula. Verùm vnum saltem ex omnibus Patribus citare te oportuit, qui illas minutias diceret non panis esse, sed accidentium. Interim dum id efficias, nos nostra loquutione vti patieris.

OBIECTVM LXXX.

PASSIBILE & Impassibile ita opponuntur, vt non possint simul & semel esse in eodem subiecto. Quare si hæc duo opposita ponantur in corpore Christi, non amplius erit vnum corpus, sed geminum: aut duo contradictoria incomplexa erunt simul in eodem subiecto: vt corpus tradentis sit passibile: traditum verò impassibile.

GARDINERVS.

CONTRADICTORIA incomplexa de eodem subiecto prædicari, filum rationis in rebus inferioribus non recipit. Et tamen in persona Christi ex mysterij conditione passibile & impassibile de corpore Christi prædicant Patres catholici.

MARTYR.

REspondet, rem longè aliter se habere in persona Christi, quàm in rebus inferioribus, propter mysterium: itaq; eius corpus simul & passibile, & impassibile dici potuisse. Ita enim Patres catholicos explicare: vt passibile dictum fuerit, propter voluntatē: impassibile verò propter vnionem. Sed cùm nulla pateat rimula ad fugam, parietem frustrà fodit. Teneris Inconstanti, teneris: nec potes elabi. Nos quoq; fatemur, & credimus, corpus Domini factum fuisse patibile propter voluntatē: fuisse enim diuinæ voluntatis, vt corpus illud posset pati. Nam alioqui propter vnionem diuinitatis, potuisset esse impatibile. Quamuis ergo vtrumq; potuerit esse, simul tamen vtrumq; esse non potuit. Necesse enim fuit definitè, ac pro eodem tempore, vt semper alterutrū duorum esset, aut patibile, aut impatibile. Nā cùm Dominus versaretur in mundo, & pateretur, iuxta voluntatē habuit corpus patibile: quod certè tum re ipsa & actù nō erat impatibile: potuisset tamen fieri impatibile, si voluntas diuina ita statuisset. Nunquam ergo fuit re ipsa simul & passibile, & impassibile. Definitè enim alterutram conditionem semper habuit.

Diuina voluntate corpus Christi fuit patibile.

Quod aût ait, Augustinū dicere *Ipsum, & Non ipsum*, longè aliter habet. Verba quidem illa nō sunt Augustini. Citantur à Gratiano, de Consecrat. distin. 2. cap. Non. vbi sic scribitur: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis: nec bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt illi, qui me crucifigent: ipsum quidem, & nō ipsum: ipsum inuisibiliter, & non ipsum visibiliter. Vnde & subditur: Si necesse est, illud celebrari visibiliter, necesse est, illud inuisibiliter intelligi.* Hæc apud Gratianum. Quo in loco apparet illa verba, *Ipsum, & Non ipsum*, ab illo interiecta esse, non scripta ab Augustino. Et ea causa Gratianus postea adiecit, *Vnde & subditur.* Illa ergo verba, *Ipsum, & Non ipsum*, Decretorum rhapsodus adiecit, quasi interpretationem verborum Augustini. Quam fortasis interpretationem ex epistola quadam Iuonis Beluacensis accepit. Atque hoc ne quis me fortè fingere arbitretur, ipsius Augustini verba subijciā, quæ ab illo scripta sunt in Psalm. 98. *Non hoc corpus, inquit, quod videtis, manducaturi estis: nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui. Spiritualiter intellectum viuificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen inuisibiliter intelligi.* Quid in istis verbis habet Inconstantius, quod nobis insultet? Quanquam etiam si Gratiani sententiam & expositionem sequi velit, ea quoque rectè potest cum nostra consistere. Nam panis Eucharistiæ, si ad corpus Christi referatur, & *Ipsum* est, & *Non ipsum*. Nō est ita vt adsit præsens, & vt in illud dentes nostros infigamus. *Ipsum* tamen est, quia symbolum habet nomen

Corpus Christi quomodo in Eucharistia dicatur Ipsum, & Non ipsum.

rei significatæ: atq; ita panis suo modo est corpus Christi. Deinde etiam si illa intelligantur dicta de corpore Christi, ita quoque fatemur nos & ipsum comedere, & non ipsum. Ipsum comedimus spiritualiter: hoc est, fide, atque animo: non autem ipsum, quòd ibi præsens existat, & comedatur ore corporis. Id enim non corpori Christi conuenit, sed symbolis. Hæc autem verba, vt leguntur apud Augustinum, nihil habent perplexi, aut impediti. Dominus enim, vt eum Augustinus loquentem facit, negat, illud corpus quod videbatur, comestum iri: sacramentum enim esse, quod illis commendauerit. Eius autem sacramenti significat duas esse partes: vnam, quæ videatur, & adhibenda sit, cùm celebratur memoria mortis Domini: alteram autem secretiorem, quę spiritu tantùm & mente, instructa fide, comedenda sit. Vt autem hæc pars est re vera corpus Christi, ita altera, quæ videri & tractari potest, panis est. Neque verò affirmat Augustinus, duas istas partes ita coniunctas esse, vt nostri isti sophistæ prædicant. Nam vt sensum verborum eius retineamus, satis est, si significatione coniungantur. Neque duo illa incomplexa *Ipsum*, & *Non ipsum*, contradictoria sunt, cùm ad diuersa referantur. Quod enim in Cœna sumitur, & ore, ac sensu comprehenditur, non est propriè corpus Christi, quamuis suo quodam modo ita & dicatur, & sit. At si spectemus opus fidei, verũ Christi corpus re ipsa in Cœna spiritualiter percipitur. Quare *Ipsum*, & *Non ipsum*, non de eodem prædicantur, sed de rebus diuersis.

Ipsum & Nõ ipsum, haud sunt contradictoria in iam adducta sententia.

In summa, Inconstantius respondet, *Contradictoria quidem non prædicari absolutè de eodem: nihil tamen prohibere, quò minus distinctis relationibus prædicentur. Nec absurdum putat esse, idem corpus in specie visibili natura esse passibile: & idem eodem tempore datum in Sacramento esse impassibile.* Denique Passibile & Impassibile non veretur appellare relationes. Ego verò hoc affirmo, controuersiam nunc inter nos non esse de relationibus, sed de passibilitate, vt ita loquar, & impassibilitate, quæ sunt qualitates, ac pertinent ad naturalem potentiam, & impotentiam. Non eramus nunc docendi, quotidie fieri, vt idem nũc dextrum sit, nunc sinistrum, respectu diuersorum. Hoc potius expendendum erat, an idem simul & mortale sit, & immortale: aut simul rationale & irrationale. Hoc vbi Inconstantius declarauerit, intelligemus, an corpus Christi simul, eodemque tempore potuerit & passibile esse, & impassibile.

Non contẽdimus de relationib. sed de qualitatibus.

Sed quis non miretur, Hieronymum citari hoc loco, qui in epistolam ad Ephesios libro 1. capite 1. ita scripserit: *Diuinam carnem dari manducandam, non eã, quæ fuerit crucifixa?* Nam ea sententia maximè pro nobis facit. Caro enim illa diuina, nihil aliud significat, quàm carnis Christi sacramentum, quod diuinitus est institutum, & per fidem in mente nostra fructum edit. Nam si dicas, Hieronymum eo loco ad carnem cum verbo coniunctam respexisse, illa quoque caro, quæ crucifixa est, diuina erat. Habet enim verbum coniunctum in eadem hypostasi. Postea citat locum Augustini in Psalmum 98. de quo paulò suprà satis diximus. Hoc tantùm nunc vnum addam, nec Augustini verba, nec Hieronymi posse referri ad modos: quod isti maximè contendũt. Nam, vt ipsi etiam confitentur, modus non efficit, quin res sit eadem. At isti Patres carnem Christi, quæ affixa fuit cruci, fatentur non esse eandem cum ea, quæ nunc comeditur. Quæ tamen si realiter & corporaliter comederetur, esset omnino eadem. Sed longè aliter habet. Nam ori quidem corporis nostri, datur corporis Christi sacramentum: ipsum verò corpus non recipitur, nisi spiritualiter, & per fidem.

Patres d. cũt carnem Domini, q comeditur, nõ eandem esse quæ cruci fuit affixa.

Quod verò vltimo loco concluditur, *Corpus Christi & passibile fuisse, & impassibile:* non est verum: si de illo corpore, quod actu fuit, velimus loqui. Semper enim, vti diximus, alterutrum istorum duorum erat. Nam cùm moreretur, non potuit esse immortale. Eo autem tempore natura diuina, quæ cum carne Christi coniuncta fuit, vim suam cohibuit: & passa est Dominum Iesum, quatenus homo fuit, non tantùm mortalem esse, sed etiam mori. Nec sanè Inconstantius in tam graue absurdum vnquam incidisset, vt diceret, Contradictoria simul posse esse vera, si, quod acutum sophistam in primis oportuit, actum & potentiam distinxisset. Nam potentia quidem corpus Christi & passibile fuit, & impassibile. Vtramque enim conditionem subire potuit. Actu autem ita fuit passibile, vt non esset simul impassibile: aut ita impassibile, vt non esset eodem tempore passibile. Vtque vno verbo, quod res est, dicam, hoc argumento ita irretitur Inconstãtius, vt, quocunque sese verterit, non possit effugere. Addamus Iuonem Beluacensem, quem superius adduxi, statuere, Apostolos in Cœna corpus Christi mortale percepisse, nos autem nunc immortale sumere: vnde ille à contradictorijs magis cauit sibi, quàm hic noster.

OBIECTVM LXXXI.

CHRISTVS dedit tale corpus, quale habuit: sed habuit corpus Passibile: ergo dedit corpus passibile. Atque ita prius passus est, dum edentium dentibus laceraretur, quàm affigeretur cruci.

GARDINERVS.

QVATENVS illud (Tale) respondet exprimendæ qualitati, falsum est.

MARTYR.

MARTYR.

ARgutè sibi videtur Inconstátius philosophari de vocabulo Tale: qd si qualitatem significet, negat Christum in vltima Cœna dedisse tale corpus, quale habuit. Id enim illum quidem corpus dedisse, quod erat passurũ: sub tali tamen existendi modo, vt pati non potuerit. Atqui vt idem corpus simul contrarias, vel potius contradictorias qualitates habuerit, fieri non potest: non magis sanè, quàm idem corpus eadem parte potest esse album, & nigrum: aut album, & non album. Ad hęc, nónne Dominus disertè ait, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur? Ea certè verba, si vera sunt, vt omnino oportet confiteri, facilè refutant illorum temeritatem, qui volunt, Christum in sacramento tale dedisse corpus, quod pati non potuerit.

OBIECTVM LXXXII.

VETERES eadem nobiscum habuerunt sacramenta. Paulus enim ait, illos eandem escam nobiscum comedisse. Illi autem non habuerunt, nec etiam habere potuerunt istam realem præsentiam. Christus enim carnem nondum receperat: ergo eiusmodi præsentia non est statuenda.

GARDINERVS.

HABVERVNT veteres eadem sacramẽta significatione, quæ nos habemus: vt quæ omnia Christũ respiciant.

MARTYR.

SAcramenta veterum & nostra hoc inter se discrimen habent: quòd materia, & forma verborum alia in aliis fuit, alia in nostris: Res autem, quæ significantur, & exhibentur in vtrisque, omnino sunt eædem. Id Paulus apertissimè testatur. Petram enim vnde illi bibebãt, fatetur fuisse Christum. Inconstantius autem inter alia vnum quoddam fingit discrimen, quod illi nullo modo dari potest. Ait enim, *Veteres habuisse spiritualem comestionem, vt quibus semper licuerit in Christum credere: nos autem, nõ tantùm in illum credere, sed etiam vnà cum significatione habere corpus eius, quo vescamur, vt solido cibo.* Et citat locum ex cap. 13. ad Hebræos, *Habemus altare, de quo non licet edere ijs, qui in tabernaculo deseruiunt.* Putat Inconstantius Paulum his verbis exclusisse veteres Patres à solida manducatione corporis Christi. Sed nõ animaduertit, Paulum ibi non de quibusuis Hebræis, aut Patribus loqui: sed de illis, qui externa tantũ in illis sacris amplecterentur, Christum autem reiicerent: aut, si quid fortè de illo cogitarent, non in eum, qui iam venerat, crederent, sed alium quendam expectarent: quem sibi non persuaserant ex sacris literis, sed de suo capite confinxerant. Illis ita persuasis, haud dubiè non licuit vesci corpore Christi. Quanquam dissimulare non possum, isto etiam ipso loco impetũ & pertinaciam Inconstantij vehementer confringi. Nam si corpus Christi est realiter & substantialiter vel in pane, vel in accidentibus, cur Hebræis non licuit illud comedere? Facito enim, aliquem ex illis animo ficto sese Christianis communicantibus admiscuisse, cùm interim pergeret inseruire tabernaculo, & haberet in animo Iudaismum suum retinere. Nonne ille iuxta vestram sententiam corpus Christi verum, quamuis indignè, comedisset? Verte te, quò volueris, & nega, si potes. Nam illa verba Apostoli liquidò significant, neminem comedere corpus Christi, qui non credat in Christum.

Si Christi corpus est realiter sub accidentibus panis, Hebræi potuissent illud edere.

Non tamen velim Lectorem obliuisci, nos quoque ponere certa quędam discrimina inter veterũ sacramenta, & nostra. Nostra enim apertiora sunt, & luculentiora: illorum autem multis modis obscuriora. Nostra rem iam factam & præstitam significant: illorum autem mysteria Christum venturum & moriturum denunciabant. Atqui inde factum est, vt nostra clariora sint, quàm illorũ fuerint. Sunt etiam alia quædam discrimina, quæ nos non grauatè recipimus. Quòd autẽ aiunt, nos corpus Christi habere præsens, qd illi non habuerint, id Inconstantius à nobis nunq̃ auferet. Ad hęc locum illum ex epistola Pauli ad Corinth. qui adducitur in argumẽto, negat ita accipiendum esse, quasi veteres habuerint nobiscũ spiritualem escam, & potum, & baptismum: id enim potius Paulum significare voluisse, veterum sacramenta inter ipsos fuisse cõmunia, quòd omnes iisdem Dei donis fruerentur, cùm tamẽ Deo in illis omnibus non fuerit beneplacitum. Hanc interpretationem fusius tractaui in Commentariis meis in epistol. ad Corinth. Nunc hoc tantũ addam, Si Paulus noluisset mysteria veterum cum nostris sacramentis conferre, nõ oportuisse illum Baptismi facere mentionẽ, aut cùm de potu loqueretur, nominatim exprimere Christum. At ille, *Bibebant*, inquit, *de consequente eos petra. Petra autem erat Christus.* Sed cur iste tantus alioqui patronus Patrum, vt nobis contradicat, tam facilè discedit ab illis? Augustinum saltem audiat in Psalm. 77. ab initio. Is enim adducens istum ipsum locum Pauli ita scribit: *Idem itaq; in mysterio cibus & potus illorum, & noster: sed significatione idem, non specie. Quia idẽ ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus.* Nihil clarius dici potuit. Disertissimis.n. verbis affirmat, eundem

fuisse veterum cibũ,& nostrum:nimirum Christum. Duo tamen ponit discrimina: Vnum ab externa specie: nos enim habemus panẽ & vinum,illi aquam, Circuncisionem, Sacrificia, & varia genera oblationũ,& ceremoniarum:quæ omnia illis eundem Christum ponebant ob oculos,quem nobis hodie nostra sacramenta referunt. Alterum,quòd illa figurarint Christum tanquam venturum: nostra verò,tanquam qui iam venerit,& passus sit.

Audiat etiam Inconstantius eundem Augustinum tractatu 26.in Iohannem: *Sacramentum*, inquit, *illa fuerunt: in signis diuersa sunt: sed in re, quæ significatur paria sunt. Apostolum audi, Nolo,inquit, vos ignorare fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt: & omnes mare transierunt: & omnes per Mosen baptizati sunt in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt: spiritualem vtique eandem: nam corporalem alteram: quia illi manna, nos aliud: spiritualem autem eandem, quam nos.* Ex his perspicuum est, Augustini testimonio Paulum collationem facere inter nos & Patres. Quare nihil erat, cur Inconstantius interpretationem illam positam in argumento ita facilè contemneret. Quàm autem commodè huc rapiat illud, quod postea à Paulo subijtur, *Hæc omnia illis in figura contingebant*: facilè quiuis videre potest,qui apud se velit cogitare, illos nostram conditionem adumbrasse in eo, quòd abutentes sacris mysterijs Dei fuerint grauissimè castigati. Vnde Apostolus concludit, nos quoque, si versemur in simili peccato, eodem modo esse puniendos. Hæc illa figura erat, quam Paulus voluit indicare: quod ex subiectis exemplis facilè colligitur. Commemorantur enim varia supplicia, quibus Hebræi, cùm peccassent, afflicti fuerunt in deserto. Neque illud tacendum est, exempla illa parum futura fuisse efficacia,nisi illi nobiscum habuissent eadem sacramenta. Hoc enim Corinthijs in mentem venire potuisset: illa sacramenta veteres Patres non potuisse liberare, quòd nostris longè fuissent inferiora, & infirmiora: sua autem, cùm essent longè potentiora, facilè se posse defendere: Atque ita nihil fuisse, cur Paulus se veterum exemplis perterrefaceret: At si sacramenta illa quod ad rem attinet, eadem statuantur fuisse cum nostris, exempla ea oportunissimè poterunt ad nostras res accommodari. Ad calcem denique Inconstantius ita claudit responsionem, *Eos qui scripserunt, sacramenta veterum eadem fuisse cum nostris, ad significationem tantùm respexisse.* Quod quàm falsum sit, Augustinus ipse satis indicat. In eo enim loco, quem suprà commemorauí, loquitur de esca spirituali, quam & illis, & nobis ait fuisse communem. Illam autem escam affirmat fuisse Christum.

OBIECTVM LXXXIII.

CONSECRATIO est separatio rei profanæ ad spiritualem & diuinum vsum. Ideò panis dicitur consecrari, quòd separetur à profano vsu ad figurandum & repræsentandum corpus Christi,& spiritualem per Christum nutritionem. Non quòd panis posit esse corpus Christi:eius enim sanctitatis non est capax. Sed idcircò dicitur corpus Christi, quòd sit eius symbolum & figura.

GARDINERVS.

QVEMADMODVM alia vocabula,sic etiam Consecrationis verbum secundùm modum eius,cui significando adhibetur,significationem vel remittit,vel intendit. Apud Iurisconsultos legitur,res sacras dici,quæ consecrantur per Pontifices Deo.

MARTYR.

INficias ire non 'potest, adferri à nobis receptam notionẽ consecrationis vel suorum Iurisperitorum testimonio. Sed cauillatur, istã notionem interdùm,maximè verò apud Theologos intendi, & illud significare, quod dicere ait Emissenum. At si quæras, quanam in re locum habeat hæc admirabilis notio, nusquam eam inuenies nec in Veteri,nec in nouo Testamento,nisi in vna tantùm Eucharistia. Nam in Lege,vasa templi, Leuitæ, hostiæ,Nazaræi, & alia huiusmodi multa consecrabantur. Sub Euangelio homines consecrantur in Baptismo, & ministri Ecclesiæ dicuntur ad sacram functionem obeundam consecrari. Imò Papistæ ipsi volunt,aquam illam suam lustralem, & candelas,& aquam Baptismi consecrari. Quæ tamen res omnes quamuis consecratæ, tamen pristinam suam naturam retinent. In sola autem Eucharistia nouam istam suam notionem inueniunt. Nos verò eam,quoniam ab istis conficta est,nec ex sacris literis probari potest,illis solis relinquemus: & alteram illam notionem consuetam & vsitatam retinebimus.

Sed nũc Emisseni testimonium audiamus: *Inuisibilis*, inquit, *sacerdos panem & vinũ in substantiam sui corporis & sanguinis secreta potestate conuertit.* Hæc mutatio, si, vt suprà docuimus, sacramentalem intelligas, nihil habet incommodi. Nam nos etiam damus, panem & vinum in Cœna domini fieri sacramenta corporis & sanguinis domini. Si aliam transubstantiationem, aut Emissenus,aut quisquam alius, etiamsi Angelus de cœlo sit, conetur obtrudere, cùm ea apertissimè pugnet cum sacris literis, nobis,vt

Paulus

Paulus monet, anathema erit. Verùm ex Incõstantio libenter audire velim, quod nam verbum in illo loco Emisseni videat, quo ille se dicat definire Consecrationem. Dicit, Sacerdotem inuisibilem mutare panem & vinum: illa autem eum consecrare, non dicit. Sed video, Consecrationem, & mutationem idem esse apud Inconstantium: sed ita tamen, vt definitio illa, quam nos adducimus, sit generalis: ea autem, quam putat elici posse ex Emisseno, specialis. O hominem callidum. Nemo vnquam, B præter Inconstantium, tantum sapuit, vt tantùm distinguendo genus & speciem, putaret Transubstantiationem suam defendi posse. Sed prudens lector alia meliora, & acutiora aliunde audiet.

Sunt, qui definiant, *Sacramentum esse sacræ rei signum:* quibus verbis non præscribitur Sacramẽtis nouæ Legis, vt nihil sint aliud, quàm signa. Addit, *Verba inuenta esse, non quæ rebus tenebras inducant, sed quæ lucem afferant.* Quis istam C tam grauem sententiam contemnat? Miror tamen nonnihil, istum ipsum sua lege, quam nobis tulit, teneri nolle. Ille enim passim res verbis ita inuoluit, vt eum de industria iures tenebras tibi velle offundere, & caliginem, ac confusionem quærere. Verùm relinquamus illi istas delicias: & hoc potius videamus, cum ageretur de definitione Consecrationis, cur deflectere maluerit ad definiendum Sacramentum: nec tamen illud ipsum pergat definire. D Timuit fortasse, ne, quemadmodum acceperat graue vulnus ex definitione Consecrationis, ita Sacramenti definitione explicata, prorsus conficeretur. Nihil autem est cur nos vereamur, ne nostra verba non satis sint perspicua: tantam enim lucem rebus adferunt, quanta satis sit ad istorum errores iudicandos.

Pergit Inconstantius, *Non nego*, inquit, *id, quod signum est, induere nomen signati.* Ne subtilium distinctionum imprudens videretur, naturam signorum fecit bipartitam. *Quædam esse* ait, E *quæ res absentes referunt: quædam, quæ præsentes indicant, quæ alioqui lateant, nec sensu deprehendi possint. Quatenus igitur id, quod est in Eucharistia externum, & aspectabile, significat, & refert corpus Christi,* ait, *fieri non posse, vt ab eo absit. Etsi enim lateat, tamen præsens adest.* Nos verò nunquam di-

Ex notione signi non cõcluditur absentia rei significatæ.

ximus, ex notione signi concludi absentiam rei significatæ. Scimus enim, lac in mamillis mulierum signum esse conceptus præsentis: & F pulsum venarum signum esse præsentis animi, & fumum præsentis ignis. Sed ea causa interdum vrgemus definitionem Sacramenti, vt frangamus vestrûm quorundam pertinaciam: qui Eucharistiam, cùm sit Sacramentum, tamen nolunt vllo modo appellari signum: aut in ea vllam tropicam rationem admittere. Esse autem illud signum corporis Christi, quod ad propriam eius rationem attinet, absentis, alijs rationibus confirmauimus.

Iste verò, ne suo iudicio parùm videretur Papistarum de se expectationi respondere, voluit aliquid etiam extra oleas philosophari. Fate- G tur, elementum panis propter munus illud significandi, induere nomen corporis Christi: ea tamen lege, ne veræ rei præsentia minuatur. Cæterùm sepositа nunc ad tempus disputatione de præsentia, scire velim, quidnam iste intelligat, cum dicat Elementum panis. Si intelligat panem ipsum esse elementum, quo doceamur, corpus Christi actum fuisse in crucem, nostra causa, & esse fidelium spiritualem cibum, rectè dicit. Sed cùm manibus & pedibus tueri velit suam Transubstantiationem, necesse est, vt per elementum panis, accidentia panis intelligat. Quæso ergo te, Inconstanti, ne graueris, etsi non mihi, saltem lectori ostendere, vbinam locorum, aut gẽtium vnquam audiueris, accidentia appellari rei alicuius elementa. Certè præter te solum, qui nobis ita vehementer authores, vt verba rebus lucem adferant, nemo vnquam mortalium inuentus est, qui ita loqueretur.

Posteà ait, se fateri, *Panem non esse corpus Christi,* quòd à nobis sumitur in argumento. Rationem tamen, qua id probatum est, contendit esse vitiosam. Hîc autem ita hebes est, ne quid in eum grauius dixerim, vt existimet, nos idcircò dicere, panem non esse corpus Christi, quòd non sit capax vllius sanctitatis. At nemo vnquã noſtrûm id ne per somnium quidem cogitauit. Verùm ita Inconstantium legisse oportuit, panem eius sanctitatis, videlicet, quæ est in corpore Christi, non esse capacem. Atque id re vera ita habet. Et idcircò panis non est re ipsa corpus domini, quòd sanctitatis, & præstantiæ eius corporis, non sit capax. Quod autem iure optimo detrahitur substantiæ panis & vini, id Incõstantius pro sua singulari doctrina intelligere debuit, accidentibus multò minus vel debere, vel posse attribui. Quare, cum hic sit sensus argumenti, frustra laborauit, vt tanquam per gradus quosdam, & lineas à Deo, qui ipsa est sanctitas, multiplices, & varias formas sanctitatis deduceret, quibus & Angeli, & homines, & etiam Sacramenta dicantur sancta. Quasi verò nostri homines, cùm agitur de Eucharistia, non soleant subinde panem illum sanctum appellare.

Sanctitatis corporis Christi panis non est capax.

Quod autem panem Eucharistiæ non tantùm sanctum vocat, sed etiam ipsam sanctificationẽ, idq; testimonio Chrysostomi, id ita intelligendum est: Patres sæpè id, quod rei est ipsi, attribuere Sacramentis: non autem sensisse, panem illum propriè esse corpus Christi, qui sit ipsa essentia sanctitatis. Hanc interpretationẽ iste affinxit de suo. Nam in illa 17. homilia Operis imperfecti, quod Chrysostomo tribuitur, non habetur. Sed cur ex eadem homilia, hæc verba non adscripsit? Benedictus panis sancta sunt: propterea illis porrigenda sunt, qui capaces facti sunt benedictionis per fidem. Sed ista callidè præterire voluit, quòd ea videret dicere, in Eucharistia etiam tunc esse panem, cùm porrigitur fidelibus: atq; ita Transubstantiationem suam tolli funditùs.

Posteà citat verba ista Cypriani: *Significatè*

olim à tempore Melchisedech prodeunt sacramenta: & filijs Abrahæ facientibus opera eius summus Sacerdos profert panem & vinum, Hoc est, inquiens, Corpus meum. Priusquam longius ingrediar ad huius loci expositionem, annotandam duxi esse illam clausulam, *Profert panem & vinum*: ijs verbis Cyprianus respexit ad Melchisedechum qui Abrahamo redeunti à bello, & eius militibus cibum proposuit, quo fessi laboribus reficerentur.

Melchisedechus non Deo panem & vinum protulit sed Abrahamo & exercitui eius.

Hæc ideò dico, vt illos coarguam, qui & Christum clamitant sacrificasse in cœna, & Melchisedechum obtulisse Deo panem & vinum: cùm neuter illorum nec in Genesi, nec in Euãgelio legatur sacrificasse: verùm, cibo tantum prolato, Christum Apostolos suos pauisse, Melchisedechum milites. Addit Cyprianus: *Manducauerunt de eodem pane secundum formam visibilem.* Hæc quoque docent, manere in Eucharistia naturam panis. Etsi enim corpus Christi percipiatur, quod certè non cernitur, tamen id, quod specie visibili, videlicet ore, ac dentib⁹ comedi ur, disertissimis verbis ait esse panem. Sequitur: *ed ante verba illa cibus ille communis tãtùm nutriendo corpori commodus erat, & vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo à domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, Hæc est caro mea, & Hic est sanguis meus, quotiescunq; ijs verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione solenni sacratus ad totius hominis vitam salutemq; proficit: simul medicamentum, & holocaustum ad sanandas iniquitates & purgandas infirmitates existens.* Hic li et mihi admonere Lectorem, Verba illa, quæ appellant consecrationis, alia fuisse tempore Cypriani, alia nostro. Hæc enim verba ille recitat: *Hoc facite in meam commemorationem: Hæc est caro mea*: &, *Hic est sanguis meus*, & addit, *Quotiescunq; ijs verbis, & hac fide actum est*, &c. Quid igitur hic respondebunt illi, qui sua illa à Christo, & ab Apostolis ita tradita, & sacrosancta esse aiunt, vt ne apex quidem illorum minimus mutari possit? Certè, cum verba ista, vt satis apparet, non sint eadem, necesse est, vt aut Cyprianus, aut isti aliquid immutarint. Atque ita minus erant fixa, & certa illa verba, quibus suam Transubstantiationem conficiãt. Quod autem præterea Cyprianus ait, *cibũ hunc alioqui communem, post consecrationem facere ad salutẽ totius hominis*, id nos quoq; semper dedim⁹ & docuim⁹ Et hoc illud est, quod dicebatur in argumẽto, *separari à profano vsu.* Panis enim iam fact⁹ Sacramentum, non tantùm corpus alit, sed etiam animam. Ea enim communicando in cœna corpus ipsum Christi per fidem sumit, & amplectitur. Sed Inconstantius addit, *Hæc Cyprianus de Consecratione scribit: vbi non tantùm ad spiritualem & diuinum vsum fit rei profanæ separatio, sed ipsius rei mutatio: vt ex pane fiat corpus: ex vino sanguis: quæ Cyprianus dicit medicamentum, & holocaustum.* Mutationem symbolorum fieri, sæpè iam diximus, sed sacramentalem: quæ certè talis est, vt panis, vinique substantiam non auferat. Neque sanè Cyprianus eam auferri, aut perire dixit. Eam autem mutationem vtrunq; sequitur: & vt panis, ac vinum separentur ad vsum sacrum: & vt efficiantur Sacramenta, & ad salutem nostram promouendam faciant. Ea verò eatenus dicimus fieri carnem & sanguinem Christi, & medicamentum, & holocaustum, quatenus illa, quæ rei significatæ congruunt, signis & symbolis attribuuntur: deinde etiam, quatenus spiritus sanctus istis organis efficaciam carnis Christi, hoc est, veri medicamenti, & holocausti, excitat in animis communicantium. Is enim dum sacramenta frequentamus, infirmitates nostras curat, & animos repurgat. Eius enim instinctu fides accenditur, quæ carnem domini & sacrificium ex ea in cruce oblatum apprehendit: quam seriò, & vera fide complectentes absoluimur à peccatis, & corpore, animoq; ad æternam vitam instauramur. Pergit porrò Inconstantius inculcare, atq; vrgere testimonium Cypriani.

Verba consecrationis tempore Cypriani non fuerunt tãtum quinque.

Quomodo Eucharistia sit medicamentũ & holocaustum.

Christus, inquit Cyprianus, *vsque hodiè hoc veracißimum & sanctißimum corpus suum creat, & sanctificat, & benedicit.* Dum hæc expendo, nonnihil desidero prudentiam Inconstantij, quam eius parasiti prædicare solẽt esse admirabilem. Non enim oportuit ea citare testimonia, quib⁹ facilè videre potuisset, causam suam iugulari. Deinde non videt, aut videre noluit, quibus tropis ista necessario exponenda sint, vt aliquo modo possint vel ab ipso recipi. Certè corpus Christi simpliciter, & absolutè creari, sanctificari, benedici non potest. Cùm ergo Cyprianus hîc dicat, Christum creare, sanctificare, & benedicere corpus suum, vel Papistarum ipsorum in hac re iudicium non recuso. Nam ne illi quidem vnquam ausi sunt Transubstantiationem suam creationem appellare. Corpus enim Christi prius extitit, quàm ista consecratio inuenta esset. Adhæc, quis sanus dicat, Corpus Christi quotidie benedici, aut sanctificari? Illud enim nec benedictione, nec sanctificatione opus habet. Inconstantius ergo, cùm nomine, atque authoritate Cypriani vellet Veritatem opprimere, imprudens se ipsum induit in laqueum: & ea contra nos profert, quæ ne ipse quidem possit ferre. Hîc velit, nolit, cogitur accedere ad nostros tropos: quos alioqui fugere, & horrere solet, vt hæreticos. Cyprianum ita tueri possumus: quia, quod est symbolorum, id vsitato sermone rebus significatis adscribitur. Idcircò, quia panis benedicitur, sanctificatur, & fit Sacramentũ, ideò corpus Christi, cuius panis est Sacramentum, sanctificari, benedici, & creari dicitur. Eadem loquendi ratione Chrysostomus interdum dicit, corpus Christi pal pari, tãgi, videri. Ita enim proprietates Sacramentorũ ascribit rebus ipsis, quæ in illis repræsentantur. Id autem, quod ex his Inconstanti⁹ vult conficere, minimè sequitur: nimirum ea, quæ hîc Cyprianus dicit, sub communi definitione Sacramenti non comprehendi: qua dicimus, ea quæ consecrantur, ab vsu profano traduci ad vsum spiritualem & diuinum. Complexus est ea definitione Cyprianus benedictionem, sanctificationem, creationem: quæ nisi de pane, qui efficitur Sacramentum, intelligi

Quomodo corpus Christi dici possit creari, sanctificari, & benedici.

non

non possunt. Nam ista tribuere corpori Christi magna est blasphemia.

Deinde testis adducitur Basilius: qui in sua Leiturgia ita precetur, Vt sanctum, & impollutum corpus Christi & sanguinem pretiosum consecret. Has preces Basilij, qui simpliciter, vt sût, intelligit, necesse est, vt ille se in magna absurda conijciat. Nam corpus Christi satis per sé, superque sacrum, & sanctum est: vt illi noua consecratione nõ sit opus. Quanti autem ponderis illę sint Leiturgię, nũc non repetam: nam in ipso ingressu huius libri ea de re, quid mihi videretur, satis dixi. Admonet præterea Inconstantius, verbis istis, vt existimat, Basilij, mentionem fieri de gratia sacerdotij: quo visibilis ministerij gradum intelligamus, cui hæc mandata sit consecratio. Quorsum autem ista dicat, non intelligo. Mihi sanè videtur, aerem verberare. Nunquam enim nostrum quisquam Consecrationem, hoc est, mutationem illam spiritualem, aut ministerij dignitatem labefactauit. Ad hæc inducit Basilium suum, sed, vt facile est creditu, supposititiū, qui in Leiturgia sua oret Christum, quem ait huius ministratorij, & incruenti sacrificij consecrationem nobis tradidisse, *vt Deus omniũ*, &c, quibus verbis ait, apertè doceri, Christum non mandasse omnibus, vt id facerent, sed illis tantùm quibus dederit gratiam sacerdotij. Videat ipse in quos ista iactet. Ecclesiæ nostræ proprios ministros habent, neque confusè, aut perturbatè quicquam agunt: nisi fortè hoc dicat, neminem se agnoscere pro ministro Ecclesiæ, qui rasus non sit, & oleo delibutus. Id si sentit, cur Christum & Apostolos, ex albo ministrorum non expungit? Illi enim nõ tantùm vncti & rasi non fuerunt, sed ne gry quidem vnquam de tantis mysterijs mandauerunt. Sed vt redeam ad Basilium, ille se fatetur consecrare incruentum sacrificium. Hîc mihi respondeat Inconstantius, vtrum sacrificium illud incruentum putet panem esse, aut accidentia. Negabit, scio. Grex enim vniuersus Papistarum incruẽtum sacrificium appellat corpus Christi, quod aiunt latère sub accidẽtibus. Disputationis causa fateamur sanè ita esse. Sed quomodo tandẽ euincet Inconstãtius, corpus ipsum domini, quod incruentum appellant sacrificiũ, quodq; necesse est fateantur, sanctissimum sacratissimumq; esse, denuò à sacrificulo consecrari? Profectò, quod consecratur, id necesse est antea fuisse profanum. Id autem quẽadmodum Christi corpori conueniat, ipsi viderint. Quare, nisi aliter de symbolis, nunquam ea poterunt omni sua sophistica diluci-dè interpretari.

Si opus est vnctione ad sacrum ministeriũ, tum neque Christus neque Apostoli fuerũt ministri.

Corpus Christi non potest denuò à sacrificulo consecrari.

Huc addit Hesychium ita scribentem lib. 2. cap. 8. in Leuiticum: *Aron & filij eius illud rectè comedunt. Nisi enim Christus rogatus ore sacerdotis ipse venerit, & Cœnam sanctificauerit, & initiauerit, ea quæ aguntur, nullatenus erunt sacrificium domini.* Hîc mihi prius quiddam dicendum est de vniuersa ratione Inconstantij, quam ad singulos istos Patres excutiendos ingredior. His longis ambagibus hæc duo iacit fundamenta: Primum, Consecrationem, qua de nunc agitur, non fuisse tantùm sacerdotibus, quorum est gradus inter homines honestissimus, committendam, neque eam à Christo fuisse expectandam, quem Patres aiunt vnà cum sacerdote consecrare, vt sine cuius vi, & præsentia nihil agi possit, nisi aliud quiddã ibi spectetur, quàm vt panis & vinum ab vsu profano, ad diuinum, & spiritualem vsum transferatur. Putat ergo hinc satis confectum esse, ista consecratione elementa terrena transsubstantiari. Nam alioqui necesse non fuisse, vt ad eam conficiendã Christus cũ sacerdotibus conueniret. Quàm autem ista ruinosa sit argumentatio, facilè ostendam exemplo baptismi. Patres Orthodoxi solent dicere, eos qui in baptismo tinguntur, consecrari Deo: & ita consecrari, vt prorsus immutentur, & ex terrenis fiant cœlestes: & ex hominibus animalibus, membra Christi: & ex filijs hominum, filij Dei. Et ijdem Patres ad istam Consecrationem, aut immutationem aiunt, non tantum requiri verba, vt interdum loquuntur, sacerdotis, quæ descripta habemus in sacris literis, sed ipsum etiam Christum. Idque ostẽdunt ex Euãgelio. Iohannes enim ait, se quidẽ baptizare aqua: Christum autem esse, qui tingat spiritu sancto, & igne. Hoc Inconstantius in omnibus sacris literis nũquam inueniet dictum de Eucharistia. In illis enim Consecratio ista, & immutatio panis non attingitur. Nec minus Christum venire ad eam consecrationem ac mutationem perficiendam. Quare, si hæc duo, quæ iste tot modis amplificat, nimirùm actio Christi, & sacerdotis ministerium requirantur in Baptismo, idque non tantum Patrum testimonio, sed etiam ipsarum scripturarum, quæ homines ibi ita testantur immutari, vt prorsus regenerẽtur, ita tamen, vt nulla vel aquę ipsius, vel hominum interueniat Transubstantiatio, quid obsecro, his tot verbis confecit de Eucharistia? Dicẽtne, sacerdotes non esse, qui baptizent? Atqui hoc illis à Christo mandatum est. An Christum negabit baptizare? At Iohannes ait, eum baptizare in spiritu sancto, & igne. An eos, qui baptizantur, negabit immutari? At scripturæ clamant, esse hoc sacramentum Regenerationis. Quòd si hęc omnia sine vlla Transubstãtiatione possunt consistere in Baptismo, cur eadem non possunt in Eucharistia? Sciat ergo Inconstantius, probationem istãm suam ostentationi non respondere, & prudenti Lectori non satisfacere.

Nũc tuto accedere possumus ad testimonia Patrum, postquam quo ea consilio citata sint, ostendimus. Et certè multis verbis non erit opus. Duo enim illa, quæ Patres probant, facilè recipio: nimirum, Sacramentum Eucharistiæ confici opera ministri Ecclesię, & potẽtia Christi: deinde, illa elemẽta mutari in corpus Christi. Panis enim ita cõsecratus, vt dominus instituit, fit suo modo Christi corpus, vt sępè docuimus. Sed hoc mihi in Hesychio attẽdat Inconstantius, quod ait, *Sacrificium nullo modo in Cœna fieri, nisi Christus ore sacerdotis rogatus veniat, Cœnãq;*

Miracula prophetarum, non sūt humana benedictione facta.

initiet, & sanctificet. Hæc nos nihil turbant, sed Papistarum ritus apertissimè condemnant. Illi enim omnia ea, quæ ad Consecrationem pertinent, premunt altissimo silentio, & magna religione cauent, ne ab astantibus audiantur. Hic si ille sacrificulus nebulo, vt sæpè fit, & sceleratus fuerit, quales in illo grege permulti reperiūtur, & pro sua nequitia alia quæuis secum musitet, preces autem illas intermittat, quibus roget Christum, vt accedat, aut verba illa, quæ vos Consecrationis appellatis, intermittat, quomodò, quæso, res habebit? aut quale vos sacramentum adorabitis? Ista ergo, quæ tu ita diligenter collegisti è Patribus, magis vestra instituta conuellunt, & damnant, quàm nostram illam definitionem in argumento positam confutent.

Deinde exultat mirabiliter sophista noster de loco illo Ambrosij, De ijs qui initiantur mysterijs, cap. 9. Scribitur enim ibi ad hunc modum: *Quòd si tantum ibi valuit benedictio humana, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina: vbi verba domini saluatoris operantur?* Primùm, Verba ista Ambrosij non esse ad vnguem exigenda, vel id oste[illegible]dit, quòd humanam benedictionem per quandam antithesin opponit Consecrationi diuinæ: quasi miracula illa, quæ edita fuerint benedictione, aut precibus prophetarū, humana virtute facta fuerint. Atqui haud dubiè, cum Moses, Elias, Elizæus ea efficerent, quæ vim naturæ superarent, etsi illi verba, & ministerium suum supeditarent, tamē aderat Deus, & sua vi, non ope aliqua humana, admiranda illa signa exhibat. Quam ergo ob causam Ambrosius illam humanam benedictionem, istam autem diuinam appellet, ipse viderit. Ego enim eandem planè benedictionem vtrinque video. Quod autem ad sententiam pertinet, nos quoque dicimus, ad efficiendum sacramentum requiri vim diuinam. Et quamuis nullum aspectabile miraculum affingamus, quod ne vos quidem potestis ostendere, eius tamen conditionem maiorem, atque ampliorem esse, quàm quæuis sit naturæ potentia, confitemur. Et idcircò, vt idem Pater scribit in eodem libro, cap. 9. non aliam hic requirimus Dei vim; & facultatem, quàm quæ effecit, vt præter ordinem Virgo generaret. Eundem enim illum spiritū qui obumbrauit Mariam, vt conciperet, non dubito adesse pani, & vino, vt efficiantur sacramenta corporis & sanguinis domini. Neque aliud sibi voluit Chrysostomos, cum in hom. 83. diceret, *Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa Cœna confecit. Ipse nunc quoque operatur: ipse perfecit. Ministrorū nos ordinem tenemus: Qui vero hæc sanctificat, & transmutat, ipse est.* Hæc appositissimè scribuntur: quòd solius Dei sit efficere sacramenta. Sed cur ea verba tacentur, quæ idem Chrysostomus in eadem homilia paulò ante scripserat? *Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis à Christo: sed rebus sensibilibus omnia, quæ tradidit, insensibilia sunt. Sic & in Baptismo per aquam, quæ res insensibilis est, donum illud conceditur. Quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet, & renouatio, intelligibile quiddam est.* Hic videmus Eucharistiam conferri cum Baptismo: quæ comparatio satis erudire potuisset Inconstantium, nisi ille ad veritatem prorsus obduruisset, Transubstantiationem istam suam non magis in Eucharistia necessariam esse, quàm in Baptismo.

Quod autem Chrysostomus idem scribit, De proditione Iudæ, *Hoc est corpus meum: Hoc verbo proposita consecrantur*: id adduxit Inconstantium, vt concluderet, Hæc esse verba Consecrationis. Verùm si quis ita resisteret, vt diceret, se nescire, an sola ista verba faciant ad Consecrationem, & ad eam sententiam confirmandam diuinam scripturam exigeret, quid hic posset iste respondere? Credo equidem, cum postularētur verba Dei, opponeret Chrysostomum. At illi nos vicissim ea possemus ingerere, quæ paulò ante notauimus ex Cypriano. Sed de Chrysostomo quoq; licet respondere, eum non dicere, Sola ea verba: ideoque posse intelligi alia permulta simul coniuncta efficere consecrationem: etsi fateatur, hæc esse præcipua. Si quis ista obijciat, nescio ad quem tandem idoneum authorem Inconstantius possit se conuertere. Hæc non idcircò scribo, quòd huiusmodi sententia nostram causam magnopere lędat. Nos enim in nostris Ecclesijs sine illis verbis Cœnam domini non celebramus: sed vt doceā, quàm temerarium sit, de talibus rebus, quod Inconstantius, & alij similes faciunt, statuere noua dogmata.

Ad Hieronymi dicta ex eius epistola ad Heliodorum, non video, quid me oporteat respondere. Nam illis nihil aliud, quàm extollitur dignitas sacri ministerij. Qua in re animus mihi non est, ea quę à patribus magnificè dicta sunt, vlla ex parte imminuere.

Neq; contra nos quicquā facit locus ille ex lib. 2. Fulgentij ad Monimum. Etsi. n. dicat, Filiū Dei sanctificasse corpus suum, quod obtulit in cruce, vt nos redimeret: non tamen puto eum per sanctificationē intellexisse Transubstantiationē. Nā si ita sentiret, possemus rectè interrogare, quā in re maliā Christus corpus suum transubstantiarit. Equidē credo, corpus Christi ita fuisse sanctificatum, vt destinatum fuerit ad vsum sacrificij. Nam alioqui, quod ad corpus ipsum attinet, propter vnionem eam, quam habuit cum diuinitate, etiam antequam moreretur, satis erat sanctificatum. Atque hoc modo profiteor, cœnam nostram & à patre, & à filio, & à sancto spiritu sanctificari, vt ex communi pane fiat Sacramentum viuificæ carnis domini. Sed cur ista tam multis agimus? Certè Papistæ Baptismi etiam aquam consecrant, idque tot exorcismis, tanto strepitu, tanto apparatu, salis, olei, aliarumque ineptiarum, vt bis in annum satis longum tempus, in huiusmodi spectaculis occupetur. Et quis nescit veteris quoque Testamenti sacramenta fuisse consecrata? nec tamen in illo istorum vnquam intercesserit

Quomodo corpus Christi dicatur fuisse sanctificatum.

tran-

transubstantiatio. Quare Inconstantius tot amplificationes, & ambages frustra perdidit.

Casiodori verò sententia, quam adducit, Transubstãtiationem appositissimè confutat, Nam eius verba sic habent: Cui enim potest veraciter, & euidenter aptari, nisi domino Seruatori, qui corpus & sanguinem suum in panis & vini erogatione salutariter consecrauit? Nemini arbitror obscurum esse, dominum in cœna discipulis suis perfectum Sacramentum distribuisse. Casiodorus autem scribit eum erogasse panem & vinum. Quòd si nos captare voluissemus testimonium ex isto patre ad refutandam Trãsubstantiationem vestram, vix potuissemus aliud ex omnibus eius scriptis aptius inuenire.

Augustinum autem videat Inconstantius, quo iure, quasi obtorto collo, huc attraxerit. Nam ille contra nos testimonium non dicit. Nam in libro sententiarum Prosperi de symbolis Sacramenti ita loquitur: *Fatemur, ante consecrationem panem esse, & vinum, quod natura formauit: post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit:* ex istis quoque verbis, si rigidè accipiantur, habemus carnem & sanguinem domini consecrari: cum ea etiam antequam veniatur ad cœnam, non dubitemus fuisse sacratissima. Panis ergo & vinũ consecrantur, cum corporis & sanguinis domini efficiuntur Sacramenta. Neque hæc verba Augustini definitionem consecrationis in argumento positam euertunt. Aliquid autem coloris haberent commenta ista Inconstantij, si nos per consecrationem diceremus, nullum genus mutationis accedere. Cum verò dicamus, symbola ita mutari, vt fiant Sacramenta, quicquid iste garriat, aduersus nos nihil promouet.

Postremò captat alia quædam verba eiusdem Patris ex libro secundo, de Peccatorum meritis & Remissione, capite vigesimosexto, quibus Augustinus testatur, panem quoque capacem esse sanctificationis. Id si nos negare vellemus, pugnaremus cum sacris literis. Illæ enim panes propositionis, & alias quasdam oblationes, & victimas, non tantùm sancta vocant, sed etiam sancta sanctorum. Non ergo omnem sanctitatem auferimus à pane Eucharistico, sed eam tantùm, quæ aut Christo, aut Angelis, aut sanctis hominibus conueniat. Ea enim attribui non potest pani, quòd ille sit creatura, vt Epiphanius ait, vndique insensibilis. Iam verò ea, quæ ad extremum capitis adiecta sunt ab Inconstantio, non argumenta sunt, sed impudentissimi rabulæ conuitia indignissima, quibus aliquid debeat responderi. Scripsit ea fortasse, non tantùm corporis ventriculo ieiuno, sed etiam animo ab omni pietate, & modestia vacuo. Doctrinæ enim in nos nihil, fellis autem aterrimi vniuersum plaustrum effudit.

Non omnis sanctitas à pane Eucharistico aufertur.

OBIECTVM LXXXIV.

PAPISTAE nescIunt, quibus verbis Consecratio illa sua fiat. Nam Scotus, & Innocentius III. dicunt, Consecrationem esse in verbo, Benedixit. Alij dicũt, eam positam esse in ijs verbis, Iube hæc perferri: alij in ijs, Hoc est corpus meum. Hæc varietas indicat ignorantiam. Quod autem incertũ est, haberi non potest pro doctrina constãti. Et si incerti sunt de Consecratione, certè de præsentia non possunt esse certi. Quare præsentia illa realis corporis domini in Eucharistia, haberi non potest pro doctrina Christi.

GARDINERVS.

QVAE est ista tandem ingeniorum peruersitas, omnia rapere ad calumniam? & quod veritatis argumentum sit candidis, illud ad infirmandam veritatem citare?

MARTYR.

ANtequam de Inconstantij responsione dico, visum mihi est aliquid de hoc argumento præfari. Ego quidem illud, quomodo nunc proponitur, nusquam me legisse, aut audisse memini. Quare suspicio est, istum illud, ea qua solet, fide proposuisse. Non inficior, interdum à nostris esse dictum, Sophistas ipsos ignorare, quibus verbis Consecratio illa, quam toties iactant, perficiatur: eorumque morem esse, ea constanter affirmare, quæ nesciunt. Quare mirum non esse, si realem præsentiam, & Transubstantiationem suam tam vehementer propugnent, cum vtrunque, si verum fateri velint, prorsus nesciant. Hæc paucis monere volui, ne Lector putet, nos argumenta ita malè nata peperisse. Ea enim de industria Inconstantius peruertit, vt illorum vis, & fides infringeretur.

Quod autem ad rem attinet, ait suos, etsi inter se non vsque quaque consentiant de verbis Consecrationis, de re tamen ipsa, hoc est, Consecratione & reali præsentia corporis Christi, nunquam dubitasse, & candorem illorum potius nobis argumento esse debuisse, doctrinam istam puram, & simplicem non fuisse humano astu, aut fraude confictam, cùm authores eius tam liberè, quod videtur, profiteantur, cum ó; omnes de summa, vt inquit, summè inter se cõueniant: istâ varietatẽ, præsertim ita paruâ, non debere esse tãti, vt ex ea possimus euincere, illos hoc mysteriũ ignorasse. Vt ad singula respondeamus, primùm, Inconstantius hoc sibi sumit tanquam certum, & constans, suos omnes de re ipsa consentire. Atqui nos illi hoc non damus. Fuerunt enim ex scholasticis, qui senserint, & scripserint, non esse firmam rationem, aut certum verbum Dei, quod Transubstantiationem necessariò probet: nisi illa sententia ab Ecclesia, quam illi intelligunt Romanam, fuisset decreta, & stabilita. At alij omnino contendunt, eam apertissimè constare è sacris literis. Deinde alij ex illis extrudunt naturam panis: relinquunt autem sola accidentia. Non defuit tamen, qui etiam post ipsam Consecrationem Paneitatem, vt ipse loquitur, statuerit retineri. Huc adde, illa carnis Christi præsentia, vel qualis, vel quomodò sit, non omnes expediunt eodem modo. Neque verè dici potest, illos inter se de summa rei consentire, sed potius ad sellam Romanam fulciendam, & ad pontificiam tyrannidẽ confirmandam, omnes inter se iniquissimè conspirare. Certè si Græcos consulamus, illi semper à Transubstantiatione abhorruerunt: nec in Florentinó Conciliabulo sub Eugenio IV. illi dogmati voluerunt subscribere. Patrum etiã scripta, si præsius inspiciantur, ab isto errore, quem vos defenditis, longissimè absunt. Imò Tonstallus etiam vester non minus vanus, quàm recens author, tamen perspicua veritate coactus, fatetur, ante Innocẽtium III. licuisse hominibus Christianis fidem Transubstantiationi non habere: quòd illa nondum fuisset ab Ecclesia constituta. Atque ita suauis Episcopus arbitratur, fidem Christianam non à sacris literis pendere, sed ab Ecclesia. Quare cùm scriptores vestri, & Ecclesiæ, quibus vnicè fiditis, tantoperè inter se dissentiant, vbi illa est, quam toties crepare soletis, consensio?

Græci non admiserunt Transubstantiationem.

Tõstallus.

Neque ego facilè dederim, dissidium istud de consecratione ita leue esse, vt id videri vult Inconstantius: non quidem, quod ita existimet, sed quòd videat, se non posse aliter causæ susceptæ inseruire. Dicat enim mihi, cum de illis nihil adhuc sit certi, & explorati, si sacrificulus, dum missam facit, alia fortè quædam secum recitet, illa autem omittat, in quibus situm sit caput Consecrationis, quid fiet? Certè, si verum fateri vultis, non consecrat: non magis, quàm si is, qui baptizat aliquem, cætera dicat quidem omnia, quæ ad illum ritum adiecta sunt, ea autem, in quibus vniuersi sacramenti pondus esse creditur, omittat. Vides igitur Inconstanti, quanti sit, de illis verbis vestris ambigere: quod tamen de vestris Theologis negare non potestis. Hæc vobis non euenirent, si res ad pietatem pertinentes, non ex hominum commentis, sed ex verbo Dei petendas esse statueretis. Nihil igitur causæ est, cur consensum vestrum tantoperè efferatis. Veritas enim Dei nulla hominum coniuratione mutari potest. Quare consentiatis pro vestro arbitratu, quantum voletis: pugnantia tamen cum verbo Dei, quales sunt vestræ istæ Trãsubstantiationes, & reales præsentię, nunquá vllo cõsensu euincetis.

Ad extremum, ne videretur de tanta re titubare, quod ad verba consecrationis attinet, illud ait se obtinuisse, Consecrationem fieri illis verbis, *Hoc est corpus meum.* Ego autem pro eo, quanti hoc sacramentum facio, quæro ex illo, quorum suffragio hoc obtinuerit. Hoc certè negare non potest, fuisse quosdam ex Patribus, eosque non contemnendos, qui Consecrationem nõ istis verbis, sed precibus adscripserint. Mitto Hieronymum, qui requirit etiam sanctitatem consecrantis. Nam in cap. 3. Zophoniæ ita scribit: *Sacerdotes quoque, qui Eucharistiæ seruiunt, & sanguinem domini populis eius diuidunt, impiè agunt in legem Christi, putantes, Eucharistiam imprecantis facere verba, non vitam: & necessariam esse tantùm solennem orationem, & non sacerdotum meritа de quibus dicitur, Et sacerdos, in quo fuerit,* &c. Vt verus sit consensus, oportet vel nullos, vel paucissimos, vel saltem primores Ecclesiæ proceres, & Doctores nõ dissentire. Atqui ego paulò suprà ostendi, Cyprianum verba illa, quæ appellant Consecrationis, longè aliter, quam isti solent, pronũciasse. Ait enim, non, *Hoc est corpus meum:* sed, *Hæc est caro mea.* Hęc ego, quoniam leuia sunt, non commemorassem hoc loco, nisi timuissem, ne magnificæ istæ iactationes Inconstantij indoctioribus fucum facerent.

OBIECTVM LXXXV. LXXXVI. LXXXVII.

SI Papistica doctrina vera esset, Deus Ecclesiam suam idololatriæ periculo obiecisset. Multa enim possunt euenire, quæ sacerdotis consecrationem impediant.

Quod

Quod si fieret, populus pro corpore Christi adoraret idolum. Vt si sacerdos non sit ritè consecratus, aut hæreticus, aut excommunicatus, aut simoniacus: aut, si verba non fuerint perfectè pronunciata, quod sciri non potest, cum illa tacitè, & in silentio musitentur: aut si minister non intendat Consecrationem: aut si materia non sit talis, qualis præscribitur. Istis omnibus rationibus impeditur Consecratio. Deus autem omnibus modis reuocat Ecclesiam suam ab idololatria: Igitur hæc istorum doctrina non est vera. Ad hæc sacrificus malus, & impostor posset ea verba reticere, aut immutare, aut peruertere. Et quoniam volunt, intentionem quoque ministri necessariam esse ad consecrandum, potest fieri, vt missificator prorsus aliena sit intentione, & de eo, quod agatur, nihil cogitet, aut fortasse re ipsa nolit consecrare. Quare statuendum non est, vi verborum Corpus Christi realiter, & substantialiter adesse in Eucharistia, ne populus cogatur idolum adorare pro Christo.

GARDINERVS.

QVOD docuit nos Christus, de corde exire mala, significat, opinor, mala ex nobis oriri, non aliunde inferri: adeò error, qui extrinsecus obtingat, nec vitari per humanam imbecillitatem posset, capitalis non est, sed facilè à Deo consequitur misericordiam.

MARTYR.

IDcircò visum est mihi tria ista argumenta coniungere, quòd eandem propemodum quæstionem contineant, & semper à nostris coniungi soleant. Ea vero nunc Inconstantius de industria distrahere, & lacerare voluit, vt ita disiuncta minus haberent roboris. Primùm respondet, errorem, qui extinsecus obueniat, nec per humanam infirmitatem vitari possit, capitalem non esse, sed à Deo facilem consequi misericordiam. Fingamus sanè id, quod Inconstantius dicit, ignaram, & rudem plebeculam non esse ita grauiter culpandam. Quid tamen dicemus de sacrificis, qui istas suas musitationes impudétissimè potius tueri volunt, quàm tanto periculo subuenire? Qua tandem illi excusatione, aut deprecatione vti possunt? Nam in illorum manu situm est, vt omnia ea, quæ dicuntur in sacra Cœna, aperta, & clara voce recitentur, eaq; lingua, quam omnes possint intelligere. Illi verò maluerunt Ecclesiam in grauissima pericula, & turpissimos errores obijcere, quàm vel vnguem transuersum à sua pertinacia discedere. Sit populo, vt dicis, facilis erati venia. Vobis tamen quomodo ignosci potest, qui iam decies millies admoniti, nũquam tamen verbo Dei cedere, & manus dare voluistis? Friuolũ autẽ est, quod addit, *adorationẽ ferri in Archetypum, & ita præstari, vt conditio addatur, si omnia ritè, atque ordine acta fuerint.* Quod respõdet de archetypo, non incommodè inseruire potest nostræ causæ. Nos enim in sacramentis corpus Christi in cœlo residens veneramur. Vobis autem cùm realem istam, & crassam præsentiam omninò necessariam esse statuatis, quid potest ista ratio archetypi esse vsui? Neque ita subtilis est popellus vester, vt cũ Missis interfit, crustula vestra cum istis conditionibus adorare possit. Illi enim liberius & crassius volunt agere, & perpetuo iactare, se Deum suum vidisse in vestris laganis.

Post hęc Inconstantius magnum se facit patronum Dei. Quærit enim, an Deo adscribenda sit idololatria Hebræorum, cùm illi Serpentem æneum adorarent, quod illum non nisi eius iussu fecerint. *Non*, inquit, *Deus populum suum exposuit idololatriæ: sed illi in eam sua sponte prolapsi sunt.* Atqui homo argutus, dum ista nobis obijcit, vel non videt, vel astutè fingit se non videre, quantum institutum istud Papistarum distet à consilio Dei. Ille enim iussit, vt vulnerati à serpentibus respicerent ad serpentem ęneũ: vt autem illum adorarent, nunquam imperauit. Isti verò in Missis suis idcirco panem attollunt, vt & spectetur à populo, & adoretur: & flammis crudelissimè persequuntur omnes, quicunque negare velint, huiusmodi panaceũ Christum esse adorandum. Quare, si vultis aliquo saltem colore vnà cum populo excusari, vel adorationẽ istam panis, quam vos populo nefariè obtrusistis, auferte, vel curate, vt omnia in templis à ministris vestris, maximè verò ea, quæ ad Consecrationem pertinent, clara voce, & lingua, quę à populo intelligi possit, pronuncientur: vel denique, quod caput erit iustæ emendationis, somnia ista vestra de Transubstantiatione, & reali præsentia, quibus nimium iam diu oculos hominum excæcastis, repudiate. Néue strophas deesse putemus nostro Proteo, ait, *Si Deo extimescenda fuissent huiusmodi pericula, nunquam illi fuisse committendum, vt filius eius humanam carnem indueret: ne alij se Christos facerẽt, & ita à populo adorarentur: cum essent alioqui vilissi-*

mæ creaturæ. Verùm hoc Inconſtanti, aliquid for taſſe ad rem faceret, ſi Deus, quemadmodum author fuit incarnationis filij ſui, ita ea quoque inſtituiſſet, quæ vos de Euchariſtia commenti eſtis. Sed cum vos ea ſoli, iniuſſu Dei inueneritis, videte, quemadmodum poſsitis, non dico à culpa, ſed à ſcelere liberari. Nemo debet tãtum ſibi permittere, vt velit inquirere in Deum. Nam Deus, vt ſcripturæ teſtantur, tentauit populum ſuum. Et recte. Quid enim illi non liceat? An ergo nobis quoque fas erit proximum noſtrum tentare cum periculo? Deus imperauit Abrahamo, vt filium ſuum vnicum ſacrificaret. An ergo licebit cuiquam noſtrum eodem modo imperare alicui, vt cultus Dei cauſa mactare velit liberos ſuos? Apage ergo cum iſtis tuis exemplis, magis aſtutè, quàm feliciter excogitatis. Huc adde, Filium Dei ſemel tantum ſuſcepturum fuiſſe carnem humanam, & ad illud opus admirabile & ſingulare, locum, tempus, ſtirpem fuiſſe diligentiſsimè à prophetis præſtituta: deinde ſigna, genùs doctrinę, rationem vitæ, formam mortis ita clarè ac perſpicuè fuiſſe præſcripta, vt nemo niſi prudens, & ſciens errare potuerit. Occaſio igitur illa, quam tu ais, Deum ibi præbuiſſe, ſi qua tamen illa fuit, cum iſta veſtra nullo modo eſt conferenda. Neque præterèundum eſt, fieri iure non poſſe, vt plures ſint Chriſti, qui pro vno adorentur: etſi vos omninò velitis eos, quod quidem ad corpus attinet, quotidiè multiplicare: idque ſumma cum veſtra, tum aliorum etiam pernicie. Addit Inconſtantius, *plebem, quæ loco eſt filiorum, parentis, hoc eſt, miniſtri ſui, iniquitatem non portaturam*. Verum quidem id eſt, ſi filius ipſe culpa vacauerit. At in eo, quo de nunc agimus, plebs non poteſt excuſari: cum patiatur vos indigniſsimis modis contra apertiſsima præſcripta diuinarum legum polluere, & temerare ſacra. Non ergo nunc pro veſtro, ſed pro ſuo grauiſsimo peccato pœnas luet. Vos tamen, qui tam horribilium lapſuum cauſam dediſtis, multò grauius puniemini. Ita autem Inconſtantium nihil pudet, vt factum ſuorum ſacrificulorum cum Dei operibus æquari velit. Ea verò prorſus ſatanica eſt ſuperbia, quicquid Deo liceat pro arbitratu ſuo facere, id hominem arbitrari, ſe quoque facturum impunè.

Ad extremum exclamat, *Eccleſiam à miniſtris ſuis congrua exigere: quæ ſi illi contemnant, aut peruertant, non propterea miniſterium contemnendum, aut Chriſti myſteria neganda eſſe*. Verè quidem iſta dicuntur: ſed extra locum. Et, vt paucis rem vniuerſam ponam ſub oculis, huius argumenti authores duo potiſsimùm ſpectauerunt. Alterum eſt, Adorationem Euchariſtiæ, quam cum opinione iſta de Tranſubſtantiatione, & reali præſentia neceſſe eſt eſſe coniunctam, & prauam, & periculoſam eſſe. Omninò enim creatura eſt, quam iſti ibi volunt adorari. Et cõfido, Lectori ſatis iam liquere, quàm hoc ſit cum præſenti cauſa coniunctum. Alterum, illam muſsitationem verborum, quam Papiſtę iniquiſsimè inuexerunt, & pertinaciſsimè retinent, feneſtram maximo & grauiſsimo periculo aperuiſſe. Quam verò idonea illa ſint, quæ Inconſtantius ad iſta diſſoluenda attulit, me tacente, res ipſa loquitur. Poſtremò fabulatur, in propoſita ratione doctrinam Eccleſiæ non ſyncerè proponi: nec rectè exprimi ea, quæ Eccleſia in miniſtris exigit. Id ego, vt, quod quidem ad aliquam partem attinet, non diſſimulo, ita id omne Inconſtantij malitia, & deprauatione factum dico. Ille enim ſolidis rationibus ſemper aut admiſcet, aut detrahit aliquid, vel vt ita deformatæ facilius contemnantur à Lectoribus: vel, vt ipſe in eis facilius inuenire poſſit aliquid, quod exagitet.

Ad 86. Obiectum ita reſpondet: *Hoc genus argumenti generis eſt deliberatiui*. Præter cæteras doctrinas, quibus Inconſtantius ſeſe excellere arbitratur, venatur etiam laudem boni Rhetoris. Nam rationem iſtam ait, ad genus deliberatiuum pertinere. Quoniam non Rhetor eſt, ſed Sophiſta, ideò argumentum iſtud, quo eius coniuratiſsimi ſodales Papiſtæ, ad multa pernicioſa, & ad ſtultiſsima abſurda perducuntur, in deliberatiuam probationem transformare voluit. *Perinde*, inquit, *eſt ac ſi quis adhortaretur, vt eo nomine à rebus vtilibus abſtineamus, quòd euenire fortè poſſit, vt nobis inde graue periculum creetur*. Quando mendacem, & ficta perſuaſionem à vobis nitimur prohibere, fructum veſtrum, aut commodum nullum impedimus? quin potius id vnum quærimus, & optamus, vt mens vobis veſtra aliquando reſtituatur. Huc addit etiam exempla. *Quis*, inquit, *ferat ita deliberantem? Caue carnes comedas, ne fortè coquus apponat crudas, aut venenatas: caue bibas vinum importatum, ne fortè aliquid noxij liquoris admixtum ſit*. Mirum verò eſt, hunc hominem ita ineptijs, & peruicacia errare. Nemo neſcire poteſt, edere carnes, & bibere vinum, ſecum habere coniunctam vtilitatem: modò in ſumendo modus adhibeatur. Neq; id poteſt verti vitio, quòd non tantùm conceſſum ſit à Deo, ſed etiã in loco imperatum. Adorare autem Sacramenta, quî poteſt cuiquam ſano aut frugiferum videri, aut pium? Certè Deus id nunquam fecit liberum: imò homines à tanto ſcelere omnibus modis voluit coerceri. Iſta autem Adoratio propter veſtram Tranſubſtantiationem, & realem præſentiam inuecta eſt in Eccleſiam. Quare non tantum eam, verùm etiam eius radicem, ac matrem penitus oportuit profligari.

Deliberationi verò iſti à ſe confictæ, à noſtris autem, quod ſciam, nuſquam inſtitutæ Inconſtantius ita reſpondet: *Corpora quidem noſtra pocillatoris, aut coci vitio læsi poſſe, cibo, potuue infectis veneno: ſed non æquè cuiquam poteſtatem datam eſſe à Deo, vt animo cuiuſquam nocere poſsit: mala enim de corde cuiuſque exire, vnde nata ſunt: non autem ab alijs aut vi, aut dolo inferri*. Inanis iſta ſubtilitas, quamuis populi cauſam aliquantò leuiorẽ faciat, veſtrã tamen nullo modo iuuat.

Nemo

Nemo enim sapiens excusabit Pseudoprophetas, qui homines simplices inducunt in idololatriam: quod vos non tantùm aperte, sed etiã impudẽter facitis. Imò lapidib. potius vos agi, & obrui oportuit, si Lex, quæ scripta est in Deutoronomio, obtineret hodiè inter Christianos. Populus verò absolui posset, nisi vestrę impietati assentiretur, & stultè crederet inuentis hominum, & relicto iusto vsu sacramentorum, ad ritus idololatricos concurreret.

Ad hæc Inconstantius, ne nimium videretur indulgere sibi, ironicè castigare voluit loquacitatem suam: quòd ita nobiscum egerit. quasi liberum sit Ecclesiæ ista reformare, quæ contendit instituta esse à Deo, ideoque fixa esse oportere, & immutabilia: Christum enim mandare, ne, quæ à Deo coniuncta sint, separentur. Si hoc non tantùm diceret, sed etiam probaret, fortasse id alicui persuadere posset. Sed cum Transubstantiatio, & realis ista præsentia, nec verbo Dei, nec ratione constare possit, quo iure dicet, Eucharistiam esse adorandam? Aut quibus vnquam verbis adiunxit dominus adorationem ad sacramenta? Quare qui eam tollet, non à Deo coniuncta disiunget, sed à vobis impiè concilitata rectè diuidet. At si, quoniam videri vultis tanti facere coniunctiones à Deo institutas, nihil hîc audetis commouere, cur tam faciles, vt ne dicam præcipites, estis ad rescindenda matrimonia ministrorum? Christus enim, ne nescias, de coniugijs illud pronunciauit, *Quod Deus coniunxit, homo ne separet.* Scio, respondebitis, illa matrimonia non fuisse coniuncta à Deo: at quàm id verè respondeatis, Deus ipse vobis vestro tempore demonstrabit. Sed cur non eadem ratione patimini, adorationem remoueri à sacramento, cum eam Deus cum sacramento nõ coniunxerit? Nos quidem facilè probare possumus, matrimonia ministrorum legitima esse, idque authoritate sacrarum literarũ, & firmissimis rationibus. Vos autem nunquam ostendetis ex verbo Dei, sacramentum esse adorandum.

Christus adorationem cum sacramento non cõiunxit.

Postquam vidit, se iam peruenisse ad metam, ait, *multo futurum fuisse consultius, vt studium nostrum conferremus ad preces, & imploraremus bonitatem Dei, vt ministros probos, & idoneos largiatur Ecclesiæ, quàm vt authores essemus mutandorum consiliorum Dei.* Nos verò, Inconstanti, non ita sumus alieni à pietate, quin patrem nostrum cœlestẽ per Iesum Christum assiduè oremus, vt sanctos, & idoneos ministros ad Ecclesiam suam legare velit, & insanam, atque obstinatam malitiam vestram emollire, & frangere: vt sacrãmenta summa vestra impietate violata, tandẽ aliquando in integrum restituantur, & populo Christiano iuxta consilium Dei nobis in sacris literis patefactum dispensentur. Sed vnà cum istis precibus officij etiam mei esse putaui, vt vim labefactatam optimorum argumentorum aliqua sophismatum cõfutatione restituerem.

Ad 87. *Cum scribat Paulus,* inquit Inconstantius, *Ministerium tuum imple, ijs verbis exigit intentionem, vt rei, quam tractat minister, totus incumbat.* Primùm grauissimè testatur, à ministro requiri summam attentionem. Et quoniam verebatur, ne sua sententia non satis ponderis habitura esset ad persuadendum, confirmationem petijt ex verbis Pauli. Rectè sanè, atque ordine. Totus enim in eo est, vt ea probet, quæ nemo neget. Ab illis autem, quæ confirmatione aliqua egere videbantur, callidè se abduxit. Sed videamus, quid porrò post confirmatam istam ministri attentionem adferat. *Ecclesia,* inquit, *requirit attentionem. Quòd si illam minister non adhibeat, aut de illis, quæ agit, nihil cogitet, aut prudens, & sciens auertat animum, Hæc,* inquit, *hominis vitia sunt: quæ ad rem ipsam infirmandam ineptè adferuntur.* Interim dum rationem istam conatur diluere, verba multa iactat ad rem nihil pertinentia. Sed ne ea frustrà profusa fuerint, & pereant, libet mihi illum interrogare: An ita Ecclesia exigit attentionem, vt sine ea Consecrationem esse nolit? An ita potius eam requirit, vt etiam si ea nõ adhibeatur, tamen sequatur Consecratio? Vide tu, quid respondeas. Quocunque enim te verteris, teneris medius. Si ministri vitio panis frustratur Consecratione, vel vobis ipsis testibus, panis manet: & cum creatura sit, tamen adoratur à populo: nec vos vlla iusta ratione potestis excusari, qui tanto sceleri præbueritis occasionem. Eleuate peccatum istud, quantùm potestis: nunquam tamen vos probabitis esse innocentes: qui, cum possitis occurrere tanto periculo, tamen malitis præponere commenta vestra & saluti populi, & verbo Dei. Quòd si dicas, Attentionem istam requiri tantùm vt congruam, & conuenientem, non autem, vt sine qua nulla esse possit cõsecratio, hoc etiam percontabor. Si minister super dolium vini, aut magnum aceruum panum verba illa pronunciet, quamuis in animo non habeat sacramentum conficere, an sacramentum nihilominus sit confectum? Certè vobis arbitris, etiam remota intentione, tamen prolatis illis verbis efficitur sacramẽtum. Videsne, Incõstanti, quàm hæc absurda sint, & à pietate aliena, quę misero populo flamma, & ferro credenda proponitis? Quicquid agis, aut magna contẽptio Christi & sacramentorum, aut crassissima idololatria vestrum istud dogma comitatur. Idololatriam autem satis te putas remouisse, quòd dicas adorationem dirigi in archetypum. Sed hoc responsum paulò antè refutauimus.

Quare nunc videndum est, quid in vltima parte huius capitis Inconstantius adferat. Ait nos, cum suadeamus, realem præsentiam tollendam esse, ne vulgus incurrat in hæc pericula, consulere more Epimethei. *Christus,* inquit, *Sacramentum iam instituit: frustra monemur: confecta res est: ad nos non pertinet, sacra diuinitus instituta reformare.* Si ista vera essent, quæ assumuntur, causa ista Inconstantij stare posset. Sed nos plurimis, & clarissimis argumentis docuimus, Corporalem præsentiam non à Christo institutam, sed à vobis nequissimè inuentam esse. Non ergo nos Epimethei sumus: sed vos noui Pharisæi certè estis, qui vestris inuẽtis

Deum velitis colere. Profectò nec in Euangelijs, nec in Epistolis, nec in Actis Apostolorum vsquam potestis ostendere adorationem Eucharistiæ. Vestrum hoc inuentum est: ex eo nimirùm, quod somnietis, Christi corpus realiter, & substantialiter adesse. Quòd si Apostoli vobiscum sensissent, ipsi quoque suo tempore haud dubiè Sacramentum adorassent. At illi nec ita fecisse leguntur, nec, vt fieret, imperasse. Quare ne leuissima quidem suspicio vlla esse

Apostoli sacramentũ Eucharistiæ non adorarunt.

A potest, illos aut credidisse, aut prædicasse substantiam carnis Christi adesse realiter vel in pane, vel in eius accidentibus. Quemadmodum igitur vos ab ista commẽtitia præsentia cõluditis adorationem Sacramenti, ita nos contrà, ab adoratione, quam Apostolorum temporibus nusquam legimus extitisse, conficimus verisimè, præsentiam illam, quam vos fingitis, non fuisse vel à Christo ipso, vel ab Apostolis institutam.

OBIECTVM LXXXVIII.

QVOD intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum mittitur: Sed corpus Christi non abit in secessum: ergo, non intrat in os. Vel ita: Eucharistia vadit in ventrem, & in secessum emittitur: quod experientia docet. Homines enim possunt ad longũ tempus ali solo pane & vino Eucharistiæ. Ergo, Eucharistia non est realiter & substantialiter corpus Christi.

GARDINERVS.

CHRISTVS ijs verbis escæ corruptibilis vsum expressit, & euentum: quippe cui per os ad ventrem iter est.

MARTYR.

A *Ore ad ventrem, & inde ad secessum*, Inconstantius inquit *progressum solitum quidem esse, sed non necessarium. Et Christum*, ait, *his verbis non præscripsisse mandatum, quod non posset præteriri:* multis etiam exemplis ostẽdit interdum secus accidere. *Primùm enim esse quosdam, qui comedant, & non egerant, & ex illo morbo moriantur: deinde esse alios, qui cum cupiant, cibum ab ore trajcere in ventrem, casu aliquo lethali impediantur, & eum transmittãt in pulmones: esse etiã alios, qui quod ore hauserint, gargarismo reijciant: esse item alios, qui tantum ora diluant, deinde expuant.* Néue eum, opinor, putaremus, parùm versatum esse in historijs, *Demosthenem etiã*, ait, *emendandæ pronunciationis causa lapillos in ore dicentem tenuisse.* Hæc reprehensio ita prolixa si eò spectet, vt sententia vsurpata à Christo arguatur mendacij, impia & blasphema est. At si ita contra nos texitur, vt domini sententia dextrè intellecta sit incolumis, quæso, vt illam eandem expositionem mihi quoque vsui esse sinat: néue mihi magis sit fraudi eam sententiam vsurpasse, quàm Christo fuit. Animus enim mihi est, nolle aliter ea vti, quàm quomodò Christus ea vsus est. Mihi quidem non videtur tam graue peccatum esse, verba ea quæ Christus loquutus est, vsurpare: præsertim, cùm ea in alienum, & peregrinum sensum non traducam. Quiuis autem facilè videre potest, in illis verbis eam fuisse Christi mentem, vt significaret, ea quæ intrent in os, & ad alendum hominem ritè fungantur munere ciborum, primùm descendere in ventrem, & deinde abire in secessum. Nam cum pharisæi vitio dedissent Apostolis, quòd manibus illotis grana ex spicis excussa comedissent, Christus, vt eos excusaret, ostendit, cibos natura sua homines

B nec sanctos, nec mũdos reddere, sed tantũ homines alere: vt prius coquãtur in vẽtre: deinde egerantur per secessum. Quorsum igitur, Incostãti, spectant istę tuę exceptiones? Certè panis Eucharistię nec in pulmones traijcitur, nec gargarismo reijcitur, nec ad curãdũ aut abluẽdũ os recipitur, aut perfunctus eo munere expuitur. Hæc ergo obiecta non alio pertinent; quàm vt vulgare illud prouerbium, quo Christus vsus est, ad purgandos suos discipulos, ineptum vi-

Christus vsus est vulgari prouerbio.

C deatur esse, & infirmum. Pœnitet, credo Inconstantium, ipsum non interfuisse inter illos Pharisæos aduersus quos Christus disputauit: quod enim illi omnes non potuerunt, iste vno verbo Christum refutasset, & eius argumẽtum elumbe, atque infirmum esse docuisset. Noua verò eruditionis iactatio, posse Christum ipsum coarguere mendacij.

Iure igitur posteà cœpit se colligere & dicere, *Quid ago?* Serò enim animaduertit, non esse

D istud sanum, aut vsitatum genus respondendi. Refert ergo pedẽ, & alio occurrere instituit argumento. *Corruptibilem cibum* ait, *non esse cum diuino & cœlesti cibo conferendum.* Et citat Chrysostomum testem ex homilia in Encænijs: qui videtur negare, hunc cibum abire in secessum. Sed Inconstantius non attendit, Chrysostomum vti in eo loco sermone figurato, seu hyperbolico. Ad hunc enim modum ea dicuntur, non esse, de quibus nos non oporteat cogitare. Nam eo loco hæc etiam addit: *Vides panem? Vides vinum?* Absit. Hæc dicit: quòd ea non oporteat nos attendere. Nam alioqui Augustinus ait, panem esse: quod etiam oculi renunciant. Et Origenes apertissimè ait, partes huius cibi, quę pertinent ad materiam, auferri in se-

Chrysostomus.

Augustinus.

Origenes.

in ſeceſſum. Chryſoſtomum autem hoc loco vſum eſſe hyperbolis, hæc duo clariſsimè fidem faciunt. Primum eſt, quòd ait, ſanguinem in ſacro cratere hauriri ex latere domini. An hoc putamus ad verbum verum eſſe? Certè Chriſtus, vt non amplius moritur, ita non amplius fundit ſanguinem. Sed addit etiam, Ne vos puteris diuinum corpus ſumere ab homine: ſed ignem potius accipere forcipe ab ipſo Seraphim. An ergo propter iſta verba negabimus, nos accipere Euchariſtiam de manu miniſtri? Sed rectè ſibi conſuluit Inconſtantius, vt ſenſum Chryſoſtomi vno tantùm verbo attingeret: totam autem, atque integram eius orationem non exponeret. Senſit enim, Lectorem non inſulſum facilè olfacturum, quid ibi à Chryſoſtomo ageretur.

Sed obijcit nobis, *Angelos aſſumptis corporibus comediſſe: Chriſtum etiam cum à morte reuixiſſet, vnà cibum accepiſſe cum diſcipulis: impium autem eſſe, fingere, cibum illum, aut concoctũ fuiſſe, aut egeſtum.* Verùm vno verbo reſpondeo, Sermonem hic de Chriſto poſt Reſurrectionem glorificato non inſtitui: neq; de Angelis, qui ſibi aliquando aſciuerint humana corpora, ſed tãtùm de hominibus mortalibus, in quibus quotidiè talia miracula renouare, qualia in Chriſto aut in Angelis ſemel atque iterum acciderunt, ſine ſcripturarum teſtimonio, non eſt neceſſe. Sed quali cum ingenio nos hic cogamur cõflictari, lector facilè poterit videre. Nam omiſſa iſta diſquiſitione, an cibus Euchariſtiæ, quod attinet ad ſymbola, abijciatur in ſeceſſum, ad aliud probãdum ſeſe confert, nimirùm in ſacra communione corpus Chriſti ore percipi: idq́ue ſe patrum teſtimonijs confirmaturum profitetur: quos ait nos facilè ſolere carpere: ob id, opinor, quòd ego aliquando citarim teſtimonium Origenis: quo ille apertiſsimè teſtetur, cibum Euchariſtiæ, quod attinet ad materiam, egeri in ſeceſſum. Quid vultis? Hoc quoque tædium nobis deuorandum eſt: & cenſus patrum iterum audiendus: quos Inconſtantius putat loco omnium ſcripturarum eſſe oportere, & verbi Dei. Quodq́ue mihi moleſtius etiam eſt, quædam hic patrum teſtimonia repetuntur, quæ paulò anteà ſatis à nobis, ſuperq́ue excuſſa ſint. De quibus tamen lectorem paucis admonebo: ne videar velle, quod iſte ſemper facit, inaniter implere chartas.

De loco ergo illo Irenæi, qui primus obijcitur, & verbis Apoſtoli ad Epheſios, *Vos eſtis caro ex carnibus eius, & os ex oſſibus eius*, nihil eſt quòd multa reſpondeam. Vtrunq; enim locum ſuprà ſatis explicui. Illud tamen vnum diligenter expendendum eſt, quod Inconſtantius adiecit de ſuo, nimirùm omninò fatendum eſſe, *dari in cœna communicationem ſubſtantiæ corporis Chriſti, vt ſimus caro de carne illius ſpiritualis corporis Chriſti, ſpirituali nutrimento, quod ipſa carnis vnione nutrit, non vt reliqui cibi.* Si iſta ita accipiamus, quaſi corpus & ſanguis Chriſti corporaliter nobis per illam vnionem coniungatur, & ex illis corpora noſtra nutriantur, neceſſe eſt, vt dicamus, corpora noſtra iam glorificata eſſe, & ſpiritualia. Nutrimentum enim nunquam eſt eo, quod nutritur, melius. Apparet ergo, & in patribus, & in ſacris literis, cum dicimur ali carne Chriſti, in illis verbis eſſe metaphoram. Quare, cum illa omnia neceſſariò intelligenda ſint ſpiritualiter, vt animus, & corpus per vſum Euchariſtiæ reficiantur ad vitam æternam, non eſt neceſſe ſtatuere ſubſtantialem præſentiam corporis Chriſti: quòd illud ore corporis percipi poſsit à nobis corporaliter. Alimur quidem, & reficimur eo, quamuis ſedeat in cœlo, ſi illud pro nobis datum in crucem vera fide complectamur.

Alimentũ non eſt melius re quæ alitur.

Sed nobis obſtare videtur Tertullianus, qui in libro de Reſurrectione carnis ita ſcribit: *Caro corpore & ſanguine domini veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera coniungit.* Equidem verba iſta Tertulliani agnoſco: & probè memini ea ab illo aduerſus Marcionem eſſe ſcripta. Is autem carnem, vt malam, & à malo Deo factam auerſabatur. Eum errorem id abundè refutabat, quòd Chriſtus, quem Marcion ipſe fatebatur filium fuiſſe veri Dei, tantã carnis noſtræ curã geſſerit, vt eam ſacramento ſuæ carnis veſci, & refici voluerit, vt fructus eius myſterij ab animo ad corpus quoque redundaret. Seruator autem noſter rem malam, talemq; quæ patris ſui creatura non eſſet, nunquam feciſſet tanti, vt eam vitæ ſacramentis ornare vellet. Hac ratione confutatus eſt Marcion. Ad hæc nemini nouum, aut mirum videri debet, nomen rei poſius attributum eſſe ſacramento. Id enim Patres toto illo tempore fecerunt. Significare autem voluerunt, carnem noſtram proinde veſci corpore Chriſti, quòd nos eius ſacramentum externo ore percipiamus. Sed agedum, aliquanto proprius ad Inconſtantium accedamus. Si corpora noſtra aluntur nutrimento, &, vt ita dicam, naturali & reali ſubſtantia corporis Chriſti, cum ſubſtantia ciborum remaneat adiuncta ad corpora, quæ aluntur, cum illi in res alitas commutentur, an ita hic quoque fieri dicemus, vt caro Chriſti conuertatur in carnes noſtras? Fortaſſe reſpondebit, ſecus fieri, vt caro noſtra mutetur in carnem Chriſti. Eſto, vt velit: ego non laboro: alterutrũ ſaltem fateatur. Nam ſiue caro domini mutetur in carnem noſtram, ſiue noſtra caro in carnem eius, fatendum erit, corpora noſtra coniungi in eadem hypoſtaſi cum carne domini. Res enim alita à cibo, quo alitur, non amplius hypoſtaſi, vt anteà diſtinguitur. Atque ita corpus Chriſti per vniuerſum orbem terrarum in omnes homines Chriſtianos diſsipabitur, neque euitari poterit, quin totidem ſint Chriſti, quot ſunt homines, qui aluntur eius corpore. Quare, nihil obſtabit, quò minus illos & inuocemus, & adoremus. Si negabit eandem fieri hypoſtaſin, mirabor: id enim à rei alitæ, & alimenti natura prorſus eſt alienũ: & hoc genus vnionis, qualecunq; id ſit, ad malam cauſam tuendam confictum ab Inconſtantio ſuſpicabor.

Caro Chriſti non vnitur ſubſtantialiter cũ carne noſtra.

Verùm his nugis omissis, quemadmodum dicamur vesci corpore, & sanguine domini, anteà satis non semel docuimus: neq; id hoc loco existimo esse repetendum.

Sed Cyprianus quoq; ait, Carnem domini sumi à nobis ore corporis. Nam de Lapsis ita scribit: *Sanctificata ora cœlestibus cibis post corpus & sanguinem domini profana contagia & idolorum, reliquias respuerunt.* Sed verba ista Cypriani nostrã causam nihil lædunt. Nos enim vltrò confitemur, non tantùm animos, sed etiam ora ipsa, & corpora communicantium vsu Eucharistiæ sanctificari. Quod idem de baptismo quoq; statuimus: cùm tamen id, quo corpora nostra eluuntur, aqua tantũ sit: ad quam vbi accesserit promissio, per eam sanctificatur etiam anim9: & deinde ex animo repurgato sanctitas redit ad corpus: tanta est inter vtrunq; coniunctio. At Inconstantius quærit, *an panis triticeus & vinum sint corpus & sanguis domini.* Maximè. Sed suo modo: videlicet, vt sunt rerum istarum sacramenta. Sed ista, inquit, Cyprianus appellat cœlestes cibos. Non mirum. Vi enim cœlesti opus est ad sacramenta conficienda. Nam nulla vis humana potest ea constituere. Id tamen, quo sanctificantur ora, & corpora communicantium, facilè damus re vera esse corpus Christi. Dum enim externis istis elementis excitamur, illud mente, atque animo per fidem propriè, ac verè amplectimur: cumq; iam sanctificatus sit animus, nonnullus fructus eius sanctitatis haud dubiè redundat in corpus. Neque Cyprianus nouam aliquam doctrinam, aut suã inuexit, cùm eos reprehenderet, qui ab idolothytis ausi fuissent accedere ad Cœnam domini: sed Apostolicam potius doctrinam inculcauit, quam Paulus in priori epistola ad Corinth. consignauit.

Verũ Christi corpus dicitur nostrum corpus sanctificare.

Cyprian9 igitur succinens Apostolo ita scribit: *A diaboli aris reuertentes ad Sanctum domini, sordidis & infectis nidore manibus accedunt, mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiamnum scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus domini corpus inuadunt.* Et mox: Apostolus contumacibus, & pertinacibus denunciat, dicens, *Quicunque ederit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Spretis his omnibus, atque contemptis, vis infertur corpori eius, & sanguini eius. Plus modò in dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cum dominum negauerunt.* Et mox: *In corpore, atq; ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas domini: tãta maiestas.* In istis sentẽtijs Cypriani triũphare voluit, nõ tantùm regnare Inconstantius: cũ ista tamen verba, si ad veram amussim excutiantur, ei9 errores magis multò oppugnent, quàm dogma nostrum: præsertim si pati velit me ea rigidè & vt sonant interpretari. Rogo etiam atq; etiam, vt meminerit, cum suprà multa de muribus, de vermibus, de combustione, de corpore passibili, aut impassibili obijcerentur, se nobis multoties respondisse, corpus domini, vt est in Eucharistia, prorsus nihil pati. Quomodo hoc nunc non defendit aduersus Cyprianum? Cur hic allegat ea verba, quibus rescindat doctrinam suã? Ait præterea Cyprianus, vt eum citat Inconstantius, illos nefarios Christianæ fidei abiuratores in domini corpus inuasisse: nec eo contentus addit, Vim illatam corpori eius, & sanguini eius. Quid ego audio? An docet ista Inconstantius? Minimè. Cur ergo citat Cyprianum? Sed ille, vt amoliatur istam, vt haud dubiè appellabit cauillationem, dicet hanc fuisse sancti Martyris piam quandam exaggerationem, aut hyperbolen: aut Cyprianum notasse, non quid fieri potuerit, sed quid illi facere tentauerint. Gratulor verò Inconstantio nostro istam dexteritatem. Sed cur eam nobis quoq; nõ concedit? Cum permittat sibi tantum, cur non patitur, vt nos per corpus Christi sacramẽtum corporis Christi intelligamus? De figura vbiq; nobis constare studet inuidiam. Sed frustrà. Nos enim Sacramenti vocabulo vtimur sæpius, quàm figuræ. Neq; cùm sacramenta figuras, aut signa appellamus, id sine exemplo grauissimorum, & antiquissimorum Patrum facimus. Vellem etiam, istum hominem ita acutum expendisse, Cyprianum, quem iactat esse patronum suum, in illis verbis bis mentionẽ feciſſe manuum, quibus ait, *illos inuasisse corpus domini, illiq; vim intulisse*: quod certè, nisi de symbolis, rectè intelligi non potest: aut si quis superiorem Inconstantij sententiam sequi velit, intelligatur sanè de ipso Christi corpore. Sed cur nunc ille cum suis tanto studio cauet, ne Sacramenta populo tradantur in manus? An dicet, se, & suos plura iam videre, quàm Cyprianum? Non ero equidem molestus: modò nos quoque pati velit, aliquid videre: & verba Cypriani non quidem corrigere, sed iusta expositione interpretari: si ille id sibi possit sumere, vt mutet & corrigat facta Cypriani, qua fronte prohibere potest, quò minus nobis liceat eius verba, quod æquissimum est, exigere ad Orthodoxam fidem, & verbum Dei? Vellem etiam ab Inconstantio doceri, an re vera existimet, viscera illius puellæ, quæ adhuc per ætatem nihil posset intelligere, fuisse polluta, quòd ductu parentum, quodammodò vi impulsa gustasset idolothyta? Certè, si filius non portat iniquitatem patris, eo facto, quod parentum esset, non ipsius proprium, non potuit dici incurrisse in pollutionem. Quid igitur? Mentitus est Cyprianus? Hoc ego non dixerim. Verba enim eius ad puellæ parentes refero: & quid illi facere voluerint, non quid fecerint, attendo. Nam quod ad ipsos attinet, voluerunt illam idololatria polluere: & Deus contra illorum voluntatem per corpus puellæ miraculum edidit. Quòd si istos ipsos oportet dicta Patrum toties dextrè, & cãdidè interpretari, quid queritur Inconstantius, si nos quoque, cum res ipsa & ratio id postulat, idem aliquando nobis permittimus?

Quod autem Cyprianus ad finem addit epiphonema, *Tanta est potestas, tanta maiestas*: id Inconstan-

constantius imperitè rapit ad præsentiam corporis & sanguinis Christi: quasi ea significet in Eucharistia delitescere. Quòd si id necessariò sequeretur, nos quoque possemus dicere, corpus Christi aut in velo, quod scissum est, aut in petris, quæ ruptæ sunt, aut in monumentis, quæ reserata sunt, delituisse. Illa enim testimonium tulerunt potestati, & maiestati morientis domini: quemadmodum Cyprianus hoc loco ait, sacrum illum potum à puella reiectam ostendisse potestatem & maiestatem domini. Verùm respondeat iste mihi paucis: Est ne credibile, sub cibis idolothytis dæmonem, cui illi oblati fuerint, habitare? Si fateatur, cur Paulus ad Corinthios permittit fidelibus vt liberè comedant, quicquid prostet in macello venale, modò ne quis indicet esse idolothytũ? Tum enim omnino mandat, vt abstineant, non quidem sua causa, sed propter conscientiam indicantis. At si id aliquo modo sciri posset, quamuis nemine præsente, aut indicante, tamen omninò abstinendum esset à cibo, in quo diabolus inuolutus latitaret. Si dicat, diabolum in illis cibis re ipsa non contineri, audiat id quod Paulus ait, illos qui talia comedunt, κοινωνοὺς εἶναι τῶν δαιμονίων. Quòd si in idolothytis communicatur cum diabolo, quamuis ille in eis re ipsa non contineatur, quid prohibet, quò minus nos possimus communicare cum Christo in Eucharistia, & eius corpus recipere, & sanguinem bibere, etsi ea re ipsa in symbolis nõ sint inuoluta? Et si diabolus colitur, cùm eius victimæ cum honore percipiuntur, cur non potest etiam Christus affici dedecore, & contumelia, si eius sacramenta indignè conculcentur? Omnia certè ista verba Cypriani eò spectant, vt doceant, corpus domini affici graui contumelia, cùm Eucharistia recipitur ab illis, qui de sciuerunt à fide. Id autem nihilo minus vsu veniet, etiam si corpus domini in Sacramento re aliter non ponatur. Fruſtrà ergo huc Inconstãtius tot Cypriani testimonia contulit. Quibus tamen, quantum video, contentus esse non potest. Rursus enim eundem citat ita loquentem: *Panem Angelorum sub Sacramento manducamus in terris: eundem sine sacramento manifestius edemus in cœlis: non ministerio corporali sæpè repetitis actionibus, ad eadem reuertentes, sed consummato sacerdotio erit & permanebit perpetua & stabilis, implens, & reficiens nos sufficientia: quia proferet se palam sine vllis integumentis omnib. conspicabilis summi præsentiæsacerdotis.* Ex his verbis Incõstantius duo colligit: vnum, panem Angelorum comedi ministerio corporis, dum hîc viuimus: alterum, de fide, aut manducatione mentis hîc nihil dici. Quod ad primum attinet, attendere debemus, Cyprianũ appellare Eucharistiam panem Angelorum: quem eundem cibum affirmat nos comesturos esse in cœlo. At neque Angeli in cœlo comedunt, neque nos post hanc vitam comedemus corpus & sanguinem domini. Nam, vt Paulus ait, Esca ventri, & venter escis: & hunc, & illas destruet dominus. Quemadmodum enim auferetur vsus matrimonij, ita etiam auferetur cibus corporalis, postquam semel cœperimus videre Deum facie ad faciem. Tum enim demũ ea erit vita æterna, vt perfectè agnoscamus vnum verum Deum, & illum, quem misit Iesum Christum. Quare si iustam proportionem inter illum, & cibum retinere volumus, id restat, vt nunc, quemadmodum tunc, spiritualem ac methaphoricum esum, quem claro intuitu habere in hac vita non possumus, fide saltem, & velata quadam notitia complectamur: quam ad rem nihil haud dubiè conduceret, corpus ipsum domini re ipsa in os immittere, vtq; isti stultè somniant, in ventrem deijcere. Ea de re Bernhardus Ser. 33. in Cantic. Can. pulchrè scribit: & nos superius adduximus. Quod ad alterum autem attinet, fateor, Cyprianum facere mentionem corporalis ministerij. Quia Christus ita voluit nobiscum agere, vt rebus externis excitaremur ad cœlestia. Sensus enim nostri magno vsui, atque adiumento sunt menti. Quamobrem prudenter scripsit Chrysostomus, Deum aliter acturum fuisse nobiscum, si expertes essemus corporis. Quemadmodum ergo magna & stupenda mysteria assequimur sub diuinis literis: ita sub Sacramento Eucharistiæ, fide ac mente recipimus corpus & sanguinem domini: quamuis re vera nec Eucharistia, nec sacræ literæ ea, quæ significant & proponunt, reali & corporali præsentia in se contineant. Sed reclamat, Cyprianum huiusmodi meditationis animi, aut fidei nullam fecisse mentionem. Quasi verò idem pater in Sermone de cœna domini, non dicat, *Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus: sed fide syncera panem sanctum frangimus, ac partimur.* Quid ergo Inconstantio prodesse possunt ista mendacia? Sed addit etiam eodem loco Cyprianus, Quod est esca carni, hoc animo est fides. Nisi hæc in eodem ipso loco legerentur, vnde Inconstantius ista contra nos decerpsit, posset prætexere obliuionem. Nunc præter malitiam et contumaciam, quid aliud verè obtendere possit, non video. Eat ergo sanè, & iactet Cyprianũ mentionem fecisse tantùm corporalis ministerij: cùm eum videat, bis fecisse luculentissimam mentionem fidei.

De Augustino verò, nescio quid, videtur voluisse potius aliquid dicere, quàm quòd aliquid re vera dixerit. Quod tamen illum, qualecunq; est, nihil iuuat. Locus est in sermone secundo De verbis Apostoli. Quo ex loco vt iste decerpserit, non satis apparet. Hoc tamen ego ibi annotaui, ad quod suspicor illum alluisse: *Si quod in Sacramento visibiliter sumitur*, inquit Augustinus, *id in ipsa veritate spiritualiter manducetur, & spiritualiter bibatur, tum fructuosa iudicatur sacra manducatio.* Hoc autem nullo modo alienum est ab eo, quod nos defendimus. Sed ista verba Inconstantius attingere noluit: quòd videret ea secum iustam adferre interpretationem.

In patria & vsus matrimonij & cibus corporalis auferetur.

De Hilario fusius agendum erit. Is octauo libro de Trinitate ita scribit: *De veritate corporis & sanguinis domini non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est: & hæc accepta,*

atque hausta ad efficiunt, vt & nos in Christo & Christus in nobis sit. An ne hoc veritas non est: Contingat planè ijs verum non esse, qui Christum Iesum verum esse Deum negant. Inconstantius veritus, ne, quèadmodum dicit, nos admiscereмus aliqua de efficacia fidei: Hilarij verba suscipit interpretanda. Ait ergo, Et *domini professione, & fide nostra cibum dominicum esse verum corpus domini: Christum enim ostendisse, cum diceret, Hoc est corpus meũ: & fideles ita se rem habere, iam tum omnes credidisse.* Concludit ergo hunc esse sensum huius loci, *Nos accipere cibum Dominicum, qui verè sit corpus, & verè sanguis Christi. Atque inde perspicuum esse, ad recipiendum cœlestem cibum requiri ministerium corporis.* Esto sanè. Non erat cur in hac re Inconstantius tantum elaboraret. Nos enim fatemur, ad Communionem adhibendum esse vsum oris & corporis: idq; non minus, quàm auriũ vsum ad audiendum prædicationem Euangelicam. Sed non statim damus, id quod ore recipitur, esse realiter & substantialiter corpus domini: quemadmodum ne in sonis quidem, & vocib. quæ transeunt per aures, propriè ac re ipsa inuoluuntur illę res, quas mens fidelis ex his hauri t. Vtrinque adhibetur ministerium corporis: os in communione, aures in concione. Et quemadmodum per aures non transit realiter reconciliatio cum Deo, æterna vita, & condonatio peccatorum, quamuis animus audientium ista re vera complectatur per fidem: ita nec in ore nostro propriè recipitur verum corpus, & verus sanguis Christi: etsi mens nostra per fidẽ illa vsurpet, & verissimè sibi vendicet. Neq; Hilarius in illis verbis, quæ iste citat, neq; vspiam alibi in eo libro dicit, corpus & sanguinem domini verè ac propriè accipi à Communicantib. ore corporis. Inconstantius ergo laterem lauat, cùm plura velit ex Hilario colligere, quàm ipse largiatur. Quod autem affirmat cibũ Dominicum verè esse carnem domini, & verè eius sanguinem, nec tantillum quidem nostræ sententiæ aduersatur. Non enim ita accipimus Sacramentum, vt symbola seorsim ab eo quod significatur, consideremus. Cùm ergo caro & sanguis domini pane & vino significentur, illa à nobis fide, atq; animo hauriuntur, non secus atque externa symbola recipiuntur ore corporis. Cum q́ue fides, & mens nostra instituta diuino spiritu non confictam domini carnem, falsúmue sanguinem complectatur, ideò quod sic apprehendimus, est cibus dominicus, & verè dicitur corpus domini, vereq́ue eius sanguis. In summa Hilarius contendit, Christũ verum corpus, veram carnẽ, & verũ sanguinẽ habuisse, per quæ & ille nobiscũ, & nos cũ illo coniungamur, cũ illa per verã fidẽ haurimus, & quodammodò in nos recipimus. Quod etsi alibi quoq; fieri potest, tamẽ illustrissimè fit in Cœna, cũ nostri corporis ministerio sacramenta corporis & sanguinis Christi percipiuntur. Nec dubitare potest, dominũ cũ instituеret Eucharistiã, professum esse veritatẽ corporis & sanguinis sui. Ficta .n. caro, aut falsus & commentitius sanguis ibi neq; significatur, neq; accipitur. Hæc de isto loco Hilarij dixisse, arbitror esse satis. Nã si Lector illius sentẽtiã, nõ ex Inconstãtij peruersa & coacta expositione, sed ex ipso verborũ filo velit expẽdere, nihil aliud videbit significari, q̃ quod ego iam dixi.

Ad communi onẽ vsus oris & corporis adhibetur.

Nota similitudinem.

Caro et sanguis Christi etiã extra sacramentũ eduntur & bibuntur.

Sed istum dixeris, omninò decreuisse conscribere militem: ita prorsus corrogat ex omnibus Patribus quicquid potest. Verum vt est imperitus rei militaris, in agendo delectu nullũ delectum habet. Hìc citat verba Ambrosij, quæ operis illius forte fortuna occurrerunt in oratione funebri in obitu fratris Satyri habita. *Referebat* inquit Ambrosius, *gratiam, referebat fidem. Nam qui tantum mysterij cœlestis inuoluti in Orario præsidium fuisset expertus: quantum arbitrabatur, fore sumeret & toto pectoris hauriret arcano? Quàm maius putabat fusum in viscera, quod tantum sibi tectum orario profuisset?* His verbis Ambrosij Inconstantius nõ aliam subijcit expositionem, quàm qualem ab illius fide, satis iam nobis nota, & explorata oportuit expectare. *Nisi Christus,* inquit, *fuisset ibi præsens in orario, videlicet colligatus, mera fuisset idololatria, inde auxilium petere. Et ideo,* inquit, *cùm Ambrosius intellexerit veram præsentiã Christi, sacramentum extra eius vsum agnouit. Quin etiam ipsum Christum ore manducantium sumi testatur, & illac sub sacramento tectum nostrum ingredi.* Cur Ambrosius factum istud fratris sui tantopere laudandum censuerit non video. Cur autem illud factum iste noster confidat sibi profuturũ, multò etiam minus video. Primùm iudicet qui vis pius Lector, an satis conueniat Sacramentũ institutũ à domino vt edatur, & bibatur in sacra Cœna, inuolutũ in orario, aut sudario circũferri, idq; non tantùm ab homine laico, vt appellant, sed etiam à Catechumeno: Nam, ne nescias, Lector, Satyrus iste nondum baptizatus erat, sed tantùm Catechumenus. Vbi fuit religio illorũ temporũ in hoc sacramento? Nulla adhibetur pompa circumgestantium, nullus suffitus, non lampas vlla, non facula. Vah homines rerũ diuinarũ imperitos. Imò etiam, vt apparet Eucharistiã suam ne sub claue quidem asseruabant. Nã vel Catechumenus eam sibi comparare, atque auferre potuit. Et quis ferat rem tantam exponi periculo naufragij? quodq; magis etiam horrendum est, in mare tempestuosum, & fluctib. maximis agitatum abijci? Sunt ista planè mirãda, & quæ testimonium non leue ferre possint contra superstitiones, impietates, & idololatrias Papistarum. Si Ambrosius factum Satyri sui laudat, qui ita parùm honorificè tractarit Eucharistiam, certè Satrapicos istos vestros apparatus, & pueriles ludos, quos vos ad Sacramentum colendum adhibetis, acerrimè suo iudicio condemnaret, si Missas vestras, & scenica spectacula rediuiuus contemplaretur. De ipso verò Ambrosio, si liceat præfari veniam, & vera dicere, quod ad istam fabulam attinet in prædicando facto Satyri, quod haud dubiè oportuit reprehendere, magis eum Rhetorem, quàm Theologum, aut Episcopum fuisse video. Hac enim in re quam fidem vidit in Satyro suo, quę verè laudari potuerit? Nam fides petenda est ex verbo Dei. At Dei verbum nusquam docuit,

Factum Satyri minimè laudatur.

Credulitas destituta verbo Dei, est superstitio.

auxilium in rebus aduersis implorandum esse ab Eucharistia. Fides autem quæ aut pugnat cum verbo Dei, aut eo destituitur, superstitio est, non fides. Satyrus fortasse excusari potest, vt Catechumenus. Ambrosius autem, ista suo iudicio comprobans, quemadmodum defendi possit, alij viderint.

Sed ne Inconstantius de verbis istis Ambrosij triumphet, ostendam paucis, quàm illa quoque, vt solet omnia, malitiosè, & callidè tractarit. Primùm hoc comminiscitur, nisi Christus in illa Eucharistia verè pręsens adfuisset, Satyrũ non potuisse excusari ab idololatria, qui ex ea præsidium petierit. Gratularer isti homini, qui, quamuis ferò, aliquam tamen habeat rationem, de puro cultu Dei: nisi viderem, quàm obstinatè propugnet cultum, et adorationem imaginũ. Cũ Papistæ tui, Inconstãti, vel à suis imaginibus, coram quibus prosternuntur, vel à signo Crucis quod adorant, vel ab ossibus mortuorum, quæ colunt, auxilium implorant, num aut sanctos, aut corpus Christi, aut animos mortuorum, in imaginibus, in Cruce, in ossibus re ipsa præsentes adesse arbitrantur? Non opinor. Quid ergo illos fertis tam impunè committere idololatriam? Satyrus in reliquijs Eucharistiæ, quas fortè fuerat alicundè suffuratus, spem salutis suæ posuit, malè quidem, & superstitiosè, tamen posuit. Vestri à rebus mutis, & mortuis eandem salutem expetunt. Quid interest? Cur non in pari causa est par crimen idololatriæ? Fortasse Christus voluit miraculo aliquo ornare reliquias illas Eucharistiæ: vt ossa Elizæi: vt pallium Eliæ. Quid hoc ad substantialem præsentiam corporis? Naaman Syrus sanatus est cùm se lauisset in Iordane: Elizæus amarissima olera correxit aspersa farinula: idem infuso sale, aquas amaras dulces reddidit. In istis omnibus an dicemus, Elizæum ita fuisse præsentẽ, vt in Iordane, in farina, in sale delituerit? Hæc ego nunc tantũ commemoro, quæ mihi de his reb. cogitanti statim erant obuia. Prudenti lectori non erit difficile mille similia ex historijs comparare. Ea tamen ipsa, quę adduxi, satis indicãt, quàm infirmum, & elumbe sit istud Inconstãtij argumentũ. Deinde quomodò colligit Inconstantius ex hac narratione, Ambrosium etiam extra vsum Cœnæ agnouisse sacramentum? reliquias illas fuisse sacramenti, vt opinor, non dubitabat. Fuisse autem sacramentum, cùm iactaretur in fluctibus, cùm teneretur à Catechumeno, cùm esset colligatum in orario, quomodò tandem probabit Inconstantius? Fateor, Ambrosium dicere, Satyrum promisisse sibi plus virium & auxilij ex illo pane, si eum ore sumpsisset in sacra Cœna, quando verè fuisset sacramentum, quemadmodũ dominus instituerat. Hoc autem quomodo, quæso, confirmat, illud extra Cœnam fuisse sacramentum? Id, quod erat in orario, & posteà adhiberi potuit ad Cœnam, quod ad materiam attinet, idem erat. Sed accedente ritu sacramenti, forma longè diuersum æstimari debuit. Nam aquæ quoq; materia eadem est postquàm aliquis in ea tinctus fuerit, quæ fuit anteà, cùm ad tingendũ adhiberetur. Ea tamen peracto semel mysterio, non amplius habet rationem sacramenti. Et in Eucharistia quoque ita rem habere, satis indicant verba domini. Ait enim, Hoc est corpus meum; sed anteà iusserat, vt ederent. Quandiu ergo non exhibetur ad edendum, non potest videri sacramentũ. Postremo, id quod colligatum erat in orario, sumi potuisse ore corporis, non dubitamus. Atqui id fuisse substantiam corporis Christi, probandum erat Inconstantio. Satyrum autem, vt hominem Catechumenum, ita secum arbitror cogitasse: cùm illę reliquiæ prędisidio fuerint naufrago, multò magis illas profuturas, si, vt fit, in sacra cœna, eas in ventrẽ suũ recepisset. Ἀλεξίκακα enim remedia, quò interius applicantur, eò sæpè videri solent efficaciora. Catechumeni enim non assequuntur plus quàm ratio illorum eruditionis ferat. Atque hactenus de illa Satyri fabula satis multis.

Sequitur Chrysostomus hom. 27. in priorem ad Corint. *Et hoc facis*, inquit, *cùm ad Christi mensam discubueris, in die illa, qua carnem eius lingua attingere dignatus es. Ne igitur hæc fiant, dextram tuam, linguam tuam, labia tua considera, quo pacto vestibulum facta sint, vt ingrediatur.* Facilè dabimus, labia & linguã Communicantium vestibulum esse domini, quo ille ad nos ingrediatur. Si enim visum est Deo officio istorum membrorum commonefacere pios, vt fides in illis excitetur, quemadmodum in concione sacra verbũ domini, vel ipse potius Deus admittitur per aures: quomodò negare possumus, dominum per ista organa ad nos habere aditum? Sed, cùm Inconstantius linguam & labia ita diligenter annotarit, miror eum dextram ita callidè prætervisse. Quod tamen, vti satis video, homo simplex idcircò fecit, quòd meminisset, suos diligenter prohibere, ne quisquam ex populo manibus attingat Eucharistiam. Quo autem id in re faciant, ostendere non possunt. Vis tantùm quædam ista est impotens, & tyrannica, qua pmiserunt sibi non solùm verbum Dei, sed etiam patrum scripta peruertere. Chrysostomus hoc loco non tantùm os, & linguam, sed manum quoque seruandam admonet: quòd ista facta sint vestibulum domini. Quòd si dominus velit ad nos intrare per manum, cur vos illud vestibulum occluditis? Cyprianus quoq; paulò suprà mentionem facit de manibus: & Inconstantius ipse collegit ex eo, & manibus & faucibus inuadi corpus Christi. Sed frustrà ista lamẽtor in tanta licentia Papistarum.

Sed citatur etiam idem Chrysostomus eadẽ de re hom. 29. in 2. epist. ad Corinth. *Igitur*, inquit, *vestibula templi, & ingressum osculamur mutuum osculando. Nónne videtis, quod etiam vestibula templi huius osculantur, illi quidem flectentes, alij verò manu continentes, & ori manum admouentes? Per has etiam ianuas & portas & ingressus est, et ingreditur ad nos Christus, quando communicamus. Scitis, qui mysteriorum estis participes, quid dicatur. Etenim non vulgarem honorem consequutum est os nostrum, accipiens corpus Dominicum. Propter hoc maximè his*

oſculamur. Audiant qui fœda loquuntur, & conuitia: & horreant, quòd tale os polluant. Vt approbandus non eſt ſuperſtitioſus ille mos oſculandi parietes, & veſtibula, et limina templorum: ita admonitio Chryſoſtomi iudicanda eſt pia & ſalutaris: vt fideles linguam, & os, per quæ recepturi ſint Sacramentum corporis domini, impollutа cuſtodiant. Quod Sacramentum qua ratione appelletur corpus Domini, plus millies iam dictum eſt. Quare repetitione ſuperſedebo: & procacitatem iſtam Inconſtantij intolerabilem in præſentia diſſimulabo. Hoc vnum addam, ne illud quidem grauare cauſam noſtram, quòd Chryſoſtomus in Liturgia bis iam citata, verè ne autem, an falsò illi adſcripta, non laboro, precatur Dominum Ieſum Chriſtum, vt dignetur ingredi animam ſuam, & corpus, licet pollutum. Nam quin id fiat ſpiritu, & natura diuina Chriſti, nihil obſtat. Rectè etiam precatur vt corporis & ſanguinis domini fiat particeps: quod nos, quoties cœnam domini celebramus, in noſtris Eccleſijs nunquam præterimus. Nihil ergo opus eſt, vt hæc teſtimonia propulſemus. Ea enim minimè omnium nos oppugnat.

Videamus ergo, quid ſequatur è Cyrillo. Nã ex eo fortaſſe Inconſtantius putat, ſe maiorem habere ſpeciem ad fallendum. Quod hîc citatur ex libro 4. in Iohannem, cap. 14. non multum moror. Ita enim ſcribit: *Oportuit certè, vt nõ ſolùm anima per ſpiritum ſanctum in beatam vitam aſcenderet, verùm etiam vt rude ac terreſtre hoc corpus cognato ſibi guſtu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur.* Ait, animam aſcendere ad beatam vitam per ſpiritum ſanctum. Hoc idem nos quoque confitemur. Vt autem ſpiritus ille in corpus etiam effundatur, et illud quoque faciat capax immortalitatis, id ipſo corporis miniſterio efficitur, edendo videlicet & bibendo in cœna domini. Eiuſmodi enim guſtu, tactu, & cibo ad fidem ſolidiorem excitamur, qua cùm vehementer promiſsiones Dei comprehendimus, non ſolùm animus reuiuiſcit, ſed etiam potentia diuini ſpiritus ex eo in corpus quoque noſtrum influit. Sed Inconſtantius putat, nos alijs quibuſdam verbis eiuſdem Cyrilli ab hac interpretatione prohiberi. Ea autem ſunt in libro de recta fide ad Reginas. Quo in loco ita ſcribit: *Deus incorporeus eſt, neque eſt eſibile Verbum niſi ſecundum diſpenſatiuam vnionem naturarum. Vnde & myſterium ex carne Chriſti conſiſtit: cuius quia eſt corporea ſubſtantia, eſt propria manducatio.*

Verbũ quoq; Dei eſibile eſt.

In iſtis Cyrilli verbis tria mihi libet indicare: Primùm, non ita ſimpliciter, nec in vniuerſum admitti poſſe, Verbum Dei eſibile non eſſe. Nã alioqui quomodò dici poſſemus, in cœna manducare panem Angelorum? Hoc profectò haud aliter verum eſt, quàm quòd Angeli filium Dei, hoc eſt, verbum patris pijs mentibus amplectũtur, & tanquam vitam ſuam in ſe recipiunt: hoc enim eſt, vitæ ſuæ panem comedere. Quòd ſi fingas, illos non tantùm diuinitate aliquomodo veſci, verùm etiam corpore Chriſti, vt idem ſit & illorum panis, & noſter, quæro tamen, an id ſine tactu aliquo, & guſtu fiat. Si fateris, quid obſtat, quò minus id hominibus quoque concedas? nimirùm, vt ore, & guſtu externo ſymbola tantùm premant: ſpiritu autem, & fide comedant carnem Chriſti? At ſi Angelis quoque guſtum & tactum dabis, vt comedere poſsint corpus Chriſti, eos iam efficies, nõ vt ſunt, natura ſpirituales: ſed, quod nemo vnquam ſomniauit, naturas craſſas & corporeas. Adhæc video, Cyrillum dicere, manducationẽ propriam eſſe carnis. Quod etiam ipſum ſi ita accipias, vt verba ſonant, neceſſe erit, vt dicas carnem Chriſti dentibus lacerari, & concoqui, & in aliam ſubſtantiã commutari. Nam hæc ad propriam veramque manducationem pertinent. Tertium eſt, quod iſta iam adducta explicat, & conciliat: nempe, Verbum, id eſt, filium Dei, re vera communem eſſe panem, tam Angelis, quàm nobis. Inde enim vniuerſa ratio & illorum, & noſtra repetenda eſt: ſcilicet, à verbo, per quod & illi, & nos conditi ſumus. Id autem inter nos, et illos eſt diſcriminis: quòd illi nudè à verbo Dei propter naturæ ſuæ tenuitatem, & ſpiritualem conditionem veſci poſſunt. Nos verò vitam ex illo verbo non habemus, niſi quæ tranſeat ad nos per carnem Chriſti affixam cruci. Hoc igitur eſt, quod Cyrillus ait, Verbum Dei, hoc eſt naturam diuinã Chriſti, non eſſe eſibile: quia nos vitam ex ea ſine aliquo medio non haurimus. Interponitur autẽ natura humana Chriſti, cui Cyrillus proprium eſſe dicit, vt à nobis comedatur: non quidem vt nos intelligamus carnali, & ſenſibili manducatione, ſed eſu ſpirituali fidei. Quia cũ carnẽ Chriſti pro nobis mortuam fide complectimur, vita Dei per illã in nos tranſmittitur. Et quia veſtimur debili, atq; infirma natura lutei corporis, eius quoq; miniſterium ad ſymbola panis & vini iuſſu ipſius domini adhibetur in cœna: quò magis vehementiusque fides in Chriſtum pro nobis traditum erigatur.

Angeli ſpiritu et non ore comedunt.

Sed illa iam ſpectanda ſunt, quæ idem Cyrillus habet in Iohannis duodecimum caput Homilia 32. *In quatuor*, inquit, *partes veſtimenta diuiſa ſunt: & tunica ſola indiuiſa remanſit. Quod myſticæ cuiuſdam rei ſignum fuiſſe dixerim. Nam quatuor orbis partes ad ſalutem reductæ, indumentum verbi, id eſt, carnem eius impartibiliter inter ſe partitæ ſunt. In ſingulis enim partibiliter tranſiens vnigenitus, & animam, & corpus eorum per carnem ſuam ſanctificans, impartibiliter, atque integrè in omnibus eſt: cùm vnus vbiq; ſit nullo modo diuiſus.* Pro clara ſanaq; horũ verborũ intelligentia ſciendum eſt, Ieſum Chriſtum & animã, & corpus noſtrum ſanctificare per carnem ſuam, cũ nos fide apprehendimus, illum noſtra cauſa vitam ſuam in cruce poſuiſſe. Eſt igitur ſeruator totius hominis: nam vtrique hominis parti ſalutẽ attulit. At dices, id ad diuinam Chriſti naturã pertinere, vt hominem perfectè ſeruet: Cyrillum autem de carne Chriſti ſcribere. Fateor. Sed ſic habeto, carnem idcircò addi, quòd verbum Dei per ſe ipſum, & ſolum ſalutem hominibus non attuliſſet: niſi crederetur carnem aſſumpſiſſe, eamque noſtra cauſa in mortem tra-

diſſe

didisse. Quòd autem ait, Christum in singulis hominibus degere, idq; integrum, & non diuisum, id meo iudicio, dictum est contra Nestorium: qui humanitatem Christi prorsus à diuinitate separauit: quod sine grandi sacrilegio fieri non potuit. Vbicunq; enim est verbum, semper ipsa nō secum coniunctam habet naturam humanam: etsi non statim quotcunq; in locis illud est, eam secum habeat coexistentē. Dicemus ergo Verbum Dei, quod est vbiq;, illud esse verbū, quod coniunctam habet naturā humanam in eadem hypostasi: quæ, vt verum hominē oportet, finita est, & recepta in cœlum: ibiq; retinebitur, vt Petrus ait, vsq; ad extremū diem. Et hoc illud est, quod Cyrillus ait de Christo: *Cùm vnus vbiq; sit, nullo modo diuisus est.* Quod etiam Inconstantius ipse confitetur. Ita enim scribit: *Vbiq; vnus est Christus, ne personam diuidas. Naturæ maneant in sua proprietate: vt diuina vbiq; sit: humana autem, vbi spiritus vult:* Hęc ille. In ista sententia alia omnia vera sunt: sed in vno Inconstantius vehemēter halluci natur: quod alioqui dextrè et commodè posset intelligi. Vera illa sunt, personam Christi non esse diuisam: & proprietates naturarū in primis esse retinendas: & diuinitatē vbiq; esse. Ista, inquam, omnia citra controuersiā vera sunt. Id autem, quod sequitur, Humanam naturam esse, vbicunq; velit spiritus, verissimum est, modò credamus, spiritum id velle, quod re vera vult, corpus Christi verè esse humanū corpus, nec discedere à natura corporis. Id autē est, finitum esse, & certis quibusdam spacijs terminatum: non per infinita loca, vt Papistæ nugantur, dissipari. Id Inconstantius cum suis, sine vlla fide, tantùm ex præiudicatis quibusdam conlecturis credit: idq; putat hoc loco Cyrillum voluisse: cùm tamen ille in Dialogo suo de Trinitate lib. 2. ita scribat: *Si verè sectionem, & partitionē diuina natura, vt illi dicunt, reciperet, intelligeretur & corpus: si autem hoc, & in loco omninò, & magnitudine, & in quantitate: & si quantum esset, non effugeret circumscriptionem.* Si audis ista, Inconstanti, & Christum corpus habere confiteris, fatere etiā illum, quod ad corpus attinet, circumscriptum esse, & certo loco contineri: quo in loco si spiritus illud velit contineri, verum est, quod modò dicebas, humanam naturam Christi ibi esse vbicunque velit spiritus. Quòd si Cyrillus statuat, carnem Christi realiter, & substantialiter esse in vnoquoque nostrûm, ipse secum euidentissimè pugnat. Sed nihil minus sensit. Nam carnem domini ita docet esse in vnoquoque nostrûm, quatenus nostrûm quisque eam fide complectitur. At si quis pertinaciter pugnare velit, carnem Christi ex sententia Cyrilli realiter, & substantialiter in nobis esse, quid superest, nisi vt illi Cyrillo nostrum Cyrillum opponamus.

Pertū vbi cunq; est, cō iunctā ha bet secū humanitatē, li cet ipsa nō sit vbique.

Sed redeo ad Inconstantium. Ille omnino affirmat, corpus Christi simul in pluribus esse locis. Ne autem videatur, id sine aliqua authoritate dicere, citat Augustinum ex lib. 22. cap. 30. de Ciuit. Dei. *Qui motus illic,* inquit Augustinus, *talium corporum sint futuri, temerè definire nō audeo: quod excogitare non valeo. Tamē & motus, & status, sicut ipsa species, decens erit, quicunque erit: vbi quod non decebit, non erit. Certè vbicunque volet spiritus, ibi protinus erit: nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus.* Augustinus de cō ditione corporum glorificatorum reuerenter, p eo ac debuit, scripsit. Sed ex eo Inconstantius non satis prudenter colligit, aut sanctorum, aut Christi spiritum velle corpora sua eodē tempore simul esse in diuersis locis. Quod Augustino ita nunquam in mentem venit, vt in epistola ad Dardanum, ne animæ quidem Christi hoc dare voluerit, vt eodem tempore & apud inferos esse potuerit, & in Paradiso. Imò ait corpus Christi in aliquo certo loco esse oportere.

Sed eò redit, vt doceat, corpus Christi in cō municantes per os ingredi. Et primùm citat epistolam Augustini 118. ad Ianuarium, quo in loco ita scribitur: *Ex hoc placuit spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideò per vniuersum orbem mos iste seruatur.* Ne autem nos dicamus, symbolum externum appellari corpus dominicum, putat sophista, se posse nos excludere alio loco Augustini, ex libro 2. contra Aduersarium Legis cap. 9. *Sicut mediatorem Dei atq; hominū hominē Iesum Christū, carnē suā nobis manducandā, bibendumq; sanguinem dantem, fideli corde atq; ore suscipimus: quamuis horribilius videatur esse humanam carnem manducare quàm perimere, & humanum sanguinem potare quàm fundere.* Ex his verbis iste noster concludit, Augustinum non de symbolis, sed de reb. ipsis loquutum esse. Illū enim dicere, dominum Iesum corde, atque ore suscipi: atque ita corpus nostrum in opere coniungere cum anima, ne separentur in mercede. Sed interea tamen pro sua incredibili simplicitate tacet, Augustinum in eodem loco dicere, quod certè non aspernandum, sed sapienter audiendum erat: *Hoc genus loquutionis per figuras exponi oportere.* Quod idem pluribus scripsit lib. 3. cap. 16. de Doctrina Christ. Affirmat enim in ijs locutionibus omninò figuram esse. Atq; hoc iacto verissimo fundamento, satis liquet, quo sensu Augustinus dicat, corpus Christi ore, & corde nostro percipi. Vtraque enim pars nostri, videlicet, & os, & cor in opere coniungitur: cùm tamen opus vtriusque longè diuersum sit. Nam cor ad rem ipsam sese conuertit, quæ significetur. Os autem, quod solum potest, symbolum externum arripit. Vtrinque tamen verè dicimus, sumi corpus domini.

Deinde citatur Leo, ita scribens in Sermone decimoquarto de Passione: *Non enim aliud agit participatio & corporis & sanguinis Christi, quàm vt in id quod sumimus, transeamus: & in quo cōmortui & consepulti, & conresuscitati sumus, ipsum per omnia & spiritu, & carne gustemus.* Ex his Inconstantius putat, se posse colligere, nos id sumere in Eucharistia in quod transimus. Neminem autē dicere, nos transire in panē & vinū: imò Christū ipsum à Leone phrasi clarissima notari, cùm ita dicat: *In quo commortui sumus, & consepulti, & conresusci-*

tati. Sed hæc nihil aliud sunt, quàm futiles, & inanes strophæ. In Christum enim non nisi fide ac reliquis cœlestibus donis transimus. Fideles enim prorsus mutantur in eum, cùm credendo, & communicando, & corpus illorum, & animus qualitates Christi sibi vendicant. Quod autem Leo scribit, dominum gustari carne, vel vobisipsis testibus metaphoricum omninò est. Nam lingua & palato, non nisi panis & vini proprietates gustamus. Ea enim, quod experientia satis docet, saporescorporis & sanguinis domini non attingunt. Quamobrem, quæ Inconstantius iactat ita esse euidẽtia, ea ad extremum videmus aut hyperbolica esse, aut metaphorica. Locum autem eiusdem Leonis ex Sermone sexto de Ieiunio mensis septimi, non oportet denuò interpretari. Eum enim iam antè exposuimus. Ait autem *id ore sumi, quod corde creditur. Nam panis, qui sumitur ore, suo quodam modo est corpus Christi.*

Quod autem subijcitur ex eodem Leone ex 4. Sermone Quadragesimæ: nempe, *In sacramẽtorum communione ita se temperant, vt ore indigno corpus Christi accipiant, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omninò declinent*: vehementer miror: nam si Leo ea de rebus ipsis intelligat, quomodo potest corpus Christi accipi sine sanguine? Nam ea ita sunt coniuncta, vt qui vnum habeat, eum necesse sit, saltem, vt vos loquimini, ex concomitantia, habere alterum. At si loquatur de symbolis, facit omninò nobiscum.

Ad hanc turbam testium aduocat Inconstantius etiam Oecumenium: qui in cap. 11. prioris ad Corin. ita scribit. *Quod ait, Reus erit corporis & sanguinis domini, hoc indicat, quòd quemadmodum Iudas eum tradidit, Iudæi verò in ipsum debacchati sunt: ita illum ignominia afficiunt, qui sanctißimum eius corpus manibus impuris suscipiunt, veluti tunc Iudæi eum tenuerunt, & execrando admouent ori.* Hæc iste verba importunè exaggerat: fingitq; se nunquam audiuisse ex suis patribus, vel Sacramenta vendicare sibi nomina rerum significatarum, vel contumeliam & iniuriam illatam Sacramentis in Christum authorem illorum redundare. Sed cur aure ita surda audit, veteres patres vel ad istius vsque Oecumenij tempora dicere, fideles manibus suscepisse Sacramenta corporis domini? Cur vbique ita strenuè clamitat, nos cedere oportere patribus, si ipse illorum sententijs nolit subscribere? Videlicet ibi demùm eos amplectitur, vbi aliquid contra nos videntur dicere: at vbi à Papistis vel tantillum dissentiunt, ibi eos prorsus contemnit, & pro nihilo ducit. Adhuc etiam, si Deo placet, opinor, veritus ne testes non essent ad numerum, Gregorium Romanum citat, omnium penè superstitionum parentem & principem. Is in homilia Paschali 22. *Iam*, inquit, *quid sanguis agni sit, non audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super vtrunque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In vtroq; enim poste sanguis agni positus est, quando Sacramentum passionis illius, cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente agitatur.* Hic tamen ipse Gregorius, qualis qualis fuerit, quid nam illud sit, quod dicit, sanguinem Agni accipi ore corporis, explanat posteà istis verbis: Quando, inquit, Sacramentum passionis illius ore ad redemptionem sumitur. Cur iste non elicit ex ijs verbis, nos ore sumere passionem domini? Nam Gregorius ait, nos passionis Sacramentum accipere. Certè à patribus appellatur non minus Sacramentum passionis Christi, quàm Sacramentum corporis Christi. Verùm Inconstantius tanta rabie incitatur aduersus nos, vt nec quid pro se, nec quid contra se faciat, possit cernere. Reperit denuò ex Tertulliano, corpus, & animam in eodem opere coniungi. Id nos quoque fatemur: etsi verè dicamus, non eandem rẽ ab vtroq; percipi: quod iã supra satis fusè docuimus. Sed in ista cohorte Beda etiã locũ habet. Sed quia nihil adfert quod non anteà vel in Cypriano, vel in Augustino sit explicatũ, idcircò accedo ad Theophylactum.

Is in decimo capite ad Hebræos ita scribit: *Multò magis scietis, deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit: Hæc enim de mystica ipsius perceptione dicuntur. Cùm enim immaculati corporis eius & sanguinis communicando participes fuerimus, carnem hanc ipsam, quæ corpus id, & sanguinem fumit, si cæno impuritatis, & luxus, & Veneris sordibus inquinamus, nonne Dei filium conculcamus? Nam cænum hoc & terrenum lutum haudquaquam tam est diuino corpore indignum, quàm nostri corporis labes, & immunditia.* Ea, quæ Theophylactus hoc loco obiter inserit de mysterijs, non faciunt quicquã ad sententiam Apostoli. Non enim ibi agebatur de Christo percepto in Eucharistia conculcando, sed de perfecta defectione à fide iam recepta. Paulus enim ibi eos dicit conculcare filiũ Dei, qui se ipsos præcidissent ab Ecclesia, & volentes, ac scientes omne sibi cum Christo, & Ecclesia commercium ademissent. Nec verum est, eos, qui propter vnum, aut alterum lapsum minus dignè communicant, esse statim salute desperata, vt nulla illis supersit hostia pro peccato. Quod tamen ibi Paulus maximè inculcat. Quare verba ista Theophylacti, ita accipienda sunt, tanquam ab ipso dicta: non quasi ea Apostoli sensum explicent. Paulus enim ad Corinth. ait, *Eos qui indignè recipiunt Eucharistiã iudicium sibi comedere, & bibere*. Quale autem id iudicium sit, statim subijcit, *Ideo*, inquiens, *multi inter vos infirmi sunt, & dormiunt multi. Dũ enim castigamur, à domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur*. Ista satis ostendunt, huiusmodi lapsus non esse tales, vt nihil spei relinquant ad salutem. Nec tamen nos id penitus respuimus, quod Theophylactus ait, carnem nostram recipere corpus domini. Imò id bifariam interpretamur, & admittimus. Primùm enim caro nostra accipit symbolum, quod appellatur corpus domini. Deinde etiam cùm virtus, & efficacia corporis Christi non sistat in animo, à quo recipitur per fidem, sed etiam ad corpus nostrum pertingat, illudq; reficiat, & spiritualiter immutet, non absurdè dicere possumus, carnem nostram recipere corpus domini. Huc adde eadem

Quomodo caro nostra dicatur recipere corpus Christi.

dem quoque ista dici posse in eos, qui animo fi- A
cto accedunt ad Baptismum. Illi enim, cũ oportet induere Christum, eum turpiter contemnunt, & conculcant. Non ergo ista ita peculiariter pertinent ad cœnam domini, quin et ad alia quoque eiusdem generis trahi possint. Et si qui sunt, qui aut scripturas sacras, aut conciones contemnant, ne illos quidem negare possumus conculcare filium Dei.

Vltimo loco Bernhardus quasi succenturiatus aduocatur ad partes. Is enim, vt putat In- B
constantius, omninò statuit, carnem Christi corporis nostri ore percipi. Nam in sermone de Vigilia Natiuitatis domini ita scribit: *Tu ergo si diuini verbi pabulo reples animam tuam, fideliterque, etsi non digna, certè quanta potes deuotione, suscipias panem illum, qui de cœlo descendit, & dat vitã mundo. Dominicum videlicet corpus, vt veterem vtrẽ corporis tui noua Resurrectionis caro reficiat, & sustineat, quatenus nouum, quod intus est, vinum, hoc solidatus glutino valeat continere, si denique ex fide viuas, & nequaquam gemere oporteat, quia oblitus es comedere panem tuum, Bethleem factus es, dignus planè susceptione Dominica: si tamen confessio non defuerit.* Quid hìc, obsecro, audimus ex Bernhardo, quod faciat ad Inconstantij institutum? Dicit primùm, corpus domini sumi: id nos quoq; dicimus. Addit, vtrem corporis nostri eo reficiri: id etiam nos non inuiti addimus: semper enim docemus ex corpore Christi nostra corpora refici D
& instaurari. Quare cùm in omnibus Bernhardi verbis nihil sit quod nos inficiemur, magnę vanitatis erat, Inconstanti, te verba incassum perdere.

Verùm dum ista scribo, id mihi in mentem venit, quod memini me non semel Romæ audisse dici de isto Inconstantio. Cùm enim diu orti um Regis Henrici magno studio procuraret, quod tamen posteà in gratiã eius Reginę, quæ nunc potitur regno, mutata fortuna, cœpit pro sua constantia detestari, ego quoque fortè vnà aderam. Ibi ille, vt causæ ac tempori inseruiret, ore promptissimo incredibilem vim legum allegabat. Mirari fortasse alij tantam in homine eruditionis magnitudinem, & confidentiam. Ego tamen tum ex hominibus iurisperitissimis audiui, leges illas, quas citauit, magna ex parte aut prorsus alienas fuisse, aut eiusmodi, vt causam eius læderent. Quod ergo ille tum fecit in legibus, mirari non debes, pie lector, si idem nunc faciat in patribus. *Quid Roma de Gardinero dicetur.*

Argumentum certè nostrum, quod à principio allatum fuerat, adhuc manet indissolutum. *Quod intrat in os vadit in ventrem, & emittitur in secessum. Christi corpus non emittitur in secessum: ergo non intrat in os.* Maior propositio domini est: & C
verissima est, si propriè, vt exposuimus, accipiatur. Minor verò ne ab ipso quidem Inconstantio negari potest. Quare cum vtraq; propositio concedatur, nulla sophistica efficere potest, vt conclusio impediatur. Cum ergo nullam aliam artem, aut machinam videret superesse, oculos lectoris à conclusione voluit auertere, & eum vagum iam, & errantem per Patrum campos traducere: ita tamen vt per singulos saltus se ipsum grauissimè vulnerarit. Ad extremum autem loquacitati suę cõuitiorum fastigium imposuit. Hoc enim saltem vidit nõ decere, vt à toto ędificio manus extrema dissideret.

OBIECTVM LXXXIX.

CHRISTVS est spiritualis cibus, spiritualiter editur, spirituali nostri parte digeritur, & vitam dat spiritualem. Ergo non comeditur, deglutitur, digeritur, nostris dentibus, lingua, gutture, & ventre, carnaliter, naturaliter, & sensibiliter. 7

GARDINERVS.

IN Christi corpore manducando, cùm in Cœna porrigitur, adest quidem ex Christi instituto corporis nostri & sensuum officium: quoniam integro homini dicitur, Accipite, Manducate.

MARTYR.

RVrsus animus est Inconstantio Bellũ redintegrare, idq;, vt semper, nõ ex scripturis, ed ex malè cõparatis & conscriptis Patrũ cõpijs. In ipso autem limine quædam præfatur, quibus videri vult statim diluisse argumentũ. Hoc primùm assumit, Christum integro homini dixisse, vt acciperet, & manducaret: quasi verò nos discerpamus homines, aut nõ relinquamus integros. Nos certè cuiq; duas partes tribuimus, quib. imperata faciat. Corporis.nm. ministerio comedit naturaliter symbola: animꝰ aũt per fidem corpus ipsum Christi: quod est comedere spiritualiter. Vt, præceptor interdũ discipulis suis non discerptis, sed integris dicit, Attendite diligenter, quæ dico: & illi, vt morẽ gerant, auribus quidem admittunt sonos, significata autem animis percipiunt: integri tamen, et F
incolumes præceptori monenti obsequuntur: non vna tantum sed vtraque sui parte.

Meminisse etiam debes, pie Lector, Inconstãtium quoquo modo velle, qua est peruicacia, aduerbiũ illud, Sensibiliter, retinere: quòd illam vocem videat extare in insana illa recantatione Berengarij, quam illi Rom. pont. stultissimus atq; insultissimus Nicolaus præscripsit. Ait ergo, Sensibiliter, ita excludendũ esse ab hoc negotio, quatenus notat, et refert iudiciũ sensuũ: idq; dicit, quòd videret sibi non licere pugnare cũ cõmuni experientia. Nemo.n. in sacra Cœna carnis aut sanguinis saporem gustat. Quare cõtendit ista penetrare quidem in nos per organa sensuum: iudicio tamen sensuum non percipi. Sed hìc nobis si Deo placet, noua obtruditur philosophia & Grãmatica. Quis.n, vnquã audiuit, aliquid fieri sensibiliter, quod nõ sentiretur? Nã sensibilia sunt, quæ aut sentiuntur, aut senti ri possunt. Idq; dicitur aut agere, aut pati sensibiliter, cuius vel actio, vel passio sentitur. Christũ à nobis, vt decet, perceptum & animo, & corpori vitam cœlestem afferre, extra controuersiã

est. Hoc autem absurdius est, quàm vt ferri posit, illam vitam ex corpore nostro in animũ penetrare: contrà enim ab animo deriuatur in corpus. Ortum enim habet à fide, qua percipimus Christum. Neque tacere possum, nos ab isto sycophanta falsò, atque iniustè insimulari: quasi vitam illam, quam Christus suis communicat, ad vnam tantùm hominis partem velimus contrahere. Nos enim cibum spiritualem carnis Christi non tantùm animo, sed etiã corpori prodesse confitemur: Christumque huius vitæ, quam nunc & animo, & corpore naturaliter viuimus, authorem prædicamus. Primùm enim creauit nos, idque beneficium nõ tantùm suis sed etiam alienis impartitus est: deinde & animos, & corpora nostra ad vitam æternam instaurauit. Calumnia ergo est, quod ait, nos naturalis, & cœlestis vitæ distinctionem confinxisse. Nemo autem tam crassus est, quin vitam spiritualem, à mundana velit separare: & malè in sacris literis versatus est, qui vitam corporũ nostrorum spiritualem, à vita naturali, quã cũ impijs habemus communem, non possit discernere. De ea enim Paulus ita monet capite duodecimo ad Rom. *Vt exhibeamus Deo corpora nostra hostiam viuentem, gratam, & bene placentem.* Neq; aliud est quod passim legitur apud Patres, extra carnem, in carne viuere.

Iste verò, qui nobis tã importunè obstrepit de vtili & necessaria distinctione, quasi nos eam astutè confinxerimus, aliam adducit ipse & inutilem, & superuacaneam. Partim enim ait Christum à nobis ore manducari sub accidentibus panis & vini, quam propriè appellari vult manducationem: partim autem eum animo & fide recipi: idque genus manducationis negat esse proprium: imò illud contemptim appellat allegoricum. Sed ista plena sunt impostura, & fraudibus. Quomodò enim, qui ore corporis comedit externa symbola, potest dici comedere corpus Christi, si verba propriè intelligamus? Certè propriè comedere, est dentibus comminuere, & cõmolere, & in partes diuidere. Hanc significationẽ ita propriè acceptam accomodet Inconstantius ad corpus Christi, si potest. Quòd si non potest, & corpus Christi alio aliquo modo dicit comedi, necesse est, velit, nolit, vt fateatur, se verbo comedendi, metaphoricam significationem attribuere. Quanto igitur nos & dilucidius, & commodius dicimus, panem quidẽ ac vinum in Cœna comedi naturaliter, ac propriè: corpus autem, & sanguinem domini, quæ significantur, animo & fide percipi? Quod genus perceptionis dominus Iesus nobis tropo comedendi & bibendi commendauit. Membra tamen distinctionis propositę ab Inconstantio, quorum alterum physicum esse vult, alterũ allegoricum, equidem non reijcio: distributioni tamen eius minimè assentior. Naturalis enim, & propria manducatio symbo orum est: corporis autem Christi metaphorica. Eius enim caro humano modo comedi non potest.

Verùm iam tempus est, vt aliquando lustremus aciem istam Inconstantij. Pro Antesignano producit Origenem ex homil. 16. in librum Numer. Sed ille, ne erret, nostrarum partium est: & pro nobis pugnat. Attende enim diligenter, quid scribat: *Bibere*, inquit, *dicimur sanguinem Christi, non solùm sacramentorum ritu, sed etiam, cùm Sermones eius recipimus, in quibus vita consistit. Sicut & ipse dicit: verba quæ loquutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Ex his verbis Inconstantius duplicẽ colligit manducationem: vnam in ritu mysteriorum: alteram citra mysteria. Et istas manducationes ait se inuicem non perimere. Nihil pro nobis dici apertius potuisset. Istæ enim duæ manducationes ita inter sese congruunt, vt vna sæpè cum altera coniungatur. Nam dum verba domini de promissione æternæ vitæ per mortem Christi audimus, & credimus, corpus eius manducamus, & sanguinẽ eius bibimus: etsi ad Sacramentum externum non accedamus. Interdum autem præter istã attentionem, & fidem, quam exhibemus verbis domini, panem etiam, & vinum comedimus in sacra Cœna: nec ea accessio symbolorum inanis est. Sic enim & paremus instituto domini, & mentis, atque fidei nostræ comprehensio & vehementior fit, & fructuosior. Quam obrem si manducationem referas ad corpus domini, eadem est & cùm symbolis, & citra symbola: quod etiam Origenes ipse dicit, cùm scribat, sanguinem domini bibi non tantùm ritu sacramentorũm, sed etiam cùm fideliter attendimus verbo Dei. Inconstantius autem ita demùm aliquid effeciſſe videri posset, si Origenes diceret, etiam illos, qui symbola sine fide recipiunt, verè ac propriè comedere corpus Christi. Id autem non dicit. Hoc tantùm ait, corpus domini comedi, & cum symbolis & sine symbolis. Quod quia nos quoque docemus & dicimus, Origenem non pro hoste habebimus, sed eum potius ad nostras copias adscribemus.

Origeni succedat Ambrosius ita scribens in Psalmos: *Bibe Christum, quia pax est: Bibe Christum quia flumina de ventre eius fluunt aquæ viuæ: Bibe Christum, vt bibas sanguinem, quo redemptus es: Bibe Christum vt bibas sermones eius.* In duobus postremis membris huius orationis magnum puluerem Inconstantius excitat: sed ita subtilem, vt possit videri fumus. Vult enim arguta quadam distributione, & proprium esum Christi, & metaphoricum insinuari: vt primùm Ambrosius agat de proprio, pôst de metaphorico. Priori enim loco ait, eum hortari ad proprium esum Christi sub ritu, & ceremonia Sacramentorum: posteà autem ad metaphoricum, cùm iubeat, vt bibamus sermones eius. Quis istud acumen non admiretur? Nos autem homines hebetiores & crassiores, Ambrosij verba simplicius intelligimus: vt ita dicat: Bibe Christum, hoc est, in Christum crede: & sanguinem eius bibe, hoc est sanguinem eius pro te fusum fide complectere, & fructum ex eo cape: nam illo sanguine redemptus es. Rursus hortatur, vt Christum bibamus per fidem: nimirùm, in illũ credendo.

Quid

Quid autem id sit, per interpretationem subijcit, vt credamus sermones eius. Illi enim dicuntur Christum bibere, qui promissiones & verba eius vero cũ affectu in sese transferunt. Ista plana sunt, & perspicua: neque opus habẽt huius sophistæ tam exquisita subtilitate. Verùm quoniam in duobus posterioribus membris ita voluit philosophari, cur non ad priora quoque eandem adhibuit diligentiam? *Bibe Christum, quia pax est. Bibe Christum, quia de ventre eius flumina erumpunt aquæ viuæ.* Cur non hîc quoque metaphoram, & ritum Sacramentorum excogitas? Abisis, quò dignus es, cum istis nugis tam puerilibus. Habent interdum apud bonos authores huiusmodi Rhetoricæ distributiones non vulgarem suauitatem, & consolationem: quæ tamen non ita persequendæ sunt, vt commisceri non possint. Saluo enim, & integro sensu possunt inter sese variari. Idque non tantùm in patribus & Rhetoribus, verùm etiam in diuinis literis potest obseruari. Ita enim Paulus ait: *Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Quis sapiens velit ista ita distinguere, quasi mors Christi ad iustificationem nostram nihil fecerit? Idem alibi ait. *Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* An ergo credemus, fidem cordis nihil conferre ad salutẽ? aut confessionem alienam esse à iustitia? Sexcenta alia huius generis colligere possem ex Psalmis Dauidis, & Prouerbijs Solomonis. In exponendis patrum scriptis, & sacris literis simpliciter, & candidè, non autem ita versutè & callidè agendum est.

Sed Cyprianus quoque de duplici Martyrio contra nos citatur. Is ita scribit: *Sanguis Abel clamans de terra loquebatur vindictam: at sanguis Christi clamans de Cruce pacem loquitur, & reconciliationem. Qui idem sanguis, quoniam à nobis bibitur, si tamen dignè bibitur, clamat in cordibus nostris verba pacifica, & solatij plena.* Hîc Inconstantius duo annotauit: primùm Cyprianum indicasse proprium modum bibendi sanguinis Christi, cùm dicat, si modò dignè bibitur. Nam cùm impropria, seu metaphorica manducatione bibere sit credere, nullum ait, locum relinqui illi distinctioni, vt alij dicantur dignè, alij indignè credere. Alterum est, eundem Christi sanguinem & dignè, & indignè sumi posse. Ad hæc duplici via nobis occurrendum est: priori, quasi demus, libellum illum de duplici Martyrio conscriptum fuisse à Cypriano: altera, qua docemus illum ad sanctum Martyrem nihil pertinere. Quod ad primum attinet, non negamus, eundem illum sanguinem à nobis bibi, quem Christus pro nobis effudit in cruce. Fides enim nostra, qua illum bibimus, non in alium fertur sanguinem, quàm quo redempti sumus. Quòd autem alij dicantur dignè, alij indignè bibere, id vel ad symbola, vel ad rem ipsam referri potest. Si ad rem ipsam referatur, id ita concedemus, quatenus inter credentes aliqui infirmi sunt, & aliquo interdum cum lapsu, aut peccato communicant. Illi, cùm non careant fide, non possunt prorsus exortes dici corporis Christi. Illique propter suam negligentiam ob rem diuinam indignè perceptam non fructum aliquem, sed potius quippiam damni reportant. Ita multi fuerunt in Ecclesia Corinthi orum, quos Apostolus grauiter increpuit, eosque dixit à domino castigari, ne cum mundo damnarentur. De hoc sanguine Cyprianus videtur dicere, si dignè bibatur, illum verba pacifica, & plena solatij in nobis clamare. Quòd si hanc indignitatem ad homines impios, & prorsus à Deo alienos referas, eos etiam in communione dicemus indignè bibere sanguinem domini, quamuis re ipsa symbolo tantum fruantur, quo ille sanguis repræsentatur: quod tamẽ symbolum dicitur esse sanguis, qui pro nobis in Cruce fundebatur; quòd sit illius sanguinis Sacramentum.

Atque hæc hactenus ita dicimus, quasi liber ille sit Cypriani. Nunc autem dico, illud opus Cypriano nullo modo esse tribuendum. Erasmus id vidit: & idcircò illum librum post alia omnia opera notha, & suppositicia, quæ Cypriano adscribi solent, collocauit. Ita prorsus opusculum illud non tantùm Cypriani nomine indignum esse iudicauit, sed etiam, quòd vel inter spuria eius patris opera censeretur. Huc etiam accedit χαρακτὴρ ipse, & ratio scribendi. Ita enim citat Euangelia, κατὰ Lucam, & κατὰ Ioannem. At Cyprianus ipse nunquam ita semigræcè & semilatinè loqui solet. Illud autem certissimo argumento esse potest, quod pagina 520. legitur: *Si quis miles iuratus in verba Cæsaris confugeret ad Turcam, & ex illius arbitrio faceret ea, quæ sciret ingratissima esse Cæsari.* Nam ætate Cypriani imperante Valeriano, aut Gallieno, ne auditum quidem erat Turcarum imperium. Quid hîc respondeat Inconstantius, nisi se alienis oculis vidisse, & alienis scripsisse manibus? At ego illi consulo, ne ista posthac faciat. Multò enim satius est paucioribus contentum esse testibus, quàm eos vndique sine delectu corrogare, quorum postea te pudeat. Sed hoc illis vsu venire solet, qui sese plumis alienis contegunt.

Cæterùm istum laruatum Cyprianum missum iam faciamus, & Hilarium audiamus. Is in Psalmum centesimum vigesimũ septimum ita scribit: *Ex hac igitur filij, qui erunt, tanquam nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ nostræ erunt. Non in conuiuij circuitu futuros ait esse, sed mensæ. Mensæ enim domini, ex qua cibum sumimus, panis scilicet viui, cuius hæc est virtus, vt ipse viuens eos quoque, qui se accipiunt, viuificet. Est & mensa Lectionum dominicarum, in qua spirituali doctrinæ cibo alimur.* Hæc verba Hilarij etsi sint vera, quemadmodum esse profitemur, tamen hoc loco miserè perduntur, & profunduntur ab Incõstantio. Hîc enim Hilarius duplicem esse probat manducationem domini: quam nos quoq; vbique docemus: Vnam, qua nudis verbis auditis, & creditis, recipimus, & manducamus Christum: alteram verò, qua additis symbolis panis & vini, eundem Christum comedimus.

Possemus etiá mensam sacræ lectionis, hoc discrimine distinguere à cœna domini: quòd in scripturarum lectionibus præter passionem domini, qua nos redemit, cuiusque etiam beneficij peculiaris memoria in Eucharistia suspicienda renouatur, permulta etiam alia continentur, quibus mente, ac spiritu per fidem alimur. At in celebranda Cœna domini hoc vnicum, & singulare beneficium potissimum recolitur, & sub oculis subijcitur. Hoc discrimen si Hilarius respexit, vt contra nos nihil facit, ita Inconstantiũ nihil iuuat. Quod autẽ in Cœna vtimur oris externi officio, quo in simplici seu omninò spirituali manducatione non egemus, quid nunc opus est repetere, cùm iam anteà toties sit expositũ?

At Ambrosius in Psal. 118. Sermone 5. ita scribit: *Habes Apostolicum cibum: manduca illum, & non deficies. Illum autem manduca vt post peruenias ad cibum Christi: ad cibum corporis dominici: ad epulas sacramenti: ad illud poculum, quo inebriatur affectus: vt lætitiam induat de remissione peccati, curas seculi huius, metum mortis sollicitudinésque deponat.* Si Inconstantius, cùm ista citet, non negatur, equidem, quid negari sit, non video. Quis. n. nescit, hunc semper morẽ fuisse in Ecclesia, vt homines antè rectè instituerentur de fide, quâ aut ad Baptismum, aut ad Eucharistiam admitterentur? Non est ergo difficile videre, quid Ambrosius moneat: hoc scilicet, vt homines primùm credant prædicatione Apostolicæ: deinde vt accedant ad mensam domini. Sed dices, Cùm homines Apostolica prædicatione instituuntur de corpore & sanguine domini, quæ oblata sunt pro nostra salute, & isti doctrinę fidem habent, nónne comedunt & bibunt corpus & sanguinem domini? Certè comedunt & bibunt: atq; etiam eadem illa, quæ posteà recipiunt in cœna: nisi quòd, cùm accedunt symbola, ad eundem illum cibum magis, magisque sese accõmodant, & corporis etiam ministerium exhibent. Hoc, nisi quotidie in humanis actionibus fieret, forte videri posset obscurius. Sed videmus eos qui fidem sibi mutuò dederunt & inter se sanctè aliquid promiserunt, quò illa pacta magis etiam confirmentur, iubere sæpè cibum potumque proferri: non quo accedat noua fides, sed quò illa, quæ antè data fuerat, testatior reddatur, & firmior. Hoc eodem simili Bernhardus quoque vsus est, cùm hac de re ageret: & annuli, & inuestituræ mentionem fecit. Sed cur non animaduertit in hac sua inutili distinctione Inconstantius, eosdem Apostolos vtriusq; cibi ministros esse? Non enim prædicationem tantùm, & doctrinam populo suppeditant, sed etiam sacramenta exhibẽt, nec minus in vno, quàm in altero ministerio Christi vices gerunt. Neq; alia de causa Ambrosius ista secuit, nisi quòd oporteat vnum alteri anteuertere. Nemo enim aditum habet ad posterius, nisi qui versatus fuerit in priori. Atque illud etiá hic repetendum est, prius illud ministeriũ multò latius patere, quàm posterius. Illud enim omnia Dei beneficia complectitur: hoc autem ad mortem Christi, & ad condonationem peccatorum per eam impetratam tantùm contrahitur. Illud verò non tanti est, quod Inconstantius de vtilitate externæ manducationis commemorat. Id enim nos non reuocamus in dubium, manducationem sacramenti suas quasdã easque præclaras, & magnas habere vtilitates. Realem tamen & substantialem esum corporis Christi, quem isti ori, & faucibus attribuunt, fictitium, & inutilem esse affirmamus. Ad hoc probandum incumbere debuit Inconstantius, non ea frustrà ex tot testibus cõmemorare, quę, modo rectè & sanè intelligantur, nos possimus sine vllo nostræ causę incõmodo facilè recipere.

Sed Hieronymum etiam commemorat, qui in 3. cap. Eccles. ita scribit: *Porrò, quia caro domini verus est cibus, & sanguis eius verus est potus, iuxta Anagogen hoc solùm habemus in præsenti seculo bonũ, si vescamur carne eius, cruoréque potemur: non solùm in mysterio, sed etiam in scripturarum lectione. Verus enim cibus & potus, qui ex verbo Dei sumitur, sacra scriptura est.* Quid hic aliud scribit Hieronymus, quàm eundem cibum & potum domini hauriri & ex scripturis, & ex mysterijs? Sed quoniam non semper potest copia esse Sacramenti, idcircò Hieronymus monet vt operâ diligenter demus sacris literis. Vtrinque enim cibum eũdem posse capi. Hieronymus ergo non pro Inconstantio, sed pro nobis dicit testimonium. Quòd autem addit, manducationes istas, quas Hieronymus cõmemorat, sese mutuò non pellere, mitor quorsum dicat: quasi verò nos dicamus, illas inter se pugnare. Dispeream, si iste, quid ipse dicat, intelligat. Nos enim duas istas manducationes dicimus sæpè in eandem Cœnam domini simul concurrere: tantum abest, vt eas inter se dicamus dissidere. Mendacium autem est, quod ait, Christum in scripturis sumi tantum allegoricè. Illis enim edocti, & instituti Christũ ipsum fide, & animo verissimè cõplecti mur. Illa aũt est manducatio Christi allegorica, cùm sacramenta tantùm sumuntur ab illis, qui careant fide. Nam illi non alia ratione manducant corpus domini, nisi quia sacramentũ corporis eius comedunt. Admirabilis autem est ista conclusio, quam Inconstantius colligit ex verbis Hieronymi. Si vnus, inquit, esset perceptionis modus, mysteriorum perceptionem à lectione non diuisisset. Quod ad corpus Christi attinet, ô bone vir, idẽ omninò est vtrinq; perceptionis modus. Id tantũ est discriminis, quòd in sacra Cõmunione adduntur etiam symbola, quemadmodum in scriptura vel literæ proponuntur, vel vox recitantis auditur. Si nos ista sermel tantũ dixissemus, existimari posset Inconstantius, fortasse non intelligere sententiá nostram. Sed quoniam ista millies audiuit, iam nõ errare sed vafrè, & callidè calumniari conuincitur.

Apostoli nõ tantũ prædicarũt, sed etiã ministrarunt sacramenta.

Chrysostomũ etiam citat ex homilia in Ioan nẽ 45. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ. Panẽ verò*, inquit Chrysostomus, *siue doctrinã hoc in loco, & salutẽ, & fidẽ in se, siue corpus suũ, dicit. Vtrunq; n. animã fortiorem reddit. Ecce*, inquit Inconstantius, *manducare doctrinam, & manducare corpus Christi in Sacramento, Chrysostomus distin-*

guit: & vtrunque ait, *animam fortiorem facere. Ne*
que potest, inquit, *corpus hic significare doctrinam:*
cùm per disiunctionem ab ea secernatur. Primùm
hoc mihi, Lector monendus es, ne putes ex o-
mni parte doctrinæ, cùm ei habetur fides, sumi
corpus Christi. Dum enim aut recitantur com-
minationes de Gehenna, aut prouocamur ad
misericordiam, aut narrantur impiorum homi
num res gestæ, aut orbis creatio commemora-
tur, nec nostra Communio cum Christo, nec
Christi nobiscum proponitur, nec corpus do-
mini nostra causa ad mortem traditum descri-
bitur: cùm tamen ex illa quoque parte scriptu-
rarum lectores, & auditores plurimùm ædifi-
centur. Atque ita istæ quoque partes aliquo
modo dici possunt panis & cibus animorum,
quemadmodum Chrysostomus ait: quamuis
propriè non possunt appellari corpus Christi.
Et hoc illud est, quod suprà monui, corpus
Christi minus latè patere, quàm sacras literas.
Istæ enim, & corpus Christi, & alia permulta
continent. Inconstantius autem hæc ita accipit, quasi retrò commeent, & vt loqui solent,
conuertantur. Chrysostomus ergo distinguit
manducationem, qua corpus Domini nudis
verbis proponitur fidei nostræ credendum ad
salutem, ab ea, qua præter verba adhibentur
etiam symbola: quæ etiam ipsa appellantur cor
pus domini: quod vtrouis modo sumatur, ani
mi nostri redduntur fortiores. Quanquam nul
lo modo intelligere debemus corpus Christi à
seipso diuersum esse. Proposui ergo duas ratio-
nes, quibus Chrysostomi verba satis commodè
exponi possint: Vna est, vt scriptura in vniuer
sum proposita distinguatur ab ea parte, vt sepa
ratim, & seorsum agitur de corpore Christi pro
nobis oblato in Cruce. Vtrinque est panis &
cibus animi: etsi non vtrinque sit corpus Chri-
sti, sed tantùm in ea parte vbi mors, quam obi-
it pro nostris peccatis, commemoratur. Alterà
est, vt manducatio ista corporis domini distin-
guatur à seipsa: quòd ea interdũ nudis verbis p-
ficiatur, interdum aũt illustretur etiã symbolis.

Nõ in omni parte scriptu rę corpus Christi licet spirituali- ter comede re.

Deinde citatur Cyrillus ex lib. 11. cap. 27. in
Ioannem. *Vniuntur autem*, inquit, *etiam Deo: &*
modum ipse Saluator aperuit, dicens, Ego in ipsis, & tu
in me: vt in vnum sint consummati: corporaliter enim
filius per benedictionem mysticam nobis vt homo vni-
tur, spiritualiter autem, vt Deus, sui spiritus gratia
nostrum ad nouam vitam, & diuinæ naturæ participa
tionem spiritum redintegrans. Ex his verbis Cyrilli
Inconstantius colligit, corporalem nostram v-
nionẽ, quã habemus cum Christo, aliã esse à spi
rituali vnione, quã habemus cũ Deo: vt illã cor
poralẽ fieri dicat per benedictionẽ mysticã, hoc
est per Eucharistiã. Sed ego hoc loco quæro ex
Inconstãtio, quónã modo intelligat ex istis ver
bis Cyrilli, quib. declaratur vnio spiritualis, quã
habemus cũ Deo, spiritũ nostrũ effici participẽ
diuinę naturæ. An arbitratur, animũ nostrum
transire in substantiã Dei? an potius cõditionũ
eius, & proprietatũ, & qualitatum effici partici
pem? Primũ, opinor, non dicet, Nam alioqui nõ
tantũ stultus esset, sed etiam insaniret. Quòd si
alterum dicet, quod certè necessariò dicendum
est, cur in priori membro statuit, nos aut aliter,
aut magis fieri participes corporis domini? Sa-
tis illi profectò cõmunicamus, cũ participatio-
ne fidei etiã corpore illi similes euadimus. Ad
hæc video, Cyrillũ idcircò hæc ita distinxisse,
quòd symbola panis & vini, non propriè nobis
diuinitatẽ referant, sed tantũ humanã naturam
Christi. Itaq; duo illa aduerbia spiritualiter &
corporaliter ita distribuit. Neq; verò dicimur p
Eucharistiã Christo vniri corporaliter nisi quòd
ad illã coniunctionem, quæ habetur per fidem,
oris etiam, & corporis nostri accedat ministeri
um, nimirũ dum symbola comedimus.

Quomodo spiritus no ster efficia tur partici- pes diuinæ naturæ.

Citatur etiam Augustinus tract. vigesimo se
ptimo in Ioannem. *Hoc ergo*, inquit, *totum ad*
hoc nobis valeat, dilectissimi, vt carnem Christi non
edamus tantùm in sacramento, quod & multi mali
faciunt: sed vt vsque ad spiritus participationem man
ducemus: vt in domini corpore, tanquam membra ma
neamus: vt eius spiritu vegetemur: & non scandalize
mur, etiamsi multi nobiscum modò manducent tempo
raliter Sacramenta, qui habebunt in fine tormenta.
Hinc Inconstantius colligit, quod illi haud du
biè dandum est, manducationem sacramenta-
lem aliam esse à spirituali: ea videlicet, qua ve-
scimur corpore Christi vsque ad participatio-
nem spiritus. Illud autem alterum, quod colli-
git, pernegamus, malos videlicet, quamuis
in Sacramento vescantur eadem carnę domi-
ni, tamen non peruenire vsq; ad participatio-
nem spiritus. Hoc Augustinus procul dubio
simpliciter non dixit. Eius enim verba, quod
attinet ad homines prorsus malos, qui careant
fide, & à Christo sint alieni, ita accipienda sunt,
vt per carnem domini symbola intelligamus:
quæ eodẽ censentur nomine cũ re significata.
At si de Christianis aliquo peccato contamina-
tis, & quamuis non sine aliqua fide, tamẽ indi-
gnè Sacramenta sumentibus, verba faciat, dice
mus, eos vnà cũ alijs percipere carnem domini
etsi nullã ex eo vtilitatem, sed potius damnũ cõ
sequantur. Quare scire debemus, istas manduca-
tiones, spiritualẽ scilicet & corporalem, inter
dum coniungi: nimirùm, in hominib. fidelibus
& pijs cùm accedunt ad cœnam domini: inter-
dum autem disiungi, idq; bifariã: aliquando .n.
externa symbola recipiuntur sine manducatio-
ne spirituali: aliquando spiritualis manducatio
habetur sine symbolis. Quorum alterum in pijs
accidit, alterum in impijs.

Deinde spiritualis etiã manducatio, quæ fide
percipitur, & corpus ipsum sanguinemq; do-
mini complectitur, non est par in omnibus fide
libus. Nam qui sese de Pauli consilio probant, &
cum vera, atq; efficaci pœnitentia accedunt, ma
gno cũ suo commodo manducant. Qui autem
fide quidẽ aliqua prędi ti, tamẽ cũ vitijs negligẽ
ter & indignè adeunt ad Sacramentum, nõ qui
dem illi omni prorsus carere possunt vtilitate:
nulla enim agnoscenda est vera manducatio
carnis Christi quæ non sit salutaris. Attamen

negligentiæ ſuæ qualiſcunque pœnas dabunt: idque vt Paulus ait ad Corinthios, ne cum mundo damnentur. Huiuſmodi enim flagella ſunt organa Dei quibus ille filios errantes reuocat in viam. Et cùm Auguſtinus tormenta illa, quę indignè communicantes patientur, dicat fore æterna: aut ad infideles & fictos ea verba referenda ſunt, aut ad iſtos negligentes: ſed cum ea cõditione, niſi eos aliquando pœniteat indignitatis & negligentiæ ſuæ.

Poſteà Inconſtantius magnificè, atque impudenter nobis obſtrepit, Auguſtinum non dicere, malos nihil aliud nobiſcum ſumere, quàm panem: hoc illum potius dicere, illos carnem ipſam domini nobiſcum habere communem. Nos verò, quid Auguſtinus intelligi velit, per carnem, ſatis expreſsimus: ſi quid homini importuno, & pertinaci poſſet eſſe ſatis. Verùm ipſe Auguſtinus quid de impijs, & à fide alienis hominibus ſtatuat, ſatis ipſe apertè docuit libro 2. de Ciuitate Dei, cap. 25. Ita enim ſcribit: *Dicendum non eſt, eum comedere corpus Chriſti, qui in corpore non eſt Chriſti.* Et addit. *Nec iſti ergo dicenda ſunt manducare corpus Chriſti, quia nec in membris computandi ſunt Chriſti. Vtenim alia taceã, non poſſunt ſimul eſſe membra Chriſti, & membra meretricis: Qui manducat carnem meã & bibit ſanguinem meũ, in me manet, & ego in eo. Oſtendit, quid ſit, non Sacramentõtenus, ſed re vera comedere corpus Chriſti: hoc eſt enim in Chriſto manere, vt in illo maneat & Chriſtus. Hoc enim ſic dixit, tanquam diceret, Qui nõ in me manet & in quo ego nõ maneo, nõ ſe dicat, aut exiſtimet mãducare corpus meũ, aut ſanguinẽ meũ bibere.* Idèm habetur in ſententijs decerptis ex eodem Auguſtino, Senten. 338. *Nam qui diſcordat à Chriſto, nec panem eius edit, nec ſanguinem eius bibit: etſi tantæ rei Sacramentum quotidiè ad iudicium ſuæ præſumptionis indifferenter accipiat.* Hæc, opinor, oſtendunt luculenter, me nullum alienum ſenſum affingere Auguſtino, quẽ ex ipſo non hauſerim.

Ad hæc Inconſtantius pondus non vulgare putat in eo eſſe, quod Auguſtinus dicat: *Ne ſcandalizemur, etſi multi modò nobiſcum manducent, & bibant temporaliter Sacramenta. Non enim eſſet ſcandalum*, inquit, *ſi tantùm acciperent Sacramentum, & externum ſymbolum.* Hæc idcircò dicit, quod ſacramenta, & ſymbola res quaſdam putet eſſe leuiſsimas. Quaſi verò multi non poſsint offendi, quòd Deus interdum homines fictos, & impios patiatur baptizari, aut vnà cum pijs, & fidelibus verba ſacrarum ſcripturarum audire.

Ad hæc Theophylactus etiam citatur in 6. caput Iohannis. *Vbique autem*, inquit, *vitæ meminit, & crebrò hoc nomen addidit: quia nihil ita ſuaue hominibus, vt res illa. Igitur & tu potes, non ſolùm ſecundum myſticam benedictionem comedere & bibere corpus & ſanguinem domini, ſed & alio quodam modo. Etenim & carnem manducat àliquis, quando per practicen incedit. Caro enim operatiua eſt, vt & practice laborioſa. Sanguinem verò bibit, vt vinum: quo cor contemplatiui lætificatur. Ecce*, inquit Inconſtantius, *Theophylactus notat alium modum à Sacramentali communione: neque modos manducationis, vt figurantes, confundit.* Hoc verò plus quàm Sycophanticum eſt, ab iſto pręſtigiatore nobis attribui confuſionem, maximè cum vbiq; ſumma vtamur perſpicuitate. Manducationem n. eam ſpiritualem, quæ fide perficitur, interdum ſolam, & nudam eſſe dicimus, interdum verò cum externis ſymbolis copulatam. Quid quæſo te, ſimplicius, quàm hoc, aut apertius dici poteſt? Noſtra non ſunt confuſa, obſcura, ſalebroſa, confragoſa, niſi quòd iſte ſpinas habet in lingua, & calamo, vtq; dicitur, nodũ in ſcirpo quærit. Verùm, cõfuſionem ita extimeſcit, &, quod tractat, tam ſuperſtitioſè diſtinguit, vt nobis ex vna manducatione geminam, tergeminamq́ue pepererit. Primam enim eſſe vult realem, aut, vt loquuntur, ſubſtãtialem. Alteram, quæ ſita ſit in cognitione ſcripturarum. Tertiam verò, ſi Deo placet, appellat practicam: eamq́ue in vitæ innocentia ſitam putat. Hæc primùm corraſit ex Theophylacto: eaque poteſteà confirmare voluit teſtimonio Baſilij. Is enim epiſtola 141. ait, *Carnem Chriſti ſignificare omnem eam vitam, quam egit in terris: vt eius veſtigia ſequamur.* Baſilio relinquamus, vt par eſt, ſuam allegoriam: & niſi Inconſtantius teſtibus melioribus aptioribusq́ue vtatur, præſertim ex diuinis literis, ſinamus eum placere ſibi, & lectorem obtundere battologia.

Vltimo tamen loco audiri vult Bernhardũ, cuius teſtimonio loquacitati ſuæ faſtigium imponat. Citat eius Sermonem De Cœna domini: quem ex inſcriptione, quæ in multis exemplaribus circumfertur, apparet non eſſe Bernhardi. Sed quicquid eſt, ad hunc modum ibi ſcribitur: *Comeſtio itaque ſacramentalis, quantum ad viſibilem ſpeciem, & quantum ad corporis Chriſti veritatem conuenit bonis, & malis communiter. Sed eſt alia comeſtio, ſicut iam diximus, bonorum ſolummodò: quam per Dei gratiam, & per fidem ex dilectione operantem, vitæ meritum efficit, & affectus mentiũ in cordibus percipientium, vel miniſtrantium, interce dente ſpirituali, & ſubtiliori quadam vnione capitis, et membrorum.* Si in iſta oratione Bernhardi, qui cunque tandem ille fuerit, intelligamus malos, qui ita mali ſint, vt tamen fide non careant, ſed qui ſe non ita, vt par eſt, probent, verùm aliquo vitio contaminati, ſine iuſta pœnitentia accedant ad ſacram Cœnam, illorum quoque manducationem, cùm non careat fide, fatebor ad veritatem corporis Chriſti pertinere: etſi illa non faciat ad eam coniunctionem, quam habere debemus cum Chriſto, ſed potius propter negligentiam, & indignitatem accerſat vindictam, & caſtigationẽ. At ſi malos intelligat homines fictos, et ementitos, & prorſus à Chriſto alienos, non tanti eſt apud me eius authoritas, quò minus ab eo liberè poſsim diſſentire. Quæ ad finẽ Inconſtantius infarcit, quia nihil aliud ſunt, q̃ maledicta, & mendacia, ea nolo dignari reſponſo. Latranti enim cani quò magis, ac magis reſiſtas, eò ille magis magisq́ue latrat.

OBIE-

OBIECTVM XC.

NVLLVM est discrimen inter spiritualem manducationem, quæ describitur in sexto Iohannis, & illam quam Dominus instituit in vltima Cœna: nisi quòd illi doctrinæ & promissioni, quam tradiderat, in Cœna adiecit etiam symbola. Ergo ponenda non est corporalis manducatio, nisi tantùm symbolorum.

GARDINERVS.

ANTECEDENS est asseueratio mera, quæ sola audacia nititur fortiter mentientis. Quod Christus in sexto Iohannis de carnis suæ esu generaliter docuit: tum quod de danda carne sua in cibum specialiter promisit, vtrunque Christus ad Eucharistiam pertinere, ipsa sacramenti institutione ostendit.

MARTYR.

INconstantius, cùm aliud quod diceret, non haberet, assumptum in hoc argumento, solá A ait esse asseuerationem, quæ tantùm nitatur audacia hominis fortiter mentientis. Sed meminisse debuit, illud assumptum à nostris, multis esse & veris rationibus confirmatum. Inter alia autem hoc dictum est, Iohannem Apostolum, cùm scriberet Euangelium, & iam in sexto capite mentionem fecisset de spirituali manducatione, ad finem historiæ suæ mentionem & institutionem sacramenti præterijsse: non a- B lio sanè consilio, vt omnes fermè interpretes putant, quàm quòd in sexto capite rem eam ferè totam explicuisset. Quid autem ex eo rectè conficiatur, nemo est, præter vnum Inconstantium, qui non intelligat. Nam ille solus fingit, Christum in Cœna non dedisse corpus suũ, vt in sexto Iohannis promiserat, per fidem videlicet & spiritualiter manducandum: sed prę-sens inuisibiliter sub specie elementi, cùm diceret, *Hoc est corpus meum.* Atque ita vult Christum C satisfeciſse illi suæ promissioni, *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* De illa Christi promissione, nihil est, quòd hoc loco latius disputem. De ea enim suprà tantum dictum est, quantum tum
Locus Iob. sexto. satis esse arbitrabar. Hoc tantùm vnũ repetam, prudenti lectori satis perspicuum esse, vocabulum illud Panis apud Iohannem non esse ad symbola referendum: sed ad cibum spiritualẽ, de quo Christus haud dubiè tum agebat. Panis, inquit, ille, quo vos vesci oportet ad vitam, D est caro mea. Nam illá vos oportet edere: hoc est, vt in me credatis, atq; ex me vitam hauriatis. Cum autem diceret panem, non significauit illum panem, quem posteà erat distributurus in Cœna. Et quamuis illud ipsum corpus suum re ipsa Apostolis proposuerit in Cœna comedendum, non tamen illud dabat panis opertum accidentibus, vt isti somniant. Et si locus ille Iohannis ita intelligendus esset, vt isti volunt, maximè Transubstantiationem refutaret. Eo etiam illi confutarentur, qui panem quidem retinent, sed substantialem præsentiam corporis Christi defendunt: nam illi nõ dicerent neque concederent propria locutione panem esse carnem Christi: sed cum pane, vel in pane, vel sub pane dari carnem Christi. At si dictum illud, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, ad Eucharisticum panem refertur, tum panis esset caro.

Posthæc Inconstantius, vt solet, parum modestè perstringit, quasi dicamus, Christũ promissionem suam de carne danda ad manducandum in Cœna neglexisse. Nos enim & apertissimè, & vbique docemus, verum corpus Christi in Cœna communicantibus spiritualiter edendum offerri. Omnes enim & verbis & symbolis ad veræ carnis Christi manducationem inuitantur. Neque, quod ad uocationem attinet, inter bonos & malos quicquam est discriminis. Omnibus enim eadem ex æquo proponuntur, etsi non omnes eadem sumant. Neque tamen falsum est, quod nos Inconstantius ait docere, Christũ videlicet in Cœna refricuisse eandem doctrinam, quam docuerat in 6. Iohannis. Nam si diuersam instituisset, nec Iohannes ita eam prę-terijsset, neque Patres ea, quæ scribuntur à Iohanne, ita pleno sensu ad institutionem Cœnæ transtulissent. Quid autẽ Dominus sibi voluerit, cùm diceret, *Hoc est corpus meum*, satis iam superq; diximus, neque opus est, vt eadem toties repetamus.

OBIECTVM XCI.

CHRISTVS in Eucharistia instituit sacramentum: Ergo, omnia ibi intelligenda sunt sacramentaliter, nihil autem realiter. Nec plus addendum est, quàm sacramentalis ratio postulet.

GARDINERVS.

SI Sacramenta Nouæ legis nihil aliud essent quàm significationes, quod Sacramentarij sentiunt, rectè in illis opponerentur Realiter & Sacramentaliter.

MARTYR.

FRustra Inconstátius captat hîc distinctionem inter Sacramenta veteris Legis & nouæ. Nam eam ex diuinis literis probare nõ potest. Imò Paulus planè contrà statuit. Ait enim, veteres baptizatos fuisse, & eundem cibum comedisse, & potũ eundem bibisse, quem nos hodie comedimus & bibimus. Ex quibus verbis liquidò apparet, non tantum discriminis inter ea esse constituendum, vt illorum Sacramenta tantùm obscurè significarint, nostra autem exhibeant res præsentes. Nam id si verum esset, Baptismus quoque verum in se corpus Christi contineret. Nam in eo, vt Paulus ait, Christum induimus, tantaque inter nos & eum initur coniunctio, vt dicamur os ex ossibis eius, & caro ex carnibus eius: nisi fortè iste dicere velit, istam coniunctionem in Baptismo non contrahi, sed differri vsque ad participationem Eucharistiæ. At hoc Paulus non patietur: is enim ad Ephesios, cùm huius tantæ vnionis mẽtionem faceret, Baptismum tantùm commemorauit. Deinde si quis, vt sæpe fit, puerili ætate discedat è vita, antequam communicet ad mensam Domini, non erit, ex istorum sententia, membrum Christi, nec ad eius corporis compaginem pertinebit. Quare commentitia ista & inepta distinctio probari non potest. Partes enim eius neque in Euangelicis, neque in veteris Testamenti sacramentis constant. Veteres enim Patres nõ minus participes erant Christi, quàm nos hodie sumus. Consulo itaque Inconstantio, vt deinceps distinctionem sacramentorum, non ex Magistro sententiarum, aut è Sorbona petat, verùm è sacris literis. Quòd si ista se dicat habere ex Augustino, videat, quo sensu illa Augustinus dixerit. Ille haud dubiè hoc significare voluit, Sacraméta veterum promisisse Christum venturum: nostra verò illum exhibere, aut ostendere illum venisse. Quod autem ad perceptionẽ attinet, ea, quæ mente & fide sumuntur, & fuerunt, & sunt vtrinque eadem. Discrimen verò est in symbolis, & in ratione temporũ. Conditiones etiam perceptionis, vt aliàs dictũ est, in nostris sacramentis aliquanto sunt potiores.

OBIECTVM XCII.

NON est remissio peccatorum, nisi per fidem. Papistæ autem reali manducationi corporis Christi attribuunt remissionem peccatorum: Ergo eam tribuunt operi operato, non fidei.

GARDINERVS.

SINE fide impossibile est placere Deo, cuius opus nostra causa in carne operatum per mortem, non amplius operandum, & in nobis operatũ vel in Sacramentis, vel extra Sacramenta, causa est prima & præcipua salutis.

MARTYR.

SAlutis nostræ primam & præcipuam causam Inconstantius facit opus Dei, operatũ in carne per mortem, operatum item in nobis vel per Sacramenta, vel extra Sacramenta: & illi merito peccatorum nostrorum remissionem tribuit. Hîc annotare debet prudens lector, Inconstantium non totam causam salutis nostræ, sed potiorem tantùm & præcipuam tribuere Deo. Vult enim, vt solent alij de grege Papistarum, contendere cum Deo de finibus. Quamuis enim salus nostra dicatur opus Dei, nos tamen partem in eo aliquam habere cum Deo communem. Quoniam autem conatus noster, & omnino quicquid efficere possumus, si conferatur ad opus Dei, tam exiguum est, vt penè nihil videri possit, idcirco omnem gloriam deberi vni Deo. Vt enim lucernæ lumen obscuratur ad lumen solis, ita opera nostra obrui & obscurari gratia Dei. Et quod infinitis partibus sit minus, conuenienti loquendi forma prorsus negari esse aliquid. Ita enim Paulũ dicere, *Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei*: cùm tamen nostrum velle & currere sit aliquid: etiamsi nihil sit, si cũ Dei misericordia conferatur: ab illa enim vniuersum nostrum Posse, Currere & Velle manare. Vult ergo, nos, cùm credimus, cooperatores esse operi operato Dei: atq; ita etiam esse, dum baptizamur, & mystica benedictione fruimur, & aliorum Sacramentorum gratiã percipimus. O Deum immortalem, sub istis paucis verbis quot & qualia venena propinantur. Primùm Deo non vniuersam causam salutis nostræ, sed præcipuam tantùm tribuit. Ad hæc ex ipso vsu Sacramentorum affirmat dari gratiam: neq; interim considerat, Gratiam, vt Paulus ait, si conferatur ex opere, nõ esse Gratiam. Deinde verba illa Pauli ad Rom. Non est volentis, neq; currentis: nõ simpliciter exponenda esse ait, sed tantũ ex collatione. Vult etiam opus nostrum accedere ad consequendam vitam æternam, cùm ea tamen, vt Paulus ait, sit gratia Dei. Et cùm ad iustificationẽ adiungat opus nostrũ, necesse est vt dicat' ex opere operato iustificari. Addit. n. opera tanquam causam, quamuis non tanquam præcipuam aut maximam. Et quamuis hac in re maiorem partem gloriæ concedat Deo, tamen hominib. quoq; aliqua ex parte relinquit meritum.

ritum. Quàm autem peruersè locum illum ex 9. ad Rom. torqueat, ipsa luce clarius est. Hoc enim solũ Paulus ibi contendit, totũ, quicquid est, tribuendum esse gratiæ Dei & electioni. Neque progressus ille orationis Paulinæ patitur, vt lutum cum figulo cooperetur, vt vas aliquod constituatur in honorẽ. Operamur quidem nos quoq; bene: sed postquam semel sumus iustificati. Neq; in illum finem operamur bene, vt per eiusmodi opera, tanquam per causam, assequamur æternã salutem: verùm quò pareamus fidei, obediamus Christo, & indies magis magisque renouemur. Neque eo contenti sumus, quod largitur Inconstantius, quòd aut Velle possimus, aut Currere, id totum nos habere à Deo. Tantundem enim possemus etiam à Pelagio impetrare. Nam ille quoq; docere solebat, facultates volendi & agendi esse à Deo. Illum enim esse authorem naturæ. Sed verè cum Paulo dicendum est, vnũ esse Deum, qui in nobis operetur & Velle, & Perficere: idque, inquit, non pro nostra, sed pro ipsius bona voluntate.

Deinde non minus lethale est, quod addit, illos rectè sentire, qui docent, in Sacramento ex opere operato conferri gratiam: si modò intelligant opus Dei in illis operantis, etiamsi adiungant opus nostrum, qui vel cooperemur, vel non ponamus obicem. Quid asseri aut audiri potest alienius à sacris literis, quàm condonationem peccatorum non adscribi vni Christo: sed nobiscum etiam, aut cooperãtibus, aut quemadmodum loquuntur, non ponentibus obicem, communicari? Sed dicito quæso mihi Inconstanti, quomodo potest quisquam, qui ádhuc non sit renatus, verùm alienus à Christo, & impius, sanctis monitis & cohortationibus non resistere? Est adhuc arbor mala, quicquid ex illa decerpas, necesse est, vt sit vitiosum & malum. Hæc omnia eò spectant, vt arbitrium liberum constituatur, quò homines possint se ipsos suis viribus præparare ad gratiam. Sed quoniam ista non propriè faciunt ad præsentem quæstionem, ideo de illis plura dicere supersedeo.

Posthæc Inconstantius quantum potest in nos inuehitur: stultos etiam vocat: nec mirũ, cum ipse sibi videatur sapientissimus. *Solam fidem*, inquit, *opponunt operi operato: cùm sit opus à Deo operatum, vt credamus in illum.* Ne putes, prudens lector, Inconstantium hoc dicere, Opus esse solius Dei, vt credamus in illum. Appellat autem opus Dei tanquã à prima & præcipua causa. Nam vt antea seipsum satis explicuit, statuit in vnoquoq; nostrũ satis esse facultatis ad credendum, si velimus. Nos quidem nõ negamus, fidem esse opus Dei: sed hoc ipsum cõtendimus, maximè valere aduersus Pelagianos nostrorum temporum. Atq; in argumento opponimus fidei opus operatum: quod permulti ex vestro grege satis intelligunt. Aiunt enim ex opere, quo Baptismus percipitur, aut Eucharistia sumitur, impetrari condonationem peccatorum. At si verè ac dignè Sacramenta velimus vsurpare, necesse est, vt condonatio illa antecedat, nimirùm propter fidem, quam quisque habere debet, priusquã rectè accedere possit ad Sacramenta: ea enim sine fide nihil iuuant. Quisquis autem verè credit, statim assequutus est veniam peccatorum. Quare illa condonatio non debet constitui tanquam fructus perceptionis Eucharistiæ, cùm eam tempore antecedat. Hæc iusta est argumenti propositi explicatio. Illam Inconstantius omnib. machinis oppugnat. Et sanè oppugnet, quantum velit: modò pius lector hoc apud se vnum cogitet, ea, quæ diximus de fide, per quam impetretur remissio peccatorum, ad adultos esse contrahenda. Nam de infantibus alia est peculiaris ratio, ad quam explicandam causa non est, cur nunc ingrediamur.

Posthæc minatur, velle se omnes argumenti nostri partes prorsus excutere: quod quàm feliciter præstiterit, videamus. Primùm hoc sibi sumit, Deum credentibus, aut fidei sacramẽto initiatis remittere peccata, quasi qui dono fidei nos idoneos reddat ad amplectendam misericordiam: vt dici possit, remissionem peccatorum non contingere, nisi per fidem: hoc est, eam hominib. incredulis non cõtingere. Mira verò declaratio: sed ita perplexa, obscura, tenebricosa, vt homini non satis attento possit imponere. Quid quæris? Omnia dicit potius, quàm vt illud vnum dicat, quod Sacræ literæ & omnes Patres incredibili consensu dicũt: videlicet, homines sola fide iustificari. Iste autem noua quadam ratione ait, nõ iustificari nos fide, hoc est, veniam peccatorum consequi, sed tantùm idoneos fieri ad amplectendam misericordiam. Nam in adultis aliud quiddam requirit præter fidem. Atque ita, inquit, dici potest, nisi per fidem non contingere remissionẽ peccatorum. Nam, ne nescias lector, fidem facit primum gradum, quo ad peccatorum remissionẽ perueniendum sit. Et idcirco ait, ad illam non perueniri nisi per eam. Néue ambigas illum ita sentire, declarationẽ suam ita postremò concludit: *Quod est, incredulis eam non dari.* Sed eadem ratione dicere potuisset, eam non dari illis, qui nondum nati sint, aut illis, qui animam nondum acceperint. Ita iuxta nouam istam philosophiam etiam per natiuitatem & animam dicemur iustificari, aut habere remissionem peccatorum. Hæc eò pluribus dicere volui, vt callidissimi aduersarij fraudes & insidias patefacerem. Non enim vult, hominẽ iustificari sola fide: sed opera quoq; & charitatẽ accedere, tanquam causas quasdam secundarias: cũm ne ipsa quidem fides, vt est actio hominis, dici possit causa iustificationis. Sed nolo ista singiliatim persequi: nam alius erit de his rebus dicendi locus.

Verùm huc addit Inconstantius illustrem sanè sententiam, *Dignam manducationem nõ posse esse sine fide.* Hoc quidem verum est: sed eius causam nihil iuuat. Nam cùm dicat, eos, qui remissionem peccatorum adscribunt perceptioni Eucharistiæ, id de vera & digna manduca-

tione dicere: ad eam autem cùm requiratur fides, opus in ea, quod Deus in nobis operatur, comprehendi, cur ab isto sophista traducimur ad opus Dei operantis, cùm omnes sententiarij, contra quos disputamus, per Opus operatum non aliud opus intelligi velint, quàm illud, quod à nobis peragitur, dum vtimur sacramentis? Et si opus Dei operantis in nobis fidem, illud est quo percipimus remissionẽ peccatorum, cur illam tribuitis perceptioni Eucharistiæ? Si dicas, propter fidem, quam cum digna manducatione comprehendimus, cur id non apertè doces? Cur id non fateris, quod argumẽtum nostrum necessariò euincit, veniam peccatorum antecedere externã communionem? Vt enim ea digna sit, necesse est, vt fides antecedat. Ait se nostra collectione nihil vnquam vidisse stultius. Credo equidem. Est enim ita firmum, vt istum ex stulto insanũ reddiderit. Firmitas autem collectionis in eo sita est, vt id iterum etiam repetam, quòd eum, qui dignè sit cõmunicaturus, necesse sit prius habere remissionẽ peccatorum. Quare peccatorum remissio non potest esse effectum Communionis externæ: nisi dicere velimus, effecta tempore priora esse suis causis. Antecedens satis liquet. Fidem enim statim sequitur condonatio peccatorum. Vel pueri facilè videre possunt vim huius rationis, quam sophista veterans fingit se non intelligere. Antea cœpit comminisci, se nunquam legisse apud quenquam, peccata remitti ex manducatione Eucharistię. Postea tamẽ se ipsum colligit, & ad sese vtcunque redit, vnde iam diu fuerat peregrinatus, & fatetur, esse quidem quosdam, qui dicant, inde obtineri remissionem peccatorum venialium. Quid iste peccatorum venialium commemoratione leuatur? An peccata venialia non sunt peccata? Si peccata non sunt, quid opus habent condonatione? At si re vera sunt peccata, omnes scripturæ dicunt, illorũ stipendium esse mortem. Ista ergo venialia, cùm sint peccata, sua natura erunt mortalia. O singularem Dialecticum, qui ita res diducat in partes, vt membra, quę oportuit esse distinctissima, confundantur inter se, & in vnum coeant.

Opus operatum.

Venia peccatorũ antecedit externã manducationẽ.

Condemnatio peccatorũ statim sequitur fidẽ.

Peccatorũ stipendium est mors, siue fuerint venialia, siue mortalia.

OBIECTVM XCIII.

HOC est manducare carnem Christi, & bibere eius sanguinem, in Christo manere, & Christum manentem in se habere. At hæc manducatio tantùm spiritualis est. Ergo, corporalis manducatio carnis Christi nulla est. Neque mali manducant Christum: quia nec illi manent in Christo, neque in illis Christus.

GARDINERVS.

NOTATVR ijs verbis, Hoc est manducare, &c. non tam modus manducationis, quàm effectus destinatus & proprius: qui tamen vitio manducantium non semper consequitur.

MARTYR.

AIt, illis verbis notari effectum manducationis destinatum, & proprium, qui tamẽ vitio aliquo manducantium non semper cõsequatur. Et addit, quamuis Gratia interdũ conferatur extra sacramenta, non tamen esse eam iustam causam, cur sacramenta abijciantur. Hæc omnia facilè damus. Neq; enim quiuis videre potest, qua ex parte premát causam nostram. Nos enim post susceptam Gratiam vsum mysteriorum nõ excludimus: imò ad fouendam & augendá fidem & gratiam, illis Dei promissa obsignamus. Haud temerè dixi, non quemuis statim primo aspectu videre posse, quid isto suo tam arguto procemio contra nos Inconstantius moliatur. Illud mysterium ego nunc patefaciam. Hunc ait proprium esse effectum manducationis: verùm non semper eam consequi. Hîc nos ab eo longè longeq; dissentimus. Sacræ enim literæ statuunt, manducationem veri corporis Christi, quæ nulla esse potest sine fide, ab illo effecto, quod illi Christus adiunxit, non posse diuelli: quamuis absq; tali vlla coniunctione manducatio symbolorũ esse possit: quod vtiq; nõ aliter contingere potest, nisi vitio manducantium. At si loqui velimus de propria & vera manducatione corporis Domini, nullo pacto potest ab ea effectus ipsius proprius remoueri. Nam si remoueatur, non erit proprius. Quis enim vnquã vidit hominẽ, cui attributa non esset facultas ridendi? aut solem, in quo non esset vis calefaciendi? Hęc est natura Proprij, vt dialectici tui te olim docuerunt: quorum tu nunc periculo videris desipere, quasi illi te non rectè instituerint.

Proprium effectũ perceptionis corporis Christum potest abesse separato.

Addit præterea, argumentum in eo esse vitiosum, quòd in disiunctione altera propositione cõfirmata, alteram velimus interijsse: id autem à Dialectica perceptione alienũ esse. Vt si quis dicat: Corpus Domini comeditur aut spiritualiter, aut carnaliter. Comeditur autem spiritualiter: Ergo non comeditur carnaliter. Atqui hîc, vt solet, egregiè fallitur. Hæc enim est vis rationis nostrę, non ea, quã iste somniat: Manducare carnem Christi, & in ipso manere: hæc, inquam, duo, ita coniuncta inter se & copulata sunt, vt nemo possit manducare verum corpus Christi, qui in eo non maneat. Nõ enim colligimus, vt iste vel putat, vel calumniatur, ab altera disiunctionis parte cõfirmata ad alterius euersionem: sed potius à sublato proprio effe-

effecto ad euersionem causæ. Ita enim dicimus: Impij nō manent in Domino: ergo eius carnem non manducant. Christus enim ipse testatur, eos, qui manducant carnem suam, in se manere. Et Inconstantius fatetur, hoc esse effectum proprium & destinatum huius causæ: etsi postea, nescio quo pacto oblitus sui, addit, illud non semper cum ea coniungi. Tam autem firmum est argumentum nostrum, quàm si quis ita diceret, Lapis non habet facultatem ridendi: ergo non est homo. Neque hìc oportet memoriam lectoris renouare, quantum Augustinus faueat huic sententiæ. Nam in superiori proxima obiectione quædam eius dicta, quæ mihi vehementer huc facere videbantur, recensui. Errat etiam in eo Inconstantius, quòd putat nos argumentationem ducere à Definitione: quasi dicamus in proposita ratione assumi definitionem manducationis carnis Domini. Nos enim hic non ex definitione, sed ex effectu manducationis proprio concludimus. Quare ista somnia, cùm à nostro consilio ita sint aliena, sine iniuria à nobis præteriri & contemni possunt.

OBIECTVM XCIIII.

EX opinione ista aduersariorum sequeretur, tam impios, quàm pios verè comedere corpus Christi. Id autem falsum est. Christi enim corpus diuelli non potest ab eius spiritu. Quare cùm infideles nō habeant spiritum Christi, non possunt verè eius corpus comedere. Impij autem non habent spiritum Christi, quia fide carent: quo instrumento omnia spiritualia recipiuntur.

GARDINERVS.

ILLA veritas ex catholica doctrina rectè sequitur, bonos & malos, id est dignos & indignos, cùm Eucharistiam accipiunt, idem substantia sacramentum sumere.

MARTYR.

HVnc Inconstantius ait esse sensum catholicæ veritatis: Bonos, & malos: dignos, & indignos, cùm recipiūt Eucharistiam, quod ad substantiam attinet, sumere idē Sacramentum. Ait enim, dominum idem dedisse Iudæ, quod reliquis Apostolis: idq; non tantùm patres, sed etiā Paulum ad Corinth. docuisse. Eum enim indignè manducantes reos facere corporis Domini. Hucusque nihil dissidemus. Nos enim etiam fatemur, idem Sacramentum & bonis præberi, & malis: si modò per Sacramentum partem significātem, hoc est, externū symbolum intelligas. Atq; ita, quod ad symbolum attinet, fatemur, Christum idē dedisse Iudæ, quod reliquis Apostolis. Quod autem attinet ad rem significatam, dicimus, Christum nō excluſisse Iudam à manducatione sui corporis. Nam si ille fidem habuisset, idem sumsisset, quod alij. Christus enim ex æquo mandauit omnibus, ut corpus suum ederēt, & sanguinem biberent. Quare non inficiamur, Christū, cùm sacram Cœnam institueret, idem ex æquo dedisse omnibus. Ex eo tamen non sequitur, Iudā tantum, quantū reliquos Apostolos recepisse. Quemadmodum autem locus ille Pauli intelligi debeat, aliàs fusè diximus.

Quod verò Inconstantius addit, Ethnicos si fortè incidant in Eucharistiam, & eam comedant, non sumere corpus Christi, quòd illud libū cùm careant omni fide, ab alijs panib. nō discernant, quodq; idem affirmat de animalibus brutis, si illa fortè, vt fit, comedant panem Eucharisticum, πανάχρον omnino est, & ab alijs Papistis non recipitur. Vult ergo Inconstantius, illas manducationes omnino corporales esse, non autem sacramentales. At quæ, malùm, ista est huius hominis prærogatiua, vt suis legibus nō nisi quantum, & quàm diu ipse velit, teneatur? Sæpe solitus est cum reliqua manu Papistarum dicere, corpus & sanguinē Christi tantisper sub accidentibus panis & vini contineri, quoad illæ species sint incolumes, neq; ab illis omnino disiungi. Nunc autē, quæ eius est constantia, permittit sibi, vt dicat, corpus & sanguinem Christi ab illis ijsdem speciebus nondum corruptis separari. Quæso verò te, Inconstanti, à quo tandem Papa, à quóue Concilio, aut à quo magistro Sententiarum hoc tuum tam singulare priuilegium impetrasti? Si Inconstantius noua aliqua metamorphosi mutandus esset, facilimè mutari posset in Vespertilionem: vt qui neque cum Papistis quadrupedibus, neq; cum Euangelicis volucribus consentiat: ab vtraque autem parte iure ac merito repudietur. Quoties enim ille cū alijs quibusdā suis in nos detonat, Sacramenta integra esse, nec pendere à conditione accipientium? Ista verò est noua quædam & inaudita palinodia. Formula.n. illa, quam semper obtrudunt, hanc videlicet habet exceptionē, *Nisi bestiæ aut Ethnici comedant Eucharistiam.* Sed hoc scire velim ab isto nouo Theologo, homines fictos & impios, & nulla fide præditos, sed nomine tantùm Christianos, quo discrimine distinguat ab Ethnicis? Equidem hoc tantùm interesse inter eos statuo, quòd simulatos Christianos multò putem esse nequiores & deteriores, quàm eos qui apertè & publica professione prorsus à Christo sint alieni. Nullius autem momēti est, si dicas, illos scire, panē illum & vinum in Ecclesia

haberi pro ſacramento. Id enim apud eos pro nihilo habetur. Incóſtantius, quod ſibi permittit de Ethnicis, id manibus, pedib. reluctatur, & reclamat, ne nos ſtatuere poſsimus de impijs. Nos quidē eos nihil aliud in ſacramētis habere dicimus quàm ſymbola. Iſte cōtrà omnia turbat, & cœlum terræ miſcet: cùm tamen nos iſta dicamus tantū de impijs, qui fide careant, & nihil diſtent ab Ethnicis: niſi quòd illis fortè longè ſint deteſtabiliores. Illos tamē, qui ſalua atq; integra fide, aliquo tamen cū peccato, de quo adhuc pœnitentiam ſolidè vereq; nō egerint, acceſſerint ad mēſam Domini, fatemur accipere verū corpus Chriſti. Lætor equidem, ea nunc ſtatuere Inconſtantium, quæ pro ſua rabie impotentiſsimè oppugnat in alijs.

Deinde cuiuſdam, neſcio cuius, ſententiam probat, quē tamen veretur nominare. Is autē, quiſquis eſt, ſcripſit, impios Chriſtianos, cùm Euchariſtiam ſacramentaliter accipiant, per Concomitātiam accipere ſpiritum Chriſti: at non niſi in exteriorem hominem: in interiorē autem hominē eundem ſpiritum per gratiam non admittere. Quiſquis iſte fuerit tam grauis author, cuius nomen Inconſtantius quaſi magnum quoddā myſterium noscelare voluit, cū nobis alioqui Bernhardos, & Bedas paſsim obtrudat, quiſquis inquam fuerit, non ita diligenter verſatus eſt in Paulinis epiſtolis, vt inter hominem interiorē & exteriorem prudenter poſsit diſtinguere. Homo enim interior apud Paulum non ſimpliciter animū ſignificat, ſed animum iam regeneratum. Paulus.n. ait, ſe delectari lege Dei, quod attinet ad hominem interiorem: cū tamen interim in homine exteriori aliam legē experiretur. Quare iſte, neſcio quis, doctor ſine nomine. nō ſatis cōmodè attribuit impijs interiorē hominem: illi enim, ſi cū Paulo loqui volumus, homine interiori carēt.

Homo interior & exterior.

Impij carēt interiori homine.

Addit Inconſtantius, Spiritū S. non diuelli à Chriſto, & eundē ſpiritum, cùm eſſentia ſua impleat omnia, eſſe etiam in impijs: quos tamen non ſanctificet, nec per gratiā efficaciter iuuet. Sed iſtum conſiderare oportuit, Spiritum S. in argumento noſtro nō ſignificare tertiam perſonam in Trinitate: ſed illius dona, & gratiam, & cœleſtem inſtinctū, quo homines renouantur & ſanctificātur. Atq; ad hunc modum abſurdū eſſe iudicamus, Spiritū S. cùm ita intelligatur, in hominē impium ingredi, & illū non ſanctificare. Panem.n. vt iſti volunt, non tantū ſanctificat, ſed etiam tranſubſtantiat. Et putamus, hominem, cuius cauſa panis ille ſanctificatur, cū ab eodem ſpiritu attingatur, impurū atq; immundum deſtitui. Vt autē Spiritum S. ita hoc loco ſumeremus, Chriſti ipſius verba effecerūt. Nam ille in 6. cap. Iohan. ait, eos qui comedant carnem ſuam, in ſe mānſuros eſſe, & omnino vitam eſſe habituros, nec morituros in ęternum. Hæc effecta ſunt Spiritus ſancti. Itaq; eos, qui comedunt carnem Chriſti, hæc in ſe ipſis ſentire atq; experiri non dubitamus. Cùm autem res iſtę ſint ſpirituales, nec ſine ſpirituali inſtrumento fidei capi poſsint, ideo eos, qui vacent fide, nec carnem Domini comedere, nec Spiritus ſancti beneficia percipere poſſe concludimus. Quod autē Inconſtantius obijcit, eſſentiam Spiritus S. etiā in malis eſſe, ad noſtrū argumentū nihil attinet. Nos.n. in eo vocabulū illud Spiritus S. in aliam ſententiā accepimus.

Sed quoniam videt ſe hac noſtra ratione nō leuiter premi, alia via conatur elabi: ſcilicet, vt oſtendat, impios quoque habere Spiritum ſanctum. *Nam niſi in illis quoq;*, inquit, *aliquo modo eſſet Spiritus ſanctus, Apoſtolus nō diceret, eos illum contriſtare.* Petit etiam, hoc ſibi à nobis expediri, quomodo fides, cùm ſit effectus Spiritus ſancti, inſtrumentum etiam ſit, quo ille idem ſpiritus poſsit apprehendi. Prius enim eſſe in nobis ſpiritum, quàm habere poſsimus fidem: illam enim ex eo naſci. Primùm id dicā, quod ſecundo loco proponitur: Spiritus Dei, hoc eſt, eius inſtinctus & afflatus, quo mens illuſtratur, & voluntas allicitur, vnà cum fide nobis ſimul à Deo liberè & gratuitò infunditur, vt illis vtriſque donemur eodem tempore. Inſtinctus tamen ille & afflatus, fide naturā prior eſt. Illā enim in animis noſtris parit. Sed poſtquam ſemel eam obtinuimus, per illam deinceps omnia reliqua dona, quæ nobis diuinis promiſsionibus offeruntur, apprehendimus. Quare cùm in argumento dicimus, ſpiritū apprehendi fide, nomine ſpiritus dona ſpiritualia & beneficia, quæ nobis in diuinis promiſsionibus offeruntur, & à Chriſto, qui omnium promiſsionum caput eſt, auelli non poſſunt, intelligimus. Spiritus ſancti verò inſtinctum fatemur, fidem, etſi non tempore, tamen natura antecedere. Hæc ergo doctrina plana eſt & perſpicua: nullas habet tricas, nullos labyrinthos, nullas ambages, quin ex illis te poſsis, cùm volueris, quàm facilimè explicare.

Inſtinctus Spiritus ſancti eſt naturā prior fide, tempore verò ſimul.

Nota ubique.

Ad illud autem alterum, quod quærit, quomodo impij poſsint contriſtare ſpiritum ſanctum, quem non habeant, ita reſpondeo. Primùm intelligere oportere Incóſtantium, Paulum ibi de hominib. impijs, & à Chriſto prorſus alienis ſermonem non inſtituere. Scribit enim ad Eccleſiam Epheſiorum: quam teſtatur admirabili ſanctitate fuiſſe inſtructam: non ita tamen, quin vt illi poſſent, quæ eſt conditio humanæ vitæ, quotidie fieri meliores. Itaq; Apoſtolus eos præclaris præceptis & documentis informauit, & inter cętera monuit, vt ab obſcœnis dictis temperarent, quòd Spiritus ſanctus, quo iam erant prædīti & obſignati, illis vehementer offenderetur, & quodammodo è ſuo domicilio & diuerſorio exturbaretur. Ea ſanè Apoſtoli ſententia, ſi quid ego iudico, Epheſios vehementer mouere debuit, vt nos etiam ipſos debet, qui ſumus templa atq; hoſpitia Spiritus ſancti, vt ab omni verborum laſciuia & turpitudine abſtineamus. Prætereo alios, qui ita locum illum Pauli interpretantur, vt ea verba putent ad auditores, aut ad aſtantes pios pertinere. Illi enim cùm audiunt ſermones obſcœnos & impuros, triſtitia nō leui afficiuntur, & quoniam illi prædīti ſunt Spiritu ſancto, ex quo is

Quomodo Spiritus S. cōtriſtetur.

affe-

affectus triſtitiæ deriuatur, Paulus ait, eum in illis dolere & affici triſtitia. Habes, lector, ad iſtas ita difficiles & admirandas quæſtiones breuem & dilucidam reſponſionem.

Sed ridet nos Inconſtantius, quòd ſtatuamus præſentiam fidei. Rideat ſanè quantũ velit. Nos quidem hoc genus præſentiæ habemus non ſolùm à Patribus obſeruatum, ſed etiam in diuinis literis conſignatum. Nam in Euangelio Chriſtus ait: *Abraham vidit diem meũ, & gauiſus eſt.* Atqui Chriſtus Abrahamo, quod ad natiuitatem aut mortem attinet, nõ potuit adeſſe, niſi per fidem. Et Paulus ait, Chriſtum proſcriptum & crucifixum fuiſſe ante oculos Galatarum: quod haud dubiè niſi de certitudine & præſentia fidei intelligi non poteſt. Quanquam vocabulum illud, Proſcriptus, ſignificare etiam poteſt eo loco depictum, vt ſit vehemens & illuſtris ὑποτύπωσις, Chriſtum illis propoſitum fuiſſe ante oculos. Quod etiam ad fidei præſentiam facit, vt alio loco oſtẽdemus. Patrũ de hac re teſtimonia ſuperſedeo: partim quòd diuinarum ſcripturarum confirmatione contentus eſſe velim, partim quòd ea malim ad alium locum opportuniorem reſeruare.

Quòd autem ait Inconſtantius, operari hîc omnipotentiam Dei, nihil reclamo. Per illam enim ſolam inſtitui poſſunt ſacramenta: ea, inquam, ſacramenta, quæ ad vitam æternam adiumento eſſe poſsint. Nulla enim eſt res creata, quæ ad ea efficienda vim ſibi vllam collatam habeat.

Contendit adhæc Inconſtantius, ſubſtantiam Euchariſtiæ & bonis & malis eandẽ eſſe. id nos quoque confitemur. Sacramentum enim Euchariſtiæ & ſigno, & re ſignificata conſtat: neque aut pietate, aut nequitia ſumẽtium mutari poteſt. Quòd autem impij rem ſignificatam non habeant, id ex eo fit, quòd illi fide careant. Sed hîc iſti turpiter hallucinantur, quòd cùm Sacramentum dicatur conſtare ex duabus rebus, ſigno videlicet, & re ſignificata, putent ea ſpacio & loco coniungi oportere. Id autem longè à vero alienum eſt. Vt enim à diuinis literis res in illis ſignificatę loco & ſpacio diſtant, ita etiam accidit in ſacramentis. Nec tamen ſacræ literæ ideo minus ſigno & re ſignificata conſtant: ſine terminis enim, qui ad relationem pertinent, neq; eſſe poſſunt, neque intelligi. An autem verba illa Pauli, *Qui comedunt panem hunc indignè, iudicium ſibi comedunt*: pro nobis contra Tranſubſtantiationem faciant, quoniam Inconſtantius ſatis putauit eſſe, id ſine vlla ratione negare: ego eius loci vſura tantiſper fruar, quoad ſecus demonſtratum fuerit.

Nunc verò ad illud aliquando accedendum eſt, in quo iſte noſter cardinem cauſæ verſari putat: ſcilicet, *An tam mali quàm boni communicando propriè accipiant corpus Chriſti.* Id Inconſtantius affirmat quidem: ſed prorſus ſine vllo diuinarum ſcripturarum teſtimonio. Tantùm citat Patres: & eos ipſos quàm probè intellectos, mox videbimus. Ante alios omnes in medium adfert Origenem ita ſcribentem in Pſalm. 37. *Iudicium Dei paruipendis: & commonentem te Eccleſiam deſpicis? Communicare non times corpus Chriſti, quaſi purus & mundus: quaſi nihil in te ſit indignum. Et in omnibus his putas, quòd effugies iudicium Dei? Non recordaris id, quod ſcriptum eſt, Propterea inter vos infirmi & ægri, & dormiunt multi? Quare multi infirmi? Quoniam ſe ipſos non dijudicant, & ſe ipſos non examinant: neque intelligunt, quid ſit communicare Eccleſiæ, vel, quid ſit accedere ad tanta & tam eximia ſacramenta. Patiuntur hoc, quod febricitantes pati ſolent: cùm ſanos cibos ſumunt ſibimet ipſis inferentes exitium.* In iſtis verbis hic ſophiſta duo ſe dicit obſeruare: primùm, hominem indignum accedere ad corpus Chriſti: alterum, eum, quamuis febricitet, tamen cibum eundẽ capere cum ſanis & dignis. Sit ita: ſi Origenes intelligat indignum hominem præditum quidem fide, & à Chriſto atque ab Eccleſia non alienum, aliqua tamen impuritate laborantem, contra nos nihil facit. Tales enim fatemur accipere corpus Chriſti, non minus quàm bonos ac pios. Origenem autem de huiuſmodi hominibus loqui, apparet ex eo, quòd Paulum teſtẽ citat: qui ita ſcripſerit ad Corinthios, multos inter eos ægrotare, & multos etiam iam dormire: illosque ita correptos fuiſſe à Domino, ne cum hoc mundo damnarentur. At ſi ea ad homines perfidos & impios referat, nihil obſtat, quò minus illi quoq; accedere poſsint ad corpus Chriſti. Panis enim propoſitus in ſacra menſa ſuo modo & eſt, & dicitur corpus Chriſti. Sumunt autem illi cibum eundem cum ſanis, cùm ſacramentum ſanis & pijs hominibus deſtinatum vſurpant: quamuis ſuo vitio totũ atque integrum non ſumant. Non enim habẽt fidem, quam ad rem vſque ſignificatam, quæ in cœlis eſt, poſsint porrigere.

Idem Origenes homilia quinta in Diuerſos ita ſcribit: *Quando ſanctum cibum, illúdque incorruptum epulum accipis, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini, tum Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.* Putat Inconſtantius, Origenem certo certius à ſe facere: & ita apertè ſcribere, indignos accipere corpus Chriſti, vt impudens ſit, qui hoc nolit credere. *Ait enim*, inquit, *Origenes, Dominum ingredi ſub tectum hominis indigni: & illud epulum, quod ſumitur, ſanctum vocat & incorruptum.* Sed iſte non patitur ſibi perſuaderi, vt ea, quæ propriè pertinent ad ſymbola, tribuantur corpori Chriſti: aut ea, quæ propriè referri tantũ poſſunt ad carnem & corpus Domini, communicentur cum ſymbolis. Atqui quemadmodũ corpus Domini frangi dicitur, cùm tãtùm frangatur panis: ita panis viciſsim dicitur ſanctificare, & ad vitam æternã paſcere, cùm id tantũ ad rem ſignificatam pertineat: nimirũ ad viuificam carnẽ Chriſti. Cumq; panis Euchariſtiæ aut abijcitur, aut cõtemnitur,

Communicatio proprietatum inter ſignũ & res quæ ſignificantur.

Christus ipse abijci dicitur,& conteni. Hoc pacto indigni, etsi tantùm recipiant symbola, tamen dici possunt recipere ipsum dominũ,sanctum videlicet cibum,atq; incorruptibilem. Ita enim ea, quæ propria sunt rei significatæ, per ἀποσιωπησιν quandam transferuntur ad signa. Dissimulat tamen Inconstantius, verba ista Origenis ad aliud genus hominum indignorum posse accommodari.

Sequuntur etiamnum verba Cypriani ex libro tertio Epist.15. *Illi*, inquit, *contra Euangelij legem, vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exhomologesin grauissimi atq; extremi delicti factã, ante manũ ab episcopo, & clero in pœnitentiam impositã offerre pro illis, & Eucharistiam dare, id est, sanctum domini corpus profanare audeant: cùm scriptum sit: Qui ederit panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini.* Colligit hìc se nonnihil Inconstantius. Videt enim, locum istum Cypriani non posse rectè accommodari in homines prorsus malos, & desperatos. Agitur enim de illis, qui post lapsum redierant iam ad Ecclesiam, & numerabantur cum pœnitentibus,& intercessione Martyrum cupiebant recipi ad sacram cœnam. Itaque eundem Cyprianum rursus aduocat ex alio loco. Nam de Lapsis ita scribit: *Iacens stantibus, & integris vulneratus minatur: & quòd non statim domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur.* Lumen aliquod mentis quod huic homini videbatur vtcunque redditum,rursus ita conturbatur,vt cæcus,& amens non intelligat se actum agere. Illi enim,de quibus Cyprianus loquitur, erant homines prius lapsi: quos pœnitebat admissi sceleris:quique iam redierant ad Ecclesiam. Cùm autem nondum Ecclesiæ satisfecissent, nec pœnitentiam suam satis euidentibus signis sacro cœtui comprobassent, dilationem pacis, & sanctæ communionis satis patienter ferre non poterant, & ministrorum seueritatem accusabant, quòd ad Eucharistiam cum alijs nõ reciperentur: quod hodiè quoque interdum ab illis, quos Abstentos vocant, videmus fieri. Illos sanctus martyr adhuc appellat pollutos,sacrilegos, iacẽtes, vulneratos, illis nondum publicè absolutis admissum scelus magna seueritate exprobansquò ab illis pœnitentiam adhuc euidentiorem extorqueret. Quare non possumus suspicari,illos prorsus ab Ecclesia fuisse separatos. Imò in ea, qualicunque pœnitentia multò magis cum Ecclesia coniungebantur, quàm Inconstantius, cùm primùm egressus è Turri Londinensi,statim à morte optimi illi⁹ regis Eduardi,primus coram Regina sua missam faceret. Hìc ego eius ipsius appello,si quam habet,conscientiam.Ab ecclesia Romana erat iam tum Apostata: nec illi erat adhuc reconciliatus,neque à Papa.à quo defecerat, quemque editis iam libris, publicè oppugnauerat, absolutus. Si vnam illam Ecclesiam & tum credebat, &, vt eius parasiti iactant,semper crediderat, quomodò vulneratus iacens, sacrilegis manibus, quibus in Papam contumeliosè multa scripserat,& ore polluto, quo contra Romanam Ecclesiam sæpè multa loquutus fuerat, ausus est communicare, & Sacramenta contrectare? Si dicat, se intus, & in corde egisse pœnitentiam, & ea causa non fuisse ab Ecclesia alienum: idem istis etiã lapsis largiatur, & intelligat, defuisse sibi tum aliquem Cyprianum,qui illud scelus, vt omnibus Antichristianis videtur,grande & horrendum digna seueritate exagitaret.

Inconstantius nõ adhuc Ecclesiæ Romanæ reconciliatus missam in Pontificalib. publicè fecit.

Sed redeo nunc ad eius vafriciem. *Ne mihi dixerint*, inquit, *Cyprianum symbolis nomina rei dedisse, hoc adducto argumento, quod Christi corpus in Eucharistia propriè non tangitur. Imò*, inquit, *secundum rationem mysterij propriè tangitur.* Idque ait testari Chrysostomum in homilia in Encænijs ita scribentem: Visibilia esse pro fimbria. Et addit, sub illis visibilibus adesse veri corporis substantiam: quod tamen à Chrysostomo non habet. Et quamuis haberet,substantiam corporis Christi esse sub illis visibilibus, id vno verbo respondere possemus, esse per significationem. Ita enim patres sæpè dicunt, sub litera latere sensus profundos, & salutares.

Esse sub aliquo signo potest intelligi per significationem.

Sed quoniam per Cyprianum sperat omninò fore, vt obtineat,impios verè, ac propriè sumere corpus Christi, idcircò alium etiam eius locum recitat ex illo Sermone, qui inscribitur de Cœna domini. *Sacramenta quidem*, inquit Cyprianus, *quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt: nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysterijs: sed quamuis ab indignis se sumi, vel contingi Sacramenta permittant, tamen Spiritus esse participes, quorum infidelitas, vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit, non posunt. Ideoque alijs sunt hæc munera odor vitæ ad vitam: alijs odor mortis ad mortem. Quia omninò iustum est, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec cũ indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem.* Cyprianus cùm dicit,Maiestatem Dei non discedere à mysterijs,citra controuersiam id docet,quod nos sæpe diximus, Spiritum sanctum illis vti ad excitãdam fidem in hominibus pijs & religiosè communicantibus. Quibus autem machinis efficiet Incõstantius ex illis verbis, corpus Christi esse realiter aut substantialiter in symbolis? Certè maiestas Dei nõ discedit à verbo suo cùm prædicatur: nec à Baptismi symbolo, cùm credentes tinguntur. Non tamen ex eo euinces, corpus Christi propriè aut in baptismo esse, aut in verbo. Cyprianus ait, Sacramenta permittere, sese sumi ab indignis. Non tamen id ait, quod Inconstantius peruerse colligit, impios recipere maiestatem Dei. Quod etiamsi diceret, tamen nullam ibi mentionem facit de corpore domini. Maiestatem autẽ Dei qui negat implere omnia, vehementer desipit. Quemadmodũ autẽ peculiari quadam ratione adsit mysterijs, iam diximus. Cyprianus quidem ait, infideles homines, & penitùs indignos accipere sacramẽtum: sed idem illos negat participes esse spiritus: quod mirificè congruit & consonat cum doctrina nostra. Nos enim vnà cum illo martyre dicimus,

Maiestas Dei omnia implet.

impi-

impietatem sumentium cum sacramentorum & diuinæ maiestatis sanctitudine pugnare. Additq; Cyprianus, ista munera & sacra symbola pro eo, ac se sumentes gerant, vel vitæ, vel mortis odorem esse. Istis enim ad salutem, illis verò ad iudicium faciunt. Cõtemptores enim gratiæ rectissimè ait tanto beneficio priuari, quod alioqui ex iusto vsu sacramentorum fuissent consequuti. Illud autem beneficium erat, vt puritas in illis & sanctitas habitaret. Sumũt illi sacramẽta, sua quidem natura, hoc est, Domini instituto purissima: sed ex illorum vsu nulla illis sanctitas affricatur. Satis ergo ex his liquet, verba Cypriani nostræ sententiæ nihil officere: imò potius euertere & coarguere errorem Inconstantij, quòd doceant, impios nõ posse participes esse spiritus. Qui spiritus quoniam indiuulsè cohæret cum corpore Christi, sequitur necessariò, eos ne corporis quidẽ Domini posse esse participes, cùm spiritus eius omnino sint expertes. Quemadmodum enim illorum indignitas resistit spiritui & puritati, ita etiam resistit corpori Christi, ne ab illis sumi possit.

Sequitur Arnobius in Psal. 74. ita scribens: *Sicut ignis iustis proficit ad splendorem, ad vsturã infertur iniustis, fex tamen calicis non exinanitur, vt bibant non pauci, sed omnes peccatores terræ: quòd vno eodemq; poculo alijs salus, alijs interitus adueniat: etiã hodiè, qui indignè gustauerint, vnde salutem dignè gustantes hauserunt, inde isti sibi, vt ait Apostolus, iudicium sumunt.* Quoniam Inconstantius satis vidit, verba ista Arnobij ad suum propositum nõ multum facere (nemo enim nostrũm negat ex ijsdem mysterijs, & pios iuuari, aut impios lædi) idcirco prudenter subijcit, nõ fuisse necesse vt illum huc citaret, nisi vt Patrum Catholicorum consensus luculentius & illustrius videri posset. Sed vt verè, quod res est, dicam, idcirco illum adduxit, non quòd eum sibi speraret ad victoriam profuturum, sed vt ad speciem aliquam & pompam aciem suam testibus præuaricantibus, & nihil dicentibus impleret.

Citat deinde Hilarium in Psalmum centesimum vigesimumseptimum. *Habemus*, inquit, *hic cibum spiritualem animam nostram in vitam alentem: bona scilicet opera misericordiæ, castitatis, patientiæ, tranquillitatis: in quibus nobis contra corporum nostrorum vitia laborandum est. Horum laborum fructus in æternitate est: sed labor hic æternorum fructuum antea comedendus est, eoq; in vita hac corporali anima nostra alenda est, per cibum horum laborum obtinentem panem viuum, ab eo, qui dixit, Ego sum panis viuus de cœlo: quem, qui indignè secundum mandatum Apostoli ederit, iudicium sibi acquirit.* Hinc Inconstantius colligit, eos qui indignè comedunt, ex sententia Hilarij, accipere panem & vinum, qui descendit de cœlo: ea autem verba non posse intelligi, nisi de corpore Christi, quod propter vnionem naturarum dici possit panis qui descendit de cœlo. Allœosis ista, qua nunc Inconstantius vtitur, nobis etiam plurimùm suffragatur. Ita enim dicimus, sacra symbola appellari panem vitæ, quòd illi pani coniunctione sacramẽtali sint vnita. Non enim vulgari efficacia referunt nobis panem illum viuum, hoc est, carnem Christi cum diuinitate coniunctam. Atq; ita putet responsum esse sibi duobus verbis: nisi fortasse malit, Hilarium de illis loqui indignè sumentibus, de quibus Paulus quoque, ad cuius ille verba alludit, scribit ad Corinthios.

Sed nunc audiamus Basilium. Is in vltimo capite de Baptismo ita scribit: *Debemus ergo attendere, quod sit iudicium eius, qui indignè edit & bibit. Nam si, qui fratrem quoque per cibum contristat, à charitate extidit, sine qua magna quoque charismata & iustificationes quoque operantia nihil prosunt, quid de eo iudicandum est, qui otiosè & inutiliter edere audet corpus, & bibere sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & hac ratione plus aliquanto contristat Spiritum sanctum, dum sine socia charitate vescitur.* His addit Inconstantius: *Et vescitur tamen, inquam ego: sed, vt inquit Cyprianus, Spiritus, & tantæ gratiæ puritas non facit mansionem: quod ipsum Basilius intelligit per contristationem Spiritus, quòd ab eo recedat.* Citius dixeris, Basilium non attendisse, quæ scriberet, quàm non intellexisse, quæ congruerent. Cùm enim Basilius testetur, ista indigna manducatione corporis Christi Spiritum sanctum contristari, de illo haud dubiè spiritu loquebatur, quem communicantes in se habebant. Qui quidem certè, cùm habeant Spiritum sanctum, non possunt esse ex eo numero hominum, de quibus nos nunc disputamus. Illos haud dubiè Basilius notauit, qui fide ac spiritu essent præditi: læsa tamen aliqua ex parte charitate, ad mensam Domini accederent indignè. Ita hic sophista testes, quos allegat, non ex verborum pondere; sed ex primo tantùm orationis aspectu ponderat. Nihil autem hoc loco aliud Basilius affirmat, quàm homines indignè communicantes grauius peccare, & Spiritum sanctum contristare, quàm eos, qui in cibo offendunt fratres.

Citatur idem Basilius in Regulis, Interrogatione 172. qui cùm ab eo quæreretur, quanto cum timore, qualiue cum animo, aut persuasione, aut affectu, percipere debeamus corpus & sanguinem Christi, ità respondit: *De timore quidem habemus Apostolum, qui ait, Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit: fidem autem faciunt verba Domini, qui dixit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Quid ista contra nos faciant, ne suspicari quidem possum. Nos enim quoque perpetuò, & diligenter hortamur communicantes, vt cum timore accedant ad mensam Domini, ne sibi iudicium comedant, & bibant. Fidem autem inculcamus, vt credant, Dominum corpus suum illorum causa tradidisse in crucem. Nec minus frustra iste sudat in verbis eiusdem, vt putat, Basilij: *Fac*, inquit in Liturgia, *vt nemo nostrũm ad iudicium & condemnationem sit particeps sancti corporis & sanguinis Christi tui: sed vt inueniamus misericordiam & gratiam cum omnibus sanctis.*

Omnibus

Omnibus equidem constare arbitror, tam ista verba Liturgiæ, quàm ea, quæ afferũtur ex Regulis, de hominibus fidelibus, & ad Ecclesiam pertinentibus esse scripta.

Huc etiam adducitur Hesychius ex sexto libro in Leuit. cap. vigesimosexto. Sed ille quoque, vt videbimus, facilè frustrabitur spem Inconstantij. Sic enim scribit: *Si quis templum violauerit, perdet illum Deus, propter quod sanctuarium eius pauceamus, vt neq; corpus nostrum polluamus, neque ad corpus Christi, in quo est omnis sanctificatio, (in ipso enim omnis plenitudo diuinitatis inhabitat) sine subtili diiudicatione nostri temerè accedamus: sed prius nosmetipsos probemus, reminiscentes eius, qui dixit: Quicunque comederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Inconstantius ex eo colligit, Hesychium loqui de vero corpore Christi, quòd adscribat, *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis.* Sed non video, quid ista eum iuuent. Symbola enim in Eucharistia verum Domini corpus, nõ fictum referunt: illud, inquam, corpus, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Cumque omnes isti Patres ad verba illa Pauli respiciant, quæ habentur in priori ad Corinthios, de indignè manducantibus, satis apparet, de quo hominum genere loquantur. Quanquam nostrã nihil refert. Siue enim de istis, siue de illis intelligantur, nostram causam nihil grauant.

Huc adiungitur Ambrosius, qui in capite vndecimo prioris epistolæ ad Corinthios ita scribit: *Ideo multi in vobis inualidi, & ægroti, & dormiunt multi, vt verum probaret, quia examen futurum est accipientium corpus Domini. Iam hîc imaginem iudicij ostendit in eos, qui inconsideratè corpus Domini acceperunt, dum febribus & infirmitatibus corripiebantur, & multi moriebantur: vt in eis cæteri discerent, & pœnarum exemplo territi emendarentur, non inultum scientes, corpus Domini negligenter accipere: & eum, quem hîc pœna distulerit, grauius tractatum iri, quia contempsit exemplum.* In his omnibus verbis Ambrosij nihil ostenditur, quod obstet, quò minus ista intelligi possint de symbolis. Deinde apparet, eum de illis scribere, qui non carebant fide: sed tantùm ad sacram cœnam accedebant negligenter.

Sed idem rursus citatur in capite decimo ad Hebræos ita scribens: *Et quomodo conculcat quis quam filium Dei? Quomodo enim eo indignè participatur per Sacramenta, nónne grande peccatum committit? nónne illum conculcat? nónne illum contemnit?* Si dicere vellem, non esse hanc interpretationem Ambrosij, adstipulatores haberem viros doctissimos. Sed fingito esse. Quid aliud sibi iste vult, quisquis est, Ambrosius, quàm malos participare filio Dei? Sed addit, per sacramenta: non substantialiter aut realiter. Atque hoc ipso nomine impij magnam iniuriam faciunt filio Dei, quòd eius sacramenta habeant ludibrio.

Verùm vt procedat catalogus, Chrysostomus etiam adducitur. Is homilia octuagesima tertia in Matthæum ita scribit: *Cogita, quanta indignatione aduersus proditorem, aduersus eos, qui crucifixerunt ipsum, moueris. Et caue, ne tu quoque reus corporis & sanguinis Domini efficiaris. Illi acerbissimè trucidârunt: tu post tot, tantaq; beneficia sordida suscipis anima.* Sophista iste, quoniam videt facillimam esse viam, vt nos ista ad typum referamus, de industria anteuertit atque occupat lectorem: ait enim, verba ipsa Chrysostomi id non ferre. Illum enim simpliciter instituere ac docere populum, eos tam verè animã sordida recipere Dominum, quàm verum est, Iudæos eundem Dominum ad mortem rapuisse. Atqui hoc Chrysostomus non dicit, Christum à nobis eadem veritate suscipi, qua deditus est neci à Iudæis: præsertim si per veritatem intelligas corporalem præsentiam. Hoc idcirco dico, quia alioqui fide atq; animo illum eundem Christum, quem Iudæi trucidarunt, certissima veritate apprehendimus: & quia illa symbola verissimum Christi corpus nobis certissima veritate referunt: illud, inquam, ipsum corpus, quod pro nobis datũ est in crucem. Quare siue Chrysostomus negligentes moneat, siue impios & infideles redarguat, vtrique cauere debent, ne anima indigna & sordida, siue verè per fidem, siue tantùm in mysterijs, accipiant corpus Christi. Sed cur non eadem diligentia annotauit hoc loco Inconstantius, Chrysostomum cum Ecclesia sua loqui, & hortari homines fide præditos, ne indignè cõmunicent: eam autẽ communionem eum satis indicare per fidem fieri, cùm dicat, corpus Christi suscipi anima sordida, non autẽ corpore aut ore externo. Ita hic noster ita callidè dissimulare & præterire voluit, ac si ad rem nihil facerent. Sensus autẽ Chrysostomi est: Quẽadmodum nos indignari solemus illis, qui Christum trucidarunt: ita nos vicissim cauere debemus, ne Christo faciamus iniuriam, aut illum animã fœtenti & sordida recipiamus. Quod siue ad symbola referas, siue ad ipsum Christi corpus verè animo receptum, vtroq; modo verum est.

Nec tamen satis mirari possum huius viri nouum acumen & prudentiam. Ait enim, si ista torquere velimus ad symbola, fenestram à nobis aperiri illis hæreticis, qui non Christũ, sed Simonem Cyrenæum in crucem adactũ fuisse asseruerunt. Nos enim quoq; statuere, panem indignè sumentib. pro Christo pati. Et quętandem, Inconstanti, est ista connexio? An Chrysostomus fortè dicit, Christũ pati aliquid abeis, à quibus recipitur indignè? Hoc equidem antehac non audiui. Quòd si Christus, postquam semel est mortuus, nihil amplius patitur, quomodo tu somnias, panem, nescio quid, pati, cũ sumitur ab indigno? Panis certè non patitur quicquam, nisi id fortasse velis dicere, eum in ventriculo concoqui, & in cibum naturalẽ conuerti. Irascitur quidem Christus & indignè negligenterq; sumentib. corpus suum per fidem, & absq; fide symbola sacra vsurpantib. Quare Paulo & Chrysostomo parendum est, monentibus, ne id à nobis committatur.

Sed alia quoq; verba Chrysostomi Inconstantius allegat ex eadem homilia. Ita enim loquitur:

tur: *Quòd si ipse pellere non audes, mihi dicas. Non permittam ista fieri. Animam potius tradam, quam Dominicum corpus alicui indignè: sanguinem & meum effundi potius patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam.* Hic verò exultat Inconstantius. *Ista*, inquit, *non ita vehementer dicerentur, si indignus nihil acciperet præter panem.* Quæ ista est dissimulatio? vt ne dicam impudentia? Quoniam non damus, panem re ipsa esse corpus Christi, idcirco calumniatur, nos in cœna nihil statuere præter panē. Atqui plus millies audiuit à nobis, panem in Eucharistia effici Sacramentum: quæ mutatio multò certè pluris est, quàm inanis ista Transubstantiatio Sophistarū: nam ea revera nulla est. Sed cur eadem audacia non insultas aquæ Baptismi? Cur non clamas, eam aquam tantùm esse? Cur non eadem licentia eos, qui ita humiliter de illa sentiunt, figuratores vocas? Cur pateris, vt quisquam dicat, illud sacramentum esse, aut externum signum regenerationis nostræ, & Christi, quem induimus: aut ab hominibus infidelibus, & à Christo alienis ex ea lotione nec regenerationem, nec Christū percipi? Apagesis cum tua ista insolentia. Nimis oportet simplices & fatuos esse, quibus ita posis imponere.

Excutiemus tamen eundem Chrysostomū, vt adfertur ex homil. 45. in Iohannem. *Sicut magnum*, inquit, *est atque admirabile, ita si purè accesseris, ad salutem accessisti: si praua conscientia, ad pœnam & ad supplicium. Qui enim manducat & bibit indignè corpus & sanguinem Domini, iudicium sibi manducat & bibit. Nam si qui regiam purpuram coinquinant, haud secùs, quàm qui scindunt, puniuntur: quid mirū, si, qui immunda conscientia Christi corpus accipiunt, idem iudicium subeunt, quod, qui clauis eum affixerunt?* Satis est Inconstantio, quòd putet, posse colligi ex his verbis, corpus Christi suscipi immunda conscientia. Quoniam autem videt, Chrysostomum duxisse simile à purpura regia, & ex eo intelligi posse, symbola quoque ad Christum pertinere, quòd ea sint Christi, non minus, quàm purpura est regis, atque ita puniendos esse, qui contumeliam faciunt sacramento, etsi Christum ipsum non attingant, non minus quàm illum, qui scindat, aut coinquinet regiam purpuram, quamuis regis ipsius corpori vim non adferat. Idcirco sese opponit in tempore, & cauillatur, Chrysostomum propterea vsum esse isto simili, vt significaret corpus Christi nihil pati, etsi ab indigno comedatur: quemadmodum regis persona non lædi-tur, etsi fortè interdum eius purpura violetur. Mihi crede, non erat necessaria Chrysostomo tam exquisita diligentia, vt id tam accuratè doceret Christianos, quod in Ecclesia omnibus & lippis & tonsoribus notum esset, & à Paulo disertissimis verbis publicatum. Ille enim ait, Christum mortuum esse semel, amplius autem nec mori, nec pati. Id ergo multò potius docere voluit, quod nunc inter nos controuertitur, Panem videlicet Eucharistiæ ita pertinere ad corpus Christi, vt purpura pertinet ad personam regis: & quemadmodum purpura non est rex: ita panem non esse corpus Christi: sed esse potius sacramentum Christi corporis, quo qui abutuntur, luent grauissima supplicia. Atque id non est nouum in sacris literis. Arca fœderis erat symbolum: at ea indignè attacta causa fuit, cur Oza occideretur. Suffitus erat symbolum: at eum rex Ozias faciens contra institutum Dei, percussus est lepra. Nadab & Abiu violarunt symbola, & statim miserè conflagrarunt. Bethsamitæ Arcam Domini tantumindignè conspexerunt, & grauissima clade afflicti sunt. Et Palæstini cùm eandem arcam captiuam asportassent, parum abfuit, quin plagis diris simis prorsus absumerentur. Heliodorus, vt est in historia de Machabæis, violauit symbola, & cæsus est. Et in 7. Leuit. scribitur, Animam eam, quæ sancta symbola & sacramenta veteris Legis immunda comedisset, eradicandam esse. At in illis verū fuisse Christi corpus, ne Inconstantius quidem, quamuis alia omnia posit, comminisci potest. Eat modò, & figuratores fastuoso illo suo naso suspendat: & sciat, nos eiusmodi scommatis & puerilibus ineptijs non moueri. Satis nobis esse debet, quod videamus, sententiam nostram ad sacras literas, & orthodoxæ fidei dogmata conuenire.

Sed citatur etiam huc idem Chrysostomus ex homilia de proditione Iudæ. *Nemo*, inquit, *sit Iudas in mensa. Hoc sacrificiū spiritualis cibus est. Nam sicut corporalis cibus cùm ventrē inuenerit aduersis humoribus occupatum, & amplius lædit, & magis nocet, & nullum præstat auxilium: ita iste spiritualis cibus, si aliquem repererit malignitate pollutū, magis eum perdet, non sua natura, sed accipientis vitio. Pura igitur mens in omnibus: pura cogitatio: quia sacrificium purum est.* Vix puto, lectorem ita hebetē esse posse, quin facilè intelligere queat, quàm turpiter Inconstantius abutatur hac sententia. Putat nos his verbis mirabiliter flagellari: cùm tamen nihil hic sit, quod nos quoque non asseramus. Panem enim Eucharistiæ non pro communi cibo habemus, sed, vt est, pro eximio sacramento. Itaque fatemur esse spiritualem & purum cibum. Est enim organum Spiritus sancti. Atque hac eadem ratione diuinas literas & sanctas, & puras, & spirituales appellamus. Quod cùm ita sit, causam non video, cur in hoc loco diutius immorer.

Ea potius videamus, quæ iste citat ex eodem Patre, ex homilia vigesimaquarta, in epistolam priorem ad Corinthios. Ea sic habent: *Quòd si hominis vestem temerè nemo attingeret, quo pacto omnium Domini corpus purum & immaculatum, quod diuinæ illius naturæ particeps est, propter quod & sumus, & viuimus, propter quod & portæ inferi fractæ sunt, & cœlorum apertæ, tanta cum ignominia accipimus?* Quoniá in ijs verbis Chrysostomus gradatione quadam transit à vestib. hominis ad corpus Christi, putat hic noster, ea quæ dicuntur de corpore Domini, nō posse intelligi de symbolis, quasi sint eius: vt vestis, & purpura regis & hominis alicuius dicuntur esse, cùm tamē ab illorum naturis longè distent:

Nescio, quænam intemperiæ hunc hominem exagitent. Quiuis enim facilè videre potest, hanc esse Chrysostomi collationem: Si vestis hominis temerè non est attingenda, quantò minus corpus Domini, hoc est, sacramentum Christi, qui omnium est dominus? Aptissima est huius cõparatio à minori ad maius, negando temeritatem esse adhibendã. Quemadmodum enim homo purus longè minor est, quàm Christus: ita vestis multò minus ad hominem pertinet, quàm sacramentum ad corpus Christi. Quòd autem rerum ipsarum nomina imponat sacramentis, id non nouum, aut inusitatum videri debet illis, qui aut in sacris literis, aut in Patribus diligenter versati sint.

Sed his non contentus Inconstantius, citat adhuc eundem Chrysostomum ex homil. 3. epist. ad Ephes. *Tu verò ad oblationem accedens, quã & Angeli exhorrent, temporum circuitu rem tantam metiris? Et quomodo comparebis ante tribunal Christi, qui labijs & manib. immundis ipsius ausis corpus attingere? Et regem quidem tuum nolles ore tuo fœtido adsculari: regem verò cœli animo graueolenti oscularis? Contumelia est res ista. Hìc iam*, inquit Inconstantius, *non à regis purpura, sed ab ipso rege ducitur similitudo. Et ne à solo animo graueolenti contumeliam dicas irrogari, & manus, & labia immunda nominãtur.* Videtur iste mihi vix primoribus labijs sacras literas & Patres attigisse. Nam Christus dicit, se affligi, persecutionem pati, fame ac siti necari in pauperibus: cùm tamen, quod ad corporis substantiam attinet, ne Papistæ quidem dicere velint, Christũ in illis esse. Quid ergo mirum, si dicamus, Christum eodem modo in sacramentis contemni & conculcari? Sed dices, longè maius esse: Christum enim panẽ illum appellasse corpus suum. Esto. Sed nos quoque dicimur esse corpus Christi. Quare qui sacramenta spernunt & afficiunt contumelia, cùm ea non minus Christi sint, quàm pauperes, ipsum Domini corpus, cuius illa mysteria sunt, animo graueolenti, & manibus, labijsque immundis osculari & tangere dici possunt. Ad hæc vides, in verbis istis Chrysostomi manifestam esse hyperbolem. Ait enim, manibus tractari corpus Christi. At reuera id, quod tactu & manibus vsurpamus, aut panis est, vt veritas sanctarum scripturarum docet, & sensus ipse, vt Augustinus ait, enuntiat: aut, quemadmodum sophistæ nugantur, panis accidentia. Sed si ita seuerè reuocandi sumus ad amussim Patrum, cur hodie Papistę ad eam se quoque non patiuntur reuocari? Sancti Patres dabant populo Eucharistiam in manus, vt sæpius annotaui. At Papistæ hodie nostri multò mallent Cœnam vniuersam abolere, quàm ita facere: quamuis & Christum, & Apostolos, & sanctos Patres ita fecisse negare non possint. Ad illorũ metaphoricas & hyperbolicas locutiones tantùm respiciunt, easq; omnino volunt esse proprias. Illas autem, quæ re vera propriæ sunt, abijciunt & contemnunt, easque in suis ceremonijs, & ritibus impudenter corrigunt.

Huc aduocatur etiam Tertullianus ex libro de Resurrectione carnis. Ille autem ait, corpus & animam iungi in opera, ne in mercede separentur. Ea verba nihil opus est, vt rursus exponam. De illis enim satis à me dictum est suprà.

Vltimus autem locus Chrysostomi adducitur ex hom. 17. ad Hebræos: quo Inconstantius nihilo magis iuuatur, quàm illis superioribus. *Plurimi, inquit Chrysostomus, ex hoc sacrificio semel accipiũt in toto anno: alij bis: alij sæpius. Ad omnes ergo nobis sermo est: non ad eos, qui hìc sunt tantùm, sed etiam ad eos, qui in eremo sedent. Illi enim semel in anno participãt: fortassis etiam & post duos annos. Quid ergo est? Quos magis acceptabimus? Eósne qui semel, an eos qui sæpius, an illos qui rarò accipiunt? Neq; illos qui semel, neq; illos qui sæpius, neq; illos qui rarò: sed eos, qui cum munda conscientia, qui cum mundo corde, qui cũ vita irreprehensibili: isti semper accedunt. Qui verò tales non sunt, neque semel. Quid ita? Quia iudicium sibi accipiunt, & damnationem, & suppicium.* Hic Inconstantius ait, Chrysostomum falsam eorum opinionem reprehendere, qui putant, corporalem præsentiam impedire frequentiã communionis. Eam autem ait, Chrysostomum non exigere, sed tantùm munditiem conscientiæ. Haud equidem scio, iste noster somniáns ne an vigilans hæc verba huc adduxerit. Nihil enim in illis est, quod nostræ professioni & doctrinæ peculiariter aduersetur. Quòd autem ait, quosdam ex nostris dicere, præsentiam istam corporalem impedire frequentiam communionis: id ego sic accipio, hæc illos dixisse, cùm in Missas priuatas Papistarum inueherentur. Nam propter fictitiam illam opinionem de præsentia corporali quidã satis sibi putauerũt fore ad salutem, si Christũ, vel, vt vulgò adhuc loquuntur, factorem suum vidissent, vel parte indutum, vel, vt vos dicitis, accidentibus, etsi ad communionem nũquam accessissent. At si vos illos pro eo ac debebatis, instituissetis, hunc vnum esse vsum Eucharistiæ, vt comedatur ac bibatur, nunquam passi fuissent, illa falsa imagine Christi in accidentibus conspecti se à vobis circumueniri: sed omnino communicassent, & ex sacramẽto iustum emolumentum percepissent. At cùm illi se maxima parte pietatis defunctos esse imaginentur, si adoratione & honore aliquo Christi corpus, vt putant, affecerint, ibi incipiunt sistere gradũ, nec de edendo, aut bibendo sacramẽto quicquam cogitant. Atque ea causa pij viri errorem istum vestrũ iustè ac meritò damnauerunt: videbant enim ex eo non tantùm adidololatriam, sed etiam ad negligẽtiam aditum aperiri. Vt autem Chrysostomus ita loqueretur, in causa fuit, quòd monachatui & Eremitarum solitudini nimium fauerit. In quo genere vitæ id cum sanctimonia & pietate Christiana pugnare videbatur, quòd studio solitudinis, quam sibi absque vllo monitu, aut verbo Dei colendam statuerant, ab eo se continerẽt, quod Christus in sui commemorationem fieri & frequentari iusserat. Hìc itaque Chrysostomus suscepit & defendit suos monachos, quàm iustè, ipse viderit. Certè dum vult illis plus

Chrysostomus vitæ monasticæ nimiũ fauet.

Chrysosto mus quàm frequentiã dominicæ cœnæ requirebat.

plus, quàm par est, suffragari, à se ipso manifestissimè dissentit. Alibi enim iustis propemodũ lachrymis mensæ Dominicæ solitudinem deplorat. Apparet ergo, quàm parùm attentè Inconstantius legerit Chrysostomum, qui nó meminerit, eum alibi ad frequentiorẽ communionem pópulum cohortari. Munditiem quidem vbique requirit: at vnà frequentiam etiam exigit. Nam in homilia 3. ad Ephesios, & 61. ad populum Antiochenum, ne plura loca commemorem, grauiter reprehendit eos, qui rationem haberent temporis, & pascha, aut Epiphaniam obseruarent, & illis diebus vel immundi communicarent, alijs autem temporib. cùm inuitarentur ad mensam, & possent accedere, salutares admonitiones contemnerent.

Verùm istis omissis, Hieronymus etiam adducitur contra nos ex lib. 2. contra Iouinianũ. *Opponis, inquit, mihi Gomer mannæ, vnamq; mensuram, & vestitum, & capillos, & barbam, & calciamenta ex æquo fuisse Israelitarum: quasi non & nos Christi corpus æqualiter accipiamus. Vna est in mysterijs sanctificatio domini & serui, nobilis & ignobilis, Regis & militis: quanquam pro accipientium meritis diuersum fiat, quod vnum est. Qui enim indignè manducauerit, & biberit, reus erit violati corporis & sanguinis Christi. Nunquid quia Iudas de eodem poculo bibit, de quo & cæteri Apostoli, vnius erit cum reliquis meriti?* Sensus istorum verborum Hieronymi facilis est, & cuiuis obuius. Nam, quod ad fideles attinet, quisque eorum, cùm communicat, corpus domini æqualiter participat: quáuis eius effecta pro rata parte fidei non ab omnib. æqualiter sentiantur. Sin autem promiscuè intelligatur multitudo communicantium, tam fidelium, quàm perfidorum, qui videntur pertinere ad typum Iudæ, omnes ex æquo comedunt ex eodem pane, & bibunt ex eodem calice: & cuique illorum tantundem sacri mysterij distribuitur: quandiu quidem impij sunt eo loco, vt ex communicatione non sint refecti ab Ecclesia.

Cæterùm ab eodem isto Hieronymo in primum caput Malachiæ Inconstantius nostram sententiam planè victam, & iugulatam esse putat. Sic enim scribit: *Polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus. Et dicimus, Mensa domini despecta est: non quòd aliquis audeat dicere, & quod impiè cogitat, scelerata voce proferre. Sed opera peccatorum despiciunt mensam Dei.* Hìc nos Inconstantius medios teneri putat, quòd Hieronymus panem, quem polluunt indigni, diserta, propriaque voce exponat corpus Christi. Non autem animaduertit, illam vocem quæ terminum relationis mysterij declarat, idcircò esse adiectam, quò panis ille, de quo agitur, à communi, & profano pane distinguere-tur. Et eadem ratione distinxit poculum: illudque mundum Christi sanguinem appellauit. Inconstantium verò Hieronymus manifestissimè iugulat. Iste enim transubstantiat, & abijcit panem in mysterijs: Hieronymus autem & agnoscit in illis panem, & illum scribit pollui ab indignis. Sed dicet, Hieronymus appellauit panem, vel quòd antea fuerit panis, vel quod ipsum corpus domini metaphoricè vocetur panis. Hoc etiam putet Inconstantius sibi respon sum à nobis, Hieronymum idcircò interpretari panem corpus Christi, quòd panis significet corpus Christi. Quòd si has loquendi formas non permittet nobis, videat, quo iure eas vsurpet ipse.

Addit huc etiam eiusdem Hieronymi verba in Psalmo quinquagesimo quarto in illa verba: *Qui sibi mecum dulces capiebat cibos. Cùm mandatis vitæ*, inquit, *& voluntate patris plerunq; refectus es. Cibus enim dulcis est, patris facere voluntatem: vt illud, Qui intingit mecum manum in paropside, leuabit contra me calcaneum suum. Vel cibus dulcis, corpus & sanguis Christi: quod ipse suscepit indignus.* Primùm oportuit istum rhapsodum cogitare, Commentaria illa in Psalmos, quæ adscribuntur Hieronymo, notha esse, & suppositicia. Quanquam in hac re operæ magis Inconstantij castigandæ sunt q̃ ipse. Nó enim ipsi licuit patrũ sententias euoluere. Sed cùm in Turri propter suam incõstantiam, & nequitiam asseruaretur, id tantùm operam dedit, vt ex frustulis, quæ in singulos dies ab istis operis adferebantur, ipse centones consarcinaret. Atque rem ita se habere ex ipsius verbis planum faciam. Librum istum conscriptum fuisse in Turri, satis constat. Verùm, cùm in ius adductus esset, & in magna frequentia populi Londinensis, ad articulos propositos respondere iuberetur, multa, pro suo ingenio, astutè & callidè cœpit excusare: Non mirum videri debere, si imparatus ad dicendum accederet: se enim ibi iam diu fuisse conclusum, vbi vix aerem liberum spectare potuisset. Ad alia autem incommoda hoc etiam accessisse, quòd penitus esset destitutus libris. Hæc ille. Iam si ita erat prorsus destitutus libris, necesse omninò est, vt fateatur, loca ista ex patribus, non se, sed operas suas collegisse. Verùm, vt ad institutum redeam, fingamus, verba illa esse Hieronymi. Nihil ex illis aliud potest rectè colligere, quàm dulcis illius cibi duplicem esse manducationem in Ecclesia: vnam diuinorum eloquiorum, alteram mysteriorum. *Sed mysteria*, inquit, *si tantùm symbola spectemus, quæ sola vos vultis Iudam accepisse, non potuerunt appellari dulcis esca.* Quid ita? Certè vt instituta sunt à Christo, non minus dulcia sunt, quàm verba Dei. Si impij suauitatem illorum non sentiunt, nihil mirum. Nec febricitantes voluptatem capiunt è dulcissimo vino. Verùm id illorum vitio fit. Nam alioqui vinum generosum & dulce saporem suum non omittit. Pijs quidem hominibus sacramenta Christi suauissima, & iucundissima sunt. Hauriunt enim ex eis fructum spiritus quem oportuit. Neque inficiari possumus, spiritum sanctum hoc instrumento sacrorum symbolorum omnibus ex instituto domini communicantibus corpus Christi, fide percipiendum offerre. Quo cibo spirituali quid dulcius esse potest aut amabilius? Quare cùm

Gardinerus per se ipsum ista loca patrum non collegit.

Symbola vt instituta fuerũt à Christo, sunt dulcissimus cibus.

sacramenta dulcis appellantur cibus, ab illorũ ingenio & natura nihil aberratur.

Nihilo meliore fide postea citat Hieronymũ in capite vndecimo prioris ad Corinthios. Illa enim Commentaria nemini docto possunt videri Hieronymi. Ita tamen eum adducit Inconstantius in illa verba Pauli, *Probet se ipsum homo: Si in linteũ*, inquit, *aut vas sordidum illud mittere nõ audes: quantò minus in corde polluto: quam immunditiem Deus super omnia execratur: & quæ sola iniuria est eius corporis? Nam & Ioseph ille iustus propterea sindone munda inuolutum in sepulchro nouo corpus domini sepeliuit, præfigurans corpus domini accepturos tam mundam mentem habere, quàm nouam.* Hic sophista non tantùm friget, sed etiam penitus conglaciat. Author autem, quem citat, allegoria quadam tolerabili, id suadet, quod nos fatemur verum esse, & vlnis ambabus amplecti mur: nimirùm, oportere mentem, quę suscipiat corpus Christi, & mundam, & nouam esse: quã illi habent soli, qui fide illustrati sunt à spiritu sancto.

Post Hieronymum Augustinus adducitur: quem non sine magno apparatu, & strepitu Inconstantius producit in scenam. Ait enim nos abuti sententijs quibusdam huius Patris, dissimulantes interim ea, quæ contra nos faciunt. Sed Lector, vt spero, prudenter audiet, & expendet ea, quæ iste nos clamat astutè, & vafrè celauisse. Contra literas Petiliani libro secundo capite quadragesimo septimo ita scribit: *Non dicunt ista, nisi qui de mensa domini vitam sumunt, sicut Petrus, non iudicium, sicut Iudas. Et tamen ipsa vtrique fuit vna: sed non vtrique valuit ad vnum: quoniam ipsi non erant vnum.* O cæcum & tenebrosum Labyrinthũ: non possumus opinor, sine artificiosissimo filo nos hinc vnquã explicare. Dabimus tamen operam: & fortasse aliquando aliqua ratione emergemus. Nónne nos, quæso, fatemur, in templo mensam vnam eandemq; proponi omnibus tam bonis, quàm malis? & bonis malisque idem offerri sacramentum? Nam ex eodem pane & Iudas accepit, & Petrus. Illa tamen mensa, cùm esset vna, potuit nihilominus intelligi non vna: quoniam bonis malisque non valebat ad vnum. Illi enim neque inter sese sunt, neque cum Christo vno spiritu, eademque fide coniuncti. Hic iam nihil supereſt ambigui, aut obscuri. Tenebræ illæ in oculis Inconstantij sunt, non in verbis Augustini.

Ille tamen adhuc, ne sibijpsi deesse videatur, citat hæc quoque verba Augustini ex epistola eius 162. *Tolerat ipse dominus Iudam, diabolum, furem & venditorem suum, sinit accipere inter innocentes discipulos, quod norunt fideles, pretium nostrum.* Hic Inconstantius, ac si prorsus iam debellatum esset, exclamat triumphali voce, nihil vnquam ab Augustino dici potuisse significantius. Et addit, An symbola quoque dicturi sunt esse pretium nostrum? Certè, si vt diuinæ literę testantur, vt Patres voluerunt, vt tu quoque Inconstanti, quemadmodũ & iam audiuimus, & postea audituri sumus, confiteris, signa fæpè obtinent nomina rerum, qua ratione Panis appellatur corpus Christi, & vinum sanguis: quid, obsecro, obstabit, quò minus sacramentum eadem ratione pretium etiam nostrũ possit appellari? Profectò, qui certo quodam modo statuit symbola esse corpus & sanguinem Christi, is ea illis attribuit, quæ corpori & sanguini Christi ascribi solent. Sed ista tanquam percussus à Deo iustissimo animi furore, vt solet palpat in meridie.

Sacramẽta vt possint vocari corpus Christi, sic etiã possũt dici pretium nostrum.

Rursus allegat eundem Augustinum contra Cresconium Grammaticum libro primo capite vigesimo quinto. *Quid*, inquit, *de corpore ipso & sanguine domini, vnico sacrificio pro salute nostra, quamuis ipse dominus dicat, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, nónne idem Apostolus docet, & hoc perniciosum fieri malè vtentibus? dit enim, Qui cunque manducauerit panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini?* Ecce, quemadmodum obsint diuina, & sancta malè vtentibus. Cur non eodem modo Baptismus? Hoc Augustinus sibi probandum proposuit, quod etiam noster iste non dubitat, Res sanctas obesse malè vtentibus: & argumentum ducit à Sacramento Eucharistiæ. Quod cum appellat corpus & sanguinem domini, & vnicũ sacrificium salutis nostræ, id pro consuetudine diuinarum literarum & pro more Ecclesiasticæ loquutionis facit. Et tandem concludit, Baptismum quoque eiusmodi esse, vt quamuis bonus sit, & legitimè adhibeatur, tamen non prosit, sed obsit malè vtentibus. Atque ista conclusione occurrit Cresconio: qui docere solebat, eos, qui accederent ad partes Donati, esse ibi baptizandos, quòd ne nos quidem negare auderemus esse ibi Baptismum. Respondet Augustinus, illos quidem Baptismum habere bonum & legitimum: sed talem tamen, qui noceret tam habentibus, quàm percipientibus. Expediat nunc Inconstantius, quomodo consistet ista similitudo inter Baptismum & Eucharistiam, nisi ista duo sacramenta eodem modo se habeant ad impios. Haud dubiè, vt ipse statuit, erit similitudo aliena, & dissimilis. Vt ergo sacramẽta ista inter se cõueniant, & sacris literis respondeant, necesse est, vt etiam inuitus fateatur, impios ita sumere elementa Eucharistiæ ad iudicium suum, quemadmodum ficti, & scelerati ex Baptismo nihil referunt, nisi extenuam lotionem. Si quis fortè sit, qui inter hæc duo sacramenta hanc collationem ab Augustino fieri non credat, legat ille & 25. & 26. caput eiusdem libri. Quod autem Inconstantius dicit, Augustinum nihil confeciſſe argumento suo, nisi dicat, impios & sceleratos comedere verum & proprium corpus Christi, id illi non tantùm dicendum, sed etiam docendum erat. Neq; quicquam eius causam iuuat, quòd Augustinus externis symbolis Eucharistiæ attribuat nomina corporis Christi & sacrificij salutis nostræ. Quare nihil erat opus, vt iste hoc genus iniuriæ deprecaretur, quòd nimium diu in rebus clarissimis immoretur. Illam potius iniuri-

am

am suam purgare debuit, quòd fucum faciat lectori, nec ea auferat loca, ex quibus constare possit, non licere imponere symbolis rerum nomina. Nunc eo argumenti genere posset fortasse aliquid promouere. Nunc verò cùm nostrum nobis principium. assumptum q; integrum relinquat, quod ex sacris literis depromptum, & Patrum authoritate confirmatum, conuelli non potest, magno sanè temporis dispendio Patrum dicta coaceruat. Nam, ea omnia, quod lectori obscurum esse non potest, in eodem cardine versantur. Nec tamen Inconstantius modum adhuc vllum aut finem facit.

Vult etiam, vt Augustinum in libro post Collationem cum Donatistis audiamus. Nam in in eius libri capite septimo ita scribitur: *Cùm boni, & mali idem verbum Dei audiunt, & simul Dei sacramenta percipiunt, & tamen dissimiles habent actuum suorum causas, & dissimiles gerunt voluntatis diuersæ personas, eundem cibum sanctum aliis manducantibus dignè, aliis indignè: nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ.* Hic Inconstantius ait, se non vulgare pondus agnoscere in illa dicendi formula, quod Augustinus dicat, eundem cibum sanctum dari tam bonis, quàm malis. Necesse omninò est acutissimos esse sensus huius hominis, qui videre non possit, externa symbola Eucharistiæ posse appellari cibũ sanctum: cùm scripturæ ipsæ, & verba Dei vbique apud Patres appellentur epulæ sanctæ. Non possum equidem non mirari, non puduisse istum nugas ita pueriles prodere. Iste verò locus Augustini ita consentit cum vniuersa nostra ratione, vt nihil dici possit conuenientius. Confert enim verbum Dei cum Sacramentis: quod idem nos quoque facimus. Idemque verbum tam pijs, quàm impijs proponi dicit: quemadmodum nos quoque dicimus & pijs & impijs idem proponi Sacramentum. Quicquid ergo hoc loco dictum est ab Augustino, id nos summo consensu recipimus.

Sed in homilia secunda Augustini in Apocalypsim aliquid haud dubiè Lynceus iste reperit, quo nostram causam prorsus vno ictu possit iugulare. Sic enim ibi legitur: *Vincenti dabo manducare de mãna abscondito, id est de pane, qui de cœlo descendit: cuius figura fuit manna in heremo: quam, sicut dominus dicit, multi manducantes mortui sunt. Sed & nunc, quicunque manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* Hoc tantùm ex hisce verbis Inconstantius arripit: Panem, qui de cœlo descendit, comedi ab indignis. Quasi verò is, qui audit concionem sacram, non etiam vnà rectè dicatur, audire voluntatem, & sensum Dei: cùm tamen ea quæ aures externas feriunt, verba tantùm, & soni sint. Ea tamen vocantur voluntas, & sensus Dei, quòd eius voluntatem, & sensum exprimant, & significatione nobis referant. Eo genere loquendi Paulus vsus est, cùm diceret, *Euangelium esse potentiam Dei ad salutem.* Si autem scire velis, Lector, an ille liber in Apocalypsim sit Augustini, consule Erasmum. Quod idcirco dico, quoniam Inconstantius nec ruminat quicquam, nec fissam habet vngulam. Omnia enim, quæcunq; occurrunt, arripit & deuorat: nec inter legitima patrum scripta quicquam discernit.

Liber adscriptus Augustino in Apocalyp. est nothus.

Sermones Augustini ad Heremitas omninò spurij.

Imò ne id quidem à pudore suo putauit esse alienum, si Sermones illos ad fratres in Heremo sub Augustini titulo huc adferret. Putauit enim, Lectores omnia munda, immundaque susque deque habituros, neque magnoperè curaturos quo pabuli genere vescerentur. Quãquam ne ex illis quidem verbis quicquam inuenire potuit, quo ipsius causa leuaretur. Ità enim ibi scribitur Sermone vigesimo septimo: *Corpus domini, quod bonum est, malis est malum.*

Quod idem & de Baptismo, & de sacra scriptura dici potest. Et illud in Psalmo quadragesimo octauo: *Manducant de corpore domini mali, sed non saturantur:* & illud de Baptismo contrà Donatistas libro quinto capite octauo: *Corpus domini & sanguis nihilominus erat illis, quibus apostolus dicebat, Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit:* nihil aliud docent, quàm panem Eucharistiæ suo quodam modo esse corpus Christi: nempè quod illud significet, & referat, & quantum ad ipsum attinet, illud communicantibus promiscuè sumendum offerat.

Citare etiam voluit aliquid ex vndecimo Sermone de Verbis domini. Ibi enim Augustinus sic scribit: *Illud etiam, quod ait, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo, quomodo intellecturi sumus? Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus ait apostolus, Qui iudicium sibi manducant & bibunt? Nunquid & Iudas, Magistri venditor & traditor impius, quamuis primum ipsum manibus suis confectum Sacramentum carnis & sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas Euangelista declarat, comederet, & biberet, mansit in Christo, aut Christus in eo? Multi denique vel corde ficto carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, vel, cùm manducauerint, & biberint, apostatæ fiunt. Nunquid manent illi in Christo, aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem: quo modo qui manducauerit, & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunq; modo quis manducauerit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus: sed certo quodam modo: quem modum vtique ipse videbat, quando ista dicebat.*

Quàm parũ iste locus inseruiat Inconstantio, ex eo facilè videre potest pius et prudens lector, quòd Augustinus statim à principio dicit, ludam proditorem, carnis & sanguinis domini Sacramentum, ipsius domini manibus primũ confectum comedisse, & bibisse. Nam ea certè loquendi formula satis indicat, quid Augustinus senserit, cùm toties posteà inculcaret, Manducare carnem, & Bibere sanguinem. Hoc inquam, te Inconstanti, docere potuit, vt carnem intelligeres Sacramentalem, hoc est, carnis & sanguinis Sacramentum. Debes ergo colligere illius mysterij, aut Sacramenti, aut externi symboli, quod appellatur caro Christi, duplicem esse manducationem. Nam à pijs magno cum

fructu, ab impijs verò magno cum dispendio comeditur. Cæcutit ergo nonnihil Inconstantius, qui putet carnem Christi quocunq; modo verè & simpliciter sumi: quasi varietas non in re sit, quæ percipitur, sed in effectu. Est quidem id, quod ait, non prorsus à vero alienũ, si totum illud, quod complectitur, Augustini more ad Sacramentum, non autem sua imaginatione ad veram propriamque carnem referre velit. Fatetur ipse, impios non verè sumere, non re vera manducare. Sed id ita interpretatur, Non vero modo comedere. Id ego illi tanquam rectè dictum gratularer, nisi statim non satis prudenter subijceret, verũ, & proprium corpus, & à pijs, & ab impijs comedi. Sacramentum quidem tam bonis, quàm malis dari fateor: idq; vtrisq; ex æquo verum sacramentũ esse contendo. Significatio enim eius vera est, à quocunq; tandem recipiatur: neq; vlla ratione effici potest falsa. Non enim ab hominibus inuenta est sed instituta à Deo. Deinde fictitia illa sua distinctione id satagit, vt locum Augustini ex libro 21. cap. 25. de Ciuitate Dei nobis è manibus, extorqueat. Ibi enim Augustinus apertè testatur, impios non verè manducare corpus Christi. Quasi vocabula illa verè & re vera, modum tantùm manducationis definiãt, non autem id, quod manducatur, auferant. Atque ita omnino statuit, impios comedere verã & propriam carnem Christi: quod & à verbis, & à mente Augustini alienissimum est. Nostra verò sententia & cum verbis eius, & cum sententia appositissimè conuenit: Impios re vera non comedere carnem Christi, quòd destituti sint fide & Spiritu Christi, quibus instrumentis caro Christi percipi possit: cùm tamẽ ore externo corporis comedant Sacramentũ, non minus quàm pij: idque sacramentũ haud dubiè verum est, quod Christus ad hominum salutem instituit: etsi ipsorũ culpa impijs fiat exitiosum. Quærit postea pro sua simplicitate Inconstantius, quis nam tandem ille sit edendi modus, quo corpus Christi ore corporis comedatur à pijs. Et illi quæstioni satis responsum arbitratur verbis alijs Augustini, quæ habentur tract. 26. in Iohannem. Sic enim scribit: *Videte fratres panem cœlestem: spirituali ore manducate. Innocentiam ad altaria apportate: peccata etsi sint quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis, Dimitte nobis debita nostra.* Vide, quæso pie lector, quid iste moliatur: Dignam manducationem in eo sitã putat, vt cum proximis conueniamus, omnemq; illis iniuriam remittamus. Hoc ego sat scio, & video agi hoc loco ab Augustino. Alterum aũt caput, in quo totum propè situm est, præterit, & dissimulat: nimirũ, vt instructi vera fide accedamus ad mensam Domini. Cur hoc sophista noster tacuit? dicam: Quia hostis est infensissimus fidei, quæ summa est nostræ iustificationis, & instrumẽtum, quo verè & dignè percipimus corpus Christi. Nam alioqui quomodo id tacere potuisset, cùm Augustinus in eodẽ ipso tractatu dicat, *Credere enim in eum, hoc est manducare panem viuum*: & paulò ante in tractatu 25. *Quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducasti.* Verà quidem illa sunt, quæ Inconstantius retulit de charitate. Fidem tamen omittere eum non oportuit: præsertim cũ ille sit modus præcipuus, quo res huius Sacramenti percipiatur. Et ne quis existimet, nos aduersari Augustino, cùm negamus, impios comedere corpus Christi, præter ista, quæ iam diximus, legat etiam 26. tractatũ in Iohannem. Sic enim ibi scribit: *Ac per hoc, qui nõ manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio non manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem: licet visibiliter, & carnaliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit.* Hæc luculentissimè docent, sacramenta quidẽ premi dentibus, etiam ab infidelibus: rem tamen ipsam ab illis non haberi. Quod si ne adhuc quidem credis, Augustinum ista docere & tradere, audi eundem in eodem tractatu ita loquentem: *Huius rei sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidiè, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur: & de mensa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium: res verò ipsa, cuius sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit.* Stupidum & cæcũ esse oportet, qui non intelligat, rem sacramenti, hoc est, corpus & sanguinem Christi, à nemine sumi posse ad exitium. Quare qui ex eo mortem sibi asciscunt, illi sacramentum tantũ recipiunt, non autem rem ipsam sacramenti. Si ista adiungas ad loca illa de Ciuitate Dei, facilè intelliges, quid sibi Augustinus velit.

Res ipsa sacramenti à nemine recipitur ad exitium.

Sed iste noster addit: *Qui spiritualiter non manducat, non potest dignè sacramentaliter manducare: vtranque autem manducationem in bonis coire: sacramentalem autem sine spirituali exitiosam esse: spiritualem sine sacramentali angustiorem: iuncta verò illa vberiorem esse, & augustiorem.* Hæc si rectè & dextrè intelligantur, nemo nostrũm repudiauerit. Non enim dubitamus, spiritualem manducationem externa & sacramentali manducatione nonnihil adiuuari. Iste autem cum sacramentali manducatione semper copulat manducationem veræ carnis Christi. Quod vt à vero alienissimum est, ita ab isto nulla scripturarum authoritate, aut ratione confirmatur.

Sequitur Eucherius. Is in libri um 2. Regum capite sexto ita scribit: *Sacerdos, qui arcam inconsiderata temeritate attigit, ausus sui reatum immatura morte purgauit. Vbi intueri necesse est, quantum delinquat, qui ad corpus domini reus accesserit. Si deus tus ille sacerdos morte mulctatur, qui arcam illam, do minici videlicet corporis figuram, minori, quàm debuit, veneratione corripuit.* &c. Ex eo quod Eucherius dicit, Arcam fuisse figuram corporis Christi, Eucharistiam autem, corpus ipsum Christi vocat, & addit, vtrunque ab impijs indignè tractari, & sumi, Inconstantius putat confici, non tantùm symbola, sed etiam ipsum verum, & proprium corpus Christi sumi ab indignis.

Gardinerus hostis infensissimus fidei.

Alioqui

Alioqui enim collationem Eucherij alienam, & absurdam esse. Nos autem respondemus, in symbolis & Veteris & Noui Testamenti fuisse, & esse figuras corporis Christi: eumque qui neget, nostra symbola Eucharistica esse signa, & typos, liquidò prodere, quàm parum in Patrib. & in Orthodoxis scriptorib. sit versatus. Quòd autem Eucherius symbola nostrorum sacramẽtorum appellat interdum nomine corporis & sanguinis Christi, hoc vnà cum antiquis scriptoribus facit. Id autem, quòd non legamus dici de sacramentis Veteris legis, idcirco vsu venit, quia illa Christum venturum, & eius corpus in crucem dandum esse significabant: nostra verò id iam perfectum, & completũ esse indicant. Ex ea igitur orta est diuersitas huius appellationis, quòd nostra sacramenta propius rem attingant, quam illa. Dubimus autem Eucherio, hodie Christianos homines grauius peccare in sua sacramenta, quàm olim Iudæos in sua: quòd hodie multò maior sit lux veritatis, quæ ex personarum, & temporum circumstantia peccatũ atrocius reddit. Videt improbus sophista, quæ responsio quamque vera, & iusta omnia ista reddi possit. Ille tamen, ea dissimulata, & prærerita, totus in eo est, vt testimonia infinita eiusdem farinæ coaceruet. Sed quid agas? Prorsus obfirmauit animum, victoriam non rationibus, aut verbo Dei, sed pertinacia parandam esse.

Cur sacramẽta veterũ nõ fuerint appellata corpus et sanguis Christi.

Abusus nouorũ sacramentorum grauior est quã veterũ.

Huc accedit etiam Oecumenius. Is in epistolam priorem ad Corinth. capite 11. ita scribit: *Quod ait, Reus erit corporis & sanguinis domini, hoc indicat, quòd quemadmodum Iudas eum tradidit, Iudæi verò in ipsum debacchati sunt: ita eum afficiunt ignominia, qui sanctissimum ipsius corpus manibus impuris suscipiunt, veluti tunc Iudæi eum tenuerunt, & execrando admouent ori.* Et rursus addit idem Oecumenius, *Per hoc, quod frequenter ait, corporis & sanguinis domini, manifestat, quòd non sit nudus homo, qui immolatur, sed ipse dominus, & factor omnium: vt videlicet per hoc ipsum exterreat à perceptione corporis & sanguinis domini, ac si ipse illud effudisset. Siquidem ipsi illum occiderunt, hic verò per dignitatem eum videtur interimere.* Hæc postquam retulit Inconstantius, virulenta quadam ironia interrogat, *an hîc quoque futurum sit, vt consuetam de symbolis cantilenam occinamus?* Id autem addit non licere. Interpretes enim animo sedato, & composito veritatem tractare, nec velle eam figuris obscurare. Sed hoc quoque ille nobis vicissim respondeat: Hanc interpretationem, qua dicimus, nomina rerum imponi sacramentis, ipsine de nostro finximus, an accepimus aliunde? Si nostrum hoc inuentum esse dicat, & nos valdè audaces fecerit, & se ipsum prodiderit rudem esse, & imperitum Patrum: quos tamen videri vult vnicè profiteri. At si, quod verissimum est, quodque negare non potest, ab ipsis Patrib. nõ ista accepisse dicat, cuius tandẽ, quæso, peccati potest nos reos peragere, si Patrum sermones interpretemur illis ijsdem formulis, & legibus, quas ipsi nobis præscripserunt? Ita certè Augustinus sexcentis in locis nos docuit, ita Cyprianus, ita Theodoretus, ita alij ferè omnes. Quid tu istis obgannis? An contra eos quoque tuam illam cantilenam repetes? An illos quoque figuratores appellabis? Cur tu ipse hoc loco non credis Oecumenio tuo simpliciter, & sine vllo tropo, cũ dicat Christũ in cœna immolari? Sed quæ tua est impudentia, dices fortasse, te id simpliciter credere. At si id dicas, necesse est, vt omnium risu, etiam tuorum exagiteris. Nihil enim viuens proprie immolatur sine cæde. Clamabis, immolationem ibi esse incruentam. At nos infinitis Patrum testimonijs euincemus, esse ibi memoriam, monumentum, exemplar, commemorationem, gratiarum actiones de immolatione Christi iam olim in cruce facta: deinde sacramentum obtinere nomen rei: nec posse fieri, vt ibi propria immolatio Christi concedatur. Quod si in illo verbo Oecumenij tui, & eiusdem etiam mei moderationem huiusmodi recipis, quid, quæso obstat, quò minus ea in alijs quoque verbis eius possit fieri? Quòd autem dicis, Oecumenium animo sedato ista tradidisse, ego quoque non dubito Cyprianum, Augustinum, Theodoretum, aliosque Patres animo satis composito fuisse, cùm illa sua scriberent.

Verum, ne in illo Oecumenio prolixior sim quàm sit opus, accedo nunc ad Gregorium. Is lib. secundo cap. 1. in primum Regũ ita scribit: *Valdè ergo saturantur famelici, quia in donorum plenitudine super humiles spiritus sanctus requiescit. Quod tamen contra negligentes sacri altaris ministros, & audaces dominici corporis susceptores dici non inconuenienter potest. Repleti verò prius sunt, vitiorum cibo saturati, qui pro pane se locant: quia corpus ad susceptionem Eucharistiæ præparant: qui nimium commedunt, & saturari non possunt: quia etsi sacramentũ ore percipiunt, virtute sacramenti nequaquam replentur. A virtute ergo sacramenti ideò ieiunant, quia prius repleti fuerunt. Salutis quippe fructum non percipiunt in comestione salutaris hostiæ: quia ea, quibus se repleuerant, flagitia portant in mente. Non saturantur ergo, nisi famelici: qui à vitijs perfectè ieiunantes, diuina sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.* Ecce, inquit Inconstantius, Gregorius testatur, malos accipere hostiam salutarem. Id autem, inquit, non potest referri ad nuda symbola præsertim cùm paulò anteà malos appellauerit dominici corporis susceptores. Sed cur iste hic non annotauit, Gregorium suum: non enim eum ego facilè appello meum, cùm infinitarum propè superstitionum in Ecclesia princeps, & author fuerit: cur illum, inquam, non annotauit ita scribere: *Malos ore suo percipere Sacramentum: virtutem autem Sacramenti non percipere?* Rem autem, & virtutem Sacramenti quid aliud intelligere possumus, quàm carnem ipsam Christi fide perceptam? Ista duo Gregorius non ineptè distinxit: etsi quod alij etiam passim fecerunt, proprietates rei attribuat Sacramentis. Et addit, pios recipere Sacramenta, id est, externa symbola cum virtutis plenitudine. Vnà enim corpus & carnem dominí fide ac spiritu suscipiunt.

Deinde descendit ad Bedam: non vt aliquod nouum argumentum ab illo petat, sed vt maiorem turbam testium habere, ac nos, cùm pondere non possit, saltem numero opprimere videatur. Et idcircò, ne nescias, lector, duos testes, Augustinum & Bedam, tanquam duos parietes eadem verborum fidelia dealbare voluit. Verba Augustini sunt tract. 62 in Iohan. *Quid miraris*, inquit, *si datus est Iudæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo, cùm videas Paulo datum Angelum diaboli, per quem perficeretur Christo? Ita bonum malo obfuit, & malum bono profuit. Recordamini, vnde sit scriptum, Quicunque manducauerit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Et de ijs erat sermo, cùm Apostolus hoc diceret, qui domini corpus, veluti quemlibet alium cibum indiscretè negligenterque sumebant. Hìc si corripitur, qui non dijudicat, hoc est, non discernit à cæteris cibis Dominicum corpus, quomodò non damnatur, qui ad eius mensam fingens amicum accedit inimicus? Si reprehensione tangitur negligentia conuiuantis, qua pœna percutitur venditor inuitantis?* Hìc verò clamat Inconstantius, Augustinum, & Bedam ijsdem verbis testari, Impios comedere corpus domini: & eo nomine condemnari eos, qui non dijudicant, sed irreligiosè, vt cæteros cibos comedunt. Ex isto tanto acèruo arenæ, quam totam Inconstantius vult videri auream, exiguum admodum quæstum faciet. Nam & Augustinus, & Beda symbolum illud, quod & boni, & mali recipiunt in cœna, appellant panem domini. Dicunt esse Bonum, appellant corpus Dominicum, & hoc nomine impios damnari affirmant, quod eiusmodi cibum ab alijs profanis, & communibus cibis non discernant, aut ad illum inimici accedant. In summa hoc totum est, quod ex istis verbis possit elici. Ad quod si adiungas doctrinam nostram, nihil inter ea videbis pugnæ, aut controuersiæ. Inconstantius autem suis astutijs, & vafris interpretationibus, ea, quæ maximè sunt concordia, & consentientia, inter se committit, & testes alioqui rectè loquentes, in aliam sententiam obtorto collo, & inuitos detorquet.

Videamus enim in Theophylacto, violento alioqui authore, quid aucupetur. Ille in capite vndecimo prioris ad Corinthios ita scribit: *Ita quicunque manducauerit panem, aut biberit calicè domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Arguit Corinthios, quòd inopes aspernarentur, veluti indignè mysterijs participassent. Nec secus, qui id indignè sumpserit, sceleri erit obstrictus, quàm qui sanguinem ipsum domini fuderit. Nam quemadmodum cõstat, qui tunc dominũ pupugerunt, nõ potandi gratia pupugisse, sed vt domini sanguinẽ funderẽt: sic qui indignè hunc hauserit, nullum ex eo fructum adeptus, frustrà ac temerè Christi sanguinem fudit. Atqui Iudæi Regis chlamydem discinderunt: qui verò immeritò sanguinis particeps fuerit, in cœnum animam suam mergit. Ita fit, vt non æquus ob id & Iudæis, & indignè Christi sumenti sanguinem obueniat ignominia. Vnde & corporis hìc & sanguinis domini reus efficitur, eritque tanto obnoxius crimini.* Et rursus eiusdem Theophylacti ex eodem loco aliud subijcit testimonium. *Qui enim*, inquit, *manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Nec sanè propter mysteriorũ naturam hoc dixerim. Vitam enim in se habent, & largiuntur: sed mysteriis adeuntium indignitatem, quibus haud secus illa officiunt, ac solent oculorum valetudine laborantibus Solis radij officere.* Superiori illo testimonio Theophylacti, Inconstantius ait, nihil esse posse apertius: eum enim disertissimis verbis affirmare, sanguinem domini hauriri ab impijs: & illorum peccatum grauius esse, quàm Iudæorum, qui sanguinem Christi per contumeliam, & inuidiam effuderunt. At cùm nos vinum Eucharistiæ fateamur suo modo esse sanguinem Christi, quid obstat, quò minus fateamur, eos, qui illud indignè bibunt, eo modo bibere sanguinem domini: nimirùm quòd eius sanguinis Sacramentum bibant? Quod autem Inconstantius tenere se nõ potuit, quin insultaret nobis, & nos petulanter arrideret, nihil præter naturam & consuetudinẽ suam fecit. Eos omnes, qui in isto Sacramento agnoscunt figuram, hoc est, omnes patres, appellat figuratores: eosque adesse iubet, cum omnibus suis machinis, hoc est, cum catholicis & orthodoxis interpretationibus, vt hunc locum expediant, si possint. Aderunt, Inconstanti, aderunt: ne dubita: & Mysteria, quæ à malis comeduntur, in se quidem vitam habere, concedent: quamuis vitam ipsam à malis comedi, non fateantur. Dicent, symbola quidem ipsa offerre vitam, quodque ad illa attinet, quoniam sunt organa spiritus sancti, si rectè sumantur, conducere ad vitam, non minus, quàm aquam Baptismi ad salutem, aut etiã diuinas literas, si rectè, & cum fide audiantur. Quid hîc garris? Opus ne, quæso, fuit tot machinis. Figura vna ἀποίσεως aut μετουσιώσεως id, quod videbatur fieri nullo modo posse, vno propè confecit verbo. Sed Deus, inquies, vtitur creaturis, vt organis, quib. dona largiatur: nihil tamen habere vitã potest præter ipsam vitæ essentiam. Certè, nulla res creata vitam in se habere potest, vt fons, aut seminarium, aut principium vitæ: aut organum, & instrumentum habere potest. Atque adeò nega, si potes, verba sacræ scripturæ, & præsertim sancti Euangelij, vitam esse, aut vt Paulus loquitur, potentiam Dei. Cur ita vociferaris, & cœlum terræ misces? Christus ipse dicit, verba sua, ea videlicet, quę habemus expressa in sacris scripturis, spiritum esse, & vitam. Perfrica frontem paulùm, Inconstanti, & nega, illa verba fuisse creata. Neque verò negare potes, multò maius esse & præstantius, esse vitam, quam vitam habere, aut continere. Moses in Deut. ca. 30. ait, Deum dedisse populo mandata, & Legem, eaq; non veretur appellare vitam & mortem: vitam quidem, si ea obseruent: mortem autem, si contemnant. Tempus me deficeret, si omnia, quæ apud Dauidem, aliosq; prophetas in hanc sententiam extant, vellem persequi. Quòd si quæras, quónam pacto lex, aut Euangeliũ possit esse vita, aut eam in se habere, aut continere: veni tu cum omnibus tuis machinis, & omni vafricie

Sophistica

Sophistica, & effice, si potes, aliam causam vllã esse, quàm quod significet, aut monstret vitam aut ad eã impellat, atq; inuitet. Id si dari potest verbo externo: quam iniuriam Deo facimus, si idem tribuimus symbolis, & Sacramentis, quæ re vera sunt verba quædam Dei sensibilia? Hîc ego pij lectoris, atque etiam Inconstantij ipsius quamuis pertinacem & induratam, appello cõscientiam.

Sed mitto ista: & eò accedo, vt videam vtrum ex Bernhardo huic sophistæ fælicius, quàm ex Theophylacto processerit. *Comestio*, inquit, *Sacramentalis, quantum ad visibilem speciem & quantum ad corporis Christi veritatem, conuenit bonis, & malis communiter. Sed est alia comestio, quæ, sicuti iam diximus, ad bonos tantùm pertinet: quàm per Dei gratiam, & fidem per dilectionem operantem vitæ meritum efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium vel ministrantium, intercedente spirituali quadam, & subtiliori vnione capitis, & membrorum.* Locum istum totidem verbis suprà retulit Inconstantius 83. Obiectione. Quid autem ego tum responderim, non est necesse hoc loco repetere. Hoc tantùm monebo, Sermonem illum suppositititium esse, quod ex eius inscriptione, quæ in multis exemplaribus extat, probari potest. Sed illi, quicunque demum fuerit, ego opponam verum Bernhardum in Cantica Canticorum. Neque dissimulare possum, multa esse à Bernhardo parùm syncerè, pureque scripta: ideoque nec in re sacramentaria grauissimum esse eius iudicium. Vixit enim diu post Nicolaum papam, qui Berengarium adegit ad stultissimam illam palinodiam. Quare nihil est, cur in eius verbis expendendis magnoperè sudemus. Quod tamẽ si faciendum sit, ad illa me prosus refero, quæ suprà, cùm idem istud ageretur exposui.

Bernhardꝰ non puram doctrinam tradit, et vixit diu post Berengarij negotium.

Ista autem tam longa serie testium, euersa nec ne sit causa nostra, non stabimus huius Thrasonis aduersarij nostri iudicio. Ille enim canit triumphum ante victoriam. Qui sacras literas & fidei nostræ articulos pressius, & diligentius considerabit, & veterum Patrum dicta prudenter expẽdet & rationes illas, quib. veritas à nobis propugnatur, põderabit, ille haud dubiè, si quid ego iudico, Inconstantium, & omnes istos Paparum parasitos deseret, & in nostram sententiam pedibus descendet.

OBIECTVM XCV.

VT diabolus est cibus impiorum, quos nutrit omni iniquitatate ad damnationem: ita Christus est verus cibus viuorum membrorum sui corporis, quos nutrit ad vitam æternam.

GARDINERVS.

Diabolus nutrit suos, non vt obsonator, sed vt coquus, qui operam tantũ accommodat, non suppeditat materiam.

MARTYR.

VT summatim dicam, tota Inconstantij responsio his capitibus continetur: Diabolum nutrire impios, non tanquam obsonatorem, sed potius tanquam illorum coquum. Diabolum enim non suppeditare hominibus peccata: illorum enim principia quenque habere in se ipso: ad ea autem diabolum instigare tantùm, & incitare natiuam hominum cupiditatem: ipsaque peccata condire, & variare, & arte sua quodammodò sapida efficere: non posse autã illum malũ aliquod nobis inserere, quod ex nobis ipsis non pullulet: Christum autem ait & Obsonium esse nostrum, & obsonatorem, & Coquum. Eum enim esse omnia in omnibus: et omne bonum de sursum esse: & dominũ ipsum dixisse, *Sine me nihil potestis facere.* Et addit, *nihil dissimilius dici posse quàm est illa collatio Christi cum diabolo: eamque blasphemiam etiam redolere. Diaboli verò nullam se agnoscere manducationem nisi hyperbolicã.* Hæc ille. Sed eius ego fidem in hoc argumento referẽdo, vt in alijs plerisq; desidero. Proposuit enim illud concisum, lacerum, mutilum, & absque vlla etiam certa conclusione. Eo tamen ego non dubito nostros nihil aliud voluisse conficere, quàm ex collatione participationis, quam homines habent vel cum Christo, vel cum diabolo, ostendere Transubstantiationem, & realem præsentiam superuacaneam esse. Istam autem communionem impiorum cum diabolo, quam Inconstantius ita contemptim ridet, Paulus ad Corinthios, cùm de idolothytis loquitur, agnoscit. Ostendit enim, eos omnes qui participant de mensa, & sacrificijs idolorum, communicare cum diabolo. Quare, quemadmodum ad istam communicationem non exigitur, vt idolothyta transubstantientur, nec vt substantia diaboli sub qualibet parte illarum carnium realiter claudatur: ita eadem illa non esse necessaria in pane & vino. Et certè nisi valdè oscitanter iste legisset sacras literas, istam communionem impiorum cum diabolo non ita temerè reiecisset. Christus enim Pharisæis ait, *Vos ex patre diabolo estis.* Et de Iuda Discipulis suis, *Vnus vestrũm diabolus*: &c. *Qui facit peccatum ex diabolo est.* Et Iohannis 1. capite tertio. *Manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli.* Hæc sanè ostendunt, diabolũ multò arctius coniunctũ esse cum impijs, q̃ coquum cũ obsonio: quantumuis ista sophista de suo illo simili sibi placeat. Libenter tamẽ accipi, quod ait, peccata nostra nõ pendere à diabolo, vt bona opera pendent & deriuãtur à Christo. Quanquã nõ possum nõ mirari, istum ita in hanc sententiã voluisse descendere, vt illud huc

Communicatio impiorum cum diabolo.

Peccata nõ ita pendent à diabolo, vt à Christo nostra bona opera.

referre vellet, Christum esse omnia in omnibus & illud, Sine me nihil potestis facere. Hæc ego ex isto libenter audio. At si hæc vera esse putat, quid faciet miser posthac de suo libero Arbitrio? Scio, quid sit dicturus. Nostras videlicet partes in eo quàm minimas esse, si in æstimandis initijs bonorum operum cum gratia Dei conferantur. Esto. Tamen, quod hîc confitetur, huiusmodi mitigationem non patitur. Obsonatoris enim est, non partem aliquam obsonij parare, sed totum. Præterea, *Non constat*, inquit, *an diabolus ita sit intimus impijs, vt Christus pijs.* Atqui Paulus ait, *Qui adhæret meretrici, vnum cum ea corpus efficitur: quemadmodum, qui adhæret Christo, vnus efficitur cum eo spiritus.* Sed ista missa facio. Satis enim erit argumenti propositi sententiam exposuisse. Quàm autem non sit absurdum, diabolum esse aliquo modo cibum impiorum, metaphora illa satis docet, qua Christus vsus est, cùm diceret, *Cibus meus est, vt faciam voluntatem patris mei.* Quemadmodum enim Christus, cùm faceret voluntatem patris, paterno cibo vescebatur: ita qui faciunt voluntatem diaboli, dici possunt eo ali, & ita ali, vt aliquando euadant eius membra. Et in libro Geneseos appellatur semen serpentis: quod aduersus Euæ semen bellum perpetuum gerit. Quare in hoc argumento nulla est nec blasphemia, nec hyperbole quæ ab analogia scripturarum dissideat.

A

OBIECTVM XCVI.

QVAERO, vtrum peccator impœnitens sumens sacramentum habeat in se corpus Christi nec ne? Si negas, habeo propositum: videlicet, malos, etsi accipiant sacramentum corporis Christi, ipsum tamen eius corpus non sumere. Sin affirmas, tum quæro, vtrum impij habeant in se Christi spiritum an non? Si negas, dissoluis Christum: separas enim corpus eius à spiritu, & humanitatem à diuinitate. At si fateris, aduersaris scripturæ: illa enim ait, Qui non habet spiritum Christi, hic non est eius. Ita qui habet in se Christum, viuit: quia iustificatus est. Quòd si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis.

GARDINERVS.

MAGNO hîc conatu nugatur, in tanto mysterio excutiendo! Quis enim non omninò insanus fateatur peccatorem impœnitentem in se habere corpus Christi.

MARTYR.

IN Obiectione 94. satis de hac re diximus. Quare si ad ea, quæ illo loco dicta sunt, lectorem remitterem, possem huius Obiectionis labore supersedere. Pauca tamen addam breuiter: ea scilicet, quæ ad hanc rem iudicabo fore satis. Hoc argumentum primùm magna cum contemptione, deinde pro Inconstantij nostri fide, rude quodammodo proponitur. Explicatio eius argumenti est huiusmodi. Per spiritum Christi non intelligimus tertiam personã: ea enim est vbique, non minus quàm pater, & filius: est enim verè Deus: Sed sumitur pro afflatu, instinctu, dono iustificationis, & gratia. Ista indiuulsè coniuncta sunt cum corpore Christi, vt sumitur in Eucharistia. Et idcircò Christus ait, eum, qui manducat se, in se manere, & viuere propter se. Hæc est sententia argumenti: quam si Inconstantius intelligere voluisset, nihil nobis in eo tuendo fuisset laborandum. Quiuis enim videre posset, ad quemcunque dona ista perueniant, non posse fieri, quin eum sanctificent, & immutent, & in ipso Christo manere faciant. Neque verò consentire potest cum verbis domini, quod iste ait, impios sumere quidem corpus Christi, sed non habere. Christus enim ait apud Ioannem, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.* Et ridiculum est, quod inquit, corpus Christi repentè auolare, vbi os peccatoris attigerit. Argumentum enim totum Sorbonistarum, quorum iste vestigijs insistit, docet, corpus domini tantisper manere sub accidentibus, quoad species, vt loquuntur, illæ maneant incolumes. Manebit ergo corpus Christi aliquandiu vel in ore, vel in ventriculo peccatoris.

In argumento tamen nostro quæritur, Quî fiat, vt qui ita comedat corpus Christi, eius spiritu non fruatur, cùm Christus id futurum promiserit. Iste clamat, id fieri vitio comedentis. Atqui illud vitium tolli oportuit præsentia Christi. Quî enim potest fieri, vt iustitia nõ iustificans, aut sanctitas non sanctificans in aliquo inueniatur? Quare vel illa propria, quę Deus vnicè & arctissimè copulauit, ab eo sunt distrahenda, vel illud homini impio, & in scelere suo iacenti non est dandum. Sed quod ad hanc rem attinet, remitto lectorem ad Obiectionem 94. Ibi enim satis de hoc argumento fusè & copiosè diximus.

OBIE-

OBIECTVM XCVII.

ADVERSARII nostri mirifici sunt præstigiatores, qui efficere possint, certis conceptis verbis, & Deum, & diabolum simul versari in eodem homine: & eundem simul & templum Dei esse, & templum diaboli. Tã autem cæci sunt, vt non possint discernere mensam Dei, à mensa dæmoniorum: si verũ sit, quod affirmant, hominẽ subditum peccatis, atq; ita templũ diaboli, tamen interim habere in se & carnem & sanguinem, & animam Christi, & spiritum sanctum, & diuinitatem.

GARDINERVS.

Mendacium est, quod adfertur, manifestarium. Nemo enim catholicus dixerit, Christum habitare in peccatore.

MARTYR.

NEgat Inconstantius, Christum habitare in peccatore. Atqui hoc negari non potest, quin corpus Christi in homine impio tam diu saltem maneat, quoad illæ species & accidẽtia conseruentur. Quare necesse est Christum & diabolum tantisper saltem vnà esse. Quod ego non dico, nisi de Scholasticorum, & Sophistarum sententia. Diuinæ enim literæ statuunt eum, qui manducat carnem Christi, in Christo manere, & Christum in eo. Sed Inconstantius ecstasi etiam pugnat, aitque, solem etiam oriri super bonos & malos. Itaque Christum quoque, & in bonis, & in malis esse posse. Sed hoc simile nihil efficit. Non enim ea est vis solis, vt in animos aut bonorum, aut malorum quicquam possit. Nam si de virtute, aut prauitate loquaris, tales relinquit, quales inuenit. Christus autem natura sua diuina, sanctitate, iustitia, gratia, & viuifico afflatu, quemcunque attingit, immutat, sanctificat, viuificat: idque se carnem suam comedentibus facturum recepit. Quare collatio ista solis, & Christi, quod quidẽ ad hanc rem attinet, nihil concludit.

Falsum etiam est, quod ait, argumentum nostrum ductum esse partim ab absurdis, partim à nõ concessis. Nos enim illud colligimus, & concludimus è verbis Christi. Et sequimur authoritatem sacræ scripturæ: quæ manducationem carnis Christi inutilem aut damnosam non agnoscit. Sed iste tamen alia ratione occurrit nobis: Deum ipsum per potentiam, & essentiam vbique esse, neque malos ab eius præsentia prohiberi: itaque corpus Christi eodem modo & in bonis, & in malis esse posse. Verùm scire debuit, præsentiam eam, de qua nunc loquimur, quæque ad Sacramentum pertinet, communionis esse, non, vt ille somniat, cuiuslibet contactus, aut adsistentiæ. Paulus hominibus pijs & veré credentibus (nam ad illos scribit) ait, fractionẽ panis, & benedictionem calicis esse communionem corporis & sanguinis domini. Satis autem constat, impios huiusmodi communionem cũ Christo non habere, quantumuis externa Sacramenta ausint cum alijs sumere. Atque illa est res Sacramenti, quam Augustinus, Origenes, alijque patres, vt supra monuimus, ab impijs remouerunt. Quàm autem non conueniat ratione communionis aliquem & diabolum, & Christum in se habere, Paulus planissimè docet, cum ita scribit ad Corinthios, eos non posse simul & domini calicem bibere, & calicem dæmoniorum. Et rursus, *Quod est consortium iustitiæ cum iniustitia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo Dei cum simulachris?* Atqui illi se parùm modestè opponit Inconstantius, cùm dicat, *impium & diabolũ in se habere posse, & sanguinem Christi re ipsa bibere.* Nam si ita esset, iure posset responderi Paulo, Imò Corinthij, quamuis impij sint, & diabolum habeant, tamen non tantùm Sacramenta extera, sed etiam ipsum sanguinem domini possunt percipere: neque diabolus impedire potest, quò minus Christus in os illorum ingrediatur: neque enim dominus diabolum præsentem auersabitur. Vide, Lector, quantum inter Inconstantium, & Paulum distet. Nam quod ille negat, id iste constanter affirmat. Vtri autem magis credendum sit, tu facilè pro tua pietate iudicabis.

Christũ & diabolũ simul habere in se ratione cõmunionis, minimè conuenit.

OBIECTVM XCVIII.

Sensus, & ratiõ nõ pertingunt ad corpus Christi. Illud enim sola fide percipitur. Impij autem non habent fidem: ergo nihil habere possunt nisi symbola.

GARDINERVS.

Sensus et ratio ad mysteria obstupescũt, quando sola fide, quod agitur, intelligatur, et sine fide cũ fructu nõ peragatur.

MARTYR.

VBi nos dicimus corpus Christi fide percipi, eximius Dialecticus, vt videt ambigua scil. illud, Percipere, vtrum ad corpus referamus, distinguendũ censet, & videndum, verbum il-

an ad animum. Si ad animum, fatetur, corpus Christi percipi sola fide. *Sola enim*, inquit, *fide illud præsens adesse cognoscimus.* At si ad corpus, negat propositionem. *Non enim sola fide recipi corpus domini ait, sed ore quoque, & manibus, hoc est, externo corporis ministerio.* At in ista tam subtili & exquisita distinctione magnus sophista bis peccauit. Primùm, quòd ore, ac manibus sumi dicat corpus Christi: deinde quòd fidem nudã tantùm, & simplicem notitiam interpretetur. B Fides enim vera ad istam notitiam tantùm efficaciæ addit, vt corpus ipsum Christi spiritualiter complectatur, cum omni gratia & vniuerso fructu mortis eius. Imò etiam tertiò quoque peccat, cũ Sola fide dicat corpus Christi intelligi præsens esse in Eucharistia. Id enim cũ vanũ, & falsum sit, non potest apprehendi fide. Mendacia enim etsi ad opinionem fortè aliquam pertineant, tamen aliena longè sunt à fide. Patres autem ita prorsus agnouerunt, manducationẽ corporis Christi opus esse fidei, vt Augustinus dicat, *Quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti.* Fingit præterea vafrè, & sophisticè in Antecedenti positum à nobis esse verbum Percipere, in conclusione autem verbum, Habere. Verùm, vt sciat, secum agi liberaliter, liceat illi sanè per nos verbum illud, Percipere, in conclusione reponere. Non enim est nostrum, mihi crede, de verbis nugatoriè contendere. Deinde addit, *omninò falsum esse, corpus Christi recipi sola fide: ad id enim necessarium etiam esse officium corporis.* Illud quidem nos fatemur adhibendum esse edendis symbolis dum habetur cœna, non ita tamen, vt ministerio corporis nostri recipiamus corpus Christi, vel quasi non possimus id citra symbolorum manducationem percipere. Nihilominus tamen excipit Ethnicos: *De quib.* inquit, *si loquamur, ea, quæ alias dicta sunt, repetenda essent.* Ea autẽ ipsa, quę dixit aliàs, ita pugnant cum ipsius principijs, atq; adeò cum sententia aliorũ omnium Papistarum, vt ab illis nulla ratione defendi possint. Nam si, vt illi docent, corpus Christi post consecrationem ita est sub illis accidentibus, vt ibi perpetuò futurũ sit, quoad illa incolumia conseruentur, cũ Eucharistia comeditur ab Ethnico, quomodo potest non comedi corpus Christi? Quòd si dicat, edi quidem ab Ethnico corpus Christi, sed in eo nõ manere, at idẽ de perfido quoq;, & fixo Christiano perpetuò inculcat. Quid igitur tandem inter eos erit discriminis? Quoniam autem vidit postremò se necessariò cogi, vt fateatur, impios quoq; aliquandiu habere in se corpus Christi, vt est dies stropharum, aliud commentum reperit. Ait enim, *illos non habere in se corpus Christi, vt dominus verbum illud, Habere, intellexit.* Eum enim, qui fruatur indignè, non videri habere. Imò illud ipsum quod habet, tolletur ab illo. Magnæ mihi voluptati est, non extare aliud vllum testimonium, quo Inconstantius sua ista commenta confirmet, quàm illud ex 13. Matthæi. Nam illum locum omnes ita intelligunt, auferendum esse à malis, quod habere videbantur. Itaque ex illis verbis non potest concludere, impios habere corpus Christi, sed tantùm videri posse habere: illis videlicet, qui eorum hypocrysin non intelligunt, & tamen illis verbis parum, vel nihil potius, leuatur istius causa. Ibi enim nec de carne Christi, nec de comedendo eius corpore, nec de Sacramento Eucharistiæ agebatur. O suauem aduocatum, qui eas mihi Leges citet, quæ ad propositum nihil faciant.

Vera fides nõ est tantũ nuda et simplex notitia.

Mendacia nullo modo ad fidem pertinent.

C

D

OBIECTVM XCIX.

QVICQVID dominus instituit, id fecit vt nobis esset salutare. Sed carnalis manducatio impijs non facit ad salutem: Ergo Christus eam non instituit.

GARDINERVS.

QVOD dominus salubriter instituit, pijs quidem est salutare: & idem impijs per occasionem in grauiorem condemnationem cedit.

MARTYR.

RAtio ista, vt hìc refertur, hebes, & obtusa est: neq; id concludit, quod quæritur. Sensus tamẽ, qui ab Inconstantio supprimitur, est, Manducationem corporis Christi, quam quidẽ scripturę tradunt, semper esse manducanti salutarem. Istam verò, quam Papistæ tribuunt impijs, damnosam esse: Ergo scripturas eam nõ agnoscere. Quare aut ostendant nobis è verbis Dei, manducationẽ carnis Christi perniciosam: quod certè nunquã facient: aut desinant dicere corpus Christi manducari ab impijs. Itaq; illa de sacra doctrina, & de lege frustrà ab Inconstãtio adferuntur. Ille enim, vt apparet, vtq; solet, à iusto sensu argumenti de industria deflexit. Componatur ergo ratio ad hunc modum. Omnis manducatio carnis Christi ex ipsius instituto salutaris est: Ista verò manducatio Christi carnis, quã tribuitis impijs, non est salutaris: Ergo nõ est instituta à domino. Maior colligitur ex verbis Christi: minor ponitur ab aduersarijs.

E

OBIECTVM C.

QVOD impij comedunt in Sacramento corporaliter, non debet dici corpus Christi, nisi velis nomen rei tribuere symbolo. Ergo corporalis manducatio carnis Christi in Sacramento nulla est.

GARDI.

GARDINERVS.

Quod in Christi Cœna comedit impiissimus Iudas, idem erat substantia cum eo, quod comedit pijssimus Petrus.

MARTYR.

QVod Petrus, quodq; Iudas comedit, substantia idem fuisse non dubitamus. Vterque enim comedit sacra symbola. Quod autem ad Christu m ipsum attinet, vtrique porrexit quodammodo corpus suum. Ijsdem enim verbis, ijsdē symbolis, eadē promissione vtrunq; illorum inuitauit ad corpus suum fide & spiritu comedendum. Non tamen idcirco vterq; illorum idem sumpsit. Iudas enim fidem, qua carnem Christi comederet, non habebat. Neque Catholici Patres, vt iste clamat, cum nostra sententia quicquam pugnant. Conclusionem autem à nostris positam nihil video, cur facere debeam euidentiorem. Id tantùm Lectorem moneo, me non putare, apud vllum nostrum extare rationem huius formæ, in qua consequens ab antecedenti verbis tantùm discrepet.

OBIECTVM CI.

CHRISTVS ait: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: & habet vitam æternam. At impij non manent in Christo, nec Christus in illis, nec habent vitam æternam: Ergo non manducant carnem Christi, nec bibunt eius sanguinem.

GARDINERVS.

QVONIAM secundum Paulum eiusdem Sacramenti non simplex est effectus, sed vitio manducantium alius, atque alius, non potest argumentum consistere, quod ab alterius effectuum destitutione inferat nobis totam negationem causæ.

MARTYR.

PErsuadere conatur Inconstantius, *duo esse effecta manducationis carnis Christi: quorum Christus alterum tantùm explicet: quod ea sit peculiaris, & propria virtus huius sacramenti. Illud enim in hunc finem institutum esse, vt prosit omnibus. Alterum autem effectum ait à domino reticeri: quòd illud non ex rei proprietate, sed ex hominum vitio contingat. Quod tamen ipsum ait expositum esse à Paulo.* Sophistā iste pro suo iure inuertit alienum argumentum. Nam qui illud confecit, non posuit duo effecta manducationis corporis Christi: quorum altero euerso, alterum confirmetur. Ridiculus enim esset, qui ista faceret. Sed à proprietate indiuulsa & perpetuò inhærenti argumentum colligimus. Quare, Inconstanti, nisi probes, æternam vitam, & coniunctionem cum Christo separari posse à manducatione corporis Christi, nihil agis. Christus alterum effectum, nimirùm exitiosum non ostendit. Neque sanè id Paulus ostendit. Ait enim, Qui manducauerit panē domini: non, Qui manducauerit carnem domini indignè. Per panem autem non aliud intelligit, quàm Sacramentum. Superest ergo, vt istud alterum effectum ad manducationem symbolorum tantùm referatur.

Deinde iste noster rationem Baptismi conatur huc traducere, & mirum est, quàm in illo simili sibi placeat. Et certè Lectori rem leuiter consideranti posset in eo videri acutulus. *Simon, inquit, Magus baptizatus est: qui tamen saluatus non est suo vitio: imò potius ex Baptismo damnum retulit. Habet itaque, inquit, Baptismus duo effecta: vnum damnosum, alterum salutare: cùm tamen dominus tantùm alterius, nempè salutis meminerit.* At ego respondeo, Christum non pronunciasse, illos fore saluos, qui tantùm tingerentur: sed etiam ad baptismum adiunxisse fidem. *Qui enim, inquit, crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit.* Quod autem veritas ipsa pronunciauit, id non potest nō esse verum. Salus enim semper sequitur baptisma coniunctum cum fide. Tamen addit, Simonem credidisse. Vnde id nouit Inconstantius? Aut quæ id scriptura testatur. Ego quidem eum puto nunquam verè credidisse. Paulus enim ad Romanos ait, Quos vocauit, eos & iustificauit: & quos iustificauit, eos & glorificabit. Hîc Paulus apertissimè docet, semel iustificatos perdūcendos esse ad gloriam. Cæterùm in præsentia nolo ita rigidè agere cum Inconstantio. Esto, Simonem in baptismo credidisse. Eo posito, hoc etiam addo, necesse esse concedere, illum pro eo tempore salutem habuisse: quā ego interpretor condonationem peccatorum: & quā diu fides in eo salua mansit, eum salutē retinuisse. Ita ex hoc simili de impio quoq; comedente corpus Christi dicere oportuit: illū videlicet tam diu habere salutem, quā diu in seipso retinet corpus Christi. Id autē, cùm ille fide careat, nullo pacto potest conuenire. Neq; tamen id tacendum est, non leue argumentum ad nostram sententiam confirmandam ex eo duci posse, quòd Christus dicat tantùm, *Qui manducat meam carnem*: nec addat, Credendo, aut credens. Nam cùm ita loquitur, significat, carnem suam sine fide non posse comedi. E diuerso autem, quia fieri potest, vt aliquis baptismum suscipiat sine fide, idcircò salutē baptismo sine fide non adscripsit. Et Paulus,

Qui semel iustificati sunt, perdūcentur ad gloriam.

Cur Christus nō dixerit; Qui crediderit & manducauerit carnē meā:

cùm de symbolis ageret, quoniam illa quoque comedi possunt sine fide, idcircò comminatione iudicij deterruit Corinthios, ne id admitterent. Quod autem posteà Inconstantius addit, Sacramenta duplicem habere effectum, ideo non inuitus dabo. Adferunt enim vel salutem, vel exitium, pro eo ac vel dignè vel indignè suscipiuntur. At si idem traducat ad manducationem carnis Christi, non assentior. Neque ita conficio argumentum, vt iste arbitratur: Iste non habet vitam: ergo nõ accepit corpus Christi. Sed ita potius: Illa manducatio non dedit impio vitam: ergo, non fuit propria manducatio carnis Christi. Illa enim semper, aut saltem iuxta sententiam aliorum ad aliquod tempus dat vitam manducantibus. Et vnà cum Augustino de Verbis Domini Sermone 11. fatemur, esse quendam modum manducationis carnis Christi, secundum quem qui manducauerit, habeat vitam. Is autem modus est per fidem: qua sola caro Christi sumitur. Neque vnquam Augustinus aliud sensit.

OBIECTVM CII.

CARO Christi semper est viuifica, dans vitam omnibus eam sumentibus, & curans naturæ nostræ morbos. Ergo ea non comeditur ab impijs: nisi aduersarij nostri velint eam sua dignitate spoliare.

GARDINERVS.

CHRISTVS non venit perdere, sed seruare: vnde nomen impositum est suauissimum, Iesus. Et tamen idem de se ipso dicit, Si eis locutus non essem, peccatum non haberent.

MARTYR.

HVic propositæ rationi obijcit Sophista, Christũ ipsum, quamuis ad seruandũ nõ ad perdendum venerit, tamen hominum vitio interdum nocere. Ipsum enim de se dicere, *Si nõ venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent.* & Simeonem de illo dixisse, *Eum positum esse in ruinam, et resurrectionem multorum.* Ita etiam de carne eius censendum esse, illam salutarem esse pijs, vt Christus testatur in Ioanne, & noxiam impijs, vt Paulus scribit ad Corinth. Ea, quę hîc afferuntur de Christo, longè diuersa sunt ab eo, quod nos disputamus de esu carnis Christi. Fatemur enim, dominum venisse, vt seruaret: at non omnes: sed eos tantũ, qui eum recipierent. Ioannes enim ait, *Quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri.* Veram autem manducationem corporis docemur esse sine vlla exceptione viuificã. Illa enim, vt sæpè iam diximus, nisi vera fide non peragitur. Neq; Paulus vnq; dixit, carnem domini edi ad iudicium: sed eum qui panem domini, & calicem vsurpet indignè, iudicium sibi comedere ac bibere. Et Augustinus annotauit, magnum discrimen esse inter panem domini, & panem dominum. Sit igitur hoc argumentum: Quisquis edit carnem domini, viuificatur: Impij autem non viuificantur, cùm accipiunt Sacramentum: Ergo, impij non comedunt carnem domini. Ratio, quemadmodum ostendi, ducitur ab indiuulsa & propria conditione carnis Christi manducatæ.

Christus non venit vt seruaret omnes etiam impios.

OBIECTVM CIII.

SI Transubstantiatio intelligatur, fide, oportet eam doceri ex verbo Dei. At eam verbum Dei non agnoscit. Ergo, apprehendi non potest fide.

GARDINERVS.

Verbum Dei est, qui, excussis syllabis, emanat sensus: qui Verbi medulla Hieronymo appellatur.

MARTYR.

ISte, quasi controuersia sit de syllabis, affirmat verbũ Dei esse sensum, qui ex diuinis literis possit elici. Hoc illi sine vlla exceptione concedimus. Illud autẽ alterum, quod addit, prorsus inficior. Ait enim, *Verum scripturæ sensum exprimere vocabulum Transubstantiationis.* Id enim quî possit esse verum, cùm scripturæ in Eucharistia panem agnoscant, & fateantur? Quòd si habes, Inconstanti, scripturas, quas præ te fers, à te stare, cur eas tam diligenter supprimis? cur nobiscum non communicas? cur nobis non verbum vllum Dei, sed tantùm Patrum quædam dicta, eaque malè à te intellecta, allegas? Hoc certè non est ad interrogata respondere. Nos dicimus, Transubstantiationem vestram non posse pertinere ad fidẽ: quòd fides sit ex auditu: auditus autẽ ex verbo Dei. Quòd si fides nostra constaret ex Patrum sententijs, videri posses aliquid saltem dicere. At cum Patrum ipsorum testimonio, fides pendeat tantùm ex verbo Dei, tuum erat, primùm honorem suum deferre diuinis literis: non autem ab illis ita temerè ad Patrum testimonia confugere. Sed cùm nihil haberes, vt solent mali pharmacopolæ, vbi destituuntur veris medicamentis, Quid pro quo nobis obtrudere voluisti.

Primùm

Primùm obijcis nobis verba Cypriani: eum ais scribere, *Panem non effigie, sed natura mutari.* Memini ego me aliàs ostendisse, Naturam apud bonos scriptores, non semper substantiam significare, sed sæpè proprietatem. Nunc de alijs authoribus dicere supersedebo: & tantùm diuinarum literarum testimonio contentus ero. Paulus ad Galatas cap. 2. ita scribit, *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores.* Non dices, opinor, Sanctos homines & peccatores, Iudæos & Gentes differre forma, aut substantia, sed tàtùm proprietatibus. Deinde 2. ad Ephesios, *Sumus,* inquit, *natura filij iræ, sicut cæteri.* Ne hîc quidem dices, nisi fallor, si sapias, naturam ipsam & substantiam, quam Deus creauit, illi inuisam esse. Illud enim odium Dei tantùm ad vitiosam proprietatem, qua omnes à primo ortu ad mortem vsque laboramus, referendum est. Petrus ait, *nos factos esse consortes diuinæ naturæ.* An tu eũ putas velle dicere, nos participes esse diuinæ substantiæ? Certè Dei substantia cum substantia nostra nõ miscetur. Cõmunicat tamẽ nobis Deus pater noster proprietates suas, nosq́ sui quàm similimos reddit Ita Panis, cùm adhibetur ad Eucharistiam, induit aliam proprietatẽ: quam Cyprianus rectè vocauit naturam.

Odium Dei non fertur in naturã. sed in uitiũ.

Huc additur etiam Emissenus, qui ita scribit in Oratione de corpore domini: *Nec dubitet quisquam, primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia maiestatis, in dominici corporis transire posse naturã.* & mox, *Quanta itaque, & quàm celebrãda officia vis diuinæ benedictionis operatur? Et quomodò tibi nouũ, & impossibile videri nõ debeat, quòd in Christi substãtiã terrena, & mortalia cõmutantur?* Et mox, *Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substãtiã corporis & sanguinis sui secreta potestate cõuertit.* Si Emissenus iste, quisquis est, vocabulis illis, tráseũdi, mutandi, cõuertẽdi, intelligat panẽ & vinũ, cũ alioqui sint cõmunis & profanę naturę, effici sacramentũ Eucharistię, ne tria quidẽ verba cũ eo commutabimꝰ. At cõtrà, si substãtias ipsas panis & vini abire statuat, & illorũ loco carnẽ ipsam, sanguinẽq; Christi substitui, cũ id & cũ sacris literis & cum Orthodoxorũ Patrũ verbis perspicuè pugnet, dabit veniã, si videat in ea re sibi à nobis non haberi fidem. Quanquã ex multis verbis, quæ idem Emissenus admiscuit, in Obiectione 62. ostendi, eum non sensisse, substantias pristinas panis & vini aboleri. Illa si lector cupiat reguſtare, eò sese recipiat. Mihi enim eadem repetere non visum est esse necessarium. Deinde cum dicat, ista conuerti in substantiam, & naturam carnis & sanguinis domini, si ita intelligat, mutationem fieri in sacramẽtum substantiæ carnis & sanguinis domini, nihil inficiamur. At si ita omninò rigidè sentiat, vt verba sonant, nõ possumus vllo modo assentiri. Antiquiores enim apud nos diuinas literas oportet esse omnibus Emisseni hyperbolis.

Huc etiam attrahitur Hesychius in leuiticum lib. 2. capite 9. ita scribens: *Vt ergo gloria domini videretur, id est, vt aduẽtus celebraretur spiritus, iste est sermo, inquit, quem præcepit dominus, facite. Sermonem autem Legislator ex consuetudine illud vocat: quia plus sermone subsistit huius dispensatio mysterij: maximè dominico verbo ea, quæ apparent, in aliud quiddam maius, & intelligibile transferente.* Ea quę apparent, hoc est, panem & vinũ, in aliud quiddam maius, quod intelligibile sit, & sub sensus non cadat, transferri rectè dicitur. Efficiuntur enim, vt sæpè dictum est, sacramenta: quemadmodum homines quoque, qui ea dignè vsurpant, efficiuntur membra Christi, cum tamen nemo, qui ea recipiat, transubstantietur. Addit idem Hesychius lib. 6. capite 22. *Sanctificationẽ mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia trãslationem, siue commutationem ei, qui vere est sacerdos, videlicet Christo, oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere & imputare. Quia per eius virtutem, & prolatum ab eo verbum, quæ videntur tam sanctificata sunt, quàm cunctum carnis excedunt sensum.* Duo hîc occurrunt silentio non prætereunda. Primum est, miraculum interdum esse apud Patres, quod effici vi humana non possit. Atque hac ratione suprà dedimus, Eucharistiam, & baptismum posse vocari miracula. Alterum est hanc mutationem panis & vini in sacramentũ carnis & sanguinis excedere omnem sensum. Humana enim ratio, cum ad significata sacramentorum non pertingat, necesse est, vt sacramenta ipsa habeat pro rebus iudicris. Itaque fidem accedere necesse est, si sacramentis ritè, atque ordine velimus vti. Cum autem Hesychius non dicat nominatim, corpus & sanguinem domini, sed tantùm scribat, externa illa transferri in maius quiddam, & intelligibile, ne hîc hæreremus, primum id Inconstantius excusat, quòd Veteres tanta de re tectè, atque occultè loqui voluerint. Hoc ego commentum non possum non magnoperè mirari. Nam si Patres ita tectè, & occultè loquuti sunt, quomodò isti ex illis cæcis nutibus, non enim dicã, verbis, Transubstantiationem suam tam confidenter eliciunt, atque confirmant? Eam scriptura sacra non tradit: & Patres, vt ipse fateris, non nisi obscurè & tectè docent. Restat igitur, vt quemadmodum viri docti certò sciunt, ita simplices quoque & indocti, cum hæc audiant, suspicentur, vestrum tantùm id esse commentum. Hæc illa est ars mirabilis Inconstantij, vt quæ velit maiorem in modum confirmare, ea maximè labefactet.

Sed operæpretium est audire, quid idem Hesychius subijciat. *Israel,* inquit, *addens, populũ fidelem per hoc significauit, hoc est, eum, qui per mysticum hoc sacrificium Deum videt, & propterea propriè Israel nominatur. Hi, quæcunque consecrant domino id est, quæ ex semetipsis in Dominicum sacrificium offerunt, sancta sanctorum fiunt. Copus enim ex ijs conficitur Christi: qui, quia primitiæ est, nostræ conspersionis, rectè ex nostris primitijs constitit.* In his verbis quiddam occurrit in primis annotandum: nimirùm, oblationem Ecclesiæ, quam isti semper clam ât esse oblationem corporis Christi, apud patres sæpè fuisse, cibum & potũ, quæ in vsum ministrorum, & pauperum à singulis accedentibus ad sacrum cœtum offerebantur: ex quibus certa quędam portio seponebatur ad Sacra-

Oblatio Ecclesiæ quib. ex rebus antiquitus cõstiterit.

mentum Eucharistiæ. Quod idem Cyprianus, alijque patres varijs in locis testati sunt. Atq; hinc recepta, & simplici significatione oblationum, quarum adhuc etiam mentio fit in compluribus Missarum collectis, Ecclesiastici scriptores delapsi sunt paulatim ad periculosam loquendi formulam: vt dicerent, Ipsum corpus domini offerri à sacerdote. Quam tamen phrasin, quoniam erat insolens, & dura, patres ipsi non rarò interpretantur. Appellant enim sacrã cœnam oblationem Christi: hoc est, vt ipsi se interpretãtur, Christi oblati semel in cruce repetitam recordationẽ. Sed multò simplicius, & satius fuisset, genuinam illam priorem significationem oblationis retinuisse. Ex pane autem, & vino ita oblato à fidelibus Hesychius ait, confici corpus Christi: quemadmodum alij etiam patres loqui solent: quia per sacrum ministerium ex illis rebus corporis Christi Sacramentum conficitur. Idq; ait rectà congruere. quemadmodum enim munera illa oblata dicuntur nostræ primitiæ: ita Christus quoque naturæ humanæ Deo patri offerendæ primitiæ fuit. Possumus etiam colligere ex istis verbis, panem Eucharistiæ antiquitus fuisse communẽ: eum scilicet, quem homines domi adhibebant ad mensam. Fideles enim, suos, nõ alienos panes adferebant ad Ecclesiam. Hodiè aũt amici isti nostri, quasi qui omnia antiquæ simplicitatis vestigia voluerint prorsus abolere, pro communi pane, nescio quæ, crustula, & lagana comminiscuntur, in quibus imaginem domini nostri crucifixi exprimũt. Inconstantius ergo, cum ex verbis Hesychij velit Transubstãtiationem suam, quam ille nũquam somniauit, confirmare, euidentissimè prodit, se suosque Papistas ab instituto Christi, & à veterum patrum ritu defciuisse.

Panis Eucharistiæ antiquitus fuit cõmunis.

Posteà inducitur Liturgia Basilij: quæ, vt aliàs monui, non pluris facienda est, quàm meretur. In ea autem sacerdos ita precatur: *Facpanem hunc ipsum pretiosum corpus Christi tui: quod autem est in calice, ipsum pretiosum sanguinem domini Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, mutans Spiritu tuo sancto.* Huc etiam adijcitur Liturgia Chrysostomi, in qua ita scribitur: *Benedic Domine sanctum panem: fiat panem hunc pretiosum corpus Christi tui: quod autem est in hoc calice, sanguinem eius pretiosum, mutans spiritu tuo sancto.* Hìc quoque si corpus, & sanguinem Christi, earum rerum intelligas Sacramenta, nullus relinquetur ambigendi locus. Contra Inconstantium autem id in primis facit, quòd in vtroque legitur, Panem fieri corpus Christi: non autem, vt iste vult, illud ex pane fieri. Sacerdos enim orat, non vt substãtia panis abijciatur, sed vt panis ipse manens integer efficiatur corpus Christi, hoc est, Sacramentum corporis Christi. Quam ad mutationem illi nobiscum aiunt requiri vim spiritus sancti.

Citatur etiam verba Chrysostomi ex homilia de Encæniis, Panem & vinum absumi præsentia corporis. Locus ille totus hyperbolicus est: & illum Inconstantius, vt solet, pro suo more peruertit. Sic enim scribit Chrysostomus: *Puta mysteria consumi præsentia corporis.* Et addit, *Propter quod & accedentes, ne putetis, quòd accipiatis diuinum corpus ab homine, sed ex ipsius Seraphim forcipe ignem.* Et prẽterea, *Reputate*, inquit, *salutarem sanguinem quasi è diuino, & impolluto latere effluere.* Quàm ergo verum est, nos non ab homine accipere corpus Christi, sed è forcipe Seraphim cœlestem ignem: tam verum est, præsentia corporis absumi panem & vinum: & quemadmodum sanguis, quem bibimus, effluit quotidiè è latere domini, ita substantia panis & vini aboletur. Sunt ergo istę loquutiones figuratę, quibus Chrysostomus populum traducere voluit à symbolis ad considerandа rerum ipsarum significata. Cogitationes enim nostras ait non aliter versari oportere in symbolis, quàm si illa à rebus significatis prorsus deleta, & extincta essent. Eadem docẽdi forma Paulus ait, se misisum non fuisse ad baptizandum: cum alioqui baptismus nonnulla sit portio Apostolici muneris: & ipse se fateatur nonnullos baptizasse. Ambrosius quoque huc attrahitur ad dicendũ testimonium cõtra nos ex Libello De illis, qui initiantur, cap. 9. Is autem ita scribit: *Quòd si tantum valuit humana benedictio, vt naturã conuerteret, quid dicimus de ipsa Consecratione diuina, vbi verba domini Seruatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantum valuit sermo Eliæ vt ignem de cælo deponeret, nònne valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum?* Non ita obcæcatus est errore Inconstantius, quin vt videat, alios suæ sectæ homines cum Ambrosio non consentire. Illi enim dicunt species tantùm panis & vini manere: naturam autem & substantiam aboleri. Ambrosius autem ait, species ipsas immutari. Fingit autem iste, Ambrosium species hìc posuisse nõ pro accidentibus, sed pro natura, & substantia. Sed quomodò tandem nobis hoc probabit? An satis Inconstãtio est hoc dixisse? non oportet Lectorem huius Sophistæ authoritate magnopere commoueri. Vult enim pro sua libidine vocabula sine discrimine significare, quid ipse velit. Ego verò dico, Ambrosium hoc non sensisse, mutari species, quia accedunt nouæ proprietates sacramentales, quæ in pane anteà non fuerunt. Et siue species illas accidentia, siue substantias esse velis, propius multò accedam ad sententiam Ambrosij, quàm Inconstãtius. Nam idem in libro de Sacramentis cap. 4. sic ait: *Si ergo tanta vis est in sermone domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant: quantò magis operatorius est, vt sint, quæ erant, & in aliud commutentur?* Quid his verbis dici potest apertius? Nam si panis & vinum manent, quæ erant, vbi est istorũ portentosa Transubstantiatio? Mutationẽ quidem Ambrosius statuit: sed Sacramentalẽ, qua non sit necesse, vt rerum naturæ absumantur. Idque euidenter apparet ex luculentissimo simili, quo idem Ambrosius vsus est eo loco. *Tu ipse*, inquit, *eras: sed eras vetus creatura. Postea quàm consecratus es, noua creatura esse cœpisti.* Audis Inconstanti? Dic sodes: Cùm efficimur

Quomodo in Eucharistia species panis mutentur.

Abstrahendus animus à rebus propositis.

nous

nona creatura, an abijcimus piſtrinam ſubſtã-
tiam? Non es, opinor, ita ſtultus, vt id dicas.
Ergo iuxta tuam ſententiam Ambroſij ſimile
nihil probat. Nam ſimilitudo à minori ducta
affirmando nihil valet. A maiori autem, aut ab
æquali ducta valet. Noli ergo poſthac ita glo-
rioſè vociferari, Ambroſium in iſta cauſa te-
cum facere.

Nunc audiamus Euthymium. Is in Matth.
ita dicit capite 46 *Sicut vetus teſtamentum hoſti-*
as & ſanguinem habet: ita & Nouum, Corpus vide-
licet & ſanguinem domini. Non dixit autem, Hæc
ſunt ſigna corporis mei: ſed, Hæc ſunt corpus meum,
& ſanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eo-
rum, quæ proponuntur aſpicere, ſed ad virtutem eo-
rum. Quemadmodum enim aſſumptam carnem ſu-
pernaliter deificauit, ſi ita loqui liceat, ita hæc ineffa-
biliter tranſmutat in ipſum viuificum corpus ſuum,
& in ipſum pretioſum ſanguinem ſuum, & in gratiam
ipſorum. Hic ſe Inconſtantius fingit credere, ijs
verbis omnes figuras, vtq; comteptim loqui-
tur, figuratores profligari. Verùm non ſic abi-
bit. Euthymius enim contra ipſum multò plu-
ra, quàm contra nos ſcribit. Nam quod negat,
Euchariſtiam figuram, aut ſignum eſſe, id non
eſt ſimpliciter intelligendum: niſi iſtum veli-
mus ſolum cum innumeris penè alijs Patribus
pugnare. Alij enim ſacramenta noſtra figuras,
ſigna, ſymbola, typos, antitypa appellarũt. Eu-
thymius autem negat, noſtra ſacramenta eſſe
figuras, ſi ad ſacramenta Veterum conferan-
tur: non quòd vtrinque non ſint figuræ, ſed
propter alium, atque alium modum ſignificã-
di. Illa enim, quia Chriſtum venturum adum-
brabant, propriè dicebantur figuræ & vmbræ.
Noſtra verò, cum Chriſtus iam datus ſit, & ve-
nerit, non propriè dicuntur figuræ, quòd futu-
rum, aut venturum Chriſtum non adumbrẽt:
& multò facilius nomina rerum ipſarum ſibi
vendicant, quàm ſacramenta Veterum. In illis
enim non erat ea certa notitia rerum ſignifica-
tarum, quæ hodiè eſt in noſtris. Quod Augu-
ſtinus quoque, vt aliàs diximus, ſua quadam
loquendi formula non ſemel expoſuit. Illud
verò, quod Euthymius addit, *non naturam earũ*
rerum, quæ proponuntur, ſed virtutem ſpectari oporte-
re, mirificè pro nobis facit. Nos enim docem⁹
nò attendendã eſſe naturam panis & vini, ſunt
enim res vulgares, ſed ſignificationem, & virtu-
tem. Nam virtus illa in efficacia ſignificandi ex
diuino inſtituto ſita eſt. Sunt enim nobis in-
ſtar viſibilium verborum: per quæ vi ſpiritus
ſancti fides in nobis exuſcitatur, qua corpus &
ſanguinem domini cum ſummo fructu com-
plectimur. Hæc, vt quiuis videre poteſt, eſt iu
ſta, & ſana interpretatio.

Abſtrahen-
dus ani-
mus à reb⁹
propoſitis.

Sed vt cominus etiam pedem conferam,
obſecro, Inconſtanti, vt mihi explices, quæ-
nam illa tandem ſint propoſita, quæ Euthymi-
us iubet ne attendamus. Omninò neceſſe eſt,
velis, nolis, vt reſpondeas, ea vel accidẽtia eſſe,
vel panem & vinum, vel corpus Chriſti. Si pa-
nem dicit non eſſe attendendum, ex eo effici-
tur adeſſe panem, à quo velit nos oculos auer-
tere: ſed ita, vt eius virtutem conſideremus.
Corpus verò Chriſti eſſe illud, quod propo-
nitur, ne fingi quidem poteſt. Illud enim in
primis oportet habere ob oculos. Si propoſi-
ta illa dices eſſe accidentia, id non ſatis con-
gruit cum illis, quæ ſubijciuntur. Accidentia
enim panis nullam tantam, quod ſciam, vir-
tutem habent, quæ ita vtilis ſit ſpectatu. Sed
conſideremus ſimile, quo Euthymius iſtam
ſymbolorum mutationem exprimit. *Quemad-*
modum, inquit, *dominus, carnem ſuam ſupernatu-*
raliter aſſumptam deificauit, ita & hæc ineffabiliter
tranſmutat in ipſum viuificum corpus ſuum. Hic ego
appello, obſecro, atque obteſtor Inconſtanti-
um, vt reſpondeat, Vtrum in Chriſto caro dei-
ficata carnis naturam abiecerit. Certè, niſi ve-
lit cum Eutyche apertè facere, dicet, naturam
ſubſtantiamque carnis in Chriſto manere, non
autem in diuinitatem abijſſe. Satis ergo con-
ſtat ex iſto Euthymij ſimili ſubſtantiam panis
& vini in Euchariſtia non aboleri. Gratulor
nobis, has copias auxiliares ſubmitti ab Incõ-
ſtantio. Nam iſta loca fortaſſe potuiſſemus prę
terire, niſi ille nobis aurem vellicaſſet.

Caro Chri-
ſti deifica-
ta non abiẽ
cit natur⁊
carnis.

Sequitur Iohãnes Damaſcenus, qui lib. 4. cap.
14. ita ſcribit: *Neque & hoc etiam dicit promptum,*
quomodò naturaliter per comeſtionem panis, vinũ &
aqua per potionem in corpus & ſanguinem comedentis
& bibentis traſmutatur: & non fit aliud corpus præ-
ter illud, quod erat ipſius. Sic & propoſitionis panis,
vinumq;, & aqua per inuocationem, & aduentum
ſpiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutatur in corpus
& ſanguinem Chriſti. Et non ſunt duo: ſed vnum
& idem. Non eſt animus de Damaſceno mul-
ta dicere. Illud ſatis conſtat, doctrinam eius
non ita eſſe puram. Quantum enim ille imagi-
nibus, quantum oſsibus mortuorum tribuit?
vt alia interea taceam. Quare cum ille multis in
alijs dogmatis diſſentiat à ſacris literis, nihil
video, cur ego in hoc dogmate cum eo debeam
conuenire. Quod tamen ad hunc locum attri-
net, video eſſe in eo quædam, quæ Tranſub-
ſtantiationi apertè aduerſentur. Primùm e-
nim confert negocium iſtud Euchariſticum
cum ea mutatione, qua panis & vinum tran-
ſeunt in ſubſtantiam comedentis. Quod ſi ita
eſt, tota natura panis in Euchariſtia non abijci-
tur. Quemadmodum enim aliqua ſubſtantia
cibi conuertitur in carnem & ſanguinem eius
qui veſcitur (nam ſi vniuerſa periret, non ale-
retur) ita neceſſe eſt in Euchariſtia aliquam par
tem panis remanere. Ad hæc in alimento for-
ma & accidentia pereunt: materia verò aliqua
ſaltem ex parte manet. Papiſtæ autem in iſta
ſua Tranſubſtantiatione volunt, materiam, aut
ſubſtantiam abijci, ſola autem retineri acciden
tia. Quid, malũ, te oportuit, Inconſtanti, tãto
perè de hac ſimilitudine gloriari? Certè ea ex
omnibus ferè partibus prodit veſtigia non ob-
ſcura veſtri mendacij. Nos quidem cum Da-
maſceno non conſentimus, niſi per conuerſio-
nem, mutationem intelligat ſacramentalem.
Quod ego eum non affirmo cogitaſſe: & per-
multa ſunt, quæ huiuſmodi de illo ſuſpicio-

Ioannes
Damaſce-
nus.

nē mouere posſint. Theophylactus verò in 6. c. Ioan. ita ſcribit: *Attēde aūt, quod panis, qui à nobis in myſterijs māducatur, non eſt figuratio quædam carnis domini, ſed ipſa caro domini. Non n. dixit, Panis, quem ego dabo, figura eſt carnis, ſed Caro mea eſt. Transformatur enim arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem, & acceſſionē ſancti ſpiritus in carnem domini. Et ne quem conturbet, quod credendus ſit panis caro. Etenim in carne ambulante domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & ſimilis fiebat ſanctæ illius carni, & in augmentū & ſuſtentationem conferebat.* Quæ modò reſpondi ad Damaſcenum, eadem huc quoq; transferri poſſunt. Vterque enim eodem modo ſcribit, & vtitur eodē ſimili. Nihil autem dico, Theophylactum damnatam ſentētiam de proceſsione ſpiritus ſancti defendiſſe, & Latinis Eccleſijs nominatim refragari. Prætereo etiam aliquot eius ſententias, quibꝰ à Tranſubſtantiatoribus diſſentit, & in noſtrā propemodum ſentētiam deſcendit. Ea omnia intrà opportuniori loco commemorabo.

Catalogum autem iſtum ſuum Inconſtantius, vt ſolet, claudere voluit authoritate Bernardi. Is in Sermone de Cœna domini ita ſcribit: *Species ibi videntur, quarum res, vel ſubſtantiæ eſſe non creduntur. Sic res veraciter, & ſubſtantialiter creditur, cuius ſpecies non cernitur. Videtur enim ſpecies panis & vini: & ſubſtantia panis & vini non creditur. Creditur autem ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti: & tamen ſpecies non cernitur. Proponitur igitur ſpecies panis & vini, vt doceātur, plenā & perfectam eſſe refectionem in ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti. Plena refectio cibi & potus. Cibi autem & potus ſubſtantiæ principales ſunt panis & vinum.* Si Bernhardus iſta dixiſſet, nihil eſſet mirum. Iile enim in fece Papiſtarum, & monachorum vixit, idque ea iam tempeſtate, cum Tranſubſtantiatio vbique ferè in Latinis Eccleſijs obtinuiſſet, & Berēgarius de ſua ſententia deiectus eſſet. Deinde etiam non omnia ſemper ſyncerè, ac purè ſcribit: multa interdū corrupta, & ſuperſtitioſa admiſcet. Sed, vt ſuprà monui, Bernhardus eius Sermonis non erat author. Deinde ſpero, nondum exciſſe lectori illos locos Bernhardi ipſius, quos ſuprà commemorauimus: ex quibus ille videri poteſt à veritate, & à noſtra ſententia non abhorruiſſe. Sed eſt iſte mirabilis ſophiſta, qui cum audiuerit in argumento teſtimonia nominatim peti ex verbo Dei, ex quo vno fonte fluit omnis noſtra fides, nos prorſus reiecerit ad dicta quædam Patrum: quaſi verò ex illis naſcatur vera fides. At longè aliter nos docuerūt ſacræ literæ: *Fidem eſſe ex auditu: auditum autem ex verbo Dei.* Firmum ergo eſt argumentum noſtrum: Quicquid non hauritur ex verbo Dei, non eſt credendum: Tranſubſtantiatio nō hauritur ex verbo Dei: Ergo, non eſt credenda. Maior propoſitio eſt Pauli: Minorem ſatis probat Inconſtantius, cum ne ſyllabam quidem vnam citare poſsit è ſacris literis.

OBIECTVM CIIII.

AVGVSTINVS ait, Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Non autem dicit, Tollatur elementum. Eſt ergo contra naturam Sacramenti, vt altera eius pars auferatur.

GARDINERVS.

SVBSERVIT elementum conficiendo Sacramento: & qui omnia portat verbo virtutis ſuæ, de myſterio Eucharistiæ ſic pronunciat, Hoc eſt corpus meum.

MARTYR.

PRædicat Inconſtantius, ſubſtantiam panis & vini auferri propter illa verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum.* Quàm autem appoſitè iſta ſententia ex illis verbis eliciatur, prudens lector facilè poteſt intelligere. Id tamen, quod erat elementi, manere fingit, & retineri ad ſignificationem. Atqui ita manere accidentia ſine ſubiecto, nec ratio ſinit, nec ſancta ſcriptura vſquā docuit. Quodque longè etiam magis eſt ridiculum, ait, *in Tranſubſtantiatione ſubſtantiam panis & vini non tolli.* Quòd ſi nō tollitur, cur per vos non licet, eam manere, atque adeſſe confiteris? Chriſtus, inquis, vtitur hoc elemento. Rectè. Sed, ſi vtitur, certè manet. Nemo enim vti poteſt eo, quod eſſe deſijt. Quæ iſtæ ſunt ambages, & verborum tenebræ? Deinde audes etiā violare ſenſum verborū Auguſtini. Ais enim, Auguſtinum non requirere, vt elemētum maneat totum: ſed tantùm vt Sacramento conficiendo adhibeatur. At, ſi elementum ipſum, vt Auguſtinus docet, accedēte verbo fit Sacramentum, non poteſt Sacramentum eſſe, ſi elementū auferatur. Ex hac breui reſponſione facilè videre potes, pie Lector, quā nutet, & fluctuet Inconſtantius. Non habet locum aliquꝰ ſolidum, vbi poſsit pedem figere. modò ait, ſola manere accidentia: modò negat, à ſe, aut à ſuis tolli elementū: modò clamat, eſſe ſatis ſi elemētum tantū ad conficiendū myſterium adhibeatur. Sed cur non vno potius verbo ingenuè fatetur, ſe non poſſe ſeipſum ex hoc Labyrintho explicare? Omninò in omni Sacramēto oportet certū eſſe elementū, quod vi verbi Dei fiat Sacramentū. Euchariſtia autem, vt omnes confitentur, eſt Sacramentum: Ergo, neceſſe eſt, vt certum in eo oſtendi poſsit elementum.

Nemo poteſt vti eo quod eſſe deſijt.

OBIECTVM CV.

OMNIA Sacramenta conſtant materia, & forma. Forma eſt verbum Dei. Materia eſt elementū, ad quod accedit verbum. Ita panis eſt elementū: in hoc Sacramento

mento. Quod autem componitur ex duobus, non potest alterũ abijcere: ita præsertim, vt nihil ex eo remaneat, præter accidentia. Quare oportet in Eucharistia substantiam panis remanere.

GARDINERVS.

QVOD in Sacramento Eucharistiæ Speciale est, non potest ad generalem Sacramentorum normam exigi.

MARTYR.

FIngit Inconstantius, quiddam peculiare, & vt loquitur, speciale accidere in Eucharistia, quod alijs Sacramentis non sit tribuendũ. Hanc autem ille prærogatiuam Eucharistię nõ diuino iure dedit, sed suo. *At Christus*, inquit, *di sertis verbis pollicitus est, se daturum substantiam corporis sui.* Ille ergo magis consulendus est de pane, quàm sententiæ magistrales. Sed cur tu, Inconstanti, tuis legibus non teneris? Quódnam hoc nouum genus est argumenti: Christus dat corpus suum: Ergo nõ dat etiam panem? Hoc certè Christus ipse non docuit: sed tui magistri confixerunt: Nihil enim obstat, quò minꝰ corpus Christi spiritualiter dari possit, vt fide videlicet percipiatur, & tamen ore corporis panis etiam vnà comedatur. Imò illi ipsi, qui statuunt substantialem præsentiá carnis Christi, nihil causę vidẽt, cur substantia panis sit abijcienda. Et Ioannes Scotus antesignanus alioqui inter Scholasticos, videtur hoc dogma tantũ Ecclesiæ, quam haud dubiè intelligit Romanensem, acceptum referre: cum tamen præsentiam corporis Christi acriter defendat. Leue ergo, & friuolum est, quod Inconstantius cauillatur, Christum esse consulendum. Atque vtinam verè, & sine hypocrisi hoc diceret. Vniuersa ista lis tribus verbis posset componi.

Posteà comminiscitur, alia Sacramenta in vsu esse posita: idcircò illis materiam certam posse cõstitui, & verbum Dei pro forma. Quasi verò Eucharistia extra actionem bibendi & edendi sit Sacramentum. Qui hoc dicunt, præterquam quod aduersantur verbo Dei, quo Christus dixit, *Accipite, & manducate: accipite & bibite*: idololatriam etiam fouent, & vt dictum est suprà, communicandi frequentiam imminuũt? Sed audiamus priuilegium istud Eucharistiæ. *Eucharistia*, inquit, *iam cõsecrata, quia Sacramentum est permanens, habet pro forma visibile speciem: & ipsum Christi corpus pro materia.* Cùm dicit Eucharistiam esse Sacramentũ permanens, non animaduertit, Sacramentũ illud non tantùm constare pane & vino, & verbo Dei, sed etiam requirere distributionẽ, manducationẽ, & potationẽ. Id nos non finximus de nostro, sed planè hausimus ex verbo Dei, Christus enim ipse, cum egisset gratias, distribuit panem, aitque: *Accipite edite.* Deinde calicem tradidit accumbẽtibus, atq; addidit: *Accipite, bibite ex hoc omnes.* Et imponens summam manum, *Hoc*, inquit, *facite.* Cum Christus hæc omnia fecerit, & iusserit, vt nos eadem omnia faceremus, non possumus dubitare, ea omnia ad mysterij rationem pertinere. Sed quis hîc risum teneat, cum videat, istum ita incogitanter dicere, species visibiles in hoc Sacramento esse pro forma; corpus autem & sanguinem Christi esse pro materia? Ego semper audiui, materiam à forma longè dignitate superari. Verùm iste, quantum video, præceptorum suorum non leui periculo desipit: qui eum tanto tempore nihil sapere docuerunt. Nam si saperet, corpus & sanguinem Christi, res duas longè omnium pretiosissimas, visibilibus formis, hoc est, leuibus & caducis accidentibus non postponeret. Noli Inconstãti, si me audis, inter philosophos, aut etiam inter Scolasticos ista dicere, ne tę gradibus illis tuis, quos tu fortè inter eos aliquando accepisti, spolient. At ille fortasse ista nobis ex verbo Dei confirmabit? Minimè verò. Hoc tantùm addit: *Vnde visibilibus Sacramentis corruptis, quia forma definit, definit etiam Sacramentum.* Mira esse ista necesse est, quæ Papæ sacrificulis tantopere placeant. Sed eadem ratione probari potest, cor esse animãtis formã. Illo enim exempto, animal illicò moritur, & quod prius erat, esse desinit. O Sorboniſtas fungos & stipites, qui istam tam exquisitam, & subtilem philosophiam nunquam didicerittis. Trãsmittite in Angliam, & à nouo isto Magistro sentẽtiarũ discite ea, quæ neque ex Lombardo vestro, neque ex alijs omnibus Doctoribus discere hactenus potuistis.

Materia superatur à forma dignitate.

Tamen iste, ne prorsus negare videatur, materiam Eucharistiæ esse panem & vinum, formam autem esse verbum Dei, *Hoc*, ait, *de Consecratione esse intelligendũ*, quam tantũ annumerat, sacramentalibus: neque enim eam patitur esse sacramentum. iste vt video, non tantùm in res, sed etiam in voces potestatem obtinet. Quis enim diceret, Panem consecrari, cum è rerũ natura atque è mundo exterminetur? Ego certè nolim ita consecrari. Si verum est, quod Incõstantius somniat, Execratio ea panis erit, non Consecratio. Addit, *Consecrationis ipsius formam esse verba sacra: panem verò esse materiã.* Atqui nũquam nec visum hactenus nec auditum est, formam, quæ datur ad perficiendam materiam, illam è rerum natura profligare, ac perdere. Nõ sunt, mihi crede, lector, ista sani hominis cogitata: sed deliria, & somnia insanientis.

Forma non perdit materiam.

Vnũ tantùm mihi nunc supereſt explicandum, quo ratio à nostris proposita illustretur. Cum dicimus, sacramentũ constare ex materia & forma, & addimus, verba Dei esse formam, id intelligendum non est de sonis, & vocibus, sed de verborum illorum significatis: nimirũ, de corpore & sanguine Christi: quę, vt non trãseunt vnà cum vocum strepitu, sed consistũt, & manent, ita etiam pane & vino infinitis partibus sunt perfectiora. Dicimus autem ea habere rationem formæ, quoniam si definiendũ sit sacramentũ Eucharistiæ, illa significata omninò necesse sit adiũgi. Relatiua enim non pos-

sunt sine suis terminis definiri. Cumq; ea, vti diximus, pane ac vino longè sint præstantiora, non iniuria formæ locum obtinent. Potiores enim partes definitionis ad formã magis, quã ad materiam spectant. Sũma igitur argumenti est: Materiã sacramẽti à sua forma nõ aboleri: Materiã aũt Eucharistiæ esse panẽ & vinũ. Quare ea à verbo Dei, quod est eius forma, non aboleri.

OBIECTVM CVI.

NATVRA, & definitio accidentium est, esse in subiecto: vt, si non sint in aliquo subiecto, non sint omninò. Ergo, cum accidentia panis & vini maneant, ea quoque manere est necesse. Ita nulla erit Transubstantiatio.

GARDINERVS.

SI definitionem accidentis spectemus seorsim, non est, Ineße subiecto, sed aptitudinem habere, vt ineße possit.

MARTYR.

PRimùm magnus Dialecticus negat, *eam esse definitionem accidẽtis, Ineße in subiecto: satis esse, si aptum natumq; sit, vt esse possit in subiecto.* Cæterum, vt largiar, cum res generatim definiũtur, eam propensionem, seu aptitudinem intelligi in definitione, quòd sæpè res definiantur, quæ reuera non existant, eoq; necesse sit, ea illis attribuere, quæ in illis essent, si existerent: tamẽ, cum ea, quæ definiũtur, re ipsa ponantur, omninò necesse est, vt sub definitionis conditionẽ cadant. Nam alioqui definitio aliena esset, & vitiosa. Quare quanuis maximè Accidẽs in vniuersum definiatur, vt Inconstãtius putat, tamen posteà, cum quippiam ostenditur reuera esse accidens, necesse est, vt hæreat in subiecto. Quod autem addit, *Non si quid est accidens, necesse est, vt inhæreat*: dicit quidem id, sed nõ probat. Quare eadem authoritate licebit nobis id negare, qua illi id licuit sine ratione affirmare. Deinde quòd addit, ipsum Inhærere accidentibus, dum existunt, non esse substantiale, aut necessarium: id nemo sapiens vnquã dixit. Vulgò receptum est, Accidens esse, quod sit entis: nec esse accidentia, nisi quatenùs inhæreant. Aristoteles quoque hoc maximè argumento inuehebatur contra ideas Platonis, quòd eas formas esse statuerat, & interim à sua materia distraheret. Quòd si ille ne substãtialibus quidem formis hoc dare voluit, quantò minus daturus erat accidẽtibus? Ad hæc cogitare oportuit Inconstantium, non minus essentiale esse accidenti, Ineße in subiecto, quã substantiæ est, Non ineße. Substantia autem necessario inhæret: Ergo, Accidens necessariò inhæret. Hæc idcircò commemorare pluribus, & diligentius volui, vt Lector intelligeret, istos commenta sua pluris facere, quàm naturæ conseruationẽ. Omnia potiꝰ perire vult Inconstantius, quã vt fictiones, & ineptias suas intercidere patiatur.

Aristoteles. Ideæ Platonis.

Accidens necessariò inhæret.

Sed addit, *Primam causam per se ipsam, & solam tantundem posse, quantum secunda potuit. Quare cũ substantia, quæ est secunda causa, possit accidentia sustinere, nihil obstare, quin Deus, hoc est, prima causa, detracta substantia, eadem sustinere possit.* Hic aliquis fortè respondeat, Potẽtiam quidem Dei admirandam, & summam esse: illam tamen ea, quæ Contradictione pugnãt, efficere non posse: non quidem debilitate sua: sed quòd res ipsæ eiusmodi sint, vt fieri nequeãt. Dicere autẽ, aliquid esse accidens, quod non sit in subiecto, nihil aliud est, quàm dicere, idem & accidens esse, & non accidens. Eò isti sua importunitate rem deducunt, vt prorsus omnia confundãtur. Hæc inquam, alius fortasse quispiam respõderit. Ego verò dico, Quid isto scuto diuinæ potentiæ semper tegitis mendacia vestra? Esto, Deum hoc posse facere. An ex eo statim sequitur, illum id velle facere? Cum igitur, quod ad hoc quidem attinet, de voluntate Dei non possitis fidem facere, salua eius potentia, satis tutò possumus istam vestram confusionem, & perturbationem rerum irridere. Quicquid de diuina voluntate ab hominibus sciri potest, id vniuersum peti, & hauriri oportet è verbo Dei. Quare cum aliquid velitis contra naturæ ordinem constituere, inde oportet deducere argumenta. Atqui vbi, quæso te, vnquam audisti è sacris literis, Accidentia esse in Eucharistia sine subiecto? aut primam causam ibi subire locũ substãtiæ? Si tu ista legisti vnquam pro eo, quãti fidem & authoritatem tuam facis, locum nobis aliquẽ indicato. Alioqui Papistæ etiam tui dicent, te ista impudenter commentum esse.

Verũ ne Deus cogatur in istis accidentibus Eucharisticis sustinẽdis perpetuo laborare, ait, *posse fieri, vt aliquando panis substantia redeat: idq; addit non sine summa Dei ope fieri: ne, cum vermes, & cineres ex Eucharistia nascantur, regula naturæ, quæ violata est in Transubstantiatione, eadẽ rursus in vermium, & cinerum procreatione perturbetur, si eadem orirentur procreari ex accidẽtibus. At philosophus*, inquit, *miraretur Eucharistiæ mysterium, in quo accidentia manerent sine subiecto, neque illud ex sua definitione caperet.* Certè, qui nihil aliud sit, quàm philosophus, Sacramentum Eucharistiæ non mirabitur, vtpote qui de eo nihil credat. Vestrã autem stultitiam, qui ista portenta in animũ induxeritis credere, & mirarer, & irrideret. Et sanè, qui rem secũ velit prefsius cogitare, haud dubiè numerabit vos inter ἀνοήτους philosophos, & ἀθέους Theologos: qui ista & naturæ leges, & verbum Dei fusq; deque peruertatis. Vide autem Inconstanti, qua fronte nos appelles Theologastros. Tu enim, tuiq; ne vmbram quidem habetis boni Theologi: Tamen, si nos ita fastidis, at Augustinum summum Theologũ audire debes, quid de hac re sentiat. Ille cum docuisset, sublato loco à corporibus, ipsa quoq; corpora tolli, subiecit posteà de illorũ etiam accidentibus, Tolle, inquit, ipsa corpora qualitatibꝰ corporũ: non erit, vbi sint; & ideò necesse est, vt non sint. Non est, opinor, Theologaster Augustinus: tamẽ audacter pronũciat, accidẽtia esse non posse, si illorũ auferãtur

tur ſubſtãtiæ. Et ſtatim addit, ſi moles ipſa corporis, quantacumq; vel quantulacumq; ſit, penitùs auferatur, qualitates eius nõ erit vbi ſint.

Hæc Auguſtinus. Et dubitamus adhuc, veros Theologos, ea, quæ à nobis in argumento poſita ſunt, nobiſcum ſentire & confiteri?

OBIECTVM CVII.

SOLENT dicere, corpus & ſanguinẽ Chriſti velari accidentib. ne videamur veſci crudis carnib. Sed ſi vera dicũt, hæc ratio nihil prohibet, quò minꝰ veſcamur crudis carnib. Quomodò .n. coquantur, neque per eos, neq; per ſcripturas ratio redditur.

GARDINERVS.

HESYCHIVS celebris author, corpus Chriſti in Sacramento nobis exhibitum appellat Sacrificium de ſartagine, quod illud non crudum nos, ſed in ara crucis tanquam de ſartagine aſſum comedamus.

MARTYR.

HIc Inconſtãtius, quòd videret ſe non poſſe aliter cõſiſtere, recipit ſeſe ad allegoriã. Ait enim Heſychiũ dicere, *corpus Chriſti nobis exhibitum in Sacramento eſſe ſacrificiũ de ſartagine.* Ego iam didici id, quod ſemper antea ignoraui: ſcilicet, argumenta, allegorica intelligentia vel ſenſu dilui. Si Heſychius diceret, corpus Chriſti verè aſſatũ fuiſſe in cruce, non nihil mirarer. Id enim cum Euangelica narratione video pugnare. putarẽ tamen Inconſtantiũ occaſionẽ aliquam fuiſſe nactũ, vt hoc teſtimoniũ adduceret. Verùm cũ ſacra hiſtoria hoc nuſquã tradat factũ, & Heſychius dicat, corpꝰ domini nõ reuera fuiſſe coctũ, ſed tantũ tanquam in ſartagine aſſatũ in ara crucis, nullã video rationem, cur id, quod Inconſtãtius adfert, probabile videri poſsit. Nam cum Chriſtus diceret, Iudæos exiiſſe ad ſe, tanquã ad latronem, an docere voluit, ſe reuera latronẽ eſſe? Et cum Eſaias prædicat, illum ducendũ eſſe ad occiſionẽ tanquã ouem, an illũ dicit fore reuera ouem? Sophiſta vero iſte noſter nouo quodam artificio, ex eo, quod Heſychius dicit, corpus Chriſti tanquã in ſartagine fuiſſe aſſum, illud reuera coctũ, atque aſſum fuiſſe colligit.

Deinde poſtulat nos irriſionis: quaſi auſi ſimus Sacramẽto Euchariſtiæ ore profano illudere. Hoc autem diſsimulat, nos, ſaluo myſterio, quod Chriſtus inſtituit, Papiſtarũ tantùm præſtigias & fucos irridere: vt doctrina fictitia, & ad idololatriã ab hominibus excogitata, ab omnibus aliquando exibiletur. Verùm ſeriò agat aliquãdo Inconſtãtius, neque putet rationes conuitio diſſolui poſſe. Huc addit, *Cacos lycos de crudis carnibus loqui ad ſenſum carnalem, qui myſteria non intelligãt.* Atqui ego ea putabã dici hominibus fidelibus, & ſtatim cõmunicaturis: vt omnis illis tolleretur admiratio, cur corpus Chriſti, cum ibi adeſſet realiter, tamen oculis hominũ non oſtenderetur. Nunc autẽ audio, iſta dici tantùm infidelibus, qui ſacra myſteria non intelligãt. Sed ſubijcit, id, quod diuinũ ſit, & ſpirituale, non poſſe fidelibus videri crudũ. Quid iſta ſibi quæſo volũt? Corpus Chriſti diuinũ, & ſpirituale, quod ſola fide comeditur, nihil neceſſe eſt, vt dicamus aut coctũ, aut crudũ comedi. Nam hic in verbo comedendi, aperтiſsimus eſt tropus. Iſti autẽ, quia corpus domini ſtatuũt ore corporis, ac dentibus comedi, nõ iniuria à nobis vrgẽtur, vt alterutrũ de illo cibo pronũcient, coctũne ſit an crudus. Atque eò iuſtius à nobis hoc interrogationis genere premũtur, quia carnẽ illã accidẽtibus panis, tãquã in artocrea inuolutũ volũt. Et ſanè velint, nolint, cibũ, qui corporis ore ac dentibꝰ percipitur, aut crudũ, aut coctũ eſſe neceſſe eſt. Caro aũt Chriſti, vt ij ſomniãt, ore corporis, ac dẽtib. ſumitur: quare de illa nõ iniuria crudãne an cocta ſit quærimus. Nihil ergo habet Inconſtãtius, quod de noſtra interrogatione queri iuſtè poſsit.

OBIECTVM CVIII.

IN corpore, quod pro nobis tradebatur, nõ erant accidẽtia panis: Sed in ſacramento ſunt accidentia panis: Ergo, Sacramentum non eſt corpus Chriſti.

GARDINERVS.

In corpore Chriſti in Euchariſtia præſenti non ſunt accidentia panis: nemo id dixerit.

MARTYR.

RESpondet quidẽ paucis, ſed non minus leuiter, & nugatoriè, quã ſolet. Primũ quæritur de forma ſyllogiſmi. Sed nequid meritò poſsit amplius expoſtulare, argumentũ in formã reuocabo. ponamus ob oculos dominũ diſcumbentẽ in cœna, & coram Apoſtolis inſtituentẽ Euchariſtiæ Sacramentũ, oſtendamuſq; corpus eius, quod tũ oculis corporis ab aſsidẽtibꝰ cernebatur: ac dicamus, Hoc corpus nõ eſt ſub accidẽtibus panis & vini, & deinde digito indicantes panẽ conſecratũ, dicamus: Hoc eſt ſub accidẽtibus panis & vini: itaque Hoc corpus non eſt illud. Senſus enim ipſi docebant, alterum corpus eſſe ſub accidentibus panis & vini, alterum non eſſe. Quid hic nugatur Sophiſta de forma? Nulla eſſe poteſt forma euidentior: vti ad quam omnes propemodum aliæ formæ reuocentur. Appellatur enim in ſcholis ſyllogiſmus expoſitorius. Sed, quia videt ſe vi argumenti vehementer premi, concedit, Sacramentum non eſſe corpus Chriſti. Quid ergò nobiſcum tam diu litigat? Cur nos traducit pro hæreticis? Cur nobis perpetuò obtrudit verba illa domini, *Hoc eſt corpus meũ?* Certè dominus oſtenſo ſacramento, quod tenebat in manibus, dixit: Hoc eſt corpus meum.

Tandem fatetur, Sacramentũ per tropum esse corpus Christi. Quomodo ergo queri potest, si audiat se à nobis appellari Inconstantium? Nam hactenus semper ad rauim vsque clamauit, verba illa Christi intelligenda esse sine tropo: nunc autem nescio quo pacto, cum tropo redijt in gratiam. Et sanè in eo & nobiscũ conuenit, & cum Augustino alijsq; patribus. Nam Augustinus in Psal. 98 ita scribit: *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis: nec bibituri illũ sanguinẽ, quẽ effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramẽtum aliquod vobis commendaui.* Hic ergo Inconstãtius cum Augustino agnoscit tropũ. Quare nos posthac, cum idem dicamus, nõ debet appellare hæreticos. Nos enim etiam dicimus, panem Eucharistiæ cũ, hoc est Sacramentũ, figurata loquutione appellari corpus domini. Desinat ergo nobis obstrepere. Noster enim tropus magis multò cõuenit, & cum diuinis literis, & cum doctrina Patrũ, & cum ratione sacramentorũ, quàm ille, quem iste cõminiscitur. Quem autem, vt appellat, Rabbinum, authorem huius argumenti notat; & Atlantem faciat, qui solus hãc machinã sustineat, ipse viderit. Sed caueat ne rabie sua incitatus doctũ aliquem, & sanctũ virum, & longè se meliorem Rabbinum vocet. Nostræ autem causæ sciat nullo alio Atlãte opus esse. Ea enim satis verbo Dei sustinetur. Suæ autem causæ censeo vt robustum aliquẽ, & bene firmũ Atlantẽ paret, qui accidẽtia illa sine subiecto, pendula, & volatica, & haud dubiè alioqui ruitura, sustineat: idq; eo magis, quòd illa nullo præsidio verbi Dei fulciri possint.

OBIECTVM CXI.

SI panis mutatur, & fit corpus Christi, certè generatur. At non gencratur. Ergo non mutatur in corpus Christi.

GARDINERVS.

QVOD virtute diuina conficitur, mysterium, quoniam modum suum habet, quem mente & cogitatione nõ assequimur, tantũ abest, vt ἀκριβῶς explicemus ore, nõ est in verbis hærendũ, & de syllabis mouẽda cõtrouersia.

MARTYR.

MYsterium istud suę confectionis modum, qui diuinę sit virtutis, habere garrit: ideo que mirũ non videri, si ille ore ἀκριβῶς explicari nequeat. Itaque non est hærendum in syllabis. ista ferri possunt: non enim est cuiusuis facultatis instituere sacramenta. Neque etiam modum facilè intelligimus, quo spiritus sanctus sit in illis efficax. Quæ autem addit, ferẽda omninò nõ sunt. Sic enim ait, *Istud fieri corpus Christi in sacramento, nihil aliud est, quàm exhiberi: & fit corpus ex pane exhibendi ordine.* Quid ista sibi volũt? Quas tenebras iste loquitur? Quis vnquã mortalium audiuit, fieri, esse exhiberi? Si cuiquã licebit pro libi dine verborum significata mutare, redibim⁹ breui ad Chaos antiquũ, aut ad confusionẽ Babilonicam: vt cum vnũ petatur, aliud longè diuersum porrigatur. Quod nos dicimus Fieri, iste nos intelligere vult Exhiberi. & addit, corpus ex pane fieri exhibendi ordine. Nisi male diuino, hoc illum puto voluisse dicere, postquã panis eiectus est, succedere corpus Christi. Atqui Christus non ait, extrudi panem: sed de ipso pane ait, *Hoc est corpus meum.* Quod iste dum negat, ex absurdis, quibus obruitur, seipsum explicare non potest Hæc enim natura est mendaciorum, vt se ipsa vehemẽter impẽdiant. Quare iste cum veritati perspicuæ, ac dilucidæ nolit assentiri, mutationis genus inauditum cogitur statuere.

Transubstantiationem autem suam ait, *à modis mutationum in natura vsitatis longè dissidere. Hic enim quod mutatur, non supereſt.* Sed cum nec sacræ literæ, nec Patrum sententiæ in istos te laqueos necessitatis conijciant, vt cogaris leges naturæ violare, istas fictiones tuas, eò, quò dignę sunt remittemus. Illud autem hominis est supra modum impudentis, nos accusare ignorãtiæ, quasi modos mutationũ physicarũ nesciamus & putemus, omnes contineri sub generatione. Nec videt in argumẽto propositio mentionẽ tantum de generatione fieri. Hæc autem mutatio ab vniuerso grege Papistarũ ad corpus humanũ, id est, ad corpus Christi finitur, & absoluitur. Neq; prẽter generationẽ alia forma est mutationis, quà substantia finiat. Nam si vel ad quantitatem, vel ad qualitatem, vel ad locum Transubstantiationem suam vellent terminari: nos nunquam vocabulo generationis fuissemus vsi. Nostrum enim esse iudicamus, vti significatis vocum, vt vulgus solet, non autem, quod sibi permittit Inconstantius, pro nostro arbitratu abuti vocabulis.

Curijus. Transubstantiam dixi debere generari.

Postremò in calce explicat: imò, quid dixi, explicat? obscurat potius, & tenebris obducit sententiã, quam profitetur. *Mutatur*, inquit, *panis, quia non est quod erat.* Si roges, quod genꝰ hoc sit mutationis, procul dubio non habebit quid respondeat. Non vult esse corruptionem: quia ea sine generatione non potest intelligi: nec ostendere potest, quid generetur. Tantũ hoc ait, *perire substantiam panis, cuius, contra omnes naturæ leges, seruentur accidentia. Corpus*, inquit *Christi fit: quia in mysterio sub panis accidẽtibus iam adest: quod anteà erat, sed non aderat.* O portentosam, atq; inauditam implicationem verborum. Nunc fieri, nihil aliud est, quàm adesse. Quoties ergo Inconstantius aderit in conuiuio, vbi prius non erat, dicetur fieri. Prius enim erat: sed cum illis suis in conuiuio non aderat. Quod si verum est, Inconstantius eodem die potest fieri bis centies. Quotidiè enim multis locis potest incipere adesse, vbi anteà non fuerit. Oportuit istos prorsus omnem pudorem exuisse, qui putent sibi ita portentosa loquentibus homines posse conniuere. Citra omnem controuersiam mutatio ea, quæ terminatur ad corpus humanum, est generatio. Transubstãtiatio verò, vt isti dicũt, est mutatio, quæ corpus Chri-

sti habet pro termino: est ergo generatio. Superest ergo, vt nos Inconstantius doceat, quidnam ibi generetur. Quod cum non possit: ne- A cesse est, vt fateatur, Transubstantiationem esse negotium ambulans in tenebris: & eos, qui illam sequuntur, reuera nescire, quò eant.

OBIECTVM CX.

SACERDOTES, inquiunt aduersarij, conficiunt id, quod in Cœna domini comeditur, & bibitur: idq; aiunt esse Christũ Deum, & hominem. Ergo sacerdotes Papistici conficiunt Deum, & hominem. O blasphemias.

GARDINERVS.

A VERBIS conficiendi, & faciendi non abstinuerunt Patres Catholici.

MARTYR.

VIdetur mihi Inconstantius arbitrari, authorem huius argumenti verbũ illud *conficere*, posuisse pro Occidere aut perdere. Nam in eũ sensum optimi scriptores Latini verbo illo interdum vti solent: vt sententia sit, sacerdotes Papisticos in suis Missis Christum occidere, aut perdere. Quod si ita putarit, miror eum ista verba inter argumẽta enumerare voluisse. Est enim alluſio potius ad verbum Conficere, & faceta irrisio Papisticarum ineptiarum, q̃ argumentũ. Sed liberemus sophistã hac suspicione In proposita rõne sit verbum illud Conficere, positum pro perficere, cõplere, efficere. Nonne malè merebitur de Christo, qui dicat, eum à vestris sacrificulis perfici, compleri, effici? An cũ C corpus Christi ante annos mille quingentos factum fuerit, illud nũc quoque dicemus quotidiè efficiꝰ? Sed Patres ita loquuti sunt. Scio, atq; vtinam illi suis ἀκυρολογίαις multis erroribꝰ non dedissent occasionem. Verùm illi, quoniã sunt extra telorum iactum, quantum quidem possunt, per verbum Dei excusentur, & iusta ac sana interpretatione intelligantur. Certè, quod negari nõ potest, illi per corpus Christi sæpè Sacramentũ corporis Christi intellexe- D runt. Atque hoc pacto Hieronymus, alijque patres, corpus Christi confici, rectè dicere potuerunt. Ministri enim re vera ex instituto domini efficiunt eius corporis Sacramentũ. Verùm vos hoc prætextu vestram loquutionem defendere non potestis. Dicitis enim non Sacramentum corporis, sed ipsum verum, pro- B priumque corpus Christi fieri, & adesse inci. pere sub accidentibus panis. Quare, si Latinè velitis loqui, cum verbum illud, Conficere, nõ ad Sacramentum, sed ad rem ipsam referatis, non potestis effugere, quin dicatis, sacrificulũ vestrum efficere, complere & perficere ipsum corpus Christi. Quam blasphemiam vt euitetis, altera significatio illius verbi vobis magis fortasse conueniret: ita enim sensus esset, sacrificum vestrum in Missa corpus Christi, quantum in ipso est, occidere, & perdere. Quoniam enim blasphemijs tãtoperè delectamini, hanc posteriorem, quoniam est aliquantò illustrior, debetis illi alteri anteferre. De Emisseni autem sententia satis iam suprà diximus. Hæc ergo est argumenti nostri sententia: Quicunque dicunt, se conficere corpus Christi, nisi id intelligant de symbolis sacramẽtalibus, sunt blasphemi: Sacerdotes Papistici dicunt, se conficere corpus Christi, neque id referunt ad Sacramentum. Quare fieri non potest, quin sint blasphemi.

Quomodò Ecclesiæ ministri dicãtur corpus Christi conficere.

Patres persæpe dederũt occasionem errori bus, improprijs loquendi formis quibus vsi sunt.

OBIECTVM CXI.

CORPVS Christi crucifixum non erat factum ex pane: sed corpus quod sumitur in cœna, fit ex pane, vt aduersarij nostri dicunt. Ergo, corpus, quod sumitur in cœna, non est idem, quod fuit crucifixum.

GARDINERVS.

NVGATORIA est fallacia in ambiguitate.

MARTYR.

O Candidum disputatorem. Non minus detestatur Inconstãtius sophismata, quã ebriosus vinum. Vt apertius nobiscum agat, distinguere vult ambigua: sed ita, vt diligenter sibi caueat, ne fortè impingat in veritatem. Ait enim, *Si illud, Fieri ex pane, accipiatur pro eo, quod est, in Sacramento exhiberi, loquutionem eam posse recipi, qua dicimus, Christum cruci fixũ fieri ex pane. At si, Fieri ex pane, sit ex pane generari, negat ita Christũ crucifixũ ex pane, fieri: eũ enim tantũ esse factũ ex virgine.* O subtilitates exquisitas. Tanta est profunditas huius nugatoris, vt ego me fatear, nondũ eò peruenisse. Meis enim auribus inauditũ, & nouũ est, vt Fieri apud homines Latinè loquẽtes, sit aliquid sub accidentibus exhiberi. Et sanè quid mirum, si ista nesciã? A quo enim ea quæso, didicerim? Si vel vnus quispiã ex omnibus Grãmaticis, Rhetoribus, Dialecticis, philosophis vnquã ita loquutus sit, Inconstantius, vt semper sibi visus est, sapientissimus. Sed quid verbis opus est? Tantisper, dum iste nouũ suum modũ faciendi nobis probauerit, non erit nefas opinor, si eum repudiamus, vt ineptum, & conuictum, & nugatorium.

Quod autem addit, *Cum corpus Christi crucifixi fieri dicitur ex pane, Ecclesiam id accipere in hanc sententiam, Panem Christi verbis in eius corpus conuerti:* velim, curet, vt hic sensus subsidio aliquo verbi Dei fulciatur. Ecclesia enim, cum & appelletur, & sit sponsa Dei, tantum ex eius ore, & verbo loquitur: neq; voces peregrinas, aut sensus alienos facilè admittit. Sed vt res effi-

ciatur magis perſpicua, poſſumus etiam hîc vti ſyllogiſmo expoſitorio. Nam ſi demonſtremꝰ corpus Chriſti pro nobis crucifixum, & Sacramentum Euchariſtiæ, & de iſto dicamus, Hoc factum eſt ex pane: de altero verò, Hoc non eſt factum ex pane: ſequetur neceſſariò, Hoc non eſſe illud. Atque hæc erit dialectica, & rectè, atque ordine facta concluſio. Iam verò diuinæ literæ teſtantur, corpus Chriſti ſumptum eſſe ex Virgine: Inconſtantius autem negare non poteſt, Sacramentum fieri ex pane. Quare non video, quid amplius poſsit cauillari.

OBIECTVM CXII.

SI corpus Chriſti crucifixum non ſit factum ex pane: & corpus Chriſti crucifixum idem fuit cum eo, quod ſumebatur in cœna: ſequitur, corpus Chriſti, quod ſumebatur in cœna, non fuiſſe factum ex pane.

GARDINERVS.

ISTVD eſt verbis ludere, vt tam ſublimi myſterio illudatur.

MARTYR.

AIT, Factum eſſe, non ſemper ſignificare generationem. Eſto. Id enim familiaris hominum ſermo ſatis docet. Poteſt enim aliquis fieri aſſentator, aut ſophiſta, cum tamen interim non generetur. Hæc omnia facilè largimur. At ſi ſtatuas, corpus, quod eſt in genere ſubſtantiæ, eſſe terminum factionis, ea velis, nolis, erit generatio. Deliberet nunc Inconſtantius, quē terminū ſuæ Tranſubſtantiationi velit ponere. Sed quid quæro? Ipſe diſertis verbis teſtificatur, *eam eſſe mutationē qua panis vertitur in corpus Chriſti.* Quare, etſi factio pertinere poſsit ad varia genera mutationū, tamen, quoniam ipſi dicunt, ex pane fieri corpus Chriſti, ea mutatio non poteſt non eſſe generatio. Terminatur enim, vt dixi in ſubſtantiam. Mox Inconſtantius pro ſua humanitate, authorem huius argumenti virulētiſsimo dente proſcindit. *Nam idem*, inquit, *qui iſtis impiè luſit, ex catholico factus eſt hæreticus, non generatione quidem refictus, ſed malitia occæcatus.* Atqui fieri poteſt, vt Incōſtantius, qui oculis iam defecatiſsimis viuit in Papatu, neque ſe patitur ab Euangelio Chriſti occæcari, non videat, eum, qui ex orthodoxo, & catholico factus ſit Papiſta, mutari, nō quod attinet ad ſubſtantiam, ſed quod ad animi qualitates: eoque illum, vt loquuntur in Scholis, alterari magis, quā generari. Sed cum ipſe dicat, panem, qui eſt ſubſtantia, mutari, & corpꝰ Chriſti fieri, quod etiam ipſum eſt ſubſtantia, neceſſe eſt vt fateatur, aut eam eſſe generationem, aut ſe ignorare, quid ſit generatio. Quare aut terminos Tranſubſtantiationis ſuæ mutet, aut fateatur eſſe generationem.

Qui ioci & ſales non cō ueniant in cauſis agendis.

Exemplum verò, quod adfert, tam alienum eſt ab hac re, quæ nunc agitur, vt ne ipſe quidē id potuerit diſsimulare. Veritas inuitum tra-

xit, coegitque confiteti, ſe exemplo à cauſa, quā ſuſceperat, alieno vſum eſſe, ſatis tamen conuenienti ad hominem deſignandum: in quo, Factum eſſe hæreticum, qualitatis mutationē ſignificet, eadem manente ſubſtantia: vt alius ſit factus abſque generatione noua. Ego verò, Inconſtanti, ſemper audiui, oportere in cauſis agendis iocos, & ſales eius eſſe generis, vt in eum ipſum, qui iecerit, retorqueri non poſsint. Nam & ſuperuacanei ſunt, & riſum in autorem mouent, & cauſam lædunt magis quàm iuuāt. Hoc conſilium quàm tu prudenter ſequutus ſis, mecum paulum perpendito. Pium, & ſanctum virum, qui hoc argumentum confecit, discis ex Catholico factum eſſe hæreticum. At ille eius criminis, cuius à te iniuſtiſsimè accuſatur, te veriſsimè poteſt cum ſummo bonorum omnium conſenſu inſimulare. Tu diu ortiū Henrici Regis, quod non ita pridem probauiſti, & Romæ vt firmum, ratumque haberetur, pro viribus curauiſti: illud nunc in huius Reginę gratiam deteſtaris. Tu tyrannidem Antichriſti Romani, quam ante viginti annos non tantùm conſilijs, ſed etiam edita publica declamatione exagitaſti, eandem nunc reſtituis, & quibuſcunque potes rationibus, & artibus corroboras. Tu ergo nunc ipſe vide, in tēne magis illa exempla conueniant, an in authorem huius argumenti. Noſtra autem ratio, vt magis perſpicua videatur, eſt huiuſmodi: Corpus, quod fuit crucifixum, non erat factum ex pane. At corpus, quod erat crucifixum, ſumitur in Cœna: Ergo corpus quòd ſumitur in Cœna, nō eſt factū ex pane. Eſt ſyllogiſmus in tertia figura: & vim habet ſyllogiſmi expoſitorij. Singulare.n. quiddam eſt corpus Chriſti crucifixum, quod in vtraque propoſitione demonſtratur.

Inconſtātia Gardineri.

OBIECTVM CXIII.

SI corpus Chriſti, quod ſumitur in Cœna, ſit idem cū eo, quod crucifigebatur: & illud corpus, quod ſumitur in Cœna, factum ſit ex pane; neceſſe eſt, corpus Chriſti, quod crucifigebatur, factum fuiſſe ex pane.

GARDINERVS.

OTIVM hominis beatum, in quo iſtis cauillis concinnandis vacetur.

MARTYR.

NOn eſt, mihi crede, otioſorum hominum, errata ita craſſa cōtra verbum Dei ad populū traducere, eaq; omnibus ex partibꝰ excutere, & patefacere, vt homines turpiter decepti, & ſeducti redeant aliquando in viam, & profanas loquutionū deformitates, quas ab iſtis magiſtris didicerūt, agnoſcant, & fugiant. Alioqui cur non Orthodoxos etiam Patres di-

cis fuisse otiosos, cum tot formis, & generibus argumẽtorum idem re ipsa significantibus Arrianos confutarunt? Et certè error iste vester de Transubstantiatione, multò propius accedit ad Arrianorum dogma, quàm quisquam facilè putet. Vt enim illi vi maxima contendebant, Filium Dei, hoc est, naturam diuinam Christi factam esse ex non extantibus: ita vos hodie clamatis, corpus Christi affixum cruci factum fuisse ex pane. Non est igitur otij, Inconstanti, sed Ecclesiasticæ curæ, & solicitudinis, pestes istas, quantum maximè possumus, ex animis hominum fidelium eripere. Sed isti sententiæ vestræ, qua dicitis, corpus Christi fieri ex pane, pulcrum, si Deo placet, commentum obducis, & commodè ad tuum illud, Exhiberi, redis: videlicet, corpus Christi crucifixum exhibuisse se Discipulis in cœna sub accidentibus panis & vini. Ego verò illam exhibitionem, quæcunque sit, missam facio. Hoc dico plusquam absurdissimum esse, Corpus Christi, quod olim ex humore, ac substantia Virginis factum fuerit, nunc rursus ex pane generari: quodq́ue olim genitum fuerit, id nunc denuo vera & substantiali mutatione regigni. Nã si panem corpus Christi, hoc est, Sacramentum eius corporis fieri diceres, facilè ad sententiã tuam accederemus. At cùm velis veram & realem Transubstantiationem defendere, non possumus in eo errorem tuũ, tam crassum prętertim, dissimulare. Dicis enim corpus Christi factum esse ex pane: ex quo sequi necesse est, corpus Christi non fuisse verum corpus. Non est enim humani corporis, fieri ex pane.

Transubstantiatio accedit ad Arrianorũ dogma.

Sed ridiculo vsus es exemplo, quo nos putabas facilè posse cõfutari. Ais enim, hoc argumẽtum: *Corpus, in quo Christus versatus est cũ discipulis, idẽ erat cum corpore Christi crucifixo: sed corpus Christi, in quo versabatur, transfiguratum est coram discipulis: Ergo, corpus Christi crucifixum transfiguratum est* hoc, inquam, argumentum ais esse non dissimile nostri. Primùm hoc te scire velim, & in crucifixione, & in trãsfiguratione idem fuisse subiectum. Eadem enim substantia corporis Christi & affixioni, & transfigurationi pro diuersis temporibus suberat. At in vestra Transubstantiatione longè aliter accidit. Nam panis, vnde fieri dicitis corpus Christi, prorsus aufertur, & quod ad substantiam attiner, ad nihilum redigitur. Deinde affixio ad crucem, & transfiguratio, sine controuersia sunt qualitates: itaque mutatio, quæ in illas dirigitur, alteratio appellatur. Ea pro temporum ratione, & varietate suas habet vicissitudines. In Transubstantiatione autem nec quantitas, nec qualitas, nec locus notatur pro termino, sed substãtia ipsa corporis Christi. Exemplum ergo istud, quod tu ita simile putabas, vides nunc dissimile longè esse, & alienum. In summa, nos non ambigim⁹, idem corpus quadam successione recipere posse diuersas qualitates. At ex pane fieri, & ex pane non fieri, constanter affirmamus de eadem re non posse dici. Neque temporis diuersitas causam tuam quicquã iuuat. Idem enim corpus, vtque dicere soletis, numero idem, vt modò ex substantia matris, modò ex pane generetur, nulla ratione dari potest. Ea enim, quæ sunt eadem numero, eadem etiam habent generationis suæ principia. Hoc igitur est argumentum nostrum: Corpus, quod sumitur in Cœna, vt vos ipsi dicitis, fit ex pane: Corpus Christi crucifixũ sumitur in Cœna, quod vos etiam affirmatis: Ergo corpus Christi crucifixum fit ex pane. Iam si vos absurdæ conclusionis puder, id remouete, vnde oriatur conficitur.

Quæ sunt eadem numero, habent eadẽ generationis principia.

OBIECTVM CXIIII.

SI corpus Christi in sacramento fit ex substantia panis & vini, & idem corpus conceptum fuerit in vtero Virginis: necesse est, vt corpus Christi in vtero Virginis factum fuerit ex pane & vino.

GARDINERVS.

IACTAT hic sophista, quantum valeat reductionibus.

MARTYR.

QVeritatur Inconstãtius, rem indignã esse, quæ toties ventiletur: & ait hîc à nobis, nescio quas, reductiones, & sophismata iactari. Sed longè errat. Dignissimus enim erat tã fœdus error, qui omnibus modis ab omnibus opprimeretur: vt quãmaximè omniũ oculis pateret, quàm absurdum sit, quod vos igne, ferroq́, (nam scripturis non potestis) defenditis, Verum Christi corpus inuolui, & latere sub accidentibus. Quare nulla hîc, vt tu calumniaris, ostentatio quæritur: sed tantũ eiusdem rei exhibetur varia & dilucida tractatio: vt vestris latibulis, & suffugijs nullus relinquatur locus. Deinde id etiam cauillaris, *quod, Fieri ex Virgine per generationem, confundamus cum eo quod est, ex pane fieri per conuersionem. Sunt* inquis, *isti duo modi longè diuersissimi. Quare distinguere eos oportuit, nõ permiscere. Nam quando corpus Christi à se atque à suis dicitur fieri ex pane, non agitur,* inquis, *de materia ex qua consistit, sed tantùm ordo cõuersionis attingitur: quoniam ex conuersione materiæ illud corpus fit nobis præsens.* Nõ sumus adeò rudes vestrarum fictionum, Inconstãti, vt non intelligamus, quid velitis. Ex physica disciplina olim pueri didicim⁹, id quod generatur, fieri ex materia subiecta, & ex priuatione, & particulã Ex vt adiũgitur priuationi, ordinẽ tantũ indicare, quo forma, quæ in lucẽ editur, sequi post sui priuationẽ demõstretur. Hæc nos Dei beneficio non nescimus. Cur ergo, inquis, ista non distinguitis? Dicam: quia forma illa vestra loquendi hoc non patitur: idq́ue duplici de causa: primùm quia non dicitis, corpus Christi fieri ex non corpore Christi, vt intelligatur ex priuatione fieri, &

Nota de præpositione Ex

præpositionem illam Ex, tantùm notare ordinem. Sed dicitis, corpus Christi fieri ex pane: quæ loquutio indicat, panem esse materiam. Ita enim dicitis, ex ligno ignem, ex vaporibus pluuiam, ex sanguine carnem fieri. Et tamen cum ita loquamini, materiam panis vultis abijci. Omnes sciunt, ex indocto fieri doctum: ex inope diuitem: & his loquutionibus ordinem solùm ostendi. Eum enim qui prius inops, aut indoctus fuerat, intelligimus diuitem, & doctũ fieri. At ex pane si fiat caro, nemo dicet panis materiam abijci, sed retineri. Quòd si vos non vultis ita loqui, vt nos loquimur, cur requiritis, vt nostras distinctiones ad vestras loquendi formulas adiungamus? Deinde etiam si ita facere velimus, inepti etiam habendi simus? Quicquid enim distinctione aliqua in partes diducitur, si id extet vspiam, & in rerum natura inueniatur, id in ea, quæ sint, non in fictiones distribuitur. Quis enim animal distrahat in Cẽ taurum, Chimæram, auem, piscem? Nemo, opinor, sanus. Nam Centaurus, & Chimæra, cum nihil sint, partes animalis esse nõ possunt. Ita nemo debet à me exigere, vt mutationem, qua res vna in alteram verè conuertitur, ita diuidá, vt dicá vnũ eius genus esse, quod habeat materiã subiectam: alterum, quod non habeat. Quis huiusmodi diuisionem non rideat? Nam mutatio illa sine subiecto, quam pono pro altero membro, nusquam extat. De ea loquor, vti proposui, qua dicitur quippiam in aliud conuerti. Scio enim creationem subiectam materiam non habuisse: sed ea non est mutatio, qua quippiam in aliud conuertatur. Quare nos hic omissæ distinctionis culpam sustinere non debemus. Ratio verò proposita syllogismo expositorio comprehenditur. Sic enim instituemus argumentum: Hoc factum est ex pane: Hoc factum est in vtero virginis: Ergo quod factum est in vtero virginis, factum est ex pane.

Quid requiratur ad iustam distinctionem.

OBIECTVM CXV.

CORPVS Christi in vtero virginis non erat factum ex pane & vino: sed Corpus Christi in Sacramento fit ex pane & vino: Ergo corpus Christi in Sacramento non est idem, quod conceptum est vtero virginis.

GARDINERVS.

QVAS fallacias scholæ in homine, & asino solebant exprimere, puerorum videlicet progymnasmata, hic in Dei & hominis mysterio expugnando referuntur: non ferenda certè licentia si vigerent mores.

MARTYR.

NOn esse ferendum, inquit, *si vigerent mores, vt scholarum fallaciæ, ad illudendum sacro mysterio adhiberentur.* Illi ego duo respondeo: Primũ, nos sacro mysterio non illudere, sed illud eo honore, quo debemus, prosequi. At si Papistarum fictiones, impostura, & audacias liberius quidem, & apertius interdum, multò tamen patientius & mollius, quàm oportuit, exagitamus, non debent id ita molestè ferre. Hoc potius cogitent, quanta sit nequitia, hominum cõmẽta, & vt lenissimè dicá, meras nugas obtrudere populo pro verbo Dei. Quid non ausi sunt sancti prophetę in idola? Quàm acerbè iocatur Elias in Baalem? illum aut peregrinari, aut esse in diuersorio, aut fortè etiam dormire? Itaque clamoribꝰ maioribus opus esse. Quoties idololatriam appellent fornicationem & adulteriũ? Quoties idolá illa dicunt habere oculos, manꝰ pedes: tamen nec videre posse, nec tangere, nec ambulare? At Inconstantius ferre non potest, vt quisquam contra commentitiã, & idololatricam illam suam Transubstantiationem mutiat. Argutias Dialecticas, si Deo placet, calũniatur. At qui eas, si velit excutere, inueniet veritate niti, & verbo Dei. Quid multa? Nos nõ sanctæ Eucharistiæ, sed istorum mendacijs & otiosissimis commentis illudimus, ut oculos piorum hominum, quod semper hactenus fecerunt, nõ amplius possint occæcare. Alterum est, si mores vigerent, quorum iste seueritatem tantopere videtur optare, nihil minus liceret, quã Ecclesiam peregrinis, & confictis dogmatis onerare. Ea enim, si quo fortè malo genio, aut tristi casu nascerentur, omnes pij statim coniunctissimis animis, & sententijs exibilarent. Id enim est, vt Paulus ait, *malum è medio tollere.* Quare Inconstãtius suis istis puerilibus quiritationibus nihil promouet.

Prophetæ multa falsa & ridicula dixerunt in idola.

Sed videamus porrò, quid solidi afferat. Postulat nos intolerabilis insciticę, qui cõtorqueamus scripturas, & videre nõ possimus varietatem & discrimen eiusdem verbi: nos enim verbum illud, Facere, semper trahere ad generationem. Respondi iam anteà, nos non ita cæcos esse, vt non videamus, quod nam discrimen in illa voce fabricentur. Sed eiusmodi distinctio non potest dari, nisi illi alterum eius membrũ, de quo nunc altercamur, probauerint. Partitiones enim perspicuitatis, non tenebrarum causa inuentæ sunt. Statuere autem mutationem ex pane, quæ exeat in corpus Christi, non esse generationẽ, quomodo tandem possum? Kursus, talem ponere mutationem, quæ subiectum suum profliget, & ridiculum & alienum, est. Ad hæc exemplo suo rursus insanit, eaque euertit, quæ anteà posuerat. Sumit enim sibi, in ista sua beata Transubstãtiatione subiectum non manere. Et citat illud Pauli: *Dicentes esse esse sapientes, stulti facti sunt.* Hic ait, homines manere eosdem, qui cum sibi videantur sapientes, facti sint stulti. Exemplũ placet. Sed cum in illa sententia Pauli homines ijdem maneãt, cur isti panem abijciunt? Deinde istius mutationis quam adfert ex Paulo, videmus finẽ esse stultitiã, hoc est, qualitatẽ. At isti terminũ Transubstantiationis esse volunt substantiã, hoc est, corpus Christi. Quatenus ergo hũc mutationi suę statuunt terminũ, necesse est, vt eam dicant esse

esse generationē: quatenus autem eam volunt A do, præsertim si de illis, quæ numero sint eadē
cerere subiecto, in què ferre non debent, si eam disputetur. Et certè, quod quidem ad substan-
nos appellamus fictionem: præsertim cùm ter tiam attinet, quomodo potest res eadem nume
minum, ex quo fiat, fateantur esse panem. Neúe ro fieri non eodem modo? Neque enim potest
longiores simus, quàm sit opus, hoc illud est, in nostra disputatio transferri ad mutationes ac-
quo superiora aliquot argumenta consumun- cidentium: cum istorum Transubstantiatio ha
tur: ea, quæ sint eadem, fieri etiam eodem mo- beat pro termino substantiam.

OBIECTVM CXVI.

CHRISTVS natus ex vtero Virginis secundum corpus, & ex nulla alia substantia factus est, quàm ex substantia matris. Sed corpus Christi in Eucharistia factum est ex alia substantia, nimirum, ex pane: Ergo, est alterum corpus Christi, non autem idem, & vnum.

GARDINERVS.

NON videt hic argutator, quantum interſit, fieri ex alia ſubſtantia, quaſi antèa non ſit: & fieri ex ſubſtantia, quæ conuerſione deſinat.

MARTYR.

RESpondet Inconstantius, *nos non videre,* B *quid interſit inter fieri ex aliqua ſubſtantia quippiam, quod antèa non fuerit: & fieri ex ſubſtantia, quæ ex conuerſione deſinat: vt quod antè factum erat, nunc non eſſe incipiat. ſed addeſſe.* Deinde istam distinctionem accōmodat ad Christum. *Is,* inquit, *vt eſſet homo, factus eſt ex ſubſtantia Virginis integro homine aſſumpto. Vt verò factus iam ex muliere fiat nobis præſens, conuerſio fit admirabilis ſubſtantiæ panis, non ex qua fiat, ſed quæ in illum trāſeat.* In his verbis tria paucis annotabimus. Primū, nos istam distinctionem rectè intelligere, sed C illam nolle dare, nisi alterum eius mēbrum ab Inconstantio probari possit, aliquid videlicet fieri ex substantia, quæ prorsus cōuersione esse desinat. Hic enim modus mutationis, cùm ab istis suffugij causa proponatur, nullo autem verbo Dei, aut exemplo, aut Patris cuiusquam testimonio comprobetur, irridendus potius est, quàm credendus. Et sanè, cùm scripturæ toties dicant, Christum, factum ex muliere, natū ex Virgine, ortum ex semine Dauid, mirum est, nunquam illas dixisse, Christum factum ex pane. Quod haud dubiè dixissēnt, neque enim erat ita difficile dictu, si id inter veritates Christianas fuisset numerandum. Quod autem vlti mo loco dicit, Panem transire in corpus Christi, qua constantia dicat, ipse viderit. Nam, quod esse desinit, quomodo abit in corpus Christi? Profectò si Papistarū delirium sequi volumus, Panis nō in corpus Christi abit, sed in nihilum. Nam si abiret in corpus Christi, eius substantia non periret, sed corpore Christi succedente manens perficeretur: quemadmodum accessione formæ materia fit perfectior, & melior.

Scripturæ nusquā dixerūt Christum factū ex pane.

OBIECTVM CXVII.

SACRAMENTVM est Transubstantiatio: sed id, quod accipimus in Cœna, est sacramentum: Ergo id, quod sumimus in Cœna, non transubstantiatur.

GARDINERVS.

QVI Sacramentum Euchariſtiæ, quoad eius poteſt, explicant, ſacramentum, & rem ſacramenti, quæ in hoc myſterio eſt, verum corpus Chriſti notant.

MARTYR.

Cicero. CIcero scribit ad Trebonium, sua facetè dicta illo narrante fieri venustissima. Ego verò dicere possum, argumēta, quæ à suis authoribus, rectè fuerant proposita, Inconstantio referente, fieri ineptissima. Ausim. n. dicere, neminem vnquam nostrūm, vsum esse hac propositione: Sacramentum non esse Transubstantiationem. Potest autem fieri, vt aliquis ita dixerit, Sacramentū non esse rem transubstantiatā, cùm id nec natura sacramenti probet, nec scriptura restetur, nec Patres doceant, nec sen- E suum experientia coarguat: aut ita fortasse, Ad efficiendū Sacramentū non esse opus transubstantiatione. Atque ita rectè, ac ordine concluditur: Sacramentū, quod sumimus, nec cōstat, nec factū est Transubstantiatione: Ergo, panis, quē sumimus, non transubstantiatur. Minorē D verò propositionē ait esse mutilam: Catholicos enim dicere, eos, qui cōmunicent, rem ipsam sacramenti manducare. Non dubito, Inconstantiū rem sacramenti corpus Christi appellare: quod neq; ore corporis, neq; omninò à malis recipi supra satis fusè probauimus. Quoniam autem queritur, nescio quid, de forma argumēti, illud quoq; quàm sit efficax, sic ostendo. Quicquid nec fit, nec constat Transubstantiatione, id non transubstantiatur: Sacramentum, quod sumimus in cœna, non constat, neque fit Transubstantiatione: Ergo sacramentum, quod in Cœna sumimus, non est transubstantiatum. Maior propositio est satis clara. Minorem, nisi quis eam nobis extorqueat è scripturis sacris, retinebimus vt veram. Conclusio ergo nostra rectè, & Dialecticè conficitur.

OBIECTVM CXVIII.

SI Accidentia panis manere vnà possunt cum corpore Christi, cur non potest

etiam ſubſtantia? Quid enim dignitatis, aut priuilegij habent accidentia, quod ſubſtãtiæ non poſsit conuenire? Certè ſubſtantia creatura dignior eſt, quàm accidentia.

GARDINERVS.

ISTA ſunt irridentis, & Myſteriſmo inſultantis Catholicam fidem.

MARTYR.

AD hãc rationẽ, qua ſe videbat valde vrgeri, Inconſtantius duo reſpondet, *Primũ, nõ eſſe adſcribendum gratiæ, aut dignitati elementorum, quòd ad vſum ſacramentorum aſſumuntur. Et idcirco videri mirũ non debere, ſi corpus Chriſti maneat cum accidentibus potius, quàm cum ſubſtantia.* Alterũ eſt, *ſubſtantiã panis, quæ elementum eſt myſterij, non ob id ſubire deteriorẽ conditionem, quàm accidẽtia, quòd admirabili conuerſione cedat cœleſti ſubſtantiæ corporis Chriſti. Accidentia. n. quãuis maneant, tamen innumerabilibus exponi caſibus, ſcilicet, ne aut à muribus, aut à canibus deuorentur. Panem autem illos caſus, quoniam cedit corpori Chriſti, facilè euitare.* Hoc primum nobis cum aduerſarijs conuenit, non eſſe diſputandũ cum Deo ex dignitate creaturarũ, cur ad Sacramenta hanc potius voluerit admouere, quàm illam. Poſtquam autem Chriſtus iam panem adhiberi iuſsit ad Euchariſtiã, & eius panis natura conſtet & ſubſtantia, & accidẽtibus, non à Deo, ſed à vobis, qui hæc iniuſsu Dei diſtrahitis, quærimus, cur vobis accidentia magis placuerit retinere, quàm ſubſtãtiam. Hanc autem quæſtionem tibi ita moleſtam, aut grauem videri non oportuit: præſertim, cum patres non grauati ſint rationes aſsignare cur hoc Sacramentum conſtet magis pane & vino, quàm vllo alio rerum genere: nimirum, quòd illorum ſubſtantia conſtet multis frumenti granis, & vuarum acinis: quodque illis maximè alamur, confirmemur, exhilaremur. Iſtas vos illorum rationes, cum excluditis ſubſtantiam, & ſola retinetis accidentia, eneruatis, & euertitis. Quare cum vos, vos inquam, ſoli authores ſitis huius diſtractionis, nõ immeritò à vobis quæri m⁹, cur hoc poti⁹, quã illud ſtatuere volueritis.

Non eſt ex dignitate creaturarũ quòd adhibeantur ad Sacramẽta conficienda

A Ad alterum autem quod attinet, miror, ſi quis tibi velit aſſentiri, aut melius, aut ſaltem par eſſe, redigi in nihilum, atque varijs caſibus & periculis exponi. Ita enim melius multò eſſet ſtatim emori, quàm in iſtis calamitatibus, quibus vita humana iactatur, relinqui: quamuis de altera vita ſpes omninò nulla eſſet. Vnde ſapiens Eccleſiaſtes ait, *meliorem eſſe canem viuũ leone mortuo*. Ego quidem neminem eſſe arbi- B tror, qui non iudicet, res multò meliori ſtatu eſſe, dum ſunt, quamuis periculis aliquibus non vacent, quàm cum prorſus perierint, & omnino nihil ſint.

Poſtremò videndum eſſe ait, quid ex myſterij huius veritate confiteamur re vera manere. Quaſi verò ille ex ratione myſterij duxerit argumenta, quibus Tranſubſtantiationem ſuam confirmaret. At ego Lectorum prudentiæ ita non diffido, vt quenquam illorum vnquam futurum putem, qui non videat, in hoc argumento aquam hæſiſſe Inconſtantio. Is enim cum ni- C hil quicquam haberet, quod ad percunctationem ſolidè reſponderet, ad alia quædam prorſus παίρεργα, & ad inſtitutum nihil facientia, vt ſolet, deflectere voluit. Ex illis autem verbis, quæ nuda tantùm propoſuit, huiuſmodi conficimus argumentum: Ea quæ adiuuant rationem Sacramenti, nihil autem impediunt, ab eo non debent remoueri: Subſtantia panis adiuuat rationem Euchariſtiæ, nihil autem eam impedit: Ergo non debet remoueri. De maio- ri non poteſt ambigi: Minor ex eo confirma- D tur, quòd accidentia panis nihil efficiant in Euchariſtia, quod eius ſubſtantia non poſsit præſtare multò cumulatius.

OBIECTVM CXIX.

CHRISTVS vocauit panem corpus ſuum, quòd corpus illius repræſentet, non quòd ſit ipſum realiter, aut in eius corpus tranſubſtantietur.

GARDINERVS.

ISTVD commentum cum ſimplicitate verborum Chriſti non cohæret.

MARTYR.

VIderi vult Inconſtantius ſtudioſus ſimplicitatis verborũ. At quorũ? Horũ videlicet quinq; tantũ, *Hoc eſt enim corpus meum*. Reliqua verò omnia ita contorquet, delũbat, incidit, infringit, vt ne vmbrã quidẽ veri, ac ſimplicis ſenſus reliquam faciat. Quã autem iſti nobiſcũ agant ſimpliciter, noua iſta cõmenta Tranſubſtantiationũ, Concomitantiarum, Accidentiũ ſine ſubiecto, Quanti ſine modo quanti, corporum ſine loco, & alia multa ſimilia, ſatis indicant. Hæc omnia quantã ſimplicitatem & candorẽ præ ſe ferant, Lectorẽ ſecum ipſum cogitare malo, quã ex me audire. Deinde armat ſe verbis Chryſoſtomi ex homilia 83. in Matthæum. Is autẽ ait, *Chriſtũ nihil dediſſe ſenſibile*. Atqui ſi Chriſtus id manib. porrigebat, quod erat viſibile, vt ipſe cõfiteris, & ſi in reb. ſenſibilib. tradidit ſpiritualia, vt Chryſoſtomus ait, quẽ tu locum ſimpliciter & cãdidè præterijſti, quomodo abſolutè ais, illum nihil tradidiſſe ſenſibile? Deinde, ſi verba illa Chryſoſtomi neceſſariò euincãt Tranſubſtãtiationẽ, cũ eadem ſtatim accõmodet ad Baptiſmũ, neceſſe eſt, vt dicas, ibi quoq; aquam tranſubſtantiari. Audi. n. Chryſoſtomũ ipſum, quid dicat. *Nihil*, inquit, *ſenſibile traditum nobis à Chriſto, ſed rebus ſenſibilib. Omnia verò, quæ tradidit, inſenſibilia ſunt. Sic et in Baptiſmo per aquam, quæ res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur*. Quid tibi iam videtur, Inconſtãti? Delibera paulũ, vtrum in Baptiſmo quoq; velis aquã tranſubſtantiari. Si nolis, id. n. te[illegible]uto reſpõſurũ, deſine poſthac nobis iſta verb[illegible]hryſoſtomi obiectare. Illa enim

ex æque

ex æquo non minus ad Baptismum pertinent, quá ad Eucharistiam. Quid autem Chrysostomus sibi voluerit, cum ita loqueretur, non est difficile exponere. Non ita vtitur vocabulo illo Nihil, quasi significare velit plenam vniuersitatê. Id satis ostendit, cũ addat, *In rebus sensibilib.* Nã illæ vnà tradebantur. Sed illud Nihil, ad præcipuũ scopum actionis refert: spectatq; significatũ illorũ verborũ, *Hoc est corpus meũ*: quib. nihil aliud significatur, nisi res ipsa quæ cũ præsens non adsit, sentiri non potest. Ea tamẽ & verbis, & symbolis indicatur, vt eam cómunicantes fide atque animo complectantur. Non ergo hoc sensit Chrysostomus, Panem in cœna non dari, non magis, quàm aquam nõ dari in Baptismo: sed mentem nostram ad scopum præcipuum actionis, & ad symbolorum, verborumq; significata esse attollendam. Nam illi certè nihil sensibile traditur in mysterijs percipiendum. Quare sententia ista Chrysostomi, nisi eam ad animum & ad fidem referas, vera esse non potest. Corpus enim, & os Communicantium indubitato sumit panem & vinum. Animo autem & fidei nihil sensibile porrigitur.

Quomodo Chrysostomus vtatur particula Nihil.

Quoniam autem Chrysostomus paulò antè dixerat, Verbum Christi non fallere, quamuis sensus sæpissimè fallantur, ait Inconstantius, *illa verba prorsus esse otiosa, & intempestiua, si in pane nihil aliud fit, nisi corporis Christi significatio.* Imò opportunissima erat illa admonitio. Noluit.n. quenquam arbitrari Sacramentalem significationem esse superuacaneam, aut vanam, sed efficacem, & magni momenti, ac ponderis. Illam.n. magno cum fructu illud ipsum exhibere menti, quod promittitur: nimirum, corpus Christi, quod nostra causa traditum est in crucem. Addit prætereà, *Si Christi verba intelligenda essent per significationem, Christum ipsum voluisse nos ab errore liberare, & verba illa, Figuram, aut signum disertè exprimere. Quod cum ille non fecerit, nihil esse, cur nos ista nobis frustra fingamus. Idq; ait patres diligenter annotasse, Christum scilicet non dixisse, Hoc est figura corporis mei.* Quòd si Christus, quoties habuit sermones, qui per significationem essent intelligendi, admonuisset ea de re auditores, speciẽ fortasse aliquam habere posset commentum istud Inconstantij. At cum id alibi sæpè præterierit, quid miramur, si idem hoc etiam loco fecerit? *Ego*, inquit, *sum vitis: Ego sum ostium: Vos istis palmites: Vos estis sal terræ: Vnus ex vobis diabolus est.* Et quod ad patres attinet, multo ex illis plures sunt, & antiquitate, doctrinaque longè præstantiores, qui figurã in illis verbis Christi agnoscant, quã qui negent. Quiq; figurã negãt, quo illi id animo, & sensu dixerint, alibi docuimus. Et si ita ad amussim exigere vultis verba Christi, cur vos ab ea tãtopere discedit is? Christus.n. nõ dixit, panẽ transubstantiari: nõ dixit accidentia sine subiecto remanere. Quid quòd ne Patrũ quidem quisquam ista vnquam docuit? Vos soli omnia huiusmodi commentis impleuistis. Sed quoniam tanti facitis verba Christi, permittite nobis vicissim dicere: Si Christus voluisset nos ista portenta credere, ea diserè, & apertè docuisset, & nos ab istis erroribus liberasset. Auferista argumenta, quæ non tibi magis, quàm nobis inseruiunt. Sacramentũ autem istud à primis statim incunabulis Ecclesiæ ita fuisse abditum & recõditum ab oculis fidelium, quis tãdem possit credere? Scimus enim, omnibus initiatis rem eam ita fuisse notam & familiarem, vt Patres in popularibus concionibus contra Marcionem, Nestorium, Euthychetem, & alias eiusmodi pestes non aliunde probabiliora duxerint argumenta. Id autem, vnde tanquam à principio, rationes ducuntur, præsertim ad populum, non debet esse obscurum. Fructus quidem, & efficacia, & vis spiritus sancti multos fortasse latere potuit. Natura tamen mysterij omnibus semel baptizatis perspicuè in Ecclesia proponebatur.

Hic autem sycophanta ita nos traducit, quasi mysterium redigere velimus in ordinem cõmunis sensus, quod sola, nuda, & exquisita fide possit comprehendi. Ego quidem istum arbitror, non satis quid dicat intelligere. Quí enim videri possunt illi Eucharistiam redigere ad communem sensum, qui statuunt corpus Christi non percipi à communicantibus, nisi sola fide? Fides enim non omnium hominum est, sed paucorum tantummodo. At si dicat, se illud intelligere de præsentia significationis, quam certũ sit sensus humani captum non superare, ego vicissim respondeo, hoc genus significationis, quod efficaciã, & actionẽ spiritus sancti coniunctam habeat, ad communem rationem, & sensum non pertinere. Nam alioqui, cur non hoc quoque dicit Inconstantius, sacras literas non superare humanum sensum? Nam illæ quoque res diuinas, & æternam vitam significant, quam homines ex illis haurire possint. At certè facultas ista significandi dignitate sua sacras literas non spoliat, quicquid somniat Inconstantius.

Addit ad hæc quædam, quibus non probet, sed tantũ verbis asserat Transubstantiationem: quæ quàm eius instituto probè inseruiant, prudens Lector facilè iudicabit. Sic enim scribit: *Quare cum substantiam panis tritici, quam acceperat in manus, consecratione effecerat corpus, vt iam quod daret, substantia esset corporis, quam benedictio consecrarat.* &c. Si Christus substantiã panis, fecit corpus suum, vnde, obsecro, factum est, vt vos eam excluderetis? Nam si semen efficitur homo, nemo ea causa dicet, materiam seminis excludi Ea enim est, quæ mutationem, siue generationẽ sustineat. Antea solebas dicere, ex pane fieri corpus Christi: nunc cõtrà, panẽ ipsum ais fieri corpus Christi. Qua cũ sententia si congrua & consentanea velis dicere, necesse est vt fatearis, substantiã panis remanere, accidentia autẽ eius cedere. Oedipus huc aliquis aduocandus est quãtũ video, qui ista nobis ænigmata dissoluat. Ná Inconstantius, quanto magis, magisq; quærit enatare, tantò magis magisque immergitur.

Quod autem longè adhuc durius est, & quodammodo intolerabile, ait, *substantiam corporis domini benedictione consecrari.* Atqui nemo sanus id, quod sit omnium sanctissimum, & per quod

omnis ad nos ſanctitas deriuetur, dicet poſſe noua aliqua benedictione cõſecrari. Sed vt iſta per ſe perſpicuè falſa ſunt, ita quod addit, *Tranſubſtantiationem eſſe vocem ad hanc rem maximè aptam, & conuenientem, multò etiam eſt vanius, & impudentius.* Nunquam enim hactenus demonſtrari potuit, cui rei vox ea cõueniret: nec locus vllus oſtendi aut ex ſacris ſcripturis, aut ex Patrib. vnde ſit profecta. Tamen ea, ſi Deo placet, apta, & cõpetens eſſe dicitur. Cæterum ne hoc quidẽ prætereundum arbitror, id, quod hoc loco pro obiectione proponitur, neque ſpeciẽ habere argumenti, neque vnquam à quoquã noſtrũ allatũ fuiſſe pro ratione. Eſt quidẽ ea ſumma eius doctrinæ, quam defendimus. Cur autem illud Inconſtantius argumenti inſtar adferre voluerit, equidem videre non poſſum. Tamẽ vt ſpeciem aliquam argumenti præ ſe ferat, ita illud in formam redigimus: Quod per ſignificationem, & figurato ſermone appellatur corpus Chriſti, id in illud ipſum non tranſubſtantiatur: Panis Euchariſtiæ per ſignificationem, & figurato ſermone vocatur corpus Chriſti: Ergo in illud non tranſubſtantiatur.

OBIECTVM CXX.

SI Chriſtus nõ annihilet panem, vt aiunt aduerſarij, ſed ex eo faciat corpus ſuũ, coniungit ſibi panem in vnitate & naturæ, & perſonæ. At hoc eſt, Chriſtum impanari, & inuinari. Sed ea coniunctio eſt multò arctior, quàm incarnatio. Nam ea eſt vnitas perſonæ tantùm, non etiam naturæ.

GARDINERVS.

NON intelligit hic argutator, medium quiddam eſſe inter Annihilationem, & Impanationem.

MARTYR.

INter Annihilationem, & Impanationem Inconſtantius tertium quiddam eſſe fingit. Neque enim ferre vllo modo poteſt, vt panis remaneat, & efficiatur corpus Chriſti, aut contrà vt prorſus annihiletur. Tertium autem fingit genus mutationis, quod pro termino non habeat nihil, ſed ſubſtãtiam ipſam corporis Chriſti. Iſte nouus color nec poeticus eſt, nec oratorius. Cuiuſmodi ergo eſt? inquies. Certè ſophiſticus: ne dicã etiam hæreticus. Dic dum, quæſo, mihi: Si panis mutatur, quod attinet ad ſubſtantiam, & prorſus eſſe deſinit, quod attinet ad materiam & formam, quomodo tandem eũ dicis non redigi in nihilum? Nam ſi non annihiletur, aut materiã eius, aut formam neceſſe eſt ſupereſſe. Vos autem nihil omninò relinquitis: cur ergo eum non dicitis annihilari? Nam quod garritis de corpore Chriſti ſuccedente, id eſt planè nihil. Cũ enim ex ligno fit ignis, phyſici corruptionem quidẽ ligni concedunt: annihilationem tamen eam eſſe nolunt: quia materia ligni non aufertur, ſed manet, & ſubit nouam formam. At cum & materia, & forma, vt vos dicitis, funditùs hic aufertur, quis eam annihilationem eſſe neget? Quid enim id pani extruſo, atque abiecto prodeſt, ſi illi ſuccedat corpus Chriſti? Facito enim ita eſſe (quod tamen eſt vaniſsimum) tamen aduẽtus eius naturam panis non ſuſtentat. Sed agendum eſt, quantum video, paulò apertius. Quamuis ea ipſa, quæ iam dixi, ita ſunt conſpicua, vt penè à noctua videri poſsint. Verum reſponde mihi: Subſtantia panis poſt Conſecrationem veſtrã aliquidnẽ, an nihil eſt? Aliquid negatis eſſe: Eſt ergo nihil. Anteà non erat nihil: nunc autem per tranſubſtantiationem veſtram in nihilum redigitur: Ergo, velitis, nolitis, panis in Tranſubſtantiatione annihilatur. Sed fortaſſe Inconſtantius naturam panis remotam ab accidentibus, ne annihiletur, in cœlum transfert, eamque inter ideas Platonis collocat, vt inde curriculo redire poſsit, ſi quando ex illis accidẽtibus aut vermes, aut cineres incipiant progenerari: videlicet, vt ex ea nouæ iſtæ ſubſtantiæ efficiantur: ne Inconſtantius redargui poſsit, quaſi qui dicat, ſubſtantiam naſci poſſe ex Accidentibus. Argumentum autem noſtrum ita contexitur: Si quæ ſubſtantia in ſuppoſitũ intelligens tranſmutetur ita, vt ipſa nõ pereat, vnitur ei & natura, & perſona: Panis, vt iſti dicunt, mutatur in corpus Chriſti, quod eſt ſuppoſitum intelligens, & non annihilatur: Ergo panis vnitur cũ corpore Chriſti & perſona, & natura. Maior certa eſt: Minor eſt aduerſariorũ.

OBIECTVM CXXI.

TRANSVBSTANTIATORES aperiunt feneſtram hæreſi Marcionis. Videtur. n. inquiunt, panis, cum panis non ſit. Quod idem Marcion dicere ſolebat de carne, & corpore Chriſti: ea videlicet non re vera fuiſſe, ſed tantùm apparuiſſe.

GARDINERVS.

CATHOLICORVM ſimplicitas, etſi pia prudentia à verbis interdum abſtinet, quæ malè intellecta promoueant errorem, ſenſus tamen veritatis integros nihil veretur apud fideles vbique profiteri.

MARTYR.

FAtetur pios interdũ ab illis verbis abſtinere, quæ perperã intellecta auditorẽ poſsint inducere in errorem: Senſus tamen veros vbique apud fideles profiteri: neque ea cauſa deterreri quòd Hæretici bene dicta calumnientur. Idq; ſe putat è diuinis literis planiſsimè poſſe oſtẽdere. *Illæ enim Angelos appellãt*

eos,

eos, qui Loto, Abrahamo & alijs patribus humana ſpecie apparuere. Neque tamen ibi periculum eſſe, ne quis Marcionita id arripiat, & ſtulta collectione, hoc eſt, Dialectica Hæreticorum inferat: Ergo, Chriſtus non eſt verè homo. Et infirmitatē conſequutionis ex eo prodit, *quòd aliquid interdū ita ſingulare ſit, vt id non liceat extendere ad alia: vt dicamus: Quod ibi, igitur hic: & Quòd ſemel, igitur ſemper.* Quòd primo loco dicit, propter hæreticos non eſſe deſiſtendum à confeſsione veritatis, id facilè largimur: modò illa, quæ volumus videri vera, re ipſa vera ſint, & ſcripturarum authoritate comprobata. At ſi ea noſtra tantùm inuenta ſint, in primis videndum eſt, ne quid hæreticorum errores poſsint promouere. Deo quidem in ſacris ſcripturis licuit loqui vt voluit. Et qui eas phraſes, & dicendi rationes retinebit, non poteſt iuſtè reprehēdi. Tamen qui peregrina dogmata & loquutiones inauditas in Eccleſiam inuehit, ex quibus hæretici inuenta ſua poſsint vtcunque conſtituere, non poteſt carere doctorum, & prudentium hominū reprehēſione. De Angelis verò, qui ab Abrahamo, Loto, alijsque patrib. cōſpecti ſunt, ſatis luculenter & copioſè ſuprà diſputauimus: vt ſuperuacaneū ſit eadē hoc loco repetere. Hoc ſolū vel addā, vel potius repetā in preſentia, ſcripturas illos, qui videbātur, re ipſa vocare Angelos, vt errare ea de re nō poſsimus. Et patres etiā ipſi, à quib. cōſpecti ſunt, ad extremū, quinā eſſent, intellexerunt. Vos idētidē hoc nobis præſtate, & expreſſum alicubi, aut certè obſcurè ſignificatū oſtendite in ſacris literis, abire ſubſtantiam panis, & ſine ſubiecto ſola manere accidētia, illisq; inuolui, & tegi corpus domini. Hoc ſi effeceritis, vt illos credimus fuiſſe Angelos, ita hîc quoq; credemus, accidentia manere ſine ſubiecto. Meminiſſe autē debet Lector, quod nos ſuprà docuimus, nullam in illis angelis fuiſſe deceptionem ſenſuum: qualem vos eſſe in pane, & vino, niſi ab errore veſtro velitis diſcedere, nullo modo poteſtis inficiari.

Adhæc nos non profitemur Sophiſticē, neq; proficiſcimur ad ſingularia cōfirmāda ex alijs, vt tu dicis, ſingularib. Illud n. genus collectionis leue admodum, & infirmū eſt. Sed hoc potius dicimus, cum poſita ſint duo mendacia, ab eo, qui vnum illorum aſſerat, non iniuria poſſe extorqueri, vt alterum quoque, quod cōſimile ſit, concedere ne grauetur. Si Incōſtantius nullā hic probabilitatem videre poſsit, non dubito tamen viſuros alios. Nam qui ſpeciē tantū, & vt ita dicam, apparentiā panis defendit eſſe in Euchariſtia, maximè cum ſacræ literæ ſecus doceant, qua fronte poteſt ille coarguere Marcionem, qui dicat, Chriſtū non habuiſſe verū corpus, ſed tantū externā ſpeciem, & imaginē corporis? De ſtulta autē Dialectica, & infirmis collectionibus, ſi quiſquam alius mortalium, certè Inconſtantius in primis monendus eſt. Illum enim paſsim videas principiū petere, & idem per idē confirmare: vtq; vno verbo dicā, ex illis, quæ temerè, neſcio, an rectè vigilāti, ad phantaſiā aduolent, quāuis ea nuſquā prorſus gentiū, nec in omni rerū natura exiſtant, tamē quiduis audacter concludere. Hæc Dialectica in eius ſcriptis paſsim occurrit. Epicurus meritò exploſus eſt, cùm diceret, ſolē eſſe bipedalem, ne ſenſibus abrogaret fidē. Primū. n. ille ratione re uincebatur: deinde de proprijs, vt loquuntur, ſenſibilibus, non diſputabat: adhæc longa illa diſtantia, impediebat iudiciū ſenſuum: deniq; vera principia philoſophiæ ſurſum, deorſum confundebat. Nunc noſtra conferto cū illis: Primū ratione nō vincimur: deinde, accidētia illa, quæ ſentimus in Euchariſtia, propria ſunt, non cōmunia ſenſibilia: adhęc ita nō lōgè abſumus, vt panē & vinū ore ipſo, & digito vſurpemus: poſtremò à principijs Theologiæ, hoc eſt, à ſacris literis, ne latū quidē vnguē diſcedimus. Eat nunc Incōſtantius, & noſtrā cauſam cū Epicuri cauſa cōferat. Verū niſi me pudor cohiberet, facilè oſtēderē, mācipia iſta Papę. nō tātū ſentire cū Epicuro, ſed etiam prorſus Epicurū viuere.

Sed iſtę, opinor, ne nihil nobis videretur regeſsiſſe, *Marcionē* ait *noſtris magis veſtigijs, quā ſuis inſtitiſſe. Marcionem. n. inquit acta Chriſti ad naturæ modū excutere voluiſſe: ea autē, quæ diuina vi fiebāt, ab illis, quæ ordine naturæ agebātur, nō diſtinxiſſe. Quæſiſſe verò illū, quomodò corpus naturale, & ſolidū ambulare potuerit ſupra aquas, ianuis clauſis intrare, & ex oculis euaneſcere. Ita nos quoque ait quærere de exhibitione corporis Chriſti in myſterijs: velle autē nos, quod ibi ſit modo ſpeciali, ad inferioris naturæ leges & iura expendere.* Sed Incōſtantius debuit nobis ex antiquo aliquo loco, & probato ſcriptore probare, illud, quod nobis exēpli, credo, cauſa propoſuit, fuiſſe argumētū Marcionis, eoq; illū pro firmamēto ſuæ doctrinæ vti voluiſſe. Quod cum non fecerit, nec facere etiā potuerit, quid ſupereſt, niſi vt eū cū ſuo cōmento dimittamus? Id potius Marcion videtur prætexiſſe errori ſuo, indignū fuiſſe, naturā diuinā tale corpus, quale humanū eſt, vile, ſordidū, abiectum aſſumpſiſſe. Itaq; Tertullianus, & alij, qui contra eū ſcripſerunt, carnē non modò à labe, turpitudine, & indignitate vendicant, ſed etiā luculenter oſtendunt, quanta illa præſtantia, perfectione, & honore ornata, & inſignita fuerit. Quare aut argumenta Marcionis ab humilitate naturæ humanæ ducebantur, aut patrū contra eum reſponſa omninò fuerunt ἀπροσδιόνυσα. Deinde patres toti in hoc erāt, Chriſtū fleuiſſe, timuiſſe, eſurijſſe, non ſimulanter, & fictè, ſed re ipſa, & verè, vt eū probarent veram hominis naturā ſubijſſe, & refutarent Marcionem, qui hęc omnia in Chriſto ſimulata, & ficta eſſe garriebat. Quare non poſſunt videri diſcedere à veſtigijs patrū, qui Tranſubſtantiationem veſtram aiunt non obſcurè ſuffragari Marcioni. Vos enim id negatis eſſe panē & vinum, quod ſenſuum iudicia ſine vlla dubitatione panem & vinum eſſe renunciant.

Fundamētum Hæreſeos Marcionitarum

Sed apertiſsima iniuria nos perſtringit Incōſtantius, quaſi Chriſti miracula reſpuamus, quæq; ille vi tantū diuina fecerit, ea naturali ratione facta fuiſſe cōtendamus. Quis. n. noſtrum Chriſtū aut à mortuis reſurrexiſſe, aut in cœlū aſcēdiſſe nō credit? Si legas ſcripta, & cōciones noſtrarū Eccleſiarū, inuenies nos fateri, Chri-

Non negamus Christi miracula.

stum natum ex Virgine, cęcis lumina restituisse, mortuos etiam ad vitam reuocasse: nihil denique negare, quod eum fecisse, proditum sit diuinis literis. Imò etiam ad Transubstãtiationem vestram recipiendam paratos nos esse denunciamus, si ea ex verbo dei possit nobis demonstrari. Sed addit prætereà, *nos Marcioni non tantùm fenestras, sed etiam valuas, & portas aperire, cùm verba Christi de veritate corporis ad figuram tantũ traducimus, & in verbis inaniter ludimus, & corpus Christi nõ corpus, sed tantùm figuram esse dicimus. Itaque verendum esse ait, ne religio nostra figuris, & significationibus tota euanescat, & solidi nihil habeat, sed mera tantum phantasmata.* Oratio ista tam magnifica Inconstantij speciẽ saltem veri aliquam habere posset, si nos verum Christi corpus vmbram tantum, aut figuram, aut phantasma esse crederemus. Sed cùm illud nos & verè humanum esse, & solidum, & quantum, & membris distinctũ, & certo aliquo loco comprehensum prędicemus, ista tam importuna calumnia non potest vllo pacto nos attingere. Nam quòd panem docemus veri corporis domini figuram esse, id sacrarum scripturarum authoritatem sequuti facimus: ne aut corporis eius veritatem confundamus, aut illud vel per omnia, vel innumera loca diffundamus. Nõ ergo abolemus corpus Christi, cum vniuersam eius molem sub accidentibus panis concludi denegamus. Vestra potius ea culpa est: qui phantasmatis, & somnijs vestris omnia impletis, carnem domini A prorsus omni sua veritate priuãtis. Qui panem ait esse sacramentum veri corporis Christi, ille certè verum Christi corpus confitetur. Nam si illud nusquam aut nullum esset, panis eius sacramentum esse non posset. Ad hunc modum Patres à mysterijs nostris contra Marcionem argumenta ducunt. An ergo, qui carnem & sanguinem Christi in suis naturis integra, syncera, & vera esse confitentur, quique monimenta mortis domini, & dona spiritus sancti iustissimis, verissimisque laudibus in cœlum tollunt, dicentur vniuersam Christi religionem vanã, vmbratilem, phantasticam efficere? Vos potius, vos mihi credite, linguis peregrinis, mutis ritibus, ijsque absurdis & non intellectis, ceremonijs & inuentis Pharisaicis, superstitione & hypocrisi omnem synceritatem religionis nostræ in obscurissimas, & plus quã Cymerias tenebras, qualesque antrum Platonis nullas vnquam habuit, coniecistis. Argumentum autem nostrum est huiusmodi: Qui naturas rerum existentes non esse, sed apparere dicunt, proximè accedunt ad dogma Marcionis. Transubstantiatores, naturas rerum existẽtes, panem nimirum, & vinũ non esse, sed apparere tantũ, & videri dicũt: ergo, Trãsubstãtiatores proximè accedunt ad dogma Marcionis. Maior ex eo liquet, quòd Marcion corpus Christi nõ verum & humanũ corpus fuisse docuit, sed tantùm phantasticum & simulatum. Minor necessariò sequitur ex doctrina Papistarum.

B C D

OBIECTVM CXXII.

DANT etiam Papistæ nonnullam occasionem, vt reuocetur hæresis illorum qui dicebant, Christum non fuisse crucifixum, sed eius loco Simonem Cyrenæum: etsi oculis populi astantis Christus visus fuerit crucifigi.

GARDINERVS.

NON tam hæresis illa, quàm mera dementia fuit, quæ hunc etiam vexat, qui excellentissimi Eucharistiæ mysterij veritatem ideò non plenè confitendam censet, ne omnia non tribuantur iudicio oculorum.

MARTYR.

AIt nos nolle fateri veritatem Eucharistiæ, ne nõ omnia tribuantur iudicio oculorũ Atqui ego respondeo, quemadmodum non omnia tribuenda sunt oculis: ita ea, quę illorum sunt propria, non esse illis temerè auferenda. Tum quidem fas est illis aliquid derahere, cum id faciendum esse admonent sacræ literæ. At cùm illi validi sanique sint, neque vlla re impediantur, propriaque, vt ita dicam, illis obiecta subijciantur, spacium autem medium, quod interponitur, nec nimis remotum sit, nec à propria cõstitutione alienatum, qui eis quippiam, quod eorum sit muneris, sine vllo verbo Dei velit imminuere, ille satis prodit, ratione & iudicio se esse imminutum. At Christus, inquis, non agnoscebatur in via ab Apostolis, cum iret Emaunta, sed illis peregrinus videbatur. An ergo, inquis, expungemus hanc veritatem ex Euangelijs, ne dementes pergant credere, Simonem Cyrenęum pro Christo fuisse crucifixum? Valere fortasse vtrunque posset hæc instantia, si Christus in via Apostolis suis visus fuisset panis, & in eiusmodi specie cum illis fuisset collocutus. Sed cum homo, sicuti erat, visus fuerit, & tantum præ se tulerit speciem peregrini, quæ potuit ibi esse deceptio sensuum? Huc adde, oculos illorum vi quadam diuina fuisse impeditos, ne illum agnoscerent. Nam id scriptura ipsa testatur. Ex illa eadem scriptura ostendat nobis Inconstantius, omnium Communicãtium oculos diuinitùs impediri, ne videant, non esse panẽ, qui panis esse videatur: & vicerit. Ostendat hoc saltem, Christum sub accidentibus panis esse inuolutum, vt scripturæ docent, Christum occurrisse illis discipulis sub specie peregrini: & assentiemur. Quodq; Christus homo fuerit, Apostoli verè iudicarũt, tametsi peregrinum esse crediderunt, qui eorum erat & præceptor, & seruator. Dent isti similiter panem esse, quem oculis cernimus, & cuiusmodi sit panis, vtrum domesticus, an pistorius, an cibarius, an similagineus, patiemur nos ambigere, aut si oporteat, decipi.

Quantum sit oculis & sensibus alijs tribuendum.

De Christo cum videretur peregrinus.

E F

Si expungendum non est factum Christi, quęrit, cur oporteat istam veritatem dissimulare, *Christum in mysterijs verè dedisse corpus suum.*

Equidem

Equidem in quos ista dicat, non video. Nos enim fatemur, verum Christi corpus dari, sed menti, & per fidem: nō autem ori corporis sub panis, vt isti somniāt, accidentibus. Fatuum est etiam, quod percunctatur, *si adesse corpus Christi oculis nescientib. cōfitemur, cur abesse substātiā panis inscijs, aut reclamantibus oculis, profiteri dubitemus?* Hoc, inquam, omne fatuum, & insipidum est. Corpus enim Christi, eo modo, quo isti volunt, nec conscijs, nec inscijs oculis adesse credimus. Et tamen si adesset, non statim necesse esset substantiam panis abijsse. Nec Catholica doctrina mysterium istud ita explicat. Neutrum enim istorum in sacra scriptura traditur.

Ad hęc quærit, *an par sit, ita vereri insanos, vt sanā doctrinā proferre, & profiteri nō audeamus?* Primū, si sanā doctrinam habes, cur eā diuina scriptura non confirmas? Nam illa verba, *Hoc est corpus meū*, quib. pessimè intellectis tu aures nostras perpetuò personas, nō significāt extrudi substātiam panis, aut corpus Christi abstrusū esse sub accidentibus. Ad extremū autē ait, se planè insanire, qui istā tam multis tractet. Incōstantius etsi alias vel errare, vel splendide mentiri solet, tamen hîc tandem imprudens incidit in veritatē. Prorsus enim fatuū, & insanū opportet esse, qui tā absurda, tā ridicula, tā & cū scripturis, & cum ratione pugnantia velit defendere.

OBIECTVM CXXIII.

CHRISTVS probauit à sensibus, se non esse phantasma, sed verū habere corpus, cum diceret, Palpate, & videte: & proprium se corpus recepisse ostendit ex figuris clauorū. At si locus detur Trāsubstantiationi, vt aliud sit, aliud appareat, Christi argumentum infirmum erit. Et dici posset, Christum esse præstigiatorem, & sensibus nostris illudere: quod impium est dicere. Ergo nulla est Transubstantiatio.

GARDINERVS.

CHRISTVS suorum infirmitatem crasso sensuum testimonio subleuans, non hoc agebat, opinor, vt de sensibus axioma confirmaret nobis.

MARTYR.

SI Christus, inquit Inconstantius, *crasso sensuum testimonio voluit infirmitatem suorum subleuare, non tamen ita voluit semper sensibus haberi fidem, vt ne qui eos credat falli posse.* Quemadmodum sensus nostri falli possint, iam diximus: id philosophi accuratè & diligenter tradiderunt. Non debemus autem eos dicipi arbitrari, nisi facultas illorum impediatur: nisi fortè cum Academicis omnem prorsus scientiam è mundo sublatam volumus. Quare de hallucinatione sensuum, quam iste semper objcit, non debemus esse soliciti. Sed iste, Crasso, inquit, sensuum testimonio Christus voluit suorum infirmitatem subleuare. Atqui si Christus, qui summa est veritas & constantia, fallaci testimonio vtebatur, sibi ipsi fidem abrogauit. Sed dic mihi, sodes: An credibile est, Christum rem ambiguam, & de qua passim dubitetur, qualis est Resurrectio mortuorum, inconstanti & incerto testimonio voluisse confirmare? Certè quo res quæque magis dubia & incerta est, eo certioribus, & firmioribus argumentis est persuadenda. Oculatis autem testibus magis, quam auritis creditur. Si Apostoli infirmi erant, eorū morbus nō quouis remedio curādus erat, sed opportuno, & commodo. Non tollitur autem dubitatio, nisi firma, & certa probatione. Ea enim si fallax & dubia est, hærentem & dubitantē non confirmat. Quare cum Christus sit eximius, & perfectus medicus, nō est credibile, eum discipulis suis infirmis, & languentibus parùm idoneam fecisse medicinam. Memini, & scio, Chrysostomum hom. 83. in Matthęum monere suos, ne in hoc negotio fidant sensibus. Sed videndum est, quo ille spectarit. Rapere autem ille voluit suos ab omni sensuū cōtagione ad spiritualia, ad vim & rē ipsam Sacramenti, ad corpus videlicet, ipsum Christi affixū cruci, deniq; ad omnes fructus, qui ex illo capiūtur. Nō tamē illa sua admonitione decernit, non oportere credi sensibus, cùm testentur, nos in Eucharistia edere & bibere panē & vinū. Deinde etiā, quod satis cōstat, verba illa Chrysostomi nō minus ad baptismum pertinent, quā ad Eucharistiā. Nā in baptismo quoq; spiritualia charismata aciē oculorū, & omne sēsuū iudiciū fugiūt. Nō tamē si sensus ibi deficiūt, idcircò statim illis abrogāda est fides, si testentur, ibi proponi, & esse aquā.

Christus resurrectionem suam voluit confirmare testimonio quàm certissimo.

Ait Inconstantius, *Christum Resurrectionis suæ veritatem à sensibus non probasse: sed tantū per miraculū sensibus infirmorum exhausisse sui corporis veritatem, vt Resurrectio omnifariam inclarescceret.* Quòd nam, obsecro, dicis miraculū? Antibi videtur miraculū, veram carnem, solidumque hominis corpus videri & tangi? Miraculum fuisse fateor in resurgendo, quod dq; ostia clausa venienti vtrò cesserint, quodq; ille gloriā suam ita repræsserit, ne infirmitas discipulorū eius aspectu obrueretur. Quòd autē corpus humanum visum, & contactatū fuerit, id non habeo pro miraculo. Sed quicquid est, de hac re pluribus non disputo. Illud potius quæro, Vtrum Resurrectio Christi illo visu & tactu potuerit inclarescere, si nulla vis veræ probationis fuerit à sensibus. Quòd si sensus fidem non faciunt, rem adhuc relinquunt dubiam. At si illi re vera fecerunt fidem, non video, cur dici non possint, probasse Christi Resurrectionem.

Non fuit miraculum quod Christi corpus post resurrectionem tāgeretur.

Ad hæc putat, dominum omnem sensibus probationis prærogatiuam ademisse, cum diceret, *Quia vidisti me Thoma, credisti: Beati, qui non viderunt & crediderunt:* vt deinceps, non renunciatione oculorū, sed annunciatione verbi confiaret fides, cui certi & securi auscultemus. At Christus non abijcit fidē Thomę, quo ille hominē sensit, & Deū credidit: sed eā fidē illi præ-

fert, quæ sine vllo sensuũ adminiculo cœlestia dogmata cõplectitur. Non tamen idcirco illud genus probationis à sensu arguit falsitatis. Etsi enim vt credamus requirendum non est hoc argumentũ à sensibus, tamẽ contra illud, quasi falsum, aut mendax sit, nihil à Christo dicitur. Imò si illi id renunciant esse corpus, & carnem domini, quod videtur, & tangitur, non præcipitur vel Thomæ, vel cuiquam alij vt ne credat sensibus. Hoc autem omnino requiritur ab omnibus, vt Christum verè resurrexisse à mortuis, credamus etiam sine vllo testimonio sensuum: ita in sacra cœna, si sensus renuncient, id esse panem & vinum, quod comedimus & bibimus, nõ iusserit vnquam dominus, vt fidem illis abrogemus. Vult tamẽ, & iubet, vt corpus pro nobis traditum in crucem, & ex eo innumera dona spiritualia partim iam data nobis esse, partim expectanda, certò, & firmiter credamus etiam citra adiumenta sensuum: quòd id nobis satis constare debeat ex verbo Dei. Sed ex eodem illo verbo Dei scimus, naturam panis in Eucharistia remanere, quemadmodum sensus indicant. Quòd si illi in vno, aut altero communicantium falli dicerentur, minus esset mirum. Vt autem in omnibus decipiantur, non potest fieri: nisi Deus id absoluta quadam potentia sua præter naturæ ordinem vellet facere. Verùm id cum in sacris literis nusquam se facturum receperit, non est illis facilè habenda fides, qui id nobis sua tantùm authoritate volunt obtrudere. Neque enim ea causa Christus venit in mundum, vt sensus nostros hebetaret: sed potius vt hominem totum instauraret. Proinde dubitare non debemus, omnibus domini probationibus fidem habendam esse: Christus autem sensuum testimonium induxit probationis loco: Ergo, fides habenda est testimonio sensuum, nisi fortè illorum facultas interposita re aliqua impediatur: idque tanto magis, si sensuum iudicia conueniant cum sacris literis.

OBIECTVM CXXIIII.

QVEMADMODVM in Sacramento baptismi confertur spiritus sanctus, vt omnes confitemur, nec tamen quisquam dicet aquam eam transubstantiari: ita in Eucharistia etsi communicantibus detur corpus Christi, tamen non est necesse, vt panis transubstantietur.

GARDINERVS.

TRANSVBSTANTIATIO in Sacramento Eucharistiæ secundum veritatem mysterij docetur, propter verba Christi, Hoc est corpus meum.

MARTYR.

QVoniam in baptismo non dicitur, *Hic est sanguis meus: aut, Hic est spiritus meus: idcirco dicit, aquam non transubstantiari. At quoniam in Eucharistia dicitur, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: & panis & vinum necessario transubstantiatur.* Hoc discrimine Inconstantius arbitratur, se argumẽtum nostrum facile posse refutare. Sed videtur non meminisse, Paulum dicere, illos, qui tinguntur, induere Christum, & illi per baptismum inseri, & carnem ex carnibus eius, & os ex ossib. eius fieri. Mitto; Patres, qui ferè, cùm agitur de Eucharistia, subijciunt statim de baptismo, & eadem propemodum de eo quoque affirmant. Ac sanè si volumus effecta expẽdere, longè maius est hominem in Christo regenerare, & membrum eius efficere, quam illum ex corpore Christi, tanquam ex cibo pascere. Forma autem verborum quam sophista cauillatur vtrinque non esse parem, inter ista duo sacramenta, non tam magnum discrimen constituit quam iste vult videri. Nam si forma verborum efficit Transubstantiationem, oportet virginem Mariá transubstantiatam fuisse in matrem Ioannis: & Ioannem ipsum in Christum. Nam dominus de illa diserè dixit, *Ecce mater tua:* & de Ioanne, *Ecce filius tuus.* Ea autem ego verba non temerè huc transferre volui. Quemadmodum enim Christus cum esset moriturus, & migraturus ad patrem, nec se matri, vt soli tus fuerat, præsentem, & obsequentem amplius exhibiturus, Ioannem apud illam suo loco esse voluit, qui eam aleret, & substentaret: ita cum peracto redemptionis nostræ munere, corpus suum esset ablaturus in cœlum, eius loco relinquere nobis voluit sacramentum corporis & sanguinis sui, quo per fidem illorum symbolorũ admonitione institutam, & excitatã, æternæ vitæ alimenta ex illis, quæ ibi significantur, hauriremus. Mitto, dominum dixisse de Ioanne Baptista, *Ipse est Elias:* &, Agnum paschalem dictum fuisse *Pesach.* Istæ formulæ loquendi nunquam cuiquam visæ sunt adferre necessitatem transubstantiationis. Conficitur ergo, ad substantias rerum è sua natura deturbandas requiri certum Dei mandatum, non quamuis nudam verborum pronũciationem.

Addit Incõstantius, *videndũ esse, vt suis quibusdam modis, & terminis constet quodque sacramentum, neque ea inter se nostra ratiocinatione adæquemus: ita fore, vt particulæ illæ similitudinis, Vt, &, Quemadmodum, nullum locum habeant.* Sacramenta suis quæque limitibus distingui, nos non dissitemur. Sũt enim varia sigilla, quibus Dei promissiones obsignantur. Id vidilicet sibi volunt aqua in baptismo, & panis & vinum in Eucharistia. Ibi enim Regeneratio, hîc autem Pastus cœlestis obsignatur. At si rem ipsam sacramenti spectemus, eam diuinæ literæ testantur vtrinque eandem esse. Illæ enim aiunt, nos in baptismo Christum induere, in Eucharistia autem nos in Christo manere, & illum vicissim in nobis. Et idcirco Paulus 12. ad Corinthios vtrumque coniunxit. Ait enim, *nos vno spiritu baptizatos esse, & vno spiritu potatos.* Duo illis verbis Apostolus notauit sacramenta: quibus pro re seu effectu assignauit participationẽ spiritus Christi. Nos ergo sacramentorũ discrimina non tollimus, neque illorũ effecta sine testimonio scriptura-

Sacramenta suis quibusdam modis distinguuntur.

pturarũ copulamus. Quare cum ea ita distincta sint, vt coniungantur in effectu, nõ absurdè ab eorum mutua inter se similitudine argumentum ducimus. De similibus simile iudicium ferri debet: Baptismus, & Eucharistia sunt similia: Ergo, de illis simile iudicium ferri debet. Quare si elementũ visibile in altero illorũ transubstantiatur, idè necesse est fieri ét in altero. At nulla est Transubstantiatio a quæ in baptismo: Ergo, nulla est Trãsubstantiatio panis in Eucharistia.

OBIECTVM CXXV.

Si vlla fit per Consecrationem conuersio panis in corpus Christi, ea est vel ante prolationem illorum verborum, vel post, vel simul. Si post, tum illa propositio pro tempore prolationis esset falsa: quia quod tum ostenditur, non est corpus Christi: Si ante, tum conuersio non fit vi verborum: ea enim consequuntur. Dicant ergo isti, si possunt, cuius alterius rei vi conuersio illa fiat. At si simul existat cum prolatione verborum, conuersio ea erit successiua, non autem in instanti, quemadmodum prædicant.

GARDINERVS.

GREGORIVS Nazianzenus, cum ad tam inepta respondere cogeretur, verbo notauit ἰρωτημάτων μώρια: ipsum huiusmodi Quæstionistæ nihil aliud, quàm ludant quæstionibus.

MARTYR.

MIratur Inconstantius ἰρωτήματα nostra, quanquam inania quædam quæstiunculatum μώρια. Nos verò idcirco ea proponere, & quærere voluimus, quòd Transubstantiatorum fatuitatem, & insulsitatem miraremur. Et idcirco, quanto dicta & responsa fatuorum absurdiora sunt, quàm ludi pueriles, tantò nostra admiratio iustior est, quàm Inconstantij. Iterum autem Lectorem volo meminisse, quod semel, atque iterum suprà monuimus, nos nec Christi sacramentis illudere, nec veritati diuinarum literarum, vt iste calumniatur, insidias tendere. Nam sit gratia Deo patri domini nostri Iesu Christi, in eius veritatis defensione mori possumus: quod satis iam orbi terrarum reipsa testatum est: cum interim Inconstantius tanquam chamæleon, pro sua constantia, dignitatis retinendę causa in omnes formas sese verterit. Istorum autem putidissimis commentis & fictionibus fateor nos interdum insultare. Illi verò cum se vident Labyrinthis mendaciorum suorum implicari, & se non posse expedire, clamant, sibi fieri insidias. Qua in re nobis spectaculum & mirandum, & flendum exhibent. Quantò enim magis, magisque se conantur explicare, tanto se in huiusmodi ineptias magis magisque inuoluunt. Nobis ergo nunc non de operibus Dei, sed de sua fictione respondeant. Nam quod ipsi sibi intriuerunt, par est, vt ipsi comedant.

Primum ait, *se consecrationem nec ante, nec post verborum prolationem fieri responsurum: verùm ea verba proferri à ministris, quando sacerdos inuisibilis ea, quæ proposita sunt, secreta, vt Emissenus ait, potestate consecrat, & conuertit:* At si hæc responsio constabit, sublata iam est consecratio illa Quinqueuerbia. Cornuta autem dilemmata ita odit, vt ea propria Hæreticorum instrumenta esse contendat. Idque docere vult duobus exẽplis: altero Arrianorũ, quo illi vexabant æternã filii generationẽ: alterum eorũ, qui, cum malè sentirent de Incarnatione domini, Verbũ factum esse carnem negabant. Recte. Sed ista dilẽmata non ita abierunt. Diligenter enim dissoluta, & refutata sunt à patribus. Quod si quis nõ credat, præter alios legat Basiliũ Certè patres propter ista dilẽmata Hæreticorũ nunquã iustum vsum Dialecticæ damnarunt. Imò ipsi potius dilẽmata similia vicissim in Hæreticos cõtorserunt. Nam Dialectica est præclarum donum Dei: neque aliud vllũ artificiũ est, quod ad refutandos errores magis valeat. Eam autẽ Inconstantius idcircò tam acerbè insectatur, quòd suis fictionibus infestã, & inimicam esse sentiat. Nihil autem erat, cur nos cum illis Hæreticis compararet. Nam veritates quas illi oppugnabãt, nimirũ æternitas, seu natura diuina filij Dei, & eius Incarnatio, in diuinis literis tam apertè proponuntur, vt, quãuis sexcẽta dilẽmata ita firma, vt dilui nõ possent, obijcerẽtur, tamẽ ea omnia fidẽ nostrã cõcutere, & cõmouere non debeãt. Isti vicissim Transubstantiationẽ suã, pro qua tãtopere pugnãt, proferãt nobis è diuinis literis: & nos dilẽmata nostra dimittemus. Sed cũ suis tantũ inuentis, & somnijs credi volũt, æquitas ipsa postulat vt ipsi dilẽmata sibi obiecta dissoluant. Neq; n. si Hæretici ea forma argumentorũ abusi fuerint, idcircò Fideles ab ea abstinere debẽt: maximè si videãt, errores ea ratione posse coargui.

Patres non damnarũt iustum vsum Dialecticæ.

Huc addit testimoniũ Iustini in Expositione fidei: Ait autem, *simplicitate fidei vitari captionem, vt credas nihilominus; quod nequeas explicare.* Illud nos sancti Martyris dictum candidè, & simpliciter amplectimur. Sed videat Incõstantius, an Iustinꝰ in sua illa Expositione fidei, hoc etiam adiungat, in conficienda Eucharistia pãnem abijci, aut carnẽ Christi sub panis accidẽtibus delitescere, aut illa accidentia sine subiecto cõseruari. Quod si ista Iustinꝰ nusquã dicat, desinat Incõstantius locum illũ nobis obijcere. Nam alioqui nos quoque multa credimus, & profitemur, scripta in sacris literis, quæ nulla possimꝰ oratione explicare. Et certè iste de nobis peruersè, & malitiosè iudicat. Quoniã enim nolumus omnib. eius fictionib. credere statim clamat, nos omnia reijcere, quę humanę rationis captũ superẽt. Sed calumnię istæ merę sunt,

Iustinus.

Incon-

Inconstanti, non rationes. Nos .n. non tantum sacras scripturas summa cũ veneratione complectimur, sed etiam vnà Nicenum, Apostolicum, & Athanasij symbolum libenter recipimus. In quibus omnibus quoniam neque Transubstantiatio vestra, neque realis Christi præsentia continetur, sed ab illis potius apertè refellitur, idcircò nos quoque eam repudiamus.

Addit, *Distributionem temporis in nostro dilemmate id potissimum spectare, vt momenta ipsa operum Dei excutiantur.* Atqui id verum non est. Nos enim non operum Dei, sed mendaciorum vestrorum momenta quærimus. Scimus enim, mendacibus nihil accidere posse molestius, quàm si cogantur ea omnia iusto ordine exponere, quæ mentiuntur. Cum autem dixissem, consecrationem à summo Sacerdote, nimirum, à Christo arcana quadam potestate fieri, vidit à se quęri posse, Cur illa verba appellentur Consecrationis, si res se ita habeat. Huic occupationi statim ipse respondet, *id idcirco fieri, quod illis verbis Christus nos certos reddat se consecrasse, dum à ministro, vel ab ipsius ore profertur, Hoc est corpus meum. Quod quoniam ante plenam verborum prolationem fides non certo concipit, cũ ea nitatur verbo Dei, sanam esse doctrinam, de vltimæ syllabæ pronunciatione expectanda: non quod vis vltimæ syllabæ maior sit, quàm aliarum, sed vt fidei nostræ sit solidum fundamentum, quę verbis Christi superstruitur.* Primum scire velim, quo authore dicat, nos certos effici illis quinque verbis Christum consecrasse? Nam sacra scriptura hoc nusquam dicit. Superest ergo, vt id ille ex sua tantum imaginatione nobis prõpserit. Neq; verò ista ipsa verba significant, subitatiã panis discessisse. Tamẽ si ita esset, vos nihilominus grauiter peccatis, qui ea verba clã populo musitetis. Nam si ea, vti dicitis, certos nos reddunt de consecratione, & ea causa illorũ exigitur recitatio, vt fides illis niti possit, vbi, obsecro, erit fides populi, qui ea verba non audiat, aut si audiat, quoniã peregrina lingua recitantur, non intelligat? An fides sacrificuli debet omnibus esse satis? Non opinor: Iustus enim sua fide, non aliena viuit. Ad hæc miram esse oportet Christi patientiam, qui vltimæ syllabæ pronunciationem expectet: seque tantisper sustentet, dum presbyter extremam illam syllabam expediat. Mirum vero est, vos ad ista tam arcana vnquam potuisse peruenire. Sed quoniam in vobis ipsis hæc nata sunt, optandum est, vt ea aliquando in vobis ipsis etiam emoriantur.

Subijcit, *Feciſſe Christum, quæ dicit, certò scimus: cum sermonem efferat, non indicatorium, sed operatorium.* Quis autem te docuit, sermonem istum domini esse operatorium? Sacræ, opinor, literę. Minime omnium. Nihil enim in illis tale proditur. Forma autem loquendi, cum non sit Imperatiui modi, nihil huiusmodi exigit. Et multas Christus tales sententias pronunciauit, quę non fuerint operatoriæ. Quo ergo discrimine possunt huiusmodi sententiæ internosci? Non debetis nobis scientiam tam vtilem inuidere.

Sed ex Ambrosio, videlicet, hæc habetis. Nos quidem Ambrosio (modo rectè intelligatur) nõ refragamur. Dicemus ergo, Christum, cum ea diceret, & gratias Deo ageret, operatum esse, non Transubstantiationem, sed Sacramentum. Hoc & nobis, & Ambrosio satis est. Vos autem, qui portenta præterea inuehitis, authorem eorum prodatis oportet ex diuinis literis: nam alioqui vobis nemo credet. Huc etiam addit aliorum sententiam, qui Christum putauerunt benedicendo consecrasse: & quamuis illorum prædicet pietatem, tamen ait eos admodum fuisse rudes: & alijs verbis, quod sentirent, eloquutos. His verbis iste significat, illos orationem eam, *Hoc est corpus meum*, appellasse benedictionem. Quicquid sit, id illi satis est eos de mysterio non mouisse quæstionem. Sed, ne nescias, Lector, quis notetur istis verbis, scias eum esse Papam Romanum Innocentium III. *Innocentius III.*

Postremo agit interpretem Scholasticorum, eorumque hanc ait esse sententiam: *Illa verba, Hoc est corpus meum, esse signa sensibilia, à Deo instituta, ceu quoddam instrumentum ad Consecrationem, quo plene prolato, virtus Dei adhærens, & verbis assistens in vltimo instanti efficiat consecrationem: quoniam loquentis ministri intentio plenam etiam verborum prolationem spectat, & ad absolutam prolationem verba præcedentia refert, non vt veritas successione prolationis accrescat, sed quasi vno momento prolatis, si fieri posset, omnibus, protinus à prolatione integra, veritatem totius sententiæ pluribus verbis enunciatæ Deo operante, subesse intelligat & credat, atque etiam cum Deo, tanquam minister, in instanti cooperetur: dum quod est Dei instrumentum, semel efferre, & pronunciare conetur.* Si verba illa, *Hoc est corpus meum*, à Deo instituta sunt signa sensibilia, cur vos abillis sensum astantium prohibetis? Cur ea sentiri nõ permittitis? Hoc non est ritè, & religiosè colere institutum Dei: sed potius illud impudenter transgredi.

Adhæc vultis virtutem Dei assistere, atque adhærere illis verbis, & illa consecrationem perfici. Intereà tamẽ rationem nullam affertis, cur illa virtus magis istis verbis, quam alijs, quę ibi recitantur, affigi debeat. Nam ex sacris literis ne mica quidem pro vobis afferri potest. Nec tamen nego, virtutem Dei verbis ipsius assistere: nam ea Paulus ait esse potentiam Dei. Et Christus ait, verba sua spiritum esse, & vitam. Cur autem maior in istis verbis vis sit ad consecrandum, quàm in alijs, quæ eodem tempore recitantur, non video. Et si illam rationẽ probamus, cur Consecratio dicatur fieri in vltimo instanti prolationis, quòd intentio ministri spectet plenam prolationem, quid futurum est, si ille nihil tale cogitet? Certè si vagetur animo, & alias res agat, iuxta vestram sententiam nulla erit consecratio. Sed addit, ministrũ illũ ad absolutã prolationem referre præcedẽtia. Sed illa ipsa minister stupidus, & aliud cogitãs sępè omittit: eaq; quę dicit, magis ex cõsuetudine, quã ex vllo sensu pietatis, aut rectę rationis instituto dicit. Ista fortasse videri possunt argutè, & subtiliter dici ab Incõstãtio: sed si ea

Vim diuinam nam vobis Deiassistere: non ad negatam.

si ea presius consideres, videbis ea sua sponte A dissilire, nec posse inter se cohærere. Suprà omninò voluit, hæc verba esse operatoria: nunc vis omnis consecrationis tribuitur virtuti Dei: verba autem ista visibilia, tantum sunt signa Consecrationis. At si sunt operatoria, vim habẽt transubstantiandi: Et si trãsubstantiationis sunt signa, eá certè non efficiunt. Vtq; aliquando finiam, audimus quidem ista te dicere, Inconstanti: sed quoniam ea nec verbo Dei vllo, nec ratione firmare potuisti, mirari non debes, si tibi non habemus fidem.

OBIECTVM CXXVI.

DICVNT conuersionem panis in corpus Christi fieri in vltimo instanti prolationis horum verborum (Hoc est corpus meum) Ergo hæc syllaba, Vm, quæ in recitatione est vltima, totam vim habet, & virtutem mutandi, & deificandi panem: O' præstigias, & mera incantamenta.

GARDINERVS.

HOC argumentum dilueretur contraria exclamatione, O' vanitatem, & mera mendacia.

MARTYR.

POtest quidem hoc argumentum rideri ab Inconstantio: sed nihil fingi potest tam ioculare, aut ludicrum, quod istorum ineptijs non longè superetur. Quanquam huius rationis authores nihil aliud quærere voluerunt, quàm vt superstitiosam Papistarum vanitatem & meras ineptias perstingerent. Illi enim vi illorum quinque verborum volunt Transubstantiationem suam cõfici: & ita confici, vt nisi vltima sylaba pronuncietur, Consecratio nulla sit: & ita sequi necessariò, vltimam illam syllabam vim omnem habere transubstantiandi. Simile autem illud, quod afferunt de verbis baptismi, Papistas fortasse vrgere potest: nos autem non attingit. Non enim dicimus, vi verborum sarcamenta fieri. Requiruntur illa quidem: sed sacramenti res non habetur, vt ait Augustinus, quatenus verba illa dicuntur, sed quatenus creduntur. Et idcircò cum in baptismo dicitur, *Baptizo te in nomine patris, & filij, & spiritus sancti,* vltima syllaba nõ habet vim id efficiendi quod baptismo significatur. Videant autem aduersarij nostri, ne tãtundem contra eos de baptismo quoq; dici possit, quantum de Eucharistia. Neque nos hoc argumẽto domini sacramentũ impetimus, vt iste queritur, sed Papistarũ fictionẽ.

Quomodo verba Dei sacramentum efficiant.

Ad hæc nos mendaces esse clamat, qui Papistis adscribamus deificationem panis: ait enim, *neminem ex suis dicere, panem deificari*. Deinde etiam arguit nos inconstantiæ, quòd interdum queramur auferri panem, interdum fieri Deum. Quibus verbis hoc videtur significare, panem non posse simul & deificari, & auferri. Hęc inter se pugnare, satis per nos ipsos intelligimus. Cæterum, quoniam hæc pugna ex ipsorum verbis, non ex nostris oritur, meminerint sui officij esse, vt illam vel cõcilient, vel tollant. Nam cum dicunt panem transubstantiari, naturam, & substantiam panis auferri dicunt: idque ipsi non tantum dicunt, sed etiam incredibilibus imposturis, & mendacijs contendunt. Ex altera autem parte clamant, panem non annihilari, sed effici corpus Christi: & idem illud corpus Christi aiunt fieri ex pane. Quod si est verum, sequitur necessariò, panem illum deificari. Non ergo nos hæc illis adscribimus: sed ipsi vtrunq; arripiunt, & asserunt: nos autem vtrunq;, vt falsum, & commentitium oppugnamus. Huc etiam accedit, quod ad deificationem panis plurimùm facit, quòd vos illum adoratis: &, quasi id non sit satis, alijs insuper adorandum proponitis. Atqui id vni tribuendum est Deo. Cum ergo vos panem adoretis vt Deũ, quomodò dicitis, vos eum non deificare? Sed fingitis abesse panẽ, & eius loco supponi corpus Christi: id autẽ, quod manu sustinetis, & populo ostẽditis, iubetis adorari. quod cũ sit panis, rectè dicimus, panẽ à vobis deificari.

Dolet item Inconstantio, verba illa, *Hoc est corpus meum*, quæ tantam habeant in se inhærentem vim transubstantiandi, à nobis appellari incantatoria. Verum dum ipsi instãr Incantatorum verba illa musitant, occasionem offerunt, vt quiuis suspicari possit, verba ea ab illis conferri ad incantationem. Christus enim neque ita verba sua musitauit, neque ita vos facere docuit. Vt autem putaremus, vos existimare, orationi illi quinqueuerbiæ vim quandam adiunctam esse transubstantiandi, vos ipsi eratis in causa. Semper enim clamatis sermonem illum domini esse operatorium. Nam, si ita est, aut sermo ille vim habet operandi, aut vos quid operatorium sit, non intelligitis.

Similitudo verò illa à conceptionibus animi, quę postremo loco adducitur, eas minimo momẽto cõprehendi, cũ tamẽ videãtur ex prolatione verborũ longo tractu extrahi, & tum demum dici à nobis egredi, cum vltima syllaba effertur, quem modum Inconstantius ait, Consecrationem Christi, absoluta demum pronunciatione sacerdotis, posse dici absolutam: ea, inquã, similitudo duo habet incõmoda. Primũ, qũia non cõgruit cũ eo, quod agitur. Nam verba notionum, quæ longo tractu producuntur, tantum significant id, quod in animis occultatur. Vos autẽ ista verba, *Hoc est corpus meũ*, omninò vultis esse operatoria, & trãsubstãtiationẽ efficere. Quare & si ante extremũ prolationis minister anticipet fortasse omnino verborum significationẽ, tamen, si ea verba sint operatoria, vt vos vultis, adhuc restat probandum, illam operationem illorum carere successione.

Alterum incommodum est ex eo, quod Inconstantius dicit, *non posse deprehendi, vtrum Christus re vera transubstantiationem efficiat post vltimam syllabam prolatam. Potest enim*, inquit, *dici*

dici absoluta prolatione, id, quod intenderat, effecisse. Non quærebatur, quid posit dici, sed quid re vera sit statuendum. In calce videtur, nescio quid, dicere voluisse de illis, qui habeant authoritatẽ edendi doctrinas. Id omninò ad Pharisæorum, & scribarum supercilium pertinet: quasi Papæ tantùm, & Episcopi, & magni Doctores cognoscendi nobis sint: alij autem, quicunque sint inferioris notæ, sint relinquendi. Hoc est gradibus, & cathedris alligare spiritum Dei: quę semper fuit grauissima pestis Ecclesię. Sed antequam finio, hoc vnum pius Lector obliuisci non debet, nunquam Medeam ita fratrem suũ miserè membratim concidisse, atque iste nostrorum hominum argumenta lacerauit. Nam quod hîc seorsim recitat pro singulari argumento, appendix erat eius, quod præcesserat. Sed iste ita se iam diu assueuit, vt nihil sincerè & verè nihil possit facere.

OBIECTVM· CXXVII.

TRANSVBSTANTIATIO venit Roma: ea est synagoga Satanæ. Ergo abijcienda est vt error abominabilis: non amplectenda, vt veritas. Scholastici enim aiunt, id tenendum esse in Sacramentis, quod tenet Ecclesia Romana, etiamsi verba Christi facilius, verius, & conuenientius scripturæ exponi possint.

GARDINERVS.

SCOTVS è Scholasticis primus agnoscit, scripturas non esse priuatæ interpretationis.

MARTYR.

SCotum facit primum è Scholasticis. Id, si spectes tempus, non consistit. Permulti enim ante eum tractarunt Scholastica. At si respicias doctrinæ præstantiam, etsi ea fuerit satis celebris, tamen alijs omnibus anteponendam esse non omnes, qui in eo studij genere versati sunt facilè dabunt. Quare Inconstantius, aut falsò, aut, vt solet, parum circumspectè de hac re pronunciat. Quod si dixerit, se non facere illum ordine aut dignitate primum inter Scholasticos, sed primum qui sententiam illam pronunciarit, Scripturam non esse priuatæ interpretationis, ipse viderit, quãtam iniuriam alijs faciat, qui ante Scotum inter Scholasticos annumerati sint. Quodque in primis eo nomine laudat Scotum, quod viderit, scripturam non esse priuatæ interpretationis, attendendum est quàm rectè aut quo sensu faciat. Verba illa sunt ex secunda epistola Petri, quo in loco agitur de prophetia. Eius autem loci sensum Inconstantius pro suo more peruertit. Nam ex illis verbis id colligit, quod Petrus nunquam sensit, non esse priuatorum hominum interpretari scripturas. Id enim ad Ecclesiam, hoc est, ad Papas, Concilia, Episcopos & Doctores bene graduatos pertinere. At Apostoli verba hæc sunt, *Si illud prius noueritis, quod omnis prophetica scriptura non est ἰδίας ἐπιλύσεως*: ea verba alterum horum duorum significant: Aut scripturas non esse priuatæ interpretationis: quam lectionem si sequimur, videndum est, quænam illa sit priuata interpretatio. Eam autem nos priuatam dicimus, quæ à carne, & à nostris præiudicijs proficiscitur, quamque ipsi, dum nobis arrogamus acumen intelligentiæ, ingerimus, non autem è sacris scripturis elicimus. Atque ad hoc genus priuatæ interpretationis pertinet Transubstantiatio. Ea enim nec elicitur ex verbis domini, nec cum alijs locis scripturarum conuenit: sed tantum vltimis istis temporibus à Papis quibusdam, & Sophistis, & Scholasticis nugatoribus intrusa est in Ecclesiam. Certo autem certius est, nunquam id Petro venisse in mentem, vt hominis priuati interpretationem repudiaret. Illis vocibus, *ἰδίας ἐπιλύσεως*, nihil aliud excludere voluit, quam humanam ratioeum, & nostræ carnis, atque ingenij confidentiam. Nam alioqui si id sensisset, quod Papistæ colligunt, qua fronte potuissent aut Petrus, aut eius collegæ Apostoli, Scribis & Pharisæis se opponere? Apostoli enim priuati tãtum erant, & scripturas longè aliter, quam Scribæ & Pharisæi, qui tum gerebãt nomen, & authoritatem Ecclesiæ, exponebant. Quare illa Papistarum sententia Petrus se suosque haud dubiè condemnasset.

Alia autem ratio est, vt id, quod Petrus scribit, *ἰδίας ἐπιλύσεως*, interpretemur, motus, instinctus, impetus proprij. Neque enim existimare debemus, ea, quæ in diuinis literis patefacta sunt, ex humano affectu, aut priuato hominis cuiusquã consilio orta esse. Certò enim scimus, ea omnia prodita esse à spiritu Dei. Et ex eo Petrus id conficit, quod instituerat suadere, videlicet, summa attentione & reuerentia vacandum esse sacris literis, quod illæ sint, non inuenta hominum, sed afflatus spiritus sancti: illo enim impellente, atque instigante hominum corda, scripturas ait fuisse proditas. Et idcirco subiecit: *Non enim voluntate humana allata est olim prophetia: sed à spiritu sancto impulsi loquuti sunt sancti Dei homines*, Huic autem expositioni non minus vox Græca *ἐπιλύσεως*, quam contextus ipse suffragatur. Quod si est verum, frustrà sudat Inconstantius, vt interpretationem scripturarum ad Ecclesiam, hoc est, ad Papas quosdam, & Episcopos

An Scotus inter Scholasticos habeat primũ locum.

Locus Petri.

Quæ sit priuata interpretatio.

Quare diuinis literis vacandum quàm maxime.

Episcopos reuocet: priuatis autem hominibus, & fidelibus facultatem illas intelligendi eripiat. Et quamuis hoc loco, cùm dicat Ecclesiam, non aliam intelligat, quàm Romanã, eam tamen apertè nominare non est ausus. Anglus enim cùm esset, & in Anglia scriberet, Anglorũ animos, quos tum sciebat abhorrere à Papa, offendere noluit. Nam vnà cum alijs omnibus illam Ecclesiam abiurauerat, & publicè de ea re librum etiam scripserat. Quamuis enim Papã in oculis ferret, & in corde gereret, tamen illi ad tempus hostem se voluit profiteri, ne episcopatus sui, & tantarum opum iacturam faceret. Nunc tamen loco Romanæ synagogæ supposuit Patres: quos ait Scotum priuatæ suæ interpretationi antepositisse. Atqui illi Transubstantiationem nunquam asseruerunt, nec docuerunt, panem, nescio quò fugere, aut accidentia sine subiecto retineri.

Cumque Scotus dicat, Scripturas in apparentia potuisse facilius ac verius intelligi sine Transubstantiatione, ait, ex eo ostendi captiuam illius hominis mentem, quæ iudicio spiritus magis, quàm hominum authoritati cederet, & suo exemplo alios prouocaret, ne facilitati & apparentiæ veri confidentes à vero deficiant. Hîc ego te appello Inconstãti: si Scripturæ absque transubstantiatione facilius & verius in apparentia possunt exponi, vbi sunt illæ tuæ plus quàm Thrasonicæ iactationes, quibus hactenus semper vsus es, verba Domini torqueri, & impudenter violari, si aliter, quã per Transubstantiationem exponantur? Illa enim ais, nec præ se ferre, nec pati posse alium vllum sensum. Apparentia autem illa, qua voce Scotus vsus est, nihil aliud est, quàm verisimilitudo, aut probabilitas, aut euidẽtia. Quod idcirco moneo, ne quis putet cum Inconstantio, Scotum non sensisse, Scripturas facilius & verius exponi posse citra transubstantiationẽ. *Ne id quidem*, ait Inconstantius, *ille sensit, sed quasi per concessionem, etiam si ita esset, sequendum tamen Ecclesiæ consensum.* Et mox: *Confessus ergo est Scotus, facilitatem & veri apparentiam transubstantiationi obstare. Adhæc queritur nos omisisse verbum, Apparentia, quod ita detrahit verbo Verius, cui annectitur, vt prorsus reddat pro vero significare falsum. Quicquid enim Apparentia verum dicitur, innuitur re ipsa verè falsum ac simulatum esse.* Hic est sensus, quem noster Scoto adscribit, de quo nolim contendere. Qui tamen hæc affirmare ausim, si hoc sensu ille scripsisset, id eum auribus dedisse Romanæ Ecclesiæ: nam illum cum alijs Canonistis, & Sententiarijs pro temporũ ratione adulatum esse Papæ, negari non potest. Id autẽ cùm faceret, non tanè iudicio spiritus, sed hominum, & quidem impurissimorum authoritati, vel potius libidini concedebat.

Sed Inconstantius, quia videbat, verba Scoti non parum obesse causæ suæ, qui semper odiosè obstrepat, verba illa, *Hoc est corpus meum*, nullum alium sensum, quàm istum, quem sophistæ de Transubstantiatione excogitarunt, ferre posse, modum quendam excogitauit, quò illa à se posset amoliri. *Non intelligit*, inquit, *Scotus scripturas re ipsa facilius, & verius in apparentia absq; Transubstantiatione posse intelligi: sed id tantùm per Concessionem protulit: quasi dicerit, etiamsi ita esset, tamen sequendum esse consensum Ecclesiæ.* Hanc nõ rei veritatem, sed astutissimam strophã esse, verba ipsa Scoti indicant. Ait enim, *ex verbis ipsis Scripturæ Transubstantiationem necessariò non inferri, sed tantùm ex decreto Ecclesiæ.* Sed quid allego verba Scoti? Ipso potius vtar teste Inconstantio. Is enim, vt qui perpetuò strenuè secum pugnet, ita subijcit: *Confessus est ergo Scotus facilitatem & veri apparentiam obstare Transubstantiationi.* Certè qui tantùm dat aliquid per concessionem, quique dicit, Etiam si ita esset, non potest dici confiteri. At Scotus, vt ais, apertè dedit, & confessus est facilitatem & veri apparentiam obstare transubstantiationi. Quare cùm tu illum in Theologia scholastica tanti facias, vt illi primam laudem videaris tribuere, desine aliquando clamare, vt soles, verba illa Christi ita esse perspicua; desine vocare nos contortores verbi Dei: desine iactare, quinqueuerbiam illam orationem sensum vestrum præ se ferre, & insuperabili necessitate conficere. Ille enim ipse, quem tu in cœlum propemodum extulisti, contra te dicit testimonium. Quod autem in argumento vocabulum Apparentia sit omissum, non est quòd multis purgem: ibi enim, vt video, non verba Scoti, sed sensus adfertur.

OBIECTVM CXXVIII.

INNOCENTIVS tertius, primus inuenit & decreuit Transubstantiationem in Concilio Lateranensi: Ergo ea doctrina est Papistica, non autem Catholica. Inaudita enim fuit omnibus Patribus, qui vixerunt ante istum Innocentium.

GARDINERVS.

QVI abditas veritates alijs atque alijs verbis, sed sensu consono iam expressas, in vnam vocis consonantiam redigit, quomodo rerum, quasi ab eo nunc primùm inuentarum, author sit.

MARTYR.

FIngis, Innocentium non rei ipsius fuisse authorem, sed tantùm vocabulum Transubstantiationis addidisse: id autẽ non aliter eius authoritate fuisse decretum, quàm quòd ille

Concilio præsideret. Itaque id factum fuisse instinctu Spiritus sancti, qui regit Concilia, & scientiam habet vocis. Quàm vanum sit, quod ais, Concilia semper regi à Spiritu sancto, locus postularet, vt à me diceretur fusius. Sed quoniam prolixitati parcendum est, ea tractatione in præsentia supersedeo. Fictionem autē istam suam Inconstantius simili exemplo conatur ostendere. *Patres*, inquit, *in Nicena Synodo non possunt dici inuentores Consubstantialitatis: etsi illam Catholicam veritatem, quæ sanctorum consensu firma satis erat, verbo vno, sed apto extulerint, & ὁμούσιον, filium patri appellandum ibi primùm decreuerint.* In vtraque historia par & similis est error Inconstantij. Putat, ὁμούσιον nouum fuisse nomen, & Nicena Synodo primùm natum. At Socrates lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 8. ita scribit: *Quandoquidem & ex veteribus doctos quosdam & illustres Episcopos ac Commentatores de Patris & Filij diuinitate differentes, Homousij dictione vsos esse comperimus.* Et Augustinus contra Maximinum lib. 3. cap. 14. ita scribit: *Hoc est illud Homousion, quod in Niceno Concilo aduersus hæreticos Arrianos à Catholicis Patribus veritatis authoritate, et authoritatis veritate firmatum est.* Non ait, verbum illud tum nouatum fuisse, aut ab illis Patribus primùm inuentum, sed firmatū. Nam vsurpabatur quidem antea, sed non recipiebatur ab omnibus. Confirmatum autem & constitutū fuit primùm in Synodo Nicena. Quod idcircò commemoro, quòd in exemplo plurimū video esse discriminis. Verbū illud ὁμούσιον, in vsu fuit apud quosdam etiam ante Concilium Nicenū. Ostendat vicissim Inconstantius vocem illam, de qua contenditur, Transubstantiationē fuisse in vllo vsu apud Patres ante Innocentiū tertium, & Concilium Lateranense: & fortasse exemplū aliquo modo quadrare poterit. In summa, Lector scire debet, nos hîc non tam de noua voce Transubstantiationis, quàm de re ipsa disputare. Nec Innocentius ea causa conuocauit tot episcopos & monachos, vt tantùm de voce statuerent (ridiculum enim fuisset in tam celebri conuentu rixari de vocabulo) sed potius, vt de re ipsa decernerēt. Ea cùm iam approbata esset multis potius, quàm veris suffragijs, voluerunt illi rei nomen, vt iste putat, aptum, vt autem ego iudico, ineptissimum & absurdissimum imponere. De re autem ipsa actum fuisse in illo Concilio id testimonio esse potest, quòd Innocentius ipse tertius librum conscripsit de sacramento Eucharistiæ: in quo Transubstantiationem, non tantùm quod ad vocem, sed etiam quod ad rem ipsam attinet, explicat, quantum potest, & persuadet. At si de re ipsa, vt iste putat, iam antea constitisset, nihil fuisset causæ, cur ille tantoperè laboraret. Cùmque, quod sæpe iam dixi, nullus ex omnibus Patribus scribat, accidentia in Eucharistia manere sine subiecto: omnes autem & nominent, & fateantur panem, satis apparet, ipsam rem illorum temporibus fuisse inauditam, & incognitam. Et quamuis Consubstantialitas nota fuisset fidelibus, & sæpe ac multum agitata ante Concilium Nicenum, quemadmodum in historijs de illo Concilio traditur, tamē cùm res ipsa Patrum iudicijs & suffragijs esset comprobata, confirmatum est postremò, vt Augustinus loquitur, vocabulum ipsum Homousij. Et in Synodo Ephesina prius disputatum est contra Nestorium de vnica hypostasi naturæ diuinæ & humanę in Christo, & constitutum, naturas illas nullo modo posse diuidi: deinde consensum est de vocabulo θεοτόκος, quod Virgini matri imponeretur. Quare non malè à nostris dicitur, Innocentium tertium in suo illo Conciliabulo primùm statuisse, substantias panis & vini re ipsa mutari in corpus & sanguinem Domini: & postea magna cum Ecclesiæ, & religionis pernicie nouum vocabulum Transubstantiationis adiecisse.

Historia Socratis de vocabulo Homousios

De vera Transubstantiatione non disputatum, sed de re.

Concilium Ephesinum

Innocens.

Primus inductor infra

OBIECTVM CXXIX.

PATRES argumentabantur, Christum fuisse verum hominem, ex eo, quòd esurierit, dormierit, passus fuerit. Similiter licet nobis colligere de pane. Eadem est figura, idem sapor, idem color, quem conuenit esse panis. Est ergo re vera substantia panis. Alioqui hæretici dicere potuissent, famem, somnum, passionem potuisse habere locum in Christo, quamuis abesset illorum substantia, videlicet natura humana.

GARDINERVS.

ARGVMENTORVM varia est ratio. Quædam videlicet veritatem euincunt, & reluctantem ad uersarium trahunt inuitum.

MARTYR.

RESpondet, duplicem esse argumentorum formam. Alia enim prorsus euincere, & aduersarium reluctantem atque inuitum trahere: alia autem animos pronos, & sponte sequentes in cognitionem veritatis, quasi manu ducere. Ego istam distinctionem argumentorum non reijcio. Sed cū Inconstantio hoc iure optimo expostulo, quòd nostra quoque argumenta

Nota diſtinctionem argumentorum

menta partiri noluerit eodem modo: neq; ita apud se cogitauerit, quędam ex illis firmissima esse & ineluctabilia: quædā autem in hunc tantùm vsum facta esse, vt errorem iam cōuictum magis magisq; retegerent, & vehementius vrgerent ac premerēt, quò magis perspicuè à simpliciorib. intelligeretur. Si ita distribui vis argumenta, cur tu omnia nostra vis omnino esse apodictica? Cogitare debebas, nos quoq; interdum aliqua argumenta adducere voluisse, quæ non tam ad pugnam, quàm ad explicationē erroris vestri patefactionem facerent, quem nos errorem alioqui satis firmis & certis rationib. explosimus & confutauimus. Hanc distinctionem Inconstantius ad propositum argumentū accommodat. *Ergo*, inquit, *dormire, sitire, esurire, defatigari, & quicquid est à corporis affectione argumenti, hactenus valuerunt, vt veritatem humanitatis Christi receptam explicarent, non vt euincerent apud hæreticos controuersiā, qui hæc simulari potuisse cōtenderent. Vnde Marcionitæ cùm frequenter hæc in Scripturis legerent, non tamen sunt à sua insania renocati.* Patres non ita sensisse de hoc argumentorum genere, vt putarent, ea tantùm posse veritatem receptam credentib. explicare, & tantùm sponaneos & pronos trahere, vel id satis indicat, quòd illis vtuntur non tantū cum sanctos moneant, aut populum fidelem doceāt, sed etiā cùm contra hæreticos ipsos disputent. Non ergo volebant illis argumentis tantùm sequētes ducere, sed etiā hæreticos aduersantes cogere.

Quanti autem ponderis eā ratio sit, quam subijcit, nunc videbimus. *Marcionitæ enim*, inquit, *cùm ista in Scripturis legerent, non tamen potuerunt reuocari*: quasi verò pertinacia, qua homines addicunt se certis quibusdam opinionibus, non auferat iudicium. An enim Arriani verisimis argumentis potuerunt reuocari? Non multi, opinor. Non tamen idcirco argumenta, quæ illis obijciebantur, minus firma & robusta erant. Et ne à causa discedamus, vos contenditis, firmissimum argumentum, quo probari possit Transubstantiatio, esse illa verba, *Hoc est corpus meum*. Nos illa legimus quotidie, & in Ecclesijs nostris recitamus, & audimus à vobis sæpissimè nobis obiectari, non tamen ea causa à nostra sententia, quam scimus esse verisimam, reuocamur. Noli ergo posthac iactare, illam rationē ita firmam & inuictā esse.

Pertinacia indicium infert.

Postremò concludit, *Vt sensus non possunt explicare veritatem seu controuersiam inuolutam: ita illos multò minus posse iam receptam & constitutam improbare*. Cùm autem argumentum nostrum non possit verè ac solidè diluere, ludit suo more, & nos ait sensibus contulisse tribunitiam potestatem, vt scilicet illorum iniussu nihil possit de aliqua veritate constitui. Erras, Inconstanti erras, si nos istis ludis & ineptijs moueri existimas. Patrum testimonia sunt in medio, quos quiuis facilè videre potest hoc genere argumenti, tanquam validissimo, contra hæreticos vsos esse. Et Dominus ipse discipulis, non sanè pronis aut sequentibus, sed hærentibus & dubitantibus ait, *Palpate, & videte: quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. De sensibus autem, quando firmum, & rursus, quando infirmum testimonium ferant, suprà satis multis diximus. Nunc formam rationis explicabimus. Si probetur ex proprietatibus & accidentibus, Christum habuisse verè humanam naturam, panis quoque naturam manere in Eucharistia, probari potest ex proprietatibus eius & accidentibus. Patres autem rectè confirmarunt ex proprietatibus & accidentibus, Christum habuisse naturam humanam: Ergo, eadem ratione rectè probari potest, naturam panis manere in Eucharistia.

OBIECTVM CXXX.

PATRES probant, esse in Christo duas perfectas naturas, per simile ductum ab Eucharistia. Ergo licebit nobis ita argumentari. Sicut in Christo sunt duæ naturæ non mutatæ, sed distinctæ sine alterutrius confusione: ita in Eucharistia sunt duæ naturæ, panis videlicet, & corpus Christi, distinctæ, non autem vnius in alteram permutatione confusæ.

GARDINERVS.

Si is, qui hæc proponit, illa ipsa persuasa habet, quomodo, obsecro, illos fert, qui Eucharistiam ex pane & corporis Christi figura constare dicunt.

MARTYR.

QVOniam hoc argumento conficitur, duas esse naturas in Eucharistia, panem videlicet, & corpus Christi: id Inconstantius putat maximè contra sententiam nostram facere, qui dicamus, Eucharistiam constare pane & figura corporis Christi. Nemo enim dixerit, figuram esse perfectam naturam eius corporis, cuius est figura. Hæc ipsa satis docent, quàm ille procul absit à nostri dogmatis intelligentia. Nos quidem dicimus, Eucharistiam constare pane, & Christi corpore: non tamen pane & figura corporis Christi. Ipse enim panis est & figura corporis Christi. Hoc in primis oportuit Inconstantium attendere, quod ille, quantum

Non dicimus Eucharistiam constare pane & figura corporis Christi.

intelligo, aut non vidit, aut videre noluit, Relatiua duabus rebus potissimũ constare, fundamento, vt Dialectici loquuntur, & termino: vt interim relationem ipsam omittam. Tanta autem est relatiuorum inter se coniunctio, vt alterum nec intelligi, nec definiri, nec esse possit absq; altero. Quare, cùm sacramentum Eucharistiæ sit quiddam relatiuum, necesse est, vt constet fundamento, nimirum significáte, hoc est, pane & termino, hoc est re significata, quæ videlicet est corpus Christi. Quamuis autem hæc inter se ita sint coniuncta, vt alterutro illorum sublato, natura Sacramenti non possit cõsistere, non tamen id necesse est, vt vnà sint cõiunctione locali aut vllo cõtactu. Possunt enim ita coniungi, quamuis longissimis locorũ spatijs distinguantur. Etsi enim necesse sit filium comprehendi in ratione patris, nec alter illorũ vel intelligi, vel definiri possit sine altero, fit tamen sæpe, vt quod ad locorum coniunctionẽ attinet, alter illorum sit in Italia, alter versetur in Germania. Sed vtemur exemplo alio, magis etiam ad id quod agimus accommodato. Omnes fatentur, Sacramenta esse verba quædã visibilia. Nos naturam illorũ ipsorum verborũ quæ nobis in vsu sunt, consideremus. Omnes facilè vidẽt, sermones nostros duab. rebus cõstare: sonis videlicet, hoc est, elemẽtis, syllabis, dictionibus, quæ non aliud sunt quàm signa: & rebus significatis, aut sensibus cõuenientibus. Nam si sensus & significata subtrahãtur, quic quid garrias, nec sermo erit, nec verbum. Sermones ergo nostri constant & sono vocum & significato. Quod tamen significatũ non necessariò semper cum sermone loco coniungitur. Sæpe enim verè & rectè loquimur de rebus, quod ad loci rationem attinet, à nobis remotissimis. Quare cùm de toto perfectoq; sacramento loquendum est, statuimus, illud constare pane & vino, & corpore ac sanguine Domini: sed ita, vt panis & vinum significẽt: corpus autem & sanguis significentur: hoc nos & dicimus & profitemur. Iste autem putat nos dicere, sacramentum constare ex pane & figura corporis Christi, quod nos nunquã potuimus somniare. Panem enim, quem scimus esse figurã corporis Domini, dicimus esse alteram partem sacramenti: quem tamen panem, communem & profanum esse prędicamus, antequam ad sacrã communionem ex instituto Domini accommodetur. At postquam eò peruentum est, adhibito verbo Dei & promissione, eum iam dicimus transferri ad sacramentalem dignitatem, quòd effectus sit altera pars sacramenti: vt iam non amplius pro creatura communi aut profana haberi debeat, sed pro electo instrumento Spiritus sancti, ad fidem excitãdam in animis communicantium. Dicitur autem iam sacramentum, non quòd totum sit, sed quòd sit altera pars sacramenti. Desiperemus haud dubiè mirum in modum, si ex pane, & figurã tertium quiddã putaremus posse fieri. Cùm sacramentalis figura sit relatio, idq; eius generis, vt constet tantum beneplacito diuinæ voluntatis, & nostra fide apprehẽdatur. Ità lapis in agro tam diu est limes aut terminus, quoad vicini voluerint. Et sanè panis & vinum ad sacrã cœnã adhibentur ex pacto inter Christũ, & eius mẽbra: nec aliter dicuntur, aut sunt signa carnis & sanguinis eius. Non tamẽ eo infițias, sacramentum nonnunquam seorsim accipi pro ipso signo. Sed ea vsurpatio non est integra: Signum enim rem significatam semper complectitur, nimirum quod ad ipsam referatur. Hunc tamẽ abusum orationis qui sequũtur, panem ipsum & vinum appellant sacramenta. Atq; ad hunc modum Patres aliquando loquuti sunt: cùm tamen ea re vera sacramenta dici non possint, nisi quatenus terminũ, hoc est, res ipsas significatas respiciunt. Hæc me plurib. præfari oportuit, & vt vis ac sensus propositæ rationis intelligeretur, & vt Lector videret, quàm sint extra oleas, quæ Inconstantius hic cõminisci voluit. Qui illud argumentum confecit, nõ sensit, sacramentum cõstare ex pane & figura corporis Christi. Neque existimauit, solam figuram corporis habendam esse pro præsenti corpore. Nullam enim agnoscit realem præsentiã corporis Christi in Eucharistia: sed eam tantùm, quam dicere possumus præsentiam fidei: nimirùm quod piè communicantes corpus & sanguinem Christi vera fide percipiant. Itaq; ineptissima est illa collatio: Vt figura ponitur pro corpore, ita accidentia poni posse pro pane. Illud enim, quod nos dicimus, vsitatum est, nec quicquam habet absurdi: videlicet, vt figura seorsim statuatur ab eo cuius est figura. Accidentia autem hærere posse vsp am absque substantia, neque sancta scriptura, neque quisquam ex omnibus Patribus vnquam docuit. Nihil ergo est in hoc simile, quod vel speciem vllã habeat iustæ proportionis.

Quomodo Eucharistia duabus reb. cõstet, symbolis et re significata.

Sacramẽtũ cuius genus relatio sit.

Præterea etiam errat, quòd putet nos extitisse primos authores, qui docuerimus, duas perfectas naturas in Eucharistia conseruari oportere, quemadmodum retinentur distinctæ in Christi corpore. Patres hoc ante nos dixerũt, quos tu semper vociferaris tuos esse, & pro te facere. Nã Gelas. contra Eutychet. ita scribit: *Certè sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, diuina res est: propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ: & tamen esse nõ desinit substantia & natura panis & vini. Et certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebratur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur, hoc in ipso domino Christo sentiendũ, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & sumimus: vt sicut in hanc, scilicet diuinam transeunt Spiritu sancto perficiente substantiam, permanent tamen in suæ proprietate naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam veritatemq; veraciter repræsentat, ex ijs, quibus constat, propriè permanentibus, vnum Christum, quia integrum, verumq; permanere demonstrant.* Hic Gelasius perfectas naturas intelligit, quæ non desinant esse, aut confusione pereant, sed id habeant, quod ad illarum essentiam & definitionem pertineat. Hoc ideo dico, vt Inconstãtij nubes & meros fumos dissi-

ciam.

ciam. Is enim animam & corpus perfectas naturas esse negat, quòd vna perficiat alteram: quodq; corpus habeat suum pondus & corruptionem. Sed hoc quid mea refert? Corpus, vt nunc loquimur, dicitur perfecta natura, quod habeat, quę ad eius ditionẽ pertineant. In Christo autem, etsi humana natura careat propria subsistentia, non tamẽ ea propterea quicquam imminuitur. Subsistentia enim aut hypostasis neque ad definitionem hominis, neq; ad eius essentiam pertinet. Hoc autem solum in præsentia contendimus, duas naturas integras ita relinquendas esse in sacramento, vt in homine sunt duę naturæ distinctæ, corpus & anima: in Christo autem diuinitas, & humanitas: quanquam de anima & corpore, & hominis compositione in argumẽto nostro nulla facta est mentio. Sed iste de industria multa miscere & turbare voluit, vt oculos atq; animum Lectoris à vi argumenti, quo se videbat premi, auerteret. Hoc tamen vnum interea me non pigebit admonere: tam nos, quàm Papistas in ista similitudine retinere oportere quiddam varietatis in modo & forma coniunctionis. Natura enim diuina & humana aliter cõiunguntur in Christo, quàm signum & res significata in Eucharistia. Nam in Christo duæ illæ naturæ in vna hypostasi vniuntur: in sacramẽto autem panis & vinum, vt nos dicimus, per significationem, vt Papistæ mentiuntur, per conuersionẽ substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Quod propterea dico, ne, si Inconstantius contra hoc simile diuersitatem coniunctionis nobis obijciat, putetur statim obtinuisse. Ipsius enim, & Papistarum opinio vel in eadem, vel certè non multum in dissimili diuersitate versatur.

Sed iste constanter negat, Patres id agere istis similitudinibus, quę vel ab Eucharistia, vel ab hominis constitutione petuntur, vt eá perfectionem naturarum, quæ est in Christo, ostendant, sed tantùm naturarum diuersæ conditionis consistentiam. Hæc videlicet est huius hominis versutia, vt vocem illam, Perfectas, ex hac collatione expungi velit: nimirum vt intelligamus, diuersas esse naturas in Eucharistia, quemadmodum sunt in Christo. Diuersas autem naturas in Eucharistia vult esse corpus Christi, & accidentia panis, & pro pane satis esse putat, si retineantur accidentia. Atq; ita in Christo & Eucharistia aliquam vult esse disparitatem: quòd in Christo sint duæ naturæ integræ: in Eucharistia autem natura panis perfecta non sit: ex illo enim post consecrationem nihil supereſse præter accidẽtia. Hæc autem ab illo incredibili obscuritate obuoluuntur: quod eo, opinor, consilio facit, vt Lector defatigatus iam in eius subtilitate consectanda, desinat de vi argumenti cogitare. Sed videamus, acutissime vir, an Patres sic illa sua verba intelligi voluerint, quemadmodum tu interpretaris. Illi certè, quemadmodũ in Christo ponunt duas naturas, diuinam & humanam: ita in Eucharistia duas perfectas naturas constituunt, panis, & corporis Christi: naturas, inquam, perfectas in suo genere. Sed quoniam Inconstantius rixatur de pane, non ego iam, sed illi audiantur. Gelasius ita scribit, vt recitaui: *Ea tamen esse non desinit natura vel substantia panis & vini.* Quid ergo ex Gelasij sententia deest pani & vino in Eucharistia, quod ad illorum integritatem faciat? De accidentibus dubitari non potest. De substantia & natura tu moues controuersiam. At Gelasius decreuit, ne ista quidẽ in pane desinere. Quid aliud quærimus? Fortasse hoc nõ est satis. Audiamus ergo, quid idem Pater subijciat: *Permanent in sua proprietate naturæ.* Et statim simile illud accommodat ad Christum: *Sic,* inquiens, *illud ipsum mysterium principale, cuiusmodi efficientiam veritatemq; veraciter repræsentant, ex ijs, quibus constat, propriè permanentibus, vnum Christum, quia integrum verumq;, permanere demõstrant.* Quid clarius dici potuit? Sic, inquit, se habere mysterium principale, nimirum Christi constitutionem ex duabus naturis integris, quas ait propriè permanere, quemadmodum se habet sacramentum Eucharistiæ: in eo enim panem & vinum manere in suæ proprietate naturæ. At si rebus auferre substantiam, non sit eas à proprietate suæ naturæ deturbare atque euertere, quid id aliud sit, videre equidem non possum. Certè si Inconstantij sententiam sequi volumus, vicit Eutyches. Nam ipse quoque accidentia humanæ naturæ in Christo reliquit. Nã eius substantiam conuersam iam in naturam diuinam statuit esse desijsse: quemadmodum isti somniant de pane in Eucharistia, substantiam eius conuersam esse in corpus Christi, & sola supereſse accidentia. Huic errori Eutychetis Patres vt occurrerent, simile duxerunt ab Eucharistia, atque ita colligebant: Mysterium Christi necesse est suæ imagini respõdere. Eius autem imaginem Gelasius vult esse Eucharistiam: in qua quemadmodum panis manet in sua natura & substantia, ita ait in Christo retineri naturam humanam. Qui dubitat, patres hoc pacto egisse contra Eutychem, aut eos nõ legit, aut communi sensu destituitur. Inconstantius autem ea, quæ per se satis sunt perspicua, perturbat & infuscat: & quò nobis negotium facessat, Eutychetis partes adiuuat. Nam apud Theodoretum Eutychiani ad hunc modum argumentantur: Panis efficitur corpus Christi: Ergo humana natura Christi transiuit in diuinam. At Theodoretus negat assumptũ. Nam panem, ait, nomen quidem accipere corporis Christi: interim tamen eius naturam & substantiam non mutari. Sic enim loquitur in primo dialogo, quem inscripsit Immutabilis: *Atq; item seipsum nominauit idem ipse etiam ea, quæ videntur symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit: non equidem naturam ipsam transmutans, sed naturæ adijciens gratiam.* Rursus in secundo Dialogo, quem inscripsit Inconfusum, ita loquitur: *Captus es ijs ipsis retibus, quæ tetenderas. Neq; enim post sanctificationem mystica illa symbola è natura sua egrediuntur. Manent siquidem in sua propria substantia, & figura, & specie. Ideoq; &*

videntur & palpantur, quemadmodum & anteà. In
telliguntur autem, quæ facta sunt, & creduntur, &
adorantur, tãquam existentia, quæ creduntur. Confer
itaque cum archetypo imaginem, & videbis similitu-
dinem. Oportet enim figuram conuenire cum veritate.
Etenim illud ipsum corpus habet sanè priorem suam
speciem, & figuram, & circumscriptionem, & vt sim-
pliciter dicam, etiam ipsam corporis substantiam. Im-
mutabile autem factum est post resurrectionem, &
supra corruptionem, & dignum habitum est sede, quæ
est ad dexteram Dei, & ab omnibus creaturis adora-
tur, tanquam existens corpus Domini ipsius naturæ.
Hæc alia interpretatione non egent. Satis enim sua sponte indicant, quemadmodum patres collationem faciant inter Eucharistiam, & corpus Domini. Et ex his apertissimè patet, Eutychetem, eiusque assecias, vt suum errorem defenderent, sic intelligere voluisse negotium Eucharistiæ, vt hodie à Papistis intelligitur. At illis Gelasius & Theodoretus, quemadmodum iam audiuimus, obstiterunt, & Ecclesiæ sententiam de Eucharistia explicauerunt.

Sed istis operæprecium erit adijcere etiam Chrysostomum. Is ad Cæsarium monachum, tempore secundi sui exilij, scripsit contra Apollinarem, & alios, qui diuinitatem & humanitatem in Christo confundebant. *Et Deus, inquit, & homo est Christus: Deus propter impassibilitatem, homo propter passionem: vnus filius, vnus dominus: idem ipse proculdubio vnitarum naturarum vnam dominationem, vnam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales existant: & vnaquæque incõmixta proprietatis conseruat agnitionem, propter hoc, quòd inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus; diuina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, & non duo corpora, sed vnũ filij corpus prædicatur, &c.* Hic Chrysostomus quoque fatetur, manere in Eucharistia naturam panis. Quòd si ista dices intelligi tantùm de accidentibus, id non patietur relatio ad Christum de natura diuina & humana. Hæc enim Chrysostomus scripsit contra eos qui tollebant naturam Christi humanam, vt hodie transubstãtiatores in Eucharistia tollunt substantiam panis.

Ista quæ citauimus, tam plena sunt, tamque perspicua, vt sine vlla alia declaratione possint esse satis ad omnes illas ineptias, quæ ab Inconstantio in hunc locum coniectæ sunt refutandas. Tamen ne quis queri possit, sibi non factum satis, omnia eius commenta excutiam.

Gelas. declaratio, Prius tamen quiddam in verbis Gelasij arbitror expendendum. Ita enim scribit: *Vt, sicut in hanc (scilicet in diuinã) transeunt Spiritu sancto perficiente, substantiam, permanent tamen in suæ proprietate naturæ: sic illud ipsum mysterium principale, &c.* Hoc, inquam, nobis expendendum est, quomodo symbola transeant in diuinam substantiam. An id est, vt Inconstantius fingit, transubstantiari? Non opinor. Id enim Gelasij ipsius verba non sinunt. Ait enim, naturam & substantiam panis esse non desinere, sed manere in suæ proprietate naturæ. Hoc idem Theodoretus non patitur. Ait enim ea non mutari: quod idem confirmat etiam Chrysostomus. Quid ergo restat, nisi vt, Transire in diuinam substantiam, intelligamus esse, per significationem coniungi cum diuina substantia? Id enim anteà non habuerunt, cum essent adhuc res profanæ. Nanciscuntur tamen ex diuino instituto, cùm opera Spiritus sancti asciscuntur ad vsum Sacramenti. Neque enim quisquam, ne Papista quidem, diceret, ita symbola transire in diuinam substantiam, vt cum ea coniungãtur in eadẽ hypostasi. Nã Papistę ipsi aiunt, substantiã panis desinere, & accidẽtia ita cõiungi cũ corpore Christi, vt nec illud afficiant, nec ab eo afficiãtur. Quòd si illis licet illa fingere, quæ nec habẽtur ex scripturis, nec vllo modo possũt intelligi, nihil est, quòd quisq; nobis iratscatur, si trãsitum istũ per significationẽ, & sacramentalem gradum vel vnionem intelligamus. Et sanè Theodoretus nihil aliud voluit cum in primo Dialogo ita sciberet, *Illa quidem non mutari, sed naturæ adijci gratiã, qua iustificamur, vel qua ad vitam æternam dirigimur: sed eminentiam quandam & donum seu gradum sacramentalem, quò ilis sint instrumenta Spiritus sancti.* Idem in secundo Dialogo apertius declarauit, cùm diceret: illa non egredi è propria sua natura: manere autem in priori suâ natura & substantia, vt videri possint & palpari, non minus quàm antea. His verbis conditionem describit symbolorum in sacramento. Quomodò autem illa trãseant in substantiam corporis Christi, postea subijcit: *Intelliguntur*, inquiens, *quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, tanquam ea existentia, quæ creduntur.* Hic est ille transitus: quòd cùm elementa facta sint quodam modo corpus & sanguis Christi, illa in eis intelligantur, credantur, & adorentur: ita enim illa respicimus, ac si essent ea ipsa, quæ significant, quæq; suo quodam modo dicuntur facta. Imò etiam nomen illorum accipiunt, vt idem paulò pòst Theodoretus testatur, & Chrysostomus in eo libello, quem suprà citaui, ad Cæsarium monachum. Ait enim, symbolum liberatum iam esse appellatione panis: etiam si natura panis in eo permaneat. Ex his apparet, qualem nam mutationem Patres adscribant symbolis: illam nimirum quæ non excludat pristinam substantiam: sed per quam res ipsæ significatæ in symbolis intelligãtur, credantur, & in honore habeantur, siue adorentur, modo nimirum exposito ac rursus explicando, & per quam nomina illorum immutentur, & certo quodam modo ea credantur fieri, quæ significant. Ista verbosius, & aliquantò fusius dicere volui, cum vt Patrum sensus, tum etiam, vt sententia ista verissima, quam propugnamus, à Lectore intelligeretur. Illam enim Inconstantius pro suo more ita inuoluit & obscurat, vt oculis legentiũ vertiginem facilius ingerat, quàm lucem adferat. Cæterùm iam ad eius reuertor nebulas. Multa nugatur de cõpositione hominis ex anima

Quomodo symbola transeant in diuinam substantiam.

&

& corpore: quæ hoc loco prorsus sunt ἀσύνθετα. De huiusmodi enim compositione in argumento nostro nil dicitur. Tantùm mentio fit de compositione Christi ex duabus naturis, diuina & humana: quas duas naturas perfectas esse non dubitamus. Quid iste mihi nunc de anima & corpore mouet quæstionem? *Quoniam*, inquit, *anima & corpus non sunt duæ perfectæ naturæ, cùm vna perficiat alteram.* Atqui ego in argumento neque de anima quicquam, neq; de corpore loquutus sum. Perficiatur tamen corpus, vt volueris, & in suæ grauitatis & corruptionis conditione maneat. Tamen eius natura perfecta dicitur in suo genere. Nam & sua definitione cõtinetur, & suis membris & partibus, tam quod ad essentiã, quàm etiam quod ad singularum partium distinctionem attinet, perfectum est. Sic ergo loquuntur Patres: Vt homo constat anima & corpore: ita Christus constat natura diuina & humana. Quod cùm ita sit, ego quoque vnà cum Patribus vos oro, vt quemadmodum duæ naturæ manent in homine, & in Christo duæ naturæ relinquuntur: ita etiam in Eucharistia duas naturas esse patiamini. Cur enim panem & vinum è sacramento tollitis, cùm in homine totum corpus, & in Christo totus homo conseruetur? Quod si hìc non vultis exorari, frustrà de perfectione naturæ litem nobis intenditis.

Sed deinde ait, collationem istam hominis cum Christo aliquò tantùm vsque veram esse, non autem omnibus numeris conuenire. Nisi enim ita esset, Christi mysterium, inquit, non esset quiddam singulare, quod tamen est singularissimum. In summa, non vult vrgeri verba vltrà quàm sit fas. Ea enim, inquit, mysterio seruire debent, non præiudicare. Hæc iste verba miserè & frustra perdidit. Nam ad propositam quæstionem nihil faciunt. Nos enim vel à pueris hoc sciuimus, collationes non esse longius vrgendas & persequendas, quàm ille voluit, qui eas instituit. Neque verò ostendi potest, nos hic modum transgressos esse. Quóniã hîc non satagimus, vt panis Eucharistiæ tam sit perfectus, quàm est diuina natura in Christo: aut vt viuat, quemadmodum illa in Christo viuit. Illud tantùm nos contendimus, quod Patres vrgent: quemadmodum in Christo nõ desinit esse humana natura, ita in Eucharistia panem non desinere esse panem. Quid nos hîc aliud statuimus, quàm quod Patres ipsi, qui hanc collationem primi excogitarunt, statuerunt? Aut quid ista verba, quæ Patres vrgent, præiudicant sacramento? Vestram quidem ea Transubstantiationem apertissimè euertunt: sacramenti autem vim & efficaciam nihil imminuunt. Hinc istę sunt ambages vestræ & verba subuentanea.

Rursus nodum in scirpo quæris, & ais, nos docere, Christum esse perfectum hominẽ: cùm alioqui negemus, illum assumpsisse personam hominis, sine qua persona cæteri homines nõ sint perfecti. Hic, si Deo placet, lepidè nugaris, quasi quisquam sit nostrorum, qui dicat, Christum assumpsisse humanã hypostasin aut personam. Rixare cum Nestorio & alijs huiusmodi pestibus quantum voles. Nostra quidem id nihil refert. Quod autem ad rationem loquendi attinet, qui rectè loqui volunt, non dicunt, naturam diuinam filij Dei assumpsisse perfectũ hominem, sed potius perfectam naturam humanam. Quæ, vt sit perfecta, satis est, si aliqua persona aut hypostasi sustentetur. Ea autem hypostasis siue diuina sit, siue humana, nihil interest. Neque enim vel ista hypostasis, vel illa, in definitione naturæ ponitur. Ad panem autem Eucharistiæ hoc prorsus nihil facit. Is enim personam nullam habet. Maneat ergo sanè eius natura, quemadmodũ & Patres, quos citauimus, & sacræ Scripturæ testantur.

Hypostasis nõ ponitur in definitione naturæ.

Postremò post longam σκιομαχίαν Inconstantius ait, se velle venire ad Eucharistiã. Sed rursus alias tenebras inducit, easque multò densiores. Ait enim, Eucharistiæ panis & vini naturas adhiberi quidem perfectas: idque intelligit ante cõsecrationem. Sed addit, *Vnde ex visibili elemento & vero Christi corpore ac sanguine dicitur constare.* In his verbis animaduertere debes, Lector, huic homini elementum visibile nil esse aliud, quàm accidentia sine subiecto. Quod cùm ipse admonere noluerit, cogita, quanta obscuritate, vel potius nequitia & fraude illudat legentibus. Nemo enim ferè est, qui cùm audiat elementum visibile, non intelligat primo aspectu naturã ipsam panis & vini. Sed addit, id, quod in sacramento est terrenum, à suæ naturæ proprietate non recedere. Sed, bone Deus, quî hoc fieri potest, vt natura panis non recedat à proprietate sua, cùm esse omnino desinat? Nam quod non est, certè proprietatem non habet. Non ferebantur hæretici, qui dicerent, naturam humanam Christi post resurrectionem abijsse in diuinitatem, sed ita, vt solæ proprietates eius & accidentia remanerent. Neque intelligere quisquam potest, quomodo substantia terrena nõ recedat à proprietate sua, cùm panis & vinum in sacramento, vt isti volunt, proprietates illas relinquant & abeant. Quomodo autem cùm panis iam abierit, tamen terrenum elementum retineatur, ita declarat: *Quod antea visibile erat, manet etiam nunc visibile: & quod erat palpabile, manet etiam palpabile.* Ista mihi crede, Lector, indigna sunt, quibus respondeatur. Nam quod Patres in illa sua collatione dicunt de pane, id iste totum refert ad accidentia: quasi hoc illi statim sit concedendum, ea, sublato subiecto, videri à nobis aut palpari. At istis, inquit, accidentib. natura corporis Christi non afficitur. Proferatur ergo natura aliqua quam afficiant. Ais, non esse corpus Christi, nec panem: nam eum vis prorsus tolli: nec aerem, is enim nec albus est, nec rotundus. Cur ergo hoc non dicis, quidnam illud sit, quod fateris esse album, dulce, rotundum? Verùm hîc rursus audienda sunt noua alia prodigia: nempe album, & non album: rotundum, & non rotundum: leue, & non leue. Vocabula ista rem abstractam, vt isti

loquuntur, non significant, sed concretam. Dic sodes, quid nam tandē illud est in Eucharistia, quod iuxta vestrā ipsorum sententiā rotundū & album appellatis? Sed ridiculum est expectare, quid muti velint respondere. *Altera*, inquit, *natura, qua parte manet, ab altera non extinguitur neq; confunditur.* Hoc idem responderent hę retici Eutychiani, alteram naturam, videlicet humanam, qua parte in Christo manet, à diuina parte non extingui neque confundi. Quid sit cum Patribus apertè pugnare, & cum hæreticis colludere & prævaricari, nisi hoc sit, equidem non video. Vobis licet dicere, Panem in Eucharistia manere tantùm, quod attinet ad eius proprietates & accidentia: cur idem non liceat Eutychi dicere de corpore Christi, nempe illud esse in Christo post resurrectionē tantùm, quod attinet ad eius proprietates & accidentia: non autē quod attinet ad substantiam? Scio reclamabitis: Pati ergo debetis, si nos vobis aut eadem, aut æquè absurda dicentibus reclamamus.

Huc addit, quod ad perfectionem & integritatem naturarum attinet, suam esse cuiusq; mysterij propter diuersum cōstitutionis modum peculiarem rationem. Ideoque ait, in Christo duas perfectas naturas extare adunatas: in Eucharistia verò substantiam panis esse desinere, vt adsit substantia corporis Christi, quæ ibi antea non erat. Non enim quod in Christo factū est, dici posse, Christum aut assumsisse, aut ad se adunasse panem. Quòd si constitutio sacramenti habet hunc modum, quem iste fingit, cur id è sacris literis non probatur? Cur nos ex illis non docemur, desinere naturam panis, vt locum cedat corpori Christi? Nam de modo, quo instituuntur mysteria, nihil hominibus credendum est. Deum oportet esse, qui de illis testetur ex verbo suo. Sed esto: audiantur etiam Patres. At illi hanc partem collationis maximè vrgent, vt duæ naturæ distinctæ seruentur in Eucharistia, quemadmodum seruantur in Christo. Verùm & ex istis somnijs Inconstantij possumus rectè concludere, substantiā corporis Christi in pane non adesse. Nam si ita esset, Christus vel assumpsisset naturam panis, vel eam sibi adunasset. Quorum neutrum, cùm vt ipsi Papistæ confitētur, possit fieri, patres q; dicant, naturam & substantiam panis remanere, sequitur necessariò, corpus Christi in mysterio cōmunicantib. tantùm exhiberi, hoc est, significari, & mente, animo & fide percipi.

Deinde hoc mihi velim aliquando perspicuè exponi, si daretur ista præsentia, quam isti à nobis tantoperè cupiūt extorquere, quidnam illi obstaret conseruatio naturæ & substantiæ panis? Si præsens natura humana nihil impedit in Christo præsentiam naturæ diuinæ, cur potest substantia panis impedire præsentiam carnis Christi? Dicet fortasse, Quoniam ita in sacramento essent simul duo corpora: quod in Christo ipso non accidit. Nam diuina natura non est corporea. Rectè. Sed cùm neget fieri posse, vt duo corpora simul in vno loco collocentur, miror eum ita confidenter docere, vnū corpus esse in infinitis locis: & præsertim, cùm idem alibi doceat, corpus Domini clausum in sepulchro penetrasse magnum lapidem, & per fores clausas ita transijsse, vt illæ transeunti nō cesserint. Ex his apparet, eos istius impedimenti, quod nobis obijciunt, nullam certam, firmamq; rationem posse reddere. Postea sele eò refert, non posse dici, substantiam panis annihilari. Eam enim in tantā iam efferri dignitatem, vt illi succedat corpus Christi. Ergo ex huius hominis noua & admirabili sapientia, humor terræ cùm transit in herbam, non dicetur corrumpi: quia transit in aliam naturam nobiliorem. At eum corrumpi omnes fatētur, quāuis eius materia essenō desinat. Multò ergo iustius dicemus, in Eucharistia corrumpi panem. Eius enim isti non tantùm formam auferri volunt, sed etiam materiam. O præclara dogmata Papistarum: esse scilicet mutationem, in qua terminus à quo, vt physici loquuntur, nō pereat. Verùm adhuc vrget, in Christo non oportere ita vrgere perfectum hominem, vt tollatur ratio mysterij: ita in Eucharistia quoque non esse altius quærendam naturam panis, quàm ratio mysterij patiatur. Hîc ego nihil aliud regero, nisi Patres velle & scribere, tantū supereſſe panis in Eucharistia, quantum est in Christo humanæ naturæ. Itaque iste, quicquid philosophatur, Patrum rationes apertè damnat.

Vt duo corpora eodem loco simul esse non possint.

Verùm non ita cæcus erat, quin vt videret, causam aliquam fuisse adferendam, cur natura panis nō posset manere in sacramento. Et quoniam aliam meliorem non habebat, huiusmodi quandam comminiscitur. *Quoniam*, inquit, *Christus vnum quid entis in substantia, quod in manibus habebat, corpus suum esse definiuit, quòd effecerat consecrando id, quod antea fuerat panis, propter illa sanè Christi verba Ecclesia docet, panis haudquaquam manere substantiam, licet accidentia eius retineantur ad significandum & velandum corpus Christi.* Mater facilius obliuiscī potest filiorum, quàm Inconstantius Chimeræ suæ. Excussus miser alijs præsidijs, redit ad suum individuum vagum. Et Christum, ait, habuisse in manu vnum quid Entis: quasi verò ea, quæ mentis operatque intellectu abstracta sunt, manibus tractari aut teneri possint. Profectò, quicquid tractari & teneri potest, id vel inuitis omnibus sophistis, certæ alicuius & distinctæ naturæ esse oportet. Ego ergo id, quod Christus habuit in manibus, & substantiam certam, & corpus & panem fuisse dico: idque vnà cum antiquissimis & orthodoxis Patribus dico. Quare cùm iste noster in re tam perspicua, tam apertè, tamque impudenter mentiatur, quid illi in alijs rebus obscurioribus habendum sit fidei, prudens Lector facilè per se ipsum potest iudicare.

Adhæc negat, naturas perfectas in Christo vlla similitudine ostendi posse. Litiget ergo nūc non mecum amplius, sed cum Patribus. Illis enim hęc similitudo de Eucharistia visa est ad id vale-

valere. Sed iſte Patres, quòd non ita circũſpectè locuti ſint, putat ad hunc modum poſſe excuſari. *Ea gratia*, inquit, *hoc ſimile attulerunt, vt demonſtrarent, corpus Chriſti non incipere eſſe ſpiritum, licet cum ſpiritu conſiſtat in Chriſti perſona: quemadmodum in Euchariſtia duæ naturæ in ipſa conſiſtentia ſe non afficiunt, ſed manent in ſuæ proprietate naturæ: neq; corruptibile deſinit eſſe corruptibile, etiamſi cum cæleſti natura conſiſtat in Euchariſtia.* O patronum ſingularem. Magnifica quidem iſta ſunt, nec tamen prorſus falſa: ſed à patrum ipſorum ſenſu longe, longeq́ue abhorrentia. Illi enim diſertiſsimis verbis alteram naturã, quæ manet in Euchariſtia, panem eſſe dicũt: quam Inconſtantius, quantumuis turbet, & clamet, fruſtra & ridiculè traducit ad accidentia. Certè hoc argumentum nulla vnquam ſtropha aut commentatione poteſt eludere. Si accidentia panis, loco panis ipſius in Euchariſtia eſſe poſſunt, in Chriſto quoque accidentia humanæ naturæ loco ipſius naturæ iam à diuinitate, vt Eutychiani docebant, abſorptæ eſſe poſſunt.

Deinde addit, ex argumento noſtro hoc tantùm poſſe confici, naturarum diſtinctionem in Euchariſtia eſſe ſine confuſione: eamq́ue omnino fatetur eſſe dandam. Et ex eo nos ait hallucinari, quòd putemus, panem ipſum tranſire in corpus Chriſti, & manere. At id ait non poſſe fieri: non magis, quàm illud ceræ, quod in igne abſumptum ſit, manere poſsit in igne. Atque eo ſimili ait, Chryſoſtomum Tranſubſtantiationem confirmaſſe. Sed dic mihi ingenuè, bone vir, ſi iſta ſimilitudo de cera docet tranſubſtantiationẽ, cur vos in Euchariſtia accidẽtia retinetis, cũ in cera, quę in igne cõſumitur, accidentia quoque ipſa pereant? Et quãuis in igne nihil ceræ remaneat, ignis tamen ab illa nonnihil afficitur. Impinguatur enim, olet ceram, reddit ſuffitum, & luculentius, quàm antè emicat. Cur ergo corpus Chriſti aliquo modo non afficitur pane? Adhæc, quomodo tandem nobis probabit Inconſtantius, ceram liquefactam non abire in ignem? Deniq; materia cerę non tollitur, vt iſti nugãtur, de materia panis: ſed aut in vaporem tranſit, aut in aerem. Quare cùm tot ſint diſsimilia in iſto exemplo de cera, illudq́ue cum tranſubſtantiatione tot modis pugnet, non eſt credibile, Chryſoſtomum eam huiuſmodi ſimili voluiſſe conſtituere. Quid autem ille ſibi voluerit, cùm alibi ſatis à me fusè dictum ſit, hîc non iudico eſſe repetendum.

In calce verò Inconſtantius, quaſi qui emerſerit ex altiſsimo aliquo gurgite, cauillatur, armentum noſtrum cœpiſſe à perfectis naturis, & exijſſe in confuſionem. Id autem alienum eſſe arbitratur à re præſenti: cùm in Chriſto naturæ diſtinctæ maneant: in Euchariſtia autem iuxta ipſius ſententiam nulla ſit confuſio. At qui illud argumentum confecit, non curauit, quid Inconſtantius ſentiret. Tantùm ex illo ſimili Patrum intelligi voluit, oportere in Euchariſtia duas naturas integras diſtinctas, & non confuſas retineri. Tu autem ſi panem, vti dicis, cum Chriſti corpore non confundis, tamen illum multò maiori iniuria afficis. Aufers enim eum prorſus è medio. Atque ea in re multò omnes Eutychianos ſuperas impudentia. Illi enim humanam naturã Chriſti ſic aiebant tranſiſſe in diuinã, vt in ea eſſet: vos verò nihil omnino de ſubſtantia panis in corpore Chriſti manere vultis. Itaq; panis in Euchariſtia veſtra iſta ſententia prorſus perit. Sed quia multa diximus, vt ratio adducta euidentius intelligatur, ita eam cõtexam: Vt natura humana eſt in Chriſto, ita panis eſt in Euchariſtia. At natura humana in Chriſto eſt integra & perfecta: Ergo, natura panis perfecta eſt in Euchariſtia. Minor eſt ex articulis noſtræ fidei. Maior colligitur ex dictis Patrum, quę iam adduximus.

OBIECTVM CXXXI.

PER Tranſubſtantiationem impeditur præcipuus finis Euchariſtiæ, videlicet commemoratio mortis Chriſti, & Chriſti ipſius. Hic enim tota mens atque omnis animus iſtorum occupatur. Et ſacrifici cùm ad communionem venitur, alijs omnibus præteritis, hoc vnum vrgent.

GARDINERVS.

QVI rerum veritatibus aſſentitur per fidem, animum ille profectò fixum & tranquillum habet, nullis argumentorum inſultibus, aut rationum procellis obnoxium. Vnde Diuus Iacobus opponit fidei hæſitationem & fluctuationem.

MARTYR.

ANimus credentium, inquit Inconſtantius, *ſatis tranquillus & fixus eſt: & fides fluctuationi atq; hæſitationi opponitur.* Quare ait ineptè à noſtris aſſumi, animum totum occupari in credenda Tranſubſtantiatione. Mirũ verò eſt, iſtum hominem quaſi rabie quadam & furore pereitum, quicquid à noſtris aliquo modo in Tranſubſtantiatores dicitur, id ſtatim arripere pro argumento: & in eo diluendo, credo, ne parum magnus artifex videretur tantoperè laborare. Verùm vt res melius intelligatur, conſiderare debes, pie Lector, quod res eſt, rudiores quoſq; in Papatu, ſi penitus excutiantur, aut nihil, dum cõmunicant, aut nõ multum de

morte Christi cogitare. Nam cùm sacrifici & monachi nihil fere aliud vrgeant, quàm vt populus credat, panem trãsubstantiari in corpus Christi, illudque ipsum corpus sub accidentibus panis & vini in os ingredi, illi se egregiè cõmunicare, omniq; pietate defunctos arbitrantur, si rem credant ita se habere. Quare cùm nostri dicunt, animum populi totum esse in eo occupatum, sensus est, eos in hoc vno totos esse postpositis illis, quæ re vera commemoratu, & creditu erant vtilia, quæque à Christo ipso, nõ autem ab istis impostoribus, fuerant instituta, quæque ad hoc sacramentum propriè pertinebant. Hæc est propositæ rationis sententia: quam vtinam magno nostrorum & superiorũ temporum damno nõ experiremur, esse nimis veram: quantumuis Inconstantius latret, nos de hac re iniustè conqueri: dicatque, persuasa semel transubstantiatione, ea, quæ nos dolemus omissa, vltrò consequi. Hoc verò est ingenium hypocritarum, vt ea quæ sunt præcipua, maximique ponderis, habere velint tantùm loco comitum: mendacia autem sua in arce collocent. At diuinæ literæ sanctique Patres ne mentionem quidem faciunt vllam Transubstantiationis. Passionem autem & mortẽ Domini in sacra Cœna perpetuo & assiduè inculcandam esse docent.

Adhæc fingit, animũ credentium, fixum & tranquillũ esse, nec vllis obnoxiũ argumentorum procellis, aut insultibus rationum. Quod quàm vanum sit, pij omnes plus satis in se ipsis experti sunt. Aliud autem est, non cedere; aliud non impeti. Impij insultus rationis non patiuntur: quia omnia suspque deque habent, & nihil curant, quocunq; modo res se habeat. Et fides quidem iam adepta & parta, hęsitationem & fluctuationem tollit. Antea autẽ, quàm illa fixa & constituta sit, quo modo potest animus certus & firmus esse? Neque in hac vita illam tam firmam habemus, quin aliquando nostro vitio & labare & nutare sentiatur. De Transubstantiatione autem, quę tandem fides esse potest? Vera enim fides non aliunde nascitur, quàm ex verbo Dei. Quare si de illa nulla possit esse fides, animos oportet, quod nostri dicunt, in ea credenda vehementer occupatos esse.

Putat iste, fieri non posse, vt homines credãt Christum sibi præsentem esse, nisi etiã de eius morte cogitent. At Apostoli, cùm Dominus in terris versaretur, illiq; eum filium Dei fatebantur, & crederẽt, sibiq; adesse nullo modo dubitarent, tamẽ de eius morte, & cruce ne somniare quidem potuerunt. Adhæc sophista non cogitat, requiri à communicantib. non leuem aliquam aut perfunctoriam cõmemorationem de morte Christi, sed exquisitã, fructuosam, bene perspectam & cognitam: qualis ea certè nõ est, quam putat leuiter & sponte se offerre. Ad extremum, cũ iam deesset quod obijceret, & veritate ipsa opprimeretur, cauillari voluit, otiosum esse argumentũ. Sed quicquid dicat, querimonia ista magis his tẽporib. necessaria est, q vellemus. Quod si quis nõ credit, cum velim simpliciores Christianos paulũ examinare:

OBIECTVM CXXXII.

EX Transubstantiatione aliud etiam falsum dogma nascitur: videlicet, post vsum sacramentorum adhuc in reliquijs corpus Christi realiter contineri. Id autem falsum esse, ostenditur ex aliorum sacramentorum collatione: ea enim omnia consistunt in actione: post quam sacramenta esse desinunt. Quare idem dicendum est de Eucharistia.

GARDINERVS.

QVÆ veræ reliquiæ sunt, quas hic argutator esse fatetur, eius, cuius sunt reliquiæ, conditionem retinere eas omnino necesse est: vt congrua appellatione reliquiæ esse dicantur.

MARTYR.

Reliquiæ nõ retinent naturã rei cuius reliquiæ sunt.

QVoniam, inquit, *ea quæ supersunt, dicuntur reliquiæ sacramenti, nosq; ea reliquias esse consitemur, necesse est, illa eandem naturam cum sacramento retinere.* Quod quàm vanum sit, expendant alij: ego enim id ne explicatione quidem arbitror indigere. Hoc tamen vnum obiter dicam; Cadauer esse reliquias hominis: quod tamen certum est, hominis naturam non retinere. Cineres etiam ignis & carbonum esse reliquias: quos tamen nemo prudens aut ignes appellabit, aut carbones. Eat nunc Inconstantius, & reliquias, quæ supererant ex Eucharistia, dicat esse Eucharistiam, quòd dicãtur eius esse reliquiæ. Atque hoc etiam addam: Si ea putabantur olim esse sacramenta, cur mulieribus, pueris, Catechumenis committebantur? Nam id solitum esse fieri in primitiua Ecclesia, & Eusebius, & Nazianzenus, & Cyprianus, & Ambrosius, & Nicephorus testantur. Deinde hoc etiam velim, vt mihi Inconstantius respondeat, Cur Eucharistia, quod ad hãc conditionẽ attinet, à lege & proprietate aliorũ sacramentorum sit eximenda. Quis autem ferat, vt semper instantia detur de ea ipsa re, de qua disputatur? Si vestram istam confictam exemptionem à nobis velitis admitti, eam æquum est,

Reliquiæ Eucharistiæ nõ sunt sacramẽta Eucharistiæ.

vt

vt probetis è sacris literis. Sed fabulatur lepidè, Sacramentum præparatum esse ad esum, & tantisper esse sacramentum, quoad totum comedatur. Nec videt ex verbis, mysterium simul & præparari oportere & comedi. Dominus enim antè dixerat, *Accipite & manducate*, quàm diceret, *Hoc est corpus meum*. Accipite, inquam, dixit, & manducate: nunquam autem dixit, Asseruate, Circumferte, Adorate. Vnde Origenes in Leuiticum Homilia quinta, capite septimo ait: *Dominus panem, quē discipulis dabat, dicens, Accipite, & manducate, non distulit, nec reseruari iussit in crastinum.*

Sed huc allegat Inconstantius Cyrillum ad Calosyrium, qui dicat, *Sacramentum asseruatum vim suam nō amittere.* Nos Scripturā quærimus: iste, vt solet, dicta quædam patrum nobis offert. Et qualénam tandem, obsecro, est dictum istud Cyrilli? Nam illud in eius scriptis nunquam hactenus potui inuenire. Extare tamen illud ab alijs relatum & citatum non ignoro. At nos ostendere possumus, morem in Ecclesia fuisse, vt huiusmodi reliquiæ aut statim post sacram cœnam à clericis comburerentur, aut mulierculis, pueris, & catechumenis traderentur. Qui abundant lignis, ad alendum ignem non vtuntur folijs. Quòd si Inconstantio suppeterent meliora testimonia, non emendicaret vnum tantùm, eundemque incertum testem. Liber enim ille non extat, vnde illa verba dicuntur sumpta. *Deferebantur*, inquit, *reliquiæ ad ægrotos.* Quid tum? Certè, cū deferebantur, non erant Sacramentum. Sed deferebantur, inquit: erant ergo Sacramentum. Quasi verò apud ægrotum ipsum, cùm essent sumendæ, non potuerint fieri Sacramentum.

Adhæc multa contendit esse discrimina, quibus Eucharistia ab alijs sacramentis differat. *Forma*, inquit, *Baptismi pronuntiatur nomine ministri: ait enim, Ego te baptizo: hîc autem ex ore Christi dicitur, Hoc est corpus meum.* Miror verò, Inconstantium, qui omnia se solùm scire putat, nescire, totam Ecclesiam Græcam in Baptismo ita pronuntiare, Baptizetur seruus Christi. *Quibus verbis Ecclesia Græca baptizet.* Addit alterum discrimen, quod arbitror ne ipsum quidem intelligere. *In alijs*, inquit, *sacramentis vsus materiæ in conferendo sacramento exigitur.* Quasi verò in conferenda Eucharistia certus vsus materiæ non requiratur. Quod enim, obsecro, est Sacramētum, quod suam aliquam materiam non habeat & suum vsum. *Hîc autē*, inquit, *materia ante vsum sacramenti præparatur.* *Vtrūquod quæ sacramentū proprīū habet materiam.* Sed an iste oblitus est incantationum & imprecationum, quibus vti solent ad aquam Baptismi, & rancidum illud suum oleum consecrandum? Istis superstitiosis & ridiculis ritibus nisi aquam & oleum, quæ volunt esse materiam sacramenti, præparent, quare ludunt operam, & tam operoso apparatu se ipsos torquent? *Adhæc*, inquit, *in alijs sacramentis sacramentum ipsum, & perceptio tempore non distinguuntur. Hîc verò sacramentum consecratione confectum integrum proponitur, & manet ad futuram perceptionem.* Hic item illud ipsum petitur, quod erat probandum: quo in genere deceptionis Incōstantius videtur posse artificium quoddam profiteri. Hîc enim disputatur, An Eucharistia in vsu tùm sit Sacramentum. Iste autem, si Deo placet, ita esse omnino decernit & statuit: idque tanquam confessum & datum sumit. Fingit verò, se ignorare, nos dicere & docere, Panem & vinum in cœna sacramenta esse corporis & sanguinis Domini: in cœna, inquam, hoc est, interim dum illa comeduntur & bibuntur. Quam sententiam nisi iste alia ratione, quàm magnificè loquendo expugnet, nos vt verissimam, sicuti est, retinebimus. Tandem ait, *In alijs sacramentis res sacramenti est gratia Domini. Hîc autem, vt inquit Augustinus, panis est Dominus.* At quomodo tandem in Baptismo quoque non est Dominus? Nam Paulus ait, Omnes, quicunque baptizantur, induere Dominum. Scio equidem Augustinum dicere, alium esse panem Domini, alium panem dominum. Sed quorsum ea nunc huc torquet Inconstantius? Nam, vt Augustinus sensit, panis Domini est externum symbolum: cuius etiam Iudas potuit esse particeps. Panis autem dominus est ipsum corpus Christi, quod tropicè appellatur panis: quemadmodum satis apparet ex 6. Iohannis. Verùm isti homini fortasse non suppetebat aliud quod adferret, Itaque abuti voluit nomine Augustini, quáuis sciret illud ad rem nihil facere: vt inter tot vmbras & meras nugas nomen saltem illustris alicuius patris audiretur.

Postea connexionē nostram insimulat fraudis. Ait enim, vbi sit ratio specialis, ibi nos vti voluisse regula communi. Sed quamuis Eucharistia habeat quasdam notas speciales, quibus ab alijs mysterijs differat, tamen generis sui, hoc est, sacramenti proprietates non amittit. Ita homo quamuis modis & proprietatibus differat à Leone, in illis tamen proprietatib. quæ ad genus vniuersum, hoc est, ad animal pertinent, cum illo communicat. Vtrunque enim sub animali, tanquam sub proprio genere comprehenditur. Ita quæcunque verè propria sunt animalis, ea & homini & leoni communiter conueniunt. Nos igitur cûm à communi ratione sacramenti & eius proprietate rationem ducimus; rectè atque ordine concludimus, Eucharistiam non esse sacramentum, nisi cùm re ipsa atque actu, vt loquuntur, vsurpant. Neq; Inconstantius in tota sua ἐκκλησιαχίᾳ probare potuit, hanc proprietatem sacramento, quatenus sacrameutum est, non esse insitam. Quare ratio nostra ita componitur: Quicquid est sacramentum, habet secum coniunctum vsum: Eucharistia est sacramentum: Ergo, necesse est, vt secum habeat coniunctum vsum. Maior ducitur à proprietate sacramenti. Minor conceditur ab omnibus.

OBIECTVM CXXXIII.

PANIS in veteri Teſtamento erat figura huius ſacramentalis panis: vt panis Melchiſedech,& panis propoſitionis: & illud Hieremiæ, Mittamus lignum in panem eius. At aduerſarij hunc panem ſacramentalem auferunt,& figuram tantùm relinquunt. Statuunt ergo figuram figuræ (nimirum accidentia, vt figuras panis ſubducti, qui eſt figura corporis Chriſti.) Sic enim intelligo eos relinquere figuram figuræ, vt nihil ſubſiſtat ſolidi.

GARDINERVS.

VETERIS Teſtamenti figuræ,quæ tum in pane materiali exprimebantur, vmbræ erant, non panis materialis,qui in Noua Lege pro veritate exhiberetur.

MARTYR.

HOc ego primùm affirmo, me tale argumẽtum, neque ipſum feciſſe vnquam, neque vnquam apud quenquam noſtrorum ſcriptorum legiſſe. Iſte autem, quicquid à noſtris vſpiam ſcriptum aut dicitur, aut ſcribitur, id ſtatim ſuſpicatur eſſe argumentum. Cumque illud,quicquid ſit,ſpecie ſaltem aliqua ſolidæ rationis conatur induere, & nobis facit grauem iniuriam, quos videri vult niti friuolis tantùm probationbus, & ſibi ipſi campum latiorem aperit,vt ne in nos, ſed in ſuas fictiones poſsit inuehere. Cæterùm nos illi ſtudium ſuum relinquemus,& de re propoſita, quantùm neceſſarium videbitur,dicemus. Noſtri illi,quicunque ſunt, qui hæc fortaſſe aliquando ſcripſerunt,etſi non eo modo,aut ſenſu,in quem ab iſto verborum contortore deprauantur,(quantum quidem ego iudicare poſſum)in hanc ſententiam loqui voluerunt. Veteres in ſua lege habuiſſe quædam myſteria, quæ Chriſtum ipſum,fidem abſolutionemque legis præcipuè ſignificarent. Illorum autem quædam fuiſſe, quæ non tantùm ſignificarent Chriſtum,ſed etiam locum ſacramentorum Euangelicorum, quę illis erant ſucceſſura,obtinerent,& illa aliquo modo adumbrarẽt. Illi rei nobis exemplo eſſe poteſt Circunciſio, & multiplex, variuſq; vſus lauacrorum,quæ in Lege Moſaica præſcribebantur. Circunciſio enim, & illæ lotiones, non tantùm fœdus cũ Deo per Chriſtum initum,& peccatorum expiationem per eundem redemptorem noſtrum credentibus dandam, ſed etiam noſtrum Baptiſmum tempore Euangelij ſibi aliquando ſucceſſurum adumbrabãt. Quod idem ſtatuere poſſumus de prophetis, & ſacerdotibus illorum temporum: in quibus non tantùm ſignificabatur Chriſtus, omnium prophetarum maximus, qui aliquando excitandus erat è medio ſuorum fratrũ, & vnicus ſacerdos, qui ſemel in Sancta ſanctorum per proprium ſanguinem eſſet ingreſſurus, ſed etiam Apoſtoli & miniſtri noſtrarum Eccleſiarum ſub Euangelio. Vtq; ad illud ipſum,quod agitur,propius accedam,Panes propoſitionis, & panes, qui offerebantur in ſacrificijs, non tantùm corpus Chriſti,verum videlicet & cœleſtem panem ſignificabant, & ſuo quodã modo credentibus ſpiritualiter comedendum exhibebant,ſed etiam typi quidam erant Euchariſtiæ noſtræ: quod Patres orthodoxi non rarò teſtantur: maximè verò cùm exponunt locũ illum de pane Melchiſedechi,& verba illa prophetæ Hieremiæ,Mittamus lignũ in panem eius. Quæ cũ ita ſint, hoc videtur eſſe conſentaneum, vt quemadmodum nulla fit Tranſubſtantiatio in Baptiſmo, aut in miniſtris Eccleſiæ,aut in Apoſtolis(nam & aquæ,& miniſtrorum ſubſtantia integra conſeruatur, nõ minus quàm in veteri Teſtamento)ita in Euchariſtia quoq; panis & vini ſubſtantia retineatur. Proinde ſi veterum ſacramenta erant figuræ atq; vmbræ noſtrorum, nihil rationis eſt,cur à noſtris myſterijs ſymbolorum noſtrorum naturas & ſubſtantias adimamus. Id enim cùm in alijs ſacramentis,vt diximus,non fiat,nihil cauſæ eſt, cur fieri debeat in Euchariſtia.

Inconſtantius autẽ, vt fucum nobis de more faciat, ſumit ſibi,ſacramẽta veterum tantùm res ipſas adumbraſſe,nimirum,Chriſtũ ipſum, panem vitæ. Sed interim non attendit,Patres, quos fingit ſe tantoperè obſeruare, paſsim dicere, in illis ritibus & cultibus veterum, etiam ſacramenta noſtra fuiſſe adumbrata. Id noſtri, quicunque tandẽ illi fuerint,in hac Obiectione attigerunt. *At ſi panis ille Moſaicus,* inquit Inconſtantius, *vmbra fuit noſtri panis Euchariſtici, idem erit & vmbra, & corpus, nec quicquam intererit inter figuram & rem ipſam. Quoniam vtrinque re ipſa erit panis materialis.* Nunq; putaſſem,ingeniũ huius ſophiſtę tam fuiſſe præfractum,& pertinax,vt perpetuò contenderet,nullũ eſſe diſcrimen inter rem materialem,vt ſeorſim & ſimpliciter accipitur,& eandem,vt iam facta eſt ſacramentum,& inſeruit rei diuinæ. Nos ergo ſaniori,& magis pio ſenſu dicemus, & panẽ, quo veteres vtebantur in ſacris, fuiſſe, & noſtrum eſſe ſacramentum,quæ quamuis genere conueniant,tamen ſpecie & forma differunt. Diſcrimen autem illorum, cùm ſint relatiua, petendum eſt à terminis. Chriſtus quidem vtrinq; ſigni-

significatur: sed alia eius ratio est, qua iam venit: alia erat, qua expectabatur aliquando venturus. Sacramenta autem nostra quæ sunt quodammodo corpus, tantò præstant Sacramentis Veterum, quę quodam modo erant vmbrę, quantò res, quæ iam existat, antecellit rem eam quæ sub promissione speratur exhibenda. Atqui hoc illud est, quod quidam ex nostris solent dicere, nos spiritu ac fide comedere corpus Christi substantialiter: quod nolint dicere de Veteribus: non quòd ad illos idem fructus, quem nos habemus, non redierit: sed quòd corpus ipsum Christi, quod nunc existit, tum temporis non extiterit. Nec tamen nostri qui ita loquuntur, significare volunt corpus Christi in sua substantia realiter adesse communicantibus. Verùm hoc volunt referri communicantibus corpus, quod re ipsa iam subsistat, & datum sit, nec amplius dandum expectetur.

Sed iste noster addit, Veterum typos fuisse figuras corporis Christi verè sub specie panis exhibendi. Atque huc allegat Hieronymum in epistolam ad Titum. Verùm, vt est apertus, & ingenuus, locum non indicat: vt qui velit sententiam Hieronymi intelligere, cogatur totum illum librum euoluere. Verba autem Hieronymi interpretantis conditiones Episcopi in epistola illa ad Titum, & vocem illam Græcá ἀνέγκλητος exponentis, hæc sunt: *Tantum interest inter panes propositionis & corpus Christi, quantum inter vmbram, & corpora: inter imaginem, & veritatem: inter exemplaria futurorum, & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur.* Ista verba vt scriptoris instituto inseruiant, non ad corpus ipsum Christi, quod in Eucharistia significatur, sed ad panem, qui, vt sæpè diximus, suo quodam modo est corpus Christi, referenda sunt. Neque nos inficiamur, Veterum sacramenta inferiora fuisse nostris, quæ Christus ipse per se instituit. Id autem vt dicamus, pluribus inducimur argumentis: inter quæ vnum est, quod ducitur à termino relationis: quem illi in suis mysterijs habuerunt cum certitudine quidem promissionis; sed imaginatum, adumbratum, significatum: nos autem eundem habemus, vt iam datum, & exhibitum, & re ipsa in cruce pro nobis oblatum. Iste verò nos ita semper adoritur, quasi sacramentum nostrum velimus tantùm esse figuram. At nos Cœnam sacram absq; vero Christi corpore non docemus. Agnoscimus, fatemur, prædicamus, à fidelibus communicantibus, fide, mente, ac spiritu ipsum domini corpus re ipsa recipi. Tantùm autem absumus ab hoc errore, cuius iste nos arguit, vt ne Hebræorum quidem Veterum sacramenta dicamus fuisse nudas figuras. Illi enim eo modo, quo tum pro temporis ratione licuit, eandem nobiscum escam comederunt: quemadmodum Paulus docet. Figuras tamen ea aliquo modo fuisse nostrorum, non negamus:

Nec sacramenta Hebræorũ fuerunt nudæ figuræ.

Patres enim fatentur, Veterum mysteria certo quodam modo nostra sacramenta significasse, quibus illa post aduentum Christi erant concessura.

Cùm autem in Obiectione dicitur, aduersarios nostros ponere figuram figuræ, idq; habetur pro absurdo. Papistarum impudens fictio perstringitur. Illi enim dicunt, accidentia panis & vini figuras esse, quæ non tantùm corpus & sanguinem Christi referant, sed etiam panem & vinum, quæ iam per Transubstantiationem abierunt. Atque ad hunc modum putant, analogiam inter panem & vinum, & corpus & sanguinem Christi conseruari, voluntque accidentia illa figuram esse figuræ, nimirum panis, quę figura sit corporis Christi. Nos igitur in sacramentis Veterum figuram figuræ simpliciter concedere non dubitamus: quatenus quidem illa nostra sacramenta præfigurabant. Sed hoc negamus, mysteria illa Legis, accidentia panis & vini præfiguraſſe, quæ ipsa rursus figuræ sint panis & vini in Eucharistia. Hoc nos habemus pro absurdo, & intolerabili mendacio. Adhæc Inconstantius negat, nostra externa esse cum Veterum externis conferenda. Id autem quàm sit vanum, & ridiculum, quiuis videre potest ex Patribus. Illi enim sæpissimè panes propositionis conferunt cum Eucharistia: & cum eadem conferunt Panes Melchisedechi: & ablutiones Legales cum Baptismo: & sacerdotes Veterum cum ministris Ecclesiæ, & altare Mosaicum cum mensa sacrę Cœnæ. Hæc autem ita inter sese conferunt, vt nostra illis iure meritoq; semper præferant.

Vltimo verò loco iste nos insectatur, quòd substantiam corporis Christi, quam ipse cum suis panibus substituit, & inuoluit accidentibus, pro nihilo ducamus. At nos veram substantiam corporis Christi, pro eo ac debemus, plurimi semper facimus: eius enim vel Sacramentum magno honore prosequimur: quam tamē, vt isti somniant, contectam, & obuelatam accidentibus, quoniam mera est impostura, ne cassa quidem nuce coemeremus. Et quamuis callidè omnia simulent, & dissimulent, tamen istos ipsos intus, & in animo, non dubito, quin huius tam putidi dogmatis vehementer pudeat: magnoque haud dubiè redimerent, ne à suis Papis decretum istud vnquam fuisset promulgatum. De illis enim omnis posteritas ita factura est iudicium, vt tantam impudentiam nemo vnquam sit satis admiraturus. Rationis forma, quam iste de industria dissipauit, vt solet, ita potest restitui: Si Baptismus, ministerium sacrum Euangelij, & mensa domini, quæ à ritibus veteris Testamenti aliquo modo figurabantur, substantiam suorum symbolorum non amiserunt, Ratio non est, cur panis & vinum in mensa domini substantiam suam debeant perdere. At ea in illis erat integra, ergo, integra etiam est in Eucharistia.

OBIECTVM CXXXIV.

EODEM modo se habet fractio panis ad passionem Christi, quo se ha-

bet panis ad corpus Christi. Fractio enm est symbolum passionis, vt panis corporis. At fractio non mutatur in passionem, ita, vt illam verè ac realiter præsentem faciat. Ergo nec panis ita mutatur in corpus, vt illud realiter, & carnaliter efficiat præsens.

GARDINERVS.

De elemento panis in constitutione Eucharistiæ quid fiat, illud propter verba Christi secundum fidei regulas intellecta, creditur à fidelibus, panis substantiam cum substantia corporis Christi non manere: ne incidat absurdum Impanationis.

MARTYR.

Hic Inconstantius noster noua se quadam ratione adduci ait, vt dicat, *panem in Eucharistia nõ manere: videlicet ne incidat in absurdũ Impanationis.* O columẽ sophistarũ. Sed respondeat mihi, cùm soleat vnà cum suis dicere, corpus Christi transisse per tabulas óstij clauſ, & per lapidẽ clausi sepulchri (quod ipsum tamen, vt alia infinita falsò assumunt) quomodo potest effugere absurdum Intabulationis, aut Illapidationis? Si ad hoc absurdum in ligno & lapide potest cõuiuere, cur idem tantoperè formidat in pane? nisi fortè, cùm videret se habere cor lapideum, & ligneum, cognatæ materiæ voluerit plusculum tribuere. Lutherus tamen nihil est veritus hoc absurdum. Contendit enim vtranque naturam in Eucharistia saluam esse & integram. Cuius ego etsi sententiam in hac re non sequor, nec probo, tamen eius ingenium multis Inconstantijs antepono.

Addit præterea, *fractionem per figuram respicere præteritũ, ne credatur in Christi corpore præsenti fieri. Nam ita*, inquit, *quotidie Christus pati videretur.* Quid hoc aliud est, quàm velle per tenebras se ipsum è medio subducere? Non enim hoc nunc agitur, fractio illa vtrum in corpore Christi fiat, an alibi. Sed hoc dicitur, ita manere in Sacramento panem & vinum sine corpore & sanguine Christi, quorum sunt symbola, vt eorum fractio esse potest sine præsenti morte domini. Fractio enim non minus est signum passionis & mortis Christi, quàm panis & vinum signa sunt corporis & sanguinis. Et sanè, si rationem absurdi habere volumus, non minus est absurdum, corpus humanum, cuiusmodi fatemur, illud esse, quod induit filius Dei, eodem tempore simul & in cœlo esse, & in terris, atque adeò in infinitis locis, quàm est, Christum quotidiè pati & mori. Nõ enim minus est articulus fidei, Credere, Christum verum esse hominem quàm credere, eum non amplius esse moriturum. Non ergo reuerentia vlla regulæ fidei, vt tu, Inconstanti, dicis, sed mendacij vestri pertinax defensio in hæc deliria nos detrudit. Sed iste, quoniam vidit, iustam sacrificandi rationem coniunctam habere mortem eius rei, quæ sacrificatur, ne quis fortè putet, in Ecclesia Papistica Christum sæpius mori, quòd isti eum dicant à se quotidie sacrificari, mitiori quadam interpretatione voluit mendacium suum cõlorare. Ait enim, *hoc genus sacrificij in cœna fieri*

A *debere.* Hic ego primùm dico, Missam Papisticam non rectè posse appellari Cœnam. Nam Cœna indicat communionem: in Missa autem sacrificus solus omnia deuorat. Huius rei testimonium illustre habemus è Chrysostomo in epistolam priorẽ ad Corinth. hom. 27. Sic enim scribit: *Quod dominicum est, priuatum faciunt. Quoniam dominica cœna, hoc est, domini, debet esse cõmunis. Quæ enim domini sunt, non sunt aut huius serui, aut alterius: sed omnibus communia. Nam quod dominicum est*, B *commune est*: Hæc Chrysostomus. Et sanè etymon vocis Græcæ idem indicat. Cæterùm, quod ad istam excusationem Inconstantij attinet, sic respondeo: Si per sacrificium intelligat memoriam, gratiarum actionem, & celebrationem redemptionis nostræ factæ per Christum, nihil refragamur. Verùm hoc sibi persuadeat oportet, hoc genus sacrificij offerri etiam à plebe, nec solius sacrificis esse opus. At si hoc intelligunt Papistæ, non recta vtuntur loquendi formula. Non enim est re ipsa corpus C Christi, quod offertur. Sed potius laudes, & gratiarum actiones de corpore Christi pro nobis in crucem tradito, publicè ab omnibus offeruntur. Et enim commemoratio potius sacrificij dici debet, quàm verum sacrificium: quod Chrysostomus quoque docuit in Epistolam ad Hebræos hom. 17. *Per singulos*, inquit, *dies offerimus: offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius.* Et inox: *Hoc*, inquit, *sacrificium exemplar est illius.* Et addit: *Hoc autem, quod nos facimus, in Commemorationem fit eius, quod factum est.* Et postea, *Id ipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificij operamur.* Quare si rectè intelligat, hoc genus sacrificij plebi quoque commune faciat. Nam si somniat, se, suosque oblationem aliquam facere posse Deo patri; quæ sit propriè ipsius corporis Christi, sciat, se, suosq; peregrini, & fictitij, & mendacis dogmatis impudentes esse assertores.

Missa Papistica non potest dici cœna.

Quod non sacrificium cœnæ dici possit.

Sed redeo ad Inconstantium. Ille negat, se eodem loco habere panem, & fractionem panis. Panem enim omninò vult auferri, & eius loco præsens substitui corpus Christi: Fractionem verò, cùm signum sit passionis domini, eam præsentem non ostendere. At nos arbitramur, similitudinem constare ex Christi verbis: qui, quemadmodum Paulus ait, vtrũque horum in eandem sententiam complexus est. Ait enim, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.*

Corpus

Corpus ergo Christi, & eius fractio, ea nimirū, quæ facta fuit in cruce, coniunguntur: & panis est signum corporis, non aliter quàm fractio panis est signum passionis. Quare rectè concludimus, vtriusque signi eandem esse oportere efficaciam. Deinde sugillat loquendi formulam, quam ipse in Obiectione posuit: *Fractionem videlicet non mutari. Nam si mutaretur*, inquit, *instar panis esse desineret*. Hæc ille: quasi verò mollissima, & decentissima sit loquutio, quam ipse passim iactare solet, panē transubstātiari in corpus Christi: cū ea nihil cogitari possit ineptius. Sed nulla est bestia tā deformis, q̄ suos catulos, quāuis sint fœdissimi, non putet esse pulcherrimos. *Esse*, inquit, *desineret, si mutaretur*. At panis, vt vos vultis, esse desinit. Quid obsecro grauius peccaretur, si esse desineret etiam fractio? & eius loco subijceretur mors aut passio domini? Fortasse dicet, id absurdum fore in Fractione, quòd, cùm tota discedat, non sit relictura accidentia sine subiecto. In pane enim, quamuis substantia esse desinat, tamen eius accidentia salua manent, & incolumia. Quid tibi videtur, Lector, de tam arguto stupore? Si dicat, Fractionem vniuersam esse desinere, mendacium quidē illud erit magnum & impudens: sed tamen vnum. Cùm autem dicunt, panem abire, & eius accidentia manere sine subiecto: duo dicunt egregia mendacia vno spiritu. Sed ignoscendum est Inconstantio, si minus putet absurdum esse bis mentiri, quàm semel. Cùm enim sæpè mentiri soleat, satis videt, mendacia, nisi mendacijs cumulentur, non posse consistere.

Missa Pontificiorum. test. dicens.

OBIECTVM CXXXV.

QVI tollunt ex Eucharistia nutritionem corporis nostri, quæ fit per verum panem, ijdem auferunt rationem sacramenti. Nam, vt corpus Christi pascit animum: ita panis pascit corpus. Qui igitur grana, & granorum compositionem auferunt, nutritionemque tollunt, & substantiam panis, meo iudicio sunt Sacramentarij: qui rationem, & ἀναλογίαν sacramenti auferunt.

GARDINERVS.

PERQVAM ille est iniquus rerum æstimator, qui eos potius dicat Sacramentarios, qui verbis auferunt substantiam panis, quàm qui ipsam corporis Christi substantiam tollant.

MARTYR.

PRimùm iste nos facit reos eius criminis, cuius in primis tenetur ipse. Nos enim videri vult Sacramentarios, quòd substantiā corporis Christi ab Eucharistia separemus. Sed interim videre non vult, quàm grauiter sacramentum violetur ab illis, qui corpus & sanguinem domini reali præsentia coniunctum volunt esse cum symbolis. Illud enim merum est somnium, & veritatem humanitatis Christi labefactat. Nos verò à pane & vino res significatas non magis auellimus, nec eas vicissim magis cū eis cō iungimus, quā earum natura, & sacramentorū ratio patiatur, & diuinæ literæ doceant. Non omnem præsentiam corporis & sanguinis Christi tollimus: neque sacram Cœnam, quod ad fideles attinet, salutari perceptione corporis & sanguinis domini mutilamus. Quòd autem minus credamus, res ipsas corporaliter, & realiter coniunctas esse cum symbolis, obstat vera humana natura corporis Christi, & sacra testimonia, quibus docemur, Christum ascendisse in cęlum, ibiq; quà homo est, vsq; ad extremū diem detineri. Iam verò, proferant vicissim isti causas, quibus adducti sint, vt panem ex Eucharistia tollerent. Nullam certè habent.

Quod nos sacrificium cœnæ dici posse.

Quod autem in Obiectione à nobis dicitur de analogia retinenda inter res significatas, & symbola, id ita est firmū, vt, cum ne species quidem vlla iustæ infirmationis ab Inconstantio adferri posset, eum prorsus in furorem coniecerit. Nam cum videret, ea, quæ attulisset, quāuis multa essent, nihil posse proficere, putauit omninò experiundum esse conuitijs. Ait, *autorē huius argumenti totū esse in nutritione corporis, eumq; corporis sui causa similitudinem inuertisse, atq; ita dixisse: Quemadmodum Christi corpus pascit animum: ita panis pascit corpus humanū. Quasi*, inquit, *probandū sit, quomodò panis nutriat corpus: quod ipsa videmus experientia.* Atqui, mihi crede, Inconstanti, non est hoc argumentum situ in nutritione corporis. Sed hoc potius contendit, panem oportere & sacramento, & eius significationi inseruire: vos autem nec rectè, nec ordine facere, qui improba, & pertinaci temeritate illum velitis auferre. Neq; ille videri debet discedere à vero, qui, cum vim analogię explicet, initium collationis faciat à spirituali nutritione corporis Christi: & posteà adiungat alimoniam eam, qua corpus nostrum reficitur in pane. In mysterijs enim res quæ significántur potiorem locum obtinent, & signis ac symbolis omninò debent anteponi. Non enim sensus argumenti est, vt explicetur ratio nutritionis, qua corpus nostrum reficitur pane: sed idcircò necessariò euincitur, retinendum esse panem in Eucharistia, vt vis quædam alendi sit in symbolis, quemadmodū est in corpore domini, quod significatur. Nec ita hebes fuit Inconstantius, vt non videret scopū argumēti. Sed ita planè furit, vt quiduis velit arripere, ne nihil videatur habuisse, quod respōderet.

Cauillatur de vocabulo nutritionis: & de actu, & potentia multa inaniter nugatur: quasi verò magnoperè obscurum sit, quid agatur. Sensus est, Oportere materiam huius sacramẽti esse panem, quo ali, & sustentari solent humana corpora. Quid hîc restat scrupuli? Nonne Cyrillus in Ioannem lib. 3. cap. 34. ita scribit: *Vt enim panis hic terrestris facit, imbecillitatem carnis nostræ sustinens atque conseruans: ita & ipse per Spiritum sanctum spiritum nostrum viuificat, & corpus nostrum à corruptione liberat.* Necesse est itaq; vt panem huiusmodi concedatis, tanquam partem alteram huius sacramenti: nisi velitis, vt soletis, & à diuinis literis, & ab Orthodoxis Patribus dissentire.

At non est, inquit, *eundum ad philosophos, cùm de sacramentis disceptetur: sed potius Theologicis rationibus agendum.* Rectè sanè. Sed cur tu hoc ipse non præstas? Vnde enim, quæso te, sunt voces illæ, Actus, & Potentia, nisi à philosophis? Quid autem illud refert, si corpus eius, qui recipiat Eucharistiam, fortè sit ægrotum, vt illo pane ali non queat: aut si illa symbola homini moribundo in os imponantur? Hoc vnum nos contendimus, & affirmamus, talem oportere panem esse qui vsui esse possit ad alendum corpus. Neque nos, vt iste impudenter conuitiatur, ventris saturitatem quærimus. Volumus enim idoneam esse alteram partem sacramenti, eam videlicet, quam scripturæ diuinæ, & Patres Catholici requirunt. Quare nihil erat, cur Inconstantius criminaretur, nos Niceni Concilij decreta rescindere. Quod autem Chrysostomus ait, nihil hîc quærendum esse simile alijs cibis: rectè dicit, modò rectè, & sobriè intelligatur. Ille enim cibus est iam consecratus in mysterium: est instrumentum spiritus sancti: & sublatus iam ad parem dignitatis gradum cum Verbo Dei. Longè ergo longeque superat omnes communes cibos. Non tamen ita prorsus discesit à natura sua, vt desierit iam aptus esse nutriendis humanis corporibus: quicquid iste sine pudore vllo aut fronte clamet.

Porrò autem, quod addit, *analogiam illam de nutriendo corpore, quæ ostendat, animum nostrum ali spiritualiter corpore Christi, satis seruari, si tales naturæ ante Consecrationem adhibeantur, quæ præditæ sint hac alendi potestate: non tamen necesse esse, vt illæ postea integræ conseruentur:* hoc, inquam, ego non possum iudicare, nisi valdè ridiculum. Ex eo enim sequitur, symbola huius sacramenti analogiam, & vim significandi maiorem habere antequam consecrentur, quàm postquam iam facta sint mysteria. Quis hoc sanus vnquam diceret? Deinde patres, qui de hac analogia scripserunt, nihil vnquam huiusmodi somniasse, loca ista clarissimè ostendent, quæ subijciam. Irenæus libro quarto capite trigesimoquarto: *Panis*, inquit, *in quo gratiæ actæ sunt, corpus est domini. Gratijs actis, & consecratione perfecta, ait, panem esse corpus domini.* Ridiculum est ergo Inconstanti, confugere ad tempus illud, quod Cõsecrationem antecesit. Deinde idem eodem libro capite 32. & 33. ait, *Panem illum esse creaturam secundum nos.* Creaturas autem, quibus nos vtimur, nemo dixerit esse transubstantiatas. Adhæc idem libro quinto: *Fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi, ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia.* Hîc apertè posuit eam partem Eucharistiæ, ex qua alantur carnes & corpora communicantium. Atqui illa nutritio non potest referri ad corpus ipsum & sanguinem domini. Ea enim in substantiam carnis & sanguinis nostri non transeunt. Huc adde Cyprianum. Is libro primo Epistolarum, Epistola sexta ad Magnum ita scribit: *Nam quando dominus corpus suum panem vocat de multorũ granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portauit, indicat adunatum: & quando sanguinem suum vinum appellat, de botris & acinis plurimis expressum.* Hîc audimus, panem illum, qui iam est Sacramentum, & vocatur corpus Christi, congestum esse ex multis granis. Quorsum ergo iste commemorat vel accidentia, vel tempus, quod Consecrationem antecesserit? Idem libro secundo Epistola tertia: *Quomodo*, inquit, *nec corpus domini esse potest farina sola: nisi vtrumq; adunatum fuerit, & copulatum, & panis vnius compage solidatum: quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus.* Non ait, corpus Christi non adfuturum: sed vtitur præsenti tempore, aitque, non esse corpus Christi nisi sit panis: neque comminiscitur accidentia, quod isti faciunt: sed disertè nominat farinam, aquam & panem ipsum, quem ait esse oportere corpus Christi. Chrysostomus quoque homilia 24. in Epistolam primam ad Corinth. ita scribit: *Quid nam*, inquit, *est panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt, qui accipiunt? Corpus Christi. Non multa, sed vnum corpus. Nam quemadmodum panis ex multis granis vnitur, vt grana minimè apparent, sed tamen grana sunt, verùm incerta discretione coniuncta, inuicem Christo coniungimur.* Si hanc loquutionem Inconstantius pressius consideret, non reprehendet nos, si dicamus, ipsos cũ sua Transubstantione auferre grana ex symbolo Eucharistiæ, cùm nihil aliud intelligamus, quàm ab illis auferri materiam granorum. Si Chrysostomus dicat, panem ex multis vniri granis, quamuis grana iam in eo conspici non possunt, insulsè iste nos ridet, cùm dicat, grana iamdudum abijsse in mola, priusquam panis pinseretur. Non enim ita cæcus erat Chrysostomus, quin vt hoc videret. Tamen non ineptè loquitur, cũ dicat, panem constare ex multis granis. Cùm dicit grana, intelligit granorum materiã & substantiam. Augustinus quoque tractatu 26. in Ioannem ita scribit: *Hunc itaque cibum & potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum quod est sancta Ecclesia in prædestinatis, vocatis, iustificatis, glorificatis.* Et mox: *Christus corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquod rediguntur ex multis. Nanque aliud ex multis granis in vnum conficitur, et constat: aliud in vnum ex multis acinis confluit. Quòd si corpus & sanguis domini in ijs rebus credentibus commendantur, illa haud dubiè Sacramenta sunt, quæ ex illis granis & acinis conficiuntur, et constant.* Sed quia tempus me

defi-

deficeret, si Theodoreti, aliorumque multorũ patrum vellem hac de re testimonia recensere, desistendum arbitror. Inconstantium tamen oportuit vnum saltem ex antiquis scriptoribus adducere, qui diceret, aut accidentia panis & vini manere absque subiecto: aut hanc analogiam symbolorum, & rerum non post, sed ante Cõsecrationem esse intelligendam. Quòd si hoc in omnibus illorum scriptis ne minima quidem vocula doceri potest, acquiescat in illis quæ nos citauimus: præsertim cùm videat, ea à vestigijs diuinarum scripturarum non discedere.

Iste verò, vt nos aliquo saltem colore coarguere videatur, id repetit, quod à nobis aliquando scribitur, *In sacra cœna non esse hærendum in symbolis: mentes enim ad cœlum potius tollendas esse: id enim Ecclesiam ipsam monere, cùm dicere soleat in mysterijs, Sursum corda. Nunc verò si ita est,* inquit, *cur vos tam rigidè & morosè litigatis de integritate panis & vini?* Atqui nec nos frustrà ista disputamus, nec Ecclesia sine iusta ratione canit, Sursum corda. Christus enim in pane quærendus non est. Retinenda tamen est natura panis, quò nobis ex instituto Christi sua significatione inseruiat, vt mentes nostræ vi spiritus sancti attollantur ad cœlum. Ita literæ quoque, & vocum somi nos iuuant, quamuis in illis non sit hærendum, sed potius tota mente atque omni animo ad res significatas connitendum. Verùm iste ne nimium pertinaciter videatur à significationis analogia discedere, ait, *etiam facta in pane transubstantiatione, tamen Eucharistiam retinere vim nutriendi corporis. Miraculo enim quodam fieri, vt accidentia illa, quamuis careant subiecto, tamen alere ac nutrire possint humana corpora.* Si sacræ literæ hoc docent, manus damus & cedimus. At si Papistæ hoc sibi de suo cerebro confinxerunt, ignoscere debent nobis, si ipsorum inuentis & somnijs non credimus. Verùm sacræ literæ hoc nusquam docent: Patres aiunt, vinum esse & panem, quæ nutriunt. De accidentibus autem, quæ ita instituta sint à Deo, vt sine substantia possint alere, nemo vnquam præter istos solos somniauit. Non sumus, Inconstanti, ita leues vt cuiusque Sophistæ verbis & inuentis velimus assentiri. Neque verò nobis philosophis opus fuit, vt tu conuitiaris, à quibus disceremus accidentia non nutrire. Id enim ipsa experientia magistra, quiuis facilè potest intelligere. Non enim odore aut sapore vini alimur: nec panis figura aut colore nutrimur, nisi substantias ipsas harum rerum in ventriculũ traijciamus. Quòd si indignaris ista tradi etiam à philosophis, cur tu testimonijs theologicis, hoc est diuinæ scripturæ, experientiam vulgarem, & philosophorum argumenta non confutas?

Hactenus verba tantùm audiuimus huius hominis & conuitia. Vt autem ea vno verbo repetam quæ dicta sunt, sic habeat: nos cùm quæramus rem Sacramenti, pati nolle, vt Christi symbola plusquam dimidia parte mutilentur. Alioqui & Cypriano, & Chrysostomo, & Epiphanio idem potuisset obijci ab Aquariis: cur illos oportuerit adeò sollicitos esse de vino, cum aqua sola sine vino tantundem potuerit significari. Neque tamen dubito quin ad significandum multo plus possit aqua sola, q̃ accidentia vini. Illa enim non tantùm accidentia habet, verùm etiam substantiam. Sed frustrà agimus cum pertinacibus: qui videre nolint, quamuis solem in manu geras. *Sed isti,* inquit, *mysteria nec è scripturis, nec ex Ecclesiastica traditione æstimant, verùm tantùm ex ingenio suo.* Postremò, vt est liberalis in conuitijs, ait, *nos planè nihil credere.* At cur tandem non profert aliquid vel è scripturis, vel è symbolo fidei, quod à nobis non credatur? Certè qui scripturas vniuersas, & omnia symbola complectitur, non rectè dicitur nihil credere. Imò, si verum quærimus, ille minus multò credet, quàm nos. Nos enim ex authoritate diuinarum literarum credimus, & cum Orthodoxis patribus profitemur, panẽ manere in Eucharistia: quod isti se dicunt non credere.

Addit præterea, *nos prauo iudicio eos appellare Sacramentarios, qui panem tollunt ex Eucharistia.* Atqui ego id iudicio grauissimo, atque optimo fieri arbitror. Nam vt qui vitiant, aut subijciunt testamenta, appellantur Testamentarij: ita qui Sacramenta corrumpunt, aut adulterant, iure optimo dicendi sunt Sacramentarij. Quòd si contendat, nos quoque eodem iure appellandos esse Sacramentarios, qui ex symbolis mysterij detrahamus corpus Christi, intelligat, nos illud adimere non potuisse, cum ibi corporaliter, & realiter præsens nunquam fuerit. Ad extremum addit, *de substantia symbolorum id se docere cum fide, quod ex fide acceperit.* Si ea fides est, cur verbo domini non confirmatur? Eo enim solo nititur, & constat fides. *Nam fides,* inquit Paulus, *ex auditu: auditus autem per Verbum Dei.* Sed ait, se ista habere ex doctrina Ecclesiæ. At quæ, malum, est illa Ecclesia, quæ dogmata sua probare non possit è scripturis? imò quæ ne Patrum quidem testimonijs possit decreta, quæ importunè, & impudenter obtrudit, constituere? Quid isti facias Ecclesiæ malignantium, quæ longè ditior est vanissimorum miraculorum, quam bonorum testium? Ea dico miracula, quæ fugiunt oculos, & videri aut non possunt, aut nolunt, nec fidem facere possunt, nisi homini nimium simplici, ac stupido.

Non est Ecclesia q̃ sua dogmata è scripturis non potest probare.

OBIECTVM CXXXVI.

EVCHARISTIA est sacramentum non tantùm corporis Christi, sed etiam corporis mystici. Vnde Paulus ait; Vnus panis, vnum corpus multi sumus

mus. Sed panis non transubstantiatur in corpus Christi mysticum. Ergo, nec in corpus Christi verum. Nam vtriusq; corporis ex quo prædicatur esse sacramentū.

GARDINERVS.

CORPVS quidem mysticum hoc sacramento significatur: iuxta Paulum, cùm dicat, Vnus panis, vnum corpus multi sumus.

MARTYR:

ARgutus, scilicet, disputator ab initio distinguere voluit corpus Christi aliud esse naturale, aliud mysticum. Dominum autem aiebat, cùm diceret, *Quod pro vobis tradetur, intellexisse naturale, itaque iuxta illam domini restrictionem necesse est, vt dicamus, substantiam panis transire in naturale corpus Christi, non autem in corpus mysticū.* Nos & distinctionem istam, & Christi restrictionem admittimus. Neque enim dubitamus, illum in Cœna de suo naturali corpore loquutū esse. Scimus enim illum pro nobis traditum esse in crucem. Sed addimus, illa quoque verba, quæ Paulus scripsit de hoc mysterio, & Christi esse, & spiritus sancti, qui loquebatur in Paulo, & prorsus eadem veritatis efficacia pollere. Quare, quemadmodū sine Transubstantiatione verba illa Pauli possunt esse & sunt vera, Nos esse vnum panem, aut nos esse corpus Christi: ita etiam sine Transubstantiatione potest rectè intelligi, quod Christus ait, Hoc est corpus meum, si de pane, vt sæpius docuimus, pronunciatum intelligatur. Et sanè hoc genus argumenti inuictum est, efficaciſimeque probat, & rationem sacramenti, & verba domini posse esse salua sine vllo commento Transubstantiationis.

Quod verò addit, *Corpus Christi mysticum in Eucharistia tantùm significari, corpus autem naturale & significari, & in ea contineri:* vanum & fictitium est. Nam in verbis Christi, & Pauli, nullum apparet tale discrimen. Iam ita conficimus rationem: Si nos sumus vnus panis, & corpus Christi, sine Transubstantiatione: etiam panis Eucharistiæ erit corpus Christi sine Transubstantiatione. Nos autem absque Transubstantiatione sumus corpus Christi, & vnus panis. Ergo etiam panis Eucharistiæ absque Transubstantiatione est corpus Christi. Maior propositio ex eo apparet, quòd vtrinq; sint verba spiritus sancti, nec minus veritatis in istis collocandum sit, cùm de eadē re prolata sint, quàm in illis. Minorem experientia ipsa docet. Nos enim substantiam eandem retinemus, quam habuimus antequam crederemus, aut accederemus ad Communionem.

OBIECTVM CXXXVII.

EVCHARISTIA instituitur in pane & vino, vt significetur nobis spirituale nutrimentum ex corpore & sanguine Christi. At si corporale illud nutrimentum sit fictitium, spirituale quoque erit fictitium, & expers veritatis.

GARDINERVS.

NVTRIMENTVM, quod accidentibus panis & vini in Eucharistia manentibus sit, verum, non phantasticum dici debet.

MARTYR.

NVlla ratio erat, cur hoc argumentum à priori reuelleretur. Arbitror autem Inconstantium putasse, hoc loco numero tantùm esse inseruiendum. Quod ad rem ipsam attinet, satis iam superque dictum est. Hîc iste vnum tantùm quiddam affert, illudque facetum, & fictum: *alimentum, quod fabulatur, ab accidentibus ad corpora communicantium deriuari, non esse phantasticum, sed verum, idque ex miraculo.* Ita non tantùm dives miraculorum est, sed etiam profusus & prodigus. Certè tam verum est, ex illis accidentibus haberi alimentum, quàm verum est, illa sine subiecto consistere. Quod autem dicit, illud alimentum non esse phantasticum, facilè credo. Re enim vera nullum est, & nullum apparet.

Denique collatio etiam inducitur ab ista re quam nunc agimus, alieniſsima, de multis illis millibus hominum, quos dominus paucis panibus saturauit. Illud equidem alimentum non dubito fuisse verisimum, neque phantasiam vllam, aut illusionem interceſsisse. Verùm hoc nihil habet simile cum horum fictionibus. Nā in illo Christi conuiuio fuit panis, auctus & multiplicatus potentia Dei. A verò autem pane dubium non est, alimentum posse deriuari. At isti ex Eucharistia, sapientes scilicet viri, panem tollunt, & ex eius accidentibus corpora nutriri volunt. Augent miracula in immensum, quod confidant, mendacia sua propter ea facilè latere posse. Forma rationis est huiusmodi: Si à symbolis alimentum non potest exhiberi

 ii

ri nisi phantasticum, spirituale quoque alimentum, quod à re significata deducendum est, erit phantasticum. At è Papistarum symbolis, cùm inania sint, & substantia careant, nullum deriuari potest alimentum, nisi phantasticum. Ergo ex illorum sententia illam quoque alimoniam necesse est esse phantasticam, quæ à rebus significatis deriuatur.

OBIECTVM CXXXVIII.

HOMINES, cùm tinguntur, deponunt veterem hominem, & rursus generantur: nec tamen in illis vlla fingitur Transubstantiatio. Quòd si dicant illam nouam generationem esse spiritualem, cur idem nolunt fieri in Eucharistia? & cur ad spiritualem manducationem omnia non traducunt?

GARDINERVS.

ECCLESIA nihil fingit, & Spiritus, quo authore ducitur, & docetur, odit omne fictum: quod satis est causæ, cur Christi institutum non abroget.

MARTYR.

PRætexit iste magnum videlicet studium religionis, quasi qui vereatur aliquid fingere: cùm tamen dogmata ista, quæ defendit, prorsus redundent fictionibus. An enim accidentia esse sine subiecto isti non fingunt? An non substantiam panis & vini aboleri fingunt? Annon homines ali accidentibus mentiuntur, & fingunt. Vt in Laica communione Sacramẽta discerpantur, nónne istorum est vanissima fictio? Tempus me deficeret, si vellem omnia illorum commenta commemorare. Tamen iste se iactat nihil mentiri aut fingere. *Sed sacramentalem illam manducationem corporis Christi realiter præsentis, ait, dominum ipsum instituisse.* Id verò longè est vanissimum. Sacramentum quidem à domino traditum esse, fatemur & scimus. Neque nos domini institutum conuellimus, aut abrogamus. Vnà enim cum manducatione, quæ merè sit spiritualis, possunt etiam comedi Sacramenta: non minus, quàm cum spirituali regeneratione constare potest exteraum baptismi Sacramentum.

Quod autem nos obijcimus, hominem, cùm tingitur, non transubstantiari, nec in spiritum, nec in aquam, cũ tamen nihilominus regeneretur, iste iocũ esse dicit hominis otiosi: quasi verò quod dicunt, panẽ transubstantiari in corpus Christi, non sit mendacium hominum impostorũ. Collationẽ istam inter baptismum & Eucharistiam nos planè habemus ex omnibus patrib. ideoq; in pane vel nullam omninò dare volumus mutationem, vel illam tantũ, qua panis dicatur fieri Sacramentum: non aũt, qua eius auferatur substantia. Adhæc eius mutationis, quã vocamus nouam regenerationem, testimoniũ habemus ex diuinis literis: de vestra autem ista mutatione ne apicem quidem vnum ex omnib. scripturis vnquam audiuimus. Ad hæc quis dubitet, hominũ fideliter communicantiũ maius multò esse commercium cum carne & sanguine Christi, quàm panis aut vini? Quod cùm ita sit, nemo inficiabitur, firmum esse argumentum negando à maiori ad minus. Vt ita possit rectè colligi: Homines vi Sacramenti non transubstantiantur in corpus Christi: Ergo multò minus vi Consecrationis, panis & vinum transubstantiantur in corpus Christi: Neq; enim est consentaneum, verba Consecrationis plus posse in panem & vinum, quàm Sacramentum baptismi potest in eos, qui tinguntur.

Addit, *in hominibus substantiam priorem remanere, & feces quoque peccati originis, quamuis reatus iam ablatus sit: vt in illis expurgandis homines regenerati militent, & sese exerceant:* quod ad rem quid faciat, non video: nisi fortè, vt vim baptismi præ potentia Eucharistiæ nimium extenuet. Non tamen, quod dicit, nego verum esse. Remanet enim in hominibus renatis eadem substantia: remanet etiam fomes, vt appellant, peccati originalis, & corruptio, contra quã oportet pios homines assiduè dimicare. Sed vicissim cur non fatentur in Eucharistia manere panem, & eius naturales qualitates? Ita enim & substantia esset, quæ posset nutrire: & materia corruptioni & generationi vermium & cinerũ: & subiectũ, quod recipere posset accidentia.

OBIECTVM CXXXIX.

VT nos mutamur in Christum, ita panis mutatur in corpus Christi. Sed nos non transubstantiamur in Christum: Ergo nec panis in corpus Christi.

GARDINERVS.

Quod hic proponitur, vt nullis scripturis constet, nullis patrum authoritate traditur, ita à ratione est alienum!

MARTYR.

HOC quoque argumentum numero potius seruit, quàm rei ipsi aut ponderi. Satis enim & propositum est prius, & explicatum. Primùm ait, hanc rationem nec è scripturis constare, nec tradi à patribus. Atque vtrunque horũ falsum est. Nam, quod ad scripturas attinet, Paulus ait, *Vos estis corpus Christi:* &, *nos Christum induere*, &, *nos esse carnem ex carnibus eius.* Et Christus ad Nicodemum amplissimam habet concionem de regeneratione. Patres etiam, cùm loquuntur de sacra Cœna, inculcant sæpissimè mutationem nostram in Christum: Chrysostomus, inquam, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Damascenus, Theophylactus. Nam Theophylactus ait, nos in Christũ etiam transelementari. Ista ergo collatio, non tantùm è scripturis, sed etiam è patribus confirmatur. Sed ait, non esse verum, quod nos sumimus, ita homines mutari in Christum, vt panem. Fateor, id quod assumitur, minus esse verum. Sed excuso dictum, quòd cùm contenderetur cum iniquis aduersarijs, minus petebatur, quàm dari debuit: vt aliquid saltem æqui auferretur. Re enim vera homines magis mutantur in Christum, quàm panis. Sed, quod minimum est, dent saltem vtrinque parem mutationem, Omninò sequetur necessariò, nullam esse transubstantiationem. Homines enim, qui non minus mutantur, quàm panis, pristinam substantiam non abijciunt. Iste autem si Deo placet, magis vult panem mutari in Christum, quàm homines. At si verba ipsa sacrarum literarum sequi velimus, quemadmodum dicitur de pane, *Hoc est corpus meum:* ita dicitur de fidelibus, *Vos estis corpus Christi.* Cur ergo nolunt vtrinque parem esse veritatem.

Pij homines magis mutãtur in Christum quàm panis in corpus Christi.

Verùm iam audienda est grauis Inconstantij querimonia. Indignè videlicet patitur, ita à nobis dejici humanam naturam, vt cum pane conferatur. Imò nos, Inconstanti, dicimus, & prædicamus, homines magis mutari in Christum, quàm panem. Verùm cùm id ab aduersarijs pertinacibus impetrare non possumus, id saltem postulamus, vt fateantur, parem esse vtrinque mutationem. Præterea ex illis locis diuinæ scripturæ ostendimus, quid ex huiusmodi loquendi formulis consequatur, nisi velis adhibere tropum. At miratur, nos ista dicere, cùm soleamus deridere, qui corpus Christi in pane collocant. Id fateor esse verum: neque nunc peto, vt de eo aliquid statuatur. Sed argumentor ex hypothesi Papistarum. Si omninò volunt, panem transubstantiari, id multò magis dicendum esse de hominibus. Illos enim scripturæ dicunt esse corpus Christi, non minus, quàm panem. Reprehendat Inconstantius istam connexionem, si potest. Quod ad rei veritatem attinet, ne in hominibus quidem, quantumuis fidelibus ipsam corporis Christi substantiam collocamus, si, vt vulgo isti solent, realiter & substantialiter loqui volumus. Sed quia corpus habemus eiusdem formæ, seu speciei cum corpore Christi, & quia per spiritum Christi earundem qualitatũ participes efficimur, idcirco nos corpus Christi, & carnem de carnibus eius esse dicimus. Ista autem nullo prorsus pacto tribuenda sunt pani. Pecus autem Papisticum, quis non optimo iure rideat? Ab eo enim plus infinitis partibus pani datur, quàm hominibus. Istis enim mutationem tantùm qualitatum tribuunt, illi verò substantialem. Nos verò aliam pani mutationem non damus, quàm vt ex re profana fiat Sacramentum. Postremò, dico, hoc argumentum non posse à quoquam mortalium dilui. Nam altissimas habet radices, & in scripturis & in patribus. Rationem istam resoluere non est opus. Nam & anteà explicata est, & satis est per se perspicua.

Quomodo Christi corpus in hominibus fidelibus sit, & non sit in eis eadem.

OBIECTVM CXL.

IN omni sacramento ponenda est analogia signorum ad res, quæ significantur. Vt in hoc sacramento confectio ex multis granis, significat corpus Christi mysticum: & operatio panis in alendo, & confirmando, sustentando, significat fructum veri corporis domini. Sed nisi maneat natura, & substantia panis, eà analogia tollitur: non enim potest tribui accidentibus. Ergo, non est ponenda Transubstantiatio.

GARDINERVS.

QVI Patres sacramentorum rationem pia conditione tractantes analogias huiusmodi obseruauerunt, illi ijdem in sacramento Eucharistiæ transubstantiationem, aut verbis expressis tradiderunt, aut certè eius, quod ex mysterio agitur, explicatione insinuarunt.

MARTYR.

CAusa nulla erat, cur hoc argumentum isto loco repeteretur. Sæpè enim iam tractatum est anteà. Sed cùm Inconstantius intelligeret, se id anteà non potuisse diluere, consciꝰ sibi operæ malè nauatæ, eandem arcem iterum voluit oppugnare. Noua quidem tela comminiscitur: sed frustrà. Ista enim quoque, vt illa superiora, leuissimo repulsu hebetantur.

Patres

Patres, inquit, *qui hanc analogiam dilucidè & copiosè tractarunt, ijdem Transubstantiationem quoque docuerunt.* Et quinam tandem illi, quæso? Cyprianum ait dixisse, *Hic panis, non effigie, sed natura mutatus, omni potentia verbi factus est caro.* Effigiem panis non mutari, vtrinque constat. Naturam autem, id est, proprietatem eius mutatam esse non dubitamus. Panis enim ad eam iam dignitatem transfertur, vt sit sacramentum, & instrumentum spiritus sancti. Omnipotentia ergo verbi panis iam factus est caro: quoniam sine vi diuina non potuisset effici sacramentum carnis domini. Neque enim creatura vlla potest sacramentum condere. Sed cur non auditur idem Cyprianus libro 2. epistola 3. Nam eo in loco sic scribit: *Nec potest videri sanguis eius, quo redempti, & viuificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quò Christi sanguis ostenditur.*

Post Cyprianum, eumque perperam intellectum, quoniam nihil habuit præterea, quod afferret, ait, scholam quoque omnium Theologorum secum facere. Sed ne quis specioso nomine Theologorum decipiatur, eos intelligit Theologos, quos multò verius Papistas, aut Sophistas dixeris. Postremò recurrit ad illa tria, quæ anteà dixerat: *Materiam panis satis esse ad analogiam, cùm ante consecrationem adhibeatur:* Deinde ait: *Totam veramque proprietatem elementorum in accidentibus retineri.* Postremò, *vim nutriendi à Deo subministrari per miraculum.* De quibus portentis, & ineptijs, quoniam suprà dictum est satis, nunc plura dicere supersedebo.

OBIECTVM CXLI.

MAIOR est coniunctio corporis Christi cum ijs, qui communicant, quàm cum symbolis. Ea enim coniunctio propter istam inuenta est. Quare cùm in Communicantibus nulla necessaria sit Transubstantiatio: ea multò minus erit necessaria in symbolis.

GARDINERVS.

QVANTVS hîc se prodidit hominis error? qui sic argutatur, quasi Transubstantiatio sit quidam coniunctionis modus corporis Christi cum pane.

MARTYR.

HOc etiam argumentum satis erat excussum anteà: nisi illi libuisset hîc quoque paulò ineptius insaniam suam venditare. Sophistæ cum à firmis, & solidis defensionibus deseruntur, deflectere solent ad argutias. Id Inconstantius hoc loco impudenter, & satis insulsè facit. Cauillatur enim, se suosq; non statuere vllam coniunctionem panis cum corpore Christi. Se enim panis substantiam abijcere: nullâ autem cõiunctionem fingi posse cum ijs rebus, quæ non existant. Et nos insanos vocat, qui ista obijciamus. Sed quicquid iste clamat, hoc vnũ debuit sibi anteà persuadere, conuitijs rem istam transigi non oportere, sed argumentis. Si tantâ volunt esse coniunctionẽ corporis Christi cum symbolis Eucharistiæ, vt id illorum absumat substantiâ (sic enim interpretantur Chrysostomum) nónne illud minus coniungitur cũ hominibus, cum eius aduentu illorum substantia non absumatur? Quam, quæso, habet natura humana tantam vim, aut efficaciam, vt corpori Christi accedenti ad se resistere possit magis, quàm substantia panis? Vos soletis iactare, quoties sumitur Eucharistia, corpus Christi esse inter dentes, esse in palato, esse super lingua cõmunicantium. Sed cur illud istarum rerum substantiam minus abijcit, atq; extrudit, quàm substantiam panis? Cur illud sub accidentibus humanę naturæ non deliteſcit, expulsa substentia, quod fieri toties & tã impudenter clamatis in pane? Deinde vos in vestra Eucharistia vultis symbola esse accidẽtia panis & vini. Hoc ipsum satis asserit argumentũ nostrũ, vos magis vniri corpus Christi cum symbolis, quàm cum illis, qui cõmunicant. Quare necesse est, vt id fateamini, modo vestram sententiã velitis retinere: aut vt necessariò dicatis, corpus Christi sub accidẽtibus humanæ naturæ communicantium delitescere, atq; illos trãsubstantiare, quemadmodum dicere soletis de pane ac eius accidentibus. Nihil ergo erat, quod Inconstantius aut de coniũctione, aut de diiũctione calumniaretur. Hæc est vera, & simplex intelligentia argumẽti nostri: Nos, cum non transubstantiemur in corpus Christi, minus mutari, quàm panẽ, si horũ sequamur sententiam. Isti enim tantã esse volũt mutationem panis, vt nihil aliud sub illis accidẽtibus retineatur, quàm substãtia carnis Christi. Nemo autem nostrũm illos arguit, quòd corpus Christi coniungant cum substantia panis. Tum enim non Papistæ essent, sed Lutherani. Non ita cæci sumus, quin vt sterquilinium illud videre possimus, in quo sese toto corpore volutant. Scimus, inquam, symbola eorum esse accidentia. Proinde vos Inconstanti hoc nomine coarguimus, quòd cũ vestris istis fictitijs symbolis corpus Christi magis cõiungi velitis, q̃ cũ hominibus. Idq; ex eo probamus vos committere, quòd prẽsentia illa domini, quã semper falsò inculãtis, substãtiã panis absumi dicitis: quod idẽ in hominibus non vultis vsuenire: in quib. si ponatis corpus Christi, duas substãtias in vno loco collocatis. Ita, q̃ suprà verebamini impanationẽ, nũc nouã inuehitis carnis Christi incarna

tionem. At si eodem modo dicetis carnem domini ad nostram naturam accedere, quo ad panem: omninò dicetis, illam sub accidentibus naturæ nostræ contineri. Quod nisi statuitis, superest, vt affirmetis, corpus Christi leuius cum communicantibus, quàm cum symbolis coniungi: In summa: Vel aliquam esse vultis coniunctionē corporis domini cū symbolis, hoc est, vestris accidentib. vel nullā. Si nullā dicatis, quomodò in illis corpus Christi realiter continetur? Sin autem dicetis aliquam, eam necesse est maiorem esse, quàm est illa, quā nos ipsi habemus cum corpore Christi. Nos enim illud non habemus sub nostris accidentibus occultatum.

Neque verò silentio prętereundum est, quòd ait, *symbola cum cœlesti natura vnum constituere Sacramentum:* cùm tamen in eis nulla fiat, vt in nobis, vnio naturarum. Ista mihi duplici de causa videntur non satis considerate dici. Primùm quod symbola, quæ appellat accidentia, paulò antè asseruit cum corpore Christi non coniungi. Hic autem oblitus, credo, sui, ea ait ita coniungi, vt ex illis, & cœlesti natura vnum fiat Sacramentum. Cùm autem coniungi & non coniungi ita inter se pugnent, vt quæ maximè, nullo modo negari potest, illum, vt semper est constans & sui similis, dicere pugnantia. Alterum est, quòd ait inter nos & carnem Christi esse cōiunctionem naturarum. Id autem etsi aliquo modo est verum, tamen vt à Papistis, maximè verò ab isto Inconstantio accipitur, est falsissimum. Nos quidem sumus participes naturæ Christi, quia Verbū Dei in Virgine suscepit hominem, atque ita cum hominibus forma siue specie communicauit. Sed hoc genus coniunctionis, vt sæpè diximus, leue & ieiunum est. Ita enim non magis cum Petro & Paulo, quàm cum Iuda & Mahumeto natura coniungimur. Nam illi quoque non minus erant homines, quàm nos sumus. Per fidem & potentiam spiritus caro nostra & vniuersa natura ita mutatur, vt efficiamur iam participes proprietatum humanæ naturæ Christi, sanctitatis inquam, puritatis, innocentiæ, æternitatis, & immunitatis ab omnibus noxijs, & omnium virtutum. Atque hæc est felix illa communio, quam habemus cum Christo in hac vita, quoad in fide eius insistimus: in altera autem vita multò arctiorē expectamus. Quò autem aut audiendo verbū Dei, aut Sacramēta fideliter percipiendo fides nostra magis, magisque roboratur, eò ista communio in nobis redditur opulentior. Inconstātius autem, & Papæ mancipia, nescio quam, aliam naturarum communionem inter nos & Christum comminiscuntur, quod attinet ad naturam humanam: quasi caro Christi reipsa cum carne & corpore nostro misceatur: quod tam alienum est à vero, quàm fieri non potest, vt corpus Christi per diuersa loca, & suppolita multiplicetur: quamq; fieri nō potest, vt Christus denuò patiatur & moriatur: quod tamen necessariò accideret, cū omniū nostrū carnes, & corpora, morbis varijs, & mortib. afficiantur: quamq; postremò fieri non potest, vt nos, tanquā Christi quidam colamur & adoremur. Quod autem Inconstantius ait ad extremum, nos hoc argumētum habere pro inuicto, nihil mentitur. Neque enim aut ipse, aut alius quisquam illud adhuc rectè dissoluit.

OBIECTVM CXLII.

PAPISTAE nesciunt, quid fiat de corpore Christi, postquam sumatur in cœna domini, aut postquam corrupta sint accidentia. Quidam illorum dicunt, illud auolare in cœlum: quod alienum est. Ibi enim & fuit anteà, & semper est. Non autē audent dicere, illud corrumpi, aut mutari in substantiam nostrorum corporum, aut animarum etiam nostrarum. Ergo, quid de eo fiat, prorsus nesciunt. Quare præsentia huiusmodi corporalis non est ponenda.

GARDINERVS.

ADEON' huic mirum videtur, si vias domini non norunt homines, cùm ab ipso domino per Prophetam dicatur, Non sunt viæ meæ sicut viæ vestræ?

MARTYR.

SVmma responsionis est, *nihil esse, quòd pudeat nos ignorationis nostræ in operib. Dei.* Ea sentētia vt est vera, ita hoc loco nō ita cōmodè aut appositè affertur. Illa enim realis & corporalis præsentia corporis Christi, quam isti sibi fingunt in Eucharistia, non est opus Dei. Tantum enim ad istorum architecturam pertinet. Quare nihil est, quòd nobis indignentur, si ab illis eius rei requirimus rationem. Nam scripturæ, quæ testantur, verum Christi corpus fuisse in terris, dum ille cum hominibus versaretur: eædem apertè docent nos, quò illud ablatū sit, cùm ille ascenderet in cœlum. De isto verò discessu ab Eucharistia nullam vnquā faciunt mentionem. Neq; de ea re quicquam in patrib. scriptum reperies. Rectè ergo istos de hoc nouo discessu contamur: maximè verò, cū ipsi mendacissimū eius aduentum ita impudenter prædicent. De corpore Mosis, quemadmodū latuerit, diuina scriptura diligenter tradidit: cū tamē illud corpori

pore Christi longè dignitate fuerit inferius. De inde citat quosdam, nescio quos: quos tamen valdè ob curos fuisse, ex eo licet suspicari, quòd illorum nomina supprimat. Quicunque tamen illi fuerint, eos ait dixisse, corpus Christi & deferri & auferri ab Angelis: quasi verò Christus iam ascendere, aut descendere non possit ipse per sese. Deinde, nos non quærimus, vtrum auferatur, an abeat: sed quò discedat. Ad quod interrogatum si respondere non poteras, Inconstanti, quid oportebat de Angelis vel auferentibus, vel deferentibus testes citare sine nomine?

Sed addit, & Delationem, & Ablationem esse voces metaphoricas. O hominem suauem & troporum prodigum, vbi nihil est opus: qui tamè vbi tropum res ipsa, & locus postulat, ibi est troporum hostis acerrimus. Addit præterea, *nullum intercedere motum localem, dum ita corpus domini ministerio Angelorum aufertur, aut defertur.* Fingit enim, verum corpus abire alicunde, aut redire aliquò sine mutatione vlla locali. Vtque breuiter, quòd res est dicam, quot hîc verba fecit, totidem fudit miracula, seu potius mendacia: neque eà sanè vulgaria, sed supra modum portentosa.

Ad hæc ait, nos ita colligere: *Si corpus Christi defertur in cœlum ab Angelis: ergo, ibi non erat.* Atqui nos in argumento contrà colligimus, Corpus Christi non deferri in cœlum, quòd ibi fuerit anteà, & semper sit. Quis enim eò se conferat, vbi iam anteà actu, vt aiunt, & re ipsa versetur. Posteà ait, *nos esse homines animales, qui nihil intelligamus eorum, quæ pertineant ad Spiritum Christi.* Quasi verò omnia spiritualia peruia sint, & facilia impostoribus. Si quoties Eucharistia vel consecratur, vel dissoluitur, toties manibus Angelorum deferatur, atq; auferatur corpus Christi, oportet multa corpora domini, alia venientia, alia redeuntia ex omnibus orbis partibus sibi per aerem fieri obuiam, & illis huc, illucque discurrentibus totum aerem esse plenum. Scio ista, pie lector, tibi, vt sunt, ridicula videri. Mihi tamen dicenda hoc loco videbantur, quò stultorum commenta omnibus modis detegantur.

Sed huc allegat Gregorium Nazianzenum: eum, quid dicat, audiamus. Is autem ait, *nostrorum verborum occasione fieri, vt ingerant se sæpè humana diuinis: fiatque vt de Deo cogitant, etiamsi mente se, & cogitatione à visibilibus segreget, non arceat tamen omnem visibilium similitudinem. Nam vix est,* inquit, *vt spiritum esse Deum cogitanti, non obrepat simul de fusione, & aliquo lationis motu cogitare.* Equidem quorsum ista spectent, non video. Nos enim non agimus de verbis. De re potius ipsa percontamur, quid fiat de illo corpore Christi, quod vos verè, & substantialiter esse dicitis sub accidentibus panis & vini. Nihil hîc de spiritu, aut de natura diuina litigamus. De Christi carne, & corpore quærimus: quod quoniam est humanum, nemo existimare debet, ita diffundi, vt omnia impleat.

Quare cùm Gregorius loquatur de natura diuina, & de spiritu, non rectè facit Inconstantius, qui illius verba, quæ aliorsum dicta sint, ad hanc disputationem transferat. Addit præterea, cùm Angeli leguntur aut deferre, aut auferre corpus Christi, non intelligendum esse motum esse in opere Dei, quo præsentiam, aut absentiam efficiat. Iste rem offuscat, quantum potest. Sed quicquid ille nugetur, nos verisimè dicimus, Corpus humanum, quod abfuerit alicunde, non posse intelligi præsens fieri sine motu. Nam diu næ literæ nunquam iusserunt, vt huiusmodi portenta crederemus: neq; cum nobis proponerent Christi ascensionem in cœlum, motũ, quo ferretur, aut ascenderet, sustulerũt. Ista disputatio nõ alia causa suscipitur nisi vt facessant aliquando fictiones. Iste aũt fictiones suas tueri non potest, nisi alijs recentib. & inauditis, & longè etiã, q̃ illæ priores fuerant absurdioribus fictionibus. Ita perpetua nube mendaciorum sese pulchrè tectum, & armatũ putat. Quòd ego de natura, atque adeò de animo meo permulta ignorem, non est adeò mirũ. Ista enim, vt ab initio dictũ est, sunt opera Dei. Substantialis autem præsentia, vestrum opus est, non Dei. Vestra ista intrita, æquum est vt à vobis comedatur. Cumque iubemini vestræ fictionis rationem reddere, non est, quòd vestrã culpam in Deum conferatis.

Adhæc negat Catholicos sentire, *Christi corpus conuerti in corpora nostra.* Neq; tamen eum negare audio, corpus Christi cum nostris corporibus miscери. Nam paulò supra dixit, inter nos, & Christum esse vnionem naturarũ. Quam sentẽtiam cuperem mihi vel ab ipso, vel ab alijs eius similibus explicari. Ad extremũ, opinor, ne intelligeremus, quid vellet, ait, *Christũ & in cœlo regnare apud patrem, cum suo corpore, & cum eodem corpore præsentem adesse in Sacramento.* Dicit quidem ille ista: sed pro suo solenni more nihil probat. Nos verò, quia veritatem humanæ naturæ in Christo defendimus, idem eius corpus simul & in cœlis, & in terris esse pernegamus. Ratio nostra, quam iste luxauit, ad hunc modum reponi potest: Quodcunque corpus desinit esse præsens, id aut aliò transfertur, aut corrumpitur, aut in aliud mutatur. Corpus autem Christi desinit esse præsens in Eucharistia, cùm species incipiunt corrumpi, vt isti volunt: Ergo vel aliò transfertur, vel corrumpitur, vel in aliud commutatur. At ista tria ita sunt absurda, vt Papistę nullum eorum ausint affirmare: Ergo alteram propositionũ necesse est falsam esse. Maior falsa non est: Ergo minor: ea videlicet, qua dicitur, corpus Christi desinere adesse verè præsens. Mendacium enim est, quod aiunt, illud adesse realiter præsens in terris.

OBIECTVM CXLIII.

CORPVS Christi est vbique: Ergo, est in sacramento tam ante Conse-

crationem, quàm posteà: itaque nulla fit mutatio panis post Consecrationem: nō magis, quàm anteà. Antecedens ita probatur: Diuinitas & humanitas Christi inseparabiliter sunt coniunctæ: sed diuinitas est vbique: ergo humanitas est vbique.

GARDINERVS.

CHRISTVS ita assumpsit naturam nostram, vt nec ille desineret esse Deus, nec natura assumpta desineret esse humana.

MARTYR.

HOc ego argumentum ingenuè fateor, nō esse meum. Me enim illis omnib. qui corpus Christi volunt vbiq; esse, profiteor esse aduersarium. Neq; sanè apud quenquam nostrarum partium illud vnquam legi. Quare facilè adducor, vt putem, cōmentum esse Inconstantij. Quo cū tamen, quod attinet ad finitā naturam corporis Christi, vnà cum Basilio, Didymo, Augustino, Vigilio, Cyrillo, alijsque omnibus antiquis Patribus ego manibus, pédibusq; facio. Et fateor, atq; affirmo, vbicunque corpus Christi est, ibi adesse etiam naturam diuinā. At non è diuerso, vbicunq; est Christi diuinitas, ibi quoque dico adesse Christi corpus. Ita enim humana natura assumpta est à verbo, vt illud de infinita, atq; immensa latitudine nihil amiserit. A Quòd autem Inconstantius ita defendendā esse putat veritatem humanæ naturæ in Christo, vt Deus illam exhibere possit realiter præsentem in omnibus mysterijs, ibi ego illum aliosque similes planè repudio. Etsi enim diuinā potentiam nullo pacto arbitror & statuo esse violandam, tamen rem ipsam sua natura dico non posse fieri. Vt enim idem sit humanum corpus, & eodem tempore non sit humanum B corpus, nullo modo potest fieri. Ista enim duo Contradicentia sunt, & sese mutuò perimunt. Et si dare velimus, corpus Christi simul in multis locis esse posse, nihil obstabit, quò minus idem vbique quoque esse possit. Qua de re nolo hìc plura. Suprà enim de hoc argumento satis copiosè disputauimus.

OBIECTVM CXLIIII.

TEMPVS humilitatis, & demissionis Christi transijt. Ergo non oportuit illum per Transubstantiationem se dimittere, quod attinet ad corpus, in fauces & in ventriculum Communicantium. Quod, etsi inde non lædatur, parum tamen decet, corpus domini tam diu sub accidentibus detineri, quoad illa fuerint dissoluta, & corpus tanquam liberum à carcere in cœlum auolet.

GARDINERVS.

TEMPVS humilitatis Christi in conuersatione visibili & terrena præstandæ planè præterijt. Sed humilis dispensationis tempus eò vsque manet, donec tradiderit regnum Deo patri.

MARTYR.

REspondet Inconstantius, huius dispensationis tempus adhuc manere, & mansurum esse, quoad Christus tradiderit regnum Deo patri. Sed cùm suam istam sententiam nullo testimonio confirmet, non iniuria eum possum interrogare, quid tu de hac humilitate, quam adhuc adscribis domino, nosse potes? Certè in corpore Christi, de quo nunc loquimur, nihil potes ostendere, quod non sit gloriosum. Quare, quod ad illud attinet, nulla est in eo amplius humilis dispensatio. Nam Paulus de illo ita scribit: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est supra omne nomen.* Quòd si objicias, nondum omne genu flecti in eius nomine, meminisse debes, id ad gloriam corporis Christi non pertinere, ad eam inquam gloriam, quæ illi inhæreat: sed ad eius manifestationem, quam adhuc factam non esse, satis nouimus. Corpus autem Christi iam obtinere illam gloriam, nemo pius debet dubitare. Apostolus enim ad Philippenses ait, nos id expecta- C re, vt Christus configuret corpus nostrum corpori suo glorificato. Et primo ad Timoth. 3. *Deus*, inquit, *manifestatus in carne, iustificatus est in Spiritu, visus est Angelis, prædicatus est Gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in gloria.* quare nihil est, quod in præsentia corpori Christi assignemus tempus humilitatis. Etsi enim eius gloria nostris oculis non sit conspicua, eatamē ille fruitur opulentissimè. Neque verò id nos mouere debet, quòd ille nos regat & ædifi- D cet, qui sumus eius corpus. Id enim facit prorsus absq; vlla corporis sui deiectione. Nam Regnum suum, quod est Ecclesia, Spiritu regit, & Verbo: ad quod verbum accensenda etiam sunt eius Sacramenta: Quibus, quod isti aiunt, eum adesse reali præsentia sui corporis, vanum & nugatorium est.

In corpore ipso Christi nulla humilitas modò potest ostendi.

Postea

Posteà cõqueritur, *nos faucium, ventriculorum, carcerum, detentionum menitonem facere, tantùm ad concitandã inuidiã, nõ quòd res ipsa ita habeat.* Atqui nos syncerè, vereque dicimus, ea, quæ commemorauimus, ad corporis domini deiectionem & humilitatem pertinere. Neque alio consilio ea referimus, quàm vt istorum fabulæ, & deliria omnibus modis, quàm maximè patefiant. Ita enim fabulis, & nebulis, & sophismatis suis perstringunt oculos simplicium, vt illi de istis rebus ne cogitare quidem ausint.

Postremò ita concludit: *corpus Christi nihil patitur in Sacramento, sed agit in nobis sanctificationem modo mirabili & ineffabili.* Sanctificationẽ, quæcunque in nobis est, deriuari ex Christi corpore, facilè damus: sed ea causa corpus eius vel Sacramento, vel nobis ipsis præsens adesse oportere reali, corporaliúe præsentia, id Inconstantius nondum probare potuit. Quod nisi ostendat, nos pergemus dicere, tempus humilitatis eius, & demissionis iamdudũ esse desijsse: maximè verò, cum eius nec sacræ literę nec patres vllã vnquã faciant mentionem. Argumentũ ita formari potest, Quicquid non decet corpus Christi, & ad eius demissionẽ, & humilitatem pertinet, à tẽpore glorificationis eius est explodendũ. Sed detineri sub accidentib. quasi quodã in carcere, transire per fauces & ventriculos hominum, Christi corpus non decet, & ad eius demissionem, atq; humilitatem pertinet: Ergo ista de eius corpore, ex quo ille receptus est in gloriam patris, non sunt statuenda. Maior propositio probata est testimonio Pauli. Minorem non negabit, quisquis rem presius cõsiderabit.

OBIECTVM CXLV.

HOC Sacramentum, vt isti dicunt, est vere corpus Christi. Iste panis est hoc Sacramentum: ergo, iste panis est verè corpus Christi. Tum vlterius: Iste panis est corpus Christi: ergo iste panis est, & panis manet: & ita simul est panis & corpus Christi.

GARDINERVS.

FALLACIA est ex pluribus terminis in ambiguitate.

MARTYR.

CAusatur iste, *Sacramentum in maiori & minori propositione non accipi eodem modo. Vocem enim illam in maiori ad materiam, in minori ad formã pertinere.* Non enim spectare voluit argumentum ea formula, qua est propositum: sed ita illud accepit, ac si in tertia figura dictum esset: Hoc Sacramentum est corpus Christi: Hoc Sacramentũ est panis: Ergo, Panis est corpus Christi. Deinde ait, *Maiorem concedendam esse per Synecdochen, quòd corpus Christi sit altera pars materiæ Eucharistiæ. Minorem autem, quã dicimus, Hoc Sacramentum est panis, prorsus negat, vt falsam.* Negat enim, panem esse formam Sacramenti. Mauult enim videlicet, Sacramenti formam esse accidentia. Verùm hoc perfugium multiplices errores complectitur. Primùm enim, quis ferat corpus Christi dici materiam Eucharistiæ? Nã cum forma longè sit præstantior, quàm materia, oportebit Inconstantium aliquid in hoc Sacramento indicare, quod corpus Christi dignitate antecellat. Sed quodnã tandem illud erit? Verùm ignoscendum, opinor, est isti homini. Nam de materia, & forma tantum nouit, quantum à vulgari, nescio quo, leguleio haurire potuit. In eo verò turpissimè, vt solet, hallucinatur, quod putat nos habere panem pro forma Sacramenti. Nemo enim id nostrum ne somniauit quidem. Scimus enim, formæ munus esse, vt perficiat materiam. Nemo autem sanus vnquam dixit, Sacramentum Eucharistiæ perfici à pane.

Corpus Christi nõ potest esse materia Sacramẽti si cum pane vel accidẽtibus conferatur.

Panis non potest esse forma Sacramenti huius.

Postremò verò peccat intolerabiliter, violatque suorum decreta scholasticorum. Dicit enim, *accidentia panis esse formam Eucharistiæ.* Cũ species illæ non sint res integræ, sed admodum imminutæ: destitutæ enim sunt proprio subiecto, cui inniti possint. Hoc etiam mitto, istum, vt scias quàm sit acutus Dialecticus, non potuisse videre huius rationis fundamentum. Argumentum sumit pro Maiori propositione, Papistarum sententiam, qua passim dicunt, illud Sacramentũ esse verum corpus Christi. Quod dictum etsi Inconstantius hîc respuat vt synecdochicum, tamen apud illos est vsitatissimum. Neque ille de alia re vlla in hoc toto libro pugnat, & sanè tropicas propositiones tam leuiter non oportet fastidire. Imò nos etiam ipsi eã dicendi formulam non inuiti admitteremus, Sacramẽtum Eucharistiæ esse corpus Christi, idque verè, modò quis totum velit spectare Sacramentum, quod & signo & re significata cõstet. A Papistis autẽ nos in eo dissidimus, quòd illi signum, & rem significatam re ipsa coniungunt, voluntque corpus domini substantiali præsentia adesse symbolis: quod nos iustissimis de causis negamus. Dicimus enim eam esse significationis & sacramentalem coniunctionem. Quanquam eam ipsam significationem inanem, aut vulgarem esse nolumus. Verùm hac de re aliàs. Nunc illud affirmo, Maiorem propositionem in argumento accipi, tanquam confessam ab aduersarijs: etsi illi eam perperã interpretentur. Altera autem propositio, Hoc Sacramentum esse panem: sumitur & è scriptu-

ris,& è patribus. Christus enim de pane dixit, *Hoc est corpus meum*. Et Irenæus, Tertullianus, Augustinus, alijque, quos aliâs diximus, quosque nunc recensere infinitum esset, agnoscunt in hoc Sacramento esse panem. Ex eo sequitur, datis duabus propositionibus, quas negare nō possunt, id, quod concluditur, manere panem, verum esse: illumque ipsum panem esse corpus Christi: ea videlicet ratione, quòd sit mysterium corporis Christi. Cùm autem Inconstantius admittere nolit conclusionem, necesse est, vt alterutram duarum istarum propositionum inficietur. Minorē non potest. Est n. petita & è scripturis, & è patribus. Quare necesse est, velit, nolit, vt neget Maiorē, aut quēadmodū iam diximus, vt eam rectè & cōmodè interpretetur.

OBIECTVM CXLVI.

DEVS non destruit naturam impeccabilem, nec confundit notitiam naturaliter nobis datam: nisi subsit maior vtilitas, & maior probabilitas. Ergo cum panis nihil peccauerit, non destruitur à Deo.

GARDINERVS.

Αὔξησις est ridicula, quasi destruatur, quod in vsum tanti mysterij desijt esse.

MARTYR.

HOc argumentum, vt malè recitatur, ita malè diluitur: quod vtrunque huic homini familiare est. Neque hoc à quoquā nostrûm vnquam pro solida ratione adductū est. Fieri potest, vt aliquis per iocum dixerit, quodnam tandem ob peccatum suum miser panis è medio tollitur? & addiderit, non esse verisimile, Deum voluisse naturalem notitiam, quam hominibus dederit, euertere: vt, quod videant, & sentiunt esse panem & vinum, id cogantur credere, non esse. Atque hæc paucis de sententia argumenti. Nunc venio ad responsionem. Ait iste, *Panem non destrui, cum in hoc Sacramento esse desinat*. Hoc planè sophisticum est. Neque enim est aliud, quàm oleo mendacij verborum asperitatem velle lenire. Quid enim, quæso, aliud est, rem euerti, quàm eā exscindi, & auferri, & esse desinere? Christus certè non venit, vt perderet, sed vt restitueret, atq; instauraret. An autem panis tunc instauretur, cùm eius aufertur, & perit substantia, ipse iudicet Inconstantius. Certè panis ipse, si loqui posset, hoc nunquam diceret. Nec tamen hoc ita dico, quasi nesciam, dominum ficum viridē conuertisse in aridam: aut aquam in vinum. Sed ibi nec aqua, nec ficus redacta sunt ad nihilum. Forma n. sola mutata est: cū materia maneret eadē. Sed nos vt dixi, hoc pro solido argumēto nunquam adduximus. Recitare tamen illud Inconstantius voluit inter argumenta: quòd nos cuperet haberi ludibrio.

Verùm miser incurrit in pœnam talionis. Ita enim absurda sunt, quæ respondet, vt se potius ipsum propinet omnibus deridendum. Ait n. *panem per Transubstantiationem non destrui: & blasphemum esse, reprehendere velle id, quod fiat opificio Dei. At nos non opus Dei, sed nequissimorum hominū mendacia reprehendimus*. Postremò ait, *ex Transubstantiatione summam ad nos vtilitatem peruenire: quam tamen ostendere nullam potest, quæ sine huiusmodi portentis haberi non queat*. Neque verò nunc dicendi locus est, quantum damni istæ impostura importarint in Ecclesiam. Forma argumenti, quam iste de industria dissipauit, hæc est: Quicquid sine vlla vtilitate perit, id non destruitur à corpore Christi. Panis si Transubstantiaretur, sine vlla vtilitate periret: Ergo à corpore Christi non destruitur. Maior est clara. De minori aduersarij nostri nō possunt ambigere. Illi enim vtrunq; affirmant: & panem in Eucharistia esse desinere, & illum à corpore Christi absorberi.

OBIECTVM CXLVII.

TRANSVBSTANTIATORES ea, quæ Deus creauit, statim destruunt: quia materiam primam, quam Deus ordinauit esse perpetuam, destruunt: & ex eo nihil innouant, aut producunt in mundo, præter hoc, quod mentiuntur, se facere inaudita mirabilia: quæ Deus procul dubio non potest: & sicut fingunt, faciunt nouum mundum,

GARDINERVS.

QVANTA est hæc sermonis vanitas? Verba hominum nihil aliud, quàm verba sunt, à rebus disiunctissima, nisi quatenus veritati innitantur.

MARTYR.

RAtiones bonę, & veræ non mirum, si, narrante Inconstantio, fiant vanissimę. Nam si fideliter recitaret, non grauaretur indicare locum, vnde illas accepisset. Sed meminisse debes, Lector, nihil tam commodè, aut verè dici, quin malè narrando possit deprauari. Sensus argumenti, quod iste pro sua fide multis modis obscurauit, hic est: Eos, qui docent, materiam primam aboleri, & accidentia manere sine subiecto, seque huiusmodi monstrorum ministros prædicant, quantum quidem in ipsis est, orbem totum destruere. Nouam enim rationem rerū formamque inducunt longè diuersam ab ea, quam Deus instituit. Deus enim voluit materiam subiectum esse succedentium formarum, & mutationum: accidentia autem hærere voluit

uit in ſubiectis: vnde concluditur, eos naturā rerū peruertere. Quòd autem reſpondet, Tranſubſtantiatores, quòd iudicio noſtro mentiantur: non poſſe re ipſa vniuerſitatē rerū euertere, ineptum eſt. Non enim id agimus, quid illi faciant: ſed, quid ſua opera fieri, hominibus velint perſuadere. Ita Stoici dicebātur ſuo illo fato res omnes neceſſarias facere, & contingentiā ex rerū natura tollere: non quod ita re ipſa facerent, ſed quod id ex illorū doctrina ſequeretur.

Ad hæc blaſphemū eſſe putat, dicere, Deum ea, quæ Tranſubſtantiatores dicant, non poſſe facere: præſertim cum id, quod illi aſſerunt, & verè dicatur, & ſine vlla Dei contumelia. Nos verò nec conuitium Deo facimus, nec eius potentiam aut minuimus, aut violamus. Defectū enim iſtum, non in Deo, ſed in rebus ipſis eſſe dicimus, quæ natura ſua non poſsint fieri. Quale eſt, humanum corpus eodem tempore eſſe in multis locis: quod non eſt aliud, quā illi terminos ſuos, & lineamenta eripere. Et eadē ratione dici poſſet, illud vbique eſſe: idq;, quod proprium eſt ſoli Deo, etiam humano corpori cōuenire. Pugnat etiam cum natura rei ipſius, accidentia poſſe exiſtere ſine ſubiecto. Hoc.n. nihil aliud eſt, quàm dare poſterius, & illud, A quod prius eſt, & à quo alterum dependet, ſubducere. Vt ſi quis vellet numerum quaternarium abſque ternario conſtituere. *Tolle ſubſtantiam à qualitatibus*, inquit Auguſtinus, *& nihil erunt*. Cur etiam non habent pro blaſphemia, quod paſsim iactatur, Ea, quæ ſemel facta ſint, non poſſe infecta fieri: aut, quod Hieronymus ſcribit, *Deum, cum omnia poſsit, tamen non poſſe virginem reſtituere poſt ruinam?* Praxeas etiam hæreticus, cum defenderet, Deum patrem ſibi ipſi eſſe filium; obijceretur autem à pijs, id non poſſe fieri, tanquam ad firmiſsimum præſidium confugit ad omnipotētiam Dei. At illi Tertullianus prudenter reſpondet: *Planè Deo nihil eſt difficile. Sed ſi ita abruptè in noſtris præſumptionibus vtamur hac ſententia, poſſumus*, inquit, *de Deo quiduis confingere*. Non debemus igitur pro noſtra libidine quævis monſtra inducere, vt ea, cum negentur, defendamus omnipotentia Dei. Argumentum verò, quod iſte mirabiliter diſsipauit, ita poteſt refici. Sententia, quæ ſtatuit, ea fieri, quæ Dei potentia non poſſunt fieri, falſa eſt. Opinio iſta Papiſtica de Tranſubſtantiatione, ſtatuit ea fieri, quæ vel Dei potentia fieri non poſſunt: Ergo, Opinio de Tranſubſtantiatione falſa eſt.

OBIECTVM CXLVIII.

QVAMVIS Chriſtus vocatus fuerit homo auſterus à ſeruo pigro, nunquam tamen tam ſeuerè alicui ſignificabili maledixit, quin, vt eius ſubſtantia remanſerit: vt in ficu Matthæi 16. Iſti in Conſecratione ſuæ hoſtiæ benedicunt panem & vinum in nihilum, & benedictione ſua deſtruunt creaturam Dei. Sed laudemus Ieſum Chriſtum, quòd author huius mendacij non ſit ille, qui dixit, & facta ſunt: ſed ille potius mendax, qui dixit, & deſtructa ſunt.

GARDINERVS.

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus, inquit Pſalmiſta, non Dei auſteritate, ſed impietate ſua.

MARTYR.

HAec etiam ratio, quàm ineptè referatur, nihil opus eſt explicare. Res enim ipſa id ſatis loquitur. Nam quid, obſecro, illud eſt, alicui ſignificabili maledicere? Qui ſtudioſus eſt veritatis, non debilitat argumenta narratione ſua, ſed ea potius ita exponit, atque explicat, vt poſsint intelligi: aut ſaltem indicat, vnde ea tranſtulerit, vt Lector ea poſsit cognoſcere. Sed cum iſta facit Inconſtantius, non aduerſariorum argumentis reſpondet: ſed, quod facillimum eſt, ſibi ipſi. Quanquam hîc quoque ita ſe obſcurè gerit, vt nemo, quid velit, poſsit intelligere. Sic enim ſcribit: *Hic malignus argutator in myſterijs irridendis ſibi videtur feſtiuus, alludens ad maledictionem, in qua explicanda ſuam iuſtitiam proponit irridendam*. Quam hic dicat nos proponere noſtram iuſtitiam irridendam, equidem non intelligo. Quod enim re vera iuſtitia eſt, id nullo iure licet irridere: Sed fortaſſe ſcribendum erat, *Inſcitiam*. Cur ergo id in poſteriori editione non reſtituit? Sed iſte procul dubio me irridebit, qui in ſummo Cācellario totius Angliæ, cui propter ciuilem functionem otium non ſit de Epiſcopali munere cogitandi, requiram tantam in libris edendis diligentiam. Verūm quicquid ſit, non erit, ſpero, difficile, authorē huius argumenti ab inſcitiæ crimine liberare. Neq; enim, vt iſte cauillatur, ille ſenſit, mortuā ficū in ſpecie, ſeu forma ſua remanere. Neq; pro ijſdē reb. habuit canē viuū, & canem mortuū. Hoc tantū dixit, & veriſsimè dixit, materiā eandem ſubeſſe & aridis plantis & vigentib. & viuētib. canibus, & mortuis. Quā materiam vos in conſecrando veſtro pane redigitis in nihilum.

Addit etiā ille, quē tu arguis inſcitiæ, Deum ab orbe creato materiam ipſam rerū nunquā, quod conſtare poſsit è ſcripturis, in nihilum redegiſſe: quod tamen vos per veſtrā Tranſubſtātiationem quotidie infinities fieri prædicatis: vt ſi quis velit ratione ſubducere ab Aſcēſione Chriſti in cœlum ad hūc vſque diem, ex veſtra ſententia incredibilem inuenturus ſit molem huiuſmodi materiæ abolitæ & perditæ. Sed quando tibi viſum eſt, ita ſuauiter in nos illudere, quaſi plantas, & aridas, & virides dicamus eaſdem eſſe, cur te ipſum quoque, ac tuos non

Formæ quæ ſunt in materia, & quæ ſunt abſque materia; inter ſe plurimū diſtant.

castigas eodē modo, qui accidentia, siue habeāt subiectum, quo nitantur, siue non habeant, ita importunè clamatis esse eadē? Nā formæ hærētes in materia, plus quā cœlum & terra distant à formis à materia absolutis. Postremò dolet Inconstantio, Papistas suos, & sacrificulos dici authores Transubstantiationis. Eam enim multò mauult referre in Deum: nec veretur impostturarum & mendaciorum suorum Deum authorem & parentem facere.

OBIECTVM CXLIX.

OBIICITVR ex Ignatio ad Philadelphienses: Rogo vos, vt instetis vni fidei, vni prędicationi, vna gratiarū actione vtētes. Vna est caro domini Iesu, & vnus eius sanguis, qui pro nobis effusus est: vnus etiam panis pro omnibus cōfractus, & vnus calix totius Ecclesiæ. Hic vide, remanere panem, qui frangatur.

GARDINERVS.

Si ipse se audisset hic disputator, dum hæc Ignatij verba ad infirmandam Ecclesiæ catholicæ fidem proferret, fidem profectò in Eucharistia non desiuisset suam.

MARTYR.

HÆc responsio prorsus tenebricosa est. Quæ autem in ea ita scribūtur, vt possint vtcunque intelligi, non obscuros errores continent. Putat iste, vim argumenti in ea tantùm voce sitam esse, quę fractionem significat. Atqui hoc potius attendere oportuit, Ignatium postquam fecisset mentionem de carne Christi, adiecisse, vnum etiam panem pro nobis fractum esse: quo cum coniungit vnum calicem. Ex quo apparet, eum primùm commemorasse res significatas: deinde adiecisse signa sacramentalia. Quæ cum dicit, nominatim exprimit panem, qui frangatur. Iste verò, vt solet, offuscat etiā verba Ignatij. Ait enim ab illo fractionem significari mysticam. Tamen ea fractione si velit significari mortem domini, nihil pugnabo. At si dicat, in cœna non substātiam panis, sed accidentia tantum frangi, patiar eum cum suo stultissimo commento insanire.

Addit porrò, *illam fractionem fieri in elemento sensibili.* Quid apud istum sit elementum sensibile, non est pluribus explicandum. Satis enim iam liquet, illum dicere, Accidentia sine substātia esse elementum Eucharistiæ. Mirum autem est, quomodo illi in mētem veniat, Accidentia illa frangi posse: cum sine materia nec actio, nec passio vlla possit existere. Deinde illi, qui ferre possunt, fractionem in Sacramanto significare mortē Christi, pati non possunt, vt panis in Sacramento significet, aut repræsentet corpus domini. Adhęc ne sibi quidem ipsi noster iste constat. Vnum enim panē ait esse corpus Christi, cum tamen paulo antea dixerit, *fractionem fieri in elemento sensibili.* Atque huius posterioris sententiæ suæ hanc rationem adfert: *quod alioqui vnus externus panis, non posset toti orbi esse satis:* quasi verò corpus ipsum Christi, si re ipsa, & substantialiter manducetur, possit esse satis. Id verò non tantum ratio auersatur, sed etiam, vt suprà docuimus, Athanasius quoque negat. Nec putassem ita tardo ingenio esse Inconstantium, quin vt posset intelligere, multa frustula panis, quæ in templis distribuūtur, vnum esse panem, præsertim cum pertineant ad idem Sacramentum. Et re quidem vera, si naturam spectes, partes panis, quæ à communicantibus accipiuntur, eiusdem sunt speciei & formæ. Et vulgaris hominum sermo idem indicat. Eos enim, qui in eadem familia simul educantur, dicimus vesci eodem pane. Quare quàm friuolum sit, quod iste iactat de vno pane, qui sufficere non possit toti orbi, satis iam liquere arbitror. Addis, *vnum panem fractum significare vnū corpus Christi.* Quod si ita est, nihil video, cur non possimus rectè cōcludere, panem in Eucharistia remanere. Nam quod non sit, neque extet, quomodo id potest aliquid significare?

Quicunque communicant, eundem panem comedunt.

Cur autem Ignatius dixerit, panem fractum, non autem fractam carnem, Inconstantius adducit hanc causam: *quod alia sit caro Christi crucifixa, alia autem, quæ detur manducāda, nec sit visibilis:* quasi panis quoque intelligi non possit multis modis esse fractus, nimirum in cœna, vel ad cōuiuium, vel ad distribuendum pauperibus, vel metaphora quapiam. Distinctionem autem illam carnis Christi, qua Hieronymus vtitur, libenter recipimus. Re enim vera alia est, quàm scimus affixam cruci, alia, quæ dicitur spiritualis: non quidem quod ista alia sit, aut diuersa à priori, sed quod à nobis alio modo percipiatur, nempe fide, mente, & spiritu. Inuisibilem autem carnem domini Hieronymus nunquam quod sciam, dixit. Et certè si Inconstantius locum vllum Hieronymi haberet, illum non grauaretur indicare. Locus autem illle, ad quem allusit, est in epistolam ad Ephesios. Quid autem Augustinus in Psalmum 98. scribens sibi voluerit, clarius est, quam vt egeat expositione. Quod si, vt tu dicis, *panis ille, qui frangitur, substantia dominus est,* ipse haud dubiè frangitur. At, si id negas, & signum tantum frangi dicis, quid illud est, quod ais, dominū nunc in se ipso pati, quod in cruce non pertulerit? Nam huc nihil attinet de corpore Christi crucifixo loqui, quasi illud fractum sit: siquidem tu frangi tantum vis accidentia. Nam quod Chrysostomus annotauit, accipi debet tanquam hyperbolicè dictum, vel qua elementa rerum significatorum nomen habent: quod abs te, eum panem ipsum, quod ad substantiam attinet, dicas esse corpus domi-

Neq; actio, neq; passio propriè locum habet absq; materia.

ni,

ni, satis commode vsurpari non potest. Tuum autem commentum ab Ignatij sententia idcirco dico esse alienum, quod ille seorsim & rei ipsius mentionem fecerit, & signi.

OBIECTVM CL.

EX Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. habetur: Pontifex apertum panem, & indiuiduum aperit, & in frusta concîdit. Panis ergo manet, siquidem aperitur, & conciditur.

GARDINERVS.

NIMIA profectò est hominis impudentia, qui veritatem corporis Christi in Eucharistia neget, eundem audere, Dionysium istum tantum virum laudare authorem.

MARTYR.

HOc est sophisticum artificium, ab eo, quo agitur, ad aliam rem quampiam orationem traducere. Hic disputatur, an panis maneat in Eucharistia: quod satis apparet ex conclusione. At iste in eo laborat, vt probet, Dionysium istum, quicunque fuerit, credidisse præsentiam corporis Christi in Eucharistia. Id autem ad rem nihil facit. Quasi enim non multi hodie sint, qui credant, corpus Christi adesse, B cum tamẽ ij dem Transubstantiationem istam Papisticam non ferant, Ego tamen venio eò, quò me vocat Inconstantius. Quæ tandem tibi videtur esse causa, cur putes, Dionysium credidisse, corpus Christi adesse realiter in Eucharistia? Quoniam, inquis, appellat sacramentum salutarem hostiam, & ad illam Pontifex exclamat. Hîc si dicam, pontificem facere apostrophen ad res, quæ per sacramẽtum significãtur, quid tandem habebit Inconstantius, quod obij C ciat? Quoties enim in templis Papistarum videas homines procumbere ante signa, & statuas, & ad illas exclamare, quasi aut Beata Virgo, aut Petrus, aut Paulus præsens esset? Nõ dices, opinor, illos ea causa arbitrari, Diuos prẽsentes adesse in imaginibus. Tamen inficiari non potes, Sacramenta longè efficaciora rerũ significatarum signa esse, quam vestras statuas. Sentisné Inconstanti, quàm inepta sit ista tua collectio? Deinde verbum illud, Litare, quod tu ad- D dis, in oratione Dionysij non habetur. Panẽ autem ab eo vocari hostiam, mirum videri non debet. Appellatur enim etiam corpus Christi.

Sed addis, Dionysium dicere, *multiplicari vnitatem, vt integrum, & vnum Christum insinuet dari multis.* Verùm nihil opus erat ad istas ambages diuertere. Nam cum vnus panis in multa frusta diuiditur, omnes intelligunt, vnitatem multiplicari. Id enim, quod erat vnum, in multas partes diuiditur, quarum quælibet iam separatim sit vna. Quamuis ego nũquam negauerim, omnibus fideliter communicantibus dari vnũ Christum. Nullus enim ex illis est, qui sua fide corpus ipsum Christi non apprehendat, modo ne fictè seu perfidè communicet. Neque aliud sibi volunt verba Dionysij, quę postea subiecit, Precatur Pontifex mysterium sanctissimum, id est, Christum illo sacramento significatum: vt se patefaciat, illucescatque credentibus, vti signa visibili aspectu cernuntur. Nemo enim est, qui fideliter communicet, quin optet, vt suę fidei salutis nostræ mysteria magis magisque illucescant.

Posteà Inconstantius redit ad propositam quæstionem, & eam putat à se vno tantùm verbo satis esse explicatam. *Appellatione*, inquit, *panis, quod est visibile sacramenti, notat*. An verò potest fieri, aut cuiquam videri potest verisimile, Patres, si hoc sensissent, nunquam scribere, aut significare voluisse, se, cum panem dicerent, verum, & proprium panem non intellexisse, sed panis tantum accidentia? nunquam monere voluisse populum, panem ipsum non frangi, sed accidentia? nec panem esse, quod videtur, sed tantùm accidentia? An illo seculo ita inusitata fuerunt illa vocabula, Quãtitas, Qualitas, Accidens, vt Patres illa, quamuis essent doctissimi, in hoc sacramento explicando nunquam vsurpare ausi fuerint? Credat id Inconstantius, si velit: nunquam id cuiquam persuadebit sapienti.

Patres nusquã dicũt visibilẽ partem sacramenti esse accidẽtia.

OBIECTVM CLI.

IVSTINVS in Apologia 2. ita scribit: Panis, aqua, & vinum in hoc sacramento non sunt sumenda, vt cæteri cibi, & potus communes: sed sunt cibi ordinati ad hoc vt gratias agamus Deo: & ideò vocatur Eucharistia. Vocantur etiam corpus & sanguis Christi: eò quod fas sit nemini ex illis comedere, & bibere, nisi qui profitea tur Christum, & viuat secundum Christum. Et tamen idem cibus & potus, ait ille, mutatur in carnem & sanguinem nostrũ, & nutrit corpora nostra. Vnde apparet, Iustinum credidisse, panem & vinum remanere. Alioqui enim non possent mutari in carnem & sanguinem nostrum, & corpora nostra nutrire.

GARDINERVS.

MALI & nequam homines fide mala & dolis Catholicam fidem adoriuntur.

MARTYR.

IN ista versione Inconstantij ego duo errata iudicaui esse annotãda. Fortasse plura etiam sunt: sed ea alijs potius relinquo consideranda. Vnum est, quod minus dicit, quam Iustinus

Græcè expreſſerit. Id autē eſt, ὡς ὕστερος βιῶντι ὡς ὁ χριστὸς παρέδωκεν. Id iſte ad hunc modum reddidit: Et ad eū modū vitam inſtituit. Totum illud omittit, ὡς ὁ χριστὸς παρέδωκεν. Neque mirum, illum obliuioni dediſſe iſtam particulam. Animum enim magis occupatum habuit in alio loco peruertendo. Mitto ergo hunc lapſum & ad alterum erratum venio: in quo non incogitantia hallucinatus eſt, ſed data opera, & ſummo ſtudio à Iuſtini ſententia diſceſsit. Vidit enim illa ſententia Tranſubſtantiationem ſuam planè iugulari. Itaq;, quod Iuſtinus ſic ſcribit Græcè, ἡ τοῦ δι' ἧς λόγου εὐχαριστηθεῖσα τροφὴ, ἐξ ἧς αἷμα, καὶ σάρκες κατ' μεταβολὴν τρεφόμεθα ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι. Hoc, inquā, iſte ad hunc modū conuertit, ſi Deo placet: *Etiam cibum illum ex quo ſanguis & carnes noſtræ per mutationem nutriuntur, poſtquam per verbum precationis fuerit ab eodem benedictus, edocti ſumus, eſſe carnem & ſanguinem illius Ieſu, qui pro nobis fuit, incarnatus.* Verba illa, *Ex quo ſanguis & carnes noſtræ nutriuntur*, à Iuſtino ponuntur poſt illa verba, *poſtquā per verbū precationis fuerit ab eo benedictus.* Iſte aut ordinem totū peruertit, & ea antea alieno prorſus in loco collocauit. Caſúne autem hoc, an conſilio, & aſtu fecerit, Lector ipſe optimè exiſtimabit. Vidit Iuſtinū apertiſsimè dicere, panem & vinum, poſtquam iam conſecrata ſint, & facta ſint Sacramēta, per naturalem ſui mutationem alere ſanguinem & carnes noſtras: & ex eo neceſſario euinci poſſe, ſubſtātias rerum illarum remanere. Itaq; cœpit ſecum cogitare, huic vulneri faciendam eſſe medicinam: id autem ſatis callidè fieri nó poſſe, niſi huius ſentētię partes omnes laceraret & confunderet. Sic autem poſſe fieri, vt iſta nutritio adſcribi videatur pani & vino, antequam conſecrentur, & per benedictionem facta ſint myſteria. Hæc verò fides illa eſt, & ſynceritas Inconſtantij, qui nos ab initio huius reſponſionis ſine vlla fronte auſus eſt appellare, nequam homines, & malos, qui fide mala, & dolis fidem Catholicā adoriamur, qui nihil ſynceri afferamus, qui corrūpamus omnia, qui Iuſtinum inducamus non ſuis verbis loquētem, ſed alienis, aut loco motis, in eum videlicet finem, vt ſententiam à mente Iuſtini alienam eliciamus. Itáne Inconſtanti, in verſione, quam ſimplicem, & candidam vis videri, ordinem verborum, quo nihil eſt ad intelligentiam magis neceſſarium, violas, & tāta ſeueritate nos cōdemnas, qui dū nequitiæ veſtræ nos opponimus Iuſtini verba non quidem profitemur Latina facere, ſed tantùm ſummam quandam illorum verè & ſine fuco colligimus, quæ ſcimus pro nobis maximè facere. Sic etiam Paulus alijque Apoſtoli damnari poſſent pro falſarijs, quod non ſemper ad vnguem ſequuti ſint veritatem Hebraicam: verùm aliquando ſiue ad Gentium commoditatem ſequuti ſint Septuaginta interpretes, cum illi ab Hebraico ſenſu nihil differrēt, quamuis verbis per omnia non congruerent: ſiue ſummam tantum rerum comprehenderint, relictis ſæpè verbis compluribus, quæ in Hebræo habentur. Sed Apoſtoli non ſumpſerunt ſibi nomen interpretum Moſis & Prophetarū. Hic autē noſter profeſſus eſt, ſe velle Iuſtini verba Latina facere: & tamen pro ſua ſynceritate, ac fide ſentētiam totam immutauit. Poſſet etiam hoc illi condonari, niſi deſtinato conſilio id feciſſet. Ita autem velle ſtatuere ſententiam ſuam, vt Iuſtini ſententiam prorſus ſuſtulerit, neſcio quo pacto ferri poſsit.

Sed dicet fortaſſe quiſpiam, me teſtem eſſe parum idoneum, quod cum Inconſtantio ex profeſſo contendam. Sed res ipſa per ſe ſatis loquitur: Apologia Iuſtini eſt in medio: niſi ea ita ſe habeat, vt ego dico, verè conuerterit Inconſtantius. At non omnes Græcè norunt. Hîc ego non habeo, quid agam, niſi vt eos, qui mihi non credēt, remittam ad alium interpretem, virum vtriuſque linguæ, Latinæ, inquam, Græcæque peritiſsimum, Sigiſmundum Gelenium. Is Iuſtinum vertit feliciſsimè: & hunc locum ita reddidit: *Et per verbum precationis, & gratiarum actionis ſacratam ab ipſo alimoniam, quæ mutata nutrit noſtras carnes & ſanguinem, illius incarnati Ieſu carnem & ſanguinem eſſe didicimus.* Audis, Inconſtanti, panem & vinum, alimoniam, inquam, illam, mutari & nutrire ſanguinem, & carnes noſtras poſt benedictionem, cùm iam ex verbo Dei gratiæ actæ fuerint? Non agit in præſentia Iuſtinus de eo, quid anteà aut ex pane, aut ex vino fiat: ſed quid potius fiat ex illis, cum iam facta ſint Sacramentum. Euchariſtia, inquit, vocatur, cùm tamen re vera panis non ſit gratiarum actio. Verùm ab effectu, vel potius à re cōiuncta ita appellatur. Eſt corpus & ſanguis Chriſti: ſed ſuo modo: nimirū, vt ſæpè iam diximus, ſacramentaliter. Non enim id tantùm dicimus, quod à te ſub noſtra perſona ſcribitur, panē vocari corpus Chriſti: quod tamen antiquiſsimi patres læpiſsimè ſcripſerunt. Eſſe etiam eum concedimus corpus Chriſti: nō tamē ſimpliciter, ſed ea loquendi forma, quæ in Sacramentis eſt vſitatiſsima: nimirum, vt ſymbola notentur nominibus rerum.

Et mihi quidem Inconſtantius, qui adeo contendat, corpora noſtra nō ali pane Euchariſtię, parùm videtur, quid patres ſcribant, cōſiderare: quamuis illorū nomina vbique crepet. Cur enim non audit Irenæum, qui libro quinto ita ſcribat: *Eum calicem, qui eſt creatura, ſuum corpus confirmauit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbū Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur, & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtātia. Quomodo carnē negāt capacē eſſe donationis Dei, quæ eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur?* Et mox agens de diſpoſitione hominis ita ſcribat: *Quæ ex carnibus, & neruis, & oſſibus conſiſtit, quæ de calice, qui eſt ſanguis eius, & de pane, qui eſt corpus eius, augetur.* Deinde rurſus, *Corpus & ſanguis Chriſti ex eo nutrita, & reposita in terram, & reſoluta in ea reſurgent ſuo tempore.* Reſpondeat hîc mihi Inconſtantius, quodnā illud corpus, aut quiſnam ille ſanguis Chriſti ſit, quibus corpora noſtra nutriuntur, aluntur, cōſiſtunt, augentur. Mirabor,

Elementa Euchariſtię etiam cum Sacramēta ſunt adhibita, noſtra tamen corpora nutriunt.

bor, si corpus illud Christi naturale esse, & sanguinem esse Christi naturalem velit dicere. Nihil enim nos propriè alit, quod attinet ad carnem & sanguinem, nisi quod in naturam nostram conuertatur. Quod cum carni & sanguini domini verè ac propriè adscribi non possit, hoc tantùm superest, vt Irenæus illud de pane & vino intellexerit: quæ suo quodam modo nō solū dicuntur, sed etiam sunt corpus & sanguis Christi. Neque vero dubitari hîc potest, Irenæum loqui de ijs elementis, postquam iam consecrata sint, & facta Sacramenta: quæ quemadmodum corpora nostra nutriant ad Resurrectionem, ad æternam vitam, etsi aliàs diximus, tamē hîc quoq; paucis perstringā. Qui viua, & efficaci fide cōmunicant, mēte ac spiritu verum Christi corpus, & verum eius sanguinē apprehendūt. Ex eo animus renouatur, & gratia, qua animus repletur, redundat in corpus, efficitque illud aptū organū spiritus sancti, & indies magis, magisque capax æternæ vitæ, & summæ felicitatis. Panis autē & vinū effecta iā Sacramēta vna cū spritu, & gratia cooperantur, & corpora nostra, & carnes alēdo materiā illi præparant, quę diuinitus instauretur. Hoc alij cibi naturales quāuis faciūt, nō tamē de illis, vt de symbolis Eucharistiæ, dicitur. Hæc.n. vis peculiariter tribuitur pani & vino in Eucharistia, quòd illa cum rebus significatis habeant sacramentalem coniunctionem. Alunt ergo, nutriunt, augentque corpora nostra naturaliter. Alunt autem ad æternam salutem, quatenus sunt instrumenta spiritus sancti ad fidem in animis nostris excitandam, per quam dona renouationis ad corpus & carnem nostram transfundantur.

Corpus & sanguis Christi naturalis non potest nostros corpora proprie nutrire.

Quomodo Eucharistia nutriat corpora nostra ad resurrectionem.

Quorsum ergo tantopere sudauit Inconstantius, vt verba Iustini peruerteret, vt ille dicere videatur, panem & vinum alere corpora nostra ante Consecrationem, non autem postquam iam facta sint sacramenta? Sed & operam, & oleum perdidit. Non enim potest suis istis artibus prudenti lectori ita fucum facere, quin vt ille facilè videre possit, quid Iustinus dicat. Deinde etiam si Iustini sententiam potuisset nobis extorquere, tamen hoc certè efficere non potest, quin alij Patres nobiscum disertis verbis, & aperte sentiāt. Postremò, cùm Patrum dicta studet ita malitiosè deprauare, necesse est, vt in posterum omnem amittat authoritatem. Sed ne hoc quidem silentio prętereundum est, Iustinum scribere, illam alimoniam per sermonem precum benedictam, seu consecratam fuisse à domino. Id cum Papistis omnibus apertissimè pugnat. Illi enim volunt, Consecrationem suam fieri excantatione illa tantùm quinqueuerbia:

Iustinus benedictionem Eucharistiæ precibus adscribit.

Adhæc Inconstantius fallere vult Lectorem in eo, quod ait, *Iustinum vti similitudine, vel potius collatione, qua ostendat, carnem & sanguinem domini tam verè esse in Eucharistia, quàm verè Christus illa sumpsit, cum ex Virgine nasceretur.* Aduerbium illud *ut*, similitudinis est, non æqualitatis. Imò ad significātiam eius satis est, panem & vinum aliquo modo, eo videlicet, qui conueniat sacramento, esse corpus & sanguinem domini. Paulus ait, *Tum cognoscam, sicut & cognitus sum.* An Apostolus æquali, & pari notitia cognoscet Deum, qua à Deo cognoscitur? Non opinor. Iustinus ergo idem facit, quod alij Patres: qui, vt, quoties oblata esset ocasio, perstringerent Hæreticos, probabant ex sacramento Eucharistię, Christum habuisse verā carnem, & verum sanguinem humanum: non autem, vt illi somniabant, assimulatam, & phantasticam. Nam nisi Christus verā habuisset carnem & sanguinem, hæc sacramenta nostra falsa essent. Non enim haberent veram repræsentationem: nec id verè possent significare, quod nunquam fuerit. Hoc sibi voluit Iustinus, cum diceret, *Sicut Christus habuit veram carnem & sanguinem, ita hæc allimonia verbo precum eius consecrata, est caro & sanguis domini.* Quare, quod iste iactat de potentia Dei, qua Verbum indutum est humana carne, quasi eadem potentia panis quoque & vinum transubstantientur, quiuis videre potest, quàm sit nugatorium. In illis enim verbis Iustini nulla mentio fit de potentia Dei in conficiendis sacramentis. Sunt quidem Sacramēta opera Dei non tamen, vt isti fingunt, miracula, aut metamorphoses, aut portenta.

Aduerbium similitudinem dicit, non semper æqualitatē.

Ruit etiam illud mendacium Inconstantij: quod tamen putauit esse subtilissimum: *Iustinum tacitè, ait, mentionem fecisse Transubstantiationis, cùm diceret, Panem & vinum per mutationem nutrire carnem & sanguinem nostrum: ac si diceret: Quemadmodum ista transmutantur in carnes & sanguinem, quando nos alunt, ita in Eucharistia transeunt in carnem & sanguinem domini: quasi ex mutatione naturali ostendere voluerit Transubstantiationem miraculosam.* Sed quî tandem potuit hoc Iustino venire in mentem, cùm dicat: *Panem & vinum manere post consecrationem, & ita manere, vt nutriant, & alant nostra corpora?* Ad hæc inutile non erit audire, quid idem Iustinus dicat alibi. In colloquio cum Tryphone ita scribit: *Simila, quæ pro mundatis à lepra solet offerri, ex more figuratè significans panem Eucharistiæ, quem in memoriam passionis suæ purgantis ab omni peccato animas hominū, Iesus Christus dominus noster tradidit posteris.* Ex ijs verbis duo colliguntur. Primum, oblationes Veterum fuisse vmbras nostræ Eucharistiæ: quod Inconstantius supra fortiter negauit. Alterum est, Christum Eucharistiæ panem tradidisse posteris in mortis suæ commemorationem: quod satis indicat, eum dicere panem, nō qui ante Consecrationem adhibetur: sed illum, quem dominus in mortis suæ commemorationem tradidit. Sed non ita multo post in eodem Colloquio ita scribit: *Cæterum de sacrificio, quod offertur in omni loco, à nobis Gentibus, id est, Eucharistiæ tum pane, tum poculo.* Hic quoque appellat panem, quod offertur in sacrificium. Quomodo autem Iustinus hîc seruet rationem sacrificij, postea videbimus. Mihi nunc ad vincendum satis est, panem esse, & appellari, eo ipso tempore, cùm vocatur sacrificium: ne Inconstantius confugiat ad tempus,

Sacramenta veterum vmbræ fuerunt nostrorum sacramentorum.

quo panis adhibetur ante Consecrationem. Et Posteà in eodem Colloquio, de Christianis in vniuersum ita loquitur: *Sordidis vestibus, hoc est peccatis, exuti, ignitiq; per verbum vocationis eius, verè pontifices Dei reddimur: sicut ipse Deus testatur dicens, quod vbiq; gentium offerendæ sint sibi puræ gratæque victimæ.* A nemine autē Deus victimas nisi per sacerdotes suos accipit. Vnde certò constat quod huius nominis sacrificia, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est, Eucharistia panis & poculi, vbicunque terrarum apud Christianos fiant. Hìc quoque prę terquam, quòd ait, panem fuisse, qué Christus in Eucharistia tradidit, elicitur oblationem intelligi actionem gratiarum, & preces: quæ non solùm à ministro, sed etiam ab omnibus astantibus offeruntur: qui cum sint Christiani, non tantum sacerdotes, sed etiam pontifices dicuntur esse. Quod non eò dico, quasi iustū ministerium ex Ecclesia tollēdum censeam: illud enim omnino manere oportet, & haberi in precio. Illos tantum his verbis confuto, qui sacrificium in Missa esse volūt, in quo sacrificus filium Dei offerat patri suo. Hoc impium, & blasphemum est, & in Veteri Ecclesia inauditum. Hìc sacrificium est laudis, & gratiarum actionis: quod est corpus totius Ecclesiæ: non tantum vnius Missatorculi sacrifici. Id Iustinus ipse paulo post ita exponit: *Equidem & preces, & gratiarum actiones, si per homines dignos fiant, solas pro perfectis & Deo gratis habeo. Hæc enim sola sacra Christiani facienda acceperunt: vt alimento sicco, atque humido admoneantur, quæ propter eos Deus Dei filius perpessus esse narratur.* Hìc ité audimus in Eucharistia siccum & humidum alimentum. Quomodo autem illud sit sacrificium, luculenter explicatur, videlicet, quod per illud admoneamur beneficiorum Christi Iesu, quodq́ue oblationes precum, & gratiarum actiones facimus: quę Iustinus asserit, sola esse sacra Christianorum. Nam mortificatio carnis, & eleemosyna ad ista duo capita referuntur. Atque ita in Cœna domini nos ipsos quoque fatebor esse sacrificium. Impia autem illa cogitatio de offerendo filio Dei, nisi mortis eius commemorationem intelligas, penitus ex omnium animis ejicienda est. Satis ergo iam constare arbitror, quid Iustinus senserit. Verba eius satis ostendunt, panem & vinum non esse realiter corpus & sanguinem domini. Ista enim non commutantur in sanguinem & carnes nostras, nec ea nutriunt.

Quæ sit nostra oblatio in Eucharistia.

In Eucharistia siccū & humidum alimentum. Quæ sint sola sacra Christianorum.

Iustinus non sensit panem & vinum esse realiter corpus Christi.

Hoc etiam considera, pie Lector, Inconstantium cum sua ista interpretatione rem adduxisse in magnum discrimen, cum ita torqueat verba Iustini, vt velit ita verè, ac propriè panem trànsire in corpus & sanguinem Christi, vt panis & vinum per mutationem sui fiunt caro & sanguis noster. Ex hoc enim necessariò sequetur, sanguinē & carnes Christi quotidiè nouas gigni: quemadmodū ex illis alimentis sanguis & carnes nostræ quotidie recētes, & nouæ fiūt. *Absit*, inquit: *Saluæ sunto regulæ fidei: Vnū esse corpus Christi, quod ista dispensatione nec augetur, nec minuitur.* At si regulā fidei vultis esse incolumem, quare ppetuò dicitis in vestris Missis, fieri corpus Christi. Dicite aliquando ingenuè, aut fieri illud, aut nō fieri. Si dicetis fieri, vt certè dicitis, cur non fatemini illud prius non fuisse? Nam quod prius fuerit, quomodo dici potest fieri? Vel ergo totum Christi corpus vestra sentētia fit quotidie in Missis, vel saltem nouæ illi carnes, nouusq́ue sanguis illi ex pane & vino, quæ in illum transubstahtiantur, accedunt. Quod si non placet dicere, corpus Christi fieri, desinite aliquando tandē, illud nobis toties ebuccinare.

Quod prius fuit, non potest dici fieri.

Hoc quoq; annotandum puto, panem postquam factus est Sacramentum, & esse corpus Christi & Eucharistiam, & corpus Christi & Eucharistiam appellari: cum tamen quiuis scire possit, illa symbola non esse gratiarum actionem, sed monimentum potius, quo ad agendas gratias excitemur. Ita etiam quamuis panis verè proprieq́ue nō sit corpus domini, tamen est corporis domini Sacramentum, quo in eius memoriam deducimur. Vtraque autem appellatione, animi, mentisque cibus indicatur: quáuis res ipsæ, quibus ille cibus significatur, re vera pertineant ad corporis nostri alimoniam. Quæ si quemadmodum cōuertitur in carnem nostram, ita etiam per Transubstantiationem mutaretur in corpus Christi, quemadmodum noster iste clamat, omnis ratio Transubstantiationis funditus euerteretur: & Inconstantius maximis laudibus à suis omnibus afficeretur; vt qui, quo argumento velit aliquid confirmare, eodem illud prorsus refellerit. Quod vt clarius videri possit, respondeat mihi, Materia panis & vini, cum à nobis comeditur, nónne retinetur, & in carnem & sanguinem nostrum abit? Non potest hoc negare, si velit. At ille in Eucharistia panem vinumq́ue cum vniuersa illorum materia extrudit, neque ea consistere patitur cum corpore domini. Nam illud paulò suprà testatus est non augeri. Cur ergo ita leuiter discedit à similitudine Iustini, quam antea tantopere iactabat? Adhæc respondeat, proprietates & accidentia panis & vini retineantúne, cum nos alunt, an non? Respondet, non manere ea, nec retineri posse. At ista vos eadem in Eucharistia conseruare vultis, eaque magno quodam miraculo sine subiecto constare contenditis. Vbi nunc est, Inconstanti, tua illa Iustini similitudo? vbi tua illa manuductio? vbi tua illa tacita demonstratio? Crede mihi,

pudet me tui: etsi te iam pri
dem depuduerit.

OBIECTVM CLVII.

OBIICITVR ex Irenæo aduersus Valentinianos lib. 4. cap. 34. Panis, inquit, terrenus accepta vocatione à verbo Dei, non amplius est communis panis: sed efficitur Eucharistia, quæ constat ex duabus rebus, terrena, & cœlesti. Primum Irenæus non negat, Eucharistiam esse panem: nisi quis fortè panem communem esse velit. Deinde addit, eam constare ex duabus rebus: quarum altera sit terrena,

vt

vt est panis: altero vero cœlestis, vt est corpus Christi. Quemadmodum autem ex vna parte veritas retinetur, nimirũ, de corpore domini: ita ex altera parte oportet eandem veritatem retineri de vero & terreno pane. Postea addit Irenæus similitudinem, Ita corpora nostra illam sumentia non sunt amplius corruptibilia.

GARDINERVS.

QVATENVS dicit Irenæus, ex duabus rebus constare Eucharistiam, quarum altera terrestris est, altera cœlestis, cœlestem autem esse corpus Christi, improbat apertè eos, qui figuram corporis Christi statuunt.

MARTYR.

NOster iste arripit, vt solet, id, quod prima fronte occurit: & ex eo, quod Irenæus ait, *Eucharistiam cõstare ex duabus rebus, quarũ altera sit corpus Christi*, persuadet sibi, Irenæũ velle corpus Christi in cœna omnino realiter esse præsens. Sed nõ attendit, lõgè aliud esse, Sacramentũ cõstare corpore Christi, & symbolis, quã corpus Christi re ipsa, & corporaliter præsens esse in Eucharistia. Nam sermo noster & voce constat, & re significata, aut sententia. At sententia non est realiter in voce, sed in mente vel dicentis, vel audientium: & res significata à voce sæpissimè longè abest. Sacramenta etiam veteris Testamenti Paulus testatur, constitisse & externis elementis, & corpore ac sanguine Christi. Ait enim, patres sub Mose eundem cibum, potumque spiritualem sumpsisse nobiscum. At corpus ipsum domini tam longè ab illis abfuit, vt ne natum quidem adhuc fuerit. Adhæc, cum dicimus Sacramentum Eucharistiæ, ipsum totum simul comprehendimus: signa, inquam, vnà cum rebus significatis. Et quamuis res significatæ reali, vt loquuntur, præsentia nõ adsint, nihil tamen ea causa imminuitur de integritate Sacramenti. Illarum enim rerum etiam absentium vera, & realis apprehensio, quæ fide, ac spiritu perficitur, satis est ad communicantes ædificãdos. Nã, ne ab ipso Cœnæ mysterio discedamus, quis vnquam dubitauit, illud mortis etiam Christi esse Sacramentum? Nam dominus illud instituit potissimum ad commemorandam & testificandam mortem suam. Nemo tamen, ne stupidissimus quidẽ Papista, ita insanit, vt dicat mortem Christi in Cœna præsentem esse. Quare Sacramentum Eucharistię duplici re constare, terrena, & cœlesti, non dubitamus, non tamẽ idcirco necesse est corpus Christi in cœna adesse realiter.

Eucharistia Sacramẽtum est non tãtum corporis Christi.

Quomodo aũt ex eo, quod Ireneus ait Eucharistiã nõ esse communẽ panẽ, sequatur necessario, mutari panẽ, atq; ita mutari, vt ille prorsus auferatur, nescio quib. oculis Inconstantius viderit. Nam aliũ neminem id vnquã vidisse arbitror. Quis in veteri Testamento dixisset, carnẽagni Paschalis cõmunem carnem? An idcirco colligemus, carnem illã transubstantiatã fuisse, & ita transubstantiatam, vt non existeret? Sed, vt in Nouo Testamento, in quo degimus, consistamus, Quis aquam Baptismi aut communem aut profanam dixerit? Tamen ne Inconstantius quidem, opinor, eam dicit esse transubstantiatam. Quare patiemur, istum suis cogitationibus, quibus ita multum delectatur, solum frui. Rem terrenam apud Irenæum dicit esse panis accidentia: quod Irenæo nunquam in mentem venit. Is enim, quemadmodum supra in explicando Iustino docuimus, & panem nominat, & eo corpora nostra nutriri dicit. Et quid tãdem illi obstitit, quo minus dicere posset, accidentia & qualitates eas panis esse, quæ tamen magno miraculo cõsisterent absq; subiecto, & corpora cõmunicantiũ alerent: nullo aũt modo esse panis substantiã? An, credo, verba illa deerant, vt, si ita sensisset, tam grãdia mysteria effari nõ potuerit? At ille nunquã cõmemorauit ista accidentia, quę nunc Inconstantius tanti facit. Panẽ & vinũ suis nominibus perpetuò deserte appellauit. Videat nunc Lector, vtri malit credere, Irenæone an Inconstantio?

Cur agni Paschalis in veteri Testamento erat communis cæn.

Aqua baptismi non est communis aqua.

Addit, *accidentia illa retineri ad significationẽ terrenæ naturæ.* Atqui ego hoc apud Theologos inauditum, quod sciam, esse arbitror, accidentia adhiberi, quæ panem significent, qui sum abierit. Ego certè semper credi[illegible] illa signa in mysterijs Christũ ipsum, & eius mortẽ, & spirituale nostrũ alimẽtum designare. Nunc autẽ ex Inconstantio longè aliud [illegible]illigo, illa nobis referre panem & vinum, q[illegible] discesserint. Sed addit etiam, *illa, quod specialem quandam vim habeant alendi corpora, idcirco appellari panem.* Quidem modo saccarum quoque, & mel, & ficus, & cepa, & allium posset appellari panis. Nam ista quoque omnia nutriunt instar panis. Naturæ autem integritatem in symbolis iste noster hoc argumento probat non esse requirendam: *quod aqua, postquam commista est cum vino, propriam naturam amittat. Ea enim iam vnà cum vino confunditur.* At si velit istam rationem esse veram, materia panis relinquẽda etiam est in Eucharistia? nam in vino aquę materia conseruatur. Extinguẽda etiã sunt in Eucharistia accidentia panis & vini. Aquę. n. accidẽtia in vino pereunt. Miror verò Inconstãtiũ huiusmodi similibus delectari, quæ cũ eo, quod probare vult ita apertè pugnent. Deindè quid mirũ est de aqua, si eius substãtia integra, & perfecta non existat. Nam ea ex verbo Dei non additur ad Eucharistiam. Christus enim de illa miscẽda cũ vino nihil præcepit: Euãgelistę nihil scripserũt: Paulus eã suo testimonio nõ agnoscit. Patres quidẽ de ea faciunt interdũ mentionẽ. Tamẽ cum eius vsum probare volunt, nihil proferunt è sacris literis.

Aqua ex verbo Dei Eucharistiæ nõ additur.

Ait

OBIECTVM CLIV.

RVRSVS obijcitur ex Irenæo: Quomodo iustè dominus, si alterius partis existit, huius conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem suum corpus confitebatur: & temperamentum calicis suum sanguinem confirmauit? lib. 4. cap. 57. Irenæus hic planè ostendit, dominum, cum accepisset panem, confessum esse, illum esse corpus suum: & vinum mixtum in calice esse sanguinem suum.

GARDINERVS.

NISI Christum, omnis veritatis fontem, per blasphemiam mendacij arguere velimus, quod confessus est esse, verè effecit fieri.

MARTYR.

Christus, inquit, *non est arguendus mendacij. Hoc enim blasphemum est. Is ergo cum confessus sit, panem esse corpus suum, verè effecit, vt ille corpus ipsius fieret.* Sed agè, Rem paulò exquisitius consideremus. Nonne qui confitetur, Gardinerum Vintonienſem episcopum esse Anglum, vult istam propositionem veram esse, Gardinerus est Anglus? Quiq; confitetur, Gardinerum Papistam esse, aut veritatis proditorem, nonne hanc propositionem vult esse veram, Gardinerus est Papista, aut proditor veritatis? Cum ergo Irenæus dicat, dominum confessum esse, panem esse corpus suum, profecto vult, propositionem istam veram esse, Panis est corpus domini. Id etiam Cyprianus asserit in Sermone de Vnctione Chrismatis. *Vt exponeret*, inquit, *Gentibus, quomodo vinum & panis caro esset, & sanguis.* Modum etiá ibi Cyprianus exponit: nempe quod significantia, & significata ijsdem nominibus cẽseantur. Verum ergo est, Christum efficere, vt panis sit ipsius corpus. Quoniam panem fecit sacramentum, quod corpus ipsius significaret. Ambrosius quoque de Sacramen. li. 4. cap. 4. ita scribit: *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione.* Quid istis verbis potest esse clarius? Consecratione inquit fieri, vt, qui est panis, fiat corpus Christi. Alia multa adducere possem in hanc sententiam. Sed ea præstat referre aliàs. Nũc verò non est magnopere laborandum, vt exponam, quemadmodum vtrunq; sit verum, idem & panem esse, & corpus Christi. Quiuis enim id ex illis, quæ iam dicta sunt, potest facilè intelligere. Christus ergo cùm confiteretur, panem esse corpus suũ, fecit panem sacramentum corporis sui. Verba verò Irenæi ita clara sunt, vt nullis Inconstantij nebulis possint obfuscari.

Cyprianus.

Ambros.

OBIECTVM CLV.

RVRSVS obijcitur ex Irenæo lib. 5. Quando ergo mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi: ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia. Ex hoc loco apparet, Christum, cum accepisset panem vere materialem, appellasse illum corpus suum, cum diceret, Hoc est corpus meum: & vinum etiam, quo nutrimur, eum appellasse sanguinem suum.

GARDINERVS.

HOC planè docet Irenæus: Cum mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fieri Eucharistiam corporis & sanguinis. ne quis contendat sanctificationem esse rem cælestem sacramenti, quum ipsum sit corpus & sanguis.

MARTYR.

EX eo, quod Irenęus scribit, panem fractum & calicem mixtum fieri Eucharistiam corporis & sanguinis domini. Inconstantius euestigio concludit, *rem cælestem, qua Eucharistia constat, non esse sanctificationem, sed corpus ipsum Christi, & eius sanguinem.* Quod, quemadmodum dari possit, iam suprà exposuimus. At ego vicissim quæro, quomodo panis fiat Eucharistia. Nam paulò ante, cum de verbis Iustini ageretur, iste noster valdè atrociter clamauit, alimoniam illam esse carnem, & sanguinem Christi: vocari tamen Eucharistiam: quasi, quod ad hanc tractationem attinet, magnum quoddam sit discrimen inter esse & vocari. Dicat mihi nunc vicissim ipse, quomodo panis fiat Eucharistia. Nam Eucharistia est gratiarum actio. An ergo dicet, panem fieri gratiarum actionem? Aut si dicat, quis illi credet? Quemadmodum ergo tropicè dicimus, panem fieri actionem gratiarum: ita etiam tropicè dicimus, panẽ fieri corpus Christi. Ex carne autem, sanguineque Christi consistere, atque augeri substantiam carnis nostræ, dicit iste aliquo modo verum esse. Ego verò id contendo, omnibus modis falsum esse: modò pro-

Quomodo panis fiat Eucharistia.

Ex carne & sanguine Christi consistere & augeri substantiam carnis nostræ, proprie loquendo non est verum.

propriè accipias corpus & sanguinem Christi, A propriéque accipias nutriri & augeri.

Postea Inconstantius confugit, vt solet, ad naturam panis & vini extra vsum sacramenti: aut ad illud tempus, quo ea primùm adhibentur ad Consecrationem. Verborum etiam ordinem & proprium orationis sensum prorsus confundit. Nam Irenæus quidem loquitur de pane & vino, postquam iam perceperunt verbum Dei, & facta sunt Eucharistia. In Iustino, quemadmodum audiuimus, conatus est verba B peruertere: in Irenæo sensui atque intelligentiæ insidiatur. Ad hæc suum illud solenne inculcat, & repetit, Cùm panis & vinum à natura mutentur in carnes & sanguinem communicantium, par esse, vt credamus eadem mutari à Deo in corpus Christi. Hæc suprà, cùm Iustini sententiam exponeremus, refutauimus: nec opus erit, credo, ea nunc repetere. Hoc tantùm vnum dicam: Consilium Irenæi in eo loco fuisse, vt doceret, creaturas panis & vini bo- C nas esse, & à bono & vero Deo patre domini nostri Iesu Christi conditas. Id enim Valentiniani & Marcionitæ negauerunt. Vtitur autē hoc argumento: Christus boni & veri Dei filius, vsus est pane & vino ad conficienda sacramenta: ergo non res alienas vsurpauit, sed suas: & ad rem bonam, quale est sacramentum, adhibuit res bonas. Pergit porrò, & probat, corpora quoque, & carnes nostras bonas res esse, quòd sacramentis, quæ citra cōtrouersiam bona sint, alantur. Ex isto progressu & contextu rationum Irenæi facilè videre possumus, quàm procul Inconstantius vagetur extra oleas: cum somniet, nos ali non pane, aut vino, quæ sunt creaturæ naturales, & existunt in sacramentis, sed miraculo: aut, cùm fingit, Irenæum hoc loco agere de natura panis & vini, quam habebant, antequam fierent sacramēta. Certè si panem tollas ab Eucharistia, non oppugnatur Marcion, qui illas creaturas negabat esse bonas, sed potius adiuuatur.

Explicatur argumentū Irenæi.

OBIECTVM CLVI.

OBIICITVR præterea ex Irenæo lib. 4. capit. 32. Eum, qui est ex creatura, panem accepit, & gratias egit dicens: Hoc est corpus meum: & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & Noui Testamenti nouam docuit oblationem. Hinc apparet, creaturam panis dictam esse corpus Christi.

GARDINERVS.

QVI ex his verbis argumentantur, Christum secundum Irenæum vocasse panem corpus, quid inferunt postea, nisi Christum id, quod consecrando effecerat, vocasse, & cum rei mutatione mutasse nomen?

MARTYR.

IN hac responsione nihil habetur, quod non sit dictum antea. Vis autem argumenti in eo sita est, quòd Christus panem & vinū, creaturas, vt dicitur, secundum nos, fassus sit esse corpus & sanguinem suum. Accidentia autem panis & vini, præsertim existentia sine subiecto, nemo sanus dicet esse creaturas secundū nos. Sunt enim portenta & quiduis potius, quàm creaturæ ab hominibus vsurpatæ. Hinc tamen Inconstantius elicere vult, aquam videlicet è D pumice, panem & vinum simul cum mutatione rei mutasse nomen. Sed quam mutationem rei nobis narrat? Transubstantiationem scilicet. Atqui de ea, quod sciam, non meminit vspiam Irenæus. Quòd si mutationem spiritualem diceret, qua panis & vinum fiant sacramenta, cùm antea fuerint res profanæ, possemus illi assentiri. Verùm cùm se in omnia absurda ita abijciat præcipitem, quæ potest esse spes concordiæ? Fugit id, quod est in controuersia, & E se ad aliam transfert quæstionem, de sacrificio noui Testamenti. At hoc non est ordine disputare. *Verùm hoc, inquit, idcirco facio, vt intelligas, in nudo pane nullam posse esse nouam oblationem, quam tamen Irenæus dicit Christum instituisse. Nam in illis inquit, creaturis Melchisedech obtulit præfigurans Christum.* Mitto nunc communem errorem illorum, qui dicunt, Melchisedechum obtulisse panem & vinum Deo in sacrificiū. Id enim ab historiæ veritate alienum est. Protulit enim illa potius exercitui Abrahami redeunti à prælio, vt milites lassos reficeret. Sed ignoscendum opinor est Inconstantio, si pro more suo errare malit cum Patribus, quàm rectè sentire cum Scripturis. Hoc ergo omisso, illud dico: Veteris & Noui Testamenti oblationes in hoc differre, quòd ibi res aliquando exhibenda proponebatur, hîc autem iam facto exhibita commemoratur: ibi Christus venturus & moriturus ostendebatur, hîc mortuus pro nobis fidè percipitur. Inconstantius verò cùm nouam oblationē in nouo Testamento offerri iactat; illud sacrificium appellari vult viuificum propter veram præsentiam corporis Christi. Quid ita? Nonne etiam doctrina Euangelij est viuifica? At in illis verbis, quibus Euangelium explicatur, corpus Christi realiter non inuoluitur. Baptismus quoque est Sacramentum viuificum: at in eo non adest realiter corpus Christi.

OBIECTVM CLIV.

RVRSVS obijcitur ex Irenæo: Quomodo iustè dominus, si alterius partis existit, huius conditionis, quæ est secundum nos, accipiens panem suum corpus confitebatur: & temperamentum calicis suum sanguinem confirmauit? lib. 4. cap. 57. Irenæus hic planè ostendit, dominum, cum accepisset panem, confessum esse, illum esse corpus suum: & vinum mixtum in calice esse sanguinem suum.

GARDINERVS.

NISI Christum, omnis veritatis fontem, per blasphemiam mendacij arguere velimus, quod confessus est esse, verè effecit fieri.

MARTYR.

CHristus, inquit, *non est arguendus mendacij. Hoc enim blasphemum est. Is ergo cum confessus sit, panem esse corpus suum, verè effecit, vt ille corpus ipsius fieret.* Sed agè, Rem paulò exquisitius consideremus. Nonne qui confitetur, Gardinerum Vintonienſem episcopum esse Anglum, vult istam propositionem veram esse, Gardinerus est Anglus? Quiq; confitetur, Gardinerum Papistam esse, aut veritatis proditorem, nonne hanc propositionem vult esse veram, Gardinerus est Papista, aut proditor veritatis? Cum ergo Irenæus dicat, dominum confessum esse, panem esse corpus suum, profecto vult, propositionem istam veram esse, Panis est corpus domini. Id etiam Cyprianus asserit in Sermone de Vnctione Chrismatis. *Vt exponeret*, inquit, *Gentibus, quomodo vinum & panis caro esset, & sanguis.* Modum etiá ibi Cyprianus exponit: nempe quod significantia, & significata ijsdem nominibus cẽseantur. Verum ergo est, Christum efficere, vt panis sit ipsius corpus. Quoniam panem fecit sacramentum, quod corpus ipsius significaret. Ambrosius quoque de Sacramen. li. 4. cap. 4. ita scribit: *Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione.* Quid istis verbis potest esse clarius? Consecratione inquit fieri, vt, qui est panis, fiat corpus Christi. Alia multa adducere possem in hanc sententiam. Sed ea præstat referre aliàs. Nũc verò non est magnopere laborandum, vt exponam, quemadmodum vtrunq; sit verum, idem & panem esse, & corpus Christi. Quiuis enim id ex illis, quæ iam dicta sunt, potest facilè intelligere. Christus ergo cùm confiteretur, panem esse corpus suũ, fecit panem sacramentum corporis sui. Verba verò Irenæi ita clara sunt, vt nullis Inconstantij nebulis possint obfuscari.

Cyprianus.

Ambros.

OBIECTVM CLV.

RVRSVS obijcitur ex Irenæo lib. 5. Quando ergo mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi: ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia. Ex hoc loco apparet, Christum, cum accepisset panem vere materialem, appellasse illum corpus suum, cum diceret, Hoc est corpus meum: & vinum etiam, quo nutrimur, cum appellasse sanguinem suum.

GARDINERVS.

HOC planè docet Irenæus: Cum mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fieri Eucharistiam corporis & sanguinis. ne quis contendat sanctificationem esse rem cœlestem sacramenti, quum ipsum sit corpus & sanguis.

MARTYR.

EX eo, quod Irenęus scribit, panem fractum & calicem mixtum fieri Eucharistiam corporis & sanguinis domini. Inconstantius eucstigio concludit, *rem cœlestem, qua Eucharistia constat, non esse sanctificationem, sed corpus ipsum Christi, & eius sanguinem.* Quod, quemadmodum dari possit, iam suprà expositum. At ego vicissim quæro, quomodo panis fiat Eucharistia. Nam paulò ante, cum de verbis Iustini ageretur, iste noster valdè atrociter clamauit, alimoniam illam esse carnem, & sanguinem Christi: vocari tamen Eucharistiam: quasi, quod ad hanc tractationem attinet, magnum quoddam sit discrimen inter esse & vocari. Dicat mihi nunc vicissim ipse, quomodo panis fiat Eucharistia. Nam Eucharistia est gratiarum actio. An ergo dicet, panem fieri gratiarum actionem? Aut si dicat, quis illi credet? Quemadmodum ergo tropicè dicimus, panem fieri actionem gratiarum: ita etiam tropicè dicimus, panẽ fieri corpus Christi. Ex carne autem, sanguineque Christi consistere, atque augeri substantiam carnis nostræ, dicit iste aliquo modo verum esse. Ego verò id contendo, omnibus modis falsum esse: modò pro-

Quomodo panis fiat Eucharistia.

Ex carne & sanguine Christi consistere & augeri substantiam carnis nostræ, propriè loquendo non est verum.

propriè accipias corpus & sanguinem Christi, A proprieque accipias nutriri & augeri.

Postea Inconstantius confugit, vt solet, ad naturam panis & vini extra vsum sacramenti: aut ad illud tempus, quo ea primùm adhibentur ad Consecrationem. Verborum etiam ordinem & proprium orationis sensum prorsus confundit. Nam Irenæus quidem loquitur de pane & vino, postquam iam perceperunt verbum Dei, & facta sunt Eucharistia. In Iustino, quemadmodum audiuimus, conatus est verba B peruertere: in Irenæo sensui atque intelligentiæ insidiatur. Ad hæc suum illud solenne inculcat, & repetit, Cùm panis & vinum à natura mutentur in carnes & sanguinem communicantium, par esse, vt credamus eadem mutari à Deo in corpus Christi. Hæc suprà, cùm Iustini sententiam exponeremus, refutauimus: nec opus erit, credo, ea nunc repetere. Hoc tantùm vnum dicam: Consilium Irenæi in eo loco fuisse, vt doceret, creaturas panis & vini bo- C nas esse, & à bono & vero Deo patre domini nostri Iesu Christi conditas. Id enim Valentiniani & Marcionitæ negauerunt. Vtitur autē hoc argumento: Christus boni & veri Dei filius, vsus est pane & vino ad conficienda sacramenta: ergo non res alienas vsurpauit, sed suas: & ad rem bonam, quale est sacramentum, adhibuit res bonas. Pergit porrò, & probat, corpora quoque, & carnes nostras bonas res esse, quòd sacramentis, quæ citra cōtrouersiam bona sint, alantur. Ex isto progressu & contextu rationum Irenæi facilè videre possumus, quàm procul Inconstantius vagetur extra oleas: cum somniet, nos ali non pane, aut vino, quæ sunt creaturæ naturales, & existunt in sacramentis, sed miraculo: aut, cùm fingit, Irenæum hoc loco agere de natura, panis & vini, quam habebant, antequam fierent sacramēta. Certè si panem tollas ab Eucharistia, non oppugnatur Marcion, qui illas creaturas negabat esse bonas, sed potius adiuuatur.

Explicatur argumentū Irenæi.

OBIECTVM CLVI.

OBIICITVR præterea ex Irenæo lib. 4. capit. 32. Eum, qui est ex creatura, panem accepit, & gratias egit dicens: Hoc est corpus meum: & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos; suum sanguinem confessus est, & Noui Testamenti nouam docuit oblationem. Hinc apparet, creaturam panis dictam esse corpus Christi.

GARDINERVS.

QVI ex ijs verbis argumentantur, Christum secundum Irenæum vocasse panem corpus, quid inferunt postea, nisi Christum id, quod consecrando effecerat, vocasse, & cum rei mutatione mutasse nomen?

MARTYR.

IN hac responsione nihil habetur, quod non sit dictum antea. Vis autem argumenti in eo sita est, quòd Christus panem & vinū, creaturas, vt dicitur, secundum nos, fassus sit esse corpus & sanguinem suum. Accidentia autem panis & vini, præsertim existentia sine subiecto, nemo sanus dicet esse creaturas secundū nos. Sunt enim portenta & quiduis potius, quàm creaturæ ab hominibus vsurpatæ. Hinc tamen Inconstantius elicere vult, aquam videlicet è D pumice, panem & vinum simul cum mutatione rei mutasse nomen. Sed quam mutationem rei nobis narrat? Transubstantiationem scilicet. Atqui de ea, quod sciam, non meminit vspiam Irenæus. Quòd si mutationem spiritualem diceret, qua panis & vinum fiant sacramenta, cùm antea fuerint res profanæ, possemus illi assentiri. Verùm cùm se in omnia absurda ita abijciat præcipitem, quæ potest esse spes concordiæ? Fugit id, quod est in controuersia, & E se ad aliam transfert quæstionem, de sacrificio noui Testamenti. At hoc non est ordine disputare. *Verùm hoc,* inquit, *idcirco facio, vt intelligas, in nudo pane nullam posse esse nouam oblationem, quam tamen Irenæus dicit Christum instituisse. Nam in illis inquit; creaturis Melchisedech obtulit præfigurans Christum.* Mitto nunc communem errorem illorum, qui dicunt, Melchisedechum obtulisse panem & vinum Deo in sacrificiū. Id enim ab historiæ veritate alienum est. Protulit enim illa potius exercitui Abrahami redeunti à prælio, vt milites lassos reficeret. Sed ignoscendum opinor est Inconstantio, si pro more suo errare malit cum Patribus, quàm rectè sentire cum Scripturis. Hoc ergo omisso, illud dico: Veteris & Noui Testamenti oblationes in hoc differre, quòd ibi res aliquando exhibenda proponebatur, hîc autem iam facto exhibita commemoratur: ibi Christus venturus & moriturus ostendebatur, hîc mortuus pro nobis fidē percipitur. Inconstantius verò cùm nouam oblationē in nouo Testamento offerri iactat; illud sacrificium appellari vult viuificum propter veram præsentiam corporis Christi. Quid ita? Nonne etiam doctrina Euangelij est viuifica? At in illis verbis, quibus Euangelium explicatur, corpus Christi realiter non inuoluitur. Baptismus quoque est Sacramentum viuificum: at in eo non adest realiter corpus Christi.

Addit, sacrificium cœnæ incruentum esse: & in eo non iterari, sed tantùm commemorari mortem Christi. Quod si ita est, quæ ergo illa est oblatio, in qua dicitis Deo patri offerri à sacrifico corpus & sanguinem Christi? Quare enim ea offert? Quis iussit? Christus quidem iussit, memoriá ibi fieri mortis suæ. Quam memoriam si appelles sacrificium gratiarũ actionis, libenter accedo. Verùm ad nihil opus est reali præsentia corporis Christi. Nec Christus vnquam promisit, se corpus suum quotidie omnibus in locis exhibiturum esse præsens, vt Deo patri quotidie offeratur. Hîc Inconstantius vt offuscaret quæstionem, verba Iustini interposuit. Sed ea causam eius nihil iuuant. Ille enim sibi consentiens oblationem, quæ à Gentibus in omni loco iuxta Prophetæ vaticinium offertur, dicit esse panem & poculum τῆς εὐχαριστίας. Nemo est, qui nesciat, εὐχαριστίας esse gratiarum actionem. Hoc sacrificium offerri in cœna Domini, nos nunquam negauimus. Imò Iustinus quoq; , quemadmodum suprà annotauimus, testatus est, hæc sola esse genera nostrorum sacrificiorum. Et Tertullianus contra Iudæos, & Hieronymus in Malachiam, cùm interpretantur locum illum, ad quem alludit Irenæus, affirmãt, illa sacrificia esse verba laudum & precum. Imo Irenæus quoque ipse, vt id obiter attingam, lib. 4. cap. 34 ad finem ita scribit: *Ideo nos quoque vult offerre munus ad altare frequenter sine intermissione.* Est ergo altare in cœlis. Illuc enim preces nostræ & oblationes nostræ diriguntur: & ad templum, quemadmodum Ioannes in Apocalypsi ait. Preces & gratiarum actiones appellat nostras oblationes, quę ad cœlum, vbi nostrum altare est, deferuntur. Quare, quid Iustinus senserit, tam ex illis, quæ modò diximus, quàm ex obiectione, qua verba eius exposuimus, satis liquet. An autem senserit, Eucharistiam tam verè esse sanguinẽ & carnes Christi, quàm verè Christus sanguinem & carnem suscepit de ventre Virginis, suprà abundè docuimus.

Christus nõ promisit oblationẽ de corpore suo faciendam, eũ in cœlũ ascendisset.

OBIECTVM CLVII.

RVRSVS obijcitur ex Irenæo lib. 4. cap. 34. Quomodo, inquit, constabit eis, cum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui, & calicem sanguinem eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium esse dicant? Hic quoque vocat panem corpus Christi.

GARDINERVS.

HÆC verba Irenæi ostendunt magnum quiddam & admirabile illis verbis, Hoc est corpus meum, Christum expressisse: quod nisi in propria significatione verborum intelligi non potest.

MARTYR.

NEcesse est, vt Inconstantius fateatur, se, cùm vellet huic obiectioni respondere, aut egregiè mentitum esse, aut verba Irenæi nõ intellexisse. Voluisse mentiri se, quoniam turpissimum est, etsi apud eum vsitatum est, nunquam fatebitur. Quare illum verba Irenæi nõ intellexisse, sic ostendo. Putat, Irenæum illo loco rem difficilimam & summè admirabilem, quamq; nemo, nisi filius Dei fabricatoris huius mundi facere potuerit, proponere voluisse: nempe vt panis verteretur in corpus Christi. Ego verò, etsi ad facienda sacramenta non dubito requiri vim diuinam, tamẽ affirmo, ista ab Irenæo longè alio animo, alioq; consilio scripta esse. Valentinus & Marcion, contra quos Irenæus scribit, dicere solebant, Christũ esse quidem filium Dei, at nõ eius Dei, qui esset huius mundi fabricator. Interim tamen ijdem illi recipiebant cœnam Domini. Ab ea Irenæus contra illos arripit argumentum: non posse constare, Dominum voluisse panem, qui ad alium Deum pertineret, sui corporis facere sacramẽtum. Nam cùm illud sacramentum institueret, patri suo gratias egit. At vt illi hæretici somniabant, illa creatura ad patrem nõ pertinebat. Id ergo fuisset non rectè gratias agere. Iustitia enim hoc potius postulasset, vt de vsu illius creaturæ gratias ageret potius fabricatori mundi, quàm patri suo. Nam eum illi dicebant à mundi authore alienũ esse, & contra illũ inimicitias gerere. Vides ergo, pie Lector, Inconstantiũ turpiter hallucinari, & id referre ad potentiam Dei, quod Irenæus scripserit de possessione rerum, & vera gratiarum actione. Addit adhæc, in illis verbis, *Hoc est corpus meũ*, omnino propriam significationem retinẽdam esse: quòd tropica sententia sit ita facilis, vt ad sui veritatis diuinam potentiam non requirat. Imò, inquit, quius nudus homo potest signum sui ipsius, quicquid velit cõstituere. Quare vt panis significaret corpus Christi, id sine vlla magna Dei potẽtia potuit fieri. Verùm iste, aut nescit, aut, quod magis credo, fingit se nescire, panẽ à nobis dici tale esse signũ corporis Domini, vt sit sacramentum: quod fidem veritatis habere nõ posset, si à nudo homine proferretur. Nemo enim sine voluntate atq; authoritate Dei instituere potest sacramentum. Vt autem corpus Christi substantialiter sit in Eucharistia, quod Papistæ fingunt, ne Deus quidem ipse potest effi-

efficere: non quidem ſua vlla infirmitate, ſed quòd ipſa res natura ſua fieri nequeat. Nos de ſenſu Irenæi ſumus certiſsimi: quem nõ alium eſſe poſſe, quàm qui à nobis traditur, qui loca illa attentè legerit, nullo modo poterit dubitare. Fictitium ergo eſt, quod Inconſtantius dicit, tantum miraculum non potuiſſe effici, niſi à filio Dei. Neque enim id agebat Irenæus, vt fidem faceret miraculis, ſed tantùm, vt probaret, Chriſtum eſſe filium fabricatoris mundi Dei. Idque, vt diximus, probauit ab inſtitutione ſacramenti. Non enim eſſe veriſimile, Chriſtum rebus alienis, idque â malo Deo, & patris ſui inimico profectis in inſtituendo ſacramento vti voluiſſe. Idem agit Tertullianus libro primo aduerſus Marcionem. *An*, inquit, *putem impudentiorem, quàm qui in aliena aqua alij Deo tingitur: ad alienum cœlum alij Deo expanditur: in aliena terra alij Deo ſternitur: ſuper alienum panem alij Deo gratiarum actionibus fungitur?* Quomodo autem panis, in quo gratiæ actæ ſint, ſit corpus Domini noſtri, & calix eius ſanguis, cùm toties iam dictum ſit, hîc repetendum non exiſtimo.

OBIECTVM CLVIII.

OBIICITVR ex Irenæo, libro de Marco quodam impoſtore, qui in hoc ſacramento Euchariſtiæ mirificè illudebat hominibus ſimplicibus. Immutabat enim colorem vini, vt prorſus videretur eſſe cruor. Et vinum ipſum ita augebat præſtigijs ſuis, vt magnum poculum impleret de paruo cyatho, & ita impleret, vt redundaret. Ex hac impoſtura ſatis liquet, illa miracula, quæ iactantur à multis, non confirmare errorem iſtum de reali præſentia, ſed eſſe meras præſtigias.

GARDINERVS.

INCIDIT impoſtor in impoſtorem: in hæreticum hæreticus: quomodo prouerbium ſonat, Semper Deus ſimilem ducit ad ſimilem.

MARTYR.

PRimùm non puto alienum fore, aut inutile, admoniſſe Lectorem, idcircò inductã eſſe hanc Obiectionem, quòd multi hodie ſubtantialem iſtam præſentiam putent probari poſſe ex eo, quòd aliquando Chriſtus ipſe in illo pane cõſpectus fuerit inſtar pueri, aut quòd in calice apparuerit forma ſanguinis. Hæc omnia, & alia ſimilia ex hac hiſtoria probatur fuiſſe præſtigias: cùm Marcus quoque impoſtor talia fecerit, & multos, præſertim ſimpliciores, hac arte deceperit.

De miraculis, quæ in Euchariſtia interdum apparuerunt.

Sed Inconſtantius hoc argumentum putat ſe in nos poſſe torquere. *Magus enim*, inquit, *non fuiſſet auditus, neque ille hoc genus impoſturæ tentaſſet, niſi hæc fides iam perſuaſiſſet Eccleſiam, verum ſanguinem eſſe quidem in calice, ſed non apparere.* At non videt, quàm iſta infirma ſit, vel potius nulla, conſequutio. Satis enim magna occaſio dabatur huic impoſtori ad illudendum populo, quod Eccleſia tum publicè crederet, ſacramentum ſanguinis Chriſti contineri in calice. Quare cũ iſte credi vellet, ſuo miniſterio plus fieri, quàm paſsim crederetur, quamq; ab alijs miniſtris fieret, ipſum Chriſti ſanguinem videri volebat in calice præſentem exhibere, non tantùm eius ſanguinis ſacramentum: atque ita ſua ſacramenta longè aliorum ſacramentis perfectiora & auguſtiora eſſe voluit perſuadere, quò maiorem populi multitudinem ad ſe alliceret. Hæc fuit vera ratio impoſturæ. Quoniam autem ſapientiores videbant, id non poſſe fieri, vt ſanguis Chriſti alibi quàm in corpore ac venis eius, & in cœlo inueniretur, idcircò huiuſmodi præſtigijs non fallebantur. Et Irenæus ait, ſimplices tantùm homines deceptos fuiſſe & mulierculas. Quòd ſi vera ſit regula iſta Inconſtantij, oportebit ea, quæ indicio aliquo monſtrantur, eadem omnino eſſe cum illis, quæ monſtrant. Ex eo enim vult Eccleſiam credidiſſe, ſanguinẽ Chriſti eſſe in calice, quòd Marcus id cruore oſtendiſſet. Homines enim non fuiſſe credituros impoſtori, niſi ſanguinẽ re vera in calice contineri credidiſſent. Quid ergo? An Chriſtũ putamus fuiſſe ſtellam, quoniam illum Magis ſtella indicabat? aut, An Deum putamus propriè fuiſſe arcam fœderis, quoniam per illam Arcam oſtendebatur? aut, Agnus paſchalis erãtne re vera tranſitus Domini, quoniam per Agnum eiuſmodi tranſitus indicabatur? Certè neque Dominus credebatur eſſe ſtella, neque arca Deus, neq; agnus tranſitus: quamuis per illa ea omnia oſtenderentur. Quare non eſt neceſſe, Eccleſiam tum temporis credidiſſe, verum Chriſti ſanguinem fuiſſe in calice, quamuis malis artibus illius impoſtoris efficeretur, vt color ſanguinis in calice videretur. Hoc autẽ certiſsimè ex omnium Patrum dictis deprehenditur, Eccleſiam tum publicè credidiſſe, vinum illud, quod proponebatur in calice, ſacramentum fuiſſe ſanguinis Chriſti pro nobis effuſi. Id autem agebat, & ambiebat Marcus, vt Deus crederetur in ipſius gratiam talem colorem voluiſſe oſtendere, vel potius rem ipſam præſentem exhibere, quò ipſius ſacramenta longè omnib. ſacramentis præſtare exiſtimarẽtur. Telum ergo hoc totum Inconſtantius in ſe recipiat: nam in nos quidem non poteſt retorqueri.

OBIECTVM CLIX.

OBijcitur ex Tertulliano aduerſus Iudæos. Sic, inquit, Chriſtus reuelauit panem corpus ſuum appellans, cuius retrò corpus in panem prophetes nunciauit. Hic vides, Chriſtum vocaſſe panem corpus ſuum.

GARDINERVS.

QVOD propheta corpus Chriſti panis figura ſignificauit occultè, Chriſtus reipſa præſtitit & implenit.

MARTYR.

DE ſenſu Hieremiæ prophetæ capite illo A
xi. hîc multis non eſt agendum. Impij dicebant, *Mittamus lignum infectum veneno in panẽ, hoc eſt, in cibum eius: quo eum perdamus mortifero aliquo eſculento.* Hæc eſt ſententia Hebræorum. Multi ex Patribus per lignum intellexerunt crucem, quæ videri poſsit aliquo modo immiſſa fuiſſe in corpus Domini, cùm ille pro noſtra ſalute in ea immolaretur. Hanc interpretationem inter primos amplexus eſt Tertullianus. Sed eum probare oportuit, corpus Domini à B
propheta appellatum fuiſſe panem. Illud autẽ ait Chriſtum ipſum reuelaſſe, cùm panem appellaret corpus ſuum. Verba Tertulliani ita habent: *Vtique in corpus eius lignum miſſum eſt. Sic enim Chriſtus reuelauit, panem corpus ſuum appellans: cuius retrò corpus in panem prophetes nunciauit.* In obiectione ergo colligitur, non eſſe diſſentaneum à vero, vt quemadmodum in propheta panis & ſignificat, & appellatur corpus Chriſti: ita panis in Euchariſtia & ſignificet Chri- C
ſti corpus, & corpus Chriſti appelletur. Id enim Tertullianus videtur teſtari. Nec tamen ille ſolus hoc dicit, ſed etiam, vti iam audiuimus, Ireneus, alijq; multi ex Patribus: nempe Chriſtum aut appellaſſe, aut confeſſum eſſe, panem eſſe corpus ſuum. Id autem Euangeliſtæ narrant eum feciſſe, cùm inſtitueret ſacram cœnã. Et Paulus dum Cœnam deſcribit, perſæpè vtitur vocabulo panis. Mitto, Chriſtum in ſexto Ioannis corpus & carnẽ ſuam metaphora quaD
dam appellaſſe panem. Quemadmodum autẽ Chriſtus, cùm diceret, *Ego ſum panis*, non ſtatim mutatus eſt realiter in panem: ita, cùm diceret, *Hoc*, panis videlicet, *eſt corpus meum*, non erat neceſſe, vt panis in eius corpus tranſubſtantiaretur.

Hîc Inconſtantius interponit de ſuo: *Vt miſeram hanc vitam abſque cibo carnali non poſſumus ſuſtentare, ita neque cœleſtem vitam abſque cibo ſpirituali valemus retinere.* Hæc vt vera ſunt, ita adE
rem nihil faciunt. Pergit porrò, aitque, oportere, cùm audimus ſermones Chriſti, credere, illos eſſe veros. Chriſtum autẽ reuelaſſe in Cœna, panem eſſe corpus ſuum. Idque Tertullianum alibi declaraſſe, cùm diceret, Chriſtum feciſſe panem corpus ſuum. Hoc quoque nos libenter recipimus. Neque enim vnquam inficiati ſumus, panem eſſe corpus Chriſti, aut fieri corpus Chriſti: modò huiuſmodi loquutiones rectè intelligantur. Sed palàm eſt, Inconſtantium, cùm iſta dicat, obtrudere velle nobis Tranſubſtantiationem ſuam. Eam autem nos, quoniam ne vno quidem verbo ex omnibus ſacris literis probari poteſt, reijcimus. Nam ex Tertulliano ne leuiſsimam quidem eius ſuſpicionem mouere poteſt.

Addit præterea, *Niſi intelligamus, Chriſtum verè dediſſe corpus ſuum, non reuelauit ille prophetam, ſed potius prophetæ obſcuritatem imitatus eſt.* Cui ego vicißim regero: Si Chriſtus, cũ diceret, corpus aut carnem ſuam eſſe panem, illa verè non tranſubſtantiauit in panẽ, nihil adiuuat Inconſtantium, ſed potius conatus eius ſophiſticos vniuerſos euertit. Huc addo, mendacium eſſe ſycophanticum, quòd ait, noſtros figuram ſolam agnoſcere in ſacramẽto. Deinde cùm verba Chriſti de corpore ſuo tradendo in crucem, ita ſint perſpicua, quî poteſt dici, illa ita eſſe obſcura, vt illa ſunt, quæ leguntur apud Hieremiam: præſertim ſi quis interpretationem adductam ſequi velit? Sed inopia argumẽtorum impulit Inconſtantium ad iſta [illegible]. Cumq; ſe fingat eſſe hoſtem obſcuritatis & figurarum, ſingularem autẽ amatorem perſpicuitatis, teſtatur corporis Chriſti ſubſtantiam, eiuſdemq; veram preſentiam in Euchariſtia. Sed quomodo? *Adhibita*, inquit, *panis figura in externis viſibilibus, quam videmus.* Apageſis tenebrio cũ iſta tua figura, quam in alijs tantoperè deteſtaris. Cùm poſsis panem ſolidum retinere, quid nobis obtrudis figuram panis? Nos quidem, ſi poſſemus corpus Chriſti verè habere præſens in Euchariſtia, figura nunquam vteremur. Sed quia veri corporis humani modus, quem eſſe in Chriſto neceſſe eſt confiteri, id non patitur: proximum eſt, vt vtamur figura panis. Vobis autem, cùm ſitis ita locupletes miraculorum, nihil poteſt reſiſtere. Potentia Dei, ad quã, tanquam ad omnium abſurdorum & mendaciorũ veſtrorum patronam cõfugitis, rectè poteſt & corpus Domini, & panem ſimul copulare. Cur ergo figuram panis, ac non potius verum panẽ ſtatuitis in ſacramento? Miror, vos ita facilè à veſtro inſtituto diſcedere. Pati non poteſtis prophetæ obſcuritatem in verbis Chriſti. Cur ergo dicitis, corpus eius latere ſub figura panis? Hoc potius contendite, corpus illud non latere, ſed extare atq; apparere conſpicuè. Neque vereamini, ſenſuum iudicium repudiare.

Iam

Iam enim frontem ad ista perfricuistis. Omnino enim negatis, in ijs rebus quicquam tribuendum esse sensibus. Quare asseuerate fortiter, pugnate, clamate, corpus Christi videri tangi, gustari, etiamsi id millies sensus negent.

OBIECTVM CLX.

OBIICITVR ex Tertulliano libro primo contra Marcionem. Ait ille, Deum non abiecisse panem creaturam suam. Illo enim eum repræsentasse corpus suum. Hic animaduerte poni repræsentationem corporis Christi, non autem veram præsentiam.

GARDINERVS.

NON loquitur Tertullianus de abiectione creaturæ: sed sensit istius artificis in verbi adulteratione vim & fraudem.

MARTYR.

PRimùm verba ipsa Tertulliani ponenda esse arbitror. Sic enim de illis Lector facilius iudicabit. Ille quidem inquit, *Vsque nunc nec aquam reprobauit creatoris, qua suos abluit: nec oleum, quo suos inungit: nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat: nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat: etiam in Sacramentis proprijs egens mendicitatibus creatoris.* Hic locus, ne hoc interim præteream, idem docet, quod Irenæus: nimirùm, Iesum Christum verè Creatoris mundi Dei fuisse filium. Non enim verisimile esse, Iesum veri Dei filium voluisse materiam suorum mysteriorum, tanquam egenum & inopem, à malo Deo, & huius mundi Creatore emendicare. Hæc de tota summa & de consilio Tertulliani. Nunc Inconstantij querelæ refutandæ sunt. Duo in primis nobis obijcit, eaque, pro suo more, non absque conuitijs. Primùm huius authoris verbis nos vim & fraudem adhibuisse clamitat: & huiusmodi adulterationes nullo pacto ferendas esse. Tertullianum enim non scripsisse, Nec aquam abiecit: sed tantùm, *Nec aquam reprobauit.* O grauem corruptelam. Tertullianus ait, *Has creaturas non reprobauit, sed illas mysterijs suis instituendis adhibuit.* Quantum, quæso, peccauit ille, qui dixit, Has creaturas non abiecit? Ad sensum authoris quid interest? Ea, quæ, vel vt non adhibenda, vel vt non commoda, vel vt non vtilia reprobamus, cur non dicamur abiecisse? Certè vtrumuis horum dicatur, vos vtrinque perstringimini. Vos enim panem & vinum, quod ad substantiam attinet, ab Eucharistia extruditis: quasi ea digna non sint, quæ maneant vnà cum corpore & sanguine Christi. Nam nisi ea putetis indigna, cur abijcitis: aut, quoniam tu eo verbo delectaris, cur ea reprobatis? Rursus si sunt indigna, cur ea ab initio adhibetis? Cur non Christum potius sequimini? Is enim vt ea adhibuit ad conficiendum sacramentum, ita etiam ea in sacramento retinuit: quemadmodum satis docent sacræ literæ. Vtrunque ergo verè dicitur, Christum nec reprobasse, nec abiecisse creaturas. Tu autem, Inconstanti, qui omnia ita syncerè tractari vis, vtinam alios non metireris tuo pede: aliud enim nihil dico. Deinde videtur conqueri, pronomen à nobis esse præteritum. Sed illud, quando ita vult, bona cum gratia reponat. Nam ad rem præsentem nihil momenti habet. Fatemur ergo, Dominum panem ipsum corpus suum repræsentasse. Causa nostra eadem est, siue tollas pronomen illud, siue addas. Sed dic mihi, Inconstanti, Quomodo dicis, Dominum non abiecisse, aut reprobasse substantiam panis & vini, cùm eam dicas, illũ ex Eucharistia excluisse? *Quoniam*, inquis, *vtitur ea ad corporis et sanguinis sui exhibitionem in mysterio. At si facit, vt esse desinat, illa non vtitur. Nam si vti vellet, eam haud dubiè retineret.* Nimis illa inepta sunt atq; absurda. Aufert Christus substantiam à pane. Et tamen vtitur ea ad corpus suum exhibendum. Ego verò contrà concludam. Christus vtitur pane in sacramento: ergo panis in sacramento manet: vestroq; ipsorum testimonio vestram Transubstantiationem refutabo.

Sed addit, nos verbum illud, Repræsentare, perperam exponere. Nos enim velle, Repræsentare, referre esse: cùm vox ea significet, rem ipsam præsentem exhibere. Et ad id probandũ adducit locum Columellæ, & consuetudinem Iurisperitorum. At nos etiam vicissim scimus, Repræsentare aliquando positum esse pro Referre. Idque cum ex multis bonis authoribus possimus ostendere, tamen malumus huic labori supersedere, & ipsius in hac re Tertulliani testimonio vti. Is enim in libro de Pœnitentia, numero 4. sic scribit: *Cùm adulterum non eum solum definit, qui cominus in alienum matrimonium cecidisset, verum etiam illum, qui aspectus concupiscentia contaminasset: adeò quod prohibetur administrare, satis periculosè animus sibi repræsentat, & temerè per voluntatem expungit effectum.* Hîc, opinor, nõ est ambiguum, illum, qui tantùm concupiscentia mœchatur, actionem adulterij præsentem re ipsa non habere. Animus tamen, inquit, eam sibi repræsentat, idque periculosè. Quæro ex te, Inconstanti, an cogitatio, aut imaginatio faciat re vera rem præsentem. Negabis scio. Tamen hoc dices, Cogitationem posse referrè

Imaginatio vel cogitatio nõ facit rem pro priè præsentem.

rem, & ita referre, vt ea, quamuis absit, tamen quodammodo præsens esse videri possit. Si Tertullianus ita aliquando loquutus est, non multum errauit, qui eum hîc quoque ita locutum putauit. Sed dices, Cùm verbum illud vtrunque significet, ex ambiguò non licet aliquid certi concludere. Imò licet, & præsertim si author ipse alibi mentem & sentẽtiam suam expresserit. Id verò citra controuersiam Tertullianus apertè facit. Nam in libro quarto contra Marcionem ita scribit: *Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo: id est, figura corporis mei.* Hîc audis, quid Tertullianus de hac re sentiat. Nec ignoras, figuræ proprium esse referre id, quod significat. Verba ergo eius in obiectione optimè sunt exposita. Etsi enim verbum illud vtrunque possit significare, ad eam tamen significationem contrahendum fuit, quam mens & sententia scriptoris exigebat. Hoc etiam velim scire, quomodo Tertullianus dicat, pane repræsentari corpus Christi, si panis esse desinat, & substantia eius adesse nó possit. Nam si quid re aliqua conficiendum est, ea certè re sublata, nihil efficitur. Sic ergo rectè cõcluditur in Obiectione: Pane corpus Christi repræsentatur: ergo adest & manet panis. Tanta est huius argumenti vis & perspicuitas, vt nulla re possit ab Inconstantio infirmari.

Sed cùm quæro, Cur pane corpus Christi repræsentetur, attende, obsecro te, pie Lector, quid Inconstantius velit esse, Repræsentare corpus Christi. Id ait esse, perinde ac si dixeris, Ex pane fieri presentiam corporis Christi, mutata quidem substantia, cuius tamen accidentia significent corpus Christi. Si tanta ferenda sit in interpretando licentia, ego ex quibusuis verbis quiduis possem elicere. Delium autem natatorem oportet esse, qui intelligat ea, quæ sequuntur. Sic enim scribit: *Vt visibilis natura panis figura sit corporis: quod ex latente eius substantia conuersa repræsentatur.* Quæ obsecro est substantia illa latens? Non opinor, corporis Christi: illam enim substantiam, quæcunque est, dicis conuersam. Conuerti autem corpus Christi, ne cogitari quidem piè potest. Rursus non potest esse substantia panis. Eam enim vis per transubstantiationem esse desinere. Id autem, quod lateat, oportet esse: quamuis non appareat. Non est ergo substantia panis: quoniam ea transubstantiata est: rursus est panis substantia, quoniam latet. Esse verò, & Non esse, sunt contradicentia. Et ne nescias, Inconstanti, quod dicis, pane corpus Christi significari, esse, illud communicantibus præsens fieri, id nos non omnibus modis, neque prorsus negamus. Corpus enim Christi sit præsens menti, fidei, memoriæ. Et ad eiusmodi præsentiam panis iam factus sacramentum vnà cum verbis Domini, quæ adhibentur, plurimùm conducit. Vertas ergo te, quocunque voles, omninò ex Tertulliani sententia manebit panis. Corpus autem Christi dicemus, aut referri, aut illis, quibus iam exposuimus, modis exhiberi. Tamen addit iste, *Hæc verba Tertulliani si commodè, & citra calumniam exponãtur, nihil à sua transubstantiatione dissidere.* At ego vicissim verissimè regero, illa, nisi calumniosè incommodeque torqueantur, necessariò probare, manere panem.

Huc etiam allegat, quod idem Tertullianus scribit de Resurrectione carnis. *Caro*, inquit, *corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.* Hæc non alio dicit Tertullianus, quã vt docear, spiritum nostrum Deo impinguari, gratia, inquam, & spiritu eius, dum fides nostra ex eo excitatur à spiritu sancto, quòd corpore nostro vescimur sacramẽtis, quæ & dicuntur, & suo quodam modo sunt corpus & sanguis Christi. Appositissima autem in ijs verbis à Tertulliano fit distributio, vt & carni & animæ nostræ attribuatur, quod suum est. Simile quiddam est, quod huc citatur ex eiusdem libro de Idololatria. *Allegantur*, inquit, *in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum.* Proh scelus: semel Iudæi Christo manus intulerunt: isti quotidie corpus eius lacessunt. Nihil hîc noui audio. Nos enim etiam dicimus, impios ministros & corruptos Christianos lacessere, & contumelijs afficere corpus Christi, cùm aut indignè sumãt, aut alijs indignè administrent sacramenta. Imò hoc etiam addimus ex Epistola ad Hebræos, Contemptores accepti verbi & lucis, denuò Iesum Christum, quantum quidem in ipsis est, in se ipsis crucifigere. Consulo itaque Inconstantio, vt ab huiusmodi argumentis temperet. Videt enim iam illis causam suam nihilo fieri meliorem. Centies à nobis dictum est, iniurias, quæ sacramentis ab impijs inferuntur, in authorem ipsum sacramentorum, & in res significatas redundare. Quod autem Tertullianus dicit, *Acceptum panem, corpus suum illum fecit*, id noua declaratione non opus habet. Satis enim illis verbis indicatur, sacramentum Eucharistiæ huiusmodi esse, vt constet pane. Quod idem apertius scribit libro secundo ad Vxorem. *Non sciet*, inquit, *maritus, quid secretò ante omnes cibos gustes: & si scierit panem, non eum credet, qui dicitur: sacramentum videlicet.* Quomodo enim nosse potest sacramentum, qui eius vim & significatum non credat? Vos hodie, postquam mare superstitionum inuexistis in Ecclesiam, non vultis Eucharistiam cuiquam communicantium dare in manus. At temporibus Tertulliani, Cypriani, Ambrosij, pueris, mulierculis, catechumenis credebatur. Ad ista vos surem surdam & frontem impudẽtem obuertitis. De fide verò Tertulliani, quod ad Eucharistiam attinet, non nihil dubitamus. Quare nil opus erat, vt iste nostret ad extremum eam susciperet defendendam.

OBIE-

OBIECTVM CLXI.

OBIICITVR ex eodem Tertulliano libro quarto contra Marcionem. Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, hoc est figura corporis mei. Figura autem non esset, nisi veritatis esset corpus.

GARDINERVS.

BASILIVS in epistola 64. eos notat, qui verba Gregorij in calumniam raperent.

MARTYR.

Historia Basilij de Greg. Neocæsariensi.

HIc nobis Inconstantius longam intexit historiam ex epistola Basilij. Vbi, vt rem omnẽ summatim dicam, refertur, Gregorium Neocæsariensem episcopum, cùm disputaret aduersus Arrianum, quiddam minus propriè loquutum esse, cùm diceret, patrem & filium consideratione quidem duo esse, sed substantia seu hypostasi vnum. Gregorium illum Basilius ita tuetur, quòd ea non δογματικῶς, sed ἀγωνιστικῶς dixisset. Ita Inconstantius vult, hæc verba Tertulliano excidisse, non tradenti doctrinam, sed certanti cum hæretico. Hanc ego strophã, quid enim dicam aliud, cùm considero, retinere me non possum, quin ita agam cum Inconstantio. Quæ tu hic comminiscere de Tertulliano, quæque ais Basilium dixisse de Gregorio Neocæsariensi, eadem me quoq; finitò interdum verè dicere, cùm Patrum loca aliqua violentiora inciderint. Sed ea tu importunè vrges, nec pateris, vt aut hyperbolas, aut synechdochas, aut vllum omnino genus troporum adhibeamus. Verùm cogitare debes, legem, quam nobis imponis, tibi quoq; aliquando ferendam esse. Mihi etiã fas erit dicere: Non tradebant ista tum Patres tanquam dogmata: certabant cum hæreticis, rem exaggerabant apud populũ. Verùm ista nunc mitto: illud potius dico, Tertullianum contra Marcionem nihil, nisi grauiter & moderatè scribere. Neque enim illa ab ore dicentis aut commotius disputantis excepta sunt, sed sobriè & considerate ab ipso scripta. Deinde non est vocula vna aut altera, quam obijcimus: sed plena cõclusio. Ex eo enim contra Marcionitas probat, Christum habuisse verum corpus, non autem fictum aut phantasticũ, quòd Christus sacramẽtum instituerit, quod esset figura sui corporis. Hęc est hypothesis Tertulliani, Sacramẽta esse oportere veras figuras, & vera signa. Eius autem rei, quę nusquam & nulla sit, nullam esse posse figuram veram. Ait ergo, *Christus fecit panem corpus suum, id est*, inquit, *figuram corporis sui.* Et addit: *Figura autem non esset, nisi veritatis esset corpus.* Chrysostomus etiam eodem modo à sacramentis probat Christum habuisse verum corpus. Iisdem etiam armis sæpe pugnare consueuit Augustinus. Nam contra Adimantũ Manichęum lib. 1. cap. 12. ita scribit: *Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui.* Et ista loquutio Augustini quantulũ, quæso, abest à verbis & sententia Tertulliani? Libro etiam tertio, cap. 16. de Doctrina Christiana ita scribit: *Nisi manducauerit is carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis. Facinus vel flagitium videtur iubere. Figura ergo est, præcipiens passioni domini communicandum esse, & suauiter atque vtiliter in memoria reponendum, quòd caro eius pro nobis crucifixa & vulnerata sit.* Hic impudentem oportet esse, qui velit dicere, Augustinum ista scripsisse ἀγωνιστικῶς. Moderatissimè enim tradit rationes intelligendi sacras literas. Tamen ait, orationem illam de manducanda carne Domini figuratam esse. Imò etiam genus tropi indicauit atq; explicuit. Idem in Psalm. 3. *Christus*, inquit, *adhibuit Iudam ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis suis commendauit & tradidit.* Dubitare autem nemo potest, Christum discipulis suis panẽ Eucharistię tradidisse: quem Augustinus cùm appellet figurã corporis Domini, nihil dissentit à Tertulliano. Quid hic agimus, Inconstanti? An dicemus, hæc omnia temerè excidisse per calorem atq; impetum disputationis? Omitto aliorũ patrũ testimonia. Nimis enim prolixum esset, quoties Eucharistia ab illis signum, symbolum, memoria, figura, typus, ἀντίτυπον appelletur, commemorare. Illa tamen quid sibi velint, quoque animo scripta sint, prudens & attentus lector considerabit.

Explicatur argumentum Tertulliani.

Verùm Inconstantius ipse sensit, distinctionem istam suam inter δογματικὰ & ἀγωνιστικὰ non posse satisfacere omnium lectorum auribus: illam enim non posse in omnium aliorum patrũ sententias conuenire. Itaque instituere voluit aliud perfugium. *Est*, inquit, *figura, sed corporis præsentis. Nam species visibiles panis figura quædam sunt præsentis corporis Christi, quod intra eas latet.* Quoniam tamen iuratus est hostis figurarum, non admittit figuram nisi certis quibusdam legibus. Prima est, vt intelligamus, eam figuram esse rei præsentis. Proxima, vt cogitemus, eam sitam esse tantùm in accidentibus panis & vini: ne quis fortè suspicetur panem ipsum figuram esse. Nam eius substantiam iste prorsus vult esse explosam. Tertia, vt, verba illa, Hoc est corpus meum, nullo modo intelligantur de figura. Quid ergo faciemus Tertulliano? Is enim nimis apertè verba illa exponit per figurã. Intelligetur illa scripsisse ἀγωνιστικῶς.

Nam illi in certamine scilicet, mentiri licuit. Sed quid fiet Augustino? An ille quoque scripsit ἀγωνιστῶς? Quid ni? Imò si mille adducas testimonia huius generis, nihil erit dictum seriò, omnia erunt plena certaminibus. Quod autem ait, Tertullianum dicere visibilem speciem panis figuram esse corporis præsentis: ad id ego nihil aliud respondeo, nisi Tertullianũ neutrum horum dicere. Non enim ait, speciem panis, sed panem ipsum factum esse figuram corporis Christi. Si voces & sententias Patrũ huius hominis libidini volumus permittere, posthac ea, quæ Tertulliani nomine ac titulo circumferuntur, non Tertulliana amplius erunt, sed Inconstantiana. *Est*, inquit iste, *figura præsentis corporis.* Hoc Inconstantius affinxit de suo: nam Tertullianus id nunquam dixit. Tamen versetur hanc rem susque deque quantum volet, nunquam huic vulneri medicinam faciet.

Sed vt probet, Corpus Christi intus latere sub speciebus panis, non Tertullianum adducit, sed Hilarium Episcopum Romanum. Is autem ita scribit: *Quod videtur, figura est: quod interius in veritate creditur, veritas est.* Primũ respondeo, me ad illas, nescio quas, sententias Decretalium epistolarum non astringi. Non enim constat, præsertim de vetustioribus, quæ veræ sint, quę suppositiciæ. Deinde si sensus illorum verborum prudenter consideretur, contra nos nihil facit. Panis enim & vinum, illud, inquam, quod foris spectatur, figura est: quod autem interius creditur, nimirum sensus mysterij, & significatum sacramenti, veritas est. Ita in libro & sermone sonos & characteres literarum vocamus exteriora: sensum autem & significationem, interiora. Ea in sacramentis verè oportet credere. Nam & dicuntur, & sunt non solùm vera, sed etiam ipsa veritas. Ad extremũ autem assuit Inconstantius rem quandam admirabilem. Tertullianum videlicet sensisse, Christum cùm in cœna diceret, *Hoc est corpus meum*, per illud demonstratiuum pronomen, Hoc, ostendisse panis accidentia. De illis enim tantùm dicere illi licuisse, Hoc est figura corporis mei. O si ab inferis vel vnam saltem horam existeret Tertullianus, qui ista portenta coargueret. Facilè ille ostenderet, nunquam se de huiusmodi accidentibus cogitasse.

Non dicta Tertulliani nostra confirmant fidei adstruunt gere ad eu verborum prudenter consideretur, contra nos stolas Tertulliani nihil facit. parum.

OBIECTVM CLXII.

OBIICITVR Origenes ex homilia quadam in Numer. Bibere, inquit, dicimur sanguinem Christi, non solùm in ritu Sacramentorum, sed etiam cùm sermones eius recipimus.

GARDINERVS.

CHRISTVS se nobis multis modis exhibet: sed certius & præsentius in Sacramentis.

MARTYR.

AIt, Christum se nobis certius & præsentius exhibere in sacramentis, quàm in sacris literis. Id probat tantùm ex recepta loquendi formula: alio enim argumento nullo vtitur. Verùm istud pronunciatum Inconstantij ego dico nõ esse ex omni parte verum. Symbola illa, quæ adduntur ad verbum Dei interim, dum celebrãtur mysteria, non dubito plurimùm facere ad certitudinem: sunt enim obsignationes promissionum. Tamen illa Christum magis præsentem nobis cõstituere, quàm verba aut promissiones, pernego. Extrà autem omnem controuersiam est, & Origenẽ, & Hieronymum statuere, duas esse rationes edendi & bibendi corpus & sanguinem Domini: nimirum, vel in verbis, vel in sacramẽtis. Quæ rationes cùm sint simillimæ, realis ista præsentia aut transubstantiatio nõ magis in vna illarum requiri debet, quàm in altera. Contrà autem Inconstantius contendit, Christum nõ eodem modo, non pari mysterio, non simili virtute vtrinq; recipi. Sed longè fallitur: nam quod ad modum attinet, illum similem & parẽ, vel potius eundem & vnum esse, ex edendi & bibendi vocabulis, quæ vtrinq; posita sunt, ostendi potest. Dicimur enim comedere carnem Christi, & sanguinẽ eius bibere tam in verbo, quàm in sacramento. Virtutem etiam parem vtrinq; esse, non potest ambigi. Nam & audientibus & credentibus verbo Dei, & rectè atque ordine percipientibus sacramenta, datur beatitudo & vita æterna. Imò in sacramento nihil fructus, quod attinet ad coniunctionem cum Christo, aut ad æternam felicitatem assequendam haberemus, nisi prius crederemus verbo Dei. Par autem vtrinq; mysterium esse, haud equidem dixerim. Sacramenta enim nõ solùm verbum, quod auditur, habent, sed etiam vnà symbola visibilia.

Symbola illa nõ magis quã verba Christũ præsentem faciunt.

Quemadmodum autem verbum Dei & virtute, & dignitate æquari debeat cum sacramentis, Augustinus apertè docuit, quemadmodũ citatur in Decretis prima quæst. 1. cap. Interrogo vos. *Quid plus, inquit, vobis videtur, corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis verè respondere, hoc fide & veritate dicere debetis, quòd non sit minus Dei verbum, quàm hũ Dei corpus Christi. Et ideò quanta solicitudine obseruamus, quando nobis ministratur corpus Christi, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta solicitudine obseruemus, ne verbum Domini, quod nobis*

Sacramenta parantur.

nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur de corde puro pereat. Quia non minus erit reus, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit. Cùm ergo Augustinus dicat, parem vtrinque pœnam esse negligentiæ, alterumque illorum non esse altero minus, videat Inconstantius, quanta cũ ratione dicat, corpus Christi præsentius esse in sacramento, quàm in verbo Dei: & præsertim si considerare velit verba illa promissionis, quibus corpus Christi pro nobis in crucem datum esse prædicatur. Vtque vno verbo dicam, sacramentum, quàm eiusmodi verbum, nihilò plus habet, nisi obsignationem, & visibilia symbola, quibus, opera & vi Spiritus sancti, fides in nobis magis magisq; excitatur. Verè ergo Hieronymus etiam dixit, scribens in tertium caput Ecclesiastæ: *Hoc solùm habemus in præsenti seculo bonum, si vescamur carne eius, cruore q; potemur, non solùm in mysterio, sed etiam in Scripturarum lectione.* Vtrunq; genus manducationis exponit, neque alterum vlla in re præfert alteri. Idem etiam sensit Basilius. Nam in epistola 141. ait nomine carnis & sanguinis vniuersam Christi conuersationem significari, quam nos imitando manducemus. Nam imitatio effectus est manducationis. Qui enim verè atque efficaciter credentes manducant & bibunt carnem & sanguinem Domini, ex fide qua manducant & bibunt conuersationem & vitam Christi exprimunt. Quare cùm, vt ab initio dixi, istæ duæ manducationes sint inter se pares ac similes, & in altera, quæ constat audiendo verbo Dei, Transubstantiatio, aut realis præsentia non requiratur, nihil causæ est, cur ex humana, prudentiáne dico, an audacia, statui debeat in altera.

OBIECTVM CLXIII.

OBIICITVR ex eodem in Matthæum cap. 26. Panis iste, quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animorum.

GARDINERVS.

PECVLIARE est Origeni, vt Scripturam dilatet allegorijs, saluo tamen proprio & primigenio sensu.

MARTYR.

PAucis ego hîc verbis agam: quandoquidem Inconstantius ipse, quamuis alioqui satis loquax, tamẽ in tanto frigore pauca, quæ diceret, habuit. Ea autem, quæ hîc turpitudini suæ prætexit, folia sunt potius, quàm iusta perizomata. Primùm obtendit Allegorias Origenicas. Sed cùm allegoria tantùm in eo esset, quòd Origenes Panem appellaret Verbum, sensit se illo præsidio nõ multum iuuari. Quare collectis viribus, istud alterũ incipit vtcunque ponderare: Deum Verbum fateri, Panem istum esse corpus suum: quod, nisi Deo efficiente, non possit esse. Id autem eum fecisse, fas non esse dubitare. Atqui nos non ambigimus, imò fatemur, & prædicamus, Christum fecisse panem corpus suum, cùm panem faceret sacramentum corporis sui. Sed cur iste vim potius argumenti non expendit? Fecit panem esse corpus suum: Ergo, panis est corpus Christi. Nam certè panis non potest esse corpus Christi, nisi panis ipse existat. At si ita est, non ablatus est per Transubstantiationem. Addit præterea, cùm panis ille dicitur Verbum nutritorium animarum, alludi ad vim Verbi, quo pascuntur omnia. Quid oportuit istas argutias consectari? Simplicissimus orationis aductæ sensus est, Panem, postquam semel factus sit sacramentum, esse verbum Dei visibile: quod de omnib. sacramentis dicimus. Verbo autem Dei nutriri piorum animos, arbitror ne aduersarios quidem nostros dubitare. Imò vel hinc apertissimè colligimus, manere panẽ. Nam si panis est verbum, quo aluntur animi, profectò oportet esse & manere panem. Nam ex eo, quod non sit, nihil nutriri potest. *Ex eo quod non est, nil potest nutriri.*

Addit, Origenem, cùm dicat, Panis iste, illis verbis cibum dominicũ significare. Esto. Sed quis cibus est Dominicus? Nisi fortè velit manere panem, dicet haud dubiè, corpus Christi. Accipio libenter, cibum Dominicum esse corpus Christi. Ponamus ergo corpus Christi pro illis verbis: quod sane per regulas Dialecticas potest fieri. Sic ergo loquitur Origenes: Corpus suum Deus fatetur esse corpus suum. Quæ sententia quid ineptius? Huc adde, consequi necessariò, corpus Christi factum esse verbum. At id vtique falsum est. Non enim corpus fit verbum illud, quod est secunda persona Trinitatis. Nam alioqui desineret esse corpus. Nec fit verbum illud Dei, quod auditur: ita enim verteretur in qualitatem. Nec fit verbum visibile, hoc est sacramentũ: nullo enim sensu corpus percipitur. Hic Inconstantius medius tenetur, nec se vlla stropha potest explicare.

OBIECTVM CLXIIII.

OBIICITVR ex eodem in Leuit. homil. 7. Est, inquit, & in Euangelijs

litera, quæ occidit: non solùm in Veteri Testamento. Si enim secundùm literam sequaris illud, quod dictum est, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis: litera illa occidit.

GARDINERVS.

ECCLESIA literam non sequitur: quæ secundum Augustinum videtur iubere aliquid sceleroſum.

MARTYR.

AVgustinus, vt hîc innuere velle videtur Inconstantius, vtque ego suprà indicaui, ita scribit de doctrina Christiana. Videri imperari scelus & flagitium, cùm mandatur fidelibus, vt comedant carnes filij hominis, & sanguinem eius bibant. Ideoque Augustinus vult huiusmodi loquutiones figuratas esse. *Ecclesia*, inquit iste, *carnem filij hominis in mysterio porrectam, & datam in cœna ab ipso Christo, sic comedit, vt ille iußit, non vt reliquos cibos, quod litera sonat.* Sed cur iste non apertè & ingenuè dicit cum Augustino, esse eam dicendi formulam figuratã? Torquet quidem se, quantum potest. Tandem tamen inuito & repugnanti hæc verba exprimuntur. *Figura*, inquit, *est quædam in ijs verbis, quæ à carnalibus oculis obtegat mysterij veritatem.* Si est, vti dicis, figura qnædam loquendi, cur tu tropum tantoperè insectaris? Christus vtrunque dixit: &, *Hoc est corpus meum*: &, *Comedite*. Si agnoscis tropum in comedenda Christi carne, quæ, malum, ista est peruicacia, in illis quatuor verbis tropum repudiare? Sed Inconstantius ita variè perplexeque respondet, vt videatur nescire ipse quid dicat. Ista tamen, nescio quæ, voluit effundere potius, ne nihil dicere videretur, quàm vt dissolueret quæstionem.

Verùm hoc mihi respondeat, In istis verbis sitne amplectendus sensus literalis, an potius recipiendus tropus. Si dicat, se velle sequi literam, reclamat Augustinus & Origenes: si tropum, aut nobis assentiatur, aut quid velit, perspicuè definiat: si quid tamen, quod vix puto, habeat constitutum. Sed ille, quantũ intelligo, & figuram cum patribus vult admittere, & à nobis, quibus iuratus est hostis, omnino dissentire. At id fieri non potest. Neque enim nostram sententiam à sensu verbisque patrum potest auellere. Quare necesse est, vt aut nobiscum sentiat, aut patres nobiscum errare, & hæreticos esse fateatur. Vult fortasse, corpus Christi propriè manducari palato, lingua, ore, dentibus, non autem vt communes cibos, dentibus comminui aut lacerari. Sed ista fieri non possunt, si veram propriamque manducationem dicas. Si enim corpus Domini integrum transmittas, id erit aut sorbere, aut deglutire: non autem verè ac propriè manducare. Quare nos tropos nostros tam diu retinebimus, quoad vos commenta ista vestra ex Cymmerijs tenebris explicabitis.

OBIECTVM CLXV.

OBIICITVR ex Origene eodem libro homil. 9. Non hæreas in sanguine carnis, sed disce potius sanguinem verbi: & audi ipsum tibi dicentem, Quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effunditur.

GARDINERVS.

HÆC verba insinuant veram præsentiam.

MARTYR.

SEnsus loci est, non esse ita hærendũ in sanguine carnis, vt illum putemus realiter aut substãtialiter adesse in Eucharistia: quod verba videntur prima fronte præ se ferre, quæ ad conficiendum sacramentum adhibentur. Sed potius discas, inquit, & fide cõplectere sanguinem verbi, & promissionem, qua Christus dixit, se fundere sanguinem suum in remissionẽ peccatorum, quod tibi in hoc sacramẽto refertur ac significatur. Sed non oportuit monere fideles, inquit Inconstantius, non esse hærendum in sanguine carnis, nisi illi putassent, sanguinẽ illũ re vera præsentem esse. Imò longè cõtrà: Si putassent adesse, oportuisset in illo cõstanter hærere, tanq; in redemptionis suæ precio, & illum summisse adorare. Neq; verũ est, quod ait, neminem ita præcipere inopi, ne inhæreat diuitijs, cùm eas non habeat. Monetur. n. ne in illis diuitijs hæreat, quas aut quærit, aut cupit, aut somniat. Iubemus etiam hominib. libidinosis, ne hæreant in meretricib. quãuis illas fortasse præsentes nõ habeant. Mercatores quoq; quãuis domi maneant, tamẽ dicimus hærere in nauibus, quæ iam soluerint à portu, quòd de illis absentes vehementer cogitent. Quantò magis hęc dicendi formula cõueniet in eos, qui fallun tur, seq; habere quippiam arbitrãtur, idq; præsens, quod re vera nõ habeant? Origenes ergo quàm apertissimè substantialẽ istam præsentiã sanguinis videtur negare, cùm iubeat, ne in illo hęreamus, sed potius moneat, vt nos inde ad verborum Christi significationẽ conferamus: quod

quod optimè conuenit cum illis, quæ ex eodē Origene citata sunt in Obiectione 162. Sanguinem Domini esse verbum Dei. Rectè ergo Origenes & piè monuit suos: ac si ita diceret, Est sacramentum: ne putes ibi esse carnem aut sanguinem Christi, quod ad propriam illorum substantiam attinet, neue in illis hæreas.

OBIECTVM CLXVI.

OBIICITVR ex eodem capite decimoquinto in Matthæum. Panis sanctificatus iuxta id, quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eijcitur. Ista autem nefas est, de Christi corpore cogitare.

GARDINERVS.

Non loquitur ibi Origenes de Eucharistia, sed de pane sanctificato per verbum Dei & Orationem.

MARTYR.

PRimùm Inconstantius negat, ista omnino pertinere ad Eucharistiam. Itaque refert ea potius vel ad panem communem, quem ante cœnam aut prandium precibus sanctificamus: vel ad illum panem, quem antiquitùs in Ecclesijs dare solebant Catechumenis: de quo Augustinus mentionem facit de Meritis & remissione peccatorum, lib. 2. ca. 26. & Græci patres in suis liturgijs, quique Græcè dicebatur *κατηχήσεσι*. Sed hæc omnia vt vana & falsa, verba ipsa Origenis facilè confutant. Sic enim subijcit: *Cæterùm iuxta precationem, quæ illi acceßit, proportione fidei fit vtilis, efficiens, vt perspicax sit animus, spectans ad id, quod vtile est. Nec materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indignè Domino comedenti illum. Et hæc quidem de typico symbolicoq; corpore.* Hîc etiam cæcus videre potest, agi de sacramento Eucharistiæ, in quo Origenes affirmat esse materiam panis. Et panè ipsum typicum symbolicumquè corpus vocat. At Inconstantius pro illa sua bona fide, qua in nostris argumentis referendis semper vtitur, rationem nostram detruncare voluit. Scio enim me inter alia hoc etiam loco vsum esse, & probasse Origenem ibi egisse de sacramento. Ait iste, se simpliciter feciſse: sed res ipsa satis eius vafriciem & nequitiam prodit. Quàm autem Origenes nobiscum faciat, ex eo facilè potest intelligi, quòd testatur, malos non manducare corpus Christi. At id effugere non potuisset, si transubstantiationem aut realem præsentiam docere voluisset. Sic enim addit: *Multa porrò & de ipso verbo dici possent, quod factum est caro, verumq; cibus, quem qui comederit, omnino viuet in æternum, quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri posset, vt, qui malus adhuc perseuerat, edat verbum panem factum, cùm sit verbum, & panis viuus, nequaquam scriptum fuisset: Quisquis ederit panem hunc, viuet in æternum.* Audisne Inconstanti, quid Ecclesia Origenis tempore crediderit.

Mali non manducãt Christi corpus iuxta Origenem.

Sed ad priorem illum locum Origenis redeo. Vidit iste noster, posse fieri, vt lector attentus & prudens in Origene legendo progrederetur, & ad ista ipsa loca, quæ ego iam citaui, perueniret, & manifestè videret, illa pertinere ad Eucharistiam. Quare ne ibi quoque inutus videretur, ad sua prodigia se recepit. Materiale enim panis Origeni ait esse accidentia, quæ visibilia sint & palpabilia. Illis corruptis, ait, substantiam restitui per miraculum, quæ postea abeat in secessum. Ad ista ego ordine respondebo. Primùm, quòd ait, *Sed vt demus ita esse*: quasi verò *eis* *Deus* velit liberaliter nobiscum agere, nego id esse liberalitatis. Non enim ista dat, nisi coactus & inuitus. Origenes. n. ipse ait, se loqui de typico & mystico corpore. Quod autem ait, accidentia apud Origenē esse materiam panis, cōmentum est hominis nō satis sani: nam vel pueri, postquam philosophiam primorib. tantū labris attigerunt, distinguere possunt naturales formas in substantiales & accidentales. Cū ergo istæ qualitates numerentur ad formas, quomodo hîc reuocantur ad materiam? Sed Inconstantius, quantū video, nō potest consistere, nisi prorsus omnia perturber, & materias formis & substantias accidentib. cœlum terræ misceat. *At corruptis*, inquit, *istis accidentib. redit materia.* Quæro, sub qua forma? Nā informem redire, absurdissimū est. Huiusmodi enim materia non posset eijci in secessum. Materia enim sine forma non est capax vllius motus. Quòd si dicere velit, eam redire cū forma panis, id ita est absurdum, vt in huiusmodi stultitia confutandā nōlim verba profundere.

OBIECTVM CLXVII.

OBIICITVR ex Origene eodem loco. Nec materia, inquit, panis, sed super eum dictus sermo est, qui prodest non indignè Domino comedenti illum.

GARDINERVS.

ISTVD ipsum est, qđ alijs verbis efferunt Catholici, nō naturæ opus esse, sed gratiæ, q̄ quam materia mutatur.

MARTYR.

Hſe quoque cùm referre velit locum Origenis, id, quod maximi momenti erat, quodque vnum probat, agi ibi de Euchariſtia, præcidit. Hoc enim etiam addendum erat: *Et hæc quidem de typico ſymbolicoq́; corpore.* Sed nihil Inconſtantius alienum facit à fide ſua. Poſtea fabulatur, materiam panis in hoc ſacramento nõ prodeſſe, quòd iam mutata ſit, videlicet per tranſubſtantiationem. Idque ait eſſe opus non naturæ, ſed gratiæ. Addit autem, Sermonem Domini ita hoc operari, vt Dominus ipſe ſermonis præſens adſit. Sed quæſo te, pie Lector, hoc diligenter attende. Quomodo poteſt cuiquam videri veriſimile, Origenẽ voluiſſe tranſubſtantiatam, aut excluſam materiam panis, cùm dicat, eam non prodeſſe? Nam, quod non ſit, quis id dubitet prodeſſe non poſſe? Origenes ergo, cùm dicat, materiam panis non prodeſſe, ſtatuit omnino eam manere in Euchariſtia. Deinde etiam oſtendit, quidnam illud ſit, quòd proſit. Duo enim proponit ſibi, Panem, & Benedictionem. Panem, ait, ipſum non prodeſſe: ſermonem autem recitatum ſuper panẽ, eſſe vtilem. Quod tamen non ità debet intelligi, quaſi ſymbola inſtituta fuerint ſine vllo noſtro commodo: ſed quòd omnis illa vtilitas à verbo promiſsionis pẽdeat. Nam alioqui ſymbola quoque habent aliquid, quod proſit. Illud tamen vniuerſum nihil eſt, ſi cum promiſsione conferatur: ideoque id Origenes ait non prodeſſe. Idem tamen, quam vtilitatem habeat materia panis, ex eo ipſo ſatis docet, quòd ait, illã per benedictionem efficere, vt perſpicax fiat animus ſpectãtis ad id, quod vtile eſt. Nam ſymbolum externum nos ad ſignificata traducit. Quod autem ad rem attinet, nemo ita cæcus eſt, vt videre non poſsit, Origenem teſtificari, in Euchariſtia manere panem.

Symbola minimè dicenda ſunt inutilia.

Inconſtantius verò, cùm neſciat, quò ſe vertat, conijcit ſe præcipitem in craſsiſsimas tenebras: in quibus dum oberrat, ſemper magis magisq́; impingit. Addit enim: *Adeò, ne indignè manducemus, rectè admonet, vt panem ſumamus dominum, quomodo Auguſtinus loquitur.* Sed quorſum hæc? Eò fortaſsis, vt cùm Origenes dicat, in Euchariſtia manere panem, nos per panem intelligamus Dominum. Atqui hoc planè blaſphemum eſſet, non tantùm ſtultum. Nam Origenes ait, materiam illam panis non prodeſſe. An enim corpus Chriſti illud viuificum & ſalutare nobis non prodeſt, aut nullam habet vtilitatem? Si hoc effugium non quæſiuit Inconſtantius, cur adiecit, cùm nihil eſſet opus, *Vt dignè ſumamus panem Dominum?* Crede mihi, neſcit ipſe, quid velit. Tantum magnificè loquendo voluit lectorem obſtupefacere: quaſi qui poſsit omnia ad ſuum ſenſum detorquere, quamuis primo aſpectu alieniſsima videantur.

Poſtea tamen homo ſimplex eò redit, vt dicat, Origenem illo loco non agere de Euchariſtia: ſed tantùm de pane ſanctificato, quo olim veſcebantur Catechumeni. Verùm panis iſte dicitur ſanctificari per verbum Dei. Quod autem vſquam extat verbum inſtitutum à Domino, quo ſanctificandus ſit panis Catechumenorum? Quid multis? Ea ipſa, quæ Origenes addidit, quæque Inconſtantius de induſtria celauit de typico ſymbolicoque pane, clariſsimè docent, illum loqui de Euchariſtia. Neque enim panis ille Catechumenorum efficiebatur ſacramentum, vt typicum aut ſymbolicum corpus Chriſti dici poſſet. Vtque magis etiam intelligas Lector, Origenẽ loqui de Euchariſtia, interponit verba illa ipſa, quibus Paulus vſus eſt ad Corinthios de hoc myſterio, de indignè manducantibus. Et illud etiam adiecit: *Multi inter vos imbecilles ſunt, & dormiunt multi.* Ad extremum autem iſte noſter, cùm ſe medium teneri animaduerteret, quaſi deſperatæ cauſa, ait, librum illum eſſe ſuſpectæ fidei: nec de eius authoritate ita liquere, vt dignus ſit, qui dilui aut diſſolui debeat. Illi ego hoc tantùm viciſsim dico, hoc reſponſum non eſſe dignum, quod à quoquam noſtrùm confutetur. Sic enim omnes omnium Patrum libri, ſiue illi truncati ſint, ſiue integri, vno verbo poſſent reijci. Non facilè infirmatur librorum authoritas, niſi illi aut vulgò ſuſpecti ſint, aut certiſsimis argumentis probentur eſſe adulterini. Quorum cùm Inconſtantius neutrum afferat, nihil cauſæ video, cur nos hoc Origenis teſtimonio non fruamur.

Nam cum verbi ſacramentum quæ ſanctificetur non Catechumenorum.

OBIECTVM CLXVIII.

OBIICITVR ex eodem Origene contra Celſum lib. 8. Vbi, inquit, pro collatis in nos beneficijs gratias diximus, oblatis panibus veſcimur.

GARDINERVS.

HIC argutator ſi integra fide ſententiam integram protuliſſet, ipſam cum veritate Catholica conſonantiam ſua luce monſtraſſet.

MARTYR.

PRimùm iſte eum coarguit, qui ſententiam iſtam Origenis produxit, quòd eam perfectam plenamq́; non reddididerit. Græca enim ſic habent: [illegible]

προσφέρειν διὰ τελετῆς λόγου τινὰ, ἁγιάζοντα τοὺς μετ' ὑγιείας αὐτῷ προσφέροντας. Id ergo, quod in Obiectione desideratur, ab Inconstantio ita Latinè redditur: Qui per precem sanctum corpus fiunt, & sanctificans eos, qui pura mente eo vtuntur. Si scirem, quis nam hoc testimonio Origenis vsus fuerit, facilè ex eius libro possem intelligere mutilatúmne locum, an plenum adduxerit. Nam alioqui satis iamdudum video, quantulũ in hac re Inconstantio fidei habendum sit. Video enim eum in ipso loco conuertendo non satis candidè fecisse. Tamen cùm Origenes apertissimè dicat, nos vesci panibus, illud ipsum satis esse potuisset, vt euinceretur, eum non probasse nouam istam Papistarum Transubstantiationem. Quod autem subijcit, *illos panes per preces fieri sanctum quoddam corpus, quod rectè vtentes sanctificet*, id nostram sententiam iuuat plurimum: tantùm abest, vt eam infirmet. Fatemur enim, panem per preces fieri sacramentum, quod certa quadam ratione scimus esse corpus Christi. Concedimus etiam, Sacramenta, vt verbum Dei, & sancta esse, & fideliter sumentes sanctificare. Quod etiam multò magis damus, si quis respicere velit ad res significatas. Atq; ita sanè semper faciunt, qui rectè vtuntur sacramentis. Illud ergo, quod in Obiectione desideratur, nihil aliud sibi vult nisi panes illos quib. vtimur in cœna, iam factos esse sacramẽtũ, quod sacramentũ si ponatur numero vnitatis propter vnitatem rei significatæ, non debet videri mirum. Nam Baptisma quoque dicitur vnum, quamuis quisq; nostrûm ex eo portionẽ suam accipiat, & ad multos tingendos variæ partes aquæ adhibeantur.

Sed redeo ad versionem istam Inconstantij. Et ex illo quæro, cur illud relatiuum „ omiserit. Nam Græcè ita scribitur: σῶμα ἅγιόν τι, id est, corpus quoddam sanctum. Errat, qui putat illum eam particulam temerè præterijsse. Callidior est & astutior quã vt soleat ita facere. Vidit sæpè adhiberi illam particulam, cùm proprietas, & rigor significationis aliquo modo eleuatur: vt cùm dicimus, Isidorus quidam: aut cùm per tropum dicimus, Lachrymas esse quẽdam animi sanguinem: non intelligimus, lachrymas re vera esse sanguinem. Ideo iste, cùm satis videret, Origenem apertè dicere, panes non simpliciter fieri corpus illud, quod significatur, sed quoddam corpus, particulam illam, „ noluit Latinè reddere, quò facilius Lectori fucum faceret. Noster autem ille, quisquis fuerit, qui dictum illud Origenis recitauit, seipsum potius priuauit magno robore argumenti, cùm illam partem relinqueret, quàm vt aduersarios A negligentia sua quicquam læserit. Inconstantius autem, cùm „, illud relatiuum omitteret, id summa cura voluit auertere, quod videbat sibi nociturum. Non ita fecit vulgatus interpres. Is enim locum ita reddidit: *Nos verò conditori rerum morem gerentes, pro eius in nos collatis beneficijs, vbi gratias diximus, oblatis panibus vescimur: qui vtique ex oratione & precibus sanctius quoddam corpus conflantur, hoc sanè sanctiores hos reddit, qui mente integra hoc ipso vtuntur.* Hîc non reliquit quoddam, sed simpliciter reddidit, quod inuenerat: etsi comparatiuis Sanctius, & Sanctiores abusus sit pro positiuis: quod ab interpretibus solet interdum fieri. Iste verò cùm illam particulam & in Græco codice videret, & in Latino, tamen eam non tantùm in prima, sed etiam in secunda editione libri sui voluit omittere: ne scilicet aliquid adscriberet, quod causæ, quam susceperat, nocere posset.

Deinde fingit in voce illa, Panibus, *priorem illam appellationem retineri etiam post Transubstantiationem, vt quamuis panis ibi nullus sit, tamen vocetur panis*. Quod quale sit, Lector ipse facilè per se iudicabit. Huc addit, Origenem corpus dixisse, non figuram: quasi verò id alij patres nõ dixerint: aut, quasi Origenes ipse non dicat, *corpus quoddam. Sed figura*, inquit, *sanctificare non potest*. Fateor. At instrumentum sanctificationis esse potest. Alioqui cùm Paulus dicat, cibum sanctificari per verbum Dei, obijci potest sonos, verba, voces non sanctificari. *Sacramenta, non quæ sumuntur, sed quæ creduntur, sanctificant*, vt ait Augustinus. *Sacramenta quomodo sanctificent*

Sed iste hoc etiam ex istis verbis Origenis putat se posse extorquere, *impios manducare corpus Christi*: quòd Origenes ita scribat: *Sanctificans eos, qui pura mente eo vtuntur*. Quàm autem ille turpiter erret, docui suprà ex verbis ipsis Origenis, quibus apertissimè ait, *Corpus Christi non manducari ab impijs*. Ego tamen corpore Christi, hoc est Sacramentis, impios vti non negauerim. Quemadmodum autem multi panes sint vnum Sacramentum, aut vnum corpus, exposuimus. Hîc ego non possum mihi temperare, quin alium locum Origenis huc adducam illi superiori non dissimilem. In eodem octauo libro contra Celsum ita scribit: *Panis præteres Eucharistiæ ille Bona gratia nuncupatus, argumento est nobis, quemadmodum gratias Deo agamus*. Idem hom. in Leuit. 5. cap. 7. *Dominus*, inquit, *panem quem discipulis dabat, dicens omnibus, Accipite, & manducate: non distulit, nec seruari iussit in crastinũ*. Quod nisi Origenes existimasset, panem remanere in Eucharistia, nunquam ita propè semper vsus fuisset istis vocibus.

OBIECTVM CLXIX.

OBIICITVR ex Origene in Matthæũ cap. 15. impios non comedere corpus Christi, quòd illud viuificum sit, quodque, qui illud manducat, in ipso manet.

GARDINERVS.

NON *tractat eo loco Specialiter Eucharistiam: sed de vniuersa Christi œconomia loquitur.*

MARTYR.

NEgat, Origenẽ hoc loco agere, vt loquitur, specialiter de Eucharistia. Sed iste & fallitur, & fallere conatur alios. Origenes enim illa scripsit de Verbo Dei facto carne: quod verbum factum etiam est cibus noster. Citat enim illa verba, *Qui ederit hunc panem, viuet in æternum.* ex sexto Ioannis: quo in loco haud dubiè non agitur de externis symbolis, sed de re ipsa Eucharistiæ: quam ad rem Christus in vltima cœna adiecit signa sensibilia. Rectè ergo concluditur ex sententia Origenis, verum Christi corpus, cuius mentio fit in sexto Ioannis, ab impijs, & illis qui pereunt, non posse comedi. Et ne quis de verbis illis Origenis ambigat, etsi ea suprà citauerim, tamen ne hîc quidem grauabor eadem repetere. *Multa*, inquit, *porrò & de ipso Verbo dici possent: quod factum est caro, vernúque cibus: quem qui comederit, omninò viuet in æternum: quem nullus malus potest edere. Etenim si fieri posset, vt, qui adhuc malus perseuerat, edat verbum factum carnem, cùm sit verbum, & panis viuus, nequaquam scriptum fuisset, Qui ederit panem hunc viuet in æternum.* Quis hîc non videat, Origenem agere de manducatione veræ carnis Christi, propter quam Iudæi, & septuaginta illi Discipuli offensi sunt? Negat Origenes, impios comedere verbum factum carnem: de vniuersa Christi œconomia ne verbum quidem. Tantùm negat, Verbum, quod factum est caro, comedi posse ab impijs. Et dicta sua refert ad sextum caput Iohannis: vbi nisi agatur de manducatione veræ carnis Christi, nusquam agitur. Fingat Inconstantius, quantum volet: hunc locum nobis nunquam excutiet. Verba ita sunt perspicua vt nullis ambagibus aut commentis possint mitigari.

OBIECTVM CLXX.

OBIICITVR ex Cypriano epistola 6. Libri primi ad Magnum, Dominus de multorum granorum adunatione congestum corpus suum panem vocat: & vinum suum sanguinem de botris, atque acinis pluribus expressum.

GARDINERVS.

CHRISTVS mutat nomen, vt ostendat mutationem rei.

MARTYR.

QVoniam panis ille dicitur congestus ex multorum granorũ adunatione, quem panem Cyprianus ait Christum vocasse corpus suum, Inconstantius non satis commodè potuit ad vsitatum illud suũ diuerticulum se recipere, vt diceret, vel accidentia vel ipsam Christi carnem appellari panem. Quid ergo faciat? Circumspicit omnia: sed strophæ non iuuant, illæ præsertim tritæ iam & veteres. Oportet noui quippiam cõminisci. Fingit ergo, *Christum cũ mutaret nomẽ, & fecisse, & indicasse mutationem rei.* Et quá tandem, quęso mutationẽ? *Longè maximam, videlicet vt panis, postquam semel dictus sit corpus Christi, desinat esse panis.* At si obijcias, Si panis iam nusquam & nullus est, quomodo appellari potest corpus Christi? respondebit vno verbo Inconstantius, *Deus vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint.* Et addit, *ex ore domini, Vocare, Facere, Pronuntiare idem esse. Dixit enim*, inquit, *& facta sunt.* Hæc summa est responsionis. Sed cùm Inconstantius rem tantam tam paucis conficiat, nihil causæ esse video, cur non ego quoque possim paucis refutare. Dic mihi, obsecro, ingenuè, si nominis mutatio necessariò adferat tantam mutationem rerum, cùm Christus appellat Simonem Cepham, hoc est, lapidẽ aut Petrã, an illũ statim transubstantiauit in lapidem? cũ Deus dicit Iacobo, Non amplius vocaberis Iacobus sed Israel, an Iacobũ pristina substantia spoliauit? Mitto alios complures, quorum nomina Deus immutauit. An ita pertinax, atq; impudens erit Inconstantius, vt dicere velit, istos fuisse transubstantiatos? Quid ergo hîc somniat transubstantiari panem? *At dominus*, inquit, *potest hoc facere, si velit.* Fateor, Deum posse conuertere panem in aliam creaturam: atq; hoc etiam addo, dominũ posse panes illos in nihilum redigere, si velit. Sed hoc dicimus, & verisimè contẽdimus, nõ tantũ verbũ Dei, sed etiam Patres testari, nihil tale fieri. Fatemur, Deũ vocare ea, quæ nõ sunt, tanquam sint: & statim fieri, quicquid ille dixerit. Sed hoc addimus, quoties aliquid fit, quod ille dixerit, ac iusserit, semper sacras scripturas testari id esse factũ. Nã in Genesi, cũ Deus dicitur imperasse, vt aliquid fieret, statim subijcitur *Et factum est.* Aliquãdo tamẽ Deus mutat nomina, cũ rerũ ipsarũ substantias nõ mutet: idq; in hoc negotio fieri, Cyprianus testatur. Nec sanè aliter esse potest. Res enim ea, quę nulla sit, neq; extet, nõ potest aliquo nomine appellari. Quod autem scribitur, Deum vocare ea, quæ nõ sunt, tanquam sint, id sic intelligendũ est: Deũ rebus quæ nondũ sint, vel vt sint, vel vt accedant, præcipere: & quãuis antea nõ fuerint, eas tamen iã existere, atque ad domini imperiũ venire. Id autem locũ habere nõ potest in Eucharistia. Dominus enim in Cœna, quod quidem ex verbis eius appareat, nihil imperauit.

OBIE-

OBIECTVM CLXXI.

IDEM Cyprianus exponens Orationem Dominicam, panem appellat corpus domini.

GARDINERVS.

IMITATVR enim phrasin Christi, qui dixit. Caro mea verè est cibus.

MARTYR.

SI Inconstantius locum illum, vnde hanc obiectionem huc transtulit, indicare voluisset, potuissem fortasse intelligere, quid ille, qui ea primus vsus est, sibi voluerit. Nunc tantũ coniecturam facere, & diuinare possum. Ego tamen crediderim, locum istum Cypriani, si tamẽ Cyprianus autor fuerit eius libri, qui nunc eius nomine in Orationẽ Dominicam circumfertur, ea maximè causa fuisse adductum, vt probaretur, Impios non comedere carnem Christi. Sic enim ibi scribitur in expositione illius particulæ ex Oratione Dominica: *Hunc autem panem dari pro nobis quotidie postulamus: ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto, dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur: ipso prohibente, ac monente, Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita. Quando ergo dicit, in æternum viuere, si quis comederit ex eius pane, vt manifestum est, eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communionis accipiunt, ita contrà timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute: commonens te ipso, & dicente, Nisi ederitis carnem filij hominis & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Et ideò panem nostrum, id est, Christum dari nobis quotidie petimus: vt qui in Christo manemus, & viuimus, à sanctificatione, & corpore eius non recedamus.* Ex his verbis duo possumus colligere. Primùm, Cyprianum per panem intellexisse corpus Christi ipsum crucifixum, quod 6. cap. Ioannis appellatur panis: deinde eos, qui comedunt ex illo pane, viuere in æternum, neque à sanctificatione recedere. Quemadmodum autem Sacrificuli Papistarum, qui dicunt, se quotidie tractare, & sumere corpus Christi, habeant se quod attinet ad spiritualem vitam, & sanctificationem morum, res ipsa loquitur. Quare apparet & ex verbis Christi, & ex Sermone Cypriani, illud hominum genus nõ sumere verũ corpus Christi, quamuis quotidie accedant ad Eucharistiam.

Cyprianus nõ autor est expositionis Orationis Dominicæ.

OBIECTVM CLXXII. CLXXII

OBIICITVR ex eodem Cypriano epistola tertia libro secundo ad Cæcilium. In vino ait demonstrari sanguinem domini.

GARDINERVS.

IN vino demonstrari sanguinem, dicit Cyprianus: quasi significans, quod etiam aperit postea, &c.

MARTYR.

IN vino, inquit iste noster, omnes scripturæ notant sacramentũ sanguinis. *Ideoque* ait *Christum illud adhibuisse, tanquam materiam conuenientem sanguini suo adhibendo. Vt ergo figuras veritate impleret, vinum adhibuit*, inquit, *et sanguinem suum fecit.* Sed ista longissimè absunt à sententia Cypriani. Ille enim agit de vino iam consecrato, quodq; iam sit Eucharistia, & sanguinem Christi demonstret. In symbolis enim, antequam fiant sacramentũ, neq; corpus neq; sanguis Christi demonstratur. Sed in impia causa, quã semel susceperat defendendam, Inconstantius cogebatur hæc ipsa ita ridicula, & inepta respondere, nisi tacere maluisset. Si Christus vinum, vt iste nugatur, effecit sanguinem suum, & ita fecit, vt vinum esse desineret, cur Cyprianus dicit, in vino demonstrari sanguinem? Quoniam autem Inconstantius semper satis locuples fuit imaginationum, fingit Cyprianum respexisse ad figuras Veteris Testamenti, vbi sanguis Christi latuit in vino tanquam in ænigmate, qui nunc in vino demonstratur. At in quo, quæso, vino, si vinum per Transubstantiationem iam abierit?

Cauillatur autem, nescio quid, de verbo, Demonstratur, & more Sophistarum ad quæuis potius, q̃ ad interrogata, respondet. Demonstrabatur sanguis Christi etiam in figuris Veteris Testamenti, etsi minus perspicuè. Sed de maiori, aut minori perspicuitate non contendimus: verũ vos extremæ temeritatis arguimus, qui vinum ex Eucharistia auferatis, in quo, vt Cypria

nus ait, *sanguis Christi demonstratur*. Si propter significantiam, vt Inconstantius fatetur ipse, materia vini non est omittenda, cur illam sua ista Transubstantiatione ex Sacramento extrudit? Videat, & iudicet ipse, vtrum horum sit grauius Vinúmne ab initio non adhibere, quod Aquarij faciebant: an illud, cùm iam adsit, foras extrudere. Mihi vtrinque videtur æquè grauiter peccari: nisi quòd isti hypocrisin etiam, & mendacium adijciunt. Nam Aquarij, quod non adhibebant, verè dicebant, non adesse. Isti autem, id, quod re vera adhibuerunt, falsò abesse docent. Quare qui damnant Aquarios, videant, quo iure istis possint ignoscere.

OBIECTVM CLXXIII.

OBIICITVR è Cypriano ex Sermone de Cœna domini. Ait, nos non acuere dentem, sed tantùm syncera fide panem frangere & manducare.

GARDINERVS.

FIDE minus syncera citatur hic locus.

MARTYR.

PRimũ accusat fidem eius, qui obiecit hunc locum, quòd, cùm Cyprianus addiderit sanctum, ea vox sit omissa, vel potius adulterata. Pro sanctum enim redditum esse, tantũ. Ego paucis respondeo, in obiectione verba ipsa Cypriani non recenseri, sed tantùm sententiæ summam. Nam alioqui desiderantur etiam alia verba, mordendi, partiendi, & alia plura. Quare verbulum vnum desiderari, vbi alia complura sint præterita, non est mirum: & præsertim cũ cõueniat inter omnes, panem iam consecratum esse sanctum, eo videlicet sanctitatis genere, quo suprà declarauimus. Huc addo, magnam etiam similitudinem esse inter duas istas voces, sanctũ, & rantũ: & fieri posse vt aut Impressor in excudendo, aut Inconstantius in legendo fuerit hallucinatus. Sed, vt emergamus ex istis tenebris, totum illum locũ Cypriani describã. *Hæc*, inquit, *quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sanctum frangimus, & partimur, dum, quod diuinum & humanum est, distinguimus, & separamus, itemque simul separata iungentes, vnum Deum & hominem fatemur: sed & nos ipsi corpus eius effecti Sacramento, & re Sacramenti capiti nostro connectimur & vnimur.* In istis verbis referendis Inconstantius habet, *separata cingentes*, idque in vtraque libri sui editione. Quamobrem, cùm ipse quoque labatur aliquando errore, sæpissimè autem perfidia, authorem huius argumenti, quicunque tandem ille fuerit, non debuit propter non ita grauem errorem tam acriter insectari: præsertim, cùm vox illa, quam iste omissam queritur, ejusmodi sit, vt ab vtraque parte recipiatur.

Addit, *apud Cyprianum panem sanctum frangere, nihil aliud esse, quam in Christo diuinitatem ab humanitate separare*. Sed non attendit, Cyprianum eodem in loco paulò suprà proposuisse historiã cœnæ Dominicæ, & actionem ipsam retulisse, qua frangimus panem Eucharistiæ: posteà verò, quid illa fractio panis significet exposuisse. Cyprianus enim vtrumque complexus est, & Sacramentalem actionem, & rectitudinem fidei, qua Christum ipsum verè, & cum fructu apprehendimus.

Postea repetit ea, quę Cyprianus paulò antè quàm ea quæ hîc adducta sunt, scripserit. *Carnè*, inquit, *eius edulium non est horrori, sed bonori.* Id iste noster adscribit distinctioni sumentium. Deinde ex istis verbis elicit veram carnis præsentiã. *Quomodo enim*, inquit, *potest esse horrori, quod re ipsa non exhibeatur?* Non est difficilè explicare, quid Cyprianus sibi voluerit. Certè si caro Christi ita re ipsa manducaretur, vt aliæ carnes solent, magnus sibi horror comedentibus incuteretur. Cùm autem eam in Sacramento spiritualiter comedimus, quod fit cum eam pro nobis oblatam in crucem vera fide complectimur, qua ex re nascitur summa nostri cum Christo coniunctio, maximus ad nos accedit honor, nõ tantùm quòd ad corpus attinet, sed etiã, quòd ad animum. Quod autem iste quærit, quomodo horrori esse possit, nisi re ipsa exhibeatur, ita respondemus, Cùm illa caro neque realiter neque substantialiter adsit, sed animo, & fide spiritualiter comedatur, nec potest, nec debet cuiquam horrori esse.

Addit Cyprianus, *Potuq; sancti, & sanctificatio sanguinis Spiritus delectatur.* Ex his verbis iste ait, veram præsentiam indicari sanguinis Christi. Illi enim hausto, tanquam causæ tribui effectũ sanctificationis. Nos autem dicimus, non tantùm sanguinem Christi pro nobis fusum, sed etiam totum Christum, qui verè est sanctus, fide apprehensum, esse propriã causam sanctificationis nostræ. Eucharistia verò instrumentũ dicit potest sanctificationis. Per illam enim spiritus sanctus in nobis fidem excitat: per quam causam ipsam sanctificationis, videlicet Christum eiusq; sanguinem pro nobis fusum apprehendimus, Allegoria verò illa, qua Cyprianus dicit, nos fide syncera partiri panem sanctũ, quæq; ostendit, quid fractio & partitio illa externa significet, longè alia est, quàm ab alijs patribus afferri soleat. Alij enim dicũt, illa fractione mortem Christi, & corporis apertionem in cruce significari:

gnificati: quod Paulus ipse videtur dicere, cũ ita scribat, *Hoc est corpus meum, quod p vobis frangitur.*

Quod autẽ Inconstantius addit, *Cyprianum, cũ scribat, nos non acuere dentes ad mordendum, non prorsus repudiare officium dentium, quasi nulla sit sacramentalis manducatio*, sed velle significare distinctionem inter fractionem, quæ dente, & illam quæ fide percipiatur, ridiculum & insipidum est. Putat enim, illam manducationem, quæ conficitur dentibus, signum esse: illã verò alterã, quę fide, esse rem significatam. Itaq; non multum videtur abesse ab eo, quin credat, dentes ipsos Cõmunicantium ad ipsum corpus Christi verè pertingere. sed fortasse deceptus est dicto illo Chrysostomi, quo ait, *corpus Christi nunc pati in Eucharistia, quod passum non fuerit in cruce: nimirum vt frangeretur.* Qua de re aliàs dabitur locus. Nunc hoc tantùm dicam, nullo modo credendum esse, corpus Christi nostrorum dentiũ lacerationi posse esse obnoxium. Hoc enim, quid aliud esset, quàm illud commolere & comminuere, & postremò totum soluere? Hæc autem non tãtùm à pietate, verùm etiam ab humanitate aliena sunt. Quare Cyprianus dentium officium ab ipso corpore Christi prorsus remouit: quod Augustinus etiam rectè, ac piè fecit. *Quid enim,* A inquit, *paras dentem & ventrem? crede & manducasti.* In symbolis verò, hoc est, in pane & vino, & os, & dentes officio suo fungi, nemo dubitat. Atque hoc sensu damus Inconstantio, id, quod frangitur dentibus, esse signum eius, quod fractum pro nobis in cruce percipimus fide.

Deinde interpretatur Cypriani loquutionẽ, simulq; inter se confert fractionem dentis, & fidei. *Si conferantur*, inquit, *inter se, negatione fractio dentis extenuatur tantùm, non omninò tollitur.* B Memineris quæso te, Inconstanti, huius tuę medicinæ: vt posteà, si nos eadem velimus vti in hyperbolis patrum mitigandis, ne ægrè feras, néue, vt soles, contra nos insanias. Videntur.n. patres interdum ita rem ipsam Sacramenti amplificare, & ornare verbis, ac si planè velint panem ab Eucharistia remouere. Id autem nõ idcirco faciunt, quòd putent cum Papistis transubstantiari naturam panis, sed quòd, si symbola conferas cum re significata, quod attinet ad C fructum, & dignitatem, & animum ipsum communicantium; panis & vinum habentur iam pro nihilo, & quodammodo maiestate corporis & sanguinis domini absumuntur. Nõ quòd illa planè perierint, sed quòd ex collatione mirum in modum extenuentur.

OBIECTVM CLXXIIII.

OBIICITVR è Cypriano ex Sermone de Chrismate: Sacramenta, inquit, habere nomina earum rerum, quas significant.

GARDINERVS.

CYPRIANVS eo loco, vnde hæc sumuntur, ita se explicat, vt si quis pressius hæc intueatur, animaduertat, hoc sacramentum paucis, sed efficacibus verbis describi.

MARTYR.

NEc hîc quidem autor Obiectionis suscepit verba ipsa Cypriani recitanda. Solo enim sensu, & vno alteroq; dicto contentus erat, vt vim, & summam argumenti attingeret. Sed ne Lector locum integrum desideret, illum visum est huc transcribere. *Dedit itaque*, inquit, *dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuium, panem & vinum: in cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum: vt in Apostolis impressa syncera Veritas, & vera synceritas exponeret Gentibus, quomodo vinum & panis caro esset & sanguis: & quib. rationibus causæ effectib. conuenirent, & diuersa nomina, vel species ad vnam reducerentur essentiam, & significantia, et significata ijsdem vocabulis censerentur. His supernæ gratiæ priuilegijs esu sanctificati panis refecti, loti, & vncti, non* E *eam quam amiserunt, sed ampliorem, & digniorem receperunt libertatem.* Ex his verbis quæ nos ad sententiæ nostræ confirmationem colligimus, hæc sunt. Primùm, Christum in vltima illa Cœna dedisse discipulis suis panem & vinum: non autem vt isti volunt, accidentia. Neque tamen ea causa inficiamur, etiam verum corpus, & verum sanguinem Christi fidelibus ritè communicantibus, fide & spiritu percipiendum dari. Deinde annotamus ex istis verbis, quomodo panis & vinum sint caro & sanguis domini: figura, nimirum, & significatione. Nos enim cùm panem & vinum sumimus ad mensam domini; quid Iudæi fecerint, cum eius D corpus ad crucem affigerent, significamus. Et hæc omnia facta scimus, vt Gentes intelligerent, Christum voluisse anteà veritatem suæ mortis per hoc sacramentum Apostolorum animis imprimere, idq; secretè, & seorsim in Cœna, quàm illam re ipsa palàm obiret in cruce. Ex his etiam intellligimus, causas, & effecta cõuenire: Nam finalis causa huius mysterij fuit, vt ex carne Christi data pro nobis in crucem, & ex eius sanguine pro nobis effuso, spiritualem cibum caperemus, quo ad æternam vitam instauraremur. Hoc, inquam, effectum est huius sacramenti, quod satis cum sua causa conuenit, dum in Eucharistia pane & vino vescimur corporaliter. Atque ita etiam diuersa nomina, vt panis & vinum, sanguis & caro, & diuersæ formæ, hoc est species, qualia sunt ea, quæ iam dixi, reducuntur ad vnam & eandem essentiam scilicet, sacramenti. Totum enim sacramentum, vti aliàs docuimus, constat signis &

rebus significatis: vt si tota essentia sacramenti considereretur, eam hisce rebus constare non dubitemus. Neque tamen ex eo conficitur, res ipsas idcircò oportere cũ signis re ipsa præsentes esse. Sunt enim relatiua, quæ dicuntur ad eandem essentiam reuocari, quòd alterum sine altero neque definiri, neque cognosci queat. Ex quo sequitur illud, quod Cyprianus vltimo loco posuit, vt propter tam arctam rerum & signorum connexionem nomina facilè permutentur, & symbola ipsa nominibus rerum significatarum nuncupentur: vtque è diuerso proprietates, & nomina elementorum ad ipsa significata transferantur. Hæc ita sunt perspicua, & plana, vt ad intelligendum Cyprianum nulla alia expositione opus esse iudicem.

Verùm nunc ex altera parte audiamus Inconstantium: & animaduertamus, quemadmodum res claras de industria obscuret, & suis illis tenebris omnia misceat. Primùm ait, *Cyprianum contentione quadam verborum duobus membris eiusdem orationis loquutum esse de vero Christi corpore dato in Cœna: nempè cum dicat, Christum in Cœna propriis manibus dedisse panem & vinum: in cruce autem manibus militum dedisse corpus suum vulnerandum. Itaque* ait, *corpus Christi tam verè manducari in mysterio, quàm verè vulneratum est, & suffixum in cruce à Iudæis. Nam verba illa panem & vinum, in priori membro, idem* ait *omninò significare, quod corpus in secundo.* Sed si eadem omnino sunt, quæque in priori, quæque in posteriori clausula ponuntur, quid ea oportuit inter se comparare? Similia, paria, disparia comparari solent: non eadem. Cyprianum verò istam collationẽ non spectasse, ex eo liquere potest, quòd duabus rebus, quas posuerat in priori membro, panimirum, & vino, in altero membro non duas res opponat, videlicet, carnem & sanguinem, sed tantùm corpus. Nullæ ergo hic res inter se per contentionem, vt Inconstantius putat, conferuntur, sed tantùm istis duobus membris ea exponuntur, quę Christus nostra causa, tum in Cœna, tum etiam in morte gessit. Nam in Cœna quidem dedit Apostolis sacramentum earum rerum, quas posteà in cruce præstitit. Illis enim ibi panem & vinum ad memoriam mortis, quam erat statim posteà obiturus, commendauit. Eam autem mortem postridie bona fide oppetijt in cruce, cùm corpus suum Iudæis nostra causa vulnerandum traderet. Idem corpus in Cœna sub elementis panis & vini fide proposuit comedendum: quod posteà pro nobis præbuit militibus conficiendum. Hæc ita plana sunt, & ex verbis ipsis Cypriani ita dilucidè liquent, vt palpari possint. Quare Inconstantius, cùm velit ea torquere, & in alienum sensum abducere, mirificè abutitur Lectoris patientia,

Frigeret, inquit, *collatio.* Quam tu mihi collationem narras? Cyprianus enim nihil confert. Tantùm testatur, Christum duo fecisse, alterũ in mensa, alterum in cruce. Et sanè constat alterum illorum ita alteri successisse, vt à mensa itum fuerit ad crucem: cumque suis manibus in Cœna discipulis distribuisset panem & vinum, posteà eum corpus suum dedisse Iudæorum manibus lacerandum. Sed cur tu hìc non ostendis, quibus verbis Cyprianus dixerit, corpus Christi tam verè fuisse in illo pane, qui discipulis distribuebatur, quàm verè fuit in cruce, cùm à Iudæis conficeretur? Hoc tu non probas: non planum facis. Ex tuo tantùm capite ista somnias. Testimonium enim Cypriani ex adductis verbis, quo idem affirmetur, nullum affers.

Verùm Hesychium nobis, si Deo placet, substituere voluisti pro Cypriano. Illum enim ais dicere, Christum in Cœna se ipsum suis manibus sacrificasse. Id vt est verum, ita ad tuam causam nihil facit. Sacrificauit se Christus in Cœna: quia cùm proprijs manibus instituerat sacramentum Eucharistiæ, testabatur se velle mori, idque se summo & ardentissimo desiderio velle facere: *Desiderio enim*, inquit, *desideraui hoc Pascha vobiscum comedere:* tum vt patri suo morem gereret, tum etiam vt suos à potestate mortis & diaboli liberaret. Deoque gratias egit, quod iam eò peruentum esset. Hoc illud, Inconstanti, hoc sacrificium illud fuit, quod Christus in Cœna obtulit patri suo: quod eum Hesychius ait fecisse proprijs manibus. Suam enim istam voluntatem, & oblationem Sacramento, quod habebat in manibus, testabatur. Tu verò, quod ad hoc Sacramentum attinet, nihil aliud putas esse Sacrificare, quam ex Transubstantiatione panis & vini, corpus & sanguinem domini præsentia facere sub accidentibus. Hoc scripturæ non docent: patres non testantur: regula & analogia fidei non probat.

Posteà pro illa sua obfirmata iam audacia ait, *Cyprianum cum dicat panem & vinum, intelligere Species tantùm illarum rerum, & accidentia.*

Atqui non erat Cyprianus nec ita mutus, nec ita balbus, nec ita Latini sermonis imperitus, quin, si ita sensisset, id eloqui, & effari potuerit. Si non iterum, aut sæpius, at certè semel saltem vestrum istud nouum commentum explicuisset. Sed iste magnam quandam vim esse putat in aduerbio illo, *Secretius.* Nobis tamen quid aduerbium illud significet, non est arduum explicare. In apostolis, qui primi illi Communioni interfuerunt, nobis Gentibus, atque omnibus fidelibus indicatum est, quomodo panis & vinum essent caro, & sanguis: nimirum analogia Sacramenti: quod profectò est quoddam arcanum, quod secreto initiatis commendatur, atque conceditur. Et hoc perpetuum est in omnibus mysterijs, vt res externæ pateant, & oculis exponantur: cùm tamen res ipsa, quæ significatur, lateat, & nisi internis oculis videri non possit. Quare Christus id, quod paulo post futurum erat palàm, seorsim ac secreto Apostolis antè in hoc mysterio patefecit, non tantùm simplicibus nudisque verbis, quæ facilè deleri potuissent, sed efficacibus symbolis, quæ in animis hominum maiorem impressionem facerent. Et eadem opera ostensum est, quomodo panis & vinum

sit caro & sanguis: nimirum coniunctione sacramentali. Sed Inconstantius ait, hoc fieri mutatione, & omnipotentia Verbi. Nec id quidem ego negauerim, modo rectè intelligatur. Mutantur aliquo modo panis & vinum, & efficiuntur Sacramenta: non ita tamen, vt illorum substantia aboleatur. Fateor etiam ad conficiendum Sacramentum requiri Dei omnipotentiam. Opus enim tam insigne à nullo homine mortali potest fieri. Causas, & Effecta conuenire, iste ita interpretatur, *quod oporteat verè esse carnem domini, quam sumentes sanctificentur*. Hoc quoque concedi potest: etsi non in eam sententiam, qua dictum est ab Inconstantio. Is enim putat, omninò oportere corpus Christi latère sub accidentibus, vt sumentes reddere possit sanctos. Nos autem dicimus, Christi corpus fide, atque animo comprehensum causam esse, cur communicantes sanctificentur. Et causas, atque effecta, congruere, longè alia, & multò meliore ratione docemus.

Quomodo autem diuersa nomina ad vnam reuocentur essentiam, Sophista ita exponit: *quòd in Sacramento vna tantùm sit substantia, de qua istæ appellationes, panis, & corpus prædicentur: nimirum, vnus Christus, Deus & homo*. Et addit, *nominibus Panis, & Vini significari tam accidentia visibilia Sacramenti, quàm res inuisibiles: Carnem*, inquam, *& sanguinem Christi, quæ illis accidentibus contegantur*. Hæc, videlicet, est noua philosophia Inconstantij: qua docere vult ad duas res significandas nomina quatuor adhiberi. Sed gratia Dei Cyprianus se satis exposuit, quid per panem, & vinum in Eucharistia velit intelligi: illum enim se ait panem dicere, qui conficitur ex multis granis, quique non ex sola farina, aut aqua sola consistat, sed ex aqua, & farina simul commixtis. Vinum autem se ait dicere, quod ex multis botris, atque acinis confluxerit. Hæc ille in epistola ad Cæcilium. Mera ergo fictio est Inconstantij, quod ait, panem & vinum in hoc Sacramento idem prorsus esse, quod carnem & sanguinem. Fateor equidem, res ipsas, panem & vinum sacramentali analogia carnem & sanguinem significare. Vocabula tamen ipsa, panem, & vinum, verum panem, verumque vinum, quæ verè & substantialiter in Sacramento proponuntur, & esse, & referre contendo. Verùm Christi sanguinem fide, ac spiritu haustum a Communicantibus, iam suprà dedi veram esse causam sanctificationis: non tamen ex eo sequi, illum sub accidentibus vini substantialiter adesse oportere. Hoc quoque fassus sum, Christum in cœna, non tantùm symbola, sed etiam res ipsas significatas dedisse discipulis. Nã qui orationem alicui communicat, & sensum illi verborum & significata impertit. Sunt enim ista relatiua: quorum vnum intelligi non potest sine altero, cùm tamen loco, & spacio sæpè permultum distent.

Postea citat Cyprianũ ex hac eadem ratione quem ita scribere paulo ante illa verba, quæ suprà recitauimus: *Quibus calicem sanguinis sui inexhaustæ plenitudinis abundantia semper refertum conseruandũ tradidit & erogandũ*. Hoc ait nõ posse intelligi de figura: illã. n. facilè posse exhauriri. At si figura facilè exhauriatur, exhaurietur etiã sanguis. Si enim dicas sanguinem esse verè ac substantialiter in calice, dicẽs contra tuam sententiam: at si dicas, vt soles, sanguinem contineri sub accidentibus vini, illis accidentibus exhaustis, necesse est, vt fatearis sanguinem quoque exhaustum esse: nisi fingere velis, sanguinẽ ibi esse sine accidentibus. Quod si dixeris, At sanguis Christi non ita intelligitur exhaustus è calice, quin, vt in eo possit renouari: idem egò dicere possum de symbolo, illud nunquam ita prorsus exhauriri, quin vt denuò infundi possit. Quid ergo dices? Quid te Cypriani verba iuuant? Redito aliquando in viam. Sanguis Christi, qui in corporis eius venis manet, dum à nobis fide apprehenditur, vt pro nostra salute fuit effusus, non potest vnquam exhauriri: manet enim perpetuò integer à nobis per fidẽ maximo cum fructu bibendus. Quare Cyprianus non loquebatur de externis symbolis, cùm ea diceret, sed de re ipsa significata.

Quomodo intelligatur Sanguinem Christi exhauriri non posse.

OBIECTVM CLXXVII.

OBIICITVR etiam ex Cypriano contra Aquarios libro secundo epistola tertia: Non posse videri adesse sanguinem Christi in calice, si vinum ibi esse desinat: quod certè isti per suam Transubstantiationem fieri contendunt.

GARDINERVS.

CYPRIANVS sic loquitur, Nec potest videri sanguis eius, quo redempti, & viuificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici.

MARTYR.

NE per ambigua, & incerta vagemur, operæpretium erit, Cypriani ipsius verba Proponere. Is enim, qui vsus est hac Obiectione, satis habuit sententiã reddere fideliter, etiãsi

verba omnia nõ adscriberet. Cyprianus in eo loco, qui in Obiectione citatur, ita loquitur: *Nec videri potest sanguis eius, quo redempti & viuificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui scripturarum omnium Sacramento, & testimonio prædicatur.* Ad hunc modum Inconstantius ista interpretatur, si malitia, aut negligentia ministri vinum desit, id est, non adhibeatur in calice, non posse confici mysterium ostendendi sanguinis. Atqui Cyprianus non de Sacramento conficiendo loquitur, sed de iam confecto. Ait enim, Sanguinem non videri esse in calice, si vinum desit. Verùm iste verbum illud, Ostenditur, magno verborum apparatu mitigare nititur, vt ne dicam peruertere. Primùm ait, *Christum tantùm in Cœna sanguinem suum fidelibus ostendisse: id enim eum in cruce non fecisse: quamuis Iosannes affuerit, cùm illum effunderet. Illum enim perhibuisse testimonium, se sanguinem Christi à Iudæis vidisse effusum, non autem à Christo ostensum.* Ista multò altius petuntur, quàm vt quicquam ad causam facere videri possint. Certè, quicquid iste garrit, Ostendere, quomodo illa voce Cyprianus vtitur, nihil aliud est, quàm significare. Hoc enim voluit dicere, si vinum remoueas è calice, sanguinem Christi sacramentali analogia ostendi, & significari non posse.

Pergit Inconstantius, & ait, Christum non regnare in cœlis sub specie sanguinis: quò fideles eò sublati fide eius sanguinem contemplentur. Et videtur sibi acutè nos perstringere, qui non nunquam dicamus, nihil opus esse præsentia illa substantiali corporis Christi in Eucharistia, mentes enim nostras in percipiendo sacramento in cœlum facilè transferri. Iste autem nos suauiter scilicet irridens, *Etsi*, inquit, *mentè, atq; animo in cœlum penetretis, & ad ipsum Christum perueniatis, tamen sanguinem eius cernere non potestis.* Ego verò respondeo, sanguinem domini satis ostendi fidelibus, cùm vel ex lectione sacrarum literarum, vel ex sacris mysterijs creditur pro salute humana effusus. Sic enim apprehenditur, & spirituali ratione bibitur. Manducatio enim illa, quæ fide percipitur, non in simplici nudaque apprehensione corporis & sanguinis Christi consistit, sed in eiusmodi complexu totius mentis, atque animi, quo constanter, atq; efficaciter credamus, corpus Christi traditum fuisse in crucem pro salute nostra, & sanguinem eius effusum. Ascensionem verò mentium nostrarum in cœlum, non absque scripturarum, Patrum, Ecclesiæ testimonio atque authoritate tradimus. Paulus enim ad Coloss. ita scribit, *Si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*. Et ad Philippenses, *Conuersatio nostra in cœlo est*. Chrysostomus, quemadmodum suprà semel, atque iterum annotaui, ait, hanc mensam Aquilarum esse, non graculorum: & ad illos pertinere, qui vsque ad cœlos euolent, & ibi Christo feliciter occurrant. Ad hoc ipsum Ecclesia etiam nos hortatur. Ea enim, postquam iam ventum est ad mysteria, publicè clamari iubet, Sursum corda. Proinde rectè di-

A scimus, in cœlum mente ascendendum esse, vbi Christum regnantem conspiciamus, cuius sanguis, pro nostra salute fusus est, & corpus olim affixum ad crucem.

Sed iam vicissim dicat Inconstantius, vtrum id, quod est in calice, sit ibi specie sanguinis: vt eò accedentes possimus sanguinem Christi contemplari. Quod enim, malum, est illud genus argumenti, quod ita torquetur, vt multò maximè lædat authorem suum? Putauit, se ex eo posse nos satis coarguere, quòd in cœlo ostendi non possit sanguis Christi extra venas. At idem sanguis, quamuis, vt ille clamat, realiter sit in calice, tamen in eo multò minus ostenditur. Miror, hominem esse ita stupidum, vt non intelligat, se loqui pugnantia. Modo ait, Christi sanguinem in calice verè proprieque ostendi: modo eum ait sub speciebus, & accidẽtibus occultari. Quomodo occultari potest, quod ostenditur? aut ostendi quod occultatur?

Huc addit, nisi sit in Cœna vera exhibitio, & certa ostensio sanguinis, nos adhuc manere in figuris panis & vini, & hærere in vmbris creaturarum, nec nos adhuc assequutos esse lucem veritatis. Lugubriter ista conqueritur, vereturque ne adhuc in vmbris Veteris Testamẽti relictus sit: quasi qui maximè cupiat lucem, tenebras autem, quas secum perpetuò circumfert, quasque omnibus rebus, quas tractat, semper offundit, maximè oderit. Verùm nos illum ita possumus consolari. Nihil est Inconstanti, quòd vereare: non sumus relicti in vmbris. Res promissæ in Veteri Testamento nondum erant præstitæ, antequam Christus ipse venisset. Nunc verò omnia sunt confecta: Verbum Dei susceptum carnem: Filius Dei cum hominibus versatus est: pro nobis tanquam agnus occisus est: excitatus est à mortuis: ascendit in cœlum: dedit spiritum sanctum: conuocauit Gentes: Ecclesiam per omnes partes orbis terrarum instituit. An adhuc tibi videris esse in vmbris, & tenebris, cùm tot ac tanta iam gesta, & confecta sint? imò cùm iam extremus, tantùm actus expectetur? Vbi enim ille actus accesserit, nosque ad alteram illam æternam vitam erimus translati, non amplius nobis aut mysterijs, aut sacramentis, aut signis, aut significationibus opus fuerit. Hoc tibi satis esse debet, quod paucissimæ tantùm nobis figuræ relictæ sint, Baptismus videlicet, & Cœna domini: illæque longè clariores, & efficaciores, vt Augustinus ait, quàm fuerunt figuræ Veteris Testamenti. Quare etiamsi non habeas corpus Christi præsens sub accidentibus panis & vini, tamen nihil est, quod queraris. Id enim & inutile esset, & prodigiosum: & non solùm naturæ veri corporis, sed etiam scripturis ipsis, & Patribus aduersaretur.

Sed attende, quæso, paulum, quid dicas. *Sub Specie*, inquis, *vini in veritate ostenditur sanguis Christi.* Imò ita potius dicendum erat: velatur, & occultatur sanguis Christi. Neq; te ita impatientes

tienter ferre oportuit, si author huius argumenti, Desinit, pro Desit, scripserit. Sunt enim voces illæ valdè affines, vti vides: vt typographus in lubrico discrimine facilè potuerit hallucinari. In significatione autem non est tantum discriminis, vt, vtrumuis dicas, quicquã decedat de sensu. Postremò in calce hoc mihi non videtur omittendum, ex omnibus Cypriani sententijs hanc vnam ita perspicuam esse, itaq; claram, vt nulla magis nostram sententiam defendat.

OBIECTVM CLXXVI.

OBIICITVR ex Cypriano in Sermone de Cœna domini. Scribit enim, symbola mutari in corpus Christi: sed ita, vt accipiat simile ab ipso Christo: in quo ait humanam naturam apparuisse, latuisse diuinam. Ex quo simili videmus, hoc eum voluisse, ita duas naturas retineri in Sacramento, quemadmodum certum est, eas mansisse integras in Christo.

GARDINERVS.

QVOD docet de mutatione symbolorum, traditio est manifesta fidei Catholicæ.

MARTYR.

MVtationem illam, cuius mentionem facit Cyprianus, iste Transubstantiationem esse putat. Quàm autem turpiter fallatur, simile adductum coarguit. Nam alioqui oportuisset aboleri substantiam humanæ naturæ in Christo, quemadmodum isti volunt in sacramẽto aboleri substantiã panis & vini. Quòd autem posteà colligit, ita oportere corpus Christi præsens adesse in Eucharistia, vt diuinitas latebat in natura humana, non esset negandum, si vnà cum Inconstantio fingere vellemus, elementum externum panis mutari in ipsum proprium corpus Christi. Nos autem cum Cypriano potius statuimus, mutationem fieri in corporis Christi sacramentum. Atque hoc pacto concedimus, naturam, seu proprietatem sacramentalem esse in pane: vt panis iam ex instituto Christi factus sit idoneum organum ad fidem nostram excitandam.

Adhæc iste noster ait, se velle concedere, duas naturas manere in sacramento: non tamen integritate. aut constitutione perfectæ similitudinis. Sed quid hic tam apertè cauillaris, Inconstanti? An in tuo arbitratu situm est, quousque vis similitudinis porrigatur? Si non est par naturarum integritas in Eucharistia, dic dum, quã ta ibi sit panis integritas. Respondebis, scio, esse ibi species panis, & accidentia. Esto. Sed illa neque ad essentiam neque ad naturam panis verè pertinent. Quod vel ex eo satis constat, quòd illa possint à substãtia separari. Cedò verò: quæ tandem sunt illæ regulæ fidei, per quas ais stare, ne natura panis in Eucharistia maneat perfecta, atq; integra? Cur illas nobis non prodis? Nam sat scio, nec sacras literas, nec veteres patres eas vsquam commemorasse.

OBIECTVM CLXXVII.

OBIICITVR ex Cypriano epistola tertia, libro secundo. Quomodo nec corpus domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrunque adunatum fuerit & copulatum, & panis vnius compage solidatum: quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur adunatus.

GARDINERVS.

OSTENDIT Cyprianus, panem adhibitum ad consecrationem, vnde corpus Christi naturale efficiatur, habere etiam significationem corporis Christi mystici.

MARTYR.

ISte noster redit ad vlitatam illam suam cantilenam, *oportere panem esse, qui adhibeatur ad Consecrationem, vt habere possit significationem mystici corporis Christi: ideoque nec farinam solam nec aquam solam satis esse.* Cumque ille respondeat id, quod semper solet: ego non video, cur ipse quoque respondere non debeam, quod soleo, vel potius, quod res ipsa est: non agere hoc loco Cyprianum de pane, qui adhibendus sit ad consecrationem, sed de eo, qui re ipsa sit corpus Christi. Non enim sic ait: Ex farina sola nõ potest fieri corpus Christi: sed, farina sola nõ potest esse corpus Christi, Neue dubites, Lector, Cyprianum ista dicere de pane post Consecrationem, addit, *Quo & ipso Sacramento populus noster ostenditur*. Audis ista Inconstanti? Hoc inquit, Sacramento panis adunati, copulati, solidati populus noster ostenditur. Si farina sola non potest esse corpus Christi, certè sola accidẽtia multò minus possunt. Nam farina, qualis qualis est, substantia est, haud dubiè omnibus accidentibus longè nobilior.

Miratur nos Inconstantius, quî queramur, decessisse substantiam panis, cùm illi substantiæ

corporis Christi, quæ multò nobilior est, succesſerit. Atqui nos non querimur de pane, ſed veſtram negamus arrogantiam, qui veſtra temeritate analogiam Sacramenti auferatis. Posteà quærit, *Vtrum panem in Sacramento desideremus ad significationem? Post consecrationem*, inquit, *nihil significatione opus est. Iam enim*, inquit, *significauit*. Rectè. Sed quæro, quo significationis genere? An ſacramentali? Ergo erat Sacramentum antequam conſecraretur. Addit tamẽ deinde, *manere accidentia, quæ idem significent.* At illa non ſunt ſatis. Nã Cyprianus negat, ſolã farinam, aut ſolam aquam poſſe eſſe corpus Chriſti. Id, inquit, oportet eſſe, quod adunatum ſit, & copulatum, & panis vnius compage ſolidatum. Hoc, inquam, hoc dicit in Sacramento eſſe corpus Chriſti. Id velim Lectorem diligenter attendere. Hîc enim habemus, velint nolint, Tranſubſtantiatores, corpus Chriſti prædicari de ipſo pane.

OBIECTVM CLXXVIII.

OBIICITVR ex eodem ſecundo libro epiſtola tertia. Videmus, in aqua populum intelligi: in vino oſtendi ſanguinem Chriſti.

GARDINERVS.

CVR aqua miſceatur vino in Calice docet.

MARTYR.

VEL ex hoc loco ipſo Inconſtantius, ſi voluiſſet, ſatis potuiſſet animaduertere, quid vox illa Oſtẽdere, ſit apud Cyprianũ. Hîc enim apertè dicit, in aqua intelligi populum: in vino oſtendi ſanguinem. Quia vinum in Sacramento ſanguinem domini pro nobis effuſum ſignificat: idcircò illũ, cùm cõmunicamus, fideliter intelligimus, & fide apprehendimus. Oſtenſio ergo iſta non eſt, vt Inconſtantius ſomniat, ſanguinis verè latentis ſub accidentib. vini. Nam alioqui neceſſe eſſet dicere, populum quoque latêre ſub accidentibus aquæ. Non minus enim populus, vt ait Cyprianus, quàm ſanguis & oſtenditur, & intelligitur, & ſignificatur. *Poſtquam vinum conſecratum eſt*, inquit iſte, *mirabilis fit eius ſubſtantiæ mutatio*. At ſi vinum & aqua iam abierint, nihil poteſt in illis oſtendi, poſtquam eſſe deſierint.

Cæterùm obijcit, *etiam aquam per confuſionem eſſe deſinere, poſtquam ſemel mixta eſt cum vino: nihilominùs tamen populum in ea intelligi*. Reſpondeo materiã aquæ conſeruari: & falſum eſſe, omnẽ partem eius ſubſtantiæ perijſſe. Nec par debet eſſe ratio vini & aquæ. Vinum enim ex verbo Dei adhibetur, non item aqua. Patres quidẽ ea vſi ſunt: ſed ſine præcepto domini. Adfert etiã ſimile de verbis, quæ audiuntur. Ea enim tum demum notionem ſui facere, cùm ex ore proferantur, & euaneſcente ſono intereant. Sed cogitare eum oportuit, Sacramenta non eſſe verba audibilia, quæ auolent, ſed viſibilia, quæ maneant tantiſper, dum actio ipſa duret. Addit, *Apoſtolos agnouiſſe Chriſtum in fractione panis: cùm tamen fractio ipſa, quæ cognitionem eam excitabat, iam eſſe deſiiſſet. Non ergo neceſſe eſſe, vt res ipſæ maneant, quarum ſignificatione in nobis notitia aliqua excitetur.* Niſi quis diligenter attendat, facilè poteſt huiuſmodi ſimilibus decipi. Sed meminiſſe debes, Lector, nos id non negare, poſſe fieri, vt per ſignificationem rei præteritæ aliqua notio excitetur, quę maneat. At poſtquam res ea quæ ſignificauit, præterijt, etſi maneat notio aliqua in animo, tamen ſignum ipſum abijt: & effectum tantũ ſuum reliquit, ipſum autẽ eſſe deſijt. Cũ ergo Sacramenta ſigna quædam ſint, neceſſe eſt, vt quàm diu manent, tam diu ſignificent: & quàm primùm ſignificare deſierint, amittant rationem Sacramenti. Fateor quidem, notionem excitatam à Sacramentis poſſe manere in animis noſtris, etiam poſtquam abſumpta ſint myſteria, idque interdum longo poſt tempore. At cùm id neque ſit, neque ſignificet, ad quod ſignificandum eſt inſtitutum, non dabo eſſe Sacramentum.

OBIECTVM CLXXIX.

OBIICITVR ex Cypriano de Cœna domini: Qui vſque hodie, inquit, hoc veraciſsimum, & ſanctiſsimum corpus ſuum creat, ſanctificat, & benedicit, & piè ſumentibus diuidit. At proprium Chriſti corpus nec denuò creatur, nec ſanctificatur, nec diuiditur.

GARDINERVS.

SI in verbis Cypriani ἐπιβλέπωμεν, ſpectemus, illud, Creare, dicit effectionem, ſignificatque nouam materiam, vnde tanquam ex materia corpus fiat, non deſiderari, & tamen panis mutatione ſit præſens.

MAR-

MIrabitur, scio, attetus Lector, quot, quàm duris quamq; absurdis tropis Inconstantius conetur sese ex istis verbis Cypriani explicare. Quod cùm nullum Theologum, purumq; verbi Dei tractatorem deceat, tamen isti nostro qui ne vnum quidem, eumque simplicem, ac manifestum tropum ferre potest, minimè omnium conuenit. Id tamen ille sibi nunc liberaliter permittit, cùm tamen alioqui soleat nos, tanquam pro summo conuitio, Figuratores & Tropicos appelllare. Ait *vocabulum illud, creare, effectionem quandam dicere, & significare, nouam materiam non desiderari ex qua corpus fiat: quod tamen panis mutatione fiat præsens.* Obsecro te, pie Lector, quæ nam istà sunt portenta. Profectò, Creari, de illis, quæ iam re ipsa sint, & actu existant, dici non potest. Si cœlum, & terra, & omnia quæ in eis continentur, priusquam fierent, extitissent, nunquam diuinæ literæ dixissent, Deum aliquando ea creauisse. Nec rem vllam fingere possumus, quæ remouenda fuerit, aut è medio tollenda, cùm orbis crearetur: quemadmodum vos in ista vestra creatione remoueri vultis substantiam panis. Sed age vt huius tropi, & nouæ interpretationis absurditatem propius videamus, inauditam istam significationem, creandi, ad alias quoque res accommodemus. Et cogitemus, palum aliquem fixũ esse in medio fluminis, qui posteà aut auferatur inde, aut cedat. Succedat nauis aliqua, quę tamen anteà extiterit, etsi non eo ipso in loco, in quo palus fuerat. An cùm nauis ita palo sufficitur & succedit, dicemus eam verè creari? Non, opinor. Ea enim prius fuit: neque illi quicquam noui accidit, nisi quod ibi præsens esse cœperit, vbi palus, qui remotus est, anteà fuerat. Fingamus in platea esse statuam, quæ basi sua auferatur posteà in eadem basi aut canis, aut aper, aut truncus collocetur. An ea causa dicemus, canem, aprum, truncum creari. Dicemus opinor ex noua ista Grammatica Inconstantij: at ex vsu Latini sermonis non dicemus. Imò ne Theologi quidem saniores eo verbo vtuntur in hanc sententiam. Quare oportet, vt iste aut fateatur se architectum esse istorum portentorum, aut nouam istam significationem, quam nobis tam audacter, atque impudenter obtrudit, vel ex scripturarum, vel ex veterum Patrum autoritate confirmet. Hoc autem posterius nunquam faciet: Superest ergo, illum solum ista nouarum significationum portenta finxisse.

Iam audiamus, quid adferat de altero illo verbo. *Sanctificandi*. Citat Hesychium, qui libro 6 in Leuiticum, cap. 22. ita scribat: *Sanctificat, quoniam sanctum sanctorum appositas creaturas efficit; quod verbi omnipotentia benedicendo perficit*. Quod Hesychius dicit, verum est. Appositas creaturas, siue illæ fuerint sacrificia legalia, siue referantur ad Eucharistiam, benedictione, atque omnipotentia Dei fieri sanctum sanctorum, id est, sanctissimum sacramentum. At Cyprianus non loquitur de appositis creaturis, quas dicat creari, & sanctificari: sed ait, *dominum ipsum creare & sanctificare corpus suum*. Oportet ergo Inconstantium quærere nouas aliquas rimas: nã Hesychij verba huc non quadrant. Nec vocabula illa, *Veracissimum, & Sanctissimum*, quicquam illum iuuant. Veracissimum enim referendum est ad significationem, qua symbola postquam facta fuerint sacramenta, veracissimè significãt corpus domini. Eademque, quia maximè pertinent ad cultum Dei, rectè appellantur sanctissima. Sed iste, vt sese magis etiam explicet, addit: *Corpus Christi ad sui subsistentiam creatione non eget. Sed nobis creatur, dum in sacramento sit præsens: nobis sanctificatur, dum vt sanctum sanctorum nobis proponitur: & nobis benedicitur, dum potentia verbi sisti tur.* Quis non videat, omnia ista esse tropica, & contortissimis figuris explicari? Creari est præsens fieri: Sanctificari, nobis proponi vt sanctũ: Benedici, potentia verbi sisti, & omnes alios benedictione replere. Inconstantius pro libito, ne dicam, pro libidine, mutat actiua passiuis, & aliorum verborum significata tribuit alijs.

Posteà sudat, vt verbum illud Diuiditur, quã commodissimè exponat: & ostendat, non esse necesse, vt illud ad corpus Christi referatur. Illùd enim integrum, & totum dari. Itaq; ea voce ait, tantùm notari distinctionem accipientium. Tabulas enim dici in vulgis diuidi: & Horatium dicere, Oscula diuidere: cùm tamen illa distribuantur cuique integra. Videtur mihi iste id facere, quod simiæ & feles solent: quibus cũ liceat in amplissimis palatijs versari, ac ludere, vbi nihil sit periculi, illæ tamen malunt in marginibus fenestrarum, & in culminibus tectorũ hærere, vbi semper periculum sit à præcipitio. Ita iste, cũ possit fateri sine vllo periculo, verba illa, diuidi, & frangi, quemadmodum scripturæ loqui solent, non ad corpus Christi ipsum, sed ad sacramentum pertinere (Euangelistæ enim dicunt, Christum accepisse in manus, benedixisse, & fregisse panem: Et Paulus ait, *Panis, quem frangimus*) tamen alias potius quærit, atq; alienas significationes verborum: quæ, etsi inueniantur interdum in scriptoribus Latinis, tamen nec ad hanc rem quicquam faciant, nec careant periculo. Quantò facilius est, verba illa Cypriani, vt prolata sunt, candidè, & simpliciter accipere? atq; ita potius dicere, Corpus Christi, hoc est, sacramentũ corporis Christi, creari, cũ anteà nõ esset: sanctificari, hoc est ad sanctũ vsum adhiberi: benedici, hoc est accipientibus vtile, ac fructuosum effici: & deniq; verè diuidi, & partiri sanctæ plebi, quæ vnà communicet in sacra mensa. Quid enim suis ambagib. opus erat, tot præsertim, tamq; alienis? Hoc n. est, nõ lucem rebus adferre, sed tenebras offundere. Sed Papistarũ portenta eiusmodi sunt, vt lucẽ

oderint: tenebras autem, vt perfugium tutissimũ expetant. Quodque dicit de oculis & tabulis, alienum admodum est: quoniam illa cùm distribuũtur, similia quidem sunt, at nõ eadem.

OBIECTVM CLXXX.

OBIICITVR ex Athanasio exponente illa verba, Si quis dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui verò in spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Et, quantum, inquit, esset corpus ad hoc, vt totus mundus ex eo ederet? Sed addit, eam rem intelligendam esse spiritualiter: & idcircò dominum eo loco fecisse mentionem Ascensionis suæ in cœlum.

GARDINERVS.

QVIDNAM Athanasius senserit de veritate corporis Christi in Eucharistia, si cætera deserent, hinc facilè æstimabit Christianus lector, quòd Oecolampadius, hostis veritatis, non est aptus Athanasium istum bona fide Latinè reddere.

MARTYR.

HOc argumento vix puto aliud vllum firmius esse, aut magis inuictum, ex illis, q̃ sumuntur è patribus. Si re ipsa ac propriè corpus Christi edendum sit, Athanasius negat, illud toti orbi posse sufficere. Ea causa putat, dominum in 6. Ioannis, cùm de hac re ageretur, mentionem fecisse de Ascensione in cœlum, vt discipuli non intelligerent, hunc esum omninò spiritualem esse: carnem domini, quamuis longo locorum spacio à nobis disiuncta sit, tamen mente ac spiritu posse à nobis comedi. Hanc vim efficaciamq; rationis Inconstantius cùm euitandam magis, quàm diluendam videret, pro more suo aliam interponere voluit quæstionem, an Oecolampadius, vir religione iustà, doctrinaque præstantissimus, quædam ad rem vel nihil omninò, vel non ita multùm facientia Latinè rectè reddiderit. Illam rixam ergo possem optimo iure præterire. Sensus enim huius argumenti etiam sine ea potest satis intelligi. Deinde cuiuis diligenter in rem ipsam intuenti facilè liquere potest, istum præter fumum, vt latere possit, nihil quærere. Tamen operæpretiũ est videre, quid tandẽ iste notet in Oecolãpadio. Græca verba Athanasij ita citat. τὸ λοιπὸν τλὺ ἐπηκόλου σάρκα βρῶσιν αὖθ ἐπουράνιον τὸ πνευματικὸν προφλὺ παρὰ αὐτοῦ ἄλλο ὁμβρον μάθωσι. Hęc ita vertit Oecolampadius: *Et posthac discant carnem dictam, cibum cœlestem supernè venientem, & spiritualem alimoniam, quam ipse det.* Contra ista Inconstantius cauillatur, dici debuisse, Quam dixit carnem anteà, cibum discant cœlestem, & spiritualem alimoniam esse ab illo datam. Sed vnde tandem probabit iste, ἄνωθεν magis anteà, quàm supernè significare? An Oecolampadius in illa sua versione negat, carnem Christi esse cibũ? Certè fatetur eam alimoniã esse, & verã & cœlestẽ, & spiritualem. Quid ergo hîc desiderat Inconstantius? Substantiam illam, quæ data est pro mundo, eandem datum iri in cibum, neq; contra nos, neque contra Oecolampadiũ quicquam facit. Controuersia in eo sita est, quo modo id fiat. Vtrinq; enim confitemur, esse cœlestem, & spiritualem alimoniam. Id ita iste intelligit, quòd sit inuisibilis, & latitet sub accidẽtibus. Nos autem dicimus, illã alimoniam in cœlo esse, & à nobis nõ nisi animo, ac spiritu apprehendi. Cũ ergo idem sensus eliciatur ex verbis Oecolampadij, quem habet versio Inconstantij, quid optimum illum, & doctissimum virum oportuit ita calumniari? Certamen est de illis verbis, *Spiritualis alimonia.* Iste vult ipsam substãtiam corporis Christi, ore ac dentibus comedi: nos eandẽ dicimus animo tantũ & fide recipi. Recipere autem, aut apprehendere in scripturis per metaphoram est comedere. Queritur Oecolampadium disiunxisse ἐπούριον adiectiuum, ab altero adiectiuo, πνευματικὸν. Quasi ipse quoque aduerbium, ἄνωθεν, quod in Græco sequitur vocem illam ὁρῶσιν, non collocarit alieno loco ante illam. Porrò falsissimum est, quod ait, Oecolampadium non sensisse, illam eandem carnem, quæ data est pro mundo, dari etiam in spiritualẽ cibum. Sed iste in eo perpetuò fallitur, quòd putat, nos dicere, in cœna comedi tantũ figuram carnis Christi. Id. n. nos nõ dicimus. Ore quidẽ & dentibus signũ tantùm comedimus, & figurã: fide autem, atque animo ipsum verissimum Christi corpus. Non negat Inconstantius aduerbium illud ἄνωθεν, posse significare supernè: sed hoc loco ita accipi, negat: quòd post illud aduerbium Athanasius posuerit ἐπούριον. Quasi verò hoc inusitatũ sit apud bonos scriptores, vt quod erat semel dictũ, ad maiorem euidentiam alijs verbis repetant. Ita aũt malè sentit de Oecolampadio, vt putet eum nolle concedere, carnem eã, quam Christus assumpsit ex vtero Virginis, quæq; infernè orta est de terra, à nobis comedi. Sed longè semper abfuit Oecolãpadius ab hac blasphemia. Cum enim ait, Dictam, non intelligit appellatam, sed commemoratam. Tu verò, Inconstanti, cum possis ex verbis eius rectum

Corpus Christi ... digeritur ... in corpora ... omnium.

ctum,& genuinum ſenſum accipere, cur per aerem volitans obliqua,& diſtorta venaris? Aut cur illi per calumniam affingis ea, quæ ille nunquam dixerit? Verùm iſtum hominẽ non multæ literæ,ſed nimiæ argutię ad inſaniam adegerunt. Videtur enim ſibi per furorem videre ea, quæ nuſquam, & nulla ſunt. Alter locus,quem vellicat,eſt, Τὸ μὲ δικνύμενον ἐ διδόμενον ὑπὲρ τ κόσμ ζωῆς τροφή. Id Oecolampadius ita vertit: *Quod quidem oſtenditur, occiditur pro mundi vita,datur alimonia.* Hic Inconſtantius reprehendit, participiũ, δεδόμενον, redditum eſſe per verbum, occiditur. At quid, obſecro, aliud erat dari pro mundi vita,quàm occidi? Putat iſte, Oecolampadium cauere voluiſſe, ne id, quod dabatur pro mundi vita,quodq; occidebatur,videretur dari in alimoniam. Sed prorſus iſtæ nugaciſimæ ſunt argutiæ. Oecolampadius enim ſemper faſſus eſt, & ſcripſit, & docuit, illud idem corpus domini, quod erat occidendum in cruce, futurum fuiſſe noſtram ſpiritualem alimoniam. Nec Zeugmate, inquit, vſus eſt in ſua conuerſione. Si quis diligenter inſpiciat,inueniet illum nulla ex parte ſenſum authoris corrupiſſe, imò illud ipſum, quod Athanaſius voluit,ad vnguem expreſsiſſe.

Tertius locus, quem adhuc vitiatum queritur, eſt, ὃς πολυμερισθεὶς ἐν ἑκάστῳ πνεύματικὸς γίνεται. Id Oecolampadius ita reddit: *vt illa*, videlicet alimonia de qua loquebatur, *ſpiritualiter in vnoquoque noſtrûm diſtribuatur.* Eam vocem, πνεύματικὸς γίνεται Inconſtantius ait, reddi oportuiſſe *Digeratur.* Fateor equidem vocem illam propriè ſignificare, cibum concoctum à natiuo calore per omnes partes corporis diſtrahi. Quoniam autem iſta ſignificatio non poteſt cõuenire corpori Chriſti,vt percipitur in ſacra communione, idcircò Oecolampadius id accepit, quod erat proximum: & corpus domini,quod noſtra cauſa traditum eſt in mortẽ, ait, ex Athanaſij ſententia in vnoquoque noſtrùm ſpiritualiter diſtribui. Re enim vera corpus Domini non coquitur in ventriculo,nec ita mutatur in ſubſtantiã Communicantium, vt per omnes partes corporis illorum poſsit digeri. Caro enim Chriſti nihil iam amplius patitur, nec obnoxia eſt huiuſmodi commutationibus. diſtributio autem ea, quam ſcribit,non eſt eiuſmodi, vt putet, Chriſtum diuidi,ſed qua cuique communicantium detur integer,fide, animo, & ſpiritu percipiendus. Quid tu hîc plura requiris, Inconſtanti? Profectò ſi quis tuam vertendi rationem ſequi vellet, in mille obſurda incideret. Quod ad verbum ipſum attinet, ſenſit Oecolampadius, illud idem ſignificare,quod nos dicimus,tradi, aut porrigi. Ideoq; cum prior ſignificatio retineri non poſſet, doctè ac piè illam, quæ proxima erat,amplexus eſt.

Corpus Chriſti nõ digeritur in corpora omnium.

Atqui hoc,inquit Inconſtantius, *Oecolampadius ſpectauit, vt externam diſtributionem excluderet.* Quid ni? Abſurdiſsimũ enim eſt, credere, Corpus Chriſti ita præſens adeſſe ſub accidentibꝰ, vt per omnia ora miſſatorum,& communicantium tranſeat. Quare iſte actum agit, niſi fortè aliud quippiam habet,quod calumnietur. Hoc eſt, quod inter nos controuertitur,an re ipſa & ſubſtantialiter, corpus Chriſti communicantibus adſit, & propriè comedatur. Neq; iſte vnquam poterit oſtẽdere, Athanaſium aliud ſenſiſſe, quàm quod nos dicimus. Quod ſi Oecolampadius etiam in Heſychio vertit meditationem,ac non potius mediationem, rectè, & prudenter fecit. Illum enim ſenſum vidit & Heſychio congruere, & cum Auguſtino conuenire, lib.3. cap. 16. de Doctrina Chriſtiana.

Sed cum verſemur in Athanaſio, non eſt locus pluribus agendi de Heſychio. Athanaſius autem inter ſpiritum & carnem Chriſti, hoc eſt,inter vtramque eius naturam,apertiſsimum diſcrimen ponit. Negat enim, corpus ipſum,& carnem Chriſti corporaliter,& ſubſtantialiter cibum eſſe oris, ac dentium. *Non enim potuiſſet*,inquit, *niſi paucis admodum eſſe ſatis.* Vtque magis etiam intelligamus,quid Athanaſius velit, ſcire debemus, illum non confugiſſe, vt iſti ſolent, ad miracula, vt diceret, Chriſtũ potuiſſe multiplicare, atque augere carnem ſuam, vt ſatis eſſet omnibus, quemadmodum pauculos illos panes multiplicauit atque auxit in deſerto vt ſufficerent multis millibus. Hoc inquã, Athanaſius non dicit: tantum affirmat, manducationem illam ſpiritualem eſſe. Citat enim ea verba ex ſexto capite Ioannis, quæ dominus pronunciauerat longè antequam inſtituiſſet ſacramentum Euchariſtiæ: vt neceſſe ſit, fateri, Chriſtum eo tempore tantùm de ſpirituali eſu diſputaſſe. Ad eam autem poſtremò in vltima Cœna adiecit externa ſymbola. Idcircò autem mentionem fecit Aſcẽſionis ſuæ, vt intelligeretur, manducationem illam omninò eſſe ſpiritualem.

Hunc ſenſum ita facilem, planum,perſpicuum, Inconſtantius ad hunc modum conatur peruertere: *Ideò enim*,inquit, *ſermonem interpoſitum fuiſſe de Aſcenſione,vt diſcipuli intelligerent, Carnem illam Chriſti, quæ eſſet manducanda ad vitam, non eſſe puri hominis, ſed etiam veri Dei, eſſeq; eam diuinam, & Spiritualem: non quidem quòd eſſet conuertenda in ſpiritum, ſed quòd alijs ornanda eſſet dotibus,quàm mortalis ſolet,iuxta quas dotes poſſet dici Spiritus. Ideoq; illum voluiſſe concludere, talem carnem ſufficere poſſe orbi vniuerſo*, vtque iſte ſomniat, *ab omnibus comedi inuiſibiliter.* Atque hue conatur trahere dictum illud Auguſtini, *non hoc corpus, quod videtis, comeſturi eſtis.* At Auguſtinus, quod negari non poteſt, refert ea ad corporalẽ manducationem, neque de accidentibus aut dotibus corporis loquitur,ſed de ſubſtantia: quæ ſi de manducatione oris ac dentium loqui volumus, non poteſt vllo pacto comedi: ſpiritu tamen,& fide ſalutariter recipitur.

Sed vt ad Athanaſium redeam, ille ait, *Chriſtum idcirco mentionem feciſſe Aſcenſionis ſuæ, vt diſcipulos à corporali cogitatione auelleret.* At ab ea illi certè non auelluntur, qui putant, corpus Chriſti latére ſubſtantialiter ſub accidentibus panis & vini, & ingredi in ora ipſa hominum, & lingua,& dentibus attingi,atque atteri. Hæc enim

Emissenus ipse ostendit. Citat enim verba illa Christi è 6. cap. Ioannis: *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.* Non ergo de misterio, aut Sacramento, aut externo elemento ista loquitur, sed de re ipsa significata.

Posteà ad externum Sacramentum se conuertit, & subijcit: *Recedat ergo omnis infidelitatis ambiguum: quandoquidem, qui author est muneris, ipse est testis veritatis. Nam inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens, Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum:* & sanctificatione repetita, *Accipite, bibite: Hic est sanguis meus.* Nunc, quod attinet ad ea, quæ iam statuerat, ita concludit: Remoueatur omnis, inquit, ambiguitas: nam carnem domini verum esse cibum, ille ipse testatus est, qui illam dedit. Si quæras de testimonio, id duplex est: Alterum quod verbis continetur, quæ citata sunt ex 6. capite Ioannis. alterum est Sacramentum, quod institutum est à domino, tanquam verborum illorum sigillum, & obsignatio: de quo ita loquitur: *Inuisibilem sacerdotem creaturas visibiles in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertisse, cum diceret, Hoc est corpus meum.* In his verbis maior est hyperbole, quàm in aliorum patrum dictis vnquam viderim. Et quod ad me attinet, ego illam non recipio: magis enim in ijs rebus ad veritatem, quàm ad amplificationem loquendum censeo. Potest tamen Emissenus aliquo modo excusari, quòd istam conuersionem symbolorũ, quam tantoperè exornat, posteà confert cum ea, qua homines ait per nouam generationem in filios Dei & in Christum ipsum transire. Dico ergo, Si hæc recipienda sint, creaturas conuerti in substantiam corporis & sanguinis Christi, nihil esse aliud, quàm ex illis fieri Sacramẽtum substantiæ corporis & sanguinis Christi. Nec sanè fidem nostram minus in baptismo constantem esse oportet, quá in Eucharistia. In eo autem & teste, & authore Christo noua generatio credenda proponitur: quæ res magna omninò est, & admirabilis. Per eam enim, (vt ait Emissenus,) nos ipsi mutamur in Christum ipsum. Iam verò si hæc mutatio in baptismo testis esse debet illius mutationis Eucharisticæ, & nobis de ea firmam, plenáque fidem facere, eam omninò oportet aut maiorem, aut certè parem esse. A minori enim affirmando non ducitur validum argumentum. Multi enim, qui minoris mutationis authores esse possunt, maioris non possunt.

Emissenus ergo sacramentalem istam conuersionem probat duobus modis: Primùm, ab illa mutatione, qua Deus optimus maximus res vniuersas condidit. *Ergo,* inquit, *vt ad nutum præcipientis domini repentè ex nihilo steterũt celsa cælorum, profunda fluminum, vasta terrarum, ita parem potentiam in spiritualibus Sacramentis, verbi præbet virtus, & rei seruit effectus. Quanta ergo & quàm celebranda officia vis diuinæ benedictionis operatur?* Hoc est primum argumentum, Eandem esse vim, & potentiam, qua hodiè fit illa sacramentalis conuersio, quæ fuit, qua Deus iam inde ab initio cuncta creauit. Mutatio autem illa creationis citra controuersiam aut par, aut maior erat, quam est ea, quàm Papistæ statuunt in Eucharistia. Alterum argumentum ducit à mutatione nostri. Ita enim subijcit: *Et quomodò tibi nouum, vel impossibile videri non debeat, quòd in Christi substantiam terrena, & mortalia commutantur? te ipsum, qui iam in Christo es renatus, interroga. Dudum alienus in vita, peregrinus à misericordia, à salutis via intrinsecus mortuus exulabas. Subitò initiatus Christi Legibus, & salutaribus mysterijs innouatus, in corpus Ecclesiæ, non videndo, sed credendo transisti: & de filio perditionis adoptiuus Dei fieri & culta pũritate meruisti, in mensura visibili permanẽs, maior factus es te ipso inuisibiliter, sine quantitatis augmento, cum idem, atque ipse esses, multò aliter fieri fidei processibus meruisti. In exteriori nihil additum est: & totum in interiori mutatum est, ac sic homo Christi filius effectus, & Christus in hominis mente formatus.* Cum ergo ista hominis mutatio ab Emisseno conferatur cum mutatione Sacramentorum, vtrinque par seruanda est ratio, quemadmodum in obiectione ponebatur. Nam si maior esset mutatio symbolorũ, quàm est illa nostri, nulla esset vis argumenti. Id Inconstantius cum non attenderet, addidit, *mutationem illam hominis interius tantùm peragi, nimirũ in solis qualitatibus: ne verè efficiamur dij, nec amplius simus homines: in pane autem, & vino non posse esse mutationem in qualitatibus, ne corpus Christi videatur accedere, tanquam qualitas, quod Emissenus definit adesse substantia.* Verùm, si ita res haberet, mutatio nostri ne par quidem esset, multò minus maior, quàm est conuersio panis & vini. Imò etiam longè minor esset. *Est enim tantùm,* inquit, *in qualitatibus.* Sed cur non etiam in substantia? *Ne,* inquit, *reuera efficiamur dij & boni nes esse desinamus.* Rectè. At cur panem & vinũ vis mutari substantia? Partim, inquis, quia Emissenus hoc dicit: partim etiam, quia si mutatio illa esset in qualitatibus, corpus Christi videretur accedere vt qualitas. Atqui hoc non est absurdum, conditionem seu proprietatem sacramentalem, aut mysticam accedere, qua panis & vinum dicantur sacramẽta substãtiæ corporis & sanguinis domini. Et Emissenum non aliter esse intelligendum, ipse satis ostendit, cũ sacramentalis istius mutationis rationem, & similitudinem ducat à mutatione nostri: quæ, si aut minor illa aut dispar sit, plena, vt dixi, fide nihil probabit. Quare aut verba Emisseni mitiganda sunt, vt lenius exponantur, quàm sonant, aut similitudo illa, qua vtitur, erit inutilis. Et sanè Emissenum sanius sensisse, quàm loquutus sit, vel id ipsum satis magno argumẽto esse potest, quòd statim illam similitudinem subiecerit. Quemadmodum autem mutationẽ nostri in Christum exaggeret, verba illa declarant: In exteriori nihil additum est: & totum in interiori mutatum est: & sic homo Dei filius effectus, & Christus in hominis mente formatus est. Ad eundem modum dicere possumus ad panem & vinum exterius nihil esse additũ: tamen illa eò iam euecta esse, vt effecta sint ido-

nea

nea instrumenta spiritus sancti, per quę ille nos reformet, atq; instauret. Quæ mutatio etsi magna est & singularis, tamē certè minor est, quàm ea, qua nos prorsus transformamur in Christū. Idque ad institutū Emisseni appositissimū est.

Sed videamus iam, quid sequatur. *Sicut ergo*, inquit Emissenus, *sine corporali sensu prætérita vilitate depósita subitò nouam indutus es dignitatem: & sicut hæc, quæ in te Deus læsa curauit, infecta diluit, maculata detersit, nec oculis nec sensibus sunt credita: ita cum reuerendum altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu, & maximè haustu interiori suscipe.* Hæc verba omnia diligentissimè annotanda sunt, spiritualē enim manducationem appositissimè, & clarissimè indicant. Cum ascendis, inquit, ad mensam domini, quam vsitata apud patres metaphora, appellat altare, vt satieris cibis, non quidem illis visibilibus (nam quod ore ac sensu recipis, admodum parum est, nec ibi ventris satietas quæritur) verùm carne & sanguine Christi, quibus animo, & spiritu satieris, sacrū Dei tui corpus & sanguinem respice, non, vt isti superstitiosè, ne dicam portentosè, credi volunt, sub accidentibus panis & vini latitantia, sed fide, quatenùs videlicet illa pro salute nostra olim oblata sunt in mortem. Ea enim demum est syncera fides, qua tantum Redemptorem admiramur, honoramus, mente contingimus. Quod vt ore ac dentibus præstemus, non potest vllo modo fieri. Primum enim distantia locorum impedit: deinde beati illius corporis natura id non patitur: postremò eiusmodi contactus nullam cuiquam afferret vtilitatem. Quid ergo? Nullóne pacto pertingere possumus ad corpus Christi? Maximè. *Cordis* inquit, *manu suscipe. Ore quidem panem comedis, & vinum bibis: At cordis manu suscipis corpus ipsum domini tui: & haustu interiori sanguinem eius bibis.* Quid istis præclarius, quid apertius, quid pro veritate dilucidius dici potest? Si symbola Eucharistiæ, vti dicere videbatur Emissenus, re ipsa in substantiam corporis & sanguinis domini conuersa essent, corpore illa nostro cōtingeremus, corporis manu susciperemus, oris ipsius haustu sumeremus. Atqui ista omnia Emissenus prudentissimè ad animum, cor & fidem transtulit: vt manducatio veri corporis Christi omninò spiritualis intelligatur: quamuis typicè externo esu significetur.

Quid ad ista Inconstantius? *Primùm* ait, *nullā intelligi posse satietatem in figura.* Quasi verò nos dicamus, à buccella panis, aut guttula vini expectandam esse satietatem. Imo potius Communicantes ad significata relegamus, illosque ex vero Christi corpore, veroque eius sanguine pollicemur satiandos. Addit Inconstantius, *Si figura tantùm esset in pane, nihil ibi loci fore admirationi: Emissenum tamen nos ad mirandum corpus domini adhortari* Sed non considerat, admirationem ad rem ipsam significatam referri, non ad elementum. Neque verò quod ad elementum attinet, leuis est diuinorum sacramentorum excellentia. Aptissima enim analogia significationum, iucunditate quadam sua, & admiratione diuinæ sapientiæ, quæ in illa relucet, non caret. Non enim sacramenta sunt, vt iste perpetuò impudentissimo ore conuitiatur, nudæ tantum figuræ: quemadmodum aliàs docuimus. Huc addit Hieremiæ prophetæ dictum, quod suprà interpretati sumus: *Mittamus lignū in panem eius.* Addit etiam panes Propositionis, & Agnum Paschalem fuisse figuras Christi: in quibus tamen nihil fuerit admirationis. At ego respondeo: Negari non posse, summam in illis fuisse admirationem, si quis res ipsas significatas spectare voluisset. Et quòd ad sacramenta ipsa, & ritus externos attinet, magnam fuisse illorum venerationem, apparet ex eo, quòd Dauid toties prædicat mirabilia de Lege Dei. Quis enim sanus vnquam negauerit sacrum Dei tabernaculum fuisse admirabile? Quis vnquam dixisset, se illas analogias victimarum plenè, perfectéque intelligere? Imò in Deuteronomio Lex ipsa, & ceremoniæ Mosaicæ dicuntur sapientia Iudæorum, quæ futura esset admirationi omnibus nationibus. Apage, Inconstanti, cum istis tuis frigidissimis commentis, & ineptijs. Si ista, vt tu dicis, nihil habuerūt admirationis, tu prodi in medium, & illorum arcana nobis refera, expone, explica: dinde iacta sanè, nihil in illis fuisse admirabile. Nemo, mihi crede, sapiens libros illos Mosaicos attentè legit, qui nō omnia illa mysteria Veteris populi vehementer admiretur. Verùm iste præter vnam Transubstātiationem nihil mirari potest. Sacra verò scriptura in Eucharistia nihil vnquā posuit admirationis: Patres autem interdum ponunt. Sed id Hebræi quoque interpretes sæpè faciunt, quoties Legis suæ ceremonias illustrare, atque amplificare volunt. Sed ignoscendum est Inconstātio, si Hebræorum scriptores non intelligat.

Sacra scriptura in Eucharistia nil posuit admirationis.

Patres alii qui posuerūt, aliquā minimè.

Posteà nos grauiter accusat, quòd adorationem reuocemus à symbolis, & ad Christum potius ipsum traducamus. Et nobis opponit Emissenum, qui ita scribat: *Respice fide corpus Dei tui: honora: mirare.* Quæ verba, vti diximus, nihil aliud volunt, quàm attentè spectanda esse symbola ea fide, quam per illa spiritus sanctus excitāit: dum nobis corpus ipsum, & sanguinē domini efficaciter referunt, ad quæ nostram admirationem, cultum & honorē transferamus. Neq; enim Emissenus vnquam dixit, aut sacramentū, aut symbola esse adoranda. Nec ita scribit, quomodò illum scribere vult Inconstātius, *Fide respice corpus Dei tui deliteſcens sub symbolis.* Neque addit, *Etiam si sensibus nihil huiusmodi videatur:* quod tamen in homine baptizato addidit: ait enim, *eum mutatum esse, quamuis exterius nihil mutationis appareat.* Non ita hîc tamen habent Emisseni verba: vt quiuis attentè legens facilè videre potest.

Posteà verò ex verbis Emisseni miraculum in Eucharistia grande, scilicet, vult statuere: oblitus, videlicet, Patres in baptismo quoque iubere nos sæpè Dei vim, & potentiam admirari.

Quare nisi sacramentalem dignitatem videri velit miraculum, nos in Eucharistia miraculũ non agnoscimus. Quodcunq; autem dicat huiusmodi miraculum, illud ad baptismum quoque transferri potest. Ait postremò, *Emissenũ cũ dict, Mente continge, cordis manu, & haustu interiori suscipe, non excludere corporis officia.* Sed quæ, obsecro te, Inconstáti, officia corporis nostri pertinere possunt ad carnem Christi? Tangitúrne ea nostro corpore? tenetúrne manu nostra? forbetúrne hausta oris nostri? transmittitúrne postremò in ventriculum nostrum? Portenta ista sunt, & hominis mente moti, & furentis insomnia. Nos quidem à sacra Cœna corporis officia non repellimus. Nam ore, dentibus, palato comedimus panem, & vinum bibimus: quæ, cum sint sacramenta, mentem, & fidem nostram excitant, vt carnem ipsam, & sanguinem domini spiritualiter complectamur. Quæ cum longissima distantia nobis absint; corporis nostri officia ab illis necesse est excludi.

OBIECTVM CLXXXII.

OBIICITVR ex Didymo de spiritu sancto. Ipse, inquit, spiritus sanctus si vna de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut vniuersa, quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus, cum in pluribus locis sit, non habet circumscriptam substantiam. Et paulò post: Si ergo hi Apostoli in extremis finibus terræ ob testimonium domini constituti distabant inter se longissimis spacijs, aderat autem eis inhabitator spiritus sanctus, incircumscriptam habens substantiam, demonstratur Angelica virtus ab hoc prorsus aliena. Angelus quippe, qui aderat, verbi gratia, Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodemque tempore adesse alijs in cæteris partibus constitutis. Spiritus autem sanctus non solum seiunctis à se hominibus præstò est, sed & singulis quibusque angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator assistit: & vt homines sanctificans, alterius, quàm homines, est naturæ. Similia habet Basilius quoque de spiritu sancto cap. 22. Proinde, inquit, de spiritu, quem mundus capere non potest. Ex his probatur diuinitas spiritus sancti, quòd simul in locis diuersissimis inueniatur. Quòd si eadem dicantur de corpore Christi, sequetur creaturam corporis esse diuinitatem.

GARDINERVS.

QVICQVID est in multis locis conditione naturæ suæ, Deus est: quod autem virtute Dei, non item.

MARTYR.

INconstantius, vt hoc argumentum, quod reuera firmissimum est, dissoluat, multa quidẽ dicit, sed paucis: & illis omnibus nihil promouet. Primùm hoc fatetur, *quicquid vi naturæ suæ est simul in multis locis, id esse Deum: quod autem id habeat non sua vi, sed virtute Dei, non esse Deum.* Verùm hoc pacto ratio illa, qua patres Catholici vsi sunt aduersus Hæreticos, infirmatur. posset enim quispiam respondere Didymo & Basilio, Spiritum sanctum non vi, & natura sua fuisse in multis locis, sed virtute Dei, & idcircò esse creaturam. Itaque patres illam propositionem simpliciter sine vlla exceptione extulerunt: Quod aut in multis locis, aut vbique sit eodem tempore, id esse Deum. Quare Inconstantius addit, *Esse in multis locis eodem tempore, non esse essentiam Dei: cum illi nihil sit commune cum loco.* Illud tamen fatetur diuinæ esse immensitatis, vbique esse natura. Sed hæc inania tantùm esse perfugia, non est difficile videre. Illud enim velim, mihi respondeat, an immensitatem Dei velit ab eius essentia distingui? Si hoc dicat, Deum nobis non simplicem faciet, sed compositũ, ex essentia nimirum & immensitate. Fateor equidem aliquam istarum rerum distinctionem iuxta infirmas hominũ notiones fingi in Deo, cùm reuera in eo esse non possint, nisi eum velimus esse compositũ. Quòd si ista in Deo re ipsa nõ distinguuntur, cur nobis nunc istam rixam mouet Inconstantius? Deum quidem non esse circumscriptum loco, vt eo, quemadmodũ corpora solent, finiatur, fateor: at eum nihil habere commune cum loco pernego. Sua enim immensitate implet omnia loca. Quare si fateris, Deum propter immensitatem suam vbique esse, dic mihi, quid tibi per illud aduerbium, Vbique, velis. Nisi enim ego fallor, Vbique esse, significat in omnibus locis esse.

Deus non circumscribitur loco, & tamen est in omni loco.

Posteà ait, *Deum bonitatem, & potentiam suam communicare creaturis. Idq; & receptum esse, & à domino ipso affirmari, Neminem esse bonum, nisi solum Deum. Admittenda est ergo,* inquit, *ista distinctio: Deum esse bonum per essentiam: alia autem, Dei virtute, & participatione.* Quid tum postea? Nos enim etiam ista dicimus. Sed affirmamus præterea cum Didymo & Basilio, illam proprietatem

tatem, simul esse in multis locis, nulli creaturę à Deo esse communicatam. Quemadmodum ergo Deus bonitatem, & potentiam aliquam largitus est creaturis, summam autem bonitatem, & omnipotentiam nulli: ita etiam dedit creaturis alicubi esse: multis autem in locis, aut vbique simul esse, sibi soli reseruauit. Hoc sibi Basilius, & Didymus voluerunt.

Nulli creatura communicatur vt simul sit in multis locis.

Sed affert etiam aliud quiddam, vt ipse sibi persuadet, valde acutum. Scriptura dicit, *Spiritus viuificat. Ergo*, inquit, *statuatur illud: Quicquid viuificat, esse Spiritum. Et assumatur: Caro Christi viuificat: quod verum est. Concludatur ergo, Carnẽ Christi esse spiritum: quod falsum est. Sed adest in promptu distinctio viuificandi: videlicet, Spiritum viuificare natura sua: quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus: & carnem etiam viuificare virtute spiritus, cui vnitur. Adeò*, inquit, *perpetuò obtinet hæc distinctio, vt virtus à natura distinguatur*. Verùm, quod Christus ait in sexto Ioannis, carnem suam viuificare, id non est ita accipiendum, quasi ea simpliciter viuificet. Eatenus enim tantùm ea viuificat, quatenus creditur data in pretiũ, & à Deo recepta pro satisfactione humani generis. Neque simile illud congruit. Damus quidem spiritum viuificare: id enim scripturę dicunt. Sed nihil viuificare, quod nõ sit spiritus, id scripturæ certè non dicunt. At Basilius, & Didymus dixerunt simpliciter, nullam esse rem creatam, quæ possit simul esse in multis locis. Facile videre potuisset Inconstantius, Deum quasdam quidem naturæ suæ proprietates rebus creatis communicare: quasdam autem sibi vni retinere. Quòd si credit nullam esse conditionẽ Dei, cuius res creatæ non sint participes, ostendat nobis creaturas, quæ sint omninò simplices, vt Deus est: quæ careant omnibus accidentibus: quæ verbo faciant, quæcunq; volunt: quæ consilio, aut regula non egeant. Quod si hæc ostendere non potest in creaturis, fateatur Deum nõ omnia, quæ ipsi propria sint, illis communicasse. Et consideret, istos patres, inter illas conditiones etiam hoc numerasse, de quo nunc agimus: nulli rei creatæ attribui posse, vt simul sit in multis locis.

Caro non viuificat simpliciter.

Deus non communicauit creaturis omnes suas proprietates.

Ad extremum eò confugit, vt neget, illud argumentum firmum esse, quo patres vti voluerunt, vt ostenderent, Spiritum sanctũ esse Deũ, quòd vno eodemque tempore fuerit in multis locis: nisi particula illa, *Vi naturæ suæ*, adijciatur. At ego hoc primùm respondeo: neque Didymum, neque Basilium hoc, quod iste fingit omninò addendum esse, addidisse. Deinde addo, illam clausulã, si addatur, debilitare, & frangere vim argumenti. Hæretici enim potuissent facillimè regerere, Spiritum sanctum, non vi naturæ suæ, sed voluntate Dei præsentem fuisse eodem tempore in diuersis locis: atque idcirco esse creaturam. Quòd autem Inconstantius addit, blasphemum esse, velle Dei virtutem contrahere in terminos, & illi regiones describere, iam sæpè responsum est, nostra sententia diuinæ potestati nihil detrahi. Sunt enim res, quę sua natura fieri nõ possint, sine vllo vitio diuinę potẽtię. Dicat hoc mihi Inconstãtius, Cur hîc statuat, nullã creaturam vi naturę suæ posse esse simul in multis locis. An Deus id sua vi, & potestate efficere nõ potest, vt id rei alicui creatæ sua natura conueniat? Si dicat, id pugnare cum natura rerum, idem sibi responsum putet, & à nobis, & à Didymo, & à Basilio, pugnare cum natura rerum creatarum, vt simul sint in multis locis. Hoc autẽ scire, & meminisse debes pie Lector, hoc argumentũ nunquã hactenus ab istis dilui potuisse, nisi authoritate Patrũ illorũ, aut ratione, quam illi attulerunt, debilitata.

OBIECTVM CLXXXIII.

OBIICITVR ex Hilario. Corpus, inquit, Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinũ extra videtur: Veritas autẽ, dũ corpus & sanguis Christi in veritate interior creditur. Hinc apparet, panẽ & vinũ extra videri, & ideò manere.

GARDINERVS.

PLVRES fuisse Hilarios, constat: vt in temporis supputatione ab hoc argutatore erratum esse, minus sit mirũ vt illi ætatis seculum addiderit, quem anno Domini 465: fuisse constat.

MARTYR.

PRimùm contendit erratũ esse de Hilario. Istum enim, qui hic citatur, non fuisse episcopum Pictauiensem: neque ab authore huius Obiectionis suo ordine esse positum. Sed hoc, quicquid est, leue & nugatorium est. Neque enim instituimus certamen, quis iste Hilarius fuerit, aut quo tempore, aut ætate vixerit. Hoc solùm agimus, & contendimus, quorumcunq; hominum, aut temporum fuerit, illum à nostra sententia apertè stare. Verba eius, quæ hîc citantur, habentur de Consecratione dist. 2. Ca. corpus. in Decretis Gratiani. Sed Inconstantius putat, non rectè colligi, *Si panis & vinum exterius videantur, idcircò illorum substantias remanere. Accidentia enim, quæ sunt externa, & videntur, non esse mutata, sed remanere: & omninò de obiectis sensuum nihil esse imminutum. Substantiam autem solas discessisse: quæ ne tum quidẽ, cum adesset, videbantur.* Verùm pondus argumenti non est situm in eo, quod iste refert: Panis & vinum foris apparẽt, & videntur: ergo manent: sed in eo potius, quod statim occurrit in ipsa fronte ver-

borum: Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est. Huc, Inconstanti, huc, inquam, spectandum erat. Loquitur Hilarius de sacramento, de symbolis, de eo quod ore sumitur: idq; ait figuram esse. Non autem agit de illorum verborum significato: non de eo, quod animo, fide ac spiritu percipimus: sed de eo, quod de mensa domini, quod vocat altare sumitur. Id, inquam, ait figuram esse: interim tamen idem appellat corpus domini. Cur ad hoc potius non respondes? Hilarius, cùm dixisset, corpus Christi, quod sumimus de altari, figuram esse, statim aperit, quænam illæ res sint, quæ adumbrent nobis corpus & sanguinem Christi. *Sunt*, inquit, *panis & vinum quæ videntur*. Sensus probat, sensus arguit, atque indicat, panem esse & vinum. Deinde, cum satis dixisset de figura, exponit etiam, quidnã illud sit, quod ea figura significat non falsò, aut leuiter, sed verè, atque expresè: non enim, ea falsa figura est, aut quæ nobis inanes fictiones referat. Nam id quod significatur, & verissimum est, & efficacissima ratione significatur. Idcircò Hilarius statim subiecit: *Veritas autem dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur*. Quorum verborum hic sensus est: Quando sumimus ab altari corpus Christi, quod est figura, veritatem ipsam, quæ figuræ respondet, per antithesin, sumimus interius, non ore corporis nostri, sed mẽte, spiritu & fide: dum corpus Christi & sanguinem in veritate, hoc est, verè, atque ex animo, non autem fictè ac simulatè credimus. Quid hac sententia potest esse apertius? Ab altari sumimus figuram, hoc est panẽ & vinum. Ipsa autem veritas interius creditur, videlicet, aut animo, qui in nobis multò est interior, quem os corporis: aut ipsa figura, quæ oculis nostris obijcitur, interius, id est, interiori sensu significatur. Volui hanc sententiam paulò fusius explicare, vt ostenderem ab ea quã procul absint commenta Inconstantij.

Nunc explicata veritate, accedo ad eius catillos. Primùm arguit nos ex hoc loco, quod probare velimus, sacramentum in vsu consistere. Id nos contendimus maximè aduersus eos, qui crustulum reseruant, aut circumgestant, aut in cistulis reconditum adorant. Neq; sanè sine ratione ista tradimus. Christus enim dixit, *Accipite, & manducate: Accipite & bibite*: nõ autem, Accipite, reponite, reseruate, quod etiam Origenes obseruauit. Et quid, quæso contra nos scribit Hilarius? *De altari*, inquit, *sumitur*. Quid? an tu putabas, ex pistrino, aut tonstrina dicturum? Quòd autem Mensam domini appellauit altare, in eo sequutus est consuetudinem aliorum Patrum. Nemo nostrũm hodiè aliter sumit Eucharistiam, quàm porrigente ministro, idque de mensa domini. Satis ergo apparet, quàm iste sine vlla ratione hoc loco nobis litem moueat.

Addit, *Hilarium notare figuram sitam esse in elementis, quatenus sunt nobis verba visibilia: Veritati autem, dum creditur idem corpus in veritate*. Vocẽ illam, Idem, iste adiecit de suo, Neque enim reuera idem est corpus, quod creditur, & quod de altari sumitur. Neq; ait Hilarius, in eo, quod sumitur ex altari, figuram esse, vt iste interpretatur. Sed apertè ait, illud corpus, quod de altari sumitur, esse figuram. Re enim vera totum id, quod sumitur externo corporis ore, figura est. Quod ideircò moneo te, pie Lector, vt consideres, Hilarium non dicere, in illa figura esse realiter, aut substãtialiter corpus Christi: quod isti præstigiatores dicunt. Addit, *Sententiam nostram aliquid coloris habere potuisse, nisi duo illa verba adiecta fuissent ab Hilario, Interius, & In veritate*. Nam Interius, putat idem esse, quod sub accidentibus: & in veritate, idem quod Adesse realiter præsentia. At, vti diximus, illud, In veritate, fictæ & simulatæ fidei, & falsæ significationi opponitur. Interius, autem, animũ nostrum spectat, per antithesin ad os exterius: aut opponitur figuræ, quæ, si crassius à nobis consideretur, nihil aliud, quàm panem & vinum, quæ ibi reuera sunt, indicat. Eadẽ autem altius ex sententia domini cogitata, corpus & sanguinẽ Christi animo nostro per fidem credẽda, atq; apprehendẽda proponit. Fides ergo est, quę sacramẽtum interiꝰ cõsiderat, illudq; ad significatũ suũ transfert, quod est corpus & sanguis domini.

Postremò iste Sardonico prorsus risu insultat veritati. *Non enim*, inquit, *Hilarius ita scribit: Crede corpus Christi in cælo esse, quod nemo fidelium non credit. Sed, Crede, inquit, interius & interius, inquit, in veritate*. Veritatem autem mysterij putat esse ipsum corpus Christi substantialiter & realiter præsens. Deinde exaggerat internã illam mysteriorum veritatem: quę, vt dixi, nihil aliud est quàm efficax symbolorum significatio. Meminisse autem hîc debemus vsitatæ illius loquationis, qua dicere solemus, victimas illas, quæ in Lege cædebantur, & figuras quasdam fuisse & re ipsa bruta animantia: eãsdem verò interius, siue altius cogitatas fuisse Christum, quem pij pro se aliquandò occidendum, & mactandum syncerè, & in veritate crediderunt. Non monet quidẽ Hilarius, vt credamus Christum esse in cœlo: fateor. Sed rursus ne hoc quidem monet, vt credamus, corpus Christi latère inclusum sub accidẽtibus panis & vini.

OBIECTVM CLXXXIV.

OBIICITVR ex epistola Basilij 141. ad Cæsarienses. Carnẽ, inquit, & sanguinem, totam suam misticam in carne conuersationem vocauit: quod illam doctrinam, quæ ex vita ipsius actuali, & naturali, & theologica constat, manifestauit, per quam nutritur anima. Hîc Basilius dicit, carnem & sanguinem Christi anima sumi, non corpore.

GARDINE

GARDINERVS.

VERBA spiritus multos sua fœcunditate sensus pariunt: qui quatenus legitimi sint, probantur, & retinenda tur in Ecclesia.

MARTYR.

SEntentiam istam Basilij de carne, & sanguine domini, ait esse allegoricam: quæ tamen nihil imminuat veram manducationem corporis Christi in Eucharistia. *Allegoria enim, inquit, illa, qua Paulus vsus est de duobus filijs Abrahæ ex Sara, & Agara, nihil de historiæ veritate detrahit. Et Patres cum delitias, & incunditates Paradisi variis allegorijs exornant, non tollunt rei veritatem. Ita,* inquit, *Basilius sua ista allegoria non effecit, quò minus Christus veram carnem habuerit, & verè nobis manducandam illam dederit.* Sed scire debes, Inconstanti, illum, qui vsus est hac obiectione, non sensisse pijs aut diuinarum literarum, aut Patrum allegorijs rerum veritatem immutari: neque idem elicere voluit ex istis verbis Basilij, Christum non habuisse veram carnem. Credidit enim, eum non tantùm habuisse carnem, verùm etiá eam pro nobis in mortem tradidisse, eamq; quotidie per fidem offerre comedẽdam. Hoc tantùm in ijs verbis obseruauit, mãducationem carnis Christi spiritualẽ esse: neq; Basiliũ aut hîc, aut alibi statuere propriã manducationẽ carnis Christi, quæ prorsus omni tropo, & figura careat. Scio equidem, Inconstantium, & alios eius similes, realem & substantialẽ manducationẽ corporis Christi somniare. Sed eam non tantùm nõ è sacris literis, sed ne è patribus quidem, aut è Basilio isto, quem habemus præ manibus, vnquam probabunt.

Adhæc, in istis verbis dignum erat animaduersione, quod ait, *Spiritualem istam alimoniã non per corpus nobis, sed per animã accedere.* Sed ne quis fucum sibi fieri arbitretur, verba ipsa Basilij recitabimus. Edimus, inquit, ipsius carnẽ & sanguinem, per incarnationem participes euadẽtes, & sensibilis vitæ verbi & sapientiæ. Carnẽ enim & sanguinem totum suum mysticum aduentum, & doctrinam ex actiua, & naturali, & theologica constantẽ indicauit, per quã nutritur anima, & interim ad veritatis speculationẽ præparatur. Et hoc fortasse est, quod illo dicto significatur. In hisce verbis fateor, vocabula illa Carnem & sanguinem, aliquantò latius accipi, quàm in mysterio Cœnæ. Basilius enim hic totum Christi aduentum, & conuersationẽ & vitam, carnem & sanguinem appellauit: at in Cœna duo tantum illa offeruntur nobis apprehendenda fide, quatenus pro nobis tradita sunt in mortem crucis. Itaque Christus iussit, vt ibi comedamus, & bibamus, mortem domini annunciantes, idque tantisper donec veniat. Hoc autem manducationis genus animi esse, & nec ad palati, nec ad faucium munus pertinere, omnes facile arbitror intelligere. Habet ergo Inconstantius veram causam, cur Basilius ita scripserit. Et hoc est fortè, quod significatur Verbo: quoniam verba illa, Carnem & Sanguinẽ, vt dixi, latius, & fusius accepit, quàm vel in 6. Ioannis, vel in institutione Cœnæ intelligi debeant: non quod crediderit, aliam esse vllam propriam manducationem corporis domini, quæ ore ac dentibus peragatur.

OBIECTVM CLXXXV.

OBIICITVR ex eodem Basilio. Is in sua Liturgia panem appellat ἀντίτυπον corporis Christi: idque etiam post verba Consecrationis.

GARDINERVS.

DAMASCENVS Græcus de hoc verbo ἀντίτυπον, ita refert, Basilium in sua Liturgia vsum eo fuisse, sed ante sanctificationem.

MARTYR.

REspondet primùm ex Damasceni sentẽtia, *Basilium appellasse quidem elementa sacræ Cœnæ ἀντίτυπα, verùm ante sanctificationem: quamuis fateatur in nostris codicibus longè haberi secus.* Ego verò Damasceno ipsi vel ex hoc tã perspicuo mẽdacio fidem censeo esse derogandã: tantum abest, vt illi in hac re credendũ putem. Is enim vt nouam istam suam loquendi formam tueretur, nõ dubitauit Liturgiam vsitatam immutare. Negabat enim, Eucharistiam figuram esse. Sed cũ videret, obijci sibi posse verba Liturgiæ, respondit, illa loco mota esse, & non post, sed ante consecrationẽ fuisse posita. Huius autem Damasceni apud cordatos viros non potest esse magna authoritas. Non enim obscurum est, quàm turpiter in imaginum & reliquiarum cultu insanierit. Et quis illum arbitretur rectè sensisse de Sacramentis, quem videat se tam aperta idololatria contaminasse? Hue adde, non posse fieri, vt verba illa posita fuerint ante sanctificationem. Tum enim illa symbola non magis appellari possunt figuræ corporis & sanguinis Christi, quàm quiuis alius panis in officina pistoris.

Tamen ne nimis morosus & difficilis videretur, fateri cœpit ad extremum, *vocem illam, ἀνέκαινον, positam fuisse in Liturgia post Consecrationē. Sed id ea causa factum ait, quòd Basilius Sacramenta conferre voluerit cum illa præsentia Christi, qua olim fruituri sumus in patria. Ibi enim omni specie externa, & figura, & obuelatione sublata, fruemur illa plena visione Dei, ad quam nunc omnes anhelamus: ad quam cum illa, quæ exhibētur fidelibus in hac peregrinatione, conferuntur, videri possunt figuræ & imagines. Neque alio sensu ait Ecclesiam nostram orare, Vt quod nunc per speciem gerimus, olim in veritate capiamus. His autem verbis* ait *nihil præiudicari veræ præsentiæ corporis Christi.* Ego verò dico, & illis Basilij, & istis Ecclesiæ Latinæ verbis ficticiam istā præsentiam abundè confutari. Significāt enim, nos substantialem illam præsentiam humanæ naturæ in Christo olim habituros in patria, quam nunc non habemus, nisi per fidem, quæ à spiritu sancto interim per Sacramenta & typos excitatur.

Posteà verò iste noster, ne prorsus agere videatur sine methodo, proponit discrimen inter figuras Veteris Testamenti, & Noui. *In Lege,* inquit, *erant figuræ & vmbræ obscuriores, & rebus ipsis destitutæ: in Euangelio autem figuræ sunt huiusmodi, quibus res ipsæ adsint, & subsint verè præsentes. Denique,* inquit, *ibi notabantur futura: hic verò præsentia. Vnde Gregorius Nazianzenus in Oratione de Pascha sic habet: Cæterùm paschæ simus participes, figuraliter tamen adhuc: etsi Pascha hoc veteri sit manifestius. Siquidem pascha Legale, audenter dico, figura figuræ erat obscurior: at paulò post illo perfectius & manifestius fruemur, cum filius verbum ipsum biberit nobiscum in Regno patris nouum, reuelās, & docens, quæ nunc modicè demonstrauit. Nouum enim est semper illud, quod nunc cognoscitur.* Hanc distinctionem, cum eam presius considero, nō possum in vniuersum concedere. Quis enim det, Sacramenta & ritus Veteris Testamenti vmbras tantùm fuisse, rebus ipsis prorsus vacuas & destitutas? Nam Paulus ait, *veteres comedisse eandem nobiscum escam spiritualem, & bibisse de petra consequente: petram autem illam fuisse Christū.* An verò nobile illud Sacramentum arcæ fœderis caruit præsentia Dei? An putamus, Circumcisionem inane tantùm signum fuisse fœderis? Certè hæc distinctio nimis mihi videtur magistralis. Si dixisset Inconstantius, Sacramenta veterum fuisse signa rerum futurarum, quod ad Christi aduentum, & nostram redemptionem attinet, atque ideò ea fuisse obscuriora, Euangelica verò signa esse rerum præteritarum, ideoque esse efficaciora, & clariora: aut si etiam adidisset, nostris ritibus ea nūc significari, quæ apertiora, clariora, vberiora expectamus in patria: hæc inquam, si dixisset, facilè illi potuissemus assentiri. Tantū autem discrimē, vel potius tantum Chaos inter Veterum Sacramenta, & nostra audire non possumus. Imō mihi non satis liquet, an ipse Inconstantius istius distinctionis suæ terminis velit contineri. Nam cum dicat, Sacramenta Nouæ Legis figuras esse eiusmodi, quæ res ipsas præsentes habeant, hoc mihi velim respondeat, an putet Baptismum esse Sacramentum Nouæ Legis. Dicet, esse. Atqui figuram esse Christi, qui suo sanguine mundi peccata deleuerit, nemo dubitat. Dicētne ergo iste, sanguinē Christi, quo eius, qui tingitur, peccata delentur, ibi realiter, & substantialiter contineri? Si fatetur, hoc mihi rursus respondeat, quomodò ibi duæ substantiæ sanguinis & aquæ simul esse possint? An hîc quoque necesse erit aquam transubstantiari? At si dicet, sanguinem ibi propriè, & substantialiter non adesse: ergo habemus figuram in Noua Lege, quæ rem ipsam secum coniunctam non habeat. Quid ergo fiet, Inconstanti, de ista tua noua distinctione? Possumus eam, vti dixi, aliquo modo mitigare. Nazianzenus, inquis, audacter dicit. Fateor, sed ea dicit, quæ omnibus modis suprà negauisti, Veterū sacramenta aliquo modo fuisse vmbras, & figuras nostrorum. Cætera, quæ tu hoc loco ex Nazianzeno citas, contra nostram sententiam nihil faciunt. Nos enim quoque fatemur, Veterum sacramenta nostris fuisse obscuriora: eáq; quæ nunc videmus per speculum, & in ænigmate, in patria cognoscenda esse plenissimè. Et vocem illam, Nouum, rectè à Nazianzeno interpretatam amplectimur: nō quòd ibi aliquid nouæ rei sit cognoscendum: sed quòd res eadē cognoscenda sit nouo modo. Nos enim etiam dicimus, nos id in patria clarissimè visuros esse, quod interim obscurè tantùm, & tanquam in caligine intuemur. Sed quod ad rem ipsam attinet, corpus Christi esse hîc substātialiter pernegamus. Neque enim id aut Basilius, aut Nazianzenus vnquam dixit.

Veteris Testamenti Sacramenta non fuerunt rebus ipsis prorsus vacua.

Verùm Inconstantius, vt id aliquo modo confirmet, huc allegat Origenis testimonium. Is enim in Psalmo 38. ita scribit: *Si quis verò transire potuerit ab hac vmbra, veniat ad imaginem rerum: & videat aduentum Christi in carne factum: videat eum pontificem offerentem quidem & nunc patri hostias, & postmodum oblaturum: & intelligat, hæc omnia imagines esse spiritualium rerum, & corporalibus officijs cœlestia designari. Imago ergo est, quod recipitur ad præsens, quodq; intueri potest humana natura.* Ex his verbis iste noster colligit, imagines rerum non ita pertinere ad rerum veritatem, vt eam imminuant, quò minus illæ verè sint. Cōmentaria ista in tres Psalmos, quæ circumferuntur nomine Origenis, qua fide digna sint, nescio. Videat Lector præfationem Erasmi in Opera Origenis, & consideret, quid ille de istis Commentarijs existimarit. Sed esto: sint Origenis. Contra nos quidem nihil faciunt. Primùm enim ponunt vmbras, deinde imagines, postremò res ipsas. Christus vt obscure referebatur in Lege, vmbra fuit: in aduentu autem suo in carnem verè præsens adfuit. Tamen si ipse cum se ipso conferatur, vt est nunc apud patrem, & intercedit pro nobis, imago tantùm erat: imago, inquam, sui ipsius, vt nunc regnat in gloria. At nos hîc non de aduentu Christi in carne loquimur, sed de sacramento Eucharistiæ. Christus in primo suo aduen-

tu

tu cõspectus est in forma serui, vt videri posset, & nostram redemptionẽ peragere. Quid hoc ad rem facit, si Christus dicatur, tum habuisse imaginem eius status, in quo nunc regnat in cœlo apud patrem? Origenem autem ibi scribere de primo Christi aduentu, non autem de sacramento Eucharistiæ, eius ipsius verba indicant. Sic enim scribit: *Et si quis potest describere obseruantiam illam Iudaici cultus, consideret templum illud non habuisse imaginem rerum, sed vmbram: videat quoque altare vmbram esse: videat & hircos, & vitulos, qui adducuntur ad victimam, vmbras esse: omnia illa secundum id, quod scriptum est, vmbra enim est vita hominis super terrum. Si quis verò transire potuerit ab hac vmbra, veniat ad imaginem rerum, & videat aduentum Christi in carne factum: videat & pontificem.* Ea, quæ Christus in primo aduẽtu gesit, fatemur imaginem quandam fuisse rerum cœlestium. Ad hæc, eundem Christum verum pontificem etiam in Sancta sanctorum ingressum esse, & nunc offerre, ac deinceps etiam oblaturum esse patri victimas, non inficiamur. Sed hostias illas, quas offert, & oblaturus est, si quis putet esse crustula illa, quæ Sacrificuli in suis missis appellant hostias, vehementer errat. Offert nunc Christus patri suo, vt gratissimas, & maximè acceptabiles hostias, eos omnes, qui dant nomina eius Euangelio, illumque per fidem complectuntur. Quo in munere ille haud dubiè est summus pontifex. Et quamuis agat nunc in cœlis, tamen vtitur opera ministrorum Ecclesiæ, qui id in terris fideliter, & diligenter satagunt, vt plenus numerus electorum ingrediatur per ostium, hoc est per Christum. Quicquid autem ministri corporalibus officijs faciunt, cum initiant electos, ea, quæ in cœlis aguntur, & firmissimè rata sunt, designant. Nec Origines triplici ista sua distinctione docet, Veteres patres ita prorsus fuisse in vmbra, vt rerum ipsarum omninò expertes essent. Ipsa enim ea sacra cum fide administrata illis erant salutaria. Eadem tamen vmbræ vtcumque erant nostrarum rerum. Nam de aduentu Christi, quod nos factum profitemur, & scimus, id illa tantùm futurum prædicabant.

Atque hanc meam sententiã confirmat Oecumenius. Is enim in cap. 10. ad Hebræos ita scribit, quemadmodum allegatur ab Inconstantio: *Non ipsam imaginem rerum, id est, veritatem*, inquit, *rerum. Res appellat futuram vitam: imaginem autem rerum Euangelicam politiam: vmbram verò imaginis rerum Vetus testamentum. Imago enim manifestiora demonstrat exemplaria.* Ea quæ à nobis aguntur in Euangelio, Oecumenius appellat imaginem rerum: quòd magis ad veritatem sint expressa, quàm ritus & ceremoniæ Legis Mosaicæ. Et si vmbræ, & imagines inter se cõferantur, ad veritatem ipsam rerum magis, & propius accedunt imagines. Cæterùm Inconstantius fingit, res ipsas, non tantùm in futura vita esse, verùm etiam hîc dari, atque exhiberi: sed quòd modus exhibitionis sit obscurior, ideirco nostras imagines appellari. Omninò omnia huc trahit, vt persuadeat nos habere præsentiam corporis Christi sub accidentibus panis & vini: quæ tamen dicantur illarum rerum imagines, quòd eas non manifestè, sed occultè exhibeant. Verùm si diuertendum est ad ista, necesse potius est statuere, Corpus ipsum Christi, & veteribus datum fuisse, & hodie nobis dari: sed spiritualiter mente atque animo percipiendum: hoc tamen esse discriminis, vt nos dici possimus præillis rem ipsam hoc nomine tenere: quia caro Christi re ipsa iam existit, illo autem tempore tantum expectabatur. De reali autem præsentia sub pane, aut accidentibus panis, nihil quicquam illorum Patrum quisquam commemorauit.

Iam audiamus Augustinum quem Inconstantius citauit ex libro 83. quæstionum, quæst. 61. *Oportebat*, inquit, *vt euacuaturus sacrificia, quæ secundum Aaronem in Leuitico sacerdotio fiebant, non esse de tribu Leui, nec ad ipsum sacerdotium, quod temporaliter vmbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quam dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri sacerdotio figurabatur impleuit: & holocausti eius imaginem ad memoriam passionis suæ in ecclesia celebrandum dedit: vt esset sacerdos in æternum, non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech.* Hic Inconstantius ait, *Augustinum, cum diceret imaginẽ, arcanum dandi modum significasse: quod alioqui holocaustum reuera datum apertè confiteatur.* Sed quo modo sensit Augustinus, Christum in Cœna reuera dedisse holocaustum, cum dicat, eum illis holocausti imaginem dedisse, ad celebrandam memoriam mortis suæ? An hîc quoque imago referenda est ad gloriosam illam conditionem, quam Christus nunc habet in cœlo? Non opinor. Imò non obscurè ait, imaginem illam referẽdam esse ad mortem & passionem, quæ iam præterierunt. Nam diligenter ibi attingit discrimen inter Veterum vmbras, & nostras imagines. Illas enim ait fuisse figuras rerũ futurarum: nostras autem esse memorias rerũ præteritarum. Quare ipsum illud holocaustũ pro nobis oblatum & olim dabatur Patribus, & nunc datur nobis: at non nisi mente, ac fide percipiendum. Sed illis dabatur, vt aliquando offerendum: nobis datur, vt iam olim verè oblatum. Atque inde fit, vt nostrum signum clarius atque expressius dici possit, & imaginis nomen habeat, & apud Augustinum & apud alios plerosque patres. Sed idem Augustinus citatur ex libro Sententiarum Prosperi, quasi qui senserit, ipsum Christi corpus realiter re ipsa dari. *Caro.n.* inquit, *est quã forma panis opertã in Sacramẽto accipimꝰ: & sanguis eius, quẽ sub vini specie, & sapore potamꝰ. Caro videlicet carnis, & sanguis Sacramentũ est sanguinis: carne & sanguine, vtroq; inuisibili, & spirituali, intelligibili signatur spirituale domini nostri Iesu Christi corpꝰ palpabile, plenũ gratia omniũ virtutũ, & diuina maiestate.* Multũ hic Inconst. sudat, vt aliquid saltẽ aduersus nostrã sentẽtiã extorqueat. Et illud primum ait esse annotandũ: *Carnẽ Christi forma panis opertã dari.* Sed meminisse debuit, etiã res absentes signis & figuris posse

Quid inter veterum vmbras, & nostras imagines?

operiri: quemadmodùm etiam interdum dicimus, obscurioribus verbis tegi & operiri magnificos & præclaros sensus, & in illis res amplissimas claudi & celari. Quod tamen non ita accipiendũ est, quasi res ipsæ realiter & substantialiter sub illis literarũ & vocũ inuolucris latarent. Quod aũt addit, Carnẽ esse Sacramentũ carnis & sanguinẽ sacramentũ sanguinis, Vocabulis illis, Carnis & sanguinis, quæ priori loco posuit, elemẽta, & symbola significauit: illa enim sunt Sacramẽta carnis & sanguinis domini, quę oblata sunt pro salute nostra. Neq; dubitam⁹, nos carnẽ & sanguinẽ domini mẽte ac spiritu edere ac bibere per metaphorã, quẽadmodum illa sub forma panis, & specie vini significantur & credenda proponuntur. Ita Loquutio ista, Sub forma & sub specie, non situm, aut realem existentiam notat corporis Christi sub illis elementis, sed significationem: quòd sub illis imaginibus ista intelligantur significatione offerri, proponi, edi, potari.

Quomodo caro est Sacramentũ carnis, & sanguis Sacramentũ sanguinis.

Adhæc, cum dicit, *Vtroque inuisibili, spirituali, intelligibili*, considerare debemus, id nihil aliud esse, quàm symbola ipsa panis & vini: quæ non sunt corpus & sanguis Christi visibili aliquo, aut carnali, aut sensibili modo, sed ratione inuisibili, spirituali & intelligibili. Natura enim talis est Sacramentorum, vt humanas omnes conditiones, & proprietates longè superet. Nam neque caro nostra, neque sensus, neque ratio humana nouit, quid sit Sacramentum. Vtroque ergo illo symbolo, quæ sunt caro & & sanguis Christi inuisibilis, spiritualis & intelligibilis, corpus ipsum, & sanguis Christi significantur, quatenus illa visibilia tradita sunt pro nobis in mortem: vel, vt alij volunt, ipsum Christi corpus visibile, & palpabile, quod nunc sedet in cœlis, & regnat cum patre: tamen cum respectu ad præteritam mortem. Atque hanc expositionem verba illa alia Augustini, quæ sequuntur, quæque ab Inconstantio recitantur, nihil impediunt: imò eam potius explicant, atque adiuuant. *Sicut ergo*, inquit, *Cœlestis panis, qui caro Christi est, suo modo vocatur corpus Christi, cùm reuera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, quod palpabile, quod mortale in cruce positum est, vocatur & ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio, Mors, Crucifixio non rei veritate, sed significãte mysterio: sic Sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est.* Hæc verba tam planè, tamque perspicuè confirmant nostram sententiam, vt nihil in eis possimus desiderare. Declarat enim duplici simili, quomodo symbola sint corpus Christi: eodẽ, videlicet, modo, quo actio sacerdotis in cœna vocatur Christi passio, mors, crucifixio: non, inquit, rei veritate, sed significatione: & eodẽ modo, quo Baptism⁹ & est, & appellatur fides: nõ quod fides in eo realiter inclusa sit, illa. n. nõ alibi, quàm in animo esse potest: sed quòd sit Sacramentum fidei. Eadem ista Augustinus scribit etiam alibi in epistola ad Bonifacium.

Ratio Sacramenti res est inuisibilis, spiritualis & intelligibilis.

Quomodo symbola sint corpus Christi, declaratur duplici simili.

Sed hoc sibi Inconstantius putat omninò dandum esse, Cœlestem panem in istis Augustini verbis, non triticeum panem, sed ipsum Christi propriũ corpus significare. Quod quãuis alibi concedi possit, tamen hic locus huiusmodi significationem non recipit. Nam corpus Christi, si nec videatur, nec sentiatur, quomodò potest dici signum aut Sacramentum? Nam vulgaris illa, & recepta sententia vocat Sacramenta signa visibilia. Augustinus ergo intelligit panem triticeum: qui, vt est Sacramentum, Cœlestis panis dici debet. Vis enim illa sacramentalis, non ab vlla re creata, sed cœlitus, & diuinitus expectanda est. Ea autem est, vt antè dixi, & inuisibilis, & spiritualis, & intelligibilis lumine diuini spiritus. Adhæc si ille panis propriè, vereque esset corpus Christi: Augustinus non dixisset, illum suo quodam modo esse corpus Christi. Nam simpliciter, & absque vlla contradictione ita esset. Et si de corporali esu symbolorum sermo habeatur, Augustinus in Psalmum 98. recte ait, *Nõ hoc corpus, quod videtis, comesturi estis?* Hieronymus quoque duplicem facit carnem Christi: Vnam, vt affixa est cruci, & pro nobis tradita: Alteram autem, vt à nobis mente, fide & spiritu percipitur: quod est eam spiritualiter manducare. Caro tamen illa reuera, non diuersa, sed eadem & vna est, quod attinet ad substantiam. Distinguitur autem, quatenus tum ab astantibus sensu apprehendi poterat: & quatenus nunc in cœlo regnans, animo & spiritu credentium sumitur: nisi velim⁹, quod etiam verisimilius iudico, diuinã illam & spiritualem carnem, symbola externa, quæ Sacramẽta sunt, appellari, præsertim si cum illa externa mãducatione spiritualẽ etiam mãducationẽ coniũgamus. Qua de re agem⁹ aliàs fusiũs.

Verùm Inconstantius putat, se ex istis dictis patrum firmissimè concludere, voces istas, Imaginem, Figuram, Sacramentum, Signum, non excludere veram præsentiam rerum, sed tantũ distinguere præsentiæ modum. Hoc quàm verum sit, iudicium erit penes lectorẽ. Hoc tamẽ vnum dicam, euidẽtissimo argumento probari posse ex verbis Basilij, quæ modò citata sunt, & ad quæ contorquenda Inconstantius tam multa nugari voluit, eiusmodi esse ἀντίτυπα in Eucharistia, quæ veram præsentiam corporis Christi excludant: vt ea, quæ de illis dicuntur in Liturgia post consecrationem, elemẽtis tantùm, non etiam corpori Christi possint cõgruere: nisi nomine corporis Christi, intelligas figna & symbola. Ita enim post verba illa, quę vos Consecrationis appellatis, cum ea vocalles ἀντίτυπα, subiecit: θαῤῥοῦντες ἀποστηλλόμεθα τῷ λόγῳ τῶν ἐντολῶν, καὶ προσδέχεσθε τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος, & αἵματος τοῦ Χριστοῦ, οἷα δήπου ἄνθρωποι μέλλοντες, ἄρτια ἀρτίων δεόμενοι· ἀγαθύνοντος ἐλθεῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἐπὶ τὰ προκείμενα τὰ δῶρα ταῦτα, καὶ διαλάμψαι αὐτὰ, καὶ ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι. Iudicet nunc ex istis verbis pij & sancti viri, an corpus Christi, & sanguis sint realiter in mensis domini: & an illa sint ἀντίτυπα & δῶρα quę indigeant spiritu sancto benedicẽte, & sanctificante. Quod si illę voces, Figura, Signũ, Sacramentũ, Symbolum, sua vi rem, quæ significatur, ostenderent præsentem, non liceret ne ludęrũ quidem figuris & Sacramẽtis huiusmodi præsentiã denegare,

Panis Sacramentalis, is potest appellari panis cœlestis.

denegare. At si Inconstantius sperat se huius modi præsentiam aliúde posse confirmare, cur locú non profert? quoties in medium veniendum est, nihil aliud crepare potest, quàm, *Hoc est corpus meum*? Quibus verbis ita miserè abutitur, vt quiuis videre possit, quàm turpiter cæcutiat. Quare ἀντίτυπα illa, seu ad corpꝰ Christi, quod in cælis est, siue ad idem prout tradebatur in crucem, referantur, reuera sunt eius figura, imago, & sacramentum. Per carnem autem latentem, carnem Christi visibilem siue crucifixam, siue in cœlis regnantem significari, non concedimus. Oportet enim signa rebus significatis apertiora & clariora esse: maximè verò in Sacramentis Testamenti Noui. Nam ea Augustinus prædicat clariora, euidentiora, manifestiora esse, quàm fuerunt Sacramenta veterum. Et quoniam de illa voce ἀντίτυπα diu egimus, Lectorem ignorare non patiar, Gregorium quoque Nazianzenum cum Basilio consentire, & symbola Eucharistiæ vocare sacramenta, ἀντίτυπα, in suo Apologetico.

OBIECTVM CLXXXVI.

OBIICITVR ex Epiphanio Ancorato. Videmus, inquit, quod accepit seruator in manus, veluti Euangelium habet, quod surrexit in Cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset, dixit: Hoc meum est, & hoc, & hoc. Et videmus, quod non æquale est, nec simile: non imagini in carne: non inuisibili deitati: non lineamentis membrorum. Hoc est enim rotundæ figuræ, & insensibile, quantum ad potentiã. Et uoluit per gratiam dicere, Hoc meum est, & hoc, & hoc. Et nemo non fidem habet sermoni: qui enim non credit, ipsum verum esse, sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod est ipsius. Dominum verò nostrum nouimus totum sensum, totum sensitiuum, totum Deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum comprehensibilem: sed qui cum gratia hoc nobis largitus est. Ex his verbis audimus, dominum per gratiam dixisse, Hoc est corpus meum: de eo, quod est rotundæ figuræ, & insensibile secundum potentiam. Non autem conuenit corpori Christi, vt careat sensu.

GARDINERVS.

RECTE dixit Hilarius, intelligentiam dictorum ex causis esse sumendam dicendi.

MARTYR.

SI Lector sese referat ad ea, quę in illo loco tractantur ab Epiphanio, videbit contra nouũ istud portentum Transubstantiationis argumentum ex illo firmum duci: nec minus ex eodem loco confutari posse illam, quam quidam tanti faciunt, realem præsentiam. Disputat eo loco Epiphanius, quomodo homo dici possit factus ad imaginem Dei, cum nec Deus sit nec spiritus, nec ea habeat, per naturam, quæ Deũ habere non dubitamus. Respondet autem, hominem non habere essentiam ipsam, aut naturam Dei: factum tamen esse ad imaginem Dei, quòd quasdam Dei proprietates à conditore acceperit per gratiam, quibus illum referat, etsi nec spiritus sit, nec inuisibilis. Est ergo, inquit, suo quodam modo imago Dei. Idq; vt probet, ducit simile ab Eucharistia. *Illud*, inquit, *rotundũ & insensibile secundum potentiam, cum nec lineamẽta, nec sensum, nec aliud quippiam, quod simile sit corporis Christi, habeat, tamen illud Christus per gratiam appellauit corpus suum: cum diceret, Hoc est corpus meũ.* Oportet autem, inquit, credere verũ esse, quod Christus dixit. Nam panis, qui rotundus est, & insensibilis secundum potentiam, per gratiam factus est Sacramentum corporis Christi, & idcirco & est, & appellatur suo quodã modo corpus Christi. Nec desunt proprietates, quibus panis ille corpus Christi referat, etsi naturâ & essentia non sit reuera corpus Christi. Hic est verus sensus Epiphanij, quicquid iste prestigiator garriat. Iste enim ita rem persequitur: Vt si des inquit nostra ad hęc amplectẽda quodã simili excitetur, adducit Epiphanius simile ab Eucharistia: vbi sub insensibili elemento credimꝰ adesse per gratiã corpus Christi. Sed specta, Lector, considera, versa, excute verba ista Epiphanij. Nunquam audies eum dicere, oportere nos credere, corpus Christi adesse sub sensibili elemento. Hoc tantùm dicit, Hoc enim est rotundæ figuræ, & insensibile secundum potentiam: & voluit per gratiam dicere, *Hoc est corpus meum*. Quam ergo fidem possumus, nos habere Inconstantio in explicandis dictis Patrum, qui ea hîc adscribit Epiphanio, quæ ille nusquam dicat?

Primùm elicere vult ex illis verbis, persuasissimum fuisse tum temporis in Ecclesia, verum corpus Christi adesse præsens in Eucharistia. Quid ita? An quòd ille dicat, nos habere fidem sermonibus Christi, & credere verum esse, quicquid ille dixerit? Atqui Christus nihil illorum vnquam dixit. Tantùm de rotundo, & insensibili pronuntiauit, Hoc est corpus meum. Idque nos etiam credimus, panem videlicet, per gratiam fieri corpus Christi, quòd iam sit eius corporis typus, & mysteriũ Colligere etiam iste vult ex illis verbis, *præsentiam istam, quam ita cupidè nobis obtrudit, ha-*

bitam fuiße pro miraculo inexplicabili, tam certo tamen, & noto, vt ad aliud arcanum adhiberetur explicandum, tanquam quiddam notius & illuſtrius. Sed ego iſtum arbitror miraculum illud ita inexplicabile in oculis ſuis, & in cerebro habuiſſe. Nã in verbis illis Epiphanij prorſus non apparet. Non equidem nego, notiſsimum fuiſſe tum in Eccleſia, panem rotundum, & inſenſibilem, ſuo modo dici corpus Chriſti. Hęc vera ſunt, & ſimplicia: illa verò quæ Inconſtantius affingit, & aliena ſunt, & portentoſa, & illa ætate Chriſtianis auribus inaudita.

Deinde magno ſupercilio decernit, in verbis illis Chriſti corpus non ſignificare figuram. Nẽ ue id videatur ſine aliqua ratione dicere, cauſam etiam affert, quòd Epiphanius dixerit, illud quod Chriſtus pronuntiauit eſſe corpus ſuum, non eſſe æquale, aut ſimile, vel imagini in carne, vel inuiſibili Deitati, vel lineamentis membrorum. *Iſta,* inquit Inconſtantius, *nemo ne carnalis quidem requiret in figura. Neque enim vel in Manna, vel in Petra quiſquam vnquam ſignificatæ rei effigiem poſtulaſſet.* Vt ad iſtud vltimum primum reſpondeam, dico, longè aliter ſe hic rem habere. Nam in typis, figuris, ſacramentis ſemper aliqua ſimilitudo rei ſignificatæ aſsignanda eſt. Ea verò tanta eſt, vt figuræ ipſæ rerum ſignificatarum nominibus appellentur. Figura Cæſaris, quæ in auro, argento, aut plumbo ſpectatur, non diceretur eius figura, niſi eũ aliquo modo referret. Et Manna de cœlo datũ eſt, quemadmodum corpus Chriſti de cœlo, hoc eſt, de ſpiritu ſancto in ventre Virginis effictum eſt. Manna mirabiliter nutriebat Iſraelitas: & caro Chriſti data pro nobis in mortem, nobis verus eſt cibus æternæ vitæ. Manna ſine aliqua naturali cauſa, aut hominum induſtria Hebræis depluebat de cœlo, vſque dum populus peruenisſet in terram illam, quam eis dominus promiſerat: ita nos cibum iſtum noſtrum non ſenſu, aut humana ratione conſequimur, ſed mera & pura Dei gratia: durabit autẽ hoc genus alimoniæ vſque dum peruenιamus in patriam. Huiuſmodi analogias, aut ſimilitudines poſſem etiam commemorare de Petra. Sed quoniã illæ notæ ſatis ſunt, & omnibus obuiæ, de illis dicere ſuperſedeo. Quis enim in ea non intelligat robur, & firmitatẽ, & vim ad ædificia ſuſtinenda? Moſes virga ſua petram percuſsit & elicuit vim tantam aquarum, vt populus totus potuerit ex illis affatim bibere. Hæc vel pueri norunt ſignificaſſe firmitatem & conſtantiã Chriſti, & indicaſſe, illum eſſe vnicum Eccleſiaſtici ædificij fundamentũ: qui cùm virga crucis grauiſsimè ictus eſſet à populo Moſaico, vtq; Zacharias ait, varijs aperturis celatus, ſanguinẽ abundè fudit, vnde nos & redempti, & ad æternam vitam ſpiritualiter potati ſumus. Quare in figuris, lineamẽta, imagines & ſimilitudines rerum ſignificatarum non requiri, Inconſtantius parum prudenter ſtatuit. Senſus verò Epiphanij hic eſt, vti diximus ab initio: Homo etſi ſubſtantia, aut natura ſua non ſit Deus, aut ſpiritus, tamen factus eſt ad imaginem Dei, etſi non videatur: quemadmodum panis Euchariſtiæ etſi nõ ſit corpus Chriſti, quod attinet aut ad ſubſtantiam, aut ad realem præſentiam, tamen & eſt, & dicitur certo quodam modo corpus Chriſti, quamuis in eo multa videantur diſsimilia. Non enim deſunt propritates, & ſimilitudines fidelibus probè cognitæ, quibus ille panis ab eo, quod ſignificat, non prorſus videatur alienus.

Figura ſimilitudinẽ habet cum re ſignificata.

Adhæc nemo noſtrùm, quod ego ſciam, vnquam dixit, Corpus in verbis illis Chriſti ſignificare figuram. Hoc autem dicimus, panem ipſum, qui eſt Sacramentum, nomen habere rei ſignificatæ, Vocabulo verò, Corpus, ſignificationẽ ſuam integram relinquimus. Neq; enim debemus Inconſtantio noſtro ita eſſe obſequẽtes, vt quicquid ille velit in nos conuitiari, id nos ſtatim velimus agnoſcere. Conficimus ergo ex contrarijs, & diſsimilibus, id, quod Chriſtus habuit in manibus, nec per eſſentiam, nec per præſentiam fuiſſe corpus Chriſti: quamuis alio quodam modo illud fuiſſe, credendum ſit: nimirum, quòd ille panis certis quibuſdam rationibus retulerit corpus Chriſti: Quemadmodum credendum eſt, hominem factum eſſe ad imaginem Dei: quamuis à contrarijs probari poſsit, illum non eſſe Deum, nec ſpiritum, nec ab omni æternitate fuiſſe ſine principio. Quoniam tamen, quod attinet ad quædam illi conceſſa per gratiam, Deum exprimit, idcirco dicitur factus ad imaginem Dei.

Non ita ſtupidus erat Inconſtantius, quin vt videret, Epiphaniũ apertè contra ſe facere: & præſertim cum ſcribat, Dominum per gratiam dixiſſe, illud rotundum & inæquale, & inſenſibile ſecundum potentiam, eſſe corpus ſuũ. Epiphanius enim nõ perſequitur, neſcio quod, indiuiduum vagum: ſed rem vnam, & certam multis epithetis deſcribit. Quare iſte noſter omnibus modis conatur huic vulneri medicinam aliquam facere. Ait ergo, *Non oſtendit rotundum, & inſenſibile, ſed vagum indiuiduum: quod tamen homo quiſpiam carnalis putet eſſe panem rotunde figuræ, & inſenſibilem. illud,* inquit, *vnum ſubſtantiæ dominus demonſtrauit, quod tandem definit eſſe corpus ſuum. Et omnino credi vult, Epiphanium ſuis illis verbulis indiuidui illius vagi ſpecies viſibiles expreſsiſſe.* Sed patiamur Inconſtantium fingere, quicquid velit. Hoc tamẽ ambigi non poteſt: illud, quod Chriſtus habuit in manibus, certum quiddam fuiſſe in natura, nõ autem incertum & vagum: deque eo non quemuis hominem carnalem, ſed Epiphanium ipſum pronuntiaſſe, illud rotundum fuiſſe, & inſenſibile: quæ duo ſubſtantiæ corporis Chriſti non poſſunt vllo modo conuenire. Deinde cùm ait, Chriſtum, id, quod eſt rotundæ figuræ & inſenſibile, appellaſſe corpus ſuum, certè ſignificat, aliquid fuiſſe, quod hæc accidentia ſuſtineret. Cedo, quid illi tandem eſt? Panem eſſe negas. Et corpori Chriſti huiuſmodi proprietates non conueniunt. Indiuiduum autem illud tuum vagũ, ad quod tu ſemper fugis, tanquam ad ſacram anchorã, non eſt in rerum natura, niſi tantum per conſiderationem

sideratione, vtque philosophi loquuntur, per abstractionem mentis. Hæc, videlicet, est acuti istius hominis Theologia, conceptiunculas animi, eaque quæ nusquam sint, pro rebus existentibus obtrudere. Sed vt rem omnem in pau-
A ca conferam, id, quod ostenditur, oportet existere. Vagũ aũt indiuiduũ nõ existit, sed tantũ cõcipitur, & fingitur in animo: Ergo demõstrari non potest. Sed quoniã de hac tota re suprà copiosè diximus, hic plura dicere supersedeo.

OBIECTVM CLXXXVII.

OBIICITVR ex Hesychio libro secundo in Leuiticum, capite octauo. Propterea, inquit, carnes cum panibus comedi præcipiens, vt nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est: Ergo manet panis.

GARDINERVS.

EX iis est Hesychius, qui veram corporis Christi præsentiam maximè statuunt.

MARTYR.

FIngit Inconstantius, *Panem hoc loco, non esse illum, qui vulgò conficitur ex tritico: sed per metaphoram indicari cibum cœlestem, & panem illum, qui descendit de cœlo.* At si res ita habet, Hesychius,
B cum diceret, mysterium Eucharistiæ simul & panem esse & carnem, nihil aliud dixit, quàm Eucharistiam carnem, & carnem esse. Atqui id vel Inconstantio ipsi puto videri ridiculum. Necesse tamen est ita dicere, si istam metaphoram recipimus. Quod autem iactat, Hesychium statuere veram, & realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, id, quoniam nobis nondum constat, probandum erat. Ex isto autem loco id probari nõ potest. Illa enim verba sano sensu bifariã possumus interpretari. Nam si Hesychius loquatur tantum de externo symbolo, illud quod ad naturam attinet, panis est: quatenus autem est Sacramentum carnis domini, caro est, vt sæpè iam diximus. At si mysterium, aut Sacramentum totum spectemus, quod constet & ex signo & ex re significata, illud & panis est & caro domini. Atque ad hunc locum Hesychij hæc mihi videntur satis.

OBIECTVM CLXXXVIII.

OBIICITVR ex Ambrosio in priorem ad Corinthios. Cum agitur, inquit, vt hoc fiat in memoriam Christi, & mortis eius, nos in edendo & potando, carnem & sanguinem domini, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.

GARDINERVS.

HÆC verba suis punctis distincta Catholicam reddunt sententiam.

MARTYR.

COntendit, nos errare in punctis & distinctione verborum, atque omninò ad hunc modum legendum esse: *Nos in edendo &*
C *potando carnem & sanguinem Christi:* & ibi addendam ὑπομνῆσιν: deinde subijciendũ, *quæ oblata sunt, significamus: quasi caro & sanguis Christi verè sint in Eucharistia, & dum ea à nobis comeduntur & bibuntur, significentur eadem ipsa, vt pro nobis olim oblata sunt.* Sed hoc mihi primum velim vt Inconstantius respondeat, vndenam norit aut à quo didicerit, Lectionem Ambrosij ita esse ordinandam. Illi satis est, hoc dixisse. At libri, qui circumferuntur, omnes à nobis faciunt. Mitto enim nouam Latinitatem, quam in illis verbis In-
D constantius sibi reperit. Nam non dico, nemo Grãmaticus, sed ne sanus quidem quisquam ita loquitur. Tamen, si sequi velimus istum ipsum ordinem Inconstantij, adhuc Ambrosius à nobis faciet. Nam dum, quod ad corporis os, & dentes attinet, comedimus & potamus sacramenta, quæ suo modo & dicuntur, & sunt caro & sanguis Christi, significamus illa, quæ pro nobis oblata sunt. Adhæc dum animo, & spiritu per fidem carnem domini spiritualiter comedimus, & sanguinem bibimus, vnà cum externo mysterio, per illa symbola, quæ comedimus, & bibimus, mortem domini annuntiamus: eaque, quæ pro nobis oblata sunt in cruce significamus. Sed cur iste noster non animaduertit, ex sententia Ambrosij, Sacramentum tantum esse in vsu, dum re ipsa sumitur. Nam si, vt eius definitio indicat, ratio, & vis sacramenti est in eo, vt aliquid significet, nos autem, vt Ambrosius ait, in edendo & potando carnem & sanguinem Christi significamus, quomodo potest aliter esse Sacramentum?

Sacramentum est tantum in vsu.

OBIECTVM CXIC.

OBIICITVR ex eodem Ambrosio eodem loco. Ait, nos accipere mysticum calicem in typum sanguinis Christi.

GARDINERVS.

HIC truncata producitur sententia.

MARTYR.

IAm, si Deo placet, etiam falsi arguimur. Ait Inconstantius *præcessisse vocem, Beneficij: quam vocem vult esse casus gignendi, & regi ab illo nomine, Typum: vt orationem ita construas: In typum beneficij diuini, nos percipimus calicem mysticum sanguinis Christi.* Sed quæso te, pie Lector, mecum paulum considera, si Ambrosij sententia ita fauet Inconstantio, cur illam non protulit in mediũ? cur verba ipsa dissimulauit, & nobis pro illis cõstructiunculã istã suã obtrusit? Crede mihi, nisi tibi insidias strueret, nõ ita faceret. Idq; tu ipse per te magis intelliges, postquam verba ipsa Ambrosij, vt ab illo scripta sunt, legeris. Ea autem sic habent: *Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficij diuini sanguis testis est, in cuius typum nos calicem mysticum sanguinis, ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus.* Si quid ego intelligo, magis congruum multo est, vt relatiuum illud, *Cuius*: ad vocem propiorem Sanguis, quam ad vocem alteram Beneficij, longè remotiorem, referatur. Hic certè sensus multò est simplicior. Quem si nos sequuti sumus, quid peccauimus? Sed Inconstantius noster accusari verisimè & potest, & debet: qui vt veritatem opprimat calumnijs, nihil aliud agit, aut quærit, quam vt omnia eius inuestiganda vestigia offuscet & deleat. Verissima ergo sententia Ambrosij est, calicem mysticum esse typum sanguinis Christi, qui maximo Dei beneficio pro nobis effusus est.

OBIECTVM CXC.

OBIICITVR ex Ambrosio de Sacramentis lib. 4. cap. 4. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi? Consecratione. Vult ergo effici Consecratione, vt quod est panis, sit corpus Christi.

GARDINERVS.

COMMODE aptatur hæc quæstio ad responsionem de mutatione.

MARTYR.

HIc Sophista noster ita argũtatur, & verba ita inuoluit, vt nemo intelligere possit, quid velit. Ita. n. prorsus rẽ inuertit, ac si Ambr. quereret, quomodo illud, Esse panis, fiat Esse corporis Christi. At nihil ita aut sensit, aut scripsit Ambrosius: quod Lector ipse facilè videre potest. Ille. n. disertis verbis affirmat, illũ, qui panis est, posse esse corpus Christi. Nescio equidem, quo iure liceat Inconstantio ita ex masculino genere neutrum facere. Nam Ambrosius ita scribit: *Qui panis est, esse corpus Christi.* Id iste noster ita inuertit, *Illud esse panis, fieri esse corporis Christi.* Atque ita ista sua perturbatione constructionis nec sensum authoris, nec verba retinuit. Quod si Ambrosius alibi dicat, *Consecrationem esse panem, post autem consecrationem esse corpus Christi*, illis verbis nostram sententiam non oppugnat. Nos enim etiam fatemur, elementum illud ante Consecrationem tantum esse panem: Consecratione autem adhibita, non tantum panem esse, sed etiam corpus Christi: nimirum, quod iam effectum sit sacramentum corporis Christi.

Simile verò illud Inconstantij nihil eum iuuat. *Si quæratur*, inquit, *quomodo qui est claudus ambulet, sanatus videlicet.* Nam si rigidè & κυριολογῶς velit vrgere istam propositionem, Claudus ambulat, nihil habet difficultatis. Videmus enim quotidie claudos ambulare: quamuis ambulando claudicent. At si dicat, se rectam ambulationem intelligere, falsa est illa propositio. Nam qui claudus est nunquam rectè ambulat. Potest etiam fieri, vt claudum intelligat eum, qui vim incedendi prorsus habeat impeditã. At nec ille quidem, quandiu ita habeat, vnquam potest ambulare. Quid ergo supereſt, nisi vt iste in sua propositione illum intelligat claudum, qui cum anteà claudus fuerit, nunc sit sanatus, eumque dicat ambulare: & eodem modo velit Ambrosium dicere, id, quod anteà fuit panis, adhibita Consecratione iam factum esse corpus Christi? Sed Ambrosius nec ita dixit, nec verba sua ita struxit. Quicquid enim iste nugetur, Ambrosius ita loquitur, *Qui est panis* (non qui fuerat panis) *est corpus Christi.* Sed nihil aliud agit Inconstantius, quàm vt tropis suis rem omnem peruertat: nimirum, vt panis accipiatur pro eo, quod ante fuerit, non pro eo, quod nunc sit panis. Ambrosius dubitat, quomodo is, qui panis est, sit corpus Christi: & respõdet, Consecratione. At si panis natura discesserit, non relinquitur locus dubitationi. Id enim est, quod rem facit dubiam, quòd disparata de eadem re, atque natura simul videantur prædicari: Panis, inquam, & Corpus Christi. Est autem id absurdissimum, nec vllo modo potest fieri. Ambrosius ergo merito mouit eam dubitationem.

Hîc obiter annotandum est, duo nobis ab Inconstantio nullo nostro merito exprobrari.

Primùm

Primùm, quod in hoc ſacramento quæramus, Quomodo: illam enim Iudaicam eſſe quæſtionem, non Chriſtianam. Hic tamen, cum audiat Ambroſium quærere, Quomodo: tacet, ac diſſimulat. Id enim in illo ferre poteſt, ætatis forſ- A taſſe cauſa, quod in nobis eſſet intolerabile. Alterum eſt, quod vbique clamat nos abuti troporum licentia, & figurarum. Id ſpero, poſthac nobis parcius obijciet, cum videat, ne ſe quidem ſua defendere poſſe ſine tropis.

OBIECTVM CXCI.

OBIICITVR ex Ambroſio eodem in loco. Si tanta vis, inquit, eſt in ſermone domini, vt ea incipiant eſſe, quæ non erant: quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, & in aliud commutentur? Si elementa ſunt, quæ prius erant, certè non tranſubſtantiantur.

GARDINERVS.

ARGVMENTVM eſt à maiore. Si enim de Deo verè confitemur, eum poſſe creare ex nihilo: quantò magis de eodem confitebimur, vt quæ ab eo creata erant, conſeruari poßint, vt ſint?

MARTYR.

AIt, *Ambroſium probare voluiſſe, Deum poſſe ea, quæ à ſe creata ſint conſeruare. & illa, quæ creauit, in aliud commutare. Confirmationem autem ducere ex eo, quod Deus potuerit ea creare, quæ non erant. Id autem longè maius eſſe, quàm eſt, ea quæ ſint, conſeruare, vel etiam ea in aliud commutare: quaſi verò Ambroſius vtatur argumento, quod vulgo Dialectici vocant à maiori.* At nemini dubium eſt, neque, quod ſciam, Chriſtiano cuiquam vnquam fuit, Deum poſſe res à ſe creatas vel conſeruare, vel, ſi velit, in aliud commutare. Quis enim neſcit, aquam à domino conuerſam fuiſſe in vinum, aut à Moſe in ſanguinem? Non ergo neceſſe erat, vt Ambroſius rem receptam, & omnium iudicio teſtatam confirmaret. Hoc autem firma ratione probandum erat, effici poſſe vi ſermonis Dei, vt panis & vinum, quę alioqui videri poſsint viles & abiectę creaturæ, maneant quidem vt erant, in natura, & nihilominus efficiantur Sacramenta corporis & ſanguinis domini, reddanturque idonea inſtrumenta ſpiritus ſancti ad nos inſtaurandos ad æternam vitam. Dubitare autem non debemus, hoc poſſe fieri verbo Dei, cùm eodem illo omnia ſint condita. Néue hoc cuiquam videatur nouum, hac eadem loquendi forma patres vſi ſunt etiam de Baptiſmo: vt dicant, eadem vi verbi Dei, qua mundus creatus eſt ab initio, & homo conditus, aquam ſenſibilẽ fieri lauacrũ peccatorum.

Quid verò in ijs verbis Inconſtantius de arcano Tranſubſtãtiationis ſuæ ſomniet, ipſe viderit. *Sunt quæ erant. Hoc eſt*, inquit, *ſunt eadẽ accidentia panis & vini, quæ erant.* At Ambroſius nullam facit mentionem de accidentibus. Deinde ait, *illa ipſa, quæ manent, & eſſe quæ fuerant, & in aliud mutari.* Quare ex iſtorum interpretatione, accidentia panis & vini non manẽt, ſed mutantur in aliud. Deinde illud aliud intelligunt in neutro genere vnam eſſentiam, vnius Chriſti: atque ita putat cum Cypriano, omnia iſta redigi ad vnam eſſentiam. Atqui illud vnum, ſiue aliud, in quod fit mutatio, eſt Sacramentum, ſiue forma ſacramentalis. Neque Cyprianus aliud ſpectauit, aut voluit, quàm hęc ſigna & ſymbola, cum ſint relatiua, reuocari ad vnam eſſentiam, nimirum eius rei, quæ ſignificatur. Nam Relatiua id ipſum, quod ſunt, aliorũ ſunt. Neq; potes eſſentiam ſacramenti definire quin in definitione & ſignum, & rem ipſam ſignificatam complectaris. Verum, vt ad Ambroſium redeamus, nobis ſatis eſt, ea, quæ erant, manere. Quo verbo vno Tranſubſtantiatio vniuerſa euertitur. Nam ſi manet, certè per Conſecrationem non excluduntur.

OBIECTVM CXCII.

OBIICITVR ex Ambroſio ex libro De ijs, qui initiantur myſterijs. Ante benedictionem, inquit, verborum cœleſtiũ alia ſpecies nominatur: poſt Cõſecrationẽ corpus Chriſti ſignificatur. Ecce poſt Conſecrationẽ ſignificatur corpus Chriſti.

GARDINERVS.

IDEM Ambroſius alijs verbis effert hãc ſententiã: videlicet, Panis eſt ante Conſecrationẽ: poſt conſecrationẽ Corpus.

MARTYR.

AD iſta Inconſtantius duplici vtitur reſponſione. Prior eſt, *Eundem Ambroſium alibi hanc ſententiam aliter extuliſſe.* Ita enim illũ alibi ſcribere, *Panis eſt ante Conſecrationem: poſt Conſecrationem corpus.* Sed non animaduertit, interpretationem eius ſententiæ, quam hic commemorat, petẽdam eſſe ab hoc loco, quem nos obijcimus. Nam poſt Conſecrationem panis eſt corpus Chriſti: quoniam eſt Sacramentum eius corporis, & quoniam, vt hic dicitur, illud ſignificat. Quare nihil erat cauſæ, cur hic locus nobis ab Inconſtantio obijceretur. Nam ab hoc ipſo loco quem nos citauimus, commodiſsimè explicatur.

Addit Inconſtantius, *ſignificationem hoc loco intelligendam eſſe, non quamuis, ſed, vt appellat, realem: vt poſt conſecrationem eadem veritate ſignificetur corpus, qua ante Conſecrationem nomine Panis ſignificabatur natura panis.* Placet conditio. Nos enim arbitramur, non minus verè Euchariſtiam, ſiue panem conſecratum, ſignificare corpus Chriſti, quàm vocabulum Panis ipſam eius naturæ ſubſtantiam, qua veſcimur. Non enim vnquam docuimus externo elemento ſignificari

vmbratile, nescio quod, Christi corpus: sed illud vnicum & verissimum, quod pro nobis in cruce traditum confitemur & credimus. At, si Inconstantius postea velit contendere, ipsum corpus Christi adesse eadem præsentia sub elemento sensibili, qua, vt ille ait, pa- A nis adfuit ante Consecrationem, vt autem nos rectius dicimus, adhuc etiam post Consecrationem adest, prorsus illi resistimus: quod enim illi probandum erat, id sibi quasi datum à nobis & concessum, nimis audacter, ne dicam impudenter, vsurpat.

OBIECTVM CXCIII.

OBIICITVR ex Ambrosio de Sacram. libro 4. cap. 5. Sed intellige, inquit, quid est amplius, manna de cœlo, an corpus Christi? Corpus Christi vtique, qui author est cœli. Deinde manna qui manducauit, mortuus est: qui autem manducauit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum. Ergo, impij, quibus non fit remissio peccatorum non manducant hoc corpus.

GARDINERVS.

AMBROSIVS nihil aliud, quàm sententiam ex ore Christi prolatam alijs verbis effert.

MARTYR.

AMbrosius, Inconstantij iudicio, nihil aliud, quàm recitauit sententiam Christi. *Eam autem promissionem esse, & quandam in nobis congruentiam exigere, non merito nostro constantem, sed diuinitatis bonitate susceptam: quæ si desit, nos nunquam assequuturos promissionem Christi: sed, secundum Paulum, exitu diuerso sequuturam esse condemnationem.* Ego verò respondeo, primum non esse verum, Ambrosium tantum recitare sententiam Christi: nam eius etiam interpretationem adijcit. Reddit enim causam, quare illi, qui comedunt corpus Christi, non moriantur: quam causam in sexto Ioannis Christus tacuit. Eam Ambrosius hanc esse dicit, quòd qui comedit corpus Christi, ex eo ipso habeat remissionem peccatorum. Quare si hoc est effectum manducationis corporis Christi, vbi illud effectũ non est, ne causa quidem esse potest. Non autem negamus, etiam ab impijs elementum externum, aut Sacramentum posse comedi. Verum hic de eo non agitur, sed de ipsa spirituali manducatione corporis Christi: quæ, cum perficiatur tantum per fidem, non potest pijs communis esse cum impijs. Ideoque Ambrosius, B cum exponeret verba Christi, ostendit eius corpus longe præclarius, & præstantius esse, quàm manna. Illum enim cibum Patres, quicunque manducauerunt sine fide, mortui sunt, nec assequuti sunt remissionem peccatorum. Ex illis autem quicunque eo vescebantur cum fide, illi vnà corpus ipsum Christi, quod significabatur externo illo symbolo, fide, ac spiritu comedebant. Itaq; accepta condonatione peccatorum, æterna morte non perierunt. Quod autem Inconstantius hoc loco videtur velle dare, cõgruẽ C tiam illam qua corpus domini dignè comeditur, constare sine vllo nostro merito, id ego libenter accipio. Sed ipse videat, ista dicendo, quàm sibi probè constet. Nam alioqui est Liberi arbitrij, & humanarum virium, & meritorum maximus assertor.

Patres in comedendo manna à fide, non morientur.

OBIECTVM CXCIIII.

Obijcitur ex Ambrosio de Benedictionibus Patriarcharum, capite nono. Hic, inquit, panis factus est esca sanctorum. Et postea: Qui accipit, non moritur peccatoris morte: quia panis hic remissio peccatorum est. At impij neque sancti sunt, neque habent remissionem peccatorum.

GARDINERVS.

DE destinato effectu loquitur Ambrosius. Quod verò secus in malis fit, per occasionem est.

MARTYR.

EÒ sese Inconstantius recipit, vt dicat *effectum quidem manducationis corporis Christi ex proposito Dei esse remissionem peccatorum, & sanctitatem, & æternam vitam: frustrari autem nostro vitio, & per occasionem, vt qs scholæ loquuntur, per accidens. Itaque quod impij hoc effectum non assequantur, id non probare, illos non accepisse, aut non manducasse corpus Christi.* Hæc expositio, quoniam est non malè colorata, posset prima specie fucum facere. Presbius autem consideranti verba Ambrosij, videbitur ridicula. Ambrosius enim, cum loqueretur de corpore ipso domini, non dixit, Hic panis factus est cibus omnium acci- F pientiũ: sed, Factus est, inquit, esca sanctorum. Lupi non vescuntur palea, aut cibo boum, nec E Leones pane: ita qui sancti non sunt, non comedũt corpus Christi. Neque ita loquitur Ambrosius, Qui accipiunt hunc cibum, partim pereunt, partim nõ pereũt: sed disertissimis verbis ait, Qui accipit, nõ moritur morte peccatoris. Et rationẽ dicti sui firmissimâ adfert: Quoniã hic, inquit, panis est remissio peccatorum. Quod si iste panis est remissio peccatorũ, quomodo potest esse ibi, vbi peccatorũ remissio nõ est? Hæc ita clara sunt, vt nebulam istam Inconstantianæ interpretationis facilè desijciant.

OBIECTVM CXCV.

OBIICITVR ex Ambrosio, de his, qui initiantur mysterijs, cap. 8. Ista inquit, esca,

esca,quam accipitis: iste panis viuus, qui descendit de cœlo,vitæ æternæ substantiam subministrat: & quicunque hunc panem manducauerit, non morietur in æternum,& corpus est Christi.

GARDINERVS.

HAEC sententia veritatem Eucharistiæ dilucidè testatur.

MARTYR.

RESpondet Inconstantius, *Ambrosium ista sententia testari veritatem Eucharistiæ.* Id vt cõtra nos nihil facit, ita illum nihil iuuat. Nam, quod ad nos attinet, semper sensimus, Eucharistiam esse verissimam. Nam quod vera verè significat, rectè & appellatur, & est verum. Sed ex istis verbis quid iste iuuatur? Verè dicimus, Regem sedere in throno suo. An ergo Rex & thronus cooperiuntur, & inuoluuntur sub illis verbis? Nihilo firmior est ista connexio: Corpus domini externo elemento verè significatur: illudq; elemẽtũ ipsum suo quodã modo est corpus domini: Ergo sub externo elemẽto re ipsa existit corpus domini. Quare rectè dixi nos veritatẽ Eucharistiæ non negare: nec eã tñ veritatem ab Inconstantio quicquam facere. A B

Quod autem addit, *Sacramentum, quod ad substantiam attinet, semper idem esse, siue à bonis, siue à malis recipiatur,* assentior. Externa enim symbola sine discrimine promiscuè omnibus accedentibus proponuntur. Per naturam enim sunt panis & vinum: per gratiam verò, & institutionem Christi sunt sacra mysteria, & sacramenta, quibus spiritus sanctus vtitur ad salutem piorum. In re autem significata magnum discrimen est. Nam cum caro Christi fide tantum percipiatur, eã impij habere non possunt. Prorsus enim destituti sunt ea facultate, qua illam comedere oportuit. Rectè ergo, & verbis Christi conuenientissimè Ambrosius dixit, *Quicunque manducauerit hunc panem, non morietur in æternum.*

OBIECTVM CXCVI.

Obijcitur ex Ambrosio de Officijs, lib. 4. cap. 48. Hic vmbra, hic imago, illic veritas. Vmbra in Lege: imago in Euangelio: veritas in cœlestibus. Antea Agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem: sed offert se ipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Hic in imagine: ibi in veritate: vbi apud patrẽ quasi aduocatus pro nobis interuenit. Ait nos adhuc versari in imagine, & imaginem habere, non veritatem.

GARDINERVS.

VERITATEM intelligit Ambrosius, quod est suis numeris absolutum.

MARTYR.

EX hoc loco Ambrosij videmus vmbrã, & imaginem inter se distingui maiori & minori claritate. Res autẽ ipsa, hoc est, Christus in cœlo est. Veteres in Lege vmbram tantum eius habuerunt: nos in Baptismo, & Eucharistia eius habemus imaginem. Rem autem ipsam, quod ad realem præsentiam attinet, in futuro seculo expectamus. Inconstãtius autem vult, *veram Christi præsentiam, quod ad corpus & ad sanguinem attinet, & in cœlo esse, & in Sacramento: quamuis eam perfectam, & omnibus numeris absolutam tantum simus habituri in cœlo.* Verum, cum ista præsentia, quemadmodum sæpè docuimus, pugnet cum sacris literis, & veritate humanæ naturæ, quam oportet in Christo confiteri, iste noster frustra hæc omnia comminiscitur. C D

Quod autem dicit, nos re ipsa habere Christum in Nouo Testamento, fateor. Iam enim Christus susceptit carnem, mortuus est, resurrexit, & vnà cũ illa humana carne in cœlis regnat: quod in Lege expectabatur tantũ futurum, non aũt erat re ipsa præstitũ. Atq; hoc nomine nostra Sacramenta præstant Iudaicis, & dicuntur ab Ambrosio imagines: cum illorum Sacramenta vmbræ tantũ fuerint. Quod autẽ iste somniat, nostras imagines carnem Christi substantiali existentia in se præsentem continere, commentum tantum est ἀσύστατον.

Huc adhibet Inconstantius simile quoddam suũ, quod mihi valde videtur dissimile. *Vt Deus inquit, vbiq; est, & nihilominus, quoniam gloria sua fruitur in cœlo, domini præcepto sic oramus, Pater noster, qui es in cœlis: quasi Deus in cœlo tantum sit nec hic nobiscum versetur in terris. Ita, inquit, nos quãuis verum Christi corpus habeamus in Sacramento, tamen, quia notitia nostra ex parte est, & per fidem, quod est maximè verũ, nobis est in imagine: quòd ipsum vt verè præsens est, contẽplari non valeamus.* Hæc similitudo, quoniã longè dissimilis est à re proposita, id, quod probandũ erat, minimè confirmat. Fatemur. n. conuenire Deo, vt sit vbiq;, simulq; essentia sua omnia impleat. Id aũt corpori Christi, cũ verè sit humanũ corpus, nõ potest vllo modo conuenire. Quare, quod iste arripit, tanquã verũ & certũ, corpus Christi verè præsens esse in Eucharistia, etsi magis perspicuè agat in cœlis, reijcimus, vt vanũ, & cõmentitiũ. Quod enim tanta authoritate & tam audacter diceret, oportuit eum scripturis confirmare.

Pergit Inconstantius, *Ipsum quidem,* inquiens, *in se verum, semper totum, & quasi rotundum est: nec, quicquam magis verum, aut minus verum dici potest. Sed omnis illa defectio à nobis est: vt nobis, dũ hic viuimus, imago dicatur, quod ipsa re verum cum integritate sua sit.* Mirũ mihi quidẽ videtur, Verũ esse, & Præsens esse, apud hunc hominẽ idẽ esse. Atqui multa sunt vera, quæ tamẽ nemo nobis dixerit esse præsentia. Vera omnia sunt, quęcũq; verbis E

Verum & præsens, nõ sunt idem.

sacrarũ literarũ significátur. Nemo tamẽ, opinor, dicet illis verbis ea omnia esse præsentia. Corpus quidẽ Christi quod ad ipsum attinet, neq; magis, neq; minus verũ est. At hîc à nobis non nisi animo, & fide percipitur: cum re ipsa, quod ad substãtiã attinet, absit longè à nobis & agat in cœlis. Vbi postquã erimus, illo præsenti, conspicuè, realiterq; perfruemur. Firmissima ergo sunt, quæ Ambrosius, alijq; patres de typis, imaginibus, signis, figuris, exẽplarib. passim dicunt, nostráq; sententiã euidẽtissimè cõfirmát.

Sed addere visum est Nazianzeni sententiam, quam habet in Oratione, quę inscribitur,

A Cũ post ea quæ cõtra Maximũ gesta fuerunt. Ea sic habet: *Ab altaribus nos excludũt, sed ego alimẽ noui altare cuius typũ gerũt quæ nũc videtur, super quo nec ascia, nec manus ascẽdit, neq; quod ferrũ audiuit, neque aliquid arte fabricatũ, aut variũ: sed totũ opus mẽtis est & contemplationis ascensus Ibi astabo, ibi offeram acceptabilia, & hostiam, & oblationes & holocaustomata, longè meliora quàm quæ nunc offeruntur quantum veritas melior est quàm vmbra.* Hîc apparet Nazianzeno cum Ambrosio consentire,

B qui Christi corpus, vt in cœlis, fide conspicitur veritatem appellat, vt in Sacramento quod super altari tractatur, vmbram vocat.

OBIECTVM CXCXVII.

OBIICITVR è Chrysostomo in epistolam posteriorem ad Corinthios, hom. 20. Non solum, inquit, quod vobis in mensa proponitur, est corpus Christi, sed etiam pauperes, quibus tenemur prodesse & benefacere Quãdoquidẽ ille idẽ, qui ait, Hoc est corpus meũ, verbo suo itẽ dixit, se beneficio affici, & egere in pauperibus.

GARDINERVS.

PRIMVM amplectendum est, quod ad veritatem Eucharistiæ affirmandam pertinet, id, quod in mensa proponitur, esse corpus Christi.

MARTYR.

ID, quod putat à se facere, vltro amplectitur: nimirum, id quod proponitur in mensa, esse corpus Christi. *Nam quod dicitur in mensa proponi*, ait, *certam, & veram eius præsentiam indicare*, Sed in eo longè fallitur. Non enim corporis humani proprium est, proponi in mensa, sed panis. Illa ergo loquendi formula hoc significatur, panem illum, qui in mensa proponitur comedẽdus, suo quodam modo esse corpus Christi: nimirum quod sit eius corporis Sacramẽtum. Sed ad se aliquando redeat Inconstantius, & cogitet, quo iure velit nos cogere, vt de eo, quod proponitur in mensa, fateamur, loquutionem esse propriam, cum ipse alteram de pauperibus velit esse translatam. Si verè loqui volumus, vtraque loquutio metaphorica est, & ea, qua panis, & ea qua pauperes appellantur corpus Christi. At si, sepositа veritate noster iste tantum pro imperio & authoritate sua velit co

D gere, vt in priori illa clausula credamus significari veram præsentiam, alteram autem esse metaphoricam: eodem iure alius quispiã, & quidẽ multò verisimilius affirmare posset, posteriorẽ esse propriam, priorem autem translatam. Nam si fingere & cõminisci licet, Corpus Christi re ipsa, & quod attinet ad substantiam adesse præsens in sacra Cœna, multò probabilius est, illud in hominibus, & imprimis in pauperibus esse, quàm aut in pane, aut in accidentibus. Chrysostomus æquat vtrinque propositionum intelligentiam. Ait, enim, non solum id, quod proponitur in mensa, sed etiam pauperes esse corpus Christi. Rationem autem dicti sui affert firmissimam, quod idem dominus vtrunque dixerit.

Inconstantius verò, quantum potest, rem ita con atur peruerterc. *Nam*, inquit, *quod additur de pauperibus, sint illi suo modo corpus Christi*. Iste, quod ita facilè sibi sumit, cur non idem nobis quoque permittit? Idem dominus eodem ore, ac spiritu vtrunque dixit. Cur tu alterum tantopere vrges & amplificas? alterum autem cõtra tam vehemẽter extenuas? Tyrannicũ hoc quidẽ est, nolle idẽ ius alijs permittere, quod vsurpes tibi. *Refocillemus*, inquit, *pauperes, in quibus corpus domini significatur*. Mirum verò est, pauperibus significari posse corpus Christi, idẽ significari non posse elementis: præsertim cũ ea dicãtur à patrib. figurę typi, signa, & symbola.

C Si dicas, Quoniã id sacrę literę nõ docent, idem nos tibi regerimus de pauperibus. Nã illis significari corpus Christi, sacrę literę nusquã docẽt.

Sed operæpretiũ est audire, quid sequatur. *Quoniam*, inquit, *non minus verum est, pauperes significare corpus eius, cui gratiam referamus, quàm in mysterio verè esse præsens corpus pro nobis passum, à quo gratiã accepimus*. Hîc vel cęcus videre potest, hoc discrimen significationis, & præsentię fingi tantum ab Inconstantio, in Chrysostomo autẽ non haberi. Ego in iudicio nunquã sic agendũ existimaui, verba testium pro libidine licere immutare. Nulla est enim causa tam mala, quæ non mutãdo fieri possit optima. Fatemur, Corpus illud, quod proponitur in mensa, edẽdũ esse: illud aũt Corpus, quod sunt pauperes, alẽdũ esse. Et Chrysostomũ videmus ista duo prudenter, & vtiliter conũxisse. Diuersitatẽ aũt istam intelligentię, quasi in altera sermo sit proprius, in altera tropicus, nõ recipimus. Quod autem

E Chrysostomus alibi fateatur, sese imparem esse explicãdo huic tãto mysterio, ad institutũ nihil facit. Et si quid faceret, tamen eadem vis in altera quoque dicẽdi forma inueniretur. Alienũ sanè à causa est, quod omnibus sacramẽtis cõmune sit, id vni tantũ sacramẽto velle propriè accõmodare: quale est, nõ posse ab hominibus inueniri, & explicari rationẽ, qua spiritus sanctus illis vtatur: aut fructus magnitudinẽ, quæ ex illorum legitimo vsu ad nos redeat: aut quo

F consilio Deus nobiscum hoc modo magis, quàm alio agere voluerit. Eandem autem difficultatem in altera quoque parte esse de pauperibus facilè apparet. Illa .n. φιλανθρωπια, qua Christus

Cur sine mysterio non explicari possit.

Christus pauperes suos cõplectitur, nulla quã tũuis diserta oratione expediri potest: nec ab vllo, quamuis prudentissimo, spiritu cogitari. Quare vtrinq; par est explicationis difficultas.

OBIECTVM CXCVIII.

OBIICITVR ex Chrysostomo hom. 11. in Matthæum, in opere, quod dicitur Imperfectum. In sanctis, inquit, vasis non esse corpus Christi, sed tantum mysterium corporis Christi.

GARDINERVS.

De vasis Veteris Testamenti loquitur, quæ Balthazar ausus sit prophanare.

MARTYR.

NVllum est tam vastum, aut tam immane pondus, quod Inconstantius non ausit tollere. Nam verba ista Chrysostomi tam clara, tamque perspicua sunt, vt omnes Papistas debeant deterrere à respondendo. Iste tamen tribus minimum insulsissimis strophis putat se posse ea eludere. Primum quidem ait, *authorem illum eo loco agere de vasis, non Noui, sed Veteris testamenti.* Et sanè verum est, in vasis templi Salamonici, aut tabernaculi Mosaici nõ fuisse corpus Christi. Facit quidem author ille mẽtionem illorum vasorum, que Balthazar polluit in Babylonia, & affecit ignominia: eoque ostendit, illos grauissimè peccare, qui vasa sacra in priuatos vsus transferunt: quod Deus factũ illud impij Regis nõ siuerit abire impunè. Sed iste noster non attendit, id, quod sequitur in Chrysostomo, quodque in obiectione citatur, omnino de nostris vasis intelligendũ esse. Nullæ enim extant loquutiones in Veteri testamẽto, vnde vlla, vel minima suspicio nasci possit, in illis vasis aut Mosaicis, aut Salamonicis fuisse corpus Christi. Cum autem id de nostris vasis post mortem Christi, & Cœnæ institutionem posset aliquo modo dubitari, Chrysostomus explicare voluit, quomodo id esset intelligendum: nempè mysterium, hoc est, sacramentum corporis Christi, non autem ipsum Christi corpus in illis contineri. Atque ita rem se habere, verba ipsa declarant. Non enim dicit, corpus Christi non fuisse in vasis, sed per præsens tempus non esse.

Verum audiamus Scriptoris ipsius contextum. *Si enim vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre peccatum est, & periculum, sicut nos docet Balthazar, qui bibẽs de calicib. sacris, de regno depositus est & de vita. Si ergo hæc vasa sanctificata transferre ad priuatos vsus sic periculosum est, in quibus non est verũ corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur: quanto,* inquit, *magis vasa corporis nostri, que sibi Deus ad habitaculum præparauit? Non debemus lotũ dare diabolo agendi in eis quod vult.* Ex his apparet, quæ sit illorum verborum sententia. Hoc ille probare voluit, grauissimum peccatum esse, permittere corpora nostra diabolo, vt eis abutatur pro libidine, cum illa sint habitacula & vasa Dei. Rationes ducit primum à vasis antiquæ Legis, quę erant sacrata Deo: quod Balthazar, cùm illis abusus esset, & vitam, et regnum amisserit. Deinde à nostris etiam vasis, quæ polluere grauius peccatum esset: quod illa etsi non verum corpus Christi, tamen eius corporis mysterium contineant. Concludit ergo multò omnium grauissimum esse vasa corporum nostrorum velle prodere diabolo, cum ea Deus ipse Op. Max habere velit pro domicilijs. Ex his apparet, secundo loco mentionem fieri de nostris vasis, & ita per gradus ad corpora nostra perueniri.

Cæterum Inconstantius ipse satis vidit, primam illam suam strophan non satis procedere. Itaque secundo loco recipit se ad Erasmum. *Eum* ait *librum prorsus abiudicare Chrysostomo, & authorem notare hæreseos.* Scio Equidem, Erasmum iudicare, librum illum non esse Chrysostomi, sed authoris potius alicuius Latini: quẽ in præfatione in Origenem suspicatur fuisse Maximiniũ Arrianum. Sed miror, Inconstantium nunc tandem Erasmi iudicium tanti facere, cum eum soleat aliàs satis è sublimi contemnere. Sed hoc mea nihil refert. Nam ne ego quidem vnquam iudicaui, librum illum esse Chrysostomi. Nam in eo Arrianismum apertissimum deprehendo. Sed Arriani, quod ego sciam, nunquam eo nomine accusati sunt, quod male sentirent de Eucharistia. De filio, de Spiritu Sancto, de diuina Christi natura merito sunt accusati. Sed quocunque modo se res habeat de libri authore & Arrianismo, certè ob hæc verba, que citantur in obiectione, author nõ potest cuiquam videri Arrianus. Quicquid est, iudicium istud Erasmi, ad quod secundo loco sese Inconstantius contulit, priorem illam strophan prorsus euertit. Nam Erasmus, vt satis liquet ex eius præfatione in illum librum, intelligit, ea verba dicta esse de Eucharistia: & notat authorem, vt de hoc Sacramento minus rectè sentientem. Non debebat Inconstantius, ne constantiæ quidem suæ causa tam *ἀντίφωνος* & tam pugnantia scribere.

Tertia autem strophe est, posse aliquo sensu dari, *sanguinem Christi in vasis nostris non contineri:* quod non sit ibi, tanquam in loco. Sed ista rancida, & putida sunt sophismata iam dudum plus centies confutata: corpus humanum verè, & substantialiter adesse, nec habere aut mensurę, aut loci definitionem.

Postremo cõcludit, Chrysostomũ istũ id velle, quod ille disertissimis verbis negat. *Verba.n.* inquit, *eius hoc valent, vt ostendant, sacramẽta nostra tãtũ ab illis Veterũ sacramẽtis distare, vt nudæ illis figuræ rerũ significatiuæ: nobis aũt adsit simul cũ figura res, vt verum corpus, & verus sanguis in nostris vasis esse possint, et sint.* Quis hoc ex ijs verbis eliceret nisi

Inconstantius? Ille autem potest, quoniam à Sophistica & impudentia habet, vt possit. Alij A non possunt: quia verba ipsa apertissimè docent contrarium.

OBIECTVM CIC.

OBIICITVR ex Chrysost. in cap. 11. Prioris ad Corinth. homil. 27. Quemadmodum Christus, & in pane, & in calice, In meam commemorationem, dixit, facite. Hinc licet colligere, Christū illa verba, non de vero suo corpore dixisse, sed de pane.

GARDINERVS.

VTITVR videlicet in appellatione panis veteri nomine, ratione nominis sublata.

MARTYR.

VTitur hoc loco duobus diuerticulis, vt se se aliquo saltem modo explicet. Primùm, *Chrisostomum vti veteri nomine panis, quamuis ratio eius nominis per consecrationem sit ablata.* Ita videlicet, religiosi isti homines tēperant sibi à tropis. Sed ista est incredibilis licentia, vel tyrā nis potius, id sibi ita liberè permittere, quod ferre non possit in alijs. Verùm hanc audaciam, atque impudentiam satis iam suprà confutauimus, vt hîc non sit opus pluribus. B

Alterum autem diuerticulum multò etiam frigidius est, & impudentius. Ait enim, *Christū in cœna prius dixisse, Hoc facite in meam commemorationē, quā pronunciaret illa verba, Hoc est corpus meū.* Si quæras, qua authoritate hoc dicat: respōdet, Contextum ipsum verborū Cypriani in Sermone de Cœna domini, & Iustini in Apologia 2. hoc statuere. Cæterùm hoc quàm sit infirmum, pueri etiam vident. Imò ne Inconstantius quidem ipse ita cæcus fuit, quin vt id intelligeret puerile esse, eoque subiecit: *Si ex verborum ordine colligere sit tutum.* Audin' tu ista, Lector? Iste quiduis paratus est apprehēdere, modò id putet fore tutū. Sed age, vt proprius accedamus, nónne potest fieri, quod in alijs scriptorib. sæpè accidit, vt isti duo patres inuoluerint aliquantulū, & inuerterint verba sua? Certè ab illis ordinē rei à Christo in cœna gestę petere non debemus. Habemus. n. Lucā, & Paulū in ea re testes multò luculentiores. Illi huius tantū particulæ mentionē faciunt, *Hoc facite in mei cōmemorationē.* Illos mihi specta: illos consule. Nā Patres quidē tantisper audiēdi sunt, quoad eū illis consentiūt. Sed hæc vestra est doctrinæ ratio & importunitas, vt patres pluris velitis fieri, quàm sacras literas. Verùm si plebs, quod alicubi iam pridem cœpit facere, sese aliquando colligat, nunquam, mihi credite, audiemini. C

OBIECTVM CC.

OBIICITVR ex Chrysost. in Psal. 22. Parasti in conspectu meo mensam: vt quotidiè, inquit, in similitudinem corporis & sanguinis Christi, panem & vinum secundum ordinem Melchisedech, nobis ostenderet in Sacramento. Hic notandum est, quod ait, In similitudinem corporis & sanguinis Christi.

GARDINERVS.

ERANT, qui Consubstantialitatē verbo ὁμοούσιον exprimerent: quod verbū ὁμοούσιον simile substantiā sonat.

MARTYR.

LOcus apertissimus est de similitudine corporis & sanguinis Christi. Quid ergo faciet Incōstantius? Quid, nisi vt ad artes suas se recipiat? Recitat primum de Basilio: illum respondisse, ad exprimendam substantiam patris, & filij, se non abhorrere à verbo, ὁμοιούσιον, modò iusta, plenaque significatio adhiberetur: secundum quam putabat id dici simile, quod sit idem. Ita hic, inquit iste noster, similitudinem sanguinis posse prædicari de vero sanguine, qui omnino sit idem: quemadmodum substantia dicitur similis, quæ plane sit eadem. Vt ab eo, quod vltimo loco dictum est, incipiam, substantia sua, propriaque natura non dicitur similis, aut dissimilis: sed vel eadem, vel diuersa. Nam si quando dicatur similis, id habet à qualitatibus. Deinde addo, hanc fictionem non posse conuenire in verba Chrysostomi. Is enim inquit, panem & vinum similitudinem habere corporis & sanguinis domini: panem autem & vinum nemo, opinor, dixerit, eadem esse cum corpore & sanguine Christi. Deinde Chrysostomus talem dicit panem, taleque vinum, qualia prolata sunt à Melchisedecho. Illa autem haud dubiè non erant transubstantiata. Hoc ergo loco similitudo non potest idem esse, quod identitas. D

Sed operæprecium est audire, quid iste porrò somniet. Hanc sententiam ait verborū compositione perplexam esse: eamque ita, si Deo placet, oportere explicari: Paratam esse nobis mensam à domino, in qua ostenderet nobis in Sacramento panem & vinum, quæ Melchisedech obtulit in similitudinem, hoc est, in figuram corporis & sanguinis Christi: Oblationem enim illam fuisse figuram huius sacrificij. Primùm, istam verborum perplexitatem lector ipse facilè per se intelliget ab Inconstantio confictam esse. Nam ea in verbis Chrysostomi nulla est. Quare eam multis refellere non est opus. Sed hic attende, Inconstantium imprudentem, & nolentem E fateri,

fateri, ostendi nobis in Sacramento panem & vinum. Hoc autem non aliud est, quàm Transubstantiationem suam, quam tam strenuè propugnat, tacitè abiurare. Fatetur etiam id, quod semper anteà negauerat, Sacrificia Veterum fuisse vmbras & figuras sacrificiorum nostrorum. Qualis autem ista sit constantia; me tacente, res ipsa loquitur.

OBIECTVM CCI.

OBIICITVR ex Chrysostomo ad Cæsarium monachum. Et Deus, inquit, & homo est Christus: Deus propter impassibilitatem: homo propter passionem: vnus filius: vnus dominus: idem ipse procul dubio, vnitarum naturarum vnam dominationem, vnam potestatem possidens, etiamsi non consubstantialiter existant, & vnaquęque in cōmixta proprietatis conseruat agnitionem, propter hoc, quòd inconfusa sunt duo. Sicut enim, antequam sanctificetur panis, panem nominamus: diuina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etsi natura panis in ipso permansit, & nō duo corpora, sed vnum filij corpus prædicatur, sic & hæc diuina ἐνέργεια, id est, inundante corporis natura, vnum filium, vnam personam, vtraque hæc fecerunt.

GARDINERVS.

NON est hoc Ioannis Chrysostomi, sed Ioannis cuiusdam Constantinopolitani.

MARTYR.

ANte omnia contendit de authore: eumq; negat fuisse Chrysostomum. Fingit autem sibi Iohannem quendam, nescio quē Constantinopolitanum, hominem hactenus inauditum. Quem nisi aliquo monumēto, aut testimonio, aut saltem obscuro aliquo vestigio ostēdat, quinam, & quorum temporum fuerit, quid obstabit, quo minus credamus, istum illū sibi peperisse: maximè cum videamus, Chrysostomum & in Ecclesiastica historia, & ab Augustino, cum ab eo citatur contra Pelagianos, Ioannem Constantinopolitanum appellari? Hieronymus quoque de Viris illustribus illū, non Chrysostomum vocat, sed Antiochenæ Ecclesiæ presbyterum. Sed mitto ista. Hoc multò maioris est momenti, quòd ait, illum nō ponere in Christo naturarum perfectionem, sed consistentiam. Hoc in illis verbis, quæ adducta sunt, non habetur: neque vspiam, quod sciam, ab illo scribitur. Etsi enim duarum naturarum vna in Christo sit hypostasis, aut consistentia, tamen vtraque illa Christi natura perfecta est. Quid enim? Nonne in symbolo Athanasij legimus, Perfectus Deus, Perfectus homo? Quomodò autem esse potest perfectus homo, nisi perfectam habeat naturam humanam? Verùm hoc illum fallit, quod putat, hypostasin pertinere ad naturæ perfectionem. Qua in re multùm hallucinatur. Quanquam mihi non tam hallucinari videtur, quàm stropham quandam huiusmodi sectari, vt dicere velit, etiam naturam panis in Eucharistia imperfectam esse: quòd ibi eius tantum seruentur accidentia. Sic enim posteà scribit: *In Eucharistia notat manere naturā panis: quod & Ecclesia fatetur hactenùs, vt videatur, palpetur, gustetur, corrūpatur iuxta naturæ proprietatem.* Itáne Incōstanti? An ita imperfectam statuis esse naturam humanam in Christo, vt, quod de Eucharistia fingitis, sola eius supersint accidētia? Christus est homo perfectus: &, si Chrysostomi collationem velis persequi, panis quoq; in Eucharistia est perfectus. Ait enim, panē illum dignū habitū esse appellatione corporis Christi, etsi natura panis in illo permaneat. Hîc velim mihi respōderi, quid in illo pronomine, *In ipso*, demonstretur. Certè Chrysostomus de pane loquitur. Quō ergo ei⁹ natura in ipso manet, si panis ipse non maneat? Crede mihi, Inconstāti, vestra ista multò obscuriora sunt, quá antrū Trophonij.

Deinde iste quærit orationē Chrysostomi. Nā quod ille ait, naturas in Christo incōmixtas esse, & conseruare agnitionē proprietatis suæ, quòd sint incōfusæ: & inde se conuertit ad Eucharistiā: iste contrà omnia cōfundit, & miscet; & istā conseruationē proprietatū ad Eucharistiā applicat: deinde accedit ad duas naturas in Christo. Atq; hoc modo prudentiam authoris euertit. Ille.n. mētionē fecit proprietatū illarū, cum de duabus in Christo naturis loqueretur: quòd videret, in ea parte nullū esse periculū ab errore. Nemo.n. Catholicus auderet vnquá ponere in Christo solas proprietates hominis sine natura. Posteà verò, cū loquitur de Eucharistia, disertis verbis ait, non proprietates eius manere, sed panis naturā in ipso conseruari. Sed iste surdis aurib. & dissimulans transit illud, quod Chrysostomus ait, *panē per cōsecrationē liberari ab appellatione panis, quāuis eius natura maneat: illūq; dignū habitū esse appellatione corporis Christi.* Nā hæc verba clarissimè ostēdunt, quomodò panis Eucharistiæ sit corpus Christi: nimirū appellatione, quæ tamen appellatio inanis nō sit. Panis.n. per Cōsecrationē fit mysteriū corporis Christi. Quemadmodū aqua quoq; in baptismo nō amplius aqua nominatur, sed lauacrū regenerationis. Symbola.n. in sacramentis priora nomina deponūt, & noua suscipiūt: cū tamen re ipsa natūrā priorē nō exuāt: idq; in dialogis suis Theodoret⁹ luculentissimè docuit: quod suo loco ostēdimus. Quod autem Chrysostomus addit, *Vnum tantùm corpus prædicari, non duo corpora*;

Ecclesiastica historia.

Natura humana in Christo est perfecta.

Hypostasis nō pertinet ad naturæ perfectionē

rectissimè dicit: & ita dicendo Transubstantiationem prorsus excludit: nec eam tantùm, sed etiam substantialem, realemque præsentiã Nam si alterutrum horum statuas, necesse est, vt fatearis minimùm duo esse corpora domini: alterum, quod sit in cœlo, quod omnes communiter fatemur: alterum autem, quod sub pane, aut sub accidentibus panis delitescat. Atque hoc illud est nobile ingenium Inconstantij, ea afferre firmamenta, & præsidia Transubstantiationis suæ, quibus illa maximè euertatur. Notet autem prudens Lector, Chrysosto-

A mum ad extremum ita scribere, quod attinet ad Eucharistiam, prædicationem esse vnius corporis domini. Ita enim perstat in sententia: nimirùm, appellationem quidem afferri nouã, quod est, symbola nominibus rerum vocari, vt docuit Cyprianus, Augustinus, Cyrillus, atque Theodoretus, non autem naturam corporis Christi re ipsa & substantia vel cum pane, vel cum eius accidentibus coniungi. Quemadmodum autem Eucharistia dicatur constare ex

B duabus naturis, cùm Irenæi & Cypriani verba exponeremus, satis diximus.

OBIECTVM CCII.

OBIICITVR ex Chrysostomo in 10. caput prioris ad Corinth. Quid enim, inquit, appello Communionem? Idem ipsum corpus sumus. Quid nam significat panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt, qui accipiunt? Corpus Christi. Hic habemus, panem significare corpus Christi.

GARDINERVS.

HOC in loco Chrysostomus verba Pauli explicans: Panis, quem frangimus, nónne Communicatio corporis Christi est? Communionis effectum in verbo Communio notat.

MARTYR.

NIhil opus est longo circuitu, vt doceamus, nos omnes, quicunque Christo credimus, esse vnum & idem corpus: illudque appellari corpus Christi, quòd ab illo pendeat, tanquã à capite, atq; ab eo vires, motum spiritualem, & sensum diuinarum rerum hauriat. Effici autem nos corpus Christi, quòd comedamus ore ac dentibus eius carnes, vt isti fingunt, nihil aliud est, quàm mera impostura, & somnium. Hoc potius cogitemus, omnes, quicunque vtiliter, & cum fructu percipiunt Eucharistiam, antè etiam, quàm ad illam accedant, esse illud idem corpus Christi. Nam si extra illud essent, ad iudicium ederent, & biberẽt. Non tamen inficiamur, ex vsu sacramentorum excitari in nobis fidem, qua maior in nos deriuetur copia spiritus, vt nos in mysticum illud Christi corpus magis, magisque insinuemus. Quid autem Apostolus sibi velit ad Ephesios, cum dicat, *Nos esse os ex ossibus eius, & carnem de carne eius*, dictum est suprà. Hoc autem in loco, quem Chrysostomus interpretatur, Paulus nihil aliud significare voluit, quàm panem illum, quem frangimus in cœna, tua similitudine ostẽdere, qualem nos inter nos habeamus Communionem in corpore Christi, qui vera fide Sacramenta percipimus. Id ex eo apparet, quod statim subijcitur, *Nos non esse multa corpora, sed vnum corpus*. Nam quemadmodnm panis ex multis granis ita vnitur & compingitur, vt, quamuis ibi grana re vera sint, ea tamen non extent, nec appareant, sed prorsus inter se mixta sint, & confusa in vnam massam: ita nos quoque & inuicem inter nos, & cum Christo coniungimur. Neque ambigere possumus, Chrysostomum hoc loco agere de illo pane, qui adhibetur pro symbolo in Eucharistia. Ait enim, illũ panem vnitum esse ex multis granis, eaque grana in eo esse: videlicet, quod attinet ad materiam, quamuis ea non appareant, quòd incerta coniunctione sint inter se confusa: quemad-

Qui accedunt ad edẽdum corpus Christi oportet vt prius sint de illius corpore.

C modum fideles quoque inter se vniti & coniuncti sunt, quamuis nexus illi & compagines, quibus inter se committuntur, non appareant. Quare, si panis Eucharistiæ, quemadmodum Chrysostomus, alijque patres dicunt, typus est eius societatis, qua inter se fideles coniunguntur, rectè dicimus, quo ad materiam attinet, illum constare ex granis, & grana ipsa in eo remanere, quamuis non videantur.

Sed incredibile est, quãto iste strepitu & clamore appellet authorem huius Obiectionis adulteratorem verbi & Dei & hominũ. Ait n. is *Chrysostomo non haberi illa verba: Quidnam significat panis? Sed tantũ, Quid est panis? Et illum sibi respõdere, Corpus Christi.* Hoc autem scelus clamat esse inexpiabile. Facito, ita esse: & fateamur, hominẽ illũ, quicunq; fuerit, grauissimè lapsum esse.

D Et, quemadmodũ re vera in Græco habetur, interroget Chrysostomus, *Quid est panis?* Respondeatque *Corpus Christi*. Det ergo nobis Inconstantius, neque tergiuersetur, panẽ esse corpus Christi, vbi iam erit Transubstantiatio? Quomodo possunt duę formę distinctę, aut species, vt loquũtur, disparatæ de se mutuò prædicari? Puto equidẽ, illum, qui ita citauit verba Chrysostomi, Inconstantio voluisse esse magis propitium, quàm ipse velit esse sibi. Neque enim

E istum latuit difficultas ea, in quam se induerat. Conatur quidem sese explicare: sed frustrà. Quanto enim magis, magisque studet enatare, tantò magis, & profundius immergitur. Ait ergo, *Chrysostomum, cum dicat, panẽ, Dominũ ipsum intelligere.* Sit ita sanè. Sed quis tandẽ erit verborũ illorũ sensus? Quid est corpus Christi? Respõdet Chrysostomus, Est corpus Christi. Deinde etiam videamus, an verba illa Pauli, quæ Chrysostomus exponit, possint hũc sensum recipere. *Panis, quẽ frãgimus*, inquit, *nónne est cõmunicatio corporis Christi?* Quis aũt dicat, Christũ ipsũ,

F aut eius corpus in Cœna frãgi? Imò Chrysostomus paulò post satis ostẽdit, de quo loquatur pane.

Illum

Illum enim describit panem, qui constet granis, & in quo grana ipsa existant: etsi non videantur. Nemo autem tam insanus est, vt dicere velit, Corpus Christi constare ex granis. Hæc cum ita sint, satis apparet, cur ille, qui obiecit locum istum Chrysostomi, pro verbo, Est, supponere voluerit, Significat: nimirum, quod videret, neque Pauli, neque Chrysostomi verba posse aliter consistere.

Illum autem obiectionem suam his verbis concluisse, *Hic clarum est, panem significare corpus Christi*, non arbitror. Magis enim puto conclusionem illam, vt alia multa, fictam esse ab Inconstantio: nisi eam mihi in authore ostenderit. Quod autem iste addit, ad calicem Chrysostomum in responsione sua nullam mentionem facere de signo, aut figura, friuolum est. Nam si, quod necesse est fateri, intelligat panem triticeum, quiuis facilè videre potest, loquutionem esse figuratam. At si, vt iste somniat, panem dicat ipsum corpus Christi, figura quidem nulla erit: sed summa erit orationis absurditas, vt idem prædicetur de se ipso, dicaturque, Corpus Christi, est corpus Christi. Nobis autem satis est ex his verbis elicuisse, panem manere in Eucharistia.

OBIECTVM CCIII.

OBIICITVR ex Chrysostomo hom. 83. in Matthæũ. Ista ait esse symbola domini Iesu, quib. obturamus ora Hæreticorũ, qui quærũt, quomodo dominus sit passus. Nisi n. verè habuisset carnem, & verè fuisset passus, hęc, inquit, symbola vana essent.

GARDINERVS.

QVOD hoc in loco scribit Chrysostomus, obturasset huius etiam hæretici os, ni durũ nimis & impudens esses.

MARTYR.

VT venenatam istius λοιμοσχήμων omittam, hoc tantum admonebo, illum, qui locum hunc Chrysostomi proposuit, videri mihi sensum tantum referre voluisse. Nam verba ipsa multo apertius à nobis faciunt. Age enim, verba ipsa Chrysostomi, vt apud illum legũtur, audiamus. *Quando Hæretici*, inquit, *dicunt, Vnde patet immolatum fuisse Christum? & alia multa mysteria: hæc enim afferentes ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum, & signũ hoc sacrificium est?* Si hæreticorum illorum, qui dicebant, Christum neque verum corpus habuisse, neque verè fuisse passum, ora frenantur & consuuntur ex eo ipso, quod Catholici afferunt hoc symbolum, vt certum & verum, quod alioqui falsum esset, nisi Christus verum corpus humanum habuisset, & verè fuisset passus: liquido apparet, quidnam de hoc Sacramento sit credendum: nempè symbolum illud esse: quod vt sit verum, necesse sit ea verè fuisse, quę eo significentur. Significatur autem eo corpus Christi, & eius mors in cruce. Hæc sanè docet Chrysostomus. Et eodem omnino argumento Tertullianus vsus est contra Marcionem. Intempestiuè autem vrget Inconstantius, à Chrysostomo mentionem fieri sacrificij. Quod quoniam quemadmodum accipiẽdum sit sæpè aliàs diximus, non necesse puto, eadem hic repetere: maximè cum id ad institutum huius loci nihil faciat. Neque hîc Inconstantio morem geram: qui sæpissimè, quò deflectat à præsenti causa, quæstiones intexit alienas.

Hic autem sine vlla omnino probatione ait, Sacrificium Ecclesiæ secundum Chrysostomum non ex pane & vino constare, sed ex vero Christi corpore verè præsenti. Sed hoc totum, Inconstanti, cur non aut ex istis, quæ hìc citantur, aut ex alijs verbis Chrysostomi ostendisti? Certè facilè poteras suspicari, nos nudo tuo dicto non ita temerè creditutos: præsertim, cum ex multis testimonijs huius Patris, quę partim iam adducta sunt, videamus, panem & vinum in Eucharistia remanere: neque reali illa vestra præsentia opus esse.

Verum omissa hac trica, videamus porrò, quo iste sese conferat. *Non est absurdum*, inquit, *vt idem corpus sit sui ipsius symbolum, & signũ.* Quid ita? Nam certè ratio nulla adferri potest, cur aliquid sit signum sui ipsius. Hoc enim prorsus inauditum est. Signum enim necesse est differre à significato. Oportet enim inter illa esse relationem: nisi forte de illis rebus velimus loqui, quæ finguntur tantum, & sola imaginatione consistunt. *At*, inquit, *corpus Christi in Eucharistia est signũ sui, quia se ipsum refert, quòd olim tradebatur in cruce.* Atqui longe certius, & manifestius est, corpus Christi mactatũ fuisse in cruce à Iudæis, quàm est, quod isti garriunt, illud nunc delitescere sub accidentibus. Nihil autem est, quod illud ait iam olim præterijsse. Neminẽ enim inuenias hodiè aut Christianũ, aut Iudæum, qui id factum fuisse neget. Qui autem hoc vestrum commẽtum aut inficientur, aut ambigant, inuenies innumerabiles. Consulo igitur & tibi, Inconstanti, & tui similibus, ne posthac tumultuemini, si audiatis nos dicere, Eucharistiam esse symbolum, aut signum corporis Christi pro nobis in crucem traditi.

OBIECTVM CCIIII.

OBIICITVR ex Chrysostomo in priorem ad Corinthios, cap. 10. ho. 24. Iubet, inquit, nobis, vt cũ charitate, & concordia maxima ad se accedamus: & aquilæ in hac vita facti ad ipsum cœlum subuolemus, vel potius supra cœlum. Vbi enim cadauer, inquit, ibi & aquilæ. Cadauer domini corpus propter mortem. Nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas autem appellat,

vt ostendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit: & nihil in terra debere illi esse commune, nec ad inferiora trahi, ac repere, sed ad superiora semper volare, & in Solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere. Aquilarum enim, non graculorum hæc mensa est. Hic ostendit, quemadmodum nobis, cum communicamus, in cœlum ascendendum sit, si Christi corpore frui volumus.

GARDINERVS.

VERBA sunt excitantis nos ad dignè communicandum Christo: cum quo si verè in Baptismo mortui cum eodem resurreximus, quæ sursum sunt, quæramus.

MARTYR.

VT intelligas, Lector, quam hîc perplexe, atque anxiè respondeat, non pigebit me verba ipsa Inconstantij recitare. *Nihil*, inquit, *minuitur de veritate sacramenti. Nam vt præsentia Christi in sacramento cum eiusdem in cœlo præsentia consistit, sic mentis nostræ in cœlum eleuatio illam à Christo in sacramento contemplando non disiungit. Imò qui non videt Christum à dextris sedentem, illum non potest in sacramento videre.* Quod iste priori loco sumit sibi, id à nobis nunquã auferet. Quia corporis Christi præsentia in cœlo, ex diametro pugnat cum eiusdem presentia in sacramẽto: idque, vt Augustinus ait, propter modum veri humani corporis. Posterioris verò alienum, & absurdum est, vt mens nostra si iubeatur ascendere in cœlum ad Christi corpus, illud idem habeat presens in sacramento. Quis enim obiecro, mouetur ad id, quod habet præsens? Inanis esset hæc exhortatio Chrysostomi, si oporteret credere, corpus Christi verè adesse in altari. Neque cuiusquam mens simul atque eodem tempore & in cœlo, & in terra versari potest. Corpore quidem in terris esse, & mente eo dem tempore in cœlo agere licet. Mente autẽ & in cœlo, & in terra simul versari non licet. Nusquam legimus Christum, cum esset in terris, hortatum Apostolos, vt se alibi quærerent, quam vbi esset cum illis præsens. Mihi persuadeo, Apostolos, cum audissent in Cœna domini num de pane dicere, *Hoc est corpus meum*, non in panem, sed in Christum ipsum oculos defixos habuisse. At si Christus istorum doctrinam sequi, & stabilire voluisset, debuisset dicere, Quid me spectatis discumbentem hîc vobiscum? Id potius, quod habeo in manibus, contemplabimini. Ibi enim ego sum: corpus meum iam & hîc, & ibi est: atque ibi quidem incredibili & ineffabili miraculo. Quare me ibi potius inuemini. Verum hæc Christus non dixit. Quare eum imitatus Chrysostomus, eos, qui accedant ad sacram mensam hortatur, vt mente atque animo in cœlum conscendant ad corpus domini. Sed iuxta Inconstantij sententiam, quod Chrysostomus hîc admonet, id alio potius quouis tempore esset à pijs hominibus faciendum: non autem tum, cum celebratur Cœna domini. Nam si ibi corpus Christi presens est, non sunt ablegandi in cœlum, vt ibi illo frui possint. Cætera que hoc loco ab Inconstantio adferuntur, & leuia sunt, nec inter nos controuersa. Omnes enim hoc fatemur, & damus oportere mentes communicantium repurgari à terrenis sordibus, nec amplius huius mundi fecibus immergi.

Mente non licet simul & in terris & in cœlis agere.

Christus non est à posteà locatus, vt suã corpus alibi quærerent, quam vbi ipse præsens adesset.

OBIECTVM CCV.

OBIICITVR ex eodem Chrysostomo in Matthæum, cap. 26. homil. 83. Illi ex Aegypto in Palæstinam erant profecturi: & ideo viatoris habitum habebant: tu de terra in cœlum ascensurus es. Hic hortatur, vt fide in cœlum ipsum ascendamus, ibique, non autem in Sacramento, Christi corpus comedamus.

GARDINERVS.

NOS non, vt Patres, terram terra mutamus: sed feliciore peregrinatione de terra migramus in cœlum.

MARTYR.

CVm peregrinandum sit in cœlum, ad hoc iter ait Eucharistiam esse viaticum. Excitari nos hoc sacramento, vt ascendamus in cœlum, nõ inficiamur. Imò hac maximè causa prædicamus externum Dei verbum, & sacramenta esse instituta. Verum id ad hoc institutum non pertinet. Iam antea enim expediuerat Chrysostomus, quorsum nobis animo contendẽdum sit in cœlum, interim dum celebramus Cœnam domini: nimirum, vt accedamus ad corpus Christi: quod corpus si realiter, & substantialiter haberemus præsens in sacramento, nihil esset causæ, cur ascenderemus in cœlum. Ibi enim, vt isti dicunt, illud habemus: ibi illud fide contemplamur: ibi illud realiter comedimus: ibi illud præsens adoramus. Nihil ergo opus est viatico, vt ad illud perueniamus. Neque verò loquitur Chrysostomus de ascensione

Perfringitur viatici Papistici.

ne nostra in cœlum post hanc vitam : sed de profectione spiritus ac mentis nostræ, qua interim dum cõmunicamus, in cœlum eundum sit. Sed Inconstantius obliuisci non potest sodalium suorum Papistarum. Illi enim magno cum scelere idololatriæ panem deferunt ad ægrotos iam propè moribundos : eumque magna pompa funalibus & tintinnabulis ornant, & publicè per plateas iubèt ab omnibus adorari. Atque hunc cibum, quem ita omni superstitionis & idololatriæ scelere contaminarunt, si Deo placet, appellant viaticum.

Atqui obtrudit etiam præterea nobis verba Chrysostomi ex tertio eius libro de Sacerdotio. Ea autem refert ad hunc modum. *O immensam Dei benignitatem: qui in cælo regnans cum patre, sursum sedens, & nostris manibus tenèris in terris: non eo modo, quomodo caro cogitat: quæ omnis prorsus abijcienda est: sed admirabili modo, non manifesto, sed in mysterio: quod spirituale est opificium, nimirùm ipsius spiritus.* Hæc ad hunc modum dico retulisse Inconstantium. Re enim vera longè aliter habent apud authorem. Sic enim scribit Chrysostomus: *O miraculum: ô Dei benignitatem. Qui cum patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur: ac se ipse tradit, volentibus ipsum excipere atq; complecti. Fit autem id nullis præstigijs, sed apertis ac circumspicientibus omnium circumstantium oculis.* Ista Inconstãtius, vt habebant in Chrysostomo, citare noluit : partim vt perfidiam suam proderet, quam sæpe in nobis immerito maximis clamorib. accusat : partim quòd hæc verba videret Papistarum suorum superstitioni vehementer obstare. Illi enim magna religione cauẽt, ne laicus quispiam manibus attingat Eucharistiam : quasi id vni tantùm vnctorum generi licere debeat. At Chrysostomus ait, corpus Christi omniũ manibus pertractari. Quomodo autem manibus teneatur corpus Christi, non est difficile dicere : nimirum quòd eius sacramentum tractetur manibus. Idq; satis indicauit Chrysostomus, cùm subijceret, hoc fieri omnium circumstantium oculis apertis & circumspicientib. Atqui nulli ex astantibus apertis oculis vidẽt corpus Christi. Panem quidem vinumque vident : quæ, quòd sint sacramenta corporis Christi, illis ipsis vocabulis appellantur. Atqui hoc pacto Chrysostomus ait, corpus Christi attrectari.

Quanta autem sit hyperbole in ijs verbis Chrysostomi, antecedentia verba satis declarant. *Nam dum conspicis*, inquit, *Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem ac preces fundentem: cùm vero turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari, & in terra consistere censes? An non potius è vestigio in cælos transferris? an non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mente pura circumspicis, quæ in cœlo sunt?* Nemo ita est hostis figurarum, vt opinor, qui videre non possit, hæc omnia esse figurata. Quis enim propriè & sine figura dixerit, Christum in cœna immolari? Quis turbam circumfusam Christi sanguine rubefieri? Nam in cœlum quidem non transferimur, nisi mente ac spiritu. Ita enim, vt sæpe docui suprà, prorsus eleuamur, atque ibi, vt Chrysostomus ait, Christi corpus contemplamur. Quamobrem locus iste Chrysostomi Inconstantium parum iuuat. Imò hîc quoque ille pater sententiam pro nobis dicit. Remittit enim nos in cœlum, vt ibi corpus Christi cõplectamur. Sed isti volunt, non tantùm corpus Christi eodẽ tempore in locis esse propemodum infinitis, verùm etiam mentem atq; intelligentiam humanam simul eodemq; momento & in terris versari, & in cœlis.

OBIECTVM CCVI.

OBIICITVR ex Hieronymo ad Hedibiam. Nos autem, inquit, audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Saluatoris : ipso dicente ad eos : Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Hîc videmus, panem appellari corpus Domini.

GARDINERVS.

HIERONYMVS fatetur esse, quod à Domino est factum. At quomodo sit factum, nihil dicit. Ergo Ecclesiasticæ doctrinæ illis verbis non contradicit.

MARTYR.

NOn habet Hieronymus in ijs verbis, quid aut factum, aut non factum fuerit. Tantùm ait, Panem esse corpus Seruatoris : quod modò rectè intelligatur, verum esse concedimus. Nisi autem esset panis in Eucharistia, quod sensus isti renunciant, Hieronymus cum alijs patribus non ita scriberet : sed vel semel saltem dixisset, ea, quæ sentiuntur, esse accidentia sine subiecto. Atqui hoc Patres nunquam docuerunt. Quid ergo nobis, si probabilitatem sequi volumus, credendum est? An quod illi perpetuò & constanter cum consensu diuinarum literarum, quæ in Eucharistia agnoscunt panem, testantur & scribunt : an potius quod Inconstantius dicit quidem semper, sed nunquam probat, & sine vllo cuiusquam patris testimonio perpetuò clamat?

Adhæc cùm panis dicitur esse corpus Chri-

sti, iste contendit, eius effectionem esse intelligendam. Dominum enim fregisse id, quod consecrauerat. Quod priori loco dicitur, Panem factum esse corpus Christi, quod attinet ad mysterium aut sacramentũ, non negamus: quamuis Hieronymus illo in loco ea de re nihil dicat. In altero verò mirum est, ni Inconstantius magnoperè impediatur. Cogitur enim dicere, vel accidentia, vel corpus Christi frangi: quorum vtrunque est absurdissimum. Nam corpus Christi à resurrectione pati amplius non A potest: & Scripturæ testificantur, non accidentia frangi, sed panem. Quocunq; ergo se vertat Inconstantius elabi non potest. Callidè autem dissimulat id, quod Hieronymus eodem illo loco dicit: videlicet, vbinam vera communio cum sanguine Christi habeatur: non sanè in symbolo, quod ore percipitur, sed in cœlo: eò enim fide ac mente ascendendum esse. Ita enim scribit: *Et accipiamus ab eo sursum calicem Noui Testamenti: ibiq; cum eo Pascha celebrantes inebriemur ab eo vino sobrietatis.* B

OBIECTVM CCVII.

OBIICITVR ex Hieronymo in Esaiam cap 66. lib. 18. Omnes voluptatis magis amatores, quàm amatores Dei, sanctificari in hortis, & in liminibus: quia in mysteria veritatis non valent introire: & comedere cibos impietatis: dum non sancti corpore, & spiritu, nec comedunt carnem Iesu, nec bibunt sanguinem eius: de quo ipse loquitur, Qui comedit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: qui non foris, sed in domo vna, & intus comeditur. Ex his verbis constat, impios non comedere carnem Christi nec sanguinem eius bibere.

GARDINERVS.

HIERONYMVS notat, quid ad dignam manducationem exigatur, vnde effectum Eucharistiæ proprium assequamur.

MARTYR.

HVic loco Hieronymi Inconstantius duobus tantùm verbis putat se satis respondisse. Primùm enim ait, Hieronymum loqui tantùm de manducatione fructuosa, deque ea, quæ afferat æternam vitam. Ideoque quod non rectè fit, id Hieronymum negare omnino fieri. Deinde citat aliam Hieronymi sententiam in 1. cap. Malachiæ. Ibi enim ait, malos polluere corpus & sanguinem Domini, cùm mundum sanguinem sordidi & polluti bibant. C Quod ad primum attinet, damus id, quod iste sibi sumit, Hieronymum loqui de fructuosa manducatione carnis Domini. Sed hoc addo, aliam manducationem nullam esse corporis Christi. Manducationem quidem sacramenti & symbolorum sæpe damnosam esse non dubitamus. Caro autem Christi vera & propria, cùm non possit sine fide manducari, non potest cuiquam comedenti esse infructuosa. Panis quidem potest indignè comedi, vt Paulus D ait: non autem corpus Christi: & præsertim si loquamur de ea indignitate, quæ excludat veram fidem. Ea verò quæ hîc citantur ex Hieronymo in Malachiam, eatenus tantùm pertinent ad corpus Christi, quatenus externum symbolum eius nomine appellatur. Idque Hieronymus ipse videtur dicere, qui in illa verba Malachiæ, *Vos sacerdotes, qui despicitis nomen meũ*: ita scribit: *Dum enim sacramenta violantur, ipse, cuius sunt sacramenta, violatur.* Quod agnouit & Cyrillus, qui libr. 2. in Ioannem, cap. 4. *Velutietiam*, ait, *qui regis alicuius terreni statuas euerterit, non aliter ac si regem contempsisset, punitur.* Docemur itaque, contumeliam symbolis factam in ipsum Christum; cuius sacramẽta sunt, redundare. Quare ij Patres paucis verbis discrimen ponunt inter sacramenta, & eum, cuius sunt sacramenta. Qua de re plura dicerem hoc loco, nisi & multa mihi de eadem iam dicta essent, & plura posthac dicenda.

OBIECTVM CCVIII.

OBijcitur ex Hieronymo in Hieremiam cap. 22. lib. 4. Omnis hæreticus nascitur in Ecclesia: sed de Ecclesia proijcitur: & contendit, & pugnat contra parentem: quod infert, Non comedent, & non bibent, subauditur corpus, & sanguinem Saluatoris.

GARDINERVS.

Mores notat hæreticorũ: qui dum sacramenta prorsus contemnunt, contendunt & pugnant aduersus parentẽ.

MAR-

MARTYR.

CVm verba Hieronymi tam aperta sint, vt nullo modo negari queant, tamen iste putat se inuenisse stropham, qua vim obiectionis impediat. *Hoc*, inquit, *vsu venit hæreticis, vt nec comedant, nec bibant corpus & sanguinem Domini, quòd sint contentiosi, & pugnent contra matrem Ecclesiam: atque ex eo fit, vt Catholici cum illis non libenter communicent. Vnde vel nemo dat eis, vel ipsi se non ingerunt, vt accipiant.* Miror verò istum hac præsertim ætate tam impudenter scribere. Nónne enim sciebat, Papisticos episcopos cogere illos, quos appellant Lutheranos, in suis quosque parochijs, vt semel saltem in anno accipiant Eucharistiam? Non ergo potuit verè dicere, neminem illis dare Eucharistiam: nisi fortè negare velit, eos se habere pro hæreticis. Deliberet ergo, vtrum velit dicere, multósne esse, qui hæreticis porrigant Eucharistiam: an se non putare Lutheranos esse hæreticos.

Ad hæc, an ita est aut historiarum veterum, aut suorum temporum imperitus, vt nesciat, hæreticos olim habuisse templa sua, in quibus mysteria celebrarent, eosque à suis ministris accepisse sacramenta, etiamsi excluderentur à Catholicis? Eosque, quos ipse appellat calumniosè Lutheranos, re autem vera Euangelicos, & verè Christianos, habere sacros cœtus, eosque, si cum Papisticis synagogis conferantur, longè purissimos & purgatissimos, vbi maxima frequentia & pagi, & oppida, & totæ sæpe ciuitates communicent? Valde fragilis est stropha ista tua, Inconstanti, duobusq; modis facilè infringitur: vel quòd Papistæ tui Lutheranis, quos appellant hæreticos, etiam nolentibus obtrudunt suam Eucharistiam: vel quòd hæretici suos conuentus, suaque templa & sacramenta & olim habuerint, & si hæretici sint, quos vos ita contumeliosè appellatis, nunc obtineant.

Dices fortasse, illorum mysteria non esse sacramenta. Hoc si dices, verum certè non dices. Nam etiá hæretici, modò ea faciant, quæ Christus instituit, sacramenta habent: etsi sibi inutilia. Itaque ratio ea vbique seruatur in Ecclesia, vt baptizati ab illis ne postea rebaptizétur: & Cypriani de ea re sententia omnino abrogata est. Quare hæretici, modò seruent institutum Domini, habent in suis illis conuenticulis Eucharistiam: interim tamen, quemadmodũ Hieronymus dicit, corpus & sanguinem Domini nec comedunt, nec bibunt.

Hæretici habent sacramẽta, si faciãt quæ Dominus & dixit et instituit.

OBIECTVM CCIX.

OBIICITVR ex Hieronymo in Hoseam libri secundi capite octauo. Isti hæretici, inquit, multas immolant hostias, & comedunt carnes earum: vnam Christi hostiam deserentes, nec comedentes eius carnem: cuius caro cibus credentium est. Quid potest dici clarius, quàm quod Hieronymus ait hoc loco, hæreticos & impios, non comedere carnem Christi? Illam enim ait cibum esse credentium, qui suscipiendus sit fide.

GARDINERVS.

CRIMEN exaggerat hæreticorum, &c.

MARTYR.

RÉsponsum Gardineri, vt illud vno verbo repetam, est, Hieronymum crimen hæreticorum exaggerare, & referre, non quid ab illis fieri possit, sed quid fiat. Sed quid hoc ad rhombum? Nam si caro Christi, vt vos dicitis, omnino præsens esset in Eucharistia, hæretici cùm eam percipiunt, perciperent etiam carnem Christi: etsi id ad iudicium & condemnationem suam facerent. At Hieronymus ait, eam illos non comedere. Necesse ergo est, vt isti alterutrum horum duorum mihi concedat: aut corpus Christi non latére realiter sub pane, aut sub panis accidentibus: aut hæreticos nunquam recipere Eucharistiam. Eam autem illi recipiunt: quod non tantùm veteris memoriæ testimonio, sed etiam ætatis nostræ consuetudine probatur. Quare necesse est, vt isti fateantur ex Hieronymi sententia, Corpus Christi non latére sub illis accidentibus: quod toties & tam impudenter iactant. Et si Hieronymus, vt Inconstantius ait, dicat, quid fiat, sequitur necessariò id, quod nos dicimus, impios non comedere carnem Christi. Neque nos hoc loco quærimus, quid fieri possit. Non enim dubitamus, posse fieri, vt qui nunc sunt hæretici, conuertantur & resipiscant, & mente ac spiritu verè comedant carnem Domini.

Neque verò nobis dissimulanda est ratio illa Hieronymi, qua probat, hæreticos non comedere carnem Christi: *Quoniam*, inquit, *est cibus credentium.* Quare cùm destituantur fide, non possunt comedere carnem Christi, quantumuis recipiant sacramenta.

Quare hæretici Hieronymo dicuntur non comedere carnẽ Christi.

OBIECTVM CCX.

OBIICITVR ex eodem Hieronymo cap. 26. Matth. Pane & vino ait repræsentari corpus & sanguinem Domini.

GARDINERVS.

Corruptè hùc citant Hieronymum: qui non loquitur, vt hîc argutator, In pane & vino: sed sic habet.

MARTYR.

PRimùm Inconstantius authorem huius argumenti arguit falsi, quòd deprauarit, & corruperit verba Hieronymi: idque quò magis esset perspicuum, verba ipsa Hieronymi voluit adscribere. *Postquam*, inquit, *Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum paschæ transgreditur sacramentum: vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis repræsentaret.* Queritur Inconstantius, verba ista non ita citari, quemadmodum leguntur apud Hieronymum. Quasi verò ipse hoc nunquam faciat, nec vnquam sibi satis putet, si sensum tantùm authoris indicarit. Cur ergo ita indignatur, id à nostris interdum fieri, quod ipse sibi sæpissimè permittit? Sed videamus, quàm author huius argumenti meritò grauetur. Verbum illud, Repræsentare, quo in eadem re vsus est Tertullianus, accepit pro eo, quod est, aliqua imagine quippiam, aut similitudine referre. Idque eo verbo significari, suprà ostendimus. Quare quod quidem ad hoc attinet, nec erroris, nec falsi damnari potest. Quidnam autem illud esset, quo Dominus repræsentarit corpus suum, nihil aliud vidit esse quàm panem: de quo Hieronymus ab initio dixerat, Assumit panem. Dixit ergo, pane factam esse hanc repręsentationem, quòd aliud instrumentum in verbis Hieronymi non occurreret. Hîc iam operæpretium esset videre, vtrum corpus Christi pane melius & verius repræsentetur, an, vt Inconstantius fingit, accidentibus. Sed quoniam de hac re sæpius iam suprà diximus, planumque fecimus, sacramentalem analogiam aptius & melius in pane, quàm in accidentibus retineri, non arbitror, aut plura dicenda, aut eadem hoc loco repetenda.

Sed clamabit Inconstantius, Repræsentare, apud Hieronymum esse, corpus Christi, re ipsa exhibere. Sed quoniam id cum locis illis Hieronymi, qui hîc citati sunt in Obiectionibus, nullo modo potest conuenire (ait enim, impios & hæreticos non comedere carnem Christi) idcirco vt vanum & commentitium explodetur. Quod autem Hieronymus ait, Veritatem corporis sui, id Inconstantium nihil iuuat. Nihil enim id aliud sibi vult, quàm hoc sacramentum testimonio esse, Christum nõ fictum, aut phantasticum, sed humanũ & verum corpus induisse. Eius enim corporis veritatem & Tertullianus & Chrysostomus, & alij patres firmissimè concluserunt, ex sacramento Eucharistiæ. Nec immeritò Hieronymus ait, Dominum, cum hoc mysterium institueret, ad verum paschæ sacramentum accessisse, aut, vt Cyprianus ait, ad reuelatæ figuræ veritatem. Id enim iam expresè, & verbis disertissimis patefecit, quod mactatio paschalis agni Patribus obscurius adumbrauerat: nimirùm, se iam iamque de suâ ipsius carne sacrificium Deo longè suauissimum in ara crucis facturum esse. Figuram autem notiorem, clariorem, efficaciorem obscuriori figuræ in hoc mysterio substitutam esse, non est absurdum: etsi Sophista nostro secus videatur. Euangelica enim sacramenta à Patribus sæpissimè & signa, & figuræ, & typi appellantur.

OBIECTVM CCXI.

OBijcitur ex Cyrillo ad obiectiones Theodoreti. Sacramentum, inquit, nostrum non asseuerat hominis manducationem, mentes credentium ad crassas cogitationes irreligiosè introducens, & humanis cogitationibus subijcere enitens ea, quæ sola, & pura, & exquisita fide capiuntur. Neque enim, quia diuinitatis natura non comeditur, propter hoc commune quis dixerit sanctum corpus Christi. At vos dicitis, Sacramentum nostrum esse ἀνθρωποφαγίαν, quemadmodum dixerunt Capernaitæ.

GARDINERVS.

NON hæc Cyrilli, sed nequissimi hominis Oecolampadij adulteratis Cyrilli verbis figmenta.

MAR-

MARTYR.

NIhil opus est, vt te moneam, pie Lector, quanta iste rabie & petulantia inuehatur hoc loco in Iohannem Oecolampadium, & doctrina, & moribus, & sanctitate singularem virum. Hoc enim satis ipse per te vides. Quàm autem verè in eum, quamque iustè ita debacchetur, operę precium est, paucis dicere. Primũ calumniatur, illũ Græca Cyrilli scripta vitiasse. Vnde autem id probet, nihil habet, nisi antiquam quandam versionem Basileæ ante multos annos, & Coloniæ nuper excusam. Nam in in ea legi ait, Humanam commixtionem, non autem, vt Oecolampadius transtulit, Humanam comestionem: & idcircò consentaneum esse, vt legatur Græcè, ἀνθρωποφαγίαν, non autẽ ἀνθρωποφαγίαν. Primùm, antiquam illam versionem non oportet pluris facere, quàm meretur. Nam cùm ea alibi quoque sæpe longè aberret à sensu Cyrilli, non video, cur non hîc etiam potuerit esse non syncera. Proferat nobis Inconstantius tantus, scilicet, antiquarius textũ Cyrilli Græcum emendatum. Id nisi possit, ignoscat nobis, si velimus Oecomlampadij Græca retinere. Nam istis coniecturis, præsertim ad calumniam comparatis, moueri nõ debemus. Neq; verò res ista carere potest certo & firmo argumento. Inspiciatur Græcus codex, quem vertit Oecolampadius. Extat adhuc, & asseruatur Basileæ. Inde, qua eum fide Oecolampadius transtulerit, cognosci potest. Quod autẽ ad rem ipsam attinet, ἀνθρωποφαγία, quam vocẽ nobis dedit Inconstantius, non potest hic habere locum. Nam, ne nescias, Nestorius erat, contra quem Cyrillus disputauit. At ille commixtionem aut confusionem naturarum in Christo non statuebat. Imò contrà potius naturam in illo diuinam nimium ab humana natura distrahebat. Duas enim esse voluit in Christo hypostases. Quare Cyrillus rectè contra illum argumẽtatur. Nam si ita res haberet, nos, cùm in Eucharistia comedimus carnem Domini, hominem comederemus, non Deum: si quidem diuinitas & humanitas sint, vt Nestorius errabat, naturæ diuisæ. Nam in Euangelio Christus ait, carnem suam esse comedendã: neque diuinæ naturæ conuenit, vt comedatur. Id ergo ait Cyrillus, vt arguat, Nestorium facere duos Christos, eumq; statuere, nos in Eucharistia comedere nudum hominem. Vtrunque autem horum ait falsum esse. Vnum enim tantùm esse Christum: & nos in Eucharistia non ἀνθρωποφαγίαν celebrare, verùm Dei carnem edere, & Dei sanguinem bibere, Christi videlicet, qui & Deus est & homo: non duplex tamen Christus, sed vnus. Atq; hæc dicta sint de illis vocibus, ἀνθρωποφαγία, καὶ ἀνθρωποµυγγία. Nihil autem moror discrimen illud inter humanam manducationem, & hominis manducationẽ. Satis enim liquet, Cyrillũ de ea re, quæ comeditur, ista scribere: eumq; testari, à nobis in sacra cœna hominem purum & nudum non comedi. Nihil ergo opus erat illa strophа, quasi Cyrillus verbo ἀνθρωποφαγίας, notare voluerit modum humanæ manducationis.

Quòd autẽ Oecolampadius in versione sua διαζευκτῶν) pro διαζευκτῶν: & πλεκτὸν pro πλεκτῶν: & ἐπιχειρῶν pro ἐπιχειρῶν legisse videri possit, ex eo, quòd in epistola sua locum illum Latinè reddidit, id ego non magis excuso quàm oportet. Facilè enim fieri potest, & solet in vertendis authoribus, maximè si opus prolixum sit, vt error aliquis obrepat. Aliquando enim bonus dormitat Homerus. Atq; opere in lõgo fas est obrepere somnum. Fieri etiá potest, vt ille ex Græco codice prius manu sua Græca descripserit, &, quod doctissimis viris sępe accidit, in describendo lapsus sit: postea verò cùm verba illa Latinè redderet, non respexerit ad id quod describserat, quodque postea impressit, sed ad exemplar ipsum, vnde ea exceperat. Atque ita mihi videtur factum, vt illius versio textui illi, quem proponit lectoribus, ex omni parte nõ respondeat. Posset etiam fortasse huius varietatis alia causa verisimilior assignari. Hoc autem, meo iudicio, est extra omnem cõtrouersiam, illum, si voluisset fraudem facere, non fuisse ea Græca propositurum, quibus ipsius versio per omnia non conueniret. Sed quemadmodum Inconstantius calumniatur, illum vnam vocẽ ἀνθρωποµυγγίαν, deprauasse, ita hoc quoq; loco ea, quæ parum placuissent, facilè potuisset immutare.

Sed his omissis, agamus paulò candidius. Facito, in illis vocibus, quas Inconstantius animaduertit, Oecolampadium errauisse. Legamus ea, quæ ille postea edidit emẽdatius, cùm Anathematismos & reprehensiones Theodoreti, & Cyrilli oppositiones conuerteret. Hæc enim eadẽ verba in Anathematismo 11. ita Latinè reddidit: *Num igitur asseris, esse quendam alium filium & Christum, præter verbum ex Deo, quod apparuit? cui & soli attribuatur Apostolatus negotiũ? Num hominis comestionem nostrum hoc sacramentũ pronuncias? Et irreligiosè ad crassas cogitationes vrges eorum, qui crediderunt, mentem? Et attentas humanis cogitationibus tractare, quæ sola, pura, & inexquisita fide accipiuntur? Quoniam enim minimè editur diuini verbi natura, propter hoc commune dixerit quis sanctum corpus Domini?* Hæc posterior, & attentior versio satis indicat, Oecolampadium potuisse etiam illam alterã priorem magis ad Græcam veritatem exprimere. Vocem tamen illam ἀνθρωποφαγίαν, etiam in hac versione retinet: quod argumento est, illum in suo Græco codice eam omnino inuenisse. Imò & in Latino libro curauit, vt vox illa ἀνθρωποφαγία, adscriberetur ad marginem: vt Lector admoneretur, Græcum exemplar sic habere. Miror autẽ Gardinerum ita furere, maximè cùm inter nos satis conueniat, Christum & Deum & hominem manducari: tota autem controuersia in ratione manducationis sita sit. Nos enim eam menti, & fidei: ille ori, ac dentibus tribuit. De his rebus hoc loco Cyrillus contra Nestorium non disputat. Hoc tantùm ait, si sequamur eius

delirium, & duas naturarum hypoſtaſes in Christo ſeparemus, nos omninò puri hominis carnes comeſturos: idque vocabulo ἀνθρωποφαγίας expreſsit.

Ἐξιτήλους, Oecolampadius vtrobique vertit, Craſſas: Inconſtantius autem magis probat, caliginoſas: quaſi verò aer caligine non craſſeſcat. His addo, vocem eam ſignificare etiam adulterinum, non ſyncerum, non germanum, & per metaphoram, ſocors, iners, ignauum. Sed hæc leuiora ſunt, quàm vt in hac diſputatione longam orationem deſiderẽt. Cæterùm hoc velim, vt Incõſtatius mihi reſpondeat: cur ipſe, cùm Oecolampadij verſionem damnet, nõ interponat ſuam. Nam illa altera antiquior nec intelligitur, nec bene congruit. Non eſt profectò candidi hominis & veritatem quærentis ea, quæ ab alijs afferuntur, delere, & meliora non reponere.

Iam ad illud accedo, quòd ait, in Græcis codicibus ſcriptum fuiſſe ἀνθρωποτοκίαν: quòd ea vox alijs Cyrilli dictis maximè congruat. Citat autem locos ex interpretatione primi Anathematiſmi, & ex epiſtola quadam ad Succeſſum: vbi Cyrillus diſertis verbis mixtionem, confuſionem, contemperationem Verbi cum humana natura deteſtatur & abhorret. Ea quidem vera ſunt. Non enim Verbum confuſum eſt aut permixtum humanæ carni, ſed in ea coniunctione duarũ naturarum in eandem hypoſtaſin integrum & manſit, & manet. Id autem falſiſsimum eſt, quod ait, Neſtorium tale quiddam ſignificaſſe. Ille enim contrà potius Chriſtum nimium diuidebat, vt ex vno duos faceret: idque illi vitio datur hoc ipſo in loco, quem habemus præ manibus. Errores autem Neſtorij & Eutychetis cùm diſſideant δὶς δυὰ πλῶν, non debent inter ſe ita copulari, quaſi ijdem fuerint. Quorſum ergo interroget Cyrillus Neſtorium, an putet, ſacramentum noſtrũ eſſe hominis commixtionem, cùm ille duas in Christo naturas ponat, easque longè diſiunctiſsimas?

Natura verbi nõ eſt commixta neq; confuſa cũ carne.

Conſilium Epheſinum

Nunc autem viciſsim videamus ex Concilio Epheſino, quàm vox illa, ἀνθρωποτοκία, conueniat contra Neſtorium. Ibi enim hoc negotium vniuerſum explicatur. Eſt in actis illius Concilij epiſtola communi Patrum homine ſcripta ad Neſtorium, in qua inter cætera hæc habentur: *Sic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes ſancti corporis & pretioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrũm redemptoris effecti: non vt communem carnem percipientes, quod abſit, nec vt viri ſanctificati, & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnionem, aut ſicut diuinam poſſidentes habitationem: ſed verè viuificatricem, & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, vt Deus exiſtens, quia propriæ carni vnitus eſt, viuificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Et ideò, quamuis dicat ad nos: Amen, amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: non tamen eam vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam ſuam viuificatrix eſſe caro poterit hominis? Sed, vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis eſt factus, & vocatus. Eas autem voces, quas Seruator noſter in Euangelijs protulit, non in duabus ſubſiſtentijs, aut perſonis omnino patimur: non enim duplex eſt, ſed vnus Chriſtus.* Hanc ego epiſtolam non dubito dictatam fuiſſe à Cyrillo. Is enim illi Concilio non interfuit ſolùm, ſed etiam præfuit. Diſputauit autem contra Neſtorium, quòd ille Chriſtum diuideret in duas hypoſtaſes, & geminum, non vnum faceret. Confuſionis autem naturarum illum nunquam arguit, ſed nimiæ potius diſtractionis. Et inter cætera ait, Euchariſtiam noſtram non eſſe comeſtionem puri & nudi hominis: quod non eſt aliud, quàm mutatis verbis negare ἀνθρωποφαγίαν. Veriſimile ergo eſt, optimum illum virum Oecolampadium vocem illam, ἀνθρωποφαγίαν, quam inuenerat in Græco, fideliter retinuiſſe, neque quicquam prorſus adulteraſſe. Imò Cyrillus ipſe de Incarnatione Vnigeniti contra eundem Neſtorium diſputans capite vigeſimotertio ita ſcribit: *Etſi exitus Legis & Prophetarum Chriſtus eſt, eſt autem homo theophorus, nonne dicere liceat, quod propheticarum prædicationum exitus ἀνθρωπολατρείας crimen nobis induxerunt?* Hic quoque apparet, Neſtorium non confuſionis, aut mixtionis, ſed potius diuiſionis & diſiunctionis accuſari.

Quòd autem Inconſtantius, vt ſolet, diſcedens à cauſa hoc obſeruat, pro abſurdo haberi à Cyrillo, myſterium Chriſti probari humanis rationibus, id contra nos nihil facit. Nos enim vnionis diuinæ atque humanæ naturæ in eadem hypoſtaſi, non quærimus probationes, aut à ſenſu noſtro, aut ab humana ratione. Eius coniunctionis à Scripturis ſolis petimus teſtimonia: neque ea pugnat cum vllo articulo noſtræ fidei. Hæc autem ſi ad Euchariſtiam, vel potius ad veſtras fictiones & ineptias transferas, videbis ſimilitudinem nõ congruere. Panis enim & vinum ſenſu & ratione cognoſci poſſunt: & corpus humanum ſuas habet dimenſiones, & membra, & lineamenta, de quibus ſenſus & ratio poſsint iudicare. Et ſcimus, duo contradictoria non poſſe ſimul eſſe vera: vt idem ſit humanum corpus, & non ſit humanum corpus eodem tempore. Scimus etiam non poſſe fieri, vt accidentia diſtrahantur à ſubiecto. Neque obſcurum erit rem diligenter expendenti, quàm huiuſmodi præſtigiæ aduerſentur aſcenſioni Domini, & veritati humanæ naturæ. Adhæc Scripturæ teſtantur, Chriſtum contineri in cœlo, quod ad corpus attinet: eademque in Sacramento agnoſcunt panem. Nihil ergo eſt, quod Inconſtantius debeat vnionem Verbi cum humana natura cum ſuis iſtis fictionibus conferre. Poſſem etiam huc addere, quemadmodum nos quoque doceamus, ſacramentum Euchariſtiæ non poſſe humana ratione comprehendi. Sed quoniam ea de re ſatis iam ſuprà diximus, nunc & tempori & chartæ parcendum arbitror.

Quòd autem iſte quærit, quomodo manducatio

catio hominis conuenire posit controuersiæ illi, quam Cyrillus habuit cum Nestorio, etsi iam responsum puto, tamen, vt res magis intelligatur, hoc etiam addam: Si humana natura, vt Nestorius putabat, ita separetur à diuina, Caro Christi, quæ in Sacramento per fidem & spiritualiter comeditur, esset caro puri nudiq; hominis. Id.n. ex doctrina Nestorij rectè infertur. Docebat enim, Christum ita esse alium à verbo Dei, vt hypostasi etiam distingueretur. Nam purum hominem asserebat natum esse ex Virgine, non autem Deum. Quam sententiam, vt suprà ostendi, Ephesina Synodus oppugnauit & damnauit.

Quid sit Apostolatus Christi.

Adhæc iste quærit, Quid Apostolatus commune habeat cum manducatione? Respondeo, Cyrillum per Apostolatum Christi intelligere ministerium Christi, & œconomiam salutis nostræ, quam obijt in carne sua. Ea verò si tribuatur Christo cuidam alij, & disiuncto à verbo Dei, necesse est illum purum esse hominem. Absurdissimum autem fuerit, hujusmodi hominis carnem, vel dentibus, vt isti fingũt, vel, vt nos docemus, fide ac spiritu, tãquam saluificam & salutarem comedere. Non ergo ista, vt ea videri vult Incõstantius, ita remota sunt, aut ita procul à se distantia, vt non queant coniungi.

Iam supereſt, vt dicam, cur cogitationes istas Nestorij Cyrillus appellet ἀξυνέτους, hoc est, ignauas, degeneres, socordes: aut crassas, vt nõ malè vertit Oecolampadius. Nam aër, vt dixi, caliginosus non potest non esse crassus. Eas aũt idcirco ita vocat, quòd Christum purum esse hominem, & tãtùm à diuina natura illustratũ, & in eius complexu sine vlla hypostatica naturarum vnione positum, quiuis possit facilè intelligere. Id enim, cùm vel nihil vel parum absit à conditione aliorum hominum, nemo ita stupidus aut ignauus est, quin facilè videre possit.

Huc addit Inconstantius, non id agere Cyrillum eo loco, vt explicet mysterium Eucharistiæ. Statum enim causæ nõ fuisse de Sacramẽto cœnæ, sed de vnione naturarum in Christo. Fateor. Sed quid mirum est, si Cyrillus ad redarguẽdum Nestorium, quò eius absurda magis patefaceret, argumentum petere voluerit à cœna Domini? Nam vt ostendi, hoc idem fecit Ephesina Synodus. Vocem autem illam, ἀνθρωποφαγίαν, pertinere ad Eucharistiam, id declarat, quod sequitur: *Quoniam*, inquit, *minimè comeditur diuinitatis natura, propter hoc commune dixerit quispiam sanctum corpus domini?* Certè ista non possunt aliò referri, quàm ad manducationem carnis Christi. Sed quid tam multis opus est? Videamus vnde orta sit hæc disputatio cõtra Nestorium. Ille putauit, opinionem suam confirmari posse ex verbis Domini in sexto Iohannis: *Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, ille viuet propter me.* Hoc Nestorius putabat pro se facere, quòd non diuina natura proponeretur mãducanda, sed caro Domini. Dominus enim dixit: *Caro mea verè est cibus.* Itaq; putabat diuinitatem in Christo ab humanitate diuidẽdam esse, quòd caro Christi comederetur, non autem diuinitas. Perspicuum ergo est, Cyrillum, vt dissolueret argumẽtum Nestorij, oportuisse inferre id, quod ex illius dictis consequebatur, videlicet, si ita esset, Eucharistiam nostram fore ἀνθρωποφαγίαν. Mirabor, si quis ita sit hebes, & ita pati possit oculos sibi perstringi ab Inconstantio, vt non videat, quomodo hæc disputatio pertineat ad cœnam Domini.

Postremò verò post suos illos longos logos, petit à figuratoribus, quomodo diuina natura nõ possit comedi. Id enim & Nestorium & Cyrillum concedere. *Si edere*, inquit, *sit credere, an animus fidelium non meditabitur diuinitatem? An fides in diuinitatis naturam non intenditur?* Sed iste nodus non est ita difficilis, vt opus fore iudicem bipenni Tenedia. Primùm respondeo, neque nos, neque ex omnibus patribus quenquam dicere, quamuis fidem esse manducationem: sed illam tantùm, qua apprehẽdimus Dominum nostrum, vt olim mortuum & crucifixum pro nobis: & sanguinem eius, vt pro nobis effusum. Ista autem, Mori, Crucifigi, Sanguinem fundere, non conueniebant Christo, nisi quatenus erat homo. Nam quamuis corpus & sanguis Christi cõiunctam haberent diuinitatem: naturæ tamen diuinæ ista per sese non conueniebant. Quare nos quoque vnà cũ Ecclesia & cum Cyrillo dicimus, non pertinere ad diuinitatẽ, vt comedatur. Cùm ergo nos vnà cũ Cypriano & Augustino dicimus: *Quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti*: nõ quoduis credere, aut quamuis fidem dicimus: sed illam solam, qua Christum vt crucifixum, & redemptionis nostræ precium complecti mur. Hoc si cogitet Inconstantius, facilè videbit, quomodo non sit diuinitatis, manducari.

Nõ quauis fide Christus comeditur.

Quod autẽ dicimus, idq; multorum patrum iudicium atque autoritatem sequuti dicimus, Credere esse manducare, fictio ea humana non est, sed doctrina Christi. Nam Christus ipse in 6. Iohannis cùm dixisset: *Ego sum panis ille vitæ*, statim subiecit: *Qui venit ad me, nõ esuriet*: &, *qui credit in me, non sitiet vnquam.* Cùm Christus dixisset, se esse panem vitæ, & illi fortasse sic apud se cogitarent: Quomodo possumus te comedere? respondit: Ad me veniendo. At illi rursus objicere potuissent: Quid oportet ad te venire? Iam adsumus. Itaque Christus addidit: *Et qui credit in me*: acsi diceret, Venire esse credere. Credite in me, quòd dandus sim in crucem pro salute vestra: & ita comedetis verum panẽ vitæ. Quid his apertius esse potest? Deinde Christus antequam ea diceret apud Iohãnem: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et, *Panis, quem dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* & illud: *Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego suscitabo eum in nouissimo die: caro enim*

Probatur ex verbis Christi, mãducationẽ fide constare.

mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Ante, inquam, quàm hæc omnia diceret, quasi proœmio quodam vti voluit, quo ea facilius intelligerentur. *Amen*, inquit, *amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Ac si diceret: Manducatio illa, quæ vos tantoperè torquet, & de qua mox dicturus sum plura, non dentibus perficitur, sed fide. Quare Inconstantius non debet nobis irasci, si ista dicimus: sed primùm Christo ipsi: deinde etiam Patribus, maximè verò Cypriano & Augustino. Habemus ergo, in Cœna dominica nõ agi memoriam diuinitatis Christi, sed corporis eius in cruce acti, & sanguinis eius pro nobis effusi. Atque hoc illud est, quod Cyrillus dixit, non diuinitatem Christi, sed eius corpus & sanguinem à nobis comedi & bibi.

Fatetur Inconstantius ad extremum, se verbosius egisse de vocabulo αὐθρωποφαγία: quòd iudicaret expedire omnibus modis prodere malitiam Oecolampadij. Atqui sancti illius, & inocentis viri, vti iam ostendimus, hoc in loco malitia nulla inueniri potuit. Inconstantius autem noster isto furore suo & rabie odiũ illud suum, quod gerit non tantùm aduersus Oecolampadium, verum etiam prorsus aduersus omnẽ veritatem, æternitati consecrauit.

Postremò ait, se hoc argumento nostro non teneri. Se enim cum suis omnibus à manducatione puri hominis abhorrere: carnem autem Dei & hominis in sacramento dari, profiteri. Cæterùm cogitare debemus, Cyrillum eo in loco duo statuere. Primùm, carnem Christi, cuius mysterium peragitur in Eucharistia, nõ esse carnem puri hominis: deinde, illam non ita à nobis comedi, vt manducatio ea dici possit αὐθρωποφαγία. Isti autem cùm corpus Christi obducãt accidentibus, etsi clament, illud adesse inuisibiliter, nec posse lacerari dentibus, tamen effugere non possunt αὐθρωποφαγίαν. Volunt enim, corpus Christi realiter & substantialiter adesse & comedi. Quid enim eos hic iuuat, quod aiunt, carnem Christi cõiunctam esse cum diuinitate? Certè negare non possunt, carnes illas humanas esse, quas volunt comedi: atque ita velint, nolint, efficiuntur αὐθρωποφάγοι. Imò Christus ipse in Euangelijs non semel se appellat Filium hominis, & interdũ simpliciter hominem. Nam cap. 8. Ioan. *Quæritis*, inquit, *me interficere, hominem, qui veritatem vobis loquutus sum.*

OBIECTVM CCXII.

OBIICITVR ex Cyrillo in Iohan. lib. 4. cap. 10. Mortui, ergo, inquit, sunt, qui manna manducauerunt: quia nullam inde vitæ perpetuæ virtutem acceperunt. Non enim viuificabat, sed famem solummodo corporalem remouebat: & figura erat veritatis. Si qui uerò panem uitæ suscipiant, immortalitatem consequentur, & omnia interitus mala effugient, cum Christo æternaliter viuentes. Ex his apparet, malos, qui non consequuntur immortalitatem, non suscipere corpus Christi.

GARDINERVS.

QVI suscipiunt Christum, immortalitatem consequuntur: siquidem quod Paulus ad Hebræos scribit, Christi facti participes initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retinuerint.

MARTYR.

RESpondet, non omnes, qui suscipiant panem vitæ, id est, carnem Christi, salutem consequi: sed illos tantùm, qui, cùm susceperint, eum ad finem vsque retinent. Primùm, nisi iste interpretationem suam aliqua ratione confirmet, licebit mihi, opinor, dicere, Cyrillũ nunquam ista cogitasse: sed hoc commentum nostrum nobis sophistam peperisse. Quanquã ne Papistæ quidem facilè in hac re consentient cum Inconstantio. Nam scholastici dicunt, corpus Christi tantisper in stomacho, & in visceribus nostris retineri, quoad accidentia illa panis & vini maneant integra. Quid ergo iste solus contra suos omnes nugatur, corpus Christi reuerieri vsq; in finem? Cyrillus non ita scribit: Sophistæ & scholastici non ita sentiunt. Quare cùm Inconstantius solus ista diceret, operæprecium erat, vt ea rationibus confirmaret: siquidẽ fidem sibi haberi vellet.

Sed satis, inquit, *probo. Nam Paulus ad Hebræos ita scribit: Si Christi facti participes initium substantiæ eius vsq; ad finem firmum retinuerint.* Rectè. Sed cogita tecũ quæso pauliſper, bone vir, an Paulus agebat eo loco de cœna Domini? Imò non tantùm de cõiunctione nostra, quã habemus cum Deo & filio eius Iesu Christo, admonebat & hortabatur, ne ab ea turpiter deficiamus. In hoc autẽ falleris, quòd vbicũq; agitur de Christo, si adscriptũ videas fortè nomen substantiæ, statim id totũ suspicaris ad cœnã Domini, & ad realẽ illã suam præsentiã pertinere. Græca vox in illo loco Pauli est ὑπόστασις. Quid ergo Inconstãti? an omnes eos q accedũt ad mẽsam Dñi, putas ὑπόστασιν Christi in se perpetuò retinere? Vide etiam

etiam, quódnam sis facturus initium ὑποστάσεως Christi. Nam ea certè principium temporis nullum vnquam habuit. Pater enim & filius, & Spiritus sanctus ante omnem æternitatem tres hypostases in vna essentia extiterunt. Sed mittamus ista. Redito dum, Inconstanti, in viam: & memineris, hypostasin eo loco significare fidem, videlicet, quòd ea nitamur, & tanquam ancora sustentemur, quòd sine illa nihil in hac vita veri boni habere possimus. Et ne dicas, hanc meam esse fictionem, verba ipsa Apostoli ita me docuerunt, & Patrum interpretationes in ea sententia confirmarunt. Nam in ea epistola statim ante illa verba, quæ tu citas, hæc scribuntur: *Videte fratres, ne quando sit in vllo vestrûm cor prauum, obnoxium infidelitati, vt desciscat à Deo viuente: sed exhortemini vos inuicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex vobis induretur seductione peccati.* Deinde sequitur: *Christi participes facti sumus.* Paulus ergo, cùm ista scriberet, Hebræos ab infidelitate reuocabat. Itaque commodè atque opportunè subijcit exhortationem, vt initium substantiæ vel ὑποστάσεως, id est fidei, vsque ad finem retineamus, neque ab ea nos auelli patiamur. Chrysostomus autem in illum locum ita scribit: *Quid est principium substantiæ? Fidem*, inquit, *significat, per quam subsistimus, & nati sumus, & essentiales, vt ita dicam, facti sumus.* Ostendit ergo Chrysostomus, mentionem ibi à Paulo fieri, non de Eucharistia, sed de fide. Theophylactus quoque, *Si tamen*, inquit, *initium substantiæ vsq; ad finem firmum retineamus: hoc est fidem. Per eam enim subsistimus, & diuina spirituali substantia fundati sumus ac regeneratione.* Hic ergo firmiter nos vsque ad finem in fide persistere exigit à nobis. Quid istis potest esse magis perspicuum? Profectò non est docti hominis, aut exercitati in Scripturis, ea quæ dicta sint de fide, ita violenter torquere ad Eucharistiam. Sed non grauabor huc adscribere, quid de hoc loco Theodoretus sentiat. *Cum Christo*, inquit, *participes facti sumus mortis per Baptismum: & cum eo consepulti fuimus in figura Resurrectionis: siquidem firmam fidem conseruauerimus. Eam enim appellauit initium substantiæ. Per illam enim renouati, & domino Christo coniuncti sumus, & sanctissimi spiritus gratiam accepimus.* Satis iam confirmatum esse arbitror, illa verba nihil facere ad sacram cœnam.

Fides dicitur substantia.

Quàm autem sit consentaneum, ὑπόστασιν sumi pro fide, id etiam, præter ea, quæ iam adducta sunt, luculentissimè probat, quòd Apostolus in eadem epistola, cùm definiat fidem, eam dicit esse ὑπόστασιν rerum sperandarum, & ἔλεγχον eorum, quæ non apparent. Et quis quærat alium Apostoli interpretem meliorem? Superest ergo, vt Inconstantius alio aliquo ex loco Scripturarum probet, Corpus Christi in cœna realiter manducari: sed illis tantùm æternam salutem parere, qui illud ad finem vsque retineant. Cyrillus hanc conditionem non adscribit: rei natura eam prorsus excludit: sententia ista ex epistola ad Hebræos eam non probat. Sed fortasse Inconstantius id sibi sperat fore subsidio, quod Paulus scribat ad Corinth. de indignè manducantibus. Verùm quæ illorum verborum sit sententia, diximus suprà suo loco: infrà etiam plura dicturi.

Venio nunc ad illud extremum, quod iste somniat, appellatione Panis, significari Christum ipsum in mysterio præsentem. Hoc ille dicit tantùm: sed, vt solet, nulla ratione confirmat. Scimus autem, Corpus Christi appellari panem, & panem vitæ, loquutione tropica. Sed Christum adesse præsentem substantialiter, quod attinet ad naturam humanam, hoc hactenus, mihi crede, ex sacris literis non didicimus. Panem autem Eucharistiæ suo quodam modo & dici, & esse corpus Christi concedimus. Simul tamen affirmamus, in multis loquutionibus sacræ scripturæ non posse fieri, vt panis sit corpus Christi. *Panis*, inquit Paulus, *quem frangimus.* At nemo sanus dicet, Corpus Christi propriè frangi. Adhæc legimus, Christum in cœna accepisse, benedixisse, fregisse, discipulis dedisse panem. Quo in loco, quantumuis reclamet Inconstantius, necesse est panem verè ac propriè intelligere, ve. Cyrilli ipsius, de quo nûc agimus, testimonio. Is enim libro quarto in Iohannem, capite decimoquarto ita scribit, *Credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate: Hoc est corpus meum.* Inconstantius ergo in istis suis obseruationibus, diuinas literas, patres, & præsertim Cyrillum suum, parum obseruauit.

OBIECTVM CCXIII.

OBijcitur ex eodem ad Calosyrium. Decebat ergo, inquit, eum nostris vniri corporibus quodammodo per sacram eius carnem, & pretiosum eius sanguinem: quæ accipimus in benedictione viuificatiua in pane & vino. Si accipiuntur in pane & vino, panis & vinum per Transubstantiationem non auferetur.

GARDINERVS.

IN pane & vino accipimus, quæ ex pane & vino nobis fiunt: quæ fieri orat Ecclesia, vt nobis fiant corpus & sanguis Christi.

MARTYR.

HOc non est exponere, sed miserè torquere Cyrilli verba. *In pane*, inquit, *& vino accipimus corpus Christi, quæ talia fiunt ex pane et vino, vt orat Ecclesia.* Apud istum nouum Grammaticum, In & Ex, idem sonant. Quod quàm sit probabile, vel pueri è schola iudicẽt. Si quis ex iuuene fiat senex, in iuuene habebimus senem: & quia pater est in filio, dicemus, patrem esse ex filio, si istius Phalaridis Grammaticam recipimus. Nam Ex & In idem significat. Idem ergo est, quod Cyrillus dicit, nos corpus Christi accipere in pane, quod: corpꝰ Christi sumere factum ex pane. Sed, vt hoc omittamus, certè ego non video, quomodo corpus & sanguis Christi accipi possint in pane & vino, si panis & vinum iam esse desierint. Si verè dicas, aliquem abduci in veste sua, oportet omnino extare vestem illam: alioqui non vestitus abducetur, sed nudus. Sed mirum non est, qui semper fuerit Iuris & Legum contortor, si idem patrum dicta velit violentius contorquere.

In & Ex non idem significant.

Cæterùm quoniam videt, se in hac arena nõ posse consistere, ad ea se recipit, quæ Cyrillus paulò pòst scribit in eadem epistola: quæ vt ab illo referuntur, sic habent: *Ne horreremus carnẽ & sanguinem apposita sacris altaribus, condolescens Deus nostris fragilitatibus impluit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ, quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis. Vnde subdit: Hoc facite in meam commemorationem.* Ex istis verbis Cyrilli ait, colligi veritatem præsentiæ corporis Christi. At id perspicuè falsum est. Nam de illa præsentia Cyrillus ne syllabam quidem habet. Eodem etiam iudicio ait, Cyrillum constituere miraculum in confectione Eucharistiæ. Verùm ea de re aliàs disputauimus. Hoc autem loco breuiter vno verbo dico: Si per miraculum intelligat confectionem Sacramenti, quæ res haud dubiè diuina est, concedimus, non quidem propriè, sed quomodo licet, esse in Eucharistia miraculum: non tamen alterius rationis, aut generis, quàm quale agnoscimus in Baptismo. Nam ibi quoque conficitur Sacramentum non minus, quàm in cœna. At si per miraculum intelligi velit Transubstantiationem, & alia portenta similia, negabimus, omninò vllum esse. Is autem suum esse intelligat illud, quod dicit nobis ex diuinis literis confirmare.

Quid Altare significet Patrib.

Sed ait, Cyrillum disertè Altare dicere. Quasi verò nos nesciamus, patres Altare sæpe posuisse pro mensa sacra. Illi tamen in hoc negotio non magis verum altare statuebant, quã verum propriumque sacrificium. Nam quemadmodum hanc actionem appellant sacrificium, quòd sit monimentum eius vnius sacrificij, quod Christus peregit in cruce: ita mensam sacram appellabant altare, quòd in ea, vt olim in altari Iudaico, populi vota, & oblationes collocarentur: atque inter cætera panis etiam & vinum, ex quibus Eucharistia conficeretur. Ista, inquam, sacramenta, quæ suo modo sunt corpus & sanguis Domini, Cyrillus ait proponi in altari, hoc est, in sacra mensa. Cur autem panis & vinum ibi proponantur potius, quàm caro ipsa & sanguis Domini, hanc adfert rationem, quòd homines alioqui horrore afficerentur. Itaque ait, Deum attemperare se infirmitati nostræ, & rebus illis oblatis infundere vim vitæ. Hæc hactenus à nobis non obscurè faciunt. Ait enim Cyrillus, Deum, ne nos horrore concutiamur, pro carne ac sanguine suo apponere nobis sacramenta, mysteria, & res illas oblatas: & ne frustremur iusto fructu, Deum illis vim vitæ infundere. Quod sanè non aliud est, quàm illum, qui ea, quæ elementis externis & symbolis significantur, vera & constanti fide complectatur, habiturum esse æternam vitam. Ita ergo sacramenta habent vim vitæ, quemadmodum Petrus sacras scripturas appellat verba æternæ vitæ: & quemadmodum Paulus appellat Euangelium vim & potentiam Dei ad salutem. Dicuntur etiam habere vim vitæ, quòd non sint inania tantùm & frigida signa, sed instrumenta & organa spiritus sancti, quibus ille vtitur ad excitandam fidem in communicantibus, qua illi apprehendant æternam vitam. Ad illa ergo elementa & symbola accedit non vulgaris quædam dignitas, quæ cuiusmodi sit, statim Cyrillus subijcit: *Conuertens*, inquit, *ea in veritatem propriæ carnis.* Hac loquendi forma Cyrillus expresserit mutationem sacramentalem. Eò enim efferuntur externa illa elementa, vt verè atque efficaciter, & ex instituto Dei, significent corpus & sanguinem Christi, veraque fiant earum rerum sacramenta. Neque verò illa fictitium aut adumbratum corpus significant: sed verum & solidum, & pro nobis verè traditum & mortuũ. Nam Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi negabant, Christum habuisse verum & humanum corpus: imaginem tantùm illi tribuebant, & speciem aliquam humani corporis. Quod ergo Cyrillus dicit, Veritatem propriæ carnis, id non ad commentitiam aliquam præsentiam, sed partim ad significationis efficaciam, partim ad rerum significatarum veritatem & constantiam referendum est.

Quomodo sacramenta dicantur vim vitæ habere.

Deinde addit Cyrillus huius sacramenti finem: *Vt corpus*, inquit, *vitæ quasi quoddam semen viuificatiuum inueniretur in nobis. Vnde subdit: Hoc facite in meam commemorationem.* Huc videlicet spectat institutio mysterij, vt corpus Christi nostra causa in crucem actum, & sanguis eius pro nobis fusus, in mente ac spiritu nostro perpetuò per fidem retineantur, & habitent, tanquã semen quoddam vitæ. Nam, vt Paulus & Habacuk, & omnes diuinæ literæ testantur, Iustus ex fide viuit: maximè verò ex hac fide, quæ dirigitur in mortem Christi. Hoc autem Cyrillum sensisse, eaque, quæ dixit, non ad os corporis, aut ad aqualiculũ, sed ad spiritum nostrum

strum atque animum retulisse, ratio illa, quę ab A eo subijcitur, fidē facit. *Subdit enim*, inquit, *Christus, Hoc facite in mei commemorationem.* Quiuis potest intelligere, recordandi facultatem ad animum & spiritum pertinere. Quare cùm viuamus hac ipsa fide, quæ excitatur & alitur à spiritu sancto per hæc symbola, ea rectè Cyrillus appellauit Semen viuificatiuum. Et Augustinus contra literas Petiliani lib. 2. cap. 47. rectè hortatur, vt de mensa sumamus vitam. Nec dissimulandum est, quod Cyrillus appellat altare, id Augustinum vocare mensam. Rectè etiam dixit Serm. 2. de verbis Apostoli, *Manduca vitam.* Neq; enim nouum est, quod sæpe monuimus, ea tribui elementis externis, quæ propriè conueniunt rebus significatis.

Quoniam autem Cyrillus mentionem facit horroris, qui incuteretur communicantibus, si caro ipsa & sanguis Christi in mensa apponeretur, visum est mihi de ea re paucis Lectorem admonere: non quidē, quòd illud nostræ C sententiæ aduersetur, quemadmodum iam ostendi: sed quòd ab Inconstantio, alijsq; similibus nimis importunè vrgeatur. Hoc ergo primùm dico, non esse illam persuasionem satis efficacem. Longè enim durius est & difficilius, uincere horrores mētis & rationis, quàm sensus. Itaq; multos videas, qui medicinam amarissimam & pessimè olentem, quamq; sensus horreant & fugiant, vtcunq; sumere: cùm tamē interim ea, quæ cū ratione humana pugnent, D nullo modo velint admittere. Neq; id videtur Deus egisse, vt parceret sensibus: ne scilicet illi horrore aliquo afficiantur. Pauperies, exilium, infamia, contumeliæ sensibus dura sunt: carceres, fames, sitis, verbera, vulnera multò etiam duriora: mors autem, præsertim ignominiosa, acerba, horrēda multò est omnium durissima. Hæc enim nō tantùm horrorem, sed etiam tædium, agoniam, & animi deliquium incutiunt. Horum tamen omnium calicem plenum Chri E stus nobis bibendum propinauit. Et credibile est, illum cauere voluisse, ne carnem suam aut sanguinem aspectabiliter comederemus, aut biberemus propter horrorem? Mihi sanè ista ratio non persuadet: præsertim cùm non videam, quid interfit, quod ad horrorem attinet, si carnes re ipsa comedas, siue videas eas, siue nō videas: modò certissimè scias, te humanas carnes comedere: quantumuis scius, illas coniunctam secum habere diuinitatem. Certè qui F vident, se statim percutiendos esse à carnifice, etsi obuoluantur illis oculi, tamen non multò minus horrēt & pauent, quàm si aperto vultu viderēt gladium venientem. Et ne discedamus à re proposita, si certò scires Lector, esse humanas carnes vel in pastillo, vel in massa aliqua, vel in intrita, etsi eas oculis nō discerneres, nihilò tamen minus ab esu illarū fugeres. Verùm hac de re plura dicere non oportet: mea enim nihil refert. Hæc enim ratio, qualiscunq; est, adiu G uat sententiam nostram, nō oppugnat. Quod etsi Inconstantius videat, dissimulat tamen quantum potest.

Difficilius est vincere horrores mētis et rationis quā sensus.

Christus nō id quæsiuit vt sensibus nostris parceret.

Ait enim: *Quòd si manducare nihil aliud est, quàm credere & fide apprehendere, ridiculè loqueretur Cyrillus de horrore. Nam sanguinis & mortis Christi suauis est fideli recordatio. Sed quia corpus & sanguinē in os admittimus, & ita se vult Christus manducari & bibi, ideò ne quis horror esset, species elementorum manducationi subseruiunt.* Multa ego in his verbis Inconstantij video, de quib. Cyrillus ne somniat quidē. Nihil enim hîc, mihi crede, Cyrillus locutus est ridiculè. Sed quia sensit, manducationem istam carnis Christi perfici spiritu & fide, idcircò externa illa manducatione, quę horrorem incuteret, nihil opus esse statuit. Satis enim esse ad salutē, vt Deus propositis elementis, quemadmodum diximus, influat vim vitæ.

Verùm Inconstantius ex alijs etiam verbis eiusdem epistolæ voluit nobis facessere negotium. *Non dubites*, inquit Cyrillus, *an hoc verū sit, co manifestè dicente, Hoc est corpus meum: sed potius suscipe verba Saluatoris in fide. Cùm enim sit veritas, non mentitur. Insaniunt ergo, qui dicunt, mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ inde remanserint in diem subsequētem. Non enim mutabitur sacrosanctum corpus Christi: sed virtus benedictione & viuificatiua gratia iugiū in eo est. Virtus enim viuificatiua Dei patris vnigenitum verbum est, quod caro factum est, non desinens esse verbum, sed efficiens carnem viuificatiuam. Non dixit Cyrillus*, inquit Inconstantius, *Panem esse figuram corporis: imò Christum ait manifestè dicere: Hoc est corpus meū. Et verba Christi ait esse manifesta: eumq; cùm sit veritas, non mentiri.* Quasi quisquam nostrūm vnquam Christum mentitū esse dixerit. Imò scimus, & constantissimè dicimus, Christū ipsam esse veritatem. Sed vnde nobis probabit Incōstantius, omnia Christi verba intelligenda esse simpliciter sine tropo? Multa haud dubiè Christi dicta sunt tropica: inter quæ etiam ista numeranda sunt. Etsi Cyrillus non dixit, Panem esse figuram corporis Christi, non tamen idcircò id alij Patres nō dixerunt: quemadmodum suo loco satis copiosè ostendimus.

De reliquijs Eucharistiæ.

Quod autem subijcitur, Benedictionis, id est, Eucharistiæ reliquias asseruatas in crastinum diem à sanctificatione non cessare, spectat, opinor, ad receptam quandam consuetudinem apud veteres. Nam quemadmodum facile possumus colligere è Cypriano, Tertulliano, Ambrosio, solebāt homines peracta iam cœna Domini in sacro cœtu, partes quasdam aut fructus symbolorum secum auferre domum, & recondere, illisq; mane vti ante alios cibos: inde videlicet, nōnihil sanctificationis vel sibi ipsis, vel suis ægrotis, quibus ea dabant, expectātes. Ea consuetudo, etsi saperet nonnihil superstitionis, tamen illi Cyrillus alijq; subscribebant. Statim enim à temporibus Apostolorum paulatim cœptum est degenerari ab illa veteri simplicitate diuini cultus. Postremis autē istis nostris temporibus omnia illa, quæ antea aliquo modo tolerari potuissent, in feces, & sordes impurissimas abierunt. Eò scilicet promouimus, cùm nemo esset, qui quicquam, quod à maioribus aut susceptū, aut factū esset, aut emendare

vellet, aut immutare. Nec tamen in seruandis illis reliquijs semper apud omnes eadem consuetudo seruata est. Nam Origenes in Leuiticum, *Dominus*, inquit, *Eucharistiam non iussit seruari in crastinum.* Alij tamen eam in crastinum, alij in tertium vsque diem reseruabant. Alicubi reliquiæ illæ, quæ à communione supererant, comburebantur: alicubi à clericis comedebantur in Sacrario. Quanquam non est credibile, veteres illos primorum temporum Patres putasse, apud se carnẽ & sanguinem Domini re ipsa, & propriè conseruari. Tantum eas putabant esse reliquias sacramenti, quibus postea priuatim religiosè vescerentur.

Tamen Anthropomorphitæ hæretici crediderunt, illas reliquias cum ipso Christi corpore talem habere coniunctionem, vt quicquid corruptionis illis accidisset, illud putarent accidere Christi corpori. Id verò Cyrillus negat. Ait enim, sacrosanctum corpus Christi non mutari; in eo enim esse iugem & perpetuam virtutem benedictionis, & viuificam gratiam. Itaque ad illam sanctificationem, quæ expectabatur ex priuato & domestico vsu illarum reliquiarum, nihil referre quàm illæ recentes essent. Et idcircò eos ait insanire, qui dicerent, benedictionem, id est, reliquias Eucharistiæ propter spatium temporis exuere sanctificationem suam: tacitè, videlicet, innuens, illam sanctificationem non reliquijs panis & vini, sed Christo esse tribuendam. Quare cùm Christus perpetuò idem sit, vim eius ad sanctificandum non veterascere. Sed ego de sensu illius epistolæ longè melius possem iudicare, si ea ad manus meas integra aliquando peruenisset. Verùm illam ego non vidi. Quæ tamen de ea vir longè doctissimus, & sanctissimus Iohannes Oecolampadius tradidit, mihi visa sunt ad veritatem proximè accedere.

OBIECTVM CCXIIII.

OBijcitur ex Cyrillo eodem loco: Quia caro Christi, inquit, natura viuificans est, propterea hæc caro Christi participantes viuificat. Eiicit enim mortem ab eis, & interitum penitùs expellit. Hinc apparet, malos, cùm hunc effectum non recipiant, non comedere corpus Christi.

GARDINERVS.

QVEMADMODVM Christus de seipso dixit, Non se operari miracula propter incredulitatem illorum: ita caro Christi viuifica, cum à malis sumitur, non viuificat propter incredulitatem sumentium.

MARTYR.

CHristus, inquit, *ait se non potuisse edere miracula propter hominum incredulitatem: nec tamen ea causa quicquam detractum est de illius potentia. Christum enim tantùm ostendere voluisse conuenientiam, quã solebat operari. Ita*, ait, *carnem Christi, etsi percipiatur ab impijs, tamen eos propter ipsorum incredulitatẽ non viuificare. Ex hoc ergo non probari illos nõ comedisse, sed indignos & incredulos comedisse.* Hoc exemplum, quod Inconstantius attulit, ad hoc institutum, quod habemus præ manib. nõ quadrat. Non enim Scriptura testatur, Christum vbicunque esset, aut voluisse, aut potuisse facere miracula. At Christus ipse sine vlla exceptione asserit, eum, quicunque manducet suam carnem, aut bibat suum sanguinem, habiturum vitam æternam.

Sed Inconstantius exemplo illo suo nõ contentus, adfert etiam simile. *Si quod à medico*, inquit, *datur pro pharmaco salutari, adferat exitium, non erit ab effectu pharmaci validum argumentum: dummodo quæ sit eius substantia fide bona, testibus, et certis testimonijs queat constare. Quæ verò*, inquit, *Eucharistiæ substantia sit, ipsius veritatis habemus documentum.* Hoc simile Inconstantij mihi visum est inuertere, & in suum authorem retorquere. Si Galenus de pharmaco aliquo dixerit, eum, qui illud sumpserit, hoc, aut illud effectũ in corpore suo sensurum esse, eo ipso probatur bonus medicus, quòd ea, quæ prædixerit euentura, eueniant. Hoc si verum est in re medica, quãto nobis firmius & certius esse debet, quod prædixit Christus: eos, qui carnẽ ipsius comederint, & sanguinem ipsius biberint, habituros æternã vitã? Sed hic est inueteratus error Inconstantij. Non vult agnoscere vllo pacto, corpus Christi non manducari, nisi per fidem: cũ tamen Christus in 6. illo cap. Ioannis aliud genus manducationis non agnoscat. Somniat autem accidentia, tanquam quædam inuolucra & crustula, conclusam habere in se carnẽ Christi: quæ ore corporis, lingua, palato, dentibus, ab omnibus, quicunq; crustula illa recipiant, comedatur. Quid autem sit cum Capernaitis sentire ac facere, nisi hoc sit, equidẽ non video.

OBIECTVM CCXV.

OBijcitur ex eodem Cyrillo libro quarto capit. 14. Quòd si solo, inquit, tactu suo

suo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam & gustamus, & manducamus? Reformabit enim omninò ad immortalitatem suam participes sui. Impij ergo, cùm non viuant, nec reformentur ad immortalitatem; non manducant illam carnem.

GARDINERVS.

SOLO tactu sanabat Christus: sed dignos, vel saltem non indignos qui tangerentur.

MARTYR.

ISte, vt aliquo saltē modo nobis resistat, quid A quam firmum, & ab omnibus confessum sumere: neminem comedere posse carnem Christi nisi credentem: cùm tamen permulti eum, cùm ageret in terris, etiam sine fide potuerint contingere.

Addit Inconstantius, Eos, qui veram illam carnem tangunt, gustant, manducant, assequi immortalitatem. Sed respondeat mihi, quidnam illud sit, quòd pij communicando gustent. Certè omnium sententia sapores sunt, qui gustantur. Sapores autem in Eucharistia non alij, quàm panis & vini: quemadmodum & Augustinus ait, & omnes confitentur: Neque sanè vnquam quisquam in Eucharistia sensit saporem carnis Christi. Portenta ergo loquitur: eaque, quæ ipse neque gustauit vnquam; neque tetigit. Quòd si dicat, se gustum illum; non ad sensum externum referre, sed animum; & fidem, nobiscum sentit. Verùm hoc ille nunquam dicet. Mauult enim omnem experientiā & vniuersam rerum naturam peruertere, quàm nobiscum, & cum veritate sentire.

Christo etiā indignos se præbuit quo ad corpus.

Christus etiam indignos sanauit quo ad corpus. B

quæ Deus in indignos contulerit. Iudæi quidem, cùm Christum affligerent ad crucem, se ipsos ex eius attactu vulnerarunt. Fateor. Sed quid tu ex eo colligis? Carnem Christi ab hominibus impijs verè, ac propriè posse manducari? Hoc etsi tu dicas, tamen scripturæ certè non dicunt: Scire autem debebas, Cyrillum aliosque patres hoc sibi in hoc argumento, tan- C

do dignus erat Malchus, mancipium Pharisæorum, & socius latronum, cui attactu Christi auricula reponeretur? Sed quid multa? Omnes scripturæ plenæ sunt miraculorum, quæ

OBIECTVM CCXVI.

OBIICITVR ex Cyrillo eodem libro capite decimoseptimo. Sicut, si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est: ita si quis carnem & sanguinem domini recipiat, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur: Satis ex ijs liquet, malos non comedere corpus Christi.

GARDINERVS.

DE digna manducatione sentit Cyrillus.

MARTYR.

REpetit eandem illam suam cantionem de dignè, & indignè manducantibus. Sed & in illo sexto capite Ioannis, & in illo loco Cyrilli sermo satis est perspicuus, neque quicquā habet ambigui, quod ita oporteat distinguere. Scimus quidem, externum vsum symbolorum, quemadmodum Paulus ait, alium dignum esse alium indignum. Ipsa verò Christi caro, quæ sola fide comeditur, indignè, hoc est sine fide, comedi non potest. Idque nisi Inconstantius ex verbo Dei, aut certis rationibus infirmare posit, nihil effecerit. Commemorat lutea quædam, pectora, & cerea: eaque ego inter homines inueniri, non inficior. Hoc autem o co ista omnia commenta dico prorsus esse ἀκατάδικον. Pectora enim lutea, & infidelitatis frigore rigentia, carnem Christi non admittunt. Potuissent quidem ista conuenire in tmepore. Sed hîc planè sunt aliena.

OBIECTVM CCXVII.

OBIICITVR ex Cyrillo eodem libro capite 24. Credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite, &c. Quid aduersus Transubstantiatores clarius dici potuit?

GARDINERVS.

HOC isto in loco, vnde hæc desumpta sunt, Cyrillus ostendit, Christum manducationis carnis suæ modum credentibus discipulis, nec id quærentibus, aperuisse.

MARTYR.

FAteor, Christum in cœna tradidisse Discipulis suis modum comedendæ carnis suę, cuius doctrinam anteà prodiderat in sexto Ioannis. Neque ego in hac re quicquam dissentio à Cyrillo. Ab Inconstantij autem sententia longius absum, quàm cœlum à terra. Ille enim putat, Christum hunc modum manducationis tradidisse, vt credamus eius corpus sub accidẽtibus panis & vini delitescens inuisibiliter, corporis ore, & dentibus, & palato, & faucibus recipi. Hæc autem, vt sunt aliena à veritate, ita non traduntur vspiam in sacris literis. Neque enim Christus cùm instituret cœnam suam de hac Theologia vllã fecit mentionem. Modum tamen edendæ carnis suæ in cœna liquidò patefecit. Nam illis verbis, quæ habuit in sexto Ioannis, fideles parum attenti vtcunque dubitare potuissent, spiritualisne, an corporalis futura esset illa comestio, hoc est, dentibúsne esset an fide percipienda. In cœna autem nullus iam relinquebatur dubitandi locus. Discipuli enim videbant, corpus Christi secum discumbere, saluum, integrum, incolume: videbant etiam eum ex eodem illo sacro cibo, & potu secum vnà edere, & bibere: audiebant id, quod edebãt & bibebant, esse corpus & sanguinem domini. Quid ergo aliud colligere potuerunt, quàm loquutionem illam de comedenda carne, & bibẽdo sanguine, fuisse metaphoricam: totamque illam actionem ad fidem & mentem pertinere: nisi quòd videbant, externa etiam symbola adhiberi, quorum esus esset internæ alterius manducationis testimonium? Hæc, inquam, Apostoli didicerunt discumbentes in Cœna cum Christo. Nisi fortè velimus cum Inconstantio dicere, Discipulos existimasse, Christum instar hominis furiosi, ipsum sibi suas carnes comedisse, suumque sibi sanguinem bibisse, & ita sibi corpus congeminasse, vt simul eodemque tempore, & ad mensam sederit, & sub accidentibus panis delituerit: simulque fuerit visibile agens, & patiens: comestum, & comedens. Si hæc, vt re vera sunt, absurda & intolerabilia videantur, discamus vnà cum Apostolis Christi, verba illa esse tropica: & carnem Christi non nisi spiritualiter manducari.

Cùm autem Inconstantius velit exponere, A quomodo Christus dederit Discipulis suis fragmenta panis, redit ad solitum illud suum, & notum diuersorium. *Et si enim substantia panis, inquit, iam abierit, priorem tamen appellationem retinet.* Tam autem est studiosus troporum, vt absque illis ne vnum quidem ex nostris argumentis possit dissoluere. Verùm vt hanc absurditatem alia non minori confirmet, citat etiam suppositititiam epistolam Clementis. Nam in ea quoque portiones Eucharistiæ appellantur fra B gmenta corporis Christi. Deinde addit: Quemadmodum ex loquutione Clementis non probatur, corpus Christi re ipsa esse fractum: ita non euincitur ex sententia Cyrilli, superesse in sacramento substantiam panis. Ita solet accidere illis, qui viam tritam & Regiam deserunt, vt postremò per rupes, & loca abrupta sese præcipitent. Sed cur nos potius huius Sophistæ, qui ita loquitur, vt ne ipse quidem intelligat, orationem non inuertimus? Dicemus ergo, C Quemadmodum verba illa Cyrilli plana & perspicua, apertissimè significant, panem in Eucharistia retineri: ita verba illa Pseudoclementis primum inepta, deinde à fidei regulis aliena, lenienda sunt expositione tropica: vt intelligamus, fragmenta panis dici fragmenti corporis Christi: quòd sint fragmenta sacramenti corporis Christi. Signo enim, vti sæpè monuimus, imponitur nomen rei significatæ. Quanquam in illo Clemente non est nobis nimium D laborandum. Quisquis enim fuerit, totus eximposturis, & mendacijs consutus est.

Addit postremò, fractionem illam posse in accidenti Quantitatis declarari: vt dicamus, non signatum, sed signum frangi sensibiliter. Hîc videmus abyssum ab abysso inuocari, & portenta portentis cumulari: vt huiusmodi monstris, & miraculis nullus statuatur modus, aut finis. Accidentia apud istos philosophos efficiunt Chaos Anaxagoræ. Ex E illis enim fingunt, & pariunt, quicquid volunt. Illa frangunt, illa contingunt, illa vident, illa olfaciunt, illa gustant: ex illis generant cineres, & vermes: ex illis alunt communicantes. Et quid non? Profectò istorum Eucharistia nihil aliud videtur esse, quàm regnum quoddam accidentium.

OBIECTVM CCXVIII.

OBIICITVR ex Cyrillo in Iohannem libro sexto capite 14. Hîc animaduertendum, quòd etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, maiestate tamen diuinitatis semper adest: sicut ipse à discipulis abiturus pollicetur, dicens: Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Ergo cùm Christus præsentiam corporis sui hinc subduxerit, ea præsentia non est ponenda in Sacramento.

GARDINERVS.

ET hic continuam Christi præsentiam tractat: quam in corpore cælum habet, vt in natura diuinitatis etiam habemus nos.

MARTYR.

AIT, *quandam esse Christi præsentiam, quam appellat, Corporis: eamque cælum habere continuam: aliam autem esse præsentiam maiestatis: videlicet, quod attinet ad naturam diuinitatis: eam autem nos habere vsque ad consummationem seculi.* Hactenus rectè. Nam de ista duplici præsentia pulchrè inter nos conuenit. Eandemque distinctionem Augustinus etiam sequitur, exponens illa verba Christi, Pauperes semper habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis. Idemque testantur Vigilius & Fulgentius alijque multi. At Inconstantius præter istam duplicem præsentiam, aliam quandam sibi fingit: nimirũ veri corporis Christi in Eucharistia. Sed eam pro more & ingenio suo, neque probat, neque confirmat è sacris literis. Modum tamen quendam diuersum facit, quo corpus Christi eodem tempore, & in cœlo sit, & in Sacramento. *In cælo*, inquit, *regnat: nec vnquam desinet ibi esse: in Sacramento verò ad nostri sanctificationem: vtrobique veritate pari: sed in mysterio nobis: quod et hic Cyrillus alibi clarè confitetur.* Tanta est huius Sophistæ in distinguendo subtilitas, vt quæ mirificè studet inter se discernere, ea inter se confundat. Dicat enim mihi: Ille Christus, quem ait regnare in cœlo, nónne idem homines fideles, & discipulos Christi, qui versantur in terra, sanctificat? Non potest hoc negare: nam vt Paulus ad Corinth. ait, factus est nobis iustitia & sanctitas. Deinde hoc etiam mihi respondeat, regnétne iille Christus, quem ait abditum latére sub accidentibus. Haud dubiè, si verus est Christus, illum regnare necesse est: nisi fortè hoc velit dicere, illum, quotiescunque in sacrificulorum manus veniendum est, abdicare se regno suo.

Ait præterea, Christum, quod ad corpus attinet, nunquam desiturum esse in cœlo. Atqui nos ex articulis fidei credimus, illum inde venturum ad iudicandum viuos & mortuos. Et nescio, an hîc ex antithesi, iuxta sententiam istam Inconstantij, debeam colligere, corpus Christi aliquando desiturum esse sub accidentibus. Id equidem vehementer cupio ab illo nobis expediri. Nam si esse desinat, accidentibus adhuc saluis, eos omnes, quicunque colant nuda accidentia, necesse est esse idololatras. At si accidentibus iam corruptis abire incipiat, aut desinere, videat iste, quid tandem de illo fiat. Quanquã ne hoc quidẽ video, quomodo corpus Christi dici possit desinere esse sub accidẽtibus, cùm iam accidentia ipsa esse desierint. Postremò si Cyrillus alibi huic nostro tantùm fauet, cur eius dicta, & testimonia non adscribũtur? Certè tanti patris authoritas non debuit ita leuiter, & contemptim præteriri.

OBIECTVM CCXIX.

OBIICITVR ex Cyrillo libro nono in Iohannem capite 21. Paruo tempore Christus ait, se fore cum discipulis. Non enim penitus recessurus erat. Nobiscum enim est semper vsque ad consummationem seculi: sed quia non erat cum eis sicut prius conuicturus.

GARDINERVS.

QVOD hic Cyrillus exprimit (Non sicut prius conuicturus) paucis verbis aperit quod istis respondeatur, quæ nobis de Christi à mundo absentia obijciuntur.

MARTYR.

INconstantius existimat, ex ijsdem ijs verbis Cyrilli omnia illa, quæ obijci solent de absentia Christi, posse dissolui. Etsi enim Christus præsentia corporis adsit in Sacramento, non tamẽ eum adesse, conuicturum nobiscum vt prius. Adesse enim illum arcano tãtùm quodam modo, & inuisibiliter. Antequam ad ista respondeo, libet mihi illud in verbis Cyrilli expendere, quod ait, *Non quia penitus ab eis recessurus erat.* Equidem non video, quid hoc aliud sit, quàm quod idem Cyrillus in proxima superiori Obiectione docuit, cùm diceret: Etsi corporis sui præsentiam hinc subduxit, maiestate tamen diuinitatis semper adest. Hoc enim non est penitus à nobis discedere. Adest enim bonitate sua & potentia, quæ pertinent ad eius maiestatem: etsi corpore habitet in cœlis. Interim gratia sua, & vi spiritus vitã in nobis & sanctitatem operatur, nosq; pro tempore, quibus videtur, donis cumulat.

Nunc ad istum vẽnio: & affirmo, Cyrillũ hoc etiam loco idem spectare, cùm dicat, Christum non fuisse cum discipulis conuicturum sicut prius. Etsi enim diuina Christi natura hîc nobiscum agat, non tamen intercedit illi nobiscũ familiaris conuictus. At dicet Inconstantius, nẽ

cum corpore quidem illo Christi, quod ait latère inuolutum sub accidentibus, esse nobis conuictum. Si daretur huiusmodi commẽtum, fateor quidem, conuictum nobis cum illo corpore nullum esse. Sed, vt illud recipiamus, neque scripturę nos, neque Cyrilli verba cõgunt. Is enim, quemadmodum dixi, abundè docuit, quomodo intelligere debeamus, Christum à nobis penitus non abesse: cum tamen familiarem illum suum conuictum nobis interim non imperiatur, vt solebat. Adesse enim illum nobis diuinitate sua, & spiritu, & gratia, quæ ad sensus humanos non pertingant.

Sed, ne quis dicat, me tucum facere voluisse, & Cyrilli verba alieno sensu peruertere, duo adducam huius eiusdem patris loca. In 11. lib. sup Ioannẽ cap. 22. scribit: *Nihil ergo mali accidere vobis potest, ait, si carne abfuero, cum Deitatis meæ potestas, quæ vos hucusque seruauit, in posterum etiam seruatura sit: Hæc non ideo dicimus, quia domini corpus non magni æstimemus, sed quia mirabiles hos effectus gloriæ Deitatis attribuendos putamus: nam ipsum etiam domini corpus coniunctum, virtute verbi sanctificatur, & ad benedictionem mysticam adeò actiuum fit, vt possit sanctificationem suam nobis immittere. Vnde ipse quoque saluator, cum ad Iudæos multa de carne sua differeret, ac viuificum verè panem eam appellaret: Panis enim, inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, stupentibus illis & quomodò fieri posset dubitantibus, dicebat, Spiritus est qui viuificat, caro nihil prodest. Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Aperte nanque hîc ad sanctificandum, viuificandumque nihil prodesse carnem ostẽdit, inquantum scilicet naturæ humanæ caro est. Cum igitur Deitati seruatio attribuatur, non debetis, inquit, carnis præsentiam propter hoc desiderare: hæc enim in mundo loquor, vt gaudium meum in vobis plenum sit. Quod autem impletum est verè atque perfectum gaudium? Vt sciamus, firmiterq; credamus non solum illum sicuti nos absque peccato, sed etiam verum Deum esse. Hoc enim solummodo pacto & carne absens seruare suos poterit, qui perfectum habebunt gaudium, cùm se virtute omnipotentis protegi non dubitent. Hinc habetur, corpus Christi, licet absens, adeo actiuum esse vt per benedictionem mysticam sanctificationem suam nobis immittat, suosque seruet, quamuis carne absit.* Hæc de priori loco.

Nunc ad istud ipsum venio quod iste mancum citauit: ijs enim quæ adducuntur, hæc statim subiecit. *Propè enim, inquit, iam tempus erat, vt etiam in cœlos ad patrem abiret. Credere autem oportet fideles, quamuis corpore à nobis absit, virtute tamen eius omnia, & nos ipsos gubernari: ad essèque ipsum semper omnibus, qui eum diligunt. Propterea dicebat: Amen, amen, dico vobis: Vbicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Nam quemadmodum, quando vt homo versabatur in terra, tunc etiam cœlos implebat, & Angelorum consortia non relinquebat: eodem nunc modo, cum sit in cœlis cum carne, terram tamen implet, & cum eis est, qui illum diligunt: quod secundum carnem tantum abiturus erat: adest autem semper virtute Deitatis, vt dixi. Modico tamen tempore se cum Discipulis futurum, dicebat: aperte se ipsum nominans, ne quis in duos filios diuidere Christum audaret.* Hæc perspicuè docent, locum illum Cyrilli ita exponendum esse, vt ego exposui. Cur autem iste noster totum hunc locum dissimularit, quid me oportet dicere? Id enim Lector facilè per se videre potest. clamat vbique, se in nobis fidem desiderare: quasi verò ipse eam vbique candidè, & ingenuè præstet.

Postremo meminisse debemus, hunc Cyrillum eundem illum esse, qui in Dialogis de Trinitate lib. 2. tomi primi ita scripsit: *Nam si vere sectionem, & diuisionem diuina natura, vt illi dicunt, reciperet, intelligeretur & corpus: si autem hoc, & in loco omnino, & in magnitudine, & in quantitate: & si quanta facta esset, non effugeret circumscriptionem.* Hoc ego idcirco moneo, quod isti corpus Christi ponant in Eucharistia sub accidentibus, idque omnino sine loco. Qui autem corpus Christi volunt per multa loca diffundere, illi eius circunscriptionem non retinent. Cyrillus ergo prorsus nobiscum sentit. Ait enim, ne à diuina quidem natura, siquidem ea corpus esset, auferri posse locum & circunscriptionem. Audiendus quoqe idem est libro 8. in Ioannem cap. 7. vbi ait, *Denique cum de se dixit, Me aut em non semper habebitis: loquebatur dominus de præsentia corporis sui: nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem & inuisibilem diuinitatis gratiam impletur, quod ab eo dictum est, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationẽ seculi.* Nil perplexè loquitur, iá aptè docet quomodo Christus hoc tẽpore nobis adsit. Idẽ lib. 10. ca. 6. *Quia hæc loquutus sum vobis, apud vos manens: iam enim hîc ad cœlos secundum carnem abiturus erat.* Ibidẽ cap. 38. *Nullus ambigit, cùm ad cœlos ascenderit, quamuis virtute semper adfuerit, præsentiá tamẽ ipsum carnis abfuisse.* Ibidem capite quadragesimo. *Expedit vobis vt ego vadam: nam nisi abiero, Paracletus non veniet ad vos. Opus enim erat participes nos naturæ suæ fieri, & in nouam inauditamque vitam transformari, quod aliter quàm participatione spiritus sancti fieri non poterat.* Hic dicitur nos aliter non posse fieri participes naturæ Christi quàm per spiritum sanctum. Verùm audiatur idem in vndecimo libro capite tertio. *Non ergo abest corpore, patri pro nobis apparens, ac à dextris eius sedens, habitat tamen in sanctis per spiritum, neque patitur illos orphanos esse.* Et ibidem: *Postea in cœlum ascendens, spiritum immisit: non enim coniungi poterat cum Apostolis in carne, cũ ad patrem ascenderet.* Hîc mihi respondeat Inconstantius, vbi nam ea sit potentia Dei, quam perpetuò vnà cum suis iactat? Certè, vt isti volunt, idem corpus esse potest in diuersis locis, & ideò iuxta eorum sententiam potuisset Christus quod attinet ad corpus & in cœlo esse, & in terris cum Apostolis versari. At Cyrillus ait, *Non poterat versari cum Apostolis, cùm ad patrem ascenderit.*

ODIL

OBIECTVM CCXX.

OBijcitur ex Augustino in Psal. 89. Non hoc corpus, quod videtis, comesturi estis: neque bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Mysterium est, quod vobis dico: quod si spiritualiter intelligatur, viuificabit.

GARDINERVS.

EODEM in loco habet Augustinus, Christum carnem, quam assumpsit ex Virgine, dedisse manducandam.

MARTYR.

AVgustinus, cum dicat eodem loco, Christum veram suam carnem dedisse comedendam, nobiscum nihil pugnat. Id enim nos nunquam negauimus. Dedit quidem Christus ipsam suam carnem, sed spiritualiter comedendam: eamque fideles communicantes non aliter recipiunt, quàm fide, ac spiritu. Idq; Augustinus in illis ipsis verbis, quæ nos hic citauimus, luculentissimè declarat: nisi Inconstantius suis illis strophis, quasi Circæo aliquo poculo, studeret Lectori sensum & mentem eripere. Nam quod Augustinus dicit, *Non hoc corpus, quod videtis, comesturi estis: neque bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent*, id iste non ad rerum naturam referri vult, sed ad illarum proprietatem: nimirum, ad corruptionem: quod illa caro, quàuis domini esset, tamen tum temporis corruptibilis, & mortalis esset. *Christum ergo* ait *dedisse manducandam diuinum, & Spiritualem carnem*. Verùm hoc totum commentitium, & falsum esse, Augustini ipsius verba satis indicant. Ait enim, *Sacramentum aliquod vobis trado: id Spiritualiter intellectũ viuificet.* Hæc, inquam, satis docent, Augustinum, non ad modum corporis, aut ad proprietatem respexisse, sed ad sacramentum. Ac si diceret: Nõ istam carnem meam, aut hunc sanguinem esuri estis, aut bibituri, corporis videlicet vestri ore, ac dentibus: sed harum rerum mysterium quoddam, aut sacramentum. Illud autem viuificaturum vos non est, nisi sanam fidei intelligentiam, ad ea, quæ in eo significantur, adhibeatis.

An Christus habuerit carnem corruptibilem vel incorruptibilem, cum instituit sacramentũ.

Ad hæc, hoc velim Inconstantius respondeat, vtrum Christus in illa Cœna, cum nondum obijsset mortem, habuerit carnem corruptibilem, an incorruptibilem. Si dicat, eam tum fuisse incorruptibilem, quomodo est mortua? Si corruptibilem, ergo talem Christus carnem dedit Discipulis, qualem habuit: nisi Inconstantius fortè dicere velit, Christum tum fuisse bicorporem: & habuisse carnem aliam incorruptibilem, aliam incorruptibilem. Sed iste ridet nos, qui eum putemus, regulis Contradictoriorum teneri posse: ac non potius arbitremur, eum facilè concessurum, idem corpus Christi fuisse & mortale, & immortale: & corruptibile, & incorruptibile: & spirituale, & non spirituale eodem tempore. Id autem si alia via confirmare non queat, nunquam tamen eum deficiet argumentum ab omnipotentia Dei. Quid autem Hieronymus, ad quem iste nunc diuertit, sibi velit per duplicem Christi carnem in epistolam ad Ephesios, suprà, quantum videbatur satis, ostendimus. Sophista autem noster, postquam tenetur medius, nihil aliud quærit, quàm vt diuerticulis, & digressionibus rei perspicuitatem perturbet: quo facilius, & tutius tempestatem, quam ferre non potest, euitet.

Omisso ergo Hieronymo, videamus deinceps quid sequatur. Quærit ergo à nobis, *an ista ipsa verba Augustini, Non hoc corpus, quod videtis, comesturi estis, non significent ex ipsa phrasi, Corpus Christi verè dari comedendum: etsi non illud detur, quod videtur.* Miror, eum hoc percontari, cum ex ipsis Augustini verbis eius quæstionis dissolutionem non sit difficile colligere. Eam tamen ego non grauabor, etsi necesse non erat, explicare. Aut ergo loquimur de externa comestione, quæ propria est, & naturalis, & ad corporis instrumenta pertinet: aut de metaphorica, & spirituali, quæ animo & fide perficitur. Quòd si de propria manducatione, & externa quæras, de qua Augustinus videtur agere (emendat enim prauam intelligentiam Capernaitarum, & septuaginta illorum discipulorum, qui putabant, imperari sibi, vt corporis ore corpus Christi comederent) de ista, inquam, manducatione si quæras, ita corpus Christi proprium, & reale non comeditur. Id enim Augustinus in illis verbis aperte negat. Ad hunc enim modum symbola tantum comeduntur. Ideoque subiecit: Sacramentum aliquod vobis trado. At si de altera manducatione metaphorica & spirituali quæras, ita corpus Christi comedi, non tantùm credimus, sed etiam prædicamus. Quod autem Augustinus negat, corpus Christi, quod videbatur, manducari, id de altero genere manducationis, externo, inquam, & proprio intelligendum est.

Subdit Inconstantius: *Nam vbi nullum corpus datur çomedendum, ridiculè dicitur, Non hoc, quod videtis.* Quis istam tantam subtilitatem non miretur? Audit nos passim dicere, & docere, vtriq; manducationi dari corpus, quod illi congruat. Et tamen ita se nobis opponit, quasi nos dicamus, nullum prorsus corpus Christi dari cõ

medendum. Ori corporis nostri datur panis: non quidem vulgaris cibus, sed mysterium & Sacramentum corporis domini: quod tamen suo quodã modo & est, & dicitur corpus Christi. Et de hac re Augustinus Christum inducit ita loquentem: *Ore corporis vestri, & dentibus, non comedetis hoc corpus meum, quod videtis. Altero autem genere comestionis, quod perficitur rectè intelligendo mysterium, hoc ipsum corpus meum, quod nunc videtis, comedetis spiritualiter: illudq; vos ad æternitatem viuificabit.*

Verùm Inconstantius, opinor, ne parum facetus videretur, subijcere voluit hoc simile: *Vt maritus, qui cùm vxorem à se fine causa segregasset, iactabat, se aliquot annos vxori nullũ verbum feciße durius, nunquam illam alloquutum asperius, aut illam seuerius aspexisse, néue per iniuriam vel digito attigisse: cùm eam interim omninò non vidisset, vt posset quicquam cum ea colloqui.* Atqui, Inconstanti, Augustinus non cauillatur, vt tu soles: sed seriò loquitur vt in re maximè seria. Imò, inquis, Augustinus dum ait, Corpus, quod videtur, non dari ad manducandum, fatetur omninò aliud dari, etsi qualitate diuersum. Primùm ego respõdeo, illud simile, quo Inconstantius sperauit se festiuum fore, nihil ad rem facere. Nam ille maritus ab vxore sua omninò abfuit: corpus autẽ Christi à mente, & fide nostra non abest, sed à nobis comeditur spiritualiter. Etsi, vt dixi, Augustinus de illa manducatione directè non agat. Tantùm enim voluit externam, & propriã manducationem remouere, qua Capernaitæ, & illi septuaginta Discipuli errore obcæcati, putabant se comesturos esse corpus Christi. Panis autem sacer, qui etiam suo modo est corpus Christi, corporis officio, & dentibus comeditur. In hoc corpo nihil nodi est, quantum iste sibi fingit. Ea, quæ dicimus, ita sunt perspicua, vt vel à pueris possint intelligi. Solus Inconstius, quamuis alioqui, vt sibi videtur, subtilissimus, ad ea stupet.

Huc addit, *Christum habuisse duo corpora, non quidem substantia, sed qualitate diuersa. Itaque, quemadmodum Iuo Carnotensis exposuit Augustinum, Christũ potuisse dicere, Corpus suum & ipsum, & non ipsum esse comedendum.* Ego verò Iuoni isti vel Carnotensi, vel Beluacensi relinquo sententiam suam, & in Augustini verbis intelligendis ipsum potius audio Augustinum. Ille enim proximè ante verba illa, quæ iam adduximus, ita scribit: *Nam cùm remansissent cum illo discipuli duodecim, ab his recedentibus, suggesserunt illi, tanquam dolentes illorum mortem, quòd scandalizati essent verbis eius, & recessissent. Ille autem instruxit eos, & ait illis: Spiritus est, qui viuificat: Caro nihil prodest. Verba, quæ loquutus sum vobis, spiritus sunt, & vita. Spiritualiter intelligite, quod loquutus sum.* Deinde subijcit: *Non hoc corpus, quod videtis, comesturi estis.* Ista manifestissimè indicant, Christum dixisse, comestionem sui corporis spiritualem esse, non carnalem: & spiritu, ac fide percipi, non dentibus, aut instrumentis corporis. At dices, Mãducatione ista spirituali corpus illud ipsum comedimus, quod videbatur. Illud enim vt nostra causa affigebatur ad crucem, fide comprehendimus. Fateor. Sed quomodò ergo, inquies, dicit Christus Non hoc corpus, quod videtis, comesturi estis? Dicam: cùm Christus docuisset, oportere spiritualem esse manducationem, qua ipse esset comedendus, conuertit se posteà ad carnalem, quam Capernaitæ sibi somniabant. Atque eo modo negat, corpus suum comedendum esse. Deinde eos reuocat ad mysterium: quod etsi corporaliter comeditur, tamen intelligi debet spiritualiter. Et addit, ne cesse esse, vt illud Sacramentum celebretur visibiliter: quamuis spiritualiter intelligatur. Hoc addo, Augustinum, si quid de istorum commẽto cogitasset, ita potius debuisse scribere: Non tale corpus, quale videtis, comesturi estis. Nam ita qualitatum diuersitatem indicare potuisset. At ille sic scribit: Non hoc corpus, quod videtis: quibus verbis nihil aliud videri potest remouisse, nisi substantiam. Illæ enim voces, Hoc & Quod, substantiam indicant, non qualitatẽ. Atque hæc hactenus, quod ad illum locum Augustini attinet, dicta sint. Is autem verba illa Christi in 6. Ioannis copulat cum sacramento: quod tamẽ, cũ illa Christus loqueretur, nondũ erat institutum. Nam Christus apud Ioannem satis monuit Capernaitas, & septuaginta Discipulos, se non aliam intellexisse manducationẽ, quàm spiritualem, quæ scilicet fide, ac spiritu perageretur. Posteà autem in cœna mysterium illud ornauit etiam externis symbolis.

Verùm Inconstantius noster sic pergit: *Si sensisset Augustinus, Eucharistiam ex pane tritico, & figura corporis domini constare, quomodò isti figuratores contendunt, ita fecisset loquentem Christum, Non meum corpus comedetis, sed signum corporis: quia solam figuram corporis vobis commendaui. Sed quemadmodum signum, & figura naturali alimento reficiunt corpus: ita ego mei corporis virtute reficiam vos. Non deerat Augustino sermonis copia: & aderat illi voluntas explicandi veritatem ad ædificationem, non verbis illis ludendi, quæ gignant errorem.* Hæc Inconstantius. Quòd autem primo loco sumit sibi, nos dicere, Sacramentũ Eucharistię cõstare ex pane triticeo, & figura corporis Christi, vanissimũ est. Nostri enim omnes, quique nunc sunt, quique vnquam fuerunt, semper ita docuerunt, integrũ, & plenum Sacramentũ cõstare ex signo, & re significata. Nulla. n. relatio, esse potest sine duobus terminis. Sacramentum autẽ est quædã relatio, inter illa videlicet externa symbola, quæ oculis & sensibus vsurpamus, & res significatas, quæ sunt æternæ, & cœlestes, & inuisibiles. In eo autem semper errat & hallucinatur, quòd putat, ex quo aliquid dicatur constare, id illi adesse, & cum eo re ipsa coniunctum esse oportere. Atqui ea ratio in relationibus sæpissimè fallit. Filius enim à patre suo locorum spatio sæpè longissimè discluditur: cùm tamen pater ne esse quidem possit sine filio. Quod si panis aut vinum, aut aqua in baptismo dicantur interdum sacramenta, id non aliter intelligendum est, quàm quatenus ea rem significatam notant. Itaque si panem Eucharisticum cœlesti illa

illa sua significatione spoliares, nihil ille iam differret à vulgari & communi pane. Et cùm duæ sint sacramenti partes, signum, & res significata, sæpè accidit, vt signum ipsum, hoc est res externa appelletur sacramentum: & seorsum à re significata possit percipi. Ita enim dicimus, impios recipere sacramentum corporis domini: cùm illi panem tantùm, & vinum sumant, corpus autem Christi non habeant. Ita etiam vicissim dicimus, rem significatam haberi, & percipi posse sine signo. Quare si quis ἀκριβῶς loqui velit, dicet, impios non totum sacramentum, sed alteram tantùm eius partem recipere. Iste ergo noster Sarcophagus non rectè Figuratores intelligit: cùm ita impudenter clamet, Eucharistiam apud illos constare tantùm ex pane triticeo, & figura corporis Christi. Nos itaque, non vt iste calumniatur, Figuratores, sed veritatis & Euangelij propugnatores, dicimus, panem, cùm adhibetur ad Eucharistiam, esse figuram corporis Christi: idque cum omnium Patrum vnanimi consensu dicimus. Sacramentum autem ex pane, & figura constare nunquam diximus.

Impij non totũ sacramentũ percipiunt.

Sed Augustinus, inquit, *dicere potuisset sub persona Christi, Non comedetis corpus meum, sed signum.* Atqui vtrunque dixit. Quid enim, obsecro, interest inter hoc corpus, quod videtis, quodque non estis comesturi, & corpus meum, quod ore corporis esuri estis? De figura autem contra Adimantum libro 2. capite 12. ita scribit: *Non dubitauit dominus dicere, Hoc est corpum meum, cùm daret signum corporis sui.* Et in Psalmum tertium ita scribit de Iuda proditore: *Eum tam diu pertulit tanquam bonum, cùm eius cogitationes non ignoraret: eum adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram Discipulis suis commendauit.* Hæc Augustinus animo sedato scripsit, vtpote simpliciter exponens Psalmum: non autem disputationis calore abductus: quo etiam animo ista scripsit, quæ nunc tractamus, in Psalmum octuagesimum nonum. Eaque vel eo maximè nomine Inconstantius recipienda arbitratur. Atqui qui ista tam vehementer probat, illa, quę proximè ex Psalmo tertio citauimus, nõ debet contemnere.

Sed hîc non est dissimulandum egregium huius hominis, & impudens mendacium. Ait enim, nos figuram tantùm agnoscere in Eucharistia: quod vel ipse scit, si verum fateri velit, vanum, & falsum esse. *At non deerant*, inquit, *Augustino verba.* Certè non deerant. Nam illis & perspicuè, & copiosè explicuit, & propugnauit causam nostram. Nec lusit verbis, sed serio, & grauiter rem ipsam, vt est expositum. Quod cùm ita sit, moneo Inconstantium, vt illum maiori cum fide, & simplicius audiat: neque vt solet, nodum in scirpo quærat. Quàm autem prudenter, & candidè sibi nunc muniat viam ad eludenda illa testimonia, quæ idem Augustinus dixit alibi plurima, & constantissima secundũ nos, quòd dicat, eum illa in æstu ipso, atq; impetu disputationis effudisse, neglecta interim ἀκριβείᾳ, nunc nihil dico: dicturus postea fusius, vbi eadem ab isto repetentur.

OBIECTVM CCXXI.

OBIICITVR ex Augustino de Trinitate libro tertio capite decimo. Panis, inquit, ad hoc factus, in accipiendo sacramento consumitur. Apertè ait, Panem Eucharisticum in hunc vsum factum esse, vt in accipiendo sacramento consumatur. Corpus autem Christi non consumitur.

GARDINERVS.

HIC locus ambiguus est. Nam & docti non defuerunt, qui contenderent, eum ad Eucharistiam nihil quicquam pertinere.

MARTYR.

HIc Inconstantius duos iunenit cuniculos, in quos sese penitus abderet. Primũ enim reuocat in dubiũ, an ista verba Augustini pertineant ad Eucharistiã: additq;, nõ defuisse viros doctos, qui id negarẽt. Scio, & memini Roffensem illa omnibus modis torquere voluisse ad panes propositionis. Sed parùm promouit. Sensus enim illorum verborũ facillimus, maximeq; obuius nihil aliud spectare videtur, quã Eucharistiã. Id Erasmus etiam vidit, & Eucharistia, adscripsit ad marginem. Adhæc cũ Augustinus eadem omninò supra tractet cap. 4. quæ posteà cap. 10. ita ibi perspicuè, itaq; diserte verbis mentionẽ facit Eucharistiæ, vt omninò negari nõ possit. Ad hæc hoc locõ nominatim expressit vocem Sacramẽti: quã si generali tantũ significatione vsurpasset, eam potuisset & ad æneum serpentem, & ad Iacobi lapidẽ accommodare. Atqui id non fecit: vt eum hîc de peculiari quodam sacramento agens intelligamus. Præterea etiam, *Panis*, inquit, *ad hoc factus, in accipiendo sacramento consumitur.* Id non potest conuenire panib. propositionis. Neq; enim illi in hoc facti erant, vt ederentur: sed potius, vt positi coram domino ita suo ordine relinquerẽtur. Vnde appellati sunt לחם פנים à facie, & ab aspectu domini. Per accidens autẽ, vt loquuntur, eueniebat, vt comederentur; scilicet, ne ibi corã domino

Panes propositionis nõ ad id factí erãt per se vt ederẽtur.

putrefierent. Panis autem Eucharistiæ re vera ad id fit, & in illum solum vsum destinatur, vt à Communicantibus comedatur: vt illum ad alium quemuis vsum adhibere, planè alienum, & superstitiosum sit. Nihil itaque iuuat Inconstátium hic cuniculus.

Iam excutiamus alterum. Id, inquit, quod cõ sumitur in Eucharistia nõ est panis. Eius enim substantia desijt in meliorem. Quid ergo tandem consumitur? Id, inquit, quod de illo supererat. Hærebat illi in labris vox illa, nimium iam sæpè vsitata, Accidentia: quam tamen vocem non expresit: credo, quod illum iam supuderet cõmenti tam absurdi, & putidi. Statuit ergo, accidentia panis consumi à communicantibus. Verùm, si obijcias, Augustinum dicere non accidentia consumi, sed panem, respondebit, non esse nimis vrgendam appellationem: quoniam, inquit, illa non semper exigit subsistentiam eius rei, quæ nominatur. Audio: &, quod das, libenter accipio. Sed cur tu ita insolenter tumultuaris, cùm audis nos dicere, panem esse corpus Christi: etsi realem & substantialem præsentiam, qualem tu fingis, non concedamus? Ne tu quidem ibi vrgere debes appellationem. Vocatur quidem & est etiam aliquo modo corpus Christi: nimirùm, quod eius sit corporis sacramentum. Si postulas, vt nos tibi illud permittamus, tu debes idem, præsertim in eadem causa, largiri nobis.

OBIECTVM CCXXII.

OBIICITVR ex Augustino in libro De fide ad Petrum, capite decimonono. Appellat sacramentum panis & vini. De memoria Christi, & eius mortis abundè instituit illum Petrum: de Transubstantiatione autem, quam isti hodiè tanto perè inculcant, ne verbum quidem vnum facit.

GARDINERVS.

Quod Sacramentum dixit panis & vini, verbo notauit arcanum, quod non putauit apertius explicandum

MARTYR.

VOcabulum illud Sacramentum, hoc loco apud Augustinum Inconstantius putat arcani quippiam significare, quod ille tum noluerit proponere apertius. *Arcanum autem illud ait, omninò oportere esse Transubstantiationem, qua manentibus accidentibus, substantia esse desinit. Quia noua*, inquit, *significatio addita non dicitur in esse poni, sed exterius accedit.* At in promptu est, quid respondeã. Arcanũ aliquod voce illa, Sacramẽtum, significari non inficior. Sed illud arcanũ in efficaci, & à Deo ipso instituta significatione consistit. Ea enim firmissimè obsignat nobis salutis nostrę promissionem per Christum: & organum est, atque instrumentum spiritus sancti ad excitandam in nobis fidem. E diuerso autem quomodò tandem probabit iste, Arcanum illud aut Transubstantiationem esse, aut realem præsentiam? Nos quidem cùm ponimus nouam significationem, quod ad hoc arcanum attinet, non dicimus, eam oriri ex natura rei, sed exterius, hoc est ex domini instituto accedere. Sed age, respondeat mihi paucis de Baptismo: Nonne ibi quoque aqua, qua credentes tinguntur, habet aliquid arcani? Non potest hoc negare, qui baptismum fateatur esse Sacramentum. An ergo, quia Aqua illa dicitur Sacramentum, propter adiectam nouam significationẽ necesse erit eam transubstantiari?

Sed cùm hoc non putaret esse satis, Inconstantius aliud quiddam comminisci voluit. Ait ergo, Augustinum idcircò dixisse Sacramentum panis & vini, quòd illa duo adhibeantur ad conficiendum Sacramentum. Atqui ea non sunt adhuc Sacramentum, quando primùm in mensa domini proponuntur. Augustinus autem disertè ait, Sacramentum panis & vini. Deinde dubitat an ille liber sit Augustini. Verùm ea de re ego nihil contendo. A quocunque authore fuerit, & ab homine Ecclesiastico fuit, & non recenti, nec hæretico, nec damnato. Neque in toto libro quicquam est, quod sciam, cur à pijs hominibus debeat reijci.

Sed iste cum iam peruenisset ad metam stropharum, recepit se tandem ad formulas Dialecticas. Ait enim, infirmissimũ genus esse argumentandi à negatione. Hanc ego regulam, nisi ab alio magistro didicissem, hoc Sophista monstrante, nunquam intelligerem. Sunt enim multa firmissima argumenta à negatione. Nam si dicas, Hoc non est animal: ergo, non est homo: nemo negabit, te verè, & rectè collegisse. Aut si dicas, Non habet facultatem ridendi: ergo non est homo: nemo negabit argumentum. Verùm iste de locis ab authoritate, nescio quid aliud dicere voluit, quàm dixit. Nam ab illis locis negando Dialectici tradunt, argumẽtum non colligi necessarium. Potest enim fieri, vt aliquid sit verum, quod author aliquis non attigerit. Potuit ergo Inconstantius dicere, peccatum esse in obiectione, quòd idcircò negetur Transubstantiatio, quòd Augustinus in illo loco nullam eius fecerit mentionem. Respondeo, hanc formulam non facere argumentũ necessariũ aut probabile, si ea quocunq; modo adhibeatur. Verũ si certa quædã ratio obseruetur, argu-

argumentum valde probabile efficiet: etsi fortasse non necessarium. Si præcipuus quispiam author in aliqua facultate polliceatur, se omnia artis suæ membra & capita velle tradere, ea, quæ ille præterijt, & reliquit intacta, prudentes non solent posteà in artem facilè recipere. Nam si Galenus doctissimus medicorum aliquo in loco, vbi de morbo aliquo agat ex professo, rem quampiam, quæ magni sit momenti, præterierit, eam posteà sapientes medici, tanquam priam illi morbo, non facilè adscribunt. Ita hic, cum Augustinus summus Theologus, certo quodam in loco eius libri Petrum suum instituendum susceperit de Sacramento Eucharistiæ, quomodò absurdum non est dicere, eum Transubstantiationem, quæ præsertim & sua natura, & vestro iudicio tanti momenti sit, præterijsse? Hoc ego argumentum non dico esse necessarium. Est tamen, quod negari non potest, valde probabile.

OBIECTVM CCXXIII.

OBIICITVR ex August. Contra Faustum lib. 20. cap. 21. Ait, Carnem domini promissam fuisse nobis in Veteri Testamento in similitudine victimarum: eam autem in cruce re ipsa fuisse exhibitam: in Sacramento autem celebrari per memoriam.

GARDINERVS.

SENSVS est verborum: Cum trucidarentur victimæ, promissio quædam fuit, carnem & sanguinem Christi similem olim diuisionem passuram.

MARTYR.

QVæ Augustinus nudè simpliciterque protulit de carne & sanguine domini, ea iste prorsus inuertit, & pro suo more sophisticatur. Illam enim similitudinem transfert ad diuisionem sanguinis à carne: *eamque diuisionem* ait, *olim in victimarum mactatione fuisse promissam: eandem posteà exhibitam fuisse in cruce: nunc autem in Sacramento per memoriam celebrari.* Hic mihi libet paulisper, Inconstanti, tua tecum vti oratione. Dicebas enim paulò antè, idque in nos magnoperè valiturum existimasti, non defuisse Augustino verborum copiam: voluntatem autem illum habuisse explicandi veritatem ad ædificationem, non autem ludendi verbis, quæ gignant errores. Hæc tu nobis paulò antea: nunc eadem tibi ipsi canito. Potuisset haud dubiè Augustinus dicere, si voluisset, *diuisionem carnis à sanguine*. At ille carnè expressè dixit, & sanguinè: eaque coniunctim etiam dixit, non separatim, secundum tuam diuisionem. Fundebatur quidem in cruce sanguis Christi: sed ea de re Augustinus hoc loco nihil loquitur. Ait veteribus promissam fuisse carnem domini: eandem posteà re ipsa exhibitam fuisse in cruce: nunc autè per memoriam celebrari in Eucharistia. Atqui in illa sententia hoc in primis obseruandum est: quòd in cruce tantùm dicit carnem Christi re ipsa fuisse exhibitam: veteribus autem eandem fuisse promissam: à nobis verò eam per memoriam celebrari: ac si diceret, rem ipsam à nobis iam abesse.

Sed noster Sophista comminiscitur, Augustinum dixisse, diuisionem illam carnis à sanguine re ipsa exhibitam fuisse in cruce. Nam in Sacramento eiusmodi diuisionem non haberi. Ibi enim sub vtraque specie integrum Christum dari: non qui carnem suam iam à sanguine diuisam habeat: sed qui se ad memoriam suæ mortis sub illis speciebus seperatim exhibeat. Hoc enim esse Sacramentum memoriæ: quemadmodum Christus etiam monuit, cum diceret, *Hoc facite in meam commemorationem*. Quòd primo loco dicit, Augustinum scribere, Christum diuisionem sanguinis, & carnis suæ re ipsa exhibuisse in cruce, metum commentum est. Carnem quidem Augustinus in cruce exhibitam fuisse scribit: diuisionis autem istius mentionem nullam facit. Commentum est etiam, quod ait, sacramento sub alterutra specie Christum totum dari. Nam in altera corpus Christi consignatur, in altera sanguis: nisi fortè Inconstantius, vt solet, cum Christo ipso pugnare velit. Nam vt in altero symbolo memoria fieret corporis, in altero sanguinis, Christus ipse instituit, cum diceret, *Hoc est corpus, Hic est sangnis*. Eaque ipsa verba nunc in Ecclesia repetita animos Communicantium excitant. Verùm hic mihi responderi velim: Si Christus se ipsum, vt tu dicis separatim exhibuit sub his speciebus, ad memoriam mortis suæ, dixitque, *Hoc facite in meam commemorationem*, qua vos fronte, aut audacia domini institutum violatis? Cur in sacra Cœna vnam tantùm speciem communicantibus ministratis? Quis vobis vnquam dedit tantum iuris & potestatis in sigilla & sacramenta Christi? Negare non potestis, vos falsarios, & testamentarios, qui obsignationes testamenti Christi ita impudenter, & nequiter conuellatis. Sed nolo nunc in hac re vagari longius, aut scelus vestrum hoc loco vrgere pluribus.

OBIE-

OBIECTVM CCXXIV.

OBIICITVR ex Augustino de Ciuitate Dei libro 21. cap. vigesimo quinto. Non est existimandus, inquit, re vera comedere corpus Christi, qui non est in corpore Christi: aut in quo non manet Christus: aut non ipse in Christo. Hîc apertè docet, impios rem Sacramenti, id est, corpus ipsum Christi non comedere.

GARDINERVS.

ALIVD est manducare re vera corpus: aliud est re vera manducare corpus.

MARTYR.

ISte ne videretur parùm Sophista, magnum ait esse discrimen inter istas duas propositiones: *Manducare re vera corpus*: &, *re vera manducare corpus. Particulam enim illam, Re vera, si præponatur verbo, longè aliud significare, quàm si sequatur.* Prima fronte fortasse putes, hîc esse mirabile acumen. Re autem vera vitreum tantùm est tectorium. Lucet enim vanitate: veritate frangitur. *Particula*, inquit, *illa, Re vera, non est conditio corporis manducati: quia quod ad illud attinet, & à piis, & ab impiis manducatur. Sed ipsum*, inquit, *respicit manducantem. Requiritur enim ad id, vt fructum, seu vitam ex manducatione sua consequatur, vt in veritate manducet. Debet ergo in vobis esse veritas, quæ manducet veritatem in sacramento datã.* Quis putet Augustinum, cùm illos libros scriberet, quicquam de istis nugis cogitasse? Illi scilicet, scribenti veniebat in mentem, duo verbula aut præposita, aut postposita tantam habere vim ad mutandum totum sensum in oratione prolata? Apage, Inconstanti, has ineptias. Nam acumen tuum quàm leui fucatum sit vanitate, non est difficile videre: modo quis ea, quæ idem Augustinus in eodem capite scribit, legat cum iudicio. Verba autem eius hæc sunt: *Non est dicendus manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi.* Hîc nec Verè, est, nec Re vera, quod noster Sophista possit arrodere. Augustinus simpliciter negat, impios manducare corpus Christi. Sequitur: *Nec isti ergo dicendi sunt mãducare corpus Christi: quoniam nec in mẽbris cõpus tandi sunt Christi. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse membra Christi, & membra meretricis.* Ex his apparet, idem esse apud Augustinum, Comedere corpus Christi: &, Esse membrum Christi: vt illi dici non possint participes carnis Christi, qui numerari non possint in membris Christi. Idque ea, quæ statim ab Augustino subijciuntur, clarius indicant. Ait enim: *Denique ipse dicens, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, ostendit, quid sit, non Sacramentotenus, sed re vera corpus Christi manducare & sanguinem eius bibere. Sic enim hoc dixit, quasi diceret, Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat, aut existimet, mãducare corpus meum, aut sanguinem meum bibere.* Ex his verbis duo possumus colligere: Primũ, hæc duo retrò agi, &, vulgò vt loquuntur, conuerti, Manere in Christo, & Christum in se manentem habere: &, Comedere corpus Christi: qui alterutrum habeat, vtrunque habeat: qui altero careat, vtroq; careat. Magnam autem mihi emphasim habere videntur illa verba, Non se dicat, aut existimet, comedere carnem meam.

Alterum, quod dixi dignum esse animaduersione, est, quod Augustinus ait, Impios comedere Sacramentotenus: quod est, non aliud, quàm sacramentum percipere corporis domini. Sacramentum autem, & res ipsa, etsi in pijs hominibus copulantur, tamen in impijs dissociantur. Impij enim sacramentum quidem comedunt: corpus autem domini non attingunt. Possem huc etiam allegare Augustinum ex Sententijs quibusdam ex illo discerptis, Sententia tricentesima trigesima octaua. Ibi enim sic scribit: *Nam qui discordat à Christo, nec panem eius manducat, nec sanguinem bibit: etiamsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidiè indifferenter accipiat.* Hæc ea omnia confirmant, quæ anteà diximus. Verùm hîc Lector vno verbo monendus mihi est, vt meminerit, vocem illam, Panem, in hac sententia Augustini accipiendam esse metaphoricè. Ea enim significatur caro ipsa Christi: quam carnem ait eos, qui discordant à Christo, non comedere.

Possem hîc non incommodè finem facere. Tamen, ne quis possit ambigere, quid hac de re, Augustinus senserit, non inutile putaui fore si huc citarem eius verba è tractatu 26. in Ioannem. Ea verò sic habent: *Hoc est ergo manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubiò nec manducat spiritualiter eius carnem, nec bibit sanguinem: licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit: quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta.* Hîc quoque videmus, illa duo, Manere in Christo, & Manducare corpus Christi, inter se conuerti: vt qui in Christo non maneat, dici non possit manducare corpus Christi. Deinde etiam rem ipsam sacramenti, hoc est corpus Christi, ita distinguit à sacramento, vt hoc quidem concedat impijs, illud verò nullo modo. Disertis enim verbis negat, impios comedere spiritualiter corpus Christi. Qua de re libenter audire vellem Inconstantium quomodò putet, impios comedé-

comedere carnem Christi, carnaliter ne, an spiritualiter. Carnaliter, opinor, non dicet: non enim sensu, aut aliorum ciborum more comeditur. Et iste semper clamat, se abhorrere à Capernaitis, qui putarint, se carnaliter comesturos esse carnes Christi. Restat ergo, vt dicat, Impios comedere Christum spiritualiter. Sed hîc opponit se Augustinus. Ait enim, eum, qui non maneat in Christo, non comedere spiritualiter eius carnem. Postremò annotare debemus, Augustinum hîc quàm commodissimè interpretari illa verba Pauli, *Iudicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus domini.* Sic enim scribit: *Sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit: quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta.* Per corpus domini, quod Paulus dixit, Augustinus intelligit sacramentum corporis domini, quod ait posse ab immundis, & ab impijs manducari. Hæc ergo testimonia Augustini huius fucatæ responsionis vanitatem satis, vt arbitror, patefaciunt.

Impij nõ possunt comedere corpus Christi spiritualiter.

OBIECTVM CCXXV.

Obijcitur ex Augustino contra Adimantum Manichæum capite duodecimo: Non dubitauit, inquit, Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui. Idcirco autem inquit, non dubitasse dominum ita loqui, quia in tropis audemus aliquid.

GARDINERVS.

AVGVSTINVS in agone & certamine loquitur, confutans Manichæos.

MARTYR.

QVòd primùm ait, Augustinum ista dixisse per calorem, atque impetum disputationis, non debet eò valere, vt eius verbis minus fidei habeamus. Ita enim quæcunque ille pulcherrimè disputauit contra Donatistas, Pelagianos, Manichæos, Arianos, facilè eneruari, & eludi possent propter contentionem, & æstum certaminis. Imò, vt aliàs dixi, magis ex illis locis quærenda est veritas apud patres, in quibus illi de industria copiosè disputarint de re aliqua, quàm vspiam alibi. Nam alijs fortasse in locis id, quod quærimus, aut obiter, aut negligentius tractauerunt. Vbi autem ex professo disputarint, non inani cupiditate consequendæ victoriæ, sed vero studio ædificandæ Ecclesiæ Dei, ibi credibile est, eos omniá diligenter, & considerate cogitasse. Augustinus in illo loco interpretatur, quid sit, quod in Deuteron. & Leuitico scribitur, sanguinem esse animam. Ita autem dictum ait, quod sanguis sit signum animæ. Et citat similem loquutionem ex Euangelio, Christum id appellasse corpus suum, quòd esset signum eius corporis. Atque hunc nos locum istis Sarcophagis obijcimus.

Vbi maximè confulendi sunt patres in aliqua re obscura.

Respondet Inconstantius: Animam latêre in sanguine, vt sanguis signum sit animæ. Et quoniam quasi in signo quodam animam indicat, idcirco sanguinem appellari animam. Videtur dicere, accidêtia, quæ percipiuntur sensu, signa esse corporis Christi sub illis delitescentis, quêadmodum anima, cuius sanguis est signum, cuique ea nomen suum communicat, latet in sanguine. Quasi credamus accidentia esse signa corporis domini: præsentis tamen, non autem absentis: etsi præsens lateat. At ex hoc sequeretur, illa accidentia habere nomê corporis Christi: quod hactenus nunquam audiui dici. Sed cur iste non cogitat, sanguinem, dum est adhuc in corpore hostiarum viuentium, non posse reste diti signum animę, quia non videtur. Signa verò necesse est esse perspicua. Quare sanguis non potest esse signum animæ, nisi postquam iam fusus est è corpore. Cum autem extra corpus animantis conspicitur, signum quidem est animæ, sed non in se delitescentis. Est enim tum sanguis res inanima. Ita id, quod videtur, & sentitur, in Eucharistia, signum quidem est corporis Christi, at non, vt iste sophisticatur, sub illo delitescentis. Vtque ostendam, Augustinum huiusmodi rerum, & symbolorum separationê intellexisse, eius verba, quæ postea sequuntur in eodem capite, non grauabor subijcere. *Illud, inquit, quod Lex dixit, fundendum esse sanguinem, nec in escam assumendum, quia sanguis est anima, esse positum dicimus, sicut alia multa, & penè omnia scripturarum illarum sacramenta, signis & figuris plena sunt futuræ prædicationis, quæ iam per dominum nostrum Iesum Christum declarata est. Sic est enim sanguis anima, quomodò petra erat Christus. Sicut dicit Apostolus, Bibebant enim de spirituali consequente eos petra: Petra autem erat Christus.* Notũ est autê Filios Israel, petra percussa bibisse aquam in eremo: de quibus loquebatur Apostolus cùm hæc diceret. Nec tamen dicit, petra significat Christum: sed, Petra erat Christus. Quæ rursus, ne carnaliter acciperetur, spiritualem illam vocat; hoc est, spiritualiter intelligendam docet.

Sanguis vt sit in corpore, non est sanguis animæ.

Hîc complura occurrunt digna, quæ diligenter obseruentur. Primùm, Augustinum dictum illud, Anima est sanguis: & illud alterum, Hoc est corpus meum: affirmare esse similia: nam ea duo ab initio inter se composuerat: deinde etiam ea similia esse permultis, & penè omnibus veterum scripturarum Sacramentis: quæ nemo vnquam dubitauit longissimè distare à rebus ipsis. Deinde peculiariter loquutionem cum eo comparat, quod Paulus ait, Petra erat Christus. Nec sanè ambigi à quoquam potest,

naturam Christi humanam, eiusque sanguine tum temporis ab illa petra longissimè abfuisse. Tertio verò loco, quoniam obijcere quispiam potuisset, Apostolum non dixisse, Petram significasse, sed fuisse Christum: id ait, nihil refert. Significationis enim sensum ex ipsa voce, Spiritualis, posse elici. Cùm enim petra illa dicatur spiritualis, satis docemur, illam non esse intelligendam carnaliter. Quod idcircò moneo, vt Lector intelligat, cùm patres dicunt, panem quem nos accipimus, esse spiritualiter corpus Christi, eos nihil aliud velle dicere, quàm panem illum significare corpus Christi. Nam ita sensisse Augustinum, vel id clarissimè indicat, quòd illam propositionem, Sanguis est anima, dicit veram esse in signo. Et huic propositioni alias propositiones similes recitauit: *Hoc est corpus meum: & Petra erat Christus:* in quibus verbum illud substantiuum, Est, affirmat notare signum.

Addit præterea Inconstantius: *Id, quod dabat, quatenus quidem erat inuisibile, nihil aliud fuisse, quàm signum eius corporis. Nec eum dubitasse dicere, Hoc est corpus meum, quoniam loquebatur fidelibus, qui nõ hærerent oculis in eo, quod visibiliter daretur: sed ad hauriendam vim verborum aures erigerent, & per fidem intelligerent, non visibile illud signum, quod daretur, esse corpus, sed quod inuisibiliter adesse crederetur.* At si illud visibile, vt ais, quod Christus dabat, nihil aliud erat, quàm signum eius corporis: & si fideles intelligebant per fidem, illud intelligibile, quod dabatur, non esse corpus domini: Cur illud tam constanter affirmatis, manu contingi, dentibus atteri, lingua palatoque gustari? Nam istæ actiones non nisi rebus visibilibus conueniunt, quæ nobis in Sacramento distribuuntur. Quòd si vos illis rebus tribuitis nomina corporis & sanguinis Christi, non debetis ita impatienter ferre, si nos pani & vino eadem nomina imponamus.

Quod autem addit, loquutionem illam Christi, & propriam esse, & tropicam, id nullo modo ferri potest. Distinguat homines, & alios carnales, alios spirituales faciat, quantum velit. Certè Augustinus affirmat, orationem illam esse figuratam, & tropicam: illudque quod ore suscipitur, non corpus esse Christi, sed signum corporis. Esto, hæreant homines carnales in symbolis: spirituales verò rem ipsam significatam spectent. Illi tamen vim propositionis mutare non possunt. *Semen*, inquit Christus, *est verbum Dei*. Hæc oratio, & cũ nondum intelligeretur à discipulis, & cùm postea à Christo esset exposita, semper tamen erat tropica. Sed Inconstantius facit, quod solent imperiti sagittarij: qui, vt scopum aliquando ferant, multas sagittas anteà frustrà abijciunt. Omnes enim artes suas & rationes expedit, vt possit hoc argumentum nobis dissoluere, vt si prima via nihil effecerit, altera tamen videatur feciſse aliquid: aut si illa quoque frustrà tentetur, tertiam, quartamque suscipiat.

Addit: *Verum est illud, quod Christus dedit visibiliter, fuisse signum corporis eius, & per tropum recepisse eius appellationem. Sed quod inuisibiliter dedit, verum corpus erat, quod suscepit ex Virgine, quodque pro nobis tradebatur.* Ista rectè, & verè dicuntur. Et, si iste loquatur ex animo, non video, cur non lites & contentiones deponamus. Nostra enim hæc verba sunt. Nos dicimus, & docemus, externa illa, quæ visibiliter traduntur, panem, inquam, & vinum, esse signa corporis & sanguinis domini, & idcirco illorum nominib. appellari: id autem, quod inuisibiliter datur, & à mente nostra, & spiritu percipitur, verum esse corpus domini, & verum sanguinem, quæ pro nobis tradita sunt in cruce. Videri quidem hactenus possumus pulchrè inter nos consentire. Sed nihil est minus. Inconstantius enim sub ista larua qualicunque, veritatis tegit insignem mendacium. Illud enim, quod ait datum inuisibiliter, non ad spiritum, non ad animum, non ad fidem nostram refert: sed ad obscura quædã, nescio quæ, latibula. Vult enim carnem domini realiter adesse, sed latère. Videlicet, Deus iste panaceus vmbris gaudet, odit lucem. O fictiones plusquam aniles, aut poeticas: quibus tamen necesse sit obligari miseræ plebeculæ conscientias. Deum allquando misereat populi sui. Præterea id, quod Christus dabat visibiliter, quodque fatetur fuisse signum eius corporis, id pati non potest fuisse panem & vinum, quod & sacra scriptura, & sensus, & experientia testatur, sed tantùm accidentia. Et in istis tantis tenebris putat sibi licere fingere, quicquid libeat.

Posteà se refert ad Chrysostomum: quem ait hom. 83. in Matthæum ita scribere: *Christum nihil dare sensibile.* Memini equidem patrem illum ita scribere. Sed tu quoque vicissim meminisse debes, Chrysostomum illa verba non tantũ ad Eucharistiã, sed etiam ad baptismum retulisse. Ibi .n. etiã dicimur inseri in Christũ, & Christũ induere. Necesse ergo erit, ibi quoque dicere, aquam transubstantiari, & nihil ex ea superesse nisi accidentia. Quod autem Inconstantius addit, *Non quod nihil sint accidentia*, id non habuit à Chrysostomo, sed assuere voluit de suo. Illi enim pio, & sancto Patri nunquam talia portenta venissent in mentem. Quod autem ait, nihil in sacramentis nobis dari sensibile, id loquitur in hanc sententiam: mentem, & fidem piè & rectè communicantium, non in externis elementis versari, tanquam in præcipuo fine, & instituto Christi, sed toto pectore ad illa se transferre, ad quæ vocantur per verba domini. Neq; cuiquam videri potest verisimile, corpus de vero corpore, ac non potius de signo sensibili prædicari. Non ita fuit stupidus Chrysostomus, vt cùm Christus diceret, Hoc est corpus meum, putarit, eum dicere voluisse, Hoc corpus meum, est corpus meum. Non sanorum hominum, sed fatuorum, & delirantium sunt isti sensus. Nihilominus tamen vult, Chrysostomum scripsisse ista sedatè, & propriè de dogmate: Augustinum autem ad certamen, & victoriam, & contentionem spectasse. Additque Basilium magno iudicio dixisse, In perpendendis

Patrum

Patrum ſententijs in primis videndum eſſe, quid ab illis δογματικῶς, quid ἀγωνιστικῶς dictum ſit. Quod ſi ita eſt, Cur ego quoque tibi eadem non regeram, cum à te citantur Patres? Cur nō poſsim dicere, eos in ſuis encomijs, adhortationibus, concionibus multa de hoc ſacramento hyperbolicè, & magna cum amplificatione loquutos? Imò, te authore, non video, quid ipſi Baſilio contra Eunomium diſputanti credere debeam. Nam contra eum mihi ſemper viſus eſt omnes neruos doctrinæ, & eloquentiæ vires intendere. Quod tamen ab eo dicitur, id ibi demùm mihi videtur habere locum, vbi comi-nus, & viua voce, atque ex tempore diſputatur. Nam alioqui de dogmatibus Arrianorum, & Pelagianorum, & aliorum ſimilium, nullis æquè credo, atque aduerſus eos acriter, & ſeriò diſputantibus. Huc adde, Auguſtinum iam ſenem maturo iudicio ſcripſiſſe libros Retractionum: in quibus haud dubiè locum, vt iſte ait, ita lubricum aut explicuiſſet: aut certè, quod de alijs multis locis fecit, ſine vlla dubitatione reuocaſſet, ſi quid in eo à ſe erratum putauiſſet. Sed quid opus eſt multis? Cum interpretatur Pſalmum, idq; in Concione ad populum, ait Chriſtum commendaſſe diſcipulis ſuis figuram ſui. Non ibi diſputabat: non ferebatur corporis impetu: nō ardore certaminis, aut vincendi ſtudio inflāmabatur: tamē ait Chriſtum diſcipulis ſuis figuram ſui corporis tradidiſſe. Huc addo, nemini fas eſſe, quamtumuis diſputationis æſtu calleat, falſa diſputando colligere, & tradere, quo vera tueatur. Neq; enim ſanitas vnio curanda eſt, cum aliorum exitio.

Non licet diſputando falſa colligere, aut ponere, quò vera tueamur.

Poſtremò iſte noſter ait, *Auguſtinum, cum ita ſcribat, Non dubitauit dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum daret ſignum corporis ſui, non notaſſe audaciam domini in tropis liberius loquendi, ſed confidentius tradendi myſterium fidelibus.* Si tradat fidelibus myſterium, quod eum vnum præ ſe ferat, aliud quiddā occultet, aut ſignificet, quæ cauſa eſt, cur in eo tradendo non auſit vti oratione figurata? Cum deceat orationem parem, & conformen eſſe rei, qua de agitur, & fatearis myſterium fuiſſe, quod Chriſtus tradidit, cur illi non licuit adhibere myſticam orationem? Dominus ergo, cum non quamuis rem, ſed myſterium inſtitueret, & daret, auſus eſt loqui tropicè. Imò, vt Auguſtinus ait, ita putauit licere ſibi vti tropo, vt ſcripturæ vtuntur, cum dicant, ſanguinem eſſe animam.

Auguſtinus.

OBIECTVM CCXXVI.

OBIICITVR ex Auguſtino de Doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 16. Ait loquutionem illam Chriſti, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. figuratā eſſe, quòd illis verbis flagitium videatur præcipi.

GARDINERVS.

MYSTERIORVM ignaris figura eſt: ſed fideles norunt, quibus credentibus Chriſtus aperuit modum.

MARTYR.

SI Auguſtinus libros illos ſuos de Doctrina Chriſtiana infidelibus, & hominib⁹ à Chriſti doctrina alienis ſcripſiſſet, Gardinerus fortaſſe videri poſſet aliquid dicere: cum reſpōdeat, loquutionem Chriſti infidelibus fuiſſe figuratam, credentibus verò propriam. Sed Auguſtinus ſtatim ab initio primi libri ſatis oſtendit, ſe fidelibus tantùm ſcribere. Sic enim habet: *Sunt præcepta quædam tractandarum ſcripturarum, quæ ſtudioſis earum video non incommodè poſſe tradi.* Vides ergo, Inconſtanti, Auguſtinum iſta tradere, non, vt tu putas, hominibus carnalibus, & infidelibus, ſed ſacrarum literarū ſtudioſis. Quare cum ſimpliciter, & ſine vlla diſtinctione dicat, loquutionē illam eſſe figuratā, etiam fidelibus habenda eſt pro figurata: & præſertim, cū Auguſtinus dicat nominatim, ſe in illis libris præcepta, & regulas quaſdam tradere intelligēdi ſacras literas. Quò autem certius intelligatur quod dicimus, rationem Auguſtini expendamus. *Quoniam*, inquit, *flagitium videtur præcipi.* Atqui omnium iudicio, non tantùm infideliū, ſed etiam fidelium, non tantùm carnalium, ſed etiam ſpiritualium, flagitiū videtur eſſe carnes domini propriè, & realiter comedere: hoc enim eſſet, illas dentibus ſcindere, lacerare, commolere, in ventriculum traijcere: quæ cogitationes horrēdæ ſunt, & indignæ corpore domini. Illud enim iā immortalitate, & omni gloria ornatū pati iſta non poteſt. Quare etiam inuito Inconſtātio, neceſſe eſt orationē illam Chriſti etiam fidelibus hominibus, & ſpiritualibus figuratam eſſe.

Verùm ab iſta reſponſione, quòd eam videret infirmam eſſe, nec poſſe conſiſtere, recipit ſe ad aliā, vt ſolet. *Sit*, inquit *figurata oratio, quæ præcipiat, vt meditemur Chriſtum crucifixū, vt Chriſto cōpatiamur, vt conregnemus: vt, qui Chriſto cōmunicauerimus in humilitate, eidem olim communicemus in gloria.* Hoc pacto iſte putat, ſe explicuiſſe ſenſū Auguſtini: quòd is ita ſcribat: *Figura ergo eſt, præcipiens paſsioni domini eſſe cōmunicandū, & ſuauiter atque vtiliter recondendū in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit.* Sed hæc verba Auguſtini nihil ſibi aliud volunt, quā quod nos aſsiduè docemus, comedere videlicet carnem Chriſti, non aliud eſſe, quā eam fide apprehendere, vt datam pro nobis in preciū noſtrę redēptionis. Itaq; idem Auguſtinus alibi rectiſsimè dixit, *Credere eſſe edere: &, Crede & māducaſti.* Hoc etiam illud eſt, quod dominus iubet, vt cōmunicando annūciemus mortē ſuam: quodq; facimus, in ipſius memoriā faciamus. Verū ibi errat turpiter Inconſtātius, quod putat apud Auguſtinū, *Cōmunicare paſsioni domini, eſſe illi compati, & omnia aduerſa, atq; acerba perpeti eius cauſa: quē-*

Quid ſit comedere carnem Chriſti.

admodum Paulus etiam loquitur ad Romanos. Atqui hoc in Cœna domini, de qua tum Augustinus loquebatur, non habet locum. Nō enim ibi premimur violentia persequutorum: sed passioni Christi ita demum cōmunicamus, si eam viua, & efficaci fide complectamur. Confirmamur tamen ex ipso vsu sacræ Cœnæ etiam ad omnia durissima, cum id res postulabit, pro Christi nomine perferenda.

Quod autē addit, *omnes Christi passiones ita nobis cōmunicari per Eucharistiā, quemadmodū mors Christi efficitur nostra mors per baptismum*, id omninò absurdū est. Nam & baptismꝰ, & eucharistia sunt instrumēta spiritus sancti, quibus ille vtitur ad accendēdam in nobis fidem: vt illa passionē & mortem Christi, & condonationē peccatorum nostrorū complectamur. Atque inter hæc duo Sacramēta hoc solùm est discriminis: quòd in baptismo ista fiunt per modū Regenerationis: in Eucharistia eadē fiunt, sed per modū Alimēti. Meminisse autē debet Sophista noster, Augustinū ista scribere in libris de Doctrina Christiana: quibus in libris non est verisimile, illum incaluisse disputādo, sed animo sedato pios & diuinarū literarū studiosos homines docuisse. Intelligat ergo, illam suam distinctiunculā, de illis, quæ apud patres modò δογματικῶς, modò ἀγωνιστικῶς dicuntur, inanē, & leuem esse, & his locis non cōuenire. Nam Augustinus hîc quoq; vbi nihil opus erat calore aut contentione, fassus est, orationem illam Christi figuratā esse. Illum autem reuera, & ex animo, & sine vlla ambage ita sensisse, vel id argumento esse potest, quod scribit lib. 2 de Doctrina Christiana. cap. 9. *Sacramento*, inquit, *corporis & sanguinis sui prægustato, significauit, quod voluit*. Hîc quoq; *Significauit*, inquit: ex qua voce quid aliud intelligere possumus, quàm loquutionem figuratam?

Quid inter Baptimū & Eucharistiam sit discrimi nis.

Illud verò quod adfert è Nazianzeno, *nos Eucharistia fieri participes passionū & diuinitatis Christi*, si rectè accipiatur, non repudio. Nam qui ex fide accedunt ad Cœnā domini, & redemptionis, & diuinæ naturæ participationē fide assequuntur, quemadmodū verba Dei promittūt.

Hoc tamē dico, illa eo loco παρεργα, & aliena esse. Nec mirū, si Inconstātius ita remota, & aliena dicere voluerit. Excusis enim omnibus intimæ artis suę myrothecijs, tamen magna inopia laborabat. Itaq; digredi, & vagari, & multa, quę ad rem nihil facerent, dicere voluit. Id autem, quo maximè premebatur, nempè loquutionē illam, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. figuratam esse, callidè dissimulat.

OBIECTVM CCXXVII.

OBIICITVR ex Augustino ex epistola ad Bonifacium, vbi apertè dicit, Sacramēta habere nomina illarum rerū, quarū sunt Sacramenta. Nominatim autē ait Sacramentū corporis Christi, secundum quendam modum esse corpus Christi.

GARDINERVS.

QVONIAM rem continent, vel exhibent Saramenta, meritò sibi nomen vsurparunt. Nam & calicem domini bibere dicimur, quoniam bibimus, quod in calice continetur.

MARTYR.

FAtetur, Sacramenta rerum ipsarum nomina vsurpare: verùm nō alia causa, nisi quòd res ipsas contineant, & exhibeant. Sed hoc dixisse, non est satis. Continere enim, &, Exhibere bifariam possunt intelligi: nempè, aut re ipsa & verè, quod ad illarum substātiam attinet, habere atque offerre: aut easdem res, non quidem re ipsa, aut præsentes, sed per significationē, fidei, atq; animo proponere. Nam sepultura domini, & remissio peccatorū non hærent re ipsa in aqua baptismi. Sepultura enim domini iam prēterijt: condonatio autem peccatorū sita est in volūtate Dei. Posteriori ergo modo fatemur, significata Sacramentorū in Sacramentis contineri, & ab illis exhiberi. Ratio autem Augustini non illa est, quam Inconstātius comminiscitur, videlicet, symbola habere nomina rerum, quòd illas exhibeant, aut contineant: sed quòd inter illa, & res ipsas similitudo aliqua intercedat. Sic enim Augustinus scribit: *Nempè sæpe ita loquimur, vt pascha propinquante, dicamus crastinam, vel perendinam domini passionem, cum ille ante multos annos passus sit, nec omninò, nisi semel, illa passio facta sit. Nempè ipso die Dominico dicimus, Hodie dominus resurrexit, cum ex quo resurrexit tot anni trāsierint. Cur nemo tam ineptus est, vt nos ita loquentes arguat esse mentitos? nisi quia istos dies, secundum illorum, quibus hæc gesta sunt similitudinem nuncupamus: vt dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed reuolutione temporis similis eius: & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationē, quod non illo die, sed iam olim factum est? Nonne semel immolatus est Christus in semetipso? Et tamen in Sacramento, non solùm per omnes pascha solennitates, sed omni die populis immolatur. Nec vtique mentitur, qui interrogatus eum respōderit immolari. Si enim sacramenta similitudinem quandam earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autē similitudine plerunque rerum ipsarum nomina fortiuntur. Sicut ergo secundum quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, & Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est: ita Sacramentum fidei fides est.* Et mox: *Sicut de ipso*, inquit, *Baptismo Apostolus, Consepulti, inquit, sumus Christo per Baptismum in mortem. Non ait, sepulturam significamus, sed prorsus, inquit, consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non nisi eiusdem rei vocabulo nūcupauit.* Hæc satis indicant, cur Augustinus dixerit, nomina rerū significatarū attribui Sacramentis: nimirū, quòd aliqua sit inter ea similitudo: idq; bis, terque ingeminauit. De Inconstij autem nostri exhibitione, aut continētia, ne

Quid continere ac exhibere.

gry quidem. Additque dies illos, quibus dicimus, Christum immolatum, aut passum, reuera eosdem illos non esse, sed alios illorum similes: & baptismum, non quidem esse sepulturã domini, sed illam significare. Et ad hũc sensum adscribit etiam Eucharistiam. Ait enim, Sacramentum corporis Christi, secundum quendam modum esse corpus Christi: nempè, quòd symbolum eius sit, & illud significet, ratione quidẽ non vulgari, sed diuinitùs instituta. Quæ autem similitudo inter corpus & sanguinẽ Christi, & panem & vinum intercedat, & omnes facilè intelligunt, & à me sæpè iam suprà dictum est. Eamque similitudinem Gelasius in libro de duabus naturis in Christo, contra Eutychen, & Nestorium disertis verbis, vt alibi videbimus, annotauit.

Sed Inconstantius id, quod Augustinus dicit, Quodam modo. arripit, & persequitur. Ait enim hoc Sacramentũ insigniri illis verbis seorsim ab alijs exemplis, quòd in illo veritas ipsa adsit singulari quodã modo: scilicet, ne videri possit. Idq; ait, Augustinum alibi expressisse, cum diceret, Nõ hoc corpus, quod videtis, mãducaturi estis. In summa statuit, corpus Christi adesse spiritualiter, hoc est, vt ipse interpretatur, inuisibiliter: vt sensu comprehendi non possit, quãuis reuera sit præsens. Nec animaduertit, particulã illam, Quodã modo, apud Augustinum, non amplificationẽ aliquã, aut singularẽ excellentiã, sed potius extenuationẽ & imminutionem significare: quod ex cæteris exẽplis apertè liquet. In illis enim ait, ea quę appellantur hoc, aut illo nomine, non reuera esse illa ipsa, quæ vocantur, sed illorũ similia, illa significare, & illorum esse sacramẽta. Ad veritatem autem quod attinet, ea in omnibus sacramentis à Deo institutis inuenitur. Neq; enim minus habet sacramentũ baptismi suam veritatẽ, quã Eucharistia suam. Id cum iste videret rectè sibi posse obijci, callide subiecit: Nugãtur sanè, inquit, qui diuersam sacramentorũ rationẽ ad vnam normã exigunt: nec rerũ sacramenti cõditiones distinguũt. Et baptismũ ait exhibere fidẽ: etsi alio modo adultis, alio paruulis: Eucharistiam verò exhibere corpus & sanguinem Christi. Primùm cogitare istũ oportuit, Omnia sacramenta, quod ad genus attinet, rectè exigi ad eandẽ normã. In eo enim omnia consentiũt, vt sint rerũ suarũ sacramenta. Significationes autem posteà in varias formas, & partes diuidũtur: prout Christum nobis variè referũt, ita à se mutuò distinguũtur. Et Baptismus quidẽ proponit nobis Christũ vt lauacrũ, & repurgationem nostrã à peccatis: Eucharistia autẽ eundẽ proponit, vt cibum & precium nostra causa persolutum in cruce. Atque ita omnium sacramentorum norma & vna esse potest, & diuersa. De modo autem exhibendi aut continendi fidem seu corpus Christi, iam est dictum satis.

Omnia sacramenta à Deo instituta, veritatẽ habent.

Omniũ sacramentorum norma vna est in genere, diuersa autẽ in specie.

Posteà noster satis astutè comminiscitur discrimen inter illa exempla, quæ Augustinus commemorauit. Mortẽ enim, & Resurrectionem Christi ait, res quasdam esse, quæ præterierint, & reuocari non possint. Itaque in illis recordationem rei præteritæ rectè accipi pro præsenti. Christum autem, cum sit heri, hodiè, & in secula, non vt præteritum quiddam, aut futurum esse in sacramento. Ideoque sacramentum habere nomen ab eius corpore, tãquam ab eo, quod verè sit præsens. Quod si res ita habet, cur Augustinus exemplum de hoc sacramento, vnà cum alijs exemplis commemorauit: in quibus satis constat significata nõ esse præsentia? Certè si hoc sacramentũ nomen habeat à re præsenti, quam in se contineat, non confirmandæ Augustini sententiæ inseruit, sed potius obscurandæ. Is enim docere voluit, nomen fidei conuenire baptismo, quòd sit eius sacramentum: quamuis baptismus reuera nõ sit fides. Mentem autem suam, & sententiam probauit istis similibus. Quare sacramentum Eucharistiæ vel ita se habet, vt alia quæ ab Augustino commemorãtur, vel in illa serie exemplorum non fuit collocandum. Ait Augustinus, Sacramenta figurata loquutione vsurpare nomen alienum. At si corpus Christi adsit realiter, sacramentum Eucharistiæ non iam alienũ nomen obtinebit, sed proprium, & suum, cum appellatur Corpus Christi. Tibi verò, Lector, diligenter cauendum est, ne verbis Inconstantij circumueniaris: cum dicat, Baptismum exhibere fidem, Eucharistiam verò corpus Christi. non enim à sacramentis istis exhibentur, sed à spiritu sancto, qui illis vtitur, tanquam instrumentis. Quare illa loquutio non est simpliciter recipienda. Sacramenta enim reuocanda sunt ad rationem instrumentalis causæ.

Fides & corpus Christi non exhibentur propriè à sacramentis, sed à spiritu sancto. Sacramenta rationẽ habent cuiusdam instrumentalis.

Quod autem Augustinus dixit, Sacramenta habere nomina earum rerum, quas significãt, idem ante illum dixit Cyprianus in Sermone de Vnctione Chrismatis. Sic enim scribit: Dedit itaque dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuiũ, proprijs manibus panem & vinum: in cruce verò proprijs manibus corpus tradidit vulnerandum: vt in Apostolis secretius impressa syncera veritas, & vera synceritas exponeret Gentibus, quomodò vinum & panis, caro esset & sanguis: & quibus rationibus causæ effectibus conuenirent: & diuersa nomina, vel species ad vnam reducerentur essentiam: & significantia, & significata ijsdem nominibus censerentur. Hac sententia nihil potest esse clarius. Ait panẽ & vinum nobis dari: & significata, atque significantia eodem vocabulo appellari: & signa, ac res significatas ad vnam essentiam sacramenti reuocari: causas etiam cum effectibus coniungi. Mors enim Christi, qua ille corpus suum dedit militibus vulnerandum, causa fuit, cur hoc sacramentum institueretur: ad id enim facit vt ea commemorentur. Apostolis verò in Cœna rem ipsam realiter fuisse datam, Cyprianus nunquam scripsit. Merum ergo commentum est, quod Inconstantius sibi reperit, vt verba Augustini, quibus nihil esse potest magis perspicuum, eluderet. Hoc postremò annotandũ est, nec Cyprianum, nec Augustinum ἀγνωσμάτ

Cyprianus.

ista scribere: sed alterum in Epistola, alterum in Concione ad populum, vtrunque animo sedatissimo, & sine vllo disputationis calore differere. Quibus mihi nunc visum est & Cyrillum addere, qui tractans verba, illa, Panem angelorum manducauit homo, & affirmans angelorum panem esse Christum, quærit quomodo Patres in deserto dicantur talem panem, scilicet Christum, comedisse, cum manna visibile manducarent. sibi ipse respondet, externũ illum cibum mãna, vocatum fuisse nomine veritatis, id est, rei significatæ. Verba eius hæc sunt libro 4. in Ioannem capite 10. Quomodò igitur maiores Iudæorum panem hunc angelorum spiritualem comederunt? Conspicuũ igitur est, quoniam Christi, qui vniuersa continet & nutrit, figura quædam erat manna sensibile: igitur quod vmbra veritatis erat, veritatis nomine in spiritu appellauit, & eo quod angeli terrestri cibo participare nequeũt, vel nolentes ad veritatem à figura impellit auditores, & ad Christum, qui etiam ipsorum angelorum panis est, ænigmatica oratione reducit. Consentiunt itaque simul Cyprianus, Augustinus, Cyrillus, & Theodoretus, externa sacramẽta nomine rerum significatarum appellari.

OBIECTVM CCXXVIII.

OBIICITVR ex August. homilia 26. & habetur de Consecratione dist. 2. cap. Interrogo vos. Ait esse peccatum eiusdem negligentiæ, sinere verbum, quod prædicatur, animis nostris excidere, & partẽ sacramẽti ad terrã cadere. Quod si daretur ista Transubstãtiatio, non cõueniret. Longè. n. grauius videretur, pati corpus Christi ad terrã cadere, & conculcari, quàm parũ attẽtè audire partẽ aliquã verborũ Dei.

GARDINERVS.

NEGLIGENTER sanè expendit hunc locum, qui inde protraxit hoc argumentum.

MARTYR.

Hic locus reuera habetur in Decretis prima, quæstione 1. cap. Interrogo vos. Nec istis cauillis Inconstantij potest ita facilè dilui. Ait, *nos valdè negligenter expendisse hunc locum. Satis enim tum constitisse, fuisse magnam negligẽtiam, si quis partem aliquam Sacramenti fluxisset ad terram cadere, & cum ea Augustinum illam negligentiã contulisse, si quis verbum Dei auditum fluxisset sibi excidere ex animo. Negligentiam ergo vtrinq; esse. Non tamen si æquetur negligentia, idcircò necesse esse, res ipsas inter se æquari, in quibus ea negligentia committitur.* Quòd si quæras, quorsus illa collatio Augustini tendat, respondet, Perinde esse, ac si quis ista loquatur: *Eiusdem est negligentiæ præceptorẽ contemnere, & parentem.* At ille nihil ominus præfert parentem, ad cuius exemplum docere vult præceptorem non esse contemnendũ, & à quo, tanquam à re explorata, & certa, ducit argumentum. Et qui sic loquitur, eiusdem est sceleris, *Sacramentum indignè sumere, & Christum in crucem tollere & lancea latus eius vt sanguis effluat, perforare: an non à crimine certo, & omnibus odioso petit exemplum?* Ad extremum addit, *Eiusdem est negligentiæ, nauem onustam palea, & eandem onustã auro per desidiam amittere: cum rerum amissarum æstimatio sit longè impar.* Hæc iste. Ad hæc Sophismata ego ita respondeo: Negligentiam quidẽ esse, siue quis parentẽ, siue quis præceptorem contemnat: non tamen eandem, aut parem. Actiones enim hominum ab obiectis plærunq; naturam, & speciem sortiũtur. Negligentia ergo est vtrinq;: non tamen par est vtrinq; culpa. Augustinus autem, nisi parem vtrinque negligentiam, & parem culpam esse diceret, nihil cõcluderet. Quomodò enim hac ratione dissuaderet negligentiam audiendi verbi Dei? Grauis quidem culpa est, sinere partem aliquã Sacramenti tui negligentia ad terram cadere: grauis etiam est culpa, pati verbum Dei, quod audieris, tibi excidere ex animo. Prior autem illa culpa in negligenter tractando Eucharistiam multò est grauior. Quare non debes negligenter audire verbum Dei. Quæ, obsecro, est ista conclusio? Ita, peccatum graue est, vel parentem, vel præceptorem contemnere: Multò tamen grauius & flagitiosius est, contemnere parentem: Quare, noli contemnere præceptorem. Qui ita concluderet, profectò non audiretur, sed rideretur. At si conueniat, parem esse vtrinque culpam, verè & rectè concluditur: Hoc fugiendum est: ergo etiam alterum. Culpa autem par esse non potest, nisi par sit dignitas earum rerum, quæ contemnuntur. Quod enim pluris est, & maioris æstimatur, minus debet contemni: nisi fortè Inconstantius eandem putat esse culpam, siue quis magistratum pulset, siue priuatũ ciuem. Neque par est negligẽtia in àmittenda naui onusta palea, & in eadẽ onusta auro: modò nauicularius sciat, se aurum ferre, & eius pretiũ & æstimationẽ nõ ignoret.

Eucharistia & verbum Dei æquantur dignitate. Glossator Decretũ.

Quid ergo? Aequauitne August. hoc loco Eucharistiã, & verbũ Dei? Maximè. Idem enim docuit, Sacramenta esse verba Dei visibilia. Significatio autẽ nihil differt, siue ad visum, siue ad auditũ referatur. Neq; Sacramẽta aliud sunt quàm obsignationes verborũ Dei, promissionibus, quæ in illis continẽtur, adiectæ. Atq; hic quidem Glossator ipse Decretorũ, homo non ita acutus, tamen plus vidit, quã Inconstantius. Fatetur enim Augustinũ ista æquauisse: & quo pacto id posit consistere, pro virib⁹ inuestigat. Non ergo nos negligẽter, sed Inconstãtius malitiosè: & fraudulenter locum istum expendit. Idque, quò magis videas, Lector, verba ipsa Augustini referam, vt habentur in Decretis, prima, quæstione prima, c. Interrogo vos. *Interrogo*, inquit, *vos fratres, vel sorores: dicite mihi: Quid plus videtur vobis corpus Christi, an verbum Christi? Si vultis verè respondere, hoc dicere debetis, quòd non sit minus Dei verbũ, quam Christi corpus. Et ideo*

idèo, quanta ſolicitudine obſeruamus cũ nobis corpus Chriſti miniſtratur, vt nihil ex ipſo de manibus noſtris in terram cadat: tanta ſolicitudine obſeruemus, ne verbum domini, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde puro pereat. Quia non minus erit reus, qui verbum Dei neligenter audierit, quàm ille, qui corpus domini ſua negligentia in terram cadere permiſerit. Non addo plura. Perſpicuum A eſt, Auguſtinum hic verbum Dei, & corpus Chriſti inter ſe æquare: & in vtroque neligendo culpam parem facere. Eat modò Inconſtantius, & cauilletur, negligentiam quidem eandem eſſe: ſed non idem peccatum. Quod ſi Auguſtinus verbi prædicati, & Euchariſtiæ parem eſſe dicat dignitatẽ, ille autè neget, Lector prudẽs facilè iudicabit, vtri potius debeat credere.

OBIECTVM CCXXIX.

Obijcitur ex eodem Auguſtino in Pſalm. 3. Chriſtus, inquit, adhibuit Iudam ad conuiuium, in quo corporis ſui figuram Diſcipulis ſuis commendauit.

GARDINERVS.

FIGVRAM commendauit propter rem, hoc eſt, Corpus, quod ſimul dedit: quod ipſum ſic in myſterio exhibitum, quoniam refricat nobis memoriam ſui ipſius in cruce pendentis.

MARTYR.

AD illud nunc recurrit, quod iam antè ſæpè, cum aliud ſuffugium non haberet, nobis conatus eſt obtrudere: videlicet, *Corpus illud chriſti, quod ait ſub accidentibus latitare, figuram eſſe ſui ipſius.* Quod ne nimium, vt eſt, videretur abſurdum, adiecit, *quatenus id poſſit fieri: ſcilicet, quòd admoneat nos rerum abſentium, quæ iam præterierint, Crucifixionis & mortis Chriſti, quæ amplius reuocari non poſſint. Chriſtũ enim ſemel eſſe mortuum & reuixiſſe, nec vnquam eſſe amplius moriturũ. nos igitur, quoties corpus eius cernimus in myſterio, ex illo ſigno redire in memoriam mortis præteritæ.* Cum Inconſtantius non vereatur, id repetere, quod antea ad nauſeam vſque dixerit, nõ video, cur ego vereri debeam eadem hic paucis regerere, quæ antea reſponderim. Dixi autem ſuprà, oportere ſigna illuſtriora, & euidentiora eſſe, quàm ſint res ipſæ, quas ſignificant. Nam alioqui quomodo quenquam inducere poſſent in illarum notitiam? Ita enim comparatum eſt humanum ingenium, vt ſemper à notioribus proficiſcatur ad ignota. Atqui mors Chriſti & Iudæis, & Chriſtianis, & fidelibus, & infidelibus longè notior eſt, quàm eſt illud, neſcio quod, corpuſculum latitans ſub accidentibus. Quare, quàm rectè iſti faciant, qui velint rem incertam, & obſcuram ſignum eſſe rei notiſsimæ, ipſi viderint. Huc adde, ſi verba expẽdenda ſint, Auguſtinũ non dicere, Chriſtũ tradidiſſe figuram ſuę mortis, ſed ſui corporis: etſi inficiari nõ poſsim in ea etiam mortem domini prædicari. Bis ergo peccat Incõſtantius vno loco: & quia Auguſtini verba corrumpit: & quia rationem ſigni, & rei ſignificatæ peruertit.

Sed ne hoc quidẽ diſsimulandũ eſt, iſtũ hic in illud ipſum incidere, cuius nos falsò arguit. Semper enim cùm vera, & iuſta reſponſione deſtituitur, ſeſe confert ad conuitia. Hic autẽ ore impudenti clamat, nos in Euchariſtia figuram figuræ inducere: quod hactenus ne ſpecie quidem veri vlla probare potuit. Nos autẽ illum in hoc ſuo cõmento manifeſtiſsimè tenemus. Ait enim, *accidentia panis eſſe figuram corporis Chriſti intus & inuiſibiliter latitãtis: deinde, corpus illud ita delitеſcens, fide tantũ, vt ille ait, vt autem res ipſa loquitur, mendacio mero, & impoſtura cognitum, figurã eſſe mortis ſuæ, vel ſui potius ipſius, vt olim ad crucem affigebatur.* Quid hoc eſt, niſi ſignũ ſigni ponere, & figurã figura cumulare? Huc, videlicet, ſophiſtæ iſti cauilli poſtremo proficiũt, vt & omnia cõpleant cõfuſione, & authoris impoſturas nõ patiantur latere. Neq; verò iſtum pudet, ad extremum mortẽ domini obſcurã quodammodo, & ignotam facere: vt, quam neceſſe ſit iſto commento indicari, eſſe iam præteritam. At nos ſcimus, hoc ipſo nomine nihil illa magis eſſe perſpicuum. Veteres quidem mortem domini videbant futurã aliquando: ſed obſcurè. Præſens ab illis tantùm videbatur, qui tum aderãt, & aſtabant, cũ Chriſtus moreretur. Nũc autẽ præterita vbique deſcribitur, recipitur, affirmatur, nuntiatur, prædicatur, idque ad vltimos vſque fines totius orbis terrarum. Apud Inconſtantium tamen iſtum noſtrũ obſcurior eſt, & ignotior, quàm ſint commentitiæ illæ carnes obductæ, & veſtitæ accidentibus. Sed iſta tam perdita, & proiecta impudentia non debet pluribus à me verbis confutari.

OBIECTVM CCXXX.

Obijcitur ex Auguſtino in Ioannem cap. 30. & habetur de Conſecratione dis. 2. cap. Prima quidem. Surſum eſt dominus: ſed etiã hic eſt veritas dominus. Corpus enim domini, in quo reſurrexit, in vno loco eſſe oportet. Veritas autem eius vbique diffuſa eſt.

GARDINERVS.

NIHIL attingit Euchariſtiam, ſed confert Auguſtinus cum Chriſti corporali præſentia eiuſdem Chriſti prædicatam veritatem.

MARTYR.

RESpondet, *verba iſta Auguſtini ad Euchariſtiã non ſpectare. Illum enim ibi tantum agere de verbo Dei attentè audiendo. Nolle autem illum hoc nomine Chriſti veritatem negligi, quòd Chriſtus iam cum corpore ſuo abſit, & agat in cælo. Etſi enim ibi ſit, nimirum, aliquo in loco: tamen veritatem eius etiã*

inter nos esse, & vsque ad finē seculi vbique prædicatum iri. Hæc quidem hactenus vera sunt: neque ea nos negamus. Verum ostendere, quomodo faciant ad Eucharistiam, non est difficile. Isti semper iactant huius sacramenti veritatem. Eam nos nullo pacto volumus aliqua ex parte esse imminutā. Hoc enim sacramentū, vt alia omnia, vere significat, & rem significatā verè refert. Significatio enim non potest non esse vera, quæ sit instituta à Christo. Is autem non fictitium, aut phantasticum corpus pro nobis obtulit in cruce, sed verum, solidū, & verè humanum: etsi secum coniūctam haberet diuinitatē. Hactenus nos Eucharistiæ tribuimus veritatem. Isti verò eam ad realem, & substantialem præsentiā referunt: quasi veritas mysterij in eo sita sit, vt corpus Christi sistatur præsens, & lateat sub accidentibus. At Augustinus longè secus docet. Nam *veritatē domini* ait, *vbiq; esse: vbicunq; .n. verba domini prædicantur, aut sacramēta, quæ verba quædam sunt domini visibilia, ritè administrantur, ibi est semper veritas domini, & ad ista latissimè funditur. Interea tamen corpus Christi in vno,* inquit, *loco esse oportet.* Nam inconstantius istam Lectionem non improbat (cum quædam exemplaria non *oportet* legant, sed *potest*) modo ne verbum illud necessitatem notet, qua Christus in vllo gulo aliquo alligetur: sed significet potius ordinem quendam diuini consilij, cuius horas, & momenta nosse, non sit nostrum: vt quoniā ad vltimum vsque diem, vt Petrus ait, futurus sit in cœlo, non posit quoties illi videatur, salua illa veritate, se ipsum nobis exhibere in terris. Huius autem voluntariæ necessitatis affert hoc testimonium. *Christus,* inquit, *summa volūtate passus est: nihilominus ait, se pati oportuisse.* Primum moneo Inconstantiū, vocem illam, Locum, in his verbis Augustini significare posse multas & varias partes cæli: vt sententia de multis, & varijs locis possit accipi. Atq; ita fateor, verbum illud, Potest, posse rectè cōgruere. Nemo enim nostrūm vnquam alligauit aut affixit Christum ad certum aliquem locum. potest sedere, iacere, ambulare, & quocunque velit per cœli spatia se conferre: potitur enim regno amplissimo cum Deo patre. Quicquid enim est supra omnes cœlos, & orbes aspectabiles, quod sanè infinitis partibus maius est, quàm orbis vniuersus, illud omne Christus delegit sibi, vt ibi, quòd ad humanitatē attinet, maxima in luce, & potentia, & felicitate versetur ad extremum vsque diem. Potest ergo esse in vno quouis loco, prout illi maximè visum fuerit. At si locus accipiatur generatim, adhibendum omninò est illud alterum verbū, Oportet. Corpus enim constitui non potest extra locum: nisi fortè quispiam sibi velit fingere corpus aliquod Mathematicū, quod ab omni & loco, & tempore & materia sensibili philosophorū cogitatione separetur. Id alio loco Augustinus luculentissimè testatus est ad Dardanum. *Nemo autem hoc à me expectare debet, vt ego, qualia illa sint Christi, & Beatorum loca, describā. Satis id nobis esse debet, quòd scripturæ ea apellent loca: quòd Christus dicat in domo patris sui mansiones esse multas: quodq; idem dixerit discipulis Ego eo, vt parem vobis locum.* Vniuersam autem locorum illorum descriptionē tum demum videbimus, cum post beatam illam Resurrectionem eò vnà cum corporibus nostris peruenerimus. Interim illarū rerum exacta & distincta cognitione nec ad vocationē, nec ad ædificationem nostram quicquam facit.

De loco corporis Christi.

Corpus non potest constitui extra locum.

Scriptura sedes Beatorum vocā locum.

Proximus cauillus, quem Inconstantius subijcit de necessitate, & voluntate, prorsus alienus est. Voluntas enim non cum necessitate pugnat, sed cum violentia. Coji quidem voluntas non potest: sed aliquid necessariò velle potest. Felicitatem enim necessariò volumus omnes qui sapimus: & diuina voluntas patris necessariò spiritū sanctū spirat: & sancti, postquam in cœlo accipiunt frui summo bono, ea necessitate cum illo cohærent, vt amplius peccare nō possint. Quare oportuit cœlū ita Christum capere, illumq; ita vsque ad extremū diem continere, vt volēs, ac libens ibi maneat, ad nos autem, quod ad corpus attinet, non descendat. Hæc autem necessitas non aliud est, quā ordo quidā diuinorū consiliorum: quem quidē ordinem nos ipsi nobis nō finximus, sed ex diuinis literis didicimus. Est ergo hæc necessitas voluntatis, nō coactionis, aut violenta. Quemadmodū autem ordine à Deo posito, fieri nō potuit, quin Christus pateretur: ita eodem ordine fieri non potest, quin Christus, quod ad corpus attinet, sit in cœlo.

Voluntas nō pugnat cum necessitate, sed cū violentia.

Quo necessitate corpus Christi maneat in cœlo.

Neque video, quantū id iuuet causam Inconstātij, quod interposuit, *Quin possit, quoties illi visum fuerit, se nobis exhibere.* Nam si per Exhibitionē intelligat gratiā, spiritū, & alia dona, illa semper præstat, & quando, & quomodo, & quibus velit. At, si exhibitionē intelligat realē præsentiam corporis, ea nulla est. Quia corpus Christi simul & in cœlo, & tam multis in locis esse non potest: quemadmodū monet hoc loco Augustinus. Sed hoc libenter scire velim, cur Inconstantius illud addiderit, *Quoties illi visum fuerit.* Hoc enim nihil opus erat adscribere. Nam ex Papistarū sententia perpetuò nobiscum versatur. Quis enim vnquā dies præterit, in quo ab istis sacrificulis non innumeræ missæ celebrentur? Aut quę est prouincia aut regio tam angusta, quæ non habeat infinitū numerū pyxidū? At in illis execreta illa, & idololatrica crustula dies nocteśq; afferuātur: quibus in singulis, si istis credimus, corpus Christi, quantū quantū in cruce fuit, realiter & substātialiter continetur. Nō ergo aliquādo, & cū visum fuerit nobiscum versatur, sed perpetuò. Quàm autē consentaneū sit veritati, quod extremo locō dicit, corpus Christi propter istā præsentiā in Sacrāmēto non relinquere cœlum, nec esse in Eucharistia tanquam in loco, alibi disputauimus

OBIECTVM CCXXXI.

OBijcitur ex Augustino tractatu 50. in Iohannem. Secundū maiestatem suam inquit,

inquit, ſecundũ Prouidentiam ſuam, ſecundum ineffabilẽ & inuiſibilem gratiam impletur, quod ab eo dictum eſt: Ecce, ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi. Secundũ carnẽ verò, quã ex Virgine aſſumſit, ſecundũ id, quòd de Virgine natus eſt, ſecundũ id, quòd à Iudæis comprehenſus eſt: quòd ligno confixus: quòd de cruce depoſitus: quòd linteis inuolutus: quòd in ſepulchro conditus: quod in Reſurrectione manifeſtatus, non ſemper habebitis me vobiſcum. Quare? Quia conuerſatus eſt ſecundũ corporis præſentiã quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis: & eis deducentibus videndo, non ſequendo, aſcendit in cœlum, & nõ eſt hic. Non enim receſsit præſentia maieſtatis. Aliter ſecundũ præſentiã maieſtatis ſemper habemus Chriſtum. Secundũ præſentiã carnis rectè dictũ eſt diſcipulis, Me non ſemper habebitis. Habuit enim illum Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet: oculis non videt.

GARDINERVS.

Si præſentia carnis in Sacramento ſecundum carnem eſſet, carnalis præſentia modo videretur.

MARTYR.

AVguſtinus, quod etiã omnes Orthodoxi patres faciunt, ad normam diuinarũ literarum rectè diſtinxit duas naturas in Chriſto, diuinam & humanã. Et iuxta diuinam quidẽ naturam, quam iſtis vocibus, maieſtatis, prouidentiæ, inuiſibilis & ineffabilis gratiæ expreſſit, eum fatetur ſemper adeſſe nobis, vt bona fide præſtet id, quod promiſit, cùm diceret, *Ecce ego vobiſcũ ſum vſque ad conſummationẽ ſeculi*. Iuxta alteram autem naturã humanã, ait eum à nobis abeſſe: id enim dominum ipſum teſtatum eſſe, cum diceret, *Me autem non ſemper habebitis*. Et ne quis de humana illa Chriſti natura, iuxta quam eum à nobis abeſſe dicit, ambigat, eam pluribus modis pulcherrimè notauit. *Secundũ carnem*, inquit, *quam verbũ aſſumſit, ſecundum id, quod de Virgine natus eſt, &c.* Quoq; adhuc res eſſet magis perſpicua, præſentiam corporis per *ἀντίθεσιν* opponit præſentiæ maieſtatis. Hæc eſt Auguſt. ſimplex, & ingenua, & aperta diſtinctio.

Verùm ea Inconſtantius noſter non contentus pro ſua illa incredibili ſubtilitate, & ſapientia alterum diſtributionis membrũ, nimirum humanam naturam, aut carnem Chriſti rurſus partiri voluit. Eam enim ait interdum accipi ſecundum carnẽ: interdum ſecũdum ſpiritũ. Deinde fatetur, carnem Chriſti non adeſſe nobis in Sacramento ſecundum carnem: hoc eſt, vt videatur & ſentiatur, ſed ſecundum ſpiritũ: id eſt, modo inuiſibili, & inſenſibili. Verum Auguſtinus, cum alioqui eſſet Apher, tamen non erat ita vafer. Duas enim illas ſententias, quæ videbantur pugnare inter ſe, *Ecce, ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſeculi*: &, *Me non ſemper habebitis*, ſimplici tantum diſtinctione cõciliat. Cum tamen illi, vt Inconſtãtius ipſe alibi confitetur, nec verborum copia deeſſet, nec lingua, nec ingenium. Quare, ſi iſtam alteram partitionem alterius membri ita ſubtilem & acutam, tam neceſſariam putaſſet eſſe, & tanti momenti ad tuendam veritatem Euchariſtiæ, eam certè non tacuiſſet.

Sed iſte fortaſſe obijciet, Patres interdũ ſcribere, Chriſtum adeſſe, & verſari nobiſcũ inuiſibiliter. Verum quidem id eſt. Sed illi id ad naturam diuinã referunt. De iſta autẽ noua præſentia carnis ſecundũ carnem, aut eiuſdem carnis præſentia, ſecundũ ſpiritum, magnum eſt apud illos ſilentiũ. Quare valere iubebimus Inconſtantium cum ſuo cõmento: nos Auguſtini ſimplici antitheſi, & diſtinctione vtemur. Præterire autem ſilentio non debeo, Auguſtinum, interim dum oſtendit, quo pacto Chriſtus nobis adſit, de maieſtate tantũ eius, hoc eſt de diuinitate, & gratia mentionẽ facere: de ſpirituali autem illa carne, quam iſte ſomniat, ne verbum quidem. Atqui ſi vllam cogitaſſet eſſe talem, eam certè aliquo verbo attigiſſet: maximè verò cum ea ſcriberet de Chriſti corpore immortali iam & glorificato.

OBIECTVM CCXXXII.

OBijcitur illud ex Auguſtino in epiſt. Ioha. ad finem: Dñs ergo noſter Ieſus Chriſtus ideò aſcẽdit in cœlũ die quadrageſima & cõmendauit corpus ſuũ, qua habebat iacere: quia vidit multos honoraturos ſe, quia aſcendit in cœlũ: & vidit quia honor illorũ inutilis eſt, ſi conculcãt membra eius in terra. Et nequis erraret, & cum adoraret caput in cœlo, calcaret pedes in terra, dixit vbi eſſent membra ipſius. Aſcẽſurus.n. dixit verba nouiſsima: poſt illa verba nõ eſt loquutus in terra. Aſcenſurũ caput in cœlũ cõmendauit mẽbra in terra, & diſceſsit. Iã nõ inuenies Chriſtũ loqui in terra: inuenies, eũ loqui, ſed in cœlo, & de ipſo cœlo. Quare? Quia mẽbra calcabantur in terra. Perſecutori.n. Paulo dixit: Saule, Saule: quid me perſequeris? Aſcẽdi in cœlũ: ſed adhuc in terra iaceo. Hic ad dextrã patris ſedeo: vbi eſurio, ſitio, peregrinꝰ ſum. Quomodo ergo corpꝰ ſuũ cõmendauit in terra aſcẽſurꝰ? Cũ interrogarẽt cum diſcipuli, Domine, an in hoc tempore præſentaberis & quãdo reſtitues

Regnum Israelis? respondit iturus: Non est vestrum, scire tempus, quod pater posuit in potestate sua. Sed accipietis virtutem spiritus sancti superuenientem in vos: & eritis mihi testes in Hierusalem. Videte, qua diffundat corpus suum: videte, vbi calcari non vult. Eritis mihi testes in Hierusalem, & tota Iudæa, & Samaria, vsque in totam terram. Ecce, qua iaceo, qui ascendo: Ascendo enim, quia caput sum. Iacet adhuc corpus meum. Qua iacet? per totam terram.

GARDINERVS.

ISTA explicant, quid de carnis suæ præsentia Christus velit intelligi: cui addit, in quibus exigit sibi officia perpetuo exhiberi

MARTYR.

SOphista iste noster eodem, quo solet, candore, ac fide, præter distinctionem Augustini, aliam etiam, eamque longè alienam comminiscitur. Nã Augustinus duplex facit Christi corpus, alterum proprium, quod à verbo in vnitate personæ assumptum est, & factum est nostrum caput: alterum, quod appellant mysticum, quod constat è fidelibus, qui sunt Christi membra. Nemo enim est, qui nesciat, Paulum appellare Ecclesiam corpus Christi. Eaque appellatio à Patribus passim repetitur. Prius illud Christi corpus naturale ac proprium Augustinus diserte fatetur esse in cœlo: illudque eo ita ascẽdisse, quemadmodum historia Euangelica & Apostolica describit. Alterum autem ait, adhuc in terris agere, & peregrinari: illudq; dominum, cum esset ascensurus in cœlum, mirificè commendasse, ne hic à violentis hominibus calcaretur, idque ab illis ipsis, qui caput agens in cœlis magnis honoribus, & cultibus, prosequerentur. Hæc est Augustini simplex, & facilis, & aperta distinctio.

Inconstantius autem, cum eam videret suis fictionibus mirificè obstare, aliam assuere voluit de suo: sed eam, quæ non magis secum consentiat, quàm ipse solet constare sibi. Dicit enim *corporis Christi duplicem esse præsentiam, vnam perpetuam, alteram interpolatam*. Nouum sanè monstrum, qualeque Aphrica tota Scholasticorum, & Canonistarum nunquam nobis hactenus attulerit. *Perpetuam tamen præsentiam* ait *corpus Christi habere in cœlo: idemque in pauperibus, dum opprimuntur, & vexantur, semper calcari. Atque hæc duo* ait, *ab Augustino vna tractatione rectè fuisse comprehensa: nimirum, quod vtraque habeat perpetuitatem.* In sacramento autem dicit, vel potius musitat, *corpus Christi habere non perpetuam, sed tantum interpolatam præsentiam*. Sed eam interpolationem, cum videret valdè obscuram, & tenebricosam, ita voluit explicare: *Fit enim*, inquit, *dum à nobis petitur, & ad vsum fit certum manducationis.* Quid sibi ista volunt? Daniele nobis aut Iosepho aliquo opus est, qui ista somnia interpretetur. Esse soles alioqui, vbi nihil est opus, verbosissimus. Nunc autem, cum nebularum istarũ tuarum obscuritas esset aliquo modo illustranda, tam parcus es verborum, vt tribus tantum voculis rem omnem confeceris, vel potius obscuriorẽ reddideris. Quemadmodũ iam supra dixi, in omnibus templis, quæ Romanæ Ecclesiæ subiecta essent, ab annis iam quadringentis aut quingentis semper fuerunt pyxides, in quibus vestra illa sacrata crustula clauderẽtur. Veteribus autem crustulis putrescentibus, aut alia aliqua causa sublatis, semper sufficiebantur noua. Quid tu hîc Inconstanti? An illis negabis corpus Christi contineri? Aut tu domi tuæ huiusmodi pyxidem perpetuo non habes? Aut quando vnquam vetus libum aut abijciunt, aut cõburunt aut comedunt sacrificuli, vt non reponant aliud? Aut igitur dices, corpus Christi desinere esse in illis crustulis, cum illa vsui non inseruiant: aut necessario fateberis, in templis vestris esse corporis Christi non interpolatam, sed perpetuam præsentiam. Vbi ergo erit illa tua tam acutè excogitata interpolatio? Leues, mihi crede, Inconstanti, sunt istæ tuę fictiunculę, & ineptæ, & pueriles, & putidæ.

Ad hæc quid illud, quæso, est, quod ais, hanc præsentiã fieri, cum petitur? Nam Consecrationem illam vestram precibúsne putas fieri, an oratione illa Quinqueuerbia? Vide, quid agas. Hæc enim oratio tua in grauem suspicionem facilè ventura est apud tuos Matæologos. Illi enim omnino iam olim decreuerunt, Consecrationem suam quinque verbis perfici, non precibus. Sed nolo de hac re plura. Hoc tantum admonebo Lectorem, Inconstantium ista sua sententia quatuor nobis peperisse Christi præsentias: Vnam diuinitatis, ac maiestatis, quæ vbique sit: alteram veri corporis, quod tantum præsens sit in cœlo: tertiam corporis mystici, quod latè diffusum sit per omnes terras: quartam interpolatam, quæ pertineat ad Eucharistiam. Oportet ergo ex hac sententia, Christũ ditissimum esse præsentiarum. In calce concludit, vt solet, Corpus Christi simul & in cœlo esse, & in sacramento: idque & optimè consistere, & Deo non esse possibile. Sed ea de re supra dictum est satis: vt nihil hic sit repetendum.

Quatuor præsentiæ Christi fictitiæ.

OBIECTVM CCXXXIII.

OBIICITVR ex Augustin. ex sententijs Prosperi. Qui discordat, inquit, à Christo, nec panem eius manducat, nec sanguinem bibit: etsi tantæ rei sacramentum ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.

GAR-

GARDINERVS.

HAEC verba Augustini apertè docent, malos idem, quod boni, sumere: licet sorte inæquali.

MARTYR.

PVtat iste, se posse colligere ex his verbis Augustini, malos & bonos idē sumere, quāuis fructu & sorte inęquali. Idq; satis significari arbitratur vnico illo aduerbio, *Indifferenter*. Verū, cur ille potius non vidit, id, vt Augustinus ipse interpretatur, referendum esse ad sacramentū? Indifferenter enim, & promiscuē licet bonis, malisq; idem sacramentum sumere. Panem autem domini edere, & eius sanguinem bibere indifferenter omnibus non licet. Nam Augustinus id constanter affirmat, quod nos toto isto libro docemus. Videat ergo Inconstātius, quomodo putet hæc à se facere. Illa verò quę sequitur, prorsus mirabilis est, & noua interpretatio. Nam quod Augustinus dicit, *Tantæ rei sacramē-tum*, id ita exponit, Mysterium rem tantam cōtinens: quasi statim illi necessariò dandum sit, rem ipsam in mysterio, aut sacramento realiter, & substantialiter contineri: cum alioqui sacramentorū proprium sit, res eas, quarū sacramenta sunt, continere per signum. Baptismus mysteriū est regenerationis: quam tamen ille non habet, qui animo ficto, & sine fide baptizatur: interim tamen nihilominus accipit tantæ rei sacramentum.

Quod autem posteà quærit, quid Augustinus intelligat per panem, cum dicat, *Nec panem eius manducat*, respondeo, vocem illam per metaphoram significare corpus domini. Atque ad eam significationem particula illa nos adducit, quæ annectitur. Subijcitur enim, *Nec sanguinē bibit.* Sed hîc Inconstantius adoritur nos clama prorsus, vt sibi videtur, Herculea. *Videte ergo*, inquit, *quàm infirma sint argumenta vestra ex loquutionibus patrum collecta, cum scribant, panē esse corpus Christi. Siquidem hic fatemini, Augustinū panem pro ipso Christi corpore accipere: quod à Christo discordantem docet non accipere.* Hæc ille. Verùm istis Thrasonicis insultibus veritas Christi non succumbit. Nos enim fatemur, in quibusdam locis scripturarū panē significare metaphoricè corpus Christi: & præsentiam in 6. cap. Iohānis. Quando autē vel in scripturis, vel in patribus conditiones, & proprietates panis ita describūtur vt non possint corpori Christi conuenire, argumenta, quę inde ducūtur contra Transubstantiationē, videri debēt firmissima. Vt, cum Apostolus dicit *Panis, quem frangimus:* aut, cum patres dicūt, frustula, aut fragmēta panis: aut, cum panē constare ex multis granis, & pinsi, & cōmoli, & coqui dicūt: & alia multa similia. Nō enim, vt iste clamat, argumēta nostra cōcludimus ex simplici tantū vocabulo panis, sed ex obseruatis omnibus verborū & locorū circumstātijs. Nec sine iusta ratione nitimur sentētijs illis patrum, quibus panē appellāt corpus Christi: & panem in illis locis contēdimus triticeum panē significare. Nam si poneretur pro corpore Christi, idem de seipso ineptissimè prædicaretur. Ita enim patres nihil aliud dicerent, quàm corpus Christi esse corpus Christi. Apparet ergo, verba ista Augustini nostris argumentis, quæ isto conatur arrodere, nihil prorsus aduersari.

Cur autē dicat, *discordātes à Christo nec comedere panē Christi, nec bibere eius sanguinē:* causam etiā addit Inconstātius, *quòd fructū ex ea cōmunione, & effectū corporis Christi suo vitio non assequātur. Ita enim* ait, *eos qui malè audiāt verbū Dei, dici non audire, quòd sine fructu audiāt.* Verū, ea, quę proximè sequūtur, satis declarāt, Augustinū hoc nō sensisse. Addit enim. *Etiā si tantæ rei sacramentū comedant.* Hic enim apertissimā videmus antithesin constitui inter Sacramentū, & rē ipsam. Nihil ergo hîc loci est tropicę loquutioni: vt scilicet dicamus, eū non māducasse, qui fructū māducationis suę nō habeat. Et sæpè iam suprà docuimus, propriū, & verū corpus Christi nō posse vllo modo comedi absque fructu. Exemplū autē illud, quod Incōstātius adfert de audiēdo verbo Dei, eius causæ vehemēter officit. Verbū Dei, quod audimus, nō habet res ipsas, quas significat, secum coniūctas. Quare impij illud audire possunt: quāuis salutē, quę illo significatur, & promittitur, cum fidē non habeāt, non assequātur. Ita planè vsu venit in Sacramento Eucharistiæ. Impij signum, & elementum externum indifferenter accipiunt: rem autem ipsam, vt Augustinus verissimè scribit, non accipiunt.

Vocabulū panis quādoq; corpus Christi, quandoq; ipsum panē proprie significat.

OBIECTVM CCXXXIIII.

OBijcitur ex eodē August. illud ad Dardanum, Tolle inquit, spacia corporibus, & nusquā erūt. Quę autē nusquā sunt, nec erūt. Vos ergo dū tollitis spacia, & dimensiones corpori Christi in Sacramento, efficitis, vt nō sit ibi corpus Christi omnino.

GARDINERVS.

EXplicat August. naturā corporis, quæ totū adiunctū necessariò exigit quatenus ex suæ naturæ finib. æstimatur.

MARTYR.

EA, quæ Augustinus scribit ad Dardanum, Inconstantius non aliter ait pertinere ad corpus, nisi quatenus illud physica ratione consideratur, & ex naturæ suæ finibus æstimatur. Sed istum cogitare oportuit, Augustinum ibi loqui in vniuersum: &, si voluisset, commodissimè potuisse excipere corpus Christi. Quod cum ille non fecerit,

vtq; credibile est, necesse non putarit, supereſt, vt dicamus eum definitionem illam ſuam omnino καταλαλιὰν esse voluisse.

Quod autem Inconstantius quærit, *Vtrum credendum sit Christo, id de corpore ſuo aſſerenti, quod alienum sit à ratione loci, cum dixerit, Hoc est corpus meum: an potius contra illum instituenda sit actio illa, quæ dicitur, Ad exhibendum*: id nec ita acutum est, nec ita abstrusum, quin vt illi facilè possit responderi. Primùm dico, Christum nusquam nobis mandasse, vt credamus ea, quæ nulla ratione possint fieri: quale est, eius corpus vno, eodemq; tempore esse in multis locis. Id enim esset affirmare, corpus eius & humanum esse, & non humanũ, eodẽ tempore: quę contradictio nulla ratione potest conciliari. Eius autem rei explicationẽ suprà fusè tradidim⁹: vt hic nihil sit repetendũ. Quicquid ergo Christus iubet à nobis recipi, & credi, sine vlla dubitatione recipimus, & credimus. Sed Inconstantium probare, non tantum clamare oportuit, sensum illorũ verborum, Hoc est corpus meum, eum esse, quẽ toties iactat. Nos quidem actionẽ contra Christum nõ instituimus: sed, vt & pro Augustino, & pro nobis ipsis respondeamus, hoc ex isto Sophista percontabimur, Cur statuere velit eiusmodi præsentiam corporis Christi, quæ neque expressa sit in verbis illis Christi, neque illis sit congrua, neque sit ad salutem necessaria, neq; postremò corpori eius, & veritati humanæ naturæ sit consentanea, & ad quam stabiliendam infinitis miraculis, & portentis opus sit? Sed frustra percõtamur, quia nil nobis respõdebit.

Bella verò est illa conciliatio, quam iste finxit: *Christum videlicet, dare præsentiam ſui corporis, non ſecundum naturam, ſed ſecundum gratiam*: quasi Augustinus loquatur de natura, Christus verò de gratia. Sed eò postremo, si Deo placet, perueniturus, vt gratia ista naturam non perficiat, sed perdat. Nam corpus simul in locis diuersis ponere, quemadmodum Augustinus ait, est illud perdere ac destruere. At si corpus aut tollatur, aut destruatur, quid in illo tandem faciat gratia? Si corpus aut nullũ aut nihil est, quódnã tandẽ erit in illo beneficiũ gratiæ? Falsum ergo est, quod sumit sibi Inconstãtius, *gratiam non minuere veritatẽ rei, ſed modum tantùm diſtinguere*. Ita iste, vt semel iam, atque iterum dixi, qui figuratores ferre non potest, postquam redactus est in angustias, Modista esse vult. Obsecro te, Inconstanti, expedi nobis aliquando, atque explica tua ista mysteria: si gratia tollat magnitudinem, locum, dimensiones ab humano corpore, quomodo veritatem eius non imminuit? Absque dimensionibus, & magnitudine membra humani corporis seruari non possunt: eadẽ sine aliqua mole, ac dimensione non possunt à se inuicem distingui.

Vrget tamen iste, *Christum dedisse corpus ſuum in mysterio: de loco verò, & dimensionibus nihil addidisse*. Atqui, si non addiderit, non est mirum. Nam cum corpus diceret, ista omnia in eo necessario, vtq; Dialectici dicunt, per se concluſit. Nihil autem opus est, vt nos cũ Christo, ad quem nos Inconstantius reijcit, expostulemus. Aliquid fortasse diceret, si dominus ea diceret, quæ ille somniat. Cõtra te, Inconstãti, contra te ista dicimus, qui talia cõmenta sacris Dei scripturis non vereris affingere, qualia Christus ne vno quidẽ verbulo vnquã attigit. Corpus suum Christus dedit in mysterio: at nõ illud dedit præsens, realiter, substãtialiter. Hæc intrita cũ vestra sit, à vobis est comedẽda. Qua si bene, & ad nauseã vsque impleamini, restat, vt cum isto Augustini loco nulla ratione positis conciliari. Quod Ambrosius dicit de gratia, nos vlnis ambabus amplectimur. Is enim omnem dignitatem, & vim, & prerogatiuam sacramentorum adscribit vni gratiæ. Quo enim alio pacto effici possent panis & vinum sacramenta corporis & sanguinis Christi? Certè, si gratiam remoueas, ea neq; sacramẽta tantarum rerũ esse possent, nec ad salutem nostram quicquã proficere.

Ad extremum iste fabulatur, *ſe, ſuosq; cum corpori Christi in ſacramento negent dimenſiones & locũ, non arbitrari id ad priuationem aut ad imminutionem pertinere. ſed auerſionem eam potius quandam eſſe carnalis iudicij, ac ſenſuum*. Quasi verò nobis non liceat cogitare ea in corpore Christi, quę faciat ad eius constitutionem. Per me quidem auertite cogitationes, quantum vultis: modo ne interea statuatis, quod cum corporis veritate pugnet. Nam id esset, vt Augustinus ait, corporis naturam prorsus tollere. Postremo, hoc vno verbo verisimè dicam, Christum nihil habere in suo corpore, quod nostris cogitationibus sit indignum. Quantus enim quantus est, totus nostra salus est, & nostra redemptio. Sed hoc silentio prætereundum non est, Augustinum in illa eadem epistola ad Dardanum fictiones istas Transubstantiatorum, qui in Eucharistia sua volunt accidentia esse sine subiecto, apertiſsimè refutasse. *Tolle enim*, inquit, *ipſa corpora qualitatibus corporum: non erit, vbi ſint: & ideo neceſſe eſt, vt non ſint*. Et mox, *Veruntamen ſi moles ipſa corporis, quantacunque, vel quantulacunque ſit, penitus auferatur, qualitates eius non erit vbi ſint*. Sed ista Inconstantius, quod ea videret ad stomachum ſuum parum facere, libenter prætereijt.

Christum nihil habere in ſuo corpore, qui noſtra cogitatione ſit indignum.

OBIECTVM CCXXXV.

OBIICITVR ex Augustino illud tractatu 59. in Iohãnem. Illi, inquit, manducabant panem dominum: ille, hoc est Iudas, panẽ domini contra dominum: illi vitam, ille pœnã. Qui enim manducat & bibit indignè, iudiciũ sibi mãducat & bibit.

GARDINERVS.

QVOD

QVOD Augustinus significanter extulit, vt in eiusdem sacramenti perceptione sumentium varietatem ostenderet, ab istis producitur in contemptionem, ex minima immutatione verbi captata occasione cauillandi.

MARTYR.

VErba ista Augustini eò videntur Inconstã- A & ineptiæ, cum proferuntur in lucem, conglaciant. Nec Augustinus eleuat crimen Iudæ sed quantum potest aggrauat. Eum enim ait, cum rem externã in vltima illa Cœna domini cum alijs Apostolis eandem accepisset, id quod ea significabatur, quòdque in primis spiritu, mente, ac fide accipiendum offerebatur, suo vitio neglexisse: quod nihil aliud erat, quàm prorsus à Christo deficere, suæq; salutis certissimam iacturam facere.

tio nostro pertinere, quasi ille docere velit, eandem esse sacramenti perceptionem in omnibus, qui communicant, etsi magna notetur varietas in sumentibus. Ideoque queritur, ex parua verbi immutatione illa trahi à nobis ad contentionẽ. Nos quidem nunquã negauimꝰ, omnes eos, qui accedant ad sacram Cœnam, idem sumere quod ad sacramẽtum, aut symbolum externũ attinet. Rem autem ipsam sacramenti alios accipere dicimus, alios non accipere: pro eo ac alij præditi sunt fide, alij ea destituuntur. Quòd autem paruula immutatione vocum Augustinus prius dixerit Panem dominum, deinde Panem domini: sic respondeo, illam, non vt Inconstãtius putat, parui momẽti esse, sed maximi. Pij enim comedunt dominum, qui per metahoram est panis: impij verò recipiunt externum elementum, quod tantùm appellatur panis domini. B

Sed operæprecium est audire, quàm facilem, & expeditam interpretationem Augustini Inconstantius afferat. *Illi manducabant panem dominum: hoc est*, inquit, *ita manducabant, vt in cœlesti cibo agnoscerent dominum & profiterentur, moribus adhærentes domino, & illum imitantes. Iudas verò manducauit panem domini: hoc est*, inquit, *cibum cœlestem, cuius substantia est dominus. Sed quia non agnouit vt dominum, sed leuauit contra eum calcaneum suum, notat Augustinus, effectum illius manducationis Iudæ fuisse exitium: quia bono malè vsus est, & se domini professus est hostem: quod est esse contra dominum. Apostoli ergo dominum manducantes, dominum sequuti sunt ad gloriam: Iudas dominũ manducans, à domino recessit ad condemnationem.* Hæc ego ex nostro Sophista ad verbum bona fide adscribere volui: vt pius, & prudens Lector videat, an ex istis tam densis tenebris aliquid lucis possit elicere, aut aliquam interpretationẽ, quæ ad verba illa Augustini, Panem dominum, & Panem domini, possit aliquo modo accõmodari. Omnino enim iste vult, & Apostolis, & Iudæ eiusmodi panem fuisse datum, cuius substantia esset dominus. Quid ergo causæ est, cur Augustinus dicat, Iudam non comedisse panem dominum, si substantia eius panis, vt iste ait, fuerit dominus? Nam quæ addit de salute, & exitio, ea nullum certum discrimen ponunt inter panem domini, & panem dominum. Multò nos verius, & distinctius locum hunc exposuimus ab initio, Panem dominum, ipsum notare Christi corpus: quòd illud metaphoricè dicatur panis: illudq; Apostolos citra controuersiam manducasse: Panem autem domini, esse, externum symbolum aut Sacramentum: quòd dominus eo vti voluerit, ad promissiones suas obsignandas: illud autem Iudam indifferenter cum alijs comedisse. Iam si dicas, etiam cæteros Apostolos hac ratione comedisse panem domini, quòd illi quoq; receperint externa symbola: idem ego quoq; vnà dicam. Sed hîc Augustinus externã illam communionẽ Apostolorũ notare noluit, quòd illi fide, ac spiritu aliud quiddam percepissent, ad quod symbola collata nihil essent: nimirum, ipsum corpus & sanguinem domini. Iudas autem, quoniam hæsit tantùm in externis symbolis, idcircò dicitur comedisse panem domini, non autem panem dominum.

Ait, *frigidam esse collationem Augustini, nisi Iudas idem comederit, quod alij*: & exempli causa profert collationem Pauli in priori ad Corinthios. Ait enim, *Paulum peccata illorum Patrum, qui ceciderũt in deserto, eo nomine exaggerare, & augere quòd omnes sensissent paria Dei beneficia: non autem omnes ea beneficia pari gratitudine recepissent: atque ex eo factum esse, vt mali tam miserè perderentur.* Sed hic oportet istum duo secum cogitare: Primum beneficia illa, quibus Patres afficiebãtur in deserto, externa fuisse, & temporaria. Itaq; etsi multi ex illis carerẽt fide, tamen nihil obstabat, quò minus beneficijs illis frui possent. At corpus & sanguis Christi pro hoc statu, & vita nostra sunt res à nobis longissimè distantes. Quæ cũ aliter, quàm per fidem attingi non possint, ea destitutus nunquam potest ad illa peruenire. Maximũ ergo discrimen est inter corpus Christi, & illa beneficia, quæ Patribus conferebantur in deserto. Atq; hæc ita dicta sint, quasi ea, quæ dabantur Patribus, cum in deserto vagarentur, non fuerint sacramenta. Alterum autẽ quod istum velim cogitare, hoc est: Manna & potum illum, qui dabatur Patribus in deserto, fuisse reuera mysteria earundem rerum, quarũ nunc nobis sunt panis & vinum: videlicet, corporis & sanguinis domini. Cum ergo illa mysteria omnibus à Deo data essent indifferenter, multi autem ex illis, re ipsa neglecta, externis tantùm, & visibilibus symbolis ventrem distenderent, ea causa illorum culpa à Paulo iustissimè amplificatur. Ita enim nos quoque hodie exprobrare possumus impijs, ipsorum tantùm vitio accidere, vt in sacra Cœna nihil aliud accipiant, quàm panem & vinum. Dominum enim non minus illis, quàm pijs, & fidelibus mandasse, vt complecterentur vera fide corpus & sanguinem suum. Non ergo friget collatio Augustini, vt iste putat. Ipsius potius strophæ, C D E F

OBIECTVM CCXXXVI.

OBIICITVR ex Augustino de verbis Apostoli Sermone 2. Illud, inquit, manducare refici est: sed sic reficeris, vt non deficiat, vnde deficeris. Illud, Bibere, quid est? Mihi viuere. Manduca vitam: Bibe vitam: Habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem id erit, hoc est, vita vnicuiq; erit corpus & sanguis domini, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Si illud, Bibere, sit viuere, mali non viuunt, quia non bibunt.

GARDINERVS.

QVISQVIS hæc verba considerate perpenderit, intelliget, Augustinum fidem de Eucharistia Catholicam confirmare.

MARTYR.

Putat Inconstãtius, colligi posse ex ijs verbis, Augustinum docere, id quod est in Sacramento, esse vitam: idque euiusmodi vitam, quę non consumatur. Quare non figuram ibi, sed veram Christi carnem adesse præsentẽ. *In Manna*, inquit, *erat figura: sed ea vitam non dedit.* Verũ, si verba illa Augustini rectè consideres, inuenies, eum ibi nihil loqui de sacramento. Illud enim ipsum, quod ait: Manducare, est refici, satis arguit, illum loqui de manducatione spirituali. Quoniam autem spiritualis manducatio fertur in verum illud corpus Christi beatum, & æternum, quod est in cœlo, ideò subiecit, hanc refectionẽ ex illa haberi re, quæ nunquam deficiat. Hoc tamen Augustinus non dicit, quod Inconstantius ex eo maximè conatur exprimere, Spiritualem illum cibum, nimirum verum corpus Christi, re ipsa contineri in eo, quod ore sumitur, & visibiliter mãducatur. Imò, ne quis externa manducatione Sacramentorum contentus sit, ad illam alteram veram, & spiritualem fideles adhortatur. *Manduca enim*, inquit, *vitam: bibe vitã:* ad illud videlicet spectãs, quòd Christus in sexto capite Iohannis appellat seipsum Panem viuum, qui descenderit de cœlo: aitq;, se viuere propter Patrem: & qui se manducauerit, victurum esse propter se: quo in loco ambigi non potest, Christum de spirituali tantùm manducatione loquutum esse: quæ eiusmodi est, vt & sola fide, ac spiritu perfici, & cum externo etiam symbolorum vsu coniungi possit. Imò Sacramentum ipsum non rectè accipitur, nisi vbi ad illud spiritualis etiam manducatio accesserit. Itaq; Augustinus addidit: *Tunc autem id erit, vt vita cuiq; sit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur,* (id autem est signum, & figura rerum illarum) *in ipsa veritate manducetur spiritualiter.* Quod ait, In ipsa veritate: id antithesin habet ad vmbrã, figuram, signum, & omnino ad id, quod attingitur, & apparet exterius. Quare hæc verba Augustini ita apertè sententiam nostrã confirmãt, vt prolixiori explicatione non sit opus.

Vanissimum verò est, quod ex his verbis iste putat se posse colligere, esse aliquos, qui ex Sacramento sumant vitam, fructum autem vitæ non sumant. Nam Sacramentum quidem vitæ accipere possunt impij: vitam autem ipsam nõ possunt. Stultum enim est cogitare, aliquem qui cum potiatur vita, tamẽ non viuat. Falsum etiam est, quod ait, Mannam, cum esset figura, non dedisse vitam. Nam sancti patres, quicunque vera fide vescebantur Manna in deserto, fruebãtur eodẽ spirituali cibo, quo nos hodie: corpore videlicet ipso Christi, quod illis in manna proponebatur. Et Christus in 6. Ioannis, cum diceret, illos comedisse mãna in deserto, & tamen fuisse mortuos, non ea retulit ad fideles Iudæos, & pios, qui manna cum fructu comedissent: sed ad infideles, & impios, quorum mores & ingenia illi referebant, quibuscum tum loquebatur. Quare manna, & panis Eucharistiæ, etsi externa specie plurimum differant, in ratione tamen Sacramenti conueniunt, & in eo paria, & similia intelliguntur. Id quod & Paulus ostendit, & Augustinus luculentissimè testatur. *Verùm nugaretur Augustinus,* inquit Inconstantius, *si boni tantùm comederent corpus Christi.* Imò tu potius nugaris, Inconstanti, idq; importunè, & impudenter: Augustinus autem & seriò, & prudenter loquitur. Docet enim, quinam illi sint, qui corpus Christi, & vitam sumant: eos autem esse ait, qui fide, & spiritu accipiunt id, quod in externo symbolo figuratur. Deinde hortatur fideles, vt vtranq; manducationem, externam, internámque inter se coniungant.

Quoniam autem Sophista & multum, & obscurè rixatur de loquutionibus istis Augustini, Sumere in sacramento: & In ipsa veritate comedere: ego, quid illæ sibi formulæ dicendi velint, & dilucidè, & paucis exponam. corpus Christi dicimus comedi in Sacramento, quatenus ore corporis nostri symbolum eius externum comeditur: idq; non tantum à pijs fieri potest, verùm etiam ab impijs. In ipsa autem veritate dicimus comedi corpus Christi, quando à sanctis viris non tantum symbola externo vsu recipiuntur, sed etiam ipsum verum Christi corpus spiritu, & fide comprehẽditur. Cumq; actio hæc merè sit spiritualis, idcircò dicimus, corpus Christi comedi spiritualiter. Illa ergo duo apud Augustinum, In Sacramento, & In veritate, antitheta sunt. Signum enim & figuram cum re ipsa comparat. Non video equidẽ, quid dici possit apertius. Inconstantius autem

sic interpretatur, spiritualiter manducari, nihil aliud esse, quam sumi ore corporis, sub visibili specie, obuolutum accidentibus panis, ipsum verum, & reale corpus Christi. Sed nihil horum Augustino, ne dormienti quidem, in mentem venit. Neque enim dicit corpus domini aut latere sub visibili specie, aut obuolutũ esse, atq; vestitũ accidẽtib. Quod si quæras, quẽnã sit cuiusque Sacramenti veritas, id ipsum respondebo, quod dixi suprà, nimirum vt verè significet ex instituto Dei: vtque eius significatio ad res veras, & certas referatur. Quod vero hîc adfertur ex Hilario, Id, quod videtur, figuram esse: illud autem, quod interius in veritate creditur, esse veritatem: nihil opus est, vt noua interpretatione explicetur: illud enim iam antea suo loco exposuimus.

Quid sit carnaliter Sacramenti veritas.

Quærit ad hæc Inconstantius: *Si vnus tantum sit modus manducandi corporis Christi, quid necesse fuerit illum modum nota aliqua insigniri. Id enim, ait, videri fieri, vt ille modus ab alio quodam modo distinguatur.* Ego vero respondeo, In sacramẽto, vt illud rectè, & cum fructu vsurpetur, duplicem esse manducationẽ: alterã carnalẽ, alterã spiritualẽ: alterã signorũ, alteram veritatis. Nõ ergo mirũ, si ea, quę lõgè præstãtior sit, & vtilior, aliqua illustri nota ab altera discernatur. Frustra ego iste subiecit: *Quod admonet, vt hæc manducatio spiritualiter fiat, ostendit eandẽ non spiritualiter posse fieri.* Nõ ista ita profunda sunt, vt nobis vehemẽter opus si Delio aliquo natatore. Idcircò enim Augustinus hortatur, vt, qui accedunt ad Eucharistiam, comedant etiam spiritualiter: quòd fieri possit, vt multi externo tantum vsu symbolorum contenti abeant: internam autem corporis Christi perceptionem, quæ spiritu, & fide perficitur, nihil morentur. Hæc essent satis clara, & dilucida, nisi iste noster tenebras haberet in oculis, & nodum in scirpo quæreret.

OBIECTVM CCXXXVII.

OBIICITVR ex Augustino de verbis Apostoli Serm. 1. Audiuimus veracem magistrum, diuinum redemptorem, humanum Saluatorem, commendantem nobis precium nostrum, sanguinem suum. Loquutus enim est de corpore, & sanguine suo, quòd corpus dixit escam: sanguinem potum: sacramentum fidelium. Hic appellat escam corpus suum, & potum sanguinem suum,

GARDINERVS.

IMITATVS est, & expressit adeò Augustinus Christi phrasin: qui dixit, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus.

MARTYR.

Christus corpus & sanguinem suum bis commendauit.

RElinquamus Inconstantio ambages suas. Quod autem attinet ad veram intelligentiam verborum Augustini, cogitare debemus, Christum corpus suum, & sanguinem bis commẽdasse: Primum in ea oratione, quam habuit in sexto Ioannis ad Capernaitas: deinde in vltima illa Cœna, quam moriturus habuit cum Apostolis. In sexto Ioannis nihil aliud tradit, nisi simplicem, nudamque doctrinam. Ait enim, corpus suum, & sanguinem, quæ daturus erat ad salutem humani generis, tanto fore vsui fidelibus, quanto corpori nostro est cibus, & potus. Hoc autem genere sermonis ea solemus describere, quæ nobis sunt ad vsum vitæ nobilissima. Nam docti, & studiosi viri solẽt literas, & sapiẽtiam appellare cibum, & potum suum. Et insani amatores, qui depereunt speciosa corpora, aiunt se illorum aspectu pasci, & viuere. Et dominus ipse ait Apostolis se alium habere cibum ad manducandum, quem illi nescirent. Significabat autem voluntatem patris sui, quam sibi esse ducebat pro vita. Ita corpus & sanguis Christi oblata in cruce pro salute nostra debent nobis esse in omnem vitam pro cibo, & potu. Ex illo enim iucundissimo pastu ducimus, & haurimus spiritualem, & æternam vitam. Hoc genus sermonis ne Ciceroni quidem displicuit. Is enim scribit alicubi ad amicum suum Atticum, se pasci bibliotheca Fausti. Et in quæstionib. Tusculanis ait, philosophiam esse verissimum & suauissimum pastum animorum. Neque vero illud nos mouere debet, quod dominus ait: *Caro mea verè est cibus*: aut, *Sanguis meus verè est potus.* Aduerbium enim illud Verè ad præstantiã referendum est: non, vt isti putant, ad crassam præsentiam.

Nomine cibi & potus nos describimus, quæ sunt ad vsum vitæ iucundissima & dulcissima.

Alter autem locus, quo Christus corpus & sanguinẽ suum commendauit, est ille, quem ad versarij nostri semper iactant. Christus enim in vltima Cœna de pane dixit, *Hoc est corpus meum*: & rursus de calice, *Hic est sanguis meus.* Sed re vera Christus his verbis nihil aliud significare voluit, quam illud ipsum quod antea docuerat in sexto Ioãnis: nempè, corpus suum, quod erat traditurus in crucem, fidelibus esse debere pro cibo: sanguinemque pro vero potu, quo reficerentur ad æternam vitam. Ex his facilè colligere potest pius, & prudens Lector, quid illa verba Augustini sibi velint: & quamobrem nostri locum illum citare soleant. Verba Augustini sic habent: Quòd corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium. Neque id docet Augustinus, quod Inconstantius illi affingit, nempè *substantiam illius cibi, & potus,*

qui traditur in mysterijs, esse corpus ipsum, & sanguinem Domini. Huius enim delirij ne species quidem vlla apparet in verbis Augustini. Videat ergo iste, vnde nam tandem ea hauserit. Neque contra nos quicquam facit, quod Augustinus appellat Christum Magistrum veracem. Est enim non tantum verax, sed etiam ipsa veritas. Neque nos eum mentitum dicimus, cum diceret, Corpus suum esse cibum, & sanguinem suum esse potum. Illo enim cibo, & illo potu re ipsa alimur, & reficimur, cùm vera fide cogitamus, illa pro nostra salute fuisse oblata. Cum ergo Christus ista diceret, verisimè dixit: & sensus intimus hominum spiritualium fert eius veritati testimonium.

Quod autem iste rursus obijcit ad extremum, *Christum non figuram tantum dedisse, aut signum*: & veternosum & putidum est, & iá à me plus millies refutatũ. Quare cum hæc nihil aliud sit, quàm mera, & insana calumnia, à nobis non iniuria contemni debet. Quærat alios, in quos ista congruant. Nam à nostra doctrina longè sunt aliena. Nos enim nec didicimus vnquam, nec docuimus, Sacramentum nihil esse aliud, quàm nudam figuram.

OBIECTVM CCXXXVIII.

OBIICITVR ex Augustino. Aliud, inquit, videtur: & aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Ergo sensui datur panis & vinum: intellectui autẽ datur gratia, & donum.

GARDINERVS.

QVOD hic ait Augustinus, maximè consonat Catholicæ veritati: quæ hanc distinctionẽ probat, et sequitur.

MARTYR.

EST sanè Inconstantius iniaciendis conuicijs nimium assiduus, & diligens: in expendendis autem locis, & sententijs Patrum, nimium remissus, & negligens. Locus iste in Sermone Augustini, qui inscribitur, ad Infantes: quem, quo magis intelligatur, integrum referre non grauabor: sic habet: *Quod ergo vidistis*, inquit, *panis est, & calix: quod vobis etiam oculi renunciant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est corpus Christi: & Calix est sanguis.* Audiat ista attentè Inconstantius, & consideret, quantum illa Transubstantiationi isti suæ faueant. Nam Augustinus apertè testatur, panem esse in Eucharistia: illumque ipsum panem appellat corpus Christi. Quod siue ad carnem ipsam domini pro nobis traditam, siue ad Ecclesiam, quæ etiam ipsa est corpus Christi, constatque ex multis membris, referas, neutro modo potest verum esse, nisi panem dicas ita nominari, & suo quodam modo esse corpus Christi. Sed addit Augustinus: *Tertio die resurrexit: quo die voluit in cœlum ascendere, illuc leuauit corpus suum: inde est venturus ad iudicandos viuos & mortuos: ibi est modò sedens ad dextram patris.* *Quomodo est panis corpus eius? & calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius? Ista, fratres, ideo dicuntur Sacramenta, quia in illis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, audi Apostolum dicentem fidelibus: Vos estis corpus Christi & membra. Si ergo vos estis corpus Christi, & membra, mysterium vestrum in mensa positum est: mysterium domini accipitis, ad quod estis, Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes, Amen. Esto membrum corporis Christi, vt verum sit Amen tuum. Quare ergo in pane? Nihil hic de nostro afferamus. Ipsum Apostolum item audiamus. Cum ergo de isto Sacramento loqueretur, ait, Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Intelligite & gaudete.* Non potuit Augustinus expressius, aut dilucidius ostendere, commentitiam istam præsentiam realem in symbolis non esse necessariam. Cum enim dixisset, Dominum die Ascensionis corpus suum subduxisse in cœlum, & quod ad illud attinet, ibi iam esse, sedere ad dextram Dei patris, & postremo inde venturum ad extremum iudicium, proposuit sibi quæstionem: &, *Quomodo ergo*, inquit, *est panis corpus eius? & id quod est in calice, quomodo est sanguis eius?* Non respondet, Per transubstantiationem. Eam enim excluserat, cum diceret, *Quod vidistis, panis est*: eumque panem illum eiusmodi esse describeret, qui constaret ex multis granis. Nec respondet, id fieri per realem, & inuisibilem præsentiam. Tantum ait, Panem esse corpus Christi modo quodam sacramentali, hoc est, per significationem. Proprium enim est sacramentorum, aliquid significare. Itaque pulcherrimè subiecit: In illis aliud videtur, aliud intelligitur. Quóque magis intelligamus, non requiri realem, & substantialem præsentiam earum rerum, quæ significantur in symbolis, confert se ad Apostolũ Paulum. Is autẽ ita scribit, Vos estis corpus Christi. Quis autem non videt, quomodo societas, & cœtus Ecclesiæ sit in symbolis Eucharistiæ? Non sane alio modo, nisi quòd ea in illis significetur.

Nota hæc Augustini verba.

Sed, cur, inquies, non respondit Augustinus ista de ipso Christi corpore? De illo enim mota quæstio est, non autem de corpore mystico. Respondeo: Quoniam in eo, quod erat apertius, & notius

& notius, id docere voluit, quod videbatur ob scurius. Quivis enim de se ipso facilè potest intelligere, quomodo sit in Eucharistia. Omnes enim, vt Paulus ait, sumus vnus panis: quoniam vno illo pane significamur. Cumque nos ipsi ab Apostolo appellemur corpus Christi, panis etiam ille symbolicus, qui nos significat, non immeritò nostra appellatione, ac nomine vocatur corpus Christi. Atque ita liberatur Augustini fides, quòd alibi dixerit, panem figurã & signũ esse Christi corporis: corporis, inquã, quod ad rem ipsam, & substantiam attinet, absentis. Panis ergo Eucharistiæ suo modo & est, & dicitur vtrunque corpus Christi: videlicet, & naturale, & mysticum: non per realem præsentiam, sed per significationem, & modum sacramentalem. Hæc de loco illo Augustini.

Panis Eucharistiæ suo modo est & dicitur vtrunque corpus Christi, mysticum & naturale.

Nunc venio ad cauillos Inconstantij. Quod Augustinus ait, *Id, quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Inconstantius exponit ad hunc modum: Fructum confert spiritualem. Sed respondeat mihi, quídnam illud sit, quod intelligitur. Non dicet, opinor, symbola: nam ea videntur. Supereſt ergo vt dicat, corpus Christi. Ergo corpus Christi est id, quod fructũ confert. Sed cur corpus Christi à nobis creditum, & fide comprehensum non potest æquè habere fructum, atque abditũ sub accidentibus? Verum, hoc quicquid est, mittamus. Addit, nos ex hoc loco malè colligere, soli intellectui exhiberi gratiam & donum. Christum enim ait, hoc Sacramento reficere voluisse totum hominem. Primũ respondeo, in nostra Conclusione non haberi, gratiam & donum soli dari intellectui. Vocem illam, Soli, Inconstantius, vt solet, addere voluit de suo, vt sua copia rationem nostram corrumperet. Neque enim latêre illum potuit, dictum à nobis esse millies, vsum Eucharistiæ ad totum hominem pertinere: & hominem totum per illam refici & instaurari. Initium autem fieri à fide & spiritu, non à dentibus & corpore. Primũ enim dicimus animum nostrum sanctificari fide, cum illa corpus & sanguinem domini arctissimo complexu comprehendat.

Deinde à spiritu atq; animo vis quædam diuina, & gratia, & donum redundat ad instaurandum corpus: quo illud efficiatur templũ Dei, & idoneum instrumẽtum spiritus sancti. Cum nos ista vbique doceamus quomodo insimulamur ab isto, quasi qui velimus, gratiam, & donum, ad intellectum solum pertinere? Illud nos constanter affirmamus, aditum carnis Christi ad animũ nostrũ non proficisci ab ore nostri corporis: quod iste cũ crassa illa sua & reali manducatione studet, quantũ potest, confirmare.

Aditus corporis Christi ad animum non est per os & dentes corporis.

Adhuc etiam importunè, & odiosè cauillatur, nos perperã ex illis verbis concludere, & panem & vinum dari sensui. Nam Augustinum ait mentionem tantùm facere de visu. Ita enim iste subiecit: Sed expẽdamus verba huius illationis. *Ergo sensui*, inquit, *datur panis & vinum.* Quid hic sibi vult? An quoniam solis oculis videtur, secundum Augustinum, intelligemus etiam solis oculis dari, quod datur? aut solis oculis exhibitus putabitur panis & vini vsus? Augustinus enim de alio sensu hic non loquitur. Non errore hîc labitur Incõstantius, quod condonari aliquo modo posset, sed furore. Sciens enim & prudẽs veritatem peruertit. Neq; enim nescit, sensum videndi apud optimos scriptores latius multò patêre, quàm ad vsum oculorum. Nam de sono dicimus, Vide quàm hæc sit consonans, & suauis harmonia: de sapore dicimus, Vide, quàm hoc vinũ dulce sit. Et Christus Apostolis suis ait, Palpate, & videte: spiritus carnem, & ossa non habet. Quod ergo Augustinus dicit, Id, quod videtur, speciem habet corporalem, si sententiam eius spectare potius, quàm nugari volumus: non incommodè & ad gustum, & ad tactum, & ad olfactum transferri potest. Neq; ridiculũ est, vt iste videri vult quod dicimus, aliquid dari sensui aut intellectui, quod alioqui totius hominis causa paratum sit. Neq; enim dubitamus, vt diximus, fructum huius Sacramenti ad totũ hominẽ redundare. Eius tamẽ altera pars, ea videlicet quæ significatur, animo tantũ potest comprehẽdi: altera verò, quę significat, sensu atq; ore corporis.

Sensus videndi sæpè aliis applicatur sensibus.

OBIECTVM CCII.

OBIICITVR ex Augustino contra Maximinum lib. 3. cap. 22. In Sacramentis, non quid sint, sed quid ostendant, attenditur. Quoniam signa sunt rerum aliud significantia, & aliud existentia. Augustinus ergo non abhorret ab hac voce: sed ponit significationem corporis Christi in hoc Sacramento.

GARDINERVS.

AVGVSTINVS enarrans verba Ioannis de aqua, sanguine, & spiritu, quæ quoniam mysterium Trinitatis nobis insinuant, Sacramenta vocat, quasi rerum sacrarum significatiua indicia, &c.

MARTYR.

INconstantius pro suo more, & ingenio cauillatur, & nos quodammodò falsi arguit, quòd hæc verba Augustini horribili scelere mouerimus suo loco, eaque artificio sophistico aptemus ad calumniam. *Interpretabatur*, inquit, *Augustinus verba Ioannis de aqua, sanguine, & spiritu: quæ, quoniam insinuant nobis mysterium Trinitatis, vocat sacramenta, quasi rerum sacrarum significatiua indicia, quomodò verbum illud sacramenti, à plerisque vsurpatur. Atque ita demùm subdit: Hæc enim sacramenta sunt, in quibus, non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur: quoniam signa sunt rerum aliud existentia, & aliud significantia.* Hæc Inconstantius, eaq; magno etiam animo, ac spiritu. Sed tamen in arcem ipsam causæ non inuasit. Nos enim fatemur, Augustinum egisse eo loco de aqua, sanguine, & spiritu. Sed interea dicimus, eum adiunxisse verisimam, & certissimam regulam

de sacramentis. Ita enim confecit argumentũ: Sacramẽta ita se habẽt, vt in illis, non quid sint, attendere debeamus, sed quid significent: signa enim sunt rerum aliud existentia, aliud significantia. Hæc autem tria, Aqua, Sanguis, & Spiritus sunt sacramẽta: Ergo in illis, non quid sint, spectandum est, sed quid significent, & ostendant. Hic neget Inconstantius, si potest, priorẽ, propositionem vniuersalem esse: & eadem opera totam rationem Augustini euertet. Quòd si illa propositio est, quod negari non potest, vniuersalis, quemadmodũ Augustinus eam in minori cõtraxit ad aquam, sangũlnẽ, & spiritũ, ita nos eam contrahere possumus ad Eucharistiã.

Augustinus describit naturã sacramentorum.

Quare aut neget Inconstantius, Eucharistiam esse sacramentum, aut nos, presertim tã acriter tantaq; cum vociferatione, ac rabie, aliquando desinat accusare: nisi fortasse inficiari velit, eam esse naturã sacramẽtorũ, quã August. describit. Quod ego idcircò dico, quòd iste, cum dixisset, Quasi sacramenta rerũ sacrarũ significatiua indicia sint, illico subiecerit, Quomodò sacramenti verbum à plærisque vsurpatur. Nam istis verbis videtur mihi suspicionẽ inijcere voluisse, esse nonnullos, qui de Sacramentis aliter sentiãt. At si qui sunt huiusmodi, cur ille tandẽ eos nõ nominat? Aut si ista ratio sacramentorũ nõ placuit, cur ille non attulit meliorẽ? Aut cur rationem istam ab Augustino positam non refutauit? Ná nos quidẽ intereà donec alia melior asseratur, istam ipsam, quam videmus non displicuisse Augustino, sequi, & retinere nõ pigebit.

OBIECTVM CCXL.

OBIICITVR ex Augustino de Trinitate lib. 3. cap. 4. Apostolus, inquit, potuit significando prædicare dominum Iesum, aliter per linguam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis & sanguinis eius.

GARDINERVS.

RECTE dicit Augustinus, aliter prædicari significando per sacramentum corporis & sanguinis Iesum.

MARTYR.

VT melius, quid sibi August. voluerit intelligamus, operæpreciũ erit ea verba recitare quæ illũ locum proximè consequuntur. *Nec linguam quippe,* inquit, *eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos linguæ editos, nec signa literarũ conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinẽ dicimus: sed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum ritè sumimus ad salutem spirituale, in memoriam pro nobis dominicæ passionis: quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnũ sacramentũ, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei.* Volebat hoc loco Augustinus ostẽdere, Deum Opt. max. pro suo arbitratu posse signa quædam visibilia, quibus ipse significetur, & quodammodò ostendatur, & in cœlo, & in terra, & in mari constituere. Id autẽ probat à minori. *Nam Paulus,* inquit, *diuerso, & dispari genere signorũ potuit eundem, & vnũ Iesum Christũ significare, videlicet, lingua, literis, & sacramẽto Eucharistiæ.* His iste verbis, vt est confidens, ait suam causam non attingi: quòd iam tandem aliquando fateatur, hoc sacramento significari corpus Christi, quod anteà nullo modo audire potuit.

Sed addit, Corpus Christi, quod significatur, adesse etiam ibi vera, & reali præsentia. *Nec Augustinus,* inquit, *ista sua enumeratione plurium, quæ rem eandẽ significent, ea omnia significationis vi facit paria: sed suum cuique relinquit modũ.* Iste fucus prima fronte videri possit non malus: re autem vera tãta species nihil intus habet solidi. August. ait, Christum ipsum significari editis à Paulo sonis, & characteribus literarũ consignatis in membrana: nihil tamẽ horũ dici corpus & sanguinem Christi, nisi illud solũ, quod ex fructib. terræ acceptum sit, & prece mystica consecratum, quodq; sanctificetur, vt sit tam magnum sacramentũ, operante inuisibiliter spiritu Dei. Dic sodes, Inconstanti: cur alia illa duo non appellamus corpus Christi? Si Augustinus voluisset sententiam tuã sequi, habuisset in promptu responsionem: Quoniam in illis rebus corpus Christi non adest præsens realiter: adest autem in Eucharistia. At ille nihil tale comminiscitur. Sed quoniam, inquit, iste panis, qui ex terræ fructibus acceptus est quãdo prece mystica cõsecratur, & sanctificatur, fit tam magnum sacramentum: ac si diceret, Idcircò istud tertium appellatur corpus Christi, quòd sit eius corporis sacramentum. Id aliud nihil est, quàm quod nos vbique inculcamus.

Inconstantius autẽ in istis verbis aliud etiá quiddá habet, quod velim ab eo diligẽter annotari. Augustinus. n. ait, illud, quod acceptũ sit ex frugibus terræ, consecrari, & sanctificari: nó autẽ ait illud transubstantiari: in qua vna re isti religionẽ, & pietatẽ omnem collocãt. Sed illud omitto: idq; potius vrgeo: Hoc tertium vocari corpus Christi, cũ alia illa duo nõ vocentur: vt iste intelligat, Augustinũ non mouisse quæstionem de prẽsentia, sed tantùm de appellatione. Placuit Christo illud tertium vocare corpus suũ: quam ille appellationẽ nec vocibus, nec literis vsquam tribuit. Idque pro suo arbitratu facere potuit. Et nos eius factũ libẽter imitamur. De paritate autem, aut disparitate significationis hoc loco nihil disputo. Video enim in Eucharistia, non tantùm audibile verbum esse, quo significetur corpus Christi, sed etiam eiusmodi, quod videri, olfieri, tangi, gustari possit.

OBIECTVM CCXLI.

OBIICITVR ex Augustino de Catechizandis rudibus. De Sacramento quidem, quod accepit, signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia: sed res ipsas inuisibiles in eis honorari.

GAR.

GARDINRVS.

HEC verba consentiunt Catholicæ fidei, quæ fatetur visibilia elmentorum in Sacramentis signa, esse signacula, figuras, symbola rerum diuinarum.

MARTYR.

NOn grauabor, ne nunc quidem sententię Augustini, id addere, quod sequitur. Iste enim sentētias eas, quas nos citamus ex patribus, mutilas & truncatas proponit: sæpeq; id, in quo hærebat neruus argumēti, vel abscondit, vel amputat. Verba Augustini, quæ sequuntur, hęc sunt: *Nec sic habendā esse illam speciem benedictione consecratam, quemadmodū habetur in vsu quolibet: dicendum etiam, quid significet & sermo ille, quem audiuit: quid in illo credatur, cuius illa res similitudinē gerit.* In istis paucis verbis Augustinus tradit rudibus Catechizandis vtilissimam doctrinam de Sacramentis. Ostendit enim esse in illis quandam rerum diuinarū similitudinem: nempè, quę res diuinas, & inuisibiles ostendat. Et addit honorem illum, qui videtur impendi Sacramentis, non ad illa redire, sed ad res eas, quæ in illis significantur. Id autem & verū est, & ab humana similitudine non alienum. Solēt enim homines Regē suū etiam in sigillis & literis venerari: quòd ea sciant ab illo profecta esse. Huc addit Augustinus, speciem, siue partē Sacramenti visibilē benedictione iam sanctificatam, non eo loco habendā esse, quo alioqui in alijs vitæ vsibus haberi solet. Postquā enim verbum semel accessit ad elementum, iam illa species, & natura visibilis, nō est amplius communis aqua, aut panis communis, aut commune vinum, sed baptismi, aut Eucharistiæ Sacramentum. His verbis reprimuntur nostri mastyges, qui perpetuò impudenter clamant, nos in mysterijs nudas tantùm figuras constituere. Si figuras eas nudas esse putant, in quibus non sit realis præsentia corporis Christi, agnoscimus, sententiā istam esse nostram. Cumq; ea & cum diuinis literis, & cum veritate humanæ naturæ in Christo consentiat, nos eius pudere non debet. At si ita interpretantur figuras nudas, vt nihil aliud sint, quàm statuæ, aut picturæ, aut insignia hominum nobilium, nos huiusmodi figuras in Sacramētis detestamur. Agnoscimus enim, species illas, & naturas visibiles iam verbo & instituto Dei consecratas esse, easq; tanquam instrumenta quædā, atque organa spiritus sancti in honore etiam habemus: fatemurque ea nobis adminicula quædam esse ad salutem constituta.

Adhæc Augustinus hoc quoq; vult indicari rudibus, quid sermo ille significet, quē audiuerint. Loquitur autē de verbo illo Dei, quo ministri vtūtur ad sanctificanda Sacramenta. Addit enim: *Cuius illa res similitudinem gerit.* Et sanè is, qui adhuc initiandus sit fide, nunquā intelliget, quid pars illa mysterij visibilis nobis referat, nisi audiat & intelligat ea verba, quæ vulgò appellātur hodiè forma Sacramēti. Symbola .n. illa externa gerūt similitudinē earū rerū, quæ illis verbis significātur. Cogitet nūc secum Inconstantius, quid hodiè grex vniuersus Papistarum faciat. Certè illi verba ea ne audiri quidē volūt à populo: tantū abest, vt interpretari ea velint adstātibus. Hoc etiā cogitet, Augustinū id hic diserte affirmare, quod ipse tantopere, tantoque cum fastidio auersatur: nimirum, Sacramenta esse similitudines, & signacula rerum diuinarum. Sed addit noster, in Eucharistia rem ipsam adesse præsentem dąue, vt ait, substantialiter. Hoc ille quidem dicit: Augustinus autem certè non dicit. Imò ne auderet quidem dicere, Accidentia sine subiecto esse similitudinem illam, de qua nunc agitur, aut, Corpus Christi illis verbis, quę recitantur, sanctificari. Id quod verba ipsa, quæ iam citata sunt de Sacramento affirmant.

Sacramenta sunt similitudines & signacula rerum diuinarum.

OBIECTVM CCXLII.

OBIICITVR ex Augustino de Ciuitate Dei lib. 10. ca. 5. Sacrificium, inquit, visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum, hoc est, Sacrum signum est.

GARDINERVS.

IN hoc argumento manifesta vis est. Augustinus enim sentit, sacrificia Veteris Legis fuisse vmbras sacrificiorum Legis Nouæ.

MARTYR.

COntendit, hūc locū nihil ad præsentē causam pertinere. Ibi.n. Augustinū loqui de sacrificijs veteris Legis. Id nos satis etiam anteà videbamus. Sed meminisse oportuit Inconstantiū, iuxta Augustini sententiā, quæ ex his verbis colligitur, Sacramēta veteris & nouæ Legis, quod ad rē significatā attinet, esse paria: etsi materia, siue pars visibilis in illis dispar sit: & illa quidē rē futurā prænūciauerint, nostra autē commemorēt rē præteritā. Semper etiā hoc fassi sumus, nostra Sacramēta in significādo apertiora & clariora esse: quod etiā Augustinus docuit. Sed cū in eis, quod ad illud attinet, quod est in Sacramētis potissimū, similitudo sit, & paritas, quod Apostolus luculētissimè docet in priori ad Corinthios, nos nihil erramus, si, quod Augustinus hic tradidit de veteribus Sacramētis trāsferamus ad noua. Et ne hoc Lectorē fortè fugiat, moneo, verba ista Augustini in istis duabus, aut tribus Obiectionibus proximis eò tantùm spectare, vt illud fundamentum verissimū doctrinæ nostræ confirmēt: Sacramēta nobis esse data, vt signa, sigilla, similitudines rerū diuinarū, & cœlestiū promissionū: quā docēdi formā aduersarij nostri in Eucharistia valdè detestantur. Quamuis eā interdū cogātur vel inuiti recipere, ita tamē eam recipiūt, vt rē ipsam, hoc est, corpus & sanguinē Christi, in Eucha-

stia præsentẽ esse velint. Verùm hæc testimonia satis probabiliter cõuincũt, talẽ presentiã nõ es- A se cũ signis sacramentalib. copulandam: quod satis liquere potest, si quis ea singula expẽderit.

OBIECTVM CCXLIII.

OBIICITVR ex Augustino in epistola ad Dardanum: vbi plurib. agit de veritate humanæ naturæ in Christo. Et ne animæ quidem Christi tribuit, vt posit esse in multis locis: multò minus corpori: nam animã Christi ait, cum descendisset ad inferos, non fuisse eodem tempore in cœlo.

GARDINERVS.

NON est ausus Augustinus in re tanta quicquam asserere citra scripturæ testimonium.

MARTYR.

VIdetur sibi iste noster huic loco bellissimè satisfacere, quòd fingat, Augustinũ in re tanta nihil voluisse constituere sine testimonio scripturarũ. *Articulum*, inquit, *fidei de descensu ad inferos, vbi animam Christi secundum scripturas tum fuisse definiebat, censuit propugnandum & tuendum: sed quin alibi tamen, & in cœlo esse potuisset, si de anima sua tũ in cœlo futura Christus prædixisset, quemadmodum de corpore in mysterio dixit, non ausus fuisset Augustinus verbo Christi se opponere.* Hæc Inconstantius. Verùm si Augustinus pronunciare noluit rem tantam, scilicet, animam Christi simul fuisse, vel etiã simul esse potuisse in multis locis, rectè, atque ordine fecit. Cauere enim voluit, ne rem falsam, & ab Ecclesia explosam affirmaret. Satis enim sciebat, animam humanam non posse simul esse in pluribus locis. Neque ignorabat Basilium, & Didymum id etiam Angelis denegasse. B

Atqui, inquit iste, *si Augustinus habuisset verbum Christi, quo ille promisisset, animam suam futurã eodem tempore & apud inferos, & in cœlis, nunquam ausus fuisset se opponere.* Imò eadem illa de re videbatur habere verbum Christi, quod ille Latroni dixerat, *Hodiè mecum eris in Paradiso.* Quid illum oportuit ita se torquere, & totum illud referre ad naturã diuinam? Multò illi facilius, & prõptius fuit respondere: Corpus, & animam Christi, etsi illud esset in sepulchro, hæc autem descenderit ad inferos, tamen eodem tempore fuisse etiam in Paradiso: neque, vt isti arbitrantur, quicquã dixisset absurdi. Verùm Augustinus prudẽtissimus, & doctissimꝰ Pater id affirmare noluit, quòd videret non posse fieri: quodq; homines sobrios nõ dubitaret repudiaturos. Potius inuestigare voluit, ecquonã alio pio, & sano sensu verba illa Christi ad Latronẽ possent intelligi. Atq; huius prudẽtię vtinam in istis, qui nobis perpetuò reclamant, aliqua vel tenuissima particula resideret. Illi enim temerè sine vllo verbo Dei, audacissimè affirmãt, corpus Christi & in cęlo esse, & in terris, idq; infinitis in locis eodem tempore. C

At habemus, inquiũt, ea de re verbum Dei. Quodnã tandẽ obsecro? Istud videlicet: *Hoc est corpus meũ.* Verùm & Augustinus illud idẽ verbũ habuit, sciuitq; si propter ipsum euinceretur corpus Christi esse prẽsens in diuersis locis, animam quoq; dandã esse præsentẽ: nisi fingere velimus corpus in Eucharistia poni à nobis exanime ac mortuũ. Non ergo cogebat illum hoc verbũ quod vos habere iactatis. Atqui debueratis Augustini exemplo diligẽtius, & prudentius cõsiderare, vtrũ illa verba possint aliter melius intelligi, quàm vt cõmenta ita absurda, & prodigiosa tam confidẽter statueretis. Docet enim vos Augustinus, docẽt alij Patres plerique omnes, panẽ & vinũ esse typos, figuras, similitudines corporis & sanguinis domini. Sed vos ad verba scripturarũ, & sanctorũ Patrum sanã doctrinam iam olim obduruistis: neque in religione aliud quicquam quàm vestra quæritis. D

OBIECTVM CCXLIIII.

OBIICITVR ex Augustino in Ioan. tractatu 25. Quid, inquit, paras dentem, & ventrem? Crede & manducasti,

GARDINERVS.

NON tractat hoc loco Eucharistiæ mysterium: quam Eucharistiam & de altari sumi, & ore excipi confitentur Patres.

MARTYR.

HIc Incõstãtius de more suo tergiuersatur. Primùm. n. fingit, *Augustinũ nõ retulisse verba illa ad Eucharistiã.* Nec tamen interea ostẽdit, ad quã rẽ aliã ea retulerit. Certũ quidem est, dominũ in illo loco apud Ioannẽ instituisse sermonẽ de corpore suo comedẽdo. Ait. n. se daturũ panẽ de cœlo, & cibũ, qui nõ esset perituros. Deinde addit de se ipso, *Ego sum panis ille vivus, qui descẽdi de cœlo*: &, *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.* Quòd si ista ad Eucharistiam ita nihil faciunt, cur ipse Inconstantius vnà cum suis omnibus semper obijcit nobis illud, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, Quare vel fateatur, se ista dicere extra oleas, vel cõcedat, illa verba Christi in sexto Ioãnis ad Eucharistiã pertinere. Nã si ipsi in Eucharistia volunt comedi corpus Christi, & negare nõ possunt, Christũ in hoc loco egisse de comedẽda carne sua, necesse est, vt concedant, ea, quæ Christus ibi loquitur, quæq; ex illis verbis interpretes colligunt, spectare ad Eucharistiam. Imò Ioannes ipse Euangelista idcircò mysterium Cœnæ in vltima Euãgelij sui parte nõ attigit, quòd crederet, se ea de re in sexto capite satis abundè tradidisse. E

Ad

Adhęc Inconſtantius ſua iſta fictione, neſcio quomodo etiam Gratiani ſui decretis aduerſatur. Is enim de Conſecr. diſt. 2. cap. Vt quid. hęc ipſa verba Auguſtini exponit de Euchariſtia. Sed fortaſsis iſte cũ iſta ſcriberet, Papam, eiusque Decreta non admodum curabat. Nam ſub Henrico Rege Angliæ eius nominis octauo, nõ ſolum vna cum alijs omnibus eius Regni Epiſcopis à Papa defecerat, ſed etiam in eum acerbiſsimè ſcripſerat. Verùm eſto: Decreta illa Paparum ſuorum negligat: quæ nos quoque iure optimo contemnimus. Quid Cypriano reſpondebit? Nam ille in Sermone de Cœna Domini ſcribit ad hunc modum: *Hæc quoties agimus non dentes ad mordendum acuimus: ſed fide ſyncera panem ſanctum frangimus.* Ad huius martyris dicta Auguſtinus haud dubie ſententiam ſuam conformauit. Sed mirum videri non debet, ſi Incõſtantius cum iſtis omnibus pugnare velit. Hoc enim loco, quæ eius eſt conſtantia, ſecum ipſe pugnat. Nam ſi hęc verba, quemadmodum præfatus eſt, nihil faciunt ad Euchariſtiam, quid eum oportuit ſtatim ſubijcere, Hæc dici homini carnali, & animali, qui putet ſe defungi dentibus, & ad Euchariſtiam, tanquam reliquos cibos commoliturus accedat? Si Auguſtinus iſta non loquitur de Euchariſtia, cur iſte dicit, ea ſcribi hominibus carnalibus, qui putent ſe non aliter commolituros eſſe dentibus Euchariſtiam, quàm alios cibos?

Poſtea ait ſi ea verba omnino pertinere debeant ad Sacramentum, tamen illorum hanc eſſe ſignificationem, vt fideles moneantur, illam manducationem, nõ ad ſaturitatem facere, ſed ad ſanctimoniam: & omnino in hoc negotio primas, vel potius vnicas partes eſſe fidei, ſi ea cum corporis officio conferatur: quod tamen officium corporis non ſit prorſus excludendũ. Nam Chriſtum ait *vſum ſimili docendi forma, cum diceret, Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui decimatis mentam, & anetum. Eum enim non reprehẽdere illos, quod iſta facerent, ſed quod in iſtis occupati relinquerent grauiora: Ita ſi accedẽtes ad Euchariſtiam ſtudioſe parent, & ornent corpus, animi autem cultum negligant, ait illis merito dici poſſe, Quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducaſti.* Hæc Inconſtantius ea, qua ſolet, confidentia. Sed ille cogitare debet, Auguſtinum quoque vidiſſe, in Sacra Cœna requiri officium corporis: nam ſymbola ſine eo non poſſunt percipi. Quoniam autem eo in loco de rei ſignificatę, hoc eſt, de Corporis Chriſti mãducatione agebatur, ad quod nec vẽter nec dentes poſſunt pertingere, idcirco congrue, & vere dixit, *Quid paras dentem, & ventrem? Crede & manducaſti* Hæc enim verba non pertinent ad externum elemẽtum, in quo ventris, & dentium officia ſunt neceſſaria, ſed ad ipſum Corpus Chriſti. Neque nos vnquam ita ſtupidi eramus, vt à ſacra Cœna oris, ventris, & dentium officium excluderemus. Scimus enim vtrunque eſſe mandatum domini: & vt ore veſcamur externis ſymbolis: & vt fide & ſpiritu comedamus verum ipſius corpus. Quæ cum ita ſint, Tropum iſtum Inconſtantij, quo fingit, Auguſtinum tantum per collationem potioris excludere dentes, & ventrem, vt ineptum & minime neceſſarium repudiamus.

Deinde argutatur, *Auguſtinũ non temere dixiſſe præterito tẽpore, Manducaſti: ea enim voce illũ indicare voluiſſe dignam, vt ait, manducationis perfectionem.* Verum quidem eſt, ita demum perfici, & omnibus numeris impleri ſacram Cœnam, ſi manducatio fidei ſpiritualis cum externa corporis manducatione coniungatur. Sed externa manducatio ad illam rem, quam tum Auguſtinus habebat præ manibus, nihil fecit. Ibi enim, vti iam expoſui, tantum de re ſignificata loquebatur Et Chriſtus eo loco populum docere voluit de manducanda carne ſua: ſymbola vero, & externam manducationem nondum inſtituerat. Prætereà autem Inconſtantius verbum illud, Credere, apud Auguſtinum interpretatur, probare ſeipſum: nimirum, vt quiſque animo expiato à peccatis accedat ad ſacram cœnam. Hoc quidem ipſum per ſe mihi non diſplicet. Id enim in primis curandum eſt. Sed Chriſtus in ſexto Ioannis, cũ à Iudæis requireret fidem, & Auguſtinus, cum diceret, Crede, & manducaſti: de vera fide in Chriſtum loquebantur: hoc autem genus probationis non ſpectabant. Agebatur enim contra hypocritas, qui videri volebant, teneri magno ſtudio veri illius & viui panis: cum tamen interim in Chriſtum qui verè fuit ille panis, non crederent. Sed mirum non eſt, ſi Inconſtantius veram, & propriam fidem clauſis oculis præterierit. Ita enim illi ſemper fuit parũ propitius, vt ne Iuſtificationẽ quidem illi voluerit vnquã tribuere. Quoniam autem iſta ad præſentem quæſtionẽ non faciũt, id circo ea hoc tẽpore non perſequar pluribus.

OBIECTVM CCXLV.

OBIICITVR ex Leone ex epiſtola ad Clerum & plebem Conſtantinopolitanam. Ait, hanc diſtributionem eſſe myſticam, & alimoniam ſpiritualem, & nos accipere cœleſtem virtutem, vt tranſeamus in carnem Chriſti: qui pro nobis accepit carnem noſtram.

GARDINERVS.

HIC Leo eſt, qui & ſanctiſsimus, & eruditiſsimus habitus eſt, quia de Euchariſtia ſcripſit, vt ſequitur.

MARTYR.

NE quis errare poſsit, verba ipſa Leonis, vt habentur in eius epiſtola, plena, & integra deſcribam. *In omnium*, inquit, *ore tam conſonum eſt, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & ſanguinis Chriſti inter communis Sacramenta fidei taceatur. Quia in illa myſtica diſtributione ſpiritualis alimoniæ, hoc impertitur, hoc ſumitur, vt accipientes virtute cœleſtis cibi in carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſeamus.* Notat nos aterrimo dente Inconſtantius: vt quos

dicat iacere in tenebris ignorantiæ: quique præ desidia non intelligimus ea, quæ audiuerimus: nec ex lectione videamus ea, quæ in Ecclesia ita sunt in ore omnium, vt ne ab infantium quidem linguis taceantur. Et quænam tandem, obsecro, ista sunt, Inconstanti, ita cognita ipsis etiam pueris in Ecclesia, quæ nos videre & scire nequeamus? *Veritas*, inquit, *corporis & sanguinis Christi: quæ inter communis Sacramenta fidei omnium ore consono prædicatur.* Rectè. Sed an nos inficiati vnquam sumus, Christum habuisse verum corpus, & verum sanguinem? Imò semper diximus, & docuimus dominum nostrum ita verum corpus habere, & ita verũ sanguinem, vt eum, quod quidem ad illa attinet, oporteat esse in certo loco: nec simul & in cœlo, & in terra, & in locis innumerabilibus esse posse: quod illud cum veritate humanæ naturæ ex diametro pugnet. Atque hanc ipsam veritatem, Leo clero & plebi Constantinopolitanæ inculcat contra Eutychetem. Inter alias autem rationes, quibus confirmat, Christum habuisse verum corpus & verum sanguinem, hanc etiam habet ductam à Sacramento Eucharistiæ. Est autem illud Sacramentum corporis & sanguidomini: quæ si re vera non extant, sed tantum sunt fictitia, quemadmodum Eutychiani, qui confusionem naturarum in Christo somniabant, nec in illo diuinam naturam ab humana discernebant, dicere cogebãtur, necesse est mysterium nostrum vanum, & falsum esse. Hæc sententia est argumenti Leonis. Et citra omnem controuersiam verum est, & ipsis etiam pueris fidelium satis notum, & peruulgatum, Eucharistiam Sacramentum corporis & sanguinis domini. Rerum autem fictarum & falsarum, quî possunt esse vera Sacramenta? Leo non disputabat de Veritate præsentiæ corporis Christi sub accidentibus panis, vt isti nugantur: sed contra Eutychetem Hæreticum, qui in Christo negabat esse humanæ naturæ veritatẽ.

Neque silentio prætereundum est, quod ait, Eucharistiam esse Sacramentũ nostrę fidei. Etenim promissio Dei, & dogma, quod apud nos certissimum esse debet, de veritate humanæ naturæ in Christo nobis Eucharistia obsignatur. Quod ipsum fit etiam in baptismo. Ibi enim nobis proponitur, & commemoratur mors, & sepultura, & Resurrectio Christi: quę, nisi in Christo esset veritas humanę naturæ, falso iactarentur. Sed quoniam baptismus, quod ad appellationem attinet, non appellatur in Ecclesia Sacramentum corporis & sanguinis domini, id circo Leo argumẽtum ducere potius voluit ab Eucharistia, vt Hæreticum euidentius confutaret. Hoc etiam annotandum est, ex eo quoque probari in Christo carnis & sanguinis veritatẽ, quod nos in sacra Cœna eius vim, & efficaciam, & meritum verisimè experiamur. Nam in mystica illa distributione spiritualis alimoniæ, hoc est, Sacramẽti Eucharistiæ, quod Christus nostra causa instituit, vt nos spirituali ratione instauraremur, accipimus virtutem cœlestis cibi: nimirum spiritum, & gratiam: vt in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus. Hæc est ratio Leonis: quæ ad commentum istud de reali præsentia nihil facit: nisi Inconstantius forte putet, neminem posse transire in corpus domini, nisi qui illud realiter comedat delitescens sub accidentibus. Sed non debuit illum ita facilè fugure, nos in baptismo quoque Christũ induere, & in illũ regenerari, & in illũ inseri. Cur ibi quoque sub accidentibus equæ non dicit Christum delitescere? Sed potuisset iste, potuisset, inquam, nisi errore, ac tenebris mentem prorsus habuisset occæcatam, ex formulâ ipsa, qua Leo in scribendo vtitur, intelligere, quid sibi patres velint, cum interdum dicant, panem transire in corpus domini. Potuisset, inquam, intelligere, ad illũ transitum nihil opus esse mutatione substãtiæ. Nos enim ipsi, quos Leo ait transire in Christi carnem, substãtiam naturæ nostræ pristinam retinemus. Fatetur Inconstantius, mutationem nostram tantum esse qualitatum. Cur eandem dare grauatur in symbolis? Cur non fatetur, panem idcirco dici transire in corpus Christi, quod eius efficiatur Sacramentum?

OBIECTVM CCLVI.

OBIICITVR ex Theodoreto, Dialogo primo. In ipsa mysteriorum traditione Corpus panem vocat, & Sanguinem poculum. Et paulo post, Symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit: non quidem naturam ipsam transmutans, sed naturæ adijciens gratiam. Similia etiam quædam habet in Dialogo 2.

GARDINERVS.

QVAE scribit Theodoretus in ijs Dialogis, etiamsi scopum spectent à Catholica fide non alienum, minimè tamen digna videntur, quæ in libranda Catholica doctrina obtineant aliquid momenti.

MARTYR.

ISte noster quantũ maxime potest, offuscat & obscurat veritatẽ: & in aquis turbidis, & lutulentis facilius se latêre posse, confidit. Quare, vt omnes nubes & caligines, quas iste ceu Cæcias aliquis contraxit, dispellantur, operæ precium erit, ea referre singillatim, quæ à Theodoreto & in primo & in secundo Dialogo de hac re scripta sunt. Scopus eius erat, vt id ostenderet, quod Eutyches negabat, Christum adhuc habere veram humanam naturam

naturam,& verum corpus. Eutyches enim docuit,Illa iam prorsus in diuinam naturam transiuisse,& in Christo nunc naturarum illarũ distinctionẽ nullã esse. Colloquutores in illo Dialogo sunt Orthodoxus, & Eranistes. Ita ergo sermonem instituit Orthodoxus: *Scis, quod Deus suum corpus appellauit panem? Eran. Scio. Orthod. Porro etiam alibi carnem triticum nominauit. Eran. Hoc etiam scio. Audiui enim, eum dicentem: Venit hora, vt glorificetur filius hominis. Et, nisi granũ tritici, quod cecidit in terram, mortuum fuerit, solum manet: sin autem mortuum fuerit, fert multum fructum. Ortho. In mysteriorum autem traditione corpus panem appellauit: & id quod in calice infusum, & commixtum est, sanguinem. Eran. Ita nominauit. Ortho. Atqui, & quod est secundum naturam corpus, Corpus iure vocabitur: & itidem sanguis. Eran. In confesso est. Ortho. Seruator certè noster nomina commutauit: & corpori quidem id, quod erat symboli, ac signi, nomen imposuit: symbolo autem, quod erat corporis. Ita cum se vitem nominasset, sanguinem id, quod erat symbolum, appellauit. Eran. Hoc quidem verè dixisti. Vellem autem scire causam mutationis nominum. Ortho. Manifestum est institutum ijs qui sunt diuinis mysterijs initiati. Volebat enim eos, qui sunt diuinorum mysteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur: sed propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratia, credere. Qui enim, quod natura est est corpus, triticum, & panem appellauit, & vitem se ipsum rursus nominauit: is symbola, quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honorauit: non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adijciens. Eran. Et mystice mystica dicta sunt, & apertè declarata, quæ non sunt nota omnibus. Ortho. Quoniam ergo in confesso est, & Patriarcham corpus domini vestem & indumentum nominasse (ad dicendum autem de diuinis mysterijs ingressi sumus) dic per veritatem cuius symbolum, & figuram esse existimas alimentum sanctissimum: Diuinitatisne domini Christi, an corporis & sanguinis? Eran. Clarum, quod illorum, quorum appellationem susceperunt. Ortho. Corporis & sanguinis, dicis. Eranist. Ita dico. Ortho. Vt decet amicum veritatis dixisti. Etenim dominus, cum accepisset symbolum, aut signum, non dixit, Hoc est deitas mea: sed, Hoc est corpus meum. Et rursus, Hic est sanguis meus. Et alibi: Panis autem, quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Eran. Vera sunt hæc. Sunt enim diuina eloquia. Ortho. Si ergo vera, corpus vtique habuit dominus.*

Hæc leguntur in primo Dialogo: eaque ita sunt perspicua, itaque apertè euertunt commentitiam istam Transubstantiationem, vt nulla explicatione sit opus. Deinde ostendunt, Christum vsum esse eiusmodi cõuersione propositionis, vt & corpus ac sanguinem suum appellarit panem & vinum: & rursus, panem & vinum appellarit corpus & sanguinem suum. Huc addit Theodoretus etiam finem huius transnominationis, cur panis dicatur corpus domini, & vinum sanguis eius: nimirum: vt illi, qui accedunt ad sacra mysteria, non in ea externa, quæ videntur, sed in ea, quæ significantur, intenti sint. Ex his facilè intelliget pius & prudens Lector, me, cum ista eadem & dixerim, & docuerim, nihil à sententia veteris Ecclesiæ discessisse. Nam hæc eadem & in Cypriano, & in Augustino, & in alijs Patribus plærisque omnibus deprehendi possunt.

In secundo autem Dialogo Theodoretus ad hunc modum scribit. *Ortho. Dic ergo, mystica symbola, quæ Deo à Dei sacerdotibus offeruntur, quorum nam symbola esse dicis? Eran. Corporis & sanguinis domini. Ortho. Corporis eius, quod verè est, an eius, quod verè non est? Eran. Quod verè est. Ortho. Optimè: Oportet enim imaginis esse exemplar archetypum. Etenim pictores imitantur naturam: & eorum, quæ videntur, pingunt imagines. Eran. Verum. Ortho. Si ergo diuina mysteria corpus quod verè est, repræsentant, ergo corpus etiam nunc domini quoque corpus est: non in diuinam naturam mutatum, sed impletum diuina gloria. Eran. Opportunè accidit, vt vera faceres de diuinis mysterijs. Nam & ex eo ipso tibi ostendam, corpus domini mutari in aliam naturam. Responde ergo ad mea interrogata. Ortho. Respondebo. Eran. Quid appellas donum, quod offertur, ante inuocationem sacerdotis? Ortho. Non oportet aperte dicere: est enim verisimile, adesse aliquos mysterijs non initiatos. Eran. Respondeatur ænigmatice. Ortho. Id quod fit ex huiusmodi seminibus nutrimentum. Eran. Aliud etiam signum quomodo nominamus? Ortho. Commune etiã hoc nomẽ quod potus speciem significat. Eran. Post sanctificationẽ aũt quomodo ea appellas? Ortho. Corpus & sanguinẽ Christi. Eran. Et credis, te fieri participem Christi corporis & sanguinis? Ortho. Ita credo. Eran. Sicut ergo symbola corporis et sanguinis domini alia quidẽ sunt ante inuocationem sacerdotis, & post inuocationẽ mutantur, & alia fiunt: ita etiã corpus domini post assumptionẽ mutatur in diuinã substantiam. Ortho. Quæ ipse texuisti, retibus captus es. Neq; enim signa mystica post sanctificationem recedunt à natura sua. Manẽt enim in priori substantia, figura, & forma: & videri, & tangi possunt. sicut prius. Intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa sint, quæ creduntur. Confer ergo imaginem cum exemplari, & videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse veritati similem. Illud enim corpus priorem habet formam, & figuram, & circumscriptionem, &, vt semel dicã, corporis substantiam. Immortale autem post Resurrectionem factum est, & potentius, quam vt vlla in illud cadat corruptio, & interitus: sessioneq; ad dextram Dei dignatum est: & ab omni creatura adoratur, vt quod appelletur Corpus naturæ domini. Eran. Atqui symbolum mysticum priorem mutat appellationem. Neque enim amplius nominatur, quod vocabatur prius: sed corpus appellatur. Oportet ergo etiam veritatem Deum, & non corpus vocari. Orth. Ignarus mihi videris esse. Non enim corpus solum, sed etiam panis vitæ nominatur. Ita enim dominus ipse appellauit. Porro autem ipsum corpus diuinum, corpus appellamus & viuificum, & dominicum: docentes, non esse cõmune alicuius hominis, sed domini nostri Iesu Christi: qui est Deus & homo.* Hæc etiam transcribere volui ex 2. Dialogo, vt liquidò appareat, etiam peracta sanctificatione eandem panis viniq; substantiam manere in symbolis, quę fuerat antea. Nã, vt vno verbo dicã, ista posteriora ita prorsus cõueniũt cũ prioribus, vt in vtroq; loco eundem authorem facilè agnoscas, & eandem fidẽ. Hic

tamẽ Theodoretus ſimile commemorat, quod antea non attigerat. Ait enim tam verè ſubſtantiam panis manere in Euchariſtia, quàm verè ſubſtantia corporis adhuc ſeruatur in Chriſto.

Iam vero, quoniam non dubito, cauſam hanc totam ſatis Lectori eſſe cognitam, veniendum eſt ad cauillos Inconſtantij. Primum fatetur, Theodoreti bonum quidem fuiſſe ſcopum: ea tamen quæ in diſputando attullerit, neque ἀκριβῶς, neque δογματικῶς, eſſe dicta, ſed potius ἀγωνιστικῶς, videlicet, in æſtu, & calore certaminis. Verum de hoc infelici ſuffugio ſatis alias diximus. Vtitur quidem Inconſtantius hac rima ſæpiſsimè: maxime verò, cum videat, ſe iam iamque teneri, & prope ab aduerſario iugulari. Tum enim demum facile patitur authoritatem, & fidem ſuorum patrum labefieri. Nam cum videat ita claras, & dilucidas eſſe illorum ſententias, vt facile offuſcari nõ queant, tum ſe ad miſeram iſtam, & frigidam diſtinctionem confert. Tantum autem in hac re iuris, & poteſtatis ſibi vſurpat, quantum nobis in eadem cauſa nullo modo concedi patitur.

Cæterum omiſsis ijs, quæ in primo Dialogo ſcripta ſunt, in ſecundo forte fortuna reperit aliquid, quod poſsit arrodere. Ait enim, cum Eraniſtes, hoc eſt Hæreticus, dixiſſet, *Euchariſtiam poſt Conſecrationem nunquam appellari panem, Theodoretum ipſum nomine Orthodoxi ſubijcere, Dominum illum appellaſſe panem vitæ.* Atque hanc reſponſionem putat idcirco eſſe veram, quod, vt ait, in Euchariſtia caro ipſa Chriſti præſens adſit: quæ in ſexto capite Ioannis dicta eſt panis vitæ. Tamen reſponſionem iſtam irridet: quòd ad panem triticeum, de quo interrogatur, non conueniat. Hæreticus enim obiecerat, Symbolum poſt ſanctificationem ita appellari corpus domini, vt non amplius appelletur panis, nempè, triticeus. Quare Orthodoxum reſpondere de corpore Chriſti, illud appellari panem vitæ, neque quadrat, neque conuenit. Quod Inconſtantius obijcit Theodoreto, non omnino à ratione, & à veritate alienũ arbitror. Nã alia ſunt loca ſcripturarum, quibus probare potuiſſet, panem Euchariſtiæ poſt ſanctificationem appellari panem. Paulus enim ait, *Panis, quem frangimus, communicatio corporis Chriſti eſt.* & addit, *Vnus panis multi ſumus, qui de vno pane participamus.* præterea ait, *Qui comederit hunc panẽ, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini.* His ergo potius teſtimonijs Theodoretus vti debuit, quam illis verbis Chriſti è ſexto capite Ioannis. Ibi enim Chriſtus cum dicat, *Ego ſum panis vitæ*, non propriè, ſed metaphoricè ſe ipſum, id eſt carnem ſuam appellauit panem: neque reuera ea retulit ad ſymbolum Euchariſtiæ. Imò ne tum quidem, cum diceret, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt: quam ego dabo pro mundi vita.* His enim verbis nihil aliud ſignificare voluit, quàm ſe pro nobis carnem ſuam daturum ad mortem: illamque carnem nobis fore panem, hoc eſt, cibum ſpiritualem, quo ad vitam æternam aleremur, ſi à nobis vera, & efficaci fide comedatur. Verum non ſolus Theodoretus ſacras literas interdum in ſenſum alienum detorquet. Vtinam non alij quoque patres penè omnes in ea re nimium ſibi tribuiſſent. Equidem cum incido in huiuſmodi illorum errata, non poſſum non vehementer dolere. Neque enim hac quidem in re aut Theodoreto, aut cuiquam ex patribus vnquam ſubſcribam.

Cæterum hic pro meo iure Inconſtantium meum appellabo, quánam ille tandem fronte poſsit Theodoretum huius peccati reprehendere. Ipſe enim cum ſuis ferè omnibus verba illa ſexto Ioánis refert ad ſymbolũ Euchariſtię, eaq; & ſępe cõtra alios, & in hoc libello ſuo nominatim contra me citat. Sic.n. ſcribit: *Panis, quẽ ego dabo, caro mea eſt*: ac ſi diceret, Ille panis, quẽ in vltima cœna ſum daturus vobis, eſt caro mea, hoc eſt: tranſubſtantiabitur in carnẽ meá: & ſub eius accidentib. caro mea inuoluetur & inuiſibiliter deliteſcet. Si tibi tuisque interpretationẽ concedi vis, Inconſtanti, cur eandẽ nõ concedis Theodoreto? Cur nõ ille, quod dominus ait, Ego ſum panis vitæ: ita exponat, vt dicat, panẽ Euchariſtię eſſe dominũ: nimirũ quod eius iam appellatione donatus ſit. Appellatur n. corpus domini. Cũq; panis ille ſit inſtrumẽtũ ſpiritus ſancti, quo nos iuuemur ad aſſequẽdã æternã vitam, cur non ęquè dici poſsit panis vitæ, atq; externũ verbũ Dei? Illud.n. interdum vocatur verbum vitæ. Et fieri poteſt, vt eo tempore illa conſuetudo fuerit in Eccleſia, vt panis Euchariſtiæ appellaretur panis vitæ. Et ob eã cauſam probabile eſt, Theodoretum in hunc ſcopulum impegiſſe. Sed, vt dixi, huius errati à quibuſuis potius alijs, quàm à vobis accuſandus erat. Vos enim peragi poteſtis rei eiuſdem criminis. Verũ Theodoretus etſi toto cœlo â veſtra ſententia diſſentiat, tamen videri poteſt, vobis in hac re gratificari aliquo modo voluiſſe: quod verba illa Ioannis eodem modo inflexerit ad Euchariſtiam, quo vos ſoletis.

Iſte verò, vt cauillum ſuum perſequatur, ait, *Theodoretum illo argumento contra Eutychianos nihil profeciſſe. Etſi enim Euchariſtia poſt ſanctificationem appelletur panis vitæ, propter corporis Chriſti præſentiam, tamen ait hoc fieri, quod attinet ad vocabulum, & ad nomen. Quod ſi ad corpus Chriſti glorificatum accõmodetur: Hæreticus, inquit, dabit, Corpus quidem illud vocari poſſe, ſed ſolo nomine: re enim vera non eſſe corpus. Ita enim Chriſtum in ſexto Ioannis ſe ipſum appellare panem: ſed appellatione tantum ac nomine, non quod re ipſa eſſet panis triticeus.* Hæc ille. Sed, vt, quod res eſt, dicã, Inconſtãtius ſomniat tantũ hoc loco, nihil videt. Etſi enim Theodoretus interpretetur ea verba in hanc ſententiã, vt dicat, Chriſtũ honoraſſe panẽ ſacramẽtalem vocabulo ac nomine ſuo, vt iam appelletur corpus Chriſti, tamen bis apertè teſtatus eſt illum manere in ſua priori natura, atque ſubſtãtia: vt etiam poſt Conſecrationẽ & dicatur, & ſit panis: non tamen ſimpliciter, ſed cũ additione, vt dicatur, Panis vitę. Itaq; rationẽ ſuam aptiſsimè concludit: Eodem modo corpus Chriſti etiam poſt aſſumptionem in cœlum, ita retinere naturam

natura ſua, vt re vera & ſit, & dicatur corpꝰ: ſed tamen cum additione quadam: videlicet, vt dicatur corpus Dominicum. Vt quemadmodum panis in Euchariſtia manet quidem panis, quãuis iam adeptus ſit conditionem meliorem: ita corpus quoque Chriſti glorificatum, maneat quidẽ vt erat antea, corpus humanum, quamuis ampliſsima gloria & maieſtate ſit veſtitum.

Poſtea iſtẽ noſter, cum argumentum Theodoreti irriſiſſet, ad hunc modum, ne quid reliqui faceret ad deijciendã eius authoritatẽ, fecit illi etiã grãde conuitiũ. *Vicerunt enim*, inquit, *Eutychiani: & captus eſt ſuis retibus Theodoretus.* Et poſtea: *Abegit*, inquit, *Hæreticos Theodoretus ſono vocis, & authoritate ſua, ſi verum eſt illos ijs dictis ceſsiſſe. Sin minus, turpiter ſuo iudicio lapſus eſt ipſe Theodoretus: qui putauit, eſſe ſolidum, quod reſponderet, cum ad id, quod agebatur, nõ pertineret omnino, niſi quod de ſono vocis, & figura literarum conueniret.* Deinde concludit, *ita imminutam eſſe Dialogi authoritatem, vt ne quid ex eo, quod ſit obiter tantum dictum, ſumi debeat ad dogmatis alicuius catholici improbationem.* De conuitijs iſtis, quibus Incõſtantius Theodoretum afficit, nihil aliud dico, niſi ea ex diametro pugnare cũ illis laudibus, quib. Patres Catholici illũ in Chalcedonenſi Concilio ornauerunt. Deinde hoc etiam addo, nos ex illis Dialogis nihil ſumere ad impugnationem Catholici dogmatis: ſed tantum oſtendere, quid illis temporibus Eccleſia de Euchariſtia ſenſerit. Et Theodoretum in ea re nihil erraſſe, vel id argumento eſſe poteſt, quod Cyrillus, quamuis illi infenſus eſſet propter diſsidium, quod contigit in Synodo Epheſina, cum ſcriberet in eum, & multa in eum congereret, tamen nunquam illi quicquam obiecerit de Euchariſtia. Ad hæc mihi videtur Inconſtantius non ſatis conſideratè dicere, iſta à Theodoreto obiter tantum in illo Dialogo, & quaſi aliud agendo eſſe ſcripta. Ille enim tanquam firmum, & ſolidum argumentum obijcit Eutycheti à natura ſacramentorum.

Carpit præterea Theodoretum, quod interrogatus ab Hæretico cauſam commutationis nominum, quid nam ſit, quòd qui antea dicebatur panis, nunc appelletur corpus, primum reſponderit idem quod Catholici, videlicet, *vt propter mutationem nominum credamus illi mutationi, quæ facta ſit ex gratia: poſtea tamen ſubſtantiam panis mutari neget.* Et quod ad priorẽ reſponſionem attinet, annotandum eſſe ait, *vocem illam Mutationem, Græcè eſſe μεταβολὴν, quæ ſignificet mutationem rei. Itaque colligit, Theodoretum idem ſenſiſſe, quod Catholici: nimirum, panem dici corpus, quod iam mutatus ſit in corpus.* Itaque videri vult, Theodoretum parum ſibi ipſi conſtitiſſe: vt qui primum dixerit, mutationem fieri in pane: & idem poſtea ſubiecerit, ſubſtantiam panis non mutari. Sed facilè videre potuiſſet, iſta nihil pugnare: imò multo potius inter ſe quam optimè congruere. Fit enim quidem mutatio: quia panis poſt ſanctificationem efficitur ſacramentum, quod antea non erat. Eſt ergo mutatio iſta tanta quanta eſſe poteſt inter ſacramentum.

Neque hìc ſatis mirari poſſum huius hominis ſapiẽtiam, qui putet mutationem, aut μεταβολὴν nullam eſſe, niſi ipſa rei ſubſtãtia conuertatur. Nam ſi bonos authores Græcos attentè legiſſet, nunquam ita ineptè, & tam inſipidè ſapuiſſet. Qua autem fide Theodoreti reſponſionem retulerit, Lector ipſe facilè iudicabit. Nam cum ea conſtet duobus capitibus, iſte alterum tantum commemorauit, illud videlicet, quod putabat pro ſe facere, quamuis in eo ipſo turpiſsime falſſus ſit: alterum autem, opinor, quòd illud videret ad ſuum ſtomachum non facturum, prudenter tacuit. Cur in hoc ſacramento nomina ita mutentur, Theodoretus hanc cauſam reddit: *Volebat enim*, inquit, *eos, qui ſunt diuinorum myſteriorum participes, non attendere naturam eorum quæ videntur.* Hoc Inconſtantius diſsimulat. Vidit enim id cum ſua Trãſubſtantiatione, & reali præſentia nõ cõuenire. Nã alioqui cur attẽdenda non ſunt ea, quæ videntur, ſi realiter, & ſubſtantialiter contineant in ſe corpus & ſanguinem Chriſti? Aut cur Papiſtæ, vt illa attendant, & videant, in templis huc illucque ad omnes angulos ita ſtultè & inconditè diſcurrunt? Neque vero iſte oblitus erat, in exponendis illis verbis, Surſum corda, quibus Eccleſia vti ſolet in myſterijs, ſe nobis antea oppoſuiſſe. Nos enim dicimus, attãtes illis verbis inuitari, vt à ſignis ſenſibilibus animum ſub ducant in cœlum, vbi præſentia domini ſyncerè, ac verè frui poſsint. Ibi ſe, vt dixi, Inconſtantius oppoſuit nobis, quantum potuit: & omnino à ſacramentis nec oculis, nec animis diſcedendum cenſuit: quod in illis eſſe diceret realiter corpus ipſum, & ſanguinem Chriſti. Hoc autem loco videt, Theodoretum quoque idem nobiſcum dicere. Atque ea cauſa fuit, cur illud caput reſponſionis tam profundo ſilentio præteriret. Rectè autem & verè Theodoretus poſtea monuit, nomina mutari, vt credamus mutationi, quæ fit ex gratia. Fideles enim, cum accedunt ad ſacra myſteria, veriſimè credunt, ſe ibi non accipere communem panem, aut profanum vinum, ſed ea, quæ iam ex inſtituto Chriſti facta ſint ſacramẽta corporis & ſanguinis eius: quod cum verè credimus, à rebus illis, quæ ſentiuntur, ad res eas, quæ illis ſignificantur, animum, & mentem traducimus.

Vidit Inconſtantius, hac reſponſione ocurri poſſe à nobis ſuæ Sophiſticæ: ſi dicamus, mutationem eam, quam Theodoretus commemorat, non ſubſtantialem eſſe, ſed tantum ſacramentalem. Itaque ait: *Quid hoc verbi eſt, Sacramentale? Vt ſignificet modo, indicet, demonſtret, oſtendat, exhibeat, offerat, potenter, efficaciter corpus Chriſti, quod abſens ſit? Imo Theodoretus de corpore præſenti loquitur. Non exigit adorationem.* Nihil Inconſtanti, moror cumulum iſtum, congeriemque verborum, quibus tu declarationes noſtras ſacramentalium proprietatum ita ineptè, & ſcurriliter irrides. Neque enim dubito, eos omnes, qui micam vnam habeant pietatis, & veræ fidei, hoc mecum intelligere, Corpus Chriſti etſi realiter abſit, & contineatur in cœlo, tamen verè

posse cõmunicari,& exhiberi spiritui,atq; animo eorũ,qui cum vera fide accedant ad sacram Cœnam. Quod autem additur de Adoratione, inane est. Ná & cum sacra verba scripturarum audimus recitari,& cũ baptismũ videmus celebrari ,adoramus Christũ: quáuis corpus eius, & sanguis,nec in illis verbis nec in aliqua baptismi parte realiter inuoluatur. Sed ea de re diximus anteà,vt nunc non sit dicendum plurib.

Verùm hîc non possum istius vafriciem dissimulare.Nam, vt quacunque vi, aut violentia verba Theodoreti inflectat,& torqueat ad sententiam suam,non dubitat omnia commouere.Ait Theodoretus,panem,quod ad substantiam attinet,non mutari.Idque probauit ex eo, quòd palpetur, & videatur, non secus, quàm ante Consecrationem. Hic noster iste clamat, *Theodoretum per substantiam non sensisse naturam panis interiorem,quòd illa nec videatur,nec palpetur: sed potius significare voluisse exteriorem substantiam: quæ,quemadmodum Catholici sentiunt,durat per miraculum.* Quis hic risum tenere possit? Iste enim pro sua illa sapiẽtia,& cupiditate vincendi præcipitat se non tantùm in errores, sed etiam in tenebras ita densas, & crassas, penè vt palpari possint. Oportet sanè Theodoretum fuisse magnũ philosophum,qui nomine substantiæ intelexerit accidẽtia, An ille voces eas nõ intellexit, nõ audierat,nõ didicerat? An ille ita infans erat, vt cum accidentia dicere vellet, diceret substãtiam? Sed fuerit sanè. Quid tandem,quæso te, sua ista argumentatione concluisset? Accommodemus enim hoc simile ad expositionem Inconstantij. Profectò Theodoretus nihil aliud conficiet,nisi quod Eutyches volebat:nimirùm, corpus Christi iam sublatum in cœlum nihil habere pristinæ substantiæ: sed tantùm eius retinere qualitates quasdam, & accidentia: quod autem ad substantiam attinet, prorsus abijsse in naturã diuinam: quemadmodũ in pane Eucharistiæ substantia quidem abijcitur: retinentur autem sola accidentia: substãtia autem,quanta quanta erat,transiuit in corpus Christi. Ita Inconstantius,cum iuuare vellet Theodoretum, ne quid ille fortè pronunciare videretur contra Transubstantiationem, prorsus eum reddidit Eutychianum. Neque sanè mirum. Non enim Eutychetem tantùm, sed etiam quemuis hæreticum æquius multò ferret,quàm si quis de sacramento Eucharistiæ verè,& rectè sentiat: scilicet, quia hîc lucrum est: ibi non erat. At,inquit,interior substantia nec palpatur,nec videtur. At certè Christus nõ ita loquitur. Ita enim ait Apostolis: *Palpate,& videte: quoniam spiritus carnem, & ossa non habet.* Palpatur illa quidem,& videtur per accidẽtia. Scio,& fateor. Et palpatur tamen,& videtur. Non aliter ergo loquutus est Theodoretus, quàm quomodò homines loqui solẽt: & quomodò Christus ipse loquutus est. Sciebat etiã, Deum in sacris mysterijs non illudere sensibus nostris: sciebat,in Eucharistia accidentia non seiungi à subiecto: quod isti audacissimè mentiuntur. Sed hæc aliàs. Illud nunc satis erit ostendisse,Theodoretum nec imperitum fuisse harum vocum,nec ita stupidum,vt iuuare voluerit Eutychetem, contra quem maximè disputabat.

Adhuc tamen iste Sophista ostentat nobis acumen.*Si replicasset*,inquit,*Hæreticus,contra quẽ Theodoretus disputabat, Ergo si similiter hæc fiunt, iam accedet incorruptibilitas. vt , quamuis species, & figura panis retineatur, incorruptibilis sit, nam ita sit in corpore Christi,non effugisset Theodoretus,in quam se coniecerat,captionem.* Non dubito, prudentem Lectorem facilè videre,quemadmodũ iste collationem apertam,& dilucidam conetur offuscare. Confert enim Theodoretus panem Eucharistiæ & corpus Christi. Collatio autem sita est in substantia, & proprietatibus: vt quemadmodum in pane post sanctificationem substantia panis retinetur,ita in corpore Christi post eius Ascensionem in cœlum,substantia corporis conseruetur: vtque panis mutatus est,quòd euectus sit ad altiorem gradum,& factus sit Sacramentum, ita etiam mutatum sit corpus Christi,quòd induerit gloriam,& incorruptibilitatem, & potentiam. Cum ista collatio ita sit perspicua, quid oportet proprietates corporis Christi, scilicet, incorruptibilitatem, & gloriam transferre ad panem? Hic nullus est nodus, nulla captio, nulla Scylla, nulla Charybdis: nisi quantum sibi Inconstantius machinatur. *Errat*, inquit,*inter Scyllã,et Charybdim. Non enim audebat negare verbo mutationem panis propter authoritatem Ecclesiæ: nec audebat rursus reconcedere mutationem naturæ panis,ne significaret illis Hæretici,Christi naturam mutatam,quæ erat eorum hæresis.* Quam hic mihi tu narras authoritatem Ecclesiæ? Vbi ea vnquam statuerat,mutari substantiam panis? Si aut decreta habes vlla veterum,aut Canones,quid moraris? Cur ea non profers? Quare Theodoretus naturæ, & substantiæ mutationem in pane negauit: sacramentalem autem mutationem nõ negauit? Nec in ista tua Scylla,& Charybdi naufragium vllum fecit:Imò ne vidit quidem illas vnquam: neque alius, opinor,quisquam præter te.

Addit Inconstantius, *mutationem qualitatum non posse competere in panem Eucharistiæ.* Quid ita? Certè anteà cum apud pistorem esset,non erat Sacramentum. Postquam autem adhibitus est ad institutum domini, & iam distribuitur inter fideles,transit ad conditiones & proprietates ampliores. Necesse ergo est, vt immutatus sit,si non alio modo,saltem spirituali ratione. Quòd si nulla intercesit saltem mystica mutatio,cur eum vos appellatis benedictum, sanctificatum,consecratum? Addit, *Theodoretum fluctuare,& causæ suæ inseruire.* At ille consistit in vestigio,Inconstanti, non fluctuat: & se fratribus tuis Eutychianis constanter, & fortiter opponit: & fidem Ecclesiæ sui temporis manifestè declarat. Posteà etiam conuitiatur Theodoreto,quòd dicat,*Panem post consecrationem non appellari panem.* Atqui id non est verũ Ait.n.illum appellari quidẽ panẽ, sed cũ additione.Non.n.habetur iã vt panis profanus, sed vt panis

vt panis vitæ, panis domini, panis Eucharistiæ, panis mysticus: Verum hac de re quid sentiam, ab initio huius responsionis dixi satis.

In calce verò, quasi Colophonis vice, nō pudet Sophistam dicere, quod anteà etiam falsisi mè dixerat, quodque à me iam liquidò confutatum est, verba Theodoreti nō obscurè facere pro Transubstantiatione. Nam illā is quasi data opera oppugnat. Hanc ego si imitari velim tam insulsam & impudentem impostūram, eadem confidētia dicere possim, Gardinerū, Cheadzæū, Treshamum à me stare. Sed antequam hinc discedo, hoc vnū Lector mihi admonēdus est, sententiam istā Theodoreti, non minus realem substantialemque præsentiam refellere, quàm Transubstātiationē. Theodoretus enim ait, dominum honorasse panē & vinum, hoc est symbola Sacramenti, appellatione corporis & sanguinis sui: & in hoc mysterio fieri cōmutationē nominū. Nā si corpus ipsum Christi realiter adesset, nec symbola ornarentur ea appellatione, nec permutatio vocū vlla esset. Ipsum.n. potius corpus Christi, cū præsens esset, & adoraretur, & proprio, ac suo nomine vocaretur.

OBIECTVM CCXLVII.

OBIICITVR ex Gregorio in Registro. Tam azymum, inquit, quàm fermentatum dum sumimus, vnum corpus domini seruatoris efficimur Quod dicit, Azymum & fermentatum: indicat manere panem.

GARDINERVS.

NOMINIBVS panis adhuc vtitur, sublatis rebus: vt virga deuorauit virgas.

MARTYR.

QVoniam Inconstantius non veretur ad obfuscandum argumentum aspergere idē atramentum, quo sæpè iam vsus est, non video, cur non ego quoq; ad illud delendū vti possim eadē fidelia, qua semel iam, atq; iterum vsus sim. Ait, *Gregorium, quamuis res ipsæ sublatæ sint, tamen vti nominibus pristinis. Panē enim, quem sumimus in Eucharistia, dici & azymū, & fermentatum, quamuis, quod ad rem ipsam attinet, eius substantia sublata sit. Et similem ait esse loquendi formam in libro Exodi, Ibi enim sic scribi: Virga Mosis deuorauit virgas Magorū Virga*, inquit, *Mosi, etsi iam mutata esset in serpentem, tamen appellata est virga.* Hic ego duo regero: Primùm, hoc genus argumenti ita esse inualidum, vt isti eius vsum alijs omnino nolint permittere. Nā si qui dicāt, Verbū illud, Est, multis in locis diuinarū scripturarum positum esse pro, Significat, & idcircò ita sumendū esse in verbis illis de Cœna, illi reclamant, Conclusionē istam hebetem, & infirmā esse: quod facilè possit fieri, vt hoc verbū alibi ita sit vsurpatū, cum eius longè sit alia vis in Eucharistia. Quare si velit Inconstātius, hoc suffugium prodesse sibi, non debet idem in simili causa inuidere alijs: nisi fortè sibi aliquid licere velit in disputādo, quod nobis nō liceat. Adhęc si iste, quamuis re ipsa iam sublata, tamē potest voces, & proprietates azymi & fermētati retinere, nō debet nobis indignari, si vnà cū Theodoreto ornamus panē & vinū appellatione corporis & sanguinis domini, quamuis ea, quod ad rē ipsam attinet, doceamus abesse. Quare vel ab istis excusationibus abstineat ipse quoque, vel eas ipsas nobis etiam permittere ne grauetur.

OBIECTVM CCXLVIII.

OBIICITVR ex Fulgentio ad Thrasymundum Regem lib. 2. Vnus, inquit, idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex patre: vnus idemque secundum humanam substantiam: absens cœlo, cum esset in terra: & derelinquens terram, cum ascendisset in cœlum. Secundum diuinam verò immensamque substantiam, nec cœlum dimittens, cum de cœlo descenderet: nec terram deserens, cum in cœlum ascenderet.

GARDINERVS.

EXPLICAT & hic naturam hominis in Christo: quæ verè localis est, non vbique diffusa.

MARTYR.

PRimùm fatetur, *naturam Christi humanam localem esse, nec vbique diffusam, qualem scimus esse diuinam.* Atque hac quidem in re ego illi nonnihil gratulor, quòd videā eum cum Vbiquitistis non conuenire. Verùm ea, quę rectè dixerat, non ita multò post prorsus corrumpit. Ait enim, *naturam in Christo humanam, quòd subiecta sit naturæ diuinæ, illius virtute fieri non localem: cum tamen eadem omnino maneat quæ prius erat.* Ista quid sibi velint, equidē nō intelligo. Nam si eadem est natura, quî potest fieri, vt eodem tempore simul & localis sit, & nō localis? Si Fulgentius hūc sensum in animo habuisset, non ita parum facūdus erat, quin vt ita posset dicere. Sed mihi credē, tuę istę sunt, Inconstanti, fictiones. Nos quidē, quod ille simpliciter, & apertè dicit, accipimus tanquā Orthodoxū, & Catholicū: ea verò quę tu cōminiscēris, quoniam nec ex isto, nec ex alio quoquam Patre probari possunt, vt aliena & spuria repudiamus.

Aequè absurda est altera etiam stropha, quā reperit. Ait enim, *quæri hoc loco de vsu naturæ secundum diuinam virtutem: non autem de naturæ ipsius terminis, & proprietatibus: quæ non sit fas Dei virtuti opponere.* Audacia istorum hominum, quantū video, tanta est, vt non dubitent humanā Christi naturam suis terminis, & proprietatib. spoliare. Impudentiam autem suam hoc videlicet

panno velare voluit, quòd non sit fas opponere ista potentiæ Dei. Potentiam quidem Dei nos quoque celebramus laudibus, quantis maximis possumus. Interim tamen scimus, esse quædam, quæ non vitio aliquo potentiæ Dei, sed sua ipsorum natura fieri non possint. Numerum enim binarium ita necesse est esse parem, vt nulla vi, aut potentia fieri possit impar. Nec fieri vnquam potest, vt quisquam eodem tempore & sit homo, & careat facultate rationis. Accidentia quidē aliqua non dubitamus à suis subiectis auferri posse. Alia autem quædam ita cum rei ipsius natura coniuncta sunt, vt tolli ab ea absque eius exitio non possint. Quale est in humano corpore, Locale esse, & figuram ac terminos suos retinere. Qua de re hic prolixius dicendum non est. De ea enim suprà dictum est satis. Quod autem Inconstantius addit, *Christū corpore suo per ianuas clausas penetrasse*, id ad istam fictionem confirmandam, vim prorsus nullam habet: quemadmodum iam antea fusè docuimus.

Concludit autem, *intempestiuum esse, arguiri de humana Christi natura, quomodo ea sit in sacramẽto, quidq; per naturam possit fieri. Hic enim potius quæri, quid vi, & potentia diuina possit fieri.* Rectè. Sed hac eadem ratione etiã Eutychiani vti possent. Dicerent enim humanam Christi naturã post Ascensionem in cœlum per potentiam Dei potuisse mutari in naturam diuinam. Et intempestiuum iam esse, quærere, quid possit per naturam fieri, cum quæstio sit de potẽtia Dei. Videa, Inconstanti, quàm stultum & periculosum sit, quod vos semper facitis, argumenta ducere à diuina potentia? Datur quidem vi diuina rectè cõmunicantib. in Cœna domini corpus Christi: sed ea via, & ratione datur, vt ne tollatur, aut perimatur eius natura. At ea certè salua esse non potest, si simul, & eodem tempore in infinita loca distrahatur.

OBIECTVM CCIL.

OBIICITVR ex eodem Fulgentio libro tertio. Idem atque inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulchro surrexit: idem atque inseparabilis Christus secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens, ad cœlum ascendit, & in dextris sedet: secundum eundem totum hominem venturus ad iudicandum viuos & mortuos, coronaturus fideles & pios.

GARDINERVS.

QVOD Christum dicit terram localiter deserere, in vno illo verbo, Localiter, antidotum defert.

MARTYR.

INconstantius existimat, Fulgentiũ idcirco addidisse aduerbiũ illud Localiter, quòd prouidere voluerit, ne cętera illa sua verba nocerent causę Euchar. Ibi. n. corpus Christi adesse, nõ localiter, sed in mysterio. Verũ, cũ ista commẽtatur, malè profectò assequitur consilium Fulgentij. Is. n. idcircò ita loquutus est, quòd Christus, quod attinet ad naturam diuinam, quę localis nõ est, terrã nunquã deseruerit. Ea enim vbiq; est, & per omnia diffunditur. Itaq; cum Christus adesse nõ possit carne, nisi adsit localiter, idcircò Fulgẽtius dixit, eum localiter terras deseruisse: quod aliud nõ est, quàm vnà cũ corpore & carne è terris discessisse. Nõ ergo rationem habuit Eucharistiæ, cum illa scriberet: sed contra Eutychetem coniuratũ & fratrem vestrum pugnare voluit. Nã si, vt ille dicere solebat, natura humana conuersa fuisset in diuinam, Christus nullo modo dici posset abijsse à terra. Caro enim in diuinitatem conuersa iam citra controuersiam vbique esset.

Eutyches coniuratus & frater aduersariorum.

Huc addit Inconstãtius, modũ illũ, quo corpus Christi sit in mysterio, abditũ, & arcanum esse, vt qui sola, & pura, & inexquisita fide comprehẽdi possit. Quòd si modus iste ita arcanus est, & comprehendi nõ potest, nisi per fidẽ, cur tu illũ ita audacter definis? cur illud affirmas adesse per præsentiam realẽ, corporalẽ, substãtialem? Certè arcanũ nõ est, quod ita potest definitè affirmari. Deinde etiã monuit nos Apostolus, Fidẽ ex auditu esse: auditũ per verbũ Dei. Quare istam suã tam reconditã, & arcanã præsentiam ostẽdat nobis Inconstantius aliquãdo ex verbo Dei: & vicerit. Interea autem, dum id efficiet, modum illũ fide apprehendi, & percipi, non euincet. Verũ quò magis perspicuè locus Fulgentij intelligatur, quoque magis videamus, quo pacto ille statuat, Christũ vel adesse nobis, vel à nobis abesse, operæprecium erit illũ totũ, quemadmodum habet libro secundo, subijcere. Nam in proxima superiori Obiectione Inconstantius verba illa, vt solet ferè omnia, mutila tantùm, & truncata proposuit. Sic ergo scribit Fulgentius. *Vnus, idemq; homo localis ex homine, qui est Deus immensus: vnus, idemq; secundum humanam substantiam absens cælo, cum esset in terris: & derelinquens terram, cum ascendisset in cælum: secundum diuinam verò immensamq; substantiam nec cælũ dimittens, cum de cælo descenderet:* Hæc omnia rettulit Inconstantius. Sequitur aũt: *Quod ipsius domini potest certissimo cognosci sermone: qui, vt locum ostenderet humanitatem suã, dixit Discipulis suis, Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum. Deum meum, & deum vestrum. De Lazaro quoque cum dixisset, Lazarus mortuus est, adiunxit dicẽs, Et gaudeo propter vos, vt credatis: quoniam non eram ibi. Immensitatem verò suæ diuinitatis ostendens suis discipulis, dicit: Ecce ego vobiscum sum omnib. diebus vsque ad consummationem*

Sacramentum Eucharistiæ imago Christi.

ſummationem ſeculi. Quomodo aſcendit in cælum, niſi quia localis, & verus eſt homo? Aut quomodo aſcendit in cælum, niſi quia localis, & verus eſt? Aut quomodo adeſt fidelibus ſuis, niſi quia idem immenſus, & verus eſt Deus? Hæc verba luculenter teſtantur, qua ratione Chriſtus nobis adſit. Non ait Fulgentius, eum adeſſe nobis per arcanam, & ſubſtantialẽ præſentiam in Euchariſtia, quod quidẽ ad carnem attinet, ſed per immẽſam diuinitatẽ. Abeſſe autem eum à nobis dicit per humanitatem. Eam enim, cum ſit localis, non poſſe in immenſum diffundi, aut per infinita loca vagari.

OBIECTVM CCL.

Obijcitur ex Gelaſio aduerſus Eutychetem. Is enim ſcribit, in Sacramento Euchariſtiæ ſubſtantiam & naturam panis eſſe non deſinere. Et collationem facit inter hoc Sacramentum, & Chriſtum: in eo enim ait ſaluam manere vtranque naturam, & diuinam, & humanam: quemadmodum in Euchariſtia manet & natura panis, & corpus Chriſti.

GARDINERVS.

GELASIVS id agit argumento ab Euchariſtia ducto, vt oſtendat in Chriſto nullam naturarum confuſionem, ſed in ſuæ naturæ finibus eas manere.

MARTYR.

QVoniam Inconſtantius verba ipſa Gelaſij huc transferre noluit, iudicaui fore ex vſu Lectoris, ſi ego ea huc adſcriberem. Contra Eutychen ergo ſub finem libri ita loquitur: *Certè Sacramenta, quæ ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti, diuina res eſt: propter quod & per eadem diuinæ efficimur conſortes naturæ. Et tamen eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura panis & vini. Et certè imago, & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur. Satis ergo nobis euidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo domino Chriſto ſentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & ſumimus: vt, ſicut in hanc, ſcilicet, diuinam tranſeunt, ſancto ſpiritu perficiente ſubſtantiam, permanent tamen in ſuæ proprietate naturæ: ſic illud ipſum myſterium principale, cuius nobis efficientiam veritatemque veraciter repræſentant, ex ijs quibus conſtat propriè permanentibus, vnũ Chriſtum: quia integrum, verũq; permanere demonſtrant.* Hæc Gelaſius: ex cuius verbis Inconſtantius peperit nobis duo monſtra. Primum enim ait, *illum ſtatuere Tranſubſtantiationem: deinde ſubſtantiam & naturam panis & vini manere, ac retineri per ſubſiſtentiam accidentiũ.* Hæc ego monſtra eſſe dico. Nihil enim in illis eſt naturæ & rectæ rationi conſentaneum. Primum enim quî tandem poteſt Gelaſius conſtituere Tranſubſtantiationẽ, ijs præſertim verbis quibus ijſdem dicat, ſubſtantiam, & naturam panis & vini retineri? Et certè niſi ſubſtantia illa re ipſa retineatur, nihil poteſt contra Eutychetem concludere. At ille ducit à re certa & vulgo etiam nota Argumentum. Euchariſtia, inquit, retinet priſtinam ſubſtantiam panis & vini: ea autem eſt imago Chriſti: Ergo Chriſtus retinet naturam, & ſubſtantiam ſui corporis. Cur hic non videt Inconſtãtius, Theodoretum quoq; contra eundem Eutychetẽ argumentatum eſſe eodem modo à Sacramento Euchariſtiæ? Profectò cũ Gelaſius Epiſcopus Romanus in opugnanda illa hæreſi prorſus inſiſtat eadem via, non debuit Sophiſta noſter ita temerè clamare, Theodoreti rationem contemnendam eſſe, & futilẽ: aut eum authoritate ſua ſola, non autem argumenti pondere hæreticos abegiſſe. Hic enim videmus, Gelaſium vti eodẽ argumento. Sacramentum Euchariſtiæ appellat imaginem Chriſti: non autem Chriſtum ipſum. Idq;, quo magis intelligatur, bis etiam repetit. Quare, cum conſtet, imaginem oportere ſimilem eſſe ei rei, quam adumbrat, adiecit propoſitionem minorem: Atqui panis in Euchariſtia ſubſtantiam ſuam, & naturam priorem retinet: Ergo Chriſtus in cœlo retinet ſubſtantiam ſui corporis. Quid hoc argumento clarius, aut euidentius afferri poteſt?

Sacramentum Euchariſtiæ imago Chriſti.

Imò, inquit Inconſtãtius, *Gelaſius ait, panẽ & vinum tranſire in diuinam ſubſtantiam*: ideoque ipſius Gelaſij teſtimonio contendit fieri mutationem ſubſtantiarum. Id autem non eſſe aliud, quàm Tranſubſtantiari. Illud autem verbum, mirum eſt, quantum Sophiſtæ noſtro homini delicato placeat. Ita enim illud mangonizat, vt haberi etiam velit iam, ſi Deo placet, propemodum pro Latino, Quemadmodũ enim Latinè dicitur, Tranſnominare, quod nihil ſit aliud, quàm nomen vnum pro altero ſubſtituere: ita etiam, Tranſubſtantiari, aptiſſimum verbum eſſe, quo ſignificetur, ſubſtantiam aliam pro alia ſurrogari. O acutum & ſubtilem Grãmaticum. Puto equidem eum iſta vel ab Alexandro, vel à Mammotrecto magiſtro didiciſſe. Huc tamen ille, non inſcitia deducitur, ſed furore potius, & ſtudio agnitæ veritatis oppugnandæ. Quod Gelaſius dicit, panem & vinum tranſire in diuinas ſubſtantias, id quemadmodum fiat, Theodoretus docuit: nimirum, mutatione nominum: quod ea iam appellentur corpus & ſanguis Chriſti. Hanc tranſitionem Inconſtanti, Gelaſius annotauit, non autem portentoſam illam veſtram Tranſubſtantiationem. Et profectò, niſi ſic ſentiret, pugnaret ipſe ſecum. Nam, ſi panis prorſus abijciatur, eius natura & ſubſtantia, quod anteà affi[illegible]uerat, non retinetur. Denique, niſi ita eſſet, non ille oppugnaret Eutychetem, ſed defenderet. Id enim concluderet, quod Eutychiani maximè affirmabant, humanam Chriſti naturam totam iam abijſſe in diuinam.

Alterum monſtrum eſt, quod ait, *Subſtantiam panis retineri, nihil aliud eſſe, quàm accidentia ſubſiſtere ſine ſubiecto.* Talia enim portenta Papiſtæ non imaginari tantum audent, ſed etiam

venditare. Quá autē impudēter, atque improbè mentiātur, desino pluribus exagitare. Sed esto: sit sanè ita, vt volūt. Quid aptius vnquá, aut cōmodius potuissent pro Eutychete fabricare? Eutyches enim facilè dabit, humanam Christi naturam, quod ad accidentia, proprietates, figuram, lineamenta attinet, adhuc manere: carnem autem & naturam humanam omninò in A diuinam naturam transijsse. Quid hīc Gelasius agat? Quid Theodoretus? Confutati, scilicet, abibunt: nisi doceant, & defendant in Eucharistia naturam, & substantiam panis & vini verè, & propriè retineri. Sit Sophista noster Chamæleon, Empusa, Proteus: mutet se in quascunque velit species: tamen ex istis Gelasij & Theodoreti sentētijs nunquam se poterit explicare.

OBIECTVM CCLI.

OBIICITVR ex Vigilio libro primo contra Eutychen. Dei filius, inquit, secundum humanitatem suam recessit à nobis: secundum diuinitatem suam ait nobis: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

GARDINERVS.

VIGILIVS vt Eutychen confutaret, necesse habebat, vtranque in Christo naturā suis finibus circumscribere.

MARTYR.

MVltum debet Vigilius isti nostro. Hic enim eum egregiè excusat, quod in certamine, quod habebat cum Eutychete, nimis præcisè loquutus sit de humana natura in Christo. *Eam enim, etsi propter vnionem cum verbo non desierit esse humana, tamen supra humanam naturā multas alias præclaras habuisse dotes. Etenim Christum etiam dixisse de carne sua, Eam non prodesse quicquam, eamque sententiam verissimam esse, vtpote ab ipso fonte veritatis profectam. Eundem tamen confessum esse, eam ipsam carnem propter ineffabilem vnionem cum spiritu, verè esse cibum, atque adeò vitalem. Multum ergo interesse, vtrum naturam humanam in Christo propriè consideres, an eius cōditiones, & dotes, quatenus assumpta est à verbo Dei, spectes: Ibi enim iam nos Dei virtutem, non hominis naturam contemplari.* Hæc distinctio & Orthodoxa est, & necessaria: ideoque repudiari non potest. Quis enim dubitet, naturam humanam, quæ cum verbo Dei coniuncta sit, longè alias habere, & infinitis partibus ampliores prærogatiuas, quàm aliam quamuis communium hominum? Nam caro cuiusuis hominis, quantumuis sancti, apprehensa fide, si tamen id posset fieri, nec vitam nec sanctitatem aliquá adferre posset: quæ tamen nobis Christi caro, cum eadem sit Dei caro, opulētissimè confert. Rectissimè ergo Christus de carne sua dixit, eam nihil prodesse: idq; duplici nomine: Primùm si intelligeretur esse caro hominis puri, ac simplicis, quemadmodum eam Capernaitæ esse arbitrabantur: deinde, si concisa, & comminuta in fusta ore, ac dentibus comederetur. Illi enim non alia ratione carnem Christi comedi posse somniabant. His, inquá, rationibus caro ipsa Christi nihil comedentibus profuisset. At eadem cum sit Dei caro pro nostra salute in mortem data, si fide, spiritu, atque animo comedatur, & verè transfundit æternam vitam in credentes, & illos ad eam nutrit, & instaurat.

Quomodo caro Christi non prosit.

Hæc inquam, omnia, etsi sunt vera, tamen si ad hoc negotium accommodentur, nihil momenti adferunt. Vigilius.n. cū aduersus Eutychetem de humana Christi natura disputaret, non de ea præcisè loquebatur, vt ait Inconstantius: sed ita eam spectabat, vt erat cum diuinitate coniuncta. Nam alioqui ad expugnandum illum hæreticum nihil promouisset. Eutyches enim Vigilij, vel potius Inconstantij argumētum ita excepisset: Potuit quidem humana natura transire in diuinitatem: non tamen, quatenus erat natura hominis puri, ac simplicis, sed quatenus erat coniuncta cum verbo Dei: & quatenus alijs plurimis prærogatiuis & dotibus iam inde ab initio ornata fuerat. Quid hic faceret Vigilius? Quid, nisi vt confusus, & perturbatus æstuaret? Nam quemadmodum Inconstantius ait, cārnem domini propter illam vnionem, & coniunctionem, quam habet cum verbo, cum sit in cœlo, esse eodem tempore in terra: ita Eutyches eodē iure dicere posset, ex ijsdem causis illam potuisse in diuinitatem sibi coniunctam, & vnitam commutari. Vigilius ergo considerauit humanam Christi naturam, vt coniunctam cum diuina: non autem, vt iste cogitat, præcisè de ea & seorsim loquebatur. Ostendit enim eam etiam post vnionem tamen distinctam omninò manere à natura diuina. Diuinam enim simul & in cœlo, & in terris esse: humanam non esse. Atque hoc argumento necesse est, vt hæreticum iugularit.

Sed pergamus porrò. Putat Inconstantius, Vigilium ad hunc modum argumentari: *Si natura illa, quam Eutychiani vnam in Christo volunt, humana est, iam loco concluditur ipsa diuinitas. Nam, loco concludi, proprium est naturæ humanæ: sin illa diuina natura est, iam humanitas vbique diffunditur: quod æquè absurdum est atque alterum.* Atqui, quemadmodum ex ipsis verbis clarissimè ostendam, vis argumentationis Vigilij non eo nititur, quod iste dicit: sed eo potius, quòd natura humana non possit simul, & eodem tempore recipere oppositā: nimirum, Esse in terra, et non esse in terra: Esse in cœlo, & non esse in cœlo. In hæc enim Vigilij analysis terminatur. Nunc tamen fingamus saltē ita esse, vt iste fingit. Accipio, quod dat: id videlicet esse propriū humanę naturę, vt cōcludatur loco, eoq; etiá certo, & vno. Cū ergo ita sit, cur tandē vos fingitis corpus Christi esse in Eucharistia absq; loco? Cur illud per omnes partes orbis terrarū simul, & eodē tempore esse statuitis? Hoc, mihi crede, Inconstanti, nō cōstare sibi. Lōgè, lōgeq; aliter loquitur Vigilius: quēadmodum postea videbimus.

Miror

Miror verò istum hoc sibi ad extremum permittere, vt ita scribat: *Humanam Christi naturam posse ibi esse virtute Dei, vbi secundum naturæ suæ proprietatem esse non possit.* Quid ista sibi volunt? Si ea, salua natura humanitatis, non potest simul & in cœlo esse, & in terra, an id diuina aliqua virtute assequetur? Minimè sanè. Ita enim diuina virtute humana natura perimeretur. Eius enim ita proprium est teneri vno aliquo certo loco, vt, si secus fiat, rationem humani corporis seruare non possit. Verùm ista Inconstãtius pro nihilo putat. Tanti scilicet Transubstantiationem, & realem illam præsentiam suam facit. Potiúsque multò Christum ipsum euerti, & tolli patietur, quàm vt in absurdissimis istis, & stupidissimis fictionibus, se quicquam errasse cõfiteatur. Cæterum, quò ea, quæ diximus, planius intelligantur, verba ipsa Vigilij subijciam. In 1. lib. contra Eutychetem sic habet: *Dei filius secundum humanitatem suam recessit à nobis: secundum diuinitatem suam ait nobis: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Hic ait, Christum & adesse nobis, & à nobis recessisse. Adesse quidem nobis natura diuina, recessisse autem humanitate.* Addit Vigilius: *Quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit, nec deseruit diuinitate sua. Per formam enim serui, quam abstulit à nobis, in cœlo absens est à nobis: per formam Dei, qua non discedit à nobis, in terris præsens est nobis: tamen & præsens, & absens vnus, idemq; est nobis.* Hæc ita sunt perspicua, vt qui in illis lumen, aut doctorem desideret, aut fatuus, aut ex pertinacia furiosus videri possit. Cum autem Vigilius affirmat, vnum, eũdemq; Christum secundum humanam naturam & discessisse, & abesse à nobis, apparet, illum non ita præcisè in Christo humanam naturam considerasse, vt eum videri vult Inconstantius, sed eam vnà cum diuinitate coniunxisse. Ait enim, *eundem Christum per humanitatem abesse à nobis, qui nobis per diuinitatem semper adsit.* sed idem in lib. 4. ita scribit: *Si verbi & carnis vna natura est, quomodo cum verbum vbique sit, non inuenitur vbiq; & caro? Nam, quando in terra fuit, non erat vtiq; in cœlo: et nunc, quia in cœlo est, nõ est vtiq; in terra: & in tantum non est, vt secundum ipsam expectemus Christum de cœlo venturum, quem secundum verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum vos aut verbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum verbo vbique est: quoniam vna natura contrarium quid, aut diuersum non recipit in se ipsa. Diuersum est autem, & longè dissimile, Circumscribi, & Vbique esse. Quia verbum vbique est: caro autem eius vbique non est: apparet, vnum eundemq; Christum non eiusdem esse naturæ: & esse quidẽ vbique secundum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundum naturam humanitatis suæ: creatum esse, & initium non habere: mortí subiacere, & mori non posse.* In hac tanta verborum luce ego nihil aliud annotabo, nisi id, quod quiuis facilè potuisset etiam sine monitore intelligere, Vigilium resoluere argumentum suum in hoc principium: Eandem rem & naturam non recipere in se opposita: qualia sunt, Esse vbique, & teneri loco: Esse creatum, & non habere initium: Esse mortale, & non mortale. Quare cum ista dicantur de Christo, idque simul & eodem tempore, necesse esse, eum non vnius esse naturæ, sed diuersæ: easque naturas cum sint in Christo saluæ, & integræ, proprietates suas retinere saluas & integras. Quod nisi detur, Vigilij ratio prorsus concidit.

OBIECTVM CCLII.

OBIICITVR ex Bernhardo in Cantica Canticorũ, Ser 33. Habeo, inquit, & ego Verbum, sed in carne: & mihi apponitur Veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo satiatur grano. Me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, literæ palea, velamine fidei: Et hæc talia sunt, quę gustata afferunt mortem, si non de primitijs spiritus quantulumcunque acceperunt condimentum: mors mihi protinus in olla, nisi de Prophetę farina dulcoretur. Et mox: At quantalibet sanè abundantia pinguescunt ista, non pari omnino iucunditate sumitur cortex, Sacramenti, & adeps frumenti: fides, & spes: memoria, & præsentia: æternitas, & tempus: vultus, & speculum, imago Dei, & forma serui. Hic vides apertè, Bernhardum antithesin facere inter memoriam, & præsentiam.

GARDINERVS.

SVAVISSIMA est hæc Bernhardi meditatio, viam, & patriam conferentis: sed ita, vt in ipso ingressu fateatur de Eucharistia Catholicam doctrinam.

MARTYR.

EA, quæ Incõstãtius cõmemorat de consilio Bernhardi, facilè recipimus: nimirũ, id illum agere, vt inflãmet Lectores desiderio futuræ vitæ. Id autẽ ipse aptissimè facit ex collatione donorũ huius vitæ, cũ illis donis, quib. cumulabimur in patria. Verùm hîc longè fallitur Incõstantius, quòd putet Bernhardũ statuere realẽ præsentiã corporis Christi, cũ ita scribat: *At mihi apponitur Veritas, sed in Sacramẽto.* Sed caput huius erroris est, quòd iste arbitratur, nullã esse veritatẽ Sacramenti, nisi res ipsa in eo præsens realiter constituatur. Est autẽ ista stupidissima hallucinatio. Veritas enim Christi, & eius humanæ naturæ & carnis, & sanguinis, & mortis eius, & resurrectionis, in verbis ipsis, & sermonibus diuinarũ scripturarum verissimè continetur, etsi nemo ita insaniat, vt ea ibi præsentia realiter esse putet. Veritas quidẽ Eucharistiæ citra controuersiã attribuẽda est Sacramento: partim quòd significatio eius nõ sit va-

ria, aut cõmentitia, vtpote à Christo ipso autho re, non ab hominib. instituta: partim etiã, quòd non fictũ corpus, sed verũ, & certum significet: quod Christũ verũ, & naturale habuisse, Hæreti ci negabãt. Cum ergo Bernhardus dicat, nobis quoq; apponi veritatẽ, sed in Sacramẽto, quid hic potest Inconstãtius certò colligere, vnde sta tuat suã illã realẽ prẽsentiam? Quasi non etiam in Euangelijs, & in Apostolorũ epistolis Veritas ipsa nobis humanæ Christi naturæ propo natur. Et quid tandẽ aliud sunt Sacramenta, quàm verba quẽdã visibilia? Hac aũt in re quã to Angeli nobis sint feliciores, omnes facilè in telligunt. Id enim illi habent præsens, & con spicuum, quod à nobis non nisi per fidem, & in signorum inuolucris cognoscitur.

Quodq́ue in Bernhardo sequitur, *Angelos ve sci nudo grano: nos autẽ oportere contentos esse cortice Sacramenti*, Id Inconstãtius libenter arripit *Idem* inquit, *granum, & à nobis habetur, & ab Angelis: sed non eodem modo. Illis datur nudum: nobis sub cortice, sub velamine fidei, sub palea literæ, sub furfure carnis.* Ait quidẽ Bernhardus, sic nobis apponi Chri stum, vt eũ habeamus sub velamine fidei, & pa lea literæ. Nũc iudicet Lector, vtrum ad id ne cessaria sit realis illa, & cõporalis prẽsentia. Cer tè non est. Nam sine vlla huiusmodi præsentia Corpus Christi & fide percipitur, & in diuinis literis nobis proponitur. *Sed quã, obsecro,* inquit, Inconstantius, *carnem intelligit Bernhardus? cum dicit, sub furfure carnis?* Certè non aliã, quàm car nẽ ipsam Christi, cuius cõmunione participes efficimur diuinitatis. Eam carnẽ appellat furfu rem si cũ diuinitate conferatur. Et in eo Ange lorũ conditionẽ cum nostro statu comparat. Il li enim simplicẽ Dei puramq́; naturã contem plantur. Nos autem Christi diuinitatem non percipimus, nisi inuolutã carne. Neq; fides no stra aliter potest ad diuinã naturã, misericordiã, bonitatem, felicitatem adspirare, nisi per huma nitatem Christi: quæ quasi sequestra quædam posita est media inter nos, & Deũ, quatenus ea cum diuinitate coniuncta est. *Proponitur ergo no bis,* inquit Bernhardus, *Verbũ Deus: verùm sub fur fure carnis.* Neq; refert, siue id in Sacramẽtis fiat, siue in scripturis, siue exercitio solo fidei: siue id olim intelligas factum, cum Christus nobiscũ in terris versaretur Nã tũ quoq; verbum ipsum Dei nisi sub furfure carnis conspici nõ potuit. Et rectè dixit Cyrillus: *Nos, dũ hic viuimus, crassius pascimur.* Aspectu n. Dei, quod vnicũ est animi pabulũ, apertè, & nudè, & sine medio frui non possumus. Nã per filium Dei hominẽ factũ ad ducimur ad patrẽ. Nos ergo libẽter recipimus, quod Bernhardus dicit, & nos, & Angelos ve sci grano. Nos enim, & Angeli mente, atq; in telligentia Deũ Christumq́;, vt nostrũ, illorũq́; summũ bonũ cõplectimur: illi reuelata facie, & summotis omnib. inuolucris id intuẽtur, quod cupiunt: nos verò nõ videmus, nisi per fidẽ: cu ius lumẽ à spiritu sancto in cordib⁹ nostris per verbũ Dei, & vsum Sacramentorum accẽditur. Sed quid ista, quæso, ad realẽ, & corporalẽ præ sentiam? Eam enim vos vultis ore, dẽtibus, pa lato, lingua, faucibus, & vẽtriculo percipi. Por rò varietas, & differentia inter nos, & Angelos satis ex Bernhardi verbis, sine istis vestris com mentis potest intelligi.

Accedit denique Inconstãtius ad pondus i psum argumẽti, quod in eo situ est, quod Bern hardus dicat, nos habere memoriã, Angelos aũt præsentiam V rùm, cum molẽ, & vim horũ ver borũ sustinere nõ possit, ad alienas quæstiones de alijs rebus sese confert. Primùm quærit, *vtrũ Bernhardus pugnet secum, quod attinet ad illa ver ba, quæ iam ex illo citata sunt?* Ego verò respõdeo, illum sibi pulcherimè consentire. *At ille,* inquit Inconstantius, *professus est, in Sacramento proponi veritatem.* Fateor. Sed cuiusmodi illa sit veritas iam dictum est. Adhæc quærit *vtrũ granũ, quo ves scimur sub cortice, sit verum granum.* Quidni? Neq; enim aliũ Deũ, aut Christũ aliũ fide complecti mur, quàm illũ ipsum, in quẽ Angeli intuentur. Idẽ Christus & illos perspicuè cõspectus, beat: & nos per fidẽ, per verba, & Sacramenta pascit. Quærit insuper, *Cur Bernhardus addiderit furfurẽ carnis.* Nõ est difficile respondere: nimirũ quòd Angeli verbũ Dei, seu diuinitatem Christi sine carne, aut humana natura contẽplentur: quod nos in huius vitæ itinere nõ possumus. Postremò quærit, *Si omnia hic sint in sola memoria, quomo do fateri possimus Christum esse hic secundũ naturã di uinitatis.* Dicam. Agebat eo loco Bernhardus de natura diuina, quatenus ea secum habet vni tam carnem: secundum quam & pati, & mori potuit pro salute nostra. Nam, vt Inconstan tius ipse confitetur, hæc verba trahuntur ad sa cramentum Eucharistiæ, quemadmodum e tiam Bernhardus ipse satis indicat. Quod au tem ad hanc Christi partem attinet, habemus eius memoriam: non quidem puram, nu dam, simplicem, vt iste Sophista semper garrit: sed cum omnibus eius effectis, donis, fructi bus, ac meritis: modo ad sacram illam Cœnam cum vera, & viua fide accedamus. Proinde me moria, cuius Bernhardus meminit, ad carnem & sanguinem domini referenda est, quæ duo cum passione ac morte commercium habere potuerunt, & ad Eucharistiæ sacramentum pertinent. Quare Inconstantius de natura di uina frustra quærit.

Postremò iste, cum ea, quæ commemo raui, per longas ambages circunduxisset, cœ pit implorare tropum, quo sese aliquo saltem modo tueretur. *Hæc,* inquit, *præsentia, si cum ea conferatur, quam expectamus, non est præsentia, sed po tius quædam memoriæ refricatio. Qua, inquit, eadem ratione ibi dicimur quandoque à Patribus, nominatim ab Ambrosio in Psalm. 38. habere imaginem: quod non ita accipiendum est, quasi re ipsa destituamur: sed ex vi collationis. Nostra enim ista, quibus iam fruimur, si ad illa conferantur, quæ expectamus in patria, ita tenuia, & obscura sunt, vt vmbræ atque imagines appellari possint. Putat ergo, Bernhardum cùm omni studio, atq; animo ferretur ad futura, extenuasse præsentia: & illud, quod inferius erat, verbo imminuisse, vt id, quod susceperat amplificandum, magis emineret.* Ad hęc ego tria respondeo: Primùm, oportuisse in

ſonſtantium maiore religione ſibi à tropis temperare: præſertim cum eos tanta rabie inſectari ſoleat in alijs. Deinde, vix eſſe credibile, ſanctũ illum virum Bernhardum, vt amplificationi ſuę inſeruiret, apertè mẽtiri voluiſſe. Poſtremò, ſi id forte exemplo aliquo excuſari, aut leniri poteſt, quod equidem non prorſus inficior, tamen oportere Inconſtantium pro ſua æquitate, quod ipſe ſibi ita liberè vſurpat, id nobis quoque aliquando permittere. Sunt enim quędam Patrum loca violentiora, quæ omninò ſine tropis non poſſe ſatis commodè intelligi iudicamus. Illi autem ita loqui voluerunt, vt homines ad amorem, vſum, & reuerentiam huius ſacramenti magis excitarent. Hoc ſi nos interdum de Patribus reſpondemus, non poſſumus iure ab Inconſtantio reprehendi. Nam ipſe quoque A fatetur, Bernhardum hoc loco intelligi nõ poſſe ſine tropo. Quamuis autem Bernhardus idẽ ſcribat in Sermone de diuo Martino, *veram ſubſtantiam carnis Chriſti etiam nunc adeſſe nobis*: tamẽ adiecit, *In ſacramento*: & paulo ante dixerat, *eam non carnaliter, ſed ſpiritualiter exhiberi*. At cur nõ bis minus liceat, iſta excuſare per tropum, quã Inconſtantio ea, quę nos modo citauimus? Neque certè nos præſentiam fidei, vnquam inficiati ſumus. Poſtremo, ſi hoc etiam diceremus, B Bernhardum de hoc negotio non rectè ſenſiſſe, quod omnia illa tempora ſuperſtitionibus & tenebris eſſe vt mirabiliter offuſcata, quis meritò poſſet de nobis conqueri? Iſta autem verba, quæ hic citata ſunt à nobis, nemini ea diligenter conſideranti dubium eſſe poteſt; pro noſtra ſententia apertè facere.

Bernhardus, vt ſua tempora fuerunt, multis inuolutus eſt ſuperſtitionibus.

OBIECTVM CCLIII.

Obijcitur ex eodem Bernhardo in Sermone De Cœna domini. Vtitur ſimili de annulo, quo accipitur vel fides coniugalis, vel poſſeſsio alicuius dignitatis. Vt in ordinandis epiſcopis annulus, pedum, aut infula, ſigna ſunt rerum traditarum, eaq; non vana: certiſsimè enim ea largiuntur, quæ ſignificant. Illud idem Bernhardus fieri oſtendit in Sacramentis.

GARDINERVS.

BERNHARDVS hoc agebat, vt fidem habeamus ſacramentis, tanquam certiſsimis ſignis.

MARTYR.

PVtat, Bernhardum illis verbis duo docere voluiſſe. Primum, Sacramenta maiori certitudine conferre ea, quę ſignificant, quàm C illa quæ ab hominibus inuenta ſunt. Deinde, ſimilitudines iſtas non eſſe adhibitas à Bernhardo, vt doceat, nihil amplius eſſe rei nobis conferendæ in ſacramentis, quàm in ijs ſignis, quæ commemorat, earum rerum, quæ nobis per illa contingant. Hæc ille. Sed hoc ego vehementer ex iſto ſcire velim, cùm Aqua Baptiſmi, qua fideles tinguntur, Sacramentum ſit inuiſibilis gratiæ, & nouæ regenerationis in Chriſto, vtrũ plus iſtarũ rerũ putet in aqua re ipſa contineri, D quã fidei, poſſeſsionis, dignitatis vel in annulo, vel in pedo, vel in infula clauditur? Si affirmat, videbitur deſipere; & delirare: ſi negat, qd cauſę eſt, cur nobis ita acerbè ſuccẽſeat, qui iſta ſimilia Bernhardi pro nobis faciẽtia in medium adducimus, præſertim cum ab eo Patre ibidem Euchariſtici ſacramenti diſerta fiat mentio?

Sed repetit, & inculcat, Bernhardũ de præſentia reali carnis Chriſti in Euchariſtia apertiſsimè ſcripſiſſe in Sermone de Diuo Martino. E Illum nos locum ſatis iã in ſuperiori Obiectione expoſuimus. Non tamen abs re erit opinor, ſi illa verba Bernhardi, quibus noſtrum argumentum conſtat, ſubijciamus. Ea autem ſic habent: *Sacramentum dicitur ſacrum ſignum, ſiue ſanctum ſecretum. Multa enim fiunt propter ſe tãtum, alia vero propter alia deſignanda: & ipſa dicuntur, & ſunt ſigna. Vt .n. de vſualibus accipiamus exẽplũ, datur annulus abſolutè propter annulum, et eſt nulla ſignificatio: & datur ad inueſtiendum de aliqua dignitate, aut hæreditate: ita, vt iam dicere poſsit, qui accepit, Annulus non valet quicquam: ſed hæreditas eſt, quam quærebã. In hunc itaq; modum appropians paſsioni dominus, de gratia ſua curauit inueſtire nos, vt inuiſibilis gratia ſigno aliquo viſibili præſtaretur. Adhæc inſtituta ſunt omnia ſacramenta: ad hæc Euchariſtiæ participatio: ad hæc pedũ ablutio: adhæc deniq; ipſe Baptiſmus.* Et mox *Sicut .n. in exteriorib. diuerſa ſunt ſigna, et, vt cœpto immoremur exẽplo, variæ ſunt inueſtituræ, ſecundũ ea, de quib. iudicamur: verbi gratia, inueſtitur Canonicus per librũ, Abbas per baculũ, Epiſcopus per baculũ & annulũ ſimul: ſicut in huiuſmodi rebus eſt, ſic & diuiſiones gratiarum diuerſis ſunt traditæ ſacramentis. Quæ eſt gratia, vnde per Baptiſmum inueſtimur? Vtique purgatio delictorum.* Nemo tam hebes eſt, opinor, qui non facilè videre poſsit, ſimilia iſta Bernhardi, & rationes, quibus ea perſpicuè applicat ad ſacramenta, noſtrã doctrinam certiſsimè confirmare. Vnum tantum ſupereſt, quod mihi Lector admonendus eſt, quodque ſuperius non ſemel notaui, Sermonẽ illũ Bernhardi, De Cœna domini, qui in volumine Bernhardi iſtũ ſequitur, vnde verba illa ſuperiora adducũtur, re vera non eſſe Bernhardi. Ego .n. ipſe in Gallica impreſsione meis oculis vidi, alterius cuiusdã nomen illi Sermoni prefigi. Hoc autem idcircò moneo, quòd ibi ſciã multa circũferri abſurda.

OBIECTVM CCLIV.

Obijcitur ex eodem Bernhardo: In hunc itaque, inquit, modũ appropians paſsioni dominus, de gratia ſua curauit inueſtire ſuos: vt inuiſibilis gratia ſigno aliquo viſibili præſtaretur. Ex eodem loco.

GARDINERVS.

QVOD est in Eucharistia visibile, signum dici, exploratum est.

MARTYR.

HAnc sententiam Bernhardi suprà recensui. In ea tamen, quantumuis perspicua, Inconstãtius, vt solet, cauillatur. Primum fatetur, *id, quod est in Sacramẽto visibile, signum esse.* Pudet illum dicere, accidentia panis & vini esse signa: cum tamen per illud visibile, nihil aliud intelligi velit, quàm accidentia. Deinde addit, *Bernhardum per Inuisibilem gratiam intelligere veram præsentiam corporis domini.* Idque putat, se satis probare posse ex eo, quod Bernhardus gratiam illam appellat inuisibilem. Eam enim vocem alioqui fore otiosam. Omnes enim satis intelligere, gratiam esse inuisibilem. Hoc ego ambiguum non habeo: verba enim ipsa id testántur, Bernhardum, cum dicat, dominum in extremo illo tempore vitæ suæ curasse, vt suos inuestiret de gratia, manere in proposita similitudine de annulo, libro, & baculo: quibus in rebus quiuis facilè intelligit, quomodo ea possint, quæ significantur, contineri. Nullo autem certè alio modo possunt, nisi per significationẽ. A

An verò vox illa, *Inuisibilis*, redundatura, & superuacanea futura sit, Inconstantius viderit. Mihi sanè non videtur. Imò ne Scholasticis quidem. Illi enim penè omnes definiunt, Sacramentum, esse inuisibilis gratiæ visibile signum. Quod ab illis non ita insulsè dici, vel ex eo satis liquet, quòd nõ omnia spiritualia dona sint insensibilia, vt Incõstãtius nobis objcit. Gratia .n. sanationis, & gratia linguarũ, & aliæ similes oculis percipiũtur & sensu. Quare cũ Bernhardus gratiã illã, quæ adscribitur Sacramẽtis, cõtrahere voluerit ad illud genus gratiæ, quod videri nõ possit, eam non ineptè appellauit Inuisibilem. Bernhardũ autẽ per gratiã illam inuisibilem significasse Christũ sub accidentibus latitantem, id nobis oportuit Inconstãtium nostrum aliquanto constantius confirmare: quod quia non fecit, irasci nobis non debet, si nos eum id ne potuisse quidem facere existimemus. B

Definitio à Scholasticis data de Eucharistia.

OBIECTVM CCLV.

Objcitur ex Bertramo in libello De Corpore & Sanguine domini. Ait enim de symbolis, ea, quod ad substantiam creaturarum attinet, idem esse post Consecrationem, quod fuerunt antea.

GARDINERVS.

BERTRAMVS, siue quis alius fuerit author eius operis quod sub illius nomine fertur, callidus fuit, & impudens hæreticus.

MARTYR.

QVis in isto homine tantam insolentiam possit ferre, qui virum & antiquum, & in primis eruditum, tantùm quòd cum ipso non sentiat, tam contumeliosè accipiat? Non enim recens est author Bertramus: sed Bernhardo ipso, quem Inconstantius tantopere miratur, plus minus trecentis annis antiquior. Vixit enim sub Carolo fratre Lotharij Imperatoris: ad quẽ etiam inscripsit librum suũ de corpore & sanguine domini. Neque sanè vnquam ante nostra tempora vel impudentiæ, vel hæreseos à quoquam est postulatus. Debebat autem Inconstantius hæreses eius nominatim recitare, aut Concilium aliquod proferre, in quo fuerit aliquando pro Hęretico condemnatus. Abbas Tritemius, cum eum commemorat, non ita de eo mentionem facit tanquam Hæretico, sed eum scriptorem Ecclesiasticum, primùm doctum, deinde non inutilem fuisse ait. Sic enim de illo scribit: *Bertramus presbyter, & monachus, in diuinis scripturis valdè peritus, & in literis secularium disciplinarum egregiè doctus: ingenio subtilis & clarus eloquio: nec minus vitâ, quàm doctrina insignis. Scripsit multa præclara opuscula, de quibus ad meam notitiam pauca peruenerunt, ad Carolum Regem fratrem Lotharij Imperatoris. Scripsit commendabile opus de Prædestinatione: Librum vnum de Corpore & sanguine domini. Claruit tẽpore Lotharij anno domini 840.* Solet Abbas Tritemius, si quos recenseat scriptores Hæreticos, aut ab Ecclesia cõdemnatos, C id Lectorem non celare. Bertramum autem istum, quem Inconstantius tanto supercilio reijcit vt Hæreticum, commendat non tantum à probitate vitę, sed etiam à doctrina. Quid si nos quoq; idẽ faceremus de illis authoribus, quos isti nobis perpetuo obtrudunt? quales sunt Theophylactus, Damascenus, & alij complures eiusdem ordinis? Quas isti Tragœdias non commouerent? Et tamen id multò æquius & rectius faceremus quàm Inconstantius. Illorum enim hæreses vel digito monstrari possunt. D

Verùm hæc alias. Nunc me ad propositum refero. *Symbola Eucharistiæ*, inquit Bertramus, *quod attinet ad substantiam creaturarum, idem sunt post Consecrationem, quòd fuerunt antea.* Si hæc hæresis ita est intolerabilis, vt iste clamat, cur non ante Bertramum damnatur Ambrosius, Theodoretus, Gelasius? illi enim, vti suo loco diximus, idem docent. Et omnino omnes penè patres, vt de sacris scripturis taceã, affirmãt, in Sacramẽto Eucharistiæ manere naturã & substantiã panis & vini. Sed Inconstantius noster expectare debet horrendum iudicium Dei. Is enim non tantum irascitur fratri suo sine causa, sed etiam eum indicta causa condemnat: nec illi tantum Rahã dicit, aut eum appellat fatuum, sed etiam vt Hæreticum execratur. Verum apud illum, quicunque abhorret à superstitionibus & cultibus idolatricis, & piè ac purè Deum colit, est hæreticus. E

FINIS primi Loci de Eucharistia.

LOCVS

LOCVS SECVNDVS
EIVSDEM LIBRI,
IN ORDINE PRÆCEDENTIVM OCTAVVS.

GARDINERVS hunc titulum Secundæ Parti libri præfixit.

Excusio quarundam Regularum, quas non ad eruendam è Dictis Patrum veritatem, sed ad eam euertendam confictas, quidam hostis veritatis edidit, & veluti lata lege promulgauit.

REGVLA PRIMA.

Scriptura sancta alternatione quadã, quod symbolorũ est, solet reb. attribuere: & vicissim, q̃ rerũ sunt, attribuere symbolis. Qua eadẽ ratione & Patres vtuntur: vt sæpe illos videas ita de reb. agere, atq; si de symbolis loquerẽtur: & vicissim ita de symbolis, ac si res ipsas, & significata tractarẽt. Id autẽ potest congruere propter magnã similitudinem, quæ inter illa intercedit ex instituto domini. Augustinus hac de re mentionem facit ad Bonifacium: docet enim nomina in Sacramentis permutari.

GARDINERVS.

NON erit alienũ ab hoc proposito, quod de regulæ vi & natura tradit Iureconsultus, huc adscribere. Regula, inquit, est quæ rem, quæ est, breuiter enarrat: nõ vt ex Regula ius sumatur, sed ex iure, quod est, Regula fiat.

MARTYR.

HActenus Incõstantius contra eos, quos vocat Sacramentarios, simul omnes, omnib. viribus sophisticæ suę dimicauit: nũc verò eadẽ rabie in me vnũ fertur. Tanto aũt me, & tam implacabili odio persequitur, vt professus sit, se Bucerũ, quẽ acerrimè semper oderat, tamẽ prę me amare. Ille videlicet ego sum, quem ab initio inter Sacramentarios, minorem gentiũ hominẽ esse scribit: quẽq; interdũ, cũ libet, ψευδομάρτυρα & falsũ testẽ vocitat. Hic aũt ita i me stomacho sẽ scribit, vt me ne nomine quidẽ meo vnquã appellare velit: quasi me omnino habeat pro eo, qui olim incẽdit Dianæ templũ. Experiar tamẽ, quid isto suo ita perturbato conatu possit. Antea aũt quàm manus cũ illo cõsero, exponã Lectori consilij mei rationẽ. Nolim quisquam cogitet, me aliquãdo scripsisse librũ, quo profiterer, me Regulas aut normas dare velle, ex quibus Patres essent intelligẽdi. Fuisset .n. id laboris propemodũ infiniti: maximè, cũ res, & materiæ à Patrib. tractatæ sint penè innumerabiles. Quare nihil mihi tale, ne dormienti quidẽ, vnquã in mentẽ venit. Verùm, cũ in Tractatione quadã de Eucharistia, sententiã meã & scripturarũ testimonijs, & multis Orthodoxorum Patrũ dictis, & sentẽtijs confirmassẽ, & aliquot iã aduersariorũ nostrorũ argumẽta diluissẽ, essetq; mihi iam tũ occurrendũ locis quibusdam, quæ illi nobis obiectare solẽt è Patribus, quæq; leuiter inspecta videri possint vtcunq; contra nos facere, ne Lectores mei, illa specie inducerẽtur in fraudem, operæpreciũ me facturũ putabã, si ea, quę ipse in lectione Patrũ aliquando obseruassem, cũ illis communicarẽ: nõ quidem confusẽ, ac generatim de reb. omnibus, sed tantùm, quod propriè pertineret ad illud negotiũ, quod tũ habebã in manibus, de Eucharistia: vt illi annotationes meas, tanquã regulas quasdã haberẽt ob oculos, quarũ ductu ad mentẽ & sententiã Patrũ minori cũ errore, & facilius peruenirent. Et sanè cũ illas scriberẽ, ad hũc modum præfatus sum: *Sed prius nõnulla statui præfari, quæ haberi possint tanquã certæ regulæ ad intelligẽdos Patres, quoties de re Sacramẽtaria grãdius & augustius loquũtur.* Nõ ergo potuit iste me iure taxare arrogãtiæ: nihil .n. mihi sumpsi, præterquã quod res ipsa, & illa disputatio requirebat. Cui .n. de re aliqua disputãti pòtest interdici, quò minꝰ, vt sãtis faciat sentẽtijs Patrũ, quę ab aduersarijs obiiciũtur, proloqui possit ea, quę ille ex varia lectione animaduertit facere ad intelligẽtiã troporũ, & figuratarũ loquutionum, quib. illi passim vti solẽt? Hoc cũ ego existimarẽ mihi licere facere, ingenuè fateor me fecisse. Et confido equidem, me illo meo consilio apud æquos Lectores non malam gratiam iniuisse.

Nũc verò videamus, quàm id Incõstãtius indignè ferat, quãq; ob eam rẽ mihi cõtumeliosum cõuitiũ faciat. Primũ definitionẽ Regulæ petit à Iurecõsultis: quasi ego Iureconsultorũ more voluerim scribere de Regulis Iuris. Tamen nescio quo pacto, ita eũ prorsus odiũ & furor occæcauit, vt ea ipsa ab illis petat, quę maximè pro me faciãt. *Regula*, inquit Vlpianus, *est, quæ rẽ, quæ est, breuiter enarrat: nõ vt ex Regula ius sumatur, sed vt ex iure, quod est, regula fiat.* Ex hac definitione Inconstãtius colligit Regulam esse annotationem & indicationem eorum, quæ subsãt, & sunt. Me autem hanc rationem regulæ violasse, ita probat. *Nunc*, inquit, *audiamus, quid hic noster Regularum architectus præfetur: se daturum scilicet certas regulas ad intelligendos Patres: quod est, quomodo hic agit, regulis præscribere, vnde ius sumatur, non quòd ex ipsis rebus, quæ verè subessẽt in certas notas obseruatione redegerat, proprijs regulis edere.* Non potuit melius in hac re meum consilium explicari, quam ista Iurisconsulti definitione. Nõ enim ego ex meis illis Regulis, aut annotationib. ius, aut veritatẽ, vel in scripturis, vel in

Vlpianus.

Quid sit regula iuris.

Patribus oriri & nasci volui: sed illis ea, quæ & in scripturis, & in Patrib. obseruauerã, satis habui vtcunque, atque vt potui, explicare. Neque ego vnquam aut scripsi, aut etiam cogitaui, me velle Patribus aliqua in re præscribere. Tantum ea recensui, & benignè Lectori cummunicaui, quæ ex longa obseruatione collegeram, ne ille in legendis Patribus perturbatus, illorum dicendi formulis, & illis in primis, quibus in hoc negotio vti solent, aberraret à vero. Quod nam ego hic admisi tam graue scelus? Ego enim nolui ex meis Regulis ius aliquod constituere: sed tantum ostendere, quemadmodũ multa intelligenda sint, quæ eadant sub eandem causam cum illis, quæ expressa sunt à Patribus. Vbi enim eadem est causa dictorum, ibi nemo dubitat eandem conuenire expositionem. A Iurisperitorum verò methodo equidem nõ discessi. Illi enim cum in suis libris multos titulos & varias, ac multiplices materias tractauissent, ad extremum ius ipsum quibusdam regulis complexi sunt. Ita ego primum ex Patribus adduxi loca, quibus aduersarij nostri ad suam causam constituendam vti solent. Deinde adieci sententiam meam, eamque non tantum scripturis sacris, sed etiam Patrum testimonijs confirmaui. Denique istis omnibus ad hunc modum ordine, & seorsim tractatis, proposui etiam Regulas, quarum quæque certam aliquam causam contineret certę alicuius dicendi formulę, quæ ad alias loquutiones similes possit accommodari. Non ergo ab initio Tractationis meę architectatus sum Regulas: sed locis iam compluribus excusis & declaratis, dedi Lectori, vt dixi, annotationes, quibus certius in patrum lectione dirigeretur: easque nõ ita longè, aut aliunde petitas, sed ex Patrum ipsorum & scripturarum diligenti obseruatione collectas.

Tichonius. Verùm remotis paulum Iurisconsultis, legat Inconstantius tertium librum Augustini de Doctrina Christiana cap. 30. Inueniet ibi à Tichonio quodam scriptas fuisse quasdam Regulas, in quibus etsi author, cum esset Donatista, nonnihil errauerit, tamen eius consilium Augustinus non potuit improbare. Imò, si caueantur errores, ait, in illis multa contineri vtilissima, quæ plurimum iuuare possint rudiores, si penetrare velint in abditos, & reconditos sensus scripturarum. Ita vero institutum illud non damnat, vt homines studiosos magnoperè cohortetur ad eius libri lectionem. Quid multa? Illi ipsi libri Augustini de doctrina Christiana, quid aliud continent, quàm Regulas ad intelligendas sacras literas? Hoc si Augustino & Tichonio licuit in scripturis, cur idem nobis non liceat in patribus? Nec tamen ego in vniuersum de patrũ lectione statuere volui, quod iste meus videtur callidè & malitiosè tacendo velle significare, sed tantum quod satis fore arbitrabar ad illam disputationem, quam tũ susceperam, de Eucharistia. Si periculum est, ne erretur in sacris literis, annon etiã periculum, idque æquè graue esse potest, ne erretur in patribus? Si ibi licet ingredientibus monstrare viã, vt Augustinus fecit, cur idẽ hic non liceat?

Verum, vt ad rem ipsam propius accedamus, primũ eo nomine me traducit, quòd in prima Regula scribam, in sacris literis alternationem quandam signorum, & rerum vsurpari: non autem adscribam nominatim, quibus id in rebus, aut signis fiat: vnde certa aliqua existat causæ comprehensio, qua hoc ab illo distingui possit: & addit, me postulare, vt nostra cogitatio hac obscura admonitione fluctuet. Magnus videlicet magister Iuris queritur, me non dixisse nominatim, quibus in rebus & signis accidat ista alternatio: cum tamen nescire non possit, me de Sacramentis tantum agere: & præfatum esse ab initio, me traditurũ esse Regulas de Sacramentis. Quid alia distinctione opus erat? Prudẽtis Lectoris est, cũ versatur aut in scripturis, aut in patrib. id attẽtè cõsiderare. Sed dicat iste mihi, Cum in ff. secunda l. de Regulis Iuris, decernitur, vt fœmina, aut puer impubes abstineat ab omnibus ciuilibus Officijs: quæ causa ibi expressè comprehenditur? Dices, quod sint fœminæ, aut impuberes. Ego etiã vicissim dico, me idcircò in ea Regula posuisse istam alternationem, quòd sint signa & significata: Sacramenta, & res Sacramentorum. Nam hæc inter sese magnã habent similitudinem. Si Vlpianus nõ peccauit, quod nec Sanatorum vxores, nec Augustam, nec Reginam aliquam expresserit nominatim: quid ego magis peccaui, qui in illa Regula non aliquod signorum, aut Sacramentorum genus expresserim? Atqui ex ipso Augustini testimonio, quod adduxi, satis intelligi potuit de quo genere Sacramentorum egerim. Causam etiam diserte attigi, quod inter rem ipsam & signum magna quædam similitudo intercedat. Et nominatim quidem illud afferre potuissem è sacris literis, quòd corpus Christi dicitur frangi. Quis enim ibi non videat, id, quod accidit in symbolo, transferri ad rem ipsam? Potuissem etiam illud adducere, quòd Iudæi iubentur comedere Pascha: quodque dicuntur in carne sua circumferre fœdus domini: quodque patres toties dicunt, nos aqua Baptismi regenerari. In his etenim, quod proprie ipsi rei conuenit, ad symbolum traducitur. Habeo autem hanc rationem & causam non tantum ex Augustino, verum etiam ex Cypriano, ex Theodoreto, & ex alijs patribus. Et me quidem non oportuit hoc loco ista copiosè exponere, præsertim, cum in ipsa tractatione quæ præcesserat, ijsdem de rebus abundè dixissem.

Augustinus.

Cauillatur etiam iste, per me relinqui in dubio, *Solúmne panem Christus Apostolis suis dederit, an etiam corpus*: &, *Panémne tantum iusserit manducari, an etiam corpus*. Atqui nihil hic erat dubij, nisi quantum Inconstãtius voluit. Nos. n. dicimus, Christum & panem dedisse, & corpus suum: & panem quidem ore & dentibus comedendum, corpus autem animo, & fide. Regula verò ista nostra eò conducit, vt, quoties corpus Christi dicitur aut à scripturis, aut à patribus, vel ore comedi, vel manibus contingi, vel frangi, id per ἀπόφασιν, aut alternationẽ facilè possimus expo-

expedire, & intelligamus, quod conuenit symbolo, id attribui rei ipsi: & è diuerso, quoties audimus, panem Eucharistiæ appellari salutarem, & viuificum, intelligamus, id, quod rei ipsi propriè conuenit, adscribi symbolo.

Fatetur tamen aliquando Inconstantius, *Allœosin figuram esse, quæ. si quando incidat, notanda sit: eam autem tradendam non esse, vt normam, ad quam sacras scripturas exigamus. Ita enim* ait *fore, vt desultoria quisque leuitate ad exemplum Zuinglij nomina rebus aut addat, aut detrahat, prout cuique bonum & commodum videatur.* Hæc obseruatio mea, Inconstanti, non tradita est à me vt perpetua quędam regula, quam semper oporteat adhibere. Quibus autem ea in locis adhibenda esset, non expressi, quòd id non existimarem esse necessarium. Putaui enim, quemuis per se etiam sine monitore videre posse, quoties sententiæ aut scripturarum, aut patrum, vel propter articulos fidei, cum quibus pugnent, vel propter alia diuinarum literarum testimonia nō possint accipi simpliciter. Sed interea scire ex isto velim, an Regulæ illę Iuris sui prorsus in omnibus rebus locum habeant, an interdum exceptionibus contrahantur? Certè illæ quoque habent exceptiones suas, quemadmodum etiam glossa testatur in ff. prima lege de Regulis Iuris. Non ergo ego lēgem perpetuam tradere volui, quæ semper inculcanda sit, quoties agitur de Sacramentis. Tum enim demum dixi, locum esse isti allœosi, & alternationi, quoties sententię intellectæ simpliciter, sensum alienum & absurdum pariunt.

Deinde garrit, nescio quid, de illis verbis, Hoc est corpus meum: & me primum omnium ait, ibi agnoscere allœosin. Atqui id ego nec dixi vnquam, nec scripsi vspiam. Ego enim in illis verbis semper præ me tuli, me Metonymiam, aut Synecdochen agnoscere. Quanquam ne ibi quidē negari potest esse allœosin, si quis figuram illam ita intelligat, vt ego soleo. Nam Sacramentum Eucharistię constat duabus partibus, Pane triticeo, & Christi corpore. Quare cum nomen vnius tribuatur alteri, & panis dicatur corpus Christi, negari non potest, esse ibi manifestam nominum & vocum permutationem, seu allœosin. Neque vsitati illi tropi Metonymia, & Synecdoche ab Allœosi & alternatione meo iudicio multum absunt.

Addit, posse locum aliquem esse allœosi, in scripturis, quoties attinguntur duæ naturæ in Christo: vt quidem aliqui iudicant: nam alios ait esse, qui contrà sentiant, & propter Sacramentum exinanitionis Christi, prædicationes alterutrius naturæ de vno Christo proprias esse contendant. *Vnde Deus, inquit, dicitur crucifixus propriè propter carnem verbi propriam factam. Quemadmodum etiam Deus dicitur proprie in vtero complasmatus, & filius hominis esse in cœlo. Quas locutiones illi ipsi ita intelligunt tamen, vt naturarum in Christo proprietates non confundantur. Vnde in illis locutionibus allœosis figuram quidam admiserunt, sed alijs verbis: scilicet, secundum communicationem idiomatum, vt dixerunt. At allœosin symbolorum & rerum hic Regulator nobis primus inuexit, quod equidem legerim. Nam quod Augustinus ad Bonifacium scribit; ad metonymiam pertinet: & quod sensit, exemplis declarauit: quæ nihil promouent huius Regulæ causam: vt semper tribuatur rebus, quod sit symbolorum: & contrà.* In locutionibus illis, in quibus altera ex duabus Christi naturis attingitur, quæ tamen interim enuncientur de toto Christo, & in quibus, quod de vna tantū parte dicitur, id intelligatur de altera, adhibendam esse allœosin perspicuum est. nisi dicere velimus, diuinam Christi naturam re vera fuisse crucifixam, aut naturam humanam Christi, cum esset in terris, eodem tempore fuisse in cœlo, aut eandem extitisse, antequam Abraham nasceretur. Itaq; nonnihil miror, Inconstantiū hac de re addubitare potuisse. Verùm hoc, opinor, indicare voluit, se quiduis facilè recepturum, quod putet posse nobis aliqua in re incōmodare. Cæterum vt ad rem ipsam veniam, affirmo loquutiones illas Christo, quatenus vnus est, esse proprias: & easdem vicissim non esse proprias illi naturę, quæ verbis exprimitur. Vt cum dicimus, Deus crucifixus est, etsi, affigi cruci, de Christo quà vnus atq; integer est, propriè dici potest, tamē illud ipsum de Christo Deo, quà Deus est, propriè dici nō potest. Et in cœlo esse, cū esset in terris, de Christo propriè dicitur: at idem de filio hominis, quà erat filius hominis, nō propriè dicitur. Tamen propter summam illam vnionem, quam appellant hypostaticam, duarum naturarum in Christo, facilè recepta est huiusmodi communicatio idiomatū, id est proprietatū. Et ex eo sæpè fit vt res ipsæ, & loquutiones, quod attinet ad vsum scripturarum, permutentur. Quod idem si ego statuo fieri in sacramentis, non video, cur merito debeam accusari. Nam in illis quoque duę sunt partes naturarum disiunctissimarūm: vt, in Eucharistia panis, & corpus Christi, quę quamuis distent inter se, & loco longissimè sint disiuncta, tamen vnione mysterij aptissime coniunguntur. Quare etsi vtraque pars suam sibi proprietatem seruet incommunicatam, tamen ita coit, & congruit cum altera, vt vtraque coniuncta idem efficiat sacramentum. Ea verò vnio alternatione illa, quam dixi, appositissime commendatur.

Testimonia scripturarum in quibus allœosis est inter sacramenti partes.

Me autem non primum hoc commentum esse, satis ostendunt loquutiones scripturarum: quarum etsi complures anteà commoraui, tamen hic quoque aliquot subijciam: In Leuitico Deus passim dicitur sacrificijs veterum propitiari, & placari offerentibus, cum tamen re vera placetur tantum in Christo, qui illis sacrificijs significabatur. Nihilo tamen minus proprietas rei significatæ attribuitur symbolis. Deus enim odoratus est mortem Christi in odorem suauitatis: non autem nidores hircorum, taurorum, vitulorū. Et Paulus, cum ita scribat ad Philippen. *Nos sumus Circumcisio*, quid aliud quàm symbolum accipit pro re ipsa? Dicere enim voluit, nos qui credimus in Christū, ad fœdus Dei pertinere, quod Circūcisione significabatur. Cumq; idem ad Corin.

Quamuis in illis verbis, Hoc est corpus meum, non constituo allœosin, sed metonymiam aut synecdochen: tamen ibi potest aliquo modo esse. Metonymia & synecdoche, non multū abest ab allœosi.

thios dicat, *Vnus panis multi sumus*, in symbolo, rem ipsam indicat: nos, videlicet, qui credimus. esse corpus Christi. Id enim panis ille significat Rursus ait in eadem epistola, *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Quis hic non videat, rem ipsam positam esse pro signo? In Exodo scribitur, *Pesach esse transitum domini*. At Agnus ille, qui macta batur, monumentum tantum erat transitus domini. Christum autem prophetæ prædixerunt sacrificandum esse, tanquam agnum. Paulus ergo dixit, Christum Agnum Dei fuisse immolatum: agnum autem illum expresit vocabulo Paschæ. Nemini ergo ambiguum esse potest, alternationem istam vsurpari in sacris literis etiam de Sacramentis. De Patribus verò nihil dico. Loquũtur enim satis ipsi pro se. Vnum tamen proferam ex recentioribus, qui in Sacramentis agnouerit hanc alternationem ante me, virũ & doctrina, & dignitate, & pietate præstantissimũ, Ioachimũ Vadianũ. Is enim in Aphorismis de Eucharistia li. 2. sic scribit: *Mystica igitur vnione rerũ cum symbolis, quæ sacramentum constituunt, factum est, vt eius indi. andæ gratia, nominum etiam cõmutationem scripturæ vsurparint: simul & hoc testatæ, verarum, scilicet, rerum, quas tractat, atque exhibet Ecclesia, ea nomina esse, non apparentium, & simulatarum: quod nupero tamen Transubstantiationis dogmate in symbolorum euersione prætenditur. Porrò sicut nominum mutua quadam variatione vtitur scriptura, ita & virtus rei haud rarò symbolo tribuitur, non alia causa, quam cuius suprà meminimus: tribuitur enim toti, quod propriè non nisi partis est. Vt* 1. Petri 3. *Baptismus nos quoque saluos reddit: quo non carnis sordes abijciuntur: sed quo fit, vt bona conscientia respondeat apud Deum. Et Paulus ad Ephesios ca. 5 ait, Ecclesiam lauacro aquæ mundatam esse per verbum. In ijs, externis rebus & symbolis ea tribuuntur, quæ sunt Spiritus sancti & rerum significatarum.* Et mox: *Ita symbolis externis veteres non nomina modo, sed opus etiam, & vim internæ efficaciæ tribuerunt. Neque id mirum in mysterijs externa cum internis, visibilia cum inuisibilibus complexis, & verbi interuentu velut gultino consociatis.* Ex ijs quæ totidem verbis descripsi ex Vadiano, videre potest Inconstantius, me non fuisse primum huius alternationis inuentorem. Potuissem etiam citare authores huius permutationis nominum Zuinglium, & Oecolampadium, sanctissimos viros, & fortissimos Heroas, aliosq; nostrorum temporũ qui ante me scripserũt. Sed illos omitto: vel quod Incõstantius eorum sententiam ignorare nõ potuerit: vel quod illi fateatur, quod ego etiam facio, se hanc doctrinam accepisse ab Augustino: quem tamen Inconstantius ait in epistola ad Bonifacium vti metonymia, nõ permutatione nominum, aut allœosi. Arqui Augustinus de metonymia nihil dicit: tantum contendit, nomina rerum ipsarum imponi signis, aut sacramentis: & idcirco baptismum appellari fidem, quòd sit sacramentum fidei.

Ioachimus Vadianus.

Quod autem iste addit in calce, *sic Augustinum ascisciuous nomina, vt vetera non intereant*, ego profectò non intelligo, quid sibi velit. Nos enim non dicimus, Panem ita appellari, & suo quodam modo esse corpus Christi, vt desinat priori appellatione vocari panis. Cumq; dicimus, Deum fuisse crucifixum, non ita genus illud mortis transferimus ad naturam Christi humanam, vt ille homo Christus desinat vocari Deus. Cumque dicimus cum Paulo, corpus Christi frangi, non ita fractionem illam reuocamus ad symbolum, vt illud nolimus appellari aut corpus Christi, aut panem. Viderit ergo Inconstantius, in quos ista conueniant. Nos enim certè non attingunt. In carpenda autem hac mea Regula, quàm rectè Zuinglium grauissimum, doctissimum, sanctissimumque virum accuset leuitatis, quiuis facilè videre potest. Ille enim vir insigni constantia semper in eadem testificatione veritatis vsque ad extremum vitæ diem perseuerauit. Quod certè Inconstantius ipse de se, etsi frontem omnẽ abiecerit, & quiduis audere possit, tamen affirmare non potest. Nam sub Henrico Rege ita defecit à Papa, vt contra eum non tantum conciones acerrimas habuerit, sed etiam libros scripserit. Idẽ tamen posteà mutatis ventis desultoria prorsus leuitate ad illum redijt. Tamen istum nihil puduit, constantissimum virum Zuinglium accusare inconstantiæ.

Zuinglius Oecolampadius.

Eucharistiæ alimoniam aduersus non sentire re ve ra esse spiritualem.

REGVLA II.

QVOD si diligenter inspexeris ea, quæ suprà, infraque dicuntur, semper videbis, patres testari, hanc alimoniã spiritualẽ esse: non autem gulę, dentis, aut ventris,

GARDINERVS.

HAEC Regula apertè monstrat, hunc doctorem non illud agere, vt doceat, sed vt fallat.

MARTYR.

SI ego, cum ista traderem, non tam docere volui, quam fallere, quid oportuit me hortari auditores meos, vt in patribus tanta attentione, non ea solum, quæ prima oculis offerrentur, expenderent, sed etiam antecedentia, consequentiaq; considerarent? Certè qui monet aliquem, vt sibi & à fronte, & à tergo caueat, & omnia diligenter circumspiciat, illum potius ab errore seruare cupit, quam in errorem inducere. Sed ait, nihil opus esse tanta diligentia, circumspectione, suspectione, dispectione in re tam clara. Si res, Inconstanti, ita est clara, quid te oportuit in ea vti tam longis ambagibus? Cur contra Reuerendissimum patrem, & san-

& sanctissimum virum Archiepiscopum Cantuariensem D. Thomam Crammerum, contraque me tam anxia tamq; subtili, vt quidem tui prædicant, vt autem res ipsa loquitur, tam spinosa, & salebrosa disputatione vsus es? Ego non ridiculam, nescio quam, suspectionem, aut despectionem in patribus, & in sacris scripturis exigo, sed diligentem, & necessariam attentionem. Deinde etiam moneo, quid Lectores ex ea sint consecuturi. Quòd si ista mea Regula tantopere displicet, cur mecum non damnatur etiam Augustinus? Is enim in libro de doctrina Christiana hanc regulam eandem tradit: aitque sensum locorum obscurorum ex antecedentibus, & consequentibus posse non raro colligi.

Eucharistiæ alimoniam aduersarius non sentire vere esse spiritualem.

Verùm addit Inconstantis, & se, & catholicos omnes fateri, alimoniam Eucharistię spiritualem esse. Atqui si est spiritualis, manibus, vt vos docetis, non attingitur: si est spiritualis, nõ ore corporis accipitur, non dentibus commolitur, non in ventrem traijcitur: si est spiritualis, non adest caro Christi corporaliter sub accidentibus panis. Illud verò indignissimè patitur, quod scripserim, hanc alimoniam non esse gulæ, dentis, aut ventris. Sed patientius paulò secum cogitare debuit, me istas ipsas loquutiones accepisse à patribus: & Augustinum ita suos commonefacere: *Quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti:* Cyprianum etiam scribere. *Non paramus ventrem, nec dentẽ acuimus.* Irasci autem non debet, si ego, Gulam, interposuerim. Ea enim pars corporis inter dentes & ventrem intercedit. Quæsiuit olim Origenes, Vtrum iste cibus per secessum egeratur. Eam quæstionẽ ego hic non attigi. Quærunt Scholastici, quàm diu corpus Christi maneat in ventriculo fidelium, qui communicarint. Et quidã respondent, quàm diu species panis manserint integræ & incolumes. Ego verò miser, qui nihil horum dixerim, sed tantum gulæ, per quam cibus in ventriculum demittitur, mentionem fecerim, statim habeor pro Epicureo, qui ad gulam & ad ventrem omnia referam. Sed video, quid istum hominẽ pupugerit. Etsi enim alijs in locis tropos, & figuratas loquutiones ferre non possit, tamen vbi commodum videtur, ab illis non vsque adeò abhorret. Itaque cùm audiret gulam nominari, suspicari cœpit, me non propriè loqui, sed, vt ipse solet, metaphoricè: eaque voce me non partem aliquam corporis notasse, sed voracitatem, & vitiosum ciborum appetitum. Verùm hæc omitto. Est enim cauillatio potius Inconstantij, quàm firma congressio.

Ad illud potius accedo, quod ait, *Hic requiri oris etiam officium, & dentium. Christum enim dixisse, Accipite, & manducate. Abesse tamen oportere omnem carnalem cogitationem: ne in cibum,* inquit, *Dominicum, vt in reliquos cibos, dentibus, & ventre nos agere imaginemur: sed Spiritualem alimoniam Christo inbente amplectamur.* Hîc ego lectorem nõ tenebo multis verbis. Dixi enim aliàs, in sacra Cœna, quod ad symbola attinet, requiri officiũ oris ac dentium. Sed illud ipsum officium Inconstantius ad corpus etiam Christi pertinere, contendit quidem acriter, sed non probat. Excipit, *Os nostrum, & dentes non agere in corpus Christi, vt in alios cibos.* Quid ergo, quæso, agunt? Si dicas, *Excipiunt.* Obstat Christus. Is enim non tantùm *Accipite*, ait, sed etiam *manducate.* Neque sanè manducare, vt opinor, est, quocunq; modo accipere. Obstat etiam Paulus, qui panem illum frangi attestatur. Actiones autem comedendi, & frangendi, sunt eius generis, vt etiam ad alios cibos adhibeatur. Vides ergo Lector, in quas pedicas, & tenebras isti se conijciant: in eas profectò, vnde se nunquam possint explicare.

Verùm iste, vt ostendat, istam regulam non congruere cum dictis patrum, ait, *illos verbis diserte dicere, nos porrectum à domino in Cœna Sacramẽtum excipientes ore, ipsum domini corpus in os admittere.* Et clamat, *me istam regulam contra apertissima illorum pronuncciata edidisse: quò facilius meis persuaderem, Spiritualem istam alimoniam non percipi ore corporis.* Perstringit etiam me, quòd; cum dentes, gulam, & ventrem commemorarem, tamẽ oris mentionem nullam fecerim: quod tamen os ait patres non excluisse. Patres, cum dicũt, nos in cœna ore recipere corpus Christi, formulam loquendi satis tum in Ecclesia notam, & vsitatam retinent. Nam, quemadmodum in prima Regula docuimus, non tantùm illi, sed etiam sacrę scripturæ rerum sæpè ipsarum proprietates, & nomina imponũt symbolis. Quòd autem ait, me data opera, & de industria mentionem oris omisisse, impudens est mendaciũ. Illud enim ego certè non prætermisissem, si mihi tum scribenti venisset in mentem. Nec mihi tanti esse debuit, altricis facultatis omnia instrumenta enumerare: Neque enim dubitabã ex paucis illis, quæ recensuissem, lectorẽ ipsum per se facilè rediturum esse in memoriã aliorum. Verùm Inconstantius, cum ista tam leuia, & nugatoria consectetur, satis prodit, quanta laboret solidiorum argumentorum inopia. Sophisticum porrò, & captiosum est, quòd ait; patres illa membra ab hoc Sacramento non excludere. Quî enim illi hoc facere potuissent, cum symbola sine instrumentis corporis percipi, & edi nequeant? Illi tamen quemadmodũ multis ostendi, instrumenta ea expressissimè excludunt à corpore domini.

Arbitrium, Lector, tuum, ad quod Inconstantius prouocat, equidem non recuso. Hanc causam te arbitro vult disceptari, Nósne, an ipse magis in hoc Sacramento spiritualem alimoniam constituamus. Ille verò sententiam suam satis superque ex eo probatam putat, quòd dicat, *substantiam ipsam corporis Christi verè dari in Eucharistia, eãq; diuinam, & Spiritualem: nos autẽ, quos appellat figuratores, statuamus exhiberi nobis vnam substantiam panis tritici, quæ alat secundum naturã: cum corpus Christi, hoc est, panis supersubstantialis; quem ille contendit nobis dari, alat secundum gratiam.* Hæc iste pro se. Sed nunc, Lector, nos etiam vicissim audi. Nos semper & diximus & docui-

Quomodo nos dicamus alimoniam Eucharistiæ spirituale esse.

mus, corpus ipsum & carnem Christi re vera dari ritè & cum fide percipientibus Sacramenta. Quare hac quidem in parte ab Inconstantio nondum vincimur. Hac autem in re nos propius accedimus ad spirituale rationem alimoniæ, quòd modum etiam eam percipiendi omninò faciamus spirituale. Corpus enim domini non alio modo, quàm fide, animo, & spiritu sumi dicimus. Quare cum Inconstantius dicat, illud ore, dentib. palato sumi, & postremò, etiã transmitti in ventrẽ, necesse est, vt causa cadat. Adhæc nos affirmamus, corpus Christi spiritualiter tantum adesse communicantibus: nimirùm, quòd vera, & efficaci fide ab illis comprehendatur, quatenus olim dabatur in crucẽ quodque sic apprehensum gratiam, spiritum, & cœlestia dona, omnes videlicet, fructus mortis suæ illis conferat. At Incõstantius noster, vt est Capernaita, illud carnaliter præsens adesse clamitat, & sub accidentibus panis, & vini prodigiosè delitescere. Quæso te, pie Lector, vter nostrum de corpore Christi spiritualius videtur loqui? Certe nos, non rem ipsam tantùm, quæ percipitur, spiritualem esse dicimus, sed ipsum etiam percipiendi modum, & instrumenta ipsa, atque organa, quibus percipitur, spiritualia esse volumus. Inconstantius autem substantiam ipsam corporis & carnis Christi comedi, illudq; ore, ac dentibus, & palato & ventriculo recipi, & teneri, & sub accidentibus, & qualitatibus panis & vini verè, & realiter inuolui, & tegi asserit. Tu iudica, quantum ista sapiant spiritũ. Illud enim non repeto, quod toties iam diximus, euerti ab istis substantiam ipsam corporis Christi, cum illud in locis infinitis vno atque eodem tempore velint adesse realiter: tantum abest, vt in eo quærant veram aliquam rationem spiritualis alimoniæ.

Non autem eò me demittam hoc tempore, vt doceam, quam falsum sit, quod iste obijcit, *nos stauere, ac docere, Panem tantum triticeum dari in Eucharistia: vtq; ait, ventrẽ verbis tantùm rejcere.* Ista vero, Inconstanti, nimis insulsa, & stupida calumnia est. Quomodo enim nos ventrem, & dentẽ non explodimus, cum toties dicamus, ea ad corpus domini nullo modo posse peruenire? An id est, ea voce tantum excludere? In te potius, & in tuos ista cõueniunt. Vos enim nõ re ipsa, sed voce tantùm os corporis, & dentes, & palatum ad corpus Christi admouetis. Nos aũt vniuersum corporis officium ad symbola tantùm, nõ aũt ad res significatas referri volumus. Cætera autem maledicta, & conuitia, quæ iste ad extremũ quasi pro coronide in nos effudit, ne vt legãtur quidẽ à quoquã digna sunt, nedũ vt à nobis cõfutentur. In hoc genere ego illum libenter patior esse superiorẽ. Quòd autem cũ illis suis suspectionibus, & despectionibus homo suauis tã argutè, & eleganter in nos illudit, scire debet, se, cum attentionem & diligentiam in excuciendis Patribus, & antecedentia, consequentiaq; inter se conferri nõ patiatur, apud prudentem lectorem in magnam venire suspicionem. Id enim est hominis sibi non luce, & ratione, sed tenebris, & caligine consulentis.

REGVLA III.

SI quandoque Patres dicunt, nos Christo carnaliter communicare, & ita communicare, vt corpus nostrum alatur Eucharistia, illa ita accipiẽda sunt, vt intelligamus, filium Dei, cum conciperetur ex Virgine, & assumeret humanam naturam, tum nobiscum carnaliter communicasse. Deinde & nos manemus in eo, & ille vicissim manet in nobis, cum nos verbis eius credimus, & eius sacramenta percipimus. Sic enim communicando additur nobis spiritus: & corpus nostrum, quod est & eiusdem naturæ cum corpore Christi, redditur etiam capax earundem conditionum, nimirum, Immortalitatis, & Resurrectionis: cumque obsequatur, & inseruiat spiritui, verè alitur ad vitam æternam. Atque ita corpus nostrum bifariam pascitur in Eucharistia: primùm symbolis, deinde etiam hac instauratione ad vitam æternam: & ita Christus per hoc sacramentum dici potest in nobis manere. De prima Communione, quam habemus cum illo per natiuitatem, & incarnationem, habes testimonium ex epistola ad Hebræos cap. 2. Quia igitur, inquit, pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.

GARDINERVS.

HAEC Regula veritati insidias struit, dum carnalem Christi nobiscum communicationem, à nostra cum Christo carnali communione non distinguit.

MARTYR.

Communicatio & Cõmunio, quid differant.

QVeritur me insidias facere veritati, magnus videlicet veritatis patronus, quòd carnalem Christi nobiscum communicationem, à nostra cum illo carnali communione non distinguam. Ego profectò voces istas duas, Communionem, & Communicationem, aut planè idem notare statuo, aut si quid est discriminis, id, quãtum possum ẽ Grãmatica iudicare, in eo situm esse, quod Communicatio actionem aliquam, seu motum significet: Communio autem id, quod post actionem illam, aut motum relinquitur: vt Cõmunicatio sit, qua quis-

piam

Piam sua faciat alteri communia: Communio autem sit respectus quidam rerum earum, quæ eædem iam in pluribus communiter insint. Hoc ego discrimen inter istas voces esse video: cuius cur nam fecerim suprà mentionem, exponam posteà suo loco: quod tamen ipsum prudens lector, vel me tacéte, facilè intellgeret.

Ait iste, *Christum in carne habuisse Communicationem, quemadmodũ scribitur in epistola ad Hebræos: & quemadmodum Ioannes testatur, cum dicat, Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Ex ijs colligit, nos cum Christo non habere Communionem carnalem per mysterium Incarnationis: quòd ille ibi sumpserit de nostro. Nam ea communicatione effectũ esse, vt Christus per omnia similis fieret nostræ carni, excepto peccato. Non tamen idcirco nos protinus fuisse illi similes. Nostra enim*, inquit, *caro in illo eò profecta est dignitatis, vt iam Dei propria sit per ineffabilem vnionẽ cum spiritu Dei Christi: cuius spiritus beneficio perficiendum in nobis superest, vt Christi carne à nobis vicissim susceptа, & nostræ per vnionem coniunctа, carnalem cum Christo communionem, & communicationem habere dicamur.* Hęc Inconstantius: ex quibus falè intelligi potest, quid Communionem, quidque Communicationem esse velit. Communicationem Christi nobiscum per eius Incarnationem factam esse, fatetur: Communionem negat. Eam enim tum demum ait nos habere cum Christo, cum percipimus Eucharistiam. Cæterũ illum consyderare oportuit, quid tandem faciendum sit de Paulo. Is enim ad Corinthios ita scribit: *Panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est?* Hic videmus Interpretem Latinum vocem illam Communicationem, non ad Incarnationis, sed ad Eucharistiæ mysterium retulisse. *At Græcè*, inquit, *est* κοινωνία Fateor. Verùm in Nouo Testaméto vox ista vsurpatur, non minus, cùm nos ipsi de nostro alteri quippiam communicamus, quam Inconstãtius vult esse communicationem, quàm cum aliquid nobis communicatur ab altero: quę apud illum est communio. Paulus enim eo loco, quem iam citaui, Eucharistiam appellat κοινωνίαν: in qua tamen nos percipimus carnem Christi, eo modo, quo iam sæpè diximus: nec tantùm carnem, sed etiam omnia eius merita, & proprietates, & fructus. Idem etiam cap 15 ad Romanos ita scribit: Εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία, & Ἀχαΐα κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι. Hic vox illa haud dubiè significat liberalitatem, quæ à Macedonibus, & ab Achaicis conferebatur in Iudæos: & 2 Corinth. 8. Τὴν χάριν, inquit, τῆς πρὸς κοινωνίαν & διακονίαν τὴν εἰς τοὺς ἁγίους. Et 13. ad Hebræos, Τῆς δὲ εὐποιΐας, & κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε. Hæc omnia, quod negari non potest, pertinent ad eleemosynã, qua quispiam egentibus aliquid largitur de bonis suis. Quare cũ sacræ literæ vtantur ista voce promiscuè: apparet, discrimen istud Inconstantij inane esse, & cõmentitiũ: vt quod nõ modò nõ ex loquutionibus, & phrasibus Noui Testamenti, sed ne ex Grãmatica quidem probari possit.

Sed fortasse dicet, se, missa significatione vocum, de re potius ipsa disceptare. Huc ergo venio. Ait, *Christum ex Incarnatione sua habere nobiscum communicationem: nos tamen ex ea non habere cum eo communionem.* Quid ego hic audio? Annon Cõmunicatio est quędã inter duas partes relatio, propter id, quod habetur vtrinque, & ab altero in alterũ proficiscitur? Profectò nisi res eadem sit ex vtraque parte, non potest esse cõmunicatio: nec fieri potest, vt Christus nascendo cõmunicationem inierit nobiscum, nos aũt cum eo non inierimus. At si contendat, Christum, cum nasceretur, accepisse carnem de nostra: in Cœna autem vicissim carnem suam nobis dare, modò dandi, & communicandi ratio rectè accipiatur, id confitemur. Nam illam priorem communionem nos quoque dicimus per se ipsam non ita multùm nobis profuisse. Eam enim habemus communem cum impijs. Posteriorem autem istam, quam habemus per fidem, dicimus ad æternã vitã, & salutem esse vtilem. Per eam enim efficitur, vt caro illa, quam habemus communem cum Christo per Incarnationis beneficium, eius ipsius carni verè euadat similis, & spiritualibus, & cœlestibus, & quodãmodò diuinis conditionibus condecoretur, & ad immortalitatem, & ęternam felicitatem pręparetur.

Quod aũt Inconstantius addit, *Nos in Eucharistia suscipere carnẽ Christi, quæ cum nostra per vnionẽ coniungatur, & ita coniungatur, vt iam cũ Christo habeamus vnionẽ carnalẽ*: non aliò spectat, quã vt statuat, carnem Christi re ipsa vniri nobis per Eucharistiam. Sed id necesse non erat. Iam enim anteà per Incarnationẽ Christi, quod quidem ad formam, & speciem, & naturam attinet, eandem cum Christo carnem habebamus. Quoniã autem ea caro in nobis impura est propter peccatum, vt verè consentiat, & congruat cum carne Christi, necesse est, vt purgetur, & ornetur spiritu, & donis, & gratijs cœlestibus. Id autem fit, cum nos fide, atque animo carnem Christi pro nobis oblatam intimè complectimur.

Verùm Inconstantius non videt, ex illa reali vnione carnis Christi cum carne nostra, quàm ipse sibi somniat, quantũ absurdorũ consequatur. Ita enim sequeretur, in quouis nostrum cũ communicamus, ipsam esse realiter Christi carnem, ipsam etiam esse diuinitatem. Atq; ita tot erunt Christi, quot homines, qui redeant à communione: eosque necesse erit salutare vt Christos, & adorare tãquam Redemptores nostros: nec tantum in mysterijs, aut in panibus Eucharisticis, sed etiam in singulis hominibus re ipsa erit corpus Christi: neq; illud, vt Scholastici garriunt, accidentibus panis corruptis in ventriculo, vel auolabit, vel esse desinet, sed nostrę carni perpetuò realiter adhærebit. Neque video, quid obstet, quin carne nostra aliquid patiente, etiam Christi caro idem patiatur: aut ea moriente, illa etiam vnà moriatur. Postquam enim caro Christi, vt isti dicunt, redacta est in vnam massam propriè & verè cũ carne nostra, vbi ea semel est mortua, quomodò tandem illa potest, viuere? Et nostra carne putrescente in terra, quomodò potest caro Christi manere incorrupta? Nam in Eucharistia habent aliquid suffugij:

Ex reali vnione carnis Christi cũ nostra; multa sequuntur absurda.

Dicunt enim, carnem Christi non commisceri re ipsa cum accidentibus panis & vini: itaque illis pereuntibus, tamen fieri posse, vt caro domini maneat incorrupta. Hic autem, si ego eos rectè intelligo (verba quidē certè non aliud sonant) dicunt, carnem ipsam Christi cū nostra carne permisceri, confundi, colliquari, vt cera cōflatur in aliam ceram, & postremò in vnam massam redigi. Quare quod accidit vni, id necesse est euenire alteri. Scio equidem, patres interdum delectatos esse his hyperbolis, sed quid sibi in illis voluerint, non semel iam anteà diximus: nimirùm, ex illa apprehensione carnis Christi per fidē, consequi similitudinem carnis nostræ cum carne Christi, quanta maxima in hac vita haberi potest.

Addit præterea, *In baptismo quidem nos regenerari spiritu, & complantari Christo, & iam ex eo & corporis & animæ haurire vitam. Postea tamē fieri per Eucharistiam, vt quos anteà regenerauerat spiritu ad vitam, eos viuifico cibo carnis suæ alat ad immortalitatem.* Ista expolita, & magnificè fucata verbis, pulchra videntur: excussis autem, & detractis istis coloribus diligenter examinata, sunt, mihi crede, ridicula. Nam, quod ad rem ipsam attinet, idē habemus in baptismo, quod in cœna: Christum videlicet Redemptorem, & salutem nostram. Hoc tātùm interest, quod ibi in Christo regeneramur: hic autem in eodē pascimur. Idq;, etsi non aliud, tamen vel physica ratio docere potest. Ea enim probat, homines ex ijsdem rebus & consistere, & nutriri. Attende, quæso te, Inconstanti, si Christum induimus in baptismo, si regeneramur in eius naturam, si complantamur & inserimur in eius corpus, dum sacro baptismi mysterio tingimur, quāuis nulla intercedat Transubstantiatio, quamuis nulla ibi ponatur corporis & sanguinis Christi realis præsentia, quid obstat, quò minus possimus etiam absque istis omnibus fictionibus ali, & nutriri carne Christi, & cū illa, quamuis loco absenti, & disiūcta, perfectissimè vniri? Et cui tandem videri potest verisimile, substātiam ipsam carnis Christi haberi in perceptione Eucharistiæ, & eandem in baptismo, quod Sacramentum est Regenerationis, non haberi? Et quid de infantibus faciemus, qui tātum tincti ex hac vita migrauerunt? ad communionem autem Eucharistiæ, quoniam mos ille nunc obtinuit in Ecclesia, non peruenerunt? Illi certè si Inconstantio credimus, communionem cum Christi carne non habebunt. Sed ruinosa ista tua sunt, Inconstanti, fundamenta: eoque mirum nō est, si tot modis extructiones tuæ concidant.

Idem habetur in Baptismo quod in Cœna.

Posteà citat patres, qui dicant, *nos accipere corpus in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis.* Hoc quoq; nos fatebimur, si cōstet de accipiēdi ratione, & modo. Quod aūt subijcit, verissimum est. Sic.n. scribit: *Quēadmodū Christus in carne nostra viuere voluit: sic in carnis ab eo susceptæ virtute nos viuamus, corpore et anima immortales futuri.* Nos semper prędicauimus, & constanter docuimus, virtutē carnis Christi, hoc est, meriti mortis eius, quā tulit in carne, vnicè nobis conducere ad æternam vitam. Vt autem illa virtus in nos ab eius carne diriuetur, nihil videmus quid opus sit reali præsentia. Deinde calumniatur, me dissimulare eam sanctificationem, quæ in nos proficiscatur à carne Christi. Atqui ego semper sensi, docui, scripsi, sanctificationem nostram transire ad nos à Deo per carnem Christi. Humanitatem enim Christi quasi canalem quēdam esse, per quem non modo sanctificatio, sed etiam omnis viuifica gratia possit in nos à Deo diuinari: & tum demùm homines maximè sanctificari, cum verè complectuntur, & credunt mortem eius.

Humanitas Christi canalis est, per quem Deus in nos gratiam derivatur.

Ait, Cyrillum scribere in Ioannem lib. 11. cap. 27. *Christum in mystica benedictione se nobis communicare: vt hominem videlicet, cui ne viuifica sanctificationem peragendo: vt gustu, & tactu nobis cognata, hausto & accepto Christi sanguine sanctificemur.* Hæc nostræ sententiæ nihil aduersantur. Mysticam quidē benedictionē ille appellat Eucharistiam. In ea autem Christus ita se nobis communicat, vt solet in legēdo aut audiēdo verbo Dei. Atq; hoc simili eo libentius vtor, quod, quemadmodum sæpè diximus ex Augustino, Sacramenta sint verba quædam visibilia. Quod autem ait Christum in Eucharistia se nobis communicare tanquam hominum, id ita intelligēdum est, quòd illum in hoc sacramento ita fide complectimur, vt pro nobis fuit affixus ad crucem, quodque mortem eius quanta possumus reuerentia, prædicamus. Mors autem Christo non potuit vllo modo cōuenire, nisi quatenus erat homo. Quod autem additur de gustu, & tactu nobis cognato, non potest intelligi nisi de symbolis. Nemo enim vnquam ita communicauit, vt gustu, aut tactu corpus & sanguinem Christi re ipsa sentiret, & apprehenderet: nisi forte Inconstantij nostri sensus prærogatiua aliqua ab aliorum sensibus distinguantur.

Sed addit, *Omnia ea, quæ Christus in sacramento fieri voluit, effici præsentiā eius carnis: itaque nos, qui quæramus quid illa præsentia opus sit, mysterium carnis aut ignorare, aut dissimulare.* Hæc ille dicere tantum voluit. Nam probationem satis modestè reliquit alijs. Certè ad ea, quę Christus effici voluit in Eucharistia, nihil opus est reali præsentia. Quicquid enim iste garriat, verba illa Christi, Hoc est corpus meum, nullam eiusmodi doctrinam nobis exprimunt.

Quod aūt clamat, *Nos Eutychianos esse, & carnem Christi extinguere, etsi non eadem ratione, qua illi (illos enim putasse, carnem Christi conuersam esse in diuinam naturam, nec amplius cōsistere in natura sua: nos autem omnem eius vsum & fructum, qui ex illa capiendus erat, auferre, & docere, eam à morte nobis nihil prodesse: omnem enim sanctificationē ad homines deriuari à solo spiritu, carnis autem Christi memoriam tātum aliquam, & meditationem retineri)* quod, inquam, ista nobis objcit quid aliud esse dicam, nisi cōtumelioſum, & impudens mendacium? Tantum enim abest, vt nos extinguere velimus humanam naturam Christi, vt eius defendendæ, & asserendæ causa contra vos assiduè depugnemus. Vos Inconstanti, vos, inquā, eam ex-

tinguitis

tinguitis,& quantum quidem in vobis est, funditùs tollitis: cum eam sub inuolucris,& accidentibus in locis innumerabilibus portentosè concluditis: cũ eam in os, in platum, in gulam, in ventrem contruditis: cum eam vnà cum hominum carne realiter miscetis,& in vnam massam redigitis, cumque illam sua quantitate ac dimensionibus expoliatis. Hoc re ipsa est domini carnem abolere,& cum Eutychianis apertè facere. Nos autem eam, nõ quidem in terris, sed in cœlo integram conseruamus. Nec tamen interim ea causa vsum eius ab Ecclesia tollimus, vt iste calumniatur. An enim, obsecro, qui dicit, carnem Christi fide apprehensam viuificare, iustificare, alere, vsum eius omnem tollit? Tu autem, quantum video, nihil eam prodesse statuis, nisi per os, per dentes, per gulam in ventrem denique traijciatur.

Verũ quod ait, *nos dicere, hominem sanctificari solo spiritu* ambiguum est. Nam si id intelligat de spiritu Christi, fatemur, nos sanctificari solo spiritu: quem tamen spiritum dicimus nobis per fidem mortis eius & resurrectionis communicari: hæc autem spectant ad carnem. At si idem intelligat de nostro spiritu, non est verũ. Nam per mortem Christi, & eius resurrectionem, quemadmodũ Paulus scribit ad Thessalonicẽses, integri, sancti, & absoluti efficimur & spiritu,& anima,& corpore. Addit, *nos illis verbis Spirituale & Spiritualiter, quib. toties vtimur, intelligere solũ spiritũ, carnẽ autem omnino excludere: cumq; dicimus, Spiritualem manducationem carnis, nihil aliud, quã recordationẽ eius carnis iam olim pro nobis passæ significare*. Ex istis duobus, quomodo hîc afferuntur, illud prius, quod ait, nos illis verbis, Spirituale,& Spiritualiter, excludere velle carnẽ Christi, falsum est. Nos enim non dicimus, carnẽ Christi conuersam esse in spiritum. Imò potius dicimus, Christum adhuc & soliditatem ossium,& omnes partes humani corporis retinere. Fides enim nostra nõ fictam rem aliquam apprehẽdit, sed veram,& solidam,& humanam carnem. Manducationem autem eius carnis dicimus esse spiritualem, quòd'ea non ore, ac dentibus, sed animo, & spiritu perficiatur. Hoc illud est, quod nos appellamus spirituale. Nunc vicissim, Inconstanti, dicito, quid ipse velis illis ijsdem verbis spirituale, & spiritualiter, in Eucharistia significari. Nã tu quoque eam spiritualem alimoniam non semel appellasti. Profectò, cum statuas præsentiam corporalem, & oris, ac dentium officia requiras, eaque non ad symbola, sed ipsum Christi corpus accommodes, quomodo istis vocibus vti possis non video. Nam si hoc spirituale est, quid tandem esse potest corporale? Nos quidem non conuertimus carnem in spiritum: tu verò rem eam, quæ nec gustatur, nec tangitur,& tangi asseris,& gustari: & omnino sensibus externis actiones tribuis spirituales. Iam verò, quod secundo loco dicis, nos manducationem spiritualem appellare recordationem carnis Christi pro nobis oblatæ, nihil habet absurdi: modò ne illa recordatio inanis sit, aut frigida, sed viua, & vehemens, & cum efficaci fide coniuncta.

Neque nos, vt iste calumniatur, vlla in re aduersamur Concilio Ephesino. Nam quod ibi scribitur, Nos in mystica benedictione accipere carnem viuificam, id eodem modo intelligimus, quo paulo antè verba Cyrilli. *Atqui*, inquit, Inconstantius, *nisi ista caro viuifica exhibeatur manducanda, vnde exoriri potuit illa quæstio, si illi tum putarint, omnem nostram sanctificationem peragi solo spiritu? Et vnde, illud, Solam humanitatis naturam manducari, si à carne non esset sanctificatio? Et quomodo sanctificaret caro, nisi Dei virtute in sacramẽto daretur, vt carnalis nobis cum Christo fieret communicatio?* Primum, velim Lectorem hoc intelligere, nos cum dicimus, sanctificationem proficisci à spiritu, statuere, illam ad nos per carnem Christi, hoc est, per mortem eius fide apprehensam proficisci: sed ita, vt spiritus sanctus vtatur symbolis sacramentorum, tanquam instrumẽtis, ad fidem in nobis excitandam. Possumus ergo verè dicere, sanctificationem transire ad nos à carne domini, quod in illa situm sit precium redemptionis nostrę: quodque omnis eius fructus ab illa pendeat, & maner. Nec mihi ita difficile est, ostendere Inconstantio, vnde illa quęstio orta sit in Concilio Ephesino contra Nestorium. Nestorius enim statuebat, Christũ esse nudum & purum hominem: nec vllã in eo esse vnionem diuinæ naturæ cum humana hypostaticam. Satis enim illi esse videbatur, si homini Christo Deum per inhabitationem, & plenitudinem gratiæ,& donorum coniungeret. Quod si ita res haberet, iam Christi caro esset hominis communis caro nec in eadem hypostasi haberet coniunctam diuinitatem: atque ita sanctificatio ad nos ab illa deriuari nulla posset, non magis, quàm à carne Petri, Pauli, Iacobi: qui, quamuis fuerint sancti, tamen alios vi sua non sanctificant. Hic status erat controuersiæ cum Nestorio. Non autem hoc in illo Concilio quærebatur, orẽne corporis an fide, ac spiritu sumenda esset caro Christi. Tantundem ergo est, quod ad illam quæstionem attinet, siue hoc, siue illud dicas. Hac enim in re vtrique inter nos consentimus, carnem Christi sumptam à nobis, vim habere sanctificandi. In eo autem dissidemus, quod vos præsentiam eius carnis in Eucharistia realem statuitis: nos autem apprehensione eius per fidem,& spiritum contenti sumus. At Nestorius, cum eam puri & nudi hominis carnem esse diceret, non potuit statuere, vllam ex ea ad nos deriuari posse sanctificationem, quocunque ea modo sumeretur.

Quæstio Concilij Ephesini.

Epistola Concilij Nicæni.

Ne quid autem in hac re finxisse videar, ipsius Concilij verba ex epistola ad Nestorium subijciam. *Incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus,& sanctificamur, participes sancti corporis,& preciosi sanguinis Christi, omnium nostrum Redemptoris effecti: non vt communem carnem percipientes, quod absit, nec vt viri sanctificati,& verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed verè viuificatricem,& ipsius*

Dicunt enim, carnem Christi non commisceri re ipsa cum accidentibus panis & vini: itaque illis pereuntibus, tamen fieri posse, vt caro domini maneat incorrupta. Hic autem, si ego eos rectè intelligo (verba quidé certè non aliud sonant) dicunt, carnem ipsam Christi eũ nostra carne permisceri, confundi, colliquari, vt cera cõflatur in aliam ceram, & postremò in vnam massam redigi. Quare quod accidit vni, id necesse est euenire alteri. Scio equidem, patres interdum delectatos esse his hyperbolis, sed quid sibi in illis voluerint, non semel iam anteà diximus: nimirùm, ex illa apprehensione carnis Christi per fidẽ, consequi similitudinem carnis nostræ cum carne Christi, quanta maxima in hac vita haberi potest.

Addit præterea, *In baptismo quidem nos regenerari spiritu, & complantari Christo, & iam ex eo & corporis & animæ haurire vitam. Postea tamẽ fieri per Eucharistiam, vt quos anteà regenerauerat spiritu ad vitam, eos viuifico cibo carnis suæ alat ad immortalitatem.* Ista expolita, & magnificè fucata verbis, pulchra videntur: excusis autem, & detractis istis coloribus diligenter examinata, sunt, mihi credé, ridicula. Nam, quod ad rem ipsam attinet, idẽ habemus in baptismo, quod in cœna: Christum videlicet Redemptorem, & salutem nostram. Hoc tãtùm interest, quod ibi in Christo regeneramur: hic autem in eodẽ pascimur. Idq;, etsi non aliud, tamen vel physica ratio docere potest. Ea enim probat, homines ex ijsdem rebus & consistere, & nutriri. Attende, quæso te, Inconstanti, si Christum induimus in baptismo, si regeneramur in eius naturam, si complantamur & inserimur in eius corpus, dum sacro baptismi mysterio tingimur, quãuis nulla intercedat Transubstantiatio, quamuis nulla ibi ponatur corporis & sanguinis Christi realis præsentia, quid obstat, quò minus possimus etiam absque istis omnibus fictionibus ali, & nutriri carne Christi, & cũ illa, quamuis loco absenti, & disiũcta, perfectissimè vniri? Et cui tandem videri potest verisimile, substãtiam ipsam carnis Christi haberi in perceptione Eucharistiæ, & eandem in baptismo, quod Sacramentum est Regenerationis, non haberi? Et quid de infantibus faciemus, qui tãtum tincti ex hac vita migrauerunt? ad communionem autem Eucharistiæ, quoniam mos ille nunc obtinuit in Ecclesia, non peruenerunt? Illi certè si Inconstantio credimus, communionem cum Christi carne non habebunt. Sed ruinosa ista tua sunt, Inconstanti, fundamenta: eoque mirum nõ est, si tot modis extructiones tuæ concidant.

Idem habetur in Baptismo quod in Cœna.

Posteà citat patres, qui dicant, *nos accipere corpus in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis.* Hoc quoq; nos fatebimur, si cõstet de accipiẽdi ratione, & modo. Quod aũt subijcit, verissimum est. Sic. n. scribit: *Quẽadmodũ Christus in carne nostra viuere voluit: sic in carnis ab eo susceptæ virtute nos viuamus, corpore et anima immortales futuri.* Nos semper prędicauimus, & constanter docuimus, virtutẽ carnis Christi, hoc est, meriti mortis eius, quã tulit in carne, vnicè nobis conducere ad æternam vitam. Vt autem illa virtus in nos ab eius carne diriuetur, nihil videmus quid opus sit reali præsentia. Deinde calumniatur, me dissimulare eam sanctificationem, quæ in nos proficiscatur à carne Christi. Atqui ego semper sensi, docui, scripsi, sanctificationem nostram transire ad nos à Deo per carnem Christi. Humanitatem enim Christi quasi canalem quẽdam esse, per quem non modo sanctificatio, sed etiam omnis viuifica gratia posit in nos à Deo dimanare: & tum demùm homines maximè sanctificari, cum verè complectuntur, & credunt mortem eius.

Humanitas Christi canalis est, per quem à Deo nos gratia derivatur.

Ait, Cyrillum scribere in Ioannem lib. 11. cap. 27. *Christum in mystica benedictione se nobis communicare: vt hominem videlicet, cui ne viuifica sanctificationem peragendo: vt gustu, & tactu nobis cognata, hausto & accepto Christi sanguine sanctificemur.* Hæc nostræ sententiæ nihil aduersantur. Mysticam quidé benedictionẽ ille appellat Eucharistiam. In ea autem Christus ita se nobis communicat, vt solet in legẽdo aut audiẽdo verbo Dei. Atq; hoc simili eo libentius vtor, quod, quemadmodum sæpè diximus ex Augustino, Sacramenta sint verba quædam visibilia. Quod autem ait Christum in Eucharistia se nobis communicare tanquam hominum, id ita intelligẽdum est, quòd illum in hoc sacramento ita fide complectimur, vt pro nobis fuit affixus ad crucem, quodque mortem eius quanta possumus reverentia, prædicamus. Mors autem Christo non potuit vllo modo cõuenire, nisi quatenus erat homo. Quod autem additur de gustu, & tactu nobis cognato, non potest intelligi nisi de symbolis. Nemo enim vnquam ita communicauit, vt gustu, aut tactu corpus & sanguinem Christi re ipsa sentiret, & apprehenderet: nisi forte Inconstantij nostri sensus prærogatiua aliqua ab aliorum sensibus distinguantur.

Sed addit, *Omnia ea, quæ Christus in sacramento fieri voluit, effici præsentiã eius carnis: itaque nos, qui quæramus, quid illa præsentia opus sit, mysterium carnis aut ignorare, aut dissimulare.* Hæc ille dicere tantum voluit. Nam probationem satis modestè reliquit alijs. Certè ad ea, quę Christus effici voluit in Eucharistia, nihil opus est reali præsentia. Quicquid enim iste garriat, verba illa Christi, Hoc est corpus meum, nullam eiusmodi doctrinam nobis exprimunt.

Quod aũt clamat, *Nos Eutychianos esse, & carnem Christi extinguere, etsi non eadem ratione, qua illi (illos enim putasse, carnem Christi conuersam esse in diuinam naturam, nec amplius cõsistere in natura sua: nos autem omnem eius vsum & fructum, qui ex illo sumendus erat, auferre, & docere, eam à morte nobis nihil prodesse: omnem enim sanctificationẽ ad homines deriuari à solo spiritu, carnis autem Christi memoriam tãtum aliquam, & meditationem retineri)* quod, inquam, ista nobis objicit quid aliud esse dicam, nisi cõtumeliosum, & impudens mendacium? Tantum enim abest, vt nos extinguere velimus humanam naturam Christi, vt eius defendendæ, & asserendæ causa contra vos assiduè depugnemus. Vos Inconstanti, vos, inquã, eam extinguitis

tinguitis, & quantum quidem in vobis est, funditùs tollitis: cum eam sub inuolucris, & accidentibus in locis innumerabilibus portentosè concluditis: cũ eam in os, in platum, in gulam, in ventrem contruditis: cum eam vnà cum hominum carne realiter miscetis, & in vnam massam redigitis, cumque illam sua quantitate ac dimensionibus expoliatis. Hoc re ipsa est domini carnem abolere, & cum Eutychianis aperte facere. Nos autem eam, nõ quidem in terris, sed in cœlo integram conseruamus. Nec tamen interim ea causa vsum eius ab Ecclesia tollimus, vt iste calumniatur. An enim, obsecro, qui dicit, carnem Christi fide apprehensam viuificare, iustificare, alere, vsum eius omnem tollit? Tu autem, quantum video, nihil eam prodesse statuis, nisi per os, per dentes, per gulam in ventrem denique traijciatur.

Verũ quod ait, *nos dicere, hominem sanctificari solo spiritu* ambiguum est. Nam si id intelligat de spiritu Christi, fatemur, nos sanctificari solo spiritu: quem tamen spiritum dicimus nobis per fidem mortis eius & resurrectionis communicari: hæc autem spectant ad carnem. At si idem intelligat de nostro spiritu, non est verũ. Nam per mortem Christi, & eius resurrectionem, quemadmodũ Paulus scribit ad Thessalonicẽses, integri, sancti, & absoluti efficimur & spiritu, & anima, & corpore. Addit, *nos illis verbis Spirituale & Spiritualiter, quib. toties vtimur, intelligere solũ spiritũ, carnẽ autem omnino excludere: cum & dicimus, Spiritualem manducationem carnis, nihil aliud, quã recordationẽ eius carnis iam olim pro nobis passæ significare*. Ex istis duobus, quomodo hîc asseruntur, illud prius, quod ait, nos illis verbis, Spirituale, & Spiritualiter, excludere velle carnẽ Christi, falsum est. Nos enim non dicimus, carnẽ Christi conuersam esse in spiritum. Imò potius dicimus, Christum adhuc & soliditatem ossium, & omnes partes humani corporis retinere. Fides enim nostra nõ fictam rem aliquam apprehẽdit, sed veram, & solidam, & humanam carnem. Manducationem autem eius carnis dicimus esse spiritualem, quòd ea non ore, ac dentibus, sed animo, & spiritu perficiatur. Hoc illud est, quod nos appellamus spirituale. Nunc tu vicissim, Inconstanti, dicito, quid ipse velis illis ijsdem verbis spirituale, & spiritualiter, in Eucharistia significari. Nã tu quoque eam spiritualem alimoniam non semel appellasti. Profectò, cum statuas præsentiam corporalem, & oris, ac dentium officia requiras, eaque non ad symbola, sed ipsum Christi corpus accommodes, quomodo istis vocibus vti possis non video. Nam si hoc spirituale est, quid tandem esse potest corporale? Nos quidem non conuertimus carnem in spiritum: tu verò rem eam, quæ nec gustatur, nec tangitur, & tangi asseris, & gustari: & omnino sensibus externis actiones tribuis spirituales. Iam verò, quod secundo loco dicis, nos manducationem spiritualem appellare recordationem carnis Christi pro nobis oblatæ, nihil habet absurdi: modò ne illa recordatio inanis sit, aut frigida, sed viua, & vehemens, & cum efficaci fide coniuncta.

Neque nos, vt iste calumniatur, vlla in re aduersamur Concilio Ephesino. Nam quod ibi scribitur, Nos in mystica benedictione accipere carnem viuificam, id eodem modo intelligimus, quo paulo antè verba Cyrilli. *Atqui*, inquit, Inconstantius, *nisi ista caro viuifica exhibeatur manducanda, vnde exoriri potuit illa quæstio, si illi tum putarint, omnem nostram sanctificationem peragi solo spiritu? Et vnde, illud, Solam humanitatis naturam manducari, si à carne non esset sanctificatio? Et quomodo sanctificaret caro, nisi Dei virtute in sacramẽto daretur, vt carnalis nobis cum Christo fieret communicatio?* Primum, velim Lectorem hoc intelligere, nos cum dicimus, sanctificationem proficisci à spiritu, statuere, illam ad nos per carnem Christi, hoc est, per mortem eius fide apprehensam proficisci: sed ita, vt spiritus sanctus vtatur symbolis sacramentorum, tanquam instrumẽtis, ad fidem in nobis excitandam. Possumus ergo verè dicere, sanctificationem transire ad nos à carne domini, quod in illa situm sit precium redemptionis nostrę: quodque omnis eius fructus ab illa pendeat, & manet. Nec mihi ita difficile est, ostendere Inconstantio, vnde illa quęstio orta sit in Concilio Ephesino contra Nestorium. Nestorius enim statuebat, Christũ esse nudum & purum hominem: nec vllã in eo esse vnionem diuinæ naturæ cum humana hypostaticam. Satis enim illi esse videbatur, si homini Christo Deum per inhabitationem, & plenitudinem gratiæ, & donorum coniungeret. Quod si ita res haberet, iam Christi caro esset hominis communis caro nec in eadem hypostasi haberet coniunctam diuinitatem: atque ita sanctificatio ad nos ab illa deriuari nulla posset, non magis, quàm à carne Petri, Pauli, Iacobi: qui, quamuis fuerint sancti, tamen alios vi sua non sanctificant. Hic status erat controuersiæ cum Nestorio. Non autem hoc in illo Concilio quærebatur, orẽne corporis an fide, ac spiritu sumenda esset caro Christi. Tantundem ergo est, quod ad illam quæstionem attinet, siue hoc, siue illud dicas. Hac enim in re vtrique inter nos consentimus, carnem Christi sumptam à nobis, vim habere sanctificandi. In eo autem dissidemus, quod vos præsentiam eius carnis in Eucharistia realem statuitis: nos autem apprehensione eius per fidem, & spiritum contenti sumus. At Nestorius, cum eam puri & nudi hominis carnem esse diceret, non potuit statuere, vllam ex ea ad nos deriuari posse sanctificationem, quocunque ea modo sumeretur.

Quæstio Concilij Ephesini.

Ne quid autem in hac re finxisse videar, ipsius Concilij verba ex epistola ad Nestorium subijciam. *Incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum Redemptoris effecti: non vt communem carnem percipientes, quod absit, nec vt viri sanctificati, & verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed verè viuificatricem, & ipsius*

Epistola Concilij Nicæni.

Verbi propriã factam. Vita enim naturaliter, Vt Deus, existens, quia propriæ carni vnitus est, viuificatricem esse eam, professus est. Et ideo, quamuis dicat ad nos, Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non tamen eam vt hominis vnius ex nobis existimare debemus. (Quomodò enim iuxta naturam suam viuificatrix esse caro poterit hominis?) sed vt verè propriam eius, factam, qui propter nos filius hominis est factus & vocatus. Hic videre potes, pie Lector, me neque à vero Concilij sensu aberrare, neque in eo interpretando vllum voluisse fuctum facere.

Nunc vero argumentum illud audiamus, quod iste putat se ex nostra doctrina posse concludere. *Quod si volunt*, inquit, *carnem absentem sanctificare, oportet concedere, spiritum esse humanitatis organum, quod est absurdo absurdius: vel humanam naturam infinitam esse, quæ vim suam, & defluxum quaqua versus emittat, quod est insanũ.* Quod si aut natura non dedit Incostantio, vt inter infirmas & firmas cõnexiones posset dijudicare, aut studiũ peruersum, & rabies dedit, vt infirmas pro firmis obtruderet, iniquum est, vt eius aut infelicitas, aut malitia nostræ causæ officere debeat. Scire ergo debet, ex nostra sententia neutrũ istorum absurdorum consequi. Primùm enim caro Christi, quamuis absens loco, tamen præsens fide nos sanctificat. Nec tamen spiritus est instrumentum humanitatis domini. Nam spiritus, & Verbum Dei, hoc est natura diuina, est efficiens causa nostræ sanctificationis. Medium autem, per quod ea sanctificationem ad nos transfundit, est Christi humanitas. Itaque si rectè loqui volumus, natura humana potius est instrumentum diuinitatis, hoc est, Verbi, ac spiritus.

Natura diuina est efficiens causa nostræ salutis, et sanctificationis. Christi humanitas est mediũ per quod sanctificatio diuinitus ad nos transfunditur

Aequè firmum etiam alterum illud est, quod ait ex nostra doctrina consequi, naturam humanam esse infinitam. Nihil enim à nostrra sententia, ne fingi quidem potest magis alienum. Nos enim vbique aduersus istas pecudes contendimus, naturam Christi humanam suis terminis, figuris, lineamẽtis, partibus, membris contineri. Quamuis autẽ sit finita, tamen vis quędam sanctificandi potest ab ea ad omnes, qui vbiq; sunt, peruenire. Sãctificatio enim spiritualis res est, non corporea. Nonne enim, ne longius discedamus, in ipsa rerũ natura videmus Solis astrum finitum esse, ac certo sui orbis loco teneri? Tamen eius lumen, & influxus in omnes partes orbis terrarum pertinet. Nec tamen vis illa diuina, spiritus & gratia, quæ defluit à Christo sedẽte in cœlis quod ad carnem attinet, aut subtilitate, aut tenuitate rectè cõfertur cũ lumine & influxu Solis. Illa.n. nullo sensu potest percipi: lumen aũt Solis, non tantũ ab hominibus, sed etiã à crassiorib. animalib. percipitur. Hic mihi Inconstantius videtur, nimium abuti voluisse simplicitate Lectoris: quasi ille, quicũque tandẽ esset, harũ rationũ imbecillitatem, non enim dicã stultitiã, videre non posset.

Quin ipse potius nobis explicet, quomodo tãdem verum esse possit, quod subijcit, *Carnem Christi in proprietate naturæ finitæ manentem virtute spiritus sancti distribui singulis in Sacramento.* Nam caro Christi, si finita est, non potest absq; distractione sui, aut vagari per omnia loca, vbi Sacramenta percipiuntur, aut in omnibus locis permanere, in quibus ea asseruãtur. Necesse enim est, vt aut multiplicetur, vt iam multos habeamus Christos: aut distrahatur, vt nullũ habeamus integrum. Cogitet Inconstantius, quid hic oporteat respondere. Fortasse recipiet se in frigidũ illud latibulũ miraculorum & potentię Dei. Sed illi eã viam iam anteà intercluſimus.

Quod autem ait, *nos abhorrere ab omni sanctificatione carnis*, id satis iam satisque confutamus. Falsum etiam est, quod ait, *nos vnionem carnis nostræ, quam habemus cum Christo, non referre acceptam eius carni viuificæ, quam ipse nobis tradat per Sacramentum.* Etsi enim vnionem nostram cum Christo non confitemur pendere totam ab Eucharistia (ita enim paruulos, qui ex hac vita discedant sine Eucharistia, à Christi vnione excluderemus) nunquam tamen inficiati sumus, ex ea, fide & spiritu apprehensa & sanctificari carnẽ nostram, & vniri cum Christo. Verum discrimen vniuersum in eo situm est, quod iste putat, nihil sanctificationis ad nos peruenire posse à carne Christi, nisi ea ore, ac dentibus manducetur, & realiter in ventriculũ recipiatur: nos autem è diuerso mentis tantũ, & fidei perceptione contenti sumus, eaq; nos satis posse sanctificari non dubitamus.

REGVLA IIII.

CONSIDERES præterea, verbum illud, Consecrare, non aliud significare apud patres, quam rem communem, & profanam sacro vsui dedicare: & hoc est illã sanctam reddere. Nihil ergo causæ est, cur quoties in patribus occurrit vox illa Consecratio, statim ibi nos fingamus Transubstantiationem.

GARDINERVS.

QVALIS est hic Regulator, qui quod sit speciale, exigi iubet ad normam generis: quod est notas abijcere sua, ne dignoscatur?

MARTYR.

INsectatur iste me conuitio, quasi qui id, quod pertineat ad speciem, exigi velim ad normam generis. *Nam Consecrationem huius Sacramenti omnino contendit rem fuisse singularem: quod dominus*

dominus in vltima illa cœna rem insensibilem acceperit in manus, vt Epiphanius ait, et de ea dixerit, Hoc est corpus meum: cum nihil ibi esset simile corporis: cum tamen, vt Epiphanius idem inquit, nemo sit, qui non credat, dominum vera dixisse: aut, si quis non credat, eum à gratia excidisse. Itaque concludit, *Christum hic multò plus fecisse, quàm si tantùm rem profanam sacris vsibus addixisset: quomodò ædes, & donaria solent consecrari.* Equidem, Lector, in mea ista regula non dixi, Sacramentum Eucharistiæ nihil habere seorsim, & peculiare præ alijs Sacramentis: sed, quod in proxima Regula videre potes, adieci, illud in eum vsum, & finem fuisse institutum, vt corpus & sanguis domini vi spiritus sancti per illud, fidei atque animo nostro exhiberentur spiritualiter comedenda. Hoc autem sacramentum in genere cum alijs sacramentis non congruere, quomodò tandem nobis probabit Inconstantius? An quòd Christus dixerit, Hoc est corpus meum, & ita dicendo verum dixerit? Nos quoque dominum verum dixisse confitemur, neque Epiphanij interpretationi refragamur. Quàm autem procul eius verba absint ab huius nostri Sophistæ sententia, suprà suo loco exposuimus. Hic enim somniat, Christum, de nescio quo, Indiuiduo vago quod in rerum natura extet, dixisse, *Hoc est corpus meum.* At Epiphanius ait, Christum id pronunciasse de re inanimata, & rotundæ figuræ, & insensibili. Cogitet nunc secum Inconstantius, sitne Indiuiduum vagum figuræ rotundæ, aut insensibile. Breuiter id in hoc sacramento esse dico peculiare, quòd Christus proposito pane & vino, tanquam instrumentis quibusdam excitare velit fidem nostrã, qua suum corpus & sanguinẽ, quatenùs ea pro nobis oblata sunt in cibum complectamur.

Sed Inconstantius, vt Transubstantiationẽ suam aliqua saltem ratione probet, citat ad extremum Emissenum, quem eundem ijsdem verbis nobis iam anteà non semel obiectauit. *Inuisibilis*, inquit Emissenus, *sacerdos panem, & vinum in substantiam corporis & sanguinis secreta potestate cõuertit.* Hæc verba, vt alias docuimus, nisi de sacramentali mutatione intelligantur, admitti nec possunt, nec debent. Nam & cum scripturis, & cum Patrum aliorum sententijs & verbis pugnant. Ea autem verba ita, vt diximus, intelligenda esse, ex alijs eiusdem Emisseni verbis docuimus. Ait enim nos quoquè mutari in Christum, cum tamen in illum non transubstantiemur. Pro Colophone Inconstantius Transubstantiationem suam, quantum potest, propugnat: sed illis rationibus, quibus Homerus quoque Centauros, & Chimæras suas defendere potuisset.

REGVLA V.

VBICVNQVE apud Patres fit mentio Mutationis, aut conuersionis, id intelligendum est de mutatione sacramentali: quà res non transubstantientur, sed fiant Sacramenta, ad significandum nobis efficaciter, adque offerendum, & exhibendum animo & fidei nostræ per vim spiritus sancti corpus & sanguinem domini.

GARDINERVS.

QVONIAM frequens est apud Patres mentio mutationis, recipit sectarius mutationis verbum, nec vult negare, aliquam mutationem fieri: quam tamen ipsa sua explicatione ostendit postea re ipsa nullam.

MARTYR.

HOc primum scire debes, pie lector, regulã istam aliter à me positam esse, atque hîc refertur. Mea enim verba sic habent: Quin aliqua mutatio ibi fit, non inficiamur: nimirùm, qua res illę iam fiant sacramenta, ad significandũ nobis efficaciter, ad offerendum, atque exhibendum per vim spiritus sancti, quod attinet ad animum, & fidem nostram, corpus & sanguinẽ domini. Hic iste primùm ait, me quidem statuere mutationem aliquam: quænam autẽ ea sit, me nõ posse ostẽdere: quamuis verbũ de meo confinxerim, & appellarim sacramentalem: quod verbum à nullo Catholico sit vsurpatum. Ego verò dico, me huius Sophistæ audaciam vehementer admirari. Apud illum enim symbola mysteriorum, postquam ea adhibita sunt ad sacrũ vsum, eo loco sunt, quo anteà, cum essent adhuc res profanæ. Id si absurdum est, quo tandem iure ego coarguor, qui inter non sacramentũ, & sacramentum statuam esse aliquam mutationẽ? Physicam quidem eam esse nego: qua realis aliqua qualitas de nouo, vt aiunt, accedat ad panẽ

Respectus tantùm quidam est: qui ex nostra mutatione, & Dei institutione nascitur. Ita in rerum natura videmus, quòd quidem ad physicas proprietates attinet, columnam eandem omninò esse, & vnam: quæ tamen, pro vt homines se ad illam alio, atque alio modo applicant, modò dextra sit, modò sinistra. Sed hoc, inquies, nihil est. Sic enim illi columnæ nec nobilitas aliqua, nec ignobilitas adiungitur. Verũ quidẽ id est, si naturã eius interiorẽ spectes: at si effecta contẽpleris, permultũ interest in ędificijs sustinẽdis, ad dextram ne, an ad sinistrã: in hócne, an in illo angulo collocetur. Ita panis & vinũ, quòd attinet ad intimã illorũ naturam, eadem sunt, quæ erant prius: quatenùs autem ea adhibẽtur ad sacrã Cœnam ex instituto Christi, & adiuncto verbo Dei, fiunt instrumẽta spiritus sancti, quibus ille in Cõmunicantibus ædificat, & auget verã fidẽ: quæ certè prius non erant. Non est ista physica mutatio, fateor. Est ẽnim spiritualis. Neq; eius generis mutatio est, vt rebus ipsis, hoc est naturis panis & vini, tanquã

Explicatur quid nam sit mutari sacramentaliter.

proprijs subiectis spirituales qualitates inhæreãt: sed mutatio illa ita est spiritualis, vt res ex profana efficiatur sacra, vtq; adiecto verbo Christi, elementũ externũ fiat sacramentum. Hæc omnia Inconstãtius habet pro nihilo: & per me sanè habeat. Nobis autem ex verbo Dei sacramenta rectè æstimantibus longè aliter videtur.

Verũ libet mihi hoc loco cũ isto homine ex ipsius religione, vel potius ex ipsius superstitione disputare. Cur isti Chrisma illud suum, quod passim vocant Oleum sanctum, post illam consecrationem, qua ex omnibus suis nugis & ceremonijs nihil habent operosius, cur, inquam, illud tanti faciunt, vt quamuis nulla intercedat realis mutatio, aut Transubstantiatio, tamen illud mirificè reuereantur, & tantùm non adorent? Cur singuli accedentes seorsim, demissis ceruicibus illud salutant Oleum Sanctum? Obsecro te, quæ ibi facta est mutatio? Haud dubiè oportet magnam esse. Nunquam enim vulgari oleo hæc officia præstaretis. Nec tamen vos ea de re aut præceptum vllum habetis à Deo, aut apicem vnũ ex omnibus sacris literis, quem propriè ad istam vestram excantationem accommodetis. Quare si tantum deferri vultis inuentis vestris, cur tantum detrahitis institutis Dei, vt negare videamini, accedente verbo ad elementum, fieri sacramentum? Vsus autem sum isto exemplo de Chrismate, non quòd rei leui, superstitiosæ, nugatoriæ quicquam tributum velim: verùm, vt ostenderem, istum nostrum hæc scribere studio magis, & libidine contendendi, quàm quòd ita sentiat. Possem etiam commemorare symbola quàm plurima Veteris testamenti: ad quæ dubitari non possit tum temporis multum honoris ac dignitatis accessisse, statim vbi adhibita fuissent ad vsum sacrum. Nam, vt alia præteream, quædam ex illis eo in honore, ac precio habebantur, vt Sancta Sanctorum dicerentur. Verùm ea omnia breuitatis causa prætereo. Neque enim alioqui de ista spirituali mutatione quicquam dicturus eram, nisi vidissem, quicquid de ea à Patribus scriptum esset, id istos rabulas ætatis nostræ ad Transubstantiationem suam probandam contulisse. Ea de causa non alienum putaui fore, si, quid Patres illo suo loquendi genere sibi voluissent, exponerem.

Cur ista mutatio mysteriorũ dicatur sacramentalis.

Vt autem mutationem illam appellarem sacramentalem, adductus maximè sum verbis Augustini. Is enim, vt sæpè dixi, ita scribit: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Nec dubito, me multò melius, & modestius dicere potuisse mutationem sacramentalem, quàm pecus istud Antichristianum suam Transubstantiationem. Nec tamen volo, vt quisquam meus vocabuli primum authorem fuisse putet. Alij enim complures vsi eo sunt ante me. Sed patres huiusmodi mutationis fecisse mentionem ego affirmo, Inconstantius negat. Vter autem id maiori cum ratione faciat, Lector optimè iudicabit. Certè Augustinus, præter locum illum, quem modò citauimus, ita scribit de Trinitate lib. 3. cap. 4. *Illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum ritè sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis: quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei.* Hic Augustinus non dicit, panem eum, qui assumptus sit ex fructibus terræ, auferri, aut Transubstantiari: sed opera, & vi spiritus sancti sanctificari, vt sit, inquit, tam magnum Sacramentum. Irenæus etiã libro 5. ita scribit: *Quãdo ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi: ex quibus augetur, & consistit carnis nostræ substantia.* Hæc nõ obscurè indicant, panem & vinum in Eucharistia manere: exquib. vsitata vi, & ratione nutriendi, corpora nostra, vt Irenæus loquitur, augeantur & consistãt: eadẽ tamen, percepto Verbo Dei, fieri Eucharistiã. Dicat mihi nunc Inconstantius, putétne Eucharistiã esse Sacramẽtũ. Id negare, opinor, non audebit. Si concesserit, fatebitur idem nobiscum, panem & vinũ fieri Sacramentum. Id autem mutationis, à fine, à termino, à gradu, à dignitate, quæ illi acquiritur, si appelletur sacramentale, nihil causæ est, cur ille aut mirari, aut indignari debeat. Chrysostomus quoque homi. 44. in cap. 6. Ioannis ita scribit: *Ego sum panis vitæ. Iam*, inquit, *ad mysteriorum traditionem deuenturus est. Et primùm de diuinitate sua ita disputat, Ego sum panis vitæ. Neque enim de corpore hoc dictum est: de quo circa finem, inquit, Panis, quem ego dabo, caro mea est: sed adhuc de diuinitate. Etenim illa propter Deum verbum panis est: quemadmodum hic panis propter aduenientem ei Spiritum panis cœlestis efficitur.* Hic Chrysostomus docet à simili, quemadmodum hic panis noster in Sacramento adueniente spiritu sancto fit panis cœlestis, vt non amplius sit profanus, ita carnem domini propter Deum verbum, quod secum habet vnitum, esse panem vitæ. Annotandum autem est, idcircò accedere oportere vim, atque efficaciam diuini spiritus, ne quis putet huiusmodi mutationem sacramentalem inanem, aut leuem esse. Non ergo ego aut somniaui, aut de meo finxi hoc genus mutationis. Illud enim, quod negari non potest, habui ex patribus. Quòd si nos vocabulum idoneum inuenimus, & illud Sacramentale appellauimus, non video, quid in ea re, aut in veritatem, aut in articulos fidei peccatum sit. Loca autem illa Emisseni, Gelasij, Ambrosij, quemadmodum intelligenda sint, suprà suo loco exposuimus: itaque ne eadem hîc rursus sint inculcanda, Lectorem eò remitto.

A spiritu sancto efficitur sacramentalis, non mundi.

Neq; verò, vt iste pro suo more calumniatur, vocẽ illã, Sacramentalẽ, excogitauimus ad imminuendam dignitatem Eucharistiæ: sed ad eã potius euidentius & clarius exprimendã. Ostendimus enim ea voce, quẽ ad gradum, & ad quã dignitatem panis & vinũ subuehantur in sacra Cœna. Atq; hanc quidem mutationem, quam nos appellamus spiritualem, in alijs Sacramentis ne Inconstantius quidem potest inficiari. Dicat enim mihi, quid de aqua baptismi fit, quam dicunt

dicũt cõsecrari: quid de oleo suo, quod ab illis tot clamoribus, & superstitiosissimis gestib. incantatur? Quòd si pugnare velit, Eucharistiam habere singularem & peculiarem rationem, & ab alijs Sacramentis differentem, equidem hoc non inuitus dabo. Verùm hoc tamen addo, illam differentiam non à genere mutationis, aut consecrationis, sed à re significata petendam esse.

Vnde petenda sit differentia Eucharistiæ ab alijs Sacramentis.

Dictum autem illud Augustini, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, iste conatur, quantum potest, eludere. Ait enim, Augustinum dicere, fieri Sacramentũ, nõ mutari. Sed quæ ista est impudẽtia, id, quod dicas fieri, negare mutari? Verũ eadẽ fronte ait, ad naturas symbolorum nihil neque intrinsecus, neque extrinsecus accedere, cùm illa adhibeantur ad vsum sacrũ. Physica quidẽ ratione nihil accesit. Adest tamẽ spiritũ sanctũ, qui illis vtatur, nulla ratione negari potest. Nam tertullianus in libro de Baptismo ita scribit: *Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogatiua Sacramentum sanctificationis consequuntur, inuocato Deo. Superuenit enim statim spiritus de cœlis & aquis supereſt, sanctificans eas de semetipso: & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Audimus hîc, quid Tertulianus dicat accedere ad aquam Baptismi, cum in eo Dei nomen inuocatur. *Adest*, inquit, *vis spiritus sancti, quæ illis vtatur, tanquã instrumẽtis ad nos sanctificandos.* Chrysostomus quoque homilia. 1. in Act. Apost. scribit ad hunc modum: *Sed quomodò dicit, Baptizabimini, cum aqua non esset in cœnaculo? Quoniam in baptismo præcipua pars est Spiritus, per quem & aqua sit efficax.* Apertissimè Chrysostomus testatur, Spiritum sanctum accedere ad elementa Sacramentorum, per quem illa reddantur efficacia ad salutem. Non est physica mutatio, vt vis spiritus sancti cohæreat coniuncta cum elementis: vt naturales qualitates solent cum sua substantia. Idem Chrysostomus in Psal. 22. tomo. 1. *Hæc aqua*, inquit, *primatum tenet in elementis: Sed cum istud elementum acceperit Spiritum sanctum, fit Sacramentum: & iam non erit aqua potationis, sed sanctificationis: non erit aqua communis, sed refectionis.* Primùm ergo elementis Sacramẽtorum externis additur vis spiritus sancti: quod non tantùm ex illis patribus, quos iam citauimus, constare potest, verùm etiam ex sacris literis. Illæ enim testantur, nos regenerari aqua & spiritu. Hæc enim duo ita coniunguntur, vt vnum sit causa efficiens, alterum tanquam instrumentum, aut obsignatio promissionis. Imò in Christi ipsius Baptismo, quemadmodum Euangelistæ tradiderunt, Spiritus sanctus accesit specie columbæ.

Id quod fit, omninò mutatur.

Symbolis adest spiritus sanctus, qui illis vtitur.

Tertullianus.

Vis spiritus sancti non tuberet inuitis elementis, vt naturales qualitates suis substantijs, sed adsit vtens elementis.

Chrysostomus.

Adhæc Sacramento accedit verbum, atq; id etiam Dei verbum: quod miror Inconstantium tam incogitantẽ fuisse, vt non potuerit intelligere. Id enim iam suprà satis copiosè ex Irenæo, & Augustino declarauimus. Quanti autem id momenti nobis videri debeat, nunc ex Augustino subijciam. Nam de baptismo contra Donatistas lib. 6. ca 25. ita scribit: *Quis nesciat, non esse baptismum Christi, si verba Euangelica, quibus symbolum constat, illic defuerint?* Hic Augustinus ait, Symbolum constare illis verbis: vt sine quibus aqua illa, profana tantùm esset aqua: symbolum autem Regenerationis non esset. Si hæc duo, quæ commemoraui, Vis, inquam, Spiritus sancti, & verbum Dei Inconstantio nostrò parua, & exigua videantur, vel potius nihil, ita enim videtur dicere, equidem quid illi magnum videri possit, non inuenio. Quicquid ergo apud patres de Sacramento baptismi, quod quidem ad hanc sacramentalem mutationem attinet, scriptum legimus, id nos non incommodè transferre possumus ad Eucharistiam.

Consideranda in his est causa efficiens, & instrumentum.

Baptismus Christi habuit spiritum sanctum præsentem.

Præter spiritum sanctum accedit verbũ ad elementum.

Sed annotandum est, istum nostrum fateri, *ad aquam baptismi accedere vsum significationis. Atqui id de pane Eucharistico prorsus negat. Quoniam*, inquit, *is fuit semper corporis Christi signum. Hieremiæ teste, cap. 11.* Sed vehementer errat. Nam locus ille Hieremiæ tantùm indicat conspirationem Iudæorum, qui inter se decreuerant, Prophetam veneno tollere. Mittamus enim, inquiunt, lignum, hoc est, venenum in panem; hoc est in cibum eius: vt pereat. Cum autem dominus dicat in sexto Ioannis, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*: fateor, Christum carnem suam contulisse cum pane per metaphoram. Non tamen ex eo sequitur, profanum, aut communem panem, ad quem verbum Dei non accesserit, esse sacramentum. Nam alioqui ego quoque possem idem de aqua dicere, cui tamen Inconstantius nouam significationem tribuit, illam multò anteà in scripturis sacris significasse gratiam, & spiritum purgantem, Multa enim in prophetis extant, & commemorantur de aqua, & in Dialogo, quem Christus habuit cum muliere Samaritide: & in eo ipso, quod dominus clamat, *Qui sitit, veniat ad me, & bibat.* Intelligere ergo iste debuit, aliud esse quocunque modo significare, aliud autem ratione, & vi Sacramenti esse signum efficax diuinæ erga nos voluntatis, & cœlestium promissionum obsignationem. Nam ad symbola mysteriorum hæc etiam duo accedunt, præter illa duo, quæ modò diximus. Verùm nisi accedat etiam sacrosancta illa Transubstantiatio, & realis præsentia carnis Christi, ista omnia Inconstantius habebit pro nihilo. Sed cogitet secum sapiens iste vir, si panis & cibi communes, quemadmodum Paulus ait ad Timotheum, sanctificantur per verbum Dei, & orationem, quanto magis in sacra Cœna panis & vinum sanctificantur, cum efficiuntur sacramenta corporis & sanguinis domini? Sed harum iste rerum, vti dixi nullam habet rationem.

Aliud est quippiam quoquomodo significare, & rationem sacramẽti significare.

Præter spiritum sanctum, & verbum duo accedunt ad sacramenta.

Adhęc mecum ita pugnat, quasi ego hîc significationis tantùm mutationẽ esse velim. Quod quàm falsum sit, iam anteà planum feci. Addit instantiam de sermonibus diuinis. *Eadem*, inquit, *verba sunt, cum sacra eloquimur, quæ erant, cum profanis verbis inseruirent.* Hic Sophista in re perspicua turpiter hallucinatur. Verba enim siue ad diuinas, siue ad profanas literas adhibeãtur, possunt & materia, & natura esse eadẽ. Ita idem potest esse panis & Eucharisticus, & qui prosteꝛ

Signa vnde habeant ſuam ſpeciem et formam.

venalis in foro. At verba non ex materia, hoc A
eſt, ex ſono, aut pictura, ſpeciem, & formã ſuam
habent: ſed ex ſignificatione. Quare cum illa a-
liter in ſacris literis, aliter in profanis ſignificẽt,
neceſſe eſt ea forma, & ſpecie lõgè diuerſa eſſe.
Pater, & Filius natura ſunt homines, nec ſpecie
inter ſeſe differunt. Quoniam tamen alius eſt re
ſpectus patris, alius filij, rectè dicimus, eos
inter ſe differre. Hæc enim eſt natura relati-
uorum. Cum ergo verba aliud nobis referant
in libris, & literis diuinis, aliud in profanis, B
non debet videri mirum, ſi ea inter ſe differre
ſtatuamus.

Deinde philoſophatur, vt ſibi quidem vi-
detur, valdè ſubtiliter. *Mutationem enim*, ait,
ſignificare deceſſionem, & acceſſionem ipſa re manente.
Hoc nihil facit contra nos. Res enim ipſa,
hoc eſt, panis, manet eadem: decedit condi-
tio profana, & accedit ratio & proprietas ſa-
cramenti. Non ſunt iſtæ res naturales, fateor.
Neque nos hìc agimus de mutatione natura- C
li. Sed viciſsim ad hanc ſuam definitionem exi
gat Tranſubſtãtiationem ſuam. Panis abit: ac-
cedit, vt ille putat, corpus Chriſti: quæ res ergo
manet? In ea mutatione, quam ego ſtatuo, facilè
oſtendam, quid maneat. Tu idem viciſsim o-
ſtendito de tua, quidque illud tandem ſit, quod
in tua Tranſubſtantiatione mutetur. Nam ac-
cidentia quidem non mutantur: panis autem,
quem abiiſſe dicitis, multò minus: neque ſanè
corpus Chriſti. Id enim, vt vos credi vultis, illud D
eſt, quod accedit. Neceſſe ergo eſt, mutationem
iſtam veſtram valdè prodigioſam eſſe, vbi nihil
ſit, quod poſsit mutari.

Tamen quibus eam coloribus iſte noſter or
net, audiamus. *In hac*, inquit, *mirabili mutatione*
nõ manet, quod mutatur. At niſi maneat, quod mu-
tatur, ex ea definitione, quam tu modo attuli-
ſti, mutatio nulla erit. Addit: *Nec aliud gene-*
rat, aut auget: ſed in aliud deſinit. Atqui panem,
qui tua ſententia deficiat, & pereat, non potes E
rectè dicere, deſinere in aliud. Illud enim aliud
non attingit: niſi fortè velis dicere, corpus
Chriſti accedere, ac vi quadam ſua extrudere
ſubſtantiam panis, vt ſibi locum cedat, vbi
poſsit ſub accidentibus habitare. Huc ad-
dit: *Et hactenus cum mutatione conuenit naturali,*
quod aliud erat, aliud modò eſt: licet, quod erat,
non ſit illud aliud: quod eſt mirabile in oculis no-
ſtris. Si tua Inconſtanti, mutatio in eo con-
uenit cum mutatione naturali, quod, cum F
anteà aliud fuerit, modo ſit aliud, cur muta-
tionem meam negas vllo modo poſſe con-
uenire? illam, inquam, qua dicimus, panem,
cum anteà communis, & profanus fuerit, nunc
factum eſſe ſacramentum? Hic enim quod mu-
tatur, quòd ab ſubſtantiam attinet, manet idem
quod fuerat: quod ipſe fateris in tuam mutatio-
nem non conuenire. Patres verò, quaſi dedita
opera nugatoriam iſtam tuam fictionem volue
rint confutare, ſepiſsimè dixerunt, panem, & G
fruſta panis eſſe corpus Chriſti: & Chriſtum i-
pſum pronuntiaſſe de pane, illum eſſe corpus
ſuum. Vos ergo, non tantum contra nos, ſed
etiam contra diuinas literas, contra Patres, con
tra naturam rerum, contra experientiam ipſam
iſta ſtatuitis.

Obiectat etiam illa verba Cypriani, *Panis, non*
effigie, ſed natura mutatus. Quæ verba quemadmo
dum intelligenda ſint, & ſuprà ſuo loco, & alibi
ſatis declarauimus. Breuiter, nemo vnquam pu
tauit, effigiem, aut accidentia panis mutari. Illa
enim eadem manere, quæ erant antea, vel oculi
renuntiant. Naturam autem, id eſt, proprietates
panis, quas anteà commemorauimus, mutari
non dubitamus. Imò ea ibi eſt mutatio, quam
appellamus Sacramentalem, & pro qua nunc
tantopere propugnamus. Quemadmodum aũt
probatum à nobis ſit ex ſcripturis, ex Patribus,
ex rationibus, ſubſtantiã panis manere, neceſſe
nõ eſt hìc repetere. Quàm autẽ Incõſtãtius pro-
cul diſcedat à proprietate ſermonis, vel ex eo fa
tis liquet, quòd intereà, dũ de ſua iſta noua mu-
tatione garrit, hoc etiã adſcripſerit, Naturam pa
nis cõuerti in carnẽ verè præſentẽ. Quod tamẽ
ex ipſius definitione fieri nullo modo poteſt.
Nam, quod mutatur in aliud, id intelligimus,
quod ad materiam attinet, manere: quamuis
forma vel ſubſtantialis, vt loquuntur, vel acci-
dentalis immutetur.

Video etiã iſtũ, quò longius nugãdo progre-
ditur, eò arctiores in nodos ſeſe induere, & le i-
pſum magis magiſq; implicare. *Nam ſi ſacramen-*
tum, inquit, *ſic accipias, vt ſit viſibilis forma inuiſibi-*
lis gratiæ: ſubſtantia panis, quia nõ eſt viſibilis forma,
ſed inuiſibilis, non poteſt eſſe ſacramentum: ſed eius pa-
nis effigies potius, quæ eſt viſibilis. Eſto ſanè, Incon-
ſtanti, quando tu ita vis. Sed hac ratione nec a-
quæ ſubſtantia erit ſacramentum Baptiſmi. Ea
enim nihilo magis eſt viſibilis, quàm ſubſtãtia
panis. Ergo effigies etiã aquæ, & accidẽtia erũt
poſthac ſacramentũ. Quid tu quæſo, ad hæc? In
eoſdem caſſes te ipſum, cõiecisti, quibus ſpera-
bas nos poſſe impediri. Verùm iſtũ hominẽ, nõ
multæ literæ, ſed ſophiſmata, & inexplebilis
quædam libido garriẽdi redegerũt ad inſaniam.
Non enim videt, formam, ſeu ſpeciẽ apud bo-
nos ſcriptores ſæpè non tantùm alteram par-
tem rei compoſitæ, formam videlicet eius, aut
accidentia, ſed etiam rem ipſam totam ſignifica-
re. Dialectici enim ſub Animali conſtituunt ſpe
ciem, ſeu formam hominis. An hìc dicet Incon-
ſtantius formam hominis pro anima humana
poſitam eſſe, & pro accidentibus?

Imò ſubſtãtia ipſa hominis tota ea voce com
prehenditur. Ita Ambroſius etiam loquitur, De
iis qui initiantur myſterijs cap. 9. *Ante benedictio*
nem, inquit, *verborum cæleſtium, alia ſpecies nomina-*
tur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur.
Hic ſpecies naturam ipſam panis indicat. Nam
ſymbolum Euchariſtiæ ante Conſecrationem
dicitur panis, non accidentia panis. Et quæ tan
dem eſt iſta ſtultitia, dicere ſubſtantiam panis
eſſe inuiſibilem? Scimus, quidem, ſubſtantiam
ipſam per ſe nõ eſſe obiectũ ſenſuum. At eam
prorſus inuiſibilẽ eſſe, Inconſtantius noſter pri-
mus vidit. Ea enim etſi non ipſa per ſe, tamen ex
proprietatibus, & accidentibus videri poteſt.

Species non forma, non tantum ſignificat compoſiti alteram partem, ſed totum.

Natura panis non dicitur inuiſibilis.

Quid

Quid autẽ noſtra refert, ſiue illa per ſe, ſiue per aliud videatur? Certè, cum Deum prædicamus creatorem rerum viſibilium, & inuiſibilium, nõ tantum eum dicimus creaſſe accidentia rerum corporearũ, ſed etiam ſubſtantias, quas ipſas ſapientes nũquã dubitarũt dicere viſibiles. Cumque dicimus Filium Dei natura factum viſibilem, non dicimus, eum accidentia tantùm recepiſſe humanæ naturæ.

Deinde experitur, quid in altera quoque Sacraméti definitione poſsit. *Sin verò* inquit *dicatur, Sacramentum eſſe rei ſacræ ſignum, iam panis & hoc modo erat Sacramentum ante vſum cœnæ. Quia & in Prophetis, & in lege Chriſtum ſignificabat: ita vt non ſit neceſſaria aliqua mutatio, ſed potius eius, quæ in pane iam aderat, explicatio.* Cæterùm non videt, hoc idem facilimè torqueri poſſe ad Sacramentum Baptiſmi. Aqua enim iam anteà in Lege, & in Prophetis ſignificauit emũdationem à peccato. Fuit ergo Sacramentum antequam Baptiſmus inſtitueretur. Panem equidem in Lege cum adhiberetur ad Sacrificia, non nego fuiſſe Sacramentum: nec eum nego habuiſſe mutationem ſacramentalem ex inſtitutione domini. Eam tamen mutationem non habuit, vel cum pinſeretur, vel cum in foro, aut in officina proponeretur: præter iſtam autem ſignificationem, quid in hac mutatione ſacramentali accedat prætereà, ſatis iam explicuimus: neque ea hîc neceſſe eſſe arbitror refricare. Nec opus eſt plurib. perſequi, quid inter veterum Sacrificia, & noſtra ſit diſcriminis.

Addit, *nos non poſſe dicere, panem mutari in Sacramentum, præſertim cum nolimus eum mutari in rem cœleſtem, quæ ſecundum Irenæum eſt altera pars Sacramenti. Itaque neceſſe eſſe, vt dicamus, mutationem illam noſtram fieri, non in Sacramentum, ſed in partem aliquam Sacramenti.* Ego verò reſpondeo, panem mutari in rem cœleſtem: rem enim humanam, & naturalem non poſſe dici Sacramentum. Sacramenta enim nõ poſſunt ab homine inſtitui. Deinde etiam Sacramentum, quod Irenæus ait, conſtare ex duabus rebus, quarum altera ſit terrena, altera cœleſtis, damus: & terrenam quidem rem eſſe ſymbolum, cœleſtem autem eſſe corpus Chriſti, ſi illa inter ſe duo conferantur. Nec tamen hoc efficit, quin ſymbolum ipſum, cum adhibetur ad ſacrum vſum, ſacra, & cœleſtis res dici poſsit. Deus enim in Veteri etiam Teſtamento appellat Sacramenta Legis interdum ſancta ſua, interdũ Sancta ſanctorũ. Quis autẽ prudens no bis vitio vertat, ſi, cum loquamur de Sacramento, ſtatuamus panem & vinum eſſe ſigna, corpus autem & ſanguiné Chriſti eſſe res ſignificatas? Sine his enim partibus Sacramentum conſtare non poteſt. Nec in eo quidem rectè damnari poſſumus, quòd rationem omnem exhibendæ, & aſſequendæ cœleſtis alimonię aſcribimus ſpiritui ſancto & fidei. Non enim ea cauſa aut inſtitutum domini, aut verba Chriſti, aut vſum Sacramenti, aut corpus & ſangu nem Chriſti excludimus. Neque vt iſte calumniatur, vocabula panis, & corporis apud nos otioſa ſunt. Panis enim & vinum inſtrumenta ſunt quibus à ſpiritu ſancto fides noſtra excitatur. Corpus autem Chriſti res ipſa eſt, in quam fides noſtra dirigitur, & per quam Deus nobis ſalutem, & vitam æternam ſubminiſtrat. Hæc omnia niſi fallor, non poſſunt rectè dici otioſa.

Deinde quærit, quæ nam ſint partes panis mutati. Et pro nobis ipſis ſibi reſpondet: *Exhibere, atq; offerre ipſiſſimum Chriſti corpus, non leuiter, non caſsè, non inaniter, non ſignificatione ſola, ſed potenter, & efficaciter. Verba*, inquit, *iſta, præclara ſunt, & magnifica: ſed quæ nihil recõditi ſenſus habeant.* Quinam illi ſint ſenſus tam abſtruſi, & reconditi, quos Inconſtantius tantopere deperit, ipſe videat. Equidem non alios eſſe arbitror, quàm Tranſubſtantiationes & reales præſentias: quæ ſi ab hoc Sacramento auferantur, nihil putat præterea in eo ſupereſſe ſalui, atque integri. Nobis autem cum iſtis ſenſibus tam arcanis, vt in omnibus ſcripturis nuſquam poſsint inueniri, nihil eſt commercij: neque ſane eſſe debet.

Quod autem obijcit, *noſtrum ſenſum in ſymbolo ipſo fidei aliquantò apertius exprimi:* id primum non eſt verum: deinde etiam ſi eſſet, tamen aduerſus nos nihil faceret. Neque enim hoc in ſymbolo, quod ſciam, vſquam canitur, nos ſyncerè & ritè manducando Sacramentum Euchariſtiæ, animo, & fide veſci corpore & ſanguine Chriſti. Mortuum quidem illum eſſe noſtra cauſa, & in cœlum aſcendiſſe, ibiq́ue ſedere ad dextram patris, habemus in ſymbolo: illum autem fieri cibum noſtrum, aut vlla ſpirituali manducatione nos paſcere, diſertis verbis non habemus. Cæterùm fingito, ita eſſe. Tamen vt dixi nihil id officeret ſententiæ noſtræ. Eadem enim Sacramentis exprimuntur, quæ verbis. Nam Auguſtinus ait, Sacramenta eſſe verba quædam viſibilia. Imò Deus illis, tanquam ſigillis quibuſdam vti voluit, quibus verba ſua & promiſsiones obſignaret. Nos ergo vt verborum Dei, & Sacramentorum ſenſus veros quidem, & natiuos quærimus, non autem iſtos neſcio quos, abſtruſos, & reconditos: ita non maiorem vim, & efficaciam ſignificandi verbis adſcribimus, quàm Sacramentis. Nulla enim Sacramenta recipimus, quæ ſecum coniuncta non habeant verba Dei. Sed hic mihi vicisſim reſpondeat Inconſtantius, quos ſenſus arcanos aqua habeat in Baptiſmo, quos eoſdem ſymbolum, & verba diuinarum literarum de remiſsione peccatorum, & Regeneratione non habeant? Cum nullum poſsit commemorare, videtur data opera voluiſſe contra ſe ipſum iſta dicere. Neque verò noſtrum quiſquam, quod ego ſciam, vnquam dixit, vim in Symbolis Sacramentorum tenuiorem eſſe, quàm in verbis Dei. Hoc, opinor, Inconſtantius finxit, vt ſolet, de ſuo. Nos enim docemus, non eſſe habenda pro Sacramentis, niſi quæ ſecum & verbum Dei, & ſacrum vſum coniunctum habeant.

Sacramenta non recipimus quæ non habeant coniuncta verba Dei.

Quod autem ait, *viuam vocem habere latentem energiam*, fatemur. Verum hac in re oculi referendi ſunt in ipſum Deum. Is enim, vt no-

bis ſanctiſsima quædá dedit verba, quibus nos inſtitueret, & flecteret ad ſalutem, vi, atque opera ſui ſpiritus: ita etiam delegit certa quædam ſymbola ad Sacramenta, per quæ in animis noſtris efficaciter operetur, & fidem in illis excuſcitet, illoſque donis ornet vberioribus. Quare nos non plus verbis Dei, quàm Sacramentis: nec his plus, quàm illis tribuimus. Vtraq; enim in ſuo genere ſunt inſtrumenta ſalutis noſtræ. Hoc etiam addo, Exhibitionē, & aſſequutionē ſalutis noſtræ, & corporis ac ſanguinis Chriſti, quod quidem ad rem ipſam attinet, nihil magis ex Sacramentis haberi, quā ex verbis Dei. Verū hīc vehementer hæret Inconſtantius. Nō.n. exiſtimat quicquam offerri, aut exhiberi poſſe, niſi quod præſens adſit realiter. Quaſi verò verba Euangelij, & ſanctarū ſcripturarū non verè dicantur, vitā æternā, & felicitatem credentib. exhibere. At illa tamen verba vitā æternam in ſe ipſis realiter concluſam nō habent. Imò nos eam adhuc per fidem expectamus. Et Paulus ait, Chriſtū feciſſe nos iam conſidere ad dextrā in cœleſtibus: idq; nobis iam dudū exhibuiſſe, quod tamen nos adhuc re ipſa non habemus. Chryſoſtomus etiā ait, res abſentes, nobis per fidem fieri poſſe præſentes. Monet enim cōmunicantes, vt inſtar aquilarum aſcendant in cœlum, atque ibi fruantur Chriſto. Sacram enim menſam non eſſe graculorum, ſed aquilarum. Omnia verò eius verba hoc loco deſcribere non eſt opus. Ea enim ſuprà ſuo loco bona fide retulimus. Hic autem ea vtcunque volui reuocare, quòd viderem, nos ab iſto homine adeò ſuauiter irrideri.

Nos verba Dei & Sacramenta æquamus.

Possunt offerri & exhiberi quæ realiter & ſubſtantialiter præſentia non ſint.

Chryſoſtomus,

Ait enim, *nouum eſſe oblationis, atque exhibitionis genus, ſi id, quod offertur, aut exhibetur, aſſequi nō poſſimus, niſi ad illud ædeamus.* Quaſi verò non rectè dicamus, Imperatores offerre, atque exhibere munera, & coronas militibus, quæ tamen nō niſi accurrentibus ad ſigna, & ad ſe accedentibus ſint daturi. Et ne ab huius fictionibus diſcedamus, ipſe cum ſuis omnibus iactare ſolet, Chriſtum exhibere, atque offerre carnem ſuam in Euchariſtia. Hic velim mihi reſpondeat, vtrum eam illis, qui domi maneant, dari putet: an illis potius, qui ſeſe ad templum, & ad ſacrificium conferant. Quòd ſi eam dicat non dari, niſi accedentibus, cur non mihi liceat etiam exclamare: O nouum oblationis atque exhibitionis genus, quod habere non poſsis, niſi ipſe adeas, & tibi ipſe quæras? Fortaſſe cauillabitur, longè aliud eſſe aſcendere in cœlum, quā adire ad templum. Verùm quidem id eſſet, ſi pedibus iter eſſet conficiendum in cœlum. Quoniam autem fide, atque animo eundum eſt, non dubito, quin eò ita multò citius peruenīri poſsit, quàm pedibus ad templum. Paulus quidem nos in epiſtola ad Coloſſenſes monet, vt, ſi ſurreximus vnà cum Chriſto, ea, quæ ſurſum ſunt, quæramus, non autem ea, quæ ſuper terram. Et ad Philippenſes ait, Noſtram conuerſationem eſſe in cœlo. opinor, vt aliquid ibi nobis offeratur, & exhibeatur, quod in terris non poſsit inueniri. Cœleſtia autem vi fidei, tanquam machina comprehendi, noſtro animali Sophiſtæ abſurdum, & ridiculum videtur. Nos tamen ſcimus, fidem animo noſtro, tanquam manum aliquam datam eſſe, qua ea poſsimus complecti, quæ ſenſus, & humana ratio non poſsit attingere. Quod quicunque neſcit, is elementa ipſa noſtræ pietatis neſcit. Omnino huius Sycophātæ doctrina & noua, & inaudita eſt. Noſtra verò omnibus modis & partibus, & cum veterum Patrum ſententijs & ſcriptis conuenit, & cum diuinis literis.

Chriſtus, inquit Inconſtantius, *non iuſſit nos fide in cœlum aſcendere, vt ibi regnantem manducemus. Sed terram*, inquit, *dedit, vt Auguſtinus interpretatur, & in terris dedit: & terrenis adhuc dedit, & dat: ſed terram cœleſtem effectam, & nunc in cœlis regnantem: præſentem nihilominus in cœlo, quoties eam celebramus.* An Chriſtus iuſſerit nos aſcendere ſublimes in cœlum, vt ibi veſcamur eius carne, ſatis luculenter videre poſſumus ex ſexto capite Ioannis. Ibi enim dominus, vt craſſas illorum hominum cogitationes, qui non putabant carnem eius poſſe comedi, niſi inſtar aliorum ciborum faucibus & dentibus comminuerētur, inſtitueret, mentionem fecit aſcenſionis ſuæ in cœlum: vt intelligerent ad illud officium nihil opus fore dentibus. Neque enim dentes noſtri & fauces poſſunt ad cœlum vſq; pertingere. Atque ita eos docere voluit, eſum illum, de quo loquebatur, non ad dentem, aut ventrem, ſed ad fidem, & mentem pertinere. Quemadmodum autem & Paulus, & Patres plerique omnes cœleſtem conuerſationem nobis inculcent, dictum eſt. Quod autem ad primam illam cœnam, quam dominus inſtituit, attinet, nihil tum opus erat, vt caro eius in cœlo quæreretur. Vnà enim accumbebat ipſe in menſa cum ſuis. Itaque huiuſmodi admonitio tum temporis fuiſſet intempeſtiua. Quid autem verba illa Auguſtini in Pſalmum 98. ad hunc locum faciant, nec Inconſtantius declarare voluit, nec alius quiſquam, opinor, poteſt intelligere. Carnem Chriſti etiam nunc, poſtquam ablata eſt in cœlum, aliquo tamen modo poſſe appellari terram, non ambigimus. Retinet enim adhuc ſubſtantiam, & naturam humanam. Verùm hoc ita non facit pro iſto noſtro, vt eius cauſam planè iugulet. Nam cum ita ſit, non poteſt fieri, vt illa aut vbique ſit, aut per infinita loca diffundatur. Nos etiam ipſi, etſi propter naturam corporis ſimus terreni, tamen magno Dei beneficio adiunctas habemus alas fidei, & ſpiritus, quibus attolli poſſimus ad Chriſtum, eaq; terra, hoc eſt, carne Chriſti in cœlis regnante frui. Hactenus Inconſtantius, quamuis multis ambagibus vſus ſit, non tamen aut noſtram ſacramentalem mutationem extrudere potuit, aut in eius locum ſuam illam ſubſtantialem, quod tantopere fatagebat, ſurrogare. Verbis quidem fortaſſe fecit aliquid: re autem ipſa, & ratione nihil. Nunc æqui lectoris erit iudicare, vtrum nos illū verbis voluerimus, an potius rationibus refutari.

REGVLA

REGVLA VI.

PRAETEREA sciendum est, quod ad res ipsas attinet, inter nos, & Capernaitas nihil esse discriminis. Illi enim putarunt, se comesturos esse veram Christi carnem: id nos etiam ipsi non tantùm putamus, sed etiam credimus. Discrimen autem est in modo, & ratione comedẽdi. Nam quod illi putarũt faciendum esse carnaliter, id nos docemus, non fieri, nisi spiritualiter. Alioqui dicimus, verum nobis corpus, & verum sanguinem dari. Quia fides non complectitur ficta, sed vera.

GARDINERVS.

NEMO fidelis cogitatione communicat cum Capernaitis: qui se corpus, quod videbant, comesturos putabant.

MARTYR.

ISte se continere non potest ab argutijs, & notis sophismatis. Se enim, ac suos hoc nomine distinguit à Capernaitis, quòd illi se putarint comesturos corpus illud quod videbatur: se autem docere, Corpus quidem illud ipsum comedi, sed velatum, & vestitum accidentibus, vt videri non possit. Discrimen ergo omne est penes visibile, & inuisibile. Nam hæc apud istos est spiritualis ratio manducandi: cum alioqui carnem domini re ipsa præsentem, & ore, & dentibus, & faucibus comedi, & doceant, & prædicent: & nisi ita te dicas credere, ignibus, & ferro sæuiant. Et verba illa Augustini, *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis*, inuita quasi obtorto collo rapiunt in hanc sententiam. Atqui Christus in sexto illo capite Iohannis nec visibilis corporis, nec inuisibilis mentionem vllam fecit. Fidem tantùm commendauit, & commemorauit Ascensionem suam in cœlum. Nec Augustinus in Psalmum illum 98. aliter verba illa Christi interpretatur, quàm quomodo ea Christus ipse exposuit in sexto Iohannis. Ait enim, Christum ea retulisse ad sensum, atque animum Capernaitarum. illos enim putasse, Christum hoc docere voluisse, carnes suas concisas in frustra atterendas esse dentibus, atque ita comedendas. Id autem quoniam vel cogitatu nefas erat, idcircò instituit sermonem sub persona Christi. Et *non hoc corpus*, inquit, *comesturi estis*: non eo, inquam, modo, nec ea ratione, qua vos opinamini.

Aduersarij maximè faciunt cum Capernaitis.

Sed, vt ad rem ipsam veniam, quomodo dicit iste, se nullo modo facere cum Capernaitis? aut qua fronte ait, se ne cogitatione quidem cum illis consentire? Illi somniabant, corpus ipsum, & carnem Christi ore, & dentibus esse comedendum. Vos etiam, Inconstanti, idem omninò somnium somniatis, & nos in comedendo Christi corpore ad oris, & dentium officia reuocatis. Aut si hoc non sentitis, cur nos damnatis, qui hoc negotium vniuersum, ad fidem, & ad spiritum referimus? cur non potius posita omni contentione, redimus in gratiam? At si docetis, quod certè facitis, carnem Christi ore ac dentibus manducari, & tantùm additis, illam latêre inuisibilem sub accidentibus, quid vos iactatis tantum abesse à Capernaitis? Illi enim prorsus vobiscum conueniebãt. nisi quod erant paulò simpliciores, nec ita subtiliter poterant confingere artocream, & carnem Christi inuisibilem in crustulam includere. Expendatur res ipsa: id enim diserte adscripsi ad Regulam, Quod ad res ipsas attinet. Videamus ergo vtri nostrum propius accedant ad Capernaitas. Nos cum illis tantum in re ipsa: vos etiam in ore, in palato, in vẽtre conuenitis. Atqui nos illis ista non damus: sed opus hoc totũ menti, & fidei adscribimus. Illi vobiscum statuebant, carnem Christi præsentem esse corporaliter comedendam: nos autem eam dicimus re ipsa absentem spiritualiter tantum esse percipiendam. Hæc cum ita sint, tamen Inconstantius gregẽ suum totum tam sanctũ, & purũ esse iactat, vt nulla in re cõueniat cum Capernaitis.

Deinde etiam me grauiter accusat, quòd dicam nos, quod attinet ad rem ipsam, à Capernaitis non dissidere. *Nam illi*, inquit, *rem ipsam ignorabant, vt qui non intelligerent, spiritualem & diuinam carnem à Christo dari.* Verùm, Inconstanti, hoc tu scire debebas, illorum prauam negligentiam rem ipsam non potuisse immutare. Videbant quidem, carnem illam humanam esse, de qua dominus loquebatur. Quamuis autem diuinitatem in Christo non viderint, tamen id ad nostram quęstionem nihil pertinet. Non enim id nunc disputamus, vtrum caro illa Christi habeat vim sanctificandi. Nec ea manducatio, de qua nunc agimus, per se refertur ad diuinitatẽ: sed propriè ad naturam humanam, quatenus ea nostra causa suffixa est in crucem. Hæc ergo nũc comminisci, atq; interponere, nihil erat aliud, quàm diuerticula, & suffugia quærere: quod iste, vel astu, vel malitia, vel stomachi impotentia, ad rem obscurandam, & offuscandos oculos Lectoris, sæpissimè facit.

Deinde queritur, *hanc Regulã à nobis ænigmatis instar proponi, qua Papistæ suggillarentur.* Quid ni? An enim ita impium, & nefarium est, ostendere quàm procul, quamque turpiter isti homines à vero discesserint, & sese ad Capernaitas etiam adiunxerint? Verùm isti, cum ita magni sint, & sancti patres, putant sibi quidem licere, alios omnes pro libidine Hæreticos, Sectarios, Schismaticos, Cauillatores, Figuratores appellare: se autem à quoquam nefas esse attingi. At nos tantum admonere illos voluimus stupiditatis suæ, nec Lectori ænigma, sed certissimam obseruationem proponere: vt videret quid inter nos, & Papistas interesset. Id enim in causis cognoscendis vtilissimum esse ad docendum,

& in primis ſpectari intelleximus, vt Iudex perſpicuè videat, & quid inter aduerſarios conueniat & quid relinquatur in controuerſia.

Addit inſuper, *nos in modo tantũ, & ratione mãducandi diſcrepare à Capernaitis. Quod enim illi putabant faciendum carnaliter, nos docere, fieri oportere ſpiritualiter: & nos cauſam noſtram cum Capernaitarum ſacrilegio communicare. Nam quod illi ſacrilego modo opinabantur eſſe faciendum, id nos cùm negemus omninò fieri, & propriam corporis Chriſti manducationem in ſacramento auferamus, ſacrilegio manifeſto rẽ ſacram ſurripere.* Eſt quidem iſta grauis contumelia: ſed cui facilè poſsit reſponderi. Nos enim corpus Chriſti à ſymbolo Euchariſtiæ non auferimus. Neq; enim illud anteà vnquã ibi præſens fuerat. Inconſtantius autem, cum ex Euchariſtia tollere velit ſubſtantiam panis & vini, quam negare non poteſt ibi anteà extitiſſe, ſeſe manifeſtiſsimi alligat ſacrilegij. An autem nos manducationem carnis Chriſti auferamus, cũ illam dicamus ſpiritualem eſſe, & fide tantùm atque animo perfici, prudens Lector facilè iudicabit. Iſti verò cùm Chriſti corpus ſub accidentibus collocant, & molesua, & membris omnibus expoliant, quomodo negare poſſunt, id eſſe graue ſacrilegium? Nam quod dicunt, corpus Chriſti ore & dentibus apprehendi, totumq; quantũ quantũ eſt, tranſmitti in ventriculum, quàm ſit ſacrilegum nihil pronuntio: certè fatuum, & ineptum eſt, & nocturnum potius phantaſma, quàm ſanorum, & vigilantium hominum cogitatio. *Sed propriam eſſe* ait *manducationem, quæ fiat in myſterio.* Quem autem modũ huius myſterij intelligat, nunquã adhuc, quod ſciam, cuiquam aperuit. Videlicet, illud ſibi ſoli retinere voluit, tanquam myſterium. *Verum nos*, ait, *ſola in credulitate verſari.* Cæterum an fides viua, & efficax, qua iuſtificamur, & acceſſum habeamus ad Deũ patrem per Ieſum Chriſtum, ita contemptim appellanda ſit credulitas, ipſe viderit. Nos ex capite ſexto Iohannis ſcimus, carnem domini ea manducari: & Auguſtinum dicere, Crede, & manducaſti

Quod autem ait, ſe dubitare, an omnino aliquid credamus, minimè miror. Alios enim metitur pede ſuo. *Vtinam*, inquit, *crederetis.* Si hoc ex animo dicis, Inconſtanti, cur non, poſitis ſophiſmatis, & conuitijs, verba potius ſcripturæ ſacræ nobis proponis? Ex illis enim ſolis ordinaria via fides in animis hominum accenditur: quam autem rarò & parcè audire ex te potuerimus verbum Dei, vel tuus iſte liber poteſt optimus eſſe teſtis. Legi equidẽ aliquãdo declamationem tuam de Obedientia contra Papam, non ſanè inelegantem, & bene munitam ſacris literis. Sed cum tu non ita multò poſt, mortuo Henrico à doctrina tua, & à te ipſo deſciueris, facilè nobis indicaſti quantũ tu ipſe crederes, tantum videlicet, quantum princeps tuus velit.

Ad rem redeo. Ais *ſpirituali illa manducatione, quam nos docemus, excludi Sacramentum.* Miror verò te, qua fronte id dicere potueris: præſertim cum iam toties à nobis dictũ, atque explicatum ſit, huiuſmodi manducationem ſpiritualem poſſe conſtare etiam ſine Sacramento. Illam autem viciſsim cum Sacramento optimè congruere, tum quia Chriſtus illud inſtituit, & ſymbola externa tanquam ſigilla quædam promiſsionibus ſuis adiecit, tum etiam, quia verba, quæ ibi recitantur, & externa manducatio Sacramenti, inſtrumenta ſunt ſpiritus ſancti, quibus fides in nobis excitatur, & ſpiritualis manducatio promouetur. Certè nos è noſtris templis vſum Cœnæ Dominicæ non ſuſtulimus: Sed & Sacramentum, & rem Sacramenti vnà piè, & diligenter conſeruamus. Vos potius, cũ eripitis ſubſtantiam panis & vini, tollitis omnem rationem Sacramenti. Neque nos Sacramenti violatores rectè dici poſſumus: illud enim, quantum poſſumus, à veſtris fraudibus, & furtis aſſerimus.

Intolerabile verò eſt, quod ait, nos in verbo illo, Manducare, ineptè & ſtultè ludere. Nam, ſi hoc idcircò dicat, quòd nos manducationem tribuamus fidei, & verba ipſa ſacrarũ literarũ, & patrum ſententiæ ſatis nos tuentur. At ſi ea cauſa viſi ſumus inepti & fatui, quod dicerem⁹, corpus Chriſti re ipſa & à nobis abeſſe ipſis, & à pane: non verbis, & conuitijs, ſed ſcripturis, & rationibus eramus confutandi. Profectò, ſi patres in deſerto, vt Paulus ait, manducauerunt eundẽm cibum ſpiritualem, & potum eũdem ſpiritualem nobiſcum biberunt, quod Auguſtinus etiã diſertiſsimis verbis teſtatur, huiuſmodi corporalis præſentia nec neceſſaria erat, nec dari etiam illo tempore potuiſſet.

Falſum ergo eſt, quod Inconſtantius ore tam pleno crepat, *corpus Chriſti, niſi adſit realiter, non poſſe vllo pacto comedi. Capernaitæ*, inquit, *veritatem carnis in manducatione ſpectabãt ore excipi: & vos negatis ore excipi: & aliam ſentitis manducationẽ abſentis corporis. Quare non in ſolo modo ab eis diſcrepatis, qui adeò diſſentitis.* Collige, quæſo tè, Inconſtanti, & audi paulò attentius. Cum dicimus, nos in eo diſcrepare à Capernaitis, quod illi putarint, corpus Chriſti ore ipſo corporis, & fauces comedẽdum eſſe, nos autem id referamus ad mentem & ad fidem, nónne vniuerſum diſcrimen ſitum eſt in modo? Nam res certè eadẽ eſt vtrinque: contenditur autem tantùm de modo, & ratione comedendi.

Poſtremò concludit, *Nos cum oppugnemus inſtitutionem Chriſti, non poſſe ſpiritualiter comedere eius carnẽ.* Nos verò, Inconſtãti, Chriſti inſtituta & ſeruamus, & colimus: quæ vos quotidie tyrannica, & prorſus ſacrilega violentia reſcinditis.

Id enim in templis veſtris fieri, nobis etiam tacentibus, res ipſa loquitur.

REGVLA VII.

ITEM cũ legimus in Patribus, corpus Chriſti haberi, aut contineri in ijs myſterijs, nihil aliud intelligere debemus, quàm corpus Chriſti in illis denotari, oſtendi, demonſtrari,

demonstrari, significari.

GARDINER.VS.

HAC Regula veras significationes falso mutat, & per fallaciã tollit: qui tam ægrè alioqui fert mutationis verbũ.

MARTYR.

NE parum facetus videatur, quod ego dixi, Haberi aut contineri, idem esse quod ostẽdi, aut significari, *id*, ait, *nec dictum, nec pictum, nec scriptum, nec auditum fuisse vnquam.* Hæc scurrilia missa facio. Ego autem dico, me hanc obseruationem proposuisse de sacramẽto Eucharistiæ: & sententiã meã confirmari posse ex dictis Patrum. Nam & Tertullianꝰ, & Cyprianus, & Basilius, & Augustinus, & alij complures non obscurè scribunt, corpus & sanguinẽ Christi in pane & vino significari, ostẽdi, demonstrari. His testibus mihi, opinor, vti licuit: etsi verba illorũ non expresserim, quibus se ipsos cum ita loquuntur, solẽt exponere. Neq; hæc obseruatio ad mentẽ referẽda est communicantiũ, nam ea corpus ipsum Christi fide complectitur, sed ad symbola. Nam illorũ propriũ est in mysterijs, quemadmodũ omnes Theologi testãtur, significare. Omnes enim in eo consentiunt, Sacramentum esse signum rei sacræ.

Proprium symbolorũ & significare.

Deinde doctissimum simul, ac sanctissimũ virum Bucerũ testem citat: *quem tamen* ait, *multis nominibꝰ esse improbandũ.* Primũ, si iudicio tuo improbandus est, cur illũ accersis testem? Si tu eum non probas, quomodo eum à nobis probari postulas? Si errauit alibi, cur non errauit hic quoq;? Hæc quidẽ tibi responderi possent ab illis, qui Buceri authoritatem contemnerẽt. Ego verò, qui eius viri summã doctrinã, & perpetuam vitę innocentiam semper sum admiratus, potius ad diligentẽ eius lectionem te remitto. Ibi quære, an ille Transubstantiationẽ vestram vnquam defenderit: an vnquã substantiam ipsam carnis Christi ad panẽ & vinũ alligariti an eam ipsam carnem promiscuè à pijs impijsq; percipi docuerit. Postea de Buceri authoritate nobis insultato, quantũ voles. Fateor illi, cum interpretatur hæc verba, *Hoc est corpus meũ*, Synechdochẽ magis placuisse. Et eã ipsam nos quoq; modò rectè intelligatur, non reijcimus. Eucharistia enim, quod sæpè diximus, constat duabus rebus. Sed nil necesse est, vt illæ res sese contingant locali præsentia. Antiquioribus tamẽ Patribus magis arrisit Metonimia: quos ego si sequor, non video, cur cuiquam videri debeam iniuriam facere veritati, aut sectarius & hæreticus appellari. Verùm, vt quòd res est, dicam, ego me ab Inconstantio multò vituperari, quàm laudari malo. Tantùm videlicet est in eius suffragio momenti & ponderis.

Deinde calumniatur, *me de Patribus ex me ipso facere coniecturam*: quasi illi voluerint suis verbis lectori fucum facere, & aliud senserint, aliud scripserint, linguę & cordis perniciosissimo dissidio. Hoc ego vitiũ Patribus non inuro. Hoc tantùm dico, illos quod aliquo in loco scripserint obscurius, id alibi apertius delarasse. Cęterũ huiusmodi iniurijs nemo Patres sæpius, aut grauius afficit, quàm Inconstantius. Sępe enim iam suprà affirmauit, illos in calore atq; impetu disputationis longè aliter scripsisse, quã aut iudicarint, aut senserint. Atq; ita distinguit illorum dicta, vt alia velit ἀγωνιστικῶς, alia δογματικῶς intelligi. Inconstantius ergo grauius, & contumeliosius lędit authoritatem Patrũ, quàm nos. Is enim non dubitat, illis tribuere duo corda, non tantum duas linguas: alterum cum disputant: alterum cum sedatè loquuntur, & figunt dogmata. Nam nos quidem vnam tantùm illis linguam, & vnum cor adscribimus: sed ita vt quod alicubi, vt fit, dictum erat obscurius, id alibi clarius, & dilucidius explicent.

Inconstãtius, quo ego Patres affi cit ĩiuria.

Addit, *esse quosdam, qui cum explicent sacramentũ Eucharistiæ, hæc duo verba Contineri, & Significari ita distinguant, vt dicant, corpus Christi mysticum in sacramento significari quidem, non contineri: corpus autem Christi naturale & significari & contineri. Id*, ait *non esse obseruatum in mea Regula. Me enim verbum illud Contineri, exponere per Significari.* Hæc distinctio neutra ex parte dictis Patrum satis facit. Nam illi & mysticum corpus Christi dicunt in sacramẽto contineri, & corpus naturale significari. Verùm id antequã declaro ex Patribus, vnum locum citabo è scripturis: Paulus ait: *Vnus panis multi sumus.* Hæc haud dubiè pertinẽt ad corpus mysticum. Quomodo hìc iste noster exponi velit verbum illud substantiuũ, *Sumus*, nescio. An enim dicet, nos reuera esse panem, an potius pane significari? Significari, opinor, potius dicet: ita enim nũc in sua ista distinctione loquitur, quàm tamẽ proponit aliorum, nescio quorum, nomine. Alicubi ergo, Inconstanti, & scriptum & pictum vides, non tantùm illa verba, quæ ego dixi, Contineri, & Significari, sed etiam verbum ipsum substantiuum, *Est*, exponi per significari.

Distinctio allata non potest pro bari. Etiã mysticum Christi corpus in Sacramento continetur, nõ tamẽ significatur, quod etiam de naturali corpore dici potest.

Nunc ad huius distinctionẽ redeo. Augustinus in Sermone ad Infantes, ait: *corpus ergo Christi, si vis intelligere, audi Apostolũ dicentem fidelibus, Vos estis corpꝰ Christi, & mẽbra. Si ergo vos estis corpꝰ Christi & membra, mysteriũ vestrũ in mẽsa domini positũ est. Mysteriũ domini accipitis ad id, quod estis. Amẽ respondetis: & respondendo subscribitis.* Ex his verbis colligo, Cõmunicantes respondisse Amen, cũ illis daretur sacer panis, & appellaretur corpus Christi. Admonet ergo August. illos idem illud esse, quod respondeãt. Neq; ait, illos ibi significari, sed esse: quod tamẽ ex hac distinctione allata dicere debuit. Ait .n. in pane Eucharistico corpus mysticũ, nõ esse sed significari. At Augustinus longè secus ait, nos ipsos esse illud sacramentũ. Idem alibi ab eodẽ Augustino multò clarius, & luculẽtius dicitur et habetur, De Consc. dist. 2. cap. Quia passus est dominus. *Et per misericordiam eius*, inquit, *quod accipimus, nos sumus.* Et mox: *Hæretici, quando hoc accipiũt, sẽsim omniũ contra se accipiũt: quòd illi quærãt diuisionẽ, cũ panis iste indicet vnitatem. Sic & vinum in multis racemis fuit: & modo vnum est.* Et mox: *Vbi vos estis in mẽsa, & in calice, nobiscũ vos estis. Similiter enim hoc*

ſumus: ſimiliter bibimus, quod ſimul viuimus. Hic rurſus videmus noſtra, id eſt myſtici corporis coniunctionem, non per verbum, Significandi, ſed per verbum ſubſtantiuum, *Eſt, Sumus, Eſtis*, notatam eſſe. Nunc autem, ſi viciſsim ex Patribus probare velim, corpus ipſum Chriſti naturale in Euchariſtia ſignificari, & ſuperuacaneus eſſet labor & infinitus. Et ſuperuacaneus quidem, quia Inconſtantius in hac ſua diſtinctione, id vltrò confitetur. Ait enim, *Corpus Chriſti naturale & ſignificari in Euchariſtia, & contineri.* Oblitus eſt ego ſui, vt apparet. Hic enim fatetur id, quod antea nuſquam nec ſcriptum, nec pictum, nec fictum eſſe clamauerat. Rurſus etiam infinitum eſſet, ſi omnia quæ ex Patribus in hunc locum citari poſſent, vellem perſequi. Infinita enim propè loca ſunt, quibus hoc Sacramentum, Figura, Signum, ſymbolum, Similitudo, Typus, Ἀντίτυπα corporis Chriſti appellatur: quibuſq; illud ipſum corpus in Euchariſtia ſignificari, oſtendi, demõſtrari dicitur: quæ attentus Lector ex ijs, quæ anteà à nobis ſcripta ſunt, poterit facilè inuenire. Idem etiam Lector addet ad hanc regulam id quod ſæpe diximus, quodq; noſtrum iſtum Sophiſtam peſſimè habet, ſignificationem, quam hic ſtatuimus, non vulgarem, aut profanam eſſe, ſed diuinam & efficacem: deinde etiam annotabit, quid fructus ex ea ad communicantes redeat.

Huc addit Inconſtantius, *Arrianos quoq; olim idem moltos eſſe, quod nos: ſed longè ſubtilius & artificioſius.* Qua autem in re, aut quemadmodum id illi fecerint, id prudenter, quia dicere non poteſt, tacet. Equidem minus me ſubtilem, minuſq; aſtutum haberi, quàm olim fuerint Arriani, libẽter patior. Illud verò grauiꝰ eſt, quod ait, *me in aliena ſcripta exercere rudẽ, & ruſticã tyrannidem: me enim non parua aliqua ſignificationis, in aliud cognatum & proximum verba deducere, ſed aperta vi verbis ſignificationes ſuas eripere, idq; nulla de cauſa.* Sed bene habet. Mea enim tyrannis, id quod ipſe fateris, verbis tantum & ſignificationibus concluditur. Nam tua iam pridẽ in Anglia, non tantùm verba, ſed etiam omnia ſacra rectiſsimè, & ſanctiſsimè ab Eduardo Rege inſtituta, nullo iure, nullo exemplo, ſed mera vi, & violentia prorſus euertit, & diſsipauit: & in fortunas, & vitas ſanctorũ Martyrũ ferro & igniꝰ & omni genere crudelitatis deſæuijt. Verũ iſta miſſa facio, Deus ea, non dubito, aliquando iudicabit. Ego verò has interpretationes nec confinxi, nec adhibui ſine cauſa, ea tantum retuli, quæ ne tu quidem, Inconſtanti, negare potes extare in ſcriptis Patrùm. Qua autem tu tyrannide & manifeſta vi, vel potius quo ſacrilegio ſignificata ſua verbis ſoleas eripere, non ex vno tantum loco, ſed ex toto ferè libro iſto tuo poteſt intelligi. Apud te enim panis & vinum ſunt accidentia: ſubſtantiæ ſunt proprietates. Quos autem equuleos adhibueris ad Theodoretum, Gelaſium, Cyrillũ, Didymum, Baſilium, & alios complures patres lacerãdos, aliorum potius eſto iudicium.

Sed fortaſſe non erit alienum breuiter attingere, facilè ne illud, & vſitatum ſit, an potius durum & tyrannicum, quòd ego in hoc negotio, de Sacramentis & ſignis verba illa, Haberi, & Contineri, interpretatus ſim per oſtenſionem, ſignificationem: demonſtrationẽ, Certè literæ diuinæ dicuntur vitam æternam continere. At quomodo tandem, quæſo, illam continent? Non alio ſanè modo, niſi quia illam ſignificant, docent, inſinuant. in Actis Apoſt. cap. 13. ita legitur: *Viri fratres, filij generis Abrahæ, & qui inter vos timent Deum, vobis ſermo ſalutis huius miſſus eſt.* Hic prędicatio Euangelij dicitur ſermo ſalutis: nimirum, quòd in ſe contineat & habeat ſalutem. Explicet hic mihi Inconſtantius, quomodo verba Euangelij ſalutem in ſe contineãt. Dicet fortaſſe, quòd illa ſint cauſa ſalutis. Ego verò vlterius etiam quæro, quomodo ea ſint ſalutis noſtræ cauſa. Ad extremum neceſſe eſt dicere, ſignificando. Eam ſignificationem cum ſpiritus ſanctus reddit efficacem in animis auditorum, adfertur illis certa, & indubitata ſalus. Verùm quid hæc, inquies, ad Sacramenta? Plurimum. Ea enim, vt Auguſtinus ait, vtque vulgo in ſcholis iactatur, ſunt verba quædam viſibilia. Quare hac in re nõ eſt mea nec tanta, nec tam ruſtica tyrannis, quantam eam videri vult Inconſtantius. Neque ego vnquam dixi, quod iſte ſtultè cauillatur, Continere ac habere, vbiq; atque omni in loco idem eſſe quod ſignificare. Scio enim iſta duo verba interdum longè diſiuncta eſſe. Illud autem pronuntiatũ meum ad hanc quæſtionem contrahi volui. Eat ergo Sophiſta, & cum alijs litiget: hæc enim ad me nihil pertinent.

Hic homo otioſus multa de ſimulatione, & diſsimulatione ſine vlla cauſa interponit. Neque enim nos, patres in hac re aut ſimulaſſe aut diſsimulaſſe dicimus. Nam quòd ad pios attinet, in Sacramentis omnia verè aguntur, & efficaciter. Illi enim mẽte, ac fide corpus ipſum Chriſti re ipſa percipiunt: idque illis Sacramẽta & ſymbola verè atque efficaciter ſignificant. Deniq; re, vt ipſe putat, pulcrè geſta, ait, Offerri, Exhiberi, & alia verba ſimlia apud me nihil eſſe aliud quàm ſignificari. Qua de re ego ita reſpondeo: cum domini caro dicitur nobis exhiberi, aut offerri, aut dari in ſacra Cœna, id ſi referatur ad ſigna, fateor notare ſignificationẽ, ſed eam, vt ſæpè dixi, non vulgarem: at idem, ſi ſpectet mentem, & fidem communicantium, indicat veram perceptionem corporis Chriſti: quã etſi Inconſtantius contemnat, & faſtidiat, tamen homines pij, & ſancti, & Chriſti membra illa ſumma cum vtilitate fruuntur.

REGVLA VIII.

CVMQVE audis Patres dicere, Panem & vinum non eſſe amplius in Euchariſtia, hoc intelligere debes, non ſimpliciter, ſed quod attinet ad ipſum communicantem. Ibi enim cogitandum tibi non eſt vel de pane, vel de vino: ſed mentem tuam,

atq;

atque omnes sensus oportet penitus defigi in illis rebus, quæ significantur. Ideo enim dicitur, Sursum corda, vt ab illis reb. visibilibus animum tuum subuehas ad inuisibilia, quæ tibi in Sacramento offeruntur. Et ab hoc genere tropi scripturæ sacrę non abhorrent. Paulus enim ait, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem. Idem tamen non negasset, animam nostram carne & corpore aggrauari. Alibi enim scribit: Caro coucupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: & Castigo corpus meum, & in seruitutē redigo. Neq; idem ignorauit esse multos malos homines, qui in scripturis appellantur caro & sanguis, à quibus nos assiduè infestemur, & quibus cum nobis sit lucta quotidiana. Paulus autem cum diceret, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, intelligi voluit præcipuam illam, & summā contentionē, vnde illæ aliç ortum habent. Idem etiā alibi dicit, In Christo Iesu nec marem esse, nec fœminam: nec seruum, nec liberum. Tamen ista discrimina officiorum & sexuū ab Ecclesia Christi non remouentur. Scimus enim seorsim de illis etiam præscripta esse. Sed Paulus hoc intellexit, ista discrimina non esse in Christo, quod attinet ad Regenerationē & remissionē peccatorū, & assequendā vitā æternā: præcipua, & summa sunt in Christianissimo: & in istis distribuēdis Christus non spectat status, & conditiones hominū. Idē alibi scribit, Regnū Dei nō esse in sermone: nec tamen idcirco ab Ecclesia, quæ est Regnum Dei, lectiones admonitiones conciones, quæ constant verbo & sermone, remouit. Hoc enim solū sibi voluit, illā summā vim, & efficaciā spiritus, eam esse, qua omnia in Ecclesia geri & administrari debeant Ad hunc modū Patres interdū aliqui loquūtur, cum negāt in Eucharistia manere naturā symbolorum. Id enim, vt dixi nō est accipiendum simpliciter, sed quòd attinet ad cogitationem, & fidem nostram, quas nullo modo oportet in illis externis symbolis inhærere.

GARDINERVS.

PROXIMA Regula violentior fuit: ista subtilior, scilicet ex Stoicorum schola huc accersita, qui in loquendi formis rerum obscurationes eleganter notarunt.

MARTYR.

INconstātius & numero exemplorum, & ipsa rei veritate victus fatetur, & *in diuinis literis, & apud omnes bonos authores inueniri negationes, quæ rē non omninò tollant, sed tātum ex collatione obscurent. Néue videatur non audisse aliquando dogmata Stoicorum, ait, me hanc regulam ab illis accepisse.* Quasi verò eadem loquendi forma nō possit, & in prophetis & in ipso Dauide, & in plærisque sacris libris obseruari: quos negare non possit, longè antè scriptos fuisse, authore atque impulsore spiritu sancto, quàm nomen Stoicorum auditum esset. Sed iste addit, *hanc obscurationem* ex collatione ibi demum habere locum, vbi illa duo constet esse in eodem: idque conatus est etiam exemplis illustrare. *Constat*, inquit, *luctā & cum carne, & cum principibus aeris esse: constat item, in regno Dei sermonem esse, & virtutem: constat denique marem, & fœminam esse in Christo, id est cum gratiæ conditione.* Quò ista spectēt, si Lector nesciat, paucis aperiā. Hoc videlicet, iste sibi vult: Si panis, & corpus Christi ita inter se conferātur, vt panis non auferatur prorsus, sed obscuretur, necesse esse statuere, vtrunque esse in Eucharistia. Nisi enim constet, vtrunq; esse in eodem, huiusmodi obscurationem ex collatione esse non posse. Id autem putat cū nostra sententia maximè pugnare: quasi nos prorsus negemus, corpus Christi pertinere ad Eucharistiam. Atqui id nobis nunquā in mentem venit. Semper enim & diximus, & scripsimus, integrum sacramentum constare & signo, & re significata. Quæ enim relatio posset esse sine fundamento, & termino? Sed hic Inconstantius semper errat. Putat enim, sacramentū non posse constare ex corpore Christi & pane, nisi tam adsit nobis in eo corpus Christi, quàm panis. At id ad relationē non est necessarium: relatio n. paternitatis ad filiū constat ex duobus terminis, quāuis interdū fieri possit, vt filius à patre longissimis terrarū spatijs disiungatur. Quare dicimus, Eucharistiā constare ex signis, & re significata, eaque inter se conferri, vt præ re ipsa significata symbola pro nihilo quodammodo haberi debeant. Simile quiddā cogita mihi in Baptismo. In eo aqua symbolum, aut signum est, res autem significata est remissio peccatorum. Iam quis ita rudis est, vt putet condonationem peccatorum re ipsa coniunctā esse cum aquis? Illa enim non alibi est, quàm in mēte, & volūtate Dei. Quamuis autem duæ istæ partes tantum inter se distent, quantum cœlum & terra, aut quātum corpus & spiritus: tamen ex illis duabus vnum Baptismi sacramē tum constare potest: ita etiam Eucharistia ex duabus suis partibns constat, quamuis alter terminus, corpus videlicet Christi, quod ad locū attinet, in cœlo sit, & lōgissimè absit à pane.

Cōdonatio peccatorū non est in aqua Baptismi, sed in mente Dei.

Addit Inconstātius, *non semper notā negādi addi sermonibus, vt rem obscuret tantū, non autem prorsus auferat: sed interdū eam, quod significatur, verè negare, ac tollere. Vt quod Paulus scribit ad Titū, Apparuit benignitas Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ feci-*

mus: sed secundum suam misericordiã saluos nos fecit. Hic, inquit, *vera est negatio, & forma loquutionis ἀρνητικῶς profertur, nõ vt imminuat tantũ aut obscuret, sed vt prorsus, atq; omnino remoueat.* cui loquutioni illud etiam ait esse simile, quod dominus dixit Petro, *Caro & sanguis non reuelauit tibi. Hic itẽ caro & sanguis non obscurãtur, sed remouentur.* Quale illud quoque est, *Non ex voluntate carnis, nec ex volũtate viri, sed ex Deo nati sunt.* Non displicẽt mihi hęc exempla. Sed illis aliud etiã addo: Non iustificari hominem ex operibus, sed ex fide, idq; omninò dictum esse à Paulo ἀρνητικῶς: quãuis id Inconstantius cum suis constãter neget. Ex his autẽ exemplis quid tandẽ iste vult conficere? *Hæc,* inquit, *ita tracto fusius, vt ostendam, ex indicio rerum intellectarum, non ex sola loquutionis forma sensum esse æstimandum: & hanc regulam multis esse obnoxiam erroribus, & ad id, quod agitur, nihil omnino pertinere: cum alia sit ratio absolutæ negationis, quam eius, quæ in collatione adhibetur.* Veritatẽ loquutionum quærendam esse ex natura rerũ intellectarum, libenter damus. Neq; ego in hac Regula solã, & meram loquendi formam attẽdi volui. Imo Patres ita intelligendos esse concluſi, partim ex ijs, quæ in sacris literis traduntur de natura sacramentorũ: partim etiam ex ijs, quæ Patres ipſi alibi de eadem rescripta reliquerunt. Et ex altera parte hoc etiam obseruaui, formulam ipsam loquẽdi huiusmodi sensum facilè posse recipere. Neq; enim simpliciter dandum est, formulam ipsam orationis ad sensum inueniendum nihil facere. Quid enim sæpissimè faciet infelix doctor in sacris literis, si ignorabit Hebraismos? Quid in Patribus vel Latinis vel Græcis, si phrases ipsas Latinas Græcasq; non intelligat? Nihil profectò videbit, nisi oculis alienis: neq; quicquam vnquam securè, & solidè poterit de vero sensu pronũtiare. Prudens ergo, & diligens interpres non tantùm res ipsas, sed etiam loquutiones & phrases debet in consilium aduocare.

Ne illud quidem verum est, quod iste subijcit: Nusquam hoc legi apud Patres: *Non est ibi panis, sed corpus Christi.* Etsi enim non eadem fortè verba, tamen simillima apud eos inueniuntur. Vtq; de Chrysostomo dicam, quẽ iste nominatim attigit, ille in sermone de Encœnijs ita scribit, *Nũ vides panẽ? Nũ vnũ? Num sicut reliqui cibi in cesſſum vadit? absit: ne sic cogites.* & mox *Propter quod, et accedentes ne putetis, quòd accipiatis diuinũ corpus ex homine, sed ex ipso Seraphin forcipe ignem.* Nónne ijs verbis indicat Chrysostomum non esse cogitandum de pane, nec putandum hominem antistitem administrare sacramentũ communicantibus, cum tamẽ sensus agnoscãt panem, & reuera homo minister Eucharistiam porrigat, Tamen & panis & minister ipse pro nihilo quodammodo habendus est, præ vt illa sunt, quæ pij in communione considerant. Idẽ hom. 7. in epist. priorẽ ad Corinthios ita scribit: *Ethnicus, cum audit lauacrum Baptismi, persuadet sibi, simpliciter esse aquam. Ego verò, non simpliciter video, quod video, sed animæ per Spiritum purgationẽ. Ille lotum mihi corpus duntaxat, ego animã & puram, & sanctam factam credidi: nec non sepulturam, resurrectionem, sanctificationem, iustitiam, adoptionẽ, hæreditatem, regnum cœlorum, Spiritus satietatem cõsidero. Non enim aspectu iudico ea, quæ videntur: sed mentis oculis video corpus Christi: aliter ego hoc, aliter incredulus accipit.* In istis duobus mysterijs Aquam, & id quod appellatur corpus Christi, ait se longè aliter attẽdere, quàm hominem Ethnicum. Se enim res externas, & symbola, quæ Ethnicus sola videt, non respicere: sed totum in illis esse. propter quæ consequenda illa sint instituta. Chrysostomo ergo Baptismus nõ est aqua: nec Eucharistia est externa illa species panis & vini: quamuis & aqua sit in Baptismo, & in Eucharistia panis & vinum. Augustinus quoque in Sermone ad infantes: *Quod vidistis,* inquit, *panis est & calix, quod oculi vestri renuntiãt: quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis.* Docet his verbis Augustinus, panem quidẽ & vinum, re ipsa adesse: illos autem, qui instituti sint fide, illa non attẽdere. Illis enim ea esse corpus & sanguinẽ Christi: sed suo quodam modo: eo videlicet, quo iam sæpè diximus. Sed plura loca similia ex patribus, ne sim prolixus, non indicabo.

Concludit tandẽ, se istam obscurationẽ, aut extenuationẽ tũ demũ velle recipere, vbi magnũ aliquod absurdũ sequeretur, si res ipsa verè, ac propriè diceretur auferri. Hanc obseruationẽ nos quoq; libenter amplectimur. Absurda autẽ quę iste se fingit in hac causa nõ videre, nos maxima, & propriè infinita conspicimus. Quæ cum Inconstantius absurda esse negat, non tam contra nos dicit, quàm contra vsum communem, contra experientiam, contra naturam, contra sensus, contra patres, denique contra verbum Dei: & videns prudensque ita furit, vt iam vix hellebero curari possit.

Speculans refert absentia.

REGVLA IX.

FIDES vera tantæ est efficacię, vt res pręsentes constituat: nõ quidẽ realiter, sed spiritualiter: eas enim per fidẽ ita complectimur, ac si essent ante oculos. Atq; ita Apostolus scribit, Christũ crucifixũ fuisse ante oculos Galatarum: & Christus ait, Abrahamũ vidisse diem suum: & Paulus ad Corinthios ait, Veteres in suis Sacramentis habuisse eundẽ Christum, quem nos habemus. Atque ita non est necesse ad hanc præsentiã, vt res ipsæ, quod attinet ad naturalem illarum situm, mutent locum, aut nobis adsint cũ suis materialibus, vt loquũtur, & physicis conditionibus.

GARDINERVS.

HAEC Regula digna est, quæ diligenter excutiatur: aperit enim hominis fraudes, & fidem malam: tum etiam detegit inconstantiam, quæ à conflictis mendacijs non potest abesse.

MART.

INconstantius, si vnquam aliàs egit Sophistã, & callidũ veteratorem, id hoc loco artificiosissimè præstitit; vtq; fraudes suas, & perfidiã, & inconstantiam facilius tegeret, astutè eadem omnia in me contulit. Id autem quàm verè, & rectè faciat, spero me æquo Lectori paucis verbis planum facturum. Primum pugnat aduersus efficaciam fidei: quam ego multis scripturarum testimoniis confirmaui: & ex epistola ad Hebræos ait, *fidem esse argumẽtum rerum non apparentium: id est earum rerum*, sic enim subijcit, *quæ nos secundum sensum carnis lateant*. Hic ego nonnihil miror, ignorationẽ rerum creditarum à nouo Theologo cõtrahi tantum ad sensus carnis: quasi verò non ea etiam apprehendantur fide, quæ rationem humanam fugiant. Quid enim, quæso, nosse, aut suspicari possunt sensus nostri de Trinitate trium personarum in vna substantia? Quod tamen, quamuis fugiat rationem, nihilominus fide comprehenditur. Sed ne omnes minutias persequamur, dicemus Gardinerum, etsi non totum, tamen aliquid dixisse: cumque diceret, Sensum carnis etiam rationem comprehendisse. Etsi enim sit iurisperitus, tamen non semper retinet proprietatem sermonis.

Deinde hoc etiam sibi sumit, *Fidem ceu Speculum quoddam, nobis res absconditas referre*. Id ego libenter recipio: Apostolus enim ait, nos hic videre tantum in speculo, & in ænigmate. Quod autem ait, *Fidem instar Speculi referre res, non absentes, sed præsentes*, videtur mihi etiam ad ea, quæ ante oculos posita sunt, stupere. Speculũ enim refert, non ea, quæ in ipso sint præsentia, sed ea potius, quæ longius absint: quæ tamen ita refert, & proponit ob oculos, ac si in ipso essent. Et ne loquar tantùm de rebus proximis, constitue speculum sub dio: videbis in eo Solem, Lunam, astra, aliaq; quæ ab ipso speculo sint remotissima: quæ tamen omnia ita perspicuè, itaque ad viuum expressa videbis, ac si essent reuera coràm, & in speculo præsentia. Ita ego dico vsu venire etiam in fide: eius, videlicet, vi, & efficacia ea, quæ longè absint, quòd ad rem ipsam attinet, fieri quodammodo præsentia. Non potuit ergo Inconstantius commodiori simili meam sententiam confirmare. Et quoniã ipse viam nobis muniuit, vt exempla, & similia petamus à rebus familiaribus, non video cur non mihi quoque liceat idem facere. Vis in nobis intelligendi, quam philosophi appellãt possibilem, vt Aristoteles ait, potest fieri omnia. Ornatur enim infinitis rerum simulacris, quæ vulgò appellant species, aut imagines. Ea verò simulacra, cum à rebus ipsis effluxerint, & primum quidem per sensus exteriores, deinde etiam per interiores ad intelligentiam nostrã penetrarint, ibi omnium rerum formas quodammodo præsentes efficiunt. Atque ita fit, vt res longissimè distantes, & iam sæpè præteritas in nobis ipsis, atque in animo nostro præsentes habere possimus, vel potius re ipsa habeamus: etsi crassa illarum hypostasis, & substantia in animo nostro non existat. At ista, inquies, sunt philosophica. Maximè. Non tamen propterea falsa sunt. Deinde scire velim cur tu ea loca scripturarũ, quæ à me allata sunt, ita temerè contemnas: Abrahamum, videlicet vidisse diem domini]: Christum crucifixum fuisse ante oculos Galatarum. Quibus hoc etiam debes addere, Nos iam sedere ad dextram Dei in cœlestibus: quemadmodum scribitur ad Ephesios: & quemadmodum habetur ad Romanos, Nos iam spe saluos esse. Hæc ita accipienda sunt, quòd fides ea nobis, quum adhuc ab eis longè absimus, faciat præsentia. Quòd si scripturis non credis, audi saltem patres tuos. Nam Chrysostomus in capite secundo ad Hebræos ita scribit: *Quoniam ea, quæ sunt in spe sine substantia esse putantur, fides eis tribuit, substantiam: magis autem eis non tribuit, sed ipsa est substantia eorum: vt puta, necdum Resurrectio facta est, & necdum est substantia: sed Spes facit eam subsistere in anima nostra: hoc est, quod dixit, substantia.* Si fides aut spes quæ hoc loco pro eadem re sumuntur, potest rebus, quæ nondum sint, dare substantiam: quanto probabilius est eam posse efficere, vt corpus Christi, quod iam existit, & habet substantiam, spiritualiter subsistat in anima nostra? Idem homilia 83. in Matthæum: *Hoc est*, inquit, *illud cœnaculum, vbi tum Christus erat cum discipulis. Hinc ad montem Oliuarum exiuit. Hic ait, non tantùm corpus Christi, sed etiam cœnaculum ipsum, & montem Oliuarum communicantibus adesse præsentia*: quod certè aliter fieri non potest, quàm vi & efficacia fidei.

Theophylactus quoque in idem caput, *Facit* inquit, *fides vt ista mente nostra cernamus, haud secus, quàm si essent præsentia. Si igitur talia potest fides, quid cupitis ea bona videre re ipsa?* Isti ergo Patres mecum faciunt. Ego enim in illa mea Regula, nihil aliud scripsi. Sed à patribus redeo ad scripturas. Illæ enim manifestissimè testantur, Christum per fidem habitare in cordibus nostris: quod nihil aliud est, quàm fidem nostram illum nobis præsentem facere.

Speculum refert absentia.

Sed fides, inquit, Inconstantius, *vt verum sit speculum, nihil aliud monstrare debet, quàm quod verissimum sit. Vnde si nos corpus domini statuamus certo aliquo cœli loco contineri, ita vt nobis in mysterio nõ sistatur, fides vtique nobis illud in vno cœli loco monstrabit, vbi Christum ostendit in gloria sedere, ac regnare. Quod itaque non est, fides minimè demonstrabit. Quare si tantum in cœlo corpus Christi est, illud alibi, quàm in cœlo non ostendet: vbi si non est realiter, & substantialiter præsens, quo tandem illa diuina corporis substantia euanuit, si in cœlo non est? Vbi, & non alibi corpus Christi videre possumus.* Hoc autẽ huiusmodi dilemmate conatur concludere, quod propter obscuritatem Opus Chrysippæum videri possit: *Si vera est*, inquit, *fides, quam docent Sectarij, Christi corpus extra cœlũ exhiberi non posse, & illud in solo maiestatis solio esse posse, erit illis eorũ fides illius veritatis certum argumentum, lux, demonstratio, speculũ, vt Christi corpus in cœlo esse & à nobis abesse mõstret, ac significet. Vltra quod nihil potest fidei efficax*

cia: ne, si aliter, ac res se habeat, monstret, se ipsam perimat, ne sit fides, Vbi ergo fides monstret præsentiam, ibi detrahere substantialiter, & realiter, est absurdissimũ.

Hactenus porrigitur prius cornu dilemmatis: de quo prius ingrediar dicere, quàm accedo ad alterum. Hoc enim fracto, ab altero, vti spero minus erit periculi. Fides illorũ, quos iste pro sua humanitate appellat Sectarios, cum ipse vel suo ipsius iudicio, cũ ea scriberet, esset schismaticus (nondum enim redierat ad Romanam sedem) si vera est, inquit, non potest corpus Christi demonstrare præsens, nisi certo in loco cœli: nam alioqui secus mõstraret, quàm res ipsa habeat. Nõ potest ergo efficere vi sua, vt corpus Christi, cum sit in cœlo, nobis adsit præsens in terris. Imò, inquit, si ita faceret, se ipsam interimeret, nec iam amplius esset fides. Falsa enim fides non est fides. Hoc ego cornu, quo iste nos penitus perculsos putat, spero non ita difficulter retundi posse. Scimus pro certissimo, speculum fidei res ita referre, vt sunt. Nam si quid aliter proponeret, quàm est, mendacium iam esset, nõ fides. Scimus etiam, corpus Christi certo aliquo cœli loco, etsi fortasse non semper eodem, cõtineri. Ex ijs ita constitutis, quid obsecro, sequitur? Hoc scilicet: illum, quòd attinet ad realem & substantialem præsentiam non posse per fidẽ ostendi, nisi in cœlo. hoc cũ mea regula nihil pugnat. Ego enim nõ statuo, vi aliqua, & efficacia fidei corpus Christi reipsa, & substãtia, atque hypostasi fieri nobis præsens: sed tantum spiritu, gratia donis, & fructibus viuificis, sancta videlicet, & pia cogitatione, qua illud complectimur: quemadmodum Augustinus docet lib. 20. cap. 21. contra Faustum. Ait enim carnem Christi post eius Ascẽsionem in cœlum, per sacramentum memoriæ celebrari. Et idem lib. 3. cap. 16. De Doctrina Christiana, exponens, quemadmodum præceptum illud domini, quo mandauit, vt carnem suam comedamus, sit intelligendum, *Figura est*, inquit, *præcipiens passioni domini esse communicandum, & suauiter, atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata sit.* Audisne, Inconstanti, quænam ista sit spiritualis præsentia, quam fidei efficacia nobis præstet? Ea certè est eiusmodi, vt quamuis non sit realis, qualem tu fingis, nobis tamen nihilominus & vtilitatem, & salutem communicet. Neque verò id damus, quod tu quasi confessum, tibi sumis, fidem vtrunque horum non posse conficere: nimirum vt monstret, corpus Christi, quod attinet ad substantiam, & hypostasin in cœlo esse, & vnà spiritu, & gratia & celebratione memorię nobis adesse in terris. Velim enim ex hoc homine intelligere, an cum esset in Anglia, eodem tempore habuerit amicum aliquẽ vltra mare. Quòd si vnquam, vt fit, de illo absente amicè, & seriò cogitabat, nónne admonebatur, si guttam vllam habebat rationis, amicum suum, quod ad rem ipsam & substantiam attinebat, esse vltra mare, spirituali tamen quadam præsentia adesse sibi, cum illum animo, ac mente complecteretur? Neq; arbitror, Inconstãtiũ negare posse, ea, quæ videmus, rectè dici nobis præsentia: ex ea saltem parte, qua adsunt, & versantur in oculis nostris. Sed quæ nam tandẽ illa est præsentia? Spiritualisne, an substãtialis, & vt ita dicã hypostatica? Certè, quod videmus, id necesse est, vt certo aliquo spatio à nobis absit: nam alioqui nõ potest videri. Nihilo tamẽ minus, quicquid videmus, id dicimus nobis esse præsens. Nam & cœlũ, & solem, & astra, cũ à nobis videtur, dicimus nobis esse præsentia. Id autem nihil aliud est, quàm esse in cõspectu videntium. Atqui id nõ efficit, quin loco longissimè abesse possint. Cũ ergo efficitur vi fidei, vt corpus Christi, quod substãtia, & re ipsa in cœlo tãtum est, ponatur in cõspectu mentis nostræ, nihil causæ video, cur nõ etiã dici possit, illi præsens esse. Quod enim natura dedit cogitationi & oculis, vt ea, quæ longè absint, constituãt sibi in præsentia, id Deus multò magis & efficacius dedit fidei. Fregimus ergo alterum cornu hius tam acuti dilẽmatis. Idẽ enim corpus Christi potest re ipsa, &, quod ad substantiã attinet, esse tantũ in cœlo, & nihilo tamen secius efficacia, & vi fidei mentibus nostris spiritualiter præsens esse in terris. Hactenus ergo nõ cogor aut negare, corpus Christi realiter, & substãtialiter in cœlo esse: aut dicere, diuinã eius corporis substantiã euanuisse. Tu verò, Lector, pro tua pietate, & prudẽtia iudicabis rectène me Inconstantius fraudis, & malefidei, & Inconstantiæ condẽnarit: an isti tituli in ipsum potius conueniãt. Nã vt ostendi, propositiones, & similia, quibus hactenus contra me vsus est, egregiè pro me faciunt, & ipsius ineptias funditus euertunt. Verum iste, vt est acutus, putauit me puerili illo suo laqueo ita capi posse, vt cogerer affirmare, fidem ostendere quidem corpus Christi præsens in cœlo, verùm nec substantialiter nec realiter. Ego verò confidò, nullum fore lectorem tam iniquum, vt putet me ita vnquam fuisse bardum, & stupidum, vt dicere, aut etiam cogitare voluerim, veram fidem ita complecti corpus Christi in cœlo, vt illud careat sua hypostasi, atque substantia. Eiusmodi enim fides mẽdax, vana, ridicula, & ne fides quidem esset. Sed hoc affirmo, illud, cum (quemadmodum scripturæ loquũtur) versetur in animo, & mente nostra, non esse ibi iuxta substantiam suam, & hypostasin, sed tantum, vt dixi spiritualiter. Ita enim res corporeæ, & ex materia concretæ ostendunt se in speculo, tanquam si ibi essent præsentes inclusæ, concretæ, atque corporeæ: quamuis ibi neque materiam propriè habent, neque corpus. Nolim autem te mirari, pie lector, si in hoc cornu priori perrumpẽdo voluerim longiusculè immorari. Postquam enim id infregerim, ab altero nihil erit periculi.

Fides dum cõmunicamus duo demonstrat.

Illud autẽ sic habet: *Sin autẽ hæc vera sit fides, quam tradunt Catholici, quæ est profectò verissima, diuinũ corpus Christi simul in cœlo esse, simul fidelibus in mysterio manducandum dari, quando nobis hoc præsentiã fides monstrat, & certũ sit eius argumẽtum, quo intelligamus adesse, quod sensus non assequamur, quomodò fiat, vt corpus Christi à re diuidam? qualis*

non est res, nihil est: tum autem quomodò à substantia abstraham, sine qua non est corpus verum, vt dicam, nec realiter, nec substantialiter adesse, quod verè adesse, vera fides indicat? Alterum cornu non inuitus re cepi, quod Inconstantius existimauit, nullo mo do à me defendi posse: ostendiq́ue, hæc duo op timè inter se cõtentire, corpus domini realiter, & substantialiter esse in cœlo: & illud idem, vt versatur in animis nostris, ibi nec materiam habere, nec substantiam corporatam, nec hypo stasin. Hoc autem alterum cornu prorsus infi cior: & Papistarũ dogma in hoc articulo vanis simũ & falsissimũ esse dico, nec vllo modo posse fieri vt corp⁹ Christi simul realiter & substãtialiter & in cœlo sit, & in Sacramẽto, aut omninò in locis pluribus: multò verò min⁹ in infinitis, aut in omnibus. Quod autem iste ait, Fidem indicare huiusmodi præsentiam, vanum, & cõmentitium est. Nunquam enim hactenus huiusmodi fidem quisquam intelligere potuit è sacris literis: ex quib⁹ solis, fideles omnes intel ligũt, verá fidẽ & nasci oportere, & confirmari.

Deinde negat, duo ista aduerbia, Corporaliter & carnaliter, diuersa esse ab illis duobus, Realiter & Substantialiter. Ideoq́ue quantum video, in ista sua præsentia priora illa duo repudiat: posteriora autẽ duo seruat. Verũ, cum illa præsentia, quam sibi fabricatus est, nihil aliud sit, quàm commentum, & somniũ, per me quidem vel affingat illi, vel ab ea remoueat, quantum velit. Quod autem ait, *Negare quippiam realiter & substantialiter esse præsens, non esse, modum aliquem negare præsentiæ, sed prorsus ipsam præsentiæ veritatem refutare, ac tollere,* id nimis improbũ atque importunũ *est.* Quis enim non videat, istũ nihil aliud, quàm nugas agere? An enim ita stupidus est, vt id nesciat, quod vel scamna ipsa sciunt, artificem antè habere in mente designatas res eas, quas velit instituere, quàm eas re ipsa educat, vt dicere solent, in actum? An ergo res illæ in mente, atque animo artificis comprehẽsæ, re ipsa existunt, quod ad materiam attinet atque substantiam, an tantùm spirituali quadã ratione, atque intelligentia? Hæc ita clara sunt, atque ita perspicua penè vt digitis palpari possint. Sed Inconstantij nostri acies impeditur magna nube peruicaciæ: ideoq́ue negat, quicquam posse cogitari, aut dici præsens, quod non adsit re ipsa, atque substantia. Neq; ego ea causa vsus sum hoc exemplo, quod putem, corpus Christi non fructuosius, aut efficacius fide, & animo apprehendi, quã imagines rerum apprehendũtur ab animo artificis. Ea tantùm causa id feci, vt iste Sophista vel inuitus intelligeret, aliquid dici posse præsens, quod tamen realiter & substantialiter non adsit. Nam alioqui fides omnem humanam notitiam infinitis partibus superat: potentiusq́ue, atque efficacius ea adsunt animis nostris, quæ credimus, quàm quæ mentis tantùm vi & acumine reuocantur sub aspectum. Efficacia enim fidei potestas est diuini spiritus: cui ea autem vis, & efficacia rerum creatarum ne conferri quidem potest.

Deinde taxat me hoc nomine, quòd istis aduerbijs, Realiter & Substantialiter, opponam aliud aduerbium, Spiritualiter. Ait enim, me hoc pacto Christum quodammodò è cœlo excludere. Certum enim esse, Christum totum Deum, & hominem, spiritualiter & substantialiter esse in cœlo. Alij interdum nolentes errãt, & casu: iste autem ambitiosè errat, & ineptit, & de industria. Non enim vult intelligere, vocem illam hoc loco à nobis referri tantùm ad notitiam fidei. Nam cum fides nostra sit χάρισμα spirituale, & animus noster, quo complectimur corpus Christi, sit spiritus, quomodò tandem intelligi potest illud adesse, nisi spiritualiter? Est enim consentaneum rationi, vt res, quæ alicubi suscipiatur, modum suum ab eo habeat, à quo suscipitur. Itaque quemadmodum ea, quæ sensu recipiuntur, dicimus adesse sensibiliter: ita ea, quæ recipiuntur animo & spiritu, dicimus adesse spiritualiter. Corpus autẽ Christi, quod iste ait, esse in cœlo spiritualiter, id ego sine exceptione non puto esse concedendũ. Est enim ibi corporaliter, nimirùm, cum perfect⁹ atque absoluta forma, & paratura humani corporis. Cur enim non vtar vocabulo Tertulliani? Exceptio autem hæc est, Si Inconstantiæ ideò velit corpus Christi dici spirituale, quòd nunc forma diuinæ maiestatis & habitus gloriæ, & conditio immortalitatis in eo resplẽdeat: quæ in illud à spiritu sancto, & diuina natura secundæ personæ deriuantur: Ita dicere possumus, corpus Christi esse in cœlo spiritualiter. Nos autem in hoc negotio ea voce nõ ita vtimur: neque hoc aduerbium in hac significatione illis aduerbijs, Realiter & Substantialiter opponimus. Priori autem modo, cum illis pugnat ex diametro: atque ita dici non potest corpus Christi agere in cœlo. Vt enim illud ibi sit, nihil opus est aut cogitatione, aut fide nostra. Vbi autem Ecclesia Catholica confiteatur, corp⁹ Christi realiter & substãtialiter, & spiritualiter esse in Sacramẽto, fateor, me hactenꝰ non legisse. Eam enim ego Ecclesiam habeo pro Catholica, quæ diuinas literas, non quæ hominum inuenta, & somnia profiteatur.

Sed quanta est perspicacitas huius viri? Quantò prolixius disputat, tanto insulsitatem, & stuporem suum magis prodit. Quærit enim, *quomodò fides dici possit verè amplecti corpus Christi si illud realiter & substãtialiter non amplectatur? quod longè absurdius esse putat, si illud profiteamur verè non adesse præsens?* Ex illo ego vicissim quæro, quomodò patres in Veteri Testamẽto fide sua Christum in carne verè apprehenderint. Non enim adhuc nata erat, aut extabat caro Christi. Tamẽ nemo est ita aut impius, aut impudẽs, vt dicere velit, Patres illos nõ verè Christũ in carne apprehendisse. Abrahã enim vidit diẽ domini, & gauisus est: & Agnus, quẽadmodũ habetur in Apocalypsi, quod attinet ad prædestinationẽ Dei, & fidem sanctorũ patrum, occisus fuit ab origine mũdi. Potest igitur caro Christi nõ absolutè & simpliciter, sed modo quodã & tamen interim verè præsens adesse animis nostris per fidẽ: quicquid Inconstãtius garriat.

Aduerbiũ Spiritualiter ad notitiã fidei recipimus.

Res quæ suscipitur, vnde nã summ modum habeat.

corpus Christi an sit in cœlo spiritualiter, an corporaliter.

Artifex habet in animo designata, quæ deinde effice re, principiã fiant.

Aliquid potest dici præsens, quod substãtialiter nõ adest.

Fides omnẽ humanam notitiam superat.

Bucerum ſanctiſsimæ memoriæ virum, cui, cũ viueret, hoſtis iuratiſsimus ſemper fuerat, tamen hic teſtem citat. Eum enim ſcripſiſſe, voces iſtas duas, *Verè & Subſtãtialiter, quod ad hoc negotium attinet, idem ſonare, atque conuerti* Ad hoc teſtimonium, quod ego ſemper habui pro grauiſsimo, ita reſpondeo: corpus Chriſti, quod animo, & fide apprehendimus pro nobis traditum, & mortuũ, verè fuiſſe corpus, & ſubſtãtiam. Nam alioqui phãtaſma fuiſſet & inanis fictio. Atque ita vtcunq; dici poteſt corpus Chriſti verè, & ſubſtantialiter adeſſe & apprehendi. Sed ab hac loquutione idcircò abſtinendũ cenſeo, ne quis hoc ſignificari putet, corpus Chriſti vel in Sacramento, vel in animis noſtris ita adeſſe præſens, vt ibi ſubſtantiam ſuam, & hypoſtaſin, & corpulẽtam materiam habere exiſtimetur. Sic enim in cœlo tantùm eſt, & certo aliquo loco continetur, propter modum veri corporis: menti verò, atque animo fidelium poteſt nihilominus eſſe præſens, idque efficaciter & verè: etſi non realiter, aut ſubſtantialiter: quemadmodum nos in propoſita regula docuimus, & ſimilibus de humana cogitatione, & ſpeculo luculenter declarauimus. Sin verò Bucerus piæ memoriæ aliter intellexit, atque ego dixerim, optandum eſſet vt viueret, ac pro ſe ipſo huic veritatis hoſti reſponderet. Id tamen haud reticebo, ſanctum illum virum ſtudio pacis pluſculum in quibuſdã loquutionibus aduerſarijs dediſſe, quàm ego aut velim, aut poſſim cõcedere. Video .n. & nimis video, quò tandẽ loquutiones iſtę rapiantur. Sed hęc obiter.

Poſteà Inconſtantius accedit ad excutienda ea teſtimonia, quæ ego citaueram è ſacris literis. Et Primùm, locum illum è tertio capite ad Galatas, ait eſſe ambiguum: quod verbum illud, προεγράφη, non ſolùm poſsit indicare, Chriſtum ob oculos Galatarum fuiſſe deſcriptum & pictum, ſed etiam proſcriptum: nimirum, quòd illi eum egerint in exilium, idq; illis Apoſtolus exprobret. Verbum quidem ſua natura poteſt id ſignificare, ſed certè eo loco non poteſt. Paulus enim ita arguit Galatas, vt priorẽ illorum ſtatum illis in mentem reuocet. Nam cũ verè, & rectè credidiſſent, poſteà paſsi ſunt ſe ſeduci. Itaque illos appellat ſtultos & quodãmodo faſcinatos: quòd abduci potuiſſent à Chriſto, qui anteà in illorum animis tam altè impreſſus fuerat, vt ibi videri potuerit deſcriptus, & ad viuum expreſſus. Hæc plana & perſpicua ſunt: neque opus eſt vt proſcriptionẽ temerè confingamus. Firmum ergo eſt, quod ego aſſumpſi, illa notitia, quam Galatę habebãt comparatam per fidem, Chriſtum illis quodãmodò præſentem fuiſſe, & ob oculos mentis propoſitum: idque apertiſsimè notat illa particula κατ' ὀφθαλμούς. Atque hæc illa eſt ſpiritualis Chriſti præſentia, quam nos defendimus.

Locus ad Galatas.

Sed addit Inconſtantius, neſcio quid, de allegoria: quam negat idoneam eſſe ad argumẽta: At ego nunquam putaſſem, illum ita deſipere, vt putaret, me hoc loco ſequi voluiſſe allegoriam. Etſi enim verba illa, Deſcribere, & Pingere, transferantur ad ſignificandum vinam & expreſſam repræſentationem rerũ, tamen ego ab illa metaphora non duxi argumentũ: ſed ab illa ſignificatione & ſenſu, quẽ, Apoſtolo voluit indicare: nimirùm, Chriſtum ita Galatis hæſiſſe in animis, & in oculis, vt illi eum habuerint conſpicuum, & quodammodo præſentem. Atqui ne parùm fœcundus videatur reſponſionũ, ait, *verbo illo προεγράφη, ſignificari potius efficacem prædicationis, quàm fidei Galatarum:* quaſi verò concionatores & miniſtri poſsint iſta cœleſtia, & ſupernaturalia inſculpere in animis auditorum, niſi illa fides illorum amplectatur. Hactenus ergo Inconſtantius, quamuis multa dixerit, tamen primũ meum teſtimoniũ ex epiſtola ad Galatas nihil potuit infirmare.

Poſteà confert ſe ad alterum teſtimonium de Abrahamo: & primùm quæritat, an Abraham ita viderit diem domini, vel dominum potius ipſum, vt eum viderunt Galatæ. Quid ni? Nã & Abrahamus, & Galatæ Chriſtum viderunt per fidem: illi quidem, vt paſſurum: iſti verò vt iam paſſum, ſi viſionem illam ad mortẽ Chriſti referri velis: at ſi eam referas ad ipſam domini naturam humanam, vtrique eam viderunt longè à ſe diſtantem. *Sed Abraham*, inquit, *verè quidem credidit & vidit, vt cæteri prophetæ: ſed id vidit, & credidit, quod futurum erat.* quid tum poſteà? Etſi enim Chriſtus, quod ad carnem attinet, venturus erat, tamen illi iam tum per fidẽ erat quodámodò præſens. Neq; .n. videri quicquam poteſt, quod nõ aliquo modo adſit vidẽti præſens. Tanta autem erat prophetarũ certitudo fidei, vt res futuras quodámodo haberẽt præſentes, & ſic in conſpectu, vt ſæpè nõ loquuti ſint verbis futuri temporis, quáuis alioqui de rebus futuris, ſed pro illis vſurparint aut præſens tempus, aut etiá præteritũ. Et ſanè quáuis Abrahamus, & corpore & tempore, lõgè abeſſet ab illis rebus, quæ poſteà gerendæ erant per Chriſtũ, eas tamẽ haud dubiè præſentes habuit per ſpiritũ. Et Paulus ad Coloſſ. cap. 2. ita ſcribit: *Quamuis carne ſim abſens, tamen ſpiritu præſens ſum gaudens ac videns veſtrum ordinẽ.* Et in Secundo libro Regnorũ cap. 5. Elizæus ita alloquitur Ghiezi: *Nónne cor meũ tecum erat, & ambulabat vnà, cum tu acciperes veſtes, & talenta Naaman Syri?* Ergo abſentia prophetis per fidem, & ſpiritum fiunt præſentia: ita videlicet, vt nos dicimus, corpus Chriſti nobis præſens eſſe ſpiritualiter. Et nequis ábigere poſsit, ea ipſa, quæ nos hodiè percipimus in myſterijs, Patribus fidelibus in veteri Teſtamẽto fuiſſe præſentia, Paulus ad Corinthios ait, eos comediſſe eandẽ eſcã & bibiſſe eundẽ potũ ſpiritualẽ: néue dubites eos comediſſe eandẽ eſcã, & bibiſſe potũ eundẽ noſcũ, addit, *Bibebãt autẽ de Spirituali conſequẽte eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Eat nunc Inconſtãtius, & dubitet, an Abrahamus viderit diem domini, aut dominũ ipſũ aliquo modo ante oculos fidei ſuę præſentẽ habuerit. Et certè, quẽadmodum prophetæ, qui Chriſtum habebant quodammodo in conſpectu, & tanquam præſentem, tamen eum credebant venturum: ita

Paulus in exule habuit Philip. præſci, qui erant abſentes.

Nihil poſſit quod vim præſentiæ aliquo modo præ ſe ferat.

ita nos quoque, quamuis Christum habeamus aliquo modo in conspectu, quasiq; præsentem, tamen credimus, eum, quod ad rem ipsam attinet & substantiam corporis, abesse à nobis, & esse tantùm in cœlo. Neque verò ista, vt Inconstantius putat, inter se pugnant, sed mirificè potius congruunt. Deinde clamat, me duo ista testimonia parùm aptè inter se coniunxisse: alterum enim illorũ ad præteritum tempus spectare, alterũ ad futurũ. Sed cũ ille in tota hac quæstione, vt quod res est, dicam, nihil videat, nihil mirũ est, si ne hoc quidem viderit, me id dedita opera fecisse, & de industria: videlicet, vt ostẽderem, tantá esse vim fidei, & diuini luminis, vt res non tantum præteritas, sed etiam futuras, modò ad salutem pertinentes, pijs hominibus constituere possit ante oculos.

Tandem iste præclarus Circulator redit in orbem, & principia huius obiectionis, & primùm suum cauillum repetit. Ait enim, *Fidem, cum habeat veritatẽ pro certo obiecto, non posse monstrare falsa. Posse quidem eam illa prophetis indicare ventura, quæ futura sunt: & fidelibus ostendere ea iam præterita esse, quæ præterierint: ea autẽ indicare præsentia, quæ sint absentia, nullo modo posse.* Sæpè iam docuimus, quemadmodum fides præsens nobis faciat corpus Christi. Id si Inconstãtius ne adhuc quidem intelligat, relego illum ad Paulum, vt ex illo quærat, quomodò, cum esset Romæ, potuerit verè dicere, se habere Philippenses in corde. Nam spatijs locorũ longissimè ab illis disiungebatur. Negari tamen non potest, ea quæ habemus in corde, esse aliquo modo nobis præsentia. Nihil sibi timuit Paulus, ne de fide sua periclitaretur apud Inconstantium. Idem enim posteà etiam inculcat epistola priori cap. 2. ad Thessalonicenses. *Cæterum*, inquit, *fratres, nos orbati vobis ad spacium temporis aspectu, nõ corde, vehementius studuimus.* Quare si tanta possit esse vis charitatis, vt res absentes, & longissimè disiunctas nobis præsentes faciat: cur tanta esse non possit vis fidei, & efficaciæ spiritus sancti? Sciebat quidem Paulus, illos re ipsa longè à se abesse: nec tamen dubitabat dicere, se illos habere in corde.

Paulus in corde habuit Philippenses, qui erant absentes.

Posteà iste per Concessionẽ satis liberaliter dat nobis, *fidem multa posse, montes transferre, dæmones fugare, morbos pellere, miracula facere: eam tamen ipsam semper contemplari veritatem, quæ sua natura sit immobilis, eamq; nobis indicare, monstrare, revelare, quodq; in diuinis operibus verè fiat, id ita fieri, quodq; verè sit, id ita esse ostẽdere. Me verò docere præsentiam eius rei, quæ reuera absit: eamq; quantumuis absit, velle haberi præsentem propter authoritatẽ fidei: illi enim me, vt in montibus transferendis, sic etiam in mutandis veritatibus tribuere potestatem.* Hoc extremum, vt ab illo primum ordiar, quam sit manifestum mendacium, non dubito, prudentẽ lectorem etiam sine monitore, per se ipsum intelligere. Nos enim, fidem immutare posse veritatem rerum, nunquam diximus. Imò hoc potius docemus, authoritate, & vi fidei persuasum esse fidelibus, corpus Christi, quod ad rẽ ipsam attinet, & ad substantiam, abesse à nobis, & contineri in cœlo: eadem tamen ipsa vi, atque efficacia fidei, dum corpus Christi animo versamus, & de illo in sacra Cœna piè sanctéque cogitamus, vt in mortem pro nobis traditum fuit, & omnem nostram fiduciá in Christi solius morte ac sanguine collocamus, illud aliquo modo effici nobis præsens. Quòd si nos docuerimus, corpus Christi eodem modo, eademque præsentia adesse nobis, qua est in cœlo, Sophista iste fortasse videri posset aliquid dicere. Nunc autem cùm videat, & intelligat, nos longè aliter statuere: quid superest, nisi vt lector iudicet, eum impudenter, & data opera mentiri?

Rationem autem meam, vel potius declarationem satis habuit duobus tantùm aut tribus verbulis attigisse. Ego enim dixi, Veteres in suis Sacramentis habuisse eundem omninò Christum, quem nos habemus in nostris. *Hoc*, inquit, *iste significat, veteribus Christi corpus abfuisse, quod nondum erat assumtum: nobis verò adesse in Sacramento, propter verbũ Christi instituentis, ac dicentis post corpus assumptum, vt Theophylactus interpretatur, Hoc, quod sumitis, est corpus meum.* Quòd si veteres in suis Sacramentis non habuerint corpus Christi aliquo modo præsens, cur non ostendit Inconstantius, quomodò Paulus rectè dicere potuerit, illos comedisse nobiscum eundem cibum spiritualem, & nobiscum bibisse eundem potum? An solent homines edere, & bibere ea, quæ prorsus absint? Quid ergo est? Cur non fatetur, illis tum, non minus, quàm nunc nobis oblatum fuisse in mysterio & significatione corpus Christi, illosque, cum illud corpus pro salute humani generis offerendum esse, & dandum in crucem crederent, & animo & cogitatione conciperent, illud aliquo modo habuisse præsens? Discrimina enim illa temporum, fuisse, & futurum esse, ad rem ipsam nihil momenti adferunt: nisi fortè hoc quispiam velit dicere, illarum rerum maiorem nunc euidentiam, & perspicuitatem esse, quàm tum fuerit. Illa autem verba Christi, quæ iste semper iactat, Hoc est corpus meum, nihil nos mouere debent. Satis enim iam suprà docuimus, quemadmodum illa sint intelligenda.

REGVLA X.

EST etiam obseruandũ, quoniam diuina natura Christi nobis verissimè adest, idcircò per alternationem, & communicationẽ proprietatum, idem tribui posse eius humanitati. Ita enim Christus cum loqueretur in terra, dixit filium hominis esse in cœlo: & id tribui humanitati suæ, quod propriè cõueniebat diuinitati. Hoc pacto concederem, in communione esse naturam Christi humanam: quanquam id posteà exponerem per communicationem idiomatum.

GARDINERVS.

VIS huius regulæ in prima fuit: sed quomodò hic specialiter explicat, constituit aliam: quæ eò valet, ne humanitatem Christi in Eucharistia præsentem credas, sed diuinitatem solam.

MARTYR.

MVltum sudat Inconstantius, vt hanc obseruationem labefactet: quod tamen illi non succedit. *Vim eius* ait *suprà expressam esse in prima Regula.* Verum id quidem est, sed multò aliter. Suprà enim diximus de alternatione proprietatum, maximè in scriptis patrum, quod attinet ad symbola externa, & rē ipsam in illis significatam: inter illa videlicet, esse communicationem quādam idiomatum, & loquutionum, vt ea, quæ propriè pertineant ad symbola, interdum tribui possint rebus ipsis: & contrà, quæ ad res ipsas pertinent, tribui possint symbolis. Hic verò agitur de eadem communicatione idiomatum, quod attinet ad duas distinctas naturas in Christo. Neque eò spectat hæc Regula, vt iste cauillatur, vt illam alteram regulam, quam proximè defendi, euertat. *Hoc*, inquit, *ista regula sibi vult, ne Christi humanitatem credas præsentem esse in Eucharistia, sed diuinitatem solam: atque ita, vt in legibus fit, posterior priori derogabit. Nam iuxta hanc regulam corpus Christi efficacia fidei ne quidem præsens est, sed sola diuinitas: nisi quatenus nominetur adesse per communicationem idiomatum: quomodò filius hominis à Christo dicebatur esse in cælo: & quomodò dicimus, Deum crucifixū: quorum dictorū veritas in altera natura intelligitur.* Hic mihi, quantum video, aliud onus suscipiendū est, vt ostendam, hanc Regulam cum proxima superiori non pugnare. Dixi enim suprà, Corpus Christi non adesse nobis realiter & substātialiter in Eucharistia, sed tantùm spiritualiter: quatenùs videlicet illud in cordibus nostris, & pijs cogitationibus versatur per fidem. Cum ergo ibi negem⁹, corpus Christi propria, & substantiali præsentia nobis esse præsens: quomodò nobiscum ipsi pugnamus, cum solam diuinitatem præsentem esse dicimus, humanam autem Christi naturam adesse negamus, nisi tantùm per communicationem proprietatum, & allœosin naturarum? Ista sanè, meo iudicio, tantum abest vt sese mutuo perimant, vt optimè inter se conueniant. Imo vel hoc nomine posterior hæc regula priorem iuuat, vt si fortè incidamus in loca aliqua patrum violentiora, quæ videantur statuere, carnem ipsam Christi, quod ad substantiam attinet, esse in cœna, sciamus, quomodò oporteat huiusmodi phrases, & dicendi formulas temperare: & quemadmodum, quoque sensu illas aut recipere possimus, aut negare.

Quod ista regula differat à prima.

Hæc regula nō pugnat cū proximè ita exposita.

Neq; ego, cum ista traderem, laqueos ad fallendum struere volui, sed Lectorem monere, vt sciret, sibi à Papistarum, & à superstitiosorum, & otiosorum hominum tendiculis diligenter cauendū esse: vtq; sciret, quid loquutionibus aliquando vsurpatis in Ecclesia, & sententijs quibusdam patrum violentioribus sit respondendum. Qua in re quantum ego meis illis regulis & obseruationibus effecerim, nolo Inconstantium pro sua libidine, sed æquum Lectorē pro sua prudentia & pietate iudicare. Certè rationes meas non ita futiles, & leues esse spero, vt istius hominis insanis, tantùm exclamationibus possint refutari. O, inquit, *doctrinæ inconstantiam. Quod efficacia fidei iam aderat, rursus communicatione idiomatum abest: puerili sententia, quam deridet Comicus, Volo, nolo: & volo tu sum: imò nolo.* An quod dicimus, corpus Christi adesse efficacia fidei, pugnet cum cōmunicatione idiomatū tuū Lector erit iudiciū. Nō ergo ego sum inconstans, aut ita leuiter à me dissentio, vt iste clamat: sed Inconstantius ipse, nisi multùm fallor, cum sua Comœdia, & fabulosa Scena ex toto hoc disputationis theatro exploditur.

REGVLA XI.

VBICVNQVE patres loquuntur de vera præsentia, & manducatione corporis Christi, quibuscunque verbis id exprimant, intelligendi sunt loqui vel de natura diuina, vel figuratè, vel spiritualiter.

GARDINERVS.

ISTA sub nomine regulæ censura est, & summā resipit authoritatem: præ se fert posteà, nescio quid, augustum.

MARTYR.

HAs ego duas postremò regulas in meo libro nō habeo: neque vnde iste eas nactus sit scio: neque certè video, quamuis putet se iuris esse valde peritū, quo iure illas mihi inscio, & ignaro vel adaptare potuerit, vel arrogare. Vnum hoc scio, me illas nunquā procreasse. Nec tamen huius ipsius regulæ, qualiscunque tandem sit, sententiam aut damno, aut respuo. Est enim verissima, si rectè intelligatur. Nam corpus Christi, cum iam sit impassibile, & nec commoli, nec minui, nec frangi possit, non potest propriè comedi. Hæc enim ad propriam manducationem omnia exigūtur. Nec realiter, aut substātialiter nobis in terris adesse potest: quēadmodum iam certissimis rationibus docuimus. Quare nisi velimus Patres falsi arguere, omninò necesse est illorum sententias, quibus id videntur dicere, vel per tropum, vel spiritualiter interpretari.

Nunc videamus, quid aduersus ista Inconstātius moliatur. Nihil autem moror, quid ab initio de censura, de authoritate, de augusto edicto,

cto animi, opinor, causa, scurriliter nugetur. Primùm ait, *me hoc sentire, nomine corporis & sanguinis Christi intelligi posse naturam diuinam. Id autem in sacramentali manducatione non posse habere locum. Ibi enim Christum testatum esse, se dare humanam suam naturam manducandam: loquutum enim eum esse de corpore, quod erat daturus pro nobis. Cyrillum enim dicere, diuinitatis naturam non posse comedi, sed tantùm humanitatis.* Ego verò respondeo, me nunquam docuisse nomine corporis & sanguinis Christi, intelligendam esse naturam diuinam: aut diuinam naturam aut comedi posse, aut bibi. Sed hoc dixi, concedi posse interdũ per allœosin & communicationẽ idiomatum naturam humanam Christi posse dici præsentem, cum diuina natura vbique sit, & præcipuè, atque efficacissimè adsit electis suis. Figuratè autem dixi comedi corpus Christi, quòd, cum symbola, quæ corpus Christi & sanguis appellantur, propriè comedantur, illud quoque per metonymiam dici possit comedi. Adesse verò corpus Christi spiritualiter piè communicantibus, idcircò scripsi, quòd illud per fidem versetur in animo, & in corde nostro. Quæ omnia quàm vera sint, quamque catholica, nihil opus est vt hìc rursus doceam.

Natura diuina non comeditur.

Sub finem mouet mihi rixam de illa voce: *Spiritualiter. Illam enim vocem ad modum manducationis pertinere, non autem imminuere rei manducandæ veritatem: coniungi autem à Catholicis cum spirituali manducatione, quòd ibi boni communicent, & sub visibili specie percipiant ipsum corpus Christi, illudq; ipsum pia animi meditatione, & pura pectoris innocentia in os admittant. Quod autem nos dicimus, vocabulum illud, Spiritualiter, excludere veritatem spiritualis manducationis, id edicentis tantùm authoritate, & imperio niti, non autem sacris literis, aut dogmate Ecclesiæ: quæ nos sola sequi, & amplecti debeamus.* Particula illa *Spiritualiter*, non tantùm, vt iste putat, ad manducationis modum pertinet, sed etiam ad formam, & rationem præsentiæ. Quod si Inconstantius non recipit, necesse est, vt fateatur, corpus Christi adesse corporaliter, & carnaliter. Verùm cum id suprà noluerit concedere, cur illud hìc neget adesse spiritualiter, causam adhuc nullam video.

Adhæc, si illud aduerbium *Spiritualiter*, modum tantùm significat manducationis, quatenus contrahitur ad pios rectè communicãtes, non potest accommodari ad esum impiorum. Illi enim pia illa meditatione destituuntur: Quomodo ergo ex ista sententia manducabũt illi reipsa verum Christi corpus? Nisi enim comedant spiritualiter, necesse est vt comedant carnaliter, & corporaliter. Lacerabunt ergo, & scindent, & comminuent corpus Christi, illudque ita comedent, vt alię carnes corporali officio & manducatione solent comedi. Et si animalis homo mente, ac spiritu non percipit ea quæ sunt Dei: quomodò tandem ille ore, dentibus & faucibus percipiet corpus & carnem Christi, quas res negari non potest maximè esse Dei? Quod ergo dixi, Aduerbium illud *Spiritualiter*, tam ad modum præsentiæ, quàm ad manducandi rationem pertinere, nihil erat cur iste me accusaret tyrannicorum edictorum, & audaciæ.

REGVLA XII.

VBICVNQVE Patres dicunt, naturam panis mutari, natura pro proprietate accipienda est, vt in Cypriano: vbicunque autem dicunt, naturam non mutari, ea natura accipienda est pro substantia, vt in Gelasio.

GARDINERVS.

SI intelligas in Cypriano, naturam significare naturæ proprietatem, & eam proprietatem mutari, occurret mox epistola Ioannis Constantinopolitani, quæ Chrysostomi dicitur: quæ verbis apertis ait, proprietates naturæ manere.

MARTYR.

HIc mihi rursus monendus es, Lector, ne hãc quidem regulam esse meam: vt nullam Inconstantio facturus fuerim iniuriam, si huius responsionis labore supersedere voluissem. Tamen quid de hac re tota sentiam, non grauabor te paucis admonere. *Cum in tractatione mea de Eucharistia responderem illi loco, qui obyci solet ex Cypriano, ita scripsi ad verbum: Cyprianus videtur loqui durius, quando panem ait, non effigie, sed natura mutari. Verum videndum est, quid ille scripserit ad Cæcilium. Ait autem, cum vino demonstrari sanguinem domini: & si vinum desit in calice, non posse videri, sanguinem domini ibi esse. Quod autẽ nunc scribit de mutatione, illam quoque nos concedimus, sed sacramentalem. Et tamen fatemur, non effigiem, seu formam, aut accidentia mutari, & subire hoc munus, vt sint sacramenta: sed naturam ipsam panis & vini mutari in sacramenta corporis & sanguinis domini. Vtq; substantia ipsa panis, non autem effigies nutrit corpora nostra: ita corpus Christi & alit animum nostrum, & fouet, atque instaurat corpus. Vtq; substantia panis constat ex multis granis, ita mysticum corpus Christi, quod panis repræsentat, habet multa membra simul coniuncta. Itaque tam nos quàm aduersarij dicimus, effigiem, id est, apparentiam panis, & aspectum non mutari: sed substantiam ipsam esse, quæ mutetur. Et illi quidem volunt, mutationem eam esse per abiectionem naturæ panis: nos verò ponimus, eam tantum esse sacramentalem. Et contra aduersarios nostros facit ipsemet Cyprianus. Illi enim substantiam panis non mutant, sed prorsus auferunt: nos autem eã dicimus mutari, vt quæ fiat corpus Christi, hoc est, sacramentum corporis Christi, quod certè antèa non fuit. His addas, naturam apud bonos authores linguæ La-*

tinæ, non ſemper ſignificare ſubſtantiam, ſed interdum ingenium, & proprietatem. Vnde Cicero de Somnio Scipionis. Natura, inquit, animæ propria, atque vis, vt ipſa à ſe ipſa moueatur. Et ad Lentulum: Eam, inquit, eſſe naturam, & rationem prouinciæ tuæ. Cumque dicimus naturam herbarum, aut lapidum proprietatem, & vim illarum rerum intelligimus, non ſubſtantiam. Atq; hæc ſignificatio huic dicto Cypriani bene quadrat. Ex hiſce verbis meis facilè cognoſci poteſt, quid ego hiſcè de rebus ſenſerim. Hoc ego id circò adſcribere volui quod iſte dicat, me in iſta regula, quam mihi affingit, ſtatuere proprietatem panis mutari. Id enim, niſi rectè intelligatur, & à veritate, & à mea ſententia alienum eſt. Nam hoc & veritas ipſa exigit, & ego ſenſi, panem mutari, non quidem effigie, hoc eſt, quod naturalia eius accidentia mutẽtur: ſed quoniã ſubit iam rationem ſacramenti, quam certum eſt, eum anteà nõ habuiſſe. Panis enim & vinũ, cum maneant in eadem ſubſtantia, quam habebant anteà, fiunt ſacramenta corporis & ſanguinis domini. Non ergo ego dico, proprietatẽ panis mutari, ſed panem ipſum aliam cõditionem induere, quam anteà nõ habebat. Id autẽ, quod contra me excipitur ex epiſtola Chryſoſtomi ad Cæſarium, ad rem nihil facit. Ibi enim agitur de natura diuina & humana in Chriſto, in quibus, ſalua vnione, Chryſoſtomus ait ſeruari proprietates naturarum, ſine vlla illarum confuſione. Quare, cum hîc de ſacramento ipſo Euchariſtiæ agamus, ſi illa huc aliquo modo ſpectare poſſunt, longè certè diuerſum ſuadẽt quàm quod vult Inconſtantius: hoc, videlicet: quemadmodũ in illa vnione proprietates duarum naturarum ſeruantur diſtinctæ vnà cum ſubſtantijs: ita in Euchariſtia naturã panis vna ſeruari & retineri cũ corpore Chriſti, ſaluis ſuis proprietatibus naturalibus. Sed rurſus obſtat, quod ait, vocabulo illo mutationis nõ poſſe intelligi acceſsionẽ. *Abſurdũ enim, inquit, eſt dicere, Corpus Chriſti ſic accedere ad panem, vt illud ſit eius proprium.* Quorſum iſta? In me enim nõ conueniunt. Ego enim non dico, Corpus Chriſti accedere ad panem: ſed panem effici Sacramentũ corporis Chriſti: neque in hoc Sacramento corpus Chriſti & panem ita eſſe inter ſe conferenda, vt vnum ſit alterius proprium. Ego enim nihil aliud ſtatuo, quàm panem recipere conditionem quandã, quã antea non habuerit.

Poſteà ſubijcit, quod vtinam non minus ſibi ipſi quam mihi diceret, *Si excutias omnes partes panis, & omnes proprietates, nil eorum deceßiſſe comperies, ſed manere in accidentibus. Nam appellatur panis: manet effigies, quæ erat: manet pondus: color durat: guſtus eſt idem qui fuerat: denique corrũpitur.* An verò ego eram iſta docendus, Inconſtanti? Quid, obſecro, aliud in hoc toto libro aut ſcripſi, aut egi? Cur tu te ipſum non audis? Cur, cum dicas omnes proprietates manere, non fateris eas in ſubſtantia hærere potius, quàm in accidentibus? Nam cum proprietates illæ ipſæ ſint accidentia, quomodo poſſunt in accidentibus collocari? Accidentia enim non ab accidentibus, ſed à ſubſtantijs ſulciuntur. Sed addit, *Adijcere ſignificationem nouam, quod Figuratores volunt, non eſt nouæ proprietatis quicquam adijcere. Nam & anteà ſignificabat panis corpus Chriſti: & ſi quid nunc addatur, adſcititium quiddam, proprium nõ naturæ ſed gratiæ.* Fingit iſte, ſignificationem tantum noſtra ſententia accedere ad panem. Id autem falſum eſt. Nos enim dicimus, panem, quando adhibetur ad Sacramentum, re vera eſſe inſtrumentum ſpiritus ſancti, ad fidem in animis noſtris excitandam: quod etiam tribuitur diuinis literis. Quanquam fieri poteſt, vt Inconſtantius pro ſua modeſtia, & pietate, nihilo illis plus tribuere velit, quam profanis. Cæterum, ne hoc cogatur confiteri, addit, *Etſi quid nunc addatur, adſcititium quiddã eſt*: quaſi verò nos nunquam docuerimus, conditionem ſacramentalem eſſe inſitam, genuinam & naturalem. Nos quidem dicimus, ſtatum illum aduentitium eſſe, eumque non naturæ, ſed vni gratiæ adſcribimus.

Verum addit: *Quod verò volunt, naturam apud Gelaſium; quia negatur mutari, eſſe ſubſtantiam, expediant ergo, quid ſit, quod idem dicat Gelaſius tranſire in diuinam ſubſtantiam: in quam, ut germine conſiſtat ſubſtantia, quod verba Chriſti non ferunt, deſinat illa panis neceſſe eſt. Illud ſanè veritati conſonantiſſimum eſt, vt natura apud Cyprianum, quæ mutari dicitur, ſubſtantiam ſignificet: & quæ apud Gelaſium non mutatur, proprietatem. Nam naturæ nomen, & ſubſtantiam naturæ, & proprietatem eleganter ſignificat: quod & hic Regulator non diſſitetur.* Vt hęc luculentius intelligas, Lector, operæpretium erit locum illum Gelaſij deſcribere. Is autem in libro ſuo aduerſus Eutychen ad finem ita ſcribit: *Certè Sacramenta, quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Chriſti, diuina res eſt: propter quod & per eadem diuinæ efficimur cõſortes naturæ. Et tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini: & certè imago, vel ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebratur. Satis ergo nobis euidenter oſtenditur, hoc nobis in ipſo Chriſto domino ſentiendum, quod in ipſius imagine profitemur, celebramus, & ſumimus: vt ſicut hæc in diuinam tranſeunt, ſpiritu ſancto operante, ſubſtantiam permanent tamen in ſuæ proprietate naturæ: ſic illud ipſum myſterium principale, cuius nobis efficientiam, veritatemque veraciter repræſentat, ex iis, quibus conſtat, propriè permanentibus, vnum Chriſtum, quoniam integrum, verumque permanere demonſtrat.* Quis non intelligat ex iſtis verbis Gelaſij illum poſuiſſe naturam panis, pro eius ſubſtantia? Nam præterquam quod nomen ipſum Subſtantiæ non reticuit, ex eo etiam confirmat, humanam naturam eodem modo permanere in Chriſto, nec eam, vt Eutyches delirabat, ex coniunctione diuinæ ſubſtantiæ euanuiſſe. Fruſtra ergo ſe torquet Incõſtantius, vt doceat illũ vocabulo Subſtantiæ intelligi voluiſſe proprietatẽ, aut accidentia. Nam ſi ita ſenſiſſet, aduerſus Eutychetem nihil concluſiſſet.

Quod autem Inconſtantius petit, vt explicem ſibi quomodo Gelaſius dicere potuerit, panem & vinum tranſire in diuinã ſubſtantiã, id nõ ita eſt difficile expedire. Rectè enim dicũtur tranſire

transire in diuinam substantiam, quod efficiantur Sacramenta diuinæ substantiæ, eamque singulari quadam ratione significent: quidque suo quodam modo & dicantur, & sint corpus & sanguis Christi. Imò Theophylactus quoque, quamuis alioqui in hac re durus, & violentus scriptor, tamen in commentarijs suis in Marcum ait, Panem & vinum conuerti in vim & virtutem corporis & sanguinis Christi. Et Ecclesiastici scriptores non raro dicunt, nos ipsos mutari in corpus & carnem domini: cum tamen interim ne Inconstantius quidem negare velit, nos retinere propriam nostram, & priorem substantiam. Scire etiam istum oportuit, non ita facilè satisfieri prudenti Lectori, si dicat tantum, Verba Christi non ferre geminam substantiam in Eucharistia, id autem nulla ratione probet. Nos enim cum Eucharistiæ nomine totũ cõprehendimus Sacramentũ: dicimus cum Irenæo, illam cõstare duabus partibus: nec tamen necesse esse, vt loco, & situ duę illę partes inter se coniungãtur. Quare nondum videmus, quomodo verba Christi prohibeant, quominus duæ substantiæ possint in vno Sacramento Eucharistiæ conuenire. Illæ enim relatione tantum quadã, & respectu signi, & rei significatæ inter se copulantur: quæ tamen relatio, vt sæpe diximus, eximia sit, & singularis.

Lutherani vero, & alij qui statuunt realem præsentiam corporis Christi in Eucharistia, quamuis substantiam panis non abijciant, arbitrantur, id rectè constare posse cum verbo Christi: maximè verò cum scripturę nõ minus, imò longè etiam apertius testẽtur, panem adesse, quam Christi corpus. Quare Inconstantius, cum dicat tantum, non autem probet, verba Christi ferre id non posse, cordato & prudenti Lectori quid aliud videri potest quam nugari?

Atqui, si Deo placet, ille se arbitrum honorarium interponit inter Cyprianum, & Gelasiũ: sed ita, vt & se ipsum faciat ridiculum, & veritatem non expediat, sed obscuret, & verbis ipsis diuinæ scripturæ fucum faciat. *Natura*, inquit, *apud Cyprianum significat substantiam: illam enim ait mutari.* Rectè. Non tamen addit, eam abijci, & in nihilum redigi. O pulchrum Grãmaticum. Apud istum mutari nihil potest aliud significare, quàm tolli, & perimi. Sed recta ratio longè aliter docet. Illud enim potius mutari dicitur, quod manet, & varias in se formas, & proprietates recipit. Nam alioqui nos quoque, cum mutamur in corpus & in carnem Christi, substantiam nostram abijceremus, & esse omnino desineremus. Apud Gelasium autem ait, Naturam nihil aliud omnino esse, quã proprietatem. Ac si Gelasius ita diceret, Substãtia quidem panis mutatur, hoc est, discedit, & perit: quamuis proprietas eius in sacramẽto conseruetur. Sed Gelasius ipse reclamabit, & hanc sententiam nunquam feret. Ille enim expressissimis verbis non tantum, naturam dixit, sed etiam substantiam: & si ita diceret, vt ostendi, contra Eutychetem nihil concluderet: quodque multo maius est, etiam diuinis literis aduersaretur.

Addit ad extremum, me ipsum non negare naturę vocabulum posse satis Latinè, & elegan ter significare proprietatem. Quid ni? Id enim diserte scripsi. Nunquã tamen aut sensi, aut docui, vocem illam ita perpetuo vsurpari: imò nè autem omnium vbi illa significatio apertè pugnet cum consilio, & voluntate Scriptoris, aut veritati diuinarũ literarum aduersetur. Hic tãdem aliquando Inconstantius finem fecit & recensendis meis Regulis, & oppugnandis: quas pro sua temeritate ne dicam, an malitia, & auxit numero, & inuertit, & obfuscauit & lacerauit, & stilo suo, tanquam Harpyia quædam suis vnguibus, fœdissimũm inquinauit. Illæ tamẽ veritate, & vi sua adhuc consistunt, vel potius diuinarum literarum, & sanctorum Patrum testimonijs confirmantur. Nunc videndum est, an fortuna meliori vtatur in nostrorum hominum dissolutionibus refutandis.

FINIS Locis Secundi.

LOCVS TERTIVS
EIVSDEM LIBRI,
IN ORDINE PRÆCEDENTIVM NONVS.

HANC Partem Inconstantio ita visum est inscribere:

CONFVTATIO SOLVTIONVM,
quibus sectarii diluere conantur quædam Catholicorum argumenta.

Argumentum Gardineri.

PROMISIT dominus, se daturum nobis in pane carnem suam, dicens: Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita Sed quod promisit Christus, non legimus eum præstitisse nisi in Cœna: Ergo in Cœna dedit carnem suam, eandem scilicet, quam dedit pro mundi vita. Præterea, quod dedit pro mundi vita, non erat substantialiter panis ergo nec hoc, quod dabatur in Cœna, fuit substantialiter panis.

SOLVTIO.

FATEMVR, Christum promisisse, se veram carnem suam daturum in cibum, idque maximè præstitisse in Cœna: sed non solum tunc. Nam id etiam præstat quoties verè credimus, illum pro nobis fuisse mortuum. In Cœna autem dedit veram carnem suam, non quidem carnaliter præsentem, sed in significationem: non autem carnaliter manducandam, sed fide, & spiritualiter. In Cœna autem plus præstitit, quam promiserat in sexto Iohannis. Nam ad illam spiritualem manducationē adiecit symbola externa panis & vini: quę symbola adsunt realiter, & dantur carnaliter manducanda. Atque ita dicimus, duo simul data fuisse in Cœna: videlicet, Panem naturalem, & symbolicum, qui est caro Christi, non substantialiter, sed sacramentaliter: & verum corpus Christi spiritualiter manducandum per fidem.

GARDINERVS.

SI hanc solutionem recipimus, fateamur oportet, quod est absurdissimum, æquipollere rem, & rei significationem: vt rem pollicitus, videatur promissis satis feciſſe, cum dederit significationem.

MARTYR.

HÆC, inquit, *doctrina efficiet, vt significatio rei æquipolleat rei ipsi: vtq; Christus videatur promissis suis satisfeciſſe, si rem ipsam pollicitus, tantum dederit significationem.* Quæso verò te, Inconstanti, quomodo hoc ex illa solutione consequetur? Nam Christus, vti iam dictum est, duo exhibet in sacra Cœna: verum videlicet corpus suum comedendum per fidem spiritualiter: & symbola externa comedenda carnaliter. Nec tu adhuc ostendere potuisti, quemadmodum ista duo sint paria, & æquipolleant: cum ita inter se conferātur, vt vnū sit res significata, alterum signum. Neque verum est, quod ais, nos statuere, Christum tātum dedisse significationem. Nos enim dicimus, Christum vtrunque dedisse, signum scilicet, & rem ipsam significatam. Quod si nos diceremus, Christum tantum dedisse panem, posset aliquis color esse argumenti tui. Ita enim ad tuēdam fidem promissorum Christi, necesse esset dicere, signum par esse rei significatæ. At cum nos eum vtrūq; dedisse fateamur, tu vide, quomodo id quod dicis ex nostra dissolutione possit consequi. Imò si nos statueremus, illa duo esse paria, diceremus potius Christum in cœna alterutrum tātum dedisse, non autem vtrunque. Nam cum duo essent omnino inter se æqualia, & paria, alterutrum oporteret esse superuacaneum.

Sed priusquam progredior longius, operæ precium erit aliquid interfari. Inconstantius nos tota ista sua disputatione appellat vbiq; Sectarios: non quod veritatem, quod certè facimus, consectemur, sed quod vni alicui sectæ, vt ipse calumniatur, simus plus æquo addicti. Verum, quoniam æquum est, vt qui tantoperè delectetur conuitijs, & perpetuo certet maledictis, aliquando vicissim malè audiat, cur non ego illū vicissim appellare possim Apostatā aut Transfugam? Primum enim, quod ne ipse quidē negare potest, transfugit à Papa: deinde à sanctissimis institutis Regni Angliæ, vel potius à Christo ipso, & ab eius agnita veritate ad Papam defecit. Cum ergo bis transfugerit, & bis fuerit apostata, & bis sese manifestissimo periurio obligarit, tu vide Lector, an ego illū rectè, ac verè possim appellare trāsfugā, apostatā, & periurū Sed nolo eū ornare suis titulis. Ad rem potius redeo. Hoc tantū volui te paucis admonitum, vt scires, quali cum homine mihi negociū sit.

Ait nos confundere Sacramenta. *Nam articulus*, inquit, *de morte Christi creditur etiā à Catechumenis, priusquam Baptismi Sacramento tingi possint. Quare si credunt*, inquit, *Christum oppetiisse mortem nostram*

nostra causa, iam nostra sententia, manducant carnem eius: cũ tamẽ renati nõ sint ex aqua, & spiritu. Hoc loco putat nos prorsus teneri medios, nec posse effugere, Sed mirum est: cũ sit episcopus, &, vt ipse de se putat, fulcrum, & columen Papistarũ, tamẽ nondũ eò promouit in sacris literis, vt intelligat, eũ, qui verè credat, etsi ad Sacramentũ Regenerationis nondũ accesserit, tamẽ iam esse iustificatũ: quod de Cornelio Cẽturione certò scimus ex sacris literis. Quod si Catechumenus, qui verè credat, iustificatur, quid impedit, quo minus ille spiritualiter vescatur carne Christi? An ea causa dices, Sacramẽtorũ ordinẽ perturbari? Id quidẽ fieret, si nos Catechumenis ante daremus Sacramentũ Eucharistiæ, quã illi sacro fonte tingerẽtur: quod cerè nunquam factum est in nostris Ecclesijs. Imo quem ordinẽ Christus posuit in reb ipsis, vt prius iustificemur fide, & renascamur, deinde alamur & instauremur eius corpore & sanguine, eundem nos ordinẽ in Sacramẽtis obseruamus, vt prius Baptismũ fidelibus, quã Eucharistiã impertiamus. Nõ ergo nos, sed ipse potius Inconstãtius cõfundit, & perturbat Sacraméta. Is enim sine vllo discrimine putat, Comedere carnem Christi, esse percipere Sacramentum Eucharistiæ. Quod cum impij & necdum credentes facere possint, dabit corpus Christi nondum renatis, & necdum iustificatis.

Deinde addit, nos non minori peruersitate nostrũ etiã officiũ, hoc est credẽdi munꝰ ita involuere, quasi ea sit pars aliqua exhibitionis ipsius rei. Sed hoc cauillum ita est subtile, vt vix possit intelligi. Nos. n. dicimus. Fidẽ nostrã organũ esse, & instrumentũ, quo corpus Christi à nobis spiritualiter percipiatur. *Nõ malè*, inquit, *loqueretur, ita nos admonẽs, fide à nobis percipiẽdũ quod datur, hoc est, fide intelligẽdum, vt dijudicemus corpus domini, vt digne defungamur mãducatione.* Mira est ista tropha. Nos quidẽ nõ admiscemus eiusmodi fidẽ, qua credamus, corpus Christi adesse prorsùs, & substantialiter in Cœna: hoc tantum dicimus, opus esse vera fide quod credentes Christum pro nobis esse mortuum, carnem eius manducemus: & cum Augustino dicimus, Credere esse manducare. Nec si putaremus, corpus Christi adesse substantialiter, persuasio illa esset vera fides. Aduersaretur enim & sacris scripturis, & verę humanitati Christi.

Argumentum, inquit, *vrget veritatem carnis à Christo datæ in sacra Cœna. Quare non deberetis admiscere, quomodo nos intelligamus illam adesse, & vtamur dignè data.* Cum ista dicat Inconstantius, nõ videt, quam in referenda nostrã sententia turpiter hallucinetur. Nos enim non dicimus, prius fide intelligendum esse corpus Christi adesse, vt posteà realis manducatio consequatur. Verum hoc dicimus, ipsum illud per fidem apprehendere corpus Christi pro nobis mortuũ, esse illud corpus manducare. Postea insimulat nos, quasi negemus, carnem Christi dari nobis ad manducandum. Atqui nos in Scholis, & in omnibus Ecclesijs docemus, illam nobis dari. Dominus enim vt habuit non fictam carnem, sed veram: ita eandem nobis non fictam, sed veram dedit & credendam, & manducandam.

Addit, *Sectarios statuere nihil adesse, præter significationem: eam autem non esse præstationem ipsam, sed præstationis futuræ nouam, & iteratam pollicitationem, & quandam quasi procrastinationem carnis dandæ.* An quicquam ex nostra sententia hic adsit præter significationem, non est mirum si Inconstantius non videat. Nunquam enim voluit animum aduertere, quid à nobis diceretur. Si præter significationem velit esse etiam realem præsentiã, id omnino pernegamus. Corpus tamen ipsum Christi spiritui & fidei cõmunicantium adesse nihilominus confitemur: illudque ita esse præsens, vt satis sit ad nos in hac vita alendos, & spiritualiter sustentandos.

Sed rediculum ait esse, quod nos in dissolutione respondemus, *Christum ad spiritualem manducationem in Cœna adiunxisse symbola. Symbola enim non significare actionem manducãtium: nec spiritualiter manducantem ab eo, qui non spiritualiter manducet, distingui symbolis. Ea autem manducationis iam peractæ signa esse: aut si ad futuram manducationem spiritualem addantur, indignum, qui spiritualiter non manducet, nunquam accepturum symbola. Illa enim actionis Christi dantis signa esse non hominis manducãtis. Itaque non rectè dici symbola addita esse ad spiritualem manducationem.* Iste aũt ita pertinax est, vt nolit: aut ita hebes, vt non possit intelligere, quid nostri sibi velint, cum dicant, & doceant, ad spiritualem, & internam mãducationem adiecta esse symbola. Quæ tamen res ita perspicua est, vt vel pueri intelligant, dum extra vsum cœnæ piè, & fideliter nobiscum in animis cogitamus, corpus Christi pro nobis datum fuisse in crucem, & sanguinẽ eius pro nobis fuisse fusum, tũ & corpus eius edi à nobis, & sanguinẽ eius bibi. Sed prẽter ista mandauit nobis Christus, vt in Sacra Cœna externa etiam symbola, panem videlicet, & vinum vnà comedamus, & bibamus: vt illa actione externa testemur coniunctionem nostram, quam habemus cũ Christo, vtque fidẽ in nobis, qua Christum spiritualiter recipiamus, magis magisque excitemus. Cum ista millies iam à nobis & dicta, & declarata sint, quid opus erat istis ambagibus? Nã vbi nos vnquam aut quando diximus, symbola illa esse signa actionis manducãtiũ? Nos enim dicimus, & semper constanter diximus, Symbola illa esse signa, non aut accipientis, aut dantis, sed carnis & sanguinis domini: manducationem autem illorum symbolorum signum esse interioris, & spiritualis manducationis. Quẽadmodum enim ore percipimus panem & vinũ: ita fide, & spiritu percipimus corpus & sanguinem domini, & Christi promissiones, quas vt animis ac mentibus percepimus, ita illo esu, potuque obsignamus, & beneficio diuini spiritus, qui illis mysterijs vtitur tanquam instrumentis, fidem nostram instauramus. Nihil autẽ opus erat, vt iste sibi nescio quid comminisceretur, spiritualiter manducantes ab illis, qui non communicant spiritualiter, distingui symbolis. Etsi enim non omnes vtrunque præsent, tamẽ in Cœna vtrunq; requiritur ab omnibus. Nam symbola sæpè etiam indignis porrigun-

tur. Non ergo ea distinctionis causa addun-
tur, sed ad illa effecta, quæ iam commemoraui,
confirmanda, nimirùm ad obsignandum bene-
ficium Dei per Christum erga nos, & ad testifi-
candam, excitandam, atque augendam fidem
nostram. Nescio, quid liquidius, aut planius di-
ci possit. Sed quæ ista est amentia, velle refer
re symbola vel ad futuram, vel ad iam peractam
manducationem? Ea enim referunt nobis cor-
pus & sanguinem domini, quatenus illa oblata
sunt in cruce pro salute nostra. Non equidem
inficiabor, esum & potũ symbolorum signum
quoddá esse spiritualis manducationis intus in
animis nostris, vel quæ iam peragatur, vel quæ
peracta sit, vel etiam peragendæ, vel quæ pera-
gi deberet, licet ab impijs eorum vitio non per-
agatur. Vnde frustra subijcitur. *Ergo*, inquit
ille, *indigni ea nunquam sumunt*. Vnde tandem
hoc sequitur? obsecro. Signum enim sæpè habe
ri potest etiam sine re significata. Multi enim
sæpè aut legunt, aut audiunt sacras literas, quã-
uis res significatas non intelligant, aut fortasse
ne considerent quidem: nec tamen ea causa ver
ba Dei desinunt esse signa. Adulti interdum fi-
cta, & simulata fide externam quidem ablutio-
nem habent: etsi rem ipsam significatam non
habeant. Quare aut ego nescio, quid Incon-
stãtius sibi velit, aut ille, quod mihi credibilius
etiam est, prorsus sine sensu vllo verba fundit.

Posteà verò turbat, quãtum potest, dissolu-
tionem nostram. Aitque, *Patres dicere, Christum
in sexto capite Ioannis promisisse se daturum carnem
suam manducandam, eamque dedisse in Cœna: illosque
promissionem à datione ipsa distinguere: quod vos*, in-
quit, *non facitis*. Verba illa in sexto Ioannis sunt
Inconstantio alijsque similibus, non pro fonte
veritatis, vt esse debuerunt, sed pro cardine er-
roris. Putant enim, ibi promissionem esse tan-
tum de cibo & potu, & de illo tantum cibo po-
tuque quem Christus postea daturus erat in
Cœna. Atqui Christus, cũ ea diceret, pollicitus
est, se carnem suam pro precio, & redemptione
nostra daturum esse, in crucem nimirum & in
mortem, eamque sic datam credentibus fore
cibum, non tantum in vltima illa Cœna, quam
celebraturus erat cum Apostolis, quæque à no
bis communicantibus subinde repetitur: sed
etiam quoties fidem nostrã exerceremus, eam-
que serio in morte, & sanguine suo figeremus.
Panem autem & vinum, tanquam sigilla quæ-
dam promissionis suæ adhiberi voluit. Distin-
ctio itaque, quam iste requirit, inter promissio-
nem, & exhibitionem, non ita est assignanda, vt
ille putat: quasi exhibitio tãtũ pertineat ad Cœ-
nam. Nam & promissio, & exhibitio & in Cœna
esse potest, & extra Cœnã. Promissio enim est,
vbicunq; verba nobis offeruntur, siue cũ sym-
bolis, siue sine symbolis: Exhibitio autem est,
vbicunque vel audientium verbum Dei, siue il-
lud internum, siue externum fuerit, vel percipi-
entium Eucharistiã accedit fides. Isti verò som-
niant, Christum apud Ioannem sic dicere vo-
luisse: Panis ille, quem ego in vltima mea Cœ-
na vobis porrigam, etsi videri possit panis, ta-
men per Transubstantiationem erit caro mea:
Sed hæc interpretatio nihil aliud habet, quam
merum delirium. Christus enim ibi loquebatur de spirituali cibo animorum, & clarissimis verbis indicabat, illum cibum non esse externum, & carnalem panem, qui alat corpus, sed carnem suam, quam pro nobis daturus erat in mortem: sic.n. ille tum loquebatur. Nos autem nũc illum carnem suam & credimus, & scimus, ita dedisse in mortem vt promiserat. Eaque caro si à nobis verè credatur, & alit, & æternum viuificat. Illud autem tantum Dei beneficium, non ita alligatum est symbolis, vt tantũ in Cœna quæri debeat. Toties enim nobis offertur, & datur, quoties nos ad oblatam promissionem serió, & cum vera fide respicimus.

Sed addit, *Symbola secundum istos Sectarios, nihil aliud, quam alio sermonis genere, id est, visibili verbo, promissionẽ semel, cũ doctrina traderetur, factã, in Cœna repetunt, & repetunt quasi cum conditione non ita: ita demùm videlicet Christũ daturũ carnem, si symbola illa dignè susceperint, & manducauerint cum fide, nec quauis fide sed quæ tantæ sit efficaciæ, vt quasi cunctantem carnem inuitet, & acceleret*. Non dici-
mus, symbola esse tantum aliud quoddam, vi-
delicet aspectabile sermonis genus, vt iste bac-
chatur, sed etiam hoc addimus, ea adhibita esse
tanquam sigilla quædam diuinarum promis-
sionum: quemadmodum Paulus loquitur de
Circumcisione. Quod autem dicimus, promis-
sionem Christi repeti, quoties sacra Cœna cele
bratur, quæso, quid habet absurdi? Habeas tu
mihi cum tuis sacram, vel potius execrabilem
Cœnam, sine promissionibus Christi repetitis.
Nos eam volumus, in qua ea, quę dominus pol
licitus est nobis, luculenter commemorentur.
Verùm quod calumniatur non esse in Cœna
exhibitionem rerum promissarum, quod attis
net ad spiritum nostrum, & ad fidem, videat ip-
se quemadmodum id ex nostra sententia pos-
sit elicere. Vbicunque est vera fides, eaque se
porrexerit ad res oblatas, siue id in Cœna, si-
ue extra Cœnam fiat, semper ibi habes res
promissas. Nam quòd eam, tanta præsertim in
re, non elumbem, aut mortuam, sed viuam, &
efficacẽ esse volumus, quis id vnquam æquus
lector damnare possit? Neque opus est, vt
carnẽ domini cunctãtem incitemus fide nostra,
vt iste scurratur. Ea enim nos ipsos potius, atq;
omnes facultates nostras torpentes, & iacentes
excusitamus, & ad vocem illam Ecclesiæ, quæ
illo tempore vbique sonat, prouocamus. Effi-
cacia ergo fidei, quam vrgemus, nihil aliud sibi
vult, quam vt nè frigidè, aut ex hypocrisi, sed
serio, & magno cum studio atque impetu, ad
dominum nostrum ascendamus. Id rideat
Inconstantius quantum velit, pijs quidem
hominibus non dubito, quin vtilissimum
& saluberrimum videatur. Vt autẽ ad caput re-
deã, toties comedimus corpus Christi, quoties
re ipsa, vtque ita dicam, actu credimus. Ad istam
vero actualem fidem excitandam in suis, Chri-
stus nobis, & verba, & symbola dare voluit.

Addit Inconstantius, *Christum in Cœna
dare nobis sua manu corpus suum commedendum, il-
ludque immittere in os nostrum*. Id dicit ille qui-
dem

dem confidenter, vt omnia: sed nunquam ex sacris literis confirmabit. Magis verò etiam illa insana sunt, quæ addit: *Christum videlicet, vinis doctrinæ suæ verbis non substituisse in Cœna mutarum & insensibilium creaturarum voces: quasi magis afficiamur concionante pane, quàm concionante homine.* Hæc irrisio prorsus impudens, & canina est: & dictum illud, non meum, sed Augustini scurriliter exagitat: Sacramenta esse verba visibilia. Et patres omnes passim admonent, quid nos externa illa sacramenta doceant. Quod autem ait, nos dicere, mutarum voces substitutas esse viuæ voci doctrinæ Christi, quin aliud esse dicam quàm impudens mendacium? Nos enim adiuncta quidem, atque addita symbola esse dicimus viuæ Christi voci, non autem substituta. Sunt enim sigilla quædam & testimonia promissionum Dei. An autem Regiarum literarum sigilla concionentur, & doceant aliquid, ipse per me iudicet Inconstantius: qui cum nunc sit Cancellarius Regni Angliæ, quotidie vtitur sigillo Regio. Videat etiam obsignationes illas suas addatne, an substituat scriptis Regijs. Adhæc si mutæ creaturæ ita concionentur de Deo, vt Dauid cecinerit, Cœlos enarrare gloriam Dei, atque ita enarrare, vt in omnem terram exierit sonus eorum: vtque Paulus scripserit, Inuisibilia Dei cognosci ex creaturis, & ita cognosci vt impij iam sint inexcusabiles: quid iste latrat, mysteriorum symbola muta esse eaq; vbi vnà cum verbis domini proponantur in cœna, nihil concionari, sed inutiliter administrari? Respondeat ipse nobis de suis accidentib. mutáne sint, an loquacia? loquantúrne aliquid, an prorsus taceant? Sed mitto accidentia: de illa potius carne vestra, quam vobis præsentem fingitis, velim mihi aliquid respoederi. Illa, inquam, cum nec videatur, nec vllo modo sentiatur, sed delitescat tantum sub accidentibus, & dimensionibus, cocionatúrne aliquid, an tacet? Haud dubiè etiam dices concionari: perpetuò enim iactas, eam esse signum sui ipsius, olim scilicet pendentis in cruce. Imo etiam verba ipsa mystica, quæ occultè, ac tacitè pani, vinoque tanquam in aurem insusurratis, concionantúrne, an prorsus muta sunt, & tacent? Si vestra ista omnia, quamuis omnes sensus fugiant, tamen possunt concionari, cur nostra, quæ & videntur, & tanguntur, & gustantur, &, cum verba coniuncta habeant, quodammodo audiuntur, idem non possunt? Quod si vestra etiam dicetis muta esse, & nihil dicere: cur ea verbis illis, quę Christus in cœna luculentissime pronuntiauit, substituitis? Vestra ista omnia rectissimè dici possunt substituta: nihil enim nobis in ea re clari, aut aperti reliquistis. Caro illa vestra, & vester sanguis (vestra adpello, quoniam ea vos ipsi vobis confinxistis) vestra, inquá illa occulta sunt: verba ipsa quæ anhelatis, occulta sunt: modus, quo ibi accidentia substantijs abolitis substituitis, occultus est: in summa vniuersum illud vestrum negotium occultum & cæcum est. Neque mirum: eò enim spectant omnia opera, atque instituta Antichristi, vt veritatem hominibus aut eripiat, aut obscuret, vt ita possit facilius captiuos abducere in exitium.

Omnia Papistarũ sunt occulta in Eucharistiæ mysterio.

Neque verò multum mihi laborandum arbitror, vt probem, homines magis moueri, si verbis Dei addantur symbola, quæ spectari, & videri possint, quàm si ea nuda tantum, & simplicia proponantur. Id enim & Rhetores docẽt, & Historia testatur, & experiẽtia quotidie monstrat. Verba M. Antonij, quamuis eloquentissimi oratoris, non ita multum animos populi de morte Cęsaris commouerunt. Cum autem ille vestem ipsam Cæsaris laceram, & cruentam protulisset, populus totus statim cœpit, quasi Cęsar tum ante oculos occideretur, incredibili furore exardescere. Si tanta vis fuerit in illis humanis signis, & naturalibus, quid credẽdum est fieri, cum symbola diuina, instituta à Christo, & ad res cœlestes pertinentia, fidelibus ante oculos cõstituũtur in sacra cœna? Hæc enim significatio, non humana est, sed prorsus diuina, & spiritualis, ipsius, videlicet, Spiritus sancti instrumentum. Et quis nescit, homines etiam in ciuilibus contractibus dare sibi mutuo manus, cum aliquid pacisc untur: aut digitos tollere, quoties aliquid affirmant iureiurando: aut dare annulum, cum sibi despondent vxorem? An putamus homines istis signis nihil affici? Si cassa, & inutilia sunt cur vsurpãtur? Si prosunt, & afficiunt animos, cum sint tantum humana, cur eandem vim negamus symbolis diuinis? Arcus Iridis concionatur de misericordia Dei: Circumcisio cõcionabatur de pacto, & fœdere Dei inito cum hominibus: omnia sacrificia Veterum concionabantur de Christo venturo. Et sola symbola Eucharistię, quæ Christus mortis suæ monumenta, & promissionum suarum pignora, & sigilla esse voluit, illa, inquam, sola muta sunt, & nihil possunt concionari?

Addit Incõstantius ad finem, putidam illam suam cantionem, iam antea centies, credo, repetitam: nimirum, post cõsecrationem corpus Christi esse huius Sacramenti materiam. Huius dicti vel potius oraculi, si rationem petas, redeundum est ad versum illum intercalarem, Hoc est corpus meum. Quæ verba, quemadmodum sint intelligẽda, satis iã suprà suo loco diximus.

Argumentum Gardineri.

VERBA Christi sunt clara, & perspicua, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur: quæ declarant substantiam illius, quod discipulis dedit. In quibus si admittamus tropos, nihil erit tutum ab Hæreticis. Nam nisi verba hæc essent simpliciter intelligenda, ita vt sonãt, Euangelistæ nunquam inter se tanta concordia consensissent.

SOLVTIO.

PERSPICVITAS verborũ non eſt tantoperè obijcienda. Omnes enim ferè Hæretici collegerũt opiniones ſuas ex eo ſenſu, quẽ verba perſpicuè præ ſe ferebãt. Quare oportet ex alijs ſcripturarũ locis, & circũſtantijs bene circũſpicere, quid in iſtis agatur: Chriſtus, ne beneficiũ mortis ſuæ nobis intercideret, hoc Sacramẽto voluit memoriã noſtrã refricari: vt per fidẽ in animo volueremus, corpus ſuũ pro nobis traditũ fuiſſe in mortẽ: atque ita credẽdo illud corpus manducaremus. Quod vt efficacius fieret, adiecit ſymbola panis & vini. Quod aũt dixit, Hoc eſt corpus meũ, perinde erat, ac ſi diceret: Corpus meũ pro vobis tradendũ, ſi fide ac ſpiritu à vobis cõmedatur, erit vobis pro pane, vel inſtar panis ad vos nutriẽdos, & ſuſtentandos: & ita eſt metonymia: ſigno. n. tribuitur nomẽ rei ſignificatæ. Poteſt etiã eſſe ſynecdoche, vt id dicatur de toto, quod eſt partis: aut, quod eſt vnius partis, tribuatur alteri. In hac interpretatione omnia ſunt facilia, vitantur abſurda: nec vnus locus ſcripturarum pugnat cum alijs. Talis autem phraſis, & locutio frequens eſt in ſacris literis: ita enim legimns, Semen eſt verbum Dei: &, Petra erat Chriſtus.

GARDINERVS.

HÆRETICI lucem tenebras, et tenebras lucem dicunt: ſed certũ perſpicuitatẽ ſequitur Eccleſia Catholica.

MARTYR.

COllationẽ ſcripturarũ, quæ alioqui neceſ-
ſaria eſt, maxime in locis cõtrouerſis, Incõſtãtius queritur nos hîc iniquè poſtulare, quod iſta verba in Eccleſia nõ ſint controuerſa, ſed à primis eius incunabulis sẽper ita accepta fuerint, vt ſonãt: præſertim cũ in omnib. ſcripturis, nihil poſsit inueniri, quod iſtis verbis opponatur. De ſenſu Eccleſię in hac re, iudiciũ facere poſſumus ex ſcriptis Patrum, qui in ea fideliter verſati ſint. Quantũ aũt illi ab illorũ verborum ſimplici ſenſu abhorruerint, ſuprà nõ vno loco fuſè, & copioſè demõſtrauimus. Eadẽ aũt hîc repetere, nihil aliud eſſet, quàm actũ agere. Quanquã Eccleſię ſenſus magis ex diuinarũ literarũ teſtimonijs, quàm ex hominũ ſentẽtijs petenda eſt. Eccleſia. n. tãtiſper eſt colũna & firmamentũ veritatis, quàm diu nititur vnico verbo Dei. Quã aũt multa ſint loca in ſacris literis, quæ pugnent cũ ſimplici verborũ intelligẽtia, in priori parte huius libri luculẽter & fuſè expoſui: quo in loco argumẽta noſtrorũ hominũ cõtra ſuperſtitiones & ineptias Papiſtarũ confirmauimus.

Eccleſiæ ſenſus ſcripturis eliciendus nõ è diuerſo.

Quòd aũt iſte dicit, nos à Catholicis ne dico, an à Cacolycis potius, illud mutuatos eſſe, vt di ceremus, Chriſtũ, ne mortis ſuæ beneficiũ nobis excideret, voluiſſe hoc Sacramẽto memoriã noſtrã refricari, vanũ, & falſum eſt. Nos. n. id nõ ab hominibus habemus. ſed ex diuinis literis. Chriſtus. n. ipſe mãdauit, vt quotieſcunq; hoc facimus, id in ſui memoriã faciamus. Quod idẽ Apoſtolus etiã Paulus cõmemorauit, atq; etiã addidit: *Mortem domini annũtiabitis, donec veniat.* Hęc verba optimi paſtoris Chriſti, & eius fideliſsimi diſcipuli Pauli ſũt, nõ Papiſtarũ, aut luporũ. Imò ne hoc quidẽ habem⁹ ab illis, quòd dicimus, viua & ſyncera fide cõmunicandum. Id enim nos Chriſt⁹ ipſe docuit in cap. 6. Iohãnis. Vocabulũ aũt illud, efficacię, de quo Incõſtãtius neſcio quid, voluit dicere, nõ iniuria nos attribuim⁹ fidei. Nõ enim quæuis credulitas apprehẽdit corpus & ſanguinẽ domini: ſed ea tãtùm, quæ germana ſit, & ſeria, & viua, & valida. Ad eã verò augendã, & confirmandã ſi dicimus ſpiritũ vti pane & vino tanquã inſtrumẽtis, quid erat iuſtæ cauſę, cur iſte Lucianus tã effuſè id rideret?

A Ne illi quidẽ ridẽdi erãt, rectiſsimè enim & veriſsimè loquũtur, qui dicũt, Corpus Chriſti, nõ minus in verbo Dei fideliter audiendo accipi, quã in ſymbolis. Hoc enim ſignificari voluerũt, ſymbola externa quaſi ſigilla quædã eſſe addita, quibus promiſsiones Dei cõfirmarẽtur, Quiuis aũt intelligit, promiſsionẽ principis verbo pri-
B mùm impetrandã eſſe, quàm vt ea poſsit cõmuniri ſigillis. Abrahamus. n. prius adeptus eſt iuſtificationẽ ex verbis promiſsionis diuinæ, quàm eius ſignũ, aut ſymbolũ reciperet in carne per Circũciſionẽ. Torqueat ſe Incõſtãtius, quantũ velit: hæc certè ſemper fuit natura Sacramẽtorum. In Baptiſmo nõ mũdamur à peccatis, quia aqua tingimur: ſed, quemadmodũ rectè docuit Auguſtinus, quia verbo, quod proponitur, credimus. Et qui verè, atque ex animo credunt verbo Dei, etſi fortè deſtituantur aqua, tamen nihilò minus habent iuſtificationem ex verbis Dei,
C quàm ſi externo ſymbolo tingerentur, quemadmodum Auguſtinus ſuper Leuiticum quæſtione 84. fuſè diſputat. Sed iſti noſtri elemẽtarij Chriſtiani, nihil prorſus actum putant, niſi accedant externæ ceremoniæ. Tamen Cornelius Centurio, antequam à Petro aqua contingeretur, receperat viſibili forma ſpiritum ſanctum. Quòd ſi hoc & in Baptiſmo, & in Circũciſione accipere potuit, quibus, malũ, intẽperijs agũtur iſti homines, vt id in edenda Chriſti
D carne fieri poſſe negent? Neq; tamẽ nos propterea vſum externũ Sacramentorũ docemus eſſe cõtemnendum. Verùm ea de re tantum à nobis ſuprà dictum eſt, vt nihil hîc ſit repetendum.

Conqueritur Incõſtãtius, *nos tropos, & figuras orationis petere à Grammaticis.* Prodeat ergo ipſe in mediũ, & omnia diuinarũ ſcripturarũ loca, maximè verò ea, quæ nos inſtituũt de ſacris myſterijs, interpretetur nobis ſine figuris & tropis. Exponat, quid ſit, In carne portare pactum aut fœdus domini, Agnũ eſſe paſca aut trãſitũ,
E Eos, qui baptizantur, induere Chriſtũ: atq; alia huiuſmodi loca penè infinita ſine tropo. Si hoc illi moleſtũ eſt, quod figuras petim⁹ à Grãmaticis, vnde ergo illas poti⁹ peti vellet? Mirũ, ni aut è ſuis Sophiſmatis, aut è myrothecijs Romanę

meretricis. Eam enim semel antea, & diu, & contumelioſè repudiatam, mirum eſt, quàm nunc afflictim depereat. Sed iſtis licet ſuo arbitratu eſſe tropicis: nos verò miſeri ab hoc genere toto, tanquam à peſte, & ab omni pietatis contagione arcemur. Hoc videlicet, inter nos, atque illos intereſt: quòd noſtri tropi lumen & perſpicuitatem adferant: illorum autem ſimplex & nudus ſenſus offundit tenebras.

Iſte verò qui nos tanta authoritate, & ſtrepitu vetat, vt ita dixerim, tropicari, pergit ipſe incredibili licentiáne dicam, an impudentia, ſophiſticari. *Ex noſtra enim ſententia*, ait, *ſequi, Chriſtũ in cœna nihil dediſſe: vt qui tantum ibi docuerit virtutem, & vim ſui corporis: nimirum, quòd illud fidelibus futurum eſſet inſtar panis, et ſpiritualis alimoniæ: quatenus, ſcilicet tradendum erat in mortem.* Et videtur ſibi reperiſſe argutiſsimum cauillum, quòd dicat, nos loqui de corpore Chriſti tradendo, nõ autem adhuc tradito. Iſtos autem fumos nos ſine vllo negotio diſsipabimus. Corpus enim illud, quod tum tradendum erat, nunc traditum eſt in mortem, & tunc quidem Apoſtolis in Cœna offerebatur: nunc autem nobis, dum cõmunicamus, offertur fide, ac ſpiritu recipiendum ad æternæ vitæ alimoniam. Sed dicat nobis vir iſte tam argutus, Cur hodie in ſcripturis legantur & recitentur hæc verba, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*: cum illud iam olim ante mille quingentos annos traditum fuerit? Noſtra ſanè veriſsima ſententia eſt, Corpus Chriſti, quod tum tradendum erat in mortem, quodque nunc traditum eſt, omnibus, qui credãt, & annuntient mortem domini, dari pro pane, atq; alimonia vitæ æternæ: ſiue hoc in ſacra Cœna fiat, ſiue alibi. Neq; tamẽ ea cauſa negamus, imò multò potius docemus atque affirmamus, Chriſtum dare nobis carnem ſuam comedendã, & fideles de illo ipſo ſacrificio, quod in cruce factum eſt, manducare. Chriſtũ verò in Cœna ſe ipſum ſuis manibus ſacrificaſſe, non iudicamus ſobria & ſane fide poſſe dici: quamuis illa ſua quidem ipſius voce, & gratiarum actione ſeipſum Euchariſtico ſacrificij genere ſacrificaſſe, concedimus. Quod autem dicunt, illum ſuis manibus ſeipſum ſacrificaſſe, quod nihil eſt aliud, quàm ſeipſum mactaſſe, videant illi, qui ita loqui volunt, quo ſenſu, & quàm orthodoxè poſsint id interpretari.

Deinde iſte noſtram interpretationem verborum domini, tanquam nimis coactã & violẽtã reſpuit: quaſi transferamus terminos, & nouum ſenſum pro noſtro arbitratu inuehamus. Nos verò nihil aut tranſponimus, aut immutamꝰ ſine authoritate ſcripturarũ. Chriſtus apud Ioannem ait, Ego ſum panis: loquutione haud dubiè tropica. In cœna autem è conuerſo dixit, Panis eſt corpus meum. Quis ita iners, aut ſtupidus eſt, qui non videat, in iſtis verbis, Corpus eſt panis, &, Panis eſt corpus: & in iſtis, Caro eſt panis, & panis eſt caro, eundem ineſſe ſenſum? Hanc autem interpretationẽ, & lucẽ non nos primum inuexim̃us: vt iſte calumniatur. Author doctiſsimus, & vt vir ſanctiſsimus Theodoretus eam vidit, quemadmodũ ſuprà oſtendimus. Vt ergo verũ eſt, corpus & carnem Chriſti metaphoricè eſſe panem: ita viciſsim verũ eſt, panẽ eſſe corpus & carnem domini. Neque nos, vt iſte queritur, verba Chriſti luce carnis, & humani ſenſus iudicio illuſtramus. Hæc enim accepimus, & hauſimus è diuinis literis. In illis enim vtraque iſta propoſitio inuenitur et legitur.

Sed iſte falſò putat, ex iſto noſtro ſenſu conſequi, *Chriſtũ in cœna nihil aut dixiſſe, aut feciſſe, quod ſuperaret captum humanæ rationis: nec ex illis, quæ fecit, poſſe confici, illum fuiſſe filium Dei fabricatoris huius mundi: quemadmodum colligit Irenæus.* Mihi quidem permoleſtum eſt, pie Lector, toties tibi eadem obtrudere. Sed iſte me ſua importunitate ita trahit, vt cogar ea facere, quæ nolim. Sæpè iam diximus ad confectionem Sacramentorũ requiri Dei omnipotentiam: ideoq; neminem potuiſſe ea inſtituere, niſi filium Dei. At Inconſtantius colligit ex noſtra ſententia, Chriſtũ nihil aut dixiſſe, aut feciſſe in cœna, quod eſſet ſupra humanum captum: quod niſi velimus dicere, neceſſe eſſe, vt fateamur, corpus Chriſti, realiter, carnaliter, ſubſtantialiter vel in pane, vel ſub accidentibus panis latitare. Sed cur nos etiam dicit, Chriſtũ in Baptiſmo nihil aut dixiſſe, aut feciſſe, quod humanum captum ſuperaret? Cur non ibi quoque requiritur, aut carnalis iſta præſentia, aut Tranſubſtantiatio? Quemadmodum autem Irenæus ex inſtitutione cœnæ colligat, Chriſtum fuiſſe filium Dei fabricatoris mundi, quoniam ſuprà fuſè docui, ſatis erit hic vno tantum verbo repetere. Nam ſi Chriſtus fuiſſet filius alterius alicuius Dei, maximè verò, quẽadmodum Marcion ſomniabat, qui Creatori mundi inimicus eſſet, ad inſtituenda Sacramenta vſurpaſſet nõ ſuas creaturas, ſed alienas. Verùm Inconſtantius, quoniã veris & firmis argumentis deſtituitur, ad Sophiſmatum, & mendaciorum ſuorum lecytos, & myrothecia redire cogitur. Quantum autem dignitas Sacramentorum ſuperet captum humanæ intelligentiæ, nihil opus eſt repetito.

Poſtea garrit, neſcio quid, *eui dationem iſtam abſurdorum, quam nos ſequimur, & commendamus, eſſe abolitionem myſteriorum*: & addit, *ea nos tantum habere pro abſurdis, quæ carnis iudicio & rationi aduerſentur.* Vt autem ad id, quod vltimo loco dictũ eſt primum reſpondeam, Nos in religione non metimur abſurda ſenſu & iudicio carnis, ſed doctrina ſacrarum literarum. Ex illis ſcimus Chriſtum verè habuiſſe humanum corpus: quod corpus ſi quis dicat eſſe deſinere, non poteſt nobis non videri valde abſurdum. Ex illis ſcimus, panem & eſſe, & manere in Euchariſtia: vt illum iam aut abijſſe, aut non manere, pugnet non tantum cum humana ratione, ſed etiam cum verbo Dei. Si autem habemus pro abſurdo, accidentia conſiſtere ſine ſubiectò, idq́ue ſine authoritate vlla verbi Dei, in eo non carnem aut ſenſum ſequimur, ſed probatiſsimum iudiciũ rationis. Quòd verò addit, nos noſtra interpretatione abolere myſteria, falſum

est: nisi fortè iste nobis probare posit, sine ista Transubstantiatione, aut reali præsentia nõ posse constare naturam sacramenti. Id nos cum tota hac disputatione petierimus vt nobis probaretur, ne adhuc quidem id potuimus impetrare. Quare aut præstet id aliquando Inconstantius, aut desinat iactare, nos nostra sententia abolere vim Sacramenti.

Quæ scripturæ cõtra istos pugnẽt

Labeones. Mercurij.

Postea negat, opinionem suam pugnare cum vllis locis scripturarum: me verò ait, quod olim fecit Labeo Iudex Romanus, ibi fingere contentionem, vbi nulla sit. Hic me propter istorum fictam, atque ementitam pacem, non oportet omnia scripturarum testimonia, quę adferri possent, coaceruare, quibus cum isti non tantùm dissideant, sed etiam apertissimè, atque impudentissimè pugnent. Quibuscunque enim verbis diuinæ literæ testantur, Eucharistiam constare pane, aut docẽt, Christum, quod attinet ad humanã naturã abisse è mundo, & versari in cœlo, nec amplius esse in terris, cum illis omnibus istorũ impostur ę pugnant. Cumq; nos istas contradictiones indicamus, non sumus, vt iste suauis literarum suarũ ostentator nos appellat, Labeones: sed Mercurij potius, qui in triuijs veram, & commodam viam Lectoribus ostendamus, ne in sacris dogmatis ab istis Lamijs miserè seducti aberrent, & pereant.

Ad extremũ negat, in omnibus sacris libris phrasin vllam inueniri similem, illi phrasi, qua Christus dixit, Hoc est corpus meum. Illas enim, quas nos citauimus, Semen est verbum: &, Petra erat Christus, constare terminis disparatis, & idcirco exponi debere per significationem. In ista autem, inquit, *sententia, Hoc est corpus meum, non prædicatur disparatum de disparato: sed pronomini, Hoc, explicando adijcitur in prædicato, Corpus: non ergo hic esse, vt ibi, analogiam similitudinis.* O profundum hominis acumen. Dici non potest, quantum de suo illo vago individuo sibi placeat. Neque videt, illud suum commentum, non tantùm à veritate, quam nunquam magni fecit, sed etiam à patrum suorum sententijs alienum esse. Illi enim omninò volunt, corpus Christi prædicari de pane. Nam Ienæus ait, Christũ confessum esse, panem, qui est creatura secundũ nos, esse corpus suum. Epiphanius etiam ait, Christũ de eo, quod esset rotundę figuræ dixisse, illud esse corpus suum. Et Cyrillus ait, illa, quæ Christus dedit discipulis, fuisse fragmenta panis. Quomodo ergo verum est, quod iste Sophista noster comminiscitur, in illis verbis Christi non esse disparatum quod prædicetur de disparato? Falsum etiam est, quod ait, in omnibus scripturis similes loquutiones non inueniri. Nónne enim legimus, Circuncisionem vocari fœdus domini? Atqui eam negare non potest, fuisse Sacramentum. Agnus etiam Paschalis, quamuis esset Sacramentũ, tamẽ dicitur Transitus: idq; cum pronomine demonstratiuo Ipse, dicitur. Istæ phrases quomodo non sunt similes loquutioni illi Christi? Ibi enim etiam agebatur de Sacramentis: ibi quoque in altera saltẽ phrasi, subiectum est pronomen demonstratiuũ: ibi quoque prædicatum rem significatam indicat. Quid hîc, obsecro, deest ad similitudinem? Nihil sanè aliud, nisi vt eam Inconstantius aliquando videat. Verùm ille præ animi impotentia, & rabie iam pridem amisit oculos.

A B C D

Argumentum Gardineri.

PROPOSITIONES huius generis, vt ista est, Hoc est corpus meum, accipi debent, vt prædicatum refert subiectum: nisi aliquid ante, vel post in contextu reperiatur, quod nos ad tropum adigat: quod hic non inuenitur, imò quæ consequuntur, ad simplicitatem propositionis nos potius reuocant. Nam dicitur, Quod pro vobis traditur: & planum est, traditum fuisse ipsissimum corpus Christi.

SOLVTIO.

NOS ne sic accipiamus ea verba, multis considerationib. mouemur. Primùm, quòd Christus adfuerit in cœna: vnde opus non erat, vt ostenderet Apostolis corpus suum: videbant enim ipsum. Deinde, qui fieri potuit, vt ipse seipsum realiter & corporaliter manducaret? Deinde, planum est, eum in mystica illa cœna bibisse vinum. Nam ait, Non bibam ex hoc fructu vitis. Is autem fructus, vt ait Chrysostomus, est vinum naturale. Videmus etiam, hic agi de memoria, vbi indicatur tropus. Deinde videmus, ipsos etiam aduersarios in hac loquutione mutare tempora: &, quod de traditione corporis & effusione sanguinis enunciatur per tempus præsens, id interpretari in præteritum. Consideramus præterea, ne aduersarios quidem in consecrando, carere posse tropis. Verbum enim Est, accipiunt pro Fit, aut Couertitur, aut Transubstantiatur. Videmus etiam Christum instituere Sacramentum: vbi conuenit, vt symbola per significationem accipiantur tropicè, Natura n. sacramẽti est, vt sit signũ. Cõsideramus etiã Ascẽsionẽ Christi in cœlũ: & veritatẽ humanæ naturæ, quam assumpsit, & verba illa Christi in sexto Iohãnis, Verba, quę ego loquor, spiritus sunt & vita: caro nõ prodest quicquã: nimirũ, carnaliter mãducata: spiritus est, qui viuificat. Adhęc videmus, Paulũ hic ponere apertè panẽ quo in loco aduersarij nostri, quamuis alioqui tropos tãtopere auersentur, tamẽ volũt esse tropũ. Videmus etiã Paulũ testari, Veteres habuisse eadẽ nobiscũ sacra-

Memoria excitatur ex sensibilibus.

sacramenta. Nam, vt ait Augustinus, non satis illi fuit dicere, eos habuisse spiritualem cibum & potum, nisi adijceret etiam cundē. Videmus etiam, vicinas istis locutiones accipi tropicè. Quales sunt: Panis, quem frangimus, communicatio corporis Christi est. Et, Hic calix est nouum Testamentum in meo sanguine. Deinde etiam non propriè conuenit corpori Christi, vt edatur, Postremò certum est, nos non accipere illud corpus, quod tradebatur. Nam illud & visibile fuit, & passibile. Conditiones autem corporis corruptibilis, & glorificati non possunt simul conuenire in eodem subiecto.

GARDINERVS.

HAEC ferè sunt in aceruum hic coacta, quæ alibi separatis objciunt argumentis, quibus suis locis abundè responsum est.

MARTYR.

EGregius disputator, postquam cum singulis argumentis nostris malè pugnauit, nūc tandem experiri vult, quid possit cum vniuersis. Quærebatur, cur oportuerit dominum suum corpus ostendere in pane, cum omnes conuiuæ viderent ipsum iuxta se accumbere. Respondet iste, *quòd institueret iugem memoriam mortis suæ, ad quam exprimendam vera præsentia eius corporis passi, permultum esset profutura.* Christum in hoc sacramento instituisse memoriam mortis suæ, nos quoque libēter damus. Ad eam autē excitandam quid corpus præsens, & præsertim inuisibile, & delitescens sub accidēntibus, plus faciat, quàm sacramentum, non videmus. Mirum verò est, qua prudentia dicat *institutam tum fuisse præsentiam corporis passi.* Christus enim tum nondum passus, sed postea passurus erat. Sed iste eodem loco habet & præteritum tempus, & futurum. Neūe putes, illum dicere, memoriam eam excitari ignota aliqua præsentia corporis, comminiscitur astutè illam præsentiam, etsi non ignotescat sensibus, tamen percipi fide. Sed quomodo tandem potest huiusmodi præsentia fide percipi, cum nec scripturæ vllæ eam doceant, nec vsquam legamus, corpus Christi nobis aliquando datū iri inuisibile, aut sub accidentibus abscondendum? Nihil enim vera fide percipitur, nisi quod probari possit ex verbo Dei. Ea enim tota, vt Paulus ait, pendet ex auditu: auditus autem ex verbo Dei. Deinde, quis nescit, ita comparatam esse naturam rerū vt memoria excitetur ex illis, quæ sentiūtur, non autem ex illis, quę credūtur? Ea.n. quæ credenda sint, sepè non minus obscura sunt, quā ea ipsa, quę oporteat ab obliuione vendicare.

Memoria excitatur ex sensibilibus.

Atqui, inquit iste, *Deus ab externis nos ita auocat, & ad contemplanda cœlestia excitat, vt qui secundum speciem visibilem Christum in carne nō norunt, noscant per fidem iam in sacramento præsentem.* Quæso verò te, quomodo hīc excitamur ad contemplandū cœlestia? Non enim vocamur ad intuendū Christum regnantem in cœlis: sed ad illū, vt tu comminiscaris, latentem, atque abditum sub sacramento. Non ergo ad cœlum, sed vel ad panem, vel ad panis accidentia, vel ad id quod sub eis latet, prouocamur. Sed nostrum est, Inconstanti, nostrum est hoc totū quod tu tibi vendicas. Nos monemus nostros, vt in sacra Communione corda sua sursum subuehant: vtque admoniti symbolis visibilibus, animos ab illis ad cœlū transferant: ibique contemplentur, atque etiā cupidè complectantur beatum illud corpus, quod olim nostra causa mortem tam grauem, & contumelioſam pertulit. Nunquā nos, aut Paulus, aut quisquam ex Apostolis in omnibus suis literis & scriptis, huiusmodi inuisibilem præsentiam corporis Christi in Eucharistia fide comprehendendam docuit. Vestra sunt hæc deliria, & vestra mendacia: non scripturarum sanctarum dogmata.

Addit iste, *oportuisse omninò Christum ita seſe dare, vt promissionem illam de danda carne sua impleret: quam visibili specie datam non comedissemus præ horrore.* Obstinata ista capita adduci non possunt vllis rationibus, quin perpetuò iactent, verba illa Christi in 6. cap. Ioan. omninò intelligenda esse de manducatione carnis Christi sacramentali: quasi Christus nihil aliud ibi agere aut docere voluerit, quàm corpus suum aliquando comedendum esse inuolutum sub accidentibus. Quod vt est falsissimū, ita nunc à me euidentissima ratione refutabitur. Christus eo in loco de eiusmodi agit esu carnis suæ, sine quo haberi nō possit æterna vita. *Nisi enim*, inquit, *comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nunc dicant isti mihi, an Christus ita gratiam suam, & vitam ęternam alligarit sacramentis, vt prorsus sine illis nemo possit esse saluus. Non dicent, opinor. Christus enim id ne de Baptismo quidem voluit dicere. Dixit quidem, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: & addidit, *Qui non crediderit, condemnabitur.* Non autem dixit, Qui non fuerit baptizatus, condēnabitur. Potest enim fieri, vt aliquis aliquādo credat, cui externi Baptismi copia denegetur. Eum autem, cum iam assequutus sit iustificationem ex fide, dubitare non possumus esse saluum: præsertim cum per ipsum non steterit, quò minus etiam Baptismò externo tingeretur. Christus autem in 6. cap. Ioannis de illa māducatione loquitur, quæ prætermissa excludat è regno cœlorū. Necesse est ergo, vtibi promiserit eam carnē, quæ sumeretur fide. Verissimū enim est, neminem adultum posse salutem adipisci, nisi vera fide apprehendat mortem Christi. Hanc ibi Christus manducationem suis pro-

Gratia nō alligata sacramentis.

Locus. 6. c. Ioan.

De eo qui credit & non habet copiam baptismi quid existimandum.

misit: eamque fidelibus perpetuò largitur, & præstat. Illi autem manducationi in sacra Cœna symbola illa externa tanquam sigilla quædam promissionum suarum addi voluit, vt ea quasi admonitione animus noster & spiritus ad spiritualem manducationem vehementius, atque ardentius excitaretur. Horrorem autem illum, qui nauseam, opinor, commouit Inconstantio, nostra sententia multò melius arcet, quàm istorum delirium. Quid enim horreamus, cum intelligamus, nos ore, palato, dentibus, non carnem aut ossa Christi, sed panem & vinum vsitata ratione manducare? Ipsi autem, cum persuadeant sibi, se comedere carnes humanas, easq; etiam crudas, quàuis illas somnient abditas esse sub accidentibus, quomodo tandem possunt fugere horrorem? At ista non videntur, inquiunt. Scio. Sed ad tollendum horrorem, id certè non est satis. Nam si quis aut in pilulis, aut in catapotijs vel carnes humanas diligenter tritas, aut aliud quippiam natura sua fœdius, & immundius misceret, & reconderet, idq; ægroto indicaret, an putas eũ, quamuis id oculo non cernat, posse huiusmodi pharmacum sine horrore in se recipere? Ad populum phaleras. Desinite vestram istam εὐφυΐαν iactare apud prudentes homines, & sobrios. Fabulæ istæ vestræ sine argumento, iam dudum prudenter cogitantibus pariunt fastidium.

Nos melius horrorẽ in manducãdo tollimus, quam Papistæ.

Iam videamus, quid sequatur. Dicebatur in solutione, non potuisse fieri, vt Christus cum vnà cum Apostolis cõmunicaret, seipsum comederit. Oportuisse enim non vnum eum fuisse Christum, sed geminum. Nec, cum se haberet totum in semetipso, potuisse seipsum totum in seipsum rursus ingerere. *Ista*, inquit, Inconstantius *sunt Iudaica. Christi anos enim credere, Christũ, quod voluerit facere, facere etiã potuisse. Eum enim, cũ esset Deus, & posse, & velle ex æquo habuisse*. Hic rursus, quod Sophistæ crebrò faciunt, Inconstantius principium petit: sumit enim sibi id, quod probare potius oportuit, Christum voluisse realiter, & substantialiter comedere corpus suum. Id autem nos, nisi melius probetur, non dabimus. Sacramentum quidem Christus sui corporis, & comedere voluit, & comedit: Corpus autem suum reale, & substantiale neque comedit, neque etiam potuit comedere, nisi quis dicere velit, eum geminum corpus habuisse. Quomodo autem res natura sensibilis, & corporata & solida, possit propriè comedi, nisi gingiuis, & dentibus commolatur, non video, neque id Inconstantius vnquam aut potuit, aut poterit explicare.

Deinde negat, Christum in sacra Cœna bibisse vinum. Cum autem nos verba illa, quæ maximè sunt perspicua, obijcimus, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, respondet, *id illa verba non probare. Locum enim illum indicare, Christum non bibisse vinum, sed quod benedictione fecerat sacramentum*, Mirum est, quàm iste Heraclitus gaudeat obscuritate, ac tenebris. Quod idcirco dico, quia nos quoq; fatemur Christum bibisse sacramentum: qui tamen interim nihil dubitamus sacramentum illud fuisse vinum. Quicquid iste garriat, Christus ipse dicit, se bibisse fructum vitis. Atqui ego nunquam putaui fore, qui negaret, fructum vitis esse vinum. Id.n. & multi ex Patribus, & nominatim Chrysostomus, & experientia, & sensus ipsi, & agricolæ testantur. Solus reclamat Inconstantius.

Additur in solutione, Cum Christus disertis verbis mandauerit, vt in Cœna memoria sui fieret, illud ipsum non parum liquido indicare, verba illa Christi exponenda esse per tropum. Inconstantius autem respondet, *memoriam agi mortis præteritæ: quæ præsentis corporis exhibitione ἐναργῶς exprimitur*. Id videlicet vult, quantum video, rem obscuram, & dubiam, & propterea minus cognitam, argumentum esse facti cuiusdam manifesti, & cognitissimi. Vnde quęso, constare potest satis clarè, & perspicuè ista præsentia, cum nos inter nos tam acriter de illa dissideamus? Est hoc nouum sanè genus philosophiæ, rem claram, & cognitam, per rem incertam, & dubiam in memoriam reuocare. Nihil autem te hîc iuuare potest notitia fidei, quam toties iactas. Illa enim sine verbo Dei nulla est. Postea negat, *in illis verbis vllam esse commutationem temporum. Illo enim genere orationis ait tantum rei certitudinem indicari. Christus ergo dixit præsenti tempore, corpus suum tradi, & sanguinem fundi, non per tropum, sed vsitato modo loquendi*. Resistat Inconstantius, quantum volet: nunquam tamen hoc efficiet, quantacunque sit rei certitudo, & quantumuis sit ille loquendi modus vsitatus, quin ibi sit ἐτεροχρονία temporis. Fateor equidem, homines in loquendo tempora interdum commutare: id autem affirmo, non posse fieri sine tropo. Quid.n. vsitatius est, quàm quod quotidiè ferè dicitur, Vites aut gemmare, aut oculos emittere? Nemo tamen est, qui id negare velit dici metaphoricè. Non adimo orationi certitudinem: nec tamen certitudinis causa puto remouendum esse tropum, Quare nisi Inconstantius argumenta nostra, & confutationes, quibus aduersarios reijcimus, melioribus rationibus refellat, mirari non debet, si causa nobis adiudicetur. Sed quæ tandem ista est dementia, si verba domini vindicare non possis à tropis, velle tamen tropis niti, vt illa omnibus modis disiungas, ac distrahas?

Negat etiam suos, *verbum illud, Est, in illa sententia, Hoc est corpus meum, accipere pro Fit, aut conuertitur, aut transubstantiatur. Illos enim potius amplecti simplicitatem sermonis, vt sit omninò, quod Christus esse dixit. Illum enim de vna substantia pronuntiare: Hoc est corpus meum. Suos ergo sequi verba Christi, & illam substantiam esse corpus domini, profiteri*. Nònne vides Lector, Incõstantium hic omnia narthecia suorum sophismatum effudisse? Vim tamen, & nodum argumenti fortiter dissimulat. Ait Christum de vnà quadam substantia pronuntiasse, Illam esse corpus suum. Sed dic mihi hoc, quęso, quid illud oportuit pronunciari? An ignorabant homines, corpus Christi id esse, quod erat? Quomodo traditis, corpus

domini

domini fieri ex pane? Cur in hoc sacramẽto ponitis mirabilem illã conuersionem, vel eam potius, quàm barbarè appellare soletis Transubstantiationem? Si verbum illud Est, apud vos nec fieri significat, nec conuerti, nec Transubstantiari, vnde tandem hausistis commentum illud vestrum? Responsum istud tuum, magnum, mihi crede, vulnus & causę tuæ, & omnib. Transubstantiatoribus inflixit. Nam, quemadmodũ omnes fatemini, verba illa conficiunt sacramentum. Cumque illa vocula pronuntiatur, nondũ ibi adest corpus Christi: expectare enim cogitur perfectam prolationem orationis quinqueuerbiæ. Ergo cum panis adhuc maneat, verbũ illud, Est, non potest ostendere prædicatũ aut in subiecto esse, aut adhuc illi conuenire. Neque corpus Christi potest de substãtia ea, quæ nondum ibi sit, prædicari. Breuiter, si verbum illud Est, ibi propria significatione sumeretur, prius oporteret secũdum vos, id quod Christus acceperat in manus, fuisse eius corpus, quàm de illo dici rectè potuerit, Hoc est corpus meum. Neque enim quisquã hoc mihi permittet, vt de re aliqua dicam, Hoc est mel, hoc est saccarum: nisi res ea ita sit, antequam ego ita pronuntiem. Atque huc etiam nonnihil facit, quod illum sermonem Christi dicitis fuisse operatorium. Quid autem vestra sententia fingi potest aliud operari, quàm vt vestras illas conuersiones, & Transubstantiationes efficiat? Vos enim ipsi indicate, quãnam alia voce ex tota illa sententia id significetur, si vni verbo Est, ea tanta vis adimatur. Nihil autem huc facit, quod quidam ex vestro grege solent dicere, sacrificos vestros illa verba tantùm recitando pronuntiare, non autem oratione categorica & affirmatiua. Nos enim non tantùm de vestris sacrificulis mouemus litem, sed etiam de Christo ipso, qui primus ea verba pronuntiauit, nec recitatiuè, vt isti aiunt, ea efferre potuit.

Quod nos dicimus, Christum in Cœna instituisse sacramentum, id iste fingit à se facere. *Substantiam enim sacramenti credendam, & metiendam esse ex eius verbis, qui dixit, Hoc est corpus meum.* Dissimulat autem satis astutè id, quod in argumento sequebatur, eam esse naturam sacramentorũ, vt symbola per tropum & significationem dicantur illæ res ipsæ quę significantur. Quodq; addit, Corpus & sanguinem dari sub formis panis & vini, quo sensu ab eo dicitur, alienum à vero, & falsum est. Is enim formas intelligit accidẽtia, quibus inuoluatur, et quodammodo vestiatur corpus Christi. Hanc enim ait, partem esse visibilem mysterij. Deinde non solum absurdissimè, sed etiam contra omnium Scholarum authoritatem statuit, illa accidentia esse formam sacramenti. Qua de re satis à me dictum est suo loco. Postea tamẽ fatetur, illas formas, & accidentia induere nomen substantiæ, & materię huius sacramẽti: cum ἀντιτύπως figura sint: & id, quod intus in veritate creditur, vt Hilarius ait, sit ipsa veritas. Accidentia habere nomen substantiæ, nec sacræ literę, nec vlli vnquam Patres monuerũt.

Panem autem & vinum vocari corpus & sanguinem domini, & scripturæ clarissimè dixerũt, & Patres constantissimè confirmarũt. De sententia Hilarij suo loco satis copiosè respondimus. Ea verò quę posteà à nobis adducta sunt de veritate humanæ naturæ in Christo, de eius Ascensione in cœlum, de dicto illo Christi, Verba mea spiritus sunt & vita: Caro non prodest quicquam, nimirum carnaliter manducata, spiritus est, qui viuificat: hæc, inquam, omnia Inconstantius leuissimè percurrit. Verebatur enim, ne si firmius imprimeret vestigium, pedem sibi grauius vulneraret.

Tantum ergo hoc dicit, *carnem Christi per mysterium ineffabilis vnionis esse quodammodo spiritum: quoniam, videlicet, sanctificat vt spiritus.* Interponit autem nomen Cyrilli, vt eo splendore oculos lectori perstringat. Ego huius hominis breue dictum, breui argumento retundam. Si tibi id satis est, vt caro Christi sit quodãmodo spiritus: cur nobis etiam non sit satis, vt corpus Christi sit quodammodo præsens? aut vt symbola sint quodammodo corpus Christi? Si tu vis, interpretationem tuam recipi à nobis, nostram vicissim non debes contemnere. Diximus in Solutione, Paulum in hoc negotio apertissimè statuere tropum: cum dicat, *Panis, quem frangimus, communicatio est corporis Christi*: cumque clarissimam faciat mẽtionem panis, ibi aduersarios nostros, alioqui omnium troporum iuratos hostes, vbi nihil sit opus, tropum agnoscere. Hic iste noster respondet, *etsi Paulus alicubi vtatur tropo, nihil tamẽ necesse esse, vt id eũ putemus feciſſe in verbis illis domini.* Quã prudenter & cõsideratè hoc dicatur, vel ex eo liquere potest, quòd nos tropum in Paulo notauimus, non in alijs, nescio quibus, locis, ab hoc instituto alienis, sed in ipsa doctrina de Eucharistia. Apostolum enim dicimus, illo ipso in loco adhibuisse tropum, vbi de ijs mysterijs agebatur.

Verùm Inconstantius ne fortè videatur non habere, quid respondeat, ait, *non ita perspicuum esse, aut confessum apud omnes, Paulum, cum diceret panem, vsum esse tropo. Vti enim*, inquit, *voluit communiori appellatione panis, quæ tam propriè significat omnem cibum, quàm ex aqua, & farina factum, & coctum panem.* Equidem Hebraicam vocem nõ tantùm panem, sed etiam omne genus cibi significare, non inficior. Quem autem in sensum Paulus vsus sit ea voce in præsentia, & Græcus sermo, quo ille scripsit, & historia de Cœna satis indicat. Nam ἄρτος apud Græcos, quod ego sciam, non aliud significat, quàm panem. Itaq; si Apostolus voluisset eo loco intelligi omne genus cibi, nunquam vsus fuisset Græcę voce ἄρτος. Neque enim ita inops erat Græcæ linguæ, vt communi voce vti non potuerit, si voluisset. Ad hæc, Christus cum distributurus esset sacramentum, accepit in manus panem, illumque fregit, ac discipulis edendum dedit: Vinum etiam fuisse, quod illis propinauit, vel ex eo liquet, quòd addit, *Non bibam amplius ex hoc fructu vitis.* Quærat ergo Inconstantius communia quæcunque,

& vndecũq; volet: nos ex Euãgelica hiſtoria, & ex verbis Chriſti non pigebit tenere propria.

Sed quia videt, ſe audacius affirmaſſe, vocem illam, Panem, tam propriè ſignificare omne genus cibi, quàm, vt loquitur, ex farina factum & coctum panem, vt illud dictum ſuum aliquantulum caſtiget, & mitiget, iſta ſubijcit: *Quod propriè dico, ad veritatẽ ſignificationis dico: ne quis de ſignificatorũ proprietate cauilletur.* At ſi propriè, ac verè idem ſunt, vt in iſto genere ſermonis eſſe debẽt, quid hic nugaris? aut quid iſtos fumos, & pulueres oculis lectorum adſpergis? Nam quod ad Hebraicæ vocis etymon attinet, affirmo, לחם, vnde nomen illud, de quo nunc agimus, deriuatur, ſignificare incidere. Id autem ſiue gladio fiat, ſiue dentibus, nihil refert. Nam inde deducitur vocabulum illud מלחמה quod ſignificat bellum, aut prælium, quod ibi homines concidantur. Quare etſi vox illa לחם ad omnem cibum ſignificandum traducatur, propriè tamen de illis tantùm cibis dicitur, qui franguntur, & aliquo modo incidũtur: quod certè carni Chriſti, vt quidem nunc eſt, attribui nec poteſt, nec debet.

Poſtea rationem illam, quæ ducta eſt à ſacramentis Veterum, vno tantùm verbo attingit. Illam enim ait, à ſe iam antea dilutam eſſe: quaſi verò non iſta quoque omnia, quæ hic tam multis repetit, centies ante dixerit. Sed longè alia erat cauſa, cur eam rationem ita tacitè præteriret. Non enim inuenire potuit fucũ ſatis commodum, quo eam aut induceret, aut offuſcaret. Quod autem ad Fractionem attinet, ait, *eam verè explicari in ſigno: in myſterio autem myſticè. Corpus enim Chriſti ſine fractione frangi, quò memoria paſſionis illo ſymbolo apertius repræſentetur.* Symbola verè frangi, quid aliud eſt, quàm accidentia ſine ſubiecto frangi? Id quoniam, & dictu, & auditu abſurdum eſt, ideo Sophiſta noſter maluit per ambages explicare. Corpus autem Chriſti ſine fractione frangi, recipiat qui poteſt. Id enim mihi perinde videtur, ac ſi dicas, aliquem ſine morte mori, aut ſine aliqua paſsione pati: quæ tamen ipſa fortaſſe huic noſtro non videbuntur abſurda. Nemo ergo ſobrius aut ſanus dicet, corpus Chriſti proprie frangi. Tropicè tamen id, & figuratè dici rectè poteſt.

Figuratam verò orationem quam negare nõ poteſt, adhibitã eſſe ad calicẽ, ait, *ab alijs Euangeliſtis propriè referri.* Tamen hoc mihi, opinor, dabit, cum & Paulus, & Lucas ita loquantur, non eſſe nefas, aut hæreſim tam grauem, dicere, etiam in illis verbis, quæ appellant Conſecrationis, eſſe tropum: niſi ſortè Paulum quoque & Lucam habebit pro hæreticis. Quod autem addit, alios Euangeliſtas id propriè retuliſſe, id non tam dictum ab iſto oportuit, quam probatum. Ego enim affirmo, & omnibus modis contendo, aliorum quoque Euangeliſtarum ſermonem eſſe tropicum.

Porrò, quod nos dicimus non poſſe conuenire corpori Chriſti, vt comedatur, iſte reſpondet, *hanc eſſe conſiderationem carnis, quæ non intelligat myſterium. Nam ſecundum id, ex inſtitutione Chriſti factum eſſe proprium, obtinente fide, quod erat minus proprium, contendente ratione. Id enim, quod Chriſtus inſtituit, iam incipere eſſe proprium. In eius autem voluntate quærendam non eſſe rationem: eam enim eſſe ſummam regulam rationis.* Hæc iſte. Verum, cum nulla nos ſcriptura vſquam doceat, corpus Chriſti propriè manducari, quî tandem id poteſt fides obtinere? Ea enim, quanta quanta eſt, tota pendet ex verbo Dei. Dixit quidem Chriſtus, ſe traditurum eſſe carnem ſuam, vt comederetur: ſed vt oſtenderet, id non eſſe propriè accipiendum, ſeipſum appellauit panem, & mẽtionem fecit de Aſcenſione ſua in cœlum. Et Patres diſertè ſcripſerunt, Manducare eſſe Credere: idq; non ad dentes, ſed ad fidem referendum.

Poſtremò, quod nos vltimo loco diximus, *duas contrarias qualitates, quales ſunt, Viſibile & Inuiſibile, Corruptibile & Incorruptibile, non poſſe conſiſtere in vno, & eodem ſubiecto eodem tempore, id reijcit, tanquam ſophiſma, & nos in eo vehementer reprehendit, quod velimus accidentibus definire corporis ſubſtantiam, nihil enim obſtare, quin Viſibile, & Inuiſibile diuerſis relationibus prædicentur de eodẽ corpore.* Deinde iactat, ſe hac de re diſſeruiſſe aliàs. Sed vnde, obſecro, potuit iſte ſuſpicari, nos ab accidentibus definire ſubſtantiam corporis? fortaſſe non ſatis cogitauit, quid ſcriberet. Nos enim hîc corpus non definimus. Hoc tandem dicimus: Contrarias qualitates non poſſe vnà conſiſtere in vno & eodem corpore. Viſibile autem & inuiſibile, Corruptibile & incorruptibile, negari non poteſt, eſſe oppoſitas qualitates. Relationes verò iſtas diuerſas nihil opus fuit comminiſci. Corpus enim Chriſti ad menſam accumbens ab Apoſtolis videbatur: in pane autem non videbatur. Interim tamen omnino vultis, vnum, atque idem fuiſſe corpus. Idem in ſacramento erat in corruptibile: in Chriſto ipſo paulo poſt paſſuro corruptibile: in pane, vel potius, vt vos fingitis, ſub accidẽtibus erat glorificatũ: in ipſo Chriſto non glorificatũ. Cur iſta explicatius non cõponitis? Cur veſtras illas diuerſas rationes, vel relationes non declaratis? Nos pro tua modeſtia appellas Sophiſtas: cũ ipſe nihil aliud exhales aut crepes, quam ſophiſmata. Dixit quidem de hac re ſuperius: ſed ita vt multò præſtiterit tacuiſſe. Ad extremum autem quod nos appellat figuratores, deſertores, malitioſos, authores inaniũ & ineptorũ prætextorũ, fortaſſe voluit ſua vitia nobis vtcunque affricare, & de ſua plenitudine nos quoque perfundere.

Argumentum Gardineri.

PAVLVS demonſtrat, Corpus domini eſſe id, quod traditur, cum inquit, Qui manducat & bibit indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini. item, Iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus domini.

SOLVTIO.

SOLVTIO.

HOC nihil est: quoniam, quod ad priorem locum attinet, Ambrosius sic respondet: Quid est reos esse, nisi pœnas dare mortis domini? Occisus est enim pro ijs, qui beneficium eius in irritum ducunt. Hoc Ambrosius vocat, Reos esse corporis domini. Ad hoc autem non requiritur transubstantiatio. Et indignè sumentes dicuntur non dijudicare, hoc est in pretio non habere corpus domini. Quia tanta est coniunctio inter symbola & significata, vt istorum cõtumelia in illa redundet. Præterea Paulus scripsit illa ad Corinthios, qui non erant penitus destituti fide, quamuis laborarent quibusdam infirmitatibus. Tales autem non tantùm accipiunt symbola, sed etiam habent corpus Christi: quod non habent Epicuræi, infideles, & ἄθεοι, & excisi ab Ecclesia. Vnde rectè dicitur de Corinthijs, non solùm quod ad symbola, sed etiam, quòd ad rem ipsam attinet, illos fuisse reos corporis domini: quòd nõ dijudicarent corpus domini: quòd cũ ista fide perciperent: vita, vt par erat, non exprimerent. Hoc etiam annotandum est, Paulum cum agat de Sacramentali actione, mentionem facere de pane: postea autem, cum vitium sit exaggerandum, dicere corpus domini.

GARDINERVS.

Quod ad Ambrosium attinet, quatenus reos esse corporis domini ita interpretatur, vt pœnas dent mortis domini; cum illis consentit qui par esse crimen eorum aiunt, qui indignè manducant, cum ijs, qui Christi sanguinem in Cruce fuderunt: quod certum est argumentum præsentiæ corporis domini.

MARTYR.

INconstantius vt interpretationem Ambrosij aliqua vi, aut arte trahat ad partes suas, *ait, illum hoc sentire, crimen illorum, qui manducant indignè, par esse illorum crimini, qui Christi sanguinẽ fuderunt in cruce: idque ait certum esse argumentum præsentiæ corporis domini: eam autem præsentiã ostendere in sacramento absentiam, siue desinentiam panis, quæ est transubstantiatio.* Certè quicũq; vel micam salis habeat, facilè videbit, ista duo argumenta ex verbis Ambrosij ineptissi nè colligi. Nam quod ad primum attinet, quę quæso te, est necessitas, vt, si par sit crimẽ & indignè mãducãtiũ, & crucifigentium, vt idcircò corpus Christi perinde sit in Cœna, vt fuit in cruce? possunt.n. indignè mãducantes pœnas dare mortis domini, etsi corpus domini non sit in Cœna substantialiter. Dant.n. pœnas violatæ Cæsareæ maiestatis, qui tantùm statuam Cęsaris aut deformarunt, aut ignominia aliqua affecerunt: etsi Cęsar ipse non adsit inclusus in statua. Alterum autem argumentum suum nunquam cuiquam sano probare poterit. Etsi enim vellemus dare, corpus Christi re ipsa adesse in Eucharistia, tamẽ quid necesse esset substantiam panis ea causa subduci, aut esse desinere? Dices, ne duo corpora simul sint in vno loco. Rectè. At vos ipsi, cũ accidentia, & magnitudinẽ panis conseruatis, necessariò cogimini, vt duo corpora simul statuatis esse in vno loco. Adhæc cum corpus domini velitis vno tempore esse in multis locis, quæ tandem tanta religio vos prohibet, quò minus patiamini, duo corpora esse simul in vno loco? Quamuis ergo vera sint verba Ambrosij, tamen illa duo argumenta tua, Inconstanti, ex illis nec verè, nec rectè colliguntur.

A Quod autem ais, *necessariam esse transubstantiationem, vt veritas mysterij prædicetur*, & ridiculum & falsum est. Veritas enim mysterij in Eucharistia etiam sine portentis constare potest. Imò è diuerso potius adhibita ista vestra transubstantiatione, & perfectio, & veritas sacramenti extinguitur. Confitetur quidem, *contumeliam irrogatam symbolis redundare in rem ipsam significatam: id tamen negat simpliciter & absolutè fieri, sed gradu tantum*, inquit, *remotiori: ne par sit pœna violantium symbola, & ipsam indignè tractantium substantiam corporis Christi. Nam pro qualitatè criminis adhiberi oportere plagarum modum.* Equidem videre non possum, quo iure licuerit Inconstantio, huiusmodi sibi gradus confingere. Nam si corpus Christi, vt ille vult, adest substãtialiter sub accidentibus panis, necesse est, vt eodem modo peccetur in symbola, quo in corpus Christi: & si symbola tractentur indignè, vt corpus Christi afficiatur eadem iniuria. Deus enim, non tã quid agatur, quàm cor, atque animum, quò quidque agitur, intuetur. Quare, qui opinantur, carnem Christi re ipsa præsentem esse, & coniunctam cum accidentibus, interim tamen symbola indignè tractãt, fieri non potest, quin sua eos arguat atque accuset conscientia, quod ipsum Christi corpus affecerint cõtumelia. Neque oportuit Inconstantium ista subijcere: *Et licet domino per seruum, patri per filium, marito per vxorem fiat iniuria, non est tamen eadem, neque tam atrox, quæ in nos per alios deriuatur, atque est ea, quæ nos proximè, atque immediatè attingit.* Sed fortassis hæc dicet se loqui non ex sua, sed ex nostra sententia: nempè, si esset, quemadmodum dicimus vt à symbolis corpus Christi abesset, oportere

tamen istos gradus constituere. Sed esto, quid tandem nouit, aut quàm pro certo potest nobis affirmare, Deum velle eodem pariqúe supplicij genere & gradu punire illos qui indignè accedunt ad Eucharistiam, quo illos, qui Christum ipsum ex malitia affixerunt ad crucem? Vtrosq; rectè dicimus reos corporis & sanguinis domini: de paritate verò supplicij nihil scimus. Nam quidam ex patribus non dubitarunt dicere, illos grauius peccare, & durius tractandos esse, qui Christo iniuriam adferunt in Eucharistia, quam illos, qui eum in terris occiderunt: quod eius tum maiestas obscondita fuerit, & velata carne, atque ita humana iudicia fefelerit: nunc autem regnet, & resplendeat in cœlis. Hæc ego non ignoro, imò hoc etiá scio, cum vos corpus Christi mysticum prematis, & crudelissimè vexetis in terris, Christum ipsum à vobis peti, & crudelissimè trucidari. Clamauit enim de cœlis: *Saule, Saule, quid me persequeris? Sed aliter*, inquis, *patitur in corpore naturali.* Fateor. Sed vtri grauius peccauerunt? illíne, qui Christum ipsum crucifixerunt: an vos, qui tot eius martyres, hoc est viua ipsius membra, hodie ne fariè vstulatis, mergitis, & omni suppliciorum, & tormentorum genere extingu tis, atque etiá sepultos effoditis, & in mortuos desæuitis?

Redundat, inquis, *in Christum ipsum contumelia, quoties, & ministri doctores verbi spernũtur, quoties sacra verba, vel non retinentur, vel negligẽter audiuntur: nõ tamen legimus ita vindicatum in eos, vt quia beneficium Christi neglectũ fuerit, ita aliquis dictus sit reus corporis & sanguinis domini, vt propter hoc infirmi fuerint multi, & dormierint multi.* Huius hominis, & mens & memoria ita prorsus cæcata est odio, & malitia, vt non meminerit & morbis, & immatura ac fœda morte vindicatum aliquando fuisse in eos, qui indignè tractarint diuina symbola. Atqui ego memini, Palæstinos grauissima plaga percussos fuisse à domino, qui tantum arcam fœderis, quæ nihil aliud erat quàm typus, & signum Christi, captiuá abduxissent, eamque in templo sui Dagonis collocassent. Memini etiam, multos ex Bethsamensibus à domino percussos interijsse, quòd eandem Arcam curiosè intueri, & parum religiosè scrutari voluissent. Memini etiam dominum in Leuitico comminari mortem animæ illi, quæ carnes sanctificatas cum immunditia comedisset. Memini Nadabum, atque Abiam propter ignẽ altaris non ritè, nec ad præscriptum domini inductum, combustos miserè perijsse. Memini eos, qui monita prophetarum contempsissent, non tantùm anima, sed etiam sæpè corpore interijsse. Memini illum, qui Elizæo prædicenti futuram annonæ copiam, non crediderat, in ipsa porta fuisse cõculcatum. Memini, Heliodorum, quòd symbolum indignè habuisset, & contempsisset, à domino fuisse flagellatũ. Et quid multa? Me sanè piget, pudetque de re manifestissima tam multa colligere. Cum itaq; iste talia exempla legi, aut vspiam extare neget, his admonitus necesse est, vt aut Veterum sacramenta inficietur fuisse symbola Christi, aut fateatur ob ea indignè tractata multos infirmos fuisse, & dormisse multos. Et certè iste etsi alia omnia obliuioni tradidisset, tamen seipsum saltem audire debuisset. Ipse enim cõmemorat dictum illud Christi: *Qui vos audit, me audit: & Qui vos spernit, me spernit*: quodque Paulus scribit, Iram Dei reuelatá fuisse de cœlo in eos, qui veritatem Dei in iniustitia detinerent. Eosque, qui vellent iterare Baptismum, videri iterum velle crucifigere filium Dei. Nam si diuinæ literæ ista comminantur illis, qui verbum Dei, & sacramenta contemnunt, quid iste cauillatur in re perspicua? At quid ex illis pœnis, quas Paulus scribit impendere indignè communicantibus, colligit præsentiam corporis Christi in Eucharistia? Neque enim propter similia, atq; eadem supplicia corpus Christi aut olim in veterum sacramentis fuisse, aut nunc in verbo Dei realiter & corporaliter esse, necesse est.

Verum iste fortasse hoc fuco inducet, & ornabit commẽtum suum, quod de nullo illorum omnium, quos ego commemoraui, scriptum sit, Reus erit corporis & sanguinis domini. Sed meminisse debet, se locum illum ex epistad Hebr. non ita citasse, vt habet re vera, sed illum pro sua libidine deprauasse. Vbi enim in 6. cap. ita scribitur: *Etenim fieri non potest, vt qui semel fuerint illuminati, gustauerintque bonum Dei verbum, & virtutes futuri seculi, si prolabantur, denuò renouentur per pœnitentiam, ab integro crucifigentes sibimetipsis filium Dei* Quid, obsecro, est reos esse corporis & sanguinis domini, si hoc non est? Qui sibi denuò crucifigit filium Dei, quomodo non est reus corporis & sanguinis Christi? Id autem Apostolus pronuntiauit de illis, qui gustauissent bonum Dei verbum, illudque non dignè, nec vt oportuit, recepissent: postea enim prolapsi sunt in scelera, non minus, quàm si illud nunquam audiuissent. Etsi autem multi ex interpretibus locum illum intelligant de repetitione Baptismatis, tamen id ex ipso textu non potest satis manifestè colligi. Sed ea de re ego hoc loco nõ contendo. Hoc tantum affirmo, denuò crucifigere filium dei, non esse minus, quam esse reos corporis & sanguinis domini Hæc haud dubiè funditus euertunt ea, quæ Incostantius noster malè colligit.

Iam verò videamus, quid addat: *Indigne*, inquit, *comedenti panem, qui nihil aliud esset, quàm visibile verbum, & tãtum significaret, proponi pœnam corporis, & animæ, & in lege noua, quæ est fauoris, & gratiæ, non est cæteris eius partibus consentaneum.* Externa symbola, quæ tantum significant, si manducentur, & tractentur indignè nostro Sophista iudice, non possunt adferre mortem. Atqui sacra scriptura, cui maior fides habenda est, quã Inconstantio, disceptatrice & iudice, ea ita habita, & faciunt homines mortis reos, & mortẽ adferunt: quemadmodum iam de sacrificijs veteris Testamẽti, & de arca fœderis ostendimus. *Ista* inquit, *fateor, accidisse in veteri Testamento: in lege autem gratiæ, hoc est, in nouo Testamento nõ sunt consentanea.* Quid ego audio? Nonne etiam Apostolico

Palæstini percussi propter typum indignè tractatum.

Alia exempla, quæ eodẽ spectant

In nouo Testamento Ananias & Sapphira mortem sunt passi.

ſtolico tempore mendacium Ananiæ & Sapphiræ mortem attulit mentientibus? At certè, qui ingerunt, ſe in cœtum fidelium, & accedũt ad Sacram mẽſam, & fingunt ſe credere ea quæ re vera non credunt, non minus, aut leuius mentiuntur ſpiritui ſancto: quàm Ananias & Sapphira, qui cum dixiſſent, ſe totum agri precium attuliſſe, partem ſibi aliquam ſepoſuerãt.

Qui ſine fide communicant & indignè, mẽtiuntur.

Neque vero ea de cauſa Euangelium appellatur lex gratiæ, quod à maleficis remouerit ſupplicia capitalia. Imò Paulꝰ in priori epiſtola ad Corinthios monet fideles ſui temporis, vt meminerint, ſi donis Dei & ſacramentis abutantur, ſe non minus daturos pœnas, quàm olim veteres dederint in deſerto. *Hæc*, inquit, *illis in figura contigerunt: propter nos autem ſcripta ſunt, in quos fines ſeculorũ deuenerunt.* Si huiuſmodi ſuppli cia, & pœnæ conſtare non poſſent cum Euangelio, & lege gratiæ, illa exempla Pauli facilè poſſent infirmari: liceret.n. ad illa ita reſpondere, Quorſum tandem tu iſta tam antiqua commemoras? Nihil enim eſt, cur nos in Euangelio, & in lege gratię ſupplicia tam atrocia extimeſcamus, etſi noſtris ſymbolis & ſacramentis contumelioſius abutamur. Inconſtantio enim iudice, Euangelium eſt lex fauoris, & gratiæ. Fortaſſe dicet, fateri ſe, etiam in lege gratiæ exiſtere poſſe pœnam mortis, idque tam animi, quam corporis: non tamen ſi ſymbolum, aut ſacramentum, ſed ſi ipſum corpus Chriſti indignè, & contumelioſè comedatur. Hîc ego reſpondeo, nos non ſtatuere ſymbola nuda, & inania, vtque iſte ſemper conuitiatur, tantùm ſigna, & vulgares, neſcio quas, notas. Deinde hoc etiam quæro ab Inconſtantio, Si quis animo ficto, & ſine fide accedat ad Baptiſmum, quodque fieri poteſt, nihil aliud quærat, quàm vt derideat, & contemnat ſacramentum, an illum putet reum eſſe mortis? Videat diligenter, quid reſpondeat. Nam ſi fateatur, cum aqua illa tantùm ſit aqua (vt iſti ſolent ſymbola myſteriorum eleuare) neque corpus Chriſti realiter & ſubſtantialiter prę ſens habeat, & tamen indignè vtenti mortem adferat, Cur non idem etiam euenire poteſt in Euchariſtia, vt, qui ea indignè vtãtur, rei ſint mortis, etſi in ea corpus Chriſti non ſit prę ſens? At ſi neget, ſtatim opponet ſe illi Auguſtinus. Is enim contra Fauſtum li. 12. ca. 17. ita ſcribit: *Præter Eccleſiæ ſocietatem aqua Baptiſmi, quamuis eadem ſit, non ſolum non valet ad ſalutem ſed valet potius ad pernicem.* Quid autẽ, quæſo, eſt pernices, niſi corporis, animique interitus? Vt enim id obiter admoneam, Pernicies dicta eſt à pernecando. Idem etiam Auguſtinus ca. 6. contra Fulgentium ita ſcribit: *Sicut, qui manducat corpus domini, & bibit ſanguinem domini indignè, iudicium ſibi mãducat, & bibit: ſic & qui accipit indignè Baptiſma, iudicium accipit, non ſalutem. Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum Baptiſma Chriſti accepit: ſed quia bono bene non ſunt vſi, mali malè vtendo deleti ſunt.* Auguſtinus ergo, & veteres patres ſic ſenſerũt, illos qui ſine fide, & animo ficto tinguntur, & ſacro ſigno abutuntur, iudicium, hoc eſt, condemnationem ſibi acquirere, illosque ad mortem, & ad pernicem ſuam ſacra ſymbola vſurpare. Inconſtantius ergo noſter & fruſtra pugnat, & ineptè concludit: quod Paulus indignè vtentibus comminetur mortem, idcircò in Euchariſtia adeſſe corpus Chriſti.

Vnde dicatur Pernicies.

Quod verò nos in Solutione adiecimus, illos, qui non prorſus deſtituantur fide quamuis vitijs aliquibus, & vitæ ſordibus laborent, non tantùm ore ſymbola externa ſumere, ſed etiam fide, quę in illis adhuc vtcunque ſupereſt, recipere ipſum corpus Chriſti, illosque, cum ita ſordeant, & minus expendant quàm par ſit, quid agant, ad ſuum iudicium comedere, & bibere: ob iſta, inquã, ſic à nobis adiecta, Sophiſta noſter ita incipit importunè nobis & petulanter inſultare: *Nam ſi habent*, inquit, *ergo acceperunt. Paulus enim ad Corinthios iſta duo coniunxit: Quid habes, inquiẽs, quod nõ accepiſti? Et quomodo*, inquit, *accipiebãt, qui laborabant infirmitatibus? in quib. non vigebat fides: cuius efficacia haberent ſecundum Sectarios? Nam indigni ſunt iſti, de quibus loquitur Paulus: quibus non audet Sectarius tribuere fidem: ſed dicit, eos non prorſus deſtitui fide, quod eſt, languere fidem, & modicam eſſe: vnde fit, vt laborent infirmitatibus: & tamen ſecundum Sectarium, habent corpus Chriſti. A quo Sectario quæro, quod ille quærere ſolebat, Quo inſtrumento acceperunt? Oriſne, an fide? De ore negabit, vt ſectæ inſeruiat. De fide non poteſt concedere: quia languet, & modica eſt, atque adeo extrema linea hæret: vnde eſt illud, Non pœnitus deſtitui fide. Hic tenetur Sectarius medius, nec ſe poterit expedire: quomodo habeant corpus Chriſti, quos dicit habere, nec tamen accepiſſe in ſacramento.* Quæſo te, pie Lector, vt tecum diligenter cogites, quam iſte modeſtè nobiſcum agat. Tam paucis enim verbis me, aut neſcio quem alium, quem putat eſſe mei ſimilẽ, octies appellauit Sectarium. Ego viciſsim poſſem eum & verè, & ſecundum ipſius virtutes, & merita, Schiſmaticum, Hæreticum, Perduellionem, à ſuo Papa condemnatum, regni ſui, & patriæ proditorem appellare, & alijs huiuſmodi meritiſsimis, & illo digniſsimis titulis condecorare. Sed volo potius pudori parcere: non illius quidem, quẽ iamrolim abſterſit, ſed meo. Interea verò pro nomine Chriſtiano recuſo appellari Sectarius. Memini enim, Religionem ipſam Chriſtianam primis temporibus à Iudęis appellatam fuiſſe Sectam. Sic enim in Actis Apoſt. cap. 24. Tertullus loquitur contra Paulum: *Nacti ſumus hunc virum peſtiferum, & concitantem ſeditionem omnibus Iudæis in vniuerſo orbe, & authorem ſectæ Nazaræorum.* Et Paulus ipſe in eodem capite, *Confiteor*, inquit, *quod iuxta viam, quam vocant hæreſim, ſic colo patrium Deum.* Quare nos indignè ferre non debemus, ſi mancipium Antichriſti nos perpetuo appellet Sectarios. Nam Paulus poſteà ca. 26. non veretur fateri, ſe verſatum eſſe in Iudaiſmo ſecundum exquiſitiſsimam ſectam, ſeu hæreſim Phariſæorum. Et vltimo capite Iudæi reſpondent Paulo, cum venisſet Romam, De ſecta iſta notum eſt nobis, quod vbique illi contradicitur. Nos ergo appellari Sectarios, ab eo præſertim, qui omnibus

Religio Chriſtiana dicebatur à quibuſdam Secta.

Iudęis, & Tertullo ipso sit nequior & crudelior & sanguinolentior, non potest nobis esse ignominiosum. Hæc mihi visum est semel aliquando respondere ad illam vocem, in qua iste videtur sibi tantopere placuisse.

Iam ad obiectiones redeo. Qui nō prorsus destituti sint, & vacent fide, eos dicimus non tantùm symbola percipere, sed etiam habere corpus Christi. Sed, si habent, inquit iste, acceperūt. Quid ni? Certè acceperūt. Non.n. corpus Christi insitum est nobis à natura. At quomodò, inquit, acceperūt, cum fide non vigeant? Respondeo, Etsi fides in illis non ita vigeat, vt prorsus omnes sordes potuerit eluere, inest tamē in illis atq; ita inest, vt satis sit ad apprehēdendū Christū pro ipsis in crucē traditū. Nam quòd ais, nos nō audere tribuere illis qualēcunq; fidem, mendacium est. Cū enim dicimus, eos non prorsus esse destitutos fide, cumque illam dicimus langue re, & infirmam esse, profectò non obscurè eam aliquam esse significamus. Sed velim, vt mihi iste respondeat, an cum ipse, vt fit, infirmus interdum sit, & langueat, hominem se esse putet, & aliquam humanā actionē posse edere? Quod si fatetur, quid ambigit, fidē, quamuis infirma sit, & langueat, tamen esse fidē, & posse aliquid, quod ex verbo Dei offeratur, apprehēdere? Quod ergo ex me quærit, quònam instrumēto homines infirmi, ac debiles acceperint corpus Christi, O risne, an fidei? De ore nego: nō vt sectæ, quemadmodum ille calumniatur, sed vt veritati inseruiam: de fide verò confiteor. Sed ea, inquit, languida est, & modica. Quid tum posteà? Etiam corporis os, quamuis infirmum, & vlceratum, tamen cibum capit. Quòd si probari posset, fidē nullo modo cōsistere posse cū aliquo peccato, vicisset Inconstātius: ego medius tenerer, vt ille iactat, & manus daré. Nō hic loquimur de hominibus sceleratis & perditis, sed de infirmis, qui tantùm quibusdā vitijs contaminētur Isti enim etsi nō operā dederūt mundandę cōscientię, vt oportuit, tamē cū sumunt sacramentum, vnà etiam spiritualiter, & per illā fidē, quam habent, recipiunt corpus domini: & suæ negligētiæ dabunt pœnas: non quidem ęternas, sed vt aliquo temporario supplicio castigentur, & reuocentur ad pœnitentiā: ne cū hoc mūdo damnentur. Ita Paulus Corinthios negligentes minatur esse puniendos, & alios ex illis iam infirmos factos dicit, alios etiam dormire, morte, videlicet, temporaria, non autē æterna. Illa enim mors potestatē nō habet in eos, qui prędditi sint vera fide: quantumuis ea sit infirma. Egóne hic medius teneor, Lector, an Incōstātius? Mea quidē explicata, & aperta sunt, & sacris literis cōfirmata. Neq; aduersus me facit illud argumētum, quo ego aliquādo vsus sum cōtra eos, qui dicerēt impios homines, & sceleratos, & omninò omni fide carētes, tamē in Eucharistia accipere corpus domini: quòd illi fide nō possint percipere, cum fide sint funditus destituti, illud aūt dicere corporis ore sumi, cū corpus Christi sensu nō percipiatur, absurdū sit. Hoc argumētum ita illos oppugnat, & verberat, vt nulla ex parte cōtra me faciat. Ego.n. hoc loco de illis disputo, qui aliqua fide sint prędditi: quamuis ea vt dixi, infirma sit, & lāgueat. Argumētū aūt illud institui de ijs, qui prorsus careāt omni fide, & ficto tantùm animo vsurpent Eucharistiam.

Deinde expostulat mecū, *quòd ego me conferā ad indignitatem consequentem:* quasi verò ego de illis loquar, qui gustata suauitate domini posteà immergunt sese in cœnum vitiorū & scelerum: videlicet, quòd non imitentur illū quem acceperint. Nam hæc indignitas, quæ in multis contingit, nō excludit priorē. Equidē nescio, an iste sit satis compos mentis. Ego enim in tota mea responsione de indignitate, quæ posteà consequeretur, ne vnum quidem verbum feci. De illis tantùm dixi, qui prædditi qualicūq; fide, qua verè credant, Christū pro sese esse mortuū, eaq; fide corpus eius in Eucharistia spiritualiter recipiant, non tamen id, quod credunt, vita & moribus exprimant. Hîc nulla mētio fit de illis rebus, quæ post communionē consequantur. Iste tamē hæc omnia sibi fingit: pergitq; vt solet nō contra nostra dogmata, sed contra suas fictiones, & vmbras disputare. De ἀθέοις verò, & Epicureis ait, *Ecclesiam idem fateri, quod nos asserimus: idq; se alibi dixisse.* Verùm hoc ipsum ego alibi ostendi esse peculiarem hæresin Incōstantij: omnes enim Scholę Papatus habēt pro certissimo dogmate, & impios homines, & Epicureos, & hypocritas, quamuis nihil credant de Christo, aut Deo, sed nostrā religionē potius cōtemnāt, & rideāt, tamen cū se adiungāt ad cœtū hominū piorū, & vnà cōmunicent, recipere non tantùm species externas, & accidentia, sed etiā sub illis delitescens corpus Christi. Vnde aūt iste noster singularē istam doctriam hauserit, ipse viderit. Et certè, cum transubstantiationem suam, & realē substantialemq; præsentiam tam strenuè propugnet, quî tandē potest ἀθέους & Epicureos à corpore domini prohibere? Hoc etiā nos in responsione nostra annotauimus, Paulū cum agat de institutione, & administratione, sacramenti, elementum illud externum disertè appellare panem: posteà tamen, cū velit vitiū Corinthiorū, & rei indignitatem exaggerare, illum eundem panē appellare corpus Christi. Hoc quidem documentum nostrum Sophista noster comprobat: sed ita, vt nomine Panis, tropicè intelligi velit cibum verè cœlestem. Sed quoniam suprà fusè, & copiosè docuimus, in Eucharistia verè manere substantiam panis, vt otiosum sit, & non necessarium quicquam hoc loco velle repetere: hoc tantùm dicam in præsentia, istos, cum alioqui esse soleant iniquissimi omnium troporum aduersarij, tamen, si quid à tropis possint præsidij petere, nunquā illis satis expleri posse. Mitto verò, quàm insolenter triumphet in calce, quasi parta iam victoria suos & transubstantiationem, & realem præsentiā rectè, atq; ordine cōcludere ex eo, quòd Paulus dicat, eos, qui accedant indignè, reos esse corporis & sanguinis domini. Hæc enim ratio quàm infirma, & inepta sit, facilè quiuis ex ijs, quæ iam diximus, videre potest.

Argu-

Argumentum Gardineri.

QVAE sunt disparata, hoc est, natura & specie discreta, nullo modo possunt de se mutuò prædicari, vt lapis, & homo. Ergo cum certum sit, hoc, quod Christus dedit in cœna, esse corpus Christi, necessarium est, non esse panem: & sic per consequens, non adesse substantiam.

SOLVTIO.

FATEMVR, disparata non posse de se mutuò prædicari identicè, vt loquuntur Scholastici, cum vtraque sumantur propriè. At si prædicatum intelligatur analogicè, per significationem potest rectè de altero prædicari. Vt, quod Christus dixit, Semen est verbum Dei, id est, significat verbum Dei. Atque ita vera est propositio, Hoc est corpus meum: quæ alioqui esset falsa.

GARDINERVS.

ARGVMENTVM Catholicorum Lutheranos petit Consubstantiatores, qui vocantur: qui substantiam corporis Christi adesse fatentur, & vera præsentia substantialiter, vt ipsi loquuntur, etiam & corporaliter, in hoc cum Catholicis summè consentientes: sed contendunt, simul adesse substantiam panis.

MARTYR:

INconstantius fingit, *hoc argumento peti maximè Lutheranos, qui corpus Christi in Eucharistia vnà constare velint cum substantia panis, & duas istas naturas verè præsentes adesse contendant: vt verba illa Christi, Hoc est corpus meum, omnino exponere nõ possint sine tropo. Illud enim, Hoc, intelligunt de pane, quem Christus indicarit: & ita exponunt, In hoc, vel cum hoc, est corpus meum. Itaque addit Lutheranos in conuentu Bernensi, quod nollent Sacramentarijs vicissim permittere tropum suum, ab illis fuisse explosos: & Zuinglium, atque Oecolampadium in eo maximè solitos ridere Lutherum, quod verba Christi sic exponeret, Hic panis est hoc corpus: quòd disparata non possint de se mutuò prædicari.* Post hanc narrationem Inconstantius addit, *suos vsos esse hoc argumento ex interpretatione Lutheranorum, non autem quasi sumpto ex verbis Christi ac si ipsi sentirent, Christum ita dixisse.* Voluerunt ergo videlicet, sodales illi Inconstantij ostendere, quantum absurdi sequeretur ex interpretatione Lutheranorum. Non latet me, pie lector, controuersia illa dirissimis auspicijs inter nos excitata & Lutheranos, cum eam deplorem quotidie, ac lachrymis & singultibꝰ assiduis prosequar. Quare historiam istam missam facio, vt quam sine gemitu non possim attingere. Quod autem iste garrit, suos illos, nescio, quos excogitasse hoc argumentum tantùm contra Lutheranos, improbum & impudens mendacium est. Scholastici enim vsi sunt hoc argumento multò antequam Lutherus nasceretur. Si mihi non credis, illos ipsos lege in quartum librum Sententiarum. Et sanè in eo diluendo etsi sudent egregiè, tamen non omnes sese expediunt eodem modo. Deinde si Zuingliani istud argumentum obiecerunt Lutheranis, qua fronte dicit iste, inuentum illud fuisse Catholicorum? nisi forte, quod etiam verissimè sentiret & diceret, Zuinglium & Oecolompadium habeat pro Catholicis. Res autẽ ipsa sic habet. Viderunt nostri, disparata non posse de se mutuò propriè prædicari, eoque nomine Lutheranos qui in id impegissent, iurè ac meritò reprehenderunt: ostenso enim pane dicebant, Hoc est corpus meum. Viderunt etiam Scholasticos primos mouisse hanc quæstionem, & ex ea non satis feliciter enatasse. Itaque illi sapienter, & piè verba illa domini ad analogicam, & sacramentalem, & metaphoricam prædicationem traduxerunt.

Hic nunc sophista nobis obijcit: *disparata non posse de se mutuò prædicari: nec tamen idcircò, inquit, recipimus prædicationem analogicam.* Cur ita? *Quia* inquit, *illa propositio, Hoc est corpus meum, non constat duobus terminis disparatis. Quoniam pronomen, Hoc, in subiecto non est naturæ termini disparati. Qua de re*, inquit, *alibi dictum est fusius: & ideò illa propositio non est similis huic propositioni, Semen est verbum Dei.* Arbitror te, Lector, satis iamdudum intelligere, quid iste de pronomine illo, Hoc, nugari velit. Venditare, videlicet, tibi vult vagum illud suum, & nunquam hactenus visum indiuiduum. Sed illud somnium nos suprà ex multis patrum clarissimis sententijs refutauimus. Illi enim apertè scribũt Corpus Christi dici nõ de vago indiuiduo, sed de fragmẽtis panis, de creatura, quę sit secundũ nos, de eo, quod sit rotũdę figurę, deque ea substantia, quę constet ex multis granis. Mitto etiam, verba ipsa sacrarum scripturarũ ineptias istas liquidò refellere. Quod cum Lutherani viderent, sese vel ad synecdochen, vel ad metonymiam contulerunt. Id autem ego de illis Lutheranis dico, qui minus pertinaciter velint agere. Sũt enim etiam inter illos quidam ita crassi, atque hebetes, vt in illis verbis Christi omne genus troporum prorsus respuant.

Argumentum Gardineri.

CHRISTVS non temerè vsus est verbo substantiuo præsentis temporis, vt diceret, Hoc est corpus meum. Potuisset sanè dixisse, Hoc significat corpus meum, Hoc repræsentat corpus meum, Hoc est figura, vel signum corporis mei: aut, Hic panis est corpus meum. Quæ omnia cum euitarit, simpliciter accipiendum est dictum, vt ille protulit.

SOLVTIO.

REGERIMVS in vos idem argumentum: Christus non dixit, sub illis accidentibus absque subiecto corpus suum latitare, aut substantiam panis esse desinere, aut conuerti, aut transubstantiari in corpus suum. Nostræ autem illæ expositiones de significatione, de repræsentatione, quodque dicimus, panem & vinum esse typos, antitypa, signa, & figuras corporis domini, sæpissimè inueniuntur apud patres. Nec ab illis ad mortem, vt vos cauillamini, sed ad ipsum corpus Christi referuntur. Deinde etiam ostendimus, verbum illud Est, in sacris literis sepissimè accipi pro Significat. Quare isti infirmiter concludunt, phrasim illam esse simpliciter accipiendam.

GARDINERVS.

INIQVE regeritis hæc, quæ non eadem ratione reijciuntur à vobis, quomodò Ecclesia reijcit quæ vestra sunt.

MARTYR.

QVare id, quod nobis Papistæ obijciunt, non possit à nobis in illos vicissim regeri, hanc adfert Inconstantius rationem: *quòd ista nostra eximium sacramẽtũ Eucharistiæ imminuant, & verborum Christi sensum omnino immutẽt.* Pulchrè verò: An illud oportuit adferri pro ratione, de quo nos inter nos maximè altercamus? Meo iudicio, oportet rationem multò clariorẽ esse, quàm sit illud de quo ambigitur. In hoc omnis inter nos sita est cõtrouersia, an tanta sit præstantia & dignitas Eucharistiæ, vt panis in illa esse desinat, & illi re ipsa substituatur corpus Christi. Hoc ipsum iste, si Deo placet, tanquam confessum accipit, & ineptissimè petit principium ad nostram sententiam refutandam. Nã quòd ait, nostram expositionẽ imminuere vim sacramenti, ridiculũ est. Re enim vera nos constituimus, atque ornamus sacramentum: Papistæ autem illud cum suis fictionibus & somnijs planè euertunt, &, tollunt. Illi enim vtramque partem sacramenti labefactant: cum & panem & vinum prorsus auferant: & corpus Christi, quod illis symbolis significatur, in infinitis locis esse contẽdant, atq; ita veritate humanæ naturæ prorsus exuãt. Cum ergo isti nobis instãt, Christum non dixisse, Hoc significat corpus meum: nos illis iure optimo regerimus, ne ista quidem illum dixisse, Hoc transubstantiatur in corpus meum: aut, Accidẽtia hic sunt absque subiecto: aut, corpus meum est in multis locis: aut alia absurda penè infinita, quæ ex istorum sententia necessariò consequuntur, quæque sanctum Eucharistię mysterium non tantùm immiuunt, sed etiam lacerant, corrumpunt, & ad nihilum redigunt. Miror autem, quid isti venerit in mentem, dicere, absurdum esse, *si in Sacramentis plus verbis & sono vocis significetur, quàm re ipsa fiat, ac præstetur.* Nescire enim non potest, passim dici, homines regenerari aquâ Baptismi: cum aqua illa signum tantùm sit regenerationis: spiritus autem sanctus sit, qui regeneret.

Aduersarij vtramque partẽ sacramenti labefactant.

Deinde addit, *interpretationem illam suorum plãrimum facere ad confirmandã vtramq; naturã in Christo. Nisi. n. homo esset, non haberet corpus: & nisi Deus esset, non posset*, inquit, *constare nobis veritas verborum eius: quemadmodum ait Irenæus.* Quæ nam ista sit conseruatio vtriusq; naturæ, quam ille iactat, neminẽ puto posse intelligere. Humanam enim naturam Christi diffundit, neq; eã humanam esse patitur. Nostra autem sententia nõ solũ agnoscit diuinitatẽ domini nostri Iesu Christi, sed etiam humanã eius naturã verissimè defendit, corpusq; eius, vt veri hominis corpus, affirmat certo aliquo loco contineri. Deinde etiã Christum habuisse veram carnem, euidentissimè colligimus ex mysterio Eucharistiæ. Nã quemadmodũ ait Chrysostomus, Nisi dominus verũ corpus, & verũ sanguinem habuisset, cuiusnam tandẽ rei essent hęc nostra sacramẽta? Hoc autem ideò dicit, quòd illarũ rerum, quæ nullæ, & nusquã sint, nulla esse possit vera significatio. Deum autem fuisse Christum, ita colligimus ab Eucharistia quòd Dei tãtùm sit instituere sacramenta, & carnem habere ita coniunctã, vt ea fide apprehensa viuificet. Sed quomodò putat iste à se facere sententiã illã Irenęi? Is. n. lib. 4. ca. 34 ita scribit: *Quomodo constabit eis, eũ panẽ in quo gratiæ actæ sint, esse corpus domini, & calicẽ sanguinẽ eius, si nõ ipsum fabricatoris mũdi filiũ dicãt, id est, Verbũ, per quod*, &c. His. n. verbis videre potuit se bis grauiter feriri, Primùm enim ait, panem illum, in quo gratię actę sint, esse corpus domini: nõ enim adhuc natũ erat vagũ Incõstantij indiuiduũ. Deinde nõ affirmat Irenęus, diuinitatem Christi cõstare nobis aut propter transubstantiationẽ, aut propter realẽ præsentiam: sed quòd ille in instituendo sacramento vsus sit pane & vino, quæ sunt creaturæ fabricatoris huius

Hoc Sacramentum testatur Christi humanitatem.

Testatur Eucharistia diuinitatem.

Quæ pertinent ad diuinitatẽ

huius mundi. Neque enim verisimile esse, illum voluisse vsurpare aliena, aut de mali & inimici Dei creaturis, quod Valentiniani somniabant, pronunciare, illas esse corpus, & sanguinem suum. Hæc est sententia genuina Irenæi, à me fidelissimè ad veritatem iam sæpius explicata. Ea autem nec transubstantiationem, nec realem præsentiam quicquam promouet. Iste autem molestus interpellator, cum eadem semper atque eadem obijciat, cogit me interdum plus quam velim eadem repetere.

Huc Inconstantius addit turpe mendacium: *nos ea statuere de Eucharistia, quæ Christus, etsi nihil aliud fuisset, quàm purus, & merus homo, tamẽ facere, & dicere potuisset, prorsus sine vlla ope diuinitatis*: qua si verò nos dicamus, nudum, & purum hominem posse instituere sacramenta. Sed nemo nostrum hoc vnquam dixit. Neque enim est hominis, præscribere instrumẽta spiritui sancto, quibus ille efficax esse debeat. Nam quò ? Christus ita illustrem, & magnificam significationem imponere voluerit pani & vino, vt ea fideliter apprehensa, communicãtium animos pasceret ad æternam vitam, hominisne id opus censeri debet, an potius Dei? Cur non aquæ etiam significationem in Baptismo, cur non circumcisionem, cur non etiam sacrificia veterum dicis proficisci potuisse à puro ac simplici homine?

Adhęc fatetur, *verbum illud Est, interdum accipi pro Significat: non tamen esse eam satis iustam causam, cur hic quoque eo modo sumi debeat.* Neque nos Incõstanti, vnquam id sequuti sumus, tanquam causam: sed tantum vt omnes intelligerent, non essent absurdum, aut nouum si hac quoque in re illud verbum ad eam significationem traducamus. Cur autem verbum Est, in illa Christi sententia positũ iudicemus pro Significat, persuasit nobis primum natura sacramentorum: deinde etiam veritas verborum domini: quæ constare omninò non posset, si illud verbum propriè acciperetur.

Addit posteà, *coactum fuisse se, vt ea, quæ sibi à nobis iniustè obiecta essent, regereret.* Coactum autem se fuisse ipsis Christi verbis: *quæ*, inquit, *quatenus veram corporis præsentiam affirmant, & vnum illud, Hoc, in vna corporis Christi substantia declarant, consequentia quadam dicunt, non esse aliam ab illa substantiam, quæ sit panis.* Dicit tantum ista Inconstantius: sed, vt solet nihil probat. Et nos fortasse idcircò istis dictis possumus tantò liberius abrogare fidem. Sed si tãta sit vis verborum Dei, cur ea non æquè accidentia tollit, atque substantiam? Si illa manere possunt, cur istam solam ita necesse est excludere? Christus, inquis, ita voluit. Rectè. Sed quî tibi constat illa voluntas Christi? Id nobis communicatum oportuit, si nos volebas tuis istis dictis credere. Si consecutio ipsa hoc efficit, eam oportuit nobis dilucidè patefieri. Quod tu, cum vel dedigneris facere, vel non possis, non video, cur nos vrgere debeas, vt tibi credamus.

Ad extremum, fateris, *in patrum scriptis extare voces illas, typũ ἀντίτυπον, figuram, signum, & alias consimiles, cum agatur de hoc sacramento: sed eas voces ita dicis ab illis esse vsurpatas, vt à sensu catholicorum non discedant.* Idque dicit, à se alibi esse explicatum. Ego verò respondeo, id esse à me alibi copiosè refutatum.

Argumentum Gardineri.

CARO Christi adoranda est in sacramento: vt Ambrosius, Augustinus, & alij sancti patres nos docent: Ergo caro Christi realiter ibi continetur.

SOLVTIO.

IMO nos dicimus, dominum non esse ibi realiter & corporaliter: & ideò non esse in sacramento adorandum: verum in oratione mentem non esse conuertendam ad symbola, sed ad Christum ipsum regnantem in cœlis.

GARDINERVS.

IMO, quia in veritate Catholica ab Ecclesia dissentitis, ex Deo non estis: qui cum sitis abalienati, nihil refert quid doceatis.

MARTYR.

PRimùm hoc te admoneo, lector, responsionem istam, quæ huc adiecta est nostro nomine, veram quidem esse, sed valdè frigidè propositam, atque explicatã: idque Sophistam istũ de industria curasse, vt causa nostra iacere videretur: quasi nihil sit, quod satis cõmodè aut proponere possimus, aut respondere. Nos enim disertis verbis semper professi sumus, quemuis hominem fidelem in percipienda Eucharistia, non solum posse, sed etiam debere Christum ex fide adorare. Nam in sacra mensa & gratiæ agendæ Christo sunt, & preces adhibendæ de æterna, vita, & condonatione peccatorum. Istæ autem actiones in vera adoratione continentur. Quemadmodum autẽ audita recitatione quorundam sacrorum verborum adoramus Deũ, quamuis verba ipsa, quæ ibi recitentur, non adoremus: ita in sacra cõmunione adoramus quidem Christum, etsi symbola illa externa, quæ ponuntur ante oculos, non adoremus.

Noster autem iste pro suo more & ingenio, confutationem suam orditur à conuitijs. Primum enim ait, nos à catholica veritate discessisse, & à Deo esse alienatos. Ego verò vno verbo respondeo, non posse videri eos discessisse à veritate catholica, qui non discesserint à verbo Dei. Quemadmodum autem coniungamur cum Deo per Christum, eiusque ver

bum, ac ſpiritum, nihil attinet in præſentia commemorare.

Addit, *nos adorationem verbo quidem concedere, re autem vera illam tollere, & cum verba patrum negare non poſſimus, tamen ſenſui illorum fucum facere.* Expectamus, Inconſtanti, vt iſta probentur: iniquum.n eſt, haberi nos pro impoſtoribus, niſi rationibus conuincamur. *Chriſtus*, inquis, *ſemper regnat in cœlis: ibique ſemper eſt adorandus.* At Ambroſius dixit, nos adorare Chriſtum etiam in myſterijs: & Auguſtinus ab adoratione Chriſti elicit verum ſenſum verborum Dauidis. Hæc videlicet eſt vis huius argumenti, ſi penitùs excutiatur. *Adoratio Chriſti regnãtis in cœlis perpetua eſt, & omnibus temporibus communis: patres autem prouocant nos ad adorationem Chriſti etiam in myſterijs: iſta ergo adoratio, qua Chriſtum adoramus in myſterijs, non eſt eadem cum ea, qua illum adoramus regnantem in cœlis.* Hic nos reſpondemus, Chriſtum quidem in cœlis, vbi ſemper regnat cum patre, ſemper eſſe adorandum. Sed quoniam ad hanc adorationem excitamur, & prouocamur auditu atque admonitu ſacrorum verborum, & perceptione ſacramentorum, idcirco patres nos ad illam eandem maximè inuitant, interim dum peragũtur ſacra myſteria. Ibi enim & verbis, & ſymbolis viſibilib. excitamur ad Chriſtum ipſum, & agnoſcendum, & adorandum. Idque cum facimus, quamuis ille reipſa ſit in cœlis, tamen rectè dicimur eum adorare in myſterijs. Quòd autẽ ſeorſim dicit de Auguſtino, illũ ex adoratione Chriſti elicuiſſe veram ſententiam verborum Dauidis, ſatis prodit, ſe verba Ambroſij per ſeipſum aut non legiſſe, aut non conſideraſſe, ſed ea tantũ ab operis ſuis accepiſſe. Ambroſius enim exponit verba eiuſdem Pſalmi, eaque eodem modo tractat, quo Auguſtinus. Nam illam expoſitionẽ Auguſtinus accepit ab Ambroſio. Quare nihil erat, cur Inconſtantius hoc propriè tribueret Auguſtino. Niſi fortaſsis in Auguſtino id peculiariter annotauit, quòd ait, *Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adorauerit.* Quæ verba quamapertiſsimè teſtantur, impios carnem domini non manducare, cum eam adorare nequeant, vt qui prorſus fide ſint vacui. Ambroſius verò lib. 3. de Spiritu ſancto, cap. 12. ita ſcribit: *Adorate ſcabellum pedum eius: conſideremus: Non enim ex veſtu hominum æſtimare debemus ſcabellum. Neque enim corporalis Deus, aut non immenſus: vt tanquam fulcrũ pedibus eius ſcabellum ſubiectum putemus. Neque adorandum quicquam præter Deum legimus, quia ſcriptũ eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Quomodò ergo aduerſus legem propheta præciperet ſub lege nutritus, & educatus in lege? Non mediocris igitur quæſtio: & ideò diligentius conſideremus, quid ſit Scabellum. Legimus enim alibi, Cœlum mihi thronus: terra autem ſcabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis: quia creatura eſt Dei. Videamus tamen ne terram illam adorandam dicat prophetà, quam dominus Ieſus in carnis aſſumptione ſuſcepit. Ita per ſcabellum terra intelligitur: per terram autem caro Chriſti: quam hodie in myſterijs adoramus, & quam Apoſtoli in domino Ieſu adorarũt.* Hæc ego idcircò referre volui, vt lector intelligeret, non oportuiſſe Inconſtantium id peculiariter tribuere Auguſtino, quod anteà dictum fuiſſet ab Ambroſio. Vt autem intelligamus, quid ſit apud Ambroſium, carnem Chriſti adorare in myſterijs, ſcire debemus illud, in myſterijs, non ad carnem Chriſti referendum eſſe, quæ ibi realiter cõtineatur, ſed ad nos potius, qui communicamus. Nos enim dum ſumus in myſterijs, fide ac ſpiritu percipimus carnem Chriſti pro nobis in mortem traditam, & ſanguinem eius pro nobis effuſum: atque ea venerabundi colimus, & adoramus. Adoramus etiam carnem Chriſti in myſterijs, quòd ea ſacramẽtali ſignificatione fidei, & ſpiritui noſtro in myſterijs adoranda quodammodo offeratur. Nam ita rectè dicimur colere, atq; adorare Deũ in verbis Apoſtolorum, & prophetarum, cum illum adoramus, & colimus, pro vt in illis ſacris ſcriptis nobis oſtenditur, & ſignificatur. Huc allegat Inconſtantius Emiſſenum: eumque ait hortari accedentes ad altare, vt reſpiciant corpus Dei ſui. *Non enim dicit*, inquit iſte, *mentem conuertendã eſſe ad ſymbola, quaſi in ſymbolis hæreat adoratio: ſed quòd in ipſum corpus Chriſti, quod ibi eſt, dirigatur adoratio: quæ cœlum quoque ipſum penetrat, quando in myſterio & in cœlo vnus ſit Deus & homo Chriſtus, vt vni & integro corpori Chriſti, vna & integra adhibeatur adoratio.* Quod ad Emiſſenum attinet, nos quoque accedentes ad mẽſam ſacram, vniuerſam illam actionem edendi panem, & bibendi vinum dirigimus in corpus Chriſti, quãuis illud non arbitremur ibi latère abditum ſub accidentibus. Imò ne Emiſſenus quidem id dicit. Nos autem aduerſarios noſtros iure optimo reprehendimus, quòd adorationem ſuam dirigant in ſymbola, & ſub illis carnem Chriſti latitare arbitrentur: vt illis nihil opus ſit mente, atque animo in cœlum penetrare, cum quod adorent, habeant ibi præſens ſub accidentibus. Videat ergo Inconſtantius, qua ratione dicat, adorationem ſuam penetrare in cœlum: illam, inquam, adorationem, quam vult adhiberi ad myſteria. Non enim ſatis eſt dixiſſe, idem Chriſti corpus & in cœlo eſſe, & in myſterio. Id enim etſi falſum eſt, vt ſæpè oſtendimus, tamen, ſi daretur, mens Inconſtãtij non poſſet ſimul, & eodem tempore & verſari in cœlo, & ſpectare id, quod putat in ſymbolis latère ſub accidentibus. *At idem*, inquis, *eſt corpus.* Hoc primùm falſum eſt. Et ſi eſſet idem, tamen adorationem tuam vtrobique eandem eſſe, ſophiſticè, atque ineptè concluderes. Ad hæc ſi corpus domini plenum eſt hic, vt tu dicis, & plenum in cœlo, euitari non poteſt, quin dicas, multos eſſe, & penè infinitos Chriſtos.

Quid ſit adorare verum Chriſti in myſterijs.

Poſt hæc omnia addit Inconſtantius ſatis eũ fidẽter, *nos cum corporis Chriſti adorationem negligimus in ſacramẽto, ne regnãtem quidem in cœlis adorare poſſe in veritate.* Conſidera, quæſo te, prudens lector, quàm hebes, & diluta ſit iſta connexio: Non crẽdimus corpus Chriſti eſſe præſens in ſacramento: ergo non poſſumus Chriſtum adorare regnantem in cœlis. Hoc enim perinde eſt, ac ſi diceres, Non, creditis, Imperatorem præſentem eſſe in ſuo diplomate: ergo non

non poteſtis illum venerari ſedentem in throno ſuo. Et vel hinc facilè liquere poteſt, quàm iſte ſplendidè mentiatur, nos in vſu ſacramẽtorum prorſus omnem adorationẽ contemnere. Quemadmodum enim ciues, & proceres Impe A ratorem ipſum venerantur in purpura, aut in diplomate, quem tamen ſatis ſciunt in illis reb. præſentẽ non contineri: ita nos in Euchariſtia adoram⁹ corpus & ſanguinẽ domini: quæ tamẽ ſcimus, in ea realiter & ſubſtantialiter nõ adeſſe.

Argumentum Gardineri.

CVM conſtet, corpus Chriſti adorandum eſſe in Euchariſtia, ſi panis in ſua ſubſtantia ibi maneret, is quoque adoraretur.

SOLVTIO,

CVR eadem ratione non ſummouetis etiam accidentia, ne illa quoque fortè adorẽtur? Si reſpondeatis, quòd nullus velit adorare accidentia, id nihil eſt. Picturæ enim, quas adoratis in templis, ſunt accidentia. Nam ſi homines vellent ſubſtantias ipſas lapidum adorare, haberent paſsim in plateis quod adorarent. Deinde ruſtici homines, & ſimplices non poſſunt diſtinguere inter accidentia & ſubſtantias. Quòd ſi dicere velitis, vos non adorare picturas, ſed ea quæ in illis repræſententur, cur non idem conceditis de pane, ſi eius ſubſtantia remaneat in Euchariſtia: illam videlicet non adoratum iri, ſed ea, quæ in illa ſignificantur. Deinde illi, qui fingunt ſe tanto iſto zelo commoueri, debebant etiam tranſubſtantiare calicem, ne ille quoque, cum oſtenditur, fortè adoretur.

GARDINERVS.

Non ratione humana conſtituitur Euchariſtiæ myſterium, ſed voluntate, atque omnipotentia Dei: cuius operationem qui, quatenus datur, notant, & piè expendunt, pro facultatis ſuæ modo, quod à Deo fieri credunt, illuſtrant illi quidem, nõ aliqua artis aut ingenij fiducia refingũt: vt ridiculè ab hoc obijciatur Catholicis rationis paritas.

MARTYR.

HOc primùm Incõſtãtius ſibi ſumit, *Tranſubſtantiationem conſtitutam eſſe, non ratione humana, ſed voluntate atque omnipotentia Dei: eam autem omnipotentiam ſe ſuoſque cum expenderent & annotarẽt, pro ſuæ facultatis modo illuſtraſſe, nõ artis, aut ingenij ſui fiducia, ſed ex eo, quod credãt à Deo* B *fieri.* Iſtæ Impoſturæ, etſi ſint ineptæ, & perridiculæ, tamen egregiè, & ſpecioſè colorantur. Nam ſi Tranſubſtãtiatio iſta veſtra pendet à voluntate Dei, vbinam eam Deus vobis reliquit conſignatam? Hoc enim niſi poteſtis oſtendere, non Dei illa voluntas erit, ſed veſtra. Deinde, ſi ornare, atque illuſtrare vultis commentum veſtrum, cur illud ipſum, quod affertis, adducitis, tanquam rationem tranſubſtantiationis: & rogati, cur ſubſtantia panis manere non poſsit, ita C confidenter reſpondetis, ne creatura panis vnà cum corpore Chriſti adoretur? Aut cur nobis nõ liceat vanam, & à vobis confictam rationem ſimili ratione refutare? Quòd ſi vos inuentum veſtrum certo aliquo, & euidenti teſtimonio ſacrarũ literarum confirmaretis, flagitium eſſet, ſi quis auderet aduerſari. Inane autem, & à vobis ſolis excogitatum, & penè puerile commentum, nõ tãtùm poſſumus, ſed etiam pro eo, quãti Chriſtum, & eius Euangelium, & veritatem D facimus, debemus omnibus modis refellere.

Valde autem iniquum eſt, quòd ais, *nos cum panem relinqui velimus in Euchariſtia, occaſionem dare idololatriæ: neque fas eſſe, nos eadem incõmoda vobis obijcere: nihil enim falſi, aut abſurdi veſtram ſententiam conſequi.* Hæc inquam in nos à te torqueri, iniquum eſt. Nos enim, etſi Chriſtum ipſum in percipiendo ſacramento fateamur eſſe adorandum, tamen nunquam aut ſenſimus, aut diximus, fas eſſe adorare ſacramentum. Sed clamas, *noſtrorum argumentorum non eſſe parem rationem, nec licere vllo modo regeri vobis, quod vos tam fidenter obijcitis. Neque enim ſatis rectè poſſe ad hunc modum agi cum Aſtronomo: Cur tu non efficis, vt Saturnus, & Mars eadem celeritate incitentur? Perinde quaſi idem ſit effector operis, qui opus ab alio factum contempletur.* Equidem arbitror, vel puerum hoc videre poſſe, iſtud ſimile ad rem propoſitam nõ conuenire. Nam Aſtronomus eius rei de qua hic fingitur interrogari, poteſt rationem reddere, idq; ex ipſa rerum, de quibus agitur, natura. Et ſi prudens ſit, & artem ſuam probè teneat, eã reddet, quæ in ipſum non poſsit retorqueri. Neque hoc illi quicquam obſtabit, quod author non ſit illorum motuum. Etſi enim illos non effecerit, tamẽ poteſt eos rectè atque ordine contemplari. Tantundem nobis aliquando faciat Inconſtantius, & Tranſubſtantiationem ſuam, nõ ex rerũ natura, ſed ex verbo Dei tueatur. Quòd ſi rationẽ nullam adferre poſsit, quæ eadem nõ queat in ipſum retorqueri, author illi ero vt taceat potius, quàm vt ſeipſum multa nugando faciat ridiculum. Nam quod ad Martem, & Saturnum attinet, haud dubiè maxima ſequeretur perturbatio in rerum natura, ſi duo planetæ eadem celeritate mouerentur. Nihil autem incommodi, aut abſurdi ſequetur, ſi vt accidentia, ita etiam ſubſtantiæ ipſæ panis & vini in ſacramento relinquantur. Et quamuis Aſtronomus effector non ſit motuum illorum cœleſtium, tamen Tranſubſtantiationis veſtræ vos ſoli fabri, architecti, inuentores, authores eſtis. Quare indignè ferre non debetis, ſi à vobis cauſa huius diuerſitatis requiratur.

Pergit porrò: *Et, quod Christi,* inquit, *consecratio efficit in Eucharistia ne panis substãtia maneat ab igne substantiæ diuinæ absumptæ, à nobis conuenienter fieri notatur, quò audacius adoremus: ne, si panis maneret, adoraretur vnà.* Nos verò, Inconstanti, Consecrationem Christi, causam esse Transubstantiationis vestræ non credimus. Sed tu, quod erat tibi probandum, id quasi probatum, & confessum sumis: quodque est in omni disputationis genere vitiosissimum, semper principium petis. Deinde qua, quæso te, solertia notatis, id conuenienter fieri, & vos liberè, & fidenter posse adorare, quòd iam substantia panis esse desierit: cum, ea etiam sublata, tamen vos adhuc versemini in eodem periculo? Quid autem me oportuit de re tam perspicua tam diu disputare? Quod obijcimus de Transubstantiatione calicis, id ait tantùm esse scurrilem iocum. Sed est ita graue, & firmum argumentum, vt ille, cum nullo modo possit se explicare, cogatur ad strophas, & verborum κρησφύγετα, & perfugia se recipere.

Panem non esse, inquit, *vel propter adorationem annotarunt pij bene esse.* Hæc cum iste dicat, cur nobis non liceat piè atque vtiliter interrogare, quid illud tandem ad adorationem cõferat? Respondet, scilicet, ne vnà adoretur creatura. Hic nos nõ scurriliter, vt iste cõuiciatur, sed iustè, & in loco quærimus, quid panis magis in hac re peccarit, quàm aut calix, aut accidentia. Possemus etiam interrogare, cur & aerem nõ remoueant, qui negari non potest esse in poris illius tenuissimi crustuli, ne is quoque fortasis adoretur. Si ista te interrogata ita grauiter pungũt, discede sodes, ex arena. Nam vel manus tibi dandæ sunt, vel ad ista est solidè respondendum. Neq; verò nos, vt tu dicis, deliberationem suscepimus de eo, quod mutari non possit. Hic enim error facilè posset vulgò eripi, nisi vestris fabulis & mendacijs sustineretur. Si Patres Transubstantiationem vestram crediderunt, cur tu ex illis omnibus locum vnum nõ ostendis, vbi dixerint, idcircò auferri substantiam panis, quò nos tandem liberè, & audacter adoremus. Hanc rationem adorationis vestræ cur nemo ex omnibus Patribus indicauit? Dicis, hoc esse piè annotatum. Rectè. Sed à quibus? Dic obsecro: authores enim tam vtilis vel inuenti, vel argumenti nos celare, non est humanitatis tuæ. O egregia lumina, & columina Ecclesiæ, quæ Inconstantium pudeat commemorare. *Verùm ea,* inquit, *quæ oculis videntur, non sunt adoranda: sed ad ea, quæ per fidem intelliguntur, est penetrandum: quod etiam obtineret, si panis substantia mansisset.* Hoc si ita est, ergo substantia panis, etiã si relinqueretur, nihil impediret adorationem. Eam autem cum & scripturæ testentur, & Patres confiteantur remanere, quæ ista, malum, vestra est impudentia, vt eam ita temerè extrudatis?

Sequitur posteà alia strophа, eaque non tantùm mẽdax, sed etiã inepta, & ridicula. *Si crederemus,* inquit, *Christum sumpsisse naturam panis, vt Lutherani videntur velle, eumq; iam impanatum esse, adoratio panis ipsi deberetur, quemadmodum carni Christi. Quod,* inquit, *absurdum, veritas Transubstantiationis abstulit.* Hic ego, pie Lector, fidẽ tuam imploro. Quis vnquam audiuit aliquem Lutheranũ dicere, Panem assumi à corpore Christi ad vnitatem suppositi? Nunquam illorum quisquam quod ego sciam, scripsit, aut sensit, corpus Christi sic coniungi cum pane, vt in Incarnatione domini diuinitas cum humanitate coniuncta est. Neq; Christus, cum versaretur inter homines, & coleret humanam vitam, ita sibi assumebat vestes suas, vt prorsus impanaretur, & esset cũ illis omninò suppositum. Nec tamen ista dico, quòd mihi Lutheranorum causa in hac re placeat. Ipsi potius, si videtur, defendant partes suas. Ad extremum, hoc mihi etiam libet quærere: Cum Papistæ adorari velint imagines suas in omnibus templis, cur non eas etiam transubstantient, ne videantur ligna & lapides cum periculo idololatriæ adorare?

Argumentum Gardineri.

SACRIFICIVM Ecclesiæ incruentum, quod dominus instituit, continuè in memoriam passionis eius offerendum, est corpus eius & sanguis: quod non potest offerri à ministro, nisi adsit realiter, vt offeratur: vel simm adsit, tum destituimur sacrificio: & sic religio nostra periret.

SOLVTIO.

HIC pro nobis satisfaciet Cyprianus: qui lib. 2. epist. 3. ad Cęcilium ita scribit: Passionem esse domini, quam offerimus. Nemo autem tam cęcus, aut hebes est, vt putet passionem Christi in Eucharistia præsentem esse, idq; in manibus ministri. Res. n. ea iam elapsa est: & eius tantùm memoria in mysterijs retinetur: deque ea publicè aguntur gratiæ. Sed hoc totum, quod prætexunt in hoc argumento, commentum est, & inanis fictio. Fingunt enim filium ipsum Dei à sacrificulo verè ac propriè immolari.

GARDINERVS.

MYSTERIA Christi summis veritatibus nituntur, & suas habent proprietates. Passionis Christi recolitur vera memoria in Ecclesiæ sacrificio.

MARTYR

PAssionis Christi recolitur, inquit, *vera memoria in sacrificio Ecclesiæ*: atque ita pro suo candore inuertit verba Cypriani. Is enim ait, *Eam esse passionẽ domini quam offerimus*: Iste autem ait, *esse quoddam Ecclesiæ sacrificium, corpus videlicet & sanguinem domini, in quo passionis domini vera memoria recolatur.* Non enim putauit, verba Cypriani constare posse, nisi ipse ea suis verbis infarsisset. Sed addit, *verum Christi corpus, & verum sanguinẽ in mysterio præsentia exhiberi*: idq; satis ex eo probatum putat, quod veritas dixerit, *Hoc est corpus meũ, Hic est sanguis meus.* Quis huic argumento tã inepto & friuolo habeat fidem, præsertim, qui intelligat cum Augustino, Christum, si id spectes, quod tenebat in manibus, dedisse Signum, cũ Tertulliano dedisse figurã, cũ alijs Patribus dedisse typũ, & symbolũ sui corporis? Omninò necesse est, Inconstanti, vt præsentia ista vestra corruat, nisi firmioribus præsidijs fulciatur.

Iam verò audiamus, quemadmodum sese vendicet à mendacio. *Christus*, inquit, *dixit, Hoc facite in meam commemorationem. Qui ergo ex Christi mandato, quod Christus fecit, faciunt, factores sunt veri, non fictores falsi.* Dominus iussit, vt hoc faceremus, hoc est, vt vnà inter nos pane & calice communicaremus in memoriam sui. Nusquá autem dixit, Sacrificate corpus & sanguinem meum. Quod si Edere, & Bibere, esset Sacrificare, hoc argumentum speciem saltem aliquam habere posset. Cum autem edendo, & bibendo iubeamur agere memoriam passionis Christi, & gratias agere de eius corpore oblato in crucẽ nostra causa, & de eius sanguine pro nobis fuso, videat Inconstantius, quomodo hinc verum sacrificium, & propriam oblationem possit elicere. Queritur deinde, *se suosque à nobis indignè traduci, quasi qui putent, se filium Dei verè, ac propriè immolare. Quatenus enim*, inquit, *verum, ac proprium est immolationis, mactare atque occidere, non hoc docet Ecclesia: & nihilominus veram, et propriam immolationem Ecclesia docet: quatenus immolationẽ exequitur, quam Christus instituit mysterij propriam, hoc est ad mysterij modum: non quomodò visibiliter & sensibiliter in cruce factum est: sed quomodo ad recordationem mortis ex Christi institutione iussa est.* Tu hic Lector, considera, quàm iste contraria dicat, & inter se pugnantia. Ferre non potest, si quis nostrum dicat, Papistas existimare, se verè, ac propriè immolare filium Dei. Nihilo tamen minus dicit, Ecclesiam suam docere veram, & propriam immolationem. Si Ecclesia vestra verá, vti dicis, & propriam immolationem doceat, quid tandem nos tibi obijcimus, quod non ipse fateasimilitudinem? Aut qua tandem nos te afficimus iam indigna iniuria? Nam vera & propria immolatio necessariò concludit à Coniugatis, verè, & propriè immolari. Deinde nónne vides, veram, & propriam immolationem esse non posse sine mactatione? Si nescires Latinè, ignosci aliquo modo posset insciticæ tuæ. Cum autem nescire non possis, quid vox illa, Immolare, propriè significet, cur ita loqui velis, mirari quidem possum, videre autem non possum. Nam patres, & Synodus Nicena, etsi interdum faciant mẽtionem immolationis, & sacrificij, tamen, cum sese explicant, satis docent, se non esse loquutos propriè. Nam Chrysost hom. 17. in epist. ad Hebr. ita scribit: *Hoc sacrificium exemplar est illius.* Quod si est exẽplar, certè nõ est propriè sacrificiũ. Et addit: *Hoc enim*, inquit, *facite in meã cõmemorationem. Non aliud sacrificium, sicut pontifex, sed id ipsum semper facimus: magis autem recordationem sacrificij operamur.* Aduerbium hoc loco illud, Magis, nihil aliud facit, quàm vt id, quod prius dictum fuerat, quodammodò corrigat: & vocem illam, Sacrificij, à propria significatione ad impropriam reuocet. Inconstantius tamen noster inuitis omnibus, omnino vult propriam, & veram immolationem etiam sine mactatione retinere. Neque quicquam moratur authoritatẽ suorum Patrum: cum alioqui nihil ferè aliud, quam Patres, quamuis peruersissimè intellectos, crepare soleat. Quod si sacram communionem vellet idcircò appellari sacrificium, quod sit recordatio sacrificij olim à Christo oblati in cruce, facilè posset inter nos conueniri. Atqui nihil illi potest esse satis, nisi constitutum sit, esse in Eucharistia monstrosam illam immolationem, quæ non sit memoria, sed vt loquitur, ad memoriam sacrificij Christi, quodque etiá est intolerabilius, ait, *Christum ipsum hoc genus immolationis instituisse.* Id si ita est, cur non aut in verbis domini, aut in literis Apostolicis extant vspiam verba illa, Immolatio, Ablatio, Sacrificiũ? Quæ tandem est ista importunitas, & audacia, velle tanta de re dogma constituere sine verbo Dei?

Sed dominus, inquit, *non occiditur in Eucharistia more aliarum victimarum: & tamen verum peragitur veri corporis, & veri sanguinis sacrificium.* Si sacrificium dicas gratiarum actionem, & mortis domini commemorationem, satis inter nos consentimus. Sin aliud quippiá vultis, cur id quid sit, liquidò nobis non ostenditis? Nos. n. vestra ista ænigmata sine aliquo Oedipo non possumus intelligere. Peragitur, inquis, *verum sacrificium veri corporis, et veri sanguinis, propter exhibitionis sub illis speciebus veritatẽ, peractæ semel passionis, & præteritæ renouans memoriam.* Quid sibi istę ambages volũt? Dic planè, & vno verbo, qua nã in re vestrum istud sacrificium situm sit. In ipsane corporis, & sanguinis domini præsentia, quam fingitis? At si daremus, ea ibi esse maximè præsentia, nõ tamen ex eo necessariò sequeretur iusta ratio sacrificij. Christus enim cum adhuc viueret, multis in locis præsens adfuit, vbi nullum erat sacrificium. An verò in eo situ est sacrificium vestrum, quod panem illum modo circumagitis, modo attollitis, modo deponitis? an potius, quod illum populo adorandũ ostenditis? an quod editis, & bibitis? Ista autem nemini sano videri possunt sacrificia. Nihil ergo supereſt, nisi vt vos ad passionem Christi, quæ ibi proponitur, & propter memoriá quo-

dammodo renouatur,cõferatis. Atqui ista memoria, & renouatiõ nec propriè dici potest sacrificium, nec necessario requirit præsentiam corporis & sanguinis Domini.

Verùm ait,*Cyprianum illis verbis,quæ nos citauimus,significaße causam sacrificij*:nimirum, quantũ ego intelligo, *quod sacrificiũ Cœnæ fiat in memoriam Paßionis Christi.* Sed iste sensus non potest cum eius verbis conuenire. Dicit enim,eam, quam offerimus,esse Passionem domini. Dicere autem debuisset,corpus & sanguinem Domini verè, & propriè offerri in Cœna,ad eius passionem commemorandam. Cyprianus ergo non causam expressit sacrificij, vt iste nugatur,sed ipsam potius sacrificij substantiam. Sacrificium autem significauit,non verum & proprium, sed aliquo modo intellectum: ita enim Paulus eleemosynas nostras, & mortificationẽ carnis appellauit sacrificia. Quod autem iste addit,mysticam Passionis imaginem in verò corpore & sanguine domini repræsentari, quis nõ intelligat manifestum commentum esse? Repetam enim hic, quod iam semel, atque iterum diximus,Passionem,& mortem Christi multis certam,& notam esse,qui de vestra ista præsentia vel dubitent, vel prorsus nihil vnquam audierint. Quomodo ergo tandem res ignota & dubia,rem certam & cognitam repræsentabit? Néue id te prætereat, Lector, Inconstantium ipsum hoc loco vsum esse verbo illo,Repræsentare,in ea significatione,quam antea oppugnauit. Suprà enim omninô contendit,Repræsentare, esse rem præsentem exhibere,neque quicquam repræsentari,nisi quod sit re ipsa præsens. Hic autem ait,repræsentari mortem, & passionem Domini,quę certum est præterijsse. Quod autem Cyrillus,& alij Patres interdum dicunt, corpus & sanguinem domini, quę offeruntur, esse incruentum, & viuificum sacrificium, id ego totum ad commemorationem veri illius sacrificij.& ad gratiarum actionem refero. Quod si Inconstantius exploratum habeat,Patres aliter sensisse,equidẽ ab illo libenter doceri velim.

Nam locus quem citat ex Cypriano,prorsus nihil contra nos facit.Is enim vel ipso referente Inconstantio,ita scribit: *Nos Resurrectionem domini manè celebramus: quia Paßionis eius mentionem in sacrificijs omnibus facimus. Paßio enim domini est sacrificium,quod offerimus. Nihil aliud,quam quod ille fecit,facere debemus. Scriptura enim dicit: Quotiescunque ederitis panem istum,& calicem biberitis,mortem domini annunciabitis, donec veniat. Quotiescunq; ergo calicem in commemorationem domini & Paßionem eius offerimus, id, quod constat dominum feciße, faciamus.* Hæc Cyprianus: Inconstantius autem addit, *Licet dicat, Paßionẽ domini esse sacrificiũ,quod offerimus,sentire tamen se,res,quæ ad Paßionis memoriam offeruntur, præsentes esse. Quod significat, dum generaliter dicit, Omnia,quæ Christus fecit,nos facere debere: & specialiter illis verbis, Ergo quotiescunque cõlicem in commemorationem domini,& Paßionis eius offerimus, id,quod constat dominum feciße faciamus, Paßionis hic est mentio,& Paßionis memoria: vt eius recolendæ causa institutum sit sacrificium. Sed corporis sui,& sanguinis verã præsentiã fecit Christus: vt sacrificium Ecclesiæ secundum Augustinum ex duobus constaret: visibili elementorum specie, & inuisibili domini corpore,& sanguine.* In verbis illis Cypriani nihil inueniri potest, quod nostram sententiam labefactet. Bis enim inculcat,id,quod offertur, esse Passionem domini. Inconstantius autem vrget illa verba,eaque putat à se facere, Quod constat dominum feciße,faciamus Quasi verò Cyprianus id spectarit, Christum feciße veram præsentiam sui corporis & sanguinis. Id autem ille non dicit: neque si diceret,ad eius institutũ quicquam faceret. Reprehendit enim eos, qui in mysterijs aqua tantum vterentur,vinum autem ex instituto Christi non adhiberent. Quare cum constaret, Dominum in cœna sua vsum fuisse vino, hortatus est Cæcilium, vt idem faceret. Quod autem ad oblationem attinet,quam Christus in cœna fecerit, nihil aliud nobis occurrit quàm præclara gratiarum actio de salute & redemptione nostra,quæ iam iam esset perficienda in cruce.

Dictum verò illud Augustini, ex sententijs Prosperi huc allatum, possem facilè reijcere, & ad ipsum potius Augustinum me cõferre. Nam ista nescio, nec quo pacto,nec à quibus,nec ex quibus authoribus sint consarcinata. Sed ne quid de me Inconstantius,aut alius quisquam possit conqueri, hoc testimonium, qualecunq; est,nolo repudiare. Sacramentum ergo, si illud totum, hoc est, & signum, & rem significatam complectaris,constat ex duabus rebus. Corpore videlicet & sanguine Christi, & symbolis visibilibus, hoc est pane & vino. Species enim illas non intelligo, vt isti ineptè solent,accidentia sine subiecto,sed externa symbola,panem videlicet & vinum. Caro autẽ & sanguis Domini in cœlo sunt: &,quoniam à nobis non videntur, idcirco rectè dicuntur inuisibilia. Ista vero duo rem, inquam,ipsam & symbola, nihil necesse est re ipsa & substantialiter & loco inter se copulare. Vtque ad Cyprianum redeam, satis apparet, quo ille sensu dixerit, id nobis faciendum esse,quod Christus fecit. Inconstantius autem hoc nobis ad viuum,& liquidò probare debuit, Christum in cœna seipsum propriè sacrificasse: id quod cum in toto isto suo libro non fecerit,non debet indignè ferre,si nos eũ id ne potuisse quidem facere,arbitremur.

Argumentum Gardineri.

DVM disputatur de hac mutatione panis in corpus Christi, sancti patres eam persuadent credendam ex immensa potentia Dei,quam per miracula ostendunt. At si panis in substantia sua maneat, Corpusque Christi non realiter fiat præsens,quorsum opus est omnipotentiam Dei allegare?

SOLV-

SOLVTIO.

ARGVMENTVM est debile: quia non ostendunt, Deum hoc voluisse, etiãsi nos eum id potuisse concedamus. Illud autem erat in primis ostendendum. Nam quod adducunt, Hoc est corpus meum, controuersum est, & potest habere alium sensum. Patres autem rectè loquuntur nam ad potentiam Dei pertinet, panẽ & vinum mutare, vt sint Sacramenta quæ antea non erant. Neque est opus naturæ, vt ea tam protenter & efficaciter significent, offerant, & exhibeant corpus & sanguinem Domini animis nostris apprehendendum, & fide. His etiam adde mutationem & conuersionem nostram in Christum, quæ perficitur, dũ ritè communicamus. Hæc omnia vim naturæ longè superant. In Baptismo quoque requiritur eadem Dei omnipotentia. Non enim est opus naturæ, vt aqua fiat lauacrum regenerationis: nec tamen est necesse, vt aqua transubstantietur.

GARDINERVS.

IMO ex verbis scripturæ ostenditur, Deum voluisse: nisi enim ita voluisset, non ita loqueretur, vt diceret, Hoc est corpus meum.

MARTYR.

VOluisse Deum, corpus Christi adesse in Eucharistia, & panem transubstantiari, iste noster non alia ratione probat, quàm quòd Christus dixerit, *Hoc est corpus meum.* Hoc autem est actum agere. Nam illa verba possunt & verè, & commodè aliter exponi: vt necesse non sit vrgere tam acriter τὸ ῥητὸν. *Sed hoc modo,* inquit Incõstãtius, *omnia loca sacræ scripturæ reddentur ambigua, & controuersa.* Minimè. Sũt enim ibi infinita loca, de quibus non possit ambigi. Et verba ipsa Christi, quibus vsus est in instituendo mysterio, omninò nostram interpretationem exigunt. Hic verò Inconstantius triumphat, & nescio quo cõsilio, recenset Manichæos, qui vetus Testamentum exploserint, & ex nouo quoque, quod minus placebat, expunxerint: illos quoque, qui vel Euãgelia, vel Epistolas Pauli interpolarint, quique Epistolas Iacobi, Petri, Iudę, Apocalypsim Ioannis aut reiecerint, aut certè de illis dubitauerint. Hæc omnia nihil ad nos pertinẽt. Canonicas enim scripturas nec reijcimus, nec corrumpimus: nec spiritum rectè iudicandi de scripturis in Ecclesia vigere dubitamus: etsi illum spiritum nec mitris, nec galeris, nec cathedris alligatum esse iudicemus. Nec tamen ea causa dicimus scripturas minoris æstimari debere, quàm Ecclesiã. Sunt enim omninò superiores. Neque mirum cuiquam videri debet, si nos verba illa, *Hoc est corpus meum,* aliter, quàm prima fronte prę se ferãt, intelligamus. Quoniam in diuinis literis aliæ multæ similes loquutiones inueniuntur, quas nemo dubitet eodem modo esse exponendas. Cumque nos in Solutione dicimus, illa verba posse aliter intelligi, non loquimur de violenta verborum contorsione, & tyrannide, sed de vera, & probabili, & genuina interpretatione: eãque in hoc libro sępè, & multis rationibus probauimus. Non ergo, vt iste fingit, argumentamur à Posse ad Esse. Nam Posse in nostra respõsione est legitimè, iuste, summa cum probabilitate, imò etiam ex necessitate habere alium sensum. Quod autem, posse, diximus, ex modestia tãtum diximus: vt ipsi possetis intelligere, quã ineptè concluderetis rationem ex illis verbis, quæ cum possent exponi diuersis modis, à vobis sine ratione in vnam tantum sententiam trahérentur. Hoc, mihi crede, Inconstanti, est violenter agere, & tyrannicè.

Deinde addis, *nos velle omnipotentiam Dei reuocare ad interpretationem nostram: quòd statuamus, vi vlla naturæ non posse institui Sacramenta. Hoc autem nos frustrà dicere: neminem enim esse ita stupidũ, qui quicquam fieri arbitretur sine potẽtia Dei. In illo enim nos viuere, moueri, & esse, & Paulum dicere, se omnia posse in Deo, qui se corroboret, vtque à Deo est omnis sapientia, ita ab eodem esse omnem potentiam.* Rectè quidẽ ista. Sed intelligere debuit Incõstantius, magnũ discrimẽ esse inter opera Dei, quæ naturalib. ab eo instrumẽtis, & rationib. perficiũtur, & ea, quæ tantũ eduntur eius spiritu, & ad eius regnum spirituale pertinent. Nihil horum sine Dei potẽtia effici potest. Sed ad illa opera, quæ naturam vincunt, & ad hominis instaurationẽ faciũt, opus est potẽtia Dei extraordinaria. Ita enim Dauid canit: *Non fecit taliter omni nationi.* Eo autem in loco Propheta & Legem, quã Deus Israelitis dederat, & peculiaria Sacramenta, quib. illos ornauerat, celebrauit. Si opus sit omnipotẽtia Dei, vt homo reuocetur à peccatis, vtque ornetur afflatu Dei, & donis spiritus sancti, & æterna felicitate cumuletur, quid absurdi est, si dicamus, eãdem omni potentiam adhiberi oportere, vt Sacramenta, quæ ad hæc omnia valent, instituantur, & reddantur efficacia? Si res ista vulgaris est, Cur Deus instituendorum mysteriorum authoritatem sibi soli reseruauit? aut cur eos damnauit, & verbi sui gladio confodit, qui se hominum institutis & mandatis colere voluerunt? Hic videmus, opus esse potentia, quę planè diuina sit, quæque longè sit maior, & infinitis partibus efficacior, quã vlla potentia naturalis. Hoc si Inconstantius noster aut non videt, aut non cogitat, non video, cur sese debeat gerere, non dico pro Theologo, sed omnino pro homine Christiano.

Verum, inquit, *edocti sumus à Christo petere quotidianum panem: & vno vocabulo panis omnis generis alimentum significauit: nimirum corporale carnis, & spirituale animæ. Et nemo patrum ita eum locum tra-*

Spiritus interpretãdi scripturam, non alius quàm cathedris & mitris

ctat, vt Dei omnipotentia dicat fieri, vt vnũ panis nomẽ tot & tanta nobis significet: & significet vnà etiã ipsũ Christi corpus. Vocabulo Panis in Oratione Dominica significari spirituale alimentũ, aut corpus Christi, nõ est perspicuũ. Imò Chrysostomus putat, ea voce cibum corporis postulari: idque verba ipsa satis indicant. Ita enim dicimus, Da nobis hodie: atque ita excludimus sollicitudinem de crastino. Illud enim tantum petimus, quod possit esse satis in diẽ. Spiritualia autẽ dona, non in diem tantum petimus, sed in perpetuum. Verùm fingito ita esse, vt Inconstantius noster vult. At idcirco ista verba diuinitus à Christo dicta, vt essent instrumenta spiritus sancti, quibus animi orantium inflammarentur ad rectè & ordine petendum, humana aliqua potentia videbuntur esse instituta? Si ita res habet, cur non orationi Socratis, quæ est apud Platonem, tantundem tribuis, quantum orationi Dominicæ? Is enim ex terrenis istis opibus id solum precatus est, quod esset ad vitam tuendam satis. Aut cur in eodem precio non habes carmẽ illud Satyrici poetæ: *Orandum est, vt sit mẽs sana in corpore sano?* Nõ agitur in sacris Inconstanti, de significatione vocabulorum quatenus ea imposita est ab hominibus, sed quatenus voces quædam adhibitę sunt à Deo, ad hominum affectus atque animos vi diuini spiritus immutãdos. Nam alioqui dicat, Christum, & Prophetas nõ alia Dei potentia fuisse loquutos, quàm qua ordinarius mundi cursus regitur, & rerum natura gubernatur: & simul etiã fateatur, quemuis hominem pro suo arbitrio posse instituere Sacramenta. Christus autem dixit, Verba sua spiritum esse, & vitam: Paulus non dubitauit scribere, Sanctum Euangelium esse potentiam Dei: & Petrus respondit Christo, *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Tamen Inconstantius noster, putat verba Orationis Dominicæ, & sanctarum scripturarum vulgares tantum esse voces: nihil enim in illis esse spiritus, aut diuinę potentiæ. Quod tamen ipsum ego non ita assero, quasi in literis ipsis, aut in sonis, aut in syllabis aliquid diuini superstitiosè constituã. Nunc enim ita tantum loquor de verbis Dei, vt illa scimus esse instrumẽta singularia spiritus sancti: quod etiã de pane & vino loquor, cum illa susciptũ rationẽ Sacramenti. Id Sophista noster, cum olfaceret, *Sed Sectarius,* inquit, *dicet, Panis hic fit Sacramentũ, & Deus est author Sacramentorũ. Fateor: & eodem authore, Panis erat Sacramentum in ore Prophetarũ: cum à spiritu sancto dicerent, Mittamus lignum in panem eius: Panis erat Sacramentum in oblatione Melchisedech, id est, signum rei sacræ per Christum exhibẽdæ: & item in panibus propositionis: qui cum essent, nemo patrum miratus est, nouam addi pani significationẽ. Et tamen ijdem isti Figuratores dicunt, Veteres habuisse eadem Sacramenta quæ nos habemus.* Hæc Inconstantius. Sed ita omnia confudit, & permiscuit, vt in eius oratione nihil sit ordine collocatum. Cùm dicit, Panem fuisse Sacramentum in ore Prophetarum, non loquitur, opinor, de substãtia panis. Agit enim de verbis Prophetarũ: quæ haud dubiè non erant signa visibilia. Quomodo ergo potuit iste ea propriè appellare Sacramenta? Deinde in verbis illis Hieremiæ satis crassè hallucinatur: qui tamen eius error, si vixisset ante aliquot secula, cum iam lumen omne Hebraicæ linguę inter Christianos propemodum extinctum esset, excusari aliquo modo potuisset. Hodie verò, cum illa lingua vbiq; penè floreat, extentque tot versiones & commentaria, & tamen iste verba illa, *Mittamus lignum in panem eius*, omnino referri velit ad Eucharistiã, nõ potest iam videri ex inscitia tãtũ errare, sed etiã ex malitia. Persicuũ. n. est, impios illos nõ deliberasse inter se de Sacramẽto Eucharistię sed de pane, aut cibo Prophetę veneno inficiendo, vt illum perderẽt. Inconstantius ergo in istis tã paucis verbis bis peccauit. Primũ, quoniam Sacramentũ, quomodo nunc de illo loquimur, non verbis tantũ cõstat, sed etiã signis visibilibus: deinde etiã, quod id accomodaret ad Eucharistiã, quod prorsus ad eam nihil faceret.

Deinde de oblatione Melchisedechi philosophatur longè extra oleas. Fingit enim illum obtulisse panes Deo: quod certè in historia Geneseos non legimus. Hoc enim tantum ibi scribitur, illum, exercitui Abrahami redeunti à prędio distribuisse panes. Et quamuis ea res per allegoriam aliquam potuerit, & Christum, & spiritualem alimoniam significare, tamen, cum illud factum à Deo peculiariter institutum in diuinis literis non inueniamus, non potuit rectè dici Sacramentum. Adhæc memini, Inconstantium aliàs noluisse vllo modo dare, Sacramenta Veterũ fuisse nouorũ Sacramentorũ signa: quod tamẽ nunc nobis vel nolẽtibus obtrudit.

De panibus autem propositionis prorsus arbitror istum non intelligere, quid scribat. Ait, *neminem ex omnibus patribus vnquam miratum esse nouã illis additam fuisse significationem.* Imò panes illi in tanta fuerũt veneratione, vt, cum anteà fuissent omnibus conspicui, & ad omnium vsus communes possent accomodari, postquam semel positi essent in Sacra mensa starent tantũ coram domino, & ita starent, vt à vulgo hominum conspici eos nefas esset, vt essent Sanctum sanctorum, vt laicis dari non possent, sed tantũ à sacerdotibus comederentur. Tamen iste noster ait nullam in illis fuisse admirationem. Certum tamen est, illos panes & habuisse verbum Dei, & numeratos fuisse inter alia Sacramenta. Hoc tamen velim mihi ab Inconstãtio responderi, cum Veterum Sacramentis derogare soleat, quantum possit, cur ea nunc sola nobis obiciat. Cur non eadem opera dicit, Baptismum nihil egere omnipotentia Dei? Cur non dicit, aquam ibi ablutionem tantum animi à peccato vulgariter, & naturaliter significare? Deinde naso suspendit, quod solemus dicere, Sacramẽta, & præsertim nostra in Euangelio, non habere leuem, aut vulgarem significationem, sed ita potentem, & efficacem, vt nobis offerant quodammodo, atque exhibeant corpus Christi.

Hæc iste, *si verborum apparatum diligenter excusseris, vana esse clamat, & inania.* *Nos enim in Sacramentis*

Quid vocabulo panis in oratione dominica significetur.

Preces Socratis.

Iuuenalis.

Quomodo vis aliqua intelligatur esse in verbis diuinis.

Panes propositionis.

Sacramentis nihil omnino quicquam statuere, nisi meram significationem: eamq; etiam aliquātò tenuiorem quam quæ fiat verbis. Atque inde ait, *nostrum illud esse, Corpus Christi non minus in verbis percipi, quam in symbolis.* Nos quidem Sacramentorum significationem potentem atque efficacem esse prædicamus: nō, vt iste, opinor, putat, ex vi naturæ, sed ex instituto domini, & ex eo, quod spiritus sanctus illis vtitur tanquam instrumentis ad fidem in communicantibus excitandam: vt illi cœlestia Dei dona, & in primis corpus & sanguinem Christi, quæ ibi exhibentur, consequātur. Exhibentur autem, non quidem tanquam in pane & vino, vel, vt Papistæ nugantur, in accidentibus latitantia, aut quasi ore ac faucibus possint recipi: sed vt menti & spiritui hominum fidelium sese insinuēt. Spiritus enim Dei, significationem illam à Christo inditam efficacem & potentem reddit, & per eam animos cōmunicantium emollit, & fidem in illis, & charitatem accendit. Non ergo iactamus inanem tantum apparatum, & pompam verborum, vt iste calumniatur. Re enim vera multo plura sunt, quàm nos possimus aut verbis, aut mente consequi. Papistarum tuorum, Incōstanti, hoc est, nequissimorum impostorum est hic, quem dicis, apparatus, & præsertim in Missa vestra: in qua, si diligenter omnia excutias, præter superstitiones, & hypocrises, & inanem fastum, ac pompam nihil inuenias. Non inficior, nostrum illud esse dictum, Corpus Christi non minus in verbis percipi, quàm in symbolis. Nam perceptio ea fide perficitur: ad illam autem & verbis excitamur, & Sacramentis: cumq; Sacramenta & verbis constent, & symbolis: vtriusque partis adminiculo perueniendum est ad significata. Neque vereor dicere multò etiam magis ad ea per verba peruenīri, quam per symbola, Nam symbola vim omnem suam habent ex verbis: quæ tamen isti nostri impostores Papistæ in missis suis de industria obscurant, ne audiantur à populo, & mussitant.

(a) significatio Sacramentorum potens & efficax dicatur.

Sed fortasse obijcies: Si verba sunt satis, quid accedimus ad Sacram mensam? Respondeo: Quoniam Christus id mandauit: qui cum non minus symbola instituerit, quàm verba, non minus ad illa vim suam adiūgere voluit, quàm ad ista. Adiecit autem symbola, vt non tantum auribus, sed etiam oculis, gustu, tactu, olfactu ad salutem incitaremur. Ille enim est fictor noster: nemoq; illo melius nouit, ad cœlestia, & spiritualia quanta nostra sit hebetudo: ideoq; nobis tot modis censuit succurrendum. Eat nunc Inconstantius, & pro sua impudentia ista rideat. Sed hoc certò sciat: Extrema risus, quod Salomon ait, luctum esse occupaturum.

Postea sese vtcunque colligit, atque ita scribit: *Ergo cum Euāgelium sit potentia Dei ad salutem, non negauerim, signum quoque vel minimum fieri potentia Dei: sed solam significationem, vel cuiusmodi statuunt Figuratores, nihil habere contendo præcipuum, & singulare, quod istam in patribus admirationem excitet, vt in hoc vno admirando obstupescant animi, vt vim non solum potentiæ sed etiam omnipotentiæ Dei agnoscere cogerentur, quasi exertæ in opus operatum in diebus nostris, quale non viderē priores, etsi multa Deus in illis magnalia, & admirabilia fecerit: nihil inquam habet hæc Figuratorum significatio eiusmodi, neque conficta ab illis sacramentalis mutatio.* Sine minimum quidem signum, vt ipse confiteris, fieri potest sine potentia Dei, necesse est, vt aut confitearis, maximam Dei potentiam requiri ad instituenda Sacramenta aut neges Sacramenta numeranda esse inter res maximas. Quàm autem falsum sit, quod ait, nos in Sacramentis solam significationem constituere, nihil opus est commemorare. Id enim iam antea satis ostendimus. Quod si arbitratur, Patres non esse admiratos vim Sacramentorum, quæ constet ex instituto Dei, & ex actione, atq; efficacia spiritus sancti, & potēti significatione, necesse est, vt putet, eos valde fuisse stupidos. Illi certè earum rerum omnium, quas nos commemoramus, mentionem sæpissimè fecerunt: Transubstantiationem autem, quam sibi Papistæ somniant, nunquam ne vno quidem verbulo attigerunt. Quomodo ergo illi eam tantopere admirari potuerunt, si eam non tantum non laudarint vnquā, sed ne nomine quidē suo dignati sint? Rursus ijdem, cum substantialē istā præsentiā nunquā aut cōmemorent, aut doceant, quomodo credibile est, eos illam tantopere esse admiratos? Sed quoniam tantopere patrū admiratione delectaris, scire debes, illos miratos esse etiam sæpè sanctum Baptisma, & nostram mutationem, quæ in regeneratione perficitur, amplissimis verbis prædicare. Quod si mihi non credas, Nazianzenū, Basilium, Chrysostomum, Tertullianū, & alios vetustissimos Ecclesiæ scriptores legito. Et si tantopere spectandum sit, quid patres veteres mirati sint: Chrisma erit omnium Sacramentorum supremum & maximum. Quod enim aliud Sacramentum tanta pompa ceremoniarum, tot invocationibus, tot salutationibus conficitur? Quantopere autem patres illud sint admirati, audi Cyprianum, si tamen illud opusculum est Cypriani, qui de Chrismate ita scribit: *Non hæc medendis corporibus vnctio est instituta. Quia sanctitatis elementis iam non propria natura præbet effectum: sed virtus diuina potentius operatur: sed adest veritas signo, & spiritus Sacramento: vt & ipsis rerum efficientijs gratiæ dignitas pateat: & interim homini quanta ex ijs detur authoritas deiformi conuersatione, & cœlestibus moribus innotescat.* Hæc Cyprianus de Chrismate: quod tamen re vera non est Sacramentum, neque vllo mandato Dei vnquam fuit Ecclesiæ commendatum. Et Baptismus, atq; Eucharistia, quæ nemo dubitat esse Sacramenta, laudari non possunt, nisi intercedat Transubstantiatio? Cyprianus iste dicere non dubitauit, Virtutem diuinam in Chrismate potentius operari, veritatem, & spiritum adesse Sacramento, dignitatem gratiæ patefieri, & interiorem hominem cœlestibus donis ornari. De Eucharistia verò, nisi panis & vinum transubstantientur in corpus & sanguinem Christi, nihil potest huiusmodi prædicari: res tantum erit

Patres interdum vehementer admirati sunt chrisma.

Chrisma non est Sacramentū.

profana & nuda: simpliciter tantum & vulgariter significabit: postremo abijcietur, tanquam vile, nescio quod, & abiectum signum. Verum longè aliter se res habet. Cum enim in fictitio Sacramento ista sic prædicata sint: multò magis, & verius prædicari & possunt, & debent in Eucharistia. Ea enim idcircò inter alia Sacramenta maximè eminet, quod obiectum habeat præstantissimum, ipsum, videlicet, corpus & sanguinem Christi: eaq; vnà cum signo nobis sunt admirationi. Non enim patres, cum mysteria nostra tantopere prædicent, signum à rebus significatis abstrahunt: quamuis ea inter se nec loco, nec substantiali præsentia copulentur. Iungunt etiam patres causas cum effectis: & signis imponunt nomina rerum: quèadmodum alibi docuimus. Vides ergo Inconstanti, nos non dicere, solam, & nudam significationem excitasse tantam admirationem in patribus. Iá recensui, quid illi prędicarint, & admirati sint in Eucharistia: nunc hoc etiam addo, illos in huiusmodi admirationibus sæpe mirè fuisse hyperbolicos: bono quidem illi animo, non dubito, sed hoc ausim dicere, non satis consideratè. Cum enim vellent efficere, vt Sacramenta essent apud populum augusta & veneranda, & in ea re sæpè modum non tenerent, imprudentes imperitam multitudinem impulerunt quodámodo in idololatriam. Hyperbolas autem illorum, vel ex eo ipso possumus deprehendere, quod Inconstantius ipse huc citauit è Chrysostomo ex libro tertio de Sacerdotio. Quod vt melius intelligas, Lector, non grauabor locum illum totũ oculis tuis subijcere. *Nam*, inquit, *dum conspicis dominum immolatum, Sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem: tum verò turbam circunfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiámne te inter mortales versari, & in terris consistere arbitraris? An non potius è vestigio in cælũ transfereris? An non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mente pura circunspicis, quæ in cælo sunt? O miraculũ, ô Dei benignitatem: qui cum patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum accipere, atque amplecti. fit autem id nullis præstigijs, sed apertis, & circunspicientibus circunstantium omnium oculis.* Et mox: *Adest enim sacerdos, non ignem gestans, sed Spiritum sanctum. Is preces diuturnas fundit: non quod flamma cælitus delapsa sacra apposita consumat, sed vt gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflãmet, & puriores reddat.* Admiratur Chrysostomus in ijs verbis Sacramentum Eucharistiæ. Sed quibus, obsecro, hyperbolis? Nemo certè nostrûm in Eucharistia videt dominum immolari: nisi id referri velis ad immolationem olim in cruce factam. Nam eam mente atque animo recolimus, & quodammodo oculis subijcimus in sacra Cœna. Sed addit, Sacerdotem incumbere sacrificio: quod sanè nisi de gratiarum actione, ac precibus intelligi verè non potest. Sacrificium enim mortis Christi iam olim peractum est. Neque verum est, quod ait, nos videre, turbam circumfusam tingi sanguine Christi ac rubefieri. Videmus enim communicantes edere ac bibere. Sanguinem autèm domini, aut eius colorem rubrum non videmus. Adhæc, negat, *nos inter mortales versari, & in terris consistere.* Quibus in verbis ne Inconstantius quidem, puto, ita hebes, est vt non agnoscat hyperbolen. Quod si ista referri velit ad animum, iam nobiscum faciet. Nos enim hæc omnia non corporis ore, sed mente, ac spiritu perfici affirmamus. Præterea addit, *eum, qui sedet in cælis ad dextram patris, omnium manibus pertractari.* Atqui cõmunicantes non corpus & sanguinem Christi manibus suis, sed panem & vinum tractant. Ea enim tantum tractantur manibus, quę sentiuntur. Nisi quis fortè dicere velit, animum etiam hominis tractari manibus, quotiescunque ita tractatur corpus. Deinde etiam Papistę ne panem quidem, & vinum manibus Communicantis multitudinis contingi & tractari patiuntur. Ea enim ceu paruulis & tenellis auiculis, quæ adhuc à matre pascendæ sint, hiantibus in os ingerunt. Eò videlicet, superstitionis, & stultitiæ peruentum est. Sed Chrysostomus addit, *Hæc omnia fieri nullis præstigijs, sed apertis & circunspicientibus omnium circunstantium oculis.* Hæc si oculis nostris & sensibus vsurparentur, nihil esset, quod quisquam posset ambigere. Verum addit, etiam Sacerdotem gestare spiritum sanctũ. Atqui spiritus sanctus more corporum gestari non potest. Deinde ait, *Sacerdotem illum orare, vt gratia in Sacrificium influat.* At si Christus ipse est illud Sacrificium, quánam, obsecro, gratia opus habet? Certè ille ita abũdat gratia, vt nos de eius plenitudine omnes acceperimus. Vides Lector, quot figuris, tropis, hyperbolis admirationes istæ patrum constent. Apage ergo, Inconstanti, & tuos istos fumos cæcis, & stultis, illisque, qui nec sapere, nec videre velint, venditato. Hoc denique vnum addam, in illis omnibus, quæ Chrysostomus tam hyperbolicè in Eucharistia admiratur, quæque nos hic & recèsuimus ordine, & vt temporis ratio patiebatur, excusimus, ne verbulum quidem vnũ extare de Transubstantiatione, aut de Conuersione panis & vini: quæ tamen si credidisset, quibus obsecro, ea verbis, quibus figuris & coloribus amplificasset?

Citat deinde Inconstãtius Ambrosium, qui dicat, *miraculum Eucharistiæ longè alia omnia miracula superare.* Sed quoniam Inconstantius verba Ambrosij hoc loco citare noluit, &, quoniam de eo iam suprà dictum est, infraque etiam dicetur quod erit satis, nihil me alienum facturum iudicabam, si hic eum locum præterirem. Hoc tantum quæro, quomodo Inconstantius potuerit ista subijcere: *Non loquor de effectu, quomodo in nobis operatur; quod paris quoque admirationis est.* Nam si paris est admirationis, quod agitur in nobis, haud dubiè nos quoque transubstantiamus. Nam patres hoc etiam dicunt, nos per sacram Communionem mutari & quodammodo transelementari in Christum, quod non minus est, quam panem per Consecrationem immutari. Si par est vtrinque admiratio,

pa

par etiam erit vtrinque miraculum. At si sit vtrinque Transubstantiatio, necesse est, vt ea vtrinque credatur. Vide ergo, obsecro te, Inconstanti, per tuam Sophisticen, quid dicas. Iactas enim, nunquam patres adduci potuisse ad tantam admirationem, nisi credidissent panem transubstantiari in corpus Christi. Atqui, vt nunc fateris, par est admiratio in eo, quod nos mutamur in Christum: Ergo nos quoque sine vlla controuersia transubstantiamur. *Sed ais, te loqui de constitutione Sacramenti, quomodo panis fiat verè corpus Christi, & vinum verè sanguis.* Hac de re si loqueris, de nihilo loqueris. Re enim ipsa, quæque ad substantiam attinet, ista non fiunt. *In Baptismo fateris, omnia plena esse miraculis: quæ tamen conficiantur in effectu: quoniam,* inquis, *Sacramentum ipsum Baptismi, actione ipsa baptizandi & incipit, & finitur.* Quasi non etiam Eucharistia actione edendi & bibendi & incipiat esse Sacramentum, & desinat. Nam quemadmodum in Baptismo, cum ad aquam communem additur verbum Dei, &, qui baptizandi sunt, tinguntur, agente spiritu sancto habet efficaciam suam: ita panis & vinum, cum antea fuerint res communes & profanæ, adiuncto verbo Dei vnà cum actione communicantium, efficiuntur Sacramenta, & per spiritum sanctum redduntur fructuosa extra autē huiusmodi vsū à Christo institutū ne Sacramēta quidē dici possunt, neq; cuiquā videri fructuosa, quicquid sibi commiscatur, & fingat Inconstātius. Satis .n. est verborū copiosus: rerū autē, & rationū inanissimus. Cur autem aqua in Baptismo non credatur transubstantiari, hanc causam adfert, *quod nihil de ea dictum sit vsquam, quod ad Transubstantiationem pertineat.* At si verba sequimur, ne illa quidem verba, Hoc est corpus meum, necessario concludunt Transubstantiationem: quemadmodum iam suprà sæpè, & fusè docuimus, Cumque Sacramenta ad coniunctionem nostram cum Christo spectent, Baptismus quidem per modum generationis, Eucharistia autem per modum alimenti, non tantum hic, sed etiam ibi aliqua Christi præsentia videtur esse necessaria. Eam autem cum spiritualē esse satis sit in Baptismo, satis etiā esse debet in Eucharistia. Substantia autē sensibilis nihil causę est, cur magis in Eucharistia auferri debeat, quā in Baptismo.

Inconstantius ad extremum concedit, *suprà naturam esse, quod nos in Christum commutemur: idq; non nisi spirituali, & admirabili ratione fieri in effectu tam Baptismi, quam sacræ communionis.* Verum, inquit, *quod est mirabile in effectu, nihil detrahit admirationi de constitutione Sacramenti.* Nimis est Sophistica, & importuna atque aliena ista distinctio de Constitutione Sacramenti, & effectu. Nam Sacramentum Eucharistiæ nullam habere aliam constitutionem præter vsum, verba ipsa Christi & factum indicant. Christus enim post præsentem vsum non iussit seruari Eucharistiam: neque illam primum fecit, & deinde post aliquod tempus, aut dies aliquot, apostolis distribuit. Sed statim, cum dixisset, *Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum: accipite, & bibite, Hic est sanguis meus:* ea edenda, bibendaque porrexit, quæ in manibus habebat. Quicquid autem Inconstantius de præparatione, & asseruatione comminiscitur, fictitium est, & humanum tantum commentum. Adhæc nos in responsione nostra contulimus inter se panis mutationē, & nostram: & adiecimus, si nostra mutatio esse possit sine Transubstantiatione, idem etiam statuendum esse de pane: & si nostra mutatio esse possit absque eo, vt substantia carnis Christi copuletur, & misceatur cum carne nostra: panem etiam fieri posse corpus Christi, quamuis cum eo substantia ipsa corporis Christi realiter non coniungatur, aut ibi sub accidentibus abditum delitescat. Hæc nobis Inconstātius aliquādo refutet: interim autem insulsam illā suā, & putidā distinctionē de Constitutione & Effectu, apud se retineat.

Argumentum Gardineri.

FIDES Ecclesiæ de Eucharistia confirmata est multis prodigijs & miraculis: quæ leguntur apud Cyprianum, Optatum, Augustinum, Nazianzenum, Gregorium & alios.

SOLVTIO.

DICIMVS, hæc miracula posse fieri trifariam: Vel ad arcendos indignos à tanto Sacramento: & talia quidem miracula recipimus: nam Paulus eadem de causa ait, multos infirmos fuisse, & multos dormiuisse: & in hunc ordinem redigenda sunt ea, quæ Cyprianus commemorat: Vel ad illustrandum, atque ornādum Sacramentum, quò eius dignitas & magnitudo melius explicetur: ne ista quidem miracula nos respuimus. Nam eadem de Causa etiam Baptismi Sacramentum sæpe ornatum est miraculis. Tertium autem vel ab impostoribus, vel à diabolo inductum est, ad errorem de Transubstantiatione confirmandum. Illud autem in vniuersum reijcimus. Lex enim iubet, vt Propheta, qui populum ad superstitionem, & idololatriam prouocat, lapidatur. Et Antichristus venturus est cum signis, & prodigijs. Et tempore Mosis Magi Pharaonis ediderunt miracula contra verbum Dei. Fuitque Marcus quidam Hæreticus, & impostor, vt ait Irænēus, qui illudebat simplicibus, quòd mutaret colorem vini. Et Ethnici cultum idolorum solebant talibus prodigijs confirmare. Neque nobis ignotæ sunt impostura nebulonum, quibus illi sæpe vsi sint ad edenda miracula.

manducent ſpiritualiter, ex qua manducatione ſequatur denique arcana & ineffabilis coniunctio noſtra cum Chriſto. Eam autem idcircò dicimus arcanam, & ineffabilem, quòd tota ſit ſpiritualis, neque ad realem noſtri cum Chriſto copulationem & coniunctionem pertineat. Spiritu enim perficitur, quo à Chriſto capite, quamuis ſedente, & regnante in cœlis deriuatur in eius membra vita beata, diſtribuũtur charismata, conſolationes, virtutes, gratię, & denique omne bonum: quo & Chriſtus ipſe in nobis viuat, & nos in illo. Vt autem hæc efficiantur, nihil neceſſe eſt, corporalem illam veſtram præſentiam confingere. An hoc tibi videtur eſſe reſpondere, Bleſ? Sed argumentum, inquis, tractat actionem Chriſti de inſtituendo Sacramento. Rectè: ſed non ſatis feliciter illam tractat, præſertim ex illis verbis, *Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi.* Ibi enim Chriſtus ea de re non loquebatur: ſed potius de ſpiritu ſancto, quem miſſurus erat poſt Aſcenſionem: quo ſpiritu futurus erat cum Apoſtolis, & futurus eſt ſemper cum Eccleſia vſque ad finẽ mundi. Sed ſit ita, vt tu vis: nihil enim cõtendo. Dixerit ita Chriſtus, vt oſtenderet, ſe velle ſiſtere nobis humanitatem ſuam, & nos præſentia ſui corporis conſolari. Quid tum poſtea? Nos quoque fatemur, veriſsimam præſentiam corporis Chriſti à pijs hominibus, fideliter, & ritè communicantibus, ſatis haberi poſſe ſpiritualiter, & per fidem.

Verùm Inconſtantius contendit, *humanitatem Chriſti propriè & realiter ſiſtendam eſſe in Euchariſtia.* Contendit ille quidem ſtrenuè: ſed, vt ſolet, nihil probat. Finalem tantum cauſam allegat: nimirũ, vt Chriſtus nos illa præſentia cõſoletur. Sed quæ tandem erit iſta conſolatio, cum caro illa Chriſti nec videri, nec guſtari, nec olfieri, nec tangi poſsit, nec vllo omnino ſenſu, aut humanæ rationis experientia percipi. Equidem, quod ad conſolationem attinet, nihil video, quid interſit, in cœlóne ſit corpus Chriſti, an in pane & vino, an potius, vt vos ſomniatis ſub accidentibus. Sed fide, inquies, poteſt percipi, etſi ſenſu & humana ratione non poſsit. At ſi iſtam præſentiam tribui vis fidei, nihil opus erat, vt nobiſcum eà de re contenderes. Nos enim etiam dicimus, carnem & ſanguinẽ Chriſti fide percipi. Verum iſta, inquies, non dicitis eſſe præſentia. Id certè nec dicimus, nec omnino credimꝰ: vel quòd cũ ſacris literis, vel quòd cum veritate humanæ in Chriſto naturæ, & cũ eius Aſcenſione pugnet: vel quod caro Chriſti nihilo plus preſens vtilitatis adferat, quàm abſens. Reſpondimus hîc multò plus, quàm momentum, & dignitas argumenti propoſiti poſtulabat. Miſſa verò facio complura Patrum teſtimonia, qui verba illa Chriſti, *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*, non de humana Chriſti natura intelligunt, ſed, vt nos facimus, de diuina, & ſolum Cyrilli dictis ero contẽtus, cui tu paſsim videris multum tribuere. Is 8. lib. ſuper Iohannem cap. 7. ait, *Denique cum de ſe dixit me autem non ſemper habebitis, loquebatur dominus de præſentia corporis ſui: nam ſecundum maieſtatem ſuam, ſecundum prouidentiam, ſecundum ineffabilem & inuiſibilem diuinitatis gratiam impletur quod ab eo dictum eſt, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi* Iam vides Ieſu Chriſti domini noſtri verba ſic exponi à Cyrillo, vt nos interpretati ſumus. Quin & idem libro 5. in Iohannem cap. 8. ita ſcribit: *Sanè poſt Aſcenſionẽ quæſiuerunt eum illi pio affectu, qui Petro prædicante compuncti ſunt corde, dicentes, Quid faciemus viri fratres? Non tamen corpore præſentem inuenerunt, quamuis ſecundum diuinitatis præſentiam eis non defuit, ſecundum quam nobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſeculi, omnibus diebus.* Hic vides in eadem expoſitione authorem ſibi optimè conſtare. Et rurſum libro 6. cap. 14. *Sed diligenter hic animaduertendum quod etſi corporis ſui præſentiam hinc ſubduxerit, maieſtate tamen diuinitatis ſemper adeſt, ſicut ipſe à diſcipulis abiturus pollicetur, Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* Iis verbis ego neſcio quid clarius, quidque dilucidius afferri poſsit.

Cæterum quia mihi à prudenti Lectore poſſet obijci, quatuor illos intermedios libros, nẽpè 5. 6. 7. & 8. in Iohannem nõ eſſe Cyrilli, ſed à Iohanne Clithoueo Theologo adiectos. Ideoque me non rectè feciſſe, qui ſententias inde mihi ſumpſerim Cyrilli nomine, quibus abſentiã corporis & carnis Chriſti probatem. Ad hoc reſpondeo, eſſe quidem paulò antè citata loca Clithouei, ſed tamẽ à me nihil fraude aut dolo malo eſſe actum: cum enim libros Cyrilli (vt fit) legerem, variatam inſcriptionem, atque mutatũ ſtilum minimè aduerti, ſi quidem plus æquo feſtinabam. Cęterum quod ad rem attinet, Lectores non fallo, cum ipſe Cyrillus in libris, qui genuini ſunt eius, idem teſtetur: decimo enim libro eiuſdem voluminis ca. 10. ſcribit: *Quia hæc loquutus ſum vobis, apud vos manens: iam enim hinc ad cœlos, ſecundum carnem, abiturus erat.* Ibidem cap. 38. *Nullus ambigit cum ad cœlos aſcenderit, quamuis virtute ſemper adfuerit, præſentia tamen carnis ipſum abfuiſſe.* Et 11. libro cap. 3. *Nam etſi abeſt corpore patri pro nobis apparens, ac à dextris eius ſedens, habitat tamen in ſanctis per ſpiritum, neque patitur illos orphanos eſſe.* Et mox. *Poſtea in cœlum aſcendens, ſpiritum immiſit: non enim conuerſari poterat cum Apoſtolis in carne cum ad patrem aſcenderit.* Et libro 11. cap. 22. *Nihil ergo mali accidere vobis poteſt ait, ſi carne abfuero, cum Deitatis meæ poteſtas, quæ vos hucuſque ſeruauit, in poſterum etiam ſeruatura ſit.* Et mox: *Cum igitur Deitati ſeruatio attribuatur, Non debetis, inquit, carnis præſentiam propter hoc deſiderare.* Iam igitur apparet, Clithoueum ex Cyrillo collegiſſe, quæ dixit, & neque illum, neque me voluiſſe Lectoribus fucum facere. Satis enim conſtat, quomodo Chriſtus & adſit, & abſit à ſua Cœna. Nobiſcum item Auguſtinus, Fulgentius, & alij complures faciunt in illis domini verbis interpretandis. Inconſtantium verò Patres non habere ſibi adſtipulantes, qui hæc ad humanitatem Chriſti referant, ex eo ſatis apparet, quod teſtimonia eorum non protulit.

ARGV.

Argumentum Gardineri.

Si non adsit corpus Christi, nisi sola eius significatione, tum non haberent noua Sacramenta quippiam, quod in veteribus non reperiretur. Nam & illa Christum significabant & amplius & clarius & viuidius, quàm panis & vinum: quoniam ibi animalia bruta cædebantur, & fundebatur eorum sanguis: quod non contingit in pane & vino.

SOLVTIO.

QVOD ad rem ipsam attinet, dicimus eadem esse vtriusque Testamenti sacramenta: quemadmodum etiam Paulus dicit cap. 10. ad Corinthios. Sed nostra præ Veteribus multas habent prærogatiuas. Sunt enim magis firma, nec amplius mutanda vsque ad finem seculi: ostendunt rem factam, non vt illa, futuram: sunt simpliciora, & pertinent ad numerosiorem populum: sunt clariora, non, vt aduersarij fingunt, externa repræsentatione, sed ex natura, & claritate verborum, quæ ibi proferuntur. Nam clarius annuntiant redemptionem perfectam, & maiorem fidem excitant: vnde sequitur ex eis vberior copia spiritus.

GARDINERVS.

SACRAMENTA Veterum eadem fuisse significatione cum nostris in signo, vt loquuntur, remoto, fatendum est: quoniam omnia eundem spectabant Christum.

MARTYR.

AB initio videtur velle distinctionem quandam significare, qua sacramenta Veterum differât à nostris. Sed ea nos salua veritate sacrarum scripturarũ non possumus admittere. Ait enim, *illa significationem tantùm aliquam habuisse, & ea quidem in re conuenisse cum nostris. Nostra verò præter significationẽ etiã res ipsas exhibere.* Hoc qui dicit, negat, Veteres in suis sacramẽtis res ipsas habuisse, quæ ad salutem, & æternam vitam omnino erant necessariæ: idem Paulo etiam aduersatur. Is enim ait, Veteres comedisse nobiscum eũdem cibum spiritualem, & eundem nobiscum bibisse potum spiritualem. Néue de re ipsa quicquã dubites, eam ait disertis verbis fuisse Christum. Omnia ergo sacramenta, non solum nostra, sed etiam veterum, constabant & signis, & rebus significatis, quamuis quemadmodum in responsione dictum est, non eadem ratione. Quare Inconstantius fatetur, *Veterum sacramenta & eadem fuisse cum sacramentis nostris, & diuersa.* Atque ea de re nos quoque idem iudicamus, & dicimus: sed multò aliter. Nos enim quod ad rem ipsam significatam attinet, dicimus esse eadem, etsi signis externis, & symbolis sint diuersa. Alia etiam sunt discrimina, quę satis liquido persequuti sumus in Solutione.

Sed iste in explicanda sententia sua ait, *se nolle suis verbis vti, sed Patrum:* & illorum pro more suo contexit, non solũ prolixum, & operosum, verum etiam ineptum catalogum. Augustinus epistola 49. ad Deo gratias, quæstione 3. ita scribit: *Dispartita diuinis eloquijs sacrificia fuisse pro temporum congruentia: vt alia fierent ante manifestationem noui Testamenti, quod ipsa vera, & in vnius sacerdotis victima, hoc est, effuso Christi sanguine ministratur, & aliud nunc, quod huic manifestationi est congruum, qui iam declarato nomine, Christiani appellamur, offeramus, non solum Euangelicis, sed etiam prophetiA cis literis demonstratur.* Quod ex his verbis Inconstantius elicit, diuersitatem temporum exigere diuersitatem sacrificiorum, non inficior. Imò fateor, symbola Veterum, & nostra non esse eadem. Deinde illorum sacramenta significabant aliquid futurum: nostra autem præteritum, & iam exactum.

Huc citatur etiam Chrysostomus in epistolam posteriorem ad Corinthios, ita verba illa explicans, *Omnia noua. Et in in sũma,* inquit, *omnia noua: pro templo visibili templum videmus spirituale, pro lapideis tabulis tabulas carneas, pro Circumcisione Babtisma, pro Manna corpus dominicum, pro aqua petræ, sanguinẽ è latere, pro virga Mosis vel Aaronis crucem, pro terra regnum cœlorum, pro innumeris sacerdotibus vnum pontificem, pro agno irrationali agnum spiritualem. Hæc alia cogitans dicebat Omnia noua. Hæc autem ex Deo per Christum ex dono illius.* In his verbis, inquit, Inconstantius, Chrysostomus Christi Ecclesiam, & nostra Christianorum sacramẽta cum illis Veterũ conferens, discrimina manifestissima & certissima demonstrat. Verba ista Chrysostomi non esse ita ἀκριβῶς & rigidè accipienda, vt primo aspectu præ se ferunt, vtque Inconstantius ea vult intelligi, multa nobis satis apertè indicant, Idque vt tu, Lector, melius videas, hunc locum totum paulò altius repetã. *Ecce,* inquit, Chrysostomus, *omnia noua. Purificatum enim, & corpus nouum, & cultus nouus, & promissiones nouæ, & Testamentum, & Vita, & Stola, & in summa omnia noua. Etenim pro Hierusalem, quæ infra, accepimus supernam metropolim: & pro templo visibili,* &c, Sequuntur enim ea, quæ modo recitata sunt ab Inconstantio. Hic mihi considera, pie Lector: an promissiones noui Testamenti ita tibi videntur nouæ, vt Patres veteris Testamenti prorsus ab illis sint excludendi? Mihi certè ita potius videtur, eas ad nos ab illis peruenisse.

Non enim possumus cogitare, illos ita habuisse Hierusalem illam, quę infra erat, vt ad supernā metropolim nihil omnino pertinuerint: aut ita possedisse terras, vt prorsus nihil illis commune esset cum cœlo. Hoc etiam inter cætera annotandum est, illos habuisse virgam Aaronis aut Mosis eodem loco, quo nos crucē. Sensus ergo Chrysostomi est, Christum illa ætate nondum passum fuisse in cruce. At quis dicat, nos hodie vel crucem, vel mortem Christi re ipsa habere præsentem? Verum hoc inquiet Inconstantius, vnicè facit ad id, quod agimus, quod Chrysostomus dicat nos habere pro Manna corpus dominicum, pro aqua petræ sanguinem è latere. Si ita res habet, ipse mihi respondeat, quomodo Paulus dicat, illos eundem nobiscum cibum spiritualem manducasse, aut bibisse nobiscum eundem spiritualem potū. Sed dicet, illos habuisse ista omnia eadem inter se, non autem nobiscum. Ita quidem ille putat se posse effugere. Sed nos suprà copiosè ostendimus, verba Pauli non posse ita constare: qua in re idem etiam nobiscum sensit Augustinus. Neque sanè credibile est, Chrysostomum velle dissidere cum Paulo. Quare affirmamus, Manna antiquitus fuisse sacramentum carnis domini, & aquam è petra fuisse sacramentum sanguinis domini. Quid ergo nos habemus pro illis? Alia symbola, panem videlicet, & vinum: quæ nominatim appellantur corpus & sanguis domini, sed suo quodam modo: quod Manna, & aqua in veteri Testaméto non habebant. Deinde ad nostra mysteria adiungūtur etiam verba Christi: quæ certissimè testantur, corpus ipsius olim pro nobis actum fuisse in crucem, & sanguinem eius pro nobis fusum. At ne id quidem habebant sacramenta veteris Testamenti. Hunc necesse est fuisse sensum Chrysostomi, nisi eum velis apertè pugnare cum Paulo.

Sequitur Hesychius libro 6. cap. 22. in Leuiticum. *Nō oportet*, inquit, *nos habentes in manibus, & consummantes verum mysterium, sequi figuras, quæ prædicta demonstrent. Neque enim est eiusdem temporis, sed aliud quidem ad figuram, aliud autem ad veritatem, qui vtraque sanciuit, præcepit. Propter quod & Christus primùm celebrauit figuratum Pascha: post Cœnam autem intelligibile tradidit.* His addit Inconstantius: *Hesychius aliud figuræ tempus dicit, aliud veritatis, propter præsentiam corporis Christi in Cœna quam soli fideles intelligunt.* Hanc nos temporum distinctionem libenter recipimus. Nam quę antiquitus in Christo futura significabantur, ea nunc à nobis vt iam olim facta celebrantur, & memoria recoluntur. Et quidem quod Hesychius ait, verissimum est. Non enim fas nobis est hoc tempore, cum habeamus in manibus mysteria ipsius veritatis, ad figuras, quæ res futuras significent, recurrere. Mysteria enim Veterum significabant, Christum aliquando venturum in carne, & passurum esse: nostra verò eum iam venisse, & pro nobis passum esse, euidentissimè declarant. Cum Christus in vltima illa sua Cœna, à veteribus sacramentis sese ad nouos ritus contulerit, nefas esset, si nos à nouis ritibus redire vellemus ad veteres. Præsentiæ autem istius, quam sibi Papistæ fingunt, corporis domini in Cœna, ne vno quidem verbo Hesychius mentionē fecit. Id autem Inconstantius noster pro sua autoritate, & copia voluit addere.

Huc adducitur etiam Augustinus libro 2. cap. 17. Contra literas Petiliani: *Sicut*, inquit, *aliud est carnis Circuncisio Iudæorum, & aliud quod octauo die Baptizatorum nos celebramus: & aliud est Pascha, quod adhuc illi de oue celebrant, aliud autem, quod nos in corpore & sanguine domini accipimus: sic alius fuit Baptismus Ioannis, & alius Baptismus Christi.* His verbis, Aliud, & Aliud, Inconstātius putat Augustinum annotasse, tātum interesse inter sacramēta Veterum & nostra, quantum inter promittere & dare. Id enim verba ipsa Augustini sequentia indicare. *Quando promittebatur*, inquit, *tunc dicebatur: cum autem datum est, quod promissum est, ablata sunt verba promissiua, & data completiua. Sacrificia ergo illa, tanquam verba promissionum ablata sunt. Quid est, quod datum est completiuum? Corpus quod nostis: quod vtinam, qui nostis, omnes nō ad iudicium noueritis. Videte, quando dictum est. Christus enim ille est dominus noster modo loquens ex membris suis, modo loquens ex persona sua. Sacrificium*, inquit, *& oblationem noluisti. Quid ergo nos iam hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? Absit: Corpus autem perfeciſti mihi.* Ex ijs verbis, inquit, Inconstantius, *liquet Augustinum sensisse, Sacramenta veterum tam distare à nostris, quàm promissionem ab ipsa datione, & præstatione: quod consentit cum verbis Pauli, habuisse illos vmbram, non ipsam imaginem rerum. Vnde intelligamus, in vno Christo impleta omnia. Quæ verò præcesserunt, figuræ, & significationes erant.* Duo hæc Augustini loca nullum aliud asserunt discrimen inter Veterum sacramenta, & noua, nisi quòd ait, illa fuisse verba promissiua, ista autem esse completiua: illa futura & expectāda indicasse, ista verò iam data, & completa esse, quæ tum promittebantur, fidem facere. Vtrinque enim esse verba, & vtrinque significari quippiam: ibi, quod erat dandum, & aliquando futurum: hic verò, quod iam datum est, atque completum.

Sed illud fortasse nonnihil mouere possit, quod Augustinus dicat *Aliud esse Pascha, quod adhuc illi de oue celebrent: aliud autem, quod nos in corpore & sanguine domini accipimus.* Cæterum, si animaduertas, quid ibi Augustinus agat, nihil erit, quod possis ambigere. Confert enim Pascha illud, quod Iudæi ad illa vsque tempora celebrabant, cum sacramento Eucharistię. Rudes, & carnales Iudæi hodie quoque Pascha suum celebrant: & præter sanguinem ouis, & ritum vetustum maiorum suorum nihil ibi aut habent, aut cogitant. Nemo ergo tam hebes est, vt non intelligat, nostrum Pascha, quod accipimus in sacramento corporis & sanguinis domini, illorum mortuis ceremonijs infinitis partibus esse præferendum. Neque verò tanti est, quòd Augustinus dicat, In corpore, & sanguine domini: non autem dicat, In sacramento. Symbola enim ipsa appellātur corpus & sanguis

& ſanguis domini: & pij interim, cum communicant, corpus & ſanguinem domini ſibi proponunt antè oculos, & toti in illis verſantur, cum ea fide, ac ſpiritu complectantur. Imò etiam myſteria ipſa piorum, & veterum Patrũ, quamuis ab illis cum fide, & ſpiritu vſurparentur, tamen collata cum noſtris erant multò inferiora: quòd noſtra rem, nõ futuram, ſed factã indicent, quodque ſint multò, quàm illa erant, clariora. Et quamuis illi fide, atque animo idẽ omninò in myſterijs ſuis apprehẽderint, quod nos hodie in noſtris, tamen nondum extiterat, aut natum erat ipſum Chriſti corpus: quod tamen nunc nos certiſsimè iam olim natum ſcimus, & adhuc hypoſtaſim, & exiſtentiam ſuam obtinere. In eo autem ipſo quantum interſit ad vberiorẽ ſpiritus, & donorum Dei perceptionem, tuum erit, Lector iudicare. Deus quidem pro ſua prouidentia, & gratuito propoſito decreuerat velle dare multò plura & ampliora dona tempore Euangelij, cum iam verbum Dei re ipſa noſtram naturam ſuſcepiſſet quàm ſub Lege, cum id adhuc, vt fieret tantum expectaretur. Itaque, quòd ad rem ipſam attinet, Patres in myſterijs ſuis omninò idem habuerunt, quod nos: quamuis ex eadẽ ipſa re multò plus fructus ad nos redeat, quàm olim redierit ad illos. Quòd autem ad verba promiſsiua, & completiua attinet, fateor, Auguſtinum rectè ſcribere. Nam in ſacramento Euchariſtiæ profitemur, & prædicamus, corpus Chriſti iam olim pro nobis datum eſſe in crucem, nec expectandum eſſe, vt iterum detur. Illud etiam ipſum, quod Inconſtantius colligit, recipio, modò recte intelligatur: *ſacramenta videlicet, veterum tantum diſtare à noſtris, quantum promiſsionem ab exhibitione.* Chriſtus enim Patrũ temporibus promittebatur tantum: non autem adhuc datus fuerat. Corpus autem & ſanguinem realiter, & ſubſtantialiter adeſſe, atque exhiberi in ſacra Cœna, id verò prorſus pernegamus: neque id Auguſtinus vno vel verbulo ſignificauit. Corpus quidem Chriſti extat nunc in natura rerũ, & in cœlo verſatur glorioſum: quod in veteri Teſtamento nondum natum erat. Illud autem corpus diffundi, & diſsipari per infinita loca, & adeſſe corã in omnibus ſacris menſis, pugnat euidẽtiſsimè cum ſacris literis, nec Auguſtinus in iſtis verbis, quæ hic ab Inconſtantio recitata ſunt, affirmauit. Quod autem Paulus ait, illos habuiſſe vmbram tantùm, non ipſam imaginẽ rerum, id eò tantùm ſpectat, vt oſtendat, ſignificationes Legalium ſacramentorum non tam aut expreſſas, aut claras, aut efficaces fuiſſe, quã ſunt hodie noſtrorum in Euangelio. Quid tamen Auguſtinus de conſenſu veterũ ſacramentorum & Euangelicorum ſenſerit, alibi copioſè oſtendimus.

Huc etiam aduocatur Chryſoſtomus hom. 82. in Matth. ita ſcribens: *Quamobrem paſſionis tẽpore hoc myſterium tradidit? Vt vndique diſcamus, ipſum etiam veterem Legem ſanxiſſe: & omnia etiam, quæ in illa ſunt, propter nouam hanc adumbrata fuiſſe. Hac igitur de cauſa veritatem figuræ adiunxit. Qui coꝛ pulat præſtationem promiſsioni, veriſimiliter probat, ſe authorem eſſe & promiſsi, & dati.* Quod autem ait ad figurã adiunctam eſſe veritatem, id nõ ita intelligendum eſt, quaſi dicere velit, ipſum Chriſti corpus realiter, & ſubſtantialiter vel cum pane, vel cum eis accidẽtibus copulari: ſed quod in nouo Teſtamento id oſtendatur impletum, & reuera præſtitum, quod in veteri ſub figura Paſchalis agni promittebatur implendum. Et ſanè in veterum ſacramentis id, quod futurum erat, adumbratur: in noſtris autem id, quod iã olim factum eſt, memoria recolitur, & gratiarũ actione celebratur.

Hæc Inconſtãtius ait ſe attuliſſe ex Patribus, vt oſtenderet generale diſcrimẽ inter ſacramẽta Legis, & Euangelij: nunc autem velle ſe illa teſtimonia adducere in medium, quæ peculiariter ad noſtrum cibum ſpiritualem pertineãt. *Origenes*, inquit, *in Numeros hom. 7. ita ſcribit: Tũc in ænigmate Manna erat cibus: nunc autem in ſpecie caro verbi Dei verus eſt cibus. Sicut & ipſe dicit, Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Hic Origenes*, inquit Inconſtantius, *conferens Manna cũ cibo noſtro, qui eſt caro Chriſti, vocat illud ænigma, & quod nos habemus, ſpeciem: ſignificãs, idem ſpectare vtrunque cibum, ſed nobis in ſpecie datum, quod illis ſecundum Paulum contigerat in figura: quod ipſum Origenes ænigma dicit. Vnde ſequitur, nos in ſpecie, & veritate carnẽ Chriſti datã accipere: quam illi in ænigmate promiſſam acceperunt.* Nihil vnquam ſcribere potuiſſet Origenes magis accommodatè ad noſtram ſententiam. Nam cum Manna, quod Patres habuerunt in deſerto, conferat cum noſtra Euchariſtia, quod etiam Inconſtantius fatetur, vtrunque dicit idem ſpectare: ſed id nobis dari in ſpecie, quod Patres habuerint in ænigmate. Id autẽ nihil eſt aliud, quàm in Manna ſignificationẽ fuiſſe corporis Chriſti, ſed magis obſcuram & confuſam: in Euchariſtia autem eandẽ ſignificationẽ eſſe, ſed magis diſtinctam, illuſtrem, dilucidam. Hic enim certiſsimè, arq; euidentiſsimè demonſtratur, corpus Chriſti eſſe noſtrum cœleſtem & ſpiritualem cibum, quo alendi ſimus ad vitam æternã. Hoc ipſum Patres etiam viderunt, ſed obſcurè tantum, & in ænigmate: quum à nobis in ſacramento noſtro clariſsimè videatur, & in ſpecie. Sed Inconſtantius vnà cum ſuis σαρκοφάγοις, vt eſt hebes & craſſus, putat, In ſpecie & veritate accipere carnem datam, eſſe illam in pane, vel ſub accidentibus panis, ore, dentibus, & faucibus deuorare. Nos verò miſsis iſtis impoſturis, & ineptijs, dicimus, carnem domini, quæ nobis hodie proponitur in Euchariſtia, mẽte, fide, ac ſpiritu hominum piorum, clarè & apertè, hoc eſt in ſpecie manducari.

Quid ſit in ſpecie actio pere carnẽ domini.

Verum audiendus eſt Cyprianus in Sermone de Cœna domini ita ſcribens: *Cœna diſpoſita, inter ſacramentales epulas obuiauerunt ſibi inſtituta antiqua, & noua: & conſumpto Agno quem antiqua traditio proponebat, inconſumtibilem cibum magiſter apponit Diſcipulis. Nec iam ad elaborata impenſis & arte conuiuia populi inuitantur: ſed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens,*

corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis diuinæ inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam: Hæc, inquit Incoſtantius, *Cyprianus: qui quatenùs inconſumptibilẽ cibum dicit, carnem Chriſti diuinam, & ſpiritualem intelligit: quæ iam glorificata conſumi non poteſt: cuius veram præſentiam ab effectu mirabili Cyprianus aſtruit*. In iſtis verbis Cypriani nihil prorſus eſt, quod Incõſtantio ſuffragetur.

Quomodò in Euchariſtia cibum habeamus inconſumtibilem.

Ait apponi nobis cibũ inconſumptibilẽ: quoniam vera ſacramenta expectabant ſucceſsionẽ nouorum: & ea cauſa rectè dici potuerunt conſumptibilia, cum aliquãdo eſſent abrogãda: noſtra verò ſacramenta, cum ſint poſtrema, nec vnquam locum ceſſura ſint alijs, iure optimo dici poſſunt cibus incõſumptibilis. At ſi vocẽ illam, Inconſumptibilis, non ad ſymbola, ſed ad rem ſignificatam referre velis, perſpicuum eſt, ipſum Chriſti corpus, quod fide, & ſpiritu percipimus, eſſe inconſumptibile: nõ enim poteſt amplius mori. Sed obijcies, nos dicere, Patres quoque in agno Paſchali comediſſe per fidem verum corpus Chriſti: itaque ex noſtra ſententia illos quoq; habuiſſe cibum inconſumptibilem. Habuerunt illi quidem ipſum Chriſti corpus: ſed quemadmodum iam dictum eſt, multõ obſcurius, quam nos: & cũ res ipſa adhuc expectaretur complenda, & tantum promiſſo aliquo teneretur, ſi eorum perceptio ad noſtram conferatur, per tropũ dici poſſent, nõ habuiſſe. Neque verò id videri debet abſurdum. Sacramenta enim veterum ita dicuntur eadem cum noſtris, vt nihilo tamen minus inter ea deprehendatur notabilis varietas.

Illud autem fortaſſe videri poteſt magnam adferre acceſsionẽ, & pondus ad cauſam Inconſtantij, quod Cyprianus ſcribit, Inuiſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Verum nos vim diuinam, & efficientiam ſpiritus ſancti, & dona ſpiritualia, & fructus, ac merita mortis Chriſti ab Euchariſtia nunquam diſiunximus. Sed hic, non de his rebus, ſed de carnali, & ſubſtantiali præſentia contendimus. Neque Cyprianus de præſentia corporis, aut ſanguinis Chriſti quicquam loquitur: niſi quantũ viſum eſt Inconſtantio, illum inuitum, & reluctantẽ, in eam ſententiam torquere, & trahere.

Poſteà citat Ambroſium ex libro, De ijs, qui initientur ſacris, cap. 9. *Conſidera*, inquit, *nunc vter præſtãtior ſit, panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ vtique corpus eſt vitæ. Manna illud de cælo, hoc ſupra cælũ: illud cæli, hoc domini cælorũ: illud corruptioni obnoxium, ſi in alteram diem ſeruaretur, hoc alienum ab omni corruptione: quod quicunque guſtauerit, corruptionem ſentire non poterit. Illis aqua è petra fluxit, tibi ſanguis è Chriſto: illos ad horam ſatiauit aqua, te ſanguis diluit in æternum*. Hactenus Ambroſius: qui hac collatione, inquit Inconſtantius, & diſcrimen ſacramentorum, & noſtri præſtantiam ſacramenti luculenter exprimit. Hæc omnia Ambroſij verba, ſi ad res in Euchariſtia ſignificatas referantur, veriſsima ſunt: at ſi ad ſymbola, nõ poſſunt vllo modo conſiſtere. Nam etiam panis Euchariſtiæ, vel potius, vt vos ineptè fingitis, panis accidentia, quemadmodum experientia teſtatur, ſunt obnoxia corruptioni, ſi paulò diutius conſeruentur. Cæterum dices, manna quoque, ſi eius ſignificata conſiderentur, eadẽ habuiſſe omnia, quæ commemorantur ab ambroſio. Ad hæc iam ſuprà ſatis reſponſum eſt, cum Cypriani locum explicaremus. Quare, quod ibi dictum eſt, tuum erit, Lector, etiam huc traducere.

Adfertur etiá Hieronimus in Pſal. 105. *Sicut illi*, inquit, *de cælis fluente manna refecti ſunt: ita nos hodie in Eccleſia, corpore Agni accepto, reficimur*. Hæc paucis Hieronymus, inquit inconſtãtius: quibus tamen quid poteſt dici clarius? Sed & de panibus propoſitionis loquens in epiſtolam ad Titum cap. 1. ſic ait: *Tantum intereſt inter panes propoſitionis, & corporis Chriſti, quãtum inter vmbrã & corpora, inter imaginẽ & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa quæ per exemplaria figurabãtur. Atque hæc, ne quid erres, inquit iſte noſter, loquitur Hieronymus de Chriſti corpore in myſterio Euchariſtiæ exhibito, quod, vt illius verbis vtar, conficiunt ſacerdotes*. Hoc facile eſt in patribus animduertere, quod etiam digniſsimum eſt obſeruatu, illos, cum conferant veterum ſacramenta & noſtra, in illis tantùm rem ſenſibilem & externam conſideraſſe, nec ſymbola cum ſymbolis, ſed illorum ſymbola cum re ipſa, quã nos in noſtris ſignificatam habemus, & fide percipimus, contuliſſe: quò magis, & illuſtrius præſtantia, & dignitas noſtrorũ ſacramẽtorum eluceſcat. Cur autem veterum ſymbola à re ſignificata diſtrahant, præſertim cum multi ſancti illorum temporum rem ipſam fide comprehenderint, hæc cauſa fuit, quod permulti illis temporibꝰ, quid ſibi ſymbola illa externa vellent ignorarẽt. Idque Auguſtinus apertiſsimè docet in Pſalmum 39. *Antiqui*, inquit, *quando adhuc ſacrificium verum, quod fideles norunt, in figuris prænunciabatur, celebrabant figuras futuræ rei, multi ſciẽtes, ſed plures ignorãtes. Nam Prophetæ, & ſancti Patriarchæ nouerunt, quod celebrabant: cætera autem multitudo iniqua carnalis ſic erat, vt fieret de illa, quod ſignificaret poſteriora ventura*. Patres ergo in ſuis illis collationibus maiorem partem, & multitudinem ſpectabant, rerum diuinarum ignaram. Ea autem, vt erat carnalis, & iniqua, ſignis tantùm, & externis ſymbolis fruebatur: quæ ſi conferantur cum re ipſa, quam nos per fidem habemus, & percipimus in ſacramẽtis noſtris, longè ſunt & & inferiora, & indigniora.

Quãſi patres non ſolerent in collatione veteris & noui ſacramenti.

Sed in Chriſtiano etiam, inquies, populo multi ſunt impij, qui tantùm vtantur externis ſymbolis: fidem autem non habeant, qua vna poſsint ad rem ipſam peruenire. Fateor, idque nimium verum eſſe, vehementer doleo. At illi ignorationis ſuæ occaſionem ex noſtris myſterijs non habent. Verba enim illa, quibus homines de re ſignificata admonentur, ita perſpicua, & clara ſunt, vt nemo tam rudis ſit, qui neſcire poſsit, in ſacra cœna renouari memoriam mortis domini, quã ille noſtra cauſa iam olim in cruce pertulerit. Longè autem aliter ſeſe res habebat apud veteres. Multitudo enim, vt Auguſtinus ait, maiori ex parte hæc ignorabat:

ignorabat: etsi ea non potuerit huiusmodi ignoratione excusari. Atque ad hunc modum Christus loquutus est de carnalibus illis, & impijs patribus, qui manducauerant manna in deserto, & mortui erant. Re enim vera alij fideles, & boni, quales erat Moses, Aaron, & Iosue, & alij similes cœlestem illum cibum non receperunt ad iudicium: & quamuis mortui sint corpore, quomodo nos quoque morimur, tamen non inciderunt in mortem æternam. Et temporibus Scribarum, & Pharisæorum, cum iam populus destitutus esset Prophetis, perpauci vel potius propemodum nulli erant, qui in illis ceremonijs, & sacrificijs rem ipsam intelligerent, aut quærerent. Itaque externis tantùm symbolis inhiabant: quemadmodum adhuc nostrûm temporum Iudæi faciunt. Recte ergo Hieronymus, & alij complures patres hac ratione vsi sunt in conferendis inter se veterum sacramentis, & nostris. Deinde in collatione panum propositionis cum corpore Christi, si totum vtrinque sacramentum, & plenum spectare volumus, diligenter obseruanda est ratio & differentia temporum. Nostrorum enim temporum sacramenta longè sunt perfectiora, quàm erant olim veterum.

Adducitur in eandem sententiam Cyrillus libro quarto capite decimo sexto in Iohānem. *Mannæ*, inquit, *alimentum, non æternam vitam, sed breue famis remedium adferebat: non ergo erat cibus verus, hoc est, panis de cælo. Sanctum verò Christi corpus ad immortalitatem, & vitam æternam nutriens cibus est.* Sic Cyrillus, inquit Inconstantius: quem vt intelligas de Eucharistiæ cibo sentire, illud adijciam ex eodem: *Aquā illi ex petra bibebant: quid igitur lucrati sunt, qui mortui fuerunt? Non igitur potus ille verus: sed verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors euertitur, atque destruitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est: sed eius, qui naturali vitæ coniunctus vita effectus est. Propterea corpus, & membra Christi sumus: quia per hanc benedictionem mysterij ipsum filium Dei suscepimus.* Hæc Cyrillus: qui Eucharistiam vocat benedictionem mysticam. Manna remedium tantum, idque breue, fuisse famis, fateor: si Cyrillus de impijs, & indigne sumentibus loqui velit. At si de sanctis patribus loquatur, qui illo cibo rectè, & cum vera fide vtebantur, longè ab illo dissentio: & in ea re sequi malo authoritatem Augustini. Quæ autem sit ratio collationis Mannæ ad corpus Christi, satis iam exposuimus. Aquam autem de petra Paulus ad Corinthios disertè vocat potum spiritualem, & patres illos ait bibisse de Christo: petrā enim illam fuisse Christum. Impios verò, qui illo potu abuterentur, necesse est, vt fateamur, duplici morte fuisse mortuos. Pij autem qui ad illam externam corporis refocillationem fidem adiunxerunt, etsi mortui fuerint in deserto, non tamen frustrati sunt æterna vita. Sanguis enim Christi non minus illis vita fuit, quàm nobis. Quare istæ collationes apud patres vel ita accipiendæ sunt, vti iam diximus, vel prorsus reijciendæ. Hoc etiam prudenter cogitet Inconstantius, quàm rectè Cyrillus dicat, Nos propterea esse corpus & membra Christi, quod per benedictionem mysterij susceperimus ipsum filium Dei. Nam si hæc est vera, & propria causa nostræ coniunctionis cum Christo: quid futurum est de illis, qui discesserunt ex hac vita antequam percepissent Eucharistiam? An tantam multitudinem infantium & puerorum abalienabimus à corpore Christi? Atqui gratia Dei non ita alligata est sacramentis, vt qui ad Eucharistiam non accesserit, statim explodendus sit ab æterna salute. Deinde Baptismus semper appellatus est Sacramentū regenerationis: quemadmodum Paulus etiam affirmat cap. sexto ad Romanos. Quemadmodum dicta ista patrum diligenter, & attentè expendenda sunt, ne illorum hyperbolis, & tropis decipiamur.

Citat etiam Inconstantius Augustinum ex libro Quæstionum veteris & noui Testamenti, quæstione nonagesima quinta. *Manna* inquit, *typus est escæ spiritualis: quæ Resurrectionis domini veritas facta est in Eucharistiæ mysterio.* Hæc Augustinus: qui Manna typum escæ spiritualis in Eucharistia eiusdem escæ veritatem asserit. Mitto nunc, librum illum, vnde hoc testimonium petitur, incertum & nothum esse. Ità enim Erasmus iudicauit, idque prudenter, & magnis cum rationibus. Inconstantiū potius voco ad verba ipsa, quæ citauit diligenter expendenda. Quæ, obsecro te, est illa veritas Resurrectionis domini facta in Eucharistia? Annetu in Eucharistia re ipsa, & verè, & propriè, esse dices præsentem Resurrectionem domini? Sic enim habent verba, quæ citas. Non eras, credo, satis animo attento, cum ista scriberes. Sed ignoscendum est tibi, si nullum ex Augustino testimonium, quod vel leuiter tecū faceret, inuenire, & citare potueris. Is enim vbique apertissimè oppugnat causam tuam.

Sed fateris, te non esse nescium, Augustinum Authorem esse illius sententiæ peruulgatæ, veterum sacramenta eadem fuisse cum nostris. Illum enim in libro de Vtilitate pœnitentiæ, capite primo, cum exponat verba illa Pauli *Omnes eundem cibum spiritualem manducauerunt*, ita scribere. *Suffecerat, vt diceret, cibum spirituale manducauerūt: Eundem* inquit, *eundē non inuenio quomodò intelligam, nisi eum, quem manducamus & nos. Quid ergo ait, aliquis: Hoc erat Manna illud, quod ego accipio? Ergo nihil modò venit si ante iam fuit: Ergo euacuatum est scandalum Crucis. Quomodò ergo eundem, nisi quia addidit Spiritualem? Nam qui Manna illud sic acceperunt, vt tantummodò indigentiæ suæ corporali satis fieri putarint, & ventrem suum pasci, non mentem, nihil magnum manducauerunt: factum est satis eorum indigentiæ. Alios Deus pauit: alijs aliquid nunciauit. Hi tales cibum corporalem manducauerunt: non cibum spiritualem. Quos ergo dicit patres nostros eundem cibum spiritualem manducasse? Quos putamus, fratres, nisi qui verè patres nostri fuerunt? Imò patres nostri non fuerunt; sed sunt. Omnes enim illi viuunt.* Hactenus Augustinus: à quo quoniam Inconstantius

diſsentit, illi opponit Chryſoſtomum ex homilia in dictum illud Apoſtoli, *Nolo vos ignorare: Sicut*, inquit, *dixit quòd omnes per mare tranſierunt, ſic nobilitatem Eccleſiæ præfiguravit, cum diceret, Eundem ſpiritualem cibum comederunt. Hoc idem rurſus inſinuat. Sic enim in Eccleſia non aliud quidem corpus diues, aliud verò pauper: neque alium quidem ſanguinem ille, alium autem iſte: ſic & tunc: non aliud quid accipiebat diues Manna, aliud verò pauper: neque alterius fontis particeps iſte erat, alterius verò indigentioris ille, ſed ſicut nunc eadem menſa, & & idem poculum, eadem & educatio omnibus, qui huc ingrediuntur, proponitur: ſic & tunc idem manna, & idem fons omnibus proferebatur: & hoc quidem mirabile, & rarum.* Hæc Chryſoſtomus: qui illud, *Eundem*, inquit Inconſtantius, *in verbis Pauli longè aliter exponit, quàm Auguſtinus: non ea ſignificatione, quaſi idem, quod nos biberint, & comederint veteres patres: ſed omnes illi idem ſuum: quemadmodum & nos omnes ſine perſonarum acceptione idem noſtrũ: mirabili illi modo, & raro, qui noſtrum maximè omnium admirandum præfiguraret.* Ad iſta ego reſpondeo: primùm hoc conſideret Inconſtantius, Auguſtinum nobiſcum ſentire, ac dicere, veteres, quòd ad rem ipſam attinet, idem in ſuis ſacramentis habuiſſe, quod nos habemus in noſtris: & nos non poſſe iure damnari nouitatis, niſi velit Auguſtinũ nobiſcum vnà condẽnari. Atqui Auguſtinus nunquam ea de cauſa, quòd ſciam, habitus eſt pro hæretico. Cur ergo Inconſtantius nobis tam petulanter inſultat, cum nihil ab Auguſtino alienũ ſentiamus? *Sed Chryſoſtomus*, inquit, *dictum illud Pauli exponit longè aliter.* Quaſi verò nos id aut neſciamus, aut negemus. Hoc tamen viciſsim cogitet Inconſtantius, Chryſoſtomum ita adferre expoſitionem ſuam, vt alteram non improbet, aut condemnet: & fieri poſſe, vt vtrunque ſit verum, nimirùm, veteres illos patres eſcam, potumque habuiſſe & inter ſe, & nobiſcum communẽ. Horum vtrunque cùm poſsit eſſe verum, Chryſoſtomus alterum ſequutus eſt, Auguſtinus alterum. Quòd ſi velis vtrunque coniũgere, nos & cum Auguſtino ſentimus, & cum Chryſoſtomo. Si dicas, Chryſoſtomum ita amplecti ſententiam ſuam, vt alterum abijciat, reſpondeo id non dici tantum à te, ſed etiam probari debuiſſe. Et ſi id feciſſet, tamen hoc ſupereſſet, vt ex ipſis Pauli verbis coniectura fieret, vtra expoſitio eſſet aptior. Certè niſi Paulus ad noſtra ſacramenta reſpicere voluiſſet, quid illum oportuit Baptiſmi facere mentionem? Sed vel ex eo videri poteſt idem ſenſiſſe, quod nos volumus, quòd dicat, illos veteres bibiſſe de ſpirituali petra, id eſt, de Chriſto. Addit enim petram illam fuiſſe Chriſtum. Quòd ſi, vt Paulus teſtatur, biberunt Chriſtũ, cur non rem ſacramenti eandem nobiſcum communem habuerunt? Deinde id propoſitum fuit Apoſtolo eo loco, vt Corinthios reprimeret, & reuocaret à luxu. Cum autem videret, illos ad minas, quas intentauerat, ita reſpondere poſſe, quid tu nobis Paule comminaris exitiũ? nos iam ſumus initiati Chriſti, & eius nomen profitemur, & eius imbuti ſumus & conſignati ſacramentis: oppoſuit ſe, & oſtendit, etiam veteres illos patres, cum habuerint eadem ſacramenta, tamẽ à Deo grauiſsimè fuiſſe caſtigatos. Quòd ſi dicas, veteres habuiſſe ſacramenta, non nobiſcum eadem, ſed tantùm eadem inter ſe, prorſus omnem vim argumenti labefactas, Dicere enim illi potuiſſent, Quid tu nobis narras veterum ſacramenta, quæ illi habuerunt inter ſe communia? Illa enim tantùm erant frigida, & externa ſymbola: & idcircò non potuerunt illos defendere ab ira Dei. Nos autem in ſacramentis noſtris rem ipſam habemus, non vmbras: Chriſtum ipſum, nõ ſimulacra, aut imagines. Quare nos perire non poſſumus. Hæc illi reſpondere potuiſſent, ſi ſenſiſſent cum Inconſtantio, & facilè Pauli argumentum refutare. Vt autem nos cum Auguſtino ſentimus, ita conuincuntur, vt nihil habere omninò poſſint quod reſpondeant.

Conciliatio Auguſtini & Chryſoſtomi.

Cæterùm, Lector, vt magis etiam intelligas Auguſtini ſententiam, non grauabor ſubijcere ea, quæ apud eum mox ſequuntur illo ipſo in loco, vbi Inconſtantius finem fecit recitãdi. *Patres*, inquit, *noſtri manducauerunt Manna in eremo, & mortui ſunt. Quid eſt enim patres veſtri, niſi quos infidelitate imitamini? quorum vias non credendo, & Deo reſiſtendo ſectamini?* Et mox: *Patres veſtri manducauerunt Manna in eremo, & mortui ſunt. Non enim intellexerunt, quod manducauerunt. Itaque non intelligentes, cibum non niſi corporalem acceperunt. Sic & Apoſtolus dicit, patres noſtros: non patres infidelium, ſpiritualem cibum manduceſſe, & ideo eundem. Patres noſtri*, inquit, *eundem cibum ſpiritualem manducauerunt, & eundem potum ſpiritualem biberunt. Erant enim ibi, qui quod manducabant, intelligebant: erant ibi, quibus plus Chriſtus in corde, quàm manna in ore ſapiebat. Quid de alijs loquamur? Ibi erat ille Moſes famulus Dei fidelis in tota domo eius, ſciens quid diſpenſaret, & quia illo tempore ita diſpenſari deberent, clauſa præſentiũ, aperta futurorum. Breuiter ergo dixerim, Quicunq; in manna Chriſtum intellexerunt, eundem, quem nos, cibum ſpirituale manducauerũt. Quicunque autem de manna ſolam ſaturitatem quæſierũt, patres infidelium, manducauerunt & mortui ſunt. Sic etiam eundem potũ: petra enim Chriſtus. Eundem ergo potum, quem nos ſed ſpiritualem: id eſt, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. Audiſti eundem potum: petra erat Chriſtus. Non enim alter Chriſtus tunc alter nunc: Altera quidem illa petra: alter lapis, quem ſibi ſuppoſuit ad caput Iacob: alter Agnus occiſus, vt manducaretur paſcha: alter aries hærẽs in vepribus immolandus, quãdo filio ſuo pepercit Abrahã quẽ iuſſus obtulerat, altera ouis, & altera ouis: alter lapis, & alter lapis: idem tamẽ Chriſtus. Ideò eundẽ cibum: ideò eundẽ potũ.* Et mox *Eundem ergo cibum, eundem potum: ſed intelligẽtibus, & credentibus. Non intelligentibus autem, illud ſolũ Manna: illa ſola aqua: ille cibus eſurẽti: iſte potus ſitienti: nec ille, nec iſte credenti: credenti autem idem, qui nũc. Tunc.n. Chriſtus vẽturus: modò Chriſtus venit. Venturus, & Venit, diuerſa verba ſunt, ſed idẽ Chriſto.*

Tamen, ne quid te, Lector, celare videar, ſcire debes,

debes, librũ illum, De vtilitate pœnitẽtiæ, vnde hæc omnia allata ſunt, Eraſmi iudicio non eſſe Auguſtini. Quid igitur? An ea, quæ allata ſunt ex illo libro, Auguſtini nõ erunt? Minimè. Eadem enim extant apud ipſum Auguſtinũ alibi, idq; in eo libro, de quo nemo vnquã dubitauit. Nam tractatu 26. in Ioannem ita ſcribit: *Mandu cauerũt, & mortui ſunt: Quia, quod videbant, credebãt: quod non videbant, nõ intelligebãt. Ideò Patres veſtri: quia ſimiles eſtis illorũ. Nam quantũ pertinet, fratres mei, ad mortem illam viſibilem & corporalem, nunquid nos non morimur, qui manducamus panem de de cœlo deſcendentem? Sic mortui ſunt & illi quemadmodũ nos ſumus morituri: quantũ attinet, vt dixi, ad mortem huius corporis viſibilem atque carnalẽ. Quãtum autem attinet ad illam mortem, de qua terret dominus, qua mortui ſunt patres iſtorũ, manducauit Mãna & Moſes, mãducauit Manna & Aaron, manducauit manna & Phinees, manducauerunt ibi & multi, qui domino placuerunt, & mortui non ſunt. Quare? Quia viſibilem cibum ſpiritualiter intellexerũt, ſpiritualiter eſurierũt, ſpiritualiter guſtauerũt, vt ſpiritualiter ſatiarentur. Nam & nos hodiè accipimus viſibilẽ cibum: ſed aliud eſt ſacramentũ, & aliud eſt virtus ſacramẽti, quem multi de altari accipiũt, & accipiẽdo moriuntur.* Et mox: *Hunc panẽ ſignificauit manna: hũc panẽ ſignificauit altare Dei: ſacramẽta illa fuerũt: in ſignis diuerſa ſunt ſed in re, quæ ſignificatur, paria ſunt. Apoſtolũ audi: Nolo, inquit, vos ignorare, fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare trãſierũt, & omnes per Moſen baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandẽ eſcã ſpiritualẽ mãducauerũt: ſpiritualẽ quidẽ eandẽ: nã corporalẽ alterã: quia illi Mãna: nos aliud, ſpiritualẽ verò eandẽ, quã nos. Sed patres noſtri, nõ patres illorũ: quibus nos ſimiles ſumus, nõ quib⁹ illi ſimiles fuerũt. Et adiũgit Et omnes eundẽ ſpiritualẽ potũ biberũt. Aliud illi, aliud nos: ſed ſpecie vibili: quod tamẽ hoc idem ſignificaret virtute ſpirituali. Quomodò .n. eũdem potum? Bibebant,* inquit, *de ſpirituali ſequẽte eos petra, petra autẽ erat Chriſtus. Inde panis, inde pot⁹.* Valde cæcũ oportet eſſe, qui hæc velit expoſitione, quaſi obſcura ſint, illuſtrari.

Sed redeo ad Inconſtantium: Is, quò magis Auguſtini authoritatem deprimat, aliud etiam quiddam annotat in Chryſoſtomo: videlicet, ſpiritualẽ cibũ apud Paulũ, aliter longè exponi ab eo, aliter ab Auguſtino: Nam in eadẽ homilia, quam ſuprà citauimus, inquit Inconſtantius, ita ſcribit: *Sicut tu à lauacro aquarum aſcendẽs ad menſam curris: ſic illi à mari aſcendẽtes ad menſam venẽre nouã, & admirabilẽ: de Manna loquor.* Et iterum, *Sicut tu admirabilem habes potum, ſalutarem ſanguinem: ſic & illi admirabilẽ habuerũt poculi naturã: non enim inuenerunt fontes & amnes manãtes, ſed à dura, & inaquoſa petra multã fluminũ largitatẽ acceperunt. Propterea & ſpiritualem appellauit: non quòd natura talis eſſet, ſed quòd hoc modo ſuppeditabatur. Non enim ſecundũ naturæ conuenientiã ipſis dabatur: ſed ſecundum operationẽ Dei ipſos ducentis. Ex ijs duobus Chryſoſtomi locis apparet,* inquit, Inconſtãtius, *longè illum ab Auguſtino in interpretatione illorũ verborũ diui Pauli (Eũdẽ cibũ ſpiritualẽ) diſſentire.* Ego verò tibi, Inconſtãti, reſpõdeo, vtrãq; iſtã interpretationẽ Auguſtini, & Chryſoſtomi poſſe nõ incõmodè conſiſtere, & inter ſe cõuenire. Primũ enim ſymbola illa externa, Mãna, inquã, de cœlo, & aqua de petra, quòd ad naturas ipſorũ attinebat, non erãt ſpiritualia: erãt .n. corpora, & percipiebãtur ſenſib⁹. Sed quòd educta eſsẽt vi diuini, ſpiritus idcircò dici potuerũt ſpiritualia. Et ipſe Chriſt⁹ qui in illis ſymbolis adũbrabatur, cũ ab illis patrib⁹ ſpiritualiter, hoc eſt, animo fide, & ſpiritu ſumeretur, nihil impedit, quin dici potuerint cibus & potus ſpiritualis. Neque enim per ſe, & propriè corporis cibus & potus erant, ſed animi, & ſpiritus.

Nec Ambroſius, quẽ Inconſtãtius huc attraxit, alienus eſt ab hac ſentẽtia. Exponẽs enim illũ locum Apoſtoli in epiſtola ad Corinthios vtrãque interpretationẽ complexus eſt. *Omnes* inquit, *eandẽ eſcam ſpiritualẽ ederũt. Mãna,* inquit, *& aqua, quæ fluxit de petra. Hæc dicit ſpiritualia: quia nou mũdi lege parata ſunt, ſed Dei virtute ſine elementorũ cõmixione ad tempus creata, habentia in ſe figurã futuri myſterij, quod nũc vos ſumimus in cõme morationẽ Chriſti domini. Ideò & panis Angelorum dictus eſt, quia virtute, qua Angeli ſubſiſtũt, creatus eſt, hoc ſignificãs, quia de cœlis venturus erat, qui ſpiritualiter paſceret.* Rectè Ambroſius vocabulũ illud Spirituale, ad vtrũq; refert: & ad modũ, videlicet, quo res illę eductę ſunt, & ad quod illis rebus ſignificabatur. Sed iſtud poſterius Inconſt. vel nõ vidit, vel quod magis credo, videre noluit. Nã qui animũ ſuũ aduerſus omnẽ veritatem obfirmarũt, ea tantũ vidẽt, quę volũt. De Oecumenij aũt interpretatione, nil eſt, quòd multa dicã. Idẽ .n. illi reſpõderi poteſt, quod Chryſoſtomi ſentẽtia quicquã diſceſsit: nã, quod Lector diligẽs faciłè per ſe videre poteſt, collegit quodãmodò eius interpretationis epitomẽ. ille tamen ipſe ad extremũ mentionẽ apertã facit ſpiritualis cibi, quẽ patres animo, & fide hauſerint. Sic .n. ſcribit: *Hæc quidẽ Paulus ſpirituali quodã diſſerit ſenſu. Nã & hæc ſenſibilia erãt, haud tamẽ naturæ conſentanea, ſed ſpiritus gratia gerebantur: quæ gratia & corpora vnà, & animas aleret, & ad fidei credulitatem induceret.* Sed hòc dictũ Theophylacti Inconſtãtius eò trahit, quaſi cõſentiat cũ Scholaſticis, qui dicũt, ſacramẽta profuiſſe veteribus, nõ efficacia ſua ſed propter fidẽ vtentiũ: cum in noua Lege ſacramẽta ipſa conferant, & exhibeãt gratiã illis qui obicẽ non ponãt, Deo in illis, tãquam organis, operante potẽter, & efficaciter: in Euchariſtia verò Chriſto Deo, & homine preſente: qui eſt illud manna de cœlo verũ: & petra, vnde nobis ſcaturit aqua ſaliens in vitam æternã. Qui dicunt, ſacramẽta nouę Legis conferre, & exhibere gratiã illis, qui eis vtãtur ſine fide, neſciũt quid dicant, aut affirmẽt. Nam qui fieri poteſt, vt is, qui nullã adhuc fidem habeat, nõ ponat, vt illi loquuntur, obicem? Quicunq; n. talis eſt, cæcus eſt, & homo animalis, & Deo mente inimicus, & ſi quã habet ſapientiã, eam habet inimicã Deo, queque, quoad ita manet, Deo ſubijci non poſsit. Eſt ergo dogma, non tantũ ſtultũ, ſed etiam peſtiferũ & impiũ, dice re, gratiam Dei ab vllis conferri ſacramentis ex opere tantũ, vt illi loqui ſolent, operato, ſine fide. Eã enim vnicũ eſt inſtrumentũ, quo promiſſiones, non modò in veteri Teſtamento, verùm etiam in nouo comprehendi poſsint. Non ta-

Qui deſitus untur fide neceſſe eſt vt obicem ponant gratiæ.

men negauerim, Deum suo spiritu efficacius excitare fidem per nostra sacramenta, quàm olim per vetera. Sed vt olim sacramenta veterũ, quemadmodũ Paulus ait, non iustificabant: ita ne nostra quidẽ hodie iustificant. Itaq; Augustinus pulcherrimè scribit de aqua Baptismi. *Vnde*, inquit, *fit vt elementũ corpus attingat, & cor abluat, nisi faciẽte verbo? non quia dicitur, sed quia creditur.* Ecce, Augustinus, in Baptismo, quẽ negare nõ potes esse sacramentũ nouæ Legis, requirit, nõ tantũ, vt ne ponatur obex, sed etiá vt admoueatur fides. Cor. n. negat ablui posse sine fide. Primũ ergo, Theophilactũ nego hoc dixisse: deinde constãter affirmo, Scholasticos hoc & nõ rectè, & parũ prudẽter statuisse: Deus. n. solꝰ est author, est distributor omnis gratiæ: vt eiꝰ collatio nullo modo adscribi debeat sacramẽtis.

Errat etiá prætereà in eo Inconstãtius, quòd putet nos cõmoueri authoritate Augustini, vt credamus, veteres in suis sacramẽtis idem olim habuisse, quod nos hodiè habemus in nostris. Vt enim id crederemus, inducti potius sumus verbis Pauli Apostoli. vti autem volui nus etiá testimonio Augustini, ne videremũr sensum ignotum & peregrinũ inuexisse in Ecclesiam. Quod autem nos subijcimus, cum veteres non comederint corpus Christi realiter, vt quod re ipsa nondũ natum fuerit, aut extiterit, idcircò ne nos quidẽ illud realiter comedere, cum idẽ habeamus in nostrò sacramento, quod illi olim habuerunt in suo, id Inconstantius insaniá esse clamitat. Sed quoniá effugere nõ potest, quin id certissima cõnexione cõsequatur, si vel Pauli sententiam, vel Augustini interpretationem velit recipere, idcircò conatur quanto maximo potest astu, & ea, qua solet, prolixitate, & implicatione verborũ Augustini interpretationẽ eneruare, atque diluere. Ait autẽ illum alio loco satis se ipsum exlicare, cum 45. tractatu in Ioannem ita scribat: *Significata sunt ergo omnia: nunquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabãtur, per quos eadẽ, quæ credimus, prophetata prænunciabãtur? Vtique credebant: sed illi vẽtura esse, nos venisse. Ideò autem sic ait, Eundẽ potũ spiritualẽ biberunt: sed spiritualem eundem: nam corporalẽ non eundem. Quid enim illi bibebant? Bibebant enim de spirituali sequenti petra, petra autem erat Christus. Videte ergo, fide manente, signa variata. Ibi petra, Christus, nobis Christus, quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno sacramento eiusdem Christi biberunt aquã profluentẽ de petra, nos quid bibamus, norunt fideles: Si speciem visibilem intendas, aliud est: si intelligibilẽ significationem, eundem potum spiritualẽ biberũt.* Ista profecto omnibꝰ modis pro nobis faciũt. Corporalis. n. cibus alius illorũ fuit, alius noster. Ibi Manna, hic panis: ibi aqua, hic vinum. Res autem significata, & fide percepta eadem illis fuit, eadem nobis, Christus videlicet, quemadmodũ Paulus docuit. Manifestissimè ergo liquet, etsi signa mutata sint, rẽ tamen manere eandẽ, & vnã. Ibi, inquit August. petra erat Christus, nobis id Christꝰ est, quod in altari ponitur, scilicet, panis & vinũ. Hęc. n. mysticè, seu sacramẽtaliter sunt nobis Christꝰ: sed nõ aliter, quá Manna, aut petra erat Christꝰ apud veteres Iudęos.

Verũ audiamus, quo Inconstãtius ista rapiat. Primũ ait *illos veteres habuisse communẽ nobiscũ eundem potũ propter vnitatẽ fidei.* Id quidem verũ est: & ex eo sequitur, illos, cum idem nobiscum crederent, eandẽ etiá habuisse nobisum cõmunem spiritualẽ alimoniam. Edere enim est credere, quemadmodũ ex ipso Augustino sæpe aliàs docuimus. Addit, *manẽte eadẽ fide, signa fuisse variata.* Hoc quoq; concedimus. Deinde expendit illam collationẽ, idque ad rem putat maximè facere: *Ibi petra Christus nobis autẽ Christus, quod in altari Dei ponitur.* Et negat, illis veteribus aliũ fuisse Christũ, quá nobis, aut quá nũc sit in cœlis: idq; optimo iure, & rectè negat. Nã & nos, & illi fide apprehendimus eundẽ & vnũ Christum: qui, quãuis nunc re ipsa agat in cœlis tamen illis in aqua profluente de petra, nobis autem in eo quod in altari ponitur, significatur. Illos ait pro magno sacramento bibisse aquá, quę scaturiret de petra. Alterá autẽ partẽ collationis callida hypotipoſi subticuit. Subiecit enim, Quid nos bibamus, norunt fideles. Fateor, Augustinũ non expressisse partẽ alterá collationis. Sed ea ex illis, quæ ante dicta fuerãt, potest facilè colligi. Fideles. n. non aliud bibũt in mysterijs, quã id, quod ponitur in mensa domini. Id autẽ, quod ad symbolũ attinet, vinũ est: accedẽte autẽ verbo, fit sacramentũ sanguinis Christi. Vt ergo illis aqua, ita nobis vinũ est sacramentũ Christi. Ita ex omni parte impletur ἀντανάδοσις huiꝰ collationis: quicquid sibi fingat, nugetur Incõstantius. Ambrosiꝰ quidẽ dixit, Sanguis è Christo: & Chrysost. Sánguis qui fluxit è latere: sed illi, nõ symbola, sed res ipsas significatas exprimere voluerũt. Neq; illi negãt, pios & fideles patres, fide & spiritu eadem omnia percepisse in suis sacramẽtis quæ nos in nostris: quãuis impij, & multò maxima parapopuli externis tantum symbolis pasti fuerint.

Posteà iste noster iactat, se velle quiddã explicare, quod Augustinus reticuerit. Ait enim vir prudens, & magnus rerum obseruator, *veteres, non petrã bibisse, sed de petra: videlicet, quòd illi gratiam ex petra profluentẽ biberint, non autem fontem ipsum omnis gratiæ. Eadẽ quidem,* inquit, *est aqua fontis, quæ profluit, & ea, quæ restat, sed vberiori, & pleniori haustu ebibitur totus fons, quàm aqua, quæ ex illo manat, hauritur: quantumuis ea abundè, & copiosè mauet. Christus est fons gratiæ inexhaustus, à quo in nos profluit omne bonum. Hic nobis in altari Dei adest totus à nobis manducandus, & bibendus: quia totus ibi adest sub visibilibus speciebus: sub quibus nobis in veritate datur, qui illis promittebatur. Nos non de petra bibimus profluentem aquam, sed ipsam aquam cum fonte in mysterio sumimus.* Primùm ostendã, hanc distinctionem Inconstantij plaṇè pugnare cum Paulo: deinde etiam cum Augustino, de quo nunc agitur, non conuenire. Nam Paulus quidẽ pro eadẽ re habet, Edere aliquid, & edere de aliquo. Sic enim scribit: *Quotiescunque ederitis hũc panem, & biberitis hunc calicem, mortem domini annũtiabitis, donec veniat.* Et statim subiũgit, *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Hic tam arguta Inconstãtij nostri distinctio ab Apostolo confunditur. Deinde idem Paulꝰ apertè scribit, illos omninò habuisse eundem cibum spiritualem, quem nos: non autem, vt iste somniat,

somniat, comedisse de eodem cibo. Eundē autem nobiscum cibum dico, quòd videam, Augustinū ita disertè sentire: cuius interpretationem iste noster dicit, se nolle repudiare: maluit videlicet, eam suis explicationibus adulterare. Adhæc Augustinus, vt iam suprà annotauimus, ita scribit: *Erant ibi, qui, quod manducabāt, intelligebāt: erant ibi quibus plus Christus in corde, quā Manna in ore sapiebat.* His verbis Augustinus nō obscure fatetur, Veteres quoq; comedisse Christum, & ita comedisse, vt illū habuerint in corde. Quare, si istam distinctionem non recipio, nihil habet Inconstantius, quod merito possit conqueri. multò autem min⁹ id recipio, quod addit, *corpus Christi totum adesse nobis sub speciebus visibilibus.* Id enim non tantùm cum scripturis pugnat, sed etiam cum veritate humanæ naturæ in Christo: deinde nec ab Augustino docetur, nec à Paulo. Hoc tamen concedo, & carnē, & sanguinem domini, & omnes fructus mortis Christi vberius nobis, & largius quàm illis veteribus communicari. Sed Inconstantius huiusmodi nobis illorum conditionem describit, quasi illi in suis mysterijs nō nisi externis symbolis, & inanibus vmbris pasti fuerint. Illos .n. etsi aliquā gratiā, nescio quā, & qualēcunq; spiritum perceperint, nō tamē nobiscū aut comedisse corpus Christi, aut bibisse eius sanguinē.

Ad Chrysostomi verò sententiam, quam iste sibi putauit suffragari, non est difficile respondere. *Animaduerte*, inquit, *Pauli sapientiam, quo pacto Christum vtrorumque largitorē ostendat.* Et hac in parte figuram iuxta veritatem adducit. *Quia enim illa illis præbuit*, inquit, *his etiam hāc præparauit mensam: & ipse idem & illos per mare, & te per Baptismum adduxit: & illis manna, & aquam, & tibi corpus & sanguinem tradidit. & illius muneris huiusmodi sunt.* Hæc Chrysostomus, *qui ab vno datore Christo*, inquit, *iste, eadem munera sentit, non tamen eodem modo data: quia illis manna, & aqua: nobis datur corpus, & sanguis.* Collatio ista Chrysostomi sic habet, vt suprà ānotauimus. Symbola enim veterum, non cum symbolis nostris cōfert, sed cum rebus ipsis. Cur autem ita Chrysostomus alijq; patres fecerint, suprà satis diximus, vt hic nihil sit repetendum.

Iam videam⁹, quid Augustin⁹ dicat in libro Quæstionum veteris, & noui Testamēti. Quæstione vicesima ita scribit, quemadmodum citatur etiam ab inconstantio: *Dixit Apostolus inter cætera, Petra autē erat Christus: vt quia Christi virtute aqua fluxit de petra, petra appellatus sit Christus: simili modo, & quia manna potestate eius venit de cælo, manna, id est Christus, panis dicatur: quòd tunc factū eius rei, quæ nunc in Ecclesia offertur figura fuisse existimetur.* Hic subijcit Inconstantius: *Quibus verbis Augustinus à virtute Christi wāna & aquam, quæ illis data sunt in cibum, & potum ab authore Christo æstimat, qui idem est author nobis: & hoc interesse censet, vt ibi sit figura eius quod nunc fit in Ecclesia. Et hic consentit Augustinus verbis Pauli, qui sic eòdem loco scripsit: omnia in figura contigisse illis: adeò non oportet vrgere verba Pauli, quatenus dicit, eundem esse potum, & eundem cibum: quasi & in modo, & in vbertate dandi sit veteribus & nobis cibus & potus idem.* Hic mihi fas esset, vt suprà admonui, libri huius authoritatem contemnere. Sed ea de re nihil pugno: nàm in istis verbis nihil video, quod meam sententiam labefactet. Hoc tamen obiter admonebo, manna, & petram sortita fuisse nomen Christi ex eo potius, quòd fuerint mysteria, & sacramenta Christi, quemadmodum verus Augustinus multis in locis docet, quàm quòd Christus fuerit illorum author, & ea potentia, & vi sua produxerit. Nam, si eam rationem vellimus sequi, quæuis alia creatura posset dici Christus: per illū enim facta sunt omnia: & omnia miracula, quæ vnquam edita sunt virtute Christi, possent censeri eius nomine. Quod autem dicitur, manna, & aquam figuras fuisse eius, quod nunc offertur in Ecclesia, non inficior. In Ecclesia enim, vti sæpè iam diximus, offertur corpus Christi, cum pro eo nostra causa acto in crucem aguntur gratiæ. Itaque nunc panis, & vinum figuræ sunt corporis & sanguinis Christi, quemadmodum suo tempore fuit manna, & aqua. Hoc etiam non inuitus dabo, sacramenta veterum aliquo modo fuisse nostrorum sacramentorum figuras: quod tamen Inconstantius aliàs omninò negauit. Mea autem ratio hæc est: quòd illa, cum fuerint obscura, si ad nostra, quæ clarissima, & illustrissima sunt, conferantur, non iniuria vmbræ, & figuræ dici possint: maximè verò, quòd illa Christi venturi signa fuerint, nostra autem iam passi, & dati.

Deinde Inconstantius deprauat, id, quod Paulus ait, *Omnia illis in figura contigerunt.* Non Paulus sensit, illos nihil habuisse præter inanes figuras, & vmbras: sed illorum supplicia, quæ commemorauerat, figuras esse & typos, & ostendentes quid Corinthijs quoque euenturū esset, nisi resipiscerēt. Nam alioqui apertissimè testatur, veteres in suis sacramentis idem omnino habuisse, quod nos in nostris. Quod autem iste addit, *verba Pauli non esse vrgenda ex ea parte, qua dixunt, eundem fuisse illorum cibum, & nostrum*, vehementer errat. In eo enim est robur argumenti, quo Paulus vsus est ad Corinthios reuocandos. Non tamen dicimus, aut modum eundem, aut eandē vbertatem fuisse sacramentorū veterum, & nostrorum. Nam quòd ad modum attinet, illorū sacramenta obscura erant, nostra perspicua & clara: nos alia habemus symbola, illi alia: illi de reb⁹ futuris admonebātur, nos de præteritis agimus gratias. Qui autem post aduentum Christi spiritum & gratiam in homines pios largius, & vberius effundi negat, nihil videt. Modus ergo, & vbertas, de quibus iste nobis litē mouet, nihil nos debet impedire.

Sed quoniam Inconstantius hoc Augustini testimonio tantopere delectatur, libet mihi quiddam ex eo recitare, quod ille tacere maluit. Nam in calce quæstionis vicesimæ, ille, quisquis est, ita scribit: *Adcomparationem temporū, & gratiarū Christiani Angeli dicti sunt: quorū pane, qui Christus est, satiati sunt Iudæi, quos homines dixit.* Tractat locū illum: *Panem Angelorum manducauit homo*: & per allegoriam ait, Christianos appellari Angelos: quorum panem videlicet Christum, Iudæi olim manducauerint, qui appellētur homines. Quare etiā iste Augustinus

testatur, Iudæos in deserto mãducasse Christũ, & ita manducasse vt illo fuerint satiati. Neq; ad hoc multũ Cyrillus variat cum eundẽ locũ tractat vti superiꝰ declaraui. Eat nũc Inconstãtius, & iacter, Iudęos tantũ bibisse de petra, nos verò haurire fontẽ ipsum: quasi Iudæi gratiã tantũ aliquã fluentẽ de Christo manducauerint, & biberint: nos autẽ recipiamus Christum ipsum.

Pergit iste & laqueũ sibi multò adhuc arctiorẽ nectit. Fingit enim, identitatẽ, vt sic loquar, cibi, & potus inter nos, & Iudęos in vita consistere. *Illis enim*, inquit, *vita erat à solo Christi spiritu: nobis autẽ est etiam à carne Christi in sacramẽto data:* quasi Iudęi habere potuerit vitã à spiritu Christi, nisi Christũ haberẽt ipsũ per fidẽ in cordibꝰ suis habitantẽ, & mente, atq; animo carnẽ eius pro se in crucẽ aliquãdo dandã complecterentur. Adhæc fatetur, *sacramenta veterũ eadẽ fuisse cũ nostris in signo remoto:* nimirũ, quòd illa quoque dirigant adeandẽ viam in cœlũ, & ad eandẽ rerum credendarũ veritatẽ, & ad eandẽ cœlestem vitam hic adipiscendã per gratiam, ibi verò per gloriam: quarũ rerũ Christus sit & author, & ductor, & dator. Illũ enim de se dicere: *Ego sum via, veritas, & vita. Qui licet nõ eodẽ modo semper duxerit, docuerit, dederit, eandem tamen vitam*, inquit, Inconstãtius, *veteres nobiscũ mãducasse, & bibisse, fatendum est.* Quid iste de signo remoto sibi fingat, non planè intelligo: neque id ad nostrũ institutũ ita multũ facere arbitror. Fortasis remotũ signũ intelligit æternã beatitudinẽ, & vitam, & gratiam: propinquũ autẽ signũ, corpus, & sanguinem domini. Quòd si ita est, vti auguror, omninò falsum est, quod ait, veteres exclusos fuisse à cibo & potu carnis & sãguinis Christi. Illi n. hęc quoq; potuerũt per fidẽ apprehendere. Sed, quoniã fatetur, veteres nobiscũ comedisse, ac bibisse eãdẽ vitã, omninò necesse est vt fateatur, illos comedisse etiã, & bibisse carnẽ & sanguinẽ dñi: vt sine quibus nemo vnquam adeptus sit aut adipisci potuerit æternã vitam.

Nec Iudæi antiquitus poterãt vitam ac Spiritum habere nisi per carnem Christi.

Postremò discrimina illa, quę nos in responsione posuimus inter veterũ sacramenta, & nostra, cum coarguere, aut refellere non posit, arrodit tamen, quantũ potest, & petita esse dicit à Scholasticis, & à nobis, tanquã similis Catholicorũ, nonnulla ex parte composita esse ad fallaciam imitatione loquendi. Primũ, intelligere debet, me illa discrimina ab Augustino accepisse, nõ à Scholasticis. Deinde quod ait *me commentũ esse ad fallaciam*, id proferre debuit, & confutare, quod vtiq; non fecit: non, opinor, quòd mihi parceret, sed quod nil haberet, quod adferret. Hoc solũ dicit, *me annotasse claritatẽ verborum Christi, cũ interim pro viribus ea conerer obscurare.* Verba illa domini, quę cõmemorantur in cœna, de eius corpore pro nobis tradẽdo in mortẽ, perspicua, & clara esse fateor: præsertim si conferãtur cũ doctrina, quã ãtiqui patres illa eadẽ de re habuerũt in vmbris. Neq; ego obscuro sermonẽ dñi: nisi quòd iste omnia obscura esse putat, vbi nõ lucet realis præsẽtia, & trãsubstantiatio.

Argumentum Gardineri.

CVM Christus promiserit, fidem Ecclesiæ non defuturum, cumq; ea sit sponsa Christi charissima, mirum est quomodò eam tam diu in tam graui errore, & horrenda idololatria deseruerit, neque ostenderit ei veritatem rei contra tantam impietatem: si ita sit, vt vos dicitis.

SOLVTIO.

NON ita mirarẽtur, si cogitarẽt, quid Christus dixerit de suo postremo aduentu. Putásne, inquit, cum venerit Filius hominis fidẽ inueniet super terram? Ostendit autẽ, tam graues fore errores, vt si fieri possit, etiam electi sint seducendi: quẽadmodum ante eius priorẽ aduentũ Scribæ, Pharisæi, Sacerdotes omnia corruperant suis traditionibus. Non tamen Ecclesia eo tempore prorsus deserta fuit in errore, Supererant enim aliquot viri boni, vt Simeon, Iohannes Baptista, Ioseph Anna, Maria. Ita factum est vltimis hisce temporibus: non enim vniuersa Ecclesia prorrsus fermentata est istis humanis traditionibus & erroribus.

GARDINERVS.

Agitur hoc argumẽto, quid fiat media diei luce: & hic Sectarius quærit occasum secũdo Christi aduentui proximũ.

MARTYR.

Inconstãtius, vt videatur mihi scitè, & argutè respondere, & probare solutionẽ meam longè esse à proposito alienã, cauillatur, me, cum quęratur de meridie ostẽdere, quid factũ sit in aurora, & quęrere, quid futurũ sit sub occasum solis: quasi fateri velit, sub initijs primitiuæ Ecclesiæ inter Iudęos omnia fuisse corruptissima: eaq; vltimis temporibus etiam inter Christianos fore quodãmodo desperata: dominũ enim prædicere, vix fidem superfuturã in terris. *Sed nos*, inquit, *de istis temporibus non quærimus: sed potius, quid agatur in meridie, hoc est, vt ego interpretor, in optima & perfectissima constitutione Ecclesiæ.* Cęterũ, cur huic non venit in mentẽ, quod Paulus scribit ad Thessalonicenses: Antichristũ, hominẽ illum peccati, iam tum cœpisse excercere mysteriũ iniquitatis suę: quodq; Ioãnes scribit, illud ipsum suũ tempus esse vltimã horam. Simeonẽ, Ioannẽ, Iosephũ, Annã, Mariã nõ eo cõsilio recensuimus, vt qualis Ecclesia fuerit in ipsis incunabulis, docerem, sed potius contrà, vt illis exemplis ostẽderemus, veterẽ illam Ecclesiam, quamuis esset corruptissima, tamẽ bonis, & pijs viris non prorsus fuisse destitutam.

Neque verò est, quòd Ecclesia queri possit, quod impiè sibi fingit Inconstantius, *multa iam secula elapsa esse, nec tamen adhuc Deum illuxisse populo suo, gloriam domini non esse adhuc exortam, lumen nondum esse visum, vmbram fugatam esse idolatriam, sed potius mutatam: vt miseri mortales in Ecclesia ad hanc vsque ætatem caluerint panem, & vinum, tanquam Bacchum, & Cererem,*

Cererem. Hæc, inquit, *tam absurda, & abhominãda Christum permittere, ac permisisse in Ecclesia non est credibile. Atque hinc ait argumenta suppeditari suis à voluntate Dei per signum.* Nihil causæ est, Inconstãti, cur Ecclesia ad hunc modũ queri debeat. Ea enim iam inde ab initio luculẽter instructa est de voluntate Dei ex sacris literis, vt satis armata esset & cõtra idololatriã, & contra vestras istas de transubstãtiatione atq; reali præsentia inanissimas fictiones. Exeodem fonte didicit, Christum agere iam in cœlo, & adhuc retinere veritatẽ humanæ naturæ, nec secundũ eam iam amplius versari in terris, aut omnino versaturũ esse, antequam redeat ad iudicandos, & viuos, & mortuos. Atq; ex eo intellexit, præsentiam sponsi sui in Eucharistia nullã esse, nisi spiritualem, eam, videlicet, quæ possit fide, atq; animo comprehendi. Nec veteres patres illam de istis dogmatis vnquam aliter instituerunt. Atq; ita diu bene, ac tolerabiliter habuit. Nam ferè vsque ad tempora Caroli Magni nec transubstantiationes, nec reales istæ præsentiæ, nec Missæ priuatæ, nec alia portẽta penè infinita in Ecclesiam inuecta sunt. Posteà verò dormiẽtibus ministris, quemadmodũ dominus ipse futurũ prædixit, venit inimicus homo, & superseminauit zizannia. Tum demũ impuræ istæ doctrinæ inualuerut: quæ nostris temporibus, quoniam A scripturis non possunt, ferro flãmaq; defendũtur. Non ergo commemoramus, quid factum sit à primordijs Ecclesiæ, & à temporibus Apostolorum, sed quid post multa secula corruptis ferè iam rebus omnibus infeliciter contigerit, quidque illud sit, quod hodiè miserabiliter premat, & affligat Ecclesiam, non sine summo animi nostri dolore narramus.

Eam autem sæpe, atque etiam penè dicam, semper fuisse conditionem Ecclesiæ, præsertim B iam declinantis, vt impij ferè vbique dominarentur, pij autem, & rectè sentientes malis omnibus afficerentur, facilè videre possumus ex sacra historia. Quis enim nescit, quid Hieremiæ, Esaiæ, plærisque omnibus Prophetis, Apostolis, & Christo ipsi acciderit. Nam de Athanasio, Chrysostomo, Ambrosio, deque pijs hominibus nostrorum temporum nihil attinet commemorare. Atque ea causa diximus, Ecclesiam nunquam prorsus totam potuisse fermentari, & corrumpi : quòd semper fuerint in ea C aliqui boni viri, etsi non ita multi, qui de Deo, & vera religione rectè senserint. Nosne verò, an isti assectę, & parasiti Paparum sine sale computruerimus, Christus ipse, vbi redierit ad iudicandum, publicè decernet. Interim nõ tanti faciemus, quicquid garriat

Inconstantius.

Argumentum Gardineri.

SI in Eucharistia non adsit veritas corporis Christi, sed tantùm significatio spiritualis nutrimenti, tum nihilo plus habebitur in sacramento, quàm in communibus cibis & conuiuijs. Nam ibi quoque fideles panis & vini significationẽ intelligũt: & sufficiet panis catechumenorũ: & ita peribit effectus, & dignitas Sacramentorũ.

SOLVTIO.

ETSI vulgaris panis præstare possit eandem significationem, tamen argumentum est infirmum. Nam in communibus cibis nec domini institutum est, nec sacramentum, nec verbum Dei, nec promissio talis, qualis est in Eucharistia. Ideoque hæc non sunt inter sese conferenda.

GARDINERVS.

SI nihil aliud est, quã panis, quod datur, quin intelligatur in pane sacramentũ, quoties mãducatur, nihil prohibet.

MARTYR.

PRimùm hoc mihi iste dicat, vtrum plus putet fuisse in sacrificijs veteris Testamenti, an in cęteris carnibus, quæ vendebantur in macello. Nam si plus fuit in illis, quid nobis mouet rixam de pane ac vino Eucharistiæ? At si E nihilo plus in illis fuit, quam in alijs carnibus, cur Deus huiusmodi oblationes quãdoque vocat Sancta sanctorum? & quare comminatur mortem illis, qui eas indignè comedissent? Dicat hoc mihi, nunquid putet amplius esse in aqua Baptismi, quàm in profano balneo. Si nihil est, cur Baptismus prohibetur iterari? Cur appellatur lauacrum Regenerationis? Si est quiddam in eo amplius, quàm in alijs aquis, desinat Sophista de pane & vino Eucharistiæ F calumniari.

Si quod datur, inquit, *nihil aliud est, quàm panis, nihil prohibet, quin in pane, quoties comeditur, intelligi possit sacramentum. Nam, si omnia in nomine domini facienda sunt, siue edimus, siue bibimus, verba aũt Christi cognita nobis, & cogitatione fixa retineamus, vbi nullum est sacerdotium, quod contendunt isti, altaria nulla, sed mensa ad edendum, & bibendum proposita, in qua nihil præterea agitur, nisi gratiarum actio, quid ni obtineat, quod Psalmista cecinit, Benedicamus domino in omni tempore? Et huic isti Sectario manducatio ita describitur, quasi dicas, meditari mente symbolũ cum Cantico Zachariæ. Quod autem hic loquitur de promissione, nulla est adiecta symbolis, si nihil aliud concionentur, quàm abesse carnem Christi, cuius manducationi addita est à Christo promissio. De auditu verborum, quem nunc exigit Sectarius, non erit, scilicet, difficultas. Recitabuntur per vices ab vno, & altero: & simul asseuerabitur fortiter, esse domini institutũ: quod istis est loco firmissimi argumẽti.* Nõ atramento, Inconstãti, sed veneno aterrimo tinxeras calamum, cum ista scriberes. Sed in eo indulge sanè tibi, quantum libet. Tamen ista, quæ tibi tantoperè placent, quibusque putas nos prorsus iugulari, nostram causam nihil attingunt. Multa enim obstãt, quò minus, quoties comedimus panẽ, eum habeam⁹ pro sacramẽto: eaq;,

teſtatur, Iudæos in deſerto mãducaſſe Chriſtũ, & ita manducaſſe vt illo fuerint ſatiati. Neq; ad hoc multũ Cyrillus variat cum eundẽ locũ tractat vti ſuperiꝰ declaraui. Eat nũc Inconſtãtius, & iacter, Iudæos tantũ bibiſſe de petra, nos verò haurire fontẽ ipſum: quaſi Iudæi gratiã tantũ aliquã fluentẽ de Chriſto manducauerint, & biberint: nos autẽ recipiamus Chriſtum ipſum.

Pergit iſte & laqueũ ſibi multò adhuc arctiorẽ nectit. Fingit enim, identitatẽ, vt ſic loquar, cibi, & potus inter nos, & Iudæos in vita conſiſtere. *Illis enim*, inquit, *vita erat à ſolo Chriſti ſpiritu: nobis autẽ eſt etiam à carne Chriſti in ſacramẽto data:* quaſi Iudæi habere potuerit vitã à ſpiritu Chriſti, niſi Chriſtũ haberẽt ipſũ per fidẽ in cordibꝰ ſuis habitantẽ, & mente, atq; animo carnẽ eius pro ſe in crucẽ aliquãdo dandã complecterentur. Adhæc fatetur, *ſacramenta veteri eadẽ fuiſſe cũ noſtris in ſigno remoto:* nimirũ, quòd illa quoque dirigant adeandẽ viam in cœlũ, & ad eandẽ rerum credendarũ veritatẽ, & ad eandẽ cœleſtem vitam hic adipiſcendã per gratiam, ibi verò per gloriam: quarũ rerũ Chriſtus ſit & author, & ductor, & dator. Illũ enim de ſe dicere: *Ego ſum via, veritas, & vita. Qui licet nõ eodẽ modo ſemper duxerit, docuerit, dederit, eandem tamen vitam.* inquit, Inconſtãtius, *veteres nobiſcũ mãducaſſe, & bibiſſe, fatendum eſt.* Quid iſte de ſigno remoto ſibi fingat, non planè intelligo: neque id ad noſtrũ inſtitutũ ita multũ facere arbitror. Fortaſsis remotũ ſignũ intelligit æternã beatitudinẽ, & vitam, & gratiam: propinquũ autẽ ſignũ, corpus, & ſanguinem domini. Quòd ſi ita eſt, vti auguror, omninò falſum eſt, quod ait, veteres exclaſos fuiſſe à cibo & potu carnis & ſãguinis Chriſti. Illi n. hęc quoq; potuerũt per fidẽ apprehendere. Sed, quoniã fatetur, veteres nobiſcũ comediſſe, ac bibiſſe eãdẽ vitã, omninò neceſſe eſt vt fateatur, illos comediſſe etiã, & bibiſſe carnẽ & ſanguinẽ dñi: vt ſine quibus nemo vnquam adeptus ſit aut adipiſci potuerit æternã vitam.

Nec Iudæi antiquitus poterãt vitam ac ſpiritum habere niſi per carnem Chriſti.

Poſtremò diſcrimina illa, quę nos in reſponſione poſuimus inter veterũ ſacramenta, & noſtra, cum coarguere, aut refellere non poſsit, arrodit tamen, quantũ poteſt, & petita eſſe dicit à Scholaſticis, & à nobis, tanquã ſimijs Catholicorũ, nonnulla ex parte compoſita eſſe ad fallaciam imitatione loquendi. Primũ, intelligere debet, me illa diſcrimina ab Auguſtino accepiſſe, nõ à Scholaſticis. Deinde quod ait *me commentũ eſſe ad fallaciam*, id proferre debuit, & conſutare, quod vtiq; non fecit: non, opinor, quò mihi parceret, ſed quod nil haberet, quod adferret. Hoc ſolũ dicit, *me annotaſſe claritatẽ verborum Chriſti, cũ interim pro viribus ea conerer obſcurare.* Verba illa domini, quę cõmemorantur in cœna, de eius corpore pro nobis tradẽdo in mortẽ, perſpicua, & clara eſſe fateor: præſertim ſi conferãtur cũ doctrina, quã ãtiqui patres illa eadẽ dere habuerũt in vmbris. Neq; ego obſcuro ſermonẽ dñi: niſi quòd iſte omnia obſcura eſſe putat, vbi nõ lucet realis præſẽtia, & trãſubſtantiatio.

Argumentum Gardineri.

CVM Chriſtus promiſerit, fidem Eccleſiæ non defuturum, cumq; ea ſit ſponſa Chriſti charißima, nirum eſt quomodò eam tam diu in tam graui errore, & horrenda idololatria deſeruerit, neque oſtenderit ei veritatem rei contra tantam impietatem: ſi ita ſit, vt vos dicitis.

SOLVTIO.

NON ita mirarẽtur, ſi cogitarẽt, quid Chriſtus dixerit de ſuo poſtremo aduentu. Putásne, inquit, cum venerit Filius hominis fidẽ inueniet ſuper terram? Oſtendit autẽ, tam graues fore errores, vt ſi fieri poſsit, etiam electi ſint ſeducendi: quẽadmodum ante eius priorẽ aduentũ Scribæ, Phariſæi, Sacerdotes omnia corruperant ſuis traditionibus. Non tamen Eccleſia eo tempore prorſus deſerta fuit in errore, Supererant enim aliquot viri boni, vt Simeon, Iohannes Baptiſta, Ioſeph Anna, Maria. Ita factum eſt vltimis hiſce temporibus: non enim vniuerſa Eccleſia prorſus fermentata eſt iſtis humanis traditionibus & erroribus.

GARDINERVS.

Agitur hoc argumẽto, quid fiat media diei luce: & hic Sectarius quærit occaſum ſecũdo Chriſti aduentui proximũ.

MARTYR.

Inconſtãtius, vt videatur mihi ſcitè, & argutè reſpondere, & probare ſolutionẽ meam longè eſſe à propoſito alienã, cauillatur, me, cum quęratur de meridie oſtẽdere, quid factũ ſit in aurora, & quęrere, quid futurũ ſit ſub occaſum ſolis: quaſi fateri velit, ſub initijs primitiuæ Eccleſiæ inter Iudæos omnia fuiſſe corruptiſsima: eaq; vltimis temporibus etiam inter Chriſtianos fore quodãmodo deſperata: dominũ enim prædicere, vix fidem ſuperfuturã in terris. *Sed nos*, inquit, *de iſtis temporibus non quærimus: ſed potius, quid agatur in meridie, hoc eſt, vt ego interpretor, in optima & perfectiſsima conſtitutione Eccleſiæ.* Cęterũ, cur huic non venit in mentẽ, quod Paulus ſcribit ad Theſſalonicenſes: Antichriſtũ, hominẽ illum peccati, iam tum cœpiſſe excercere myſteriũ iniquitatis ſuę: quodq; Ioãnes ſcribit, illud ipſum ſuũ tempus eſſe vltimã horam. Simeonẽ, Ioannẽ, Ioſephũ, Annã, Mariã nõ eo cõſilio recenſuimus, vt qualis Eccleſia fuerit in ipſis incunabulis, docerem, ſed potius contrà, vt illis exemplis oſtẽderemus, veterẽ illam Eccleſiam, quamuis eſſet corruptiſsima, tamẽ bonis, & pijs viris non prorſus fuiſſe deſtitutam.

Neque verò eſt, quòd Eccleſia queri poſsit, quod impiè ſibi fingit Inconſtantius, *multa iam ſecula elapſa eſſe, nec tamen adhuc Deum illuxiſſe populo ſuo, gloriam domini non eſſe adhuc exortam, lumen nondum eſſe viſum, nondum fugatam eſſe idololatriam, ſed potius mutatam: vt miſeri mortales in Eccleſia ad hanc vſque ætatem ſaluerint panem, & vinum, tanquam Bacchum, & Cererem,*

Cererem. Hæc, inquit, *tam absurda, & abhominãda Christum permittere, ac permisisse in Ecclesia non est credibile. Atque hinc ait argumenta suppeditari suis à voluntate Dei per signum.* Nihil causæ est, Inconstãti, cur Ecclesia ad hunc modũ queri debeat. Ea enim iam inde ab initio luculẽter instructa est de voluntate Dei ex sacris literis, vt satis armata esset & cõtra idololatriã, & contra vestras istas de transubstãtiatione atq; reali præsentia inanissimas fictiones. Exeodem fonte didicit, Christum agere iam in cœlo, & adhuc retinere veritatẽ humanæ naturæ, nec secundũ eam iam amplius versari in terris, aut omnino versaturũ esse, antequam redeat ad iudicandos, & viuos, & mortuos. Atq; ex eo intellexit, præsentiam sponsi sui in Eucharistia nullã esse, nisi spiritualem, eam, videlicet, quæ possit fide, atq; animo comprehendi. Nec veteres patres illam de istis dogmatis vnquam aliter instituerunt. Atq; ita diu bene, ac tolerabiliter habuit. Nam ferè vsque ad tempora Caroli Magni nec transubstantiationes, nec reales istæ præsentiæ, nec Missæ priuatæ, nec alia portẽta penè infinita in Ecclesiam inuecta sunt. Posteà verò dormiẽtibus ministris, quemadmodũ dominus ipse futurũ prædixit, venit inimicus homo, & superseminauit zizannia. Tum demũ impurę istæ doctrinę inualuerut: quæ nostris temporibus, quoniam A scripturis non possunt, ferro flãmaq; defendũtur. Non ergo commemoramus, quid factum sit à primordijs Ecclesiiæ, & à temporibus Apostolorum, sed quid post multa secula corruptis ferè iam rebus omnibus infeliciter contigerit, quidque illud sit, quod hodiè miserabiliter premat, & affligat Ecclesiam, non sine summo animi nostri dolore narramus.

Eam autem sæpe, atque etiam penè dicam, semper fuisse conditionem Ecclesię, præsertim B iam declinantis, vt impij ferè vbique dominarentur, pij autem, & rectè sentientes malis omnibus afficerentur, facilè videre possumus ex sacra historia. Quis enim nescit, quid Hieremiæ, Esaiæ, plærisque omnibus Prophetis, Apostolis, & Christo ipsi acciderit. Nam de Athanasio, Chrysostomo, Ambrosio, deque pijs hominibus nostrorum temporum nihil attinet commemorare. Atque ea causa diximus, Ecclesiam nunquam prorsus totam potuisse fermentari, & corrumpi: C quòd semper fuerint in ea aliqui boni viri, etsi non ita multi, qui de Deo, & vera religione rectè senserint. Nósne verò, an isti assecłę, & parasiti Paparum sine sale computruerimus, Christus ipse, vbi redierit ad iudicandum, publicè decernet. Interim nõ tanti faciemus, quicquid garriat

Inconstantius.

Argumentum Gardineri.

Si in Eucharistia non adsit veritas corporis Christi, sed tantùm significatio Spiritualis nutrimenti, tum nihilo plus habebitur in sacramento, quàm in communibus cibis & conuiuijs. Nam ibi quoque fideles panis & vini significationẽ intelligũt: & sufficiet panis cathechumenorũ: & ita peribit effectus, & dignitas Sacramentorũ.

SOLVTIO.

ETSI vulgaris panis præstare possit eandem significationem, tamen argumentum est infirmum. Nam in communibus cibis nec domini institutum est, nec sacramentum, nec verbum Dei, nec promissio talis, qualis est in Eucharistia. Ideoque hæc non sunt inter sese conferenda.

GARDINERVS.

SI nihil aliud est, quã panis, quod datur, quin intelligatur in pane sacramentũ, quoties mãducatur, nihil prohibet.

MARTYR.

PRimùm hoc mihi iste dicat, vtrum plus putet fuisse in sacrificijs veteris Testamenti, an in cęteris carnibus, quæ vendebantur in macello. Nam si plus fuit in illis, quid nobis mouet rixam de pane ac vino Eucharistiæ? At si E nihilo plus in illis fuit, quam in alijs carnibus, cur Deus huiusmodi oblationes quãdoque vocat Sancta sanctorum? & quare comminatur mortem illis, qui eas indignè comedissent? Dicat hoc mihi, nunquid putet amplius esse in aqua Baptismi, quàm in profano balneo. Si nihil est, cur Baptismus prohibetur iterari? Cur appellatur lauacrum Regenerationis? Si est quiddam in eo amplius, quàm in alijs aquis, desinat Sophista de pane & vino Eucharistiæ F calumniari.

Si quod datur, inquit, *nihil aliud est, quàm panis, nihil prohibet, quin in pane, quoties comeditur, intelligi possit sacramentum. Nam, si omnia in nomine domini facienda sunt, siue edimus, siue bibimus, verba aũt Christi cognita nobis, & cogitatione fixa retineamus, vbi nullum est sacerdotium, quod contendunt isti, altaria nulla, sed mensa ad edendum, & bibendum proposita, in qua nihil prætereà agitur, nisi gratiarum actio, quid ni obtineat, quod Psalmista cecinit, Benedicamus domino in omni tempore? Et huic isti Sectario manducatio ita describitur, quasi dicas, meditari mente symbolũ cum Cantico Zachariæ. Quod autem hic loquitur de promissione, nulla est adiecta symbolis, si nihil aliud concionentur, quàm abesse carnem Christi, cuius manducationi addita est à Christo promissio. De auditu verborum, quem nunc exigit Sectarius, non erit, scilicet, difficultas. Recitabuntur per vices ab vno, & altero: & simul asseuerabitur fortiter, esse domini institutũ: quod istis est loco firmissimi argumẽti.* Nõ atramento, Inconstãti, sed veneno aterrimo tinxeras calamum, cum ista scriberes. Sed in eo indulge sanè tibi, quantum libet. Tamen ista, quæ tibi tantoperè placent, quibusque putas nos prorsus iugulari, nostram causam nihil attingunt. Multa enim obstãt, quò minus, quoties comedimus panẽ, eum habeam⁹ pro sacramẽto: eaq;,

ne nescire posses, apertè & distinctè indicauim⁹. Nã vt habeatur sacra Cõmunio, necesse est, panem, non tantùm intelligi, sed etiam esse sacramentum, Siue edimus, siue bibimus, omnia facienda sunt in nomine domini. Itaq; concludis posse fieri, vt Christum semper, & in omni loco vera fide comedamus. Vtinam quidem, Inconstanti, vtinam id semper, à nobis, & verè fieret. Sed quoniam caro nostra infirma est, idcircò iussu, & instituto Dei habemus sacros cõuentus, vbi & verbo Dei, & ceremonijs Cœnæ dominicæ prouocemur, ad id vehementius & attentius faciendũ. Repetũtur etiam, & inculcantur verba Christi, quòd ea alioqui minus multò, quàm par esset, sensibus, & cogitationibus nostris infigantur.

Ecclesia nostra sacerdotio minimè destituitur, cũ Christũ sacerdotem habeat.

Deinde impudenter mentitur nullum nos habere sacerdotium. Quomodò enim essemus Christiani, si Christum sacerdotem non habemus? In illum autẽ solum ita collata est omnis dignitas sacerdotalis, vt illi iam nullus sacerdos aut possit, aut debat surrogari. Quod ergo ad Christum sacerdotem attinet, nos sacerdotio noui Testamenti non destituimur. Deinde in Ecclesijs nostris habemus concionatores, & ministros, & diaconos qui etsi nõ ita aut vncti, aut tonsi, aut rasi sint, vt merionos isti Papistici, nihilò tamen minus verbum Dei, & sacramenta, rectè atque ordine dispensant. sacerdotes quidem illos non appellamus, ne quid Christi vnico, atque æterno sacerdotio derogemus. Nec vsquam legimus in nouo Testamento, vel ipsos Apostolos vnquam dictos fuisse sacerdotes, vel eos, quos ordinarunt ministros in Ecclesijs, voluisse sacerdotes appellari. Hac in re si quid erramus, cur non redarguimur è verbo Dei?

Nostros ministros non appellamus sacerdotes.

Addit, *nos non habere altaria, sed mensas tantũ proponere ad comedendum ac bibendum.* Et quid obsecro, te opus est altari, vbi nec ignis ardeat nec victimæ cædantur? Ostende nobis vel ex verbis Christi, vel ex doctrina Apostolorum certum aliquod mandatum de excitandis altaribus, si velis nos in tuam sententiam descendere. Mensas potius habemus: quod videamus Christum non ad altare, sed ad mensam mysterium Eucharistiæ instituisse. Et Paulus capite 10. prioris epistolæ ad Corinthios, cum hac ipsa de re ageretur, non dixit vnquã Altare, sed Mensam domini. *Non potestis*, inquit, *mensæ domini participes esse, & mensæ demoniorũ.* Neq; illud verũ est, quod addit, nos ad hanc mensam nostram nihil aliud velle fieri, quàm vt edatur, & bibatur, & agãtur gratiæ. Præter enim hæc omnia, quemadmodum iussi sumus, celebramus memoriam mortis domini: adhibemus etiam preces, exortationes, confessiones peccatorũ, & eleemosynas. Sed hæc omnia præ suis Transubstantiationibus, vagis illis & realibus præsentijs, Inconstantius pro nihilo ducit & contemnit. Vnde autem aut audierit, aut suspicari potuerit, Edere, apud nos nihil aliud esse, quã animo ac mente meditari symbolum cum Cantico Zachariæ, equidem non possum diuinare.

Non habentur propriè altaria in ecclesia Christiana.

Edere quid.

A Nã, Edere, si ad symbola referatur, opus naturę esse dicim⁹, sin autẽ referatur ad carnẽ Christi, dicimus vnà cũ sãctis, & orthodoxis Patribus, edere, nihil aliud esse, quã credere. Fides autẽ illa nostra nihil aliud spectat in Eucharistia, quã corp⁹ Christi pro nobis oblatũ in cruce, & sanguinẽ eius pro nobis fusũ. Neq; ibi aut symbolo fidei, aut cãtico Zacharię opus magis putamus esse quam alijs sacrarũ scripturarũ locis, in quibus illa vel promissa vel exhibita leguntur.

B Prætereà etiam errat, quòd dicat, symbolis, postquam facta sunt sacramenta, & sumuntur cum vera fide, nullam additam esse promissionem, quis enim hoc non videat ad promissionem salutis nostræ facere, quod audimus, corpus Christi pro nobis fuisse traditum, & sanguinem eius pro nobis fusum? Et cum rectè, atque ordine ore corporis edimus, & bibimus externa symbola, mente, & spiritu edimus, & bibimus corpus & sanguinẽ Christi, cuius rei promissiones in 6. Iohannis amplissimè describũtur: nempè, nos in Christum mansuros esse, & Christũ vicissin in nobis: nos victuros esse, & salutariter resurrecturos. At istę, inquies, promissiones, nõ adiectæ sunt symbolis. Fateor, si ea seorsim à reb⁹ significatis & illarũ pceptione considerem⁹. In responsione autem proposita non ita accipiuntur. Ibi enim assignatur ratio, cur panis & vinum, cum eduntur, & bibuntur in sacra Cœna, non habenda sint pro communibus cibis. Illi enim non habent aliam spiritualem promissionem, nisi quòd sanctificentur per precationem, & verbum Dei.

Quæ promissiones ad hoc sacramẽtũ pertineãt.

Illud etiam luculentissimum est mendacium, quod ait, *symbola illa in sacra cœna nihil aliud nobis prædicare, quàm abesse carnem Christi.* Illa enim dicunt nobis testimoninm de morte domini: prædicantque, nos eius carne non minus pasci atque ali spiritualiter, quàm naturali ratione alimur & nutrimur pane ac vino: hortãturque, vt quemadmodum in pane multa grana miscentur, & coeunt in vnam massam, ita nos maneamus quamarctissimè coniuncti in Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi. An hoc tibi videtur esse, tantùm prædicare abesse carnem Christi.

Deinde verba, inquit, *illa domini, quæ audiri voluntin mysterijs, recitabuntur per vices modò ab vno, modò ab altero: atque hoc ipsum asseuerabitur, esse institutum domini.* Tu ista Inconstanti, tibi fortasse ipsi canis. Nos enim ab Apostolo Paulo longè aliter sumus instituti. Is enim in priori epistola ad Corinthios pulcherrimè distinxit sacram cœnam à priuatis & profanis conuiuijs. Monet enim, vt Christiani, cum velint Communicare, conueniant ad Ecclesiam, & ibi vnà cõedant & bibant, & sese mutuò expectẽt, quòd si seorsim, & priuatim velint comedere, id iam pronuntiat, non esse comedere Cœnam domini. *Domos* inquit, *habetis ad comedendum, & bibendum: & siquis esuriat, domi comedat.* Hic audis, quantũ intersit inter domesticas, & priuatas epulas, & pceptionẽ sacramẽti. Illę. n. priuatim fiũt: hæc in Ecclesia publicè celebratur. Quod autem

Eucharistia priuata.

autem pro ſua modeſtia ſcurriliter addit, verba domini modò ab vno, modò ab altero poſſe ſatis cõmodè recitari, id ad noſtrarum Eccleſiarum inſtituta nihil pertinet. Nos enim habemꝰ miniſtros: quorum de manibus, quemadmodũ Iuſtinus Martyr, & Tertullianus in primordijs Eccleſiæ factũ docent, ſacramẽta percipimus: & ſcimus, Paulum dicere 1. Corinth. 14. Deum non eſſe authorẽ confuſionis: eumq; monere, vt omnia ad ædificationẽ fiant, idq; εὐσχημόνως, & cum decoro. Quæ omnia quoniam & ſcimus, & in Eccleſijs noſtris quã poſſumꝰ proximè ſequimur, Inconſtantiũ cum ſuis iſtis priuatis, & domeſticis cœnitationibus patiemur faceſſere. Verbũ quidẽ domini, & ſacras literas priuatim in ædibus noſtris recitamus: & de ſalutaribus rebus libẽter inter nos colloquimur. Sed cum in illis menſis, nõ celebremus myſteria, ſed reficiamus, & curemus corpora, nolumus iſta inter ſe temerè, & ſine ratione confundere. Quod autẽ Inconſtãtius noſter ita effuſè ridet, verbũ domini ad priuatas mẽſas hominũ Chriſtianorum vel per vices aliquas recitari, vel ab omnibus vnà cani, vt fratres ſeſe mutuò prouocẽt ad pietatẽ, id Tertulliano in Apologetico non ita videbatur ridiculũ. Atq; vtinam illa ratio inter pios homines vbique ſeruaretur.

Quæritur adhæc, *nos cum iactemus promiſſiones additas inſtituto domini, & magni fieri velimus eius verba, veram eius corporis præſentiã denegare: quæ nõ tantũ conſtet & ex verbo ipſo domini, & ex ſenſu Eccleſiæ, ſed etiam ſola dignitatem addat ſacramẽto.* Niſi crederemus, promiſsionẽ additã eſſe inſtituto domini, ſacras ſcripturas reijceremus. Cum autẽ opus hoc omne ſit fidei, ea verò, quemadmodum Apoſtolus ait, conſtet ex auditu verbi Dei, cur vbi fides exuſcitanda ſit, adhiberi non debeat verbũ Dei, equidem adhuc non video. Aut quis vnquã ſomniauit, ſacramentum poſſe rectè, & legitimè adminiſtrari ſine verbo? Certè Auguſtinus docet, accedere oportere verbũ ad elementũ, vt fiat ſacramentũ. Nihil ergo nos alienum, aut abſurdum facimus, ſi in ſacris myſterijs ſonare, & audiri volumus verbũ Dei. Realem autem, & ſubſtantialem præſentiã corporis Chriſti negamus, quòd eã & veritas humani corporis, & ſcripturæ ipſæ negent: quodque ea, ſi reciperetur, dignitatẽ ſacramenti, nõ, vt tu dicis, ornaret, ſed quod res ipſa loquitur, abrogaret. Quæ enim dignitas conſtare poſſet illi ſacramento, in quo corpus domini ſpoliaretur ſua magnitudine? Aut quæ poſſet in eo eſſe veritas, vbi ſenſus ipſi deciperentur, & relictis tantum accidentibus, ſymbolorum natura prorſus de medio tolleretur.

Sed Theophylactus, inquis, ita ſcribit in verba illa Pauli, *Non dijudicans corpus domini: hoc eſt,* A inquit, *nil prius diſquirens, aut internoſcens præſentis myſterij magnitudinem. Nam ſi certiores eſſemus, quis nam & quantus ſit ille, qui nobis in conſpectu adiacet, nulla fermè rei alterius ope indigeremus: ſed ſolus ille & vigilantiam nobis, & diligentiam compararet. Hæc,* inquit, Inconſtantius, *Theophilactus habet: qui Chriſti præſentiam adeò in ſacramento veram eſſe perſuaſus eſt, vt illam ſolam ſatis eſſe putarit ad deterrendos nos, ne quid tanto myſterio indignum faciamus.* Sed conſiderare Inconſtantium oportuit, quã B nã ratione Chriſtus, talis, ac tãtus nobis conſtituatur in cõſpectu, interim dũ ſacra Cœna celebratur. Nam ſi de diuina natura loqui velit, illa quidẽ verè, ac propriè adeſt: at ſi de humana, etiã illa nobis ante oculos & in cõſpectu ꝓponitur, cũ à nobis vera, & ſincera fide comprehẽditur: cumque nobis & verbis, & ſymbolis, & externa illa manducatione in memoriam reuocatur: & ſublata in crucem, & ſaucia, & mortua egregia hypotypoſi quodammodò ante oculos C noſtros conſtituitur. Verùm Inconſtantius, quid nam illud ſit apud Theophylactum, Adiacere conſpectui noſtro, intelligere non poteſt, niſi Chriſtꝰ ſub accidẽtibus panis cõcludatur.

Quomodò Chriſtus in conſpectu nobis adiaceat, dum Cœna celebratur.

Ad extremum ita concludit, *Secundum iſtam doctrinam obtineri poteſt, vt panis omnis triticeus, omni loco, omni tempore ſignificet Chriſtum: quò frequentiorꝰ fiat ſignificatio Chriſti, & in vino largior, quatenùs pocula maiora exhauriantur: vt ita protinus conculcetur religio, & ipſa vilitate abeat in contemptum.* D Satis apparet, iſtum noſtrum cudiſſe nobis hoc argumentum, cum iam rediſſet feruens, & æſtuãs à poculis maioribus. An enim, quia Chriſtus, quòd ad corpus attinet, vt olim mortuus eſt, & ſepultus, non eſt re ipſa præſens in aquis Baptiſmi, idcircò quæuis aqua aut quæuis tinctio erit Baptiſmus? Non, opinor. Et tamen Paulus ait, Omnes, quicunque baptizantur, induere Chriſtum, & vnà cum illo mori, & ſepeliri in Baptiſmo. Imò etiam Chriſma illud veſtrum, cui tantum vultis tribui, quamuis in eo E nec Tranſubſtantiatio vlla ſit, nec realis Chriſti præſentia, tamen ſacramentum, idque maximum eſſe vultis. Neque tamen idcircò, opinor, vultis omne oleum, omni loco, omni tempore eſſe ſacramentum. Coniunctio etiam maris & fœminæ refert nobis coniunctionem Chriſti & Eccleſiæ: non tamen id facit quæuis coniunctio: nam alioqui ſtupra, & ſcortationes eſſent myſteria. Ridiculum ergo eſt, quod iſte F nobis ita petulãter obijcit, Omnẽ panẽ triticeũ ſignificare Chriſtũ. Quãuis .n. maximè ſignificet, nõ tamẽ idcircò erit ſacramẽtũ Euchariſtię. poſsẽ hic cõuitia cõuitijs, quibꝰ ille me pro ſuo cãdore cumulauit, reponere. Sed ego reprimo me: & hoc pótius cogito, quid me, & hãc cauſam deceat, quã quid ille meritò audire debeat.

Argumentum Gardineri.

Si tropicè accipiantur verba Chriſti, tum facilè fieri poteſt, vt multa præcepta ſubuertãtur. Abraham iuſſus circuncidere ſe, potuit dixiſſe, ſermo eſt figuratus: & huic mandato ſatis fecero, ſi cor meum circuncidero. item, cũ delectus ciborum mandabatur, dicere potuiſſent Iſraelitæ, exequutionem illius mandati poſſe conſtare morali obſeruatione, ſi ea peccata non perpetrarent, quæ immundis illis animalibus ſignificabantur. Et ſic nec Circunciſio, nec delectus ciborum locum habuiſſet.

SOLVTIO.

INFIRMA est ratio: nam litera ipsa, & circunstantiæ euincunt, sermonem non esse tropicum. Nam Circuncisioni determinatus est octauus dies, & additur, fœdus domini gestandũ esse in carne. In delectu autem ciborũ tam disertæ conditiones animalium mundorum, & immundorum describũtur, & huiusmodi purificationes præuaricantium, vt nullus relictus sit ambigendi locus.

GARDINERVS.

IMO firma est ratio: nec defuerunt, qui religionem nostram illis artibus adorirentur: nec deerit ingenium malitiæ, vt illum diem octauum, de quo loquitur Sectarius tropo aliquo expediant.

MARTYR.

ARgumentum, quod nos liquidò ostendimus infirmum esse, id Inconstantius cum suscipiat confirmandum, nullo nouo fulcro, aut firmamento corroborat. Tantùm id quod anteà posuerat, resumit, idque aliquãtò verbosius, & molestius explicat. Aqua illi, videlicet, hærebat: & quemadmodum se ex isto Labyrintho explicaret, viam nullã inueniebat. Ait, *non defuisse homines, qui istis artibus religionem nostram aliquando adorti fuerint*: & addit, *non defutura ingenia pari malitia, quæ diem octauũ, quem dominus Circuncisioni designauit, possint tropo aliquo expedire: vt Circũcisione dicant nouum sabbatismum significai: nimirum, vt in corde cessetur ab operibus carnis: cumq; Deus sit spiritus, non in carnis præcisione, sed in cordis inscriptione notari fœdus: idq; ibi gestandum esse, non in pellicula.* Si quis ita velit euertere, ac tollere historiam de Circuncisione, illi facilè occurremus, & primum quidem ei concedemus, hęc fuisse Circuncisionis mysteria quę commemorauit: & ad ista significata, maximè verò ad Christũ, illos, qui circuncidebantur, oportuisse spectare. Omnino autem circuncidi oportuisse membra genitalia, tum contextus ipse verborum, tum etiam historia ipsa, quæ scribitur in libro Geneseos necessariò probat. Constat .n. ex ipsa narratione rei gestæ, Abrahamum, non solum se ipsum circuncidisse, sed etiam Ismaelẽ, & vernas, & Ischacum. Constat etiam, Iosuam instituisse generalem Circuncisionẽ totius populi: & Zipporam præciso filij præputio Mosen virum suum liberasse à præsenti morte. Cõstat etiam, Iudæos ad hæc vsque tempora partẽ quandam virilis membri præcidere, eosque olim ea de causa dictos fuisse, Appellas, & Recutitos. Oportet sanè & stultum, & omnino cæcũ fuisse, qui sinere voluerit sibi in re tam perspicua fucum fieri.

Iam verò de cibis mundis & immundis nemo vnquam potuisset ita subtiliter philosophari, quin vt quiuis facilè intelligeret, illud præceptum eo tempore ad historiam, vtque dicũt, ad literam pertinuisse. Nam prophetæ sæpe & vehementer conquesti sunt, hoc ab impijs Hebręis non fuisse obseruatum. Ezechiel dicebat, A se nunquam quicquam immundum comedisse in omni vita sua: & idcircò grauabatur cibos suos coquere humano stercore. Daniel, & eius socij temperant sibi à cibis, qui ad illos deferebantur à mensa Regia: ne forte re aliqua immunda contaminarentur. In libris Machabęorum martyres quidam, & sancti viri subire maluerunt quæuis extrema supplicia, quam vt cõtra præscriptum Legis Dei attingerent suillam carnem. Et illud idem institutũ Iudæi nostro- B rum temporum ad hunc vsq; diem mordicus retinent. Paulus etiam ostendit, quãuis iamsimus ab illa obseruatione liberati per Christũ, tamen illa in primitiua Ecclesia non potuisse infirmis hominibus extorqueri. Et Petrus in sua visione deprecabatur, ne ad immundorum ciborum esum adigeretur. Aduersus tam euidentem, & tam perspicuam veritatem qui tandem fuci, quæ fraudes, quæ commenta possint obtinere? Sed Inconstantius trepidat, vbi nullus est timor: vbi verò fides nostra labefactatur & dogmatum veritas concutitur, & corrũpitur, ibi securè stertit. C

Fateor autem, rectè, ac prudenter annotatũ esse ab Augustino in libris de Doctrina Christiana, quod tamen Inconstantius noster tacet, in mandatis Dei non esse recedendum à proprio sensu verborum (addit Inconstantius, etiã in sacramẽtis: quod tamen in illo loco apud Augustinum non habetur) dũmodò nihil absur- D di contineatur in litera, quod sit à Fidei Regulis alienum. Nos verò eius Regulæ optimè meminimus: nec alia de causa Reales istas vestras præsentias, & Transubstantiationes repudiamus, quàm quòd ex illis multa absurda, & à vera fide aliena consequantur. Hoc tamen non omittam, Sophistam nostrum non ex simplicitate, aut incogitantia locum illum Augustini subticuisse, sed ex mera astutia, & vafritie. Sciebat enim, Augustinum eodem in libro, & penè E etiam eodem loco, docere, Manducare corpus Christi & eius sanguinem bibere, esse loquutiones figuratas. Hoc te, Lector, vt alia etiam eius generis multa, Inconstantius pro sua simplicitate celare voluit.

Argumentum Gardineri.

IN Prophetis, & in historijs tropi facilè possunt admitti: eò quòd Spiritus sanctus agat more hominũ, vt vehementius, & magis exprimat, quæ sunt dicenda. At in dogmatibus, & præceptis omnia sunt simpliciter accipienda.

SOLVTIO.

HAEC sententia nõn est vniuersalis. Nam quo ad præcepta, Christus ait, Cauete

te à fermento Phariſæorum: vbi apertè vtitur tropo. Et in ſeptimo capite Matthæi: Cauete vobis à falſis prophetis. Veniunt enim ad vos in veſtimentis ouium: intus autem ſunt rapaces lupi: in quo præcepto eſt figurata loquutio. Sunt etiam tropi interdum in Dogmatibus: Nam Paulus ait, Petra erat Chriſtus: &, Nos omnes ſumus vnus panis. Et alibi de Deo ipſo ſcribitur. Deus eſt ignis comburens.

GARDINERVS.

Quod hic adducit Sectarius, non infirmat vniuerſalitatem. Nam, Cauete à fermento Phariſæorum, non ſimpliciter dogmatis cauſa à Chriſto dicebatur, ſed vt ſuorum animos ab oſcitantia excitaret.

MARTYR.

REſpondet, noſtras iſtas inſtantias non efficere, quin Regula illa, quam ipſe nobis dedit in argumento propoſito, ſit generalis. Quod autem nos obijcimus, de fermento Phariſæorum, ait, Chriſtum id dogmatis cauſa non dixiſſe: ſed vt oſcitantes ſuorum animos excitaret. Equidem hoc ſatis video, & ſcio, Chriſtum voluiſſe Diſcipulos ſuos attentos reddere, eoſque monuiſſe, vt cauerent. Tu verò parũ attentus eras, Inconſtanti, cũ putares, nos hoc exemplum pro dogmate propoſuiſſe. Diſertis enim verbis præceptum illud eſſe, non dogma diximus: & in reſponſione oſtendimus, etiam in præceptis poſſe inueniri tropos. Quàm autem verè dicat, *id, quod à Chriſto ſpeciali ratione factum ſit, non poſſe id quod generale ſit, infirmare*, nondum intelligo. Nam cum verba illa Chriſti contineant præceptum, & in illis ipſis verbis ſit tropus, quomodo conſtabit vniuerſalitas iſtius nouæ Regulæ, in præceptis non eſſe admittendos tropos?

Deinde quod à nobis ſecundo loco adductum eſt, Cauete vobis à falſis prophetis, *fatetur præceptum eſſe ſimpliciſſimis, & apertiſſimis verbis prolatum. Id autem, quod ſequitur, de veſtimentis ouium, ait, ad notam diſcernendi, non ad præceptum pertinere.* Imò, Inconſtanti, ea videtur fuiſſe præcepti cauſa. Cur enim mandat, vt caueant, niſi quòd diligenti cautione ſit opus, in tanta præſertim impoſtorum aſtutia? Illi enim, cum ſint crudeles, feri, ſanguinarij, tamen videri volunt clementes, manſueti, ſimplices. Neque verò nos hoc loco quærimus, tropus ille, quem indicamus, cauſãne, an potiùs nota ſit. Satis habemus, ſi hoc ſit conſtitutum, tropum inueniri poſſe in præceptis domini.

Iam, ſi quis plura etiam loca audire velit, an non id quoque facit ad præceptum, quod Paulus ait, *Ne contriſtetis ſpiritum ſanctum?* Aut quod Chriſtus monet, ne ſimus ſolliciti de poſtero tempore: ſufficere enim ſuam diei malitiam: & craſtinum ſollicitum fore de ſe ipſo? In iſtis verbis nónne eſt manifeſtus tropus? Poſſem huc alia permulta cumulare, ſi liberet: ſunt enim in ſcripturis loca plurima. Memini verò & quidem rectè, Dialecticos hoc docere, propoſitionem vniuerſalem falſam eſſe, ſi eius aliquæ particulares ſint falſæ.

In ſacramentis autem inueniri tropos, ſatis ex eo ipſo docuimus, quod Paulus dicit, *Petra* A *erat Chriſtus. Sed ibi Inconſtantius negat eſſe tropum. Paulum enim loqui de Petra ſequente: ſenſibilem autem petram non ſequutam eſſe, ſed Petram Chriſtum.* Et addit, *illa verba non continere dogma noſtræ Eccleſiæ: ſed docere, quid Veteribus contigerit in figura.* Sed Inconſtantium meminiſſe oportuit, Paulum illam Petram ſenſibilem appellare ſequentem, quòd obſequuta fuerit neceſsitati ſitientiũ: cui ſententiæ Græca vox, ἀκολουθοῦσα, nihil repugnat. Quòd ſi hoc non placet, poſſumus idẽ B interpretari de ipſo Chriſto, qui Iſraelitas continuè ſequutus ſit per deſertum. Ipſum autem Chriſtum appellari Petram, non eſt rarum aut inuſitatum in ſacris literis. Nam Eſaias eum appellat lapidem offenſionis, & petram ſcandali. Et Dauid de Chriſto diſertè canit: *Lapis quem reprobarunt ædificantes, is factus eſt caput anguli.* Et Paulus, *Ipſo*, inquit, *ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto.* Et Daniel, Chriſtum appellat lapidem præciſum ſine manibus. Denique dominus ipſe Io- C hannis filium Simonem à ſe ipſo appellauit Petrum. Chriſtum autem appellari Petram, videat Inconſtantius, quàm rectè conueniat ſine tropo. Et ſi mihi fidem non habet, Auguſtino ſaltem credat, qui in libro Quæſtionum ſuper Leuiticum q. 57. ita ſcribit: *Solet autem res quæ ſignificat, eius rei nomine quam ſignificat nuncupari: ſicut ſcriptum eſt, Septem ſpicæ ſeptem anni ſunt, & multa huiuſmodi: hinc eſt quod dictum eſt, Petra erat Chriſtus. Non enim dixit, Petra ſignificat Chriſtum, ſed* D *tanquam hoc eſſet, quod vtique per ſubſtantiam nõ hoc erat, ſed per ſignificationem.* Audiſne tropum eſſe, cum Petra dicitur Chriſtus, Auguſtini iudicio: & eum tropum, qui à nobis docetur, nimirum vt petra Chriſtum ſignificauerit?

Petram verò illam cum aqua, quæ ab ea fluxerat, apud veteres fuiſſe Sacramentum, negari non poteſt: & præſertim, cum Paulus Manna, & aquam illam è petra conferat cum noſtro Baptiſmo. Nam Baptiſmũ Sacramentum eſſe, E nemo vnquam hactenus dubitauit. Neque verò refert, veteriſne, an nouæ Eccleſiæ illa petra fuerit Sacramentum: modò Sacramentum fuiſſe conſtet.

Sed quid tandem ad illud reſpondebit Incõſtantius, quod Paulus dicit: *Vnus panis multi ſumus?* Illa, inquit, *verba ſignificant arcanum myſterij, quod nullis alijs verbis poſſit explicari. Nam cum dicimur corpus Chriſti, tropus eſt neceſſarius: quemadmodum in prophanis dicuntur gemmare vites: quia propri*

um verbum deest. Et vulgò notatur, plura esse negotia, quàm vocabula. Hic iste, quantum video, cogitur dare manus, & fateri, in dogmatis, & in Sacramentis esse aliquando tropos. Nihil autem eius causam leuat inopia vocabulorum. Nam nos quoque illam agnoscimus: & cum efficax illa significatio in hoc Sacramẽto nõ possit exprimi verbo alio proprio, idcircò dicimus, Christum vti voluisse verbo substantiuo: ne ibi leuem aliquam, aut vulgarem significationem esse suspicaremur. Errat enim iste noster, cum dicit, non defuisse Christo alia verba propria, si figuram significare voluisset. Etsi enim erant vocabula, quibus communis figura posset indicari, tamen nullum fuit, quo hoc genus significationis, & figuræ posset ostendere. Atque idcircò Sacramentum sui corporis appellauit corpus suum. Circumcisio etiam dicta est fœdus: Agnus dictus est Pesach, aut transitus: & dominus de Iohãne, Ipse, inquit, est Elias: &, ne ab instituto discedamus, Paulus, & Lucas appellant calicem nouum Testamentum. Confectum ergo est, non tantum præcepta, sed etiam dogmata, & Sacramenta recipere interdum loquutiones tropicas.,

Cur Christ⁹ vsus sit verbo substãtiuo Est, potius quam verbo Significat.

A Quod autem nos in responsione obiecimus Deum appellari ignem vrentem, id Inconstantius respondet, *ad diuinam naturam pertinere, de qua nemo loqui possit sine tropo. Sed in cœna*, inquit, *Christus de humana sua natura loquebatur: quare cum diceret, Hoc est corpus meum, verbis vsus est proprijs.* Ista distincto primum ad rem nihil facit: deinde, ne vera quidem est. Christus enim naturam suam humanam appellauit granum frumenti: & eandem in sexto Iohannis appellauit Panem,
B Quare, quemadmodum iam diximus, & dogmata, & Sacramenta, & præcepta efferri possunt oratione tropica. Vniuersalis ergo illa propositio Inconstantij nostri, qua ita confidenter in vniuersum statuit, in præceptis, in dogmatis, & in Sacramentis nihil loci esse tropis, satis iam opinor est refutata. Quanquam ne illud quidem verum est, quòd ait, Christum cum diceret, *Hoc est corpus meum*, proprie, ac præcisè loquutũ esse de natura humana. Agebat enim tũ
C de Sacramento sui corporis: in quo plenè, & pro rei ipsius dignitate explicando, proprium atque aptum vocabulum non habebat.

FINIS Loci tertij.

LOCVS QVARTVS EIVSDEM LIBRI, IN ORDINE PRAECEDENTIVM DECIMVS.

In quo Sententiæ ac dicta Sanctorum Patrum excutiuntur.

Argumentum Gardineri ex Epistola 2. Clementis.

TRIBVS Gradibus commissa sunt Sacramenta diuinorum secretorum: id est, presbytero, diacono, & ministro: qui cum timore & tremore clericorum reliquias fragmentorum corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inueniatur: ne, cùm negligenter agatur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis Domini nostri Iesu Christi, si negligenter erogetur, & presbyter minora non curet admonere officia, graui anathemate, & digna humiliationis plaga feriatur. Certè tanta in altario holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quòd si remanserint, in crastinum non reseruentur, sed cum timore & tremore clericorum diligenter consumantur. Qui autem residua corporis domini, quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes cibos accipiendos conueniant: ne putent sanctæ portioni commisceri cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur.

SOLVTIO.

PRIMVM dicimus, hanc epistolam non esse Clementis, sed confictam à Papistis, & mundo obtrusam nomine Clementis. Deinde, etsi concederemus, eam esse Clementis, tamen illorum errori aduersatur in tribus rebus. Primùm, quòd hic panis in Sacramento vocatur corpus domini: & reliquiæ, seu fragmenta panis, vocantur reliquiæ & fragmenta corporis domini: quod non potest intelligi, nisi figuratè

guratè. Deinde ait, Panem non debere reseruari: quod tamen vbique fit à Papistis. Postremò, ait, Sacerdotes non oportere solos sumere Sacramentum, sed vnà cum populo. Annotandum autem est non esse irreuerenter accedendum ad cibū mensæ Dominicæ, vt ad cęteros communes cibos: sed cum timore, & tremore, ne accedamus indignè ad sanctam mensam: in qua Christus ipse non solum repræsentatur, sed etiam verè nobis datur.

GARDINERVS.

ISTA calumnia est facillima, verbo, velut fictitium reijcere, quod aduersetur. Sed est ex istis, qui belle excogitauit, non esse hanc epistolam Clementis primi, sed cuiusdam Clementis tertij, qui post Gratianum, quo authore hanc epistolam editam habemus, annos fermè sexaginta fuit: scilicet, vt quod est in Prouerbijs, Antequam capra pareret, hœdus luderet in tectis.

MARTYR.

MVltę sunt causę, eęque etiá iustissimę, cur istas epistolas dicamus esse suppositicias: quas istius improbitas, & importunitas cogit quodámodo cōmemorare. Ait enim, *nos istarum epistolarum autoritatem reijcere, quasi nihil pensi habeamus, quid dicamus, modo dicamus aliquid, quod à veritate dissentiat.* Primū ergo dicimus, stylum ipsum illarum epistolarum nulla ex parte redolere grauitatem Apostolicam illorum temporum. Deinde addo, tractari in illis futilia quędam & inania, & minimè illis temporibus conuenientia: quæ, qui naribus sunt non omninò obtusis, ex prima statim lectione facilè poterūt subodorari. Adhæc nemo ex veteribus Patribus has epistolas vnquam citauit: Atqui id fecissent, si tum istæ epistolæ extitissent: præsertim cum nescire nō possent, Clementem fuisse discipulum Petri, & apud illum summo fuisse loco: addo etiam, cum multæ graues controuersiæ harum authoritate epistolarum, & vnius nomine Clementis facilè potuissent tolli. Itinerarium Clementis, antiquum admodum scriptum, à Gelasio numeratur inter apocrypha: de istis autem Epistolis prorsus nulla fit ab eo mentio. Quodque à Papistis omnibus diligenter, & in primis caueri debet, si has epistolas recipiant, necesse omnino erit, vt primatum Papæ suo derogent, illumque titulum ad Episcopum Hierosolymitanum transferant. Iste enim Clemens primam epistolam suam ad Iacobum sic inscribit: *Clemens Iacobo fratri domini, & Episcopo episcoporum, regenti Hebræorum sanctam Ecclesiam Hierosolymis, sed & omnes Ecclesias Dei, quæ vbique Dei prouidentia fundatæ sunt.* Quid, an Clemens ipse, cum esset Romanus Episcopus, iuxta Papistarum sententiam, non erat Episcopus episcoporum? An ille non regebat omnes Ecclesias, quæ vbique erāt per totum orbem terrarū? Ergo Papatum voluit Roma transferri Hierosolymam? Nam certè, cum ista scriberet, Petrus iam erat mortuus. Sed nugæ istę sunt, inquies: Fateor. Cur ergo, cum istas nugas prodo, & haberi volo pro nugis, ita seriò, & acerbè condemnor? Additur in eadem epistola sub persona Petri: *Non iudicem, aut cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus: ne præfocatus præsentibus hominum curis non possis verbo Dei vacare, & secūdum veritatis regulam secernere bonos à malis.* Et mox, *Tibi impietatis crimen est, neglectis verbi Dei studijs, sollicitudines suscipere seculares.* Et mox, *Si enim mūdialibus curis fueris occupatus, & te ipsum decipies, & eos, qui te audiunt.* Bona ista quidem, & salutaria monita sunt, fateor: & ad Episcopos verè pertinent. Sed quid si eadem ista occinamus Antichristo Romano, & Cardinalibus, qui toti sunt in Laicis tribunalibus, in administranda re ciuili, in incendendis & gerendis bellis, in tuenda sua tyrannide? Quid si eadem obijciam Gardinero meo, qui relicto munere Apostolico, & administratione verbi Dei, perpetuò, & totus est in aula, & iam agit summum Angliæ Cancellarium? Fortasse respondebunt, Epistolas istas Clementis tantum esse vincula voluntaria: se illis nō teneri, nisi quantum ipsi velint. Cur ergo me solum illis ita miserè astringi volunt, vt si quid laxare velim, statim sim hæreticus? An quod non sim nec Papa, nec Cardinalis, nec Vintonienſis Episcopus? Et tamen illos Clementem istum suum in primis oportuit colere. Is enim in istis Epistolis diligenter cauit, ne possent à laicis hominibus accusari: & omnino decernit, omnes laicos oportere Episcopis esse subditos. Adhæc Episcopos esse claues cœli, illosque habere potestatem, & aperiendi, & claudendi cœlum, quòd claues cœli facti sint: illos autem à nemine oportere admoneri, quòd sint oculi domini: quodque qui eos tangat, tangat pupillam oculi eius: vt necesse sit, Paulum grauiter peccasse, qui Petrum reprehēderit: & Irenæum, qui ita liberè monuerit Victorem, ne Episcopos Asiaticos excommunicaret: & Episcopos Aphricanos, qui monuerint Episcopū Romanum, ne suos, qui vltra mare, ad Apostolicam sedem appellassent, reciperet. Imò, quod longè etiam est absurdius, monet in illa epistola Reges, & orbis monarchas, quos constat illis temporibus fuisse infideles, & hostes nominis Christiani: aitq;, omnes Principes terræ oportere obedire, & capita sua summittere Episcopis. Sed quid ago? Prolixum esset: tres illas epistolas penitus excutere. Ego tibi, Lector, gustum tantum dare volui: tu cætera per te ipsum expendito. Quanquam ex istis ipsis facilè po-

am,& ſpiritum,& alia dona cœleſtia attinet,ſed etiam quòd ad naturam ipſam Chriſti humanam. Cum enim vera et ſincera fide complectimur corpus ipſum & ſanguinem domini, vt verum precium redemptionis noſtræ, ea in animum,ſpiritum, & mentem noſtram ſpiritualiter,& verè recipimus. Dicimus autẽ, ea ibi maximè nobis dari,quòd ea verbis illis,quæ audimus,& ſymbolis illis,quæ percipimus,efficaciter ſignificentur. Atque hoc illud eſt, quod Cyrillus ait, *Chriſtum ſe nobis per myſticam benedictionem communicare, & ibi nos ſanctificare carne ſua, quos antea in Baptiſmo ſpiritu ſuo ſanctificauerat*. Nã ſpiritus ſanctus in ſacra Cœna per hæc ſymbola excitat in nobis fidem: per quam & nos apprehendamus Chriſtum, & ille viciſsim nobis ſe communicet. Sanctificari autem dicimur illius carne, quod illã ſpiritualiter comedamus, cũ in eius morte,ac ſanguine omnẽ noſtram fiduciam collocamus. Quod ſi Cyrillus hoc loco cum carnem diceret, ſubſtantiam iſtam noſtrã corpoream præciſè,ab anima ſeu ſpiritu noſtro ſeorſim intellexit,hanc eius diſtributionem nõ recipio. Neque enim corpus noſtrum tantùm ſanctificatur in cœna, aut ſpiritus ſolus in Baptiſmo. Nam in communione quoque nõ tantum corpore inſtauramur, ſed etiam ſpiritu. Paulus enim ad Corinthios ait, nos potari eodem ſpiritu,quemadmodum eodem ſpiritu ſumus Baptizati.

Sed Sophiſta illud etiam vrget ex Epiſtola Clementis, quòd ille iſta appellat Sacramenta diuinorum Secretorum. *Non ſola*, inquit, *ſignificatio nihil habet ſecreti*. Quid tu ais, Inconſtanti? Annón videntur tibi ſacrę literæ continere arcana ſecretorum Dei? Et quo tandem,queſo, modo ea continent? Annón quod ea ſignificẽt, & exprimãt? Mitto verò id quod centies diximus, nos in ſacris myſterijs nudam & ſimplicẽ ſignificationem, quod iſte calumniatur, non cõſtituere. Negligentiam in tractando hoc Sacramẽto graui Dei vindicta feriri nõ dubito. Scio enim etiam in veteri Teſtamento Nadab, & Abiu, quòd non legitimẽ adminiſtraſſent ſacra, & Ozam, quòd temerè acceſsiſſet ad arcam domini, à domino fuiſſe extinctos. Quomodo autem accipiendum ſit quod ſymbola appellat corpus domini,& holocauſta, iam ſuprà docuimus pluribus.

Ad extremum autem colligit, *Clementem ſuum confirmare, etiam peracta communione, perfectum, atque integrum Sacramentum remanere, quòd iubeat eius reliquias tanta veneratione conſumi*. Verùm, vt ſolet, longè fallitur. Hoc enim non Clemens dicit, ſed Inconſtantius ipſe ſibi fingit. Quomodo enim veriſimile eſt, Veteres voluiſſe comburere Sacramentum, ſi id putaſſent eſſe integrũ? Hoc tamen Heſychius de reliquijs Euchariſtiæ factum teſtatur. Et certè non eſt credibile, inſtitutum domini durare, cũ id non agatur, quod ille præceperit. Atqui Chriſtus dixit: *Accipite, edite: Accipite, bibite*. Vbi ergo nec editur, nec bibitur, ibi externa ſymbola nec ſunt, nec dici vllo modo poſſunt corpꝰ & ſanguis domini. Ita nec aqua, in qua nemo tingatur ex præſcripto Chriſti, vllo modo poteſt appellari Baptiſmus.

Argumentum Gardineri ex Ignatio ad Epheſios.

FESTINATE ergo frequenter accedere ad Euchariſtiam, & gloriam Dei. Quando enim aſſiduè hoc agitur expelluntur poteſtates ſatanæ, qui actus ſuos vertit in ſagittas ignitas ad peccatũ. Et ad Romanos, Non comedam eſcam corruptionis: neque voluptatem huius mundi deſidero. Panem Dei volo, panem cœleſtem, panem vitæ, qui eſt caro Chriſti Filij Dei veri: & potum volo ſanguinis eius, qui eſt dilectio incorruptibilis, & vita æterna.

SOLVTIO.

PRIMA ſententia nihil facit pro opinione Papiſtarum: ſed tantum vetſatur in commendatione ſacræ Communionis,& exhortatione ad eam: & certè ea à nemine ſatis pro dignitate commendari poteſt, ſi bene & ritè vſurpetur. Altera ſententia loquitur tantum de ſpirituali manducatione per fidem.

GARDINERVS.

IMO quod Cyprianus in hoc Sacramento annotauit, ab effectu videlicet æſtimari cauſam: ſi hæc prima Ignatij ſententia conſideretur, inde nobis conſtare faciet.

MARTYR.

ETſi nos quoque cauſam ab effectu æſtimãdam eſſe confitemur, quemadmodum Cyprianus docuit, tamẽ ex eo nõ ſequitur, etiã ſi cõſtaret poteſtatẽ ſatanæ expelli ab hominib. vſu ipſo Euchariſtiæ, idcircò neceſſariò concludi corporis domini realem & ſubſtantialem præſentiam. Idem enim ſequeretur etiam de Baptiſmo: nam eius quoque vi patres ſæpe, dicunt exufflari à nobis poteſtatem ſatanæ. Et Chriſtus ait, eſſe quoddam genus dæmoniorũ, quod

quod eijci nõ posit, nisi in oratione & ieiunio. Quis autem sanus idcirco concludat ex hoc effectu, in ieiunio, & oratione nostra esse præsentiam carnis Christi? Hic etiam obiter admoneo Lectorem, veram causam vel salutis nostræ, vel electionis satanæ non esse tribuendam aut Sacramentis, aut verbo externo, nisi quatenus ea instrumenta sunt, quibus in nobis per spiritum sanctum excitetur fides, qua possimus & Christum ipsum, et eius omnia dona & promissa apprehendere.

Cur nonnunquam magna effecta quandoque tribuantur Sacramentis.

Appellat quidem Ignatius Eucharistiam gloriam Dei, idque, mea sententia, rectè: non tantum, quod ea significet Christum, qui est gloria Dei, & regnat in gloria patris: verũ ẽt, quod ibi gratiæ agantur Deo de summo illo, & singulari beneficio Redemptionis nostræ. Nam ex eo ipso Eucharistia nomen habet. Actio autẽ grãtiarum est gloria Dei: in ea enim magnificatur, & celebratur eius nomen. Friuolum ergo est, quod iste objicit, Eucharistiam non posse dici gloriam Dei, nisi in ea adsit præsens corpus Christi, præsertim cum Deus in Propheta dicat, Gloriam meam alteri non dabo. Oblitus fortasse erat, cum ista scriberet, arcam fœderis, cum esset tantùm res creata, ex ligno & auro fabrefacta, tamen in scripturis non semel appellari gloriam Dei. Et fortasse inconsiderantius legit illud apud Paulum, Euangelium esse potentiam Dei. Nam quid, obsecro, aliud est Eucharistia, quàm visibile verbum Euangelij? Iam si Eucharistia rectè dici potest Dei potentia, cur non etiam eodem iure dici potest Dei gloria?

Secunda, inquit, *sententia Ignatij loquitur apertissimè de Sacramento. Quia dicit, Panem Dei desidero: volo panem cœlestem, panem vitæ: qui est caro Christi.* Omnino autem negat, ista verba trahi posse ad spiritualem manducationem: quod nos in Solutione posuimus. *Quoniam*, inquit, *ea sola meditatione peragitur: cumq; nihil externum exigat, causa nõ est, cur ab Ignatio dicatur, Desidero, & Volo. Nam quatenus desiderat, & vult, fide iam habet, & charitate Christi spiritũ, quo Christo coniungitur habitudine virtutum: quæ est manducatio spiritualis.* Miram verò subtilitatem: ego tamen pro mea hebetudine non video, quid obstet, cum spiritualiter comedamus carnem Christi, quo minus possimus eam interim & velle & desiderare. *At iam habemus*, inquit, *quomodo velle, aut desiderare possumus, quo iam potimur?* Habemus quidem, Inconstanti: sed nondum plenè fruimur. Et periculum est, ne ab eo ipso, quod habemus, abstrahamur: & certè sæpè abstrahimur. Volumus ergo & desideramus, vt quod datur, id nobis prolixè, & largiter, & quotidie detur. Semper nomen Dei sanctificatur: semper fit voluntas Dei: semper aduenit Regnum Dei: semper datur nobis panis quotidianus: semper peccata nobis per Christum condonantur. Nihilo tamen minus semper desideramus & cupimus & petimus, vt ista fiant.

Quod habemus sed non plenè, adhuc possumus desiderare.

Sed manducatio spiritualis, inquit, *meditatione sola peragitur, neque quicquam exigit externum.* Imò verò propter infirmitatem nostram spiritualis illa & interna manducatio, etsi animo solo, & spiritu perficiatur, permultum tamen iuuatur externo subsidio sensuum: nimirum, diuino sermone & Sacramentis aspectabilibus. Ideoque Christus ad internam manducationem adiunxit externa symbola & actionem edendi ac bibendi. Eamque ipsam actionem sancti cupiunt & desiderant, vt per illam spiritualis animi manducatio & tutius conseruetur, & magis, magisque augeatur. Sed iste, cum ita subtiliter ponderet voculas omnes Ignatij, cur illud præterit, sanctum illum patrem appellare Eucharistiam Panem Dei, non autem Panem Deum? Nam quod dicit, Panẽ Dei, videtur respicere ad symbola: eaque cum ita vocat, satis indicat, non esse ea propriè corpus Christi: si distinctionem illã Augustini, quam iste nobis non semel obtrusit, velimus sequi. At subiecit statim, *Qui est caro Christi.* Fateor: sed respondeo id, quod sæpè iam dixi, panem Eucharistiæ suo quodam modo esse corpus Christi. Sed iuxta hanc interpretationem dices, me applicare verba Ignatij, non ad spiritualem manducationem, quod in Solutione responsum est, sed ad externam, & sacramentalem. Verum id est: & idcirco hanc quoque interpretationem adferre volui, vt ostenderem, verba illa Ignatij posse ad vtranque manducationem pertinere. Et certè vtraque ista manducatio, quod ad pios, & sanctos viros attinet, ita coniuncta est cum altera, vt sibi mutuò inseruiant. Externa enim cum sit ipsa etiam à Christo instituta, internam iuuat: & interna vicissim externam perficit.

Quicquid ergo agat, aut clamet Inconstantius, substantialem illam suam præsentiam ex his verbis non euincet. Quod autem addit, *charitatem & virtutum habitudinem esse manducationem spiritualem*, haud dubiè nescit ipse quid dicat. Quemadmodum autem coniungamur re ipsa cũ Christo in sacra Cœna, vt scribit Chrysostomus: aut quomodo vniamur cum carne Christi, quemadmodum Cyrillus: aut quomodo Christus in nobis maneat naturaliter, quẽadmodum Hilarius, supra suo loco satis multis exposuimus.

Ita autem carnem Christi habitare in nobis corporaliter, vt corporis eius substantia nobis cõmunicetur, hoc est, vt iste interpretatur, carni & corpori nostro misceatur, ne si mille quidem Angeli, ne dum vnus Cyrillus diceret, nullo modo esset recipiendum. Fieri enim non potest, vt caro Christi misceatur carni nostræ, & ita per homines innumeros, & loca infinita diffundatur. Quod autem Cyrillus scribit, libro 2. in Iohannem ca. 3. *Propterea cum in interiori homine spiritus habitauerit, ipse Christus habitare dicitur.* quodque in Iohan. lib. 3. cap. 24. ait, *Vt enim panis hic terrestris facit imbecillitatem carnis nostræ sustinens, & conseruans: ita & ipse per Spiritum suum, Spiritum nostrum viuificat, & corpus ipsum à corruptione liberat*, id ego in vniuersum libenter amplector: atque ad hanc amussim alia huius patris verba reuoco: vt, quod æquissimum est, ipse se ipsum interpretetur. Vt autem ad Ignati-

um redeam, illum vel Sacramentum, vel rem Sacramento significatam desiderasse & voluisse, concedo: quamuis in Solutione, idque non absq; magna & probabili ratione mentio facta sit tantum de re Sacramenti. Ita autem dari carnem Christi, vt à nobis oris officio recipiatur, id certè non Ignatius dicit, sed Inconstantius.

Ad extremum calumniatur, *nos fidei communicare omnipotentiam Dei: vt cum caro Christi Dei omnipotentia non sit præsens, eam tamen efficacia fidei accersamus, vt credenti sit præsens.* Ita nos voluit Inconstantius atro illo tuo, ac virulento dente attingere. quasi nos, quotiescunque videatur, pro nostro arbitratu velimus nobis arrogare omnipotentiam Dei. Sed idem in illũ posset à nobis multò iustius & verius retorqueri. Ille enim sacrificulum suum, & orationem illam quinqueuerbiam omnino statuit esse omnipotentem. Imò illi plus aliquanto etiam tribuit, quàm ipsi Deo: vt, quod Dei omnipotentia fieri non possit, vt corpus Christi diffũdatur in immensum, & simul existat in infinitis locis, id tamen illorum verborum vi atque omnipotentia efficiatur, idque quotiescunque sacrificulus voluerit. Nos vero id, quod docemus de efficacia fidei, non aliunde habemus, quàm è sacris literis. Illæ enim apertissimè testantur, Corpus Christi manducari fide: & manducare esse credere: & nos, quamuis versemur in terris, tamen vi fidei suscitari, & sedere cum Christo in cœlestibus: nosque spe iam nunc seruatos esse.

Dicimus autem, carnem Christi vi fidei non substantialiter aut realiter, sed tantum spiritualiter nobis fieri præsentem. Quemadmodum enim cum accedimus ad sacram Mensam, per fidem habemus ante oculos, & in conspectu, atque ita præsentem mortem domini: ita per fidem animo, ac spiritu, vescimur præsente carne Christi. Neque aliud ferè toto isto libro inculcamus, quàm fidem esse instrumentum, quo solo corpus domini possit à nobis apprehendi, & spirituali manducatione nobiscum coniungi: non quidem per realem commixtionem, vt iste fingit, sed per spiritus, & gratiæ participationẽ.

Argumentum Gardineri ex Tertulliano de Resurrect. carnis.

CARO corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera coniungit.

SOLVTIO.

SIC exponimus Tertullianum: caro vescitur pane & vino, quæ vocantur caro & sanguis Christi: quia, vt idem ait, repræsentant corpus Christi: quamuis non sint ea realiter.

GARDINERVS.

LOQVITVR Tertullianus magna & arcana mysteria: Carnem videlicet, nostram eo honore haberi, vt corpus percipiat & sanguinem Christi: vnde dicit, sequi saginam animæ.

MARTYR.

ARcana mysteria loqui Tertullianum extra controuersiam est. Neque aliud agit eo libro, quàm vt doceat, Deum pro sua bonitate carnem nostrã habere in honore. Non est autem paruus honor, carnem nostram posse vesci corpore & sanguine Christi, hoc est Sacramentis corporis & sanguinis Christi. Sed illum honorem Tertullianus non tantum Eucharistię tribuit, sed etiam alijs Sacramẽtis. Sic enim scribit eodem loco: *Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur vt anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, vt anima spiritu illuminetur: caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima de Deo saginetur.* In istis omnib. facilè apparet, aliud esse quod corpore sumitur, aliud quod animo & mẽte percipitur. Corpus abluitur à terrenis sordibus, anima emundatur à peccatis. Adũbratur caro impositione manuum, anima illuminatur spiritu. Hęc ambigi non potest diuersa & distincta esse.

Sed vesci, inquit Incõstantius, *nihil aliud est quã manducare*. Esto. Sed corpus, & animam vno opere mãducandi simpliciter coniungi, nego. *Sic ita loquitur Tertullianus.* Minimè. Non enim ait, ea vna opera iungi, sed tantum opera. Iste de suo adiecit, vna, Nec in alijs illis exemplis, quæ commemorauit, vna opera est, sed diuersa. Neque certè conuenit, & anima vt corpus vnum atque idem operis genus exerceant. Ita autem corpus & anima in sacra Communione iungũtur opere, quod quemadmodum animus manducat spiritualiter, idque ipsum Christi corpus, ita caro nostra manducat sacramentaliter, Sacramentum videlicet Christi corporis: atque ita & opera, & merces est vtrique communis. Nam ex spirituali animi mãducatione fructus redundat ad corpus: vtraque quidem pars operatur: sed ita, vt vtraque habeat sibi seorsim suum opus. Caro comedit symbola, animus corpus Christi. Fructus verò, & saginatio ita pertinet ad animum, vt ab eo redeat etiam ad corpus. Neque verò Tertullianus hoc loco, vt Inconstantius iactat, nescio quę stupenda, & miracula commemorat: nisi miraculum esse velit, carnem

carnem aqua tingi: carnem signari: carni manum imponi. Ista Tertullianus omnia coniunxit. Vnde ergo tàdem iste noster colliget, miraculum in victima tantùm clausula magis esse, quàm in exemplis prioribus?

Quod autem addit, *Dauidem cum famulis suis & socijs fugæ, vrgente fame, comedisse panes propositionis*, id ad institutum nihil facit. Quod si de re ipsa velimus loqui, vel inuito Inconstantio, dicam, Dauidem ore corporis comedisse symbolum tantùm, panes videlicet illos quos receperat à sacerdote: animo autem, & fide comedisse ipsum corpus Christi. Quid tandem hîc aut absurdi est, aut alieni à fide, aut pugnans cum sacris literis? Si scriptura expresse dicat, Patres comedisse Christum in Manna, cur non potuit Dauid eundem comedere in panibus propositionis? Certè Cyrillus lib. 3. in Iohan. cap. 14. ita scribit: *Verum manna Christus est, qui per figuram mannæ priscis illis à Deo patre dabatur.* Quod Cyrillus dicit de manna, non video cur non ego quoque possim dicere de panibus propositionis, si spiritualis Dauidis manducatio spectetur.

Sed caro, inquies, Dauidis non vescebatur Corpore Christi: quemadmodum hic loquitur Tertullianus. Fateor. Sacramentum enim externum nondum sortitum erat hoc nomen: nondum Christus venerat, qui de illis panibus propositionis diceret, *Hoc est corpus meum.* At cum Tertullianus viueret, id iam pridem antea factum erat: vt ille iure dicere potuerit, carnem nostram vesci carne & sanguine domini.

Postremò Inconstantius redit ad veterem illam suam, & vsitatam cantilenam: *Omnem panem significare corpus Christi: idque constare ex propheta Hieremia. Illum enim ita scribere, Mittamus lignum in panem eius, non autem addere in hunc, aut illum panem.* Sophista ita cæcus est, atque ita furit, vt non videat, pronomen illud, Eius, contrahere vocabulum panis, ad certam quandam, & singularem panis rationem. Quis enim obtecrote, Lector, est panis Christi, nisi is qui hodie cõsecratur, & ad sacram Cœnam adhibetur? Isti autẽ, si Deo placet, quiuis panis est panis Christi. Nihil autem dico, quàm turpiter in illius prophetici dicti expositione hallucinetur. Posset fortè si alia ætate vixisset, sese aliquo modo excusare, quod vnà errare voluerit cum suis Patribus. At nunc non potest vllo modo non reprehẽdi, qui in tanta luce linguarũ, & cognitione verbi Dei, nolit à recepto errore discedere.

Mitto hîc, nos non de quauis, sed de sacramentali panis & vini significatione loqui. Iste autem eam non patitur vllo modo à vulgari, & profana significatione distingui. Quare necesse est, omnes creaturas, quæcunque significent aliquo modo rem quampiam diuinam, esse Euangelica, & Ecclesiastica sacramẽta. Verùm, ne nihil conclusisse videretur, addit ad extremum, *Tertullianũ loqui de corpore & sanguine Christi, quæ caro nostra excipiat sub speciebus, id est, sub accidentibus panis & vini.* Hic ego nihil dicam. Quam enim ista verè, & prudenter dicantur, piè Lector, malo relinquere iudicio tuo.

Argumentum Gardineri ex Origene in lib. Numer. hom. 7.

ANTEA in ænigmate fuit Baptismus, in nube & in mari: nunc autem in specie regeneratio est in aqua & spiritu sancto. Tunc in ænigmate erat manna cibus: nunc autem in specie. Caro verbi Dei est verus cibus: sicut ipse dicit: Quia caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Si ergo iam nunc Moses apud nos positus, & huic Aethiopissæ coniunctus, vel ipse ad nos, vel Deus ad ipsum non loquitur in ænigmate, sed in specie.

SOLVTIO.

ORIGENES non hoc sensit, Christum esse corporaliter vel in aqua Baptismatis, vel in pane & vino: aut nos carnaliter, & corporaliter regenerari, aut Christi carnem realiter manducare. Nam nostra regeneratio est spiritualis: & manducatio item spiritualis: eoque non requirit realem, & corporalem præsentiam corporis Christi sed tantum præsentiam in gratia, & in spiritu, & efficaci operatione.

GARDINERVS.

ORIGENES speciem sentit apertam verborum simplicitatem, & rerum congruentem præstationem: vt cum Christus dicat, Caro mea verè est cibus, fidelibus non loquatur ænigma, sed ipsam rei speciem.

MARTYR.

ORigenes, inquit *iste noster, idcirco non putauit Christum loquutum esse in ænigmate, cum diceret, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, quod sequutus sit apertam verborum simplicitatem, & rerum congruentem præstationem: vt, cum in Cœna id præstiterit, quod erat pollicitus, necessariò veram carnem suam dederit: non autem ænigmaticam carnis suæ significationem: quomodo*, inquit, *Manna fuit: quod qui spiritualiter manducabant, animos cum corporibus pastos sentiabãt. Nã & illis aderat*

gratia, & efficax operatio à Spiritu Christi, in virtute etiam carnis Christi futuræ: vt & illis panis esset Angelorum in cibum: & Petra erat Christus, vnde profluebant aquæ in potum. Sed illa in ænigmate adhuc secundum hunc Origenem, quæ nobis in specie exhibentur: hoc est, non nouo significandi modo, vt pane significetur caro, aqua verò per Baptismum Regeneratio: sed in aqua & spiritu sancto fit Regeneratio: quemadmodum sub visibilibus panis & vini speciebus vera carnis & sanguinis Christi præsentiũ exhibitio: quia Christus iam non amplius loquitur in ænigmate. Antequã ad ista verba Origenis excutienda accedo, operæprecium erit, quiddam obiter annotare. Baptismus antiquitus datus est per nubem, & per mare, idque in ænigmate: quòd nondum esset disertis verbis, & apertè declaratũ, quid ea symbola sibi vellent. Nostris autem sacramentis iã inde ab aduentu Christi additum est clarum, & perspicuum verbum Dei, eoque verbo declaratur, quid nostra mysteria significent. Manna etiam erat illis cibus spiritualis, & comedentibus per Mediatorem promittebat generaliter salutẽ. Nobis aũt nũc datur panis & vinũ, & in specie, vt Origenes ait, & apertè ostẽditur, quid illa sibi velint, quidq; nobis reuocare debeant in memoriã: vt nos nunc nõ possimus videri versari in ænigmate, vt olim versati sunt veteres.

Iam verò Origenes non dicit, carnem Christi dari nobis præsentẽ realiter in Eucharistia: sed tantum ait de ratione loquendi, qua Deus vsus sit ad Mosen, quaq; Moses ad nos. Itaque in calce argumenti additur: *Itaque Moses nunc apud nos positus, & huic Aethiopissæ coniunctus, vel ipse ad nos, vel Deus ad ipsum non loquitur in ænigmate, sed in specie. Et sub ipso initio huius homiliæ scribitur: Veruntamen Moses priusquam acciperet Aethiopissam non est scriptum, quia in specie loquutus sit ei Deus, & non in ænigmate: sed vbi accepit Aethiopissam, tum dicit de eo Deus, Quia os ad os loquar ad eum, in specie, & non in ænigmate. Modo enim, cũ Moses venit ad nos, & coniũctus est huic nostræ Aethiopissæ, Lex Dei iam non in figuris & imaginibus, sicut prius, sed in ipsa specie veritatis agnoscitur: & quæ prius in ænigmate designabantur, nunc in specie, & veritate complentur.* His verbis Origenes annotauit, nos duo quædam habere in Euangelio, quæ veteribus sub lege non contigerint. Primum enim intelligentia nobis data est clarior, & illustrior, postquam res diuinæ non amplius traduntur sub ænigmatibus. Deinde, quæ de Christo venturo illis tantum promittebantur ea omnia nobis nunc re ipsa completa sunt, & præstita. Nullam autem Origenes facit mẽtionem de præsentia ista reali corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.

At cum Christus diceret, Hoc est corpus meum, inquit Inconstantius, *non sensit figuram sui corporis, quasi ænigmaticè loquens. Imò vt Christus verè adest in Baptismate Spiritu, sic verè adest in Eucharistia carne: vt vbique sit ipsa in specie præstatio.* Non est hæc, Inconstanti, sacramẽtorum veteris, & noui Testamenti propria distinctio: sed quemadmodũ nos sæpè diximus, & Augustinus rectè docuit, quòd illa promiserint futura, nostra autem ea, quæ iam data & præstita sint, commemorent.

Quereris, nos duo illa verba, Carnaliter, & Corporaliter de industria inijcere, quò Lectori offundamus tenebras. Imò verò nos ea causa voces illas sæpius inculcamus, vt lucem potius adferamus, & Lector ex antithesi intelligat, inter nostram præsentiam, & vestram quid intersit. Nos enim verè dicimus, Christum adesse tantùm per fidem, & tanquam in sacramento: vos autem contenditis, illum adesse, & asseruari, atque includi sub accidentibus realiter & substantialiter, tanquã in artocrea. Et interea clamatis, id requiri ad veritatem promissorum, vt hæc adsint nobis in specie: ne amplius noster Moses nobiscum loquatur in ænigmate: vtque caro intelligatur vera, & verè data: & tamen in Cœna data, & sub illis speciebus data: & denique sub illis verè præsens, ne panis absentem carnẽ significet: illud enim esse ænigma nouum, & illo Mannæ ænigmate etiam obscurius. Illud enim præ se tulisse aliquid maioris virtutis, non mundi Lege compositum, vt Ambrosius ait: cum panis ab homine factus ex se nihil altioris mysterij suggerat. Iste omnino decernit, ea quæ Christus dixerit, nunc fieri in specie, ne Moses nobis loquatur amplius in ænigmate. Sed quoniam Origenes agit ibi tantùm de ratione loquendi, satis est, si id, quod tum proponebatur tantùm generaliter, nunc in specie, ac distinctè significetur: quamuis, quod ad effecta attinet, eadẽ sit vtrinque rerum donatio. Veram quidẽ Christi carnem omninò datam confitemur: neque enim vnquam aut diximus, aut sensimus, Christum assumpsisse fictitiam, aut phantasticam carnẽ. Addimus etiam, illam carnem verè datam esse pro nobis ni mortẽ: eamq; etiam in Cœna verè dari, sed spiritualiter, nimirùm, vt à nobis fide, ac spiritu percipiatur. Eam autem substantialiter adesse, & vestiri accidentibus prorsus pernegamus. Neque id Inconstantius vnquam, quamuis omnes suas machinas admoueat, probare poterit.

Nos autem, cum ista docemus, non loquimur ænigmata. Illa potius ænigmata sunt, quæ Papistæ ferro, atque igne defendunt, corpus Christi, quantum quantum est, delitescere sub accidentibus, & eius aduentu substantiam panis aboleri. Nostra plana sunt, & perspicua. Ista ne Sphinx quidem ipsa vnquam expedierit. Veteribus, cum Christus nondum carnem suam dedisset in crucem, opus erat miraculo mannæ, quo illi saltem in generalem fidem de corpore Christi spiritualiter comedendo adducerentur. Nunc autem illius morte re ipsa perfecta, & præstita, & eius sacramento adiectis verbis claris, & perspicuis, nihil amplius aut miraculo opus est, aut ænigmate. Neque dicere, aut cogitare quisquam debet, quod iste Dei, atque hominum irrisor facit, panem Eucharistiæ ab homine tantum factum esse. Deus enim ipse rebus istis abiectis, & vilibus vti voluit, & quod ad manum semper essent, & inuentu facillima, & quod ad ea, quæ significantur, pulchram habeant analogiam: neque ille sibi ab Inconstantio impunè illudi patietur.

ARGVMEN.

Argumentum Gardineri ex libro 3. Cyprian. epist. 10.

AT verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est: nec morientibus, sed viuentibus Communicatio à nobis danda est: vt quos excitauimus, & exhortamur ad prælium, non inermes, & nudos linquamus: sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos esse tutos contrà aduersarium volumus, munimento dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodò docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? Aut quomodò ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum domini iure Communicationis admittimus.

SOLVTIO.

CYPRIANVS hic non loquitur de crassa, & carnali manducatione, quæ perficiatur ore corporis: sed de interna, pura, & spirituali manducatione cordis & mentis. Id autem est in corde credere, quòd caro Christi pro nobis lacerata sit in cruce, quodq; sanguis eius fusus sit pro salute nostra: quodq; eadem caro nunc sedeat ad dextram patris, semper intercedens pro nobis: atque hæc in mentibus nostris imprimere, & penitus digerere, & omnem nostram fiduciam in illo solo collocare: & offerre nos ipsos ad diligendum illum, illiq; seruiendum omnibus diebus vitæ nostræ. Hoc est verè, sincerè, & spiritualiter manducare carnem Christi, & sanguinem eius bibere.

GARDINERVS.

EFFECERVNT hæc verba Cypriani, vt se nobis aperiret hic Sectarius, & tandem euomeret, quid de manducanda Christi carne spiritualiter sentiat.

MARTYR.

EST ita, vt dicis: In hac responsione, vt ea, uæ scribenda erant clarius intelligerentur, explicatum est, quęnâm illa esset manducatio spiritualis. Ea autem constat fide, quæ dirigatur in mortem Christi ob redemptionem nostram, & eius apud patrem perpetuam intercessionem pro nobis. Neue quis ambigat cuiusmodi eam oporteat esse fidem, additum est, oportere illam esse viuam, quæ omnia apprehensa in mentibus credentium quàm firmissimè imprimat, & secum fiduciam certam, & cõstantem trahat, quam in Christo nostræ redemptionis precio collocemus: quaque sic afficiamur, vt nos ipsos totos domino Iesu, & Deo nostro in omne genus obsequij offeramus. Hęc tam dilucida, & tam aperta explicatio tantę rei, cur te, Inconstanti, tam malè habuit? Reprehende sodes, si quid sit, quod absurdè dictũ putes. *Non sunt*, inquis, *mala, sed dicta malè.* Quid ita? *Quoniam*, inquis, *nituntur expugnare summam Christi benignitatem in danda sua carne ad manducandum.* Imò ista, ne nescias, cum rationem manducandi explicent, propugnant potius bonitatẽ Christi: cum vos eam, quando realem & substantialem statuere velitis, prorsus euertatis. Nam & crassum & carnale est, & non tantùm cum diuinis literis, sed etiam cum Christi humanitate pugnat, putare carnem Christi ore externo corporis nostri comedi, & in ventrem transmitti.

Quod autem tu dicis, *Christum ipsum manu sua porrigere carnem suam ad manducandum*, primùm id non habes è sacris scripturis: deinde etsi dicatur interdum à patribus, tamen citra controuersiam figuratè dicitur. Addis, *nos magna pompa & strepitu verborum velle eludere Catholicos, cum magnificè prædicemus, carnem ipsam Christi offerri, & exhiberi ad manducandum.* Certè nos dum ita loquimur, vera loquimur: neque in præsentia quicquam mutamus. De te autem optimo iure queri possumus, quòd verba nostra, vt soles etiam sæpissimè verba patrum, mutilata tantùm, & manca referas. Nos enim dari quidem atque exhiberi carnem Christi dicimus, sed spiritualiter: eamq; carnem mãducari etiam dicimus, sed fide, mente, atque animo: ore autem corporis comedi tantùm symbola. Te nobis, Lector, in hac causa fero iudicem, vtrum in toto hoc libro vnquam aliter loquuti simus. Qui volunt hominibus imponere, & fucum facere, alia occultare solent, alia ambiguè pronuntiare, alia quæ animaduerti nolint, obscurare. Cum nihil huiusmodi possis in nobis deprehendere, cur nos ita atrociter, & acerbè accusas? Significationem symbolorum sæpè appellamus potentem & efficacem. Quid ni? Sacramenta enim non sunt vulgaria, aut vsitata signa, sed instrumenta spiritus sancti. Ille n. per ea fidẽ in animis nostris & excitat, & corroborat. Timorẽ & tremorẽ inculcamus, ne homines indignè cõmunicent, & iudiciũ sibi manducent & bibant. Quid hic est, quod à te iure possit reprehendi?

Quoniam, inquis, *hæc omnia huc redeunt, vt spiritualiter manducare nihil aliud sit, quàm Symbolum Apostolicum cum Cantico Zachariæ animo voluere.* Quamobrem tandem? quæso *Quoniam*, inquis, *omnium eorum, quæ hic meditanda censentur, de Christi Morte, Resurrectione, Ascensione, Sessione ad dextram patris, & Intercessione pro salute in Symbolo fit mentio: & in Cantico Zachariæ annumeratur etiam oblatio nostrũm ipsorum, qua liberati de manu inimi-*

corum nostrorum seruiamus illi in sanctitate, & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ. Iste, quantum video, in animo versare, & solida ac sincera fide complecti ea quæ nobis proposita sunt in sacris literis, ludicrá rem putat esse, & nugatoriam. Ea quidem quæ potissimùm credenda sint breui compendio comprehensa sunt in Symbolo Apostolorũ. Sed eadem in Lege, à Patriarchis, à Prophetis, ab Euangelistis fusè & copiosè descripta sunt. Ego quidem semper verum esse credidi, quod Paulus scribit ad Ephesios, Christum videlicet, per hanc fidem habitare in cordibus nostris: quodque Christus dominus, & seruator noster in 6 Ioannis manducationem spiritualem explicat perficiendam esse per fidem. Persuasit etiam mihi nonnihil Augustinus, qui id sæpissimè inculcat: persuaserunt etiam alij Patres, quos in præsentia nõ est operæ precium recensere. Latret ergo iste Sophista, quantum velit: nisi vtatur rationibus melioribus, non facilè apud prudentem lectorem constantem veritatem labefaciet.

Sed Inconstantius, his nonnihil collaudatis, quæ nos diximus, ad spiritualem manducationem pertinere, statim subiecit: *Sed hæc, vt optineamus, nos subleuant, prouehunt, auxiliantur, roborant, confirmant ipsa Sacramenta: quorum etiam protexione munimur: vt inquit Cyprianus:* cuius dicta nos cauillatur dissimulare, ac nostra infarcire, quæ à Cypriano sint aliena. *Etenim, Sectarius respondet, quæ sit summa officij nostri in Christum: dum Cyprianus tractat gratiam beneficij Christi, qui secundum Cyprianum prouidit nobis in sacramento protectionem, munimenta, arma, quibus tecti, & armati quod facere debeamus nos offerendo Deo, &c. etiam id facere possimus, qui sine Christo nihil possimus & in illo gloriatur verè Paulus se posse omnia. Qui Christus, quoniam nobis præsentissimè adest in Eucharistia, vbi corpus est, in quo ipsa diuinitatis plenitudo inhabitat corporaliter, hinc istæ voces manarunt Cypriano, dandam Communionem his, qui ob Christi nomen patiuntur, vt quos excitamus, inquit, & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione corporis & sanguinis Christi muniamus: vt hac nimirum protectione muniti, & de timore inimicorum securiores effecti, & tutiores, liberè & verè offerant, & præstent quod in illa persecutionis procella exigebatur, obsequium, & pro Christi nomine fortiter in illo prælio perseuerent:* Vt obtineamus ea, quæ spectant ad manducationem spiritualem, certum, & confessum est, nos nonnihil imò plurimum iuuari sacramentis. Sacramẽta enim ea maximè causa sunt instituta. Ex illis autem Communicantes non alia ratione consequũtur protectionem, quàm quòd sint diuina quædam instrumenta, quibus spiritus sanctus excitat in nobis fidem. Fides autem, vt Paulus ait, est scutum vnicum, quo tecti, & muniti possimus esse aduersus hostem. Atque ita sacramenta aliquo modo dici possunt nostra munitiõ. Cauendum tamen est, ne in re, atq; actione externa, vtq; loquũtur, in opere operato fiduciã nostrã collocemus: aut ita putemus, nos muniri sacramẽtis, quasi corpus & sanguis Christi sub illis symbolis deliteſcat.

Quomodò sacramenta dicantur nostra munitio & protectio.

Quod autem clamat, nos huc intrudere, & infarcire nostra, nonnihil miror. Quomodò enim possunt ea dici nostra, cum ipse fateatur, eadem omnia haberi in Cantico Zachariæ, & in Symbolo Apostolorum? Certè in Symbolo nihil est, quod non sit petitum, atque haustum è sacris literis. Canticum autem Zacharię vtrum expungi velit ex albo scripturarum, velim vt benè apud se etiam, atque etiam consideret. Ista tamen, inquiet, quæ adducitis, à Cypriano de quo nunc agimus, aliena sunt. Quid ita? *Quoniam ille, inquis, beneficium Christi erga nos tractat, & eius gratiam: tu verò summam officiorum nostrorum erga Christum adfers.* Ego quidem semper credidi, summum id esse Christi erga nos beneficium, quod possimus eius carnem fide apprehensam spiritualiter manducare. *Verum hoc,* inquit Inconstantius, *officium nostrum est erga Christum.* Et quæso te, cur non idem etiam est beneficium Christi erga nos? Certè Paulus ait, nobis datũ esse, vt in Christum credamus: & ad Ephesios Fidem apertissimè vocat donum Dei. Duplici ergo nomine probari potest, quòd fide comedimus carnem Christi, id esse beneficium Christi erga nos. Primũ, quòd caro & sanguis Christi oblata pro nobis in cruce, ex mera Dei beneuolentia per verba & sacramenta edenda nobis & bibenda spiritualiter offerantur: deinde etiam, quod fides ipsa, qua illa comedimus, & bibimus, non contingat nobis, nisi singulari dono Dei. Posteà ex hac fide, & manducatione spirituali sequi fiduciam, & oblationem nostrũm ipsorũ ad seruiẽdum Christo non inficior: quæ quamuis videri possint nostra officia erga Deum, tamen in nos à sola ipsius liberalitate & beneficio proficiscuntur. Neque vnquam negauerim, Christum nobis in Eucharistia prouidisse arma, & munitionem, non tamen alio sensu, quàm quomodò exposui. Magna ergo ratione Cyprianus mouebatur, vt contenderet, hominibus pijs ituris in certamen pro Christi nomine, danda esse Ecclesiæ sacramenta, vt fide muniti, & vndique egregiè septi, alacrius & fortius cum hoste congrederentur.

Efficacia Sacramentorum Christianorum spiritualium ad fidem Dei.

Hic tamen ego ab Inconstantio, quod vtrò dat, libenter accipio: nimirum, Nos nihil posse sine Christo. Quod cum dicat, nescio, quid de suo Libero arbitrio velit fieri. Sed dicet, Scio, esse quidem Arbitrium nostrum liberum, etsi sine gratia nihil possit. Verùm, si nihil potest sine gratia, quomodò tandem erit liberum? Quoniam inquis, Gratiam oblatam potest vel recipere, vel non recipere. Ergo aliquid potest absque gratia. Quod si ne recipere quidem potest oblatam gratiam sine Christo & eius spiritu, non erit certè liberum. Obsecro verò te, Inconstanti, vt ita in posterũ perpetuò, & constanter & loquaris, & sentias, Nos nihil posse sine Christo. Ita enim Opera illa vestra præparatoria, quæ statuitis fieri ab hominibus nondum conuersis ad Christum, funditùs euertentur.

Arbitrii cum alij posse, tum nostri libe rum.

Verùm vt ad institutum redeam, ita dicimus homines vsu sacramentorum posse corroborari, quòd illis, tanquam instrumentis excitetur

atque

atque augeatur fides, per quã ſpiritus ſanctus, & Chriſtus ipſe habitat in cordibus noſtris. Corpus autem Chriſti nobis adeſſe realiter Cyprianus non dicit. Vult tamen hominibus pro Chriſti nomine occubituris dari ſacramenta, quòd ordinaria ratione homines illis deſtituti adminiculo fidei quodammodò denudentur, & Sanctorum ſocietate exuantur: quæ ſocietas in illis caſibus, & temporibus quanto ſolatio eſſe ſoleat, ille optime noſſe poteſt, qui id aliquando ſit expertus.

Sed ex illis verbis Cypriani Inconſtantius tale nobis nectit argumentum. *Si hic*, inquit, *eſt effectus huius ſacramenti, certè cauſa etiam adeſt, quæ hunc effectum operetur: quæ eſt Cypriani regula de hoc ſacramento. Ad hoc ait, nos nihil reſpondere, qui ad internæ manducationis penetralia confugiamus: cumque neſciamus, quid loquamur, ſatis oſtendamus, nos nihil eorum ſentire, quæ loquimur, & quamuis videamur interè aliquid tribuere ſacramẽtis, tamen omnem Cœnæ ceremoniam ſuperfluam, & minimè neceſſariam arbitremur: vt quibus ſatis ſit Symbolum Apoſtolorum, & Canticum Zachariæ.* In ſumma, nos in ornando iſto myſterio nihil aut loqui, aut ſcribere bona fide. Argumentum ex verbis Cypriani ſic habet: Effectus huius ſacramenti eſt corroboratio & confirmatio communicantium: At corroboratio, & confirmatio noſtra eſt ex Chriſto: Ergo Chriſtus eſt in Euchariſtia, & in illa ſumitur. Audio: ſed eadem iſta ratione concludi poſſet, corpus Chriſti realiter contineri in ſacris literis. Dauid enim canit in Pſalmo, Legem domini reſtituere animum: *Et diffluxit anima mea præ anxietate: conforta me ſecundum verbum tuum:* Et ſtatim, *Eloquium tuũ viuificauit me:* Et, *Niſi Lex tua oblectatio fuiſſet mea, perijſſem in afflictione mea:* Et, *Suſtenta me eloquio tuo, & viuam:* Et, *Oſtium eloquiorum tuorum lumen præbet, & dat intellectum ſimplicibus.* Dic mihi obſecro, Inconſtanti, effecta iſta confortandi, viuificandi, defendendi, ſuſtentandi, illuminãdi intellectum, cuius nam tandẽ ſunt? Nónne Chriſti? certè ſunt. Tamen eadem tribuuntur verbis Dei, Conclude ergo Chriſtũ in verbis Dei contineri realiter, idq; quod ad carnem attinet, & ad ſanguinem. Id autem ſi tibi videatur abſurdum, deſine clamare, Chriſtum cũ ſua carne & ſanguine præſentẽ eſſe realiter in Euchariſtia. Nã vt Chriſtus pios corroboret in diſcrimine, ſatis eſt, ſi in illis inhabitet, vt Paulus ait, per fidẽ. Ad eam vel excitandã, vel augendã, quantum conducat vſus Euchariſtiæ, iam ſuprà diximus. Quantus autem fructus ſit internę manducationis per verã, & efficacẽ fidẽ, ad quam Inconſtantius queritur nos confugere, ille vel ſimulat ſe nõ intelligere, vel fortaſſe nõn dũ guſtauit: & ea cauſa noſtrã veriſsimam, & cõ ſolationis pleniſsimam ſententiam ita ſuperbè contemnit, & fidem Apoſtolici ſymboli, & officia cantici Zachariæ ita ſcurriliter irridet. Noſtri quidem, quod ſciam, nuſquam ea in ſacris myſterijs prædicarunt. Iſte autem ea, tanquam viles quaſdam res, & abiectas nobis obijcit, vt ſpiritualem manducationem, quam nos ſtatuimus, eiuſque effecta, & fructus exagiter.

Petulentia Gardineri in Symbolum, & cãticum Zachariæ.

Quod autem ad extremum dicit, *nos omnem cœnæ ceremoniam ſuperfluam eſſe, & minimè neceſſariam arbitrari*, id verò intolerabile eſt mendacium. Vbi enim hoc reperit? cur locum aliquem ex omnibus noſtris libris non oſtendit? profectò vix ſycophanta paulò pudentior tanta de re mentiri velit ſine teſtibus. Conferatur frequentia noſtrarum communionum cũ veſtris: conferantur noſtrorum miniſtrorum conciones cum concionibus veſtrorum, cũ populus hortandus ſit ad ſacram menſam. Aequus æſtimator facile iudicabit, ab vtris noſtrũm ſacramenta pluris fiãt. Nos quidẽ Chriſti myſteria habem⁹ in iuſto ac decẽti honore ac precio: & illorũ cõtẽptores deteſtamur. Atque hęc quo animo, & quàm bona fide faciamus, Deus καρδιογνώστης videt. Incõſtantius aũt nõ dubitat ea etiã, quę non videt, condẽnare: oblitus ſententiæ domini, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.

Argumentum Gardineri ex Cypriano de Cœna domini.

PANIS iſte, quem dominus Diſcipulis porrigebat, nõ effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro. Et ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita ſacramento ineffabiliter diuina ſe infundit eſſentia.

SOLVTIO.

POSTERIOR ſententia declarat priorem. Nam diuinitas ſacramentaliter infunditur, pane & vino etiam remanentibus: ſicut diuinitas in vnitate perſonæ erat in humanitate Chriſti, ipſa humanitate etiam remanente cum diuinitate. Tamen panis non mutatur in effigie, nec in ſubſtantia, ſed in natura, vt Cyprianus verè dicit. Non enim intelligit, naturalem ſubſtantiam panis abijſſe: ſed per verbum Dei additam eſſe pani aliam ſublimiorem proprietatem, & conditionem ſupra conditionem communis panis: hoc eſt, vt panis nobis ſignificet, nos eſſe participes ſpiritus Dei, & puriſsimè coniunctos cum Chriſto, & ſpiritualiter paſci carne eius, ac ſanguine: vt iam myſticus ille panis ſimul ſit, & corporale alimentum corporis, & ſpirituale alimentum animæ. Sed eſt ex illo grege, qui ita reſpondet: Quod Cyprianus dicit de mutatione, illam nos concedimus, ſed ſacramentalem. Et tum concedimus, non effigiem ſeu formam & accidentia panis ſubire hoc munus, vt ſint

Sacramenta, ſed naturam, & ſubſtantiam ipſam panis & vini mutari in Sacramentum corporis,& ſanguinis domini:&,quemadmodum ſubſtantia ipſa, non effigies nutrit,ita corpus ipſum Chriſti & animum noſtrum alit, & corpus noſtrum fouet,atque inſtaurat. Sed aduerſarij contra Cyprianum ſubſtantiam panis non mutant,ſed prorſus auferunt. Nos autem illā mutari dicimus,& fieri corpus Chriſti, id eſt, Sacramentum corporis Chriſti,quòd anteà certè non fuit.

GARDINERVS.

HIC ſe ipſos diuidunt Sectarij: & quot homines,tot ſententiæ.

MARTYR.

QVod primo loco reſpondet, nos ſcindi ac diuidi inter nos,vanum,& falſum eſt. Hæc enim duo reſponſa, quæ iſte videri vult ita pugnantia, optimè inter ſe conueniũt, etſi non prorſus efferãtur ijſdem verbis. Quod ad priorem partem reſponſionis attinet,fatetur,verum eſſe, quod nos dicimus,poſteriorem partem illius ſententię Cypriani exponere priorem. *Illuſtrat enim,* inquit, *adductam ſimilitudinem: non tamen de ſignificatione prioris quicquam imminuit: ſed contra Neſtorianos à carne Chriſti non abeſſe diuinitatem,ſignificanter addit.* Miror equidem iſta homini tam conſiderato Inconſtantio potuiſſe tam incogitanter excidere. Nam cum Cyprianus iſta ſcriberet, nondum natus erat Neſtorius. Addit, *Cyprianum ibi id agere, vt tam certò credamus & diuinitatem, & humanitatem Chriſti eſſe in ſacramento,quam in ipſa perſona Chriſti.* Verùm hoc non Cyprianus dicit, ſed iſte fingit. Nam Cyprianus ſimilitudinem tantùm quandam adfert inter Chriſtum, & Euchariſtiam : idq; eo tantùm conſilio, vt oſtendat, efficaciam quãdam ſacramentis à Deo tribui. Ea verò nihil aliud eſt, quàm quòd Deus ſacramentis vti velit ad ſalutem noſtram, & illis, tanquam externis quibuſdam, & ſpectabilibus verbis fidem in nobis exuſcitare.

Sic ergo Cyprianus ſcribit : *Sicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita ſacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infundit eſſentia*: ita videlicet, vt iam diximus, quo viſibili ſacramento vtatur ad ſalutem noſtram.

Itaque addit: *Sacramenta quidem, quantum in ipſis eſt, ſine propria virtute eſſe non poſſunt: nec vllo modo ſe abſentat diuina maieſtas myſterijs.* Hoc Cyprianus probare voluit, ſacramentis adeſſe virtutẽ Dei, idq; eo modo, quo iam docuimꝰ. Non autẽ inſtituit id probare, quod iſte fingit: nimirum, & diuinitatem, & humanitatem tam certò eſſe in Euchariſtia, quàm in ipſa perſona Chriſti. Concedimus in reſponſione: mutari naturam panis : at non ita, vt natura ipſa panis, quemadmodum iſti ſomniant, prorſus auferatur, & eſſe deſinat. Mutatur tamen quòd illi iam addita ſit ſublimior quædam proprietas, & conditio, quam anteà non habuit.

Iſta Inconſtantius ita oppugnat: *Audi*, inquit *Lector, tria verba, Natura, Proprietas, & Conditio, fermè ſine ſenſu dicta. Primùm, ſi de ſignificatione ſola agitur, quomodò poteſt eſſe proprium panis, quod illi ſit commune cum petra? petra enim ſignificabat Chriſtum: vt plæraque alia. Deinde quomodò dicatur eſſe de natura panis, quod neque internam, neque externam naturam attingat? An verum erit, ſignificationem rei additam mutare naturam? An vermis deſinit eſſe natura vermis, quia ſignificat Chriſtum? Quod autem ad conditionem attinet, dicunt aliàs iſti, panem non fieri ſanctiorem. Et, vt ſit conditio alia, quid hoc ad naturã, quam dicit mutari Cyprianus? quid ad panis proprietatem?* Iactas, Inconſtanti, vt ſoles, illa tria verba, Natura, Proprietas, Conditio tibi videri à nobis ſine ſenſu dicta. Sed ſcire debes, illa habere & certum, & præclarum ſenſum, idque non tãtùm noſtro iudicio, verum etiam tuo: niſi velis contendere, ſacramentum nihil eſſe. Id enim ſi accedit ad naturam panis, vt ſit ſacramentum, quod antea non erat. Quod autem tu clamas nos in ſacramento ſolam & nudam ſignificationem conſtituere, ſatis iam ſuprà refutauimus. De proprietate litigat. *Ea*, inquit, *non poteſt adſcribi pani: eſt enim illi communis cum petra.* Reſpondeo, iſtam proprietatem quod ad modum, & ſpeciem attinet rectè aſsignari pani Euchariſtiæ: etſi ea generaliter communis ſit Euchariſtiæ cum alijs ſacramentis, non tantum Euangelij, ſed etiam veteris Teſtamenti. Omnia enim ſacramenta ſignificant ratione quadam ſacramentali: quamuis ſeorſim ſingula habeant peculiares, & ſingulas rationes ſignificandi. Imò ne ipſi quidem Dialectici omnia propriare ferri volunt ad quartum modum proprietatis. Homini enim proprium eſt ſentire: quamuis id illi cum alijs animantibus ſit cõmune: interim tamen habet ſingulares quoſdam modos ſentiendi, quibus aliæ animantes non vtuntur. Sed ne in hoc negotio, quod habemus prę manibus videamur finxiſſe vocem iſtam Proprietatem, expendamus Cypriani ipſius verba, quæ paulò ſuprà citauimus. *Sacramenta*, inquit, *quantum in ſe eſt, ſine propria virtute eſſe non poſſunt.* Hic ait, propriam eſſe virtutem ſacramentorum.

Atque ex his ijſdem verbis illud etiam alterum refutari poteſt, quod Inconſtantius obijcit de natura, *Quomodo enim*, inquit, *eſt de natura panis, quod neque internam, neque externam eius naturam attingat?* Reſpondeo: Virtus iſta ſacramẽtorum, quatenus reſpicit ſymbola, quæ ſunt res naturales, dici poteſt natura externa. Ea enim fluit à ſpiritu Dei vtente ſymbolis. Id enim vſu venit omnibus inſtrumentis: accedit enim illis vis quædam ab eo, qui illis vtitur. Ea autem vis, & ſi accedat à principio extrinſeco, tamen appellari poteſt natura. Ita Cicero de finibꝰ, *Vis*, inquit, *verborum, & natura orationis.* Orationes quidem

dem & verba instrumenta sunt, quibus vtimur in dicendo: quæ ipsa per se neque vim, neque naturam habent vllam. Habent tamen & naturam, & vim vel ab illo, qui primus illis significationes imposuit, vel ab vtentibus. Quòd si homines hoc possunt in verbis suis, cur Deus idem in suis sacramentis non potest? Rectè ergo dicimus, ad panem & vinum in Eucharistia accedere nouam proprietatem & naturam ex institutione & verbo Dei.

Iam videamus de Conditione, de qua voce iste nobis tertio loco litem mouet. *Conditio*, inquit, *noua non potest aduenire: quoniam aliàs dicitis, panem in Eucharistia non fieri sanctiorem.* Hic adhibenda est huiusmodi distinctio: si id Inconstantius vellit appellari sanctum, quod accommodatum sit ad sacrum vsum, panis in Eucharistia multò est sanctior, quàm antè fuit, maximè verò si conferatur cum vasis templi & instrumentis veteris tabernaculi. At si sanctitatem intelligi velit qualitatē pijs hominib afflatam, atq; inditam à spiritu sancto, qua fiunt diuinæ naturę partic pes: ita negamꝰ, panē vllo modo posse vocari sanctū. Noua ergo illa cōditio, quā dicimus accedere ad panem, est, vt fiat sacramētum corporis domini, & instrumētum spiritus sancti.

Sed esto, inquit, *accedat noua conditio: quid hoc ad naturam panis, quam mutari dicit Cyprianus? vel quid ad panis proprietatem?* Permultum, ne nescias, Inconstanti. Etsi enim substantia panis maneat, tamen eius natura mutatur. Accedit enim ad eam vis noua, & virtus alia, quæ naturam superat, dimanatq; à spiritu sancto. Eaque, vt suprà docui, rectè appellatur proprietas sacramenti. Atque ita mutari, nihil aliud est, quàm ad sublimiorem, & præstātiorem efferri gradum. In eo autem decipitur Inconstantius, quòd putat, verbum illud, Mutari, esse formalem, vt ita dixerim, & substantialem mutationem fieri. Neque interim cogitat substantiam, quamuis maneat, tamen dici posse mutari, quod nouum habitum, & nouum respectum subeat. Nihil ergo absurdum est, significatione addita mutari naturam: non quidem physica mutatione, sed religiosa, vt iam fiat sacrum, quod fuit anteà profanum. Quæ si Inconstantius non intelligit, necesse est, vt sit rerum diuinarum admodum imperitus. Cum ergo Cyprianus dicat mutari naturā panis, nō debemus de abiectione physicæ substātię cogitare, aut de noua susceptione physicæ alicuius formæ, aut qualitatis. Nam, quod iste nugatur de verme, qui, quamuis significet Christum, tamen esse vermis non desinat, nihil est. Primùm enim vermis sua illa significatione non efficitur sacramentum: nos autem hic de sacramentali tantū mutatione loquimur. Eam autem si iste tribuere velit vermi, necesse erit, vt & faciat contra definitionem sacramenti, vtque vermem suum transubstantiet, eumque pari in honore habeat cum reliquis omnibus sacramentis. Ad ista verò si ipse nolit sese adigi, non debet nobis obstrepere, iuxta nostram doctrinam propter nouam significationem, naturam vermis oportere mutari.

A Adhæc alio etiam nomine calumniatur responsionem nostram, *quòd eam tribuamus panis significationem, nō quæ id referat, quod vel accipiamus, vel accepturi simus, sed quæ id, quod iam olim accepimus, repræsentet. Dicere .n. nos, hæc symbola significare, nos esse participes spiritus Dei, & purissime coniunctos cum Christo, & spiritualiter pastos: secundum quem significandi modum Baptisma non conferet, nec efficiet regenerationem, sed testabitur collatam: vt omnia, opinor, referantur ad abyssum diuini consilij in præ*
B *destinatione ante constitutionem mundi.* Nulla est, optime Lector, in nostro responso vacillatio, aut inconstātia: vt, cum antè dixerimus, pane significari corpus Christi actum in crucem, & vino, sanguinem eius pro nobis effusum, posteà. quemadmodum iste nugatur, nouas illis significationes adscribamus. Non enim hæc diuersa sunt, aut pugnantia, sed ita coniuncta, vt ea, quæ posteriori loco dicimus, effecta sint illorum, que antè dixeramus. Corpus enim Chri-
C sti crucifixum, & sanguis pro nobis effusus, fide apprehensa, efficiunt nos participes diuini spiritus, nosque pascunt spiritualiter, & cum Christo purissimè coniungunt. Posterior ergo ista significatio non est à priori distrahenda.

Quòd si quæras, cur contenti non fuerimus priori, sed adscribere etiam voluerimus posteriorem, id à nobis factum dico, quod verba Cypriani tractaremus. Par enim erat, vt Responsum nostrum, ad illius sermonem accommodā-
D remus. At ille in oratione de Cœna domini sic scribit: *Fidei nostræ infirmitas symboli argumento edocta est, visibilibus sacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum: & non tam corporali, quàm spirituali transitione Christo nos vniri.* Hîc notatur nostra cum Christo coniunctio. Scribit idem posteà, sinteriorem nobis patere accessum per hæc sacramenta vsque ad participationem spiritus. Illud idem nos quoque significari posuimus. Sed diligenter annotanda sunt verba illa
E Cypriani, quæ sequuntur. *Ista*, inquit, *coniunctio non vsque ad consubstantialitatem Christi extenditur: sed vsque ad eius societatem germanissimam peruenit. Solus quippe filius patri consubstantialis est: nec diuisibilis est, nec patibilis substantia trinitatis. Nostra verò, & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias: sed affectus consociat, & confœderat voluntates.* Videant ergo isti nostri, quāta cum ratione dicant, carnem nostram verè ali & nutriri carne ac sanguine Christi. Nam si verba ista sua
F propriè velint accipi, non tantùm erit consocia tio affectuū, vt Cyprianus ait, & confœderatio voluntatum, sed etiam carnium, & sanguinum coniunctio: quod ille ijs verbis inficiatur. A quibus tamen loquutionibus cum patres interdum non abstineant, etiam atque etiam videndum est, quid sibi velint, ne pugnare secum existimentur. Ego quidem dico, quod me etiam aliàs dixisse memini, substantiam Christi ita nobis dari, quòd quamuis physica substantia no-
G stri corporis conueniat quod ad speciem attinet cum substantia corporis Christi, tamen spiritu, gratia, atque alijs donis longè ab illa distet. Efficitur tamen ista manducatione spiritu-

ali, vt ea etiam ex hac parte reddatur substantię A Christi magis magisque similis. Atque ita aliquo modo dici possumus recipere substantiam Christi, & cum illa vniri: quamuis re ipsa nihil aliud percipiamus, quam spiritum, & gratiam, & alias cœlestes qualitates.

Tertiam partem significationis in nostro responso esse ait, quòd dicamus, nos pasci spiritualiter corpore, & sanguine Christi. Vt doceamus nos pasci corpore, & sanguine domini, nihil opus est citare verba Cypriani: eius enim o- B ratio fermè in illo est tota. Et pastum eiusmodi spiritualem esse, ea apertissimè indicant, quæ adduntur ad calcem. *Hæc*, inquit, *quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus, & partimur.* Inconstantius autem cum referre vellet verba nostra, sic ea truncauit, vt tantùm scriberet, spiritualiter pastos, non autem adderet, corpore & sanguine Christi. Videri enim vult in posteriori ista significatione, quâ elicimus è Cypriano, nullam fie- C ri mentionem de corpore, & sanguine domini: videlicet, vt ista interpretatio videretur prorsus aliena, & diuersa à priori. Atqui, vti diximus, ex illa spirituali perceptione corporis & sanguinis Christi, ea, quæ posteriori loco commemorauimus, tanquam effecta consequuntur. Habes ergo, Lector, cur nos istam alteram significationem adscribere voluerimus: nempè, quòd Cyprianus, cuius verba nobis à Papistis obiecta tractabamus, non solùm spiritua- D lem manducationem indicarit, sed etiam eius effecta commemorarit.

Adhuc tamen nobis obstare videtur vnus scrupulus: quòd cum Cyprianus hæc tria recensuerit vt effecta Eucharistiæ, nos illa faciamus significata: Ad quod respondeo, Cyprianum ea tribuisse instrumento, nimirùm, sacramento, quod sua illa oratione maximè commendabat, quæ alioqui sunt effecta spiritus sancti, tanquam pręcipuę, & verisimę causę. Qua- E re, cum hæc effecta deriuentur in nos à spiritu sancto, videndum fuit, qua ratione instrumenta ad eius opus accomodentur. Ea autem ratio alia nulla esse potest, quàm significatio: quæ cum efficaciam suam habeat à vi diuina, non minus habet momenti ad excitandam in nobis fidem quàm verba Dei, quæ auribus percipimus. Quod ergo ad hanc rem attinet, inter ista duo, Significare, & Facere, est maxima propinquitas. Maluit autem Cyprianus vti ratione ef- F ficiendi, opinor, quod ista consideraret, tanquam instrumenta spiritus sancti. Nos autem significandi rationem sequi maluimus, partim quòd eam videremus sacramentorum esse propriam, partim etiam, quòd sacramenta per significationem sint instrumenta spiritus sancti ad excitandam in nobis fidem, qua fide posse- mus illa beneficia apprehendere. Huc adde, e- undem Cyprianum alibi in epistola ad Cæcilium diserti- simis verbis tribuisse significatio- G nem Eucharistiæ.

Verùm ad Inconstantium redeo: ille, *nos* ait *statuere significationem earum rerum, non quas aut accipiamus, aut etiam accepturi simus in vsu Eucharistiæ, sed quas iam olim acceperimus.* Sed illi vno verbo potest responderi: hanc esse naturam illarũ rerum, vt quoad hic viuitur, nunquàm ita perfectè à nobis, & cumulatè habeantur, quin vt semper perfectius, & cumulatius haberi pos- sint. Ita operam nobis dandam esse, vt illas in dies magis magisque assequamur. Ad id autem vti diximus, plurimum valet assiduus vsus sacramẽtorum. Atque vt hoc etiam obiter admoneam, ille noster non debet habere pro re ab surda, si dicamus, sacramenta collatam in nobis Dei gratiam, & condonationem peccatorum, & iustificationem significare, & quidem tisimo testimonio confirmare. Paulus cap. 4. ad Romanos ita scribit de Abraham: *Dicimus, quòd imputata fuerit Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodò ergo imputata est? cum esset in Circumcisione, an cum esset in præputio? Non in Circumcisione, sed in præputio: & signum accepit Circumcisionis signaculũ iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio: vt esset pater omnium credentium.* Ex his verbis appa- ret, Circumcisionem, cui noster Baptismus & respondet, & succesit, significasse iustitiam illâ- quâ Abraham⁹ pri⁹ habuerat in pręputio. Imò Ecclesia nunquâ quêquam aut tingeret Baptismo, aut cõmunicaret Eucharistia, nisi illũ iam anteà ad Christum pertinere, & eius gratia ornatum esse crederet. Quid verò sibi vult Paulus, cum iubeat, vt hunc panem dignè comedamus? Quis enim est dignus, nisi qui iam credat, & per fidem cum Christo sit copulatus? Nam ille per fidem habitat in cordibus nostris. Philippus etiam, & Petrus non dubitabant Eunuchum, & Cornelium credere, & imbutos esse spiritu sancto, priusquam eos ad Baptismum admouerent. Quis autem dubitet, Baptismum significare gratiam, & ablutionem à peccatis? At eam Eunuchus, & Cornelius iam anteà erant consequuti. Nec tamen necesse erat, vt Petrus, & Philippus confugerent ad abyssum diuinæ prædestinationis. Etli enim ea sit caput ipsum, & fons salutis nostræ, tamen vtitur medijs. Neque enim vsquam legitur, Deum aut contuliisse gratiam, aut condonasse peccata, aut homines sibi reconciliasse ante constitutionẽ mundi, cum nemo hominum adhuc esset. Decreuit quidem Deus ante omnem æternitatem, se ista daturum esse: sed suo tempore. Ita neminem regenerat cui non prius inseuerit fidem suam. Eius autem regenerationis, velit, nolit Inconstantius, Baptisma signum est: neque tamen signum illud ea causa inutile, aut cassum est. Regeneratio enim nostra, & gratia indies augetur, & confirmatior redditur ex fide. Vt ergo sacramenta dignè, & ritè vsurpentur, necesse est, vt ea inueniant in nobis, quæ significant. Nihilò tamen minus illorum vsurpatio valet plurimùm ad augmentum, & confirmationem illorum donorum, quæ anteà in nobis exiterunt. Hæc autem hactenus intelligi debent à me dicta de adultis. De paruulis autem, qui per ætatem non possunt adhuc actu credere, alia ratio est: de qua hoc loco dicere supersedeo, quòd

quòd ea ad hoc inſtitutum non faciat.

Poſthæc Inconſtantius ad alteram quoque reſponſionem excutiendam ſeſe accingit. Eam autem eſſe meam ſatis ex eo indicat, quod ſcribit, ſe de ea nonnihil dixiſſe ſupra, cum vellet regulas meas refutare. Dicit autem me verbis quidem Catholicorum libenter cedere: ſed poſteà ea torquere ad meum ſenſum. *Concedit*, inquit, *iſte ſacramentalem mutationem:* Ita eſt, video enim conſentire cum ſcripturis: & patres eam mutationem omnino velle. In eo tamen vehementer errat, quòd putat, meam iſtam ſententiam à ſuperiori reſponſione diſcrepare. Nam quòd in altera dicitur, naturam panis non mutari, id intelligi debet de natura panis abijcienda: eam enim certum eſt remanere. Dicitur ea tamen mutari, quod ad nouam conditionem, ſeu ſacramentalem proprietatem attinet. Atque ita dictum eſt, intelligendam eſſe mutationē apud Cyprianū. In priori ergo reſpōſione ne gatur mutatio, ſed non ea, quā ego ſtatuo, verū illa veſtra, quam vos omninò contēditis eſſe oportere tranſubſtantiationē. Hoc tamen tu mihi monendus es, Lector, quid ego aut dicā, aut ſentiā de ſacramentali mutatione, hunc Sophiſtam non intelligere. Dixi quidem ſubſtantiam panis mutari in ſacramētū, hoc eſt fieri ſacramē tum, ſed ita tamen, vt ſubſtantia ipſa maneat. Niſi enim ea remaneret, ne poſſet quidem eſſe ſacramentum. Vt cum dico, Ioannem fieri Grā maticum, in ea mutatione ſentio, Ioannem exiſtere, & ita manere, vt ad eum accedat noua forma Grāmatici. Ita dico, in Euchariſtia manere naturam panis, vt ſubeat nouum reſpectum, & habitum ſacramenti. Certum autem eſt, humanum corpus ali, & nutriri ſubſtantia ipſa & natura panis non autem reſpectibus, aut accidentibus. Et idcircò ea commodiſsimè, & aptiſsimè ſignificat corpus Chriſti pro nobis paſſum in cruce. Illud enim fide apprehenſum, alit & nutrit nos ſpiritualiter: vt inter corpus Chriſti, & panem naturalem communis ſit in alendo analogia. In altero enim eſt phyſica alimonia, in altero ſpiritualis.

Quomodo naturæ panis in Euchariſtia mutentur, et non mutentur.

Sed hoc pacto, inquit *iſte*, *nihil erit in ſacramēto viſibile. Subſtātia enim, quæ eſt cuiuſq; rei natura interna, nec videtur, nec tangitur.* Id autem putat maximè facere contra me, qui alibi dixerim, ſignum non poſſe latēre: cum hic ſtatuam eiuſmodi ſacramentum, quod totum deliteſcat. Nam ſubſtantia panis, inquit, quæ ſignificat, non videtur: quod autem ſignificatur, quoniam abeſt ſecundum eos corpus Chriſti, multò minus. Concludit ergo me nihil relinquere, quod ſit viſibile in ſacramento. Me enim tribuere rationem ſacramenti internæ ſubſtantiæ panis: accidentia autem relinquere omninò otioſa. *Et ſi propriè loquamur*, inquit, *totum non prædicatur de ſingulis ſuis partibus: ideoq; terreni elementi ſpecies non eſt ſacramentum, ſed altera ſacramenti pars, hoc eſt, poſt ſacramentum quaſi forma cum ipſa materia, & res ſacramenti ſit verum corpus Chriſti.* Quod ait, me nihil relinquere in ſacramento quod ſit ſenſibile, quid ego id aliud eſſe dicam, niſi impudentem calumniam? Ipſa enim rerum corporalium ſubſtantia & videtur, & ſentitur, per accidentia. Nam in Symbolo ſcribitur, Deum eſſe creatorem viſibilium, & inuiſibilium. Dic mihi, quæſo, Inconſtanti, an hic putas viſibilia, tantùm eſſe accidentia? Ego quidem ſemper ibi intelligi putabam ſubſtantias ipſas, & naturas rerum, fuiſſe à Deo creatas, quas viſu, & oculis vſurpamus. Quis enim ſanus dicat, hoc tantùm ſignificari verbis illis, ſola accidentia fuiſſe creata? Et cum quiſpiam aut hominem, aut equum videat, aut guſtet panem aut vinū, an putabit, ſe tantùm videre, aut guſtare accidentia? Res ipſæ, & ſubſtantiæ percipiuntur: ſed per accidentia tanquam per medium. Non ergo in pane & vino Euchariſtiæ relinquimus accidentia otioſa. Subſtantiæ enim ipſæ, & naturæ rerum ſub illis recipiuntur, & per illa à ſenſibus vſurpantur: quamuis alioqui ſubſtantias ipſas per definitionem, & diſtinctè cognoſcere ſolus poſsit intellectus. Tamen, ſi verè loqui volumus, ipſæ rerum nāturæ magis ſentiuntur per accidentia, quàm accidentia diuulſa à ſubſtantijs, qualia iſti in ſua tranſubſtantiatione fingunt, ſenſibus cognoſci poſsint. Formę enim per ſe, non concretæ, qualeſcunque ſint, non poſſunt ſub ſenſum cadere. Quare cum ego ſtatuam naturam panis & vini remanere in Euchariſtia, idque cum ſuis accidentibus ſenſibilibus, videat Inconſtantius, quam prudenter dicat, me in ſacramento nihil relinquere ſenſibile. Idcirco autem dico rationem ſacramenti in ſubſtantia panis collocandam eſſe, non in accidentibus, quòd omninò oporteat analogiam, & iuſtam proportionem retineri inter ſignum, & rem ſignificatam. Ea verò eſt, vt, quemadmodum panis alit corpus, ita corpus Chriſti nutriat, & alat animam. Cyprianum autem à me ſtare, vnde potius colligam, quàm ex ipſius verbis? Nam in eadem iſta oratione ita ſcribit: *Panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus, procreat vitam, & incrementum corporibus: ideoque ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adiuta infirmitas ſenſibili argumento edocta eſt, viſibilibus ſacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum.* Audis, Inconſtanti, hunc panem etiam poſt mutationem ſacramentalem, & nutrire, & procurare vitam, atque incrementum corporibus. Atque hoc argumento ducto ex analogia elemēti ad rem ſignificatam, intelligimus, quemadmodum panis alit corpus, ita corpus Chriſti alere, & nutrire animam ſpiritualiter. Atque hæc cauſa eſt cur accidentibus tribui non poſsit ratio ſacramenti: nimirum quod non alant, aut nutriant. Non tamen ea diſtrahimus ab ea re, in qua dicimus propriè ſitum eſſe ſacramentum. Mitto recitare alia loca Cypriani, aliorumque patrum, ex quibus clariſsimè conſtare poſsit, panem, & vinum eſſe ſymbola ſacramenti, eaque alere, atque augere noſtra corpora. Quod autem ſæpè dixi, figuram non poſſe latēre, ſed eam re ſignificata eſſe oportere notiorem, id nunc & repeto, & conſtanter affirmo. Sed hic, inquit iſte totius

Relatio ſacramenti an in ſubſtantijs an in earū accidentibus fundetur.

sacramenti constituis delitescentiam. Minimè verò. Naturam enim rerum non statuo nudam esse in Eucharistia, & spoliatam accidentibus. Conuitia autem sua relinquo Inconstantio. Vtrum enim nobis malitia mutauarit intellectum, Deus optimè iudicabit. Possem quidem vicissim verissimè regerere, Deum vos propter fœdissimam istam vestram artolatriam dedisse in reprobum sensum. Verùm ego decreui mihi temperare, & rem potius ipsam agere.

Totum non prædicari propriè de singulis patribus, quoniam verum est, libenter damus: atque etiam addo, Eucharistiæ, si tota atque integra consideretur, duas esse partes, Symbola videlicet, & res significatas: idque supra suo loco semel atque iterum inculcaui. Quoniam autem patres, etsi minus propriè, tamen interdum symbola ipsa appellant sacramenta, ego quoque hoc loco vnà cum illis ita loqui volui, & panem ipsum appellare sacramentum. Imò ad hunc modum loqui sibi permiserunt Theologi, cum ita definirent sacramentum. Est inuisibilis gratiæ visibile signum. Quiuis enim facilè videre potest, signum in hac definitione ad symbola pertinere. Atque ita Cyprianus quoque locutus est in hac eadem oratione cum diceret, Visibilibus sacramentis inesse vitæ æternę effectum. Nam cum diceret, sacramentum visibile, necesse est, illum ad elementum visibile, hoc est ad symbolum respexisse. Dico itaque, sacramentum, quatenus quidem est signum, de pane, vino, & aqua, postquam ea cœpta sunt adhiberi ad sacrum vsum, tanquam de suis speciebus prædicari. Totam verò Eucharistiam, atque integrum Baptismum vnà cum Irenæo, alijsque Patribus, constare dico ex duabus partibus, signis, videlicet & rebus ipsis. Verũ illud interim dissimulare non possum, quàm constanter Inconstantius noster hæreat in errore suo, eum dicat, accidentia esse formam Eucharistię, corpus autem Christi eius esse materiam. Nam, vt est stupidus, non videt, se plus tribuere accidentibus, illisque fictis, & commentitijs, quam carni Christi. Certum enim est, formam dignitate longe præstare materiæ.

An symbolum externum dici possit sacramentum.

Ad extremum calumniatur, & rodit priorem solutionem, quasi ea statuat, diuinitatem Christi coniungi cum pane in vnitate personæ, quèadmodum coniuncta est cum humanitate. *Id autem*, inquit, *Cyprianus non agit illa similitudine: sed tantum vt ostendat, diuinitatem latêre: quod fieri intelligendum est in carne Christi præsente ex pane facta mutatione ineffabili. Nos autem, cum præcipites ruamus in monstra, & auersi à veritate obcæcemur malitia, nihil pensi habere, etiamsi dicamus Deum impanari.* Nemo nostrûm, Inconstanti, vnquam dixit, aut sensit, Deum impanari, aut de diuina persona talia monstra somniauit. Neque certè vnquam ita insaniuimus, vt putaremus, nos portentosis, & absurdis loquutionibus posse vobiscum contendere. Exposuimus iam, illud apud Cyprianum, Diuinam essentiam ineffabiliter se infundere sacramento, nihil aliud esse, quàm spiritum sanctum adesse sacræ cœnæ, & efficaciter vti illis symbolis, ad excitandam, accendendam, atque instaurandam fidem in animis hominum piorum. Non ergo impanamus Deum, sed vsu sacræ cœnæ, & de vi, atque efficacia sancti spiritus sobriè, & modestè loquimur. Vos autem cum illa vestra transubstantiatione, non quidem impanatis Deum, sed panem ipsum expanatis.

Nihil enim te id iuuat, Inconstanti, quòd ais, *Ecclesiam non auferre substantiam panis, cum tantum explicet constitutionem mysterij, nec eam in ipso mysterio annihilare, propter successionẽ substantiæ melioris: sed eam dicere mirabiliter mutari præter naturæ regulas.* Certum est, Ecclesiam id non facere: neque vobis ea vis data est, vt quamuis maximè cuperetis, posletis id efficere. Hoc autem nos reprehendimus, quod vos pro vestra impudentia tanquam credendum, & omnibus modis retinendum obtruditis: idque non tantum sine scripturis, sed etiam sine authoritate patrum. Quid, obsecro, interest vtrum dicatis annihilari substantiam panis, an eam esse desinere? Ná, quod fingitis, id, cuius & materiã, & forma prorsus esse desinat, non annihilari, insanum portentum est. Nihil ergo necesse fuit, Inconstanti, vt vestram istam fabricam prodigiorum, in qua vos regnum iam dudum obtinetis, nobis transcriberes. De malitia autem, quam criminis loco obijcis, nihil regero. Quàm enim vos sancti atq; innocentes sitis, orbis iam terrarum vniuersus videt.

Argumentum Gardineri ex Hilario de Trinitate, lib. 9.

Si verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodò non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam nostræ carnis iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacramento nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes sumus vnum, quia & in Christo pater est, & Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter, vel se in Christo, vel Christum sibi inesse. Quia in Christo pater, & Christus in nobis vnum in eis esse nos faciunt. Si verè igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus, & per hoc vnum erimus, qui pater in eo est, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit vnionis? Non est humano, aut seculi sensu in Dei rebus loquendum.

SOLV-

SOLVTIO.

HILARIVS quemadmodum dicit, Christum esse in nobis naturaliter: ita etiam idem dicit, nos esse naturaliter in eo. Neque id intelligi voluit, de naturali & corporali præsentia substantiæ corporis Christi, & nostri. Nam vt nostra corpora non sunt eo modo in eius corpore: ita corpus eius non est eo modo in nostris corporibus. Sēsit autem hoc Hilarius, Christum in incarnatione sua assumpsisse à nobis naturam mortalem, & eam vniuisse diuinitati suæ, atque ita nos esse naturaliter in eo. Deinde etiam sacramenta & Baptismi, & sacræ Cœnæ, si rite vsurpentur, certos nos reddunt, nos esse participes diuinæ naturæ, habentes ab eo datam nobis immortalitatem & vitam æternam. Et sic Christus est naturaliter in nobis. Et idcircò Hilarius ibi disputans de vtroque sacramento, nullam differentiam facit inter eam vnionem, quam habemus cum Christo in Baptismo, & illam, quam habemus cum eo in sacra Cœna. Nihil autem istorum aduersatur sententiæ nostræ. Hilarius enim non contendit, corpus Christi in hoc sacramento latêre abditum sub accidentibus: sed hoc tantùm asserit, nos communicando verè coniungi cum eius carne. Quod certè nos nunquam negauimus.

GARDINERVS.

HILARIVS tractat mysterium nostræ cum Christo vnionis secundum carnem: quam Christus ex nobis assumpsit, & diuinitati suæ vnitam, nobis deinde in sacramento dat & communicat.

MARTYR.

PRimùm hoc dissimulari non debet, verba ista Hilarij admodum esse obscura: vt nisi quis diligenter, & attentè animaduertat, quid ille anteà tractauerit, vix possit, quid hic dicatur, intelligere. Illis autem in libris de Trinitate disputat aduersus Arrianos: qui docebāt in beata Trinitate inter patrem, & filium nullam intercedere aliam vnionem, quàm voluntatis, & concordiæ. Contra eos disputans Hilarius multis argumentis probat, inter nos, & Christum maiorem multò vnionem esse, quàm consensus, & voluntatis: nam & illum nobis, & nos illi vnitos esse naturaliter. Atque ex eo probat, Christum etiam cum patre non tantùm voluntatis vnione coniunctum esse, sed etiam naturaliter. Nos autem coniungi naturaliter cum Christo, vt rem eam paulò altius repetam, sic probat. Primùm Arriani ex illis verbis Christi precantis patrem apud Ioannem, Non pro his rogo tātùm, sed & pro ijs qui crediturí sunt per verbum illorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: ex his, inquam, verbis Arriani colligebant, filium vnum esse cum patre tantum assensu voluntatis: sic enim homines inter sese coniunguntur, & vnum sunt. Hic se illis opposuit Hilarius, & docuit, homines Christianos coniungi inter se, non tantùm voluntate, sed etiam naturaliter. Sic ergo disputat: *Quorum anima, & cor vnum omnium erat, quæro, vtrum per fidem Dei vnum erant? Vtique per fidem: per eam enim anima vna, & cor vnum omnium erat. Et interrogo, vtrum fides vna, an altera sit? Vna certè, etiam ipso Apostolo authore, Vnam fidem, sicuti vnum dominum, & vnum Baptisma, & vnam spem, & vnum Deum prædicante. Si ergo per fidem, id est, per vnius fidei naturam, vnum omnes erant, quomodò non naturalem in his intelligis voluntatem, qua per naturam vnius fidei vnum sunt?* Ex vnitate igitur fidei Hilarius concludit, fideles inter se naturaliter vnitos esse.

Deinde idem probat argumento ducto à Regeneratione: ad hunc modum, *Sin verò*, inquit, *regenerati in vnius vitæ, atque æternitatis naturam sunt, per quod anima eorum, & cor vnum est, cessat in his assensus vnitas, qui vnum sunt in eiusdem regenerationis naturæ.* Posteà etiam vnitatem istam inter fideles naturalem esse, probat etiam ex Baptismo. *Docet*, inquit, *Apostolus ex natura sacramentorum esse hanc fidelium Dei vnitatem, ad Galatas scribens, Quotquot in Christo Baptizati estis, Christum induistis. Non inest Iudæus, neque Græcus: non inest seruus, neque liber: non inest masculus, neque fœmina. Omnes enim vos vnum estis in Christo. Quòd vnum sunt in tanta gentium, conditionum, sexuum diuersitate, vnquid ex assensu volūtatis est, aut ex sacramēti vnitate: quod his & Baptisma sit vnum, & vnum Christum induti omnes sint? Quid ergo hic animorum concordia faciet, cum per id vnum sint, quòd vno Christo per naturam vnius Baptismi induantur? Aut, cum qui plantat, & qui rigat vnum sint, nunquid non per hoc vnum sunt, quia ipsis in vno Baptismo renatis, vna vnius regenerantis Baptismi dispensatio est?* Nun-

quid non & idem agunt? Nunquid in vno vnum sunt? Itaque, qui per rem eandem vnum sunt, natura etiam vnum sunt, non tantùm voluntate: quia & ipsi re eadem affecti sunt, & eiusdem rei, atque efficientiæ sunt ministri. His argumentis Hilarius probauit, nos inter nos vnum esse natura: videlicet, vt ex eo concluderet, Christum quoque natura vnum esse cum patre, non tantum assensu, aut voluntate. Ex verbis autem illis Christi hanc elicit sententiam: *Vt omnes vnum sint, sicut tu, pater, in me, & ego in te: vt ipsi vnum sint in nobis* Ergo nos qui natura sumus vnum inter nos quemadmodum iam probatum est, erimus natura vnum cum patre, & filio. Christus enim dicit, *Et ego honorem, quem dedisti mihi, dedi illis.* Concludit ergo Hilarius, per hunc honorem nobis datum à filio nos esse vnum cum patre, & filio, non tantùm voluntate & consensu, sed etiam natura.

Pergit Hilarius, & hanc eandem vnionem, quam probauerat per fidem, per regenerationem, per Baptismum, & per honorem, probat etiam per sacramentum Eucharistiæ: & ea subijcit, quæ proposita sunt ab Inconstantio in argumento: probatque, Christum in nobis esse per naturę veritatem, non tantùm propter consensum voluntatis. Id autem ex eo probat, quòd Christus, cum homo nasceretur, naturam, assumserit nostræ carnis: nos verò vicissim esse in Christo naturaliter ex eo probat, quòd ille naturam suę carnis sub sacramento nobis communi- candæ carnis admiscuerit. Itaque concludit, negari non posse, patrem esse in Christo naturaliter, nisi quis eadem opera negare velit, vel nos in Christo, vel Christum in nobis esse naturaliter.

Id verò ad rem maximè videtur facere, quòd subijcitur, *Nosque verè sub mysterio carnem corpus eius sumimus: & per hoc vnum erimus, quia pater in eo est, et ille in nobis: quomodò voluntatis vnitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas perfectæ sacramentum sit vnitatis?* Atqui nos carnem Christi sub mysterio verè sumi, nunquam negauimus. Carnem enim eam Christi, quam credimus pro nobis mortuam in cruce, & fide complectimur spiritualiter, & per fidem verè sumimus, vereque comedimus. Aduerbium autem illud Verè non indicat realem, aut substantialem præsentiam, sed tantùm docet, sumptionẽ illam spiritualem veram esse, illudque corpus, quod ita sumimus, non fictum, aut commentitium, sed certum esse, & subsistens, & verum. Alterum etiam illud aduerbium, Naturaliter, non ita vsurpatur ab Hilario, quasi caro Christi realiter, & substãtialiter admisceatur carni nostrę: id enim neque conuenit, neque fieri omninò potest. Opponitur tantùm illa vox voluntati, & consensui. Vult enim Hilarius plus nobis esse coniunctionis cum Christo, quàm cõsensus, aut voluntatis. In eo autem sita est illa coniunctio: primùm, quòd filius Dei assumpsit naturam humanam: deinde quòd nos vicissim eius carnem apprehendimus per fidem, & comedimus spiritualiter. Et quemadmodum in illis argumentis, quæ suprà commemoraui, statuit naturalem esse coniunctionem inter nos & Christum propter fidem, propter regenerationem, propter Baptismum & propter honorem, quòd ista omnia nobis sunt cum Christo communia: ita hîc quoque ait, nos vniri cum Christo naturaliter, quod communicando eius carnem apprehendamus per fidẽ, & spiritualiter comedamus. Certè si fides, si regeneratio, si Baptismus, si honor hoc efficiat, nihil causæ video, cur non etiam idem efficere possit caro Christi à nobis spiritualiter manducata. Hæc ego operæpreciũ esse duxi paulò altius repetere, quod putarem, obscuritatem illam verborum Hilarij, quæ adducta sunt in argumento, ex illis, quæ ab eo anteà dicta fuerant, & ex serie ipsa, & continuatione orationis posse vtcunque illustrari.

Vnum tamen quiddam adhuc supereſt, in quo Lector fortasse nonnihil hærere possit: illud videlicet quod Hilarius scribit, Dominum carnem suam admiscuisse sacramento: deindè, Nos verè carnem corporis eius sub mysterio sumere. Verum hoc posterius facilè potest expediri. Neq; enim aut inusitatum, aut nouum est, dicere, res ipsas abscondi sub verbis: cum tamẽ nemo ita sit stupidus, vt ea causa putet, res ipsas in verbis delitescere. Prior etiam illa loquutio ita potest non incommodè explicari. Nam de homine, qui aliquid vehementius, atque iracundius loquutus sit, dicere solemus, Ille totum suum stomachum, & bilem vniuersam orationi suæ admiscuit: & de homine festiuo, & perfaceto, Ille verbis suis omnem suam amœnitatem, & lepõrẽ aspersit. Simili dicendi forma Hilarius ait, Christum carnem suam admiscuisse sacramento, cum ille nobis instituerit huiusmodi mysterium, in quo nihil aliud significaretur, nisi eius corpus & sanguinem pro nobis tradita fuisse in mortem.

Hæc præfatus, venio ad Sophismata, & cauillos Inconstantij. Quòd primo loco ait, *realem nostram vnionem cum Christo dupliciter constare, vel quod Christus naturam nostram assumpserit ex Virgine, vel quod nos eius carnem verè recipiamus in Eucharistia*, citra controuersiam recipio, modo istud posterius de Eucharistia intelligatur per fidem, & spiritualiter. Nam aduerbia illa duo, Naturaliter, & Spiritualiter, iam suprà ostendi non pugnare: quomodo quidem Hilarius in hac disputatione vtitur illa voce, Naturaliter: nimirùm, ex antitheſi ad vnionem voluntatum. Aduersatiuam illam dictionem, quam iste taxat, ideo posuimus in Responsione, quoniam Christus dicitur esse in nobis naturaliter, quamuis nostrũ cuiusque naturam non assumpserit sigillatim. Ita nos in Eucharistia verè sumimus carnem eius, quamuis eam substantialiter præsentem non habeamus. Nec tamen propterea negamus, in Communione vniri nobis carnem Christi, idque, vt Hilarius ait, naturaliter, per antitheſin videlicet eius coniunctionis, quam *Arriani* ponebant, consensus, & voluntatis: non tamen ita naturaliter, vt quemadmodũ caro, & natura humana in Christo vnitur

tur diuinę naturę, ita eadē vniatur naturę & car A ni nostrę. Natura enim diuina & humana faciunt in Christo eandē hypostasin: quę tamen nō potest fieri ex carne Christi, & carne nostra. Vides ergo, Lector, aduerbium illud, Naturaliter, vtrinque positum nō eandem vtrinque habere vim: Caro quidem ipsa Christi sumitur à nobis in Eucharistia, sed spiritualiter, & per fidem. Non tamē idcircò realiter, aut substantialiter cohæret cum carne nostra. Huc spectauit aduersatiua illa distinctio Responsionis, quam B Inconstantius sine causa reprehendit.

Sed fortasse quæres, quid in nobis faciat illa caro Christi ita per fidem spiritualiter apprehēsa. Respondeo: Transfundit diuinas illas qualitates, & dotes suas virtutum, immortalitatis, felicitatis, primum in animum, cui spiritualiter vnitur, deinde etiam in corpus nostrum: vt iam duplici nomine dici possimus esse in Christo naturaliter, & quod habeamus in nobis humanam illius naturam, quam ille assumpsit ex nobis, & quòd iam illius naturæ etiam proprietatibus ornati simus, quibus propter peccatū eramus anteà destituti: atque ita efficimur caro de carne illius, quemadmodum ille factus est caro de carne nostra: vt ille iam vicissim dici possit esse in nobis naturaliter. Necessitas ipsa hoc expressit ab Inconstātio, vt fateretur, corpora nostra nō esse in Christo secundum integritatem individuarum substantiarum. Nihilō tamen minus contendit, corpus Christi in dispēsatione Eucharistiæ integrum, atque impartibile, vt Cyrillus ait, communicari singulis. Sed id nos etiam ipsi non inuiti damus, modò intelligatur corpus Christi dari spiritualiter, sine substātiali illa Papistarum præsentia: sic enim nullo modo potest. neque alia ratione verba Cyrilli admitti debent.

Sed addit Inconstantius: *Hilarius eandem veritatem asserit carnis in mysterio datæ, & à nobis acceptæ, quæ est caro ab ipso Christo assumpta in vtero. Et* E *hinc colligimus apertissimè sentire Hilarium, veram esse præsentiam substantiæ corporis Christi in sacramento, secundum quem Hilarium, vt ex eius verbis liquet, nos tam verè sumimus carnem Christi in hoc mysterio Eucharistiæ, quàm Christus sumpsit in mysterio Incarnationis. Adeò si illam carnem in mysterio incarnationis sumptam verè, substantialiter, realiter, corporaliter sumptam confitemur, illud ipsum confiteamur oportet de carne sumpta in Eucharistia. Quia apud Hilarium istum, quod ad veritatem carnis assumptæ, & acceptæ attinet, hæc duo mysteria Incarnationis, & Eucharistiæ pariter censentur, & æstimantur.* Nos quidem, Inconstanti, fatemur vtrunque, & Christum verè assumpsisse humanā carnem ex vtero virginis, & eandem illam carnē, non fictam, aut commentitiā, sed integram, & veram dari nobis in Eucharistia: sed, vt sæpe iam diximus, fide, & spiritualiter. Nec propterea necesse erit realem illam vestram præsentiam constituere. Malè ergo & frustrà colligis ex Hilario: Tam verè sumi G mus carnem Christi in Eucharistia, quàm verè Christus eā assumpsit in mysterio Incarnationis. Nam aduerbium illud, verè vtrinque rectè conuenit: non tamen eodem modo. Idque ipse cogeris confiteri. Ibi enim erat vna hypostasis: quæ hic certè non est. Non debet ergò tibi videri mirum, si negemus eandem esse vtrinque præsentiam. Fuit ibi quidem præsentia substantialis: hic autem tantum est spiritualis, vtrinq; tamen vera. Neque mirari debes Lector, si ego hic concedam carnem Christi verè sumi in sacramento. Id enim non aliter concedo, quàm quomodo solemus dicere, vitam æternam dari in sacris literis. Ea enim in illis significatur, & ex illis hauriri potest, si quis eam fide apprehendat.

Adhęc verba illa, *Tam verè, & eodem modo*, quę Inconstantius sibi tam liberè permittit, nō sunt in Hilario. Christum quidem verè suscepisse in Incarnatione carnem nostram, vt ea vicissim à nobis verè sumitur in Communione, fateor, at non vtrinque eodem modo verè. Iste autem ita solenniter furit, vt vtrique mysterio, Incarnatio C ni videlicet, & Eucharistiæ velit aduerbia illa, verè, realiter substantialiter, corporaliter eodē modo cōuenire. Quæ qui velit dare, necesse est vt sese immergat in abyssum absurdorū. Quomodo autem duo illa mysteria Incarnationis, Eucharistiæ inter se cōferri debeant, iam anteà diximus. In altero Christus accepit naturam humanam, in altero dat. Non tamen necesse est vt quemadmodum accepit substantialiter, ita etiam eam det substantialiter. Ita enim habe- D mus eam eo ipso, quòd homines nati sumus. Id ergo tantùm superest vt Christus det nobis eam spiritualiter. Ita enim à nobis hausta participes nos facit, & quod ad corpus, & quod ad animum attinet, qualitatum, virtutum, & proprietatum Christi.

Dat rursus nobis Sophista noster, *Christum quidem assumpsisse integram naturam humanam, non tamen integros homines: quemadmodū*, inquit, *singuli nos accipimus integrum Christum, sed quod ad effectū mysteriorum attinet. sicut natura carnis nostræ est in Christo per Incarnationem: ita natura carnis Christi est in nobis per Eucharistiam. Et ita probat Hilarius naturalem Christi, & nostræ carnis vnionem: quam dicit perfici per Eucharistiam, qua nos accipimus carnem Christi diuinitati vnitam, & per carnem participamus diuinitati.* Semper ingenuè fassi sumus, nos in Eucharistia Christum recipere integrum, sed spiritualiter. Idque nobis Inconstātius non ita grauatè dare debet. Quemadmodum enim ipse discrimen quoddā agnoscit inter modum eum, quo Christus recepit humanam carnem, & eum quo nos eius carnē vicissim sumimus, quòd Christus singulorum hominum naturam non assumpserit, cum tamen dicat eum integrum, & totum sumi à singulis: ita nos aliud etiam quoddam discrimen statuimus: nimirum, assumptionem illam humanæ naturæ in Christo fuisse substantialem, nostrā autē vicissim tantū esse spiritualē. Natura n. Christi humana nō potest singulis hominibus distribui realiter, substātialiter, & corporaliter.

Accusat præterea nos grauiter Inconstantius, quòd dicamus in responsione, Hilarium proba

re eádem vnionem naturalem ex Baptiſmo. Id enim falſum eſſe, & à nobis confictum fortiter clamat. Quid ego hic faciam, niſi vt eum remittam ad librum, quem eius operæ anteâ fortaſſe negligentius conſiderarunt. Quod ne Lector facere cogeretur, ſuprà Hilarij verba huc tranſcripſi. Arguta verò, & ſubtilis illa expoſitio quemadmodũ dicatur natura fieri, quod à pluribus eodem modo fiat, primum non eſt vera, deinde ad rem nihil facit. Nam, vt intelligas nõ eſſe veram, videmus texturam ſæpè & à pluribus fieri, & eodem modo, nemo tamen eſt, opinor, qui dicere velit texturam natura fieri: niſi velit artem & naturam confundere. Ad inſtitutum autem nihil facit, quoniam, vt iam dictum eſt, Hilarius cum dicit naturam, & Naturaliter, intelligit tantum quiddam, quod ſuperet coniunctionem voluntatum atque animorum. Et vnionem illam naturalem Hilarius ita probat ex Baptiſmo quòd Baptiſmus vnus ſit, quodq; omnes iuduti ſint vnum Chriſtum. Quod cũ dicit, naturam profectò carnis Chriſti non excludit. Imò quemadmodum Paulus ait, in Baptiſmo inſerimur Chriſto, & cum eo complantamur, & conſepelimur. Quæ cum referantur ad mortem, & ſepulturam Chriſti, ſatis oſtendunt, nos carnis eius, quę pro nobis mortua eſt & ſepulta, in Baptiſmo fieri participes. Vnio ergo noſtra cum Chriſto, quam celebramus in Euchariſtia, non ita diuerſa eſt, vt iſte fingit, ab ea, quam habemus in Baptiſmo. Sed itte cũ ea ita ſubtiliter diſtingui velit, nodum tantum in ſcirpo quærit. Neque enim id agit, vt doceat Lectorem, ſed vt eum abducat à via, & inuoluat in caliginem. Sed indigniſsimè fert, quòd dicamus, nos in Euchariſtia reddi certiores de participatione noſtra cum natura diuina: cum interim diſsimulemus veram ſumptionem carnis Chriſti: eam enim Hilarium docere, vt probet naturalem unionem. Nos quidem idcircò dicimus homines pios in Euchariſtia reddi certiores de participatione diuinæ naturæ, quòd fructus ſacramentorum non redundet, niſi in eos, qui illa rectè vſurpant. Rectè autẽ non vſurpantur niſi ab illis, qui ad ea accedunt cum fide. Illi autem, qui præditi ſunt vera & viua fide, iã antea habent participationem diuinæ naturæ: ijdem tamen accedunt ad myſteria, in fide ſua magis magiſq; confirmantur: quemadmodum ſigillis, & annulis fieri videmus in humanis contractibus. Aucta autem fide, augetur etiam participatio diuinæ naturæ.

Poſtea ſtudet elicere, neſcio quam, blaſphemiam è verbis noſtris: quòd, videlicet, poſtquã dixiſſemus, ſacramenta Baptiſmi, & Cœnæ reddere nos certiores, nos eſſe participes diuinæ naturæ, & habere immortalitatem, & vitam æternam, adiecimus etiam, Ita Chriſtum eſſe in nobis naturaliter. Quę hic ſit blaſphemia, nemẽ nem equidem videre arbitror, præter vnum Inconſtantium. Quid enim, an negabit, nos eſſe participes diuinæ naturę? Non opinor. Id enim D. Petrus nimis perſpicuè teſtatur. Hanc autem participationem dupliciter habemus per carnem Chriſti: primùm, quòd omnia Dei beneficia per illam crucifixam ad nos deriuantur: deinde, quòd illa ipſa participatio non prodeſt, niſi eam ſibi quiſque per fidem apprehendat. Beneficium enim Dei, quod alioqui omnibus natura ſua commune eſt, hoc modo applicatur ſingulis. Hæc, ſcilicet, eſt illa noſtra tam horrenda blaſphemia. Tu, Lector, optimè iudicabis, quàm iſte iuſtè ſic immodeſtè, & contumelioſè in nos inſaniat. Hilarium autem non ponere diſcrimẽ inter illam vnionem, quam habemus cum Chriſto in Baptiſmo, & illam, quam habemus in Euchariſtia, ita dictum eſt in reſponſione, vt ſæpè illiâs diximus, in genere. Vtrinque enim recipimus Chriſtum, & in eo, & ſpiritu, & corpore renouamur. In modo tamen ſæpe differentiam eſſe docuimus: nimirum, quod in Baptiſmo mutemur in Chriſtum per Regenerationem: in Euchariſtia autem per ſpiritualem alimoniam. Verè dictum eſt in Reſponſione, verba Hilarij cum noſtra ſententia non pugnare: quòd ille non loquatur de accidentib. ſine ſubiecto: nec dicat, corpus Chriſti aut latitare, aut abditum, atque opertum eſſe ſub ſacramento. *At loquitur*, inquit Inconſtantius, *de ipſiſſima veritate præſentiæ carnis Chriſti.* Deum immortalem: qua fronte, quo ore oportet hominem iſtum eſſe? Lector enim attentus facilè videbit, in omnibus illis verbis Hilarij nullam vſpiam fieri mentionem de præſentia carnis Chriſti. Sumere quidem nos illam dicit: & in ea nos cum Chriſto communicare, dicit. Illam autem realiter, & ſubſtantialiter adeſſe nuſquam dicit. Verùm, cum Hilarius dicat, carnem Chriſti ſumi à nobis in cibo dominico, illis verbis haud dubiè, ſi Deo placet, iugulamur. Atqui ego iam ſuprà nõ ſemel ſatis copioſè expoſui, quo ſenſu dari poſſit, carnem domini ſumi à nobis vel in, vel ſub Euchariſtia. Quàm autem ego hic inſignia mendacia dixerim, id, Inconſtanti, non erit tum iudicium. Apud te enim recta & vera religio eſt mendacium. Prudens Lector, & pia poſteritas melius, vti ſpero, edocta, ſincerius & verius de vtroque noſtrũm iudicabit.

Argumentum Gardineri ex Cyrillo in Iohannem lib. 10. cap. 13.

NON negamus, recta nos fide, charitateque Chriſto ſpiritualiter coniungi. Sed nullam nobis rationis coniunctionis ſecundum carnem cum illo eſſe, id profectò pernegamus: idque à diuinis ſcripturis omninò alienum ducimus. Quis enim dubitauit, Chriſtum etiam ſic vitem eſſe, & nos palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, Quia omnes vnum corpus ſumus in Chriſto. Quia etſi multi ſumus, vnum tamen in eo ſumus. Omnes enim de vno pane participamus. An fortaſſis putat nobis ignotam Dominicæ benedictionis virtutem eſſe? Quæ cùm in nobis fiat, nonne corporaliter quoque facit cõmunicatione carnis Chriſti, Chriſtum in nobis habitare? Cur enim membra fideliũ mẽbra Chriſti ſunt? Neſcitis, inquit, quia mẽbra

veſtra

vestra membra sunt Christi? Membra igitur Christi faciam meretricis membra? Absit. Saluator etiam, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Vnde considerandum est, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam & participatione naturali.

SOLVTIO.

ETSI Cyrillus dicat, Christum habitare in nobis corporaliter, cum sumimus mysticam benedictionem, non tamen dicit aut Christum habitare in pane corporaliter, aut etiam in nobis corporaliter habitare illis tantum temporibus, cum accipimus Eucharistiam, aut Christum habitare in nobis, non autem nos in illo. Aequè enim dicit nos in illo, atque illum in nobis habitare. Ea autem habitatio non est localis, aut corporalis, sed cœlestis, spiritualis, supernaturalis, per quam habemus æternam vitam: & idcirco Cyrillus ait, Christum esse vitem, nos autem esse palmites. Nam vt palmites recipiunt vitam, atque nutrimentum à corpore vitis: ita nos recipimus à Christo naturalem corporis eius proprietatem, quæ est vita & immortalitas: atque ita effecti membra eius viuimus ex illo, & nutrimur spiritualiter: atque hoc illud est, quod Cyrillus intellexit per uocem illam, Corporaliter, quodque Hilarius per similem vocem, Naturaliter. Quemadmodum enim Paulus, cum dicit, Plenitudinem diuinitatis habitare in Christo corporaliter, non sensit diuinitatem esse corpus, sed eam esse, atque habitare in Christo, non leuiter, aut accidentaliter, sed perfectè, & substantialiter cum omni sua virtute, ac potentia: ita Cyrillus, cū scriberet, Christū habitare in nobis corporaliter, hoc sentiri voluit, eū non leuiter, aut perfunctoriè, sed substātialiter, potēter, efficaciter esse in nobis, atq; ita esse, vt nos per illū habeamus redemtionē, & vitā æternā Apparet ergo ex istis, Cyrillum non sensisse de manducatione corporali, & potatione quę fiat ore corporis.

GARDINERVS.

HAEC verba Cyrilli manifestè expugnant cauillum Sectariorum: qui vt excludant veram carnis Christi communicationem, omnia fingunt expediri sola fide.

MARTYR.

ANtequam accedo ad Inconstantium, libet mihi quędam præfari. Hoc ait Cyrillus, vt ostendat, inter nos & Christum nō intercedere communionem animorum tantum & voluntatum, sed etiam naturarum: quo Christus in se habeat re ipsa, & verè naturam nostræ carnis. Christum autem verè habere in se naturam humanam, luculentissimè probat per sacramentum Eucharistiæ. In ea enim verè offertur fidei nostrę caro Christi, quod certè fieri nō posset, nisi ille verè haberet humanam carnem. Falsa enim nō creduntur, nec credi omninò possunt. Huc adde, nos ex illa carne Christi verè per fidem apprehensa haurire vitam, non aliter quàm palmites succum & vitam suam hauriunt è vite. Quod autem Cyrillus hic videtur dicere, *nos per Eucharistiæ Communionem fieri membra Christi*, prudenter & cautè legendum est. Nō enim per sacramenta efficimur Christi membra, sed per fidem & spiritum. Neq; potest quisquam dignè accedere ad Eucharistiam, nisi qui antea sit membrum Christi. Cogitare tamen debemus, coniunctionem illam, quam habemus cum Christo, augeri posse, idque maximè fieri vbicunque fides nostra augetur, & crescit. Efficitur autem auctior, & constātior fides nostra, ex pio & legitimo vsu Eucharistiæ: nosque ipsi ex ea reddimur certiores de illa vnione, quam habemus cum Christo. In summa, nos quoque vnà cum Cyrillo ponimus, inter nos, & Christū coniunctionem esse, non tantum voluntatis, sed etiam naturæ: idque duplici nomine: primùm, quòd habeamus, eandem carnem, quòd quidem ad speciem attinet, quam Christus assumpsit à nobis: deinde etiam quod per fidem, & spiritum adepti simus qualitates eiusdem illius carnis, quæ sunt naturæ quædam carnis Christi. Quemadmodum autem ista coniunctio transeat ad nos per sacramenta, satis iam diximus.

Nunc venio ad insultationes Inconstantij. Primum id affert, quod nos etiam iam dedimus, *duo esse genera coniunctionis nostræ cum Christo: vnam habitudine voluntatis, alteram naturalem.* Quod autem addit, *hanc posteriorem naturalem effici vi sacramenti*, id non est simpliciter recipiendum. Eam enim antea habemus, quàm accedamus ad Eucharistiam. Anteà enim & homines sumimus, & si dignè accedimus, per fidem & spiritum habemus etiam cœlestes eius proprietates: atque ita ante Communionem coniungimur cum Christo, non tantùm natura & specie, sed etiam habitudine, & voluntate. Ex Eucharistia tamen, vt dixi, efficimur de coniunctione illa nostra certiores: & quoniam fides nostra per eam excitatur, nosque spiritualibus eius naturis & qualitatibus imbuimur, multò arctius cum Christo copulamur. Atque hoc pacto recipimus dictum illud Cyrilli, Nos vniri Christo per sacramentum.

Citat etiam præterea eundem Cyrillum ex libro 11. & cap. 27. in Ioannem, qui sic scribat: *Christum per mysticam benedictionem communicare se nobis corporaliter, vt hominem: spiritualiter*

autem, vt Deum: quæ verba ego ſemper ſic accepi: Symbola illa panis & vini, quoniam ſignificant carnem & ſanguinem Chriſti, quæ pro nobis data ſunt in crucem, idcircò repræſentare nobis Chriſtum hominem, ita, videlicet, vt ille noſtra cauſa mortem ſubijt corporaliter: quoniam autem iſta credendo, & ſpiritualiter edendo, adipiſcimur etiam cœleſtem eius naturam, & proprietatem, qua & animus & corpus noſtrum reparentur ad æternam vitam, idcircò rectè dici, Chriſtum ſe nobis ita cõmunicare ſpiritualiter, vt Deum: quòd conditiones, & naturæ carnis Chriſti dimanent per ſpiritum & ad animum, & ad corpus noſtrum. Collectis ergo vndique, & diligenter excuſsis omnibus Cyrilli ſententijs, video illum hoc ſenſiſſe, Chriſtum tribus modis nobiſcum coniungi: primùm, quòd ille aſſumpſerit carnem noſtram: deinde, quod nos per fidem percipientes eandem illam carnem donemur vberiori ſpiritu: poſtremò, quod nos hoc pacto aſſequamur proprietates & conditiones & gratias eius carnis: atq; id apud Cyrillum & Hilarium eſt cum Chriſto coniungi corporaliter. Et ne me putes, Lector, iſta finxiſſe de meo, malo ipſum audias Cyrillũ. Is in Ioannem li. 11. cap. 26. ita ſcribit: *Vnum autẽ dico habitudine, atque affectu, vt incipientes dicebamus, vnum pietatis conſenſu, vnum ſanctæ carnis Chriſti communione, vnum vnius ſancti ſpiritus participatione.* Hic expreſſos habes tres modos vnionis noſtræ cum Chriſto. Communio autem, quam habemus cum Chriſto per carnem, diſtinguenda eſt dupliciter: vel quatenus ſumus homines, & naturam humanam habemus cum Chriſto cõmunẽ: vel quatenus virtutibus, & proprietatib. illius carnis induimur quodãmodo per ſpiritũ & cõfirmamur. Sed de his poſtea fuſius. Fatemur, Chriſtũ ex eo, quod habet humanã naturã coniunctã cum diuinitate, dici vitem: per eius. n. humanitatem omnia dona cœleſtia, & omnes gratiæ ad nos à Deo deriuãtur. Neq; aliter iſta haurimus è Chriſto, niſi cum eo coniungamur, vt palmes cum vite. Hæc autem vnio efficitur per fidem. Sic. n. Paulus ait, Chriſtũ per fidem habitare in cordibus noſtris: & Chriſtus ait in 6. Ioan. *Qui credit in me habet vitam æternam.*

Chriſtus trib. modis nobiſcum iungitur ſecundum Cyrillum.

Cyrillus.

Coniunctio noſtra cum Chriſto ſecundum carnem duplex.

Sed Inconſtantius clamat, *Cyrillum ſenſiſſe non figuram carnis, ſed veram carnem dari in Euchariſtia, vt per myſticam benedictionem ſimus participes humanitatis Chriſti.* Quod ſi velit ſimpliciter intelligi, nec verum eſt, nec conuenit cum illis, quæ hactenus dedit. Quis. n. dicat, nullã omnino eſſe figuram carnis Chriſti in Euchariſtia? Certè, ſi ita eſſet, non eſſet ſacramentum, hoc eſt, inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum. Imò nemo eſt tam fatuus ex vniuerſo grege Papiſtarum quin fateatur ſaltem accidentia panis eſſe ſigna Chriſti. At res ipſa, inquiet Inconſtantius, vnà datur. Fateor: at non abdita, & inuoluta ſub accidẽtib. aut incluſa in panẽ, ſed per fidẽ, & ſpiritualiter. Nos per myſticã benedictionẽ fieri participes humanitatis Chriſti nõ nego, modo id rectè intelligas. Habebamus quidẽ humanã Chriſti naturam antea: quod homines eſſemus, & natura noſtra cũ Chriſti natura cõueniret: poſteà tamẽ facta eſt noua coniunctio, cum in Regeneratione eius naturę proprietatibus indueremur. Eaque etiam per omnem vitam noſtram, partim audiendo verbum Dei, partim ex vſu myſteriorum amplificatur. Ad hunc modum in Euchariſtia efficimur participes carnis Chriſti.

Reſponſum eſt in Solutione, Cyrillum non dicere, Chriſtum habitare in nobis corporaliter, tantum cum percipimus Euchariſtiam. Id quoniam Inconſtantius non intelligit, turpiter hallucinatur, nos aſſerere, Chriſtum habitare in nobis corporaliter interim dum recipimus Euchariſtiam. Atqui ſenſus erat, Chriſtum non tantùm in vſu ipſo Euchariſtiæ habitare in nobis, ſed etiam & anteà, & poſteà, etiam citra cõmunionem vllam Euchariſtiæ: quod Inconſtãtius horret dicere. Cyrillus autem, etſi videri poſsit tribuere ſacramento efficientiam huius vnionis tamen veram & propriam & efficientem cauſam ijs verbis non attingit. Ea autem eſt ſpiritus: qui tamen vtitur & externo verbo, & ſacramentis, ad fidem in nobis excitandam, & nos prorſus immutandos. Cum itaque inſtrumenta rationem cauſæ aliquo modo habeant, non mirum ſi Cyrillus ita loquitur. Mitto, Sacramenta eſſe etiam ſigna quædam diuinæ erga nos voluntatis, & teſtimonia donorum, quæ in nos à Deo collata ſint. Rectè etiam additum eſt, Cyrillum non dicere, Chriſtum habitare corporaliter in pane. Hoc enim ille certè non ſcribit. Et tamen ſi voluiſſet à Papiſtis facere, ita eum oportuiſſet ſcribere. *At non ita,* inquit Inconſtantius, *loquuntur Catholici: qui tamen colligunt ex Cyrillo, corpus Chriſti ſub viſibilibus in Euchariſtia ſpeciebus verè præſens eſſe.* Vos quidem colligitis ſæpè ea quę nemo ſeminauerit. Certè Cyrillus nec ſpecies illas veſtras habet, nec accidentia. Imò ea, quę Chriſtus appellauit corpus ſuum, ille expreſſè vocat fruſta panis.

Fatetur adhæc iſte noſter, *Cyrillum non dicere, Chriſtum habitare in nobis corporaliter pro illo tantum tempore, quo recipimus Euchariſtiam. Ait tamen ſolo effici Sacramento, vt Chriſtus habitet in nobis corporaliter: quatenus ille ibi nobis communicat carnem ſuam.* Non habet Cyrillus, Solo: id tu, Inconſtãti addere voluiſti de tuo. Ne id quidem verum eſt, Solo Sacramento Euchariſtiæ cõmunicari nobis carnem Chriſti. Auguſtinus enim ait, *Crede, & manducaſti.* Neminem autem manducare poſſe carnem Chriſti, niſi cui illa communicetur in Sacramento, quod iſte dicit, id equidẽ puto, neminem ſanum eſſe dicturum. Taceo de illis fidelibus, qui nondum percepta Euchariſtia moriuntur. Illi profectò, quantumuis fideles & ſancti, tamẽ ſi Inconſtãtio credimus, non habent Chriſtum in ſe manentem: nec illi manent in Chriſto. *Hæc enim,* inquit, *tantum cõtingunt ex communione Euchariſtiæ.*

Additur in Reſponſione, Cyrillum non magis dicere, Chriſtum habitare in nobis, quàm nos in Chriſto. Eamque habitationem nec localem, nec corporalem eſſe, ſed cœleſtem, ſpiritualem, ſupernaturalem. Hic Inconſtantius ait,

Cyrillus

Cyrillum de habitatione nostra in Christo nihil dicere: sed illum tantum citare verba Christi, quibus docemur, nos manducatione carnis eius manere in eo. Equidem non arbitror, Cyrillum ita desipuisse, vt ad id probandum citare voluerit verba domini, quod ipse nec sentiret, nec confirmare etiam vellet. Quare putare debemus, id illum sensisse, quod ex illis Christi verbis probat: nos, videlicet, manere in Christo, cum eius carnem manducemus. *At illud mendacium est*, inquit iste, *quod affirmatis, Cyrillū scribere, nos æquè habitare in Christo, atque illum in nobis: cum id ille non dicat.* Imò, incôstanti, satis id dicit, cum commemoret verba Christi, quæ illud dicunt. Christus enim apertissimè dicit. *Ego manebo in illo, & ille in me.* Nihil autem erat cur iste cauillaretur de aduerbio, Aequè, quasi velimus actionem nostram parem facere cum actione Dei. Nemo enim nescire potest, nostras actiones imperfectas esse, & contaminatas: omnia autem Dei opera purissima esse, & absolutissima. Aduerbium illud, Aequè, in responsione nihil aliud significat, quàm vtrinque verum esse, & Christum manere in nobis, & nos in illo. Et quamuis demus, Christum perfectius habitare in nobis, quàm nos possimus habitare in illo, propter eius vim & potentiam, tamen rationem habitandi oportet vtrinque eandem reperiri. Neque enim satis est, fingere, alteram corporalem esse, alteram spiritualem. Hoc ita constituto, cum Inconstantius fortiter decernat, ex Cyrillo, Carnem Christi per communionem Eucharistiæ habitare in nobis realiter, substantialiter, corporaliter: oportebit illum è diuerso totidem verbis dicere, nos quoque habitare in Christo, & in eius carne realiter, substantialiter & corporaliter: atque ita nos, quamuis versemur in terris, tamē eodem tempore re ipsa & corporaliter esse cū Christo in cœlo. At si satis est, vt nostra caro habitet in Christi carne spiritualiter, satis etiam esse debet, vt caro Christi habitet spiritualiter in carne nostra. Scio equidem, & memini & Cyrillum alicubi, & Hilarium non male dicere, nos esse in Christo naturaliter: nimirum, quod ille sumpserit ex Virgine humanitatem, & naturam nostram. Ex qua significatione concludere possum aduersus Inconstantium, nos multò magis, & perfectius esse in Christo, quā illum in nobis: non quidem quin actio Christi multò sit perfectior omnibus nostris actionibus: sed quòd Christus habeat in se naturam nostram perfectam, atque absolutam, eamque sine vllo vitio, aut macula: nos verò non ita vicissim illum habemus in nobis. Sumus enim multis vitijs & corruptelis obnoxij: quod tamē non illius culpa fit, sed infirmitate nostra. Interim tamen non negamus Christum dici posse, esse in nobis naturaliter: si id ita intelligatur, quemadmodum iam declarauimus ex Hilario. Cyrillum autem dicere, nos habere spirituale nutrimentum à carne Christi, quæ lateat sub accidentibus, & à nobis recipiatur ore corporis, id verò omnino inficiamur. Fateor equidē, spiritualē & diuinā alimoniam ad nos proficisci à carne Christi, nō corporaliter, sed fide à nobis apprehensa. Verum ad id nec ore, nec dentibus, nec ventriculo opus est. Neque id, vti diximus, nobis ex mystica tantum benedictione vsu venit. Nam alioqui nemo, antequam accessisset ad sacram Communionem, posset esse membrum Christi.

Nunc venio ad voculam illam, Corporaliter, de qua Inconstantius mirabiles nobis tragœdias & rixas mouet. Ad explicationem eius Aduerbij in Responsione Paulus citatus est, qui in epistola ad Colossenses scribat, Omnem plenitudinem diuinitatis habitasse in Christo, corporaliter: & annotatum est, cum natura diuina non sit corpus, Aduerbium illud, Corporaliter, non posse ad eam propriè accommodari. Hanc annotationem iste noster, quoniam vidit nonnihil officere commento suo, conatus est eam, cum ratione non posset, saltem conuitijs eludere. Appellat, scilicet, nos homines temerarios & sycophantas, si vel non audiamus Cyrillum, cum se ipsum interpretetur: vel si audiamus, dissimulemus. Non dicam, quid nos possimus iure optimo in illum regerere. Tuum tamen erit, Lector, cogitare, cuius hominis sit, velle nobis obtrudere è Cyrillo, Corpus Christi adesse realiter, & latêre opertum, atque abditum sub accidentibus, cum harum nugarum ne tenuissimæ quidem vmbræ in illo Patre extent vspiam. Sugillat explicationem illam, quam afferimus è Paulo, Omnem plenitudinē diuinitatis habitasse in Christo corporaliter: hoc est, vt adijcitur in Responsione, non accidentaliter, aut leuiter, sed perfectè, & substantialiter, cum omni scilicet sua virtute ac potentia. *Quasi*, inquit, *iste, in alijs à Christo diuinitas possit esse leuiter: quod verbum nescio, qua animi leuitate hunc locum occupet: aut accidentaliter etiam, quasi vspiam sit diuinitas per modum accidentis; quæ est ipsa substantiarum substantia, in qua sunt omnia. Tum autē, si aduerbium illud, Corporaliter, significat, cum omni virtute & potentia, quæ tandem vis erit verbi, Plenitudo, quod præcessit, ne sit ociosum?* Ego quidem, quod ad me attinet, vocem illam, Corporaliter in illo loco Pauli semper intellexi pro, Verè & Solidè. Corpus enim verum est, & solidum, si conferatur ad vmbras. Atque ad hunc etiam modum Christum habitare in nobis corporaliter, hoc est, verè, integrè & solidè, non negauerim: quamuis id non aliter, quàm spirituali ratione fiat, & per fidem. Imò etiam ipse Apostolus, cum diceret, Christum per fidem habitare in cordibus nostris, eum certè docuit verè, integrè, & solidè in nobis habitare, quantum quidē huius nostræ vitæ conditio, & imbecillitas patiatur. Nondum enim sumus plenè instaurati, nec spiritualis illius habitationis perfectè compotes. Quod autem ad locum illum ad Colossenses attinet, dico omnem diuinitatem habitasse, atque habitare in Christo corporaliter; hoc est, verè, integrè, solidè: non tantum per dona & gratiam, sed inseparabili nexu, & in eadem hypostasi. Atque hoc illud est, quod in Responsione dicitur, non leuiter, aut acciden-

Quomodò Christus dici possit habitare in nobis corporaliter.

taliter. Nam in alijs quidem hominibus dici po A
test diuinitatem habitare leuiter, quòd ea non
efficiat vnam cum eis hypostasin. Hoc autem
vt dicerem, nulla me impulit animi leuitas, sed
vera, & Orthodoxa fides. Quodque in Respon-
sione additum est, Accidentaliter, id non aliud
significat quàm diuinitatem ita esse in Christo,
vt separari ab eo, ac diuidi non possit, quemad-
modum accidentia separari possunt à subiectis:
& illam per se coniunctam esse cum Christo,
non autem, vt cum alijs hominibus, per dona B
& gratiam. Et licet vis, & potentia comprehen-
sa sit illa priori voce, Plenitudo, magis tamen
exprimitur, cum additur, Corporaliter. Atque
ea consuetudo est ferè perpetua in sacris literis,
vt quod semel dictum sit antea, id proximè cõ-
sequentibus verbis ornatius, aut plenius illu-
stretur.

Verum Inconstantius adfert nouam quan-
dam, vt ipse putat, & inauditam nobis interpre
tationem, *Corporaliter, apud Paulum esse substantia-* C
liter, hoc est, secũdũ naturã: quia Christus, inquit, *est*
natura Deus, Sed nouus Interpres nihil adfert
noui. Nam in ipsa Responsione nostra, quam
tantopere calumniatur, postquam dictum es-
set, Non leuiter, aut accidentaliter, statim subie-
ctum est, Sed substantialiter, & perfectè. Verũ à
Paulo redeamus aliquando ad Cyrillum. Quo
pacto dicemus, per mysticam benedictionem
Christũ habitare in nobis corporaliter? Primũ
hoc referri potest ad naturam diuinã: qua etsi D
Christus sit vbique, est enim infinitus, tamẽ pe-
culiari quadam tatione habitat in electis: nimi-
rum per dona cœlestia, per spiritum & gratiam.
Quod ergo ad hoc attinet, vnio illa diuinitatis
in Christo, & in nobis quiddã quidẽ habet simi
le, quiddã aũt dissimile. Nam & per essentiam &
per gratiã & in Christo est, & in nobis: idq; per-
tinet ad similitudinem. Sed eadem natura diui-
na in Christo facit vnam hypostasin cum huma
na, quod certè nobiscum non facit: atque istud E
rursus est dissimile. Adhæc gratiæ illæ, & dona
in Christo sunt absque mensura: in nobis autẽ
sunt finita & terminata: quod etiam est dissimi-
le. Alia discrimina non attingo. Hæc autem dis-
similitudo non facit, quin Christus iuxta natu-
ram diuinam dici possit, quemadmodum Cy-
rillus loquitur, habitare in nobis corporaliter.
Est enim in nobis nõ adumbratè, sed verè, hoc
est, & per essentiam, & per gratiam, atque idcir-
cõ substantialiter. Dabimus autem, id fieri per F
benedictionem eo modo, quo iam diximus. Ex
eo enim, quod fides nostra per sacram Commu
nionẽ excusitatur, coniunctio illa, quam habe-
mus cũ Christo, redditur auctior, & copulatior.

Sed cur, inquies, non concedis, Christum i-
psum, quod ad eius corpus & carnem attinet, A
per mysticam benedictionem habitare in no-
bis corporaliter? Respondeo, quoniam natura
ipsa & substantia carnis Christi per infinitos ho
mines diffũdi & diuidi non potest. Verè quidẽ
illam nobis dari, & à nobis verè & spiritualiter
mãducari fateor: fateor ẽt, Christũ nobis vniri
corporaliter quod conditiones & proprietates
eius corporis pro nobis in mortem & crucem
traditi, manent & fluant in corpus nostrum, B
quemadmodum iam supra docuimus. Substan
tiam autem ipsam corporis Christi re ipsa esse
in corporibus nostris, ridiculum, & inane com-
mentum est. Huc ergo citatus est locus ille Pau
li ad Colossenses vt ostenderetur, Aduerbium
illud, Corporaliter, posse rectè accõmodari ad
naturam diuinam.

Atqui, inquit Inconstantius, *si Christus secun-*
dum naturam diuinam dicatur esse in nobis corporali-
ter, hoc est, quoad essentiam & substantiam, tum eri- C
mus dij Nihil ibi est periculi, Inconstanti: non e-
nim dicimus, diuinam naturam, aut essentiam
ita esse in nobis, vt faciat nobiscum vnam hypo
stasin. Sed dicito, quæso, nobis, quomodo na-
tura diuina possit esse infinita, nisi sit ẽt in no-
bis. Crede mihi, non vides ipse, quid dicas. *Ut se-*
quetur, inquis, *nos esse Deos. Ponitis enim, eam non*
simpliciter esse in nobis, sed cum donis gratia & spiritu.
Dicimus id quidem: non tamen ex eo sequitur
nisi per participationem nos fieri Deos. Idque
ita non est absurdum, vt maximè sit consenta- D
neum sacris literis. Petrus enim ait, Nos esse
consortes diuinæ naturæ. Sed Sophista tamen
acutus cur hoc etiam non vidit: Si Christus,
quod ad corpus ipsius attinet, realiter & sub-
stantialiter sit in nobis, necesse esse, vt diuina
etiam natura sit in nobis substantialiter? Ea enim
à carne Christi separari non potest. Cur ita
cæcus erat, vt non videret, suo isto argumento
se ipsum iugulari? Imò hoc etiã addo. Si Chri- E
stus iuxta vtranque naturam substantialiter, &
corporaliter sit in corporibus nostris, non tan-
tum erimus totidem dij, sed totidẽ etiã Christi.

Nos ergo verissimè conclusimus, verba illa
Cyrilli non posse intelligi de corporali manduca-
tione, quę ore corporis nostri perficiatur. Nã
si ea referas ad carnem & sanguinẽ domini, illa
spiritualiter, & per fidem percipienda sunt: ad
os autẽ corporis, & ad dentes nihil pertinẽt.
Multò autem minus natura Christi diuina: ea
n. prorsus est expers corporis. Diximus etiã,
cur Cyrillus mentionem fecerit mysticæ bene-
dictionis. Quemadmodũ autem id verum sit,
quod Cyrillus alibi dicit, Christum in vltima
cœna docuisse modum manducandæ carnis
suæ, nos alibi satis fusè docuimus.

Argumentum Gardineri ex Cyrillo, eodem loco.

QVEMADMODVM si quis ceram igne liquefactam alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnũ quid ex vtrisque factum videatur: sic Communione corporis & sanguinis Christi ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem, & vitam perduci, nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.

SO-

SOLVTIO.

HAEC similitudo pro nobis facit. Docet enim ea Cyrillus, non debere nos crasse, & ruditer cogitare de manducatione Christi, quasi ea perficienda sit ore nostro. Fit enim per manducationem fidei, vt, quamuis Christus absit à nobis corporaliter, sedens in gloria patris, nos tamen simus verè participes eius naturæ, & immortales futuri simus cum eo. Quòd si aduersarij velint, ista similia æquari per omnia, oporteret auferri etiam panis accidentia. Cera enim liquefacta corrumpitur, & quoad substantiam, & quoad accidentia.

GARDINERVS.

HAEC similitudo fidei Catholicæ veritatem exprimit: qua credimus veram Communicationem substantiæ carnis Christi in Sacramento: vt dignè communicantes vniantur Christo, & corpore & Spiritu.

MARTYR.

VEriſimè dicitur in Solutione, hac ſimilitudine ita hyperbolica nos admoneri, ne de manducatione Chriſti craſſè ac ruditer cogitemus. Hoc ergo ſolum euincit in genere, ex illa manducatione carnis Chriſti, quæ ſpiritualis eſt, & fide tantum poteſt perfici, nos aliquam habere cõformationem carnis noſtræ cum carne Chriſti. Redditur enim idonea ad ſeruiendum ſpiritui ſancto, & in dies efficitur, magis, magiſque capax æternitatis, & beatitudinis, & proprietatũ corporis Chriſti. Atque hæc illa eſt vnio carnis noſtræ cum carne Chriſti, quam Cyrillus hoc loco prædicat. Ita autem miſceri carnem noſtram cum carne Chriſti, vt cera liquefacta cum alia miſcetur cera, nimis eſſet ridiculum cogitare. Imò ne ipſi quidem aduerſarij noſtri hanc ſimilitudinem ex omni parte tenere volunt. Certè, ne quid aliud dicam, oporteret Chriſti corpus liquefieri, et mutari à natura ſua, ſi miſceretur cum carne noſtra: imò etiam ita permixtum carni noſtræ redderetur obnoxium multis vitijs, & infirmitatibus: noſtris enim vexaretur, & per homines innumeros in infinita loca diſtraheretur. Taceo alia abſurda, quæ nec poſſem commemorare ſi vellem, nec certè vellem ſi poſſem. Imò Inconſtantius ipſe hoc ſatis vidit, ſimilitudinem iſtam eò tantũ ſpectare, vt ſignificetur ſummus congreſſus, & intima coniunctio & penetratio duarum naturarum. Sed ad eius verba hoc etiã addendum erat, Quantum verbum Dei, & conditio corporis Chriſti iam glorificati, & noſtræ carnis natura patiatur. At diuinæ literæ docent ſatis luculenter, Chriſtum iam non amplius, quod quidem ad corpus attinet, verſari nobiſcum in terris: multo autem minus miſceri cũ carne noſtra. Deinde corpus Chriſti, cum ſit glorioſum, non poteſt amplius aut mutari, aut pati, aut malis eſſe obnoxium: tantum abeſt vt poſsit liquefieri, & cum noſtris impuris carnibus temperari. Imò etiam noſtra caro quomodo tandem poteſt liquefieri, & cum alia miſceri carne? *Diuinitas*, inquit Inconſtantius, *hoc facit*. Vnde hoc, quæſo habes? Non enim id ſenſus indicat: non ratio: non diuinæ literæ. Vrges nos iſto Cyrilli ſimili. Verum illud iam diximus quemadmodum debeat, & poſsit intelligi. Nec ex illo ſimili probare potes realem illam tuam præſentiam. Facit quidem communio Euchariſtiæ ad illam coniunctionem, quã habemus cum Chriſto per ſpiritum & per conditionem eius carnis, quemadmodum oſtendimus: ad veram autem, & propriam commixtionem, quæ certè nulla eſt, nihil facit. Contactus autem, quem nos recipimus, non eſt phyſicus, ſed omnino ſpiritualis.

Additum etiam eſt in Solutione, Si aduerſarij per omnia velint hæc ſimilia de Cera vrgere & perſequi, neceſſe eſſe, vt accidentia quoque panis & vini omnino auferant ex Euchariſtia. Liquefactæ enim ceræ, non ſolum ſubſtantia perditur, ſed etiam accidentia. Hic reſpondet Inconſtantius, *ſe in hoc ſimili nolle æquari omnia. Hanc enim vnionem inter duas carnes diuinam eſſe operationem, quam nulla vmbra rerum naturalium poſsit demonſtrare.* Hic mihi, pie Lector, conſidera huius hominis æquitatem. Si ipſe nolit in iſto ſimili omnia ita recipere craſſè & ruditer, vt ſonãt, cur nos vrgemur, vt recipiamus id, quod fidei regulæ non ferant? Sed addit: *Quod Cyrillus dicat de vnione carnis noſtræ cũm carne Chriſti, id nos accipere, quaſi dicatur de vnione carnis Chriſti cũ pane in inſtitutione Sacramenti.* Atqui nos, Inconſtãti, nullum hic in errorem incidimus. Veſtro enim iudicio caro Chriſti non vnitur nobis niſi per benedictionem, & ſymbolum Euchariſtiæ. Ergo oportet carnem Chriſti prius vniri cum pane, quam cum carne noſtra: & cùm illa vnio fiat per liquefactionem, oportet panem quoque inſtar ceræ liquefieri. Id autem ſi fiat, neceſſe eſt eius diffluere, & perire accidentia: Supereſt ergo, vt vel dicas, carnem Chriſti non coniungi Benedictioni myſticæ, vel ibi quoque ſtatuas liquefactionem. Eſt enim haud dubiè non minor durities in pane, quàm in carne noſtra.

Tamen hic quoque nos iſte errare putat, quòd putemus, in liquefacta cera perdi & ſubſtantiam, & accidentia. Id enim cum Cyrilli ſimilitudine non conſiſtere: illum enim ſtatuere ex duabus ceris liquefactis vnam fieri. Id autem non poſſe fieri, ſi cera abeat in nihilum. Nec liquefactionem eſſe ceræ diſtractionem, ſed tantum alternationem qualitatis: vt, quod durum erat, mutetur in liquidũ. Hic omnino, vt, quod res eſt, dicam, manus Inconſtantio dandæ ſunt:

Hoc tamen illum pro ſua prudentia oportebat cogitare, ſcriptionem illam fuiſſe corruptam. Non enim ita ſcribi debuit, Cera liquefacta corrumpitur, & quoad ſubſtantiam, & quoad accidentia: ſed ita, *Cera liquefacta corrumpitur non quoad ſubſtantiam, ſed quoad accidentia: qualia ſunt durities, figura, calor, & alia ſimilia.* Atque ex illa proportione & ſimilitudine, in veſtro quoque pane oportebat accidentia corrumpi, nõ ſubſtantiam. Non ergo noſter ille error fuit, ſed Librarij: vel, quod ego magis credo, ipſius Inconſtantij. Is enim ad ſoluendum iſtum locum Cyrilli, trãſtulit huc reſponſionem illam qua ego vſus ſum in expediendo loco Chryſoſtomi ex Sermone habito in Encœnijs. Eius verba ſic habent: *Num vides panem? Num vinum? Num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadũt? Abſit: ne ſic cogites. Quẽadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hic puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia.* Hæc ego in mea Tractatione adduxi pro Tranſubſtantiatoribus. Subieci autem huiuſmodi reſponſionem: Hic interrogandi ſunt aduerſarij vtrum velint, hæc ſimilia æquari per omnia. Quòd ſi velint, oportebit eos accidentia quoque panis auferre ex Sacramento. Nam cera, quæ adhibetur ad ignem, deſtruitur, non tantum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad accidentia. Non ergo ita aut rudes, aut craſsi, aut mente capti eramus, Inconſtanti, atque tu putabas, Nos enim cum Chryſoſtomo loquebamur de cera ad ignem, cuius ſubſtãtię pars nulla remaneat. Tu potius, neſcio, erroriſne dicam, an perfidiæ accuſandus es, qui verba noſtra ita vel temerè, vel malitioſè loco moues, & ea in locum prorſus alienum transfers.

Sed ais, te habere argumentum ab effectis ad cauſam: Cyrillum enim facere Benedictionem huius vnionis cauſam, quod in ea & vera Chriſti caro detur, & verè præſens. Hoc ſi iſti damus, caro Chriſti verè præſens in Benedictione omnino liquefaciet panem, vt diximus. Aut, ſi id Inconſtantius nolit, accidentia ſaltem panis peribunt & diffluent. Cætera huius obiecta, quibus vſus eſt in hac confutatione, quoniam ſuprà à me non vno loco refutata ſunt, putabam me hoc loco pro meo iure poſſe omittere.

Argumentum Gardineri ex Baſilio

de Baptiſmo, Serm. 2. cap. 3.

ET loquutus eſt dominus ad Moſen dicens, Dic illis, & generationibus ipſorum: Quiſquis hominum ab omni veſtro ſemine ad ſancta, quæcunque filij Iſrael domino ſanctificant, in immunditia ſua conſtitutus accedet, exterminabitur anima illius à facie mea: Ego dominus: Si tales minæ aduerſus eos poſitæ ſunt, qui temerè ad ea ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſanctificantur: quid dicendum eſt de eo, qui in tantum, ac tale myſterium temerarius eſt? Quanto enim aliquis maior eſt templo ſecundum domini vocem, tantò grauius & terribilius eſt, in animæ impuritate conſtitutum corpus Chriſti temerè contingere, quàm ſic accedere ad arietes, vel tauros, dicente Apoſtolo: Itaque qui edit panem, aut bibit poculum domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis domini: imò vehementius ac terribilius iudicium exprimente per repetitionem.

SOLVTIO.

HAEC, vt diximus in prima Regula, eſt allœoſis rerum & ſymbolorum. Figura enim nomen habet eius rei, cuius eſt figura. Ideoque idem dici poteſt de figura, quod de re ipſa.

GARDINERVS.

HOC non eſt tractatorem agere, ſed Imperatorem, ex Regulis tua authoritate editis, quæ proferantur, rejicere.

MARTYR.

Atis me pro imperio ait facere, qui dicta patrũ examinari velim ad eas Regulas, quas ipſe mea tantũ authoritate ediderim. Baſilium autẽ ait explicaſſe Catholicè veritatem myſteriorum: nõ autem ſpectaſſe meas Regulas. Illum enim habuiſſe conciones ad rudem populum, quem expediebat doceri veritatem: non autem falli deſultoria alternatione loquendi, vt illo tanto viro docente, crederent verum eſſe corpus, quod re vera nihil aliud eſſet, quàm figura. Inconſtantius pro ſua modeſtia alios omnes metitur ſuo pede: & quia ipſe omnia facit arroganter, alios quoque putat arroganter omnia facere, & pro imperio. Nos autem non Regulas præſcribimus patribus, vt iſte calumniatur ſed Lectorem admonemus, quemadmodum in Patribus prudenter verſari debeat. In hoc loco Baſilij diximus eſſe allœoſim ſymbolorum & rerum. Eam autem figuram non imperio, neſcio quo, aut authoritate noſtra cudimus, ſed ſcripturarum ſanctarum & Patrum lectione hauſimus. Neque puto cuiquam rectè vitio verti poſſe, ſi quod aliquo in loco fuſè & copioſe explanarit, id alibi breuiter, & ſuccinctè attingat: & addat, ad illam doctrinam, quam alibi expoſuerit, hæc quoque, quæ nunc habeat præ manibus eſſe expendenda. Si hoc omnibus qui aliquid ſcribant, licere debeat, quid ego ſolus peccaui, vt mihi idem non liceat?

An autem Baſilius, alijque patres in ſuis conciones ad populum, nõ ita rudem, atque iſte fingit, ſed multò doctiorem, quàm ipſe velit habere ſuum, ſemper propoſuerint exquiſitum quoddam doctrinæ genus, an potius ſæpè & de Sacramentis, & de rebus alijs, vt auguſtius, & magnificentius loquerentur, vſi ſint hyperbolis, & alijs rhetoricis ornamẽtis, nihil hic dicam

Qui

Qui in scriptis patrũ cum iudicio versati sunt, ipsi potius per se iudicabunt. Facere tamen nõ possum, Lector, quin vnum hoc exempli causa tibi proponam è Cypriano. Is in Sermone de Cœna domini ita scribit: *Cruci hæremus, sanguinẽ fugimus, & intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam: quo exterius, interiusq; rubricati à sapientibus huius seculi iudicamur amentes.* Obsecro te, In constanti, an persuadere voluit Cyprianus rudi populo, quem ita docebat, vt putarent in sacra Communione linguas suas re ipsa figi in vulneribꝰ Christi? Aut, an credere voluit suos, Crucem domini realiter præsentem esse in calice? Aut eos, qui tum bibebãt de Sacro calice, & intus, & foris esse rubricatos? Cum ista constet dicta fuisse ad populum, nec tamen propriè fuisse dicta: facilè, ac liquidò videre possumus, quàm infirmo argumento Inconstantius probare velit, verba illa Basilij ex eo accipienda esse propriè, vt sonant, quòd habita fuerint ad populũ. Possem huc alia multa exempla similia adferre ex Chrysostomo, Bernhardo alijsque patribus. Sed breuitatis causa vno contentus Cypriano, vnum hoc addam, Patres, cum populum ita docerent, nihil minus voluisse, quàm quenquam fallere. Sciebant enim, suos satis edoctos esse à Catechistis, quid sacra mysteria sibi vellent. Et idcirco ita sæpè verba faciebant de symbolis ad populum, ac si de rebus ipsis loquerentur, vt homines ijs hyperbolis exuscitati, dignitatẽ Sacramentorum ex rebus significatis æstimarent, & de Dei beneficijs vehementius gratias agerent, seseque ad sanctam Communionem diligentius, & circumspectius compararent. Mitto autem veterem huius hominis, & iam, credo, obsoletam calumniam, quòd nos ait nihil aliud in Sacramento statuere, quàm figurã. Neminem enim tam obtusum esse arbitror, qui non facilè intelligat, istum ita dicere, non quod reuera ita de nobis sentiat, sed tãtum quò causam nostram apud homines imperitos in odium & inuidiam rapiat.

Id etiam oppugnat, quod à me dictum est alibi, id patres interdum dicere de figura, quod propriè conueniat ipsi rei: idque me temerè, & sine vlla ratione, aut cuiusquam autoritate affirmare. Atqui ego primùm rationem adfero, quòd vi instituti domini tanta sit connexio inter rem ipsam, & symbola, vt proprietates illorum inter se permutentur: atque inde nasci alloosin istam, de qua loquimur: idque etiam accidere in diuina & humana natura in Christo. Authoritatem autem in hac re habemus & scripturarum & patrum. Paulus ait; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Hîc fractio, quæ nõ potest conuenire nisi symbolo, tribuitur rei ipsi. Rursus, *Hic*, inquit, *calix est nouum Testamentum.* Hîc è diuerso, quod rei est, tribuitur symbolo. Sanguis enim Christi est nouum Testamentum, non calix: quanquam ne id quidem absq; tropo. *Et nos*, inquit, *omnes sumus vnus panis.* Hic quoque symbolo tribuitur, quod erat rei. Alibi enim dicit, nos esse corpus Christi. Illud autem corpus significatur pane. Christus etiam ait, *Desiderio desideraui hoc pascha vobiscum manducare.* Hic quoque rei tribuitur, quod erat signi. Non enim Transitus comedebatur, sed Agnus, qui signum tantum erat transitus domini. *Pactum meum*, inquit dominus Abrahamo, *erit in carne vestra.* At pactum ipsum domini non erat in illorum carne, sed Circũcisio. Possem huc alia similia adferre: multa sed si ista non sunt satis ad frangendam hominis obstinatissimi pertinaciã equidem non video, quid possit esse satis. Ex patribus verò authores habeo Augustinum in epistola ad Bonifacium: Cyprianum in Oratione de Cœna domini, et alios multos, quos suprà indicaui in prima Regula.

Sed iste vrget verba illa Basilij, *Quanto aliquis maior est templo, secundum domini vocem, tanto magis* &c. Hic colligit, vi collationis distingui veritatem à figura: *quemadmodum*, inquit, *templum distinguitur ab eo, qui est autor templi: & figura arietũ à veritate præsenti, vbi corpus Christi contingimus in Sacramẽto. Secundũ quæ Basilij verba impurus homo, et malus potest cõtingere corpus Christi: vt appareat iuxta Basilium, corpus Christi omnipotentia Dei in altari præparatum.* Fateor, Basilium distinguere figurã à veritate, hoc est, Sacramenta Veteris Testamenti à nostris. Quid autem inter nostra, & illa intersit, sæpè iam anteà docuimus. Rectè autem Basilius concludit, nostra Sacramẽta, quòd sunt digniora, eò maiore prosequenda esse reuerentia. Nostræ verò figurè tanto sunt figuris veteris Testamenti præstantiores, vt præ illis dici possint veritates. Et patres, quemadmodum supra ostendimus, in istis collationibus illorũ symbola nuda, & frigida ponunt omnino sine re significata: in nostris autem Sacramentis rẽ tantum ipsam constituunt sine vlla mentione symboli: partim vt comparatio esset illustrior, partim ob alias causas, quas hîc nihil opus est repetere. An autem impij corpus ipsum Christi realiter & substantialiter contingant, videat Inconstantius. Ego quidem id nullo modo credo, Nam quod Basilius hic scribit, Hominem in animæ impuritate constitutũ contingere corpus Christi, omnino referendum est ad symbola. Nam ea Basilius tractat per collationem ad symbola veteris Testamenti: non autem tanto cum discrimine, quanto fingit Inconstantius. Addit adhæc, *corpus Christi omnipotentia Dei in altari præparatum esse, non autem communicantium fide esse accersendũ.* Nos verò illud, Incõstanti, neq; præsens adesse præparatum in sacra Cœna concedimus, neque communicantium fide accersiri. Hoc potius dicimus, animos Communicantium per fidem attoli in cœlum, & ibi frui præsenti corpore Christi, quatenus illud olim pro salute nostra datum est in crucem.

Verũ obijcit sibi nostro nomine, impios non contingere propriè corpus Christi, quòd non adsit sensibus. Deinde respondet sibi, nõ enim certè nobis: *Quid tu narras, propriè? Quasi, quia digitus ad carnem Christi non penetret, non dicatur contingere. An non dicimus, eum propriè contigisse manu Regem, qui vestem, qua corpus eius tegebatur, contigit? & propter corporis præsentiam læsisse maiestatem?*

Verùm nos hac de re, Incõstanti, non rixamur. Non enim putamus, Corpus Christi realiter latêre sub accidentibus. Et ea causa non quærimus, an impius, cum tangat illa accidentia, perueniat ad corpus Christi. Sed idcirco negamꝰ, impios apprehendere posse corpus Christi, quòd, cum illud absit, nec alia re vlla apprehendi possit, quàm fide, impij, qui prorsus careant omni fide, huiusmodi spirituali contactu non possint ad illud peruenire.

Ad extremum, ait, *Patres non ita lusisse, vt bonorem, qui deberetur rei ipsi, vmbræ tantum voluerint vendicare.* Nunquam nos patres in hoc negotio lusisse diximus: nisi fortè rem ornare tropis, & hyperbolis, id Inconstantius putet esse ludere. Atqui ita, non tantum patres, sed ipsæ etiam diuinæ literæ solent ludere. Honorem autem illum, qui propriè rebus ipsis deberetur, nunquam illi transtulerunt ad vmbras. Nunquam autẽ illorum quisquam docuit in mysterijs adorãda esse symbola, Imò monent adorationem nostram ad Christum, qui illis symbolis repræsentatur, esse conuertendam. Sed meminisse debes, Lector, id, quod Inconstantius fortasse oblitus est, hunc illum esse Basilium, qui in sua Liturgia symbola ista etiã post Consecrationẽ appellat ἀντίτυπα: ex quo apparet, illũ in Sacramẽtis nostris non ita horrere voces illas, Figuram, aut Signum. Adhæc ego sat scio, me nunquam ita ad hunc locum Basilij respondisse, quomodo iste me fingit respondere, Ex quo tu facilè potes, Lector, coniecturã facere, qua fide soleat aliorum obiecta, & responsa recitare. Ego tamẽ ista, quoniam non videbantur aberrare à vero, volui tanquã nostra defendere. Interim tamen non possum dissimulare, istis fictionibus, detractionibus, additionibus, inuersionibus magnam nobis ab Inconstantio fieri iniuriam.

Argumentum Gardineri ex Nazianzeno in sanctum Pascha.

De baculo verò, & eius ænigmate ita habeo. Scio enim substentatiuum vnum esse, alium verò pastoralem & instructiuum, quiã rationales oues conuertat. Nunc verò Lex ad illum, quò te firmius hortatur, ne alicubi consideratione labaris, cum de sanguine & passione, nec non de Dei morte audias, ne forsitan, dum Deo patrocinari conaris, sacrilegus esse videaris, sed absque confusione & dubio comede corpus, & sanguinem bibe: si saltem vitæ desiderio teneris: neque sermonibus, qui de carne habentur, fidem deneges, neque ob passionem offendaris.

SOLVTIO.

LOQVITVR Gregorius de spirituali manducatione ac potatione corporis & sanguinis Christi per fidem: non autem de corporali manducatione, quæ constat ore ac dentibus, de qua Capernaitæ somniabant. At nos spiritualem tantum manducationem ponimus: quia iuxta secundam Regulam alimonia hæc spiritualis est, mentis, non gulæ, aut ventris, aut dentis.

GARDINERVS.

VERBA Gregorij digna sunt annotatu: qui cũctantes comedere corpus Christi & bibere sanguinem ijs verbis animat, ne deterreantur: quasi de corpore & sanguine Christi Dei non satis magnificè sentientes: atque ideo abstinerent, quasi Deo stultè patrocinaturi. Quæ verba omnino essent frigida, nisi putasset, corpus & sanguinem veri adesse. Nam panem comedere aut bibere vinum cur verentur, si nil aliud quàm significarent quod abesset? Nec Gregorius ea corpus & sanguinem dixisset, quæ nihil essent aliud quàm figura.

MARTYR.

PRimùm hoc nobis obseruandum est, Gregorium hîc sequi allegoriam de baculo, & velle nostrum baculum ad instructionem pertinere, vt ne erremus de humanitate Christi, & putemus, illum, cum esset Deus, verã carnem, et verum sanguinem non habuisse, aut verè non fuisse passum & mortuum, ne quid videamur illo indignum cogitare aut credere. Atqui ex his verbis hoc firmissimè elicimus, Manducare carnem & bibere sanguinem Christi, esse credere Christum verè pro nobis passum esse & mortuum. Quod autem iste fingit homines absterritos fuisse ab vsu Sacramenti, quòd non satis magnificè sentirent de corpore & sanguine domini, & infirmum est, & à sententia Nazianzeni alienum. Is enim ait, illos stultè voluisse patrocinari Deo, qui negarent, Christum verè habuisse humanã carnem, & humanum sanguinem, ne dici posset, Deum fuisse mortuum aut ex altera parte statuerent, Christum hominem tantùm fuisse, non Deum. Hic adhibere oportuit eruditionis baculũ, & credere, Christũ verè fuisse & Deũ, & hominem: ne communicantes putent, se phantastici cuiusdam hominis carnem comedere, eius videlicet, qui non re ipsa, sed specie tantum tenus, & apparentis visus fuerit pati, & mori, néue etiam ex altera parte putent, Carnem eam, quam comedant, esse nudi & puri hominis. Qui ita volunt patrocinari Deo, se ipsos faciũt sacrilegos: eùm Christũ aut diuina sua natura spolient, aut humana.

Frigida, inquit Inconstantius, *fuissent illa verba nisi corpus & sanguinem domini Gregorius verè adesse credidisset* Imò inania & falsa fuissent, nisi Christus re ipsa passus fuisset & mortuus. Nã quod nunquam extitisset, nec à fidelibus comedi posset, nec in mysterijs significari. Citat etiã alium locũ Naziãzeni ex Oratione in Basiliũ Magnũ. Loquitur autem de impijs, qui circa altaria saltarent, & sanguine victimarum, & hominum, quos

quos mactassent, sacrificia coinquinarent incruenta, idque ludibrij causa facerent. Hic iste ita colligit: *Si sacrificia incruenta constitissent solæ gratiarum actione, vt vos videri vultis, quomodo ea sanguine hominum potuissent violari?* Miror, si iste tam acutus Sophista, ita sit stupidus, vt non intelligat, symbola Eucharistiæ potuisse humano sanguine contaminari, aut aspergi cruore victimarum. *At*, inquit, *vos sacrificia non constituitis in symbolis, sed tantum in actione gratiarum.* Cur non addis etiam in memoria mortis & passionis domini, quæ illa symbola repræsentant? Ipsa autē symbola dici possunt sacrificium, quòd verum illud atque vnicum sacrificium mortis domini nobis constituant ante oculos. Et satis iam antea ostēdi & ex scripturis sacris & ex patribus, iniuriam, quæ infertur signis, redundare etiam in rem significatam, & Deum ipsum authorem sacrificiorum violari & contemni in symbolis, quamuis corpus Christi sub illis realiter & substantialiter non veletur. Eodem modo, & sensu Cyprianus de Lapsis ait, malos inuadere corpus Christi, cum indignè accedant ad Sacramentum, quod suo quodam modo & est, & appellatur corpus Christi. Pilatus etiam, cum sanguinem quorundam misceret cum sacrificijs Iudæorum, quamuis externa tantùm symbola violaret, tamen iniuria affecit ipsum Deū. Leue autem ac nugatorium est, quòd addit, Nazianzenum non fuisse dicturum corpus & sanguinem domini, sed panem potius & vinum, si ita sensisset, ac præsertim, cum doceret populum. Quoties enim id accidit & in sacris literis, & in patribus, vt signa gerant nomina rerum earum, quas significant? Non debuit Inconstantius puerorum in morem semper nobis occinere eandem cantionem.

Rectè etiam in Solutione responsum est, Nazianzenum in illa sua adhortatione, non de corporali, sed de spirituali manducatione verba facere. *Cur ergo*, inquit iste, *illis verbis alloquebatur populum, quæ corporalem manducationem sonant, cum dicat, Comede, & Bibe?* At nō dicit ore & dētibus, quomodo putabant Capernaitæ. Hoc non malè, quoniam fideles alloquebatur, non Capernaitas. Dentes certè, & os non excipit Gregorius nominatim: sed generaliter dixit, *Comede, & bibe*: quod quomodo sine ore fieret, non video. Nec satis possum mirari, quare os & dentes excludantur: quorum officium Christi corpus violare non potest. Duplex erat causa, cur Gregorius populū suum illis verbis alloqueretur: Primum quia habebat eam orationem in paschate, quo tēpore cœna domini solebat in Ecclesia celebrari. Quare, quamuis spiritualis māducatio nec ore egeat, nec dentibus, tamē quoniam de symbolis etiam agebatur, addenda etiam erant ea verba, quæ externam corporis manducationem indicarent. Deinde quoniam ipsa manducatio spiritualis, etsi nihil pertineat ad officium corporis, tamen verbis illis edendi & bibendi exprimitur, idque non tantum à patribus, sed etiam ab ipso Christo, quemadmodum apparet ex 6. Ioannis. Ego verò non dubito Nazianzenum illo tempore adhortatum esse populum suum ad vtranque manducationē: maximè tamen, vt habetur in Responsione, ad spiritualem, quæ certè nihil eget officio dentiū.

Sed columen Theologorum respondet, se non videre, quo pacto comedi aliquid possit sine ore. Quasi nunquam audierit illud Augustini, *Crede & māducasti*. Mitto enim ea omnia, quę Christus loquutus est in sexto Iohannis. Sed fortasse Inconstantius dentibus tantum credit, & fidem suam omnem habet in ore. Nos autem scimus, Corpus & sanguinem Christi mente, & fide comedi, idque non propriè, sed per metaphoram: os autem & dentes tātum pertinere ad symbola. Sed mirum est, Inconstantium dicere, Corpus Christi posse propriè manducari: non tamen idcirco posse violari. Propriè enim manducare, est cibum frangere & comminuere. Quę ad extremum addit petulanter de meis Regulis, ea quoniam nec probæ interrogationis, nec firmę argumētationis vim vllā habent, possunt non iniuria silentio condemnari.

Argumentum Gardineri ex Emisseno.

INVISIBILIS sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum: & sanctificatione repetita Accipite & bibite: Hic est sanguis meus. Et paulò post: Nec dubitet quisquam primarias creatures nutu potentiæ, præsentis maiestatis in Dominici corporis transire posse naturam: cum ipsum hominem videat artificio cœlestis misericordiæ Christi corpus effectum. Sicut autem quicunque ad fidem veniens ante verba Baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti, ijs verò commemoratis, mox exuitur omni fece peccati, ita quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, substantia illic est panis & vini: post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid autem mirū est, si ea, quæ verbo potuit creare, verbo possit creata conuertere? Imò iam minoris miraculi videtur esse, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare.

SOLVTIO.

NON loquitur de reali & corporali cōuersione panis & vini in corpus & sanguinē Christi, sed tātū de sacramentali conuersione. Vrget pręterea mutationem nostram in Christum, quæ tamen fit absque Transubstantiatione. Quare Christus tam præsens est in Baptismo, quemadmodum Emissenus idem declarat, quàm est in Mēsa Dominica, Id autē nō est carnaliter & corporaliter, sed per fidē & spiritualiter

GARDINERVS.

QVOD hic dicit Sectarius de Sacramentali mutatione, ex alia eius Regula est, cui hoc loco responsum est: & alias etiam hic locus Emisseni à me explicatus est.

Dici non potest, quàm illæ meæ obseruationes Inconstantium malè habeant. Eas cum conuellere ratione non queat, conatur, quantum potest, in odium adducere. Ego tamen eas non dubito prudenti, & attento Lectori ad intelligendos veteres Patres, & ad molliendas quasdam illorum violentiores sententias, non mediocrem vtilitatem allaturas. Ait se hanc sententiã Emisseni aliás fusius explicuisse: itaque hic parcius de ea dicturum esse. Idem ego quoque respondeo. Nam quid mihi de isto Emisseno videretur, aliás satis copiosè exposui. Iste tamen negare non potest, sese & Lectori, & mihi molestum esse voluisse: qui loca anteà tractata & excussa, iterùm, ac tertiò ita loquaciter inculcet.

Id fatetur verè in Solutione responsum esse, *Christum tam in Baptismo præsentem esse, quàm in Eucharistia: modo id de diuina Christi natura intelligatur. In vna autem cœna esse mirabilem cõuersionem, idq; verba Emisseni indicare: qui ibi agnoscat Christum præsentem esse & Deum, & hominem.* Quæ dicuntur de præsentia Christi in Eucharistia, eadem conueniunt etiam in Baptismum. Nam si loquaris de præsentia substantiali, adest vtrinque natura Christi diuina. At si præsentiam eã intelligas de natura humana, ea quoque adest vtrinque, sed spiritualiter. Non enim minus in Baptismo regeneramur, & efficimur membra Christi, illumque prorsus induimus, quàm in Eucharistia eodem Christo alimur, potamur, & reficimur. Quemadmodum enim in Baptismo dum regeneramur, efficimur caro, os, & membra Christi: ita in Eucharistia pascimur carne domini spiritualiter, vt eius caro & ossa, & membra esse pergamus, vtq; in ea conditione indies magis magisque augeamur. Negari autem non potest, eandem esse naturam generationis & cibi. Ex ijsdem enim & alimur, & sumus: vt, si pascamur in sacra Cœna substãtia ipsa carnis Christi, necesse sit nos eandem omninò substantiam acquirere in Regeneratione, & naturam Christi humanam adesse nobis in Baptismo, quæ adest in Eucharistia. Atqui omnes fatentur, & consentiunt, nos in Regeneratione effici mẽbra, carnem & ossa Christi spiritualiter: necesse ergo est, vt hoc ẽt fateãtur, carnem Christi in Eucharistia dari nobis spiritualiter. Vtq; nos in Baptismo nõ trãsubstantiamur in Christũ: ita non est necesse, vt panis in Eucharistia trãsubstãtietur in corpus Christi.

Ratio quare in Baptismo quoque naturæ humanæ Christi iungamur.

Emissenus autem, cum dicit, illa Symbola conuerti in substantiam carnis & sanguinis domini: nihil aliud intelligi voluit, quàm ea fieri sacramentum substantiæ carnis & sanguinis domini. At si Inconstantius interpretationem istam nostram non recipiat, sed omnino velit verba illa crassè, & simpliciter intelligere, eadẽ simplicitate dicat nos quoque crassè, & reipsa, vtque verba sonant, mutari in substantiam carnis & sanguinis domini. Certè Paulus 1. Corinth. 11. de istis duobus mysterijs vnà scribit, *Nos omnes*, inquit, *vno Spiritu in vnum corpus baptizati sumus: & omnes in vnum spiritum potati sumus.* quæ loquutio satis indicat, Coniunctionem nostram initam cum Christo in vtroque sacramento spiritualem esse. Dionysius etiam ille quem vulgo iactant pro Areopagita, in Ecclesiastica Hierarchia de Eucharistia ita scribit: *Symbola illa sunt, quibus, vt ij qui initiantur, in Deum transeant, sacratius fit.* Hic Dionysius Communicãtes ait transire in Deum, non autem panem, aut vinum. Qualis autem ea sit nostri mutatio, ita explicat: *Dum substantiam quidem*, inquit, *nostram, atque vitam ad boni sistit effigiem, & primitiuis illis venustatibus diuinam in nobis speciem format, diuinioris q; habitus, & celsioris intelligẽtiæ participes efficit: insuper prouidens, vt nos qui per negligentiam nostram aut desidiam diuinis deserti, ac destituti muneribus sumus, paratis, atque ad id institutis bonis in antiquum statum, ac dignitatem reuocet, perfectaq; nostrorum assumptione, exactissimã propriorum munerum participationem, & tandem nobis diuinorum cõmunionem largiatur. Hæc est nostra mutatio in Christum, nimirum, spiritualis.* Ipse etiam in primo capite eiusdem libri, vbi de ministro Ecclesiæ agitur, ita scribit: *Vt ipse põtifex pro suæ rationesubstãtiæ, et captus, atq; ordinis diuinis in reb. perficiatur, atq; in deitatis consortiũ trãseat, inferioribus q; atq; subditis gradibus cuiq; pro merito indultum sibi diuinitatis tradat tantæ excellentiæ munus, per quod ipse participatione euasit in Deum.* Et mox: *Per quæ pontificalia munere ad statum illum vnicum, quo transimus in Deum pro modo nostro quique prouehimur.* Et mox: *Ea verò aliter prouenire non potest, nisi ij, qui saluantur, in Dei consortium transeant. Porrò ea in Deum transitio fit, cum illi similes euadunt, atque inseruntur.* Et mox: *Ipsiq; vt qui transissent in Deum, posteros ad diuina prouehere affatim cuperent, visilibus signis cœlestia sacramenta texerũt.* Possem ex alijs quoque Patribus alia multa adferre similia: ex quibus constare possit, mutationem illam nostri, de qua loquimur, non aliam esse, quàm spiritualem. At inquies, istę mutationes ad nos pertinent, non ad Symbola. Ego verò verissimè respõdeo, nos magis mutari in Deum, & in Christum, quàm externa symbola sacramẽtorũ: vel quòd magis capaces simus eius mutationis, vt qui facti simus ad imaginem Dei: vel quod illa mutatio panis, qualiscunque tandem est, instituta sit in hunc tantùm finem, vt efficiat, atque inducat (quantum instrumenta possunt) mutationem nostrã. Quare vix videtur conuenire, vt illa mutatio, quæ nostræ mutationis causa sit instituta, maior sit, quàm mutatio nostra. Sed redeo ad Inconstantium: *Is nouum ait esse doctrinæ genus, quod dicimus, Christum adesse nobis Spiritualiter per fidem: quasi*, inquit, *cognitio præsentiæ, quæ per fidem est, sit etiam præsentiæ causa: cum tamen in Deo, qui futura præuidet, non dicimus, cognitionem illam in præsentia, euentuum, & contingentium esse causam: nedum de cognitione nostra qualicunque id dicere debeamus. Sed ita loquuntur isti suo more, qui fidei omnia tribui volunt: quam ipsi nec habent, nec bene*

Dionys. Declarat quæ ut à nostra substantia mutatio.

Non magis in Deum, & Christum mutamur quã extra nos symbola.

bere curant. Oportet hunc hominem parùm sano fuisse capite, cum ista scriberet. Nos enim nunquam aut scripsimus, aut omnino cogitauimus, cognitionem, seu fidem nostram de præsentia, causam esse præsentiæ Christi. Nihil nos aliud tradimus, quã quod accepimus ab Apostolo, Christum, videlicet habitare in cordibus nostris per fidem: nosque fide apprehendere corpus & sanguinem domini, quatenus ea pro nobis oblata sunt. Aliam autem spiritualẽ præsentiam non agnoscimus. Vt autem fruamur hac præsentia, nihil opus est, vt fide nostra, quẽ admodum iste, nescio quid, somniat, Christum de cœlo detrahamus: nos potius ipsi per fidem attollimur ad Christum in cœlum. Nos autem omnia tribui velle fidei, merum est, & impudens mendacium. Nos enim nihilo plus tribuimus fidei, quàm illi videmus tributum in sacris literis. Imò ne in fide quidem nostra fiduciam vllam collocamus: sed in illis tantùm rebus, quas fide apprehendimus. Quam vt habeamus, aut habere cupiamus, dominus aliquando iudicabit.

Argumentum Gardineri ex Hesychio in Leuiticum lib. 7. cap. 37.

Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Propter quod Sanctuarium eius paueamus, vt nec corpus nostrum polluamus, neque ad corpus Christi, in quo est omnis sanctificatio (in ipso enim est omnis plenitudo diuinitatis) sine subtili dijudicatione nostri temerè accedamus: sed prius nosmetipsos probemus, reminiscentes eius, qui dixit: Quicũq; comederit panem aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem se ipsum homo: & sic de pane comedat, & de calice bibat. Qualem probationem dicit, id est, vt in corde mundo, & conscientia, & pœnitentia eorum, quæ olim deliquit, intendenti participetur sanctis ad ablutionem peccatorum suorum.

SOLVTIO.

HESYCHIVS hic, vt annotatum est in prima Regula, ita de symbolis scribit, quasi res ipsas, & significata petractet. Idque potest rectè congruere propter magnã similitudinem, quæ inter illa intercedit ex instituto domini. Deindè etiam ignominia, quæ infertur symbolis, ab illis, qui ad ea accedunt indignè, redundat in ipsum Christũ, cuius illa sunt symbola: Eoq; illi eius ignominię iustissimas pœnas luunt.

GARDINERVS.

SECTARIVS petit præsidium Regularum, quas ipse confinxit. Hesychius hoc in loco Basilium fermè imitatur ex verbis, & sententia: sed aliquanto expressius de corpore Christi in Sacramento sic loquitur, vt intelligamus ipsissimum esse.

MARTYR.

DEum immortalem, vt constans est, & vbique sui similis Inconstantius: Vt anteà in Obiectionibus, ita hic quoque in Responsionibus nostris cudit, & fabricatur nostro nomine ea, quæ nemo nostrũm vnquam cogitarit. Ego quidem, quod ad me attinet, qui obseruationes illas edidi vnà cum Tractatione de Eucharistia, eas ad dissoluẽda talia argumenta nunquam accommodaui. Neq; certè, quamuis probè sciam, quàm parum instructus sim ad dicendum, ita ineptè, concisè, & confuse respõdissem. Quod idcircò dico, Lector, ne tu me putes, cum ista, aliaque multa similia defendã, ea agnoscere pro meis. Defendo tamẽ ea, quòd videam in illis verba quædam esse interdum mea, quamuis truncata, & alieno in loco sæpè collocata: quodque rem ipsam sentiam à summa nostræ doctrinæ non abhorrere. Quod si Inconstãtius hausit ista ad verbum ex libris nostris, cur locum non indicauit? Verũ id cũ non faciat, satis ostẽdit prudẽti Lectori, quã bona fide aliena, vel sua potius, pro nostris subiecerit.

Sed ad rem redeo *Hesychius*, inquit, *monet, ne sine subtili nostri dijudicatione accedamus ad corpus Christi, nempe in sacramento præsens. Cuius præsentiã ideo credere, & dare oportet, quoniam adijcit, In ipso omnis plenitudo diuinitatis inhabitat corporaliter, quod de figura dici nõ potest.* Verũ, Inconstãti, satis est, si illa verba possint in illũ cõuenire, qui illa figurâ, aut symbolo significatur. Neq; n. hoc nouũ videri debet, si ea, quę propriè cõueniunt rei, tribuãtur signis. Est n. frequẽs, & vsitatũ in sacris literis. Nã & Calix dicitur nouũ Testamentum, & Agnus Pesah, & Baptismus dicitur dimittere peccata. Ita in Leuitico sepissimè certis generibus sacrificiorum adscribitur peccatorum condonatio, quòd profectò alia ratione intelligi rectè non potest, quàm vt dicamus, mortem Christi, quę in illis sacrificijs adumbrabatur, si quis eam complexus esset per fidẽ, habituram fuisse vim condonandi peccata.

Cæterùm, si hoc pacto res habet, inquit Inconstantius, *Patres nos fallere voluerũt, & verbis inanibus idola ex symbolis fabricarũt, ea ornando rerũ magnitudine, quæ nõ subessent.* Nõ fuit illis animus, vt quenquã fallerẽt. Sed ita loqui voluerũt, vt suos quã efficacissimè hortarẽtur ad dignã sacramẽtorũ perceptionem. Quod si tu illorũ verba alio trahas, quã ipsi voluerint, id nõ illorũ fit vitio, sed tuo. Vtrum autem illi in figuris, & hyperbolis modum excesserint, nunc nihil dico. Certè quod ea, quæ rerum ipsarum sunt, tribuerunt symbolis, nihil alienũ fecerunt à sacris literis. Imò Inconstantius ipse confitetur, *magnã similitudinẽ inueniri inter res significatas, & symbola, talẽq; vt signa interdum gerant rerum ipsarum nomina: non tamen eo vsque progrediendum est*, inquit, *vt rerum veritates de illis prædicentur*. Si per Veri-

tates, hoc intelligas, ſymbola propriè ac verè non eſſe res eas, quas ſignificant, rectè ſentis. Nemo enim, opinor, vnquam dixerit, panem & vinum propriè, ac verè eſſe corpus & ſanguinem Chriſti. At ſi, Rerum veritates, intelligas allegoricas, & ſacramentales prædicationes, lõgè falleris. Cum res ita prędicatur de ſymbolis, nec mendacium vllum eſt, nec vlla deceptio.

At vnum, inquit, *eſt Chriſti corpus in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis: quod de corporis domini figura prædicari non debet. Quia domini gloria non eſt communicanda creaturæ.* Quaſi verò adoratio antiquitùs non fuerit ad Arcam fœderis: aut gloria diuina per rationem, & prædicationem ſacramentalem non fuerit illi ſymbolo communicata. *Putat etiam probari poſſe ex illis verbis Heſychij, malos comedere corpus Chriſti. Sed ait, non facilè eſſe reſponſuros, Heſychium ita loqui, quòd ignominia illata ſymbolis, redundet in res ipſas ſignificatas. Verùm hoc*, inquit, *millies iam audiui*. Quid tum? An continuo falſum eſt, ſi quid tu millies audiueris? Si nos idem tibi millies iam reſpõdimus, tuo id vitio factum eſt, qui idem plus millies inculcaris. Quòd ſi tibi ita cordi eſt inſanire, non debes moleſtè ferre, ſi tibi ſecundum tuam inſaniam reſpondeatur.

Argumentum Gardineri ex Ambroſio de Sacramen. lib. 4. cap. 4.

TV fortè dicis, Meus panis eſt vſitatus: ſed panis iſte panis eſt antè verba ſacramentorum: vbi acceſſerit Conſecratio, de pane fit corpus Chriſti. Et paulò poſt: Ergo didiciſti, quod ex pane fiat corpus Chriſti: etiam quòd vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſanguis Conſecratione verbi cœleſtis. Et capite quinto. Antequam conſecretur, panis eſt: vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Denique audi dicentem, Accipite, & edite ex eo omnes: Hoc eſt corpus meum. Et antè verba Chriſti, Calix eſt vini & aquæ plenus: vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte, quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniuerſa conuertere. Deinde ipſe dominus Ieſus teſtificatur nobis quod corpus ſuum accipiamus, & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide, & teſtificatione dubitare?

SOLVTIO

ILLI libri de Sacramentis exiſtimantur à doctiſsimis non eſſe Ambroſij. Sed fac eſſe eos Ambroſij. Verba iſtâ non ita per omnia à nobis diſſentiunt, Nam alijs in locis planius exponit quid ſibi velit. Sic enim ſcribit: Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur: poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Et ante Conſecrationem aliud dicitur: poſt Conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et alibi: Dixi vobis, quòd ante verba Chriſti, quòd offertur, panis dicitur: vbi verba Chriſti deprompta ſint, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Hinc apparet, panem poſt Cõſecrationem appellari nomine corporis: &, quamuis etiamnum ſit panis, tamen eum poſt Conſecrationem ſignari nomine eius rei, quã repreſentat. Idem etiam Ambroſius declarat, quomodo hæc mutatio fiat: nimirùm non auferendo ſubſtantiam panis, ſed addendo pani gratiam corporis Chriſti: atque ita panem vocari corpus Chriſti.

GARDINERVS.

LIBRI de Sacramentis obtinuerũt, vt ſint Ambroſij. Quod ſi non eſſent, teſtium augerent numerum. Nam quin digni eſſent tali authore nemo negat.

MARTYR.

SI libri illi non ſunt Ambroſij, augebitur, inquit, *numerus teſtium*. Imò ſi non ſunt Ambroſij, teſtimonium illorum erit minoris ponderis. Quòd ſi profecti ſunt ab authore anonymo vix videntur habere poſſe numerum, & locum proborum teſtium. Itaque minus mirari debuit Inconſtantius, hanc ſuſpicionem in Reſponſione primo loco fuiſſe poſitam. Hanc autem litem non ita remittimus, vt iſte putat, vt eam poſteà, vbi commodum ſit, repetamus: ſed vt quiuis intelligat, noluiſſe nos in re non magni momenti morosè, & perplexè litigare. Nos enim Inconſtanti, clara tantum & perſpicua & ſolida perſequimur: Sophiſtica autem, & ambigua, & tenebricoſa tibi, tuoque ordini nõ inuidi relinquimus. Neq; vero nos ita grauiter peccare arbitramur, ſi ab iſtis verbis Ambroſij ad alia eiuſdem Ambroſij magis aperta & perſpicua verba prouocamus. Non enim id agimus, vt aliquid de ſententiæ veritate imminuamus: ſed vt locis obſcuris ex alijs locis illuſtrioribus lucẽ aliquã adferamus. Id autẽ nõ eſt, Ambroſium cũ Ambroſio cõmittere: ſed potius Ambroſiũ Ambroſio conciliare. Is enim, cum alibi dicat, panẽ eſſe, aut fieri corpus Chriſti: idẽq; alibi, eundem panem vocari, appellari, dici, ſignificare corpus Chriſti ſcribat, profectò videri poteſt nonnihil ſecum ipſe diſſidere. Vtrique ergo noſtrum ſtudio eſſe debet, vt Ambroſius cum Ambroſio redeat in gratiam. Id tu, neſcio qua diſtinctiuncula putas facilè poſſe fieri: ego vero puto, ſententiam loci obſcuri ex alijs locis clarioribus debere illuſtrari.

Sed age, quicquid eſt, diſtinctionẽ iſtã tuã excutiam. Ais, *Ambroſiũ hic docere, quid verbis Chriſti efficiatur: hoc eſt, Eſſe corpus et ſanguinẽ, fieri carnẽ, fieri ſãguinẽ. Verba.n. Chriſti eſſe operatoria. Ea aũt verba, quæ citata ſunt à me, referenda eſſe ad efficientiam.*

Fidem

Fidem enim, inquis, languentem exuſcitat inclamata voce domini, cui auſcultemus. Dominus enim, inquit Ambroſius, *clamat, Hoc eſt corpus meum:* &, *Hic eſt ſanguis meus: vt verba illa, Significare, Nuncupare, Vocare, Appellare, referenda tantum ſint ad os domini. Vt idcirco credamus, rem ita ſe habere, quòd vox domini ſit efficax, & operatoria. Vocare enim Chriſto eſſe efficere, qui portet omnia verbo virtutis ſuæ* In priori diſtinctionis membro ait ſignificari effectum. Illud effectum ſi intelligat ſacramentum, ego facilè accedo: confecta res eſt. Sed longè aliter habet. Vult enim omninò effectum illud eſſe corpus Chriſti, Atqui illud iam ante mille quingentos annos, atque amplius, factum eſt: & valdè abſurdum ſit, ſi nunc denuo dicatur fieri. Verùm ſcio, quò iſte rediturus ſit: noui enim latebram. Non fit ſimpliciter, inquiet: ſed fit præſens. Hoc ego commentum ſi velim, poſsim facilè reijcere: Nam Ambroſius certè nõ ita loquitur, Deinde quod addit, verba illa Ambroſij, quæ ab ipſo in argumento citata ſunt, de effectu intelligenda eſſe, non autẽ de efficientia, qua, videlicet, Chriſtus vocauerit, & teſtatus ſit, hæc eſſe corpus ſuum, & ſanguinem: id mihi non videtur conſiſtere. Ille enim ſtatim ad finem eius loci ſubiecit: *Deinde ipſe dominus Ieſus teſtificatur nobis, quòd accipiamus corpus ſuum, & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide, & teſtificatione dubitare?* Hæc Ambroſius ſtatim poſt ea verba, quę tu in primo membro collocas: quibus tamen in verbis, Appellatio, Fides, & Teſtificatio expreſsè ponitur. Diſtinctionis ergo tuæ, Inconſtanti, membra inter ſe confunduntur, &, vt Dialectici loqui ſolent, coincidunt.

Neque ſimpliciter verum eſt, quod ais, *illa verba, Vocari, Appellari, Dici, Significari, referenda eſſe ad os Chriſti.* Ipſum enim ſacramentum ſignificat, & à nobis etiam appellatur corpus Chriſti, non tantùm ab ore domini. Itaque idem Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 5. *Fac nobis* inquit, *hanc oblationem aſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt figura corporis & ſanguinis domini noſtri Ieſu Chriſti* Et in cap. 11. prioris ad Corinthios, *Quoniam,* inquit, *morte domini liberati ſumus, huius rei memores in edendo, potando, carnem & ſanguinem domini, quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus.* Vides ergo, Lector, iſtam diſtinctionem Inconſtantij vafrè, & callidè excogitam eſſe, ad eludendum id, quod alioqui non potuiſſet refutare. Sed aliam etiam eius fraudem, eámque multò etiam nequiorem nullo modo poſſum diſsimulare. Priorem enim partem argumenti ſui noluit integram proponere. Pauculis enim tantùm quibuſdam verbis carptim delibatis, id omiſit, quo videbat cauſam ſuam facilè poſſe iugulari. Sic.n. habet locus integer apud Ambroſium: *Tu fortè dices, Panis meus eſt vſitatus: ſed panis iſte, panis eſt antè verba ſacramentorum: vbi acceſſerit Conſecratio, de pane fit corpus Chriſti.* Hic ſiſtit Inconſtantius. Deinde addit: *Et paulò poſt At ne neſcias, Lector, Ambroſius hæc verba ſubiunxit: Hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione.* Ex iſtis verbis perſpicuum eſt, Ambroſium hoc ſenſiſſe, Panẽ ipſum, qui adhuc reſineat ſubſtantiã & naturam ſuam, eſſe corpus Chriſti. Diſsimulauit etiam illud, quod ſtatim ſequebatur in eodem capite. *Vides ergo,* inquit Ambroſius, *quam operatorius ſit ſermo Chriſti? Si ergo tanta vis eſt in ſermone domini Ieſu, vt inceperint eſſe, quæ non erant, quantò magis eſt operatorius, vt ſint, quæ erant, & in aliud commutentur?* Hic etiam videmus, panem & vinum manere, quæ erant, cum tamen interim dicãtur mutari in aliud, nimirum vt ſint ſacramenta corporis & ſanguinis domini. Hæc iſte noſter, pro ſua ſimplicitate bene tegenda, & longiſsimè à tuis oculis, Lector, auferenda eſſe iudicauit.

Deinde calumniatur, *me ita velle Ambroſium ſe ipſum explicare, quaſi aliquid alibi non ſatis rectè tradiderit, aut quaſi perperam docuerit, id eſſe corpus Chriſti, quod re vera non eſſet eius corpus: & mutationem illam ſine cauſa miratum eſſe, cum re ipſa in ea præter ſignificationẽ nihil eſſet. Iſta nõ conſiſtunt,* inquit Inconſtantius, & *quòd mirabilium exempla citat, vt conuerſionem & mutationem præter naturam oſtenderet argumento eſt, panem Ambroſio mutari.* Atqui non ego ita Ambroſium ſecum ipſum commitо, quaſi ille velit aliquid reuocare, quòd anteà non ſatis conſideratè docuerit: ſed vt locis alijs clarioribus intelligatur, quid ſibi Ambroſius voluerit, cum obſcurius diceret, panem fieri, aut eſſe corpus Chriſti. Ex his autem locis apparet, nihil illum aliud ſenſiſſe, quàm panem fieri ſacramentum, quod & dicatur, & ſuo quodam modo etiam ſit corpus Chriſti, Hoc autẽ non eſt mentiri, velle obſcurius dicta dilucidare. Mitto verò, qua iſte fronte poſsit nobis ſolam, & nudam, & frigidam ſignificationem toties obtrudere. Nam ea profecto in re neſcire non potuit, ſe mentiri. Cur autem Ambroſius tot miracula huc accommodarit, non eſt difficile videre: nimirum, vt oſtenderet in vſu Euchariſtię quanta ſit mutatio non ſolùm panis & vini, ſed etiam noſtrũm ipſorum. Dicere autem Ambroſium, panem immutari, nunquam equidem negaui: illam autem eum ſtatuere mutationem, quam iſti ſomniant, id verò pernego.

Sed iſtum nihil puduit, etiam Melãchthonẽ citare teſtem, qui dicat, Ambroſium his verbis ſenſiſſe Tranſubſtantiationem. De quo incomparabili, & omni virtutum ac doctrinarum genere ornatiſsimo viro, ego hic nihil reſpõdeo: vel quod ipſe adhuc viuat, vel quod eius ſcripta æternum victura ſint, quę hanc calumniam poſsint depellere.

Fatetur Inconſtantius ad extremum, *addi quidem gratiam pani, ſed illo ſignificari beneficium Chriſti, qui ex naturali alimento corporis, effecerit ſpiritualem alimoniam & animi & corporis ad vitam æternam.* Nos autem dicimus, Gratiam addi pani, non aliud eſſe, quàm panem fieri ſacramentum corporis et ſanguinis domini, et inſtrumẽtum idoneũ ſpiritus ſancti, ad excitandã in nobis verã fidẽ, qua complecti poſsimus res ipſas, quæ in illo myſterio repræſentãtur. Sed priuſ-

quam finem facio, non pigebit alium quendam Ambrosij locum indicare, ex quo clarissimè possit intelligi, eũ sensisse, corpus Christi nõ ingredi, aut penetrare in corpora nostra. Sic enim scribit lib. 5. cap. 4. De Sacramẽtis. *Dixi*, inquit, *vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam nõ panis dicitur, sed corpus Christi appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quæ postea sequitur, ait, panem nostrum? Panem quidem dixit: sed ἐπιούσιον dixit, hoc supersubstantialem. Non iste panis est, qui vadit in corpus: sed ille panis vitæ æternæ: qui animæ nostræ substantiam fulcit.* Ex his verbis vel cęcus videre potest, Ambrosium non ita crassè sensisse de Christi corpore, vt putarit illud ingredi, & recipi in corpus nostrum.

Argumentum Gardineri ex Ambrosio, de ijs qui initiantur mysterijs, cap. vltimo.

ALIVD video: quomodò tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et nobis adhuc superest, vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis, vt probemus, non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maioremq; vim esse benedictionis, quàm naturæ? Quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgã proiecit Moses, & facta est serpens.

SOLVTIO.

NON dicit Ambrosius, substantiam panis & vini ablatam esse: sed naturam eorum dicit mutatam esse: id autem est, in sacra communione panem & vinum non debere sumi, vt cibum & potum communem. Per ea enim recipimus spirituale & supernaturale alimentum de cœlo de vero corpore & ipso sanguine seruatoris nostri Iesu Christi, per omnipotentiam, & mirabilem operationem spiritus sancti. Quæ res ita bene conuenit cum substantia panis & vini remanente, vt, nisi illa adsit, hoc nostrum nutrimentum spirituale non possit per eam doceri. Et idcircò in exemplorum magna parte sequentium videmus, substantias manere naturis mutatis. Vt cum aqua Iordanis retrorsum conuersa contra naturam suam in fontem reuertitur: & cum petra manens petra aquam vomuit contra naturam: fluuius Marath, cũ mutaret naturã amaritudinis, tamẽ substantiã suam retinuit integram. Ita substãtiç panis & vini manẽt in cœna domini, & naturaliter digeruntur in corpora nostra, nihil obstante sacramentali mutatione illorũ in corpus & sanguinẽ Christi.

GARDINRVS.

QVOD dicit Ambrosius naturam mutatam, de substantia sensit, non effigie: quemadmodum et Cyprianus.

MARTYR.

GArdinerus habet pro re valde absurda, quod nos dicimus, spirituale alimentum hauriri de cœlo per panem & vinum, alimentum, inquam, illud supernaturale de vero corpore & sanguine seruatoris nostri. Id autem ne quem offendat, præsertim ita ieiunè, ac frigidè recitatum, ita paucis est explicandum. Quæcunque dona proficiscuntur in nos à patre nostro cœlesti, quæ conducant ad vitam æternam, ea omnia deriuantur ad nos per mortẽ Christi, qua ille nobis placauit iram patris. Conferuntur autem maximè in eos, qui Christum sub hac ratione passionis & mortis vera fide apprehendunt. Itaque rectè dicimus, spiritualem nostram, & supernaturalem alimoniam fluere ad nos de cœlo è corpore & sanguine Christi. Id autem idcircò dicimus fieri panem & vinum in sacramento Eucharistiæ, quod per illa symbola fides in nobis à spiritu sancto excitetur. Hęc est illorum verborum & plana, & facilis intelligentia. Nihil autem est, cur nos pudere debeat, si dicamus, Gratiam, & omne genus donorum fluere ad nos à cœlesti patre per seruatorem nostrum Iesum Christum. Eum enim pater dedit nobis pro capite, vt ab illo, quemadmodum scribitur ad Ephesios, omnis cœlestis, & spiritualis virtus, tanquam per cõmissuras quasdam in nos deriuetur. Cum autẽ Christus, quod ad corpus attinet, absit à nobis, & sit in cœlo, non dubitamus istos influxus fieri omnipotẽtia Dei, & mirabili opere spiritus sancti. Nõ. n. vt iste fingit, omnipotẽtiã Dei mouemus loco. Nã & ad institutionẽ sacramẽti, & ad id, vt Spiritus S. eo vtatur ad salutẽ nostrã, omninò illam putamus esse necessariã. Verùm Incõstantius nullam aliam videre potest omnipotentiam Dei; nisi qua panis & vinum transubstãtientur in corpus & sanguinem Christi.

Sed Ambrosius, inquit, *dicit, nos accipere corpus, nõ influxum de corpore.* Imò etiam hoc dicit, si eum attentè legas, in libro sexto cap. 1. De sacramẽtis. Sic. n. scribit: *Ne plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redẽptionis: idèi in similitudinẽ quidẽ accipis sacramẽtũ, sed veræ naturæ gratiam virtutemq; consequeris. Ego sum, inquit, panis viuus, qui descendit de cœlo. Sed caro non descendit de cœlo: hoc est, carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodo ergo descendit panis de cœlo, & panis viuus? Quia idem dominus noster Iesus Christus consors est & diuinitatis, & corporis. Et tu, quia accipis panem diuinæ eius substantiæ, in illo participaris alimento.* Primùm ait Ambrosius, nos accipere sacramentum in similitudinem. Quid enim aliud est ille panis, & illud vinum, quam similitudo quædam corporis, & sanguinis Christi? Deinde addit, nos gratiam, virtutemque veræ naturæ consequi: quod certè non aliud est, quàm cœlestis influxus à corpore Christi.

Sed inter

Sed inter illa miracula, quæ Ambrosius cõ-
memorauit, Inconstantius id in primis arripit,
& vrget de virga Mosis, cuius substãtia mutata
sit in serpentem. Ad quod ego duo respondeo:
primùm, id ad transubstantiationem Papista-
rum nihil facere. Illi enim etsi abijciant subst ã-
tias, tamen portentosè retineri volunt acciden-
tia. Virga autem illa ita prorsus tota mutata fu
it in serpentem, vt ne accidentia quidem prio-
ra retineret. Deinde Ambrosius ibi argumen-
tum duxit à Maiori: vt quemadmodum credi-
mus sacris scripturis Deum mutasse virgam in
serpentem: ita multò magis credamus, eum
posse mutare panem in sacramentum. Præte-
reà Gardinerus ipse fatetur, mutationem illam,
quam statuit esse in Eucharistia, cum nullo il-
lorum omnium exemplorum, quæ adducta
sunt ab Ambrosio, per omnia conuenire. Quo-
modò ergo vrget nos, vt illam mutationem re-
cipiamus? Certè illis exemplis satisfiet, si dica-
mus in pane esse mutationem sacramentalem,
talem præsertim, quæ perficiatur potentia, &
vi spiritus Dei. Sed retentionem illam miracu
losam accidentium sine subiecto, Inconstanti-
us accedere ait, ad id, quod legitur de aquis, in
quibus liquidum contra naturam substiterit,
nulla adhibita re externa, qua à motu suo na-
turali cohiberetur. Verùm cogitare istum o-
portuit, cursum aquarum ita cohibitum, & scri
pturas narrare, & patres magnis encomijs di-
uinæ potentiæ celebrare. De istis autem acci-
dentibus, quæ maneant sine subiecto, non tan-
tùm in scripturis, sed etiam in patribus summũ
est silentium. Nec in eo quod adducitur aqua-
rum exemplo, tale quippiam visum est. A natu
rali quidem fluxu aquæ retinebantur, sed illa-
rum substantiæ, ac naturæ à suis qualitatibus
minimè segregabantur. Hoc ergo simile Incon
stantius potuisset sibi reseruare. Nam & alienũ
est ab instituto, & aduersatur verbo Dei. Et cũ
scriptura ita sit diligens in commemorandis
miraculis, hoc tam inauditum, tam contra na-
turam, tam etiam creditu necessarium, vt ab i-
stis in eo magna pars salutis nostræ collocetur,
quomodò tandem potuisset tam alto silentio
præteriri? Nostram autem mutationem sacra-
mentalem, & diuinæ literæ, quæ passim discri-
men ponunt inter sanctum & profanũ,
& omnes penè patres cumulatis
simè testantur.

Argumentum Gardineri è Chrysostomo in Encœnijs.

NVM si stercus in manibus haberes, auderes appropinquare fimbriæ Regis? Num vides panem? Num vinum? Num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit: ne sic cogites. Quemadmodum enim si cera igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta, mysteria consumi corporis substantia. Propter quod accedentes ne putetis, quòd accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphin forcipe ignem, quem scilicet Esaias vidit: vos accipere reputate salutarem sanguinem, quasi è diuino, & impolluto latere effluere: & ita approximantes labijs puris accipite.

SOLVTIO.

CERTE si hic interroget sensus, illi responderent, non esse verum, quod dicit. Nam iudicio nostri sensus, & panis & vinum adest. Sed Chrysostomus verè loquitur, cum subijciat: Ne ita cogites. Quia quod ad nostram existimationem attinet, oportet ista facessere. Ideoque subinde inculcat verbum illud, Puta, vt intelligamus, ista non esse accipienda nisi quod attinet ad nostram cogitationem, & fidem. Nos enim in communicando non complectimur panem & vinum ipsa per se, sed potius quærimus res illas, quæ per efficacem significationem cùm illis coniunctæ sunt. Atque ita fatemur, quo ad complexum fidei, & panem & vinum abire, animumque nostrum hærere tantùm in rebus significatis, hoc est, in corpore, & sanguine Christi, quæ nobis per illa symbola offerũtur. Ergo in his verbis Chrysostomi, vt annotatur in Octaua Regula, est tantùm negatio per comparationem. Non enim absolutè negat, in Eucharistia esse panem & vinum. Alioqui si aduersarij velint vrgere verba, vt probent panem & vinum non esse in Eucharistia, eadem opera probare possunt, nec sacerdotem ibi esse, nec corpus Christi. Sic enim Chrysostomus scribit. Ne putetis, quod accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim ignem. Quòd si non accipiamus corpus Christi ex manu hominis, certè corpus Christi non est in sacramento realiter, corporaliter, aut naturaliter: nec datur nobis à sacerdote, nisi forte velint etiam sacerdotem transubstantiare.

GARDINERVS.

HIC locus Chrysostomi insignis est: & præterquam quòd certissimam & verissimam corporis Christi præsentiam in Eucharistia docet, ipsam etiam aperit transubstantiationem.

EX his verbis iſte noſter putat, ſe poſſe tria colligere: primùm, ſubſtantiam ipſam corporis Chriſti adeſſe realiter in Euchariſtia: deinde ſubſtantiam panis & vini aboleri: poſtremò, ſola retineri accidentia. Iſtud autem vltimum ex eo confirmat, *quòd niſi accidentia remanerẽt, fimbria illa regis, de qua Chryſoſtomus loquitur, nulla eſſet. Nam fimbriam eſſe externam ſpeciem elementorum. Quæ*, inquit, *accidentia ſpecierum viſibilium ſi quis contenderet non eſſe fimbriam Regis, ſed vini & panis accidentia naturalia, vt creaturæ ſint fimbriæ, non creatoris, irruit in eum quadam ſermonis vehementia os illud verè aureum, Num vides panem? num vinum? Quaſi dicat, Ergo tu putas adhuc ibi eſſe panem, & vinum, quaſi ſubſtantia in illis adſit, quæ ad inſtar reliquorum ciborum digeratur? Abſit*, inquit, *vt ſic cogites. Niſi manerent*, inquit Inconſtãtius, *accidentia, nulla eſſet Regis fimbria.* Sed fimbriam Regis Chryſoſtomus appellat ſacramẽta. Vnde ergo colligit iſte, ea eſſe accidentia? An enim fimbrię veſtium ſunt accidentia? Annõ illę potius ex panno conſtant ornato ſuis accidentibus? Os illud aureum Chryſoſtomi, cum tam amplo ſermone dixerit, ſubſtantiam panis cõſumi, certè dicere etiam potuiſſet, ſubſtantia panis amota, eius qualitates manere. Quod cum ille ne vno quidẽ verbulo dixerit, quomodò credere poſſumus Inconſtantio, fimbriam apud illum eſſe accidentia? Cur ergo, inquies, mentionem fecit fimbriæ? Dicam. Reges ſolent ferè in ſublimi ſedere ſolio, vt homines qui ſtent in inferiori loco, non poſſint ad corpus illorũ pertingere. Itaque cum propius accedere non poſſint, ſatis habent, ſi vel fimbriam ipſam Regiarum veſtium poſſint, ſummis digitis attrectare. Vnd Eſaias cap. 6. *Vidi* inquit, *dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: & fimbriæ eius implebant templum.* Atque hoc mihi videtur etiam Chryſoſtomus alluſiſſe. Nos ergo, qui ad Regium ipſum corpus Chriſti ſedentis in cœlo in ſublimi ſolio ad dextram patris non poſſumus aut ore corporis noſtri, aut manibus peruenire, fimbrias tamen eius, hoc eſt ſacramẽta in Eccleſia, quæ eius eſt templum, habemus nobis propoſitas. Eaque ſacramenta & tractamus manibus, & recipimus ore corporis. Accidentia autem ſine ſubiecto, nec diuinæ literæ, nec patres nos vſpiam hactenus docuerunt. Chryſoſtomus autem hoc loco, in quo Inconſtantius ſeſe tam magnificè iactat, hoc portentum nunquam attigit.

Sed iſte, cum obiecisſet ſibi accidentia iſta eſſe panis & vini, non autem Chriſti, aut Regis, vt homo prudens & callidus, quod videbat ſe non poſſe diluere, tacitè præterijt. Quare, cum dicere non poſsit accidentia illa eſſe accidentia Chriſti, quid ſupereſt, niſi vt dicat, illa non Regis eſſe fimbrias, ſed panis.

Verùm hoc, inquit, *Chryſoſtomus non patitur. Grauiter enim reprehendit eos, qui putarent panem eſſe in Euchariſtia.* Atqui id non efficit, quò minus accidentia illa ſint fimbriæ panis: etſi non præſentis, vt vos fingitis, tamen ſaltem abſentis. Quod autem Chryſoſtomus quærit, num vides panẽ? num vinum? ſi velis loquutionẽ illam eſſe propriam, affirmabo, & panem videri, & vinum. Id probabo non tantùm ſenſuũ teſtimonio, ſed etiã ſcripturarũ. Nã ille in Euchariſtia & panẽ teſtatur eſſe, & vinum. Huc etiam addere poſſem magnum numerum patrum, & præſertim Auguſtinum. Is enim in Sermone ad infantes, quemadmodũ habetur in Collectaneis Bedæ, ita ſcribit: *Quod ergo vidiſtis, panis eſt & calix, quod etiã oculi veſtri renunciãt: quod autẽ fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, & calix ſanguis.* Idem in ſermone ad Neophytos, *Accipite*, inquit, *in pane, quod pependit in cruce.* Id autem quomodò accipi poteſt in pane, ſi panis non adſit? Chryſoſtomus quoque in Pſal. 22. *Vt quotidie*, inquit, *in ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti panem & vinum ſecundum ordinem Melchiſedech nobis oſtenderet in ſacramento.* Si panis & vinum oſtenduntur in ſacramento, certè adſunt. Idem in cap. 11. epiſt. prioris ad Corinth. homi. 27. *Chriſtus*, inquit, *& in pane, & in calice in meam commemorationem facite hoc dixit:* & cap. 10. hom. 24 *Quidnã eſt panis? corpus Chriſti. Quid nam autem ſiunt, qui accipiunt? corpus Chriſti. Non multa, ſed vnũ corpus. Nã quemadmodũ panis ex multis granis vnitur, vt minimè grana appareant, &c.* Ex his apparet, patres agnouiſſe panem in Euchariſtia: idque ipſum etiam ſcribere, & fateri Chryſoſtomum. Hæc idcirco commemorare volui, nè cum Chryſoſtomus dicat, panem & vinum non videri in myſterijs, id putemus ſimpliciter, & craſsè, vt verba ſonant, eſſe accipiendum. Nã alioqui Chryſoſtomus cum Chryſoſtomo ex diametro pugnaret. Quomodò autem verba illa Chryſoſtomi, quæ hîc adducta ſunt, ſint intelligenda, ſatis explicatum eſt in Reſpõſione.

De altera autem illa ſimilitudine Chryſoſtomi de cera iſte noſter ita diſputat: *Quod ſentit*, inquit, *ſimilitudine explicat, ita ſubſtantiam panis conſumi à corpore Chriſti, ſicut ab igne cera. Et hinc habent, qui dicunt, ſubſtantiam panis deſinere in corpus Chriſti, nec ſuperfluentem in igne, nec augentem ignem: quemadmodum etiam nec panis ſubſtantia auget corpus Chriſti, aut in eo ſuperfluit. Vnde patet, ſubſtantiam elementorum non manere: Chryſoſtomũ verò corporis Chriſti ſubſtantiam tam præſentem facere, vt eam pro igne intelligat, qui abſumat elementorum ſubſtantiam. Myſteria*, inquit, *conſumuntur corporis ſubſtantia. Aque hoc ita fieri, antequam ſumamus illud, oſtendit, quòd fimbriam Regis dicat ea, quæ videntur. Nam nec verum obiectum oculorum aufert Chryſoſtomus ijs verbis: ſed quod obiecto colligeretur eſſe interioris naturæ, id eſt ſubſtantiæ, ſecundum quã eſt panis, & vinum: quæ ſubſtantia conſumitur corporis præſentia velut ab igne cera. Vnde & myſteria dicuntur abſumi, eorum ſubſtitia iam abſumpta.* Quicquid iſte huic ſimilitudini aſpergat mitigationis, & fuci, Chryſoſtomus ita loquitur, ceram ita conſumi ab igne, vt nihil ſubſtantiæ remaneat, & ex ea nihil ſuperfluat. Quibus verbis apertiſsimè indicat, & ſubſtantiam conſumi & accidentia. Prior enim illa pars periodi ad

ſubſtantiam

substantiam pertinet: altera verò illa, Et nihil superfluit, non aliud referre potest, quàm accidentia. Et certè quicquid ille garriat, ceram cõiectam in ignem videmus ita prorsus consumi, vt eius ne accidentia quidem supersint, nec vllæ eius omnino simbriæ remaneant: quas vnde Inconstantius nunc fingat supereſſe, non video. Ne illud quidem verum est, ceram coniectam in ignem non facere ignem illum maiorẽ, & auctiorem. Nam & vires ad ignem addit & flammam luculentiorem suscitat. Ad hæc, cum Chrysostomus dicat, mysteria consumi substãtia corporis, obsecro te, Inconstãti, expone mihi, quænam illa velis esse mysteria. Substantiã panis, opinor non dices: eam enim in conficiendo mysterio extruditis, atque consumitis. Substantia ergo panis non est mysterium. Illud enim ita conficitur, vt conseruetur & maneat. Nam si periret, quomodò in cœna sacra possemus vti mysterio? Deinde substantia illa panis, secundum vos, quoad manet, nõ est consecrata: & idcircò non potest appellari mysterium. At si per mysteria intelligi velis accidentia, quomodò tandem ea consumuntur? Nam ea vos ipsi dicitis remanere. Verbum illud Puta, quo videt fictiones istas suas vehementer infirmari, ita conatus est emollire. *Verbo*, inquit, *Puta, idcircò vtitur, vt in hoc sacramento æstimando putet fideles quid dictet fides, & ratio nostra inferior spiritui subseruiat qui est ex fide.* Atqui Chrysostomus non potuit vti hoc verbo in hunc sensum. Reclamant enim & scripturæ, & patres & ratio, & experientia sensuum. Hæc enim omnia in sacramento agnoscunt panem. Et idcircò Chrysostomus vti voluit eo verbo, vt intelligeremus, non esse id re ipsa, quod alterius rei gratia fingitur. Nam hac dicendi forma & ratione, cum volumus rudiores instruere, sæpè vtimur. Dicimus enim homini pauperi: Putato, te nunc esse diuitem: quid faceres? Dicimus homini priuato: Putato te esse principem: nónne ius æquabiliter diceres, & causas innocentium susciperes? Neque tamen fallendi causa ita loquimur: imò multò potius, vt aliquem officij sui vtiliter admoneamus.

Sed Inconstantius, ne cogatur etiam sacrificulum suum vnà cum pane transubstantiare, videamus, per quas rimas elabatur. *Quoniam*, inquit, *corpus Christi sic præsens in sacramento sisti, & nobis ad manducandum dari, opus est homine ministro maius, etiam illud docet, adesse, videlicet, qui hæc efficiat inuisibilem sacerdotẽ, & quæ tam diuina sunt, diuino modo porrigere: cum interim minister homo suo munere visibiliter fungatur: in quo æstimando tamen vt sensus habeamus captiuos monet. Atque hæc*, inquit, *sentit Chrysostomus, si candidè intelligatur.* Cãdorem quem requiris à nobis, ne transubstantietur sacerdos, cur nõ tu quoque eundem exhibes, ne transubstantietur panis & vinum? Profectò non minus absurdum est, symbolorũ substantiam aboleri, quàm ministri. Quemadmodum ergo ex eo, quòd Chrysostomus dicit, Ne putetis, vos accipere diuinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim ignem forcipe, non statim colligis, non adesse ministrũ hominem, qui fungatur suo munere: ita quamuis idem dicat, Ne cogites te videre panẽ & vinũ, non debes ex eo statim colligere, substantiam ipsam panis & vini consumi, atque aboleri. Illum potius putare debes ista dicere propter alia quædam, quę maiora sint pane ac vino, quęque cõmunicantes in sacra mensa debeant sibi ante oculos animi constituere. Hoc cãdore efficere potes, ne cogaris vel panem & vinum, vel sacerdotem tuum transubstantiare. Quod autem addis, *corpus Christi dari manducandum, maius esse opus homine ministro:* si id de sacramẽto, quod porrigendũ sit, intelligas, non video, quàm sit verũ. Tu enim ipse sic scribis: *Cum ipse minister homo suo munere visibiliter fungatur.* Hoc autem munꝰ ego interpretor esse, porrigere mysteria. In mysterijs autẽ, vt vos dicitis, realiter & substantialiter latitat corpus Christi: Ergo sacerdos cum porrigat manu sua mysteria, porrigit etiam corpus Christi. Nec facit opus quod ab homine fieri nequeat, cum hominũ sit non angelorũ administrare sacramenta, nec vnquam dubitauit quisquã à ministro Eucharistiã distribui, & porrigi. Quantò autẽ cõmodius hisce verbis exprimitur sententia nostra? Scimus enim ministrum Ecclesiæ dare symbola: sed ni si Christus ipse fidei nostræ ac menti porrigat corpus suum spiritualiter recipiendũ, nihil agitur. Et idcircò requirimus in cõmunione præsentiam diuinitatis eius, & spiritus: nam ea spiritualis corporis & sanguinis Christi perceptio perficitur. *At si ita*, inquit, *verbum illud Puta intelligatur, sequetur, Chrysostomum voluisse populum suum seducere.* Verùm istæ nugæ tantùm sunt. Chrysostomus enim in tantum egit, vt animos suorum à rebus minus vtilibus abduceret ad alia vtiliora. Neq; enim Paulus fallere quenquã voluit, cum scriberet, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem:* cum tamen nescire non posset, nos & à malis hominibus perpetuò oppugnari, & à nostris ipsorum cupiditatibus. Neq; inducere nos voluit in fraudem, cum ita scriberet, *Nõ misit me Christus ad baptizandum, sed ad euangelizandum:* quamuis sciret, etiam munꝰ baptizandi ad vocationem suam pertinere. *Sed Sectarius*, inquit Inconstãtius, *vult illud, Puta, dici quoad fidem: quasi quicquid sit, putet tamen: scilicet, vt fides innitatur mendacio. Nam dicit Sectarius de suis loquens, illos fide non complecti panem & vinũ. Demiror igitur, cur ea pro verbis visibilibus habeant, quæ dicant significatiua, & exhibitiua, si libeat verborum pompa ludere. Imò cur tanti faciunt panem, & vinum, & eorum significationem, vt conquerantur substantiã abesse, cum nunc, vt videtur substantiam ipsam vnà cũ accidentibus non admodum curent? quia non amplectuntur: ne quid impediantur, opinor, dum istam diluunt in Chrysostomo sententiã. Siquidem nunc haud cogitãt panẽ & vinũ, sed animũ habẽt in rebꝰ significatis totũ occupatum. Adeò significatio iacet: negligitur substãtia cum ipsis accidentibus, cũ auertitur Chrysostomus.* Ego Inconstãti, bilẽ istam, & sentinã stomachi tui relinquo, & ad rẽ ipsam potius accedo. Nostra fides nõ nititur mẽdacio, vt tu calũnia-

ris, sed verbo Dei. Non enim docemus, non esse ea panẽ, & vinũ, quæ in sacra cœna comedimus, & bibim⁹: sed postquã, & quid ea sint, & quid significent, intellexim⁹, fides nostra non amplius in illis hæret, sed ad res ipsas significatas transmittitur. Quæ nisi Inconstãtius intelligat, oportet illũ satis crassum esse Theologũ. Tamẽ ne excusare possit tarditatẽ, expẽdat mihi hoc simile: Qui legit aliquid, attentè ab initio considerat, vt quid illud, quod legit, significet, intelligat: quod postquã intellexit, animũ aliquantulũ auertit à libro, & rem ipsam cogitat, nec intelligentiam suam habet, vt anteà, defixam in literis. Ita pij se gerũt in sacramẽtis, vt ab illis animum, & mentẽ referant ad res significatas, & in illis acquiescant. Sacramenta autem esse verba visibilia, non nos primùm diximus. Id. n. dixit ante nos Augustin⁹. Postquã aũt verba illa visibilia beneficio spiritus sancti, reduxerũt nos ad res ipsas, quid absurdi est si fides nostra eò translata tota in rebus illis sit occupata? Nam panem & vinum, non fide complectimur, sed sensibus. Nihilò tamen minus, cum panem, & vinum, quatenùs quidem illa sacramenta sunt, magni facimus, eaq; non tantũ significatiua corporis & sanguinis Christi, sed etiã exhibitiua dicimus, nõ vtimur inani pompa verborum vt iste clamat, sed vt omnes boni vident, & sentiunt, verissimè loquimur. Vt enim illa significant, sic etiam exhibent, atque offerunt spiritui nostro corpus Christi. Neque leuiter querimur, istos sua importunitate, & audacia auferre velle substantiam panis ex Eucharistia. Id enim ipsorum inuentum tantum est, contra verbum Dei. Nugatorium etiam est, quòd ait, nos nec substantiã ipsam, nec accidentia tanti facere. Habemus enim ea, quod ne ipse quidẽ negare potest, pro sacramentis institutis à Christo: & sine illis omninò negamus esse sacramẽtum. Tamen addimus, non esse ea, quæ in cœna potissimùm quærenda sint. Illa enim quasi pædagogia quadam deducunt nos ad corpus ipsum, & sanguinem domini. Ibi versatur, & hæret fides nostra: & inde exugit spirituale alimentum. Rectè ergo dicit Inconstãtius, animum nostrum totum occupatum esse in rebus significatis. Res enim significatæ tantò superãt symbola, vt omnis nostra cogitatio meritò in illis solis fita esse debeat: nec tamen interim aut substantiam elementorum, aut accidentia, aut significationes vel negamus, vel contemnimus. Iam verò de meis Regulis, quicquid iste garriat, non tanti facio: suprà enim respondimus, quod pio Lectori futurum sit satis

Adhuc contendit, *nihil aliud colligi posse ex illis verbis Chrysostomi, quàm substantiam panis & vini, in conficiendo sacramento interire, & sola remanere accidentia: nec tamen ea causa sequi sacerdotem quoq; transubstantiari. Rationem autem nullam affert, nisi quòd Chrysostomus in priori clausula loquatur sine vlla comparatione: in posteriori verò comparationem adhibeat.* Quid si nos hoc negemus, & contendamus, vtrinque rem per comparationem extenuari? Qua tandem probatione impediemur? aut isti sensui nostro quid obstabit? Certè, si vrgere volumus illud simile de cera, necesse est, quicquid est in symbolis, siue substantiæ, siue accidentium, totum tolli. Nec fimbria illa Regis huc quicquam spectat. Possunt quidem ista vtcunque ambagibus circumduci, vtque iste loquitur, mangonizari, sed ita splendida, & clara sunt, vt figuræ, & tropi vndique reluceant. Vtrinque est verbum illud, Puta, vtrinque cogitatio nostra abducitur à visibilibus: vtrinque apponitur similitudo, hinc de cera, illinc de Seraphin.

Sed Chrysostomo, inquit, *non deerat facundia, qua exprimeret, quid vellet.* Quid tum? Certè ille ne hoc quidem dicit, vel ministrum hominem nõ adesse, vel in combusta cera accidentia remanere. *At mentionem*, inquit, *facit fimbriæ.* Esto. Sed idem etiam mentionẽ facit Seraphin, quẽ putare debemus stare ad altare suppositum loco sacerdotis. *At per comparationem*, inquis, *dicit ista de ministro.* Vnde tu potes hoc suspicari? Certè Chrysostomus simpliciter hortatur communicantes, ne putent se accipere corpus diuinum ab homine. Quod si omninò velis comparationem hic intelligi, cur eadem intelligi non potest in priori clausula?

Non vult, inquis, *Chrysostomus, ministrũ nõ esse: sed vnum non esse totum in hac functione.* Ita nos quoque dicimus: Non vult Chrysostomus panem & vinum, nullo modo esse: sed ea nec vna esse, nec præcipua, quæ quærenda sint in sacro mysterio: imò ea tantùm concedere rebus significatis, vt ea præ illis quodammodo nulla sint. Si respondeas, simile illud de cera non posse ferre hanc expositionem, ego illud dico ad ámplificandam comparationem à Chrysostomo allatũ esse. Et illi simili opponoid, quod secundo loco positum est de Seraphin: vt si nolis, simile illud propriè sumi ex vna parte, cogaris idem & dicere & sentire de altera.

Verùm, inquis, *Chrysostomus nunquã potuisset ita stultè cogitare, vt putaret, in cœna peragenda ministrũ nullum esse.* Id ego quoque libenter fateor: atq; hoc etiam addo, neminem, cuius iudiciũ cum Chrysostomi iudicio conferri possit, vnquam fore qui iudicaturus sit, substantiam panis & vini necessario tollendã esse ex Eucharistia: & Inconstantiũ, eiusq; totum collegiũ sycophantarũ, cum ita ineptè cogitent, longè à sensu, & iudicio Chrysostomi dissidere. Vtque propius accedã ad rem ipsam, addo, id quod dicitur, sacramẽtum nunc dari, & porrigi nobis manu Christi, si propriè accipiatur, falsum esse, neque sine allegoria, aut hyperbole, aut tropo aliquo posse recipi. Atque eadem ista ratione possem dicere, non esse nos, qui comedamus corpus Christi: sed Christum ipsum in nobis comedere corpus suum: Chrysostomum autem, cum ista tam ridicula cogitare non potuerit, idcirco nullam vnquam fecisse mentionẽ de transubstantiatione, aut de accidentium sine subiecto retentione. *Sed non loquutus est*, inquit, iste, *omnino similiter & ijsdem verbis de ministro, & de symbolis.* nimirùm, quia non erat hominis eloquẽtis semper

Non est verum, si propriè loquamur, sacramentũ nobis porrigi manu Christi.

ſemper omnia dicere eodem modo. Satis eſt nobis, ſi idem dicatur, etſi non dicatur ijſdem etiá verbis. Poſtremò etiam moneo te, Lector, Reſponſionem illam, qua ego ſuprà vſus ſum, quam Inconſtantius pro ſua ſimplicitate ne dicam, an diligentia, accommodauit ad locum Cyrilli, ſpectaſſe ad hunc locum Chryſoſtomi. Ibi autem iſte excepit me effuſiſsimis cachinnis, & ſcommatis, qui dixerim, ceram in igne prorſus interire. Id autem nunc repeto, ne cũ ſuprà hanc fraudem patefacerem, me finxiſſe aliquid, aut luſiſſe exiſtimes.

Argumentum Gardineri ex eadem homilia Chryſoſtomi.

HAEC ergo dixerim ad eos, qui ſanctorum communionem, & congregationem relinquunt: & ſub horam terribilis myſticæ menſæ in vaniloquentiæ conuenticulis occupati ſunt, Quid facis homo? Non promiſiſti ei, qui dixit, Surſum corda, & mentem? & dixiſti. Habemus ad dominum? Non reuereris, & erubeſcis, & illa ipſa hora mendax inueniris? Papè, menſa myſterijs inſtructa eſt: & Agnꝰ Dei pro te immolatur, ſacerdos pro te angitur, ſanguis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit, Seraphim aſtant ſex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum ſacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis è cœlo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt: Et non erubeſcis? Neque Deum tibi propitium facis?

SOLVTIO.

HIS verbis Chryſoſtomus conatur omnibus modis animos communicantium à ſymbolis externis, & craſsioribus auocare ad res diuinas, & ſpirituales, & cœleſtes cogitãdas. Quodq; dicit, in cratere eſſe sãguinẽ haustũ è latere domini, nõ poteſt vllo modo κατὰ τὸ ῥητὸν intelligi. Hodiè.n. nec apertũ eſt latꝰ Chriſti, nec ex illo sãguis defluit. Quiuis ergo videre poteſt, hęc omnia dicta eſſe per hyperbolẽ ad excitãdos animos noſtros in cœlum: vt ibi per fidem bibamus ſanguinẽ Chriſti ſpiritualiter.

GARDINERVS.

PRIMVM ex hoc loco Chryſoſtomi cõſtat illa verba, Surſum corda, nõ eo ſenſu dici ſolere, vt mẽtes aſtantiũ auocẽt à ſymbolis: quod noto propter id, quòd in octaua huiꝰ Sectarij Regula de horũ verborũ ſenſu aliter diuinatur.

MARTYR.

IN ſexta mea Regula, cum de ſolẽnibus illis, & vſitatis verbis in Eccleſia, Surſum corda, mentionem facerem, non citaui ſententiam Chryſoſtomi: ſed tantùm ex me ipſo dixi, homines hiſce vocibus admoneri, vt animos à ſymbolis ad res ipſas ſignificatas ſurſum in cœlum auferant. Neque cum illa mea ſententia dictũ iſtud Chryſoſtomi, quod quidem ego videã, quicquã pugnat. Is enim ex illis ijſdem verbis, Surſum corda, eos coarguit, qui tantum aberãt, vt animam à ſymbolis abdducerent ad res cœleſtes, vt etiam illa ipſa hora communionis, qua debebant cum alijs percipere ſacramentum corporis Chriſti, ſeſe ſubducerent à ſacro cœtu, & in vaniloquentiæ conuenticulis occuparentur. Multò autem grauius peccant illi, qui ita affixi ſunt ſignis viſibilibus, vt ne cogitent quidẽ vnquã de rebus ſignificatis. Hęc tamẽ nõ efficiũt, quò minꝰ illa verba ſolẽnia pronuniẽtur in illum finẽ, qui à me attingitur in ſexta Regula.

Huc addit Inconſtantius, Chryſoſtomum dicere, *Agnum Dei illa hora immolari: & in ipſa menſa proponi ſanctificata myſteria, vt nobis ex illis ſignificetur vera præſentia corporis*. Primùm reſpondeo, Chryſoſtomum ne apicem quidem vnum habere de vera corporis præſentia: ſed hoc totum iſtum noſtrum ſumma liberalitate affinxiſſe de ſuo. Deinde oro Sophiſtam tam acutũ, vt hoc mihi expediat, quomodo menſa poſsit inſtructa eſſe myſterijs, cum Chryſoſtomus ſuprà dicat, myſteria conſumta eſſe præſentia corporis. Nam, quod ita prorſus conſumptum eſt, vt eius ſubſtantiæ pars nulla ſuperſit, quomodo tandem poteſt proponi? aut quomodo ex eo poteſt inſtrui, & ornari menſa? De immolatione autem ita reſpondeo, Idcircò Agnum Dei dici pro nobis immolari, cum cœna dominica celebratur, quod in ea memoria eius immolationis renouetur, & de ea agantur gratiæ. Fateor equidem, quod iſte dicit, Chryſoſtomum ibi auocare populum à terrenis cogitationibus, & à vaniloquẽtia & à conuẽticulis, & illis obijcere, quòd anteà promiſerint, & reſpõderint, Habemꝰ ad dominũ. Atq; hoc etiã addo, ſanctum illũ virũ, vt populũ facilimꝰ ab illis cogitationibꝰ, & ſtudijs remoueret, res ipſas, quę in ſymbolis repræſentãtur, per amplificationẽ vehemẽtius cõmẽdaſſe: idq; illũ rectè, atq; ordine feciſſe: præſertim cũ ſacramẽta, quicquid habẽt dignitatis, id vniuerſum habeãt à rebus ſignificatis.

Dolet autẽ Inconſtantio, *me ſanctas iſtas Chryſoſtomi metaphoras, quas ille adhibuerit ad exprimendã verã præſentiã corporis Chriſti, appellare hyperbolas, idq; vt aiꝰ per inuidiam. Illis enim*, inquit, *vir tantus nunquã fuiſſet vſus, niſi de myſterijs ſublimiꝰ ſenſiſſet, & veram corporis præſentiã fide nouiſſet, & populum ex verbis Chriſti ita credere cenſuiſſet*. Nos tropos illos Chryſoſtomi, cum perſpicuè rei ipſiꝰ fidẽ, & veritatẽ ſuperẽt, ſine vlla iniuria retulimꝰ ad hyperbolen. *Sanguis enim*, inquit Chryſoſtomꝰ, *ſpiritualis ex ſacra menſa refluit*. Certè ſi ſanguis Chriſti re ipſa, vti dicitur, ex menſa refflueret, non tam ſui præſentiã teſtaretur, quã inſignem miniſtrorũ negligentiã. Chryſoſtomus tamen in hac ſua hyperbole veritatẽ ſatis expreſsè indicauit. Sanguinẽ enim illum appellauit ſpiritualẽ: nimirũ, quòd cõmunicantes illũ ſpiritualiter amplectãtur. Neque verũ eſt, quod ait, liquorẽ illum, quẽ bibimus in ſacra menſa propriè hauriri è latere domini. Nam ſi haberetur

in calice ſanguis Chriſti ex eius latere hauſtus, extra venas, quî poſſetis veſtrũ ſacrificiũ dicere incruentũ? cruenta enim ſunt quę cruore aſperguntur, vel cruorem ſecum habent coniunctum. Hyperbolicum etiam illud eſt, quod alibi ſcribit, *os noſtrum, & linguã ſanguine domini tingi, ac rubefieri: & dentes noſtros infigi in carnẽ Chriſti.* Hæc Inconſtanti, qui dicit eſſe hyperbolica, nõ mentitur, nec Chryſoſtomo conflat inuidiam. Sẽ ir ille quidem magnificè de ſacris myſterijs: nos etiam de illis, pro eo ac debemus, magnificè ſentimus. Sed ſenſus noſtros arbitramur cõtinendos eſſe intra ſuos fines: hoc eſt, ne putemus, ſymbola ſubſtantialiter, & realiter conuerti in res ipſas. Nec vos ſatis iuſtè poteſtis ex illis, quæ à patribus per tropos, & hyperbolas amplificata ſint, argumenta ducere, quibus portenta illa veſtra de tranſubſtantiatione, & & reali preſentia confirmetis. Non ſenſit Chryſoſtomus, ſacramenta nihil eſſe aliud, quàm figuram. Neque nos id vnquam aut docuimus, aut ſenſimus: quamuis ab iſto tam craſſo, & inuidioſo, & ſibi tam probè noto mendacio Inconſtantius nunquam poſsit abſtinere.

Argumentum Gardineri ex Chryſoſtomo in Matthæum hom. 82.

QVOT modò dicunt, Vellem formam, & ſpeciem eius, vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre. Ipſum igitur vides: ipſum tangis: ipſum comedis. Veſtimenta eius deſideras videre: ipſe verò ſe ipſum tradidit: non vt videas ſolum, verum etiam vt tangas, & in te habeas. Nemo igitur nauſeans accedat.

SOLVTIO.

HIC videmus Chryſoſtomum, quod in prima regula notauimus, attribuere id rei ſacramenti, quod eſt ſymbolorum: nimirum, corpus Chriſti videri, & tangi: quod non poteſt verè intelligi, niſi de ſymbolis.

GARDINERVS.

EXPLICAT primũ Chryſoſtomi piorũ affectũ, ſi nõ ipſum Chriſtum, aliquid ſaltẽ, quod eius ſit, videndi cuidos.

MARTYR.

OPortet hoc loco incredibilem fuiſſe ſtuporem Inconſtantij. Omnino enim contendit, corpus Chriſti, non tantum haberi à nobis, ſed etiam re ipſa videri, & tangi: & Chryſoſtomum Gradatitione vſum eſſe ad rem amplificãdam: quòd amplius quiddam ſit tangere, quã videre. *Hæc* inquit, *Gradatio ad externas elementorum ſpecies relata inſulſa eßet, & frigida. Quid enim magni eſt, videre panem, tangere panem, comedere panem? Panis autem, inquit, nullus eſt alius vſus æſtimatione dignus, niſi vt tangatur dente, non tantũ manu.* Agnoſco Gradationem illam & Amplificationem Chryſoſtomi: & fateor plus eſſe, tangere, quàm videre. Iſta autem frigida & inſulſa eſſe, ſi ad externas ſpecies elementorum referantur, omnino pernego. Quamuis enim magnum nõ ſit ſimplicẽ tãgere, & videre, panẽ, talẽ tamẽ panẽ, tãgere & videre, præclarũ eſt. Ita .n. videre & cõtingere, hominẽ quemlibet vnũ è populo, magnũ nõ eſt, imò etiã ſæpè moleſtũ eſt: at Regẽ, aut Imperatorẽ videre, & cõtingere, & cũ eo poſſe colloqui, magnũ eſt. Et ſanè vulgaris, & profani panis nullꝰ eſt aliꝰ vſus aliqua æſtimatione dignꝰ, niſi vt veſcẽdo cõficiatur dentibus. Illiꝰ aũt panis, qui iã factꝰ ſit ſacramentũ, longè alius vſus eſt dum in ſacra cœna editur, nimirum, vt ſit viſibile verbum Dei, & inſtrumẽtum ſpiritus ſancti. Reſponde mihi hic, Inconſtanti, ſi potes: quis vſus olim fuerit panum illorum, quos appellabant propoſitionis? Certè nihil aliud erant, quàm panes: & tamẽ dicebãtur ſanctum ſanctorũ. Poſſem idem quærere de alijs panibus, qui illo tempore offerebantur ad altare Dei. Nemini enim illis panibus veſci fas erat, niſi mũdo: & grauiſsimum ſuppliciũ, excidium, videlicet, animæ conſtituebatur illi, qui eos comediſſet immundus. Et credibile eſt, Achimelechum pontificem cum panes propoſitionis ita cunctanter Dauidi traderet, multò plus vidiſſe tum in illis, quã Inconſtantiꝰ hodie videre velit in pane Euchariſtico. Sed ad illud venio, quod iſte ab initio huius confutationis ſuæ dixit, *Chriſtũ, videlicet, à fidelibus in cœna videri, & tangi, idque verè ac propriè.* Id certè non tãtum patres, ſed etiã omnes Scholaſtici ad vnũ negant. Scholaſtici enim vel, vt verius dicã, potius Sophiſtæ, docent, còrpus Chriſti eſſe in ſacramento inuiſibile. Iã verò nũ conſentaneũ ſit rem inuiſibilẽ videri, deliberet Inconſtãtius cũ ſuis Theologis. Ex patribus autem etſi multos poſsim in hanc rem citare teſtes, tamẽ hoc tempore contentꝰ ero vno Chryſoſtomo. Is in Matthæũ hom. 83. ita ſcribit: *Hoc eſt corpus meũ: nulla teneamur ambiguitate: ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. Nihil enim ſenſibile traditũ nobis à Chriſto: ſed in rebus ſenſibilibꝰ omnia, quæ tradidit, inſenſibilia ſunt. Sicut in Baptiſmo per aquam, quæ res ſenſibilis eſt, donum illud conceditur: quod autẽ in ea conficitur regeneratio, ſcilicet, & renouatio, intelligibile quidem eſt.* Hic Chryſoſtomus coniungit Euchariſtiam cum Baptiſmo, & in vtroq; ſacramento docet, per ſymbola ſenſibilia dari res inſenſibiles: nimirũ corpus Chriſti, & regenerationẽ. Cũ autẽ Chryſoſtomꝰ dicat, vtrunq; horũ eſſe inſenſibile, quomodo poteſt idẽ dicere, corpꝰ Chriſti à nobis verè ac propriè tãgi & videri? Nã quæ vidẽtur, & tangũtur, ea profecto ſunt ſenſibilia. Neq; .n. ea propriè dici poſſunt videri, aut tangi, de quibꝰ per illos ſenſus nihil poſsimꝰ iudicare. Patres autẽ vbiq; ferè dicũt, viſum guſtũ, olfactũ, & tactũ nihil nobis aliud in ſacramento renũtiare, quàm panẽ & vinum. Quod certè illi dicere verè non potuiſſent, ſi in eo videri, & tangi poſſet corpꝰ Chriſti. Neceſſe eſt ergo, vt Incõſtãtiꝰ fateatur, Chryſoſtomũ id quod erat ſymbolorũ, tribuiſſe rei ſignificatæ.

At

At quomodo inquit, *potest hic sentiri panis & vinum, cum Chrysostomus dicat, symbola consumpta esse substantia corporis Christi, nec amplius supereße panē, aut vinum, quæ videri, aut tangi possint?* Iam suprà respondimus, quemadmodum Chrysostomus senserit ea consumi, idque non tantum quod ad substantiam attinet, sed etiam quod ad accidentia: quemadmodum videmus euenire in cera coniecta in ignē: quo ille simili vsus est Hāc autem responsionem si iste nolit recipere, expediat ipse, quomodo corpus Christi videri possit, & tangi, cum idem Chrysostomꝰ dicat, Christū quod ad rem sacramenti attinet, nihil instituisse sensibile. Imò Inconstantiꝰ ipse alibi nō semel dixit, accidētia tantum esse, quæ videantur, gustentur, tangātur, frangātur. Hic verò sui oblitus ipsum Christi corpus & videri & tangi propriè affirmat. Quod autē hic repetit de fimbrijs, cū & ridiculū sit, & suprà satis copiosè refutatū, nō video cur debeā de eo plura dicere.

A

Argumentum Gardineri ex eadem homilia Chrysostomi.

NON sufficit ipsi hominem fieri, flagellari, sed nos secum in vnam, vt ita dicam, massam reducit: neque id fide solum sed re ipsa nos corpus suum efficit. Qua igitur re mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio part cipaturꝰ est? Quos radios solares nō deberet excedere manus illa, quæ hanc coronā pertractat? Os quod igne impleatur spirituali lingua, quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? Veniat in mentem tibi quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris. Ea namque re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque panore propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt: & nos in vnam cum illo massam reducimur. Et, in Iohannem idem ait: Vt autem non solum per dilectionē, sed re ipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amantium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorē præ se ferentes dicebant, Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate astringeret, & suum in nobis ostenderet desiderium: non se tantum videri permittēs desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri.

SOLVTIO.

SI ita est, nos tam arctè coniūgi cū Christo, vt non solū fide & dilectione, sed etiā re ipsa misceamur cum eius corpore, & tamē non transubstātiemur in ipsum, quid oportet panē transubstātiari, vt efficiatur corpꝰ Christi? Preterea etiā si statuamus, corpus Christi comedi à nobis per solā fidem, tamē ad illam ipsam participationē, quā habemꝰ per fidē sequitur non ficta, sed vera & certa coniūctio inter nos, & Christū. ita.n. fit, nō solū vt animꝰ noster illi vniatur, sed etiā, vt caro nostra ex eo habeat instaurationē, vtq; nos verè efficiamur mēbra Christi, & ex illo capite perpetuo spīritū, & vitā hauriamꝰ. Atq; hoc illud est, quod Chrysostomꝰ ait, nos re ipsa coniūgi cū Christo, & eius impleri carnibꝰ, & eius carni dēres nostros infigere. Figurata est loquutio, qua quod est symbolorū, attribuitur rei significatę. Nā alioqui dēs noster nō pertingit ad substantiā corporis Christi sed tantū ad panem, & ad externa symbola.

GARDINERVS.

Quod Cyrillus carnis Christi, & nostræ vnionem explicans dicit, tanquam ex ceris liquefactis vnum fieri, Chrysostomus ita explicat, Redigi nos cum Christo in vnam massam: non solum fide, inquit, sed etiam re.

MARTYR.

EX illo simili Cyrilli, de duabus ceris, quæ per liquefactionem in vnum coeunt, & ex eo, quod Chrysostomus ait, nos cum Christo redigi in vnam massam, idque non solum fide, sed etiā re: quodq; idē addit, Christū per cibū cōmunicare nobis carnē suā, & se ipsum nobis per corpus suū cōmiscere: quodq; ait seruos apud Iobū dicere. *Quis nobis det, vt eius carnibꝰ impleamur?* iste cōcludit, Chrysostomū sentire verā corporis Christi præsentiā exhiberi nobis in sacramento. Ego verò respōdeo, Primū simile illud Cyrilli de duabus ceris valdè esse hyperbolicū. Corpus.n. Christi gloriosū liquefieri nō potest, neq; per cōiunctionē, vt loquūtur, individualē in omnes cōmunicantes distribui. Imò ne nostra quidē corpora liquefiunt ad eum modū, quē verba illa Cyrilli prę se ferūt. Necesse ergo omnino est fateri, vtrinq; esse loquutionem metaphoricam: qua significetur actissima quædā coniūctio carnis nostræ cū carne Christi. Quemadmodū autē id nō fide, & dilectione fiat, sed etiam re ipsa, proposita responsio satis declarat. Atq; ista cōmunicatio dupliciter dici potest fieri per cibum: vel quòd Christꝰ spiritualē perceptionē carnis suę appellauit māducationem: vel quòd ea in sacra Cœna per sacramentalem cibum, tanquam per instrumentum spiritus sancti subministratur. Quod autem additur, Christum se nobis commiscere per corpus suum, id ita debet intelligi, vt cogitemus, quicquid nobis est commercij cum filio Dei, illud omne non alio pacto nobis contingere, quam per carnem Christi, quatenus credimꝰ, eam nostram ob causam suffixam fuisse in crucem. Nos enim cum Christo, tanquam cum capite nostro copulari, testantur beneficia illa, quæ ad nos per eius humanitatem deriuantur. Locus etiam ille Iobi, etsi à Chrysostomo in longè alienum sensum vsurpetur, nihil tamē nostræ sententiæ aduersatur: modo communicatio ista, & repletio, nō naturalis, sed spiritualis intelligatur. Hęc ergo, quę Inconstantiꝰ coa-

B

C

ceruauit ex Chrysostomo, neque ipsius causam quicquá iuuát, neq; nostrá premút. Quod autẽ nos quærimus, quid panem oporteat transubstantiari, cum nos ipsi absque vlla Transubstantiatione efficiamur re ipsa corpus Christi, & cũ eo misceamur, id iste non à se, sed à Deo authore operis quærendũ ait. At ego respondeo, nihil esse, quod Deum de his rebus interrogemus: ille enim horum portentorũ non est author. Te potius, tuosq;, Inconstanti, qui ista peperistis, & finxistis de vestro, & postea inauspicatissimũ fœtum Dei nomini suppositistis, oportet de vestris ineptijs respõdere. Sed tu te dicis ad ista aliàs respõdisse. Rectè. Et ego memini me illa tua responsa aliàs satis copiosè refutasse. Quare, si nihil habes noui, quod adferas, quæstioni nostræ succũbis, nec te potes vllo modo explicare. Verũ addit, *omnẽ responsionẽ nostrã ad hãc redire summã, nullam aliam esse coniunctionẽ inter nos & Christũ, quã fidei. Chrysostomũ autem coniunctionẽ illam, quæ re ipsa fiat, à coiunctione fidei longè diuersam facere.* Respõdeo, Chrysostomũ coniuntionẽ nostrã, quam habem⁹ cum Christo, rectè distinguere: nec nos eam, quæ duplex sit, vnam facere. Et certe Christũ nobiscũ primũ fide coniungi & charitate, nulla ratione negari potest. Paulus enim ait, Christũ habitare in cordibus nostris per fidẽ: & Iohánes, Deũ manere in nobis per charitatẽ. Sed huc accedit alia etiã coniunctio: vt & anim⁹, & corpus nostrũ, quemadmodũ in Solutione respõsum est, à Christo, tãquam à capite, & instaurationẽ suam & gratiã, & alia dona multiplicia percipiat, noſq; ipsi cũ ex eo spiritũ, & vitá cœlestẽ hauriamus, verè efficiamur membra Christi. Atque hæc posterior coniunctio priorem necessariò sequitur. Atqui Inconstanti⁹ prorsus decreuit nolle vllis rationibus acquiescere, nisi quo iure, quàde iniuria obtineat, carnẽ Christi realiter, & substantialiter conflari, & cõmisceri cum carne nostra. Id autem ego vicissim testor, nullo modo dari posse, nisi velimus carnẽ domini per innumerabiles homines, & loca infinita diffundi, & corruptioni, immũditiæ, infirmitati, & morti deniq; subijci. Chrysostomus verò nihil sibi aliud voluit, quã ne priori illa coniũctione, quã habem⁹ per fidẽ, rem omnẽ prorsus perfectã esse existimemus: sed potius, vt ad illam alterã, quę efficitur, & pendet ex priori, respiciamus. Insaniat Inconstanti⁹, quantum velit: nihil amplius potest è scripturis, & fidei Regulis extorquere.

Christus quomodo coniungatur nobiscum.

Postea citat Cyrillũ ex libro 10. cap. 13. in Iohan. Is ait, *nos coniungi cum Christo habitudine virtutũ.* Id ego, vt non inficior, ita etiã addo, huiusmodi coiũctionẽ, quę ad instaurationẽ pertinet sequi priorem: illam verò nos adipisci per fidem, non quidem quatenus fides virtus est, sed quatenus Christus per eã à nobis comprehensus nos totos instaurat. Chrysostomus autem ita scripsit, vt ostẽderet, cogitationẽ illam, quã habemus ex fide de corpore Christi pro nobis in crucem tradito, non esse absolutã, & summã nostrã coniunctionẽ cum eo: sed aliam quandã coniunctionẽ arctiorẽ sequi, propter illa, quæ Christus ita fide apprehensus in nobis efficiat. Corpus autem Christi cum nostro corpore penitus coniungi, & commisceri, quemadmodũ intelligendũ sit, sæpè iam diximus: nimirũ, conditiones, & qualitates corporis Christi reddere in nostra corpora, vt iam eandẽ carnem cum Christo communẽ habeamus. Nam quòd attinet ad speciem, & naturã humanã, antea cũ eo coniungebamur per physicã nascendi rationẽ: postea autem magis etiam illi efficimur similes virtutibus, & dotibus spiritualibus per nouam instaurationem. Atque ita aliquo modo dici possumus cum Christi corpore commisceri.

Postea Inconstantius noster ad παράγραφα quędam, & aliena voluit excutrere, quasi nos dicamus, *post adeptam regenerationem, & coniunctionem cum Christo, quam habemus per Baptismum nihil alia noua coniunctione opus esse, & idcirco frustrà institutum esse sacramentum Eucharistiæ.* Atqui nos Cœnam domini & pluris facimus, & sæpius frequentamus, quàm omnes Papistæ solent. Scimus enim, dona illa, quæ antea habuimus, istis exercitijs fidei & confirmari in nobis, & augeri. Addit iste, *hac alimonia spirituali corpus ali corpore.* Hic ego scire velim, si hæc alimonia est spiritualis, quid iste dicat corpus ali corpore. Nam cibus ille corporeus, quo aluntur corpora, certè non est spiritualis. Ad extremũ, fatetur, verũ esse, quod dicimus, *Loquutiones illas Chrysostomi, Impleri carnib⁹ Christi, & dentes in eius carnem infigi, figuratas esse: sed non nisi homini animali: nam eas homini spirituali esse proprias, & significare proprietatem mysterij.* Verùm hoc ego à tam acuto Sophista expectabam, vt exponeret nobis, quónam tandem modo dentes nostri propriè, ac verè infigantur in carnem Christi. Non enim istis erat hoc dixisse: explicasse etiam id oportuit. sed ignoscendum est Inconstantio. Homo simplex facere noluit, quòd videret non posse fieri. Quàm autem illud firmum sit, quod ait eandẽ loquutionem & figuratam esse, & propriam, suprà ostendimus.

Argumentum Gardineri ex eodem Chrysostomo, ad Neophytos.

ET aliam mihi Deus vltra tutelam donauit armorum. Quid illud? Mensam præparauit, vt cibum satietatis ostenderet: vt post epularum refectionem inimicum possim robustius superare. Cũ enim te egredientem post conuiuium Dominicum viderit inimicus, post cælestes epulas tanquam ignem leonis ore flammantem fugit, & deserit omni vento velocior: nec approximare contendit, & quum cruentam linguam tuam de longè ille crudelis perspexerit, mihi crede, non stabit: & cum os tuum senserit rutilare, gressum suum retrò cum timore torquebit.

SOLVTIO.

QVIS non videat, hic esse hyperbolen, cum dicat os rutilare, & linguam cruentam

tam esse? Ne ergo cauilleris, cruorem intelligi inuisibilem, pro vnà cum vino, aut accidentibus vini lingua nostra cruentetur.

GARDINERVS.

Quod Sectari⁹ dicit hyperbolen, vehementia est sermonis, ex rei, quæ verè adest, magnitudine nata: quæ nisi subesset verè eloquentia ridicula videretur.

MARTYR.

OMninò contendit, verba illa Chrysostomi propria esse, nullo autem modo hyperbolica. *vehementia* inquit, *sermonis est, ex rei, quæ verè adest, magnitudine nata.* Est quidem ea, Inconstãti, sermonis vehementia: sed quæ rei veritatẽ longè superet. An enim ora ipsa cõmunicantiũ propriè rubent? An eorum linguæ verè cruentantur? An ita prorsus furis, vt velis ista defendere esse propria? *At, nisi res ipsa,* inquis, *adfuisset, eloquentia illa fuisse ridicula.* Imò ridicula non erat, vel eo nomine, quòd exprimeret magnitudinem eximij sacramenti. Quid obsecro te, verè aderat in sacrificijs veterũ? Tamen Deus ait se in illis odorari odorem suauitatis. Verũ huic homini nil est in sacramento magnum, nisi ibi corpus Christi delitescat conclusum sub accidentibus. *Proprijs,* inquit, *verbis dicit, Cœlestes epulas in mensa proponi. Audio, & fateor.* Sunt Cœlestes epulæ. An idcirco statim necesse est, ibi adesse substantialiter & realiter corpus Christi? Certè manna etiam dicebatur panis cœlestis, & panis Angelorum. Et in Baptismo res nobis haud dubiè cœlestes dantur: & ita dantur, vt qui tinguntur, Christum ipsum induant. An ea causa dicemus corpus Christi realiter & substãtialiter aut nunc esse in Baptismo, aut olim fuisse in manna? Si iliæ epulæ, quemadmodũ Chrysostomus loquitur, sunt tutela animorũ, quomodò sunt corpus, quo alatur corpus nostrũ? Inconstantius enim paulò suprà ita scripsit: Et, quod corpore comedimus, corpus tuetur, & confirmat, non animum.

Deinde addit, *Chrysostomũ persequi allegoriam.* Hic ego de isto quæro, sermo allegoricus propriúsne sit, an figuratus? Proprius quidem nó est, cum allegoria inter figuras censeatur. At si est figuratus, cur iste reijcit hyperbolẽ, præsertim cum hæc eiusmodi sit allegoria quæ rei veritatẽ superet, & id quod re ipsa non sit enuntiet? Ora enim communicantium, eorum maximè, qui ęgrotent, pallent, nõ rubẽt. Libẽter recipio similitudinẽ, quã adducit ex epistola ad Galatas: vbi Paulus ait, Christum depictũ fuisse ante oculos Galatarũ, & in illorum cõspectu fuisse crucifixũ: qua de re, cum multa supra dixerim, hic nihil repeto. Ex illa tamen interpretatione sic concludo: Quemadmodum Christus reuera non crucifigebatur ante oculos Galatarũ, quamuis ita depictus fuerit, quasi re ipsa, & coram fuerit crucifixus: ita Chrysostomus ait, Sanguinẽ Christi ita communicari in sacra Cœna, quasi adsit realiter, & dentibus, atq; ore recipiatur, & illas partes corporis nostri cruentet: quãuis ei⁹ sanguis re ipsa nõ adsit substãtialiter, nec verè, aut propriè tingat ora cõmunicãtiũ. Neq; tamẽ vel ista à Chrysostomo, vel illa à Paulo vanè, atq; inutiliter dicebãtur. Verũ ista, quæ Chrysost. commemorat, ait *dæmoni internè relucere.* Atqui ea, quæ reuera nõ sunt nõ possunt nec homini, nec dæmoni relucere. Quod si ista falsò appareãt, iam loquutiones illæ, os rutilare, & linguã rubere, non erũt propriè: nisi affirmare velis omnia reuera esse crocea, quod homini icterico ita videãtur. Omnino ergo Inconstantius cogitur in his verbis agnoscere orationem figuratã. Postremò concludit, non quidẽ quod ratio, sed quod pertinacia dictauerat, Chrysostomũ nõ ita fuisse scripturũ, nisi persuasam habuisset verã, realem, & certã præsentiam corporis Christi. Imò, Inconstanti, quæ argumentis probare, & persuadere volumus, ea non solem⁹ per tropos efferre, aut hyperbolas.

Argumentum Gardineri ex eodem Chrysostomo, De proditione Iudæ.

ET nunc ille præstò est Christus, qui illam ornauit mensam: ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita in Consecratione mensæ domini corpus Christi facit, & sanguinẽ: sed ille, qui crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur: & Dei virtute consecrãtur, & gratia. Hoc est, ait corpus meũ. Hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dixit, Crescite & multiplicamini, & replete terrã, semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectũ, ad generationẽ operante natura: ita vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernum diem, & vsque ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem.

SOLVTIO.

HIC locus, si bene consideretur, & conferatur cum alijs, apparebit Chrysostomũ nihil minus sensisse, quàm corpus Christi esse naturaliter, & corporaliter in pane. Nam eo modo tantum in cœlo est. Nos autem mentibus nostris per fidem ascendimus in cœlũ, & ibi illũ comedim⁹. Sacramẽtaliter tamẽ, tanquã in signo & figura, corp⁹ & sanguis Christi sunt in pane & vino: quemadmodũ etiam in aqua Baptismi. In illis autẽ, qui ritè recipiũt panẽ & vinũ Eucharistiæ, corp⁹ Christi est in multò maiori perfectione, quã si adesset in illis corporaliter: Nã ita illis nihil prodesset. Cum aũt sit in illis spiritualiter per diuinã potentiã, dat illis vitam æternã. Et, quemadmo

dũ per verbũ eius omnia creata ſunt,& virtute,ac vi illorũ verborũ, Creſcite ac multiplicamini,hucuſq; omnia generãtur,& creſcũt: ita virtute horũ verborum,Edite, Hoc eſt corpꝰ meũ: Bibite,Hic eſt ſanguis meus,nõ autẽ virtute, aut vi vllius hominis,panis & vinũ ſunt eo modo cõſecrata, vt, quicunq; cũ viua fide illũ panẽ comederit, & illud vinũ biberit,ſpiritualiter mãducet, & bibat Chriſtũ ſedentẽ cum patre. Hic eſt ſenſus verus & germanus verborum illorum Chryſoſtomi.

GARDINERVS.

HIC habemus ex Chryſoſtomo, verba Cõſecrationis eſſe hæc, Hoc eſt corpus meũ: ſed Chriſtũ adeſſe, qui virtutẽ addat, & gratiã: vt quod ſemel ab eo dictũ eſt, ſemper intelligatur, & ſit ab eo dictũ, dũ facimꝰ, quod Chriſtꝰ iuſſit fieri.

MARTYR.

SIiſta ſunt verba Conſecrationis, quemadmodũ Chryſoſtomus videtur dicere, & iſte noſter annotauit, cur auſi ſunt Papiſtæ voculã illam, *Enim*, interponere, & ex oratione quadriuerbia quinqueuerbiã facere? curue Cyprianus vti ſuperius oſtendi, aliter illa producit? Certè nec ex Matthæo, nec ex Marco, nec ex Luca, nec ex Paulo, nec etiam ex Chryſoſtomo ſuum illud *Enim* habere potuerunt. Sed apparet, iſtos ne Conſecrationẽ quidem ſacramenti aliqua ſua traditiuncula carere voluiſſe. Deinde Chryſoſtomus, cum dicat, *Verba ſacerdotis ore proferũtur, Dei autem virtute conſecrãtur & gratia*, perſpicuè docet, Sacramentũ non fieri vt, atq; efficacia illorũ verborũ: illud enim fieri gratia, & virtute Dei: etſi etiã verba illa diuina ex domini inſtituto admiſceãtur. Et ſanè Chriſtũ ipſum adeſſe & ſacramento vim, & gratiã Communicãtibus ſuppeditare, nos nunquã negauimus. Adeſt enim diuinitate ſua, ac ſpiritu: idque ad conficiendũ ſacramentũ arbitramur eſſe ſatis.

Verum ex hiſce verbis Sophiſta putat, ſe reperiſſe cauſam, cur Chryſoſtomꝰ ſuprà dixerit: *Ne putemus nos accipere corpus ab homine, ſed à Deo, quod hoc illius ſit opus, etiam ſi id homo miniſter viſibiliter exequatur.* Quòd ſi hæc ratio ſatis firma ſit, non video, cur nõ illa in noſtra quoq; cauſa valere debeat: vt putemus panem & vinũ non adeſſe, non quòd reuera non adſint, ſed quod nõ ſit illiarum rerũ opus, quòd nos alamur ad vitã æternam. Illa enim ingrediuntur in corpus noſtrũ, & corpus alunt. Illud autem verè præſtãt corpus & ſanguis Chriſti hauſta à nobis & comeſta ſpiritualiter. *Chryſoſtomus*, inquit, *teſtatur hoc loco, Conſecratione menſæ fieri corpus domini. De pane autem, inquit, & vino nullam facit mentionem.*

A *Nã anteà dixerat, illa aſſumpta eſſe corporis ſubſtãtia.*

Ego tamẽ in illis verbis ita lego: In Cõſecratione menſæ domini propoſita fieri corpꝰ Chriſti. Quæſo vero, Inconſtãti, quænã illa ſunt Propoſita, quę Chryſoſtomꝰ dicit fieri corpꝰ Chriſti? Mirabor, ſi dixerit, accidẽtia. Illa enim non mutãtur, neq; quiſquã vnquã dixit, accidentia eſſe corpꝰ Chriſti. At ſi Chryſoſtomus cũ diceret, Propoſita, ſignificare voluerit panẽ & vinũ, quo modo negas illũ harũ rerũ vllã feciſſe mentionẽ? At illa, inquis, dixit abſumpta eſſe ſubſtãtia B corporis. Memini. Verũ id dixi, non poſſe propriè accipi, vtq; verba ipſa ſonãt, quòd idẽ Chryſoſt. dicat, illa proponi, & fieri corpus Chriſti.

Sed addit, *omnia illa abſurda, quæ nos cõmemorare ſolemus in Tranſubſtantiatiores, nunc recidere in Chryſoſtomum: panem videlicet aboleri: accidentia manere ſine ſubiecto: decipi, & falli ſenſus: leges naturæ violari: miracula confingi ſine neceſſitate: cum tamen ille pater ob hæc dicta à Catholicis nunquam paſſus ſit* C *calumniam.* Quam quæſo, ob hæc pati potuit Chryſoſtomus calumniam, quæ ille nunquam dixerit? Nam, quemadmodum à nobis ſatis fusè oſtenſum eſt ſuprà, ille & cum ſacris literis, & cum alijs Patribus panem relinquit in ſacramento. Quod autem ſemel dixit, Myſteria conſumi, id ſatis perſpicuè docui & quo tropo, & quare dixerit. Accidẽtia verò manere ſine ſubiecto, in hoc ſacramento illudi ſenſibus, Leges naturæ violari, & alia infinita veſtra miracula D intercedere nuſquam dixit. Quod autem alicubi facit miraculi mentionẽ, id quale eſſe velit, ſuprà ſuo loco oſtendimus. Quare vtri noſtrum corrumpant Chryſoſtomum, eumque cogant alia dicere, quàm ipſe velit, & Deus videt, & prudens Lector facilè iudicabit.

Argumentum Gardineri ex Hieronymo in Epiſtolam ad Titum.

SI autem Laicis imperatur, vt propter orationẽ abſtineant ſe ab vxoribus, quid de ipſo ſentiendũ eſt, qui quotidie pro ſuis populiq; peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas? Relegamus Regũ libros: & inueniemus, ſacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis noluiſſe prius dare Dauid, & pueris eius, niſi interrogaret vtrũ mũdi eſſent pueri à muliere, nõ vtiq; aliena, ſed coniuge. Et niſi eos audiſſet ab heri, & nudiuſtertiꝰ vacaſſe ab opere coniugali, nequaquã panes, quos prius negauerat, conceſiſſet. Tantũ intereſt inter propoſitionis panes, & corpus Chriſti, quantũ inter imaginem, & veritatem: inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ per exemplaria præfigurabantur.

SOLVTIO.

HIERONYMVS, ſi eum rectè intelligas, per hæc verba ſenſit, panes propoſitionis fuiſſe tantũ obſcuram vmbram Chriſti venturi: ſacramentũ autẽ corporis Chriſti eſſe clarum teſtimonium, Chriſtum iam veniſſe, & præſtitiſſe ea, quæ erant promiſſa: eumque in præſentia ſolari nos, & paſcere ſpiritualiter ſuo corpore & ſanguine: quamuis corporaliter iam olim aſcenderit in cœlum.

GARDI.

GARDINERVS.

IMO Hieronymus apertè loquitur, panes propositionis esse figuram corporis Christi, quod isti conficiunt in Eucharistia, quorum sanctimoniam & castitatem exigit.

MARTYR.

REpetere hoc loco, quid sit discriminis inter Sacramenta Legis & Euangelij, cum præsertim id à me suprà non vno loco satis fusè dictum sit, esset actum, quod aiunt, agere. Verum *Hieronymus*, inquit iste, *apertè loquitur, Panes propositionis fuisse figuram corporis Christi, quod conficitur in Eucharistia.* Ego verò fateor, Sacramenta Veterum & figurasse Christum, & eadem nostrorum etiam Sacramentorum quosdam fuisse typos. Paulus enim ad Corinthios manna, & aquam illam, quæ fluxit è petra, confert cum Eucharistia: & transitum maris, & protectionem nubis cum Baptismo. Addo etiam, Sacramenta illa Veterum propter obscuritatem, fuisse instar vmbræ: nostra verò propter claritatē esse quodammodo lucem: & illa fuisse notas quasdā rei futurę: nostra aūt esse promissionis iam factę & pręstitę consignationē. Inter nostra & veterū Sacramēta hæc ferè sunt discrimina.

Cæterum, quòd Inconstantius contendit, in illorum Sacramentis Christum tantum fuisse adumbratum, in nostris autem illum realiter & substantialiter delitescere sub accidentibus panis & vini, id ita demum à nobis impetrabit, si confirmari possit è sacris literis. *Christi quidē*, inquit, *vnum est corpus: cuius futuri panes propositionis figura erant, & ita venturi, quomodo nobis in Eucharistia daretur in cibum.* Si iste putat, me daturum, panes propositionis fuisse figuram corporis Christi aliquando per Transubstantiationē futuri in Eucharistia, vehementer errat. Non enim potuit vera figura antecedere eiꝰ rei, quæ nunquam esset sequutura. Fuit quidem in illis panibus figura corporis Christi, quatenus illud aliquando dandum erat in crucem, & futurum nostra spiritualis alimonia ad æternam vitam: modo sub hac ratione apprehendatur, & comedatur per fidem.

At apparet, inquit, *ex istis verbis Hieronymi, corpus Christi tam verè dari nobis in cibum, quàm illis dabantur panes propositionis. Nam alioqui frigida esset collatio, si nihil aliud esset nostrum altaris sacrificium, nisi figura sola.* Hoc, Inconstanti, nec Hieronymus dicit, nec nos sentimus. Datur quidem nobis corpus Christi, sed mente comedendum per fidem: ore aūt corporis nostri non corpus ipsum Christi recipimus, sed tantum symbola: quæ tamen suo modo appellantur & sunt corpus & sanguis Christi. Neque tamen propterea frigida est illa collatio Hieronymi. Etsi enim vtrinque significetur, corpus Christi esse spiritualem nostrum cibum, tamē Eucharistia nostra multis modis dignitate vincit panes propositionis. Neque nos nudam in Eucharistia, & profanam figuram constituimus: nisi quòd Inconstantius homo delicatus, præter suam Transubstantiationem, omnia tanquam profana & insulsa fastidiat.

Argumentum Gardineri ex Augustino in Psalmum 33.

ET ferebatur in manibus suis. Hoc verò, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? in manibus aliorum potest portari homo: in manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam, non inuenimus: in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. Ipsa est humilitas domini nostri Iesu Christi: ipsa multum commendata ab hominibus.

SOLVTIO.

HOC nos minimè inficiamur. Quid enim prohibet Christum gestasse manibus suis corpus suum, si per corpus intelligas corporis Sacramentum? Idque Augustinus ipse satis ostendit se sensisse, cum ad finem eius loci addat, Quodammodo: ferebatur, inquiēs, quodāmodo in manibꝰ suis. Ac si diceret, nō simpliciter, non propriè, nō realiter se gestauit, sed quodāmodo Is autē modus ille est, quē diximus.

GARDINERVS.

Si illud, Quodammodo, quod est in Augustino de sola figura intelligeretur, nihil magni dixisset: quin cuiuss, in procliui est sui ipsius figuram ferre.

MARTYR.

OCcidit miseros Crambe repetita magistros. Est. n. vt aiunt, bis Crambe mors: qua tamē iste noster plus, quā credi possit delectatur. *Si Augustinus illud suū Quodāmodo*, inquit, *intellexisset de sola figura, nil magni dixisset, nā cuiuis in procliui est sui ipsiꝰ figurā ferre.* Atqui Augustinꝰ illud suū Quodāmodo, nō de quauis figurā intelligi voluit, sed tantū de ea, quæ esset eximiū Sacramentū. Id aūt tantū est, vt institui nō possit, nisi à solo Deo. Vt aūt Christꝰ simpliciter & propriè, gestauerit se ipsū in manibus suis fieri nō potuit. Nā si ita esset, velint nolint omnes Papistę, oportuisset omnino Christi corpꝰ congeminari: vt vnū esset, quod gestaret, alterū verò quod gestaretur. *Verū Augustinus* inquit, ait, *Hoc se nō legisse de Dauide secūdū literā*: Quasi verò significare velit, illud secundū literā verū esse de Christo, id est, illū gestasse se, nō figurā sui. *Quod tamē modo quodā fieri rectè subijcit: nō tamen eo, qui expositꝰ est a Sectarijs, sed qui nobis mirandꝰ, & captu nostro,*

superior intelligatur: ne geminationem corporis, aut aliud rationis nostræ figmentum adferamus. Hoc etiã, quod Augustinus ait, secundum literam, quo modo esset intelligendum, suprà ostendimus in Obiectionibus. Quoniam tamen iste me sua improbitate & importuna Sophistice ita cogit, non grauabor duobus verbis eadem repetere. Etsi enim eadem toties audire Lectori molestum est, tamen verum iterum, atque iterum audire, spero, non erit inutile. Augustinus ergo Literam appellat historiam, secundum quam non legimus, Dauidem gestasse se manibus suis vllo modo, neq; simpliciter, quod fieri non poterat, neque in sacramento. Id tamen Christum fecisse, quoad Sacramẽtum legimus in historia Euangelistarum. Ista ergo Sophistica Inconstantij eius crassum & futile commentum nihil iuuat. Sed hac de re, Lector, si plura quæras, remitto te ad ea, quæ suprà hac ipsa de re copiosius à me disputata sunt.

Argumentum Gardineri ex Augustino de Trinitate lib. 3. cap. 4.

POTVIT tamen significando prædicare dominum Iesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per Sacramentum corporis & sanguinis eius. Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum ritè sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Quod cùm per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnũ sacramentũ, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei.

SOLVTIO.

MIRVM est, istos in hoc Sacramento nullum agnoscere opus spiritus sancti, nisi Transubstantiationem. Nam audito opere spiritus sancti, statim eam inferũt. Atqui symbola non possunt adduci ad conditionem Sacramentorum, nisi ope diuina: nimirum, institutó domini, sacris verbis & efficacia spiritus sancti. Hæc enim facta iam sacramenta non amplius incurrunt in animum nostrum vulgari & communi modo: sed vehementi atque efficaci impetu spiritus: cuius etiam spiritus operatione ac vi, mẽtes nostræ incitantur ad res ipsas, quæ in Sacramentis adumbrantur complectendas.

GARDINERVS.

AVGVSTINVS de mysterijs non semper loquitur apertè: sic enim ferebat hominum, quibus cum versabatur, & temporum conditio.

MARTYR.

QVid, obsecro te, obstitit Augustino, quò minus de Sacramentis apertè & perspicuè loqueretur? Conditio, inquis, hominum, quibus cum versabatur, & temporum. Mirũ, Augustinus enim Apher erat: & in Aphrica, vt ipse fateris. Cyprianus diu ante illum apertissimè de hac re loquutus est: cum adhuc Euangelium nec à principibus Romanis, nec ab illa prouincia publicè receptum esset. Quid ergo in causa fuit, cur eadem in prouincia melioribus temporibus, publicè iam vbique recepto Euangelio, Augustinus obscurius, & tectius loqueretur? Certè nisi tu causam aliquam probabiliorem & certiorem adferas, hoc totum âte confictum esse iudicabimus. Alij patres ante Augustinum, quales sunt Ignatius, Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Hilarius, Basilius, Nazianzenus apertissimè, vt tu putas, de Eucharistia loquuti sunt. Solus Augustinus cogebatur scripta sua caligine & fuco inducere, ne ab illorum temporum hominibus intelligeretur. O lepidum Sophistæ caput. Sed difficile erat sub tam angustis folijs tam amplum mẽdacium occultare.

Tamẽ addit, *eundẽ illum Augustinum eodem in libro collegisse spiritus, & de fide sua tulisse luculentũ testimonium: cum dicat, nos accipere id, quod consecratum est, ad salutem spiritualem.* Eius enim, inquit, quod sumitur, effectus, satis prædicat ipsius, quod sumptum est, dignitatem. At hoc nec inauditum nobis est, nec inusitatum in doctrina nostra, Eucharistiam sumi ad salutem spiritualem. Cum enim in sacra Mensa recipimus symbola, mente, ac spiritu per fidem, Christum ipsum amplectimur, atque ab eo salutem, & omnia nostra bona in nos deriuamus. Cum ergo ex vero vsu Eucharistiæ, vi atque ope spiritus sancti fides nostra exuscitetur & augeatur, rectè dicimus, id, quod in Cœna consecratũ est, sumi à nobis ad salutem. Fide enim nostra ita aucta, & inflammata complectimur ipsum dominum omnis nostræ salutis fontem. Baptismus etiam, etsi in eo nulla sit realis & substantialis præsentia corporis Christi, tamen recipitur ad salutem.

Addit: *Vnde magnum dicit sacramentum, cuius, quanquam quod visibile est, producat homo, sua operedum fit panis, tamen inde fit Sacramentum, operante id inuisibiliter spiritu Dei. Et notat Augustinus opus spiritus sancti in Sacramento conficiendo, ex cuius postea sumptione salus accedit: quæ quatenus ita exprimat Augustinus, videtur cum Ecclesiastica de hoc Sacramento traditione maximè consentire. Sectarius autem ita nugatur, quasi Catholici hunc locum citarint propriè ad probandum Transubstantiationem: & orsus deinde à constitutione suæ figuræ, in qua frigidam quandam operam affingit spiritui sancto, tandem delabitur ad operationem, quæ fit per spiritum in mentib⁹ nostris,*

nostris, vt amplectamur res significatas, quod est verũ & magnum opus Spiritus: sed de quo patres non loquuntur, cùm tractant mirabilem mysterij constitutionem, dum præparatur in altari, vt videatur primum secundum Chrysostomum Christus: & postea à nobis ore sumatur. Cæterùm hæc est Sectariorum sophistica perpetua, cùm aliud agitur, alia fabulari: & ideò semper reuocandi sunt ad statum causæ, quem fugiunt, illo Comici dicto. Quin hoc agis. Vides, Lector, dentem Inconstãtij satis atrum. Excutiamus singula, & videamus, quantum nobis vulnus impreserit, *Fit*, inquit, *Sacramentum, operante id inuisibiliter Spiritu Dei.* Quid obsecro, illud est, quod dicis fieri Sacramentum? Id, inquit Augustinus, quod ex terræ fructibus accipitur. Rectè. Sed an terra effundit accidentia sine subiecto? Nõ, arbitror. Ergo accidentia sine subiecto nõ sunt Eucharistiæ sacramentum. Sed quorsum ista tua tam multa? Nos enim nunquam scripsimus, Sacramenta fieri absque opere, & vi spiritus sancti: imò semper docuimus, & adhuc cõtendimus, Deum solum posse instituere & facere Sacramenta. At Spiritus Sanctus in conficiendo Sacramento habet opus suũ. Quis hoc neget? Non tamen ita, vt sint Sacramenta extra vsum. Nisi enim illa perpetuò verbum adiunctum habeant, & nisi id fiat quod Dominus iussit, desinunt esse Sacramenta. Quod autem videtur negare, suos citare solere hunc locum ad probandam transubstãtiationem, equidem non video quid velit. Quorsum enim alioqui illa tendunt? Quod enim addit, *Ex cuius postea sumptione salus accedit*, puto illum per salutem intelligere Christum ipsum. At si Christus ipse, quod ad corpus attinet, adsit realiter & substantialiter, statuit, non posse vnà adesse substantiam panis. Ergo, qui istum locum Augustini citant, probare ex eo conantur beatam illã suã transubstãtiationẽ. Duab. enim de reb. inter nos contenditur: nimirũ, de Transubstantiatione, & de reali præsentia. Necesse ergo est, vt ad alterutrum horum confirmandum adducatis hunc locum Augustini: vt si pro Transubstantiatione vestra non faciat, necesse omnino sit vos eo vti voluisse ad statuendam realẽ præsentiam. At si ea vobis detur, statim concluditis, necessariò sequi Transubstantiationem: nõ rectè quidem, sed ineptè & putidè: tamen ita concluditis. Quare iste noster aut sui oblitus est, aut quod apertè facit, id se inficiatur facere: quorum alterum hominis est stupidi, alterum viri non boni.

Verùm ait, nos, nescio quam leuem & frigidam opellam tribuere Spiritui S. in figura constituenda, & ita à statu causæ discedere. Sed an hoc est à statu discedere, docere Sacramẽta fieri à Spiritu S.? *Loquimini*, inquit, *de Figura, quasi omnia Sacramenta non sint figuræ.* Si patres passim appellant Sacramenta signa, figuras, symbola, typos, quid nos ita grauiter peccamus, si interdum loquamur eodem modo: præsertim cùm de profana & vulgari figura non loquamur? Imò ex istis ipsis verbis Augustini euincimus, Sacramentum esse signum. Sic enim scribit: *Potuit tamen significando Paulus prædicare aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramẽtum corporis & sanguinis eius.* Hæc verba satis docent, Sacramentũ corporis & sanguinis Domini significando prædicare. At vnde hoc habet Sacramentum? an à natura? Si ita esset, sacra mysteria essent res naturales. At si diuinitùs, necesse est, vt fatearis id fieri opere Spiritus Sancti. Verùm hæc opera leuis, inquit est & frigida. Quid ita? an Sacramenta putas res vsq; adeò esse viles? Apud nos certè sunt in precio. Sed tibi scio præter Transubstantiationem tuam omnia videntur esse vilia.

Addit, nos dilabi ad operationem eam, quæ fit à Spiritu Sancto in mentibus nostris: de ea autem patres non loqui, cùm agatur de admirabili constitutione mysterij. Imò suprà ostendi compluribus & euidẽtissimis exemplis, patres cùm loquantur de mutatione symbolorum, sæpissimè, ac ferè semper adiungere conuersionem nostrã in Christum. Et ne longius discedã, Augustinus hoc ipso in loco hęc duo duo coniunxit. Sic enim scribit: *Sed illud tantũ, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica cõsecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem.* Hìc ego libenter ex isto meo audire velim, vtrum putet, salutem nostram spiritualem constare posse absque opere, & vi Spiritus Sancti. Cùm nemo sit ita impudens sophista, vt hoc negare possit, confido satis perspicuè ostensum esse; nos, cùm ista dicimus, à statu causæ non discedere. Quid autem Chrysostomus sibi velit, cùm dicat Christum à nobis videri & ore sumi, aliàs dixi, quod esset satis.

Argumentum Gardineri ex Augustino in Psalmum 98.

SVSCEPIT enim de terra terram, quia caro de terra est: & de carne Mariæ carnem accepit: &, quia in ipsa carne hìc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est, quemadmodum tale scabellum pedum domini adoretur: & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

SOLVTIO.

QVOD Augustinus dicit, Christum ipsam carnem suam nobis dedisse manducandam, non efficit, eius carnem corporaliter adesse præsentem in Eucharistia, &

à nobis corporaliter manducari. Satis enim est ad Augustini sententiam si adsit, & comedatur spiritualiter. Ille enim postea subiecit, Spiritualiter intelligite, quod loquutus sum Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis. Quemadmodum autem dicit de Adoratione, non probat, vllam adorationem dandam esse visibilibus Sacramentis, aut alij vlli rei, quæ sit in illis corporaliter. Nam re vera nihil est in pane realiter & corporaliter, quod sit adorandum. Carnem autem Christi esse adorandam propter coniunctam naturam diuinam minimè inficiamur. Verùm Augustinus postea prudenter monet, Cùm adoras illum, ne remaneas cogitatione in carne, ne à spiritu non viuificeris. Ita ego quoque hic moneo, cùm percipitur Eucharistia, non esse consistendum in symbolis: sed in spiritu & veritate adorandum esse Christum ipsum sedentem in cœlis ad dextram patris: quemadmodum auditis illis verbis Euangelij, Et verbum caro factum est, multi pij genu flectunt, & adorant: nec tamen rectè dici possunt verba illa adorare, sed illorum significata.

GARDINERVS.

HOC loco Augustinus Catholicam doctrinam apertissimè statuit, cùm dicit, Christum dedisse carnem manducandam ad salutem.

MARTYR.

NOS quoque dicimus, Christum dedisse carnem suam manducandam ad salutē, atque illam adeò carnem, quam assumpsit ex Virgine, & obtulit in cruce. Nullam enim aliā Christi carnem fides nostra complectitur: vt ego prorsus non intelligam, quid iste sibi velit: nisi fortè hoc somniet, carnem Christi, quæ est in cœlo, non esse eandem, quæ nata est ex Virgine. Nam cùm nos dicamus, fide manducari carnem illam Christi, quæ est in cœlo, necesse est, vt eadem opera dicamus, manducari carnē illam, quam Christus suscepit ex Virgine. Annotatum est in Solutione, Augustinum adiecisse, se loqui spiritualiter.

Id Inconstantius ait significare modum dationis: non autem minuere veritatem rei datę. Rectè hoc quidē. Verissima enim caro est, quæ fide nostra spiritualiter recipitur. Neque enim nos Christi corpus regnans in cœlis ad patris dextram imminuimus. Verùm iste omnino persuadet sibi, Augustinum sensisse, corpus ipsum Christi esse realiter & substantialiter in Eucharistia: quod tamen nec ille vnquam dixit, nec nos concedimus aut credimus. *Nam si nullum*, inquit *omnino corpus daretur, id apertè Augustinus dixisset: qui duo Christi naturalia corpora propter absurditatem docere non poterat.* Quorsum istæ ambages? Quis nostrûm vnquam dixit, Augustinum credidisse, nullum corpus dari communicantibus? Scimus illum & credidisse, & dixisse, in Eucharistia dari verum corpus Christi: at non ore aut dentibus, sed fide ac spiritu manducandum: non realiter præsens vel in pane, vel sub accidentibus: sed regnans in cœlo ad dextram patris. Ad hoc autē nihil opus est duobus Christi naturalibus corporibus. Nam ad nostram manducationē vnum Christi corpus est satis. Inconstantius autem si sua insomnia sequatur, velit, nolit, cogetur Christi corpus congeminare.

Sed quod ad Adorationem attinet, subijcit, Augustinum non sensisse, adoranda esse visibi-

lia: neque eum, nisi putasset carnē Christi verè adesse, quicquam loquuturum, aut scripturum fuisse de Adoratione, quæ adhibenda sit ante manducationem. Imò agendum erat de adoratione carnis Christi maximè ante manducationem symbolorum, quòd ea sint illius carnis mysteria. Nec tamē ea causa necesse est realiter adesse, & coram sisti Christi carnem. Idq; vt euidentissimo argumento ostendam, velim mihi ab Inconstantio responderi, quid ipse cū suis adorare soleant, cùm in parasceue maioris hebdomadę genu flectunt ante crucem. Quàm idololatricè id faciant, nunc nihil disputo: hoc tantùm quæro, quid adorent. Respondebit, opinor, Christum passum, cuius eo die anniuersaria memoria celebretur. Rectè. Verùm adhuc scire velim, vtrum putent in illa cruce Christū ipsum adesse realiter. Si non adest, cur illum, quasi ibi adsit, adoratis? Cur ad eam adorationem vos mutuò cohortamini? Multi olim tempore Hieronymi adorabant, multi adorant ad locum Caluariæ, & ad sepulchrum. Nequetamen quisquam, quod sciam, collegit ex eo, humanam Christi naturam ibi realiter contineri: ergo ex adoratione iure non concluditur rei alis præsentia.

Augustinus, inquit, *loquitur de carne data ad manducandum, vt adoretur antequam manducetur: non loquitur de visibilibus verbis, vt isti volunt, sed de carne data: cuius propria est manducatio, non diuinitatis. Christus in cœlo regnat Deus & homo: est autem in mysterio homo Deus: quia humanitas datur manducanda, quæ prius adoretur, vt inquit Augustinus, quàm manducetur.* Scio equidem & fateor, Augustinum loqui de carne, quæ detur comedenda: & idcirco addo, Symbola non esse adoranda, sed significata. Vnde autem iste colligat, nos quod ad hanc adorationem attinet, loqui de verbis visibilibus, ipse viderit. Nos quidem docemus, homines pios illis symbolis aut visibilibus verbis prouocari, vt cogitent de rebus ipsis, quæ illis symbolis repræsentantur, eásque spiritu

&

& mente comedant. Scimus etiam ex verbis Domini, Manducare ad carnem propriè pertinere, non ad naturam diuinam. Distinctionem tamen istam inter Deum & hominem, & hominem Deum, nouam esse & peregrinam iudicamus.

Verùm Adoratio, inquit Inconstantius, *quæ in Christum regnantem fit, statim & proximè dirigitur in cælum, nec prius habet nec posterius: sed semper sine intermissione fit, nec quisquam sumit Sacramentum, nisi qui certissimè Christum antea adorauerit regnantem in cælo, cùm solis baptizatis ab Ecclesia conferatur.* Adoratio illa, quæ statim & proximè dirigitur in cœlũ, si nec prius habet, nec posterius, quomodo dici potest opus aut actio humana? Nam certè actiones nostræ sine priori & posteriori esse non possunt. Eas enim metimur tempore. In tempore autem qui non videat esse prius & posterius, satis crassus est philosophus. Adhæc si ab hac adoratione prius & posterius auferri velit, cur statim subiecit hæc verba: *Nec quisquam sumit Sacramentum, nisi qui certissimè Christum antea adorauerit regnantem in cælo?* Profectò vbi iste statuit, Antea, ibi ego pro meo iure addere possum, Postea. Ista enim duo Aduerbia relatiua sunt, & disiungi nõ possunt. Quod aũt ait, Christũ regnantẽ in cœlo perpetuò & sine intermissione adorandum esse, verum est: idq; vtinam ab omnibus & vbiq; verè fieret. Quoniam autem propter infirmitatem carnis nostræ fieri id non potest, idcirco assiduè renouandæ sunt occasiones, vt perpetuò & verbo Dei, & Sacramentis ad illam adorationem incitemur.

Sed locus ipse satis, inquit, *declarat, Augustinum sensisse de adoratione, quæ exhibetur Christo in Sacramento. Susceperat enim explicandum, quo pacto adoretur scabellum Dei: quem sensum ait se reperisse in carne Christi data ad manducandum. Quòd si de adoratione, quæ Christo in cælo fit, egisset, cur meminisset manducationis, nulla est ratio. Imò dixisset, Christum sumpsisse terram, id est, carnem ex Virgine, & illam post expletam hîc inuisibili corpore dispensationem, in cælum euexisse, vbi terra iam in gloria adoratur. Neque causa erat, vt mentionem faceret manducationis, nisi ibi sensisset adorationem fieri.* Iste nos abducit in longa & cæca diuerticula. Sensus, quem Augustinus ait se reperisse, est, vt scabellum Dei intelligamus terram, eamque nõ quamuis, sed eam, quam filius Dei suscepit ex Virgine, carnem nimirum Christi: quam ab hominibus Christianis adorari, quatenus quidem ea cum diuinitate coniuncta est, etsi alijs rationibus probare potuisset, tamen illo loco ex eo etiam probare voluit, quod tum agebatur, cum perciperetur Sacramentum Eucharistiæ. Nemo enim erat, imò ne nunc quidem est, quin priusquam communicet, adoret carnem Christi, quam sciat pro se datam esse in pretium redemptionis. Sub hac enim ratione ad sacram mensam fit solennis commemoratio carnis Christi. Atque hoc pacto caro illa in mysterijs adoratur, quamuis nemo sapiens putet ibi eam sub pane, aut sub accidentibus delitescere. Ad illam enim adorationẽ satis est, vt intelligamus carnem Christi esse nostræ redemptionis pretium. Atque hæc causa fuit, cur Augustinus, cũ ageret de adoratione, mentionem fecerit de manducatione.

Quod autem, inquit Inconstantius, *ad adorationem in Spiritu & veritate pertinet, si in Sacramento est veritas carnis, quæ semper & inseparabiliter vnita est diuinitati, pertinet etiam ad hanc veritatem adoratio Sacramenti.* Hîc iste, vt soler, duo sumit, primùm falsa, deinde etiam non probata. Primum est, quòd ait, carnem Domini propriè & substantialiter esse in Sacramento. Alterum est, quòd ait, adorari Sacramentum. Etsi enim Sacramentum prouocet nos ad adorandum Christum, tamen ipsum Sacramentum, cùm & res creata sit, & cùm natura diuina in eadem hypostasi coniuncta non sit, non potest à quoquam piè adorari. Imò eo maximè nomine detestamur Sacrificos vestros, ventres, inquã, & manducipia Paparum, quod in suis circumgestationibus & Missis cogant populum vbique horrendum in modum adorare panem. Neque cum nostra sententia quicquam pugnat, quod Ambrosius scribit libro 3. de Spiritu S. cap. 12. se adorare Christum in mysterijs. Non enim ait se mysteria ipsa adorare: sed Christum ipsum in mysterijs, vt qui in illis sit per significationem. Atq; ita rectè dicimus, nos in sacris literis Dei voluntatem adorare: non quidem quòd ea in illis realiter contineatur, sed tantùm quòd in illis significetur. Et ad eundem modum, quod in Solutione responsum est, piè & rectè faciũt, qui adorant & genu flectunt, quoties audiant in templis verba illa ex Euangelio Iohannis pronunciari, Verbum caro factum est: non quòd in illis verbis putent contineri mysteriũ incarnationis, sed quòd illud in eis tantùm significetur. Iis addam, notandam esse Augustini loquutionem, qua dicit, neminem Christi carnem manducare, nisi prius eam adorauerit, quoniam inde rectè colligitur, impios carnem Domini propriè non edere, cùm illam non adorent.

Argumentum Gardineri ex Augustino contra Cresconium lib. 1. cap. 25.

QVID de ipso corpore & sanguine Domini vnico sacrificio pro salute nostra, quamuis ipse Dominus dicat, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: nonne idem Apostolus docet, etiam hoc pernitiosum malè vtentibus fieri? Ait enim, Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: Ecce quemadmodum obsint diuina & sancta malè vtentibus. Cur non hoc modo & Baptismus?

SOLVTIO.

LOCVM diligenter perpende, & inuenies, Augustinum non hæc sensisse de manducatione corporis Christi, sed tantùm de indigna vsurpatione Sacramenti. Hoc enim Augustinus probare voluit, res bonas non prodesse malè vtentibus. Ita enim ait, lucem bonam esse sanis oculis, lippis autem noxiam: & cibum eundē alijs salubrem esse, alijs lethalem: & eandem medicinam alios sanare, alios perdere. Post hæc exempla, probat, idem verum esse etiam in Sacramentis & Baptismi, & Corporis Domini. Et verba quidem illa Pauli, quæ hic citantur, intelliguntur de sacramentali pane & poculo, non autem de carne ac sanguine. Tamen Augustinus panem ipsum & poculum appellat carnem & sanguinem, non quòd re vera ea sint, sed quòd ea significent.

GARDINERVS.

Et ego rursus prouoco ad diligentem perpensionem. Nam Augustinus sumpserat probandum, quòd diuina & sancta obsint malè vtentibus. Id autem vt probet, proposuit ipsum Christi corpus.

MARTYR.

VErum est, quod ait, scopum Augustini fuisse, vt probaret, diuina & sancta obesse malè vtentibus: eumq; pro argumento subiecisse, Corpus & sanguinem Domini vnicum sacrificium pro salute nostra, malè & indignè vtentibus esse perniciosum. Hinc noster Sophista colligit, corpus ipsum & sanguinem Domini sumi ab indignis. Atqui Augustinus cùm diceret, *Corpus & sanguinem Domini*: atq; etiam cũ adderet, *Sacrificium vnicum pro salute nostra*, nihil aliud intelligi voluit, quàm Sacramentum. Nã & Augustinus ipse, & Cyprianus, & Cyrillus, & Theodoretus testantur, symbola sæpe gerere nomina rerum ipsarum, quas significant. Est ergo verum quod dicit, Sacramentum & à dignis accipi, & ab indignis: illudq; interdum esse vtile, interdum noxium. Atque idem sensit Apostolus Paulus, cùm scriberet, *Quicunq; manducauerit panem Domini indignè*. Verùm, inquies, Augustinus, vt probaret vtilitatem illius corporis & sanguinis, affert argumẽtum ex 6. cap. Ioannis, vbi haud dubiè non de symbolis agitur, sed de re significata. Itaq; non videtur huc accõmodari rectè posse, quod alibi dicitur, nomina ipsarum rerum attribui solere symbolis. Respondeo, illam probationem tantũ valere in illis, qui dignè accipiunt Sacramentum. Illi enim non tantùm ore corporis accipiunt symbola, sed etiam mente ac fide carnem ipsam & sanguinem Domini. Verba enim Christi in 6. Ioannis tantùm de spirituali manducatione, & de re ipsa, quæ per Sacramentum significanda erat, intelligenda sunt: nullo autem modo possunt ad Sacramentum, quod tum institutum non erat, detorqueri. Nec necesse est, vt hæc probatio accommodetur etiam ad impios, & in eis valet. Dominus enim eodem in loco expressissimè addidit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quibus verbis docuit, manducationis verę carnis Christi propriam esse coniunctionem cum eo, quam certè impij non habent. Argumẽtum ergo illud Augustini duplici constat membro. Docet enim, Sacramentum Eucharistiæ & vtile esse pijs, quòd illo rectè vtantur: & noxium impijs, quòd illo vtantur malè. Prius illud membrum probat ex verbis Christi, quòd illi qui rectè vtuntur Sacramento, verè comedant carnẽ Domini, spiritu videlicet & fide, & ex ea habeant salutem & vitam. Alterum autem membrũ probat testimonio Pauli. Is autem ait, eos, qui illum panem & calicem indignè sumunt, iudicium sibi manducare & bibere. Huc addo, Augustinum ipsum, quod suprà commemorani, multis in locis disertissimè scribere, impios nõ sumere corpus Domini: vt hoc loco eum necesse sit ita interpretari, vt nos facimus, nisi eũ velimus pugnare secum. In istis autem probationibus, vt à nobis distinctæ sunt, nihil est omnino controuersiæ.

Verùm Inconstantius putat, Augustinum, cùm mentionem fecisset de luce, cibo, & medicina, illis relictis, tanquam inferioris notæ bonis, contulisse se ad diuina & sancta, imò ad sancta ipsa sanctorum, nimirum, ad corpus Christi: quod nisi sumeretur etiam vt cibus & medicina, non esset, inquit, exemplum similis rationis, sed ab argumento alienum. Fateor equidem, lucem, cibum, medicinam, quæ priori loco commemorantur, esse inferioris notæ bona, si conferantur cum Sacramentis. Scimus enim & fatemur, Sacramentum esse rem diuinam & sanctam, atq; adeò si velis, Sanctum sanctorũ: sed nõ alio sensu, quàm quo olim in Lege quædam sacrificia eo nomine censebantur: quodq; ea, quæ propriè conueniunt rebus ipsis, vt sæpe diximus, attribuantur Sacramentis. Quare cùm Sanctus ille sanctorum, vt Daniel ait, Christus ipse in Euchristia sanctificetur & laudetur, nihil prohibet, quo minus ea ex ratione significandi Sancta sanctorum dici possit. Exempla autem illa Augustini ita rectè disponuntur, vt à minoribus bonis ascendat ad maiora: in eo tamen omnia conueniant, quòd & rectè & malè possunt vsurpari. Quòd si corpus & sanguinẽ accipias simpliciter & propriè, ratio illa non procedit. Nam quicunque demum ille sit, qui comedat verè carnem, & verè bibat sanguinem

Eucharistia dicitur esse Sancta sanctorum.

Do-

Domini, manet in Christo, vt Christus ipse te- A
ſtatur, & habet vitam æternam. Neque leuiter illud pro nobis facit, quod annotatur in Solutione, Auguſtinum ad extremum idem etiam cõcludere de Baptiſmo: illud videlicet, Sacramentum & bene vſurpari, & malè: quod certè de re ipſa per Baptiſmum ſignificata nõ eſt verum. Imò Auguſtinus hoc maximè, & propemodũ vnicè probare voluit de Baptiſmo. Res enim illi fuit cum Donatiſtis, aduerſus quos non de Euchariſtia, ſed de Baptiſmo pugnan- B
dum erat: quod illud Sacramentum ſemel datum illi impiè repeterent. Probauit ergo id appoſitiſsimè ex re alia eiuſdem ordinis, nimirũ à Sacramento Euchariſtiæ: quam ſi rei ipſius nomine appellauit corpus Chriſti, nihil diſceſſit ab vſu recepto in Eccleſia, maxime cùm Sacramenti illius dignitatem amplificare atque ornare veller. De verbis autem Pauli, quoniam ſatis vel cæco conſtare poteſt, illum eo loco egiſſe de Sacramento, nihil eſt quod hîc debeam litigare.

Argumentum Gardineri ex Auguſtino de Baptiſmo lib. 5. cap. 8.

SICVT Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo locum in ſe diabolo præbuit: ſic indignè quiſque ſumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt quia ipſe malus, malum ſit: aut quia non ad ſalutem acceperit, nihil acceperit: Corpus enim Domini & ſanguis Domini nihilominus etiã erat illis, quib. dicebat Apoſtolus, Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Non ergo quærant in Catholica hæretici quod habent, ſed quod non habent, id eſt, finem præcepti, Charitatem: ſine qua multa ſancta haberi poſſunt, ſed prodeſſe non poſſunt.

SOLVTIO.

IDEM huic loco reſponderi poteſt, quod ſuperiori. Hic enim vt Auguſtinus loquitur de Sacramento Baptiſmi, ita loquitur de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti: quod nihilominus appellat corpus & ſanguinem, quòd ſignificet & repræſentet nobis verum corpus & verum ſanguinem.

GARDINERVS.

HIS Auguſtini locis mirè premitur Sectarius. Quod Auguſtinus aſſerit de Baptiſmo, probat ab Euchariſtia, ne proſit indignè ſumentibus.

MARTYR.

VElle Auguſtinum, ſubſtantiam ipſam Sacramenti & bonis & malis eandem eſſe, vt rem minimè ambiguam & controuerſam damus. Non enim aut fides aut malitia noſtra immutare poteſt naturam Sacramenti. Et videmus, Auguſtinum ad id probandum vti hac ſententia: *Corpus enim Domini nihilominus erat etiam illis, quibus Apoſtolus dicebat, Qui manducat indignè, &c.* Hic nihil eſt obſcuri. Neque enim nouum eſt, Sacramentum Euchariſtiæ vocari, atque etiam ſuo modo eſſe corpus Chriſti. Nihil aliud quærit Auguſtinus, quàm vt doceat, tam pijs quam impijs id quod in cœna traditur, eſſe Sacramentum corporis Domini. Nam & his & illis ſignum idem eſt, & idem etiam quod ſignificatur. Atque hoc ita ſe habere, ipſius Auguſtini verba, quibus eodem illo loco paulò antea vſus eſt, indicant. *Sit*, inquit, *indignè quiſque ſumens Dominicum Sacramentum, non efficit, vt, quia ipſe malus eſt, malum ſit.* Quòd poſt appellat cor- D
pus Chriſti, illud hoc loco vocat Dominicum Sacramentum. Receptum enim atq; vſitatũ eſt, vt hæc nomina permutentur. Neq; id mirum aut peregrinum videri debet in Auguſtino. Vides enim, Paulũ ipſum iſta vocabula miſcuiſſe, & cùm antea dixiſſet Panem, ſtatim ſubiecisſe, Non iudicans corpus Domini. Panem enim quòd eſſet Sacramentum corporis Chriſti, appellauit corpus Chriſti: non aliter, quàm Dominus ipſe de pane pronunciauerat, Hoc eſt corpus meum.

Miror verò, Inconſtantium noſtrum voluiſſe dicere, Auguſtinum in his verbis nullam feciſſe mentionem de Baptiſmo. Is enim, cùm illo in loco ita ſcribat, *Ne ergo quærant hæretici in Catholica quod habent*, ſignificat, Hæreticos, cùm redeant ad Eccleſiam, nõ eſſe rebaptizandos: videlicet quòd iam antea Baptiſmum habeant. Imò ipſe etiam Inconſtantius, neſcio an repentè oblitus ſui, ſtatim ſubijcit, Auguſtinũ iſta commemoraſſe, vt quod dixerat de Baptiſmo, probaret ab Euchariſtia. Et certè ita eſt: neque in Solutione aliter eſt reſponſum. Vtraque iſta ſunt Sacramenta, itaque Auguſtinus id, quod certum ſit eſſe in vno, concludit eſſe etiam in altero.

At Sophiſta noſter quaſi intemperijs agitatus, tumultuatur & clamat: credo, vt ipſe ſibi faciat audientiã. Et fortaſſe Lector aliquis, qui iſtum penitùs non norit, expectare poteſt, vt iſtis tantis clamoribus grauis aliquis error indicetur. Quid ergo eſt? *Non*, inquit, *verum eſt quod dicitis, Vt loquitur in hoc loco Auguſtinus de Sacramento Baptiſmi, ſic de Sacramento corporis. Imò dicit, Vt in Sacramento corporis eſt, ſic etiam in Baptiſmo.* Iſte Lynceus ita acutè videt, vt nihil videat.

In Solutione nihil aliud reſponſum eſt, quàm in vtroque Sacramento eandem tenendam eſſe rationem. Neque enim ſomniare potuimus, Auguſtinum eo loco à Baptiſmo aliquid probare voluiſſe de Euchariſtia. Contrà enim videmus, illum ex eo, quod Sacramentum Euchariſtiæ vſurpari poſsit & à bonis, & à malis, idem concludere de Baptiſmo. Ad extremum iſte aliam nobis mouet litem, quod dicamus, Auguſtinum Sacramentum appellare corpus Domini. Illum enim agere, non de eo, quod vocetur, ſed de eo quod ſit corpus Domini. Quaſi verò Auguſtinus nuſquam ſenſerit aut ſcripſeris, Sacramenta, quæ ſignificant aliquid, eius ipſius appellari nomine, & aliquo modo illud ipſum eſſe, quod ſignificant. De ea re qui dubitat, legat eius epiſtolam ad Bonifacium.

Argumentum Gardineri ex Epiſtola Auguſtini 163.

TOLERABAT ipſe Dominus Iudam, diabolum, furem, & venditorem ſuum: ſuit eum accipere inter innocentes Diſcipulos, quod fideles norunt, pretium noſtrum.

SOLVTIO.

FIGVRATA eſt loquutio in eo, quod vocat Sacramentum pretij noſtri nomine: quemadmodum, cum vocat Iudam diabolum.

GARDINERVS.

IMO Auguſtinus proprijſsimo verbo rem Sacramenti contentam exprimit, dum pro Chriſto dicit pretiũ noſtrũ.

MARTYR.

O hominem impudentem: cùm Auguſtinus pro Chriſto dicat pretium noſtrum, vult eum omnino verbo proprij mo vſum eſſe: atq; etiam addit, illum propter admixtos Ethnicos tectè locutũ eſſe. Inc̃ſideratè id quidem Inconſtanti: non enim Auguſtinus ea loquebatur inter Ethnicos, ſed quemadmodum ex hiſtoria ipſa illius epiſtolę colligi poteſt, inter Catholicos & Donatiſtas, quorum neutros, opinor, dicet fuiſſe Ethnicos. Nihil ergo cauſæ fuit, cur apud homines Chriſtianos ita obſcurè ac tectè loqueretur. Deinde vbi erat huius hominis acumẽ? aut quomodo, cùm hæc dicat, ſecum ipſe non pugnat? Vix enim poteſt fieri, vt qui tectè aliquid loqui velit, verbis vtatur proprijs. Nam qui ſententiam ſuam tegere & obſcurare volunt, verbis translatis & figurata oratione vti malunt. Et certe, niſi iſte omnia ea quæ ſuſpicaretur, aliqua ex parte pro ſe facere, putaret eſſe propria, nunquã dixiſſet, corpus Chriſti propriè appellari pretium noſtrum. Cæterum de communione Iudæ, quæ nobis obijcitur, quàm propriè Auguſtinus loquutus ſit, vnde potius liquere poteſt, quàm ex ipſius verbis? Is in Pſalmũ 3. ita ſcribit: *In hiſtoria noui Teſtamenti ipſa Domini noſtri tanta eſt et tã admiranda patientia, quod eum tam diu pertulit, tanquam bonum, cùm eius cogitationes non ignoraret: cũ eum adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & ſanguinis ſui figurã diſcipulis ſuis commendauit & tradidit: quòd deniq; in ipſa traditione oſculum eius accepit. Audis Inconſtanti, quemadmodum Auguſtinus illam tuam proprietatẽ voluerit intelligi? Sed quid ego ſententiam Auguſtini quæro ex Pſalmis, cùm hic ipſe locus, qui hic ab Inconſtantio nobis obijcitur, maximè pro nobis faciat? Sic enim ſcribit: *Traditorẽ ſuum, qui iam pretium eius acceperat, vſq; ad vltimum pacis oſculum inter innocentes ſecum eſſe perpeſsus eſt: quibus non tacuit, eſſe inter illos tanti ſceleris hominem: & tamẽ primum Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, nondum illo excluſo, communiter omnibus dedit.* Hæc verba iſte noſter pro ſua fide deprauauit. Tu tamen, Lector, vides, Auguſtinum hîc diſertè ſcribere, Iudam cum cæteris diſcipulis accepiſſe Sacramentum corporis Domini. Non ergo eſt noſtra fictio, quod dicimus, Sacramentũ ipſum ab Auguſtino appellari corpus Chriſti.

Verùm iſte addit, etiam Iudam appellatũ eſſe diabolũ, nõ figurata oratione, ſed propria: eo nimirum nomine, quòd ille innocenti intenderit calũniam indigniſsimã, cũ de Chriſto perfidis hominib. vendendo & tradendo cogitaret. Atqui hoc ego nunquã antèà audiueram, eum qui proderet aut venderet aliquẽ, appellari calumniatorẽ. Deinde cũ Iudas dicitur Diabolus, nõ ad calumnias reſpicitur, ſed ad ſatanã: ad illum, inquam, malum, à quo in Oratione Dominica petimꝰ liberari. Et certè nõ alia figura impij vocantur diaboli, q̃ qua in ſacris literis pij vocãtur dij, nimirũ participatione. Nam impij non minus cũ diabolo cõmunicant, quàm pij cũ Deo.

Argumentum Gardineri ex Leone in Sermone de Ieiunio ſeptimi menſis.

TVNC & ſacrificij munda eſt oblatio, & miſericordiæ ſancta largitio, quando ij, qui iſta dependunt, quid operentur, intelligunt. Nam dicente Domino, Niſi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, ſic ſacræ menſæ communicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti

Christi, & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur.

SOLVTIO.

TALES sententiæ non sunt intelligendæ de humanitate Christi secundum literam, vt verba sonant, carnaliter. Nam sic non hoc ore sumitur, quod fide creditur: sed spiritualiter intelligendæ sunt & figuraliter.

GARDINERVS.

QVID potuit dici apertius contra istorum figuratorum ineptias, qui negant corpus Christi ore sumi, cùm hic Leo fidem & os coniungat?

MARTYR.

INconstantius, quoniam aut non vidit, aut videre se dissimulauit, quid Leo illis verbis ageret, idcirco ex isto loco inaniter ante victoriam triumphauit. Disputatio, ne nescias Lector, Leoni fuit cõtra hæreticum Eutychetem, qui naturam Christi humanam opinione sua prorsus sustulit, vnamq; tantũ in eo diu nã naturam esse voluit. Aduersus quem non modò Leo, sed etiam alij patres, qui cum eo congressi sunt, argumenta duxerũt ab Eucharistia: quẽ admodũ Tertullianus, Chrysostomus, & alij antea fecerant aduersus Marcionem. Nam si ista mysteria sunt signa & sacramenta corporis & sanguinis Christi, necesse est ea significare res existentes & veras. Alioqui enim nõ sacramenta essent, sed mendacia. Leo ergo ait, oportere pios quid agant intelligere, atque ita accedere ad mensam sacrã, vt de veritate corporis & sanguinis Christi nullò modo dubitent. Quî enim accipiant sacramẽta corporis & sanguinis Domini, si illum ea non humana & vera, sed tantũ fictitia & phantastica habuisse arbitrentur? Oportet autẽ certò & verè credere ea, quæ nunc in mysterijs per commemorationem celebrantur, aliquando reipsa fuisse gesta. Leo autẽ cùm dicit veritatem corporis Christi, non intelligit eius occultationem sub speciebus panis & vini, aut eius in sacramento veram & substantialem præsentiam. Veritatem enim corporis illi per antithesin opponit fictitio & phantastico corpori, quale corpus Dominum habuisse Eutyches somniabat.

Atqui, inquit iste, *nisi caro Christi adsit verè et substantialiter, quomodo dicit Leo, hoc ore sumi, quod fide creditur?* Respõdeo: Nõ illa substantia corporis Christi ore sumitur, quæ olim crucifixa est, & nunc sedet ad dextram patris. Id enim fieri nullo modo potest. Sed sacramentum, quod ore sumitur, per significationẽ illud idem est, quod fide creditur. Quemadmodum etiam solemus rectè dicere, nos ea credere, quæ scribimus & loquimur. Tamen verba nostra & literæ non sunt re vera ea quæ credimus. Sunt enim tantũ illiarum rerum signa quas credimus. Communicantes autem nullo modo ambigere oportet de veritate corporis Domini. Ille enim non phantasticum aut imaginarium, sed verũ & humanum corpus habet. Atq; hoc sensu Leo coniunxit os & fidem. *Imò*, inquit Inconstantius, *Leo ista concionatus est apud populum: & idcirco loquutus est apertè & simpliciter, ne populus falleretur.* Quasi verò Patres in homilijs suis, quas habuerunt ad populum, non vsi sint figuris & tropis. Illis tamen auditores cùm essent assueti, quod etiam hodie videmus passim fieri, nihil fallebãtur: imò potius multo maiori cum fructu erudiebantur. Mirum verò est, doctrinam istam de Transubstantiatione & reali præsentia, Inconstantio nostro tam videri apertam & simplicẽ, vt ea omnia, quæ nos de hoc sacramento docemus & loquimur, præ illa putet esse obscura atque ambigua. Vocẽ illam, Carnaliter, quæ adiecta est in Solutione, non debuit vsq; adeò molestè ferre: nam si caro Christi ore corporis externo comedatur, non potest id fieri nisi carnaliter, hoc est, instrumẽtis carneis. *At hoc*, inquit, *à vobis ad inuidiam dicitur.* Scilicet: quasi tu nos præ amore semper voces Figuratores, Sectarios, Hæreticos. Verba verò illa Leonis nos dicimus intelligi oportere figuratè. Nam ad literam & simpliciter accepta non possunt vllo pacto consistere. *At sensuum*, inquis, *facitis absurdã metamorphosin.* Nobis ita non videtur. Vos verò non tantùm verborum & intelligentiæ, sed etiam rerum ipsarum & naturarum prodigiosissimas metamorphoses introducitis.

Quomodo sit verũ nos ore sumere, quod mẽte credimus.

Argumentum Gardineri ex Fulgentio ad Monimum lib. 2.

HÆC inquam, ædificatio spiritualis nunquam opportunius petitur, quàm cum ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, in sacramento panis & calicis ipsum Christi corpus & sanguis offertur. Calix enim quem bibimus, communicatio sanguinis Christi est: & panis quem frangimus, participatio corporis Domini est: quum vnus panis vnum corpus multi sumus. Omnes enim de vno pane participamus.

SOLVTIO.

NON debet hic locus intelligi planè, vt verba sonant: sed figuratè & spiri-

tualiter: vt antea satis probauimus. Et verba Pauli, quæ hic citantur, intelligenda sunt de tali pane, qui frangi possit. Idem responderi potest ad locos citatos ex Gregorio, Sedulio, Cassiodoro.

GARDINERVS.

QVID profuerit, loca plana & aperta ex authoribus proferre, si per istos non possunt planè intelligi?

MARTYR.

REsponsio illa, quam iste confutat, generalis est: verùm ego ad argumentum obiectum speciatim respondeo. Dico ergo, me verbis illis Fulgentij libenter acquiescere. Fateor enim, corpus & sanguinem Domini offerri Sacramento panis & calicis, quòd illa pane & calice significentur, idque non vulgaribus quibusdam signis, sed eximijs & præstantibus Sacramentis, quodq; nos cùm ea in communione sacra recipiamus, mente ac fide corpus ipsum & sanguinem Domini complectamur, deque illis pro nobis in cruce datis gratias agamus. Vtque vno verbo dicam, quemadmodum in verbo Domini salutem, ita in mysterijs, hoc est, in Sacramento panis & calicis, vt Fulgentius ait, haurimus corpus ipsum & sanguinem Domini. Sed cur ex istis verbis Fulgentij non colligit Incõstantius, superesse in Eucharistia substantiam panis? Ille enim ait, corpus & sanguinem Domini accipi in sacramento panis & calicis. Quibus in verbis apertissimum discrimẽ statuit inter panem & corpus Domini, quod ait accipi in pane. Hoc ille debuit animaduertere: non autem semper clamare, quoties caro Domini dicitur dari in re aliqua, eam in illa realiter & spiritualiter contineri. Quemadmodum enim sumptio ea spiritualis est, ita etiam id quod sumitur dici potest esse in aliqua re spiritualiter.

Quod autem dicimus, quædam verba Patrum non ita planè accipienda esse, vt primo aspectu sonant, id non ex huius Sophistæ maledictis, sed ex diuinis literis expendendũ est, & ex Regulis fidei, & ex alijs testimonijs eorundem Patrum. Et, vt intelligas Lector, quid iste Fulgentius senserit de Christi corpore, ne pigeat te pauca ista considerare, quæ subijciam. Is libro secundo ad regem Thrasymundum ita scribit: *Vnus idemq; homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex patre: vnus idemq; secundum humanam substantiam absens cœlo, cùm esset in terra: & derelinquens terram, cùm ascendisset in cœlum: secundum diuinam verò substantiam, nec cælum dimittens, cùm de cœlo descendit, nec terram deserens, cùm in cœlum ascendit. Quod ipsius Domini potest certissimo cognosci sermone, qui vt localem ostenderet humanitatem suam, dixit discipulis suis, Ascendo ad patrem meum, & patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. De Lazaro quoque cùm dixisset, Lazarus mortuus est, adiunxit dicens, Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. Immensitatem verò suæ diuinitatis ostendens discipulis suis dixit, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Quomodo ascendit in cœlum, nisi quia localis & verus est homo? Aut quomodo adest idem fidelibus suis, nisi quia idem immensus & verus est Deus?* Idem libro 3. *Idem*, inquit, *& inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulchro surrexit, idem atque inseparabilis Christus secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens, ad cœlum ascendit, & in dextris Dei sedet: & secundum eundem totum hominem venturus est ad iudicandum viuos & mortuos, & coronaturus fideles & pios.* Ex his apparet, corpus Christi etiam glorioſum, & sedens ad patris dextram locale esse: vt nimis insulsus & fatuus sit error, dicere, illud corpus sub accidentibus panis non occupare locum: aut Christum, quod ad carnem attinet, adesse nobiscum in Eucharistia vsque ad cõsummationem seculi. Fulgentius enim id diserte ad naturam diuinam refert, & clarissimè pronuntiat, Christum adesse suis fidelibus, quatenus est immensus & verus Deus: idem haud dubiè dicturus de Christi natura humana, si eam putasset realiter & substantialiter esse in Eucharistia. Apparet ergo, nisi illis superioribus verbis Fulgenij iusta & commoda addatur interpretatio, ipsum non posse secum consistere. Neque tamen, vt iste calumniatur, verba patrum tropicè & figuratè interdum intelligere, est veritatem in mendacium commutare: imò multò potius est, veritatem obscuriorem illustrare.

Argumentum Gardineri ex Theophylacto in Marcum cap. 24.

CVM benedixisset, id est, gratias egisset, fregit panem, quod etiam nos facimus, preces adiungendo: Hoc est corpus meum: Hoc, inquam, quod nunc sumitis. Non enim figura & exemplar quoddam Dominici corporis panis est: sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dixit, Panis, quem ego dabo, caro mea est: non dixit, Figura est carnis meæ: sed caro mea est. Et iterum: Nisi ederitis carnem filij hominis. Et quomodo, inquit, caro non videtur? O homo, propter nostram infirmitatem fit. Quia enim panis quidem & vinum ex ijs sunt, quibus assueuimus, ea non abhorremus. Sanguinem verò propositum & carnem videntes non ferremus, sed abhorreremus. Idcirco misericors Deus nostræ infirmitati condescendens speciem quidem panis & vini seruat, in virtutem autem carnis & sanguinis transelementat.

SO-

SOLVTIO.

SENSVS huius loci hic est: vt ferrum ignitum, ferrum etiam est, & tamen virtutem habet ignis: & vt caro Christi manens caro viuificat, vt eius videlicet caro, qui est Deus: sic panis & vinum Eucharistiæ manet in suis proprijs speciebus, & tamen conuertuntur dignè vtentibus, non quidem in corporalem præsentiam, sed in virtutem carnis & sanguinis Christi. Et quamuis Theophylactus loquatur de manducatione veri corporis Christi, non autem tantùm de eius figura & conuersione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, tamen non sensit de crassa, corporali & sensibili manducatione aut conuersione. Sic enim non tantùm corda nostra abhorrerēt à comedenda carne, & bibendo sanguine, sed etiam eiusmodi manducatio & potatio nihil nobis prodesse posset. Intellexit autem Theophylactus cœlestem & spiritualem manducationem Christi, & sacramentalem conuersionem panis: eoque vocat panem, non solùm figuram, sed etiam corpus Christi, innuens nobis, quòd in sacramento non solùm comedimus corporaliter panem, qui est sacramentum corporis Christi, sed etiam spiritualiter comedimus verum Christi corpus, & bibimus eius verum sanguinem. Hæc autem doctrina Theophylacti & vera est, & diuina, & salutaris.

GARDINERVS.

THEOPHYLACTVS apertius loquitur, quàm vt quicquam in eo sit annotandum: ipse enim se dilucidè explicat. Et tamen Sectarius conatur sensum affingere, qui ex verbis non elicitur, sed verbis impudenti violentia à Sectario ingeritur.

MARTYR.

AD ea, quæ in Solutione allata sunt, libet mihi quædam addere. Primùm de authoritate Theophylacti, quem ego vt veterem, & sani iudicij scriptorem non recipio, idque magnis & iustis de causis. Vixit enim eo tempore, cùm iam dissidium illud flagraret inter Latinā & Græcam Ecclesiam de processione Spiritus Sancti: quemadmodum ex ipso apparet in nonum caput Ioannis. Deinde Catholicam veritatem, quam Latini profitentur, nimirum Spiritum Sanctum procedere à patre & filio, oppugnat quantum potest. Qua in re cùm iuratur piter à veritate discedat, quid mirum, si etiam in Eucharistia lapsus sit, & in loquendo modū excesserit? Huc adde, illo ipso satis infelici tempore dogma istud nouum de Transubstantiatione cœpisse primùm pullulare, quod vt alijs multis, ita etiam Theophylacto fortasse imposuit. Sunt etiam alia, in quibus non obscurè erauit, & quàm esset infirmo iudicio, manifestè prodidit. Hæc ego non idcirco commemoro, quò velim hæc illius dicta, quæ hoc loco citantur ab aduersario, prorsus respuere. Nam si ea ita interpretemur, vt expositum est in Solutione, & ferri possunt, & cū fructu etiam audiri.

Verùm noster iste ait, Theophylactum nullā hic mentionem facere, nec ferri candentis, nec vnionis diuinæ Christi naturæ cum humana, nec illum omnino exponere, quomodo Christi caro sit viuifica: omnia ergo illa, quæ dicta sunt in Solutione, extra Theophylactum petita esse. Ego verò respondeo, illa non inutiliter adducta esse, vt ex hisce tanquā exemplis agnosci possit, naturas panis & vini manere, quāuis in illis mutatio aliqua concedatur. Idq; ad causam præsentem facere, quiuis potest intelligere. *Imò*, inquit, *Theophylactus dicit, panem non esse figuram aut exemplar corporis, sed in illud ipsum conuerti. Vos autem dicitis, panem non conuerti in corporalem præsentiam.* (Sic enim Inconstantius vel non satis consideratè, vel malitiosè scripsit, cùm alioqui dictum sit à nobis, In corporalem substantiam.) *Et quis*, inquit, *vnquā aliud de alienis verbis quicquam fingi impudentius?* Nihil nos Inconstanti, in alienis verbis fingimus: imò ad explicandam sententiam Theophylacti hæc omnia ex ipso illo authore depromimus. Nam si eum legas in sextum caput Iohannis exponentem illa verba, *Ego sum panis vitæ*, inuenies illum sic scribere: *Attende autem, quòd panis, qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantùm figuratio quædam carnis domini, sed ipsa caro Domini.* Si panis, vt Theophylactus ait, non est tantùm figura: ergo & figura est, & præterea quiddam aliud. Non enim est vulgaris figura, sed sacramentum corporis Domini: & idcirco suo modo rectè appellatur corpus Domini. Non ergo nos ex nostro tantùm capite affinximus illud, Tantùm, vt diceremus, panem non tantùm esse figuram: sic enim, vt vides, Theophylactus ipse loquitur.

At, inquit, *nisi Theophylactus sentiret de corporali præsentia, cur diceret seruari species panis & vini, ne carnem & sanguinem horreremus?* Putat iste, species hoc loco esse accidentia. At species Theophylactus posuit pro naturis ipsis, & substantijs panis & vini. Ita enim dicimus, Christū humana specie versatum esse inter homines. Et Ambrosius de ijs, qui initiātur mysterijs cap. 9.

cùm ita ſcribat, *Quòd ſi tantum valuit ſermo Eliæ, vt ignem de cælo deponeret, non valebit ſermo Chriſti, vt ſpecies mutet elementorum?* certè, vel ipſo iudice Inconſtantio, naturam & ſubſtantiam elementorum inteliexit, non accidentia: illa enim in Euchariſtia non mutantur. Et mox, *Ante benedictionem verborum cæleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur.* Ne hîc quidem ſpecies ſignificare poſſunt accidentia.

Verùm illud, inquit, *quod ſequitur mutationem, fieri in virtutem corporis, nõ ita accipiendum eſt, quaſi vox illa, Virtutem, excludat veritatem corporis præſentis. Sed modus loquendi eſt non inſolens, vt ſignificatio nominis Virtus, genitiuo ſequenti concludatur. Vnde à dextris virtutis Dei, eſt à dextris Dei.* Non poteſt ille, quantumuis argutus Sophiſta, nudo & ſimplici verbo ſuo probare, Virtutẽ corporis idem eſſe omnino quòd corpus: maximè cùm certum ſit, illa poſſe ſeparari. Neque certè eadem eſt virtus hominis quod homo: neqũe cœlorum virtus idem quod cœlum Imò in terra, in plantis & elementis dicimus vim cœlorũ eſſe: cùm neque ſanus dicat, in illis rebus eſſe cœlum. Et vis Regis porrigitur in omnes partes regni, quamuis Rex ipſe ad eaſdem partes non perueniat. *At*, inquit iſte, *à dextris virtutis Dei, idem eſt, quod à dextris Dei.* Verùm hoc exemplum alienum eſt: fit enim propter ſimplicitatem Dei & infinitam ipſius naturam, vt virtus eius ab ipſo ſpatijs locorum non diſtinguatur. Quare, quod proprium eſt Deo, vt idem ſit ac ſemper coniunctus cum virtute ſua, id non eſt transferendum ad res creatas. Imò, vt ne à re præſenti diſcedamus, corpus Chriſti eſt in cœlo: virtus tamen eius interim nihilominus agit in nobis. Mors quidem eius iam olim ante annos 1500. anteceſsit, nec ea ſanè nunc amplius extat: vis tamen eius æternùm durat, & etiam nunc eos omnes, qui ad Chriſtum accedunt, liberat. Non ergo idem eſt, mutari in virtutẽ corporis Chriſti, & mutari in ipſum corpus Chriſti, niſi velis diſcedere à proprietate ſermonis. Mutari in virtutem corporis Chriſti, eſt, fieri eius corporis ſacramentum, illudq; efficaciſsimum, & vt ita loquar, virtutis plenũ: quemadmodum Paulus appellat Euangelium potentiam Dei ad ſalutem.

Virtus rerũ latius patet quàm earũ ſubſtãtia et natura.

Verùm, inquit, *niſi Theophylactum ita intelligeremus, ea quæ præcedunt, viderentur ineniter dicta: & illa quæſtio, quam ſibi proponit, Quomodo caro non videatur, non eſſet ex vero diſſoluta, nec ſuo loco propoſita ſi nihil eſſet corporis præſens præter virtutem ſolã.* Quem in ſenſum Theophylactus illa dixerit, ſatis oſtendimus. Vtrum autem quæſtionem illam ſibi ſuo loco propoſuerit, alij iudicent. Mihi certè non videtur. Nam ſi ſtatuamus id, quod res eſt, corpus Chriſti non eſſe realiter & ſubſtantialiter in Euchariſtia, quid illum oportuit quærere, cur non videatur? Illum tamen arbitror quæſtionem ſuam verè diſſoluiſſe, dicendo, Chriſtum noluiſſe dare corpus ſuum carnaliter & viſibiliter comedendum, ne ab huiuſmodi paſtu abhorreremus. Dedit ergo illud ſpiritualiter, vt fide ac ſpiritu nullo cum horrore, ſummo autem cum fructu & iucunditate comederetur. Iſtum autem horrorem Papiſtæ non poſſunt effugere. Nam qui credit, & certò ſcit, ſe comedere humanam carnem, quamuis eam non videat, tamen non poteſt non ipſa cogitatione à tali & tam inhumano cibo abhorrere.

Sed ait, ſe nihil in Sacramento craſsi ſtatuere, ità ſcilicet, vt craſſum ſignificet carni iunctum: neque ſe carnem, quæ verè adeſt, ſentire carnalem ad ſenſuum iudicium, ſed ſpiritualẽ: nam caro, inquit, ea eſt ſpiritualis: nec corpus ad rationem noſtrorum corporum exhibitum: & tamen verum corpus, & caro natura ſua ſenſibilis, licet Dei virtute ibi ſit inſenſibiliter. Si nihil ſtatuas in Sacramento craſsi, cur humanã carnem realiter & ſubſtantialiter dicis manducari, idque etiam ore corporis? cur tam abſurdè ſine vllo minimo apiculo verbi Dei ſtatuis totum hominem atque integrum eſſe ſub tantillo pane? Quid autem tu, aut vnde noſti, carnem Chriſti eſſe ibi virtute Dei inſenſibiliter? Nam iſtam latitationem & cæcam præſentiam te diuinæ literæ non docuerunt. Docent illæ quidem, Chriſtum transfiguraſſe ſe, abſcondiſſe ſe, cùm à populo lapidibus peteretur, & abijſſe de medio, clauſum fuiſſe in ſepulchro, aſcendiſſe in cœlum: latêre autem illum ſub pane ac vino, nec ſcripturæ, nec Patres vſquam docent.

Argumentum Gardineri ex Theophylacto in Matthæum cap. 26.

PORRO dicens, Hoc eſt corpus meum, oſtendit, quòd ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur altari, & non reſpondens figura. Non enim dixit, Hoc eſt figura: ſed, Hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamſi nobis videatur panis, qui infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideo panis quidem apparet, ſed caro eſt.

SOLVTIO.

VBI aſſerit, panem non eſſe figuram corporis Chriſti, ſi intelligat vacuam aut inanem figuram, rectè dicit: neque nos talem figuram ponimus. Alioqui ſineget, omnino figuram eſſe, aduerſatur cæteris patribus, quos apertiſsimè oſtendimus, ſignum ibi & figuram agnoſcere. Ait, panem illum transformari, conuerti,

uerti, transelementari: à quibus nos loquutionibus, si accipiantur sacramentaliter, non abhorremus. Panis enim & vinum fiunt sacramenta, & transeunt in elementa diuinarum rerum, & formam induunt symbolicam. Cæterùm horror omnis tollitur, si statuamus, mutationem non in rem fieri, sed in virtutem.

GARDINERVS.

THEOphylactus negat figuram, quatenus figura opponitur veritati præsenti, & est rerum haud præsentium expectatio, vel significatio absentium.

MARTYR.

VSitata, & trita distinctione explicat, vt potest, quatenus Theophylactus aut probet figuram, aut respuat. *Negat*, inquit, *figuram, quæ veritati præsenti opponatur, quæq; sit vel expectatio rerum nõ præsentium, vel significatio absentium. Eam verò figuram quæ rem occultet, obuelet, & palliet, vt loquitur Bernhardus, quæ verè subsit & adsit, nõ negat.* Hunc hominem oportuit cogitare, figuram illam, qua nos vtimur, nequaquam opponi veritati. Nam sine ea ne figura quidem esse posset. Nisi enim verè rem aliquam certam & verá significaret, non posset esse eius sacramentum. Nec eam nos rerũ præsentiæ opponi dicimus. Nunquá enim definitum est à nobis, figuram, quatenus figura est, repugnare præsentiæ rerum. Scimus enim, corpora illa, quæ olim induebantur ab Angelis, figuras fuisse illorum præsentium.

Figura pro, qua nõ opponitur veritati aut præsentiæ rei.

Verùm vt ad rem propius accedam, dico, figuram illam, quam nos ponimus, significantẽ esse rerum absentium. Id autem Inconstantius detestatur & horret: quamuis ipse, velit, nolit, cogatur idem statuere. Nam negare non potest, in Eucharistia figuram esse mortis Christi & effusionis eius sanguinis: quas res non potest dicere coràm & realiter adesse, nisi dicere etiam velit, Christum quotidie mori, & in singulas horas effundere suum sanguinem. Quòd si dicat, se non de morte Christi loqui, sed de eius carne & sanguine, nihil dicit. Panis enim & vinum in Eucharistia non sunt signa corporis & sanguinis Christi, nisi quatenus corpus eius datum est in crucem, & sanguis effusus est pro nostra salute. Cùm autẽ corpus & sanguis Christi non possint ita esse præsentia, nec tamẽ ea aliter commemorentur aut significentur in Eucharistia: superest, vt fateatur, hoc sacramentum esse figuram rerum absentium. Neq; certè patres cùm sæpissimè scriberent, panem & vinum esse figuras & typos, vnquam hoc asscripserunt, ea esse typos & figuras rerum præsentium. Nos tamen corpus ipsum & sanguinem Christi non prorsus abesse dicimus. Docemus enim & profitemur, ea adesse & spiritu, & gratia, & effectis, & virtute, & merito. Atq; ad hunc modum etiam Inconstantius dicit, panem non prorsus abesse, quòd eius maneant & supersint accidentia: quẽ tamẽ modum ille ex patrib. nõ habet, vt ego habeo meum. Nam Theophylactus hoc ipso in loco ait, panem mutari in virtutem corporis Christi. Quare cũ nos figuram nostram multis rebus, ijsq; præclarissimis, quas iam commemorauimus, impleamus, eam certè cassam & inanem non statuimus.

Hæc tamen omnia, si vnam sustuleris transubstantiationem, huic nostro nihil aliud sunt, quàm strepitus & inanis pompa verborum. Et clamat, fallum esse quod affirmamus, ipsum verum corpus Christi esse, quod spiritu & mente percipimus. *Quoniam*, inquit, *ad istam perceptionẽ minimè datur: neque vt detur opus est, cùm credatis, omnia peragi spiritu, dum meditamini Symbolum cum Cantico Zachariæ.* O hominẽ suauem. Quos iste sibi & quam sæpe ludos facit de Symbolo & Cantico Zachariæ. Oportet isti suum inuentũ mirificè placuisse, quod non dubitarit Lectori toties inculcare. Illud autẽ multò est grauius, quod putat, habere fidem prorsus occupatá in redemptore nostro, & opera, quæ ille pro nostra salute gesserit, considerare, & vesci illo cœlesti & spirituali cibo, esse cuique arbitrarium, nec opus esse, vt id cuiquam diuinitùs concedatur. Spiritus enim est, qui istas cogitationes & huiusmodi exercitia fidei in nobis excitat. Id autem eo maximè tempore facit, cùm verbum Dei & sacramenta nobis ministrantur. Illis enim Spiritus Sanctus ad alendam & augendã fidem nostram vtitur pro instrumentis. Atque ita doctores & pastores dici possunt, offerre ac dare verum corpus Christi spiritualiter, hoc est, spiritu ac fide comedẽdum. Illi enim & verbum nobis externum proponunt, & sacramenta. Quod autem ait, nos putare omnia peragi Symbolo & Cantico Zachariæ, vanum & falsum est.

Postremò autem id vexare instituit, quòd nos in Solutione dicimus, horrorem omnem eo ipso tolli, quòd mutatio facta sit, non in ipsum corpus Christi, sed in virtutẽ corporis: quodq; corpus Christi nobis detur spiritualiter & fide, non autem reipsa & substantialiter ore ac dentibus comedendum. *Verùm*, inquit, *id est: sed quamuis eo modo horror omnis tollatur, tamen inuretur Theophylacto magna nota ineptiæ, qui de eo, quod fateretur non adesse, à seipso quærat, cur non videatur: & deinde pergat nobis Dei misericordiam commendare, qui quod dat, specie elementi velet, ne cum horrore videamus: cùm nihil adsit, quod obueletur.* Respondeo, nullam hîc esse notam ineptiæ. Possumus enim rectè vel à nobis ipsis quærere, vel ab alijs, quî fiat, vt illa oculis non videantur, nec ponantur nobis in conspectu, quę tamen non possimus, nisi fide ac mente complecti & cernere. Ita cùm panis sit sacramentum corporis Christi, illudq; efficaciter significet, nósque illud corpus, quatenus pro nobis in crucem atque mortem traditum est, credamus, & fide, ac spiritualiter comedamus

rectè quæri potest, cur Deus ista percipi nolue-
rit externis sensibus, cùm istis mysterijs occul-
A tentur. Hæc, inquã, si quis quæreret, non posset
rectè videri, ineptè ea, aut sine ratione quærere.

Argumentum Gardineri ex Theophylacto in Iohannem cap. 6.

ATTENDE autem, quòd panis, qui à nobis in mysterijs manducatur, non est figuratio quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit, Panis, quem ego dabo, figura est carnis, sed, caro mea est: transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem Spiritus Sancti in carnem Domini. Et ne quem conturbet, quòd credendus sit panis caro. Etenim & in carne ambulante domino, & ex pane alimentum admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem eius conferebat, iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur.

SOLVTIO.

QVAMVIS hæc collatio sit violentior, tamen generaliter acceptam concedimus. Nam nos in hoc sacramento mutationem sacramentalem non negamus. Quòd si dicas, te velle hanc similitudinem vrgere, & accipere ita, vt sonat, consequetur magnum absurdum, quod pugnet apertè cum tua sententia: nimirùm, accidentia symbolorum non esse in hoc sacramento retinenda. In illo enim pane, quo Christus alebatur, cùm hîc viueret, accidentia non seruabantur. Quòd si adhuc acrius vrgeas, Theophylactum dicere, panem conuerti in corpus Christi: respondebimus, eundem Theophylactum dicere, cùm scribat in Marcum, panem cõuerti in virtutem corporis Christi: & illam esse interpretationem horum verborum, quod ista symbola assumant virtutem ipsarum rerum. Huc adde, eundem illum in hoc ipsum sextum caput Iohannis ita scribere: Qui manducat me, viuet propter me, dum quodammodò miscetur mihi, & transelementatur in me. Hîc vides, illum apertè ponere, quod alij etiam patres faciunt, transmutationem nostri in Christum.

GARDINERVS.

HIC locus Theophylacti sensit Oecolampadij fraudem, qui vocabulo, Figuratio, addit exclusiuam, Tantùm, quæ exclusiua in Græcis non est, vbi sic legitur: οὐκ ἰσὶ ἀντίτυπον τ σαρκός.

MARTYR.

INdignum est, innocentem & sanctum virum Oecolampadiũ accusari fraudis. Quid enim tu nosti, illum exclusiuam eam addidisse? Candidi animi erat, sic potius iudicare, illũ in suo exemplari Græco exclusiuam illam habuisse. Idque ego mihi habeo persuasissimum. Nam cùm ille apud Matthæum & Marcum eadem verba reddiderit summa fide, vix est credibile, eum in solo Iohanne voluisse agere perfi- B dè. Huc accedit, Philippum Montanum, virum Latinè Græceque non indoctum, cùm versionem illam in Euangelia recognosceret, ad fidẽ Græci codicis impressi Romæ particulam illã Tantùm, ita reliquisse, vt Oecolampadius verterat. Nec tamen ille fuit homo Germanus, qui posset Inconstantio nostro suspectus esse: Gallus enim fuit, & nostræ religioni atque Euangelio malè propitius. Neq; verisimile est, Theophylactum non vidisse Basilium, qui hoc sacramentum appellauit ἀντίτυπον. Ideoque cùm ali- C bi dixisset, panem non esse ἀντίτυπον, saltem cùm scriberet in Iohannem, probabile est, illum declarare voluisse, quo id sensu dixisset. Similitudinem autem illam non iniuria dixi esse violentiorem: & cur ita dixerim, rationem etiam attuli. Nihilo tamen minus comparationem illã quantumuis duram, quantum potui, mitigare atque excusare volui.

Verùm audiamus ad meam rationem quidnam iste respondeat. In physica conuersione ciborum fatetur accidentia non seruari: sed similitudo, inquit, mutationẽ respicit, & sola substantia mutatur in naturam aliti, cùm quantitas cum cæteris accidentibus, licet desinat, non mutetur tamen. Sed respondeat iste mihi, quænam causa sit, cur quantitates & reliqua panis accidentia, cùm ille comeditur, & in comedentis alimentum vertitur, non vnà mutentur? *Quoniam*, inquit, *illa esse desinunt*. At si ea vera causa est, cur panem in Eucharistia mutari dicis? Nam ille quoque, si vos vera dicitis, esse desinit. Vnde sequetur, si vobis credimus, eũ non mutari. Nos ergo in isto simili Theophylacti mutationem recipimus in genere, eamque dicimus esse sacramentalem. Nam ne Sophista quidem noster talem mutationẽ probare potest

test, quæ naturali mutationi respondeat. De transmutatione autem, seu transelementatione nostri in Christum, ait se abundè aliàs dixisse. Memini, conatum quidem illum esse, & aliquid dicere voluisse: nunquam tamen sese explicare potuisse. Patres enim non minus dicũt nos ipsos, quàm panem mutari, & transelementari in corpus Christi: vt nihilo magis necesse sit, transubstantiationem in pane constituere, quàm in nobis ipsis.

Deinde, inquit, *Christum misceri nobis, effectus est vnionis carnis cum Christo per mysticam benedicti onẽ: vt Cyrillus & Hilarius dixerunt.* Misceri nobis carnẽ Christi, quod ad substantiam attinet, vti alias docuimus, nullo modo est concedendum Id enim tantum fit per spiritum, gratiam, & alia dona cœlestia. *At transelementationis significatio,* inquit Inconstantius, *rei cui exprimendæ adjcitur accommodanda est: ne veritati præiudicet, sed subseruiat: hoc est, vt carnis Christi substantia propter mysterium vnionis, ipsa manente, ita censeatur mea, ac si in meam demigrasset. Et ad imminuendam transelementationis significationem additur, Quodammodo.* Ita est vt dicis: significatio transelementationis, aut mutationis ita sumenda est, ne præiudicetur veritati panis, non magis, quàm veritati naturæ humanæ. Nam à patribus perinde vtrique attribuitur. Fateor Aduerbium illud, Quodãmodo nonnihil de veritate detrahere, sed illud ad panis etiam mutationem accommodandum est: vt cum patres dicant, panem mutari, aut transelemẽtari in corpus Christi, addamus quodammodô: vt id non simpliciter fieri intelligamus, sed aliquo tantùm modo. Sic enim Augustinus etiam dixit, Sacramentum Eucharistiæ, quodammodò esse corpus Christi.

Argumentum Gardineri ex Damasceno lib. 4. cap. 14.

Si igitur verbum Dei viuens est & efficax, & omnia, quæcunque voluit, fecit, &c. Si volens ipse Deus verbum factus est homo, & ex sanctæ virginis purissimis, & illibatissimis sanguinibus in se ipse sine semine carnis sustentauit, non potest panem sui ipsius corpus facere, & vinum & aquam sanguinem? Dixit in principio, producat terra herbam virentem: & vsque nunc pluuia facta producit germina diuino coadiuta, & vigorata præcepto. Dixit Deus, Hoc est corpus meum: & Hic est meus sanguis: &, Hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius præcepto, donec veniat, efficitur. Nam quemadmodum omnia, quæcunque fecit dominus, spiritu sancto operante fecit, sic & nunc spiritus sancti operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides.

SOLVTIO.

HOC genus argumenti à Potentia Dei est infirmissimum. Neque nunc disputatio est de Dei potentia. Non enim dubitamus, Deum posse mutare panem in carnem Christi. Nodus autem controuersiæ in eo est, an Deus id velit facere. Quod ait, ista supra naturam contingere, recipimus. Non enim naturale opus est, vt ex communi pane fiat sacramentum: sicut nec ex aquâ naturaliter conficitur lauacrum regenerationis.

GARDINERVS.

NON arguit Damascenus, à potentia factum fuisse: sed quia voluit Christus, probat à potentia factum esse.

MARTYR.

Cauillatur, argumentum Damasceni, non à potentia Dei ductum esse. sed ab eius voluntate. Voluntatem autem Christi Damascenum putasse, satis constare ex eo, quod dixit, Hoc est corpus meum. Non ineptè respondetur in Solutione, argumentũ Damasceni ductum esse à potẽtia Dei. Non aliunde enim concluditur, quàm ex eo, quòd verbum Dei sit potens, & efficax, & omnia quæcunque velit, faciat: & potuerit nasci sine virili semine: quodque eius iussu ab initio terra herbas, & alia humi nascentia produxerit. Ista omnia, quantum quidem ego video, non aliud concludunt, quàm potentiam Dei. Quod autem ille adspergit etiam aliquid de voluntate, id nec probatur, nec confirmatur, sed tantùm sumitur, vt hypothesis.

Atqui, inquit, *dominus dixit, Hoc est corpus meũ.* Hoc Christũ dixisse, omnes probè sciunt. Quo autem id sensu dixerit, non satis liquet omnibus. Videat verò iste noster ex illis verbis quàm rectè colligatur, panem, & vinum transubstantiari, accidentia manere sine subiecto, naturam panis & vini aboleri. Ista cum Damascenus non probet necessario sequi ex illis verbis, *Hoc est corpus meum,* neque illud, quod iste comminiscitur de voluntate confirmauerit, superest, illum concludere voluisse tantùm à Dei potentia. Quod autem ad similitudinem illam attinet, quam nos adferimus de Baptismo, iste sic respondet: *In Baptismo miramur effectum: in Eucharistia præter effectum miramur ipsam sacramenti constitutionem, quomodo ex pane fiat caro, quod est supra naturam: quod non intelligit, nisi sola fides. At verò panem significare corpus, ipsa facile ratio comprehendit,* Vana est ista distinctio de effectu, & constitutione. Nostra enim responsio in eo vertitur quòd, quemadmodum panis fit sacramentum corporis & sanguinis Christi, ita aqua Baptismi

fit lauacrum regenerationis. Vtrinque de constitutione agitur, nihil autem de effectis. Et quamuis naturalis significatio posit ratione A comprehendi, sacramentalis tamen quoniam ea diuina quædam res est, & vt sæpè diximus, non potest.

Argumentum Gardineri ex Damasceno.

NON est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi: sed est ipsum corpus domini deificatum: ipso Domino dicente, Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus: & non figura sanguinis, sed sanguis.

SOLVTIO.

AD hoc argumentum suprà respondimus. Quod si iste cum negat sacramentum esse figuram corporis, id intelligat simpliciter, habet contra se omnes patres. illi enim hic agnoscunt figuram. At si figuram intelligat cassum & vanum signum, nos quoque id libenter damus.

GARDINERVS.

Et illam huius Sectarij responsionnm, quàm inepta esset, antea excussimus.

MARTYR.

HIc tantùm antedicta repetuntur: nihil adfertur noui. Ait, *se concedere figurã cũ Theophylacto, Damasceno, & alijs patribus, quæ sit velamentum rei præsentis, quèque deliteſcat abdita sub accidentibus*. At patres cum in Eucharistia toties signum, & figuram constituerent, nullam vnquam fecerunt mentionẽ huiusmodi præsentiæ, aut accidentium quæ manerent sine subiecto. Nos ergo ex illorum potius, quá ex Inconstantij sententia prædicamus huiusmodi figuram, quæ sit rerum, non præsentium sed significatarum velamentum. E diuerso autem iste addit, *se cum ijsdem istis patribus negare figuram, quæ opponatur veritati*. Si ita est, nihil ille oppugnat figuram nostram. Ea enim vt ostendimus, veritati non opponitur: imò cum ea maximè congruit, & consonat. Quoniam autem omnia nostra ait esse crassa, vtrum nostrane, an illorum doctrina sit habetior & crassior, tuum id erit prudens Lector iudicare.

B

Argumentum Gardineri ex Damasceno.

PROINDE omni cum timore, & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus, & omnino fiat nobis, quemadmodum credimus non dubitantes: & veneremur ipsum omni puritate animæ & corporis: atque accedamus ei desiderio ardenti; manus in crucis modum formantes crucifixi corpus suscipiamus.

SOLVTIO.

NON dicit Damascenus, sacramentum ipsum esse venerandum, aut adorãdum, vt Papistæ loquuntur. Ea enim planè mera est idololatria. Sed hoc dicit, debere nos venerari Christum Deum, & hominem, qui tamen non est adorandus in pane & vino, sed sedens in cœlo cum patre, & intra nos existens spiritualiter.

GARDINERVS.

OMISSA inuidiosa collatione, quam facit Sectarius, nónne inuitat Damascenus, vt cum fide accedant ei? Quæro, cui ei, nisi corpori præsenti, id est, Christo præsenti in Eucharistia.

MARTYR.

COllationem istam, qua videbat se vehemẽter premi satis prudenter missam facit: videlicet ne fateatur, se idolatram esse, cũ adoret sacramentum. *Inuitat*, inquit, *Damascenus vt accedant ei: & cui*, inquit, *ei?* Quasi nihil hic aliud responderi posit, quàm accedendum esse ad Christum velatum accidentibus. Sed ille mihi vicissim respondeat: cum accedimus ad Baptismũ, ad quem accedimus? Nónne ad Christum, qui nobis sit induendus, & quo cum oporteat commori? An tu statim ex eo concludis, Christum ipsum realiter in illis aquis delitescere? Vide ergo, quid ista tua tam subtili interrogatione efficeris.

C

At, inquit, *cum manus in modum crucifixi formari iubet, an non gestum exhibet confessionem crucifixi præ se ferentem, dum præsentis crucifixi corpus suscipit in Eucharistia?* Nos quidẽ semper docuimus eos, qui cum vera fide communicant, accipere corpus ipsum Christi crucifixi. Id autem dicimus, non ore corporis, sed spiritu ac mente fieri. Quòd si pij accedẽtes ad sacra symbola habitu ipso, & forma corporis, & decussatione brachiorum, quæ crucem ostendat, testari velint, quid de Christo credant, quid prohibet? Sequatur in hac re quisquam ritus, & instituta Ecclesiæ suæ. Extant etiam apud Patres multę ceremoniæ, quæ obseruatæ fuerint ab illis, qui accederent ad Baptismum, ad repræsentandam memoriam crucis, & sepulturæ domini. Nec tamen ea causa rectè concludi potest, Christum realiter, & substantialiter esse in aqua.

D

Deinde Inconstantius testimonijs aliquot patrum docet, veteres in perceptione Eucharistiæ adorasse. At illorum omniũ nullus est, qui dicat, Veteres in perceptione adorasse sacramẽtum, Id autem maximè inculcat, quod Ambrosius, & Augustinus scripserunt de adorando scabello

scabello pedum Dei: qua de re suprà abundè A respondimus. Hoc tantum nunc repetam, Christum etiam antequam institueret sacramẽtum Eucharistiæ, habuisse carnem adorabilem: quę aliquo modo terra dici posset, & scabellum pedum Dei. Quæ caro, etsi & tum fuerit, & nunc etiam perpetuò sit adoranda, quoniam tamen in sacra cœna mentio eius passionis & mortis maximè celebratur, ibi singulariter ad eam adorandam excitamur. Eoque patres, cum scribunt de Adoratione, quę debeatur carni Christi orationem suam confirmant ex eo, quod fit B vulgò in mysterijs. *Sed illa Adoratio*, inquit iste, *quæ exhibetur Christo in sacramento, pertinet ad eundem Christum, qui est in cœlo*. Respondeo, cultum illum Papistarum duplici nomine esse detestabilem: Primùm, quod nitatur falsa fide, qua sibi isti persuadent, corpus Christi, quòd ad rem ipsam, & substantiam attinet, simul & sedere in cœlis, & latitare sub accidentibus: quod & fabulosum est, & pugnat cum veritate humanæ naturæ. Deinde etiam, quod adorationem suam affigant symbolis, putentque illis accidentibus operiri, & contegi corpus Christi.

Argumentum Gardineri ex Damasceno.

CARBONEM vidit Esaias: Carbo autem simplex non est, sed vnitus igni: sic panis Communionis non simplex panis est, sed vnitus diuinitati: & corpus vnitum diuinitati, non vna ac eadem illi natura est, sed vna corporis, vnitæ diuinitatis altera. Quare amborum simul non vna natura est, sed duæ.

SOLVTIO.

HAEC nos quoque libenter recipimus. Non enim dicimus, hic esse panem cõmunem, aut simplicem, sed iam sanctificatum, conuersumque in naturam sacramenti. Diuinitas autem idcircò dici potest cum eo coniũcta, quòd spiritus sanctus ad nostram salutem illo vtatur tanquam instrumento.

GARDINERVS.

ITA sese aperit Damascenus, vt per panem communionis intelligat ipsam Christi carnem: quæ non simplex est caro, sed vnita diuinitati.

MARTYR.

SAtagit Sophista, & multum sudat, vt ostendat, panem hoc loco apud Damascenum positum esse pro ipsa carne Christi: non autem pro symbolo, quæ pars est altera Eucharistiæ. Qua de re ego nihil pugno. Deinde cum in Solutione agatur de symbolo externo, & ostenda tur, verba illa Damasceni satis cum nostra sententia conuenire, ego quoque idem respõdeo: quod ad ipsam attinet carnem Christi, eum apud Iohannem per metaphoram appellari panem, meque in eo cum Damasceno duas veras, atque integras naturas agnoscere, illamque similitudinem de Carbone huc satis appositè accommodari. Ne hoc quidem negauero, ipsum Christi corpus appellari posse panem communionis: maximè cum illud esse sciam alteram, & percipuam partem Eucharistiæ. Hoc tamen addo, non idcircò excludi verum panem. Et quamuis caro Christi nobis offeratur re ipsa percipienda per fidẽ, non tamen necesse est eam præsentem adesse realiter, & substãtialiter. Neq; certè verba ista Damasceni secus docent. Præterea multa garrit homo otiosus cõtra priorẽ C Solutionem. Verùm, vti dixi, mea nihil refert: ex duabus dissolutionibus, quas proposui, vtram Lector malit, sibi deligat.

Argumentum Gardineri ex Damasceno.

NEque & hoc etiam dictu promptum, quomodo naturaliter per comestionem panis, & vinum & aqua per potionem in corpus, & sanguinem comedentis, & bibentis transmutatur, & non fit aliud corpus, præter quod prius erat ipsius. Sic & propositionis panis, vinumque & aqua per inuocationem, & aduentum Spiritus sancti supernaturaliter transmutantur in corpus & sanguinem Christi: & non sunt duo, sed vnum & idem.

SOLVTIO.

VT dixi supra, cum de Theophylacto responderem, si accipias hoc simile generaliter, & applices ad mutationem sacramentalem, satis est. At si velis collationem fieri specialiter de tali mutatione, qualis est alimenti in nostro corpore, tum non tantum substantia panis abolenda est, sed etiam accidentia. Quod postea subijcit, Non sunt duo, sed vnum: si referas illud Vnum, ad panem, & calicem, quasi dicat, illa esse vnum sacramentum, nõ multum laboramus: quamuis Ecclesia, cum vtatur vtraque parte, non vereatur ea appellare sacramenta. Sic enim loquitur in Collectis, Sacramenta, quæ sumpsimus. Sed si ita dixeris, Vnum sunt, quasi post Consecrationem panis & corpus sint vnum, non autem duo propter Transubstantiationem, obijciemus sententiam. Is enim scribit, Eucharistiam constare duabus rebus, terrena, & cœlesti: sententiam etiam Papæ Gelasij. Is enim à coniunctione panis cum corpore Christi, manente vtraque natura integra, probat vnionem naturæ diuinæ & humanæ in Christo, vtraque manente inuiolata, atque integra.

GARDINERVS.

VERBA Damasceni vno tantum modo accipi possunt, vt non sit locus distinctioni, quam proponit Sectarius de generali, & speciali acceptione.

MARTYR.

NEC hic quidem iste noster quicquam adfert noui. Repetit eadem propemodũ omnia, quæ suprà dixerat in Theophylacto. Et certè nisi huiusmodi anatomis, & sectionibus sese nimium oblectasset, plusque numero argumentorum suorum, quàm ponderi tribuisset, hæc omnia in vnum locum conferre, & chartę, verbisque parcere potuisset. Verùm vt ad rem ipsam accedamus, *similitudinem istam Damasceni omnino accipi vult specialiter: vt quemadmodum in alendis nostris corporibus panis & vinum mutantur in carnem & sanguinem nostrum, idque ita, vt ea iam nõ sint duo, sed vnum, & idem, vt substantia panis non maneat coniuncta cum corpore nostro, vt sint duo corpora, alterum panis, alterum carnis nostræ, sed vnum tantum corpus carnis, in quam panis mutatus: ita dicamus, panem Eucharistiæ mutari in corpus Christi, vt in ea maneat vna tantum substantia corporis Christi, in quã panis mutatus sit.* At si illa similitudo specialiter accipiatur, duo secum adferet vehementer dissimilia. Nam in Eucharistia accidentia prioris naturæ vt vultis retinentur, in alimento autem & substantia mutatur, & accidentia. Iste autem respondet, se quod ad hoc attinet, rationẽ diuersitatis ex Theophylacto adduxisse. Ea autem quàm ad rem nihil faciat, suo loco declarauimus. Alterum dissimile est, quod certum sit, materiam priorem alimenti in eo, qui alitur, aliqua ex parte reseruari: nam alioqui nõ posset nutriri, si materia abiret in nihilum: in Eucharistia verò isti panem cũ tota sua forma substantiali, & materia prorsus eijciunt, atque extrudunt. Quare cum Inconstantius in isto simili nolit ista recipere, sequitur, vt illud potius recipiat generaliter, hoc est, quod ad quædam attinet, quàm specialiter. Sed, cum sibi permittat, vt pro suo arbitrio quædam excludat, quædam retineat, non debet nobis eandem libertatem inuidere. Dicimus ergo, per inuocationẽ, & aduentum spiritus sancti panẽ & vinum suo quodam modo mutari in corpus & sanguinem Christi: nimirũ, vt fiãt illorũ sacramẽta. Adhęc, quod dicunt, vnum quiddam fieri ex pane & corpore Christi, id nulla ratione cõcedi potest. Nã si panis prorsus abit & aboletur, vti volunt, quomodo potest fieri vnum cum altero? Necesse .n. est, vt maneat, quod vnitur alteri. Ridiculũ autem est, quod mihi Gardinerus obstrepit, de alimento, & aqua mixta vino. In alimẽto .n. vti diximus, melior, & vtilior pars materiæ manet: & aqua ita miscetur cum vino, vt de sua materia nihil amittat. Cum ergo & materia, & substantialis forma panis, vt isti somniant, faceſſat, non potest vllo modo fieri vnum cum corpore Christi. Quid ergo est, quod vnitur Christi corpori, & vnum cum eo efficitur? Accidentia fortasse. At ea fieri corpus domini, ne Inconstãtius quidem vnquam dixerit. Atqui mirabilis, inquiunt, est ista mutatio At sacra scriptura nũquam nos docuit ista mirabilia. Et Irenæus, qui scripsit, Eucharistiam constare duabus rebus, terrena, & cœlesti, nusquam scripsit rem illam terrenam esse accidentia, sed panem.

De Gelasio ait se iam antea respondisse. Meminit, videlicet, hunc esse scopulũ, ad quẽ non semel naufragium fecerit. Itaque locum periculosum, & importunum prudenter declinat, & cauet. Damascenus verò iste quem Inconstantius tanti facit, quàm corrupto, seu potius multis in rebus puerili iudicio fuerit, quid me attinet dicere? Quis enim nescit, quàm ille, ineptè scribat de reliquijs, & imaginibus? quàm ridiculè de procreatione hominum, si Adamus nõ peccasset, fabuletur? De ętate autem ea, in quã ille incidit, quid sentiendum sit, Lectori relinquo cogitandum.

Argumentum Gardineri ex Concilio Ephesino.

NECESSARIO igitur & hoc adijcimus: annuntiantes enim secundum carnem mortem vnigeniti filij Dei, id est, Iesu Christi, & Resurrectionem eius, & in cælum ascensionem pariter confitentes, incruentum celebramus in Ecclesijs sacrificij veritatem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis omnium nostrum Redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes quod absit, nec vt viri sanctificati, & verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem: sed vere viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam.

SOLVTIO.

NON contendunt illi Patres, in pane latitare carnem Christi. Hoc tantũ dicũt, nos eam comedere in sacramento, & quidem verè: ac talem comedere, quæ nobis vitam æternam adferat: Hæc nos non negamus: modò illa comestio intelligatur ad animum, & ad fidem pertinere. Etsi enim dicamus, carnem Christi comedi in sacramento spiritualiter, non tamen negamus, eam verè comedi. Neque fingimus talem carnem, quæ diuisa & seiuncta sit à diuina persona verbi.

GAR-

GARDINERVS.

ILLVD est huic Sectario proprium, & perpetuum, vt quoties arctè prematur, loquatur aliena, & verba quædem ea arte concinnet, quæ imitationem quandam veritatis habeant.

MARTYR.

CVm propriè, & clarè, ac perspicuè dicamus, carnem Christi, quam fide percipimus, nō esse sanctificati hominis carnem, non esse communē, nō esse coniunctam secūdum dignitatis vnionem, aut tanquam hominis possidētis diuinam habitationem, sed verè viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam, quem admodum Patres illi Ephesini loquuti sunt, videmur Inconstantio insidias facere, & verba artificiosè concinnare, quę veritatis non sensum, sed imitationem tātum quandam habeant. Sed cur iste nobis hæc ita acerbè exprobat? aut de nobis cur ita malè suspicatur? Non alia sanè de causa, quàm quòd ipse statuat carnem Christi præsentem esse, & latère sub accidētibus, atque ita ore ac dentibus manducari: nos autem eam fide, ac mente spiritualiter comedi doceamus. Hæc, scilicet, vna tanti inter nos est causa dissidij. Alioqui nos incruentum sacrificium, quod Patres interdum dicunt, modò rectè intelligatur, non reijcimus:

At illi *sanctificari nos dicunt participatione corporis & sanguinis Christi.* Quid ni? *At de pane,* inquit *nulla est mentio: sed veræ præsentiæ corporis Christi certa expressio.* Ego quidem non dixi, illos facere mentionem panis. Sed, cum viderem, eos nec de pane, nec de accidentibus quicquam dicere, hoc ausus sum affirmare, illos non tulisse decretum, quo mandarent, vt quisquam crederet carnem Christi latitare sub accidentibus: nec realem, & substantialem præsentiam carnis Christi ex illis verbis Concilij Ephesini posse perspicuè colligi: tantum autem exclusum esse errorem Nestorianum, qui de vnione duarum naturarum in Christo malè sentiret. Neque negamus Concilium loqui de manducatione sacramentali, modo ea sit eiusmodi, quæ cum spirituali manducatione, quæ fide perficitur, sit coniuncta. Quo autem modo id, quod fide creditur, ore percipiatur, suprà satis declarauimus. Neque id, cum illa verba in Concilio non legantur, hoc loco infarciendum erat ab Inconstantio.

Deinde addit, *me hominem astutum & mendacē esse et verba instruere ad fallaciam, cum comedere in sacramento nihil aliud sentiam esse, quàm credere, idq; esse comedere carnem domini, quæ donet nobis æternam vitam.* Hæc iste ita obijcit, quasi nos non fateamur, eos, qui piè communicent, participes esse corporis & sanguinis domini. At nos in Communione piorum hominum semper posuimus vtranque manducationem, & symbolorum, videlicet, & ipsarum rerum: alteram, quæ intus peragatur: alteram, quæ foris: alteram, quæ ad os corporis externum pertineat: alteram, quæ ad spiritum & fidem. Huc aspergit luculentum mendacium, Concilium illud Ephesinum dicere, Sacrificium Ecclesiæ constare corpore & sanguine Christi. Si ita est, vt sanguine constet, qnomodo sacrificium est incruentum? Nos quidem verisimè dicimus, Incruentum illud esse sacrificium, quo ad sacrā mensam publicè ab Ecclesia gratiæ agantur Deo & Christo, de sanguine, quem scimus pro nobis effusum esse. Atque hoc pacto participes effecti corporis Christi eo sanctificamur, & habemus vitam.

At Patres, inquit, *dicunt, carnem Christi à nobis percipi.* Quid tum posteà? Quasi nos non idem affirmemus. Quomodo ergo hic Figuratores prosternuntur? An quòd Concilium dicat, nos assequi istam participationem, per benedictionem & per sacramentum? Verùm nos id quoque & docemus, & dicimus: etsi longè aliter, quàm pecus istud insipidum Antichristi, qui cum nos contumeliosè appellant Figuratores, nihil ipsi aliud sunt, quàm mera hypocrisis, & figura. Iste præclarus, scilicet, & inconcussus Antistes veritatis toto libro suo nihil aliud crepat, quàm Sectarios, oblitus interim, se ipsum bis terue fuisse apostatam, & schismaticum, & quiduis potius, quàm Episcopum. Sed nolo de hac re plura. Nos vnà cum Synodo Ephesina execramur Nestorium cum suo dogmate. Quare quicquid hic de participatione, & sanctificatione carnis dicitur à Concilio, iste inculcat extra oleas. Nos. n. ista omnia prędicamus. Omnis cō trouersia est de modo, quo corpus Christi recipiatur. Probet nobis suam carnalem, corporalē, naturalē manducationem: tum demum dixerit aliquid. Quandiu autem vagetur in communibus, & ea dicat quæ non minus nobiscum, quàm cum ipso faciant, sciat se actum agere, & verba tantum profundere.

In extremo autem actu, ne parum Græcus videretur, longam rixam mouet Iohanni Oecolāpadio de lana caprina. Nā, quod Græcè habetur, τὸ ἀναίμακτον τῆς ἐκκλησίας πλοῦτον λατρεύειν, Oecolampadius vertit Latinè, *Incruentum Ecclesijs perficimus cultum.* Inconstantius clamat, dicendum fuisse, Incruentam sacrificij veritatem celebramus. Si quis ex illo quærat, Cur λατρεύειν non possit significare cultum: aut cur, τελεῖν, nō possit reddi Latinè, perficere, quid respōdebit? Scio equidem, τελεῖν, interdum esse, rem sacram facere. Sed si quis dicat, Perficere, atque addat λατρεύειν mihi videtur idem dicere. Sed Inconstantius ipse tam seuerus Censor, vnde tandem habuit Sacrificij veritatem? Certè in Græco nō habetur. Falsum etiam est, quod ait, *Oecolampadium profanare Græcum verbum* λατρεύειν. Addit enim cultum: & certè intelligit cultum diuinum. Profectò qui sic loquentem

Defensio Oecolāpadij

agere putat de re profana, aut valde ipse profanus est, aut malitiosus.

Ita, inquit, *fecit callidè, quo suis probaret Ecclesiæ cultum perfici sola annuntiatione Mortis, Resurrectionis, & Ascensionis domini: siue meditatione mentis accipias, siue professione oris.* Ista portenta nunquam nec sanctissimo viro Oecolampadio, nec cuiquam nostrûm venerunt in mentem, Dei cultum perfici illis tantum rebus, quas ille commemorat. Vbi enim sunt gratiarum actiones? vbi sacri cõuentus? vbi preces publicæ? vbi verbi Dei, & sacramentorum administratio? Lõge melius & purius Ioannes Oecolampadius Basilien sem Ecclesiam sibi commissam administrauit, quàm centum Gardineri. Nec tamen inficior, magnam partem diuini cultus sitam esse in eo, vt credamus & Mortem, & Resurrectionem, & Ascensionem Christi in cœlum. Imò hoc affirmo illum qui corpus Christi datum in crucem & sanguinem eius effusum vera & viua fide apprehendat, spiritualiter edere ac bibere corpus Christi & sanguinem. Ad illam autem internam manducationem ex instituto Christi adiunctus est externus vsus Sacramentorum: isque in nostris Ecclesijs piè ac religiosè obseruatur. Filiũ aũt Dei, quomodo vos fingitis, quotidiè sacrificari, nefas esse dicimus. Et mirum est, quomodo dicere possitis sacrificium illud vestrum ἀναιμακτι fieri, cum toties, & tam importunè contendatis, ibi esse verè, & substantialiter sanguinem domini. Quod si Oecolãpadius prudẽter & piè cauere voluisset, ne Concilium tale quippiam sensisse videretur, & ob eam causam versionem suam temperasset, nec tamen ab vsitata verborum significatione discessisset, iure accusari ea causa non debuit. Verum illum ego non dubito, vt erat vir candidissimi pectoris, egisse simpliciter. Iste autem noster ex suo pede, atque ingenio metitur alios.

Sequitur alia rixa, eaque valde inanis & superuacanea, in qua nõnihil vereor, ne Incõstantius ipse, quid sibi velit, non intelligat. Græcè legitur, προσιμέν πι ὕτω: quæ verba Oecolãpadius vertit, *Accedimusq; sic ad mysticas benedictiones*. Incõstantio autem ista versio magis probatur: *Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus.* Quid hic tãti est discriminis? ὕτω, *inquit, non est aduerbium ordinis*. Per nos ne sit: néue significet deinde: sed, hoc pacto, isto modo, scilicet, annuntiantes mortem vnigeniti Filij Dei secundum carnem. Id enim dicere volebat Oecolampadius, nisi cũ tali sensu neminem posse rectè accedere ad sacram communionem. Aliud autem sacrificium corporis domini præter commemorationem, gratiarum actionem, confessionem rectæ fidei, ac preces in Sacra mensa non agnoscimus. Sed singulari, nescio qua, fraude ait vsum Oecolãpadiũ, cum illa verba, ἁγιαζόμεθα μέτοχοι γιγνόμενοι τῆς ἁγίας σαρκὸς, κ) ἔ τιμίε αἵματος, ita Latina faceret: Et sanctificamur, efficimurq; participes sanctæ carnis, & pretiosi sanguinis. Quomodo ergo dicendum erat? Sic scilicet: Et sanctificamur participes effecti sãcti corporis, & pretiosi sanguinis: vt habet vulgata editio. At ea variat nonnihil à Græco codice. Nam pro ἁγίας σαρκὸς transtulit, sancti corporis. Sed hoc leue est, inquiet. At nónne æquè leue est, duobus membris, idem dicere, quod vno dici potuisset? *Minimè*, inquit Inconstantius: *quia Oecolampadius membra diuisit: ne videremur ipsa Christi carne sanctificari.* Atqui & Oecolampadius & nos omnes fatemur eos, qui cum vera fide communicent, sanctificari à carne Christi, effectos videlicet eius participes: quod quamuis maximè, atque vnicè perficiatur fide, tamen ea excitatur & augetur & verbis externis, & symbolis. Atque ita vsu ipso Sacramentorum res ipsas significatas hoc est, corpus & sanguinem Christi magis, magisq; apprehendimus, & ex illis fructum vberiorem, & ampliorem sanctitatem cõsequimur. Perinde ergo est, siue vnũ illud membrum sit, siue duo: vt iste prorsus mihi videatur cum laruis luctari voluisse. Quis enim potest dubitare si sanctificãdi sumus per carnem Christi, oportere nos eius esse participes? Sed iste sanctificationem illam putat fieri, cum corpus Christi velatum accidentibus attingitur ore, ac dentibus, & ingreditur in corpus nostrum. Nos autem, ita dicimus nos sanctificari corpore Christi, quatenus illud oblatum olim in crucem, nunc autem sedens ad dextram Dei patris apprehenditur à nobis per fidem. Hic est status, & cardo controuersiæ. Hic Inconstantio consistendum erat: nam in alijs satis consentimus. Quare Ioannis Oecolampadij boni, & simplicis viri sermones non erant ita rapiendi ad calumniam. Ille enim verè sensit, omnem sanctitatem in nos deriuari à solo precio carnis Christi nobis per fidem & spiritum coniunctę.

At cuperet, inquit, *Oecolãpadius intelligi, vt à sanctificatione, quæ spiritu fiat, consequatur effectus participationis carnis. Itaque inuertit sacri Concilij sensum mutatione participij in verbum, & addita coniunctione: vt, quod Concilium habuerat pro causa, nos intelligeremus effectũ esse: & quod Conciliũ effici diceret nos interpretemur causam.* Carnẽ Christi causam esse, qua nos sanctificemur, & Oecolãpadius, & nos cõfitemur. Ad eius autẽ participationem quin sãctificatio spiritus, quod ad nos attinet, requiratur, nullo modo negari potest. Sine. n. illo fides in nobis, qua percipiamus carnem Christi, non potest excitari. Itaque caro Christi est organũ Dei, quo ab illo sanctificamur: Fides verò, qua præparamur, queq; est motus in nobis spiritus sancti, est instrumentum, quo efficimur participes sanctæ carnis. Rectè ergo Inconstantius obiecit sibi: *An non probabile est, sanctificari nos spiritu, antequam percipiamus corpus Christi? Est sanè, nã alioqui non sanctis, & impuris Sacramenta officerent. Sed illud est profectò: Qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Verum illud est, quod iste sibi objicit: &, quod ad me quidem attinet, facilè dabo, augeri fidem nostram vsu Sacramentorum. Spiritus enim sanctus non minus sacramentis vtitur, quàm verbis sacris ad excitandum in nobis fidem. Illud etiam fateor, Maiori fidei dari maiorem sanctificationem: vt, qui sanctus est, tamen adhuc

Quod nam habeamus corporis domini sacrificium in cœna.

adhuc sanctificetur. Quid ergo est, quòd hic tantopere altercatur? Iam potest, opinor, intelligi, illa duo membra, quæ iste tantopere exagitat, non huc spectasse, vt negetur, sanctificationem deriuari in nos à Deo per viuificam carnem Christi. Hoc Inconstantium probare oportuit ex Concilio, Carnem Christi latitare abditam sub accidentibus, & ore, dentibus, faucibus, palato percipi.

Exonerat deinde in virum innocentissimũ plaustra tota conuitiorum: *illum fraudibus, & falacijs homines in errorem pertraxisse, corrupisse Græca, malè reddidisse Latina, modo addidisse, modo detraxisse verba, modo ea mouisse loco, ex patre illũ diabolo prosectum esse, Nestorij, et aliorum Hæreticorum imitatorem in corrumpendis, & diuinis literis, & humanis.* Bone Deus, quis Oecolampadio pro tot vtilissimis laboribus ista præmia reponere potuisset nisi Inconstantius? Iste vnus repertus est, qui doctissimũ & sanctissimũ virũ ore impuro, & lingua venenata flagellaret. Sed bene habet: Deus iustissimus iudex & vindex innocẽtiũ, de vtro ipse exercebit iudicium apud tribunal suum.

In calce laborum suorum Inconstantius nobis canere voluit encomium, si Deo placet, Cõcilij Lateranensis, idque maximè à numero Episcoporum & Metropolitanorum: quasi non & Arrianorum Concilũ Ariminense fuerit numerosissimũ: aut quasi Christus ipse cũ suis discipulis non multò inferior fuerit numero Scribis & Pharisæis: aut quasi Christus nõ dixerit, gregem suum pusillum esse. Et tamen si tantopere vrges numeros, multò plures erant patres & Episcopi ante Concilium Lateranense, qui vel apertè repudiauerint, vel certè non agnouerint vestram istam Transubstantiationem. Deinde non est ita attentè spectãdum, qui, aut quot, quo in loco fuerint, qui aliquid statuerint sed quibus, & quàm certis diuinarum literarũ testimonijs decreta sua confirmauerint. Nam alioqui, vt ait Hieronymus, eadem facilitate contemni possunt, qua probantur.

Verba autem ipsa patrum suorum Lateranẽsium Sophista singillatim proponit ad hunc modum: *Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. In qua ipse dominus est & sacerdos, & sacrificium Iesus Christus: cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, Transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina, vt ad perficiendum mysterium vnitatis excipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Nihil,* inquit Inconstãtius, *isti dicunt, quod non didicerint à maioribus, et traditione acceperint, vt nulla sit causa, cur fides hæc ab illis inuenta & excogitata dicatur: qui quomodo acceperunt, & didicerunt verbis cõpendiosis, & significantibus nobis posteris tradiderũt.* Mirificæ me herculè sunt istæ laudes, & quæ nõ possint, nisi ab Inconstãtio proficisci. Sed hoc ego primũ ab isto quæro, cũ illi statuant ab initio vnã esse vniuersalẽ Ecclesiã omniũ fideliũ, extra quã nemo possit esse saluus, quã præcipuã velint esse, & ante alias Ecclesias numerari: Constantinopolitanámne an Hierosolymitanam, an Antiochenam, an Alexandrinam? Minimè: sed Romanam. Id enim tot Paparum Decretalia, & Conciliabula satis indicant. Cur ergo Gardinerus noster ab illa Ecclesia ita temere discesserit, extra quam sciret spem salutis nullam esse? Cur concionibus, & libris editis testatus est publicè, non Ecclesiam illam esse, sed tyrannidem? Aut quomodo ille potuit ista literis consignare cum eo tempore, quo hæc scribebat, nondum esset illi Ecclesiæ reconciliatus? Sed iste, Lector ne nescias, aliquid saltem voluit videri dicere: quid autem, aut quâta cũ ratione diceret, nihil pensi habuit. Debebat enim cogitare, si verè & ex animo ista scribere voluisset, se iam planè esse damnatum & perditum, qui Ecclesiæ Romanæ obedientiam abiurasset.

Christus, inquit Concilium Lateranense, *& Sacerdos est & sacrificium.* Id quidem est verissimum. Christus enim in cruce seipsum obtulit Deo patri. Verùm si ita est, quid vos quotidie idem illud sacrificium iteratis? Cur vos dicitis Deo patri offere Filium Dei? An quod Christus semel fecit, & vna oblatione consumauit, non erat satis? Etsi Christus ipse est noster Sacerdos, quid vos oportet quotidie creare, & vngere infinitos, nescio quos, alios sacerdotes? Dicunt, inquis, illi corpus Christi verè contineri in Sacramento, quodque isti veraciter dicunt, alij patres in veritate dixerunt. Quid tum postea? Hoc enim si rectè ac verè intelligatur possumus recipere. Symbolis continetur verè corpus Christi, quoniam illis verè significatur, quemadmodum in diuinis literis dicimus verè cõtineri æternam vitam: deinde etiam, quoniam corpus Christi, quod significatur, verè humanum corpus est, non autem simulatum aut phantasticum. At si, Verè contineri, intelligant realiter & substantialiter adesse sub speciebus panis & vini, & illud primum falsum & commẽtitium est. deinde à sanctis & veteribus patrib. nũquã simpliciter pronũtiatũ.

Sensum autem, inquit Inconstantius, *Transubstantiationis ex Chrysostomo celeberrimo authore collegerunt: qui dixit absumi mysteria substantia corporis: quod dictum nemo veterum in eo improbauit. Et potuissent tamen extare alij plurimi, qui in eam scriberent sententiam, quorum scripta interciderint. Et sanè qui extant plærique omnes elementorum mutationem fieri dicunt, vel conuersionem, transelementationem: transitionem: qui omnes veram corporis Christi substantiam fatentur præsentem.* Si illi Chrysostomum legissent cum iudicio, vidissent eum, cum scripsisset, mysteria absumi substantia corporis, postea subiecisse eadem mysteria in mensã proponi. Ex quo perspicuum vel cæco esse potest, priorem illam loquutionem fuisse tropicam: deinde etiam vidissent, eundem Chrysostomum alijs in locis docere in mysterijs superesse substantiam panis. Illos autem paterculos Latronenses, Transubstantiationem suam non habuisse ex Chrysostomo, vel id satis magno argumento esse potest, quod postea in Concilio Florentino Constãtinopolitana Ecclesia, cui Chrysostomus præfuerat, cum concessisset Ecclesię *Concilium Florentinũ*

Romanæ de processione spiritus sancti, de Trã subſtantiatione noluerit vllo pacto concedere. Adhæc ad instituenda dogmata non requirimus suffragia patrum: sed testimonia diuinarum literarum.

Præterea, quod iste asseuerat, *omnes veteres cõfiteri, substantiam corporis Christi præsentem esse in Eucharistia*, falsum est. Itaque ipse sibi conscius insignis mendacij, statim subiecit *Quod si qui aliter loqui videantur, qui sunt pauciſsimi, si omnino sint aliqui, æquius est, ita eos candidè interpretari, vt cum aliis consentiant, quam vt ab illis dissentiant: quando diuersæ loquendi causæ, diuersas pariant loquendi formulas.* Non ita pauci sunt veteres patres Inconstanti, qui de Transubstantiatione & reali præsentia longe aliter, quàm vos & loquantur, & sentiant. Permulti sunt, & penè omnes præsertim antiquiſsimi: & ea causa vestra ista testimonia, maximè ita, erperam intellecta, ad illos æquius est accommodari.

Postea queritur de illis, qui vnius voculæ, Transubstantiationis, nouitate ita offendantur, quasi res ipsa simul cum verbo nata fuerit. Et magno, inquit, *consilio videntur vsi patres in hoc verbo Transubstantiationis, verbo, inquam, ad extinguendas contentiones illis temporibus ortas necessario, & eodem ad exprimendam veritatem idoneo, & simplici: vt vnam nimirum substantiam significarent esse in Sacramento, atque illam corporis Christi, in quam definit panis substantia: atque etiam de vino illas sententias, quas apud patres legerent vno verbo exprimentes: videlicet, Fuit panis, nunc est corpus: Fuit vinũ, nunc est sanguis: Has sentẽtias vnũ illud verbum, Transubstantiatio, simpliciter, aptè, diluci dè exprimit.* Recens ista vox, eiusque recens & apud veteres inaudita significatio, quam vt propriam, idoneam, conuenientem iste tantum non in cœlum tollit, cui rei maximè conueniat cuique maximè occasionem dederit, vno verbo dicam, Idololatriæ. Illa enim ab hoc inuento incredibiles habuit accessiones. Neque animaduertunt huius authores, & defensores fictionis, quàm sit à natura huius Sacramenti alienum, quod somniant auferri ex ea subſtantiam panis, quam & sacrę literæ, & patres fatentur ibi remanere. Hoc autem, prudens Lector, tu debes in patribus annotare, quo quisque illorum posteriori, & ea causa imputiori ætate vixerit, ita eum minus sincerè, & candidè de Eucharistia loquutum esse, eoque rem prolapsam esse, vt istis nostris vltimis temporibus nihil sani relictum fuerit: omnia autem mendacijs, portentis & imposturis redundauerint. Quare orandum, vt Deus Opt. Max rebus afflictis, & perditis aliquando succurrat, & horribilẽ istam ἀρτολατρείαν ex toto orbe Christiano penitus exterminet.

Vox Transubstantiatio recens.

Verùm Sophista addit, *nos cum audiamus ex Paulo, omnia veteribus contigisse in figura, tamen affirmare nostra Sacramenta eadem esse cum Sacramentis illorum: & in hoc Sacramento pessimè odisse nomen Substantiæ.* Hæc ille de nobis: sui, ac suorum interim oblitus, Ipse enim cum suis in hoc Sacramento carne peius, & angue horret, & fugit nomen Panis: quem cur extrudant ex Eucharistia, rationem nullam probabilem adferre possunt. Cur autem nos nolimus corpus Christi constituere sub pane, aut sub accidentibus realiter contineri, iustiſsimæ causæ sunt: nimirum, vt veritas humanæ naturæ in Christo conseruetur: cuius certè non est, simul esse in multis locis, aut diffundi in immensum, aut sua magnitudine, suisque lineamentis expoliri, aut creatarum rerum conditionem relinquere, aut inter homines in mundo versari: præsertim cum iuxta fidei nostræ articulos ascenderit in cœlum, & sedeat iam ad dextram patris, & inde expectandus sit ad extremum iudicium. Si vos vnam saltem ex istis omnibus causis possetis obtendere, cur panem & vinum excludere velitis ex mysterijs, videri fortasse possetis aliquid dicere. Sed nihil habetis aliud quàm potentiam Dei, & Concilium vestrum Lateranense, & aliquot patrum sententiolas, easque aut non intellectas, aut pro corruptela temporum malè conscriptas. Figuram verò esse in Eucharistia, etsi eam miris modis coloretis, ne vos quidem ipsi potestis denegare.

At Paulus ait, *Omnia veteribus in figura contigisse.* Quis nostrum id negat? Sed quænam illa figura fuit? Hæc, scilicet Incõstanti, quòd illi, cum haberent eadem Sacramenta, quæ nos, tamen simulachra coluerint, sederint ad edendum & bibendũ, surrexerint ad ludendũ, sese stupris, & libidinibus inquinauerint, tentauerint Christum, ijsque de causis in deserto perierint. Hæc, inquam, omnia illis in figuram contigerunt: & admonitionis nostræ causa scripta sunt: vt, videlicet intelligamus nos multandos esse ijsdẽ malis, si contumelioſe abutamur Sacramentis: Idque Paulus proximo capite 11. docet euenisse, in illis, qui abusi fuissent cœna domini. Hæc ea figura est, de qua Paulus loquitur. Neq; enim eò spectat, vt veteres patres rebus ipsis frustretur, & in vmbris, ac tenebris & solis significationibus destituat, idque, quod multo miserius est, etiam absq; salute. Nã eã sine vera Christi perceptione habere nullum potuerunt. Neque Apostolus negat; imò vel Augustino teste constãter affirmat, eadem fuisse veterum Sacramenta & nostra. Nos ergo non sumus authores huius dogmatis: habemus. n. illud & ex diuinis literis, & ex patrib.

Addit iste, *nos omnem mouere lapidem, vt veritati substituamus mendacium, sed frustrà. Veritatem enim in seculum staturam: impiorum autem malitiam ruituram: idq; perspicuum esse exẽplis quotidianis: quibus nos tamen nihil deterreamur. Paulum enim dixisse, Oportere esse hæreses: non vt rei necessitatem, sed vt hominum vitium indicaret. Eorum autem improbitatem Deum conuertere in gloriam suam.* Desine communibus locis, Inconstanti: hæc enim multo verius in te, & vniuersum Papistarum gregem cõueniunt. Veritas enim dogmatis nostri quotidie Dei Opt. Max. beneficio magis magisque illustratur, & haud dubiè æternum stabit. Papistarum autem nequitia, vt quotidiana exempla nos commonent, & in multis prouincijs apertè, &

tè,& vbique in hominum conſcientijs labefactatur indies magis magiſq;, & corruit. Quod adfers de neceſsitate hæreſium,ad nos qui nullas aut inducimus, aut ſectamur nouas ſuperſtitiones,nihil pertinet. Vos potius,Inconſtanti,cum realibus præſentijs, & Tranſubſtantiationibus,& alijs infinitis rerum,verborumque prodigijs perſtringit,& iugulat. Cęterũ id nobis vtinam tandem videre liceat, vt vos aut ab aperta iſta,atque horribili impietate deſiſtatis aut ad impediendam veritatem minus virium habeatis: vtque Eccleſia Chriſti aliquando ab omni idololatria, & ſuperſtitioſo cultu repurgetur.

Nunc verò poſtquam Deo bene iuuante,ad calcem laboris mei peruentum eſt, quo ego in Opere,non ſanè de aſini vmbra,ſed de aſſerendo ſincero Dei cultu, & Orthodoxa fide cũ aduerſario impotentiſsimo,cum Sophiſta vaferrimo,cum hoſte veritatis acerbiſsimo dimicaui, quoniam ſcio nec argumenta,nec rationes,nec teſtimonia,nec diſputationes quantumuis doctas quicquam profuturas eſſe,niſi Deus adſpiret,viſum mihi eſt pro Colophone, ſummi Numinis,& Patris noſtri opem implorare.

ADSIS,quæſo,aliquando tandẽ Cœleſtis Pater,& ſpiritu Ieſu Chriſti filij tui mentes atque animos Chriſtianorum tuorum illuſtra: vt illi relictis idolis & ſuperſtitionibus, ad te vnũ purè & ſyncerè colendum, adorandum, & in-

A

nocàndũ conuertantur: nêue vlterius patiaris honorem tibi vni debitum impiè & ſceleratè tribui pani,vino,picturis,ſtatuis,atque oſsibus mortuorum. Satis iam diu ſanctum nomen tuum contumelijs affectum eſt: ſatis iam diu Euangelij tui puritas contaminata iacet: ſatis ſuperque Inſtitutione Cœnæ filij tui homines,ad impuriſsimam idololatriã abuſi ſunt. Siſte aliquando furores iſtos inſanientũ hominum,& ſeſe miſerè præcipitantiũ, ne amplius in omni colle,ſub qualibet arbore,in omnibus compitis, plateis, templis, ſacellis, cum pane ac vino ſub nomine ſacramenti filij tui tam impudenter,& perditè ſcortentur,& ſacrum tuum cultũ tam impiè & flagitioſè polluant. Niſi tu, Deus Opt. Max. iſtam ἀρπολατρείαν potenti tua manu auferas,atque euertas,de ſalute humana,& Eccleſię tuę repurgatione prorſus actum eſt. Subueni, Deus, ſubueni populo, quem ſanguine filij tui redemiſti. Tuque Ieſu Chriſte, vere atque ęterne Deus, confirma hoc opus quod cœpiſti,illudque ad finem optabilem perducito: vel ſi deſperata eſt plaga,neque veritati tuæ in tua Eccleſia amplius futurus eſt publicus & apertus locus, ad exercendum iudicium quam primum venito: & pro nominis tui gloria à ſacra Cœna,quam tu incredibili miſericordia,& ſingulari bonitate inſtituiſti,tam inſignem contumeliam auertito: qui cum Patre,& ſpiritu ſancto viuis & regnas in ſecula ſeculorum. Amen.

B

C

Τὸ ἀληθὲς ἰσχυρὸν & μόνιμον.

FINIS.

PETRI MARTYRIS FLORENTINI IN SVAM DE EVCHARISTIA Disputationem Oxonij in Anglia habitam, ad Lectorem præfatio.

QVAE causæ ad scribendum de Eucharistia me impulerint, duæ sunt. Improborum calumniæ, & amicorum vota: quorum alterum contemnere, inhumanum fuisset, alterum verò negligere, impium: cùm inde cultui diuino haud vulgare detrimentum impendere animaduerterem. Si enim tantum res mea hîc ageretur, facile fuisset ista spernere. Nomen quippe meum non tanti facio, vt existimem propter conuitia maleuolorum, & vanos inimicorum rumores, oportere me commoueri. Scio prudentis hominis esse, permulta, & præcipuè huius generis dissimulare, & charitatem Christianam omnia ferre, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, quærere. Verùm hic iam non causa mea, sed Christi agitur, nõ meo nomini detrahitur, sed verbo Dei. Siquidem periculum authoritatis ministerij, adeò coniunctum est cum verbo Dei, vt ad ipsum quoque pertingat. Ita enim comparatum videmus, vt quantumuis pia & docta, pièq; docteq; tradantur ab aliquo, ei si defuerit authoritas, imò si vel næuo vel macula quapiam, aut aspersa aut denigrata fuerit, cum paruo fructu, & sæpe cum nullo, proueniant. Quæ verò sparserit nonnullorum impudentia, de disputatione à me habita Oxonij iam elapsa æstate, & quomodo apud cuiuslibet generis homines, Principes, nobiles, plebeios, ciues & rusticos me traduxerint, non dicam: quod nihil obscurè ab eis factum sit, sed omnes anguli, plateæ, domus, officinæ & œnopolia adhuc eorum mentitos triumphos de me, & ἐπινίκια resonent: nec dubito istorum maledicta, cæteras quoque nationes peruasisse. Quare vna causarum quæ me ad hæc edenda compulit, hæc fuit. Altera verò (vt ab initio dixi) amicorum postulata, quibus profectò huc vsque pro virili obstiti, tum quòd hac de re satis librorum extare intelligerem, quibus abunde pius quisq; posset instrui, tum quòd nemo melius ac ego ipse, mea nouit, quæ hactenus tanti feci, vt noluerim te, candide lector, per ea remorari à meliorum librorum lectione. Nunc verò hi, & quidem nonnihil improborum criminationibus commoti, me adeò vrserunt, vt aliquorum precibus victus, aliorum verò authoritate compulsus, tandem cesserim. Quid enim negare ausim Reuerendissimo Archiepiscopo Cantuariensi, cui planè omnia debeo? Quidue Regijs visitatoribus, qui hisce disputationibus non solùm interfuerunt, sed præfuerunt? Damus itaque tibi hanc Disputationem, cui ad maiorem euidentiam, Tractationem de eadem re, adiecimus. Quæ omnia simplici quidem (ne dixerim absq; vllo) stylo, conscripsi, attamen fideliter. Nam quod attinet ad disputationem, mea contuli cũ exemplis aduersariorum: Quibus diligenter perlectis quæ animaduertere potui me præterijsse, quod alicuius essent momenti, quantum rei veritas patiebatur, ex eorum scriptis non detrectaui restituere: & vbi eos deprehendi quandoq; suas rationes fusius explicasse, & artificiosius scribendo tractasse, quàm tunc dum agebatur, prolatæ fuerint, ego quoq; salua sententiæ veritate, rem paulò latius exposui, quod tamen raro admodum contigit. Cæterũ quod attinet ad summam, capita & substantiam argumentorum, dissolutionumq; siue responsionum, mutaui nihil, nihilq; (quod sciam) inuerti, quod his qui mecum egerunt fraudi esse possit. Imò quantum memoria consequi potui, quantúmue indicarunt notæ illorum qui exceperunt, cùm vltro citroq; inter nos disputando ageremus, illas easdem voces frequentissimi & ferè semper quibus vsi sumus reponi curaui. Quisquis itaq; actioni nostræ interfuit, nullũ planè videbit omissum argumentũ, nullum adiectum, & à summa sensuq; eorum quæ dicta sunt, me nusquam discessisse intelliget. Quòd si quid à me aut omissum aut inuersum maleuoli (vt est eorum ingenium) conquesti fuerint, ea scribant, neque contra me verbis (quæ profudisse non refert) sed scriptis rationibus agant, quas & legere & considerare liceat, non erit absq; fructu huius generis disceptatio. Volant enim (vt dixit Homerus) πτερόεντα verba: at his quæ literis consignata sunt, locus calumnijs minus patet. Hoc si fecerint, quemadmodum tunc ausus sum viua voce congredi, ita nunc me comparabo, ad ea quæ scripserint respondere. Tu verò interim vale, & boni consule.

REGIORVM

REGIORVM LEGATORUM, qui disputationi huic Oxonij habitæ præfuerunt, nomina sunt hæc.

R. D. *Henricus Lincolniensis Episcopus.*
D. *Richardus Coxus, Oxoniensis Vniuersitatis Cancellarius, etc.*
D. *Simon Haynes Decanus Oxoniensis.*
M. *Richardus Morisinus, Armiger.*
D. *Christophorus Neuynsonus, Iu. C. Doctor.*

Disputarunt primo die, qui fuit 28. Maii, anno 1549. D. Petrus Martyr, & D. Guilielmus Treshamus, coram Visitatoribus Regijs. Ex quibus Clarissimus Vir D. Coxus Oxoniensis Vniuersitatis Cancellarius, antequàm Disputatio iniretur, in hanc sententiam est præfatus.

DOCTISSIMI viri, quàquam ego ex officio meo disputationibus scholasticis, præcipuè autem Theologicis præesse debeo, tamen quod meũ est, id nũc faciendũ potissimum duco: Nimirum quòd per Regiam Maiestatem licet, & quia per literas (vt vocant patentes) commissa nobis authoritas est, non modò alijs in rebus, verum etiam publicis lectionibus ac disputationibus ordinandis, decreuimus non solùm interesse, sed etiam præesse, easque gubernare, & moderari. Vos autẽ qui prouinciã hãc disputãdi suscepistis, cogitetis quam sit ardua res quæ agetur: cogitetis quàm omniũ oculi in vos conuertantur: cogitetis diligenter, & curetis gloriam Dei, sepositis contentionibꝰ & rixis. Scio vos graues & doctos viros esse: Attamen quod officium meum A postulat, vos monendos existimaui. Alios autem spectatores & auditores commonefacio, vt positis factionibus, si quæ sunt, ita quietè & tranquillè audiant, vt ne partes vllæ factæ esse videantur. Facite quod Paulus præcipit, vt in nomine Domini nostri Iesu Christi, idem sapiatis, idem sentiatis omnes, vt non sint in vobis schismata, sed sitis integrum corpus, eadem mente & eadem sententia. Ponite affectus malos, strepitus, turbas, cachinnos, & vociferationes ponite: maximè vos iuuenes monitos volo, qui magis animi feruore valetis, quàm iudicio. Solent enim in maximis controuersijs existere dissidia & odia, & inuidiæ, vt factum est in Stephani disputationibus atque Pauli. Id autem in vobis euenire nullo modo velim, sed opto potius, vt discatis veritatem cognoscere, & cognitam amplecti, ita & vos vestrum facietis officium, & nobis rem gratissimam; & Deus fortunabit cœpta nostra. B

QVAESTIONES PROPOsitæ ad disputandum.

I. *In sacramento Eucharistiæ non est panis et vini Transubstantiatio in corpus & sanguinem Christi.*
II. *Corpus & sanguis Christi non est carnaliter aut corporaliter in pane & vino, nec vt alij dicunt, sub speciebus panis & vini.*
III. *Corpus & sanguis Christi vniuntur pani & vino sacramentaliter.*

PETRI MARTYRIS
PROEMIVM.

Si existimassem, amplissimi viri & Regiæ Maiestatis oratissimi legati, offensiones animorum, odia, vel inimicitias perpetuò esse comites publicarum disputationum, nunquá sanè fuissem huc adductus. Nunc aût quia video ea non semper cõsequi, sed illis coniũgi temere, siue (vt dicitur) per accidens, ad disputandũ accessi. Me quidẽ ante omnia mouit veritatis exquirendæ & patefaciẽdę studium: Qui verò contentionis cupiditate, vel ob gloriolam huius mundi, vel ob quæstum, hoc institutum suscipiunt, non Theologi habendi sunt, sed leues, inanesque sophistæ, animalia cum vẽtri, tum ambitioni dedita. Nos autem eo debemus esse animo, vt veritati agnitæ, & sese in disputationibus patefacienti vltrò libenterque cedamus. Quod certè, non est minima aut leuis portio diuini cultus. Idcircò ex omni parte animorum turbidi motus facessant, sintque procul omnes factiones. Quòd si contigerit, magna huius exercitij erit vtilitas. Nam ferrum per se frigidum, tacet: & lapis omnino stupidus est: sed si collidantur simul, ignem eliciunt. Vt nubes alioquin tenebricosæ, & crassę naturę, si concurrant, & simul quatiantur, fulgetra micant per aerem. Ita ingenia ac studia eruditorum hominum, per se ipsa torpescunt, at in ipso disputationum conflictu excitantur, ac vegeta reddũtur. Neque propter abusum quorundam, res pulcherrimæ & honestissimæ, cuiusmodi sunt disputationes, repudiari debent, nec vt inutiles & noxię haberi, cũ eas dona Dei esse nõ dubitemus. Prœclarã illam doctrinam Iesu Domini & seruatoris nostri, de dilectione proximi, de resurrectione, de censu reddendo Cæsari, de signo Ionæ Prophetæ, alijsq; de rebus huius generis disputationibus quas habuit cũ Scribis, Pharisæis, Sadducæis, & Herodianis sequidebemus. Nec vobis obscurum esse arbitror, vt profuerint ecclesiæ, Pauli cæterorumque Apostolorum atque patrum disputationes. Poterunt certè sine acerbitate, odio, & inuidentia, à nobis perfici, modò spiritus Christi adsit. Magnum quippe discrimen habent dissentire, & ódio habere. Nam primum pertinet ad iudicium, quod in parte cognoscente animi nostri exercetur. Alterum verò, id est, odium, flamma est voluntatis, Paulus dissensit à Petro, ac reprehendit, nec tamen eum odio habuit. Hęc de publicis disputationibus generaliter dixisse volui.

Ad nostras verò has propius accedens, fateor me aliquandiu fuisse cunctabundum ad descendendum in hanc arenam, quòd viderem ea de re agendum esse, propter quam ecclesia hodie vehementer concutitur. Et qui sacerdotalem ordinẽ sibi vendicant, arbitrantur, Transubstantiatione sublata & dempta carnali corporalique præsentia corporis Christi ab Eucharistia, de omni sua dignitate funditus actum esse, quasi non sit aliud eorum munus quàm panem tansubstantiare, vel ipsum corpus Christi in pane claudere. Et plebs adeò est dementata, ac desipit, vt si quis de sacramento hoc aliter doceat, quàm hactenus receptum sit, putent Christum sibi eripi: & cùm non tradamus de Eucharistia, vt in papatu creditur, manufacta, concurrunt quàm plurimi, & cum Fabro Argentario clamant: *Magna est Diana Ephesiorum.* At cogitare debuissent, eos non minus accusandos esse, qui sacramẽtis nimium tribuunt, & ex eis idolum faciunt, quàm illi, qui eadem negligunt. Quod vtrunque vitium pro virili nostra semper euitauimus. Nunc verò quando tranquilla omnia vestra authoritate video, factus sum alacer, & lubens hanc disputandi prouinciam suscipio. Neque priuatas causas, cur disputare noluerim, cum repẽtè prouocarer, nunc repetere volo, ne stomacho videar indulgere.

Ideò ad quæstiones venio, in quibus me non nulli calumniãtur, quòd non seruauerim dialecticam methodum, & quòd prius quæri oportuerit, An Christi corpus in sacramẽto esset. Postea, de modo inuestigandum. Ego verò contrà statuo, methodum quàm optimam hîc seruatã esse, & quidem dialecticam. Neque sum ignarus doctrinæ Aristotelicæ in Posterioribus Analyticis, qua docet, prius quærendum esse, an aliquid sit, postea, quia, quid, & propter quid, videndum. Cæterùm quando corpus Christi neuter nostrûm esse dubitat, & interrogor, an sit in Eucharistia, illis comodè respondeo per tres meas quæstiones. Primò non esse ibi per Transubstantiationem, Secundò, non coniũgi panì ac vino, seu speciebus eorum, corporaliter & carnaliter (vel vt illi volunt) realiter, & substantialiter: sed tantùm ibi esse per coniunctionem sacramentalem, quæ est significatio efficacissima. Habes itaque methodum expeditissimam. Quæ tamen adhuc sit manifestior, si sic explicabitur: Corporis Christi & sanguinis est aliqua coniunctio cum symbolis. Hoc vtrique nostrum bene constat: cuiusmodi autem sit, est controuersum. Quare id tribus meis quæstionibus aperio, atque incipio à modo crassiori, qui est per Transubstantiationem, eumque remoueo. progredior deinde ad alium modum, de corporali, carnalique præsentia, siue reali, vel substantiali (vt illi loquuntur) quæ perinde habeo, & ei non assentior, vt qui tertium modum constituo, nimirum per sacramentalem significationem.

De vocibus autem corporaliter, & carnaliter, quia videntur ambiguæ, dico me illas accipere, atque si dictum fuisset, realiter & substantialiter, neque hoc discrimine facessam eis negotium disputando. Cur autem aduerbia magis deriuauerim à nominibus carnis & corporis,

quàm

quâ à re & ſubſtantia, ea eſt cauſa, vt me ſacris literis accommodarem, quæ cùm ſacramenti mentionem faciunt, rei atque ſubſtantiæ nomina nõ habent, ſed tantũ corporis, carnis, & ſanguinis, ideo ſcripſi corporaliter & carnaliter.

Contendunt & hoc mei aduerſarij poſtremam quæſtionem eſſe ſuperfluam: nam aiunt, Si remoueris Tranſubſtantiationem, & realem ſubſtantialemque præſentiam, neceſſariò conſequitur, in ſacramẽto non relinqui niſi ſignificationẽ: quibus occurrimus, eſſe Anabaptiſtas, qui volunt ſacramentum hoc nil eſſe aliud quã teſſeram, & profeſsionẽ noſtrę ſocietatis, quam inter nos ex charitate habeamus: efficaciã ſpiritus ſancti nihil morantur, quam nos in hoc ſacramento ſtatuimus. Præterea Marcionitæ, Valentiniani, Manichæi, & id genus hæretici, cùm negauerint Chriſtum habuiſſe verũ corpus, ſignificationem quam nos hîc ponimus, ferre non poterant: quamobrem aduerſus has peſtes, tertia quęſtio non eſt inutilis. Poſtremò accedit ad hæc omnia, quod has quęſtiones vò lui conſentire cum ijs, quę in ſcholis docui, vbi hanc eandem methodum ſeruaui. Modò ſupereſt, vt rem aggrediamur, artamen Dei auxilium prius de more inuocandum eſt.

PRECES.

CVm ſancti ſpiritus afflatu, Deus optime maxime, pro tua miſericordia, ſis policitus nos regere, atque in omnẽ veritatem inducere, primùm quidem, gratias tibi immenſas agimus de tam opimo ac vberi promiſſo, quod bona fide abs te implendum eſſe non dubitamus: deinde, quia in tuo ſancto nomine conuenimus, & maximi mò menti ſunt, quæ diſcutienda proponuntur: ideò vt promiſſum fauorem modò exhibeas, toto pectore oramus & obſecrãmus, quodque tractandum ſuſcepimus, vt ſic digneris moderari, & regere, quo inde gloria tuo nomini, Scholæ veritas, & eccleſiæ ſanctæ proueniat ædificatio. Prauos affectus quæſumus hinc ſubmoueas, ſcripturarum ſanctarum luce, corda cum noſtra, tum audientium illuſtres, quæque ibi viſa fuerint obſcura, plana efficias, & nos circa illas errare non patiaris, quæque à compluribus forſitan hactenus minus rectè ſunt intellecta, nunc puriꝰ atque candidius percipi concedas, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.

D. Guilielmi Treshami Oratio.

VEritatis negotium diſcutiendum aggredior, viri præclariſsimi. Opus attento arduum, munusque graue humeris impono meis: quippe, qui cum homine tam docto, tam acuto, tam omni ex parte in literis cùm humanis, tum diuinis exercitato, idque de re ſerioſiſsima in hac etiam celeberrima doctiſsimorum virorum frequentia, congredi & colluctari conſtituerim. Quoniam igitur duram ſuſcipio prouinciam, quam alij certè plurimi huius Academiæ alumni, multò melius, exactius, & felicius, quàm ego certator imbellis, abſoluere atque tranſigere, ſi volent, poſſunt: veſtri candoris erit, præſtãtiſsimi regiæ Maieſtatis legati, qui has diſceptationes, veſtra præſentia veneranda coornare atque illuſtrare dignati eſtis, vniuerſa quæ hodie à me inter diſceptandum proferentur, æqui bonique conſulere, eaque omnia piè interpretari, quę non niſi pietatis cauſa ſeduló enarrabuntur. Equidem non vlla inſtigatus malitia, non vllo liuore, aut odio impulſus, viro huic doctiſsimo aduerſari volui, ſed quia ipſe ad hoc me quodammodo prouocauit, & mea conſcientia commouit, veſtra denique mihi annuit authoritas, in hanc literariam palęſtrã concertaturus deſcendo. Concertaturus inquam, vel cum amico, eodemque familiari, verumtamen amico præfero veritatẽ, cuius aſſeuerandę gratia, pro virili renitar aduerſus doctorem hunc, iſtiuſmodi in rebus longè exercitatiſsimum, ſed ſuper omnia nimirũ in illo confiſus, qui ſui nominis profeſſoribus pollicetur dicens: Ponite in cordibus veſtris non prẽmeditari, quemadmodum reſpondeatis. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.

Ad concluſiones itaque tuas (Doctiſsime Petre) excutiendas me accingo, quarum prima hæc eſt. *In ſacramento Euchariſtiæ non eſt panis & vini Tranſubſtãtiatio in corpus & ſanguinem Chriſti.* Altera, *Corpus & ſanguis Chriſti non eſt ſubſtantialiter aut naturaliter in Euchariſtia ſub ſpecieb. panis & vini.* Quibus concluſionibus vt nullam prorſus adhibeo fidem; ita & eaſdem, vt ſine fine dicam, falſas eſſe, & à Chriſtiana religione longè alienas, pro perſuaſiſsimo habeo. Id quod, ita ſe re ipſa habere, quemadmodum dixi ſcripturis ſacris, & plurimis patrum teſtimonijs, apertiſsimè declarare, & commonſtrare ſuo tempore non recuſabo: Sic & hoc die, veritatem ab eccleſia hactenus receptam, concluſionibus tuis planè contrariam, & ex diametro (vt aiunt) repugnantem; tuendam, & corroborandam mihi aſſumpſi. Non quòd Smythæi doctoris qui abeſt, vices ſupplere velim, cuius profectò inſtituti conſcius non eram, ſed ad ſolius Chriſti gloriam, fideique veritatem aſtruẽdam, hoc concertandi munus in manus ſuſcepi.

Neque profectò, vt huic meæ ſententiæ fauerem, adductum me quiſpiam putet, ex leui quadam credulitate, ſed ex magnis & vrgentiſsimis cauſis. Harum prima eſt, Sanctorum Euãgeliſtarum, & diui Pauli Apoſtoli concors & vniformis pro noſtra aſſertione cõſpiratio. Vnde vniuerſi orbis conſenſus, & perpetuus rei vſus ad nos vſque permanauit. Secunda eſt; Sanctę matris eccleſiæ haud contemnenda authoritas, quę cõtra Beringariũ, Vuincleffum & huius farinæ homines, de certa veritate huius ſacramenti, vel editis decretis ſanciuit. Tertia; Patrum orthodoxorum ſunt teſtimonia clariſ-

ſsima, quæ niſi aliter, quàm ipſi patres ſenſerũt, exponantur, pro noſtra aſtructione explicatiſsimè faciunt. Quarta & poſtrema, quod illuſtriſsimi & ſereniſsimi Regis noſtri Eduardi ſexti edictũ, Regium q̃ totius ſenatus cõſultum, nonnihil patrocinatur. Quę quidem cauſæ ad credendum mihi ſufficere videntur. Quamobrem (doctiſsime Petre) quæ tu pro parte tua habes aduerſum me proferenda atque projcienda argumentorum tela, ea omnia proferre, projcere q̃, vbi libet, licet. Dixi, & patet ad concluſiones reſponſio.

D. P. MARTYR.

LAudes, quas mihi tribuis, non agnoſco. Beneuolẽtiam tuam erga me colo. Quodq̃ dicis te à me prouocatum, longe ſecus habet: nam ego potius ab alijs ſum pertractus ad diſputandum, quod omnibus eſt notiſsimum. Cauſas vero quibus te motum dicis, vt aduerſum me ageres, non multum moror: nam quanti ſint momenti, tum agnoſcam, cùm obijciendi munus obibis. De poſtrema tantũ hoc dico, quo ad Regium ſanè edictum, cum Angli cè neſciam, de eo me prorſus nihil noſſe, ſed ſpero, in progreſſu diſputationis, ſiquid contra me fecerit, intellectum iri. Quare his omiſsis ad argumenta me confero.

Scriptura panem in Euchariſtia agnoſcit, ergo eſt ibi retinẽdus.

PRO quęſtione prima, ſcripturæ mihi faueunt, quæ in hoc ſacramẽto, quàm apertiſsimè panem & vinum agnoſcunt. In Euangeliſtis habetur: quòd Dominus Ieſus accepit panem, benedixit, fregit, & dedit diſcipulis. Et Paulus idem habet in prima ad Corint. 10. & 11. Vbi ſi quis diligenter expendat, ſæpius meminit panis, Quare, & nos debemus vnà cum ſcripturis retinere ſymbolorũ naturas. TRESHAMVS. *In ſcripturis etiam inuenitur, hominem vocari terram vel cinerem, Heuam os, & virgam ſerpentem, aquam vinum, cùm tamen hæc non eſſent, verum per tropum ſic appellata ſint. Deinde argumentum reflexiuum, repercuſsiuum, & reciprocum eſt, retorqueturq̃ in te. Nam & ſæpe in ſcripturis vocatur corpus Domini. Idcircò oportebit hac eadem ratione, corpus Chriſti verè in hoc ſacramẽto eſſe: quod tu negas in ſecunda quæſtione. Igitur argumentũ tuum in caput tuum conuertitur.* MAR. Quod ad priorem partem reſponſionis, loquutionem ſcripturę, quando panem nominat, ſtatuis eſſe tropicam, eò quod res nomina retineant naturarum, à quibus conuerſæ ſunt. Vbi vehementer miror, vos tam facilè cõfugere ad tropos: à quibus tantopere abhorretis, cùm de hoc ſacramento agitur. Sed hoc mitto, & reſpondeo, in locis adductis ſcripturam nos diſertè commonefacere de cõuerſionibus illarum rerum: apertè enim oſtendit corpus hominis è terra confictum, Heuam ex Adami coſta productam, virgam in ſerpentem conuerſam, aquam vinum factam. Quare hos tropos admittere cogimur. Vos itaque è ſcripturis nobis probetis, panem conuerſum, quo ad ſubſtantiam in corpus Chriſti, & ſic dabimus tropum veſtrum, panem inquam appellari, non qui nũc ſit, ſed qui antea fuerit. Adhæc, illa quæ inducitis, ita priſtinam abiecere ſubſtantiam, vt eius accidentia non retinuerint: quod vos confingitis in hoc ſacramento euenire, vbi à pane ſubſtantiam aufertis, & accidentia retinetis. Quodq̃ adieciſti, in altera parte reſponſionis, Contra me ſequi, corpus Chriſti adeſſe re aliter, quãdoquidem ſancta ſcriptura & ipſum nominat, ſicuti panem, quantum faciat contra me, reſpondebo, cum vices ad me peruenerint reſpondendi, ſi tu mihi iſta obieceris.

Quando res nominatur, quæ amplius nõ extet, ſcriptura nos admonet de illius cõuerſione.

Quæ ſcriptura ponit mutata eſſe, non retinent priſtina accidentia.

TRES. *Decretũ erat, vt conciſis vteremur argumentis, & tu multa interponis. Attamen, quod attinet ad conuerſionem, quam tu negas haberi in ſacris literis, eam probo ex Matthæo, vbi Chriſtus ait, Hoc eſt corpus meum. Non eſt ſermo Dei enunciatiuus, aut ſignificatiuus tantum, ſed efficax, factiuus & operatiuus. Dicit enim Auguſtinus in pſalmo 73. Sacramenta veteris legis promittunt ſeruatorem. Noua dant ſalutem. Ideo aſſero panem conuerſum eſſe in corpus Domini.*

MAR. Argumentis breuibus, & vtor, & poſt vtar, quantum res patietur. De tua verò probatione tranſubſtantiationis, quam modò adfers, nihil reſpondeo: quandoquidem meum eſt in præſentia obijcere.

Cùm itaque nõ admittas probationẽ quam adduxi è ſacris literis, quod panis maneat, & eas per tropum eludis, oſtendam tibi patres nõ ita ſenſiſſe, verùm cum ſancta ſcriptura verum panem in ſacramento relinquere, ac eam interpretari & intelligere, vt ego adduxi. Cyprianus antiquiſsimus author, in ſermone de cœna domini ait, *Sicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita in ſacramento viſibili, ineffabiliter diuina ſe infundit eſſentia, vt ciſſet religioni circa ſacramenta deuotio.* Vides hic collationem fieri inter perſonam Chriſti, & hoc ſacramẽtũ, quorum vtrunque, vt duas complectitur naturas, ita debet eas integras conſeruare, quod vos tranſubſtantiando non facitis. TRES. *Equidem Cyprianum opponam Cypriano, eumque per ſe ipſum interpretor, qui dicit, in eodem ſermone: Panis iſte, quem dominus diſcipulis porrigebat, nõ effigie, ſed natura mutatus, omnipotẽtia verbi factus eſt caro. Audis mutationem naturæ panis, vnde nõ eſt credendum tantũ martyrem ſecum pugnare, & in his quæ ſequuntur oblitum eſſe ſui.* MAR. Hoc non eſt propoſito loco reſpondere, ſed argumentum eludere. Ego cum reſpondentis vices obiero, locum elucidabo, quem mihi regeris. Quare tuum eſt, nunc ad oppoſita reſpõdere, quomodo ſcilicet iſta collatio Chriſti cum hoc ſacramento, quam ponit Cyprianus, apud vos locum habeat. TRES. *Cyprianus eſt optimus interpres ſui.*

MAR. Quando non aliud adfers, Gelaſium producam, à quo idem aſſeritur, quò ad iſtam comparationem. Is contra Eutychen dicit: *Certè ſacramenta quæ ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti, diuina res eſt, propter quod, & per eadem diuinæ efficimur conſortes naturæ & tamen*

eſſe

esse non desinit substantia panis: & vini: & certè imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo domino sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, & sumimus, vt sicut in hanc scilicet diuinam transeunt sancto spiritu perficiente substantiam, permanent tamen in suæ proprietate naturæ, sic illud ipsum mysterium principale, cuius nobis efficientiam veritatemque veraciter repræsentant, ex his quibus constat propriè permanentibus vnum Christum, quia integrum veumque permanere demonstrant, TRES. *Liber ille non est receptus inter probata opera Gelasij. Preterea Gelasius erat pontifex Romanus: & miror te velle illum vnum sequi cum viginti pontifices expressissimè contra te faciant.* MAR. Responsio biceps, & librum non esse probatum, deinde, quòd à pontifice Romano editus. Quo ad primum, nulla ostenditur causa quare liber suspectus habeatur: præsertim cum aduersus Eutychen hominem hæreticum scribat. Et si velimus ita agere, vt dicendo librum aliquem suspectum esse, eludamus argumentum, tum possim omnes libros reijcere, quos aduersum me facere viderim. Secundo loco, Pontificatus Romanus non ita fuit eo tempore vitiatus & corruptus, neque peruenerat ad tyrannidem, vt postea collapsius est, quo possit officere authoritati Gelasij. Et ad hæc non illi defero, quia pontifex Rom. fuit, sed quia cum verbo Dei facit: quo nomine ipse vnus mihi pluris est faciendus, quàm viginti aut centum alij, si Dei sermonibus aduersentur.

Sed age, inducatur Augustinus, qui loquitur in eandem sententiam de eadem collatione, prout citatur de consec. distinct. 2. ex sententijs Prosperi. Cuius hæc sunt verba. *Scut Christi persona constat ex Deo & homine, cum ipse Christus verus sit Deus, & verus sit homo, quia omnis res illarū rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium ecclesiæ duobus, sacramento, & re sacramenti.* Hic vides eandē collationem inter Eucharistiam & Christum: vnde sequitur, vt sicut in Christo manent duæ naturæ integræ, ita substantia panis ab Eucharistia non est auferenda. TRES. *Augustinus in isto loco quem citasti, pro me maximè facit. Sic enim interpretor, eum velle in sacramento esse veram Christi carnem, sub speciebus panis opertam, quam vocat rem sacramenti: vult etiam accidentia, sub quibus corpus Christi operitur, signum esse carnis ita opertæ: insuper ait carnem Christi sic opertam, signum esse corporis Christi in cruce pendentis: & sic idem esse signum sui ipsius.* MAR. Nunc non contendimus de signo & signato, an idem sint, verùm de collatione inter Christum & Eucharistiam, & de duabus in vtroque naturis, quas vos non retinetis integras in sacramento, dum pro substantia substituitis accidentia. Affirmat enim quod omnis res earum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Nemo autem dubitauerit ex pane confici sacramentum. Quodque adijcis, corpus Christi (Augustini sententia) contineri sub accidentibus panis & vini, ita vt illorum symbolorum substantia extrudatur, ex eius verbis non habes. TRES. *Dico Augustinum docere his verbis, sacramentum confici ex corpore Christi & accidentibus: quæ accidentia sunt externū sacramentū.* MAR. Tu ais constare sacramentum ex accidentibus & corpore Christi. Ego verò vrgeo collationē inter ipsum Christū & Eucharistiam: nam illi correspondere debet sacramentum. Igitur vt in Christo neutra natura deperibat: ita in Eucharistia vtranque manere oportet. Alioquin hæretici semper dicent, naturam diuinam in Christo verè concedi, sed humani corporis non habuisse nisi speciem, & accidentia. TRES. *Si Eucharistia verè Christo respondeat, veluti contendis, sequitur, quod sicuti verus panis ibi esse astruitur, & verum quoque corpus Christi debeat constitui, quod maximè facit contra tuam secundam quæstionem. Vnde argumentum non valet, quia similitudo non valet: quia similitudo non currit quatuor pedibus.* MAR. Respondes quidē, contra me ista facere, eo quod non statuam verè corpus Christi in sacramento contineri: sed tamen nihil adhuc respondes ad collationem istorum patrum, nisi, vt video, eam negando. Ideo argumentum manet insolutum. Patres enim illam induxerunt maximè ad hoc, vt ostenderent vtrinque, tam in Christo, quàm in sacramento, duas manere naturas integras & perfectas. Quomodo autem à me ponatur verum corpus Christi in sacramento, postea explicabitur, cum ad secundam quęstionem ventum fuerit.

Ad collationem inductam ex patribus nunquā solidè responsum.

Nunc ex adductis testimonijs efficaciter cōclusimus, non esse abijciendum penem: pro qua sententia & Theodoretum habemus, qui contra Eutychen scripsit præclaros dialogos, in quorum primo sic ait: *Ea quæ videntur symbola, corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non equidem naturā ipsam transmutans, sed adijciens gratiam naturæ.* Et in secundo Dialogo, inducit hæreticum sic opponentem. Quemadmodum ergo corporis & sanguinis Dominici symbola, alia sanè sunt ante sacerdotis inuocationem, trāsmutantur autem post ipsam inuocationem, & alia fiunt: sic & corpus dominicum, post assumptionem, in diuinam est substantiam transmutatum. Respondet Orthodoxus: Captus es his quæ tendebas retibus, neque enim post sanctificationem mystica symbola illa, propria sua natura egrediuntur: manent siquidem in priore sua substantia & figura & specie: atque ita concludit contra Eutychen, Corpus Christi non fuisse mutatum in naturam diuinam, vt ille asserebat. Et ita vides pulchre inter se consentire istos Doctores, Cyprianum, Augustinum, Gelasium, Theodoretum, in sacramento non esse abiectam substantiam panis, propter conuenientiam quam habet cum Christo, in quo tam humanitas, quàm diuinitas integræ manent. TRES. *Redige argumentum in formam, & tunc aptabo responsionem.* MAR. Hæc est ratio Theodoreti: Quemadmodum panis manet in-

Theodoretus eādem affert collationem, & aperte negat trāssubstantiationem.

teger in ſacramento,& non egreditur ſuam naturam,ita in Chriſto mãſit eius corpus, & non fuit permutatum in naturam diuinam, vt hæreticus aſſerebat. TRES. *Adhuc faciunt iſta pro me,& concludunt ibi eſſe verò corpus Chriſti: quod in ſecunda quæſtione tu negas. Deinde iſte Theodoretus, quem citas, fuit Neſtorianus: quod ſatis conſtat ex hiſtoria Nicephori,& concilio Chalcedonenſi, actione octaua. Et teſtimonium hæretici viri in tanta re non meretur authoritatem.* MAR. Theodoretũ non fuiſſe Neſtorianum, nullus melius atque ipſe probare poteſt, qui cùm ſcriberet aduerſus omnes hæreticos, qui præceſſerant, Neſtorium non tacuit, imò peculiare caput contra illum ſcripſit, eumq; appellauit organũ diaboli aptiſsimum. Quòd verò aſſeris de Nicephoro & Synodo Chalcedonẽſi, hac de cauſa cõtigit. In Synodo Epheſina inciderũt grauiſsimæ offenſiones inter Cyrillum, qui concilio præſidebat, & Ioannem Antiochenum patriarcham, eò quòd Cyrillus cum ſuis proceſsiſſet ad damnationem ac depoſitionem Neſtorij, ſe non expectato, cum alijs epiſcopis: & ita vtrinque humanum paſsi, exercuerunt inimicitias inter ſe parum dignas Chriſtianis. Et eò res eſt progreſſa, vt ſeſe mutuò excommunicarint, ac depoſuerint. Sed poſteà reditum eſt in gratiam. Et hoc diſsidio durante ſcripſit Theodoretus, qui Ioanni fauebat contra anathematiſmos Cyrilli, vbi eum grauiter premit. Et ſi quis diligenter legat, vix poterit ex illo ſcripto deprehendere Theodoretum, vel hæreticũ, vel fauentẽ prauo dogmati Neſtorij. Aduerſarij tamen eius,& qui erãt partiũ Cyrilli, ſic eum infamarunt. Sed vti diximus, tãdẽ omnes inter ſe reconciliati ſunt. Et in iſta actione octaua Chalcedonenſis ſynodi, apparet manifeſtè Theodoretũ fuiſſe calumniam paſſum, & ibi liquet, quàm bonum teſtimonium habuerit à patribus concilij, à quibus reſtitutus eſt ſuæ ſedi, & publicè Neſtorium anathematizauit, cum quo oſtendit ſe nunquam feciſſe, quoad dogmata. De quo eodem Theodoreto nonnihil legitur apud Beſſarionem Cardinalem Nicenum, in concilio Florentino. Cùm itaque eius confeſsionem non repudiauerit, ſed agnouerit Synodus Chalcedonenſis, quare vos eius purgationem non admittitis? Et cùm iſta ſcribat contra Eutychen, poſt ſynodum Chalcedonẽſem, in qua eſt approbatus vt Orthodoxus, non debent facilè (vt vos facitis) negari. Plusq; concilio credendum eſt, Leoni ſanctiſsimo epiſcopo Romano, & multis epiſcopis, quàm vni monacho Nicephoro. TRES. *Non eſt æqua vel admittenda purgatio, qua ſe ipſum aliquis purgat. Laudet te alienus, inquit Solomon,& non os tuum. Certum eſt, Cyrillum contra eum ſcripſiſſe multa: deinde ſatis obſcurus eſt author,& eum præter te nemo habet. Vnde non eſt adferendus ad hoc tam graue negotium definiendum.* MAR. Imò, cùm de fide alicuius agitur, quiſque eſt ſuijpſius teſtis admodum idoneus: vt ſi quis accuſaretur Arrianę perfidiæ, non poſſet ſe melius purgare quàm ſi Arrium deteſtaretur, & contra eum ſcriberet. Quod ſi exiſtimas reijciendum eſſe Theodoretum eo nomine, quòd aduerſus Cyrillum contenderit, & Cyrillus contra eum ſcripſerit, eadem ratione abijcies Cyprianum, quia ſemel in negotio baptiſmi, non ſolùm à Stephano Rom. Epiſcopo diſſenſit, verùm etiam à reliquis doctoribus, qui ſanè ſentiebant. Debebis etiam refutare ſcripta Epiphanij, Chryſoſtomi, atque Theophili, qui vſque adeò inter ſe certarunt, & exarſerunt, vt Ioannes Chryſoſtomus deturbatus ſit, & eiectus è ſuo epiſcopatu. Quòd verò obijcis incognitum eſſe ſcriptorem, & quem præter me nemo habeat: librum ſcias Romæ impreſſum, & venalem proſtare. TRES. *Reſpondeo, Longum & tædioſum eſſet Romam ire pro vnoquolibet libro.*

Optima ratio qua ſe quiſpiam de hæreſi purgare poteſt.

Non eſt admittenda purgatio Theodoreti contra Cyrillum.

MART. Igitur ſi eum non vis habere, ſepoſito eo, produco tibi Originem qui à me ſtat. In decimoquinto Matth. ſcribens, ait: *Quòd ſi quicquid ingreditur in os, in ventrem abit, & in ſeceſſum abijcitur: & ille cibus qui ſanctificatur per verbum Dei & obſecrationem, iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit,& in ſeceſſum eijcitur: cæterum iuxta precationem, quæ illi acceſſit, pro portione fidei, fit vtilis, efficiens, vt perſpicax fiat animus, ſpectans ad id quod vtile eſt. Nec materia panis, ſed ſuper illum dictus ſermo, eſt qui prodeſt non indignè comedenti illum, & hæc quidem de typico ſymbolicoque corpore.* Tantum ille. TRES. *Origenis fides in hac re ſuſpecta eſt, habetur locus in fragmentis, quæ ab Eraſmo nuper adiecta ſunt. Et meminiſti vulgò iactari de Origene: Vbi benè, nemo melius: vbi malè nemo peius. Et ego vni Origeni ſuſpecto, oppono Chryſoſtomum authorem integerrimum: Num panem, inquit, vides? num vinum? num ſicut cæteri cibi in ſeceſſum vadit? Abſit, vt tale quippiam cogites.* MAR. Doleo ſanè tãtum virum, Origenem inquam, lapſum fuiſſe in graues errores. Verùm eius hæreſes colliguntur à Hieronymo, Epiphanio, & alijs illuſtribus patribus qui diligentiſsimè illum excuſſerunt, & eius errata palam traduxerunt, ne ſimpliciores inficerentur, & ab eis nunquam ſuper hac re taxatus eſt. TRES. *Argumentum ab authoritate negatiuum infirmum eſt, nec valet. Non ſcripſerunt illum erraſſe de Euchariſtia, igitur non errauit. Deinde iſte locus eſt ex fragmentis ab Eraſmo nuper interpretatis, quem fortè nominati à te authores, nunquam viderunt.* MAR. Eſt attamen veriſimile, & omnibus æquis æſtimatoribus maximè probabile, quòd cum non tacuerint alios eius errores, qui iuxta veſtram ſententiam non ſunt iſto grauiores, hunc non fuiſſent diſſimulaturi, quem vos tam grauem facitis. Quodque cauillaris ab Eraſmo adiecta iſta fragmenta, friuolum eſt, quia ille non ſibi finxit. Cumque omnes libri ſic inuenti ſint, ſcilicet à ſtudioſis in vetuſtis bibliothecis, omnes pari argumẽto cùm citantur, explodi poſſent.

Origenes habet materialia, & cherſtia in ſeceſſum ejici.

Non eſt cenſura Origenis quod eum erraſſe in Euchariſtia.

Sed audiamus Irenæum lib. 4. contra hæreſes: *Huius conditionis quæ eſt ſecundum vos, accipiés panem, ſuum corpus confitebatur. Et ſupra, Similiter calicem, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt.* Sed accidentia pendula,

Collatio mutationis noſtræ cũ mutatione panis.

pendula, sine subiecto, non sunt creaturæ secundum nos, imò ingentia miracula. Igitur Irenæus ea non cogitabat, quando materiam huius sacrameuti creaturam appellat secundum nos, id est, vsitatam. TRES. *Oportet coniungere caput cum cauda, vt scilicet Irenæus dicat: Christus accepit panem, & illum fecit corpus suum. Isque confitetur corpus Christi esse in Eucharistia, & ex pane fieri: dicit enim, Panem qui est à terra, non esse amplius panem communē sed fieri Eucharistiam.* MAR. Quòd appellauerit panem, qui est à terra, corpus suum, aut Eucharistiam dixerit fieri, nihil facit ad hoc, vt substantia panis extrudatur. TRES. *Esset profectò absurdissima propositio, si diceretur, Hic panis est corpus Christi.* MAR. Vt mentem Irenæi penitius intelligamus, ipse est audiendus eodem lib. 4. vbi ait: *Quemadmodum enim, qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti, sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habētia.* Hinc collige, sic mutari panem in Eucharistiam, siue corpus Christi, prout corpora nostra mutantur, & fiunt incorruptibilia. Sed in hac mutatione non abijcitur substantia nostrorum corporum. Ergo & substantia panis non abit, neque opus est vestra Transubstantiatione. TRES H. *Argumentum non est efficax, quoniam à simili. Et hunc ipsum textum afferunt doctissimi viri contra te. Nam panis (inquit Irenæus) percipiens inuocationem Dei, iam non est amplius communis panis, sed Eucharistia: ita & corpora nostra redduntur incorruptibilia. Hæc mutatio corporum non est naturalis, sed spiritualis: quia Cyprianus ait, Nostra verò & ipsius coniunctio, nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates: vtq; ait (demonstrando hanc mutationem spiritualem) Paulus: Transformamur spiritualiter in Christum, proficiendo à claritate in claritatem, de die in diem. Maximum discrimen est, inter mutationem corporis nostri, & Eucharistiæ. Non enim incorruptibiles sumus naturaliter, sed spirituali incorruptibilitate & transformatione, quæ fit gratia, fide, charitate, pietate, &c.* MAR. Non erat, quod laborares declarando, quomodo corpora nostra sint incorruptibilia, quandoquidem ego similitudinem vrgeo, & colligo ex sententia Irenæi, esse vtrobique similem mutationem: & infero substantiam panis non perire, sicuti nostra corpora in sua mutatione substantiam non abijciunt pristinam. TRES. *Respondeo mutationem nostrorum corporum in Christum, accipiendam esse, ob sanctas virtutes Christi in nobis residentes, per quas certi facti sumus, quòd corpora nostra futura sunt incorruptibilia. Et addo, argumentum hoc esse à simili, & ideo parum firmum.* MAR. Corpus nostrum non potest dici mutari in virtutes Christi: nam illæ non pertinent ad corpus. Deinde ratio mea est ab authoritate Irenæi. Ille similitudinem induxit. Vnde argumentum non est solutum. Præterea debes expedere, quòd hic dicitur, Eucharistiam cōstare ex duabus rebus, terrena & cœlesti: Vnde sequitur, panem manere, qui res terrena appellatur. TRES. *Constat ex duabus rebus hoc sacramentum: igitur duæ res in eo manēt. Nego argumentum. Conficitur quidem ex re terrena, non quòd sic maneat, sed quod sic fuerit antequam benediceretur, sed post consecrationem non amplius manent duæ res, sed vna. Exempli gratia. Nos constamus nutrimento, & tamen cibus per digestionem naturalem conuertitur in rem alitam, & non manet.* MART. Est valde absurdum quod tibi sumis, sacramentum constare ex duabus naturis, antequam benedicatur: quia tunc non est sacramentum, neque est corpus Christi ante benedictionem. Loquitur itaque Irenæus de Eucharistia, quæ iam est Eucharistia. Neque admitto aliquid constare ex his rebus quæ nō extent. Et ad tuum simile de alimento nostri corporis, cibum aio concoqui in stomacho, & partem eius per secessum & alia excrementa eijci, non nego: sed tamen substantia eius nisi in corpore maneret, atque retineretur, non aleremur. Sed hæc omnia parum ad rem pertinent: quia semper obijcio Irenęum, ponere talem mutationem panis in Eucharistiam, qualis est mutatio corporum nostrorum in incorruptibilem statum, ad quam obiectionem non adhuc respondisti. TRES. *Ad primum caput respondeo. Corpus mixtum ex elementis constare, & tamen elementa in mixtō non extare. Ad alterum caput aio, similitudinarium argumentum non valere.* MART. Item, respondes absurdda, cùm defendis aliquid constare ex his quæ non extant. Quodque de corpore producis, quod tu mixtum appellas, scito in eo sic extare elementa, vt ex eis constat. Nam si constet ex eis in actu, vt aiunt, ibi in actu extant: si constat ex eis in potentiā, vel in virtute, ita in eis extant. Quodque repetis argumentum similitudinarium non valere, testatus sum anteà, me nullā similitudinem hic vel adferre, vel confingere, tātùm quod scribit Irenęus inculco. TRES. *Iterum respondeo, Argumentū à simili non valere.* MART. An hoc est respondere argumento? Ego ipse non attuli rationem à simili: sed Irenæi similitudinem persequor. Tum posses iure similitudinem refutare, si ego illam protulissem. TRES. *Dico similitudines etiam, quas inuenimus alibi scriptas, et ipsi nō confinximus, parum valere in argumentis: quod ex scripturis sanctis declaro. Dominus dicebat: Pater, fac vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te. Iam non valet, si quis argumentaretur, Pater & filius vnum sunt substantia, ergo Christus & nos vnum substantia sumus.* MART. Respōnsionem tuam nullam esse attestatur Hilarius, qui de Trinitate libro octauo docet rectissimè quadrare, & firmum esse argumentum, quod tu deducis à similitudine desumpta ex scripturis. Tu argumētū existimas non valere, & ille dicit omnino concludere, & fatetur vi eius argumenti, nos esse eiusdem substantiæ, & naturaliter coniunctos cum Christo per eius humanitatē, cui nostra est cōsubstātialis, vt lo-

Collatio mutationis nostræ cū mutatione panis.

Sacramentū non constat duabus rebus ante benedictionem, quia tunc nō est sacramētū. Nisi aliqua pars cibi maneret in nobis nō aleremur.

Quomodo elementa sint in compositis corporibus.

Similitudines desumptæ ex sacris literis faciunt firmū argumentū, modò argumentemur à scopo similitudinis.

quitur Cyrillus. Vides itaque similitudinem quam deprompsisti è sacris literis, veram argumentationem conficere. TRES. *Miror te recurrere ad Hilarium: ille enim contra te facit. Et huius rei authorem habeo Bucerum, qui ait, nos coniungi cum Christo in sacra communione, non solùm voluntate, verùm etiã naturali participatione, prout Hilarius scribit.* MAR. Primùm non citaui Hilarium propter quæstionem de Eucharistia, sed vt commóstrarem valere argumentum deductum à similitudine deprompta ex sacris literis, quod tu negabas validum esse. Et nunc testaris Hilariũ ex sententia Buceri dicere, nos non solùm voluntate, verùm etiam naturali participatione Christo coniungi, quod tu arbitrabaris non verè concludi: illam verò participationem Christi nobiscum etiam naturalem, quam ponit Hilarius, non nego. Hîc verò agitur non de coniunctione CHRISTI nobiscum, sed cùm pane: Annotabisque eundè Hilarium, paulò antè constituere eandem coniunctionem nobiscum in Baptismo, videlicet naturalem, & nõ per voluntatem. Quare inde sequeretur Transubstãtiatio in baptismo, quam si ibi non datis, causa non est, cur hic à vobis vrgeatur. Verùm si mihi locum obieceris, quando aduersum me argumentaberis, videbis planè contra me nil facere. Nam hic disputamus (vt dixi) aduersus Transubstantiationem & realem coniunctionem Christi cum pane, non autem de vera coniunctione Christi nobiscum, quam ego non nego. De Bucero autem quid sentiat, quidue mecum faciat, aliâs dicam. Ad summam, Cum Christo habemus coniunctionem & quidem naturalem, quia ipse naturam nostram suscepit verè de virgine, deinde per fidem, caro nostra & natura magis conformatur ad immortalitatem naturæ Christi, & augetur indiès, dum sacramentis vtimur, ista autem coniunctio atque communicatio naturalis est, quã nos fatemur habere cum Christo. Sed hæc latius dicentur, cùm ad locum Hilarij peruenerimus.

In libro de recta fide ad Reginas.

Deducitur ad contradictionem.

Status quæstionis est non de coniunctione Christi nobiscum, verum cum pane.

Declaratur coniunctio quam habemus cum Christo.

Relicto itaque hoc argumento ex Irenæo, cui non est satisfactum, Gregorium tibi obijciam Pontificem Rom. qui ait in Regiſtro: *Sed tamen tam azymum quàm fermentatum dum sumimus, vnum corpus domini nostri seruatoris efficimur.* Azymum verò & fermentatum panem apertè indicat manere: sunt enim proprietates panis, quæ locum non habent, si eum subtrahas. TR. *Gregorius omnia conuertit in allegorias, & refert ad mores, monetq; vt nos azymi simus, atque synceri, vt Paulus dicebat, In azymis sinceritatis & veritatis. Et ita argumentum est inutile, cum deducatur ab alieno sensu, vt Augustinus testatur ad Vincentium Donatistam. Argumentum aliunde ductum quam à sensu literali, parum habet virium ad persuadendum quippiam efficaci deductione. Aut aliter potest respõderi, eum videlicet loqui de materia panis, quæ ante consecrationem, vel azyma vel fermentata fuit.* MART. Declaratur apertè Gregorium hoc loco nil egisse allegoricè: nam tunc vocabatur in dubium eratque controuersum, an deberet panis Eucharisticus haberi, vel fermentatus, vel azymus. Consultus Gregorius in Regiſtro, super hac re suam sententiam rescribit. TRES. *Melius iam intelligo, quàm antea: satis enim memini huius controuersiæ, & Græci errant vsque in hunc diem, retinentes fermentatum panem. Nihil tamen locus aduersum me continet. Nihil enim referre voluit Gregorius, vtrum panis azymus vel fermentatus sit, ex quo sacramentum fiat: & azymus panis vel fermentatus dicitur ex eo quod antea fuit.* MAR. In tua responsione miror, quod dicas, in hunc vsque diem Græcos errare, cum Gregorius ostendat, nihil referre, siue fermentatus panis siue azymus accipiatur. Et quod ais eum intelligere, quod dicit, ante consecrationem, verbis eius non consentit. Dicit enim, dum sumimus. Nec sacramentum sumitur ante consecrationem. TRES. *Postquam transubstantiatus est panis, de nominationem accipit ex ea re, de qua deducitur.*

Controuersia orta de pane azymo vel fermentato.

Cõtradicit sibi.

MAR. Semper cum, inducuntur similia, quæ panem agnoscunt in sacramento, vultis eludere illa per tropum desumptum à natura pristina. Ideo sic tecum modo disputare statui. Transubstantiatio nõ manifestatur, neque probatur ex sacris literis: igitur non est suscipienda. TRES. *Ex vi scripturæ quæ dicit, Hoc est corpus meum, coacta fuit ecclesia ponere Transubstantiationem: non enim potest fieri, vt ea propositio propriè vera sit, nisi ponatur hæc mutatio.* MART. Quid ita? noua certè nunc audio. Si stant accidentia cum corpore Christi cur non substantia? Quid magis peccauit substantia, quàm accidens, vt manere nequeat cum corpore Christi? Et potissimum cũ videatur esse bona pars contentionis, propter quantitatem, & dimensiones, quas tamen vos retinetis: non enim aboletur quantitas & moles panis. TRES. *Seruata Ideo non manet substantia, quia non sic placuit Christo sacramenti huius institutori: potuisset Christus efficere, vt panis maneret, sed iam propter ipsius verbum, panis stante potentia eius ordinaria, non potest.* MART. Cùm mihi non satis factum esset, petebam cur res sua non posset manere panis? non dicis, nisi de verbo Dei, & voluntate Christi. Ego autem non adhuc intelligo, quid obstét verba Christi: nec video vnde habeas hoc testimonium voluntatis Dei, qua nolit panem extare. TRES. *Quoniam impossibile est verbum Dei falsum esse. Itemque impossibile est, ex proprietate vocum, veritatem astruere verborum Domini, quibus dixit, Hoc est corpus meum, sine Transubstantiatione.* MAR. Possem nunc dicere de tropo illius propositionis, quo ostenderem veram esse, vt multæ aliæ consimiles veræ sunt, manentibus rebus vt antea erant. Sed hoc mitto, & pergo interrogatione iam facta: quare magis hic pereat substantia, quàm accidens? nec audio rationem, cur vnum istorum potius, quàm alterum subtrahatis. TRESHAM. *Iam me dixi, quod stantibus terminis, non potest verum esse, Hoc est corpus meum, nisi fiat Transubstantiatio: quia panis non est corpus Christi, nec accidens corpus Christi. Præterea sermo Dei non esset effectiuus & operatiuus, nisi interueniente Transubstantiatione.*

Si manent accidentia, cur non substantia.

Contentio.

Res sua non posset manere panis.

An vera propositio sit esse propositio, Hoc est corpus meum, esse transubstantiationem.

Et acci-

Et accidens manere liquidò constat. Ideo seruata proprietate sermonis, & non ponendo tropum in verbis, impossibile est propositionem veram esse, nisi statuatur Transubstantiatio.

MAR. In tua responsione, animaduerto corpus Christi non posse verè dici, vel de pane, vel de accidentibus, cùm tamen Epiphanius habeat in Anchorato: Verus est enim qui cum gratia, id quod est secundum imaginem hominis largitus est. Et quot sunt, quæ similia sunt? Videmus enim quòd accepit Seruator in manus suas, veluti Euangelium habet, quòd surrexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset, dixit, Hoc meum est, & hoc, & hoc, & videmus quod non æquale est, nec simile, non imaginiin carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc est enim rotundæ formæ, & insensibile, quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, Hoc meum est, & hoc & hoc: & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit ipsum verum esse, sicut dixit: is excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod est ipsius. Dominum verò nostrum nouimus, totum sensum, totum sensitiuum, totum Deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehensibilem, sed qui cum gratia hoc nobis quod largitur, est. Ex quibus verbis audis de eo quod est rotundæ figuræ, & insensibile secundum potentiam, Dominum per gratiam dixisse, Hoc est corpus meum. Nec vales effugere quin id quod est rotundum, vel substantia vel accidens sit illud, de quo Epiphanius inquit, Corpus Domini dictũ esse: nã corpus Christi vult de eo dici, quod est insensibile secundum potentiam: id autem minime conuenit corpori Christi, vt sensu careat, quemadmodum ex citata sententia disertè habes. TRESHAM *Oportet legere veteres patres cum venia, quemadmodum Erasmus inquit. Et hoc scribant notarij, me nec accidens dicere corpus Christi, nec panem. Præterea responderi aliter potest, quòd ille sit loquutus de hoc, an te finem prolationis verborum.* MAR. Cùm illud rotundum, de quo iste ait dictum esse corpus Christi, non velis esse panem, neque accidens: quid ergo per pronomen demonstratiuum, hoc, ostendebat? TRESHAM. *Illud nescio, sed hoc ostendebatur, quod ipse Christus innuebat. Rogandus est is, qui instituit. Quòd si panis demonstretur, ante consecrationem intelligatur. Patres vt dixi, legendi sunt cum venia.* MART. Quod ais legendos esse patres cum venia, libenter audio, & scio oportere eos quandoque dexterè interpretari. Cum autem vera dicunt, non est opus venia. Neque Epiphanium arbitror hoc loco ea opus habere: satis enim tuetur verbum Dei, & bene de eo loquitur. TRES. *Hilarius habet, quod intelligentia dictorum est ex causis assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus, quarto libro de Trinitate, vt recolo. Et ideo, vt iuxta rei conditionem & veritatem respondeam, dico Epiphanium dixisse, de eo quod est rotundæ figuræ voluit dominus dicere, Hoc est corpus meum, non quod verus panis rotundæ figuræ subsit, sed quia sic videtur & apparet nostro sensui. Et ideò dixi ipsum cum venia esse legendum, quod verba eius præse ferant panem manere, qui tamen non manet.*

MART. Quod affers ex Hilario, parùm te iuuat: non enim potest aliter intelligi Epiphanius quàm ego proposuerim: dicitur enim apertè Dominus per gratiã dixisse de eo quod est rotundæ figuræ, quod esset corpus suum. Siue ergo illud rotundum facias panem, siue accidens, omnino contra te loquitur: nã corpus suum de eo prædicat.

Verùm vt intelligas panem re vera adesse, ex verbis Euangelistæ hoc apertissimè demonstro. Christus accepit panem, benedixit, fregit & dedit Apostolis suis, dicens, &c. Illa quatuor verba, accipere, benedicere, frangere, & dare, non regunt nisi vnum accusatiuum, scilicet panem: igitur sicuti verus est panis dum accipitur & benedicitur, non minus verus erit dum frangitur & datur. Vnde sequitur, Christum dedisse panem, nec solum accidentia, aloquin dixisset Euangelista, Christum fregisse corpus, & dedisse corpus, sed omnia, vt audisti, refert ad panem. Nec Euangelistam puto opus habere venia. TRES. *Dico cũ diuo Petro, quod scriptura non est priuatæ interpretationis. Ecclesiastici patres satis clarè explicant pro mea assertione, Christum dedisse corpus præponendò verbum dedit, vsum fuisse tropo.* MAR. Nondum mihi satisfacis. Nam quod Petrus ait, Scripturam non esse priuatæ interpretationis, id est, non debere pro nostris priuatis affectibus exponi, admitto: Sed nihil promoues. Et quod asseris de patribus, eos testatus sum & ostendi à me stare. Vnde repeto, Accepit, Christus panem, benedixit panem, fregit, & dedit panem. Sic patres veteres, sic scripturæ loquuntur: Tu recurris ad tropos, & videris dicere spiritu vtendum esse. Ego verò, vbi quæram spiritum non video, nisi in sacris literis, quæ vtrunque asserunt, dari panem inquam, & corpus: quod ego quoque fateor: sed tu respuendo panem, illis minimè consentis. TRESHAM. *Scripturæ eo spiritu exponendæ sunt, quo sunt conditæ. Et spiritus sanctus docuit sanctos patres, quod statim cum proferuntur verba consecrationis, desinit esse substantia panis & vini: id quod volunt omnes doctores catholici Et ego non solum patres habeo, sed Christum ipsum, qui promisit Sexto Iohannis daturum se nobis carnem suam. Fidelis est, & eius veritas non pendet à patribus, verùm ab ipso. Panis inquit, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Quare ego fateor, quod est panis, panis, panis panis, panis vsque ad pronuntiationem finalem verborum. Postea non est panis, sed caro.*

MAR. Verba scripturæ vtrunque dicunt, & panem dari, & carnem. Cur non etiã fateris panem, vt Euangelistæ apertè scripserunt? Nam quod patres asseris à te stare, iam multis eorum testimonijs ostendi non esse verum. Et scripturas eodem spiritu exponendas quo sunt conditæ, admitto. Sed quando secus expo

Ex Euangelistarum verbis ducitur argumentum.

Quomodo intelligatur scriptura non esse priuatæ interpretationis.

Vtrunque datur, & panis & corpus, sed panis ori, corpus animo & fidei.

nuntur à vobis quàm habeant, ea expositio non proficiscitur à spiritu quo sunt conditæ: nam is ab eis non dissonat. TRES. *Dico vtrunque: sed non sicut tu intelligo scripturas. Etenim propter intelligentiam scripturarum, omnis semper exorta est controuersia. Nam Arius per scripturas nitebatur Christi diuinitatem tollere: Nestorius verò & Eutyches per scripturas eius humanitatem auferre conabantur. Manes, per scripturas liberum arbitrium exterminabat. Pelagius per scripturas liberum arbitrium supra modum extollebat. Lutherus per scripturas veritatem corporis Christi in Eucharistia asseruit: At contra Zuinglius per scripturas realem præsentiam corporis Christi ab Eucharistia visus est sibi tollere. Denique hæretici omnes, & diabolus semper dixerunt. Scriptum est, & errarunt. Vnde patet refugiendum esse ad spiritum illum, quo scripturæ produntur. Quemadmodum ait Petrus Apostolus: Scripturam non esse priuatæ interpretationis. Ille autem spiritus promissus est ecclesiæ.* MAR. Habent fortasse scripturas hæretici, sed non bene habent: speciem sequuntur, at non solidũ sensum. Quam verò ecclesiam sequendam tu mihi narres, non intelligo. Hoc certò scio, scripturas, Euangelistas, Paulum, & sanctos patres, quos adduxi, testari panem hic esse. Et sancta scriptura id loquitur apertissimè. Atq; extra hęc quę commemoraui, nulla est ecclesia, neque vllus spiritus bonus contra ista facit. TRES. *Hæc verba Christi: Hoc facite in meam commemorationem, sunt verba præcipientia: & iubent nos facere quod Christus fecit. Is dedit corpus suũ, qui corpus suum esse dixit, & quod Christus sponsus ecclesiæ fecit, hoc ecclesia eius iussu per scripturas facit.*

De Nestorij errore.

A scripturis cognoscitur ecclesia, & spiritus.

MART. De his verbis Domini, quæ tu commemoras, Chrysostomus in epistolam ad Corinthios priorem scripsit, II. cap. Hom. 27. *Christus enim, in pane & in calice, in meam commemorationẽ facite hoc, dixit.* Ecce hîc audis etiam post consecrationem, panem dici. Et Cyrillus in Iohannem lib. 4. cap. 14. *Dedit illis fragmenta panis.* TRES. *Patres appellant panem ex termino à quo, id est, propter denominationem prioris.* MAR. Tu tergiuersaris, & heres in termino à quo: tropum prohibes, & semper tropo te defendis. TRES. *Ego habeo multos locos Chrysostomi pro me, atque oppono Chrysostomum Chrysostomo, & doctores cum obscurè loquuntur, sunt interpretandi per loca clariora. Chrysostomus autem in sermone de proditione Iudæ, fatetur mutari panem.* MAR. Nũc vices meæ non sunt respondendi. Ad id quod obijcis ex Chrysostomo respondebo quando mihi oppones. Sed tamen interim ne videar nimis durus, cum Chrysostomo sentio, Panem mutari, sed in sacramentum, subtiam verò panis abijci, nego: neque tu hoc vnquam docebis ex Chrysostomo. Quin & Cyrillus habet, Etiam in pane corpus eius pretiosum sumimus, & in vino sanguinem. TRES. *Sumimus in pane & vino, hoc est in speciebus panis & vini.* MAR. Quid tu appellas species panis & vini TRES. *Accidentarias formas panis & vini.* MAR. Certè à patribus non habes hanc significationem: nam illi per speciem intellexerunt naturas ipsas rerum, non accidentia. Ambrosius in lib. eorum qui initiantur mysterijs, cap. vltimo. *Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum?* De sacramentali mutatione agit: vnde si species intelligeret accidentia: sequeretur accidentia mutari in Eucharistia: quod sensus reclamat. Et in eodẽ cap. idem: Ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur: post consecrationem Corpus Christi significatur. Et Augustinus in Ioan. tract. 26. *Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen idem significaret.* Atque ibi agit de discrimine sacramentorum veteris & nouæ legis. Et idem ferè habetur ab Augst. de catechizandis rudibus lib. 1. cap. 16. TRES. *Patres quandoque speciem appellant substantiam, quandoque accidens: est enim vox ambigua. Et quod scripturæ vocant panem, & patres panem item appellant, nos species dicimus.*

Nusquam apud patres est mẽtio huius

Hic visum est dominis Visitatoribus, vt ageretur in secunda quæstione.

MARTYR.

NEgamus corpus & sanguinem Christi esse in pane & vino carnaliter & corporaliter, vel substantialiter, & realiter, vt ipsi dicitis, aut sub speciebus panis & vini. Atq; hoc ex scripturis docebo. Marci vltimo: *Dominus Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Math. 26. *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Ioan. 6. *Relinquo mundum, & vado ad patrem. Multi dicent in tempore illo, Ecce Christus hic, aut illic, nolite credere.* Act. 3. *Quem oportet cœlos suscipere, vsque ad tẽpus restitutionis omnium.* Et ad Colos. 3. *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedes.* Cũ itaq; ex his pateat Christũ hinc assumptum esse, degere in cœlis, nec cõueniat naturæ veri humani corporis simul esse in multis locis, sequitur corpus Christi nõ esse realiter in pane aut vino. TRES. *Nego humanum corpori nõ posse cõuenire, vt sit in diuersis locis simul: quia contrarium docent sanctæ scripturæ, nimirum, Christum post ascensionem, etiam iuxta humanitatem, fuisse cum Apostolis. In epist. priore ad Cor. cap. 9. Paulus inquit: Nonne Dominũ vidi? et 15. eiusdẽ epist. Nouissimè aũt, tãquã abortiuo visus est & mihi. Et in act. 9. Saule, Saule, quid me persequeris? Et iterũ: Ego sum Iesus, quẽ tu persequeris. Et post pauca Ananias dixit, Saule frater, Dominus misit me, Iesus qui apparuit tibi in via. Et Barnabas postea dixit Apostolis de Saulo, quomodo is in via vidisset Dominum*

Dominum, & quia locutus est ei. Pro quo tempore oportet nos credere, quòd Christus ad patris dextram in cælo fuerit, quia fidei articulus est: Et tamen tunc forma visibili erat in terris. Quare nihil concluditur, & bene potest corpus Christi esse in sacramento sub forma inuisibili, cùm in terris quandoque fuerit (vt probauimus) in forma visibili. Quare tuæ rationes non concludunt.

Christus quando apparuit Paulo erat in cælo.

MAR. Responsio non satisfacit. Quid enim tu nosti Christum non aparuisse Paulo in cœlis manentem? quemadmodum Stephano visus est sedens à dextris Dei. Imò Augustinus super psal. 54. ait, Caput quod erat in cœlo, clamasse pro corpore quod erat in terra, atque dixisse Saule Saule quid me persequeris? Præterea, Paulus nónne raptus est in tertium cœlum, quando potuit ipsum Christum videre? quod ad Corinth. testatur. Nam ibi tantum dicit se Christũ vidisse: de loco autem, vel tempore nihil dicit: In via quidem Paulo existenti apparuit, & illi dum esset in via, est locutus. Sed hoc (vt dixi) facere potuit manens in cœlo, & inde vocem formare, quæ audiretur in terris. Deinde fac in terris dominum se Paulo exhibuisse videndum: pro illo eodem tempore non ostendes eum fuisse in cœlo. Articulo fidei credimus, quòd sit assumptus in cœlum, & sedeat ad dextram patris: sed quod inde se non possit quandoque transferre & apparere quibus voluerit, hoc non tenemur credere: satis est fateri, quod in cœlis habeat propriam mansionem. TRES. *Quod Augustinus dicat super Psalmo, Christum fuisse in cœlis, quando clamabat, Saule Saule, quid me persequeris? meæ sententiæ fauet. Nam significat eum simul & in cœlo, & in terra fuisse. Aut respondebo, Cœlum ab eo accipi pro aere, vbi forte erat Christus, cum clamaret, Saule, Saule, quid me persequeris? Et aerem appellari cœlum, scriptura testatur, cum dicit: Volucres cœli.* MAR. Quod ais Christum vtrobique fuisse, in cœlo & in terra, Augustini sententia, ex illo non habes, imò potius alibi declarat se aliter sentire. Et Christum ponere pẽdẽtem in aere absurdum est. Et videris eum volucrem facere. TRES. *Non facio Christum volucrem: alioquin volucer fuisset, cum penderet in cruce.* MAR. Imò tunc ligno affixus erat. Sed mitamus ludicra.

Si volumus videre quid Augustinus sentiat hac de re, spectemꝰ epist. ad Dardanũ, vbi scribit de corpore Christi glorificato, quod est in aliquo certo loco, propter veri corporis modũ. Quæstio ei proponebatur: Quomodo latro cũ Christo fuerit in paradiso ea die qua mortuꝰ est, vt promiserat futurũ: Et respõdet, Quòd si pro paradiso accipiamus cœlũ hoc non est factũ, quo ad humanitatem: quia corpus in sepulchro fuit, & anima apud inferos. Vnde hoc statuit accipiendũ, quod ad diuinitatẽ. Inde colligo in hanc formã: Si animæ Christi nõ ausus est Augustinus dare vt simul in inferno, & in cœlo esset, multò minus id eius corpori concedetur. TRES. *Dico cum Augustino: Distribuite tempora, & concordat scriptura. Tres erant errores, quos impugnat eo loco Augustinus. Vnus est eorum, qui verbum, id est, deitatem loco animæ Christi ponebant. Alter ponebat verbum pro mente animæ Christi. Tertius erat illorum, qui corpus Christi ponebant esse vbique diffusum. Agit itaque Augustinus de corpore Christi eo loco, quatenus habet formam visibilem, & eo modo tantum dicit esse in cœlo, nisi aliter quandoque miraculosè obueniat. Verùm in sacramento est secundum formam inuisibilem, secundum quam simul esse in diuersis locis credidit Augustinus. Nam facit mentionem nostri sacrificij in illa eadem epist. Nec dubitandum est Christum se offerre visibilem & rursus inuisibilẽ, pro vt voluerit: Vt Luc. 4. cum se subduceret è turba, ac per medium illorum iret: atque in monte Thabor ostendit corpus suũ glorificatum. Ad Augustinus ergo respondeo, quòd multò magis nunc istiusmodi opera facit pro suo libito.* MAR. Multa congessisti, sed ex his omnibus non potest elici Augustinum velle corpus Christi simul esse in pluribus locis. Et si meminit sacrificij nostri, est id alia de causa, neque ad hunc articulum pertinet vt patet legentibus. Imò ibi sacrificium nostrũ refert ad vnitatem corporis mystici, neque vllam mentionem facit carnis aut sanguinis ipsius Christi. Neque assumit errores de anima, vel mente Christi confutãdos: imò supponit Dardanum non esse illis implicatum. Et patet, quã contra vos ibi scribat, cùm accidentia nolit esse si desit subiectum, neque corpora, si eis locum auferas. Et certè si vobiscum faceret, cum ista scribebat, debuit Eucharistiam excipere. Huc accedit, quòd si daremus corpus aliquod posse eodem tempore in pluribus locis esse, concedendum esset & in omnibus posse esse: quod & Scotus vidit. Cæterùm, vt iam asserui, adhuc stat ex Augustini sentẽtia propter verũ corporis modum requirere corpus Christi certum locum. TRES. *Potest attamen, si Deus velit, esse in multis locis, imò in quotquot ipse voluerit: neque derogandum est diuinæ potentiæ in eo quod non claudit contradictionem ex terminis.* MAR. Nihil diuinę potentiæ à me subducitur, quamuis ita dixerim, & de potentia Dei loquor cum omni modestia. Sed multa sunt quæ ideo non possunt fieri, eò quòd rerum natura non patitur, vt quæ repugnant, & veluti à vobis dicitur, contradictionem implicant, nec id attribuẽdum est infirmitati Dei. Tu verò hic nõ esse repugnantiam ex terminis (vt loqueris) minimè ostẽdisti: id tantùm dicis. TRES. *Nulla est hic difficultas ex parte rei. Nam Paulus distinguit inter corpus animale & spirituale. Corpus etiam Christi est spirituale. Et hinc tollitur omnis difficultas ex parte rei. Neque tantum corpus Christi spirituale est, verum & nostra corpora sic erunt post resurrectionem.* MAR. Scio corpus Christi esse spirituale. Sed Augustinus in Epist. ad Consentiunt: *Intelligitur corpus animale dici simile cæteris animantibus, propter mortis dissolutionem & corruptionem. spirituale autem corpus, quod iam cum spiritu immortale est.* Et mox: *Proinde sicut animale corpus, nõ est anima sed corpus: ita & spirituale corpus, non spiritum debemus putare, sed corpus.* Et de Ciuitate Dei lib. decimotertio cap. vigesimo, *Sed quia spiritu summa & mirabili obtemperandi facilitate subdetur, vsque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem.* Et mox, *Sicuti spiritus carni seruiens, nõ incongruè dicitur carnalis: ita caro spiritui seruiens*

Si corpus Christi posset simul et eodem tempore in multis locis esse, posset vbique esse.

Corpus animale & spirituale.

Augustinus ad Dardanum.

Argumentum ex Augustino ad Dardanum.

dicitur Spiritualis, non quod in spiritum conuertatur. Audis quę dicantur de corpore spirituali: inter quæ non habetur, quod simul sit in diuersis locis: quia hoc esset dicere corpus non esse corpus. Tantum enim naturæ corporis repugnat simul esse in diuersis locis, quantum non esse corpus. TRES. *Nego assumptum, tantum repugnare naturæ corporis, versari simul in pluribus locis, quantum non esse corpus: nam hoc postremum claudit contradictionem ex terminis, non illud quod præcedit. Et expeditius id fieri poterit in corpore habente in se dotes corporis glorioſi.* MAR. Infra probabo, corpori Christi cum finitum, circumscriptumque sit & creatura, repugnare, vt sit in multis locis simul. Quod verò ad gloriam quam nunc habet, dico me gloriæ dotes non excludere. Sed persequor argumentum institutum, quod Augustinus non voluerit animam Christi simul esse in inferno, & in cœlo cum latrone: multò ergo minus hoc dabitur corpori, quod animæ non trbuitur. Neque in ea tractatione excludit Augustinus Eucharistiam. TRES. *Imò verò exclusit.* MAR. Meminit Augustinus infra Eucharistiæ, sed longè aliud agens, non vt excludat à definita veritate. Agebat enim de spiritu sancto, quomodo vnus existens sua dona distribuat absque sui diuisione, & corpus mysticum ecclesiæ adornet suis charismatis, quod mysticum corpus Christi ait in nostro sacrificio demonstrari. TRES. *Quid si Augustinus neget animam Christi esse posse in diuersis locis, ergo non potest esse? Num dictum Augustini derogabit potentiæ Dei, quo minus id pro libito faciat? non derogabit.* MAR. Satis est in præsentia vidisse Augustini sensum quod Christus, quo ad humanitatem, & propter veri corporis modum, in cœlo est, quo verò ad diuinitatem, vbique. TRES. *Cum Augustinus dicit. Christus per id quod est homo, in cœlo est intelligit id verum esse secundum formam visibilem: ista enim seipsum ibi exponit, dicens: Sic venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est (vt eius vtar verbis) in eadem carnis forma. Secundum hanc,* inquit, *formam, non est putandus vbique diffusus. Postea Augustinus ibi meminit nostri sacrificij, in quo dicitur: Gratias agimus. Et eo tempore nemo ambigebat de veritate sacramenti.* MAR. Ex Augustino ibi nunquá habes corpus Christi inuisibili forma posse esse in multis locis. Hæc tu fingis. Et iam ostendi in quem finem ibi meminerit Eucharistiæ. Deinde nõ agimus hic de veritate sacramenti, quam omnes fatemur, sed contenditur de modo quo Christus ibi sit. Ostendam verò certissimè solius esse Dei, in multis locis & vbique esse, nec dandum creaturis. Nam hac ratione probat Didymus libro primo de spiritu sancto, diuinitatem spiritus sancti: quia potuit simul esse in pluribus locis: quod non est vllius creaturæ. Et hanc eandem rationem fecit Basilius in suo libro de spiritu sancto, capite vigesimo secundo. Vnde si firma sit istorum demonstratio, concluderetur humanam naturam in Christo esse diuinam naturam, cùm ponatur à vobis esse simul in multis locis, & sic omnia confunderentur. Sed audiamus iam eorum verba.

In quem finem Augustinus ad Dardanum meminit eucharistiæ.

Solius Dei est simul esse in multis locis, & creaturis non communicatur.

Didymus ita habet: Ipse Spiritus sanctus, si vnus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut vniuersa quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ: tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus, cùm in pluribus locis sit, non habet substantiam circumscriptam. Mittens quippe Iesus prædicatores doctrinæ suæ, replenit eos spiritu, & insufflans in faciem eorum, *Accipite* (inquit) *Spiritum sanctum, & euntes docete omnes gentes.* Non quasi omnes cunctis gentibus mitteret. Neque enim omnes apostoli ad omnes gentes pariter sunt profecti, sed quidam in Asiam, quidam in Scythiam, & alij in alias dispersi nationes, secundum dispensationem illius, quem habebant, spiritus sancti. Quomodo & Dominum dicentem audiuimus: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* His & aliud congruit, *Accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem, in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad extremum terræ.* Si ergo hi in extremis finibus terræ, ob testimonium Domini constituti, distabant inter se longissimis spacijs, aderat autem eis inhabitator spiritus sanctus, incircumscriptam habens substantiam, demonstratur Angelica virtus ab hoc prorsus aliena. Angelus quippe qui aderat, verbi gratia, Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse alijs, in cæteris partibus mundi constitutis. Spiritus autem sanctus, non solum seiunctis à se hominibus præsto est, sed in singulis quibusque angelis, principatibus, thronis, dominationibus inhabitator adsistit, & vt homines sanctificãs, alterius quàm sunt homines, est naturæ. Basilius de spiritu sancto, cap. 22. Proinde de spiritu, quem mundus capere non potest, sed à solis sanctis, per cordis puritatem videri potest, quid aliud iudicandũ est, quàm omnis generis honores illi competere? Reliquæ virtutes omnes in loco circumscriptæ esse creduntur. Nam angelus qui astabat Cornelio, non erat in eodem loco, quo cum astaret Philippo, neque qui loquutus est Zachariæ ab altari, per idem temporis etiam in cœlo suam implebat stationem. At spiritus simul & in Abacuc operatus, & in Daniele in Babylone creditus, & in cataracta fuit cum Hieremia, & cum Ezechiele in Chobar. *Spiritus enim domini repleuit orbem terrarum*: & *Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam?* Et Propheta. *Quoniam* inquit, *vobiscũ dicit dominus, et spiritus meus stat in medio vestri.* Eũ verò qui vbiq; est, qui Deo præsens est, cuius esse naturę credi oportet? Vtrũ omnia cõplectentis, an particularibus arctatæ locis? qualẽ esse naturã angelorũ Dei filij demõstrauit. Verùm hoc nequaquá dicturi es. Hic mihi videas istos sanctissimos atque doctissimos viros, statuere omnẽ creaturã, Angelos etiã circũscriptæ esse naturę, & nõ posse pariter in diuersis locis esse. Et ita probãt diuinitatẽ spiritus sancti, eo quòd simul in diuersissimis locis inueniatur. TRES. *Contrahatur in formam,*

Creatura beat. circumscripta.

Angeli non possunt esse in multis locis.

MART.

MAR. Quicquid in multis locis est simul, est Deus. Corpus Christi non est Deus, sed creatura. Ergo, Corpus Christi non est simul in multis locis. TRES. *Ego non asserui corpus Christi esse vbique, quamuis in pluribus locis simul esse possit. Et licet corpus Christi assumptum, non sit Deus, Christus tamen Deus est. Quod autem ad Basilium & Didymũ & Augustinum attinet, ipsi de eo tantum loquuntur, quod suapte natura vbique aut multis est in locis, & id probant esse Deum: non tamen vsquam potentiæ diuinæ derogant, quin aliud à Deo per eius potentiam, in varijs locis simul esse possit.* MART. Quando ponitur posse simul esse in multis locis, pari ratione potest poni vbique esse. Et quod ais istos patres loqui de eo quod suapte natura potest esse in multis locis, & illud ponere Deum esse, non tamen negare, quin per diuinam potentiam aliquid creatum possit esse in multis locis, non est verum. Imò hoc illorum euertit demonstrationem de spiritu sancto. Nam dicet hæreticus, Si spiritus sanctus fuit in multis locis, hoc fuit per potentiam Dei, non suapte natura, quare ista ratione non conuinceretur nõ esse res creata. Ideò ad hoc vt concludãt, oportet illos simpliciter intelligere, quod quicquid est in plurib. locis simul, Deus est. TRES. *Christus est Deus, id nobis satis est.* MART. Cauendum tamen (ait Augustinus) ne ita diuinitatẽ Christo adstruamus, vt humanitas eius destruatur. TRES. *Dico quod Christi humanitas non destruitur, loco illi pluri ficato: nam cùm ipse sit omnipotens, potest simul esse, etiam secundum corpus, in multis locis, & vbi velit.* MART. Quæstio est non vtrum Christus sit omnipotens, aut Deus: ambo enim hæc fatemur, sed an corpus eius possit esse simul in multis locis. Isti hoc negãt de vlla creatura dici posse: tu verò affirmas de corpore Christi: quod tamen est creatura. Quæro igitur ex te, an corpus Christi sit circumscriptum. TRES. *Est in summa, vbicunque vult, & potest esse in pluribus locis.*

MAR. Audi saltem Cyrillum in dialogis de Trinitat. lib. 2. pag. 245. Si verè sectionem & partitionem diuina natura (vt illi dicunt) reciperet, intelligeretur & corpus: si autem hoc, & in loco omnino, & in magnitudine, & in quantitate: Et si quanta esset, non effugeret circumscriptionem. Vide ergo quàm frustra cunctaris dare mihi corpus Christi circumscriptum esse, cum Cyrillus apertè dicat etiam diuinitatem fore circumscriptam, si quanta esset. Vndè inuictum est hoc argumentum: Quicquid est circumscriptum, non potest simul esse in multis locis. Hanc propositionem voluerunt patres modò citati. Addas minorem: Corpus Christi est circumscriptum: cum enim quantum sit, non potest effugere circumscriptionem, quod modo testatus est Cyrillus. Igitur non potest esse simul in multis locis. TRES. *Maior intelligitur de corporibus crassis, nõ de glorificatis. Quo modo potest claudi aliquo loco illud corpus, quod clauso tumulo surrexit, & clausis ianuis intrauit?* MAR. Id ego iamdudum ex Cyrillo doceo, quod si vel ipsa diuinitas esset quanta, esset circumscripta. Cum ergo non excludat Deum, multò minus eximet corpora glorioſa: cum nihil sit glorioſius Deo. Neque est quod modo egressum tumulo clauso, aut ingressum clausis ianuis mihi obijcias. Patebit locus dicendi ad ista, cum vices dabuntur, & mihi respondendi, & tibi obijciendi. TRES. *Cyrillus loquitur de quanto habente modum quantitatis, & ad eum modum non astringit corpora glorioſa. Deinde nos fatemur accidens posse esse simul in multis locis. Exempli gratia, Sanitas vna & eadem est in omnibus partibus corporis, & negabimus hoc corpori Christi?* MAR. Non potuit Cyrillus expressius dicere, & diligentius omnia suffugia obstruere: quando nec ipsam diuinitatem exclusit, sed scripsit ipsam diuinitatem quoque si quanta esset, & locum oportere eam habere, & circumscriptam esse. Quod verò mihi respondes de accidẽte, id est de sanitate, non est æqua ratio vtrinque: quia sanitas est qualitas, nõ corpus, nec locum occupat, & est vna & eadẽ pro vt corpus animantis in quo est, dicitur vnum. Sed sanitas vnius & eiusdem animantis, non est eadem in alio animante: nam qualitates pro locis habent sua subiecta, & illis impossibile est simul esse in diuersis subiectis numero, sed omnes partes animantis sunt idem subiecto, & vnum per colligationem membrorũ. TRES. *Ratio Didymi procedit de eo quod est suapte natura in multis locis, & non alter. Et consentiunt omnes doctores Christum natum clauso matris vtero, & quod surrexit clauso tumulo, & intrauit ad discipulos ianuis clausis. Et Hugo de sancto Victore dicit, Angelos non circumscribi loco. Vnde etsi Christi corpus propriè sit in cœlo, attamen quia est spirituale, non repugnat potentiæ diuinæ, quin possit esse in pluribus locis.* MAR. An patres intelligant suas rationes, de eo quod est suapte natura in multis locis, iam respondi: de vtero autem virginis, tumulo & ianuis clausis obijcies, & ego respondebo suo loco. Hugonem verò de sancto Victore, & alios, cum dicũt Angelos nõ circumscribi loco, intelligẽdos esse dico de locali ambitu, quo corpora, quæ sunt apud nos circumstante aere, vel aliquo alio continenti ambiuntur. Non autem possunt accipi hæc, vt intelligantur Angeli vel vlla creatura, non habere substantiam definitam, ita vt cum alicubi sint, alibi esse non possint. Redeo itaque ad argumentum: firma est consequutio hoc est simul in multis locis: ergo est diuinitas. TRES. *Respondeo: Christus est Deus, & nunc inter nos est sermo de corpore, quod habet coniunctam diuinitatem.* MAR. Te interrogo. Est ne corpus Christi res creata? TRES. *Fateor esse, sed Christus non est creatura.* MAR. Ego verò Christum vtrunque aio esse, & creatorem & creaturam: quo ad diuinitatem, creator est, quod ad humanitatem creatura: et si cratura, vt isti patres asserunt, non potest esse simul in diuersis locis. TRES. *Quod semel Christus assumpsit, nunquã dimisit: ideo propter diuinitatẽ corpori eius inseparabiliter annexã, potest Christi corpus esse in pluribus locis.* MAR. Christum & nos minimè diuidimus: integram tamen volumus vtranq; naturã. Cumq; diuinitas nõ efficiat, quin corpus Chri-

Accidens non potest esse simul in duobus subiectis.

Quomodo Angeli dicantur non circumscribi loco.

Christus est creator & creatura propter diuersas naturas.

Christus non diuidendus sed tamen naturæ discernendæ.

sti sit creatura, & iam habuisti ex Basilio & Didymo, non posse virtutes creatas simul esse in plurib⁹ locis: ipse vides quid sequitur. TRES. *Illi disputabant de natura rei, non de absoluta Dei potẽtia. Nec est sequẽda ratio aut sensus in rebus fidei: alioquin multa sequerentur absurda.* MAR. Nescio quomodo potuerint apertius loqui de potentia Dei, quando Cyrillus nec ipsam diuinitatẽ excludit, cum ait: Si quanta esset, non effugeret circumscriptionem. Agnosco autem quod dicis A in rebus fidei non sequendam esse rationem, neque sensum. At non est articulus fidei, Christi corpus esse in multis locis, cum hoc nusquam doceat scriptura: imò secus habetur ex ea, Christum videlicet esse verum hominem, & verum habuisse corpus, cui maximè conuenit, vt sit circumscriptum, & certo aliquo loco ambiatur: & quoad corpus, credimus ascendisse in cœlum, reliquisse mundum, & sedere ad dextram Patris.

Disputatio alterius diei, qui fuit 29. Maii, inter D. Petrum Martyrem, & D. Guilielmum Cheadzeum.

MARTYR.

NON censeo eximij viri, atque ornatißimi Legati Regij, vtendum esse in præsentia vlla præfatione. Nam quæ visa sunt ad propositum negotium accommodata, heri diximus. Vestraque prouidentia & authoritate perfectum est, vt omnia tranquilla atque pacata fuerint, quod nec minus hodie futurum expecto. Nũc itaque quod ad rem attinet, egregie atque eruditißime Doctor, hesterna die cũ adfueris potuisti satis intelligere, quæ sint propositæ quæstiones, & meæ sententiæ nonnullas rationes percipere. Vt itaque in instituto pergamus. Rogo te, vt dicas, quidnam sentias de Quæstionibus: nec vereor, quin abs te iusta moderatione omnia dicenda sint. Cæterùm antequam respondeas, permittes, vt pro more meo, diuini numinis auxilium implorẽ.

PRECES.

COEpim⁹ heri tuis auspicijs, Deus Optime, Maxime, disputationes exequi. Et cum in eo quoque negotio sit hodie pergendum, te denuò, qui fons es luminis, integerrima veritas, et candidißima sapientia, inuocamus quo sic verba dirigas, ne labamur in absurda, sed potius quæ tractanda sunt, & reddantur planiora, & illustrentur ad laudem & gloriam tui nominis, per Christum Dominum nostrum.

Præfatio Guilielmi Cheadzei.

MAgna res est & mysterijs plena, insignißime Doctor, quæ & heri tractabatur, & tractatur hodie. Magna, quia de corpore, quo satiamur & viuimus in æternum, & de Sãguine quo potamur, & qui redemit plebem, disputatur. Mysterijs plena, quia nisi credideritis, non intelligetis. Verba mea Spiritus & vita sunt. Spiritus est qui viuificat, Caro non prodest quicquam. Audiunt Capernaitæ, & dicũt: Durus est hic sermo, & quis potest eum sustinere? Audiunt Christiani & incunctanter cum Petro clamant: Verba vitæ æternæ habes. Nos credimus & cognouimus, quòd tu es via veritas & vita. Nos credimus promisisse te Spiritum sanctum, non post vnum aut alterum millenarium venturum, sed non post multos hos, de quibus loquutus es, dies. Agnouimus huius sancti tui spiritus functionem. Ducet nos in omnem veritatẽ, docebit nos omnia quæcunque dixisti nobis. Cum tu ergo sis verax, imò ipsa veritas, cum non poterint esse irrita quæ procedunt de labijs tuis: quantum ad præsentiam corporis tui in sacratißimo Eucharistiæ sacramento, firmiter credo ex ore tuo, & pronuntio ex corde meo, neque fictitium, neq; phantasticum, non imaginarium, non nudè figuratiũ sed verum, reale, substantiale, & ne videamur à crassioribus abstinere terminis, corporale, naturale, & carnale adesse corpus tuum, te dicente: Accipite, manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, frangitur, traditur, aut tradetur. De modo autem, quo aut qua ratione ibi sit, an cũ pane, an trãselementato, & (vt dicũt) B transubstãtiato pane, apertis verbis scriptura non docet. Sed quid dicemus? apertis verbis nõ docuit ergo nõ docuit? absit. Multa habeo vobis dicere, quæ nũ potestu portare modò. Docuit, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Docuit, accipiens panem in manibus suis, gratijs actis, fracto pane, distributo, Hoc est corpus meum. Docuit, sed obscurius. Noluit tunc tangi: quia nondum ascenderat ad patrem suum. Ascendit, misit Sanctum Spiritum, hic Sanctus spiritus functus est officio suo. Docuit Ecclesiam, docuit consilia; docuit C patres omnem veritatem. Ipsum ergo audite: ipsi confidite: vincit & vincet mundum. Cæterum cum nemo sit tam felicis ingenij, tam tenacis memoriæ, tam sanæ et solidæ orationis, qui aut argumentorũ vi, aut authoritatum apparentia, aut patrũ obscuritate in re alioquin verißima, facilè non perturbetur, à vobis præstantißimi Legati Regij veniam peto, & obedientiam promitto, si quæ fortasse protulero, aut scripturis repugnantia, aut regni huius decretis vllo modo dissona.

Fatetur se posse ostendere patres non docere transubstantiationem.

Quo autem hæc omnia feliciter perficiamus, comD munibus votis, eius sancti Spiritus inuocemus auxiliũ, qui omnia scit, omnia docet, vnà precantes: Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, &c. Oremus. Deus qui corda fidelium sancti spiritus illustratione docuisti, &c.

ERGO iã insignisime Doctor, accingo me ad Quæstiones propositas, sed prius pace tua, partim propter eruditionem meã, partim quòd quã

quæ heri à te adducta sunt, tibi non videntur soluta, partim, vt qui adsunt non seducantur, trãscurram per duas aut tres authoritates, quas hesterno die protulisti.

Arguisti ex D. Cypriano: *Sicut in persona Christi latet diuinitas, &c.* Et, *sicut diuinitas & caro vnus est Christus, ita panis & Christi corpus, vnum constituunt sacramentum.* Respondeo similitudinẽ quadrare, non quantum ad latentiam, vt scilicet: Quemadmodum in humanitate latenter est diuinitas, vtque rationalis est latenter in corpore, ita in sacramento sub specie panis latenter est corpus Christi: alioquin si teneant similia, quod ad omnes partes, consequeretur Christũ non potuisse mori, & animam nunquam fuisse à corpore separatam. Nam Athanasius habet: *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus:* quod tamen falsum est, quia diuinitas non potuit ab humanitate separari, id est vel à corpore vel ab anima cum tamen anima potuerit per morté à carne diuelli.

Gelasius, quẽ pro te adducis, Nestorio fauit. Nec bene cõsequitur: In parte nõ est Nestorianus: ergo non est. Certè fuit suspectus huius hæreseos posset igitur negari. Sed tamen seipsum exponit: Manet in proprietate naturæ, hoc est in accidentibus & speciebus panis, habet gustum panis, habet nutriendi facultatem, & cæteras qualitates panis.

Et hoc sensu vtitur Augustinus in epistola ad Dardanum ista voce, substantia, cum dicit. *Venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodũ ire visus est in cælum, id est eadem carnis forma atque substantia.* Quodque ad Augustinum ad Dardanum attinet, verum est Christi corpus esse in vno tantum loco, sub humana forma.

Attulisti deinde August. in sententijs Prosperi, qui dicit, *sacramẽtum ex duabus rebus conficì*, id est sacramento, et re sacramenti. Respõdeo, sacramẽtum externum illud est, quod apparet oculo: res autem sacramenti, est corpus Christi. In summa, vult August. sacramentum hoc duobus constare, scilicet externo signo visibili, id est, speciebus panis & vini, & re sacramenti, id est corpore Christi, & ista reuera manent. Hoc est quod ex augustino colligitur. Nam idẽ Augustinus vocat ipsum, & non ipsum.

Theodoreto autem, tametsi non mihi extet liber eius, & apud Cyrillum cum Nestorio dãnetur, dico eundem esse sensum, quem intelligunt alij patres, qui cum aiunt manere naturã, intelligunt proprietatem panis. Et ita non negamus Theodoretum, sed admittimus, verum hoc sensu, ne ipse vnꝰ repugnet multis. Et hæc est regula quam ipse voluisti obseruari in patribus interpretandis.

Fatentur vera esse, quæ habet Orig. in Matheo, 15. capite, in fragmentis, quod hoc, materiale scilicet, vadat in secessum. Sed ipse se interpretatur alibi: *Non inberet* inquit, *sanguini carnis; sed discas sanguinem verbi. Nam sine fide si edimus carnem, aut biberimus sanguinem, non prodest, sed vadit in secessum: non ipsa caro, sed panis & vinum.* Quia in sermone de lapsis habet idẽ Cyprian. dominũ scilicet recedere cum negatur: & subdit, cum gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente mutetur.

Ireneus inquis libro 4. cap. 32. appellat panẽ, & est sane ante consecrationem verus panis. Attamen ex hac materia, accedente verbo, fit corpus Christi: vnde illa creatura præcedit cõsecrationem. Quodq; ait, calicẽ qui est ex creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est; ostendit mira Dei omnipotentia ex creatura, quæ est secundum nos fieri sanguinem Domini. Nec est intelligendum, quod simul Christi sanguis sit, & vinum, sed quod creatura secundum nos fiat sanguis post verba prolata.

Gregorius itidem in Registro ait, posse confici tam ex azimo, quàm ex fermentato: non quod intelligat manere panem.

Adhæc Epiphanius in Anchorato abs te introductus est. Isque locus maximè pro nobis facit: vnde miror te fecisse Epiphanij mentionem. Et pro responsione satis erit verba eius legere. *Videmus quod accepit saluator in manꝰ suas (vt habet Euangelium) quod surrexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egisset, dixit, Hoc meum est, hoc & hoc, & videmus quod non æquale est, neque simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorũ. Hoc enim est rotũdæ formæ & insensibile, quoad potentiã, & voluit per gratiam dicere, Hoc meum est, hoc & hoc: & nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum, sicut dixit, is excidit à gratia & salute.* Ex ijs intelligi licet, quod quisquis non credit ibi esse verũ corpus, is excidit à gratia & salute.

IAM vt ad rem propositam accedamus, Respondeo de prima quæstione: In sacramento Eucharistiæ panem & vinum transubstantiari in verum corpus & verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi. MARTYR. Audiui te adferentem multa de rebus heri trãsactis: & conatus es ad ea quæ ego in obiectis habui aduersus alterum antagonistam, satis prolixè responsum accommodare. Sed modò, si demonstrare velim, quàm sint validæ tuæ responsiones, distraheretur disputatio in immensum. Item, cum habeam rationes alias, quibus, proferendis non sufficiet (vt opinor) hodiernæ diei spacium: bona fide recipio, me illo die, quo tibi sum responsurus, tua hæc omnia repetiturum ac ostensurum quàm parum valeant, ad meas partes infirmandas. Interim ne quis me falsò criminetur, aut in inuidiã adducat, motus verbis tuis: Testor me agnoscere, nos verum corpus & verum sanguinem Christi accipere in communione, sed animo & fide. Neque statuo corpus fictitium, aut phantasticum. Nunc verò tantum id vocatur in dubium, quomodo illud verum corpus & verus sanguis præsens sit in Eucharistia. Ego dico spiritualiter: & nos fide illud complecti, & præsens facere. Tu verò asseris, nos ipsum ore & carnaliter percipere. Omninoque mihi persuadeo, & certò sciò, quæ dixi non facere ad lectionem auditorum, vti tu me insimulas, sed ad veritatẽ docendã: attamẽ his omnibꝰ aggrediamur tractandã quæstionẽ.

Analogia in sacramẽtis debet seruari.

In omnibus sacramentis, inter sacramentum & rem sacramenti, seruari debet analogia, quá Cicero conuenientiam dixit. Et Augustinus de Cathechizandis rudibus, vult sacramentum habere similitudinem rei. Quod idem testatur & in epistola ad Bonifacium, vbi propter hanc similitudinem, dat sacramentis nomina rerum. Cum itaque Eucharistia pro re sacramenti habeat & corpus Christi, & corpus mysticum, vos qui ei detrahitis panem & vinũ per Transubstantiationem, analogiam euertitis, quæ in hoc sita est, vt sicuti nutrimur pane & vino naturaliter, ita corpore & sanguine Christi nutrimur spiritualiter, in vtroque homine. Et quoad corpus mysticum, in eo habetur similitudo, quòd vt panis & vinum constant ex multis simul cõgestis & confluentibus, id est, ex multis granis & multis acinis, ita corpus mysticum ex multis constat membris, quæ in vnum coalescunt.

Duplex analogia Eucharistiæ.

CHE. *Nego minorem: quòd subtracta panis substantia, tollatur analogia.* MAR. Eam probaui. Nam quemadmodum corpus nostrum alitur pane & vino naturaliter, ita spiritualiter nos alimur corpore & sanguine Christi. Planum est autem corpora nostra non ali accidentibus, sed substantia. CHE. *Non tollimus analogiam: quia ea consistit in materia, quæ habetur ante consecrationem. Accedit enim verbum ad elementum, et fit sacramentũ: atque habita consecratione, remanent accidentia, quæ nos manu ducũt ad illam similitudinem, & illa externa sufficiunt ad ostendendum quod tu quæris: & relinquuntur, magna Dei misericordia, ne horreamus Christi corpus & sanguinem, si ostenderentur nobis absque speciebus panis & vini. Nec requiritur propter illam conuenientiam, vt natura panis & vini maneat.*

Corpora nostra non aluntur accidentibus.

Isti ponunt analogiam in materia Eucharistiæ, ante quam sit sacramentũ.

MAR. Multa habes in tua responsione capita: ad singula replicabo. Primum quod ais sufficere, vt ante consecrationẽ sit panis & vinũ, ex quibus substantijs alimur: non efficit, quin in sacramento ipso auferatur à vobis conuenientia. Nos enim loquimur de sacramẽto, quando iam est sacramentum, & ibi analogiam seruandam contendimus. Vos eam ponitis ante sacramentum: & cum ad sacramentum ventũ est, subtrahitis, & ita peccatis in sacramentum.

In Baptismo seruatur analogia, quia manet aqua.

In Baptismo certè non ita agitur: aqua enim, qua communiter abluimur, significatur animę purgatio: neque subducitur, imò permanet, & illa abluimur. Si autem subtraheretur, non esset plenum sacramentum. Itaque non satis est dicere, ante consecrationem fuisse habitam debitam materiam. Deinde quod addis ex Augustino: accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, maximè aduersum te facit: non enim inquit extrudit elementum sed accedit ad elementum: & sensus est, ipsum elementum, fieri sacramentum. Et eandem misericordiam, quam tu dicis præstari nobis per accidentia, vt illis occultetur corpus Christi, ne dum conspicitur, horrorem pariat: habemus, dum panis manet & vinum. Non enim à consuetis naturis horremus. Quodque asseris accidentia vel species nos manu ducere in illam similitudinẽ, non satis facit. Primò, quia fictitiũ est quod dicis de accidẽtibus. Deinde quia hoc debet manere, quod nos alit naturaliter, quod minimè præstãt accidẽtia. Debet. n. sacramentũ significare rẽ sacramẽti, non autẽ pristinã substantiã, quá ipsũ dicitis abiecisse. Postremò, quare extrudatis panẽ, nullá adfertis causam. Ego heri sæpe quæsiui, & nihil audiui: forte tu adferes.

In Baptismo seruatur analogia, quia manet aqua.

Si verbum accedit ad elementũ, non illud extrudit.

Horror tã aufertur per panem quàm per accidentia.

CHE. *Primum respondeo, non requiri vt panis maneat in Eucharistia, sicuti aqua in Baptismo: non enim vtriusque sacramenti eadem ratio est. Hic enim dicitur, Hoc est corpus meum, non autem illic, Hæc aqua est sanguis meus, aut corpus meum. Deinde non est necessarium (quemadmodum argumentaris) vt maneat elementum, post accessionem verbi. Et naturalis ratio hoc docet simili. Vt in digestione accedit naturalis calor ad cibum iam susceptum, & mutat eius substantiam in carnem: sic in sacramento accedens verbum, mutat substantiam panis in verum corpus Christi. Et quod abs te quæritur, cur panem tollamus, Respondeo: quia Spiritus sanctus præuidit futuros hæreticos qui dicerent panem esse in sacramento cum corpore Christi, substantiamq; panis esse carnem Christi: & qui negarent eandem præsentiã, eo quod ibi remanere contenderent substantiam panis.* MAR. Distinguitur tua responsio in tria capita. Primum est, quod non admittis similitudinẽ inter Baptismum & Eucharistiam: quasi ego argumentatus sim à simili. Obiter attigi de Baptismo: sed capitale fundamentum erat, debere seruari materiam conueniẽtem in sacramẽtis: ea verò est, quo ad Eucharistiam, quæ nos alat, quod à substantia panis fit, non ab accidentibus. Neque propterea nego non debere esse eandem rationem in Baptismo & Eucharistia: neque tu secus ostendisti. Deinde contendis Augustini dictum, Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum, contra te non facere, vt proposueram. Sed ego id probo, eo quod sentiat elementum manere, & ei coniungi verbum, & sic ex illis fieri sacramentum. Et tuum simile de naturali digestione, ad rem non facit. Accedente enim calore naturali, cõuertitur cibus in substantiam nostri: quę si abiret, vt vos in Transubstantiatione panem excluditis, non sustentaremur, aut nutriremur vllo pacto. Et eandem rationem esse caloris naturalis, atque verborum consecrationis, non facile mihi probaris. Postremò, de causa quam adfers, quare panem reijciatis, eò quod spiritus sanctus præuiderit futuros hæreticos, qui dicerent panem manere, vel corpus Christi non esse, aut substãtialiter aut realiter in Eucharistia, dico vanã eam esse. Nam isti hæretici (vt vos appellatis) futuri erant omnes patres, qui panem ibi conseruant. Deinde, si spiritus sanctus hoc docuit Ecclesiam, cur verbum nõ profertis, quo hoc docuerit? CHE. *Non requiritur, vt materia maneat in hoc sacramento secundum substantiam: nam potest analogia (vt dixi) haberi per accidentia quæ manent. Deinde Augustinus non dicit elementum manere. Atque facta digestione substantia panis minime retinetur. Et de hoc medicorũ & philosophorum esto iudiciũ. Postremò respondeo: Spiritus sanctus ecclesiam docuit in Lateranensi concilio, panem esse Transubstantiationẽ.* MAR. Ad extremã partem

Quãdo spiritus sanctus dogmas dei docet, de eo verè extat.

tem responsionis obijcio, me petijsse verbum Dei quo spiritus sanctus docuerit Transubstãtiationem. & tu mihi respondes per concilium Lateranense, de quo non est curandum quid statuerit, nisi ex verbo Dei sua decreta comprobarit. Sed quid hoc abs te quæro, cum tu fassus sis in tua præfatione, Transubstãtiationem ex sacris literis expresse non posse probari? Cõtra alterum repeto, quod nisi materia & substantia cibi vel panis, post digestionem in nobis maneret, non viueremus: abijcitur quidem aliqua portio per secessum & excrementa, sed nisi vicissim aliquid maneret, non sustentaremur. Sed quàm pulcrè faciat pro vobis hoc simile, ostendam: In naturali concoctione, substantia & materia cibi pro debita portione retinetur: abijcitur verò forma & accidentia. Vos verò contra hic substantiã abijcitis, & retinetis accidentia. De hoc (vt quoq; dicebas) ego velim medicos philosophosq; iudicare: nam in nutritione formam panis ego residuam nõ pono, sed eius materiam, substantiã, & corpus. CHE. *Aßero concilia multum per omnem modũ curanda, quãdo statuunt ex verbo Dei, veluti in Lateranensi, quod citaui, factum est: nam ex Euangelio habes Transubstantiationem, licet obscurè, cum dicitur, Hoc est corpus meum. Dicimus præterea manere accidentia propter infirmitatem vostram. Deinde, quemadmodum ex pane caro nostra fit accedente digestione, non remanẽte panis substãtia, ita ex elemento, verbo accedente, fit corpus Christi.* MART. Hoc est nihil dicere: quia non adhuc ostẽdisti concilium Lateranense ex verbo Dei statuisse. Iamq; sæpe obieci, ad hoc vt elementũ, fiat sacramentum, necesse esse vt maneat. Et vt ratio nostræ infirmitatis habeatur, tantundem prodest substantia panis, & multò magis, quàm accidens. CHE. *Fateor quod dicit Augustinus, Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, non tamen dicit elementum fieri sacramentum.* MART. Expendam⁹ verba. Accedit verbũ ad elemẽtũ, & fit sacramentũ. Quid fit sacramentũ? CHE. *Non elemẽtum, non verbũ, sed tertiũ quiddam ex vtroque compositum, diuersum & à verbo & elemento.* MART. Sacramentũ est sacræ rei signũ: hoc autem conuenit elemento, vt sit signum. Et omnes fatẽtur sacramẽta fieri ex re & signo: Igitur cum significatio pertineat ad elementum, oportet vt maneat. Tuque imprudens idem fateris, quando dicis sacramentũ non esse elementum, non verbum, sed quiddam tertium ex his compositum. Quomodo potest ex eo componi, si non manet? Et apertè hoc vides in Baptismo fieri, vbi aquam elemẽtum esse non dubitam⁹, quæ cum significet, manet. CHEAD. *Non est necesse, vt elementum maneat in Eucharistia, vt in Baptismo. Iam hanc similitudinẽ negaui, & iterum nego.* MARTYR. Ego induxeram argumentum à definitione sacramenti, quod scilicet est signũ. Et significandi ratio, cum pertineat ad elementum, vt maneat oportet, nisi velis naturam sacramenti perire. Ad hoc nihil respondes. Cũque simile de Baptismo induco, illud perpetuò negas, quasi à nobis in vtroque istorum sacramentorum non percipiatur Christus. Ibi regeneramur in Christo: hic in ipso eodem pascimur. Ibi in vnum corpus nimirum Christi baptizamur: hic vno eius spiritu potamur, vt dicitur ad Corinthios: & in baptismo Christum induimus, vt habetur ad Galatas. Sunt itaque similia hæc duo sacramenta. Neque vt similitudo negetur id facit quod Christus non dixerit, Hæc aqua est corpus meum, vt dixit in Eucaristia, Hoc est corpus meum, quia huiusmodi verba, vt vera sint, non exigunt, vt natura panis abijciatur, verùm ea conseruata, est adhuc verissimum quod Christus dixit. Quid ergo te cogit, vt panem extrudas? CHE. *Verbis Christi cogimur: dicit enim Christus, Hoc est corpus meum: & non dicit, Hæc aqua est sanguis meus.* MART. Mirũ est, cum vos tantum tribuatis potentiæ diuinę, vt ea dicatis fieri tot ac tanta miracula in Transubstantiatione, cur per eam etiam nõ valeatis, vel non velitis persuadere vobis, manere substãtiam panis. Sed ad hoc vt detur corpus Christi, dicitis vos cogi ad panem transubstantiãdum. Hoc etiam erat diaboli consilium, vt Christus si manducare vellet, prius lapides in panem conuerteret: Quasi Christus ex Dei potentia nõ valuerit quiduis edere, & ex quacunque re sustẽtari. Vnde pulchrè respondit: Non in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit ex ore Dei: ac si diceret, Ex lapidibus quoque vesci possem, si vellem, & non opus esset vt eos conuerterem in panem. Si ergo ex omni re per Dei potentiam ali possumus, cur non etiã cum vero pane, licebit sumere corpus Christi? CHEAD. *Non de potentia agitur, sed de facto: etsi enim potuerit aliter fieri, attamen à Christo sic est institutum.* MART. Adieci hęc de potẽtia Dei, vt ostenderẽ per eam non stare, quin panis manere possit, & tamen corpus Christi dari: nam à vobis illam audio mirificè prædicari, cum accidentia statuitis absque subiecto, & putabam, illa eadem posse fieri, vt in sacramento panis maneat, sicut accidẽtia. Et vt extorqueam à vobis, quæ sit necessitas auferendi panem. Nam quod abs te dicitur de facto, non constat: minimè enim scriptura testatur, Christum voluisse panem abire. Quare non adhuc liquet vos cogi verbo Dei ad panem extrudendũ. CHE. *Necessitas est ex verbo Dei, & satis continetur in scripturis, nimirum in his verbis, Hoc est corpus meum: Et Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mũdi vita.* MART. Hæc duo minimè pugnãt, quod corpus Christi sit & panis: nam cætera etiam sacramenta seruant elementum, & rem sacramenti habent. Et quia prætexis verbum Dei, Hoc est corpus meum: ego quoque sæpius ostendi verbum Dei habere vtrunque, & corpus Christi & panem. Quod si studiosi estis verbi Dei, cur nõ vtrunque retinetis? CHE. *Scripturam quidem admitto vtrunque dicere: sed nego eum sensum quem tu facis: quippe verbum aliter docet. Ideò hic non seruatur panis. Et panem adesse, derogat & maiestati, & potentiæ Dei.* MART. Quod verbum doceat pãnẽ adesse, iam antea è scriptura declaraui, quoniam Iesus accepit panem, Benedixit, fregit, & dedit, quæ omnia ad panem referun-

Ait se cogi verbis Christi, cum supra in prologo dixerit, non posse id probari expresse sacris literis.

per Dei potentiã stare nolũt posse manere panẽ & corpus Christi dari.

Verbũ Dei habet vtrũque, quod sit corpus Christi & panis.

Christus vt benedixit panem ita dedit panẽ. Non derogat maiestati Christi panem adesse.

tur. Panemque, si adsit, derogare maiestati aut potentiæ Dei, nulla est ratio. CHEADZE. *Nego Christum dedisse panem, sed corpus dedit. Et id quod demonstrat, antea fuit panis, sed ex consecratione factum est corpus.* MAR. Scriptura est apertissima, quæ habet, Christum non solum accepisse, sed etiã dedisse. Quid accepit Dominus? Quid fregit? Quid dedit? non potes respondere, Nisi panem, si grammaticam constructionem retineas. CHEAD. *Corpus dedit, & in euangelio recitatur factum, non autem modus & ordo faciendi.* MAR. Ego non diffiteor vtrunq; dari, & corpus & panem: sed vos vrgeo, qui negetis panẽ: cum velitis, nolitis, cogat vos grammaticus sensus fateri, quòd panem dederit. Neque vox ista corpus refertur ad verba, accepit, benedixit, fregit, dedit sed ad verbum, est. Attamen (vt dixi) non inficior dari corpus Christi, sed cum scriptura vtrumque habeat, & panem & corpus, vtrumque debetis concedere.

Argumentũ sumunt ab ambiguo, cùm argumentantur à verbis, Hoc est corpꝰ meũ.

Sed aliter agamus: Semper hac propositione vtimini, Hoc est corpus meum, ad probandum, bijciendum esse panem ex hoc sacramẽto. At hinc nõ efficitur necessariò quod vultis: quandoquidem argumentum sumitis ab ambiguo. Nam si induxerimus multas propositiones consimiles, quæ tropicè tenentur, atque (vt ita dicam) significatiuè, non poteritis probare hanc non esse eiusdem generis. Scribitur ad Corinthios. Petra autẽ erat Christus. Et Christꝰ ait Apostolis: Nõne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Ac de circumcisione, Pactum meum erit in carne vestra. Et de Ioanne, si vultis eum suscipere, ipse est Elias. Et cum insufflasset in eos, dixit: Accipite spiritum sanctum. Et rursus: Egò sum ostium. De Iosepho dixit Iudas: Frater noster, & caro nostra est. Paulus de Christo: Ipse est pax nostra. Et de nobis: Vos estis corpus Christi. Habetur etiam, quod ipse est lapis offensionis, & petra scãdali. Asseritque Paulus Euangelium esse vim Dei ad salutem. Et in scripturis dicitur non semel, verba Domini esse iusticiam, iudicium & veritatem. Et Euangelium, idem Apostolus testatur, infidelibus stultitiam esse. Spicæ septem in libro Geneseos, sunt anni septem. Et decem frusta pallij, sunt decem tribus Israel, vt inquit Ahias Silonites. Mulier quoque defert in capite πλὼ ἐξουσίαν, id est potestatem. Item comedebat sacerdos peccata populi. Et Christus pro nobis factus est peccatũ. Agnus vel sacrificiũ, est pascha. Et pascha nostrũ immolatꝰ est Christus. Ac infinita alia, quę in scripturis habẽt consimilem formam, in quorum sensu cum ista sententia, Hoc est corpus meũ reponi debeat, & à vobis citetur simplici sensu, nequaquã concludit, quia innitimini ambiguo. Et cũ vos dicitis cogi ex sacris literis, adducitis in medium verbũ Dei controuersum, cuius tamen intelligentia patere potest ex alijs locis. CHE. *Nego quod nitamur ambiguis. Nemo nõ concedit multos esse tropos in scripturis: omnia tamen negamus esse tropos. Neq; valet argumentum, Illic, & illic, tropi sunt: igitur & his quoque est tropus. Sed vbicumque est tropus, id circunstantia loci docet. Hic nulla est circunstantia, quæ hoc demonstret. Et si verbum, est, vbique acciperetur pro significat, Christus non esset homo verè, nisi per significationem. Cumq; dicitur: Verbum caro factum est, interpretaremur, significat carnem, nec re ipsa verbum caro factum esset. Quodq; habetur, Deus erat verbũ, interpretaremur, quod significabat verbũ: atque ita omnia confundẽtur. Quare concludimꝰ nullũ hic esse tropum.* MAR. De Christo an sit Deus & homo, clarissima testimonia extãt, quibꝰ cogimur sententias abs te modo inductas, accipere simpliciter.

Tribus à canticis tuis hic esse tropum.

Vt autem hic tropum statuamꝰ, adducimur ex verbis scripturæ, natura sacramenti, & patrũ testimonijs. Quo ad scripturam, illic habetur: Hoc facite in mei memoriam, & memoria non præsentium corporaliter, sed absentium rerum est. Additur, Donec veniam, quod non conuenit, si eò per consecrationem tum veniret. Et Paulus dicebat, Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Non autem conuenit corpori Christi vt frangatur: quandoquidem nunc propter eius gloriam est impassibile. Ait præterea Dominus, vt acciperẽt & ederent, quod absque tropo non potest intelligi, si ad corpus Christi referas: non enim conuenit, vt dentibus frangatur atque comminuatur, quod fit in vera & propria mãducatione. Deinde vos ipsi cogimini tropum admittere: nam vestra sententia non est corpus Christi in Eucharistia, nisi post verba prolata. Vnde verbum, est, propria significatione non potest accipi, dum ipsum profertis: prius enim oportet rem esse, quã verè possit de ea aliquid enũciari. Sunt præterea verba apud Lucam & Paulum, dicta ad calicem, in quibꝰ non potestis tropum euitare, cum dicitur, Hic calix nouum testamentum est: quod nihil est aliud, quã significat nouũ testamentũ. Et in 6. ca. Ioan. Verba mea sunt spiritꝰ & vita. Caro non prodest quicquam. Et meminit ascensionis suæ. Atque hæc de scripturis: mox de sacramento & patribus. CHE. *Respondeo illa verba, Hoc facite in mei memoriam, & donec veniã, non arguere tropum. Non est bonum argumentum: In memoriam, alicuius rei quippiã fit, ergo res non est, aut non manet. Visusque est Christus potius illis verbis commendare actionem, quam tũc peragebat coram eis, vt nimirum id facerent, quod eum feciſſe viderant. Quodq; addis, donec veniam, intelligẽdum est humana forma, qua veniet ad iudicandũ: quia non cessabit hoc sacrificium vsque ad consummationem seculi. Et ad ea quæ de fractione adiecisti, sic respondeo, verè corpus Christi fuisse fractũ in cruce, quãdo latera lotus eius est apertũ, & frãgitur quotidie spiritualiter in sacramẽto quãdo mortẽ eius annũciamꝰ.* MAR. Nemini dubiũ est, Paulũ, cũ dixit, panis quẽ frãgimus nõnne cõmunicatio corporis Christi est? significasse illã visibilẽ fractionẽ symbolorum, & sacramẽti distributionẽ, quã in cœna Domini fieri videmꝰ. Et quod ais, memoriã posse esse rei quę maneat, & sit prẽsens: falleris: quia natura est memorię, vt sit rei elapsę, & quę saltem minimè sit prẽsens. Imò prẽsentia rei atq; illius memoria habent inter sese apertam antithesin. Quæro deinde abs te, cur ascensionis meminerit?

A scripturis probatur tropus

rit? nonne vt à nobis intelligeretur non comedendus carnaliter? CHE. *Ascensionis ideo meminit, quia verè in cœlũ ascendit, & verè ibi est, non quasi eius præsentia non sit etiam hic vera, haud quidem vt deuoretur, sed vt accipiatur & comedatur, iuxta eius mandatum.* MART. Certè non fuisset ad rem, ascensionis meminisse, nisi vellet notare, se de illo manducationis genere loqui, cui non obstat corporalis rei absentia. Sed quid tandem ad locum inductum dicis? Panis quem frangimus, nónne communio corporis Christi est? Id si referas ad corpꝰ Christi, non frágitur: hoc enim pani competit, & ad corpus Christi transferunt per tropum. CHE. *Ita sumendum ibi panẽ frangi, vt eodem loco dicitur, Multi sumus vnus panis, nimirum tropicè: nam si panis priori loco sumeretur pro naturali pane, in sequenti loco item acciperetur, & ita nos omnes essemus panis naturalis, & substantia nostra esset substantia panis, si vis argumentari à natura panis in priori parte.* MART. Ego tantum ostendere volui, quod non potestis defendere vos in communione frangere panem, quando illum inde aufertis. & potissimum si accipiatis panem pro corpore Christi tropicè, vt ipse quoque núc fateris. Nã vis eodẽ modo sumi, vt postea, cum dicitur: Multi sumus vnus panis, & tamen allegorico pani, vides non posse conuenire propriè, vt frágatur. Quare ob tuam Transubstantiationem, cogeris bis ibi tropum fingere: primùm vt panem allegoricum vtrobiq; intelligas: alterum vt fractionem figuratè accipias, & ita qui auersaris tropos, semper in illos incidis. Ego verò in eo loco panem propriè accipio: & cum dicitur Multi sumus vnus panis, interpretor, quo ad significationem, non quoad substantiam. Vt enim panis est vnus, & constat ex multis granis, vel sicut est vnus, & fit in multas partes: sic nos & vnum sumus, atque etiam multa membra. Et ita panem vtrobique eodem modo sumo. Tropus autem est in verbo, sumus. Huc accedit, quod si vis panem accipere qui frangitur, vt postea cum dicitur, multi sumus vnus panis, per tropũ, cogeris intelligere corpus mysticũ, id verò quomodo frágetur? Cumq; sis tã facilis ad tropos, nõ video, quid te adeò grauet tropũ admittere in propositione, quã habemꝰ prę manibꝰ, Hoc est corpus meũ.

Verum de secundo. Quomodo abhorretis à tropo, cum sacramentũ hic instituatur, & sacramentis tropi sint familiarissimi? CHE. *Non prorsus hic negamus tropum: quia non est panis quod tractatur, sed panis appellatur, atque id per tropum. Verùm in verbis sacramentalibus, vel consecrationis, negamus tropum esse: quia nulla circumstantia hoc docet.* MAR. Quomodo in verbis sacramentalibus potestis negare tropum esse, cum apertè ad calicem dicatur: Hic calix nouum testamentum est? vbi si tropum cõceditis, cur absurdum est, vt tropica sit & altera pars, quæ ad panem dicitur? Et miror te hic nullam circumstantiam agnoscere, cum superius multas ostenderim, quas dissimulando præterijsti. CHEAD. *Non sequitur quod dicis. Nam hic ad calicem circumstantia nos cogit, vt fateamur tropum: nihil verò cogit in altera parte. Deinde quod Lucas & Paulus dixerunt tropicè, alij duo Euangelistæ simpliciter dixerunt, videlicet: Hic est sanguis meus.* MAR. non obstat, quod ais. Matthæum & Marcũ simpliciter protulisse: Hic est est sanguis meus, quia & illa verba quæ sunt apud Lucam & Paulũ, quomodocunque posita sint, oportet vera esse: quod si tropꝰ non adhibeatur, minimè continget.

Atque in priori sententia tropum esse, non solum probant scripturæ sanctæ, natura sacramenti (vt dixi) verum & patres idem id confessi sunt. Quid tu abhorres tantopere? Tertullianus enim dixit: Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei. Augustinus item in Psalmo 3. ait, Christum dedisse figuram corporis sui. Et contra Adiamantum Manichæum: Nõ dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cum daret signum corporis sui. Et Hieronymus ait cũ Tertulliano, Christum repræsentasse corpus suum. Ac talia testimonia sunt innumera, quæ omnia indicant eos admisisse tropum in verbis, quæ ad panem dicuntur. CHEAD. *Verum est, quod Tertullianus & Augustinus dicunt figuram esse, sed rem ipsam non excludunt, ita vt idem sit figura, & figuratum. Quemadmodum ad Hebræos: Filius est imago substantiæ patris, & tamen est idem quod substãtia patris. Quod si ibi dixeris, est figura substantiæ patris, ergo non est substantia patris, apertè vides argumẽtum non tenere: sic in præsentia dicere, est figura corporis Christi: igitur non est corpus Christi, haud sequitur.* MART. Quàm id sequatur, aut nõ sequatur, nunc minimè disputamus: sed tantum id conteditur, patres in ea loquutione, Hoc est corpꝰ meum, tropum agnouisse, quod indicant eorũ verba, quando figuram & repręsentationẽ subinde inculcant. Et de doctrina Christiana, ac alibi apertissimè testatus est Augustinꝰ, loquutionem de mãducatione corporis Christi, figuratam esse. Quod ergo tu negas, ille disertissimè asserit, & quòd inducis idem esse figuram & figuratum, aliud est ab instituto propositio: nec tamen id facilè probabis. Vnde ad locum in epist. ad Hebræos quòd filius appellatur figura substantiæ patris, Dico Paulum illic de filio agere, quatenus homo est, & hoc pacto figura est, & non substantia patris. Per antonomasiam quippe habet, vt sit imago patris, & ei nobilius id conuenit, quàm cæteris hominibus. Verba epistolæ, sic habent. *Multifariam, & multis modis, loquutus est olim Deus patribus in prophetis, nouissimè autem loquutus est in filio.* Quod si filium intelligas quo ad diuinitatem, tam bene per illũ est loquutus Deus per prophetas in veteri testamento, quàm nostris temporibus loquutus sit nobis: in hoc autem discrimen est, quod nũc per humanitatem id fecit, quod antiquitus nõ est præstitum. Attamen si contenderis omnino istam loquutionem de persona diuina intelligendam, adhuc non cõsequetur idem esse figuram & figuratum: nam habent verba Græca χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ & quod noster interpres absolutè dixit substãtiã, Græce est ὑπόστασις: Cumque persona filii non sit persona patris, optimè potest filius etiam quo ad diuinitatem

Ex patribꝰ probatur tropus.

Diuertit ab argumẽto quod erat, Patres in verbis quæ dicuntur ad panẽ agnoscere tropum.

An idem sit figura & figuratum.

Excutitur locus ad Hebræos.

Explicatur locꝰ Pauli.

Natura sacramenti probatur tropus.

dici figura hypoſtaſeos patris, neque propterea ſequitur, idem eſſe figuram & figuratum: nam inter perſonas eſt (vt loquuntur) realis diſtinctio. CHE. *Reſpondeo illud in ſcripturis commune eſſe, vt idē adſcribatur humanitati, quod eſt diuinitatis, & è contra. Vt, Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo: cùm tamen filius hominis non deſcendit de cœlo. Et Paulus: nunquā Dominum gloriæ crucifixiſſent. Igitur Chriſtus & ſecundum humanitatem, & ſecundum diuinitatem, dicitur imago ſubſtantiæ patris. Nam ſi hoc ei conuenit per vnam naturam, poteſt ei attribui ſecundum alterā, per communicationem idiomatum. Huc accedit, quod Chriſtus quatenus nudus homo, non poteſt dici imago ſubſtantiæ patris: nam tam & ego & omnes aliæ creaturæ diceremur imagines ſubſtantiæ patris. Igitur ſecundum quod Chriſtus eſt figura, & figuratum dicitur. Et ad Tertullianum reſpondeo, eum in Martionem ſcribere, qui ponebat Chriſti corpus eſſe phantaſticum, fatebatur autem in Chriſto figuram corporis humani: vnde Tertullianus arguebat ex conceſſis à Martione. Argumentum ſic inducebat: Quod eſt phantaſticum, non habet figurā, vt concedebat Martion. Ergo Chriſtus verùm corpus habet, non phantaſticum. Fuitque iſte ſcopus Tertulliani, & ex neceſſitate ſic arguebat, vt confunderet hæreticum, & erat violenta collectio. Vnde hic in ſumma eſt ſenſus Tertulliani. Chriſto figuratum & phantaſticum corpus attribuebat, & in ſacramento tamē non negabat eſſe corpus Chriſti, id eſt figuram corporis. Hinc arguit figuram nō eſſe corporis, niſi etiam verum corpus extaret: quia nō eſt figura niſi veritatis.* MART. Quod ad primū, ego nunquam negaui communicationē proprietatum in duabus Chriſti naturis, per quam concedo id quod dicitur de vna, & alteri poſſe attribui: ſed tamē dico diligenter eſſe excutiendū, quando tales communicationes occurrunt, ad quā naturam id dicatur, quod audimus pronūciari, vt in vtroque tuo exemplo apparet. Cum enim filius hominis dicitur è cœlo deſcēdiſſe, loquutionem recipimus, verum ſecundum diuinitatē id concedendum eſſe confitemur. Et Dominum glorię crucifixum fatemur, teſtamur attamen hoc illi dari propter humanitatem. Ita ego in illo loco ad Hebræos concedo Chriſtū imaginem eſſe ſubſtantiæ patris, ſed pro vt res ibi tractatur, aſſerebam iuxta humanitatem id eſſe dictum: quoniam ante redemptionē Deus loquutus erat patribus in diuinitate Chriſti, nouiſſimis autem temporibus loquutus eſt per filium, videlicet humanitate indutū. Quod etiā ſi omnino velles hoc diuinitatem reſpicere, relegaui te ad textū Græcum, ex quo poteras cōmodè intelligere diſcrimen inter figuram & figuratum. Quod verò adijcis, tunc illum non magis quàm me aut aliam creaturam fore ad imaginem Dei: nego conſequutionem, quia ſicut inter omnes homines eſt excellentiſsimus, ita etiam inter eos eſt pręcipua imago Dei. Neque dixi hoc illi conuenire, quà purus homo. Quis enim non videt humanitati Chriſti non conuenire tantam excellentiam, quantam eam videmus habere, niſi quia diuinitatem habet coniunctam? Quod ad Tertullianum, Agnoſco quod dicis eum ibi argumētari contra Martionem, ſed non eo pacto, vti tu recitas argumētum. Ait enim cum illo ex manifeſtis, & publicè confeſſis, in quibus etiam nō audebat hæreticus à cōmuni ſenſu eccleſię deſciſcere: nimirum quod hoc ſacramentum eſſet figura corporis Chriſti. Et arguit: Rei phantaſticæ non eſt figura: nam figura rem veram ſignificat: ſed hoc ſacramentum eſt figura corporis Chriſti, ergo corpus Chriſti nō eſt res phātaſtica: quādoquidem habet hoc ſacramentum pro ſua figura. Et tu noſſe debes, ad hoc, vt figura non ſit inanis, requiri, vt aliquid veri repræſentet. Hic facilis & lucidus eſt intellectus verborum Tertulliani. Quod verò tu affers collectionem eſſe violentam, & huiuſmodi, aliena ſunt. Et ſi ita voluiſſet argumentari Tertullianus, non oportebat Euchariſtiam producere: ſatis ex verbis Martionis cōficere potuit, quod volebat, dicendo: Cum tu fatearis id quod geſtauit Chriſtus, figurā eſſe & phantaſma corporis, Et figura nō poſsit eſſe, niſi rei alicuius quæ verè extet: hinc efficitur eſſe verum corpus, quod Chriſtus aſſumpſit. Quare mentio Euchariſtiæ ſuperflua eſſet. Sed iuxta meam ſententiā, perſpicuè concluditur: Euchariſtia (vt omnes fatentur) eſt figura corporis Chriſti: igitur corpus Chriſti eſt verum, alioquin figura non haberet. CHEAD. *Reſpondeo vt ſuprà. Primùm, quod Chriſtus quatenus purus homo non magis poteſt dici imago ſubſtantiæ patris, quàm aliæ creaturæ. Et quo ad communicationē naturarū, idem Chriſtus eſt & figura, & figuratum. Et ad Tertullianum rurſus dico, figura eſt, ſed non tantū, verū etiam ipſa res. Verba Chriſti neceſſario cogunt.* MAR. Dico hic nullam eſſe coactionē à verbo Dei, quin debeat vtrunq; dari, & panem eſſe & corpus Chriſti. Nunc autem docebo, quia tu dicis non eſſe figuram tantum, ſed rem ſimul, ſacramentū hoc eſſe ſignum rei, quæ ſecundum præſentiā ſubſtantialē ac realē abeſt. Ambroſius lib. 4. de Sacramen. cap. 4. Sicuti ſimilitudinē mortis ſumpſiſti, ita ſimilitudinē præcioſi ſanguinis bibis. Nullus autem dubitat, mortem Chriſti non eſſe præſentē realiter in hoc ſacramento, & tamen dicitur ita bibi ſimilitudo ſanguinis, vt ſimilitudo mortis. CHE. *Gaudeo te tantū tribuere Ambroſio. Ille totus mecum facit, vt conſtat ex illis libris de ſacramētis, & ex iſto ipſo capite, & his verbis quæ tu citas. Statim enim ſubiungit: propter horrorē cruoris, datam eſſe hāc ſimilitudinem. Quod ſi antecedētia & ſequentia expendantur, videbitur longè aliud velle quā tu profers. Hic enim ſcopus eſt Ambroſij, vt doceat in Euchariſtia repræſentari mortem Chriſti, vt ſicut credis Chriſtum pro te mortuum, ſic eius ſanguine peccata tua lauari credas. De ſubſtantia autē ſymbolorū manente nulla eſt mētio.* MAR. Iactas Ambroſiū totum eſſe tuū: hoc poſtea cognoſcam in obiectionibus quas mihi facies. Sed quod attinet ad hunc locum, apertiſsimè dicit: quod ſicut illa eſt ſimilitudo mortis, ita hęc eſt ſimilitudo sāguinis. Et hinc ſatis habes, manere ſubſtātiā panis, quādo res quę ſignificatur, ſubſtantialiter & realiter eſt abſens: Sicuti mortē Chriſti ſcimus non eſſe præſentē quando

Communicatio idiomatum ad mittenda, ſed in ea diſtinguendū eſt quo ad intelligentiam.

Declaratio Tertulliani.

Euchariſtia eſt ſignum rei, quæ ſubſtantialiter, corporaliter & realiter abeſt.

Locus Ambroſij de ſimilitudine mortis & ſanguinis.

quando communicamus, nisi annuntiando & commemorádo illam. CHE. *At non dicit similitudinem esse tantum: nam alijs locis, apertis verbis dicet, naturalem mutationem panis & vini.* MAR. Nihil moror particulam tantum, siue exprimatur, siue nó exprimatur: quia rem denotari absentem in similitudine inducta, satis apertè cõtinetur. Et dabitur tempus, vt istam mutationem positam ab Ambrosio, excutiamꝰ, cum descendero ad respondendum tuis obiectionibus.

Respondeo ad tuas quæstiones, vt probem tropum ex patribus.

Augustinus sit Christũ dixisse signum corporis sui.

Attamẽ vt intelligas, quàm apertè agnoscãt patres tropum in isto loco, citare visum est Augustinum contra Adimãtum Manichęum: Nõ dubitauit Christus dicere, Hoc est corpꝰ meũ, cum daret signum corporis sui. CHE. *Agnosco hæc verba esse Augustini, & docebo qua ratione inductus ista scripserit. Manichæi omnes inimici fuerunt veteris Testamenti. Et cum legamus in Deut. Anima est sanguis, hoc dictum Adimantus conuellebat, quasi pugnans cum nouo Testamẽto, opponebatque ei: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt: Aiebat Adimantus, Quoties funditur sanguis & conculcatur, toties anima patitur has iniurias, si est sanguis: quare nõ rectè diceretur, quod animã homines non possent lædere? Augustinus respondet duplici ratione. Prima, Sanguinem in Deuteronomio appellari non animã hominis, verùm pecoris. Secũdo ait: Quid si etiam dicam hoc intelligendum esse secundum certum loquendi modum & de anima humana: quemadmodum Christus non dubitauit dicere, Hoc est corpꝰ meum, cum daret signum corporis sui? Et hoc volebat, quod quemadmodum latenter in hoc signo est reale corpus Christi, ita in sanguine est anima: & vt sanguis est signum animæ in se latentis, ita species est signum corporis, & hoc signum propter præsentiam latentem, vocatur corpus Christi.* MAR. Nõ habet hæc Augustinꝰ quod corpus Christi, scilicet latẽter sit in speciebus panis & vini: tu hæc affingis. Suprà contendebas idẽ esse signum & signatum, figuram & figuraum. Nunc dices ne, sanguinẽ idẽ esse cum anima? Certè velis nolis sunt duę substantiæ, nec vna ab altera tollitur, vt vos hic de pane fieri statuitis. Deinde sanguis, quando est signum animæ in corpore manentis, oportet vt videatur, sitq; extra corpus animantis, & tunc ibi non latitat anima. Et de illo debet sermo fieri, de quo scriptura prohibebat, ne ederetur: is autem erat separatus à corpore: non enim aliter comedi potest, quod tum in lege prohibebatur, cum ista dicerẽtur. Sed de hoc quicquid sit, nunc mittamus. Id saltem habeo, quod concludam, signum non esse signatum, neque figuram figuratum, in hoc sacramento, quod suprà tam vehementer contendebas. Etenim sanguis, qui signum ponitur animæ, nunquid est anima? Ita & quod Christus dabat, cum hoc pacto dicat Augustinus fuisse signum corporis Domini, tá est corpus Domini, quàm sanguis est anima. CHEAD. *Respondeo, similitudinem non eò tendere, sed vt doceat, quod quemadmodum latenter est anima in sanguine, ita latẽter est corpus Christi in speciebus panis & vini, & ipse contextus eò tendit. Nam vt in hoc visibili continetur corpus Christi, ita in illo visibili continetur anima: non autem per omnia quadrant similia* MAR. Mihi maximè videtur eo spectare quò dicebam, vt asserat: Quemadmodum illic sanguis est anima, ita hic panis est corpus. Nunquam latens vel non latens dixit Augustinus. Hæc post abs te assuta sunt. Is voluit ostendere phrasim esse scripturę, qua aliquid esse dicatur illud, cuius fuerit signum, tametsi ab eo sit res distincta atque diuersa. CHEAD. *Etiã si non dicat Augustinus, eò tamen tendit similitudo, corpus enim ita est latenter in signo, quemadmodum anima in sanguine.* MARTYR. Hic ego non video eum aliud attingere, quàm hanc esse phrasim, & loquutionem scripturæ, qua nomen signati signo tribuitur.

Euincitur, signum nõ esse signatum, sicuti sanguis nõ est anima.

Iusserunt domini Legati, vt ageretur in secunda quæstione.

An Corpus Christi substantialiter & carnaliter sit in pane & vino, vel sub accidentibus panis & vini.

D. MARTYR.

CHRISTVS accepit panem, Benedixit, fregit, & dedit discipulis suis, dicens, Hoc est corpus meum. Ex te quæro, vtrum corpus illud passibile fuerit, vel impassibile? Passibile non erat: nam Augustinus super Psalm. 98. habet: Non hoc corpus quod videtis, estis manducaturi, neque sanguinẽ quẽ illi effusuri sunt, bibetis neque etiam conuenit aut fieri potest, vt corpus nostrę conditionis atque passibile cõijciatur in tantillum panem. Quod si dixeris corpus datum fuisse impassibile, primum id nõ facile admittetur, cum ipse Christus tunc non habuerit corpus impassibile. Deinde verba Euangelistæ se opponunt: dicitur enim, Comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Cõstat autem passibile fuisse illud corpꝰ, in quo Christus tradebatur. Neque admitti debet idem corpus pro eodem tempore, fuisse passibile & non passibile, quandoquidem ista contradictoriè opponuntur. Igitur non dedit substantialiter & realiter corpus suum, non enim potuisset absque altera istarum conditionum tradi. CHEAD. *Respondeo, corpus illud sub specie panis erat impassibile Et concedimus eodem tempore, respectu tamẽ diuerso, & passibile fuisse & impassibile. Nam hæc accidentia sunt, quæ diuerso respectu simul adesse & abesse possunt, cõtraria verò & opposita requirũt eundem respectum.* MAR. Accidẽtia hæc esse non dubito: cęterũ quod contraria siue contradictoria pro eodẽ subiecto, & eodẽ tempo-

In corpus Christi datum in cœna, fuerit passibile aut impassibile.

Verè opposita non possunt esse simul in eodẽ subiecto.

dici figura hypoſtaſeos patris, neque propterea ſequitur, idem eſſe figuram & figuratum: nam inter perſonas eſt (vt loquuntur) realis diſtinctio. CHE. *Reſpondeo illud in ſcripturis commune eſſe, vt idē adſcribatur humanitati, quod eſt diuinitatis, & è contra. Vt, Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo: cùm tamen filius hominis non deſcendit de cœlo. Et Paulus: nunquā Dominum gloriæ crucifixiſſent. Igitur Chriſtus & ſecundum humanitatem, & ſecundum diuinitatem, dicitur imago ſubſtantiæ patris. Nam ſi hoc ei conuenit per vnam naturam, poteſt ei attribui ſecundum alterā, per communicationem idiomatum. Huc accedit, quod Chriſtus quatenus nudus homo, non poteſt dici imago ſubſtantiæ patris: nam tam & ego & omnes aliæ creaturæ diceremur imagines ſubſtantiæ patris. Igitur ſecundum quod Chriſtus eſt figura, & figuratum dicitur. Et ad Tertullianum reſpondeo, eum in Martionem ſcribere, qui ponebat Chriſti corpus eſſe phantaſticum, fatebatur autem in Chriſto figuram corporis humani: vnde Tertullianus arguebat ex conceſſis à Martione. Argumentum ſic inducebat: Quod eſt phantaſticum, non habet figurā, vt concedebat Martion. Ergo Chriſtus verùm corpus habet, non phantaſticum. Fuitque iſte ſcopus Tertulliani, & ex neceſſitate ſic arguebat, vt confunderet hæreticum, & erat violenta collectio. Vnde hic in ſumma eſt ſenſus Tertulliani. Chriſto figuratum & phantaſticum corpus attribuebat, & in ſacramento tamē non negabat eſſe corpus Chriſti, id eſt figuram corporis. Hinc arguit figuram nō eſſe corporis, niſi etiam verum corpus extaret: quia nō eſt figura niſi veritatis.* MART. Quod ad primū, ego nunquam negaui communicationē proprietatum in duabus Chriſti naturis, per quam concedo id quod dicitur de vna, & alteri poſſe attribui: ſed tamē dico diligenter eſſe excutiendū, quando tales communicationes occurrunt, ad quā naturam id dicatur, quod audimus pronūciari, vt in vtroque tuo exemplo apparet. Cum enim filius hominis dicitur è cœlo deſcēdiſſe, loquutionem recipimus, verum ſecundum diuinitatē id concedendum eſſe confitemur. Et Dominum glorię crucifixum fatemur, teſtamur attamen hoc illi dari propter humanitatem. Ita ego in illo loco ad Hebræos concedo Chriſtū imaginem eſſe ſubſtantiæ patris, ſed pro vt res ibi tractatur, aſſerebam iuxta humanitatem id eſſe dictum: quoniam ante redemptionē Deus loquutus erat patribus in diuinitate Chriſti, nouiſſimis autem temporibus loquutus eſt per filium, videlicet humanitate indutū. Quod etiā ſi omnino velles hoc diuinitatem reſpicere, relegaui te ad textū Græcum, ex quo poteras cōmodè intelligere diſcrimen inter figuram & figuratum. Quod verò adijcis, tunc illum non magis quàm me aut aliam creaturam fore ad imaginem Dei: nego conſequutionem, quia ſicut inter omnes homines eſt excellentiſsimus, ita etiam inter eos eſt pręcipua imago Dei. Neque dixi hoc illi conuenire, quà purus homo. Quis enim non videt humanitati Chriſti non conuenire tantam excellentiam, quantam eam videmus habere, niſi quia diuinitatem habet coniunctam? Quod ad Tertullianum, Agnoſco quod dicis eum ibi argumētari contra Martionem, ſed non eo pacto, vti tu recitas argumētum. Ait enim cum illo ex manifeſtis, & publicè confeſſis, in quibus etiam nō audebat hæreticus à cōmuni ſenſu eccleſię deſciſcere: nimirum quod hoc ſacramentum eſſet figura corporis Chriſti. Et arguit: Rei phantaſticæ non eſt figura: nam figura rem veram ſignificat: ſed hoc ſacramentum eſt figura corporis Chriſti, ergo corpus Chriſti nō eſt res phántaſtica: quādoquidem habet hoc ſacramentum pro ſua figura. Et tu noſſe debes, ad hoc, vt figura non ſit inanis, requiri, vt aliquid veri repræſentet. Hic facilis & lucidus eſt intellectus verborum Tertulliani. Quod verò tu affers collectionem eſſe violentam, & huiuſmodi, aliena ſunt. Et ſi ita voluiſſet argumentari Tertullianus, non oportebat Euchariſtiam producere: ſatis ex verbis Martionis cōficere potuit, quod volebat, dicendo: Cum tu fatearis id quod geſtauit Chriſtus, figurā eſſe & phantaſma corporis, Et figura nō poſsit eſſe, niſi rei alicuius quæ verè extet: hinc efficitur eſſe verum corpus, quod Chriſtus aſſumpſit. Quare mentio Euchariſtiæ ſuperflua eſſet. Sed iuxta meam ſententiā, perſpicuè concluditur: Euchariſtia (vt omnes fatentur) eſt figura corporis Chriſti: igitur corpus Chriſti eſt verum, alioquin figuram non haberet. CHEAD. *Reſpondeo vt ſuprà. Primùm, quod Chriſtus quatenus purus homo non magis poteſt dici imago ſubſtantiæ patris, quàm aliæ creaturæ. Et quo ad communicationē naturarū, idem Chriſtus eſt & figura, & figuratum. Et ad Tertullianum rurſus dico, figura eſt, ſed non tantū, verū etiam ipſa res. Verba Chriſti neceſſario cogunt.* MAR. Dico hic nullam eſſe coactionē à verbo Dei, quin debeat vtrunq; dari, & panem eſſe & corpus Chriſti. Nunc autem docebo, quia tu dicis non eſſe figuram tantum, ſed rem ſimul, ſacramentū hoc eſſe ſignum rei, quæ ſecundum præſentiā ſubſtantialē ac realē abeſt. Ambroſius lib. 4. de Sacramen. cap. 4. Sicuti ſimilitudinē mortis ſumpſiſti, ita ſimilitudinē prætioſi ſanguinis bibis. Nullus autem dubitat, mortem Chriſti non eſſe præſentē realiter in hoc ſacramento, & tamen dicitur ita bibi ſimilitudo ſanguinis, vt ſimilitudo mortis. CHE. *Gaudeo te tantū tribuere Ambroſio. Ille totus mecum facit, vt conſtat ex illis libris de ſacramētis, & ex iſto ipſo capite, & his verbis quæ tu citas. Statim enim ſubiungit: propter horrorē cruoris, datam eſſe hāc ſimilitudinem. Quod ſi antecedētia & ſequentia expendantur, videbitur longè aliud velle quā tu profers. Hic enim ſcopus eſt Ambroſij, vt doceat in Euchariſtia repræſentari mortem Chriſti, vt ſicut credis Chriſtum pro te mortuum, ſic eius ſanguine peccata tua lauari credas. De ſubſtantia autē ſymbolorū manente nulla eſt mētio.* MAR. Iactas Ambroſiū totum eſſe tuū: hoc poſtea cognoſcam in obiectionibus quas mihi facies. Sed quod attinet ad hunc locum, apertiſsimè dicit: quod ſicut illa eſt ſimilitudo mortis, ita hęc eſt ſimilitudo sāguinis. Et hinc ſatis habes, manere ſubſtātiā panis, quādo res quę ſignificatur, ſubſtantialiter & realiter eſt abſens: Sicuti mortē Chriſti ſcimus non eſſe præſentē quando

Communicatio idiomatum admittenda, ſed in ea diſtinguendū eſt quo ad intelligentiam.

Declaratio Tertulliani.

Euchariſtia eſt figura corporis Chriſti, quæ ſubſtantialiter, corporaliter & realiter abeſt.

quando communicamus, nisi annuntiando & commemorádo illam. CHE. *At non dicit similitudinem esse tantum: nam alijs locis, apertis verbis dicet, naturalem mutationem panis & vini.* MAR. Nihil moror particulam tantum, siue exprimatur, siue nō exprimatur: quia rem denotari absentem in similitudine inducta, satis apertè cōtinetur. Et dabitur tempus, vt istam mutationem positam ab Ambrosio, excutiamꝰ, cum descendero ad respondendum tuis obiectionibus.

Ordeo ad dictū quæstionis, vt probem tropum ex patribus.

Attamē vt intelligas, quàm apertè agnoscāt patres tropum in isto loco, citare visum est Augustinum contra Adimātum Manichęum: Nō dubitauit Christus dicere, Hoc est corpꝰ meū, cum daret signum corporis sui. CHE. *Agnosco hæc verba esse Augustini, & docebo qua ratione inductus ista scripserit. Manichæi omnes inimici fuerunt veteris Testamenti. Et cum legamus in Deut. Anima est sanguis, hoc dictum Adimantus conuellebat, quasi pugnans cum nouo Testamēto, opponebatque ei: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt: Aiebat Adimantus, Quoties funditur sanguis & conculcatur, toties anima patitur has iniurias, si est sanguis: quare nō rectè diceretur, quod animā homines non possent lædere? Augustinus respondet duplici ratione. Prima, Sanguinem in Deuteronomio appellari non animā hominis, verùm pecoris. Secūdo ait: Quid si etiam dicam hoc intelligendum esse secundum certum loquendi modum & de anima humana: quemadmodum Christus non dubitauit dicere, Hoc est corpꝰ meum, cum daret signum corporis sui? Et hoc volebat, quod quemadmodum latenter in hoc signo est reale corpus Christi, ita in sanguine est anima: & vt sanguis est signum animæ in se latentis, ita species est signum corporis, & hoc signum propter præsentiam latentem, vocatur corpus Christi.* MAR. Nō habet hæc Augustinꝰ quod corpus Christi, scilicet latēter sit in speciebus panis & vini: tu hæc affingis. Suprà contendebas idē esse signum & signatum, figuram & figuraum. Nunc dices ne, sanguinē idē esse cum anima? Certè velis nolis sunt duę substantiæ, nec vna ab altera tollitur, vt vos hic de pane fieri statuitis. Deinde sanguis, quando est signum animæ in corpore manentis, oportet vt videatur, sitq; extra corpus animantis, & tunc ibi non latitat anima. Et de illo debet sermo fieri, de quo scriptura prohibebat, ne ederetur: is autem erat separatus à corpore: non enim aliter comedi potest, quod tum in lege prohibebatur, cum ista dicerētur. Sed de hoc quicquid sit, nunc mittamus. Id saltem habeo, quod concludam, signum non esse signatum, neque figuram figuratum, in hoc sacramento, quod suprà tam vehementer contendebas. Etenim sanguis, qui signum ponitur animæ, nunquid est anima? Ita & quod Christus dabat, cum hoc pacto dicat Augustinus fuisse signum corporis Domini, tá est corpus Domini, quàm sanguis est anima. CHEAD. *Respondeo, similitudinem non tàm tendere, sed vt doceat, quod quemadmodum latenter est anima in sanguine, ita latēter est corpus Christi in speciebus panis & vini, & ipse contextus eò tendit. Nam vt in hoc visibili continetur corpus Christi, ita in illo visibili continetur anima: non autem per omnia quadrant similia* MAR. Mihi maximè videtur eo spectare quò dicebam, vt asserat: Quemadmodum illic sanguis est anima, ita hic panis est corpus. Nunquam latens vel non latens dixit Augustinus. Hæc post abs te assuta sunt. Is voluit ostendere phrasim esse scripturę, qua aliquid esse dicatur illud, cuius fuerit signum, tametsi ab eo sit res distincta atque diuersa. CHEAD. *Etiā si non dicat Augustinus, eò tamen tendit similitudo, corpus enim ita est latenter in signo, quemadmodum anima in sanguine.* MARTYR. Hic ego non video eum aliud attingere, quàm hanc esse phrasim, & loquutionem scripturæ, qua nomen signati signo tribuitur.

Euincitur, signum nō esse signatum, sicuti sanguis nō est anima.

Iusserunt domini Legati, vt ageretur in secunda quæstione.

An Corpus Christi substantialiter & carnaliter sit in pane & vino, vel sub accidentibus panis & vini.

D. MARTYR.

CHRISTVS accepit panem, Benedixit, fregit, & dedit discipulis suis, dicens, Hoc est corpus meum. Ex te quæro, vtrum corpus illud passibile fuerit, vel impassibile? Passibile non erat: nam Augustinus super Psalm. 98. habet: Non hoc corpus quod videtis, estis manducaturi, neque sanguinē quē illi effusuri sunt, bibetis neque etiam conuenit aut fieri potest, vt corpus nostrę conditionis atque passibile cōijciatur in tantillum panem. Quod si dixeris corpus datum fuisse impassibile, primum id nō facile admitteretur, cum ipse Christus tunc non habuerit corpus impassibile. Deinde verba Euangelistæ se opponunt: dicitur enim, Come dite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Cōstat autem passibile fuisse illud corpꝰ, in quo Christus tradebatur. Neque admitti debet idem corpus pro eodem tempore, fuisse passibile & non passibile, quandoquidem ista contradictoriè opponuntur. Igitur non dedit substantialiter & realiter corpus suum, non enim potuisset absque altera istarum conditionum tradi. CHEAD. *Respondeo, corpus illud sub specie panis erat impassibile. Et concedimus eodem tempore, respectu tamē diuerso, & passibile fuisse & impassibile. Nam hæc accidentia sunt, quæ diuerso respectu simul adesse & abesse possunt, cōtraria verò & opposita requirūt eundem respectum.* MAR. Accidētia hæc esse non dubito: cęterū quod contraria siue contradictoria pro eodē subiecto, & eodē tempo-

In corpus Christi datum in cœna, fuerit passibile aut impassibile.

Verè oppōsita non possunt esse simul in eodē subiecto.

re, simul affirmari possint, absurdũ esse statuo. Quod verò tu ais diuerso respectu, nihil te iuuat. Nam in relatiuis hoc posset aliquid esse: puta quod idem valeat idem simul dextrum & sinistrum dici magnum, & paruum: si comparetur ad diuersa, est verum. At nos agimus in præsentia de qualitatibus absolutis, videlicet de statu & conditione corporis Christi, an sit passibile, vel impassibile, & ista duo simul, & pro eodem tempore fuisse negauimus, propter rerum pugnãtiam. Et verba Euangelistæ contrahunt ad statum passibilem. Nam statim subditur, Quod pro vobis tradetur CHE. *Relatiuum, Quod, notat substantiam, quod non sit alia substantia sub speciebus panis & vini, quàm illa quæ pro vobis tradetur: non autem qualitatem, passibilem inquam, vel impassibilem.* MAR. Sed cum hic velis relatiuũ, Quod, substantiam referre, ita vt sit sensus, hoc corpus quod accipitis, substantia quidem est idem cũ eo quod pro vobis tradetur, conditione autem vel qualitate non conuenit. Hac tua expositione admissa, quæro ex te quomodo mihi interpretaberis inductã Augustini sententiam, Non hoc corpus quod videtis comesturi estis? Accipiatur hic quoque relatiuum, Quod, vt substantiam referat, veluti cõtendis faciẽdum apud Euangelistam: & videbis quid sequetur, nimirũ, substantialiter nos Christum non comedere. Vel si volueris apud Augustinum, Quod referre qualitatem, patiaris & me ita pro qualitate verba Euangelistæ intelligere, & quod tibi permittis mihi negare non debes. CHE. *Apud Augustinum Relatiuum, Quod, qualitatem denotat, nõ substantiam, atque id respondere cogimur, quia is loquitur de corpore quod videbant. Non autem videntur nisi accidentia, ipsa quippe substantia non videtur. Deinde quæ Augustinus dicit, Spiritualiter intelligẽda sunt, nõ carnaliter, quemadmodum Capernaitæ, qui putarũt carnẽ Christi comedendã, veluti si ex macello emta fuisset. Et est ac si diceretur, Non comedetis in humana specie, verũ sub alia forma, nimirum panis communis, ne horreatis carnes.* MRR. Multa audiui, neque tot interrogaueram. Quæstio erat, de hoc relatiuo, Quod. Nam vis ipsum pro tuo arbitrio accipere, modo vt substantiam referat, modò qualitatem. In Euãgelista applicas ad substantiam, in Augustino refers ad qualitatem. Idq; facis pro commodo tuo, atque tantum ea de causa, vt eludas argumenta. CHE. *In Augustino idcircò variaui, quia voces sumendæ sunt, quemadmodum à doctoribus proponuntur. Cumq; Augustinus dixerit, Non hoc corpus quod videtis, ô Capernaitæ comesturi estis, necessario ad accidentia & qualitatem confugio, quæ referatur: quia ista videtur, non autem substantia.* MAR. Non te iuuat hæc stropha: quia sequitur in Augustino: Neque bibituri estis sanguinem quem fusuri sunt, qui me crucifigẽt. Hic iam nõ loquitur de sanguine bibendo, sed effundẽdo: & nemo dubitat substantiam ipsam sanguinis effusã fuisse, non tantũ accidenntia. Quare vt Quod relatiuum, substantiæ referat qualitatem, non habes rationem, nisi quia libet. CHE. *Sensus Augustini fuit: Sanguinem meum non bibetis sub ea specie & forma, qua illum effundebant Iudæi, verùm sub specie vini in sacramento.* MAR. Tu sic interpretaris, & interim nihil respondes, de licentia qua abuteris in his relatiuis permutãdis ad tuum commodum.

Accipit relatiuum Quod, pro substantia.

Modò relatiuum Quod, accipit quasi referat qualitatẽ.

Ex verbis Augustini probatur particulã, Quod, accipiendã pro substantia.

Sed ad caput argumẽti redeo, quo dicebam, idem Christi corpus, non suscipere pro eodem tempore tam oppositas qualitates, vt est passibile & impassibile. Confugiebas ad diuersos respectus. At quã id profuit in ista causa de corpore Christi, audi Vigilium libro 4. contra Eutichen: Quoniam vna natura contrarium quid, aut diuersum non recipit in se ipsa. Diuersum est autem, & longè dissimile, circumscribi loco & vbique esse: quia verbum vbique est, caro autem eius vbique non est. Vides itaque hunc eruditissimum patrem negare, quod eidem naturæ conuenire possit, circumscribi loco, & nõ circumscribi. Vnde vnum istorum tribui vult diuinitati, alterum verò humanitati, eo quod natura humana vtriusque non sit capax. Quod si locus esset suffugio tuo de diuersis respectibus, ab eo inutiliter diceretur. Nam obijceret quispiam illi: Natura humana Christi, vno respectu est circũscripta, vt vos dicitis, qua est in seipsa, vt verò in Eucharistia, est incircumscripta. Sed quia circumscriptum & incircumscriptũ, quẽadmodum passibile & impassibile, sunt absolutæ qualitates, ideo quocunque respectu agas, idem corpus non potest vtranque simul, & eodem tempore conditionem subire. CHE. *Nõ concedo corpus Christi, esse in diuersis locis localiter, sed dico esse in diuersis locis per accidens, quia scilicet species, in quibus continetur, sunt in diuersis locis.* MAR. Hoc à me nõ agebatur ex Vigilio citato, vt nũc quærerem, an corpus Christi simul sit in diuersis locis, sed tantum vt ostenderem eum confirmare, quod adstruxerã, vnam eandemq; naturam simul eodemq; tempore suscipere contraria, esse impossibile: neque id adiuuare quod dicebas, id fieri diuerso respectu: quando illæ cõtrarietates absolutę sunt, neque tractatur de relatiuis, sed natura in se ipsa consideratur.

Attamen quia tu inde recedis, & mihi proponis te statuere corpus Christi simul esse in diuersis locis, atque id non localiter, sed per accidẽs, quia species cõtinentur diuersis locis. Huc quoq; ad te descendo, & aio hac tua distinctione vestrã causam nõ releuari. Nam corpus Christi neq; localiter, neq; nõ localiter, potest esse in multis locis: quandoquidẽ creatura est, & res definita, & audiuisti à grauissimis testibus, nulli creaturæ dari, imò neque angelis, vt sint in multis locis simul, qui tamen in loco non sunt localiter: carẽt enim corporea mole. Deinde adfers noua & inaudita, cũ in prophanis, tũ in sacris literis, quòd corpus in aliquo loco sit & non localiter: hoc enim est dicere, corpus & nõ corpus. CHE. *Hæc ideo accidunt, quia Christus corpus non in sacramento non habet corpus quantum.* MART. Hoc illud est quod expectabam, vt rei pera geremini, non solum furti, sed etiam sacrilegij: pani surripitis iniustè suam substantiam, & nunc corpus Christi sua quantitate expoliatis. CHEAD. *Non solùm corpus Christi, verum*

Dicitur esse quanti in Eucharistia.

Fures & sacrilegi.

rum etiam corpora noſtra poſt reſurrectionem glorificabuntur, erunt́ immortalia, & ſine quãtitate MAR. Non poſſum ſatis mirari, quomodo hęc dicatis. Nonne videtis quod auferendo quantitatẽ ab humano corpore, ipſum tollitis? eſt enim organicum, cum ſit animatum, oportetque vt multa membra & partes habeat, quę ſine mole & quãtitate conſiſtere non poſſunt. Vnde bene conſequitur, Quantitate ſublata ab humano corpore, ipſum etiam extingui. CHEAD. *Nego argumentum.* MAR. Vbi ergo collocatis verũ Chriſti corpus cum ſua quãtitate? CHE. *Eſt in cœlo, vt in loco.* MAR. Igitur non ponitis verũ Chriſti corpus in ſacramento. Nam ſi eſt illic abſque quantitate, ſubſtantia quidem eſſe poſſet, verũ non humanum corpus: nam id eſt diuerſarum partium, atque organicum, quæ ſemota quantitate, locum non habent. CHE. *In ſacramento verum corpus Chriſti ponimus, ſed nõ quantum, nec vt in loco.* MART. Si caret loco & quãtitate, quãdo eſt ſub veſtris ſpeciebus, tunc erit ſubſtantia ſpiritualis: quia corporea ſubſtantia & incorporea, diſtinguũtur mole, quãto, & non quanto. Neque ſpiritus dimenſiones habent, vt corpora: quod Chriſtus confirmauit, cum diceret: Spiritus carnem & oſſa non habet. CHE. *Admitto corpus Chriſti eſſe quid ſpirituale: quia ſenſus de eo non iudicat, ſicuti poteſt iudicare de cæteris corporibꝰ quantis.* MAR. Hic nõ ago de corpore Chriſti, pro vt ſenſu percipitur, vel non percipitur, neque de captu noſtro: ſed loquor de eo, vt eſt in ſeipſo. Et affirmabam, oportere quantum eſſe, molemq; habere: alioquin eſſet ſubſtantia incorporea, & prorſus reponeretur in genere ſpirituum. CHE. *Tractamus hic de præſentia corporis Chriſti in ſacramento, quam ponimus quo ad rem ipſam & eius ſubſtantiam: non autem curamus de accidentibus corporis Chriſti, id eſt de quantitate & dimenſionibus, an adſint vel non adſint. Et quo ad argumentum tuum, dico inualidũ eſſe. Non enim ſequitur, Hoc corpus non eſt ſub ijſdem qualitatibus, & quantitatibus: ergo non eſt idem corpus. Et Chriſtus modò in cœlo non habet eaſdem qualitates, quas hic habuit: ergo non habet idem corpus: nõ valet argumentum. Si enim omnes illæ qualitates quæ erant in corpore Chriſti, requirerentur nũc in ſacramento, ad hoc vt idem eſſet corpus, ſequetur nunc nõ eſſe in cœlo eundem Chriſtum qui crucifixus erat. Nam modò & inſunt hæ qualitates, quas habuit in cruce, vbi effudit ſanguinem, & paſſibilis erat. Mutatus eſt itaque modus eius: ille autem ſemper idẽ manet.* MAR. Deus bone, hic tu omnia varias, & tempora, & accidentia, de quibus agimus. Quis enim hic negauit corpus Chriſti, ſucceſsiuè eſſe poſſe ſub diuerſis qualitatibus, nec requiri vt ſemper eaſdem habeat? Quis neſciat eum modò habere alias qualitates, quàm habuerit in cruce? Quod ſupra contẽdebatur, id erat: non poſſe ſimul & eodem tempore paſsibile & impaſsibile, mortale & immortale corpus exiſtere, & modò cum agatur de mole & quantitate corporis. neſcio quomodo ſis ad qualitates delapſus. Tu reſponderas, ideò corpus Chriſti poſſe adeſſe non localiter: eò quòd non eſſet in Euchariſtia quantum, aduerſus quam ſententiam argumentum meum erat: Corpus phyſicum & organicum, quale oportet humanum eſſe, auferri & omnino perdi, ſi dematur ei quãtitas. Ad hoc nihil eſt reſponſum. CHEAD. *De qualitatibus, quas ego dico non oportere eaſdem eſſe in corpore Chriſti, vt idem ſit: verum eſt, quòd muto tempora: ſed tu mutas etiam modum. Et perinde eſt de modo atque tempore: vnde ſi ego pecco mutando tempora, tu item peccas tuo argumento, mutando modum.* MAR. Ex his quæ dicis, nulla ad argumentũ elicitur ſolutio: nam vt loqueris, ſtatuis eodem tempore Chriſtum in cœlo eſſe cum quantitate circumſcriptũ, & in loco: In ſacramento autem non circumſcriptũ, ſine quantitate, & abſque loco. Et tam cõtraria in eadem natura Vigilius docuit non poſſe recipi. Quod ſi varius modus (vt tu aſſeris) facit poſsibile, vt in natura eadem recipiantur, ſimul & eodem tempore tam diuerſa, iam vicit Eutyches, neque Vigilius aduerſus illum concludit: dicet enim corpus Chriſti quo ad ſe ipſũ, circumſcriptũ eſſe: qua verò tranſit in diuinitatẽ eſſe incircumſcriptũ. Quo ad ſuã naturam eſſe finitũ: vt in diuinitatem tranſit, infinitũ. Et ſic aduerſus illũ fruſtra Vigilius laborauit. CHE. *Imò hoc docuit, quod ego dixi, tantũ plura loca negat corpori eodẽ modo ſumpto: Et profectò corpus aliud eſt in ſubſtantia, aliud in quantitate. Quod ſi quis te roget, an quantum ſit de natura ſubſtantiæ, opinor negabis.* MAR. Non velim haberi tam rudis, quaſi prędicamenta non norim, ſcio quantitatem poſteriorem eſſe ſubſtantia: non tamen ſequitur, vt quæ mataphyſica ratione ſunt à ſe inuicẽ diſcreta, poſsint, quo ad exiſtentiam, in natura à ſe iuuicem ſeparari. Quare adhuc perſtat argumentum in ſuo robore: corpus animatum quod habet organa & membra, quæ naturæ animatæ cõueniunt, non poſſe exiſtere ſine quantitate, & certo loco. Quod ſi vos nũc aliũ modum (vt loqueris) obtruditis, figmentũ eſt à vobis repertum, vt hoc argumẽtorum genus eludatis. CHEAD. Verum eſt de corpore Chriſti in cœlo, quod ſine quantitate atque ſuis organis eſſe non poſsit: non tamẽ in ſacramento idem concedo, vbi nihilominùs vnum eſt ſecundum ſubſtantiam cum eo quod eſt in cœlo. MART. Iſta ſunt, quæ attuli tam aperta, vt amplius circa ea me laborare non oporteat, niſi tu noui aliquid adferas.

Hic interpoſuit quædam argumenta Dominus Carterouitus, rogauitque, vt id ſibi liceret: quod & Dominus Cancellarius permiſit.

CARTEROVITVS.

NE in te dicatur clariſsime doctor, quod ait de Chriſto ſcriptura, Torcular calcaui ſolꝰ: ad ornatũ huiꝰ ſcholę, partẽ laboris decreui ſubire. Si eſſet Trãſubſtãtiatio, mali etiã

An mali sumant corpꝰ Christi.

sumerent corpus Christi: non autem sumunt: ergo non datur Transubstantiatio. CHE. *Nego minorem.* CAR. Ex sexto Ioan. Qui mandcat meam carnem, & bibit meum sangui nem, in me manet: sed mali in Christo non manẽt: igitur non manducant corpus Christi. Et August. in hunc locum ait, Hoc est manducare Christũ, illũ manentẽ in se habere. Vnde patet, cum mali Christum non habeant in se manẽtem, eum non mãducare. Et Paulus 2. ad Cor. Qui manducat panem hũc, & bibit calicem domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Ecce illos dicit panem manducare, non corpꝰ Christi. CHEAD. *Ad verba Iohãnis dico, ea intelligi de his, qui digne manducant: tunc enim verum est Qui mãducat carnem meam & bibit sanguinem meũ, in me manet, & ego in eo. Augustinus autem loquitur de effectu sacramenti. Et Ioannes non intelligit, quisquis manducat, sed quicunque, quo modo debet, manducat in me manet, & ego in eo. Et tales loquutiones reperiuntur in scripturis. Nam apud Ioannem, Interrogauerunt discipuli Christum: Quis peccauit, hic an parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondet Christus, neque hic peccauit, neque parentes eius. Quod sanè est contrabendum: non enim negat simpliciter peccasse. sed negat propter eorum peccata, hunc factum esse cæcum. Ita hoc in loco Ioannes: Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem, manet in me, & ego in eo: accipit de illis, qui dignè manducant. Et Augustinus non negat malos manducare, sed tamen docet effectũ veræ & dignæ mãducationis. Et locꝰ à Paulo citatꝰ expressit verbis, & dignæ & indignæ manducationis meminit.*

CAR. Negare substantiã panis manere, est negare sacramentũ: nã sacramentũ est sacrę rei signũ. CHEAD. *Dico manere signũ, Species inquã panis & vini, quæ repræsentãt æquè signata, ac si manret eorũ substãtia: nã significãt nos vnũ esse in Christo, & ab eo spiritualiter nutriri.* CAR. Imò similitudo inter signũ & signatũ hęc est, quod quemadmodum panis nutrit corpus, ita caro Christi nos nutrit. Quid vero ad hoc faciunt vestra accidentia, vt rotunditas, color & alia huiusmodi?

In secunda quæstione.

CAR. Quoniam non est animus impedimento esse huic venerabili viro, quo minus institutum persequatur, breuiter vt in prima quęstione, tecum agam & in secunda, in qua probabo, realiter corpus Christi in sacramento non esse.

Christus si adesset carnaliter, impediret nostrũ profectũ Spiritualem.

Christus dicebat, Expedit vobis vt ego vadam: Nam si mansisset, fuisset impedimẽto (vt ipse ait) quo minus ad eos veniret spiritus sanctus: quia nimis afficiebãtur circa eius carnalem præsentiam. Quare eodem modo, si diceretur in altari substantialiter præsens adesse, impediretur populus quo minus attollerent animos & oculos in cœlum, ac spiritum, & eius dona consequerentur. CHEAD. *Nego eam quam ponimus præsentiam, populo esse impedimento. Illa sanè fuisset impedimento, qua cum Apostolis versabatur.* CAR. Hoc impedimentum satis est euidens: nam homines credentes istam realem præsentiam, dicunt, audita missa, Hodie vidi Dominum meum: & hanc putant summam pietatis, & sic auocantur à seria & vera manducatione. CHEA. *Si offenditur aut læditur populus, error illorum est corrigendus, & populum doceri oportet. Nam si omnia quæ populo scandalo sunt, auferri deberent, esset tollendum Euangelium, in quo multi scandalizantur.*

CAR. Non magis est Christꝰ in Eucharistia, quam spiritus sanctus fuerit in columba: sed columba tantum fuit signum descendentis spiritus, igitur Eucharistia tantum est signum. CHE. *Non dicit columbam esse Spiritum sanctum scriptura, quemadmodum dicit, Hoc est corpus meum. Nec est Eucharistia organum ad significandum, sicuti fuit columba.* CART. Imò vidi (inquit Ioannes) spiritum sanctum descendentem super eum. CHEAD. *Erat verè spiritus sanctus, qui descendit: sed additum est, in specie columbæ.*

MARTYR. Ego persequar primum argumentum Doctoris Carterouiti: cui gratias ago, quod ita voluerit à nobis stare. Fecit sanè mihi rem gratam, & multis alijs, vt spero. Tu assumis, ab omnibus qui communicant, verè mãducari corpus Christi: ego de impijs & infidelibus id prorsus nego. Nam infidelis, si percipiat corpus Christi, hoc vel sensu facit, vel ratione, vel fide. Sensu non potest dici, quia ad Christum non pertingit, & tantum symbola percipit, neque (vt vos ponitis hic corpus Christi) sensu valet percipi. Non item ratione, eodem argumento, quia superat eius captum. Su peressẽt fides, sed cùm ea careant infideles, non possunt ea sumere corpus Christi. CHE. *Nego minorem, quia ore percipiũt corpus Christi.* MAR. Quasi ore percipiatur aliquid absque sensu: quæ per os trasmittuntur, apertum est à nobis sentiri. CHEAD. *Ore percipiunt corpus Christi, sensus verò percipit accidentia. Deinde, si ego fide caream infidelitas mea, fidem Dei non aufert, neque facit irritam aut vacuum verbum eius: nam post consecrationem, est corpus Christi, sive ego credam sive non credam.* MART. Quod dicas ore percipi corpus Christi, his aduersatur quæ posuisti: nam ais corpus Christi in Eucharistia non esse quãtum, & oris nostri actio siue perceptio, cum sit naturalis, ad substãtiam spiritualem non extenditur. Nec vnquam ostendere poteris ore percipi nisi symbola. Quoad veritatem sacramenti & Dei fidem, scio sacramentum esse verum, etiam si non credamus: sed hoc non efficit, vt qui fide caret, aliud habeat, quàm sacramentum, id est signum, vel symbola. Et quid sit edere Christum, declarauit Cyprianus, in sermone de cœna domini, cũ ait: Vt scirem⁹, quòd mansio nostra in Christo sit manducatio, & potus quasi quędã incorporatio. Item, Etus igitur carnis huius, quædã auiditas est, & quoddã desiderium manendi in ipso. Iterum, quod est esca carni, hoc est animæ fides: quod cibus corpori, hoc verbum spiritui. Rursus, Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendũ acuimus, sed fi-

De manducatione impiorum.

Quid sit edere Christum.

de

de sincera panem sanctum frangimus,& partimur. Augustinus etiam habet de Ciuit. Dei libro 21. cap. 25. Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi: quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse membra Christi, & membra meretricis. Deniq; ipse dicens, Qui máducat carnem meá, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo: ostendit quid sit non sacramento tenus, sed reuera corpus Christi manducare,& eius sanguiné bibere, hoc est, eũ in Christo manere, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit, tanquàm diceret. Qui nón in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum,aut bibere sanguinem meum. Habetque alibi,quod bibere est viuere. Et, Cur paràs ventrẽ & dentem? crede & máducasti. Quę cum impijs non conueniant, minime possunt dici edere corpus Christi. CHEAD. *Patres respiciunt effectum sacramenti, & non loquuntur de re sacramenti aguntque de comestione spirituali: & tales praeses habet scriptura: Non noui vos, scilicet in hũc finem, vt approbem. Et, quicũque baptizatus fuerit,saluus erit: Et,quicunque inuocauerit nomẽ Domini,saluus erit, semper addendum est, si perseuerauerit. Possum enim credere & baptizari, & tamen damnari,si non perseuerem: sic etiam qui manducat Christũ, non habet effectum sacramẽti,de quo loquuntur patres, nisi dignè manducauerit.* MAR. Sancta scriptura non agnoscit manducationem Christi, nisi salutarem: neque ex literis sacris habetis impios máducare corpus Christi. Et de indignè comedentibus sic loquitur Paulus, Si quis manducauerit hunc panem, aut calicem Domini biberit. Panem dicit illos manducare corpus Domini. CHE. *Ideò sic loquitur Paulus: quia corpus Christi appellat panem ex eo quod antea fuit panis, vel quia speciem habet panis. Deinde Paulus dicit: Panem hunc & calicem Domini.* MAR. Tu dicis, Corpus manducari à malis, Paulus non dicit, sed panem scribit. Tu ad suffugium vsitatum recurris: sed nisi aliter satisfeceris non potes euadere, cùm Paulus apertè panem appellat: adijcit autem, hunc, & dicit, Domini, quia iàm mutata sunt in sacramenta. CHE. *Augustinus contra literas Petiliani libro 2. cap. 55. apertè docet impios cõedere corpus Christi, dicens: Quid dementius quàm sacramentis Domini communicare? Hi itaque dicturi: In nomine tuo manducauimus & bibimus, audituri, Non noui vos, qui corpus eius & sanguinem in sacramento manducant, & bibunt, & membra eius toto orbe diffusa non agnoscunt. Et habeo centum loca, quæ proferentur cùm dabitur occasio.* MAR. Locus Augustinus quem citas, nil conuincit: nam impios carnem & sanguinem domini accipere, ideò potest concedi, quia sacramenta istarum rerum sumunt: & vt idem testatur Augustinus. Sacramenta habent nomina rerum quas significant. Quo verò ad alia loca quæ dicis te habere, expectabimus vt proferantur, & tunc obiectis respondebo.

Quod verò ad præsens attinet, ex sacris literis nullũ verbum protulisti, quo docueris impios comedere. Ex August. autem apertè ostendam ista conuerti, comedere corpus Christi, & habere salutem & vitam. Nam habet super Ioannem, Tractat. 26. Qui non manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem, non habet in se vitam æternam: & qui manducat eius carnẽ, & bibit eius sanguinem, habet vitam æternam. Audis ne ista retrocedere & conuerti? Et mox: Hoc est manducare illam escam, & illum bibere potum, In Christo manere, & illum manentem in se habere: ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio non máducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi. CHEAD. *Verum est, quod non manducant neque bibunt ad salutem. Hoc modo sumit Augustinus manducare corpus Christi. Et scripturæ dicunt indignè aliquos manducare.* MAR. Quæ tu dicis Augustiin⁹ non habet: & Paulus apertè vocat panẽ, id quod impij comedunt. Vestrũ verò figmentũ est, corpus quoddam Christi extare, quod mali comedũt nec salutẽ habeãt, neq; spirit⁹ Christi participes fiãt.

Manducare panem Christi, & habere vitam retrocedunt, & in se cõuertuntur.

Tertia actio fuit inter Morganum, Treshamum, & D. Petrum Martyrem.

Quoniã libri D. Treshami, culpa famuli eius nõ sunt allati, idcirco is rogabat vehementer, vt aliquantulum expectaretur. Verùm domini Visitatores, ne temporis iactura fieret, Morgano magistro artium iusserunt, vt opponeret, qui eo die alioquin erat deputatus ad obijciendum:

MORGANVM.

QVIBVS principijs agam tecum vir doctissime, in tuo dogmate statuendo? num scripturis tantum insistes? patribus & concilijs num deferes? MAR. Decreueram ante disputationem præfari aliqua, ad quæstiones, quas proposueram muniendas: & quibus nonnihil alloquerer, & satis facerem aduersario meo, qui hodie erat obiecturus. Sed quia casus accidit, vt subrogareris ei ad horam, qua decreueram nunc proponere, differam in aliud tempus. Ad ea verò, de quibus me interrogasti, antequam tibi respondeam, exequar consuetas meas preces.

PRECES.

CVm simus Deus optime, maxime, de summis nostræ religionis mysterijs acturi, tum accedimus bonitatem atque misericordiam, qua valeamus depósitò contendendi affectu, ac omni remotâ

perturbatione animi veritatem sincerè, disquirere, inuentam complecti, & adeptam purè docere. Tu itaque Spiritus sancti gubernatione, disputando nos regas, quo in tuis excutiendis verbis, rationibus examinandis, & quæ videntur suadendis vel dissuadendis, à summa pietatis, ne lato quidem vngue discedamus. Verùm quicquid inuenerimus, cogitauerimus, & dixerimus, tua ope, & numine directum, quantum fieri potest ad honorem tui nominis conducat, per Christum Dominum nostrum Iesum. Amen.

NVNC respondeo. Rei theologicæ κριτήριον A
siue principiũ, quo iudicamus de sacris literis
aliàs docẽ to probaui duplex esse, scilicet spiritũ
sanctũ & sacras literas: quorũ vnum est inter-
num, alterum verò externũ. Sed quia nunc de
Quod sit principium quo iudicamus de sacris. externo agimus, dico non debere aliud poni,
quam scripturam: ibi fundamentũ iacio, atque
illi cumprimis innitor. Patres, verò non aspernabor, imò illis deferam, quando iuxta scripturas loquuntur. Eos citaui, quemadmodũ audiB
stis, & in eo fortassis fui nimius, non quòd ab illis pendeam, sed quod videam multos addictos eis superstitiosè, qui perpetuò clamant, Patres, Patres, eosq; semper aduersum nos stare existimant. Istis indicare volui, eos maximè pro nobis facere, & quæ de patribus dixi, de concilijs tibi responsum arbitreris. Ad summã, scripturæ sanctę innitimur, & omnibus deferimꝰ, qui iuxta eã loquuntur, & loquẽtur. MOR. *Itaque agamus è scripturis. Sed ista quã habemus præ manibꝰ ambigua est, qua dicitur, Hoc est corpus meum. Nam alij colligunt hinc Transubstantiationẽ, alij corporeã præC
sentiam cum pane, alij impanationẽ, qua corpus Christi & panis coalescunt in vnam personã, alij nudã signum esse constituunt, alij signum efficax. Nec desunt qui de*
Contendit scripturam quam habemus in manibus, esse obscuram. *præsentia Christi nihil præterea curant, quam vt hinc cultũ omnem propulsent; vt quendã iuuenem Anglum ego noui. Quando itaque videmus alios aliud statuere, & tot sint dissidia, doce me, quis nam sensus huius scripturæ sit retinendus?* MART. Ex scripturis bene
excusis, non difficulter elicietur proprius sen- D
sus horũ verborũ. In Iohan. 6. ostendit Christꝰ quamapertissimè, corporis sui manducationẽ accipiendam esse spiritualiter. Dixit enim verba sua spiritum & vitam esse: & spiritum viuificare, carnem verò nihil prodesse: & illicò suæ
E scripturis elicitur sensus huiꝰ propositionis, Hoc est corpꝰ meũ. ascensionis meminit. Atq; hæc de re in illo capite tam copiosè egit, vt postea nihil de ea scripserit in extrema cœna: veluti Augustinus testatur in libro de cõsensu Euangelistarũ. Spectes
deinde in eodẽ cap. retulisse Christum carnalẽ E
manducationẽ, quã suspicabãtur Capernaitæ, ex quibus potes elicere manducationẽ corporis Christi carnalẽ non esse, verũ spiritualẽ. Vnde quò ad hoc & facilè & clarũ sensum habes. Præterea scriptura nominat apertissimè panẽ. Dominus accepit, benedixit, fregit, & dedit panem. Panis quẽ frangimus, inquit Paulus, nõne cõmunio corporis Christi est? Item, Quotiescunq; manducabitis hunc panẽ. Quare & hinc etiam liquet, panem manere. Nec est quo
ad hoc, vt loci obscuritatẽ causeris. Et loquF
tionẽ tropicã hic haberi multa demonstrant. Non enim propriè conuenit Christi corpori, vt manducetur: nam quæ manducamus, dentibꝰ conterimꝰ & commolimꝰ, & in ventrẽ transmissa concoquimꝰ, ac in nostrã substantiã conuertimus: quod propriè de corpore Christi dicere, nephas est. Et ad calicem, tropꝰ manifestissime habetur, cum dicitur, Hic calix nouum testamentum est, &c. Adhæc sunt loquutiones euidentissimæ in scripturis de sacramẽtis, à quibus interpretatio huius loci haberi potest. Nã circumcisio dicitur pactum: & agnus, vel sacrificium, appellatur pascha. Dixitq; Paulus de Baptismo, quòd in eo consepelimur Christo: neq; ait ibi sepulturã significari. Et Christum scimus habuisse verè humanũ corpus, assumptumq; esse in cœlum, & inde venturum ad iudicandũ orbem. Hæc omnia loca si quis bene interse componat, de sensu scripturę huius nõ aliter iudicabit atque nos. MOR. *Lutherus habebat scripturas, & dissentiebat à Zuinglio, Catholici eas vident ac legunt, & discrepant ab vtrisque. Videturque scriptura tã ambigua, vt nisi alieno lumine illustrẽtur, id est patribꝰ, ad nos docẽdos nõ sufficiãt.* MAR. Imò abũ dè sufficiunt, vt modo audiuisti me declarasse.

MORG. *Quoniam video te scripturis inhærere, quæ tamen à varijs diuersimodè torquentur, iam tecum agam ratione concisa desumpta ab eo loco, in quo sacramentum fuit institutũ. Christus accepit panem: Quem panem accepit?* MAR. Cũ dixeris à varijs diuersimodè scripturas torqueri pro illorũ affectu, respondeo id fieri, vel prauorum vel imperitorum hominum vitio: attamen illæ non sunt culpandæ quasi obscuræ in rebus necessarijs ad salutem: cùm proferuntur & candidè legũtur, probè suum officiũ faciunt. Et spiritus sanctus attestatur eas vtiles esse ad docendum, arguendum, & instituendum, hominem, vt sit perfectus, & ad omne opus bonũ instructus. Quod si aliqui hæserunt, eorum fuit vitium, non scripturæ: & propter illorum contentiones accusanda non est scriptura, quasi nos docere non possit. Videmus contra Arrianos demonstratum sæpe fuisse, atque id è scripturis, Christum Deum esse: voluerunt attamẽ illi contendere, nec mutarunt sententiam: quod nihil detraxit scripturarum luci & dignitati. Non est igitur quod mihi obiectes homines vel adhuc viuentes, vel paulò ante mortuos, qui inter se dissenserint, & tamen scripturas habuerint. Quia & aliæ causæ assignari possunt huius eorum dissidij, quam scripturarum ambiguitas. Vt autem de illis modò iudicem, non est locus: satis mihi est scripturæ defendisse munus. Ad id verò quod interrogas: Quem panem Christus acceperit. Respondeo communem fuisse, & vsitatum: azymum videdelicet, quia celebrabatur pascha. MOR. *Quando illum consecrauit? An cum accepit in manus, An quando benedixit, vel quãdo dedit? quãdo his tribus?* telligã panẽ cõsecratũ? MAR. Gratias agendo, dicendo quæ dixit, & faciẽdo quę fecit. Quare & nos debemꝰ illa eadẽ cum dicere tum facere. Et quia non habemꝰ alioquin locũ certum, id est

verba

verba quatuor vel quinque, quibus consecratus sit panis aut vinum, ex demonstratione scripturæ: ideò totum id recitare debemus quod in historia cœnæ scriptum est. MOR. *Eodem modo ministri consecrant, quo & Christus: num ergo minister accipiendo panem in manus suas cõsecrat?* MART. Non, sed in ipso instituto Domini peragendo consecratur, id est, sacro vsui deputatur. Et per verba Domini & mandatum eius, instrumentum efficitur ad corpus Christi efficaciter significandum, Dico itaque tum consecratum esse, quando omnia verba dicta sunt, & fidelibus distribuitur. MOR. *Si verba consecrationis non sunt certè scripta, igitur scriptura non est de se sufficiens quoad consecrationem. Deinde Peto abs te, Erat ne panis symbolum ante finita verba? id est, quando dicitur, quod accepit panem erat ne panis factus adhuc symbolum corporis Christi?* MAR. Non sacramentale, pro vt nos loquimur. Et ad illud quod inferebas, ex eo quod dixi non esse verba determinata consecrationis in scripturis, tum sequi, scripturam non esse sufficientem. Respondeo non sequi, quoniam etsi non definit tantum quatuor aut quinq; verba per quæ præcisè fiat consecratio: tamen fideliter describit totam huius mysterij historiam: quod satis est. Vnde nos illam debemus in cœna Domini repetere, vt & agamus & dicamus quæ Christus egit, & dixit. Idque nobis mandatum est, cum Dominus dixit, Hoc facite in meam commemorationem: quòd tam ad verba, quàm ad facta est referendum. Non enim voluit Dominus, vt prolatis quinque verbis, putemus nos perfunctos esse tanto mysterio. MOR. *Benedixit panem nondum consecratum, Et dedit panem nondum consecratum. ergo dedit panem antequam esset symbolum aut sacramentũ.* MART. Sacramentum hoc ex omnibus his constat, quæ Dominus Iesus egit & dixit. Et cùm nobis ait, Hæc facite, de omnibus his intellexit, non autem de vno aut altero: fecitque symbolum benedicendo, frangendo, dando, & adijciendo quæ sequuntur. MOR. *Consequitur, cùm Christus dederit panem, antequam omnia verba absoluerit, quòd panem dederit non consecratum, cùm ad consecrandum omnia verba requirantur. Vnde ego minister existens, & verba Christi repetens, quando facio symbolũ?* MAR. Dicendo & faciendo quę Christus dixit & fecit, id est, quando actio illa, vt describitur, est perfecta. Sed quò tendas aut quid tibi velis non video, nisi tantum, quòd multa verba frustra effunduntur. MOR. *Dicam apertius. Ministri faciunt omnia quæ Christus fecit, alioquin deficerent in recto vsu: sed ministri non consecrant in symbolum, antequam omnia sint prolata, ergo nec Christus. Quid si dedit panem ante absoluta verba, communem dedit, & non symbolum corporis sui.* MART. Hic ego iam respondi, Christum non dedisse symbolum ante perfectam actionem, nec priusquam dixisset & fecisset quę erant agenda & dicenda, illisque perfectis non dedit sola substantiã panis, verùm eam dedit cum adiecta conditione, scilicet symbolica. Primùm itaque panem accepit: quod si postea per ea quæ dixit & fecit, adijcitur conditio sacramentalis vel symbolica, non propter ea tollitur quin dederit panem: vtrunque enim dedit, panem & sacramentum. Neque oportet, vt ita cauilleris Christum prius dedisse panem, quàm verba sua protulerit. Quia hoc potest apparere, si ordo narrationis verborum tantummodo attendatur. Sed reducamus ob oculos actionem, & videbimus Christum dando, absoluisse verba, quæ fuerũt necessaria: vnde iste, quem tantopere arges, est sophisticus cauillus. Dum enim gratijs actis frangebat, & dabat, simul dicebat, Hoc est corpus meum, & ita ad sacramentum nihil defuit. MOR. *Quid dedit, panem communem, vel symbolicum?* MART. Panem dedit symbolicum. MOR. *Sed dedit antequam pronuntirentur hæc verba, Hoc est corpus meum: ergo non dedi symbolum. Et idcirco ego hæc dixi, vt ostenderẽ nos non posse reprehendi, cum dicimus post finita verba Christum dedisse corpus suum, & contendimus accusatium, panem non esse copulandum cum verbo, dedit, vt cum præcedentibus.* MART. Nemo vos reprehendit in eo quòd dicatis, post ritu peractum corpus Christi dari, verùm in eo quod panem excluditis: vtrunque enim statuendum est nobis dari. Et ab omnibus illis veris regitur idem accusatiuus, vt ordo grammaticaque constructio exposcit. Neque verum est, quod semper assumis Christum prius dedisse, quàm omnia verba pronuntiarit, quia in dando ac distribuendo, siue frangendo absolu: verba quæ ad rem faciebant. Nõ hic est imaginãda quædã excantatio, quasi totum in vnius literæ, syllabæ aut vocalæ prolatione fiat. MCR. *Dedit discipulis. Quid dedit? corpus potius quàm panem: nam corpus est proximior dictio illi verbi, quàm ista vox panem.* MART. Panem retinendum esse grammatica ratio exigit: nam omni ista verba regunt accusatiuum, panem. Neque hic intuenda est vicinitas loci: nam corpus meum, etsi videatur vox proximior, attamen non regitur à verbis fregit vel dedit, accipite & comedite, sed à verbo substantiuo, est. Quod autem Christus scribatur prius dedisse, quàm dixerit, Hoc est corpus meũ, est vsitatus tropus ὑστερολογία, non tamen propriè: nã admittitur necessitate narrationis, cùm ista duo simul fierent, vt daret & diceret. Neq; de hoc tantũ fuit contendẽdũ MOR. *Si sit hysteron proteron, tunc illa vox, corpus, propior est verbo, dedit, quàm accusatiuus, panem vnde tam bene construitur corpus cum verbo dandi, quàm illa vox, panem. Et hæc tam pro nobis quàm pro te faciunt, & est vtrinque causæ æqualitas. Quare constat bene responsum esse superiori dic, Christum potius corpus suum quàm panem dedisse.* MAR. Quicquid dicatis pro vobis loquutionem facere, ipsa apertè reclamat & planissimè ostendit retinendum panem. Vnde argumentum meum manet inuictum. Corpus autem Christi dari aliquo modo non negamus. Est vtrunque quod datur, nimirum panis & corpus Christi. Sed cur vos panem extrudatis, nec vllam habetis rationem, & loquendi forma apertissimè

con tra vos facit. Non est igitur vtrinque causæ æqualitas. Neque vt dixi, in cõstructione gram matica, spectatur propinquior situs vocum, sed regimen verborum. Proinde superiori die malè est responsum, cum ita asseueraretur dari corpus, vt panis tolleretur, qui necessitate gammaticæ constructionis euincebatur manere.

MORG. *Theophylactus in Marcum cap. 4. Hoc est corpus meum, hoc inquam quod sumitis: non enim figura & exemplar quoddam domini corporis panis est, sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi, scilicet panis. Latina exemplaria malè habent, vbi legitur, in illum conuertitur corpus Christi. Græcè habetur ὁ τοῦτο ἐκεῖνο. Vides ergo apertè istum dicere: panem non esse figuram, sed conuerti in corpus Christi.*

Ad Theophylactũ.

MART. In primis de Theophylacto accipito, eum non esse tantæ authoritatis, vt etiam si contra nos apertè faceret, eum deberemus magnopere curare. Nam is super 3. cap. Ioan. Ecclesiam Latinam apertissimè dixit errare de processione spiritus sancti: & vixit vt apparet, parum felicibus temporibus. In libris latinis quos ego vidi (nam Græca nõ occurrerunt,) scribitur: In illum conuertitur corpus Christi. Sed siue ita Græca habeant, siue non habeant, parum curo: quia aliquam mutationem in corpus Christi admitto. Quodque dicis non est figura aut exemplar, apud Theophylactum sic habetur. Non enim figura tantũ & exemplar, quod nos cõcedimus esse verum, quandoquidem panis à nobis non ponitur purum signum, & nuda figura: & certè si non haberetur ea articula, tantùm, non potest consistere Thophylactus vnus aduersus omnes alios patres; qui ibi & figurã & exẽplar agnoscũt, vt est Tertullianus, Basilius, Augustinus, Theodoretus, & alij ferè omnes. Deinde cõuersionẽ in corpus Christi, intelligo sacramẽtalẽ: efficitur enim sacramentũ corporis Christi, quod antea nõ erat. Vt. n. testatur Augustinus ad Bonifaciũ, & sepiuscitauimus. Sacramẽta nomina habẽt rerũ quaũ sunt sacramẽta: vnde sacramentum inquit corporis Christi, quodammodo est corpus Christi: neque mutatio est talis, quæ abijciat pristinã substantiã. Et ex ipsõ Theophylacto licet colligere, quod sic acceperit: nã super Ioan. cap. 6. ait, Qui mãducat me, viuet propter me, dum quodammodo miscetur mihi, & transelementatur in me. Audis illũ dicere, nos transelementari in Christum, & tamen vides pristinam substantiam nos retinere: cur idem fieri de pane non intelligas? MOR. *Ad primum quando ais Theophylactum quandoque erraſſe, respondeo, si propterea non esset recipiendus, Augustinum pari ratione refutare posses, qui recipit diuorum inuocationem, imagines, & preces pro mortuis: quæ sunt errores, si vestram sequamur sententiam.* MAR. Non propterea dicebã omnino reijcendũ, sed ostẽdere volui gradus esse inter patres, vt intelligas non esse parem omnium authoritatem: quæ maximè attenditur penes tempora & ętatem, qua vixerunt. Et quod ab ecclesia Latina sic nominatim dissensit, in controuersia de spiritu sancto, argumento est, eum incidisse in illa postrema tempora, quando flagrabat illud dissidium inter Græcos & Latinos, qua eadem tempestate iam pullulare incipiebat dogma Transubstantiationis. De Augustino verò & similibus eius, longè alia ratio est. Purioribus enim vixit temporibus, & de sanctorum inuocatione, aut precibus pro mortuis vel quantum, vel quomodo à nobis dissenserit, erit alius tractandi locus. De imaginibus autem quas admiserit adorandas, nihil scio. MOR. *Theophylactus omnino mecum est, dum inquit super Ioan. ca. 6. Panis quem ego dabo, non est figura carnis, sed caro mea est: transformatur enim arcanis verbis panis, etiam si nobis videatur panis, tamen caro est, &c. Vides eum ponere mutationem panis in carnem Christi. Et in Matth ferè eadem habet, & addit, Apparere idcirco panem, vt nostra infirmitati condescendatur. Et ponamus eum voluisse tradere Transubstantiationem: quid aliud dixisset? aut quibus apertioribus verbis extulisset? Nam idem super Marcum 14. inquit: Speciem quidem panis & vini seruat: in virtutem autem carnis & sanguinis transelementatur.* MAR. De ista conuersione, cuius meminit Theophylact. cap. 14. non ambigimus: est enim sacramentalis. Vtque modò citati, super Marcum habet, panem & vinum in virtutem carnis & sanguinis transelementari: nõ autem dicit, in carnem & sanguinem. Quod & nos dabimus: quandoquidem sacramenta nomina habent rerum, & nobis Deus per illa spiritum & gratiam confert, quæ sunt vires rerum significatarum. Et cùm dixit, transelementari in virtutem carnis & sanguinis, ostendit quomodo intelligendum sit, panem conuerti in corpus Christi: Nimirũ quòd per ista symbola, & sacramẽta, operetur in nobis spiritus sanctus merita, fructũ & gratiã corporis Christi, pro nobis crucifixi atq; sanguinis eius pro nobis effusi. Et Theophylacto vt dixi, damus mutationẽ sacramentalẽ. Quodq; ait, Dominũ nõ dixisse, figurã esse panẽ aut vinũ, si id simpliciter intelligat, habet aduersum se omnes patres. Nã Basilius dicit, σύμβολον esse: Et Augustinus figurã & signũ: Et quòd speciẽ nominat panis, eius veræ naturæ atq; substantiæ nihil præiudicat: nã ista vox species apud patres, vt supra ostendimus, veram naturam rerum significat. MOR. *Sic quoque nos dicemus, virtutem posse significare corpus: Atque idem Theophylactus in Matth. ca. 26. ait, Hoc est corpus meum, ostendit, quòd ipsum corpus domini est panis, qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura, sed, Hoc est corpus meum. Deinde verbum, hoc tranformatur, pertinet ad substantiam, non ad qualitatem: & subdit dicens, Panem nobis, ita vt panis videatur, quia infirmi sumus, ne quem fremorem horreamus crudas carnes comedere. Quod si tuam sequemur sententiam, de mutatione sacramentali, & non reali, minimè opus esset: nullum enim periculum immineret bonoris.* MAR. De figura satis respondi, quomodo sit intelligendum. Sed tamen cum tantopere vrgeas, Christum non dixisse figuram esse, is etiam non dixit accidentia separari à subiecto, vel panem excludi, quod

In priorem epist. ad Corinth. cap. 10. dixi nos permanere in veram Christi.

Ide. cap. priori ad Cor. exponens illa verba, Panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Quia in cruce Christus (os eius non est confractum) hoc

quod ipsi ponitis. Et verba Theophylacti mutandi, transformandi, atque transelementandi, concedimus, propter conuersionem sacramentalem. Et quod asseuerat panem sanctificatum in altari, esse corpus Christi, admittimus. Probatum est enim per Augustinum ad Bonifacium, Sacramentum corporis Christi esse aliquo modo, & dici, corpus Christi. Id verò quod adijcitur, Ineffabili operatione transformari, nihil contra nos facit: nam fatemur id non esse opus naturæ, vt prophana & communis res efficiatur sacramentum: Opus quippe est, vt spiritus sanctus ineffabiliter operetur. De forma verò, an semper ad substantiam pertineat, ipse videris: certum est & in prædicamento qualitatis reponi, vnde non est quod obijcias, transformari, substantiam respicere. Et ille horror ne à carnibus crudis resiliamus tollitur per substantiam panis, & statuendo sacramentalem significationem. Illaque sua loquutione aliud nō vult Theophylactus, quàm ostendere manducationem carnalem minimè conuenisse: quia horruissemus à crudis carnibus, ideo datam esse spiritualem, in qua species id est natura panis seruatur, & nihilo minus corpus & carnem Christi verè habemus, nimirum fide illa percipiendo. Quodq; adeò vrges verborum Theophylacti energiam, me nō multum mouet. Scio enim illum, cæterosque patres, admodum fuisse vehementes & hyperbolicos, atque ideo commodè interpretandos.

MOR. *Interrogaui antea & nunc rursus interrogo, Si Spiritus sanctus per scripturas Transubstantiationē voluisset statuere, quibus nā verbis id fecisset?* MAR. Scripturæ non fuissent attestatæ panem adesse vti monstrauimus eas apertè dicere: neq; māducationem vel fractionem posuissent nobis, quæ corpori Christi nō possunt conuenire, nimirum vt reuera frangatur, minuatur & commolatur dentibus: ideò cùm scriptura ista pani attribuat, vt cùm dicit, Panis quem frangimus. Et, qui manducauerit hunc panem indignè, apertè ostendit se de vero pane loqui, & Transubstantiationem minimè statuere. MOR. *Sed corpus Christi cum dicatur in 6. capite Ioan. panis tropicè, ideò in constitutione cœnæ à Paulo fit mentio panis, nimirum, vt retineat Christi loquutionem, qua vsus est in 6. cap. Ioan.* MAR. Christum in cœna loqui de veris naturis symbolorum panis & vini, certum est argumentum: quia dixit, Non bibam post hac de hoc genimine vitis. Et vitis nō fructificat accidētia. Deinde, Paulus apertè dicit: Panis quem frangimus, nonne communio est corporis Christi? Iusit præterea Christus nos manducare quod (vti dixi) corpori Christi nō potest propriè conuenire, quia non manducatur, nisi quòd molitur dentibus. Metaphoram verò agnosco in 6. ca. Ioan. vbi Christus panē se appellat, quòd scilicet nos pascat, quēadmodū panis naturalis, & vt veteres in deserto pascebat Manna: Hic verò metaphoricè non potest agere: quia is panis de quo loquitur, & frangitur commolitur manducando. Huc accedit quòd patres interpretantur hunc panē sacramentalem, de quo est sermo, confici ex multis granis

MOR. *Cur non potest & hic capi metaphoricè?* MAR. Quia iam bis dixi, proprietates hic ponuntur, quæ non conueniunt pani metaphoricè sumpto, id est corpori Christi, vt fractio, manducatio. MOR. *Quæ tribuuntur sacramentis aliquo modo tribuuntur & rebus, quarum sunt sacramēta, vt ait Augustinus ad Bonifacium. Sacramenta habent nomina rerum: sed panis qui est sacramentum, verè & propriè frangitur, ergo corpus Christi quod est res sacramenti, per tropum frangi dicitur. Deinde cùm dicitur, Accipite, manducate: qui accipitur & māducatur panis, estne panis metaphoricè? Et accipite, et comedite, suntne metaphoræ pertinentes ad corpus Christi percipiēdū, an nō?* MAR. Respondeo quādo sacramentum fideliter sumimus, duplex est ibi manducatio, & duplex panis. Perceptio enim corporis Christi, quam habemus fide, dicitur manducatio metaphorica, sicut corpus Christi quod sumimus, panis est metaphoricus. Ibi etiam habemus manducationem symbolorum quæ propria est, sicut etiā panis, & verus & naturalis. In 6. Ioan. mentio est tantum metaphoricæ manducationis, & metaphorici panis; sed in cœna Domini, quia ipse communicauit cum suis, adiecta est propria manducatio, & datus verus panis pro symbolo: & ita in cœna datus est vterque panis, & naturalis & metaphoricus, & vtraque peragitur manducatio, & naturalis in symbolis, & metaphorica, quoad corpus Christi quod fide accipimus. Miror verò te illud accipere, rebus tribui, quod propriè cōuenit sacramento, id est signo, vt sic velis corpus Christi dici frangi tropicè, eo quòd panis frangatur. Nā si panem hic verè concedis frangi, quid amplius contendimus? Iam panē concedis: non erit amplius Transubstantiatio. Deinde cùm scriptura dicat panem frangi, & sensus fractionem panis percipiat, hoc primùm statuatur. Postea cùm scriptura dicit corpus Christi frangi, si per metaphoram intelligere volueris & tropum, quòd scilicet frangatur, quia sacramentum eius frangitur, cōueniemus. Sed fundamentum huius tropi in primis dandum erit, scilicet panem esse, qui reuera frangatur, quod etiā sensus fieri cognoscit. De verbis autem, Accipite & manducate, aio sic esse accipienda. Vt panem hunc accipitis & manducatis corpore, ita corpus meum fide & animo percipite, vt eo instar cibi, confirmemini.

Duplex manducatio & duplex panis.

MOR. *Hæc, vt mihi videtur, disputatio est vagabunda: vnde propius accedo. Accipite & manducate sunt metaphorica, & hac ratione bene conueniunt corpori Christi, ergo & fractio potest pani metaphorico id est corpori Christi attribui: nam simili in vsu est fractio.* MAR. Si est disputatio vagabunda, tuo fit vitio, quia argumentum vel rationem non componis. Quodque obijcis, Sicuti metaphoricè potest conuenire corpori Christi manducatio, sic potest ei conuenire fractio: Ego asserо longè aliam esse rationem & manducandi & frangendi in his verbis, & forma loquēdi scripturę, quam tractamus, scilicet, Nónne panis quem frangimus. Nam puto te velle

accipere frangere, vt metaphoricè ad crucifixionem referatur. Sed cogites Paulum dicere: Panis quem frangimus, vbi non licet intelligere, quod nos ipsi Christum crucifigamus. Com modè possumus dici illum manducare metaphoricè, quia illo vescimur, sed quod ipsum crucifigamus, est admodum durum & absurdũ MOR. *Metaphoricè si manducamus, id est spiritu & fide, cur nõ etiam frangamus metaphoricè? præsertim cum omnis mãducatio habeat in se fractionẽ.* MART. Dicit Paulus, Panis quem frangimus. Et si accipies frangere pro crucifigere, per metaphoram, nos dicemur Christum crucifigere. Concedo autem, quòd omnis manducatio naturalis habet in se (vt dicis) fractionem, at nõ omnis manducatio spiritualis: quia ipsa eò spectat, vt re percepta fruamur, tanquam cibo: nõ autem ad hoc extẽditur vt frangam⁹ & molam⁹ quod frangi non potest neque moli. MOR. *Cùm intuemur singulas molestias à Christo in cruce toleratas, dicimur frãgere metaphoricè: nam quæ conuenientia est inter manducare & fide percipere, eadem est inter frangere & intueri, siue cognoscere molestias Christi in cruce.* MAR. Miror te ponere conuenientiam inter frangere, id est crucifigere Christum, & intueri siue cognoscere eius molestias in cruce: nam intuemur vel videmus oculis, & frãgimus vi & manibus. Existimo etiam te scire, metaphoras non debere esse tam remotas. Deinde congeminas metaphoram: quia vna est, si sequamur tuam sententiam, qua, frangere, significat crucifigere: & altera, quòd hoc transfers ad cognoscendum. Quique non potes ferre, vt, nos in verbis Domini, Hoc est corpus meum, ponamus tropum vllum, multos tibi vsurpas illosque duros & inusitatos. Et vt non concedas in cœna Domini, veri panis fractionem, te in quæuis præcipitas. MOR. *Frangere est metaphora satis idonea, pro eo quod est intueri, memteque recolere passionem Christi. Nam Paulus habet, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: Et Bucerus contra Abrincensem Episcopum recipit, frangi, metaphoricè posse dici de corpore Christi: & ista conuenientia, vt frangere transferatur ad nostram cognitionem, vsitata est in lingua Anglicana: dicimur enim frangere difficultates discipulis.* MAR. Etsi alibi forte posit esse idonea illa metaphora, non tamẽ locum haberet vbi Paulus inquit, Panis quem frangimus, nonne cõmunicatio corporis Christi est? vbi respicit indubitatò externam fractionem, & distributionem Eucharistiæ. Concedo quidem cum Bucero, corpus Christi posse dici fractũ, id est passum, sed nõ admitto quòd nos frangamus, id est crucifigamus eũ. Præterea linguam vestrã cùm nõ calleam, de tali metaphora Anglicana non possum rationẽ reddere, nisi fortè velitis frangere difficultates, idem esse quod soluere. Sed loquor quæ dixi, prout Græca & Latina lingua, in quibus scripturas noui Testamenti habemus, consueuit loqui.

Nõ est fractio metaphorica vbi dicitur à Paulo: Panis quẽ frãgimus.

Adhuc non tam illa argumenta panem in substantia ex multis citatis. Et quod Christus sit, vt bibã pulcre ex hoc geminis vtis.

Visitatores transtulerunt disputandi partes ad D. Treshamum.

TRESHAMVS.

COgor omittere ea quę dicere instituera, quoniam & processit disputatio, & temp⁹ elabitur. Vos igitur amplissimi legati serenissimi Regis nostri oratos habebo, vt hodiernas disputationes eadem beneuolentia prosequamini, qua prosequuti estis eam, quæ habita hic erat nudiustertius, & nudiusquartus: quę sanè fuit maxima. Nunc præmissis precibus ad rem veniemus.

PRECES.

BEnignissime Domine Iesu Christe, Panis vitæ æternæ, qui ex ineffabili gratia genus humanum misericordia tua, de cælo, vt carnem de virginis carne assumeres, descendisti, ipsamque assumptam nobis in cibum dare dignatus es, nimirum, vt in memoriam tui ipsam sedulò manducemus, & illius participatione vnum corpus efficeremur omnes, Concede supplicibus tuis, vt illo nos suauissimo epulo, quod carnem tuam viuificam esse credimus, illoque potu dulcissimo, quem verũ sanguinem tuum confitemur, semper fouere & nutrire velis: quò luce tua & veritate in vniuersos emissa, vnanimes simus in domo tua, idipsum dicentes omnes, idipsum sentientes, & non sint in nobis schismata, sed perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, ambulemus gnauiter in fortitudine cibi istius, vsque ad montem sanctum tuum, & per gratiam tuam deducamur in tabernacula tua. Qui cum patre & spiritu sancto viuis & regnas, vnus idemque Deus in secula seculorum. Amen.

DOMINE Doctor Petre, recolo te pollicitum fuisse cùm prima die mecum disputares, & ego respondendo tuis argumentis, obijcerem aliqua loca ex patribus, vt satisfaceres, cum venisses ad respondendũ. Nunc est tẽpus, vt id præstes. Incipiã itaq; à Cypriano, & opponã martyrẽ Martyri: & sic argumentabor: Cyprianus martyr ponit Transubstãtiationẽ, ergo Petrus non debet eam negare. MAR. Tã firmũ est hoc argumentum, atq; si ratiocinemur à re ad nomen. Nam Cyprianus re vera fuit martyr, ego tantum Martyr appellor. Sed mittamus iocos, Respondeo Cyprianum minimè statuere Transubstantiationem. TRES. *In sermone de cœna Domini: Panis iste quem dominus discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus omnipotentis verbi factus est caro.* MAR. Nego hunc locum facere pro Transubstantiatione. TRES. *Erasmus annotauit in margine sic accipi hunc locum.* MAR. Erasmus idcirco annotauit in margine, quòd sciebat multos hoc inde colligere: quàm verò fuerit persuasa Transubstantiatio Erasmo, ex eius scriptis poteritis disquirere. Verùm illum nũc videmini magnificare, quem aliàs iniquissimè tractatis. Quandoque non admittitis, & erasse passim accusatis, nunc verò eum tam facilè obtruditis. TRESH. *Tu Erasmum in his annotationibus*

Cyprianus videtur asserere transubstãtiationem.

notationibus marginis adducere soles quando pro te facit: nunc quando dissentit, reijcis. Is verò dicit quòd panis iste communis mutatur. MAR. Mutari panem in sacramento nunquam negaui: sed miror te qui Cyprianum ab initio attuleris, quomodo nunc te cõuertas ad Erasmum. Semel quidem fateor Erasmum citaui, pro vt in margine Augustini adnotauerat, sed non tantum ei tribui vt præterea non confirmarim alijs rationibus, quod probandum institueram: tu item alias adducas rationes, & eis respondebo. TRES. *Erasmum quando pro te facit, accipis: cùm aduersatur, repellis.*

Verùm ex Cypriani verbis, Transubstantiationem conuinco, Nam dicit in eodem loco, Panis iste communis in carnem & sanguinẽ mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: mutatio autem panis in carnem est Transubstantiatio. MAR. Istud idem vobis de Erasmo, vt eum contemnatis & magnifaciatis, pro arbitrio, maximè conuenit. Sed ne tempus teratur, locum Cypriani quem adduxisti, prius excutiamus. Panis quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi, factus est caro. Hæc sunt integra eius verba, nihil inuerto. Respondeo autem illum hic ponere mutationem panis sacramentalem, quam nos asserimus. Et hic habemus cum transubstantiatoribus quædam communia, & quædam diuersa. Commune mihi tecum est, effigiem panis manere neq; mutari, vt Cyprianus ait. Sed natura panis est, quæ mutatur. Atque de hac mutatione dissentimus. Nos enim dicimus, naturam panis mutari, quia sacramentum corporis Christi efficitur, nec minus sacramentum corporis mystici quod antea nõ erat. Et ideò naturæ attribuitur ista mutatio, non accidentibus panis: quia natura panis est, qua nutrimur, & quæ constat ex multis granis, quæ sunt rationes, in quibus fundatur sacramenti huius ratio. Quare cũ Cyprianus dicat naturã panis mutari, nõ sequitur eam nõ manere: nã in physicis mutationib. id quod mutatur, i. subiectũ retinetur. Imò si ipsum auferas, nõ habebit mutatio cui innitatur. In generatione manet materia, in alteratione cõpositũ: in augmentatione, quod alitur & augetur: & in motu locali, id quod mouetur: Ita cùm Cyprianus dicat naturã panis mutari, duo habemus, & quòd maneat, & quòd sacramentum fiat, quod antea non erat. TRES. *Iam Cyprianus non est Cyprianus, sed Petrianus: non est opus omnipotentia, vt in panem inducamus quid intentionale, & extrinsecus adueniens. Imago Christi pendentis in cruce tantum valet.* MAR. Respondeo, magnam rem esse mutationem sacramentalem, neque posse effici, nisi potentia Dei: nam est res supernaturalis, & solius Dei est sacramenta facere. Et in Baptismo, vbi non ponitis Transubstantiationem, sine Dei omnipotentia, ex aqua non efficitur sacramentum, quo Christo inseramur. Et quòd ad hoc requiratur vis spiritus sancti, satis habetur ab Augustino in 3. de Trin. vbi dicit, Quòd cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu Dei. Vnde imago Christi fortè potest esse eius signum, sed non sacramẽtale. TRESH. *Si panis factus est caro, vt ait Cyprianus, ergo est caro: argumentum est euidentissimum. Sed hoc dari non potest, vnquam esse verum, quòd panis sit caro, est enim ac si quis diceret, Homo est lapis* MART Eo pacto concedimus panem esse carnem quo factus est caro, sed non est factus caro per Transubstantiationem, verùm per conuersionem sacramentalem. Igitur & hac ratione damus panem esse carnem. Quare antecedens, si rectè intelligatur, non plus infert, quàm quòd panis sit caro sacramentaliter: si verò intellexeris antecedens, quòd panis realiter aut substantialiter factus sit caro, negatur. Quòd deinceps addis veram fore propositionẽ, Panis est caro, atque id esse valde absurdum. Dico te non probasse neque probare posse, omnes propositiones, que constant verbo substantiuo (est) habendas esse pro identicis, quia possunt aliqua prædicari de subiectis, etiam per quandam analogiam aut conuenientiam, vt circumcisio est pactum, vbi non requiritur, pactum, & circumcisionem idem esse. Deinde vides in ea propositione qua dicitur, Verbum caro factum est, vtrunque manere, tam verbum, quàm carnem. Cur in sacramento, quando assumis, Panis factus est caro, non potest manere panis.

Quomodo panis dicatur fieri caro.

Propositiones per verbum, est, nõ semper identicæ.

TRESHAM. *Cum Cypriano consentit Chrysostomus: ambo fuerunt eiusdem spiritus: alius ergo inuenitur veritatis testis. Chrysostomus apertissimè Transubstantiationem ponit. Nam in Encænijs habet homiliam, in qua sic loquitur, Num vides panem? Num vides vinum? Num sicut reliqui cibi in secessum vadit? Absit. Ne sic cogites. Quemadmodum enim, si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic & hic puta mysteria consumi corporis substantia. Propter quod & accedentes, &c. Hic vides Chrysost. panem & vinum excludere, atque negare quòd in secessum abeant.* MAR. Chrysostomum dico, vt cæteros patres, quo augustius loqueretur de hoc sacramẽto, vsum esse magnis & compluribus hyperbolis, quò animos audientium auocaret à symbolis ad rem sacramenti cõplectendam. Alioquin hæ hyperbolæ, si exigantur ad amussim, nullo pacto stare possunt. Quare egent dextera interpretatione. Videas illum sæpe & alios patres negare simpliciter, quod tantum secundum quid negandum fuerat. Quin & in sacris literis tales loquutiones videas: Dicit Paulus, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ: quod pugnat cũ eo, quod scribit ad Gal. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed negabat contra carnem & sanguinem pugnã nobis esse duntaxat ex collatione, si conferretur cum ea, quam habemus cũ nequitijs cœlestibus, id est cum diabolo & eius spiritibus. Et in Christo (ait idem Apostolus) non est masculus neque fœmina, cùm tamẽ Christianissimus naturę humanę proprietates nõ auferat. Imò ipse Apostolus, in Christo dabat propria mandata, cùm dominis tũ seruis, viris & vxorib. At inteligebat

Loco Chrysost.

Chrysostomus & patres vtuntur hyperbolis.

Hyperbola ex collatione, quibus vtitur scriptura.

marem & fœminam non esse in Christo, quoad redemptionem, gratiam, & salutem percipiendam. Scripsit idem, se non esse missum baptizare, sed euangelizare, tamen Christus promiscuè dixerat Apostolis, non tantum vt prædicarent, sed etiam baptizarent. Negauit igitur se missum ad baptizandum, non simpliciter, verũ secũdũ quid, ex collatione duorum munerum significare volens, sibi inprimis commissam esse prędicationem, & eam tam præstare muneri baptizandi, vt quodammodo posset dici ad illud non esse missus: alioquin baptizauit Crispum, Gaium, & & Stephanæ domum. Hoc pacto sunt accipiendi & patres, hic quandoque negare panem & vinum, non quidem simpliciter, sed secundum collationem ad rem sacramẽtorũ. Nam quod ad nos attinet, tanti facere debemus sacramentorum res, vt symbola non plus attendamus, atque si non essent. Vtque ostendant, quid nam in communione debemus quærere, non quidem panem & vinum, per se ipsa, nam hæc domi habemus, sed corpus & sanguinem Christi quasi ex collatione rei ad ista, panis & vinum dicantur quodammodo non esse: debemus enim abstrahere animum à terrenis elementis, ad corpus & sanguinem Christi in cœlum. Igitur ad verba Chrysostomi, cum dicit: Num vides panem? Num vides vinum? statim subiecit: Ne sic cogites. Et post simile de cera scribit. (Sic & hic puta.) Et hyporbolen satis indicat in sequentibus, cùm dicit: Ne putetis quòd accipiatis diuinum corpus ex homine, sed ex ipsius Seraphin forcipe ignem. Hæc ad verbum intelligi nequeunt, nisi velitis & ministrũ ipsum vel tollere, vel trãsubstantiare. Et addit: Reputate salutarem sanguinem, quasi è diuino & impolluto latere effluere, quod vos ipsi non daretis, neque fieri potest, vt è latere corporis Christi impasibilis, nunc sanguis effluat. TRES. *Multa dixisti, & scripturæ quas citasti, aliam interpretationem admittunt: & quæ ad Chrysostomum applicas, ab illo sunt aliena. Ipse enim Chrysostomus primo statuit veritatem doctrinæ & fidei in his verbis, deinde conuertit se ad mores, vt nos trahat ad altiora. Primumque tantummodo instruit, & docet antequam veniat ad figuras, & cùm tradit dogmata & docet, exemplum inducit de cera: postea (vt tu dicis) fateor eum vti hyperbolis. Modo interrogo, verè ne dixerit Chrysostomus, an non? si vera, habeo quod quæro: si non, inuentus est falsus testis Dei, iuxta id quod Paulus habet prima ad Cor. cap. 15, dum cõfirmat resurrectionem: scribit enim, Si non est verum, Christũ resurrexisse, falsi inuenimur testes.* MAR. Ais Chrysostomum primum tradere dogmata & docere cum ad maiores accedit formandos, confiteris illum habere hyperbolas & figuratas loquutiones: & vis exemplum ceræ pertinere ad primã partem. Respondeo inter nos iam conuenire quòd Chrysostomus in hoc loco, sicut & in alijs sit hyperbolicus, quo admoneamur, ne habeamus in symbolis oculos defixos, sed nos in cœlum ad Christum ipsum erigamus, ac mente versemus eius mortem. Et hos tropos iam probaui ex duobus aut tribus locis satis apertè.

Eisdem hyperbolis ex collatione vtuntur patres, & hic præsertim Chrysostomus.

Cur hyperbole vtatur Chrysost.

Nec tamen propterea est dicendum, quòd falsum loquutus sit Chrysostomus. Datur enim verè nobis corpus Christi edendum & sanguis potandus, verùm animo & fide ista percipiuntur, neque solum illis animus instauratur, verum etiam corpus. Et ne decipiamur in eius tropis, vsus est verbis (existimes, putes & cogites.) Quod verò tu ista distinguas in doctrinam & mores, non constat ex verborum Chrysostomi serie. Et multo minus valet, quòd simile de cera vis accipiendum esse propriè tanquã ad dogma pertineat: nam ex Cyrillo lib. 4. super Ioan. cap. 17. idem simile habetur de mutatione nostra in Christum. Verba Cyrilli hæc sunt: Sicut enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, vt alteram cum altera per totũ commisceat necesse est, sic si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniũgitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. ac eadem habet in libro 10. cap. 12. vbi scribit, Nam quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum esse videatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Hæc ex Cyrillo. Vbi vides & Christum & nos comparari ceris liquefactis: nec tamen diceres, aut nos aut Christum transubstãtiari. Quomodo igitur hoc de pane vis asserere, propter idem simile positum à Chrysostomo? Imò si res diligenter excutiatur, nos ipsi magis Christo coniũgimur, quàm panis: quia pani in hũc finẽ suo modo cõiũgitur Christus, vt nos verè illi vniamur. Et verba per quę panis dicitur corpus Christi, magis ad nos pertinent, quàm ad ipsum, qui natura nihil intelligit, aut credit.

In his hyperbolis falsum loquitur Chrysost.

Similis de cera habetur quod Cyrillus.

Christus bis magis cõiungitur quàm pan.

TRES. *Chrysostomus est optimus interpres sui ipsius, qui super Matth. cap. 26. hom. 83. ostendit se non loqui hyperbolicè, & scribit: Credamus itaque vbi Deo, nec ei repugnemus, etiam si sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit. Et mox: Nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facillimus est: illa falsa esse non possunt, Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, &c. Et mox: Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat? Hic incipit miscere tropos, sed posita prius doctrina: nec oportet vt tropos inducas extra sua loca.* MAR. Iá, vt dixi, cõuenis mecũ, quòd Chrysostomꝰ interdũ loquatur in hoc negotio tropicè: quia id negare nõ potes. Sed tãtũ cõtẽdis, ante illa verba. Quos radios solares nõ deberet excedere manus illa? tropũ nõ haberi. Res ipsa loquitur secus esse: habes. n. à principio. Nihil sensibile traditur nobis à Christo, & neges (si potes) sensibilia symbola ab illo esse instituta, & nobis tradita. Deinde adiecit: O quot modò dicũt: Vellẽ formã & speciem eius, vellẽ vestimenta ipsa, vellẽ calciamenta videre. Ipsum vides, Ipsum tangis, Et hic nónne tropũ agnoscis? Quis nostrũ in Eucharistia videt aut tãgit Christũ? Paulò post, Nos secũ in vná (vt ita dicã) massã reducit, neqꝫ id fide solũ, sed reipsa nos corpus suũ facit. Nostram attingit hic mutationem in Christum, quam

esse

esse Transubstantiationem dicere non potes. Præterea in his ijsdem prioribus locis baptismum confert cum Eucharistia, vt intelligamus in vtroque sacramento cõsimilem esse rationẽ. Et quia pro te arripis, quod Chrysost. dixit, Neque id fide solùm, sed re ipsa corpus suum effi-
cit, nihil iuuaris: Nam ibi nõ loquitur de pane, verùm de Christi coniunctione nobiscum, quã ego concedo non tãtùm fide constare: quia etsi fide in sacramẽto Christum complectimur, attamen eam sequitur vera nostri immutatio in
Christum. Animus enim alacer & paratus effi-
citur ad honorem Deo exhibendum, & nostrũ corpus spiritui redditur magis subditum ac ita immutatio fit re ipsa, tum animi tum corporis, & hoc pacto intelligitur nos contrahi in vnam massam in Christo, quia illi perquam conformes reddimur. Vnde vides per hæc non tolli panem, nec sequi, Christum vel realiter, vel substantialiter in eo contineri. Imò hic ex Chrysostomo habes, intelligibilia esse, quæ nobis traduntur. Et post verba quæ tu annotasti, ante quæ nolebas tropum esse, tam apertè habentur figuræ, vbi dicit, quod lingua cruentetur, vel rubeat, vt ipse eas negare non sis ausus: sequitur igitur hyperbolicam & tropicam esse totã hanc orationem. TRES. *Faxit Deus, vt rectè intelligas. Mos est Apostolorum & patrum, primò docere fidem & dogmata veritatis: postea mores instituere.* MART. Sed in his locis Chrysostomi non distingues mihi dogmata & mores: vbiq; sparsim sunt tropi, TRES. *Iam ostendi tibi.*

Sed alium doctorem adferam contra te, & agam tecum humaniter, quia obijciam tibi (ni fallor) hominem conterraneum, Thomam de Vio, Caietanum. MAR. Non accipio, est scholasticus, fuit Cardinalis, & vixit meo tempore: neque etiam tu in omnibus admitteres. TRES. *Bene, ego morem tibi geram: si non admittis, non obijciam.*

De Cardinale Caietano.

Hic Reuerendus D. Episcopus Lincolnienſis fecit copiam Morgano rursus obijciendi, si vellet.

MORGANVS.

OMnes doctores & patres ad vnum conuellunt omnia principia, quibus tollitur Transubstantiatio ergo est ponenda. MAR Nego antecedens: nam si patres rectè intelligantur, nostra principia non tollunt. MOR. *Vellicant hoc principium, Corpus humanum non posse esse simul in multis locis, & corpus quantum non posse carere modo quantitatiuo.* MAR. Nego assumptum quod patres ista vellicent ita vt prorsus tollantur. Nec sunt hæc, quæ narras, principia plena, propter quæ repudiatur Transubstantiatio. Nam & Lutherus, & qui cum eo faciunt, corpus fatentur esse in multis locis, & corpus quantum posse carere modo quantitatiuo: & nihilominus Transubstantiationem repudiant. Igitur quæ commemoras, non sunt plena & integra principia, per quæ Transubstantiatio à nobis repudiatur. Primum enim & præcipuum principium nostrum est sancta scriptura, quæ ibi panem agnoscit.

MOR. *Corpus posse carere modo quantitatiuo probatur ex Chrysost. in 2. cap. Ioban. hom. 86. vbi scribitur: Dignum autem dubitatione est, quomodo corpus incorruptibile formam clauorum acceperit, & mortali manu tangi potuerit. Sed hoc te nõ perturbet: hoc enim permissionis fuit. Corpus enim tam tenue et leue, vt ianuis clausis ingrederetur, omni crassitudine carebat, sed vt resurrectio crederetur, talem se exhibuit. Et vt ipsum crucifixum fuisse, & neminem alium pro eo resurrexisse intelligas, propterea cum signis crucis surrexit & manducauit. Quod resurrectionis signum Apostoli plurimi fecerunt, dicentes: Qui cum eo simul manducauimus, & bibimus. Quemadmodum igitur, cùm ante passionem super aquis ambularet, aliud à nostra natura corpus illud fuisse non dicimus, ita post resurrectionem videntes id signa clauorum habuisse non propterea corruptibile dicemus, propter discipulum hæc ipsa ostensa sunt. Audis quod vulnera sint ostensa, permissione factum, vt discipuli crederent, & corpus Christi omni crassitudine caruisse, & fuisse tam tenue & leue, vt ianuis clausis ingrederetur. Quid dicis ad Chrysostomũ?*

MAR. Primum respondeo, me non audire ex his, corpus Christi fuisse in diuersis locis simul. Et de crassitie, respondeo corpus glorificatum non carere ea omnino, alioquin non esset corpus humanum. Eam tamen habet, qua agile & leue sit, atque spiritui pareat. Neque propterea sequitur Christum caruisse sua circumscriptione, quę ad modũ quantitatis pertinet: qua tamẽ nõ obstãte, potuit per suã diuinitatẽ & gloriã ad discipulos penetrare. Atq; in summa de crassitudine distinguo. Vel accipere vis Chrysostomum quòd eam quidem habuerit, sed non talem, quæ penetrationẽ Christi ad discipulos impedierit, in quo ego cũ illo cõsentio. Aut ita putas intelligendum, quòd omni genere crassitudinis caruerit, & hoc nego: neq; Chrysostomi verba cum tali sententia faciunt. Nam ipse apertè cum Euangelista vult figuras clauorum & crucis asseruatas in eo. Quî autẽ fieri potest, vt in substantia non quanta figuræ locum habeant? Concedo quidẽ ex permissione fuisse, vt cicatrices in corpore suo sineret, vt palpari voluerit, comederit & biberit cũ Apostolis. Nã ista fieri necessariũ nõ fuit, nisi quantũ ipse voluerit. Interim non audio ex permissione fuisse, quod habuerit quantitatem, vel in vno aliquo loco fuerit: quæ ad corpus necessaria esse contendi. Deinde illud corpus asserit non fuisse aliud à nostra natura. Nostrum verò quantitatem & modum quantitatis habere certissimum est, tantum excipit corruptibilitatem, illiq; ascribit leuitatem & tenuitatẽ tantam, vt ianuis clausis ingredi potuerit, & crassitudinem tantã aufert, quãta potuit impedire illum ingressum, non tamen omnem. MOR. *Corpus Christi hæsit medijs foribus, crassitudinem non impediente, vt dicis: ergo tunc erant duo corpora in vno loco.* MAR. Adhęc duo respondeo. Primum, quod sacræ literæ nobis narrant hoc miraculum: ideo facilè illis

An corpus Christi post resurrectionem caruerit omni crassitie.

Corpus Christi post resurrectionẽ habuisse, quantitatẽ.

Miracula quæ habet scriptura incunctanter admittẽda, quæ verò nõ habet inducì non debẽt quasi ad fidem pertineant.

creditur. Verum quòd corpus Christi substantialiter præsens sit in multis locis nusquam docent. Imò corpori Christi certum locum, cœlum inquam, ad dextram patris ascribunt, non in vno loco. Præterea pugnat cum natura veri corporis humani: vnde non admitti debet. Alterum, quod adfero est: In illa penetratione corporis Christi ad discipulos, vi diuinitatis potuisse quantitatem parietis ita cedere, vt duo corpora non fuerint simul eodem loco. Et memini Tertullianum (quia soletis etiam adducere, corpus Christi egressum ex vtero virginis clauso) in libro de carnis resurrectione, scribere, Christum nascendo vuluam matris aperuisse. Quod etiam Cyprianus in expositione symboli affirmat, & Hieronymus ad Eustachium scribit, Christum de vtero virginis cruentum egressum esse. Sunt qui existimant Christum egressum vterum virginis integrum omnino & clausum. Vt ergo non omnes idem sentiunt, quò ad hoc: ita ego duplicem tibi dedi responsionem. Vnam, qua penetrationem istam concedo per miraculum, non tamen ita vt corpus Christi omnem quantitatem penetrando amiserit: à simili autem, non concedo corpus Christi esse in multis locis, quia hoc non tradit scriptura, sed secus ostendit. Altera responsio est, vi diuinitatis cessisse fores, vt aliqui dicunt apertum virginis vterum. MORGANVS. *Ad id quod respondes crassitiem vel quantitatem parietis vel ianuæ cessisse Christo penetranti ex miraculo, peto abs te, vtrum Apostoli viderint cedentes fores?* MAR. Quid si non viderint? nihil refert vtrum viderint: an nō viderint scriptura sancta non affirmat neque negat. Sed quia factum narrat, credi oportet, Quòd verò corpus Christi carnaliter aut substantialiter simul in multis locis esse possit, aut sub accidentibus panis & vini latitet, nullibi tradit, MORGANVS. *Ideò hoc interrogaui quòd si cesserunt & Apostoli non viderunt, Christus apertè illusit sensibus, & fuisset præstigiator, quod tu oppugnas, cum negas corpus Christi latitare sub forma panis, ne scilicet habeatur præstigiator illusor sensuum: Cum tamen Erasmus super 24. ca. Luc dicat, Corpus Christi cum velit, inconspicuum esse: & cum velit, posse conspici.*

An Christus aperuerit vterū virginis.

Augustinus de eadem penetratione.

Sed hoc misso Augustinus in serm. qui est numero 159. estque titulus eius: Dominica in octaua paschæ, ser. 3. ad Competentes: Miraculum est quòd Dominus noster Iesus Christus in carne vera intrauerit ad discipulos per ostia clausa. Requiris à me forsitan rationem, & argumentum requiris. Si vera, inquies, caro fuerat quæ resurrexit, quomodo ipsa ianuis clausis ad discipulos introiuit? Redde mihi, inquit, rationem. O homo, si rationem à me poscis, non est mirabile. Si exemplum quæritur, non erit singulare. Credis nempe Dominum Christum super aquas maris firmis gressibus ambulasse? Credis vtique. Dicis igitur mihi: Si per ostia clausa Christus intrauit, vbi est corporis pondus? Recedant pauliſper modus & pondus: ille hæc fecit, cui nihil impossibile est. Christus qui carnem suam potuit de sepulchro producere, non potuit clausis ianuis ad discipulos introire? Idemque Augustinus in eadem dominica sermone quarto. Magnum miraculum, sed mirari desinis, si Deum cogitaueris. Mirum enim esset, si solus homo hoc fecisset. Refer ad omnipotentiam, non ad phantasiam. Ostijs clausis intrauit. Respondeo tibi vt scias, quia vera caro fuerat, cicatrices tangendo monstrauit. Sed sicut non est, inquis, naturæ corporalis, per ianuam clausam intrare, sic non est naturæ corporalis super fluctus maris ambulare. Intrauit per ostia clausa. Responde mihi Da mihi soliditatem carnis. Ambulauit super aquas maris? da mihi & tu pondus carnis. Vis nosse & hoc omnipotentiæ fuisse? Et Petro dedit, qui quod voluit dedit, quod proprium erat, sibi seruauit. Ille vnus viuens per ianuas clausas intrauit, qui nascendo integritatem matris non violauit. Ecce audiuisti pondus et modum quantitatiuũ recedere à corpore Christi. MARTYR. Antequam recitaueras Augustini loca, obijciebas: quòd si cesserit paries aut ianua Christo ingredienti, & id non viderunt Apostoli, tunc apertè Christus illusit sensibus. Respondeo, hoc non esse necessarium. Potuerunt Apostoli illum videre in conspectu sibi astantē, & modum nescire quo ad se penetrauerit. Quod autem dicis me oppugnare, corpus Christi conspicuum esse, & inconspicuum pro suo arbitrio, ne videatur esse præstigiator & illusor, dico te decipi: ego hæc non dixi de corpore Christi, verùm de pane, quòd videretur esse præstigiatoris, eius proprietates formam, saporem, colorem, & qualitatem ostendere, substantiā verò subtrahere. Nec Erasmus, quem inducis, contra me facit. Ad Augustinum autem respondeo insistendo priori distinctioni, & dico, eum non intelligere, à Christi corpore omnem modum quantitatis, & omne pondus recessisse: nam tunc non fuisset corpus. Sed tantum intelligit ista fuisse reiecta quo ingressum & penetrationem ad discipulos impedire valuissent. MORG. *Si permittebatur quantitas & modus eius in corpore Christi, ita vt non impediret penetrationem ostij, sequitur duo corpora fuisse in eodem loco.* MAR. Nego consecutionem quia potuit (vt dixi) locum facere, & cedere quantitas atque crassicies ostij. MORG. *Si cessisset quantitas ostij, non opus fuisset Augustino dicere, vt aliquantisper cederet modus & pondus: nam toto suo modo & pendere ingredi potuisset obij quantitate vel parietis cedente. Et sic ego quoque possem respondere ad id quod obijcis ex Augustino ad Dardanum. Deinde ais corporis modum & pondus quæ ingressum impediebant, fuisse abiecta. Sed omnis modus quantitatiuus impedit corpus Christi per clausas fores ingredi. Igitur omnis modus quantitatiuus abijciebatur à corpore Christi.* MAR. Quòd assumis omnem quantitatem & modum eius impedire corpus Christi, ne penetret, minimè verum est. Potuit enim per miraculū ac diuinitatē intrare ad Apostolos, etiā foribus clausis, vt iam dictū est, vel quòd fores ipsas aperuerit cū essent clausæ, vel quod ad momentum illi cesserint, & deinde ad pristinum statum redierint, aut quocunque alio modo, qui nobis è scriptura, nō constat, De simili facto lege 5. cap. Actorum apostolicorū. At id aperte constat, quòd omni ablata quātitate, corpus humanū nō possit

Veram fuit corporis Christi resuscitati, ergo quanta: quia potest esse caro non quanta.

Idem sentiebat Augustinus serm. 236.

Christus non illusit sensibus eo Discipulorum. Non negamus corpus Christi eius libitu conspicuū esse, & non conspicuū. A Christi corpore resuscitato nō recessit omnis modus quantitatis & omne pondus.

Hieron. ad Pammachiū contra Ioannē Hierosolymit. dicit Christum, creaturam cessisse creatori. Nō omnis quantitas & modus eius impedit penetrationem.

sit suam naturam retinere. Corpus attamen Christi, & glorificata corpora sanctorum, non tantam habent crassitiem, quin tenuia sint & agilia, ita vt spiritui obediant, & quo velit moueantur. Ad id verò quòd ais te posse eodē modo respondere his, quæ obieci ex epistola ad Dardanum si responsionem aptaueris & explicàueris, quid mihi de ea videatur indicabo, sed cum generaliter loqueris non constat quid velis. Et ad id quod affers: Cedente parietis quantitate non opus fuisse facessere pauliſper modum & pondus: non rectè rem perpēdis. Potuit enim ita cedere quantitas parietis, vt aliqua tamen subtilitate & leuitate, siue agilitate, opus fuerit corpori Christi penetrāti: vt cum ambulauit super aquas, aquæ gradiens corpus substinebant, verum ita, vt aliquod pōdus à corpore ambulante facesseret. Deinde, vt suprà iam dixi, hoc miraculum scriptura narrat: ita verò fieri in Eucharistia minimè tradit. Et hoc meum fuit potissimum principium aduersus Transubstantiationem.

Augustinus item de eadem penetratione.

MOR. *Augustinus item in tomo 3. lib. de agone Christiano ca. 24. Nec eos audiamus, qui negant tale corpus Domini resurrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis: Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Sacrilegum est. n. credere Dominum nostrum, cum ipse sit veritas, in aliquo fuisse mentitum. Nec nos moueat, quod clausis ostijs subitò eum apparuisse discipulis scriptum est, vt propterea negemus illud fuisse corpus humanum: quia contra naturam huius corporis, videmus illud per clausa ostia intrare: omnia enim possibilia sunt Deo. Nam & ambulare super aquas, contra naturam huius corporis esse, manifestum est, & tamen non solum ipse Dominus ante passionem ambulauit, sed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergo & post resurrectionem suam, de corpore suo fecit quod voluit: si enim potuit ante passionem suam clarificare illud, sicut splendorem Solis, quare non potuit & post passionem, ad quantam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, vt per clausa ostia posset intrare? Habes ex Augustino, corpus Christi factum subtilius, vt intraret per ostia clausa: vnde sequitur, duo corpora simul fuisse in eodem loco: quod non minus est absurdum naturæ, quàm idem corpus esse simul in multis locis.*

Tale corpus habuit Christus quale positum est in monumento, ergo quātum.

MAR. Continet in summa locus iste tria capita. Primum corpus Christi tale resurrexisse, quale fuit in sepulchro, id est verè humanū corpus: quod si verū est, sine quantitate & modo eius esse non potuit. Alterū caput est, quòd Christus post resurrectionem de corpore suo fecit quod voluit, quod facile admitto: sed non dicit eum voluisse suū corpus absque quantitate esse, aut in plurib. locis simul verari. Tertiū est, quod potuit illud ad quantā vellet subtilitatem, in momento tēporis redigere, vt per clausa ostia posset intrare: ex qua loquutione, quātitas non tollitur, sed asseritur. Nam subtilitas affectio est substantiæ corporeę & quantæ vnde quantitatem requirit & aliquem modum eius. Commemoratur præterea Christum dixisse, Palpate & videte, &c. Quis verò ignorat, quæ palpantur & quantitatem & modum quātitatis habere? Per subtilitatē ergo agilitatem intelligit, sed nō eam quę corpus auferat. Quod autem sequatur, duo corpora fuisse simul, iam negaui: quia potuit quantitas parietis ex parte cedere, addita nihilominus & corpori Christi subtilitate. Deinde patres qui hanc penetrationem sic affirmant, non habuerint forte pro tam absurdo in natura duo corpora esse simul in eō dē loco, quā vnum corpus esse simul in multis locis. Postremo iā dixi hūc accessum Christi ad Apostolos ianuis clausis, scripturā narrare, nō autē tradere de corpore Christi quod sit simul in multis locis, vel absque quantitate, nihilque de veritate corporis Christi hoc miraculo demitur, nec eius propria quantitas aufertur.

MORG. *Non recipio quod postremo dixisti Augustinum per subtilitatem intelligere agilitatem, quia illa pertinent ad velocitatem motus: qualitas verò, de qua loquitur Augustinus facit ad penetrationem densorum.*

Ambrosius de eadē penetratione.

Sed nunc ostendam esse donū corporis glorificati, vt se pro arbitrio insinuet per densissima corpora. Nā Ambrosius super Luc. cap. 24. dicit: Habuit autem admiranda causam Thomas, cum videret clausis omnibus per inuia sepia corporibus, inoffensa compage corpus insertum, & ideo mirum quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus insuderit, inuisibili aditu, visibile conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari: denique conturbati discipuli, existimabant se spiritum videre, & ideo Dominus vt speciem nobis resurrectionis ostenderet, Palpate, inquit, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatem, imperuia vsu, clausa penetrauit. Nam quod tangitur corpus est, quod palpatur corpus est, in corpore autem resurgemus. Seminatur enim corpus animale, surgit corpus spirituale. Sed illud subtilius, hoc crassius, vtpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum. Nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit, in quo non solum firmat fidem, sed etiam deuotionem acuit, quod vulnera susceptа pro nobis, cælo inferre maluit, abolere noluit, vt Deo patri nostræ precia libertatis ostenderet. Affirmat hic Ambrosius quod omnia glorificata corpora pōtestatem habent recipiendi ipse per densissima corpora: nam dicit, quòd per resurrectionis corporeæ qualitatem imperuia vsu clausa penetrauit. Concluditur ergo hinc, corporibus glorificatis tribuendum, vt possint quando voluerint, penetrare vel densissima corpora. Et obseruabis quod inquit, Ianuis clausis corpus insertum compage inoffensa.

Discrimen corporis nūc astricti eodem cum resurget, est crassius & subtilius.

MART. Non facit ad meam causam nunc disputare de agilitate: quare quod ad hoc attinet, concedo per subtilitatem, intellexisse Augustinum tenuitatē: de hoc inter nos non contendemus.

Verū ad illud te remitto, quod paulo ante dixi, subtilitatē, affectionē esse quāti, & supponere necessariò modū quantitatis. Postea respondeo, hunc locū Ambrosi nihil cōtra me facere.

Nam Christi substantiam, quæ penetrauit ad discipulos, apertè corpoream appellat, & tantũ qualitati resurrectionis miraculum attribuit. Et quod palpatur, & tangitur, disertè ait corpus esse: & inter nostrum quod modo habemus, & futurum, ponit hoc discrimen, vt illud sit subtilius, & hoc crassius. Christumque verè corpus habuisse voluit, propter cicatricum insignia. Non itaque aufert quantitatem, vel modum eius, sed tãtum ostendit quid qualitas resurrectionis possit. Et in hac tua argumentatio ne duo fuerant declaranda, quę nõ demonstrasti. Vnum est, non cessisse crassitiem vel molem ostij per miraculum. Alterum, quod corpus humanum simul & eodem tampore possit esse in multis locis. Hæc assumpseras declaranda, ne- A que probasti. MORG. *Imò primum declarauí, scilicet quantitatem non cessisse: quia inquit Ambrosius, Christi corpus inoffensa compage insertũ.* MAR. Hic inquit Ambrosius, corpus Christi per impervia & impenetrabilia aditum habuisse & penetrasse, quod ego concedo: quia penetrari non potuerunt nisi per miraculũ, quod esse potuit, vt corpori glorificatò moles parietis cesserit, idque inoffensa compage vel corporis Christi, vel ianuæ, quæ non vi fracta fuerit aut aperta, sed B facilè & sponte cesserit, suoque loco sit restituta, vt neque vis, neq; læsio apparuerit. Et adhæc quod in primis quęritur, quippiam huiusmodi factum esse non probas. Patres exposui, qui etiam si trahantur ad tuam sententiã, iam supra quid respondẽdũ sit, apertè docui è scripturis.

Quæ proposuerat probanda ex istis locis patrum non probauit.

Hic iussus est Treshamus iterum agere.

TRESHAMVS.

OPtimè nosti substantiam præcedere naturam quantitatem: igitur non est difficile diuinæ potentiæ, vt separetur & inueniatur sine quantitate. MAR. Cõsideratione metaphysica, scio separari substantiam à quantitate: quandoquidẽ alia est ratio & definitio vnius, quàm sit alterius. Sed quò ad id, vt extet substantia corporea, & potissimum verum hominis corpus, non potest fieri, si quantitas auferatur. Et quis ignorat, quod quamuis substantia præcedat natura quantitatem, tamen statim diuiditur per corpoream & incorpoream & corporea in animatam & inanimatam, & animatum corpus organicum dicitur, & membris instructum: quod sine quantitate impossibile est vt fiat: alioquin daretur corpus humanum sine pedibus, sine manibus, & sine oculis &c. TRES. *Non est Deo difficile, vt quod prius natura est, sine posteriore existat.* MAR. In antecedente debebas accipere corpus physicum & organicum, omnibus membris perfectum, cuiusmodi fuit corpus Christi: & hoc pacto non est ita prius quantitate, vt sine ea valeat extare. TRES. *Quod non claudit contradictionẽ in terminis, Deus potest efficere.*

Prius separari potest à posteriori cogitatione non tamẽ, in re ipsa potest semper ab illo separari.

Deinde superiori disputatione asseruisti, idẽ nõ esse signũ suijpsius in eadẽ hypostasi. Illud impugno ex Luc. 2. Euangelizo vobis gaudiũ magnũ, sequetur & hoc vobis signum, Inuenietis infãtẽ pãnis inuolutũ, & positũ in præsepi. MAR. Quò ad primum respondeo, quod implicat contradictionem, vt sit corpus organicum, membrisque perfectè instructum, & quantitate careat. Deinde quod adfers ex Luca, non concludit: nam infans inuolutus in pãnis, non fuit signum suijpsius, sed quod Angelus vera dixerit: Vera autem Angeli verba & Christus, non habent eandem hypostasin. Et ego superius cum ista dicerentur, aiebam filiũ non dici ad Hebræos imaginem substantię pãternæ, nisi quò ad humanitatem. Nam per antonomasiam illi id competit præ cęteris hominibus. Quia cum dicitur: Multifariam multisque modis Deum loquutũ esse olim patribus in Prophetis, nouissimè verò in filio: sermo de eo est iam incarnato. Etsi omnes homines imagines Dei sunt, id multò magis homini Christo tribuitur. Quomodo etiam secundum diuinitatem, locus ille possit intelligi, exposui, & illa obiter fuerunt tractata.

Rursus probare vult idem esse signum suijpsius.

TRES. *Quæro abs te an corpus Christi sit simul passibile & impassibile?* MAR. Idẽ respondeo, quod prius ex Vigilij sententia, eandem naturam tã contraria simul non recipere. TRE. *Probo idem corpus eodem tempore, & passibile fuisse, & impassibile: quia Christi corpus, vt scriptura docet, non necessitate, sed voluntate fuit passibile. Nã in Ioanne dicitur: Ego pono animam meam, & nemo eam tollet à me, & addo quòd nemo poterat tollere. Ac in Isaia propheta, dicitur, Oblatus est, quia ipse voluit: fuit igitur passibile voluntate. Itemque impassibile fuit: quia si Christus noluisset non fuisset passus. Ergo vtrumque simul habuit corpus, Christi, prout erat eius voluntas. Sit ergo forma argumenti: Illud corpus est impassibile, cuius anima tolli non potest, nisi ipso volente, Sed corpus Christi ita se habuit ante mortẽ, vt ab eo animã tollere nemo potuerit, nisi ille voluisset: ergo fuit impassibile.* MAR. Distinguo potẽtiã moriendi, vel nõ moriendi, quia si eã referas ad voluntatẽ Christi, vtrũq; fuit, quia Christus potuit velle vt pateretur, & potuit vel le vt non pateretur, & prout voluisset, fuisset corpꝰ passibile vel impassibile: sed ipse nunquã voluit, simul & eodẽ tẽpore, nisi vnã partẽ. Et sic corpus illud fuit semper vel passibile vel impassibile, & nũquam simul vtrũque, etiã quò ad hoc externũ principiũ volũtatis Christi. Prętera, si respicias cõditiones & qualitates corporis, ita vt de eo quod erat in actu, loquaris, dico necessario, quãdo corpus Christi fuit cũ qualitatib. & cõditionib. passibilib. non potuisse esse sub impassibilibus, ex istis ad illas permutari poterat, sed ambas simul retinere fuit impossibile.

An corpus Christi fuerit simul passibile & impassibile.

De secunda quæstione, An corpus Christi realiter adsit in Eucharistia.

TRESHAMVS.

ANtiquus autor Irenæus lib. 4. cap. 24. contra Valentinianos, qui auferebant resurrectionem carnis, & Christum negabant esse filium illius Dei qui creauit omnia: Quomodo, inquit, constabit

stabit eis panem in quo gratiæ sunt actæ, corpus esse Domini sui, si ipsum fabricatoris filium negant? Et mox: Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & nō percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? Vnde constare potest, quænam ecclesiæ de Eucharistia, eo tempore, fides & doctrina extiterit, Sic disputo, Omne illud per quod ali ud probatur, certius esse debet eo quod probatur: sed carnis nostræ resurrectio probatur per veram corporis Christi præsentiam in Eucharistia, & probatur Christus esse verè filius fabricatoris huius mundi: ergo corpus Christi realiter ibi adest, idque nobis certius esse debet illis, quæ per ista probantur. MAR. Argumentum Irenæi verum est: neque ipsum nego. Sed nihil aduersum me facit. Nam panis ille, Eucharisticus panis est, & etiam est corpus Christi, sed quomodo? sacramentaliter. Et vt Irenæus concludat aduersus hæreticos, qui negabāt Christum fuisse filium Dei fabricatoris huius mundi, sumit Christum accepisse panē, qui cum sit à Deo creatore huius mundi, vsurpasset Christus alienam creaturam. Ad propositū itaq; Irenęi satis est ponere panē huiusmodi creaturam, verè in sacramēto locum habere, ne Christus videatur vsurpator alienæ creaturę, si dicatur filius alterius Dei à creatore mūdi huius. Vt autem cognoscamus quid Irenæus de Eucharistia senserit, consideremus eum scribere, corpora nostra ali, nutriri, consistere, & augeri Eucharistia. Quæ ita vera sunt, vt intelligamus duplex nutrimentum nobis ex hoc sacramento prouenire. Vnum est naturale, à symbolorum natura pane & vino, quibus vsu communi alitur humanum corpus, cui generi nutrimenti, etsi non aspernandum sit, non tamen multum tribuit Irenæus, & alij veteres. Alterum est, quòd dum percipimus sacramentum, animo & fide complectimur Christi corpus & sanguinem, & ibi primum nostra mens impletur spiritu et gratia, deinde corpus reparatur, vt organum sit & instrumentū indies spiritui magis idoneum, & ita resurrectionis beatę redditur magis capax. Et hoc clarè expressi Ireneus quādo inquit: Panis à terra vocationē Dei percipiens, non est amplius communis panis, sed efficitur Eucharistia ex duabus rebus

Argumentum ex Irenæo.

De Eucharistia duplex nutrimentum nobis.

A constans, terrena & cœlesti, sicut corpora nostra percipientia Eucharistiam, nō sunt amplius corruptibilia. Et hoc pacto veræ nostræ resurrectionis futuræ, ex Eucharistia rationem affert. TRES. *Quod dicis Irenæum panem hic nominare, & ideo vtrunque velle, & ipsum & corpus Christi in Eucharistia esse & ista optimè valere, vt sit firmū agumentum eius contra Valentinianos, non mihi satis feciſti, Nam quo sensu literæ sacræ nominant panem in hoc sacramento, illo eodem loquitur & Irenæus; Isque*
B *apertissimè dicit, corpus Domini verum in Eucharistia esse, & panē ideo nominat, vel quia fuit panis.* MAR. Concedo sanè, quòd eodem sensu loquitur Irenæus de pane quo & sacræ literę, & ideo ita ab ipso, vt ab illis hic remanere conceditur. Quod vero dicat in pane esse corpus Christi, vt vos ponitis, in verbis eius nequaquam ostendes. Et panem eo sensu quem tu ponis à scriptura nominari, iam sepius refutaui.

C TRES. *Chrysost. hom. 61. ad Populū Antioch. & super Io. hom. 45. habet. Vester ego frater esse volui & cōmunicaui carnē propter vos et sanguinē, et per quæ vobis coniunctus sum, ea rursus vobis exhibui vnde rursus patet, carnē & sanguinē per quæ noster cognatus factus est, in Eucharistia tradi.* MAR. Carnē Christi exhiberi communicātibus in Eucharistia, concedo disputatur autem de modo, quem ego pono spiritualem: neque propterea intelligo fictitiam carnē nos percipere, neq; fictitium corpus, sed in sacramento, & per fidem nos ista verè sumere, & illis vniri. TRES. *Quod tu dicis, spiritualiter,*
D *non est in his verbis Chrysostomi & per fidem sumere possumus etiā absque sacramento.* MAR. Licet Chrysostomus hoc loco disertè non scribat, spiritualiter, attamen id satis alibi expressit, quādo ait, Quæ dantur nobis intelligibilia esse. Et quod obijcis, perceptionem corporis Christi per fidē posse etiam absque sacramento haberi, admitto. Nam & cum symbolis, & absque symbolis, dum recolimus Christum pro nobis crucifixū
E & sanguinē eius pro nobis fusum, atq; ita credimus, eius verè efficimur participes: verū symbolis adiūctis, quib. vt instrumētis, spiritus sanctus vtitur ad fidē magis imprimēdā animis nostris, plurimū adiuuamur. Sumus. n. ād diuina tardiores, & idcirco nobis opus est externis symbolis.

In telligibilia sunt quæ dātur nobis in Eucharistia. Et cum symbolis & absque symbolis participes sumus corporis & sanguinis Christi.

Disputatio quartæ diei, habita inter Doct. Gulielmum Cheadzeum, qua opposuit D. Petro Martyri die prima Iunij.

Præfatio D. Guilielmi Cheadzei.

VERVM esse cōperio, et certò certius experietia edoceor, quod habet Gregorius ille Nazian. cognomēto Theologus lib 3. de Theol. Τὸ μὲν ἐπιπλῆξαι μέγα καὶ ῥᾴστον πᾶσι, καὶ ἕκαστος τοῦτο· τὸ δὲ αἱρετίσασθαι τῶν ἰσως ἕνα γνώμην ἀνδρὸς ἀκριβοῦς καὶ σπουδαίου. *Alienā sententiam explodere, non magnum, imò facillimū cuiuis: suam verò contra probare, viri est planè cū pij tum prudentis. Nā si nudis verbis res agatur, eueniet, quod verè dixit argutus ille dialecticus apud Nicæā: Donec verbis agitur, verba verbis opponūtur, & quæ dicūtur, dicendi arte subuertūtur. Si ad sensus examē prouocetur, reclamabit Paulus, Animalis homo, nō percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia. n. est illi, nec potest intelligere: quia spiritualiter examinantur. Si ad rationem & profundam sapientiam appelletur, mox dicetur: Sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Propterea in re tam ardua disputare, & rationibus probare, quod sola fide & credulitate esset tenendum, periculosum est, & sine singulari Dei dono, nemini concessum. Maximè, vt est illud Hieronymi ad Paulinum, Vbi inter eos disputatur, qui ad scripturas sanctas, post seculares literas venerint, et sermone composito aurem populi mulserint: quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum*

ſuum incongrua aptant teſtimonia. Quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum dicendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem: ibi tropum agnoſcere, vbi nullus eſt tropus: ibi figuram fingere, vbi veritas eſt, eò trahere omnia, quo tendit affectus. His verè competit, quod habet Auguſtinus de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 10. Si animum præoccupauit alicuius erroris opinio, quicquid aliter aſſeruerit ſcriptura, figuratum homines arbitrantur: An non hoc eſt ſeruire affectui? Cum apertis verbis ſcriptura dicat, Hoc eſt corpus meum, interpretari, hoc ſignificat corpus meum: cum patres aſſerant veram carnem & verum ſanguinem, gloſſare, ſpiritualiter, aut loqui patres hyporbolicè: cum panem tradant non effigie, ſed natura mutari, ad vſum tantum ſacrum referre? Sed ſcripturas inducunt? non: ſed ſcripturas obtendunt, vt inquit Tertullianus, & hac ſua audacia quoſdam mouent, in ipſo quidem congreſſu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Nobis ergo ſedulo agendum eſt, vt aperiantur oculi noſtri, precibus impetrandum, vt qui author eſt ſcripturarum, idem ſit & interpres, idem aperiat ſenſum, vt intelligamus ſcripturas. Qui loquitur lingua, oret vt interpretetur. Sic pro verbis, procedet virtus, pro ratione, fides, vt non fluctuemus omni vento verbi, ſed in eo verbo radicati & inſiti, quod poteſt animas noſtras ſeruare. Et vt hoc eueniat, conſueta mea oratione mecum apud ſanctum ſpiritum agite. Veni ſancte ſpiritus. Deus qui corda fidelium.

Hoc ſacræ literæ, natura ſacramenti & patres docent.

D. MARTYR.

QVæ in prologo ſatis aculeato iam dixiſti, quàm parum in me quadrent, nõ tenabo exponere. Hoc duntaxat admonebo, ſanctas ſcripturas me nũquã aut inuertiſſe, aut vitiaſſe, vt qui nec etiã confinxerim tropos, vbi locum non habent, neq; nouos inuexerim, ſed vſitatos, & quos ferè omnes patres agnoſcunt. Verũ in his refutandis tempus nolim cõterere. Sunt enim complura mihi dicenda pro cõfirmatione mearum quæſtionũ, vti de more fieri conſueuit ab his, qui ſunt in diſputationi- A bus reſponſuri, ne videantur abſurda tueri. Quibus etiam poterit agnoſci, quàm parum ſpectent ad meam ſententiam, quæ tu præfatus es. Heri ſane cõſtitueram id facere, ſed quia neſcio quo caſu coactus ſum agere cum alio antagoniſta, atq; decretum fuerat: viſum fuit, vt ab eo me cito expedirem & cum ordinario diſputarem, hæc tunc miſſa facere, & in hodiernum diem reijcere. Vt autem feliciter ſuccedat inceptum, quemadmodum hactenus conſueui, Dei auxilium implorabo, B

PRECES.

AGuoſcimus, omnipotens Deus, infirmitatem noſtræ mentis, ideo ad tuam veritatem & contemplandam & explicandam non audemus accedere, niſi prius, vt par eſt, nomen tuum inuocauerimus. Rogamus itaque ardentiſſimis votis, vt qua preditus es bonitate, tenebris noſtris lumen infundas, & beneficio tui ſpiritus quæ dubia inciderint ſic illuſtres, vt credẽtibus vita ſalutis quã manifeſtiſſimè pateſiat, per Chriſtũ Dominũ noſtrũ. Amẽ.

CONFIRMATIONES

PRIMÆ QVÆSTIONIS.

AD quęſtionem primam confirmandam, præter eas rationes quas audiuiſtis inter diſputandum elapſis diebus, & has modo adijciam, In Baptiſmo, Chriſtum nobis verè tradi Paulus teſtatus eſt ad Galat. quãdo ſcripſit. Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et in epiſtola ad Romanos per Baptiſmum oſtendit nos Chriſto inſeri. Et in 1. ad Corinth. hæc duo ſacramenta coniungit, cum dicit, nos baptizatos in vnum corpus, & potatos eodem ſpiritu. Nec tamen vlli dicunt ad Chriſtum verè accipi ẽdum in Baptiſmo, opus eſſe Tranſubſtantiatione. Vnde conſequitur eam quoque in Euchariſtia eſſe ſuperuacaneã. Neque facile eſt vt dicatur, præſtantius Chriſtum nobis tradi in Euchariſtia quàm in Baptiſmo: quandoquidem in eo regeneramur per Baptiſmum, & in eo cibamur per Euchariſtiã. Nemini autem dubium eſt, plus nobis adferre ſubſtantiæ generationem, quam nutrimẽtum. Mitto quod Hieron. ſcripſit ad Edibiam, nos in Baptiſmo corpore & ſanguine Chriſti veſci. Et Auguſtinus ait, corporis & ſanguinis Chriſti nos effici participes per Baptiſmum, etiam antequam panem Domini & calicem bibamus.

Prima ratio à Baptiſmi ſacramento.

Chriſtus tã nobis traditur in Baptiſmo quã in Euchariſtia.

Secunda. Nos ſumus corpus Chriſti &

Altera ratio, vt Chriſtus dixit, Hoc eſt corpus meum, ita etiam dixit, Vos eſtis corpus Chriſti per os Pauli. Et tamen ad hoc vt verè efficiamur corpus Chriſti, Tranſubſtantiatio non requiritur: Cur igitur non erit verum de pane, quod ſit corpus Chriſti, niſi intercedat Tranſubſtantiatio? Imò ſi quis rem bene voluerit expendere, magis nobis quàm pani coniungitur corpus Chriſti: quia quod panis habet, vt nobiſcum Chriſtus per ipſum coniungatur, & verba per quæ panis ad ſacramentum deducitur, magis ad nos pertinent, quàm ad panem, qui ſenſu & fide omnino caret. C

in ipſum tranſub. ſtantiemur.

Nos magis ſumus corpus Chriſti quã panis Tertia. Tranſubſtantiatio Martino probat.

Euertitur argumentum quibus patres probãt Chriſti veram humanitatem & eius proprietatibus.

Deinde periculoſum eſt per tranſubſtantiationem ſenſibus illudere, quia tunc perit probatio veræ Chriſti reſurrectionis, quã Apoſtolis exhibuit, dicens. Palpate & videte, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet. Et Martioniţę, facilè dixiſſent Chriſtum non habuiſſe verè humanum corpus, ſed tantum eius accidentia & figuram, ſicuti vos de pane dicitis, non eſt panis, quãquã ita videatur quòd ad eius proprietates, & externam formam. Patres etiã ſe exiſtimarunt efficaciter probare, Chriſtum fuiſſe verum hominem, ex humanis affectionibus & proprietatibus, quas de eo ſcripturæ produnt, quòd videlicet eſurierit, ſitiuerit fatigatus ſit, doluerit, admiratus ſit, & alia huius generis. Quæ argumenta exemplo veſtræ Tranſubſtantiationis negari poſſent, & dicerẽt hæretici: Sicuti non ſequitur: In ſacramento Euchariſtię ſunt proprietates panis & vini, igitur ibi verè eſt ſubſtãtia panis & vini: ita nõ ſequitur, Chriſtò fuerũt proprietates & affectio- D

nes

nes hominis, igitur verè habuit substantiam humanam: atq; ita grauissimis erroribus aperietur fenestra.

Præterea hac sua transubstantiatione nō necessaria peruertunt rerum naturam, cùm à substantia & proprio subiecto abstrahūt accidentia, quod longè plus est quam separare substantiam à quantitate: quod etiam supra, vt est eorum audacia, facere cōtendebant, quandoquidem accidens posterius est substantia. Nec audimus antiquos patres huius tam stupendi miraculi facere alicubi mentionem, cumq; essent eruditi & probè intelligerent, quid substantia, quidúe accidens definiatur, rem tantam minimè fuerant silentio prætermissuri. Nazianzenus miracula à Christo edita carmine cecinit: & Augustino tribuitur liber de mirabilib. scripturę sanctæ, neq; ibi accidentium separatorū à subiecto fit vlla memoria.

Accedit, idem fuisse comedens & comestum: nam Christus cum Apostolis in cœna communicauit: Igitur secundum istos, realiter & per transubstantiationem manducauit seipsum.

Fac etiam in illa cœna, quam Christus primam celebrauit cum Apostolis, aliquid reliquiarū superfuisse transubstantiati panis, quod reseruatum fuerit in diem crastinum, quando Christus est crucifixus & mortuus: Nonne corpus in illo pane fuisset anima & vita priuatum? Si neges, consequitur, idem corpus simul & eodem tempore mortuum fuisse & viuens.

Quod si dixeris, in pane quoq; obijsse, tunc sequitur mutationem in eo factam, & quidē realem ac naturalem: quæ omnia in eo pane locū habere non possunt, vt scilicet ibi & crucifigeretur & vulneraretur: nam ad hæc non solum quantitas, sed & modus quantitatis requiritur, quæ à corpore Christi in Eucharistia magna contentione remouent.

Et si multum panis & bona copia vini transubstantiaretur à sacrificо, qui ea comederent & biberent, profectò implerentur, nutrirētur, illisq; venter distenderetur: atque hæc omnia tribuent isti viri accidentibus. Si comburatur Eucharistia, cineres apparēt: si putrescat, ebulliunt vermes: atq; ita substantia fit ex accidentibus. Sed tamen, vt audent quiduis, confingūt Deum creare subinde nouas substantias, quæ succedunt accidentibus, vel præteritas per miraculum reuocant, atq; miraculis miracula coaceruant. Nam si mures arroserint conseruatū hoc sacramentum, quid comedent? dicunt accidentia. Sed quomodo non & corpus Christi, cum ipsum alligent accidentibus, quò ad salua permanserint? quibus corruptis, corpus quoq; Christi inde auferunt. Sed quò abit discedens? num in cœlum? at ibi iam est, & antea fuerat, qui potest eò abire? Si esse desinat, igitur destruitur & corrumpitur: quod à corpore glorificato multum abest. Contingit quandoq; & vomitus post communionis perceptionēm, vt Cyprianus testatur de quadā puella, & inquit potum in sanguinem consecratum eripuisse ex eius viscerib. Quid ibi fiet de sanguine Christi?

Et quando aiunt, panem in corpus Christi transubstantiari, & ita transubstantiari, vt ibi non sit localiter: ab eis quærimus, spacium aut locum à substantia panis relictum quidnam impleat aut occupet? Nam si hoc non datur corpori Christi, vacuum remanebit, & nulla re solida implebitur.

Octaua. Relinquūt spacium vacuum.

Atque præter id quod accidentia destituunt proprio subiecto, vt nihil desit ad prodigia, tribuunt illis, vt negare non possunt, varias actiones & passiones, cùm tamen requiratur inter agens & patiens eiusdem materiæ communio.

Nona. Quomodo in hac actio vel passio cum materia subducatur.

Et cùm fractio in hoc Sacramento apertè cō spiciatur, aiunt se frangere accidētia: quod Mathematici de sua quantitate per cogitationem abstracta dicere non auderent, se videlicet eam realiter posse diuidere. Et Platonis Ideæ, prout eas Aristoteles insectatur, minus habent absurdorum quàm hoc figmentum transubstantiationis secum ferat. Sed quid? omnia soluūt miraculis. Verùm ita vnicuique facile esset agere theologum, si per miracula omnia soluenda essent argumenta. Et potissimum cùm sit dogma theologicum: Non esse multiplicanda miracula absque necessitate, quam hîc nullam potuerunt vnquam demonstrare.

Decima. Fractio quo modo est ab lato pane.

CONFIRMATIONES
SECVNDÆ QVÆSTIONIS.

FInis comedendi Christum atq; suscipiendi hoc Sacramentum est, vt viuamus, habeamus vitam æternam, non moriamur, Christus maneat in nobis, & nos in ipso, quemadmodum testatus est Christus in Ioan. cap. 6. Cæterùm hæc beneficia atque commoda tam bene haberi possunt, ponendo coniunctionem corporis Christi cum pane & vino per significationem sacramētalem, quàm si statuamus realiter vel substantialiter ipsum delitescere in symbolis. Nam id nihil adferet nobis gratiæ vel spiritus, vel instaurationis, quod à Christo existente in cœlo, & fide à nobis percepto, non possumus abundè consequi. Nō enim potētior est in symbolis latitāns, quàm regnās in cœlo. Neq; præterea censenda erit communio superuacanea, quoniam & absq; illa possumus Christum comedere: nam etsi hoc liceat vbicunque facere, nihilominus vt est nostra infirmitas, ope & auxilio symbolorum adiuuamur, & de sumendis eis expressum habemus Christi mandatum.

Secunda. Christus cō futauit mā ducationē corporis sui carnalem.

Deinde repudianda est ea manducatio, quā Christus confutauit. Sed carnalem sui corporis manducationē confutauit, quando egit cū Capernaitis: igitur est auferenda. Neq; iuuat si

dixeris, Capernaitas ideo reprehensos, quòd existimarint corpus Christi dilaniandũ & discerpendum, quasi more ferarum inuitarentur ad esum humanæ carnis, quæ cædenda esset & eroganda, vt fit in macello: nam hoc soletis prætexere. Non enim refert, an per frusta, an totum simul integrum corpus Christi edatur ad carnalem comestionem inducendam. Neq; enim verum est, quod sit spiritualis esus, si totũ corpus manducetur, & carnalis, si per partes concidatur: nam secundum hanc distinctionẽ bellua marina ingens, quæ Ionam deuorauit, comedisset illum spiritualiter, quia totum vno transmissu deglutijt. Apertè docet Christus, aliter se accipere spiritualem manducationem, cùm ascensum in cœlum illis proposuit: eo enim demonstrauit, se de manducatione egisse, qua rem absentem loco & substantia possumus fide comedere. Et vti Nicodemum reuocauerat ab externa & corporali generatione ad spiritualem, quam animo & interiori homine assequimur: Samaritanamq; subuexit à corporali & externa aqua ad potum, quo animi nostri reficiuntur, Spiritu S. inquam. Ita Christus Capernaitas, qui de sua carne exterius & carnaliter comedenda iam cogitabat, docuit eam manducationem, quam animo percipimus, & fide complectimur.

Aliud simile.

Tertia ratio.

Nõ minus accipimus Christũ in verbo q̃ in Eucharistia.

Præterea non minus accipimus corpus & sanguinem Christi in verbo Dei, quàm in hoc Sacramento. Quid enim sunt aliud Sacramenta, Augustini testimonio, quàm verba visibilia? Imò idem Augustin. vt habetur de cons. dist. 2. cap. Interrogo vos, ait: Non aliquid minus esse verbum Domini, quàm Eucharistiam. Hieronymus item in Ecclesiasten attestatus est, nos in sacris literis carnem Domini manducare, & cruorem eius bibere. Origenes itidem scripsit super Matth. tractat. 25. & in Numer. homil. 26. Chrysost. super Ioan. hom. 45. & Basilius epist. 141. Quin & ipsa ratio suadet: nam quod habet panis in Sacramento fructus aut gratiæ, per verbum adipiscitur. Et ad hæc, verba clarius quàm symbola & exprimunt & significant sacramenti rationem. Cùm itaque non ponatur corporaliter & realiter in verbis hærere corpus Christi, cur magis in pane aut vino id constituemus?

Quinta.

Tam requiritur p̃sens sanguis ad abluendum nos, quã vt à nobis potetur.

Vi fidei corpus & sanguis efficiuntur præsentia, non

Huc accedit, quod in 1. Ioan. cap. 1. habemus, nos emundari & ablui sanguine Christi, quod sanè fit, quoties ad illum nos conuertimus, & fide & pœnitentia ad illum redimus. Neq; tamen oportet, vt quoties abluimur, præsens nobis realiter & corporaliter adsit: sed satis est, vt mente fideli capiatur. Vnde poterit etiam comedi corpus Christi & sanguis bibi absens, quãdo præsentia realis tã videtur exigi ad abluendum, quàm ad comedendum & bibendum, si naturaliter & crassè ista intelligamus fieri. Veruntamen est aduertendum, quando dicimus, corpus & sanguinem Domini fide percipi, nos ista non ponere omnino abesse: efficiuntur enim vi fidei & spiritualiter nobis præsentia. Dicit enim Paulus ad Ephes. Iam nos consedisse cum Christo ad dextram Dei in cœlestibus. Idemq; ad Rom. ait, nos spe saluos factos esse. Et ad Gal. ait: Quibus ob oculos præscriptus est, & in vobis crucifixus.

tamẽ corpus realiter, substantialiter.

Postea scriptura sancta nobis tantũ commemorat geminum Christi aduentum, primũ humili forma ad redimendum, alterum gloriosa ad iudicandum. Vos autem confingitis singulo quoq; die infinitos. Nam vbicunq; missatur, aut fideles communicant, statuitis realiter & substantialiter corpus Christi adesse, cui tamẽ nec formam humilem cõceditis, neque tribuitis glorioſam, sed medio quodã modo symbolis sacramẽtalib. alligatis, de quo nec scripturæ loquuntur, neq; vlla efficax ratio adfertur.

Quinta. Tantũ ptura dit aduentũ Christi.

Item cum cœnam Domini Sacramentũ esse omnes cõsentiant, & Sacramenti definitio sit, Visibile signum inuisibilis gratiæ, patet, nos magis eius rationem conseruare quàm vos. Credimus enim coniungi corpus Christi symbolis per significationem: quiq; vel transubstantiationem, vel corporalem præsentiam adseritis, non effugitis, quin tam impij & infideles Christum comedant. Quod vt sit absurdum, iam demonstratum est.

Sexta. Ratio sacramẽti tur in significatione in præsentia corporali.

Postremò, quando scriptura sancta nobis aliquid generaliter credendum proponit, cõuenit, vt nos illum modum nobis deligamus (si quis est deligendus) qui sit facilior & expeditior, nec auocet homines, sed potiꝰ manu ducat ad fidem, atq; ad eum minora paucioraq; consequantur absurda, nec miracula multiplicentur. Id autem vos minimè præstatis, qui modos delegistis, ad quos tuendos infinitis opus est miraculis, & absurda concurrunt sine modo. Et hæc quo ad cõfirmationem duarum propositionum quæ agitantur, volo sufficere.

Regula bii qua generaliter nobis credẽda proponitur in scripturis.

Ad sobiectiones argumentorũ, quibus ista suprà dixerunt.

VERVM antequam aggrediaris mihi obijcere aliquid, volo bona fide præstare, quod tibi sum pollicitus, cùm incipiebas contra me agere in altera nostra disputatione. Suscepisti enim in tuo proœmio quandam prouinciam, quæ tibi non erat necessaria: videlicet vt ostenderes solutiones, quas oportuisset adhibere argumentis, quæ ego obieceram Doctori Tresshamo, cum quo pridie eius diei disputaueram, & illis dixeram, non fuisse satisfactum.

De argumento ex Cypriano.

Argumentum meum ex Cypriano istud fuerat: Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento visibiliter diuina se infundit essentia, &c. Vnde concludebam: Sicut in Christo mansit integra humanitas, ita in Sacramento esse conseruandum verum panem. Conatus es respondere, collationem Cypriani non debere accipi quo ad integritatem duarum naturarum in Christo, sed quo ad latentiam, nimirum quòd sicut in homine Christo latebat diuinitas, sic in accidentibus, id est, in specie & forma panis lateat corpus Christi. Hanc arbitraris argumenti esse solutionem. Sed re vera non est: quia scopus Cypriani in ista collatione non fuit latentia, vt ipse fingis. Cæterùm ab eo exprimitur satis manifestè, cum inquit: Vt esset religioni

gioni circa Sacramenta deuotio, & ad veritatẽ, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus. Pro me autem quàm verba eius faciant, consideres: Sacramento, inquit, visibili diuina se infundit essentia. Quòd si se illi infundit, naturam eius non excludit, vt vos fingitis, imò potius conseruat: etenim quæ infunduntur alicui, nequaquam ipsum perdũt. De latentia verò quam causaris, ego quoq; illam habeo communem tecum: nam corpus Christi, quod significatur Sacramẽto, nequaquam in illo videtur, sed latet, sicuti in Scripturis dicitur latẽre sensus sub literis. Latentiam ergo tuam & ego habeo, sed tu naturarum integritatem prorsus reijcis, quam Cyprianus exprimit. Ad id verò quod postea inducis de Athanasio, idem sentio quod & tu respondes, non debere simile tenere quo ad omnia, sed tantũ quo ad illa, quæ exprimuntur. Videas itaq; Athanasium apertè dicere, Christum ex duabus naturis constare, & simile ducit de homine, qui duabus item rebus componitur. Hucusq; tenet similitudo, non vlterius extendi debet. Ita Cyprianus exprimit diuinam essentiam se infundere sacramentis, vt in persona Christi videbatur humanitas, & latebat diuinitas, nil dico, quod ipse non habeat, nihil accipio quod ipse non offerat, nil exterius accerso, tantùm dico, vnà cũ eo hæc duo in Eucharistia haberi, scilicet diuinam essentiam, quæ infunditur, & sacramenta, quibus infunditur. Tu verò hîc alia inducis de separatione diuinitatis, quæ non sunt ad propositum. Quòd si diuina essentia perdat sacramentorum naturas atq; substantias, quibus infunditur, tunc simile de Christo prorsus locum non habet.

Ad Gelasium verò quem citaueram, respondes, illum partim fuisse Nestorianũ, & partim nõ. Et aiebas non sequi: Is nõ fuit ex toto Nestorianus, ergo ex parte nõ fuit: ideo subdebas licuisse eum negare, sed tamen confingebas apud eum, quod scribitur (Nõ desinere substantiam vel naturam panis & vini) habere secum interpretationem: quoniam adiectũ est: (Permanent tamen in suæ proprietate naturæ) id est in accidentibus, quæ habent nutriendi facultatem, retinent eundem saporem, eandem figuram & colorem, &c. Sed hoc non est diluere argumentum. Quod enim primum insimulas Gelasium hæreleos Nestorianæ, mihi est nouum & inauditum, non laborauit iste vir ea infamia. Tua præterea expositio, quod panem & vinum sentiat manere in suæ proprietate naturæ, id est, in accidentibus, aliena est: nã per proprietatem naturæ non intelligit nisi propriam naturam, quã substantiam appellamus. Et hoc demonstro: quia si tua interpretatio admittatur, tunc prorsus inefficax est argumentũ Gelasij. Nam contra Eutychen agit, qui volebat, corpus Christi non mansisse, verùm in diuinitatem conuersum: & argumentatur à natura sacramenti Eucharistiæ, quod vult habere duas partes, nimirum panem & vinum, quæ symbola sunt, & res Sacramenti, id est, corpus & sanguinem Christi, & ratiocinatur: Si duo hæc integra manent in Sacramento, ergo & in Christo sunt duæ integræ naturæ. Vnde vos, cùm per transubstantiationem auferatis panem, & accidentia substituatis, argumentum prorsus eneruatis. Nam & Eutyches concessisset, ablata corporis substantia & in diuinitatem cõuersa, eius accidentia superesse, vt homo videri possit, cùm tamen reuera homo non sit.

Nec aduersatur quòd ex Augustino citas, Christum eadem carnis forma atq; substantia venturum, quemadmodum ire visus est in cœlum, quasi substantiam ibi proprietates intelligat & accidentia, quod neutiquam verum est, imò contra te facit. Nam vult ibi Augustinus, cum vera humanæ naturæ substantia Christũ venturum: nec alio pacto accepit Gelas. manere substantiam panis. Deinde locum ex sententijs Prosperi, Sicut Christi persona constat ex Deo & homine, cùm ipse Christus verus sit Deus, & verus sit homo, quia omnis res illarũ rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur, &c. Conatus es eludere, dicendo, Sacramentum esse illud externũ, quod apparet oculo: rem autem sacramenti corpus Christi. Nam ibi Augustinus vocat (ipsum & non ipsum) inutilis est responsio: quia ex Augustino rursus habes, quod ex Cypriano & Gelasio audiueras, videlicet idem contingere huic sacramento & Christo, nimirũ vt ex duab. veris naturis constet. Et oportet, vt diligẽter verba expendas quibus dicitur: Quod omnis res illarum rerum naturam & veritatẽ continet, ex quib. conficitur. Confici autem hoc Sacramẽtum ex pane & vino quis dubitat? Vnde si continet istarum rerum tantũ accidentia, nõ continebit, vt dicit Augustinus illarum rerum naturam & veritatem.

Ad Augustinum verò ad Dardanum, quod oporteat Christi corpus esse in vno loco certo propter veri corporis modum, aiebas respondendum, quo ad humanam formam, sed inuisibili specie, vt est in Sacramẽto, posse esse in multis locis. Hîc quoq; nihil respondes. Non enim mihi expendis illa verba, (propter veri corporis modum:) nam substantia, quæ caret modo corporis, non est verum corpus: & ita in Eucharistia non ponetis verum corpus Christi. Deinde non recenses plenè argumentum meũ ex Epist. ad Dardan. Nam dicebam, Cùm Augustinus non audeat tribuere animæ Christi, vt simul & eodem tempore potuerit esse & in inferno, & in paradiso, hoc est, in cœlo cũ latrone, quomodo id corpori concedemus, quod nõ est spiritus, quemadmodũ anima? Hoc meum erat argumentum, quod adhuc & inuictum & insolutum manet.

De Theodoreto, asseruisti eum habere eundem sensum, cùm dicit, Panem non mutare naturam, quem alij patres habent, cùm aiunt, Panis & vini manere naturas. Intelligunt enim proprietates, id est, accidẽtia. Hoc etiam quàm nihil ad rem faciat, ad ea te remitto, quæ diximus de Gelasio. Nam vtrique agebant contra

Gennadius Theodoreto bonũ testimonium reddit.

eundem Eutychen: & nihil concluderent, si pro substantia vel natura panis, quá dicunt manere, intelligerent accidentia. Atq; ita exponimus Theodoretum, vt consentiat cum omnibus alijs patribus, à quibus proculdubio panis in Eucharistia retinetur.

De Theodoreto habes alibi, & in 12. histor. Tripar.

Fatebaris postea vera esse, quæ Origenes habet in fragmen. super Matth. cap. 15. Quòd scilicet materiale panis huius in secessum vadat: & aiebas, ipsum se interpretari, iubens, vt non inhæreremus carni & sanguini, sed reciperemus sacramentum verbi. Et ita inferebas verti hoc symbolũ in cineres malis, sanctitate transeunte, vt Cyprianus loquitur. Miror, te distinctionem hîc facere bonorum & malorum, cùm generaliter loquatur Origenes de materiali huius panis, & velit Christi verba ostendere vera esse, cûm dixit: Quod intrat in os, non coinquinat hominem, sed in ventrem mittitur, & in secessum vadit. Mouerat sanè quæstionẽ, quomodo hoc verum esset de pane Domini, quòd in secessum vadat. Responsio eius est, hoc intelligendum esse quo ad materiam, non autẽ quo ad sanctificationem. Tu autẽ videris statuere, hoc tantùm intelligendũ esse quoad malos, & ponis, simile esse ei quod Cyprianus refert de conuersione in cinerem. Vbi quæro ex te, quid sit illud, quod in cinerẽ conuertitur? Non corpus Christi: quippe nefas esset: non accidẽtia, nisi velis ea parere subst̃atiam. Scio, confugies ad miracula, hoc est, Deum creare nouam materiam, vel pristinam redire facere: sed ista nunquam cogitauit Origenes, cuius iam ex me planam sententiam audiuisti. Quodq; adducis ex Cypriano, miraculum fuit, ac propriè ab eo potuit dici, vt fieret conuersio in cineres: quia ille panem retinet, qui conuerti per miraculũ potuit. Sed vos, cùm remoueatis panis substantiá, nihil habetis quod dicatis conuerti vel in cineres, vel in excrementa. Vnde si velitis nouam materiam creari, ibi non debetis conuersionẽ, sed creationem statuere. Demumq́ue, vt dixi, sententia Origenis est vniuersalis, tam bonos, quàm malos respiciens.

Irenæo quoque, dum ait: Panis, in quo gratiæ actę sunt, corpꝰ est Domini. & rursus: Eum, qui ex creatura panis est, accepit, ac gratias egit dicens, Hoc est corpus meum: & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est: Respondebas, omnia hæc referenda esse ad panem ante consecrationem: quandoquidem tum est creatura secundum nos, sed iam ex ea materia, accedente verbo, fit corpus Christi, nec manet illa creatura pristino modo. In responsione tua duo committis vitia, quia primò non satisfacis verborum sensui. Nam Irenæus quàm apertissimè de eo, super quo gratiæ actę sunt, pronuntiat, & quòd sit panis, & corpus Domini: nam gratias actas esse, tempus notat præteritum, & tamen adhuc nominat panem. Deinde tacitus præteris illam similitudinem, quam ego maximè vrgebam: Quemadmodũ panis à terra percipiens vocationem, non amplius est communis panis, sed fit Eucharistia, ex duabus rebus cõstans, terrena & cœlesti: sic & nostra corpora percipientia Eucharistiam nõ sunt amplius corruptibilia: & concludebam talem esse in sacramento mutationẽ panis, qualis est nostrorum corporum. Hîc nihil dicis.

Obiectus est Gregor. in Regist. qui ait: Tam azymum quàm fermentatum dum sumimus, vnum corpus Domini nostri saluatoris efficimur. Obcurrebas, eum nil aliud velle, nisi sacramentum posse confici tam ex azymo, quàm ex fermentato: non quòd intelligat panem manere. Hîc similiter confugis ad solitam strophá de pane ante cõsecrationem. Sed hoc quin facias, obstant verba Gregorij: nam inquit, Tam azymum quàm fermentatum dum sumimus. Et verbum præsentis temporis, denotat manifestè nos in communione sumere vel azymum, vel fermentatum panem: neq; enim sumitur sacramentum, nisi post consecrationem.

Hic primi.

Verba Epiphanij, quibus eram argumentatus, prolixè voluisti legere, quę ita habent: Surrexit in cœna, & vt gratias egisset, dixit, Hoc meum est, & hoc & hoc. Et videmus quod non æquale est, neque simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum: hoc enim est rotundæ formæ & insensibile, quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, Hoc meum, & hoc & hoc, & nemo non fidem habet, &c. Hoc tu interpretaris, id quod est sub rotunda figura esse insensibile, & infers, ex ijs intelligi licet, quòd quisquis non credit ibi esse verum corpus Christi, excidit à gratia & salute. Argumentũ meum fuerat inductum ad probandũ, corpus Christi dictũ fuisse à Domino de pane, quod aduersarius meus negabat: nam absurdũ esse aiebat, si vel panis vel accidentia dicerentur esse corpus Christi. Contra eum induxerã ista Epiphanij verba, in quibus apertè dicit de eo, est rotundę formæ, Christum voluisse per gratiam dicere: Meum est, & hoc & hoc, id est corpus: Et ipsum rotundum, vt intelligas panẽ esse, appellat insensibile, quò ad potentiam, quod nequaquam sentiendum est de corpore Christi: subdit enim, Dominum verò nostrum nouimus totum sensum, totum sensitiuum, &c. Neque rursus quando ait: Hoc enim est rotundæ formæ, potes intelligere accidentia, quia illa sunt ipsa rotunditas, nõ formæ rotundæ, in genitiuo casu. Nec demonstrari potest corpus Christi, cùm ipsum rotunda forma non afficiatur. Quare stat & firmum est, quod inde inferebam, Corpus Christi iuxta Epiphanium de pane dici: Et miror, te cùm susceperis velle dissoluere argumenta, quę minimè soluta fuerant, nihil attigisse de Basilio, Didymo, Cyrillo atq; Vigilio. Et hæc me scito non tantùm cõmemorasse vt starem promissis, verùm etiá quo non sine fructu essent, quæ in prima disputatione obieci, quibus afferebas te vereri, ne qui audiuerant, seducerentur. Fuit itaque operæprecium, vt quæ non ad seducendum, verùm ad docendum dixeram, vt finem assequerentur, hoc pacto confirmare. Nunc autem per mẽ tibi

tibi fit poteſtas obijciendi quicquid volueris. A
CHEAD. *Bonam partem conſumpſiſti temporis, quo potuiſſemus diſputare, in his tuis recenſendis, & nunc videris id inſtituere, vt ego perſonam mutem, & fiam ex opponente reſpondens: quod ego non admiſi, cùm illas propoſui ſolutiones, quæ conueniebant tuis argumentis, ab initio prioris diſputationis. Eram quippe reſpondens. Nunc autem à te commemorata ſunt extra tempus, quod fieri non debuit.* MAR. Nihil à me hîc peccatum eſt: nam confirmare ſuas quæſtiones antequam diſputetur, & communire firmis rationibus, mos eſt receptus ab omnibus qui diſputant. Et cùm obijciendi tempus fuerit breue, non potui expedire quas habui præcipuas rationes: ideo vt non viderer aſſerere falſa & temeraria, ſaltem hoc loco fuerũt explicanda. Confutationem verò tuarum ſolutionum recepi me hoc tempore allaturũ, quod omnes teſtari poſſunt, qui & nunc adſunt, & tunc adfuerunt. Atque id temporis idoneam cauſam reddidi, cur tum ſuperſederim ab eiuſ- C modi tractatione, quo ſcilicet non ageremus, actum, & non cogerentur auditores ea die nihil ferè audire aliud, præter argumenta, quæ pridie eius diei tractata fuerant. Mihi etiam nõ placuit, vt ea arte me cogeres, vt diſputarem tecum, non pro meo, ſed pro tuo arbitrio: nam cùm tunc eſſent meæ partes obijciendi, liberũ me ſeruare volui, vt inducerem argumẽta, quæ decreueram: non autem illa tractarem, quæ ipſe propoſuiſſes. Et tamen ſi me tunc vrſiſſes, D ac inſtitiſſes vt res perageretur, morem tibi geſſiſſem: ſed cùm tacueris, viſus ſum mihi, te conſentiente, negotium poſſe differre in hunc diem. Nec debet adeo moleſtum eſſe tibi, ſi nunc pària refero, his quæ mihi tu intuliſti. Iuſtius quippe eſt, vt ego mea defendam, quàm par fuerit, vt tu aliena ſuſcipéres tuenda.
CHEAD. *Sed ego te non coegi mutare perſonam: ſiquidem tunc obijciebas, & ego reſpondebam. Nunc verò quid agã? Detur nobis ſaltẽ alius dies ad agendũ.* E

Id negarunt Domini Viſitatores poſſe fieri, ego alioquin eram contentus.

CHEAD. *Itaq; quando mutandæ ſunt perſonæ, nunc ego iſthuc veniam, & tu huc accedas, ſi viſum fuerit, vt ego iſtis reſpondeam, & tu obijcias.* MAR. Per me tibi liberum eſt agere quod volueris, ſi detur alius dies, gaudebo: quod ſi non poteſt F fieri, & nunc velis exequi, perindè mihi eſt, agas quicquid volueris.

Domini Viſitatores iterum fecerunt ei liberum, vt faceret vtrum vellet.

CHEAD. *Quandoquidem ſic viſum eſt, pergamus. Tranſubſtantiari panem & vinum in corpus & ſanguinem Chriſti, ſic probo. Sexto capite Iohannis* G *commemorantur quinque ſpecies panis. Prima, qua refecta eſt multitudo, vnde Chriſtus ait: Quæritis me, quia manducaſtis panem. Secundus panis eſt fides, de quo dicitur: Operamini cibum, qui non perit, ſed qui permanet. Illi dixerunt, Quid faciemus? & Chriſtus reſpondit, Hoc eſt opus Dei, vt credatis. Tertius panis eſt Manna: de quo dicitur, Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto, & mortui ſunt. Quartus panis eſt Chriſtus: vnde inquit, Ego ſum panis vitæ. Quintus panis non eſt ille, quem intelligebant Capernaitæ, id eſt corpus viſibile, ſed inuiſibile, id eſt panis ſacramentalis: litigabant enim de hoc genere panis. Itaque Chriſtus reſpondet: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Qui non eſt alius panis, quàm is qui à Chriſto pèſt in cœna dabatur, cùm dixit, Hoc eſt corpus meum: nec alius, quàm qui pependit in cruce. Quòd ſi caro eſt: non igitur eſt panis.* MAR. Panis ille, de quo agitur 6. Ioan. & quem tu nunc in argumento accipis, eſt verè caro & corpus Chriſti, appellaturq; panis per metaphoram, quæ aptiſsima eſt atque pulcherrima. Et translatio in eo ſita eſt, vt quemadmodum panis nos nutrit & alit naturaliter, ita caro Chriſti ſpiritualiter & fide manducata, nos alit, quo ad animam, & quo ad corpus. Et cùm argumentaris: In cœna dedit Chriſtus hanc carnem, quæ metaphoricè dicitur panis: igitur auferenda eſt naturalis ſubſtantia panis. Nego conſecutionem: nam hoc ſacramentum ad illam manducationem ſpiritualem carnis Chriſti, quam metaphoricè panem vocabat in 6. Iohan. ſymbola adiecit & externam manducationem veri panis, vt illa ſpiritualis adiuuaretur, & efficacior eſſet. Quid enim prohibet, quin ibi promittatur caro Chriſti danda pro mundi vita, ſed non ſimpliciter ac nudè poſtea data ſit, verùm ſymbolis panis & vini adiunctis?

Panis ille, de quo agitur à Ioan. eſt metaphoricus.

CHEAD. *Quod dabatur in cœna, eſt panis quem promiſit Chriſtus Ioan. 6. ſed panis ille erat caro ſua: & ne dubitaret quis, qualis nam eſſet caro, adiungit: Quã dabo pro mundi vita: ſed illud quod dabatur pro mundi vita, non erat ſubſtantialiter panis: ergo neque hoc, quod dabatur in cœna, fuit ſubſtantialiter panis.*
MAR. Quod dabatur in cœna, non fuit ſolùm panis, qui habetur Iohan. 6 vt in antecedente accipis, ſed habuit etiam, quemadmodum dixi, panem naturalem adiunctum pro ſymbolo, & is panis ſymbolicus erat caro Chriſti tradenda in mortem pro ſalute noſtra. Et dum quæris, quomodo panis, qui dabatur, fuit caro: reſpondeo, non ſubſtantialiter, ſed vt loquuntur, ſacramentaliter, id eſt, per ſignificationem. Et ſenſus Iohannis eſt, Chriſti carnem dandam in crucem pro ſalute noſtra, panem eſſe, id eſt, cibum ſpiritualem, quo per fidem ſuſtentamur, isque cibus nobis in communione verbo Dei & ſymbolis offertur. Vnde ſi intellexiſſet in Iohanne panem ſymbolicum, cùm tunc non daret illũ, dixiſſet: Panis quem ego dabo, caro mea erit, ſed dicit (eſt) in præſenti, ac ſi dicat: mea caro eſt panis metaphoricè, quam meam carnẽ dabo, ſcilicet in crucem, pro mundi vita. CHE. *Chriſtus in 6. cap. Ioan. dixit, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt: ſed dabat eam carnẽ in cœna, quæ pependit in cruce, igitur ex ſcripturis, in cœna dedit realiter carnem ſuam: nam quod promiſerat tunc, in cœna præſtitit, dando corpus, quod erat pro mundi vita daturus: Symbola itaq; in cœna fuiſſe adiecta cõcedimus, ſed ſub-*

Tranſubſtantiatur verbo Ioan. ca. 6. Panis, quẽ ego dabo, caro mea eſt.

In cap. 6. Ioan per panem Dominus symbolum sacramẽti nõ intellexit, sed carnẽ suã.

Vt carnis suæ admoneremur, q̃ verè est panis noster spiritualis, & dicitur, dedit in cœna panẽ naturalem.

stantiam illorum symbolorum dicimus esse carnẽ Christi, propter inducta verba, Panis quem ego dabo, caro mea est. Vnde patet hìc transubstantiationem esse. MAR. Quòd in cœna dederit verum corpus suum, semper sum attestatus, verùm illi adiecit symbola panis & vini, vt iam dixi, & tu modò, vt audiui, fateris: sed in tuo argumento incidis in æquiuocationem, quia transis à pane metaphorico, ad panem verum & naturalem. Quod enim dicit Christus, Panis quem ego dabo, &c. Per panem nõ significat symbolum, hoc est, naturalem panem dandum in cœna, sed exprimit metaphoricum epithetum carnis suę, quod nimirũ esset nobis pro pane, vel instar panis, cuius proprietatis vt admoneamur, & intelligamus, carnem Christi panem esse allegoricè, voluit in cœna tradere naturalem panem, dicens: Hoc est corpus meum, id est, meum corpus pro vobis tradendum, si fide & spiritualiter à vobis manducetur, est pro pane, vel instar panis ad vos nutriendos & sustentandos. CHE. *Eodem modo loquor de pane, quo accipitur in Euangelio. Vt quinta species distincta sit à quarta, quæ est, Ego sum panis viuus. Vnde quinta species non erit allegoricus panis, sed is de quo Dominus dixit, Panis, quem ego dabo, caro mea est. Alius igitur panis non erit, nisi caro mea, licet sub alia forma, ne confundamini: hoc autẽ dixit, vt præmuniret eos, ne litigarent Apostoli de corpore cõedendo. Christus alioquin promisisset, quod non præstiterit: & idcirco, Dabo, inquit: nondum enim venerat tempus. Neq; est quod dicas, corpus vel carnem Christi futuram instar panis: non enim promissio à Christo facta sic habet, sed simpliciter cõtinet panem dandum, esse carnem. Hoc idem confirmat Cyrillus, cùm inquit, Ne dubites an hoc verum sit, eo manifestè dicente, Hoc est corpus meum, &c. sed suscipe verba salutis in fide, tametsi sensus non doceat.* MAR. Argumentatio prolixa est, cui vt satisfiat, eam ad duo capita redigo, videlicet ad sermonem Christi, qui habetur Ioannis sexto, & ad Cyrilli sentẽtiam. Quo ad sextum cap. Euangelistę, plura genera panis ibi tractari non diffiteor: quòd tamẽ abs te bene distinguantur, minimè concedo, & nõ multum curo. Egisse tamen Christum de sui manducatione, & promisisse daturum seipsum ad manducandum, admitto. Panem enim ait se daturũ, quæ sit caro sua, quæ danda erat pro mundi vita. Tu dicis, quis est iste panis? Christus respondet, Caro mea. & addit, Dabo eam pro mundi vita: & sic data, est panis vester, si eam fide perceperitis. Dicebat ergo, se daturum carnem suam in crucẽ, & ad manducandũ, eamq; panem appellauit metaphoricè. Atq; hoc pacto Iudæos litigantes docuit spiritualem sensum. Quod vt clarius faceret, subiecit: Verba quæ ego loquor, spiritus & vita sunt: vt intelligerẽt, manducationem non fore carnalem, sed spiritualẽ per fidem. Cui postea in cœna postrema symbola coniunxit, quorum nunc non meminit: sed quod panem nominat, ad carnẽ suam refert, quæ, dum communicamus, spiritualiter à nobis manducatur, quod præcipuum haberi debet in perceptione sacramenti. Atq; id Ioan. intelligens, in euangelio suo institutionis sacramenti, cùm describit postremam cœnã, non meminit, quia hic de ea satis abundè locutus erat: Idcirco præstitisse concedo in instituendo sacramento, quod antea in 6. cap. dixerat, quia dedit carnem suam ad manducãdum, sed cum symbolis. Et quod obijcis, Christum non dixisse instar panis futuram carnem suam, nihil est: quia in tropis huius generis non semper exprimitur nota similitudinis. In scripturis n. Christus dicitur agnus, non instar agni: & Deus appellatur ignis, neque additur, sicut ignis. Quod verò futuro tẽpore dicitur, dabo, ideò est, quia caro, quam comedimus in sacramento, est prout passa & crucifixa fuit, quæ non adhuc euenerãt, cùm ista loqueretur Christus, sed futura erant: nobis tamen dum cõmunicamus, semper esse debent ob oculos. Et quod attinet ad Cyrilli sentẽtiam, respondeo: me nil dubitare, quin ille panis, qui nobis traditur in hoc sacramento, sit corpus Christi, sed eo modo, quẽ docet scriptura. CHE. *In cœna stetit promissis, ergo quod tum dedit, caro erat pro mundi vita tradenda, illa, inquam, quæ pepẽdit in cruce: & hoc attestatur Cyrillus, vt dixi.* MAR. Stetit Christus promissis, vt dicis, & dedit carnem suam, quæ apud Ioan. appellatur panis metaphoricè: at dando corpus suum & carnem suam, quæ tradenda erant in crucem, vt spiritualiter manducarẽtur, vnà etiã panem verum & naturalem dedit. Neq; aliud præterea vult Cyrilli sententia. CHE. *Ergo hoc dabis tandem, fuisse verum corpus & veram carnem, quod dabat in cœna, sed simul cum pane.* MAR. Verum fuit corpus & vera caro, sed dabatur significatione. CHE. *Dedit carnem quæ pependit in cruce, & id corpus quod crucifigebatur, sed non spiritualiter pependit in cruce, nec panis naturalis crucifigebatur: igitur ille panis apud Ioan. non accipitur metaphoricè. sed realis Christi caro est intelligenda.* MART. Tu inuoluis multa, quæ à me sunt euoluenda, vt negem falsa, & concedam quæ sunt vera. Dixi iam, & nunc repeto, æquiuocationem te admittere, quia pro pane metaphorico tu mihi semper opponis panẽ datum à Christo in cœna, qui verus & naturalis fuit, & huius allegorici, id est, carnis Christi signum. Nunquam verò tibi concessi, neq; cõcedam, Christũ in Ioan. 6. promisisse panẽ symbolicum, sed eum, qui metaphoricè sumptus idem est cũ carne. Et in cœna postrema istum allegoricum panem, id est carnem suam, dedit ad manducandũ spiritualiter, & non solùm stetit promissis, sed plus dedit quã promiserat, addendo symbola. Et quod sumis in argumento, corpus Christi nõ pependisse in cruce spiritualiter, & panem naturalem non fuisse crucifixum, aut pro nobis traditum, nihil habet momenti. Quandoquidem verba Christi satis attestantur corpus eius aliter à nobis manducari, & aliter fuisse crucifixum: quia manducationem istam spiritualem esse voluit Dominus, quando à carnali reuocauit Capernaitas. Pendere verò in cruce, & mori, actiones fuerunt naturales: vnde in argumento peccas, progrediendo à substantia ad qualitatem, & à re ad modum. Vnde corpus manducari à com-

Sermo versus æquiuocationem.

Declarat quæ sit promissa Christi 6. cap. Ioan.

muni-

municantibus damus, nō autem eo modo quo A pependit aut crucifixum est. Et miror te hoc obijcere, qui non dares ita Christum fuisse crucifixum, vt illum ponis operiri tuis speciebus. CHEAD. *Dominus promisit se daturum panē, qui esset caro sua, quæ tradenda erat pro mundi vita. Sed hunc panem, quemadmodum Dominus Doctor fatetur, non dedit nisi in cœna: ergo in cœna dedit veram carnem tradendam pro mundi vita. Et hæc propositio, panis est corpus Christi, est impossibilis, nisi accipiamus per figuram & significationem: ergo oportuit esse transubstantiationem ad hoc, vt daret verum corpus suum.* MAR. Dedisse Dominum in cœna quod promiserat, concessi, non tamen dedi quòd non nisi in cœna id præstiterit Dominꝰ. Nam quotiescunq; credimus, Christū verè crucifixum pro nobis, carnem eius manducamus, quæ dicitur panis metaphoricè. Cæterū quod in cœna hoc maximè præstiterit, fateor: neque tu debes accipere me dixisse, quod ibi solū fiat. Sed quid est hoc argumenti: Christus secum C cœnantibus dedit carnem suam, & illa dicta est panis metaphoricè apud Ioannem, eò quòd nobis sit instar panis. Igitur non dedit etiam panem verum & naturalem? Ista non pugnant inter se, imò optimè consentiunt, & vtrumque simul verum est. Neque impossibilis est propositio, quòd panis sit corpus Christi: quia per significationem accipitur. Et Augustinus testatur, sacramenta habere nomina rerum, & corpus illud quod nobis per significationem offertur, verum est, & non fictum. CHEAD. *Illud quod promisit & datum est in cœna, erat vera caro Christi, ergo dedit veram carnem, non panem. Et caro data pro mundi vita, non erat spiritualiter vera caro, sed carnaliter vera caro, & nullo modo panis naturalis: ergo euincitur transubstantiatio.* MAR. Dedit carnem, quemadmodum promisit, veram, sed spiritualiter manducandam, & vnà etiam dedit symbolum. Quoties tibi dicam? dedit vtrumque. Quæ est ista consequutio? Dedit hoc: igitur cùm hoc non dedit, etiam illud? Et carnem Christi non dico esse spiritualiter carnem, sed veram: spiritualiter autem applico ad nostram manducationem & nostrū percipiendi modum. CHEAD. *Hoc igitur concedes, Christum dedisse veram carnem in cœna.* MART. Dedit veram carnem fide percipiendam, atque spiritualiter manducandam, sed vnà cum ea dedit etiam symbola.

Non est impossibilis propositio hæc. Panis est corpus Christi.

Hic Domini Visitatores Regij dixerunt, dissolutionem argumenti satis intelligi, quam ego adferrem, & ideò illum debere vltrà progredi.

CHEADZEVS. *Dabis ne fidem vni aut alteri testi meæ sententiæ?* MARTYR. Possent esse huiusmodi, quibus fides non sit adhibenda. Quid veteris ista præfatione? nominato eos, & si fide digni fuerint, fidem eis habebo. CHEAD. D *Ambrosius Transubstantiationem ponit in libro de ijs, qui initiantur mysterijs, capite nono & vltimo. Vbi in priore parte capitis habet, non esse panem quem natura formauit, sed quem benedictio consecrauit. Et hìc respondere non potes, quo ad visum factam esse mutationem, quia postea subdit, naturam mutatam. Et exemplo docet, quia virga, quam tenebat Moses, natura versa in serpentem, non secundum visum. Verba eius hæc sunt. Probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq; vim esse benedictionis quàm naturæ: quia benedictione etiã ipsa natura mutatur. Virgam tenebat Moses, proiecit eam, & facta est serpens: rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur, prophetica gratia bis mutatam esse naturam, & serpentis, & virgæ? Currebant Ægypti flumina puro aquarū meatu: subitò de fontiū venis sanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluuijs, rursus ad prophetæ preces, cruor cessauit fluminum. Hìc vides, Ambrosium testari mutationem naturæ, id est, transubstantiationem.* F MART. Bene habet: agnosco verba Ambrosij, sed perge vlterius. CHEAD. *Circumclusus vndique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptijs vallatus, inde mari clausus, virgam leuauit Moses, separauit se aqua, & in murorum speciem congelauit, atque inter vndas via pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus contra naturā, in sui fontis reuertitur exordium. Nónne claret naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluuialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturā operata est gratia, vt aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fluuius amarissimus erat, vt sitiens populus bibere non posset: misit Moses lignum in aquam, et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam subitò gratia temperauit. Sub Elisæo propheta, vni ex filijs prophetarum excussum est ferrum de securi, & statim mersum est. Rogauit Elisæum, qui amiserat ferrum, misit etiam Elisæus lignum in aquam, & ferrum natauit: vtique & hoc præter naturam factum esse cognoscimus. Grauior est enim ferri species, quàm aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris esse virtutis gratiam quàm naturam, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quòd si tantum valuit humana benedictio, vt naturā conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini seruatoris operantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi ope-*

ribus legisti, quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est, nouas rebus dare quàm mutare naturas. Hinc etiam liquet, Ambrosium velle mutari naturas. MAR. Perge legendo: quòd si cunctaris, ego ipse legam. Vera vtiq; caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est, veræ ergo carnis illius sacramentũ. Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum. Ante benedictionem cœlestium verborum alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur, & tu dicis, Amen. CHEAD. *Legam vsque ad finem, si voluerùs.* MAR. Ad finem hoc habetur. Nec dicamus quomodo regenerati sumus, nunquid in ventrem matris nostræ iteratò introiuimus & renati sumus? Non agnosco vsum naturæ: sed nullus hîc naturæ ordo, vbi excellentia gratiæ. Denique non semper vsus naturæ regenerationem facit. Huc vsque ille. Iam vides, nos Ambrosium non contemnere, tametsi scio esse doctos viros, qui ista commentaria de Sacramentis habeant suspecta, & putent non esse Ambrosij, quod tamen ego non curo, & facilè illos admitto. Neq; me latet, Roffensem, vt ostenderet hos libros verè Ambrosij esse, testimonium Augustini in procœmio de Doctrina Christiana citasse, quod ibi dicat, Ambrosium scripsisse librum de Sacramentis. Si quis verò citatum locum perlegat, nil tale inueniet. CHE. *Habetur apud August. in lib. 2. Retract. quando commemorat libros de doct. Christ. ibi inquit, Ambrosium scripsisse librum, siue de sacramentis, siue de prophetia, & istud caput solet præfigi loco procœmij libris de doctrina Christiana: sed nunc Roffensem non suscipio defendendum.* MAR. Memini: & quidẽ ad hæc Augustinus contra Iulianum, scripsisse, ait, Ambrosium de Sacramento, vel de philosophia; licet ex his, quæ ibi dicuntur, non constat de his libris agi, quos modò excutimus. Cæterùm vt iam dixerã, hîc non contendemus: nam libros istos admitto Ambrosij, & respondeo, eũ nihil aliud hîc voluisse probare, quàm mutationem panis vocatam à nobis sacramẽtalem: neque id velle, vt natura panis in ea tollatur. Et hanc esse eius sententiam, satis liquet ex lib. 4. de Sacramen. cap. 4. vbi scribit: Si ergo tanta vis in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Hic apertè duo ponit: primum, symbola manere quæ erant: quod intelligẽdum est, nõ vt vos asseritis de accidentibus, sed de substantia: nam relatiuum (quæ) illud nobis indicat. Alterum est, quod mutantur in aliud, quia ex pane communi fit sacramentum. Nec est mutatio ista vulgaris, sed quæ naturam superet. Et ad ea, quæ dicit ab initio capitis, naturam mutari, respondeo, contra me non facere, quia talem mutationem concedo naturarum, vt suscipiant alias conditiones, & ascendant nouum gradum: sacramenta enim fiunt, quod antea non erant. Ad exempla verò, quæ hîc ponuntur ab Ambrosio, respondeo, multiplicia esse, idcirco ad duo genera illa redigo. Nam quædam enumerat, vbi prorsus abijcitur prior natura, vt contigit in virga Mosis, quando conuersa est in serpentem, & in aquis Ægypti, cùm mutarentur in cruorem. Et alia sunt, in quibus manente priori substantia, tantummodò accidentalis mutatio facta est. In quo genere sunt, diuisio maris rubri: Iordanis recessus: aquæ Marath sanatæ: petra dans aquam, & ferrum natans. His itaque similibus hæc mutatio sacramentalis probari potest. Etenim si accipias illa, in quibus omnino sublata fuit natura, quæ præerat, argumentum habebis à maiori. Cùm enim statuatur Deus tãtam effecisse mutationem, vt prorsus naturas auferret, & substantias, quæ prius erant, aliasque induceret, cur dubitandũ erit, eum posse facere ex communi pane & vino efficacissimum sacramentum? Alijs verò similibus, in quibus prior substantia conseruatur, & nouæ qualitates atque conditiones inducuntur, aliter quàm natura patiatur vsitata consuetudine, probatur hæc eadem mutatio sacramentalis ab æqualibus factis, & pari virtute. Non enim est ambigendum, posse Deum, naturis panis & vini manentibus, tribuere sacramentalem vim, qui tam mirabiles affectus & qualitates rebus enumeratis impressit præter naturam. Et sunt non leuiter pertranseunda verba, quæ habet in isto capite, cùm ait: Vera vtique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est, veræ ergo carnis illius sacramentum: nam inde patet, eum constituere, Christum habuisse & veram carnẽ, & verũ corpus, quod & nos fatemur aduersus Marcionẽ & Eutychen. Addidit postea, hoc esse verè sacramentũ illius carnis, quod nostræ sententiæ admodũ fauet. Nam dicimus, eã hîc & verè & efficaciter significari, & per cõmunionem verè, sed spiritualiter à nobis sumi. Nec illa sunt prætereunda, quæ paulò pòst scribit: Ante benedictionẽ verborũ cœlestium alia species nominatur, post consecrationẽ corpus Christi significatur. Quando à me dicitur, corpus Christi in sacramẽto significari, videor vobis & aliena & absurda loqui, & nihilominꝰ à patrib. idem passim auditis. Itaq; dum quæris, quænam sit hæc mutatio, de qua Ambrosius, vel quisquis est, tã prolixè scribit? Respondeo, eam esse, qua panis & vinũ ab ordine naturali & gradu prophano ad statũ & ordinem sacramentalem transferuntur, opera cùm Spiritus S. tum institutionis Domini. Neq; dura est hæc locutio, si dicamus naturã mutari, cũ adipiscitur varias conditiones: siquidem ea est, quæ talem mutationẽ sustinet ac defert. Vrgebas & ab initio quod scripserat, Non hoc esse, quod natura formauit, sed quod benedictio cõsecrauit: quasi hæc verba nostræ sentẽtię prorsus repugnent, quod reuera nõ est. Agit. n. Ambrosius de sacramento, atq; de eo, vt ita dicam, formaliter loquitur. Et quis nostrũm dubitet, conditionẽ sacraméti ex natura nõ prouenire, sed

Quia Christi caro est vera, ideo hoc est verè illius carnis sacramentum.

Corpꝰ Christi significatur: Post cõsecrationẽ sanguis nũcupatur.

Aliqui habuerunt suspectos libros Ambrosij de sacramentis.

Ambrosius vult, vt in sacramento symbola sint q̃ prius erant.

Exempla Amb. non sunt ad rem.

Natura non formauit sacramentum, sed vt dicimus.

sed per consecrationem induci? Atque id exprimere voluit, iam panem sanctum non habere à natura, quod sit sacramentum, sed per consecrationem id adeptum esse. CHEAD. *Sed in Ambrosio hæc potissimum notaui. Primum quod inquit, Dicas aliud video, quomodo tu mihi asseris quod corpus Christi accipio? & nobis adhuc superest vt probemus. Deinde probemus, non esse hoc quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq; vim esse benedictionis quàm naturæ: quia benedictione ipsa natura mutatur. Adhæc, ne dicas mutationem esse sacramentalem, vt panis fiat symbolum, exempla quæ sequuntur, docent substantiam in aliam naturam conuerti: itaque Ambrosius dicit naturam mutari: tu negas.* MAR. Non nego: sed affirmo sacramentaliter mutari, & dico cum Ambrosio, sacramẽtum non esse id quod videtur, si loquamur de eius potiori parte, quod enim significatur, vt non videtur, ita in primis quæritur à fidelibus, neque est à natura in hoc sacramento aut formatum aut affixum, sed per benedictionẽ adnectitur. Neq; vult hîc esse conuersionem eiusmodi, quæ pristinam naturam abijciat: de exemplis vero ab eo inductis iam satis est dictũ. CHEAD. *Ambrosius inquit, Non esse hoc quod natura formauit, sed quod benedictio cõsecrauit.* MAR. Hoc antea declaraui, etenim sacramentum res est cœlestis, quod natura non formauit, sed per consecrationem pani accedit, non ita vt suam abijciat substantiam. Neq; debet hoc alienum videri à sensu Ambrosij, qui vt citaui lib. 4. cap. 4. de Sacramentis, ait: Quanto magis operatorius est sermo Christi, vt sint quæ erant. Satis ostendit hæc oratio, eum non sentire, naturam symbolorum esse abijciendam. CHEAD. *Si sunt quæ erant, tunc non sunt sacramenta: quia prius sacramenta non fuerunt. Præterea idem Ambrosius in loco quem induxi, de his qui mysterijs initiantur, asserit mutari species elementorum. Nam scribit: Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non tantum valebit sermo Christi, vt species mutet elementorum?* MART. Quod primum obijcis, Si sunt quæ erant, tunc sacramenta non sunt. Negatur consecutio: optimè enim conuenit vtrunq;. Nam addit Ambrosius: Et in aliud cõmutentur, vt videas naturam panis manere, & in sacramentum mutari. Et quod inculcas, illũ scribere, species elementorum mutari, distinguo: si per species accidentia intelligas, id est, formam, figuram, saporem, atque colorem panis & vini, nõ mutatur, vt sensus attestatur: sin verò per species, naturas intelligas & substantias symbolorum, illis accedere, vt sæpius dixi, spiritualem & cœlestem mutationem, concedo. Nam dum sacer iste ritus peragitur, in symbola per institutum & verba Domini inducitur ratio sacramentalis, & relatio illa significandi tam corpus mysticum quàm ipsum Christi corpus, non in accidentibus panis & vini, sed in ipsis eorũ naturis fundatur accessu Spiritus Sancti, qui illis vt instrumentis vtitur. CHE. *Mutatur ne panis secundũ substantiam, an secundum accidens?* MAR. Quoniam ambiguitas & æquiuocatio hic incidit, vtar distinctione. Si mutationem intelligas secundum substantiam, ita vt substantia ipsa vel pereat, vel conuertatur in aliam, nõ assentior tali mutationi: sin verò intelligas mutari substantiam sic, vt suscipiat aliã qualitatem atque conditionem quàm prius habuerat, concedo eam mutari. CHEAD. *Tu de accidentali mutatione loqueris, quæ fiat secundum nouum gradum & conditionem, quod est in sacramentũ mutari, & accidentaliter. Ambrosius verò agit de mutatione elementi & naturæ. Interrogo ergo te, Quid est quod post consecrationem mutatur?* MAR. Ab Ambrosio non recedo, sed cum illo assero, hãc fieri mutationẽ elementi & naturæ, modo iam expositio. Et cũ interrogas, quid mutetur post consecrationem: Respondeo, mutationem de qua nunc agimus, in illis rebus esse suam, quæ iam per consecrationem qualitatem aliam sustinent, & maiorẽ dignitatem consecuta sunt, videlicet statum sacramentalem, quem antea non habuerant. Et quamuis talem mutationẽ studeatis eleuare, non tamen parua est aut contemnenda, cùm Sancti Spiritus & vis & opus accedat. CHEAD. *Tu adhuc respondes mihi de accidentali mutatione: sed quæ est mutatio in elemento?* MAR. Magna quidem est, qua elemẽtum fit sacramentum, ita vt illud elementum per hanc mutationem iam alia res dicatur, quàm antea fuerat. Et ne hæreas quid intelligam per elementa, dico, per ea nil aliud significari quàm symbola, quemadmodum veterũ ceremoniæ & sacrificia dicuntur elementa apud Paulum: & horum elementorum, id est, symbolorũ substantia est, quæ fert & sustinet hanc mutationẽ, quæ per consecrationem inducitur. Iamq; sum fessus idem sæpius & respondendo & declarando. Cùm ego ex nigro efficior albus, non est opus, vt mea substantia vel natura esse desinat: ita de pane existimes, quando fit sacramentum. CHEAD. *Conditio quæ accedit, non mutat naturam: & Ambrosius dicit eam mutari. Idemq; lib. 4. ca. de Sacram. 4. Ergo author sacramentorum, quis est, nisi Dominus Iesus? De cœlo ista sacramenta venerunt. consilium enim omne de cœlo est. Verè autem magnũ est & diuinum miraculum, quòd populo Deus pluit Manna de cœlo, & non laborabat populus, & manducabat. Tu fortè dicis, Meus panis est vsitatus, sed panis iste, panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus: Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Deinde: Ergo, tibi vt respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem: dico tibi, quòd iam est corpus Christi. Ipse dixit, & factũ est: ipse mandauit, & creatum est.* MAR. Addas ea quæ interposita sunt: Quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? CHEAD. *Nihil contra me hæc faciunt. Sint, quæ erant, id est appareant: nam eandem formam, figuram, & proprietates retinent. Sensus etiam Ambrosij sic explicatur: Si Deus potuit ex nihilo omnia facere, quanto magis ex alio aliud? Si ex eo, quod non est, potuit aliquid facere, multo magis id potuit ex eo quod est. Ideo dicit, Vt sint quæ erant: quia prius erant entia, & existebant, non quòd posthea persistant eadem secundum substantiam, sed*

Mutari secundũ naturam dupliciter.

Quid sit illud & mutetur in sacramento.

Nota, panẽ esse corpus Christi, & ipsi negat.

vt sint quæ erant, quantum ad entitatem, & in aliud mutentur quantum ad substantiam. Vult itaque in summa, ex vna natura fieri aliam, & hoc est in aliud commutari. Et ex his quæ sunt ad finem capitis, quando dicit: Ergo didicisti, quòd ex pane corpus fiat Christi, & quòd vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis: patet transubstantiatio, & quòd ex pane fiat corpus Christi, & ex vino sanguis. MART. Primùm ad ea respondebo, quæ ipse citas ex hoc capite: deinde addã, quæ in eo abs te omittuntur, & meam sententiam confirmant. In primis, Dominum authorẽ esse sacramentorum confiteor: deinde assentior, panem ante verba Sacramentorum, panem vsitatum esse: vbi verò accesserit consecratio, corpus Christi esse, nimirum sacramentaliter. Hæc ego neq; nunc nego, neq; vnquam negaui. Sed tu mihi vicissim cõsidera, eũ subijcere, Hoc igitur astruamus, Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi cõsecratione. Vbi tu vides eum duo pronuntiare de symbolo, & quòd panis est & corpus Christi simul. Et ait, laborandum esse vt hoc declaretur, aitq; consecratione fieri. Quis autem dubitat, consecrationem sacramentalem rem esse? Ex quo patet, symbolum, quo ad naturam, manere panem: consecratione verò esse corpus Christi sacramentaliter. Et Ambrosius seipsum interpretatur, quãdo ait, Vt sint quæ erant: quod iste exponit & interpretatur, Vt sint, id est, appareant: cùm tamen Ambrosius habeat (sint) quæ vox non apparentiam, sed rei veritatem spectat. Et quis nõ videat, quando commodum vobis est, admodum arridere tropos, ita vt, quantumuis durissimis, abutamini cùm visum fuerit. Superius in Euangelista particulam, Quod, substantiam referre volebas, in Augustino qualitatem: hîc in Ambrosio interpretaris (sint) id est appareant. Itaque Ambrosius vbi dixit ea manere, adiecit, In aliud mutari, hoc est sacramenta fieri. Quæ verba testantur, me huius patris genuinum sensum protulisse. Vt verò sophistica sit altera interpretatio, qua dicis, Sint quæ erant, id est, prius existebant, & erant entia, quasi dicatur, sint quæ erant, quo ad entitatem, mutentur in aliud quo ad naturam, omnes intelligũt, videntq; alienissimũ sensum esse: quod vt magis perspicuum sit, non grauabor subijcere denuò Ambrosij verba: Quanto magis operatorius est, vt sint quę erant & in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem, Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt: ergo vt tibi respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem est corpus Christi. Ipse dixit, & factum est, ipse mandauit, & creatum est. Tu ipse eras vetus creatura, posteaquam consecratus es, &c. noua creatura esse cœpisti. Iam audis, quo simili declaret naturę panis mutationem, illo scilicet, quo non abijcitur, sed mutatur conditio. Nam in his verbis duplicem rationem protulit ad probandam sacramentalem mutationem. Prima fuit, à iussu Domini, quia ipse dixit. Altera est à mutatione, quæ fit in nobis, cùm regeneramur, sed nos ibi non amittimus nostram naturam. Non itaque in pane id ponendum erit, vt substantiam suam relinquat, alioquin argumentum à minore ad maius affirmatiuè non tenet, vt scilicet ex minore mutatione velimus probare maiorem. Proinde cùm Ambrosius has duas inter se conferat, vult æquales esse. Verùm pergamus ad ea quæ habentur ad finem, vbi legis: Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis. Quid his verbis apertius dici potuit, ad demonstrãdam conditionem vel qualitatem sacramentalem, quæ in similitudine & significatione sita est? CHEAD. *Ambrosius cùm dixisset: Hoc non esse quod natura formauit, sed benedictio consecrauit, statim vt genus mutationis declaret, subdit exempla virgæ, & aquæ mutatæ in sanguinem, vbi natura pristina est subiecta, & exempla, quæ mutationem tantũ qualitatum & proprietatum indicant, remotius posuit. Quare igitur debemus mutationem panis & vini magis referre ad mutationem proprietatis & conditionis, cùm alterum genus mutationis priori loco ponatur? Et potissimùm cùm addat Ambrosius, Operatorium esse Christi sermonẽ, et dicit, quod efficiuntur aliud. Quod; adducis de nostri mutatione, cùm efficimur noua creatura, dico ibi opus esse gratia, & est spiritualis mutatio. Hîc verò Ambrosius agit de mutatione elementali. Legito eundem, cap. 5. eiusdem libri, & primo capite sexti libri de Sacramentis.* MART. Cur Ambrosius priori loco ponat mutationem, qua substantia prior abijcitur, in promptu ratio est, quia ea mutatio est maior altera, ideo prius collocatur: deinde cùm dupliciter argumentetur, partim à maiori, partim à simili, vel ab æquali, argumentationem incipit, quemadmodum par est, à maiori. Quodque secundum genus mutationis ad rem faciat, inde liquet, quòd in quarto de Sacramentis, vbi statuit idem probare, sed breuius, tantùm ea recitat exempla, quæ mutationem proprietatum indicant, & primum genus tacet, vbi natura abijcitur. Operatorium verò esse Christi sermonem, libenter concedo: nam eo symbola, quorum natura manet, aliud efficiuntur, nimirum sacramenta. Et quod ais, nostram mutationẽ per gratiam fieri & spiritualem esse, annuo. Sed quòd Ambrosius de ea nõ loquatur, nego. Neque obstat, quòd eam vocet mutationem elementorum, vt superius declaraui. Elementum enim est pars sacramenti, quę sentitur, eaque verè dicitur mutari, quòd aliud munus habeat & præstet quàm prius. Et quæ innuis de 5. cap. primi, & de primo sexti, si obieceris, respondebimus. Satis nunc ostensum est, ex eo quod citasti, nihil contra nos, sed potius omnia pro nobis facere. CHEAD. *Rogo per vosipsos legatis domi hæc capita, & videbitis, non posse accipi, nisi de transubstantiatione.*

Symbolum duo simul est, & panis & corpus Christi.

Similitudo de mutatione nostri.

Duplex probatio mutationis sacramentalis.

Perspicua declaratio sermonis Ambrosij.

Hic Visitatores iusserunt, vt ad secundam pergeretur.

CHEAD.

CHEADZEVS.

VERVM & reale corpus Christi esse in Eucharistia, sic doceo. Chrysostomus homil. 17. ad Heb. Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortes eius: & vna est hostia, non multæ. Quomodo vna est & non multæ? & quia semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum, hoc autem sacrificium exemplar est illius. Idipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed semper idipsum. Proinde vnum est hoc sacrificium, alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt. Nequaquam. Sed vnus vbique est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus vnum corpus, &c. Ex ijs ita disputo. Eadem est oblatio nostra cum illa quam obtulit Christus. Sed Christus obtulit verum & reale corpus, ergo nos idem offerimus. MARTYR. Illud idem corpus nos habere in cœna Domini, quod Christus obtulit in cruce quoad substantiam & veritatem naturæ fateor, sed non eodem modo, quia spiritualiter, id est per fidem ipsi percipimus. Id verò substantiali & corporali præsentia pependit in cruce. Et hæc duo quæ assero, ex Chrysostomo potes colligere. Idem dicit esse quod offerimus, quo scilicet ad rem & corpus Christi, sed addit semper, recordationem, exemplar, & commemorationem, quæ modum ostendunt diuersum. Et hanc meam sententiam euidenter ostendo ex Bernhardi verbis in Sermone trigesimo tertio, super Cantica Canticorum. At quantalibet sanè abundantia pingueſcant ista, non pari omnino iucunditate sumitur cortex sacramenti & adeps frumenti, fides & species, memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, &cæt. Vbi vides illum antithesim ponere inter memoriam & præsentiam. Itaque cum Chrysostomo id ipsum nos habere corpus quod in cruce fuit oblatum, fatemur: sed quia memoriam & recordationem semper interponit, ostendit non esse modum recipiendi per præsentiam corporalem, sed per præsentiam fidei, quæ potest res absentes spiritualiter præsentes facere, vt Paulus ad Galatas inquit: Christum in eis fuisse crucifixum, & Abraham vidisse diem Domini, ac gauisum esse. Et Deus nos iam fecit considere ad dextram in cœlestibus. Quomodo hoc? carnali præsentia? minimè, sed fide, quæ rei veritatem non excludit. Et breuiter, quod attinet ad argumentum, idem habemus, sed non eodem modo, id est, eodem gehere præsentiæ. Vnde non sequitur, Christus realiter & corporaliter seipsum dedit in crucem: ergo nos ita eum habemus in communione.* CHEAD. *Idipsum, inquit Chrysostomus, offerimus quod ille obtulit, licet alio modo ibi sit & sub alia forma: non etenim alium nunc, aut alium agnum crastina (eodem teste) offerimus, sed semper idipsum: alioquin in confesso est, Christum obtulisse se in precium, & nos in mysterium & recordationem.* MART. Communicantes eundem ipsum Christum, & plenum, id est, neutra eius natura truncata vel imminuta, fide percipiunt: quia fides ipsum neque corrumpit, neque vitiat, neque imminuit, imò sinit eum esse vti est & suo loco manere, & tamen spiritualiter ipsum eundem & plenum & integrum complectimur. CHEAD. *In sacramento, est ne corpus Christi, an non?* MART. Non nego, in sacramento verum corpus Christi esse sacramentaliter, id est, per efficacem significationem, & nobis verè exhiberi & accipi asseueranter affirmo, verùm animo & fide, hoc est spiritualiter, siue sacramentaliter, id est, verè adesse fidei nostræ. Differentia est inter nos quo ad modum præsentiæ, vos imaginamini & fingitis vobis latitationem Christi quandam in illo pane, siue speciebus panis, quam ego pernego. Nobis verò adesse exposito modo fateor, atque etiam docui quo pacto in sacramento esse, concedi possit. CHEAD. *Est illud ipsum, inquit Chrysostomus.* MART. Asserit illud ipsum esse, verùm addit, In memoriam & recordationem, quæ ad animum & fidem spectant, non ad corporalem præsentiam. CHEAD. *Verúmne corpus est & carnale, quod est in Sacramento, an spirituale?* MART. Verum esse, iam concessi, non tamen (vt ita dicam) per præsentiam realem. Idem est corpus, vt exposui, quo ad naturam, sed illud ita mente accipimus & fide, vt manu & ore symbolum ipsius capiamus. CHEAD. *Est illud ipsum, inquit Chrysostomus.* MAR. Ambo coniungenda sunt, quæ dicit, tam quod est (illud ipsum) quàm quod addit, per commemorationem. CHEAD. *Si, quando sumimus Sacramentum, datur illud idem quod Christus obtulit: sequitur ibi realiter & substantialiter esse Christum in Sacramento.* MAR. Nego argumentum, transis enim à substantia ad accidens, & Quid, facis Quale. Illud ipsum corpus esse, quo ad naturam, ferè centies concessi: at non sequitur quo ad modum præsentiæ corporalis, vel ibi esse, vel à nobis accipi. CHEAD. *Est ne ibi?* MAR. Est, sed sacramẽtaliter & per significationem, vti est sensus in sermone, vel in scriptis, quod scilicet per ista significetur, nõ autem sub eis latitet. CHEAD. *Est ne verum corpus?* MAR. Quoties tibi dicam? Verum est corpus, cæterùm ibi non est nisi per sacramẽtalem significationem. CHEAD. *Rogo quæ sit substantia illius hostiæ, quæ per singulos dies offertur. Tu dicis, si animo & fide offeram, esse verum corpus Christi. Chrysostomus non fidẽ meam, sed substantiam hostiæ considerans, non aliud, inquit, sed ipsum offerimus. Quare liquet nos nihil effingere, quod Chrysostomus non habeat.* MAR. Substantia hostiæ nostræ est gratiarum actio de corpore Christi tradito in crucem. Et hac gratiarum actione, fide, atq; confessione, dixerunt patres in cœna offeri corpus Christi. Vnde quod attinet ad substantiam, hoc corpus, de quo gratias agimus, non differt ab eo quod crucifigebatur: sed ad hoc vt ita offeratur à nobis, non requiritur, vt præsens sit corporaliter, neq; vt manibus communicantium substantialiter teneatur.

Vtrum corpus Christi sit in cœna & pependerit in cruce, sed diuersimodè.

Antithesis inter memoriam & præsentiã.

Fides rei veritatem nõ excludit.

Fides percipiẽdo Christum nõ ipsũ vitiat, non corrũpit neq; imminuit.

Quæ sit oblatio nostra corporis Christi.

Alius locus Chryſoſt. ſuper Ioan.

CHEAD. *Chryſoſt. ſuper Ioan. homil. 45. Parentes ſæpenumero liberos ſuos alijs alendos dederunt: ego autem mea carne alo, me his exhibeo, omnibus faueo, omnibus optimam de futuris ſpem præbeo. Qui in hac vita ita ſe nobis exhibet, multo magis in futura. Veſter ego frater eſſe volui, & communicaui carnem propter vos & ſanguinem, & per quæ vobis coniunctus ſum, ea rurſus vobis exhibui. Hic Chryſoſtomus oſtendit nos nutriri vera carne Chriſti, Qui nutritur vberibus matris, nutritur carne matris ſuæ. Et Chriſtus ait, ſimiliter ſe nutrire nos carne ſua, igitur non hoc agit per ſignificationem. Nam hoc non eſſet carne ſua nos nutrire, ſed aliena. Quare ſequitur, oportere carnem Chriſti reipſa præſentem eſſe.* MAR. Chriſtum ſe nobis dare, nosque alere & nutrire carne ſua, concedo. Quod verò ſubdis, nos ali non poſſe, niſi eius caro adſit corporaliter, nego: cùm iſta alimonia & manducatio fide peragatur. CHE. *Sed dicit, Cùm dederit nunc ſeipſum, multò magis daturum ſe in futurum: ergo idem eſt qui nunc datur, et in futurum eſt dandus.* MAR. Idem profectò eſt, ſed hic tantùm per fidem accipitur: vtque apprehendatur efficacius, ſigna & ſacramenta nobis dantur.

Mali nõ percipiunt corpus Chriſti.

CHEAD. *Ergo illi, qui ſunt abſque fide, corpus Chriſti non accipient?* MAR. Non accipient: carent quippe inſtrumento, quo percipitur corpus Chriſti, vt ſuperius oſtendi.

CHEAD. *Eſt ne ibi, etiamſi ab illis non accipiatur?* MAR. Eſt per ſignificationem ſacramentalem in ſymbolis, quia nobis ſignificant, repræſentant & exhibent corpus & ſanguinem Chriſti: non autem tranſubſtantiata ſunt, aut in eis latitat ſubſtantialiter & realiter, ſeu corporaliter & carnaliter. Ad quod aſſerendum videris velle me adigere tot tuis ſuperfluis interrogationibus. Et cùm aſſero ſacramentalem ſignificationem, debes intelligere eam, quo ad credentes eſſe efficacem, vt communicantes iuuet & excitet ad Chriſtum fide complectendum: quod in his, qui fide ſunt deſtituti, locum habere non poteſt. Oſtendi enim ſuprà, cùm aduerſus te agerem, infideles non poſſe percipere corpus Chriſti.

Quid ſit Sacramẽtum.

CHEAD. *Quid igitur eſt Sacramentum?* MAR. Eſt (vt definiunt Theologi, & ex Auguſtino habetur) ſacræ rei ſignum: aut, viſibile ſignum inuiſibilis gratiæ. Et Sacramentis vtitur Spiritus Sanctus, ad exhibendum nobis Chriſtum ſpiritualiter animo & fide comprehendẽdum. Veluti dicimur per verba Dei ſalutem ſuſcipere, non quod ſalus in illis verbis lateat, aut ſit reali præſentia, ſed continetur per ſignificationem. Et iſta collatio ſermonum diuinorum ad ſacramenta admodum congruit: nam ex Auguſtini ſententia ſacramenta ſunt verba viſibilia. Ex hac itaque reſponſione habes, quid intelligam per Sacramẽtum.

Simile.

CHEAD. *Ita res quælibet ſignum eſſe poterit corporis Chriſti.* MAR. Quia non omnia Dominus ad hoc inſtituit, neque omnia verbum Dei habent, quod in Sacramẽtis eſt pars potiſsima, ideo non omnia dici poſſunt ſigna corporis Chriſti, vt modò nos accipimus vera & efficacia ſacramenta.

Quodlibet nõ poteſt eſſe ſignũ corporis Chriſti, vt ſit eius ſacramẽtũ.

CHEAD. *Auguſtinus de Trinit. lib. 3. cap. 4. in mea eſt ſententia. Nam cum loquitur de Euchariſtia, inquit: Non ſanctificatur, vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu Dei. Ecce hîc habes ſpiritum ſanctum, & opus Dei requiri ad efficiendum ſacramentum. Sed ad hoc, vt tantùm ſignificatio inducatur, non opus eſſet tot rebus.* MAR. Miror te illum locũ Auguſtini citare, cùm ibi potiſsimum contra te faciat. Videamus quæ nam illic habeantur. Apoſtolus Paulus potuit ſignificando prædicare Dominum noſtrum Ieſum, aliter per linguã ſuam, aliter per epiſtolam, aliter per ſacramentum corporis & ſanguinis eius. Hîc audis, Dominum Ieſum Chriſtum per ſacramentum corporis & ſanguinis eius ſignificari: quod nunc oppugnare niteris. Sed pergamus: Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec ſignificantes ſonos linguę editos, nec ſigna literarum conſcripta pelliculis, corpus Chriſti & ſanguinem dicimus, ſed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus. Hic quoq; audis corpus Domini appellari, id quod acceptum eſt ex fructibus terræ. Vnde ſequitur ibi manere panem, niſi velis dicere, terram fructificare accidentia. Et quod obijcis, neceſſariam eſſe operam Dei & Spiritum Sanctũ ad hoc, vt ſacramentum fiat, aſſentior: ſed ſignificationem corporis Chriſti rem non eſſe tantã, vt his opus habeat, nego. Iam ſæpius audiuiſti, nos hîc non ponere vulgarem, & quamuis ſignificationem, ſed ſacramentalem, potentem, & efficacem, qua credentes Chriſto incorporantur.

Locus Auguſtini de Trinitate.

Dominũ Ieſum per ſacramentum corporis & ſanguinis eius ſignificari.

Quod acceptũ eſt ex frugib. terræ corpus Chriſti dicitur.

CHEAD. *Cæterùm panis per ſubſtantiã ſuam alit, ideò corpus Chriſti ſignificare poteſt ante conſecrationem, & ante eandem collectus eſt, & conſtat ex multis granis, ideo ſignificare poteſt vnionem Eccleſiæ. Sed tamen ſententia Auguſtini non eſt, propter ſignificationem aliquid dici corpus & ſanguinem Chriſti: ſed illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptũ, & prece myſtica conſecratum, ſumimus ad ſalutem. Neque vult panem acceptum è frugibus terræ ita manere, ſed vt dicit Ambroſius, quod natura fecit, benedictione mutatur.* MAR. Quoad primum, non aliter ſanè poſsis de aqua dicere, quòd vbicunque ſit, etiam extra Baptiſmum, ſignificet ablutionem animi: num propterea ſequitur, ſacramentalem eſſe eam ſignificationẽ, cùm verbum Domini abſit, nec inſtitutum Chriſti in ea exerceatur? Loquimur hîc nos, vt iam ſæpe diximus, de potenti & efficaci ſignificatione ſacramentorum, quam adipiſcuntur ex verbo & inſtituto Dei. Quod ad alterum, apertiſsimè dixit Auguſtinus, per illa tria, linguam, membranas, id eſt ſcripta, atque per ſacramentum, ſignificari corpus Chriſti: deinde ſequitur quod dicis, vt ad ſalutem ſumatur. Et de mutatione, id eſt abiectione ſubſtantiæ eius, quod è fructibus terræ colligitur, nulla fit mentio, Quomodo intelligendus ſit Ambroſius, ſuperius declaraui.

CHEAD. *Chryſoſtomus hom. 45. ſuper Iohan. in cap. 6. ita ſcribit: Hic ſanguis effuſus vniuerſum abluit orbem terrarum: de quo multa Paulus ad Hebr. proſequutus eſt. Hic ſanguis abdita & ſancta ſanctorum purga-*

purgabat. Quod si eius figura tantam habuit vim in templo Hebræorum, in medio Ægypto, liminibus aſperſus, longe magis veritas. Hic ſanguis aureum altare ſignauit, ſine hoc princeps ſacerdotum in penetralia ingredi non audebat: hic ſanguis ſacerdotes faciebat, hic ſanguis in figura peccata purgabat. In qua ſi tantam habuit vim, ſi vmbram ita mors horruit, quantopere quæſo ipſam formidabit veritatem? &c. Confert ſacramenta veteris Teſtamenti cum ſacramentis Noui Teſtamenti, quaſi vmbram et figuram cum veritate: noſtra q; myſteria admiranda, atq; horrenda vocat. Si itaque, vt dicit, veteres habuerunt vmbras, & nos veritatem, conſequitur in ſacramento Euchariſtiæ verum Chriſti corpus adeſſe: alioquin, ſi tantum ſignificatione illic ipſum haberemus, nihil plus tribuendum eſſet ſacramentis noſtris, quàm ſacramentis antiquæ legis. MART. Quod Chryſoſtom. dicit, Veterum ſacramenta collata ad noſtra vmbras eſſe & figuras, recipio. Sed ita accipiendum eſt, vmbras & figuras ibi fuiſſe: quia Chriſti aduentus adhuc expectabatur. Deinde ſignificationes illorum ſacramentorum obſcuriores erant, quòd vtrunque conuenit figuris & vmbris: nam figuræ præluſerũt Chriſto venturo, & vmbræ copia lucis carent. His modis in ſacramentis veterum ſignificabatur Chriſtus, & credentibus exhibebatur fide percipiendus. Nobis verò nunc offertur in nouis ſacramẽtis, vt qui iam venerit, promiſſa perſoluerit, & pro nobis re ipſa ſit crucifixus. Dein de verba quæ habemus in ſacramentis noſtris, longe ſunt clariora ac lucidiora, quàm fuerint verba antiquorum ſacramentorum in lege. Sed tu accipis veritatem, quaſi ſignificet realem præſentiam, ideò infers nobis corporaliter & ſubſtantialiter adeſſe corpus Chriſti: at veritatem patres intelligunt in noſtris ſacramentis collatis ad vetera, eò quòd repræſentent rẽ iam præſtitam, ſcilicet apertum regnum cœlorum, & beneficium redemptionis noſtræ, ſumma claritate & certitudine iam peractum atque perfectũ, & collatum in nos, veluti ob oculos fidei ponunt.* CHE. *Attamen æquè vera erant ſacramenta patrum atque noſtra, eadem vis erat in illis, quæ eſt in noſtris, illi tam bene credebant Chriſtum venturũ, quàm nos veniſſe. Nam teſte Paulo, Patres noſtri omnes biberunt ex eadem petra ſpiritualem potum, & manducauerunt eundem cibum ſpiritualem.* MAR. Veteres patres habuiſſe quo ad rem, eadem ſacramenta nobiſcum, quæ erant ſigna Chriſti venturi, & eum credentibus offerebant, verum eſt: ſed diſcrimen fuit (vti dicebam) quod iam Chriſtus re ipſa perſoluit noſtræ ſalutis precium, tum verò erat perſoluturus. Et res iam facta, ſi conferatur ſibijpſi faciendæ, & ſolidior eſt, & veritas dici poteſt. Vmbram verò & figuram habere dicitur, cum nondum eſt præſtita. Deinde quod verbis planioribus & euidentioribus Chriſtus & mors eius nobis exprimatur, nemini dubium eſt. Ex his collige nos cum veteribus (vt Paulus atteſtatur) habere quo ad rem, eadem ſacramenta, ſed eſſe diſcrimina cõplura, & inter ea quod attinet ad rem præſentem, illa quæ recenſui.* CHE. *Sacramenta patrum promittebant gratiam, noſtra verò dant: quæ in tuis lectionibus tu interpretabaris, datam gratiam ſignificant. Igitur ſi illa ſignificabant dandam, & noſtra ſignificant datã, vtrinque par eſt ſignificatio, & noſtra ſacramenta nihil plus habebunt, quàm veterum habuerunt. Et contra id quod aſſeris, antiquorum ſacramenta fuiſſe obſcuriora, probabo ea habuiſſe euidentiorem ſignificationem. Sanguis enim agni immolati apertius repræſentabat corpus & mortem Chriſti, quàm panis et vinum, ſi modo ibi ſit panis & vinum.* MART. Reſpondeo ad ſingula ordine. Affirmo quod mihi obijcis, ſacramenta veteris legis, ſignificaſſe gratiam dandam, noſtra verò iam datã, & exhibitam, ſcilicet Chriſtum jam incarnatum & paſſum. Et dum prælegerem, inter alia multa, quæ de hac re diſſerui, memini me & hoc dixiſſe, quia neutra ſacramenta, tam videlicet noſtra, quàm antiqua concedere volui, per ſeſe conferre gratiam. Nam quicquid habemus gratiæ, id per fidẽ obtinem⁹, & non (vt vos fingitis & dicitis) ex opere operato. Neq; propterea, ſacramẽta reddimus contemptibilia, quando ea conſtituimus, dum ritè ſumuntur, adiuuare, confirmare, & augere fidem, qua vna iuſtificamur. Etenim ſpiritus ſanctus, vt verbis Dei & ſcripturis vtitur, tanquam inſtrumentis ad nos immutandos & ſeruandos, ita etiam vtitur ſacramentis. Habes igitur quomodo acceperim legalia ſacramenta ſignificaſſe dandam gratiam & noſtra ſignificare iam datam. Quibus adiungas, ſacramentis noſtris magis iuuari fidem, quàm veteribus: Partim, quia verba ſunt clariora, & noſtrum bonum, id eſt redemptio per Chriſtum, in his proponitur nobis euidentius: & cum fides per verbum habeatur, quo verbũ eſt euidentius, fides excitatur vehementior, eoq́ue magis rem ſignificatam apprehẽdit: partim, quia vberiorem ſpiritum per ſacramenta noſtra concedi, quàm per ſacramenta veterum datus fuerit, facilè aſſentior. Et illud inconcuſſum manet, quod antea commemorabam, rem præſtandam, collatam iam præſtitę, & vmbram & figuram dici poſſe. Deinde quod inſtas, agnum & mactationem victimarum, clarius repræſentaſſe Chriſtum & eius mortem, Reſpondeo: Euidentiam & claritatem ſacramentorum, præcipuè ſpectandam eſſe in verbis, Etenim ſi conferas verba ſymbolis, verba ſunt eorum anima, & patribus priſcis non exhibebantur tam expreſſa & aperta eloquia de Chriſto, & morte eius, quàm hodie in ſacramentis noſtris habentur. Dicitur: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, &, Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur in remiſsionem peccatorum. Quid his verbis aut planius aut apertius dici poteſt?

CHE. *Vbi eſt abundantior fides: ibi eſt ſacramentum præſtantius. Fides autem Abrahami maior fuit quàm noſtra ſit: igitur ſacramentum habuit præſtantius. Et ita ſequeretur veterum ſacramenta, fuiſſe noſtris potiora.* MAR. Prima propoſitio quã aſſumis, non eſt omnino vera. Neque eſt neceſſarium, vt vbi eſt abundantior fides, ibi ſit præſtantius ſacramentum. Nam Abrahamus & credidit & iuſtificatus eſt, antequam haberet ſa-

crementum circumcisionis: potest enim fides, imò debet haberi ante perceptionem sacramentorum. Concessimus quidem eam per illa adiuuari & confirmari, non tamen quod per ea tantum daretur. Si dixisses illa sacramenta debere præstantiora existimari, per quæ in credentibus magis confirmaretur, & augeretur fides, verum dixisses: at postea quod subdis de Abrahamo, non esset ad propositum, nisi demonstrasses eum suam fidem habuisse per sacramentum: quod nō est verū. Deinde quod adiecisti Abrahamum habuisse maiorem fidem quàm nostra sit, non esset rectè positum: quia vt concluderes quod volebas, ponendum fuerat, Abrahami fidem maiorem fuisse ea, quæ in nouo Testamento habetur, & tunc assumeres dubium. Quid enim nosti, Paulum, Petrum, multos Apostolos, & martyres, non æquasse Abrahami fidem? Igitur cum maior tum minor propositio tui syllogismi patitur instantias & plus accipis in conclusione, quàm in toto antecedente reperiatur.

Hic Domini Visitatores disputationibus finem imposuerunt, cùm esset iam audita vndecima hora. Et D. Doctor Richardus Coxus Regius Legatus, & Oxonienſis Academiæ Cancellarius, hanc habuit Orationem.

VIRI Oxonienses, peregimus quatuor dimidiatos dies in excutiendis duabus quæstionib. de Trāsubstātiatione scilicet, & reali præsentia corporis Christi in sacramento. Magno fuit nobis oblectamento hæc disputatio: atque vtinā per tempus licuisset, omnia quæ hic dici possent, audiuisse. Quod optabamus, id successit: vt quieta esset disputatio. Auditores ita etiam sedati, spero veritatis imbibendæ auidi. Qui fabulam peragebant, & vtrinque disserebant, suo officio ailigentissime perfuncti sunt, nec meritis laudibus fraudandi. Viri nostri, hoc est, Angli & Oxonienses, præterquam quod conscientiæ suæ negotiū egerunt, etiā haud minimū decus huic Academiæ attulerunt, quod in tanta causa, non subterfugerint, quo minus palàm testarentur, pro eruditionis suæ modulo, & domo à Dei benignitate sibi impartito, & quid animi in hisce controuersijs haberent, & quibus rationibus & authoritatibus huc perpellerentur; pulcherrimè sanè, sibi datam prouinciam obierunt. Cæteri verò docti & boni viri, qui in ijs tantis rebus tacuerunt, nescio quo pacto, suo silentio negationis notam sibi inusserunt. Petrus autem, & meritò Petrus, propter constantiæ suæ firmitatem: Martyr, & meritò Martyr propter innumera quæ nunquam non profert de veritate testimonia, multam apud nos, & apud pios omnes inire debet hoc tempore gratiam. Primum, quod immensos labores exantlarit, in substinendo disputationum onere. Nam sine Hercules quidem contra duos, quid Petrus solus contra quoscunque? Deinde, quòd disputationem instituerit, vanos vanorum hominum sermones repressit, qui de eo inuidiosa atque odiosa sparserant: nimirum aut nolle, aut non audere sua defendere. Postremò, quòd summorum magistratuum atque adeò Regiæ maiestatis expectationi optimè responderit, dum non solum Christi doctrinam, ex ipsis viuis fontibus Dei propinauerit Academiæ, sed neque quenquam (quantum in ipso situm fuit) fontes aut turbare, aut obstruere permiserit. Auscultauimus nos hanc Christianam velitationem, quæ veritatis indagandæ, atque inuestigandæ causa, est suscepta. Qui quidem status, in omni disputatione, tanquam vnicus scopus, ad quem omnes colliment, perpetuus esse debet. Hanc scrutari oportet omnes, quibus sincera religio cordi est. Quid enim aliud vult, Scrutamini scripturas? nisi è scripturis veritatem indagate? Cæterum de hisce controuersijs sententiam ferre, & litem prorsus dirimere, modò non decreuimus. Tum autem deceret, cum Regiæ Maiestati, & ecclesiæ Anglicanæ proceribus visum fuerit. Quod si ego, quem vestrum Cancellarium pro vestra humanitate adlegistis, aliam nunc personam non gererem, (Aliam enim Regia authoritas iam mihi imposuit) optatissimè vellem in his propositionibus fidei meæ rationem reddere. Non enim me pudet euangelij Christi, neque veritatis, quæ ex verbo eius omnibus lucet, quod quidem aliàs, cum dabitur opportunitas, facere non detrectabo. Interea verò vos peregrinos & alienigenas, si qui sunt modò, exhortor, vt domum vestram reuertamini. Nolite perpetuò peregrinari in Patribus & Concilijs, tanquam in patria vestra. Nolite existimare illa esse vestra principia. Nolite hallucinari in probabilibus humanæ sapientiæ verbis. Quænam principia habuerunt patres? Quæ concilia? Quàm turpiter in multis lapsi sunt patres? quàm fœdè errarunt concilia? Errorum hic nolo meminisse, nolo hanc mouere camarinam. Et tamen patres atque concilia debent esse principia disputationum? Fuerunt

antehac

antehac hæretici, qui negarunt, vel partem vel totam scripturam. Sunt & hodie Libertini, qui eadem insania laborant, ÿ nostra Christianorum principia negant & conculcant. Qui verbum Dei in altissima specula constituunt, & in summa veneratione habent, hinc q̃ tantũ vitam & salutem petunt, principia tenent firmissima, solidissima, atque sanctissima. Interim tamen, Ecclesiæ & piorum patrum saluberrima testimonia non reyciunt, imò amplectuntur & venerantur, tanquam radios spiritus sancti, caliginem oculorum nostrorum aliquo pacto, illustrantes. Quare obsecro per vestram salutem, & per Dei misericordiam, tam iuuenes quàm senes, vt duo præstare velitis: Prius vt nunc demum ponatis illas controuersias, quæ ecclesiam Christi multis seculis inutili concertatione turbarunt & dilacerarunt, de Transubstantiatione, & nescio qua carnali præsentia. Nullus est rixandi finis. Hæ sunt diaboli pedicæ, quibus nos perpetuò inuoluit, & à vera pietate remoratur. Nos verò vti pios decet Christianos, illud imprimis, imò in vniuersum spectemus quid Christus fecerit, quid nobis faciendum præceperit. Cogitemus sacrosancta & tremenda illa Christi mysteria esse, illa subinde ad salutem nostram vsurpemus, ad illa cum timore & tremore accedamus, ne vnquam indignè veniamus, & ad iudicium & condemnationem nostri accipiamus. Alterum est, vt ad verbi Dei studium concedatis. Ad hunc scopum omnia vestra tela dirigatis: huc omnia studia referatis, siue philosophica, siue mathematica, siue rationes medicas, siue quæcunque alia, huic tanquam reginæ ancillentur. Hinc omnem fidem petite: hinc religio stabiliatur atque solidetur. Cœlum & terra transibunt, Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc tanquã Lydio lapide, omnes controuersiæ examinentur, atque definiantur. Porrò vnum est, quod vos omnes admonere debemus, nimirum, vt vale dicto vniuersis mugis papisticis, superstitionibus & simulato Dei cultui, veritati disquirendæ diligentem operam detis, aut saltem, ne impedimento sitis, quo minus veritatis studiosi, in negotio pietatis progrediantur. Scimus enim, & compertum habemus, nõnullos nimis esse inquietos, & turbidos, & prævostero zelo incitatos, ad remorandum veritatis progressum. Scimus aliquos patris sui exemplum perniciosè sequi, dum discordiarum semina passim spargunt, mendacia fingunt. Scimus falsos & odiosos rumores circumferri. Scimus homines vanos maledictis agere, cùm non possint veris promouere causam suam: ita irritabilis est mala consuetudo contra veritatem. Verum vt finem faciam, Si vllo veritatis amore afficimini, sedatis animis illam exquirite, ardentibus precibus à Deo Opt. Max. illam postulate, amica & candida collatione illam eruite, ferueat in vobis Christiana charitas. Infirmum in fide, assumite. Debent enim, inquit Paulus, firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non sibi placere: vnusquisque proximo suo placeat in bonam ædificationem. Cauete Satanæ technas, qui vobis insidiatur ne acquiescatis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, vt deliretis circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, &c. Possumus ex authoritate vobis imperare, & peruicacibus meritum supplicium comminari, malumus tamen pro dilectione nostra ergo vos, rogare, & exhortari. Quare si qua consolatio in Christo, si quod solatium dilectionis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium nostrũ. Gaudium nostrum est, quod videmus multos in hac Academia in bonis literis et pietate insigniter adolescere. Gaudium nostrum est, quod videmus vos adeò modestos & ad imperiũ paratos. Implete ergo gaudium nostrum, hoc est, veritatem multis iam seculis, veluti in specu Trophonij delitescentem, eruite. Veritatem adeptam, sincera fide excipite: exceptam autem probis moribus exornate. Sic lucebit lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui est in cœlis. Cui omnis gloria in secula, Amen.

DIXI.

ILLVSTRISSIMI REGIAE MAIESTATIS LEGATI, QVI DISPVTATIONI HVIC PRAEFVERUNT, Candidis Lectoribus S. D.

CVM rogaretur Thales Milesius, quātū à veritate mendacium distaret: nobis non inscitè respondisse videtur: ὅσον ὀφθαλμοὶ ὦτων. i. Tantū, quātū ab auribus oculi distant: hoc nimirū elogio significans, oculos esse fidos rerū & spectatores, & testes planè classicos, aures verò sæpe mendacijs apertas dari, sæpe per has ficta ac falsa in animū irruere, & proinde testib. oculatis, qui quæ narrant, oculis acta cōspexerint, credēdū esse, illorū verò fidē, qui cæco testimonio, nihil aliud quā leuitatē suā prodere solent, iure optimo semper suspecta esse debere. Sed quorsum ista? horsum, ò bone. Non sumus nescij, quàm falsos rumores de ea disputatione, quæ de Eucharistia paucis abhinc mensibus Oxonij habita est, vani quidam & ad impostura facti, homines, in vulgus sparserunt. Scimus multos, dum & ficta sedulò narrantur, & falsa libenter audiūtur, permagnam hausisse voluptatem, videlicet, quòd ita famæ & eruditioni Petri Martyris, viri (vel inuidia sententiam ferente) vndecunque doctiss. aliquot maculas aspersas cernerent. Non deerant etiam, qui quasi parta victoria, seriò secum triumpharent, quòd per tōstrinas, falsis disseminatis calumnijs, existimationem optimi viri depeculatam viderent. Quæ res vt non mediocri nobis dolori fuit, ita nunc est, cur duplici nomine illud factum esse vehementer gaudeamus, vel quòd hinc omnibus palàm fiet, quàm libenter papistæ (cū res mendacia postulat) suis illudere soleant: quòd Petrus Martyr horū petitus conuitijs ac contumelijs, tandē ista sua peruulgare coactus sit, certè quidē, si facta ex rerū euentu metiri volumus, est cur nos istis quoque gratiā vel maximā habeamus. Si. n. hanc dogmatis sui cladem taciti ferre potuissent, neque huius disceptationis fructus ad exteras nationes vnquam peruenisset, neque istorum infamia vltra Regni nostri fines ire compelleretur. Tam sumus omnes in veræ religionis promouendo negotio socordes. Frugi papatus seruis, nullæ conceduntur feriæ, mille norunt artes, quibus veritati negotium facessant, ea tamen palmaria est quam habet Esaias, Mendacium spem suam posuerunt, & vanitati velut salutis suæ summæ arci, se & sua concrediderunt. Fuit quidē hęc maiorū suorum, quos imitantur, vetus disciplina, lex antiqua, vt dum vel commodis consulerent suis, vel hostibus fraudi esse studerent, nihil non dicere liceat, nihil non mentiri phas sit. Vt multos istorum abauos silentio prætereamus, quid, qui Stephanum in iudicium duxerunt, quamuis causa cum Stephano impares essent, nec resistere illius sapientiæ aut spiritui possent, quid aut se victos fateri propter impudentiam, aut Stephanum superiorem propter causæ veritatem, aut ignorantiæ culpam propter confidentiam, deprecari voluerunt? Imò cum linguis ne hiscere quidem valerent, videtis dentibus stridere eos, videtis ab eis subornari homines, qui dicant: Audiuimus Stephanum blasphemantem Mosen & Deū. Quid Petrus Martyr, tum in disputando, tum in respondendo præstiterit, quid illius Antagonistæ ad causæ suę defensionem adferre potuerint, vobis palàm fiet, vbi quæ hic scribuntur, legeritis. Vobis iudicium deferimus, vel arbitros constitutos volumus, Petro ne, an Treshamo, Cheadzeo, & Morgano, honestissimæ causæ victoria assigāda sit. Nil in tenebris actū est: omnia palā ac in summa luce gesta sunt. Hisce quoque quid agere tur spectātibus, qui mori mallent, quā dogma suū è scholis vt falsum explodi videre, viderunt dogmatis defensores in summas angustias perductos, dogma ipsum in maximo periculo versari: obmutuerunt tamen, & amicos sub cuspide relictos, plane deserebant (si hoc deserere est, periclitanti & opem re ipsa imploranti, suppetias non ferre.) Quid quæritis? tollantur mendacia, veritati via muniatur, fraus ad hominum aures aditus tam faciles nō reperiat, impostoribus non detur suggestus, breui nullo negotiō futurum est, vt & papistas minor turba sequatur, & nostrorum numerus tum domi, tūm foris augeatur. Sed longius quàm decreueramus peruagata est nostra oratio. Hoc Colophonis loco esto, nos diligenter perlegisse, quæ hic à Petro Martyre vobis exhibentur, hoc nos, nominis nostri integritate in vadimonium posita, vobis confirmare, si summam rei & ipsam disputationis substantiam spectetis, Petrum Martyrem nihil mutare, imò penè eisdem in scribendo vti verbis, quibus in disputando, vel ille, vel sui Antagonistę vsi sunt: nusquam quicquam additum, vel quod causam illius iuuet vel quod aduersarijs fraudi esse possit.

VALETE.

D. PET.

D. PETRI MARTYRIS AD RICHARDI SMYTHEI ANGLI LIBELLOS DVOS DE *COELIBATV SACERDOTVM ET votis Monasticis Defensio, & Locus in ordine præcedentium. XI.*

DEVS pater Domini nostri Iesu Christi, quum veritatem Euangelij sui curet in dies magnificè illustrari, facilè patitur, vt subinde permulti surgant, qui malis artibus eam labefactare nitantur, vt quò de illorum amentia & errore fuerit præclarius triumphatum, eò Christianæ veritatis cultores nitorem eius, atque sinceritatem purius contemplentur. Fuerunt itaq; superiorib. annis haud pauci non minus hypocritæ, quàm superstitiosi, qui aduersus ministrorum Ecclesiæ sancta conjugia ore tum procaci, tum blasphemo inuecti sunt quamatrociſsimè. Sed Ecclesia piorum è vestigio ad manum habuit nobiles, atque strenuos diuinorum sermonũ propugnatores, qui nõ suo priuato nomine, sed spiritus sancti, adeò fregerunt illorum insanum furorem, vt apertè viderimus in eo certaminis genere Deum sapientes in astutia eorum comprehendisse, atq; prouidentia ineffabili sapientiam sapientium, & intelligentiam intelligentium perdidisse. Cumq; timentes Deũ, qui viderant Euangelicę doctrinæ hostes Dei auxilio superatos, secum dicerẽt: Vbi sapiens? vbi inquisitor huius seculi? & nemo quisquam arbitraretur, denuò quempiam excitãdum, qui, cum debellatum feliciter esset, hanc pugnam rursus auderet instaurare, Ecce tibi Smythæus, audaciane, an impudẽtia dixẽrim, magis quàm viribus fretus bellum reintegrat, aciem sophismatum instruit, & manus pro viribus conserit: eique tametsi deest cùm verbi Dei scientia, tum etiam rectè, vereque dicendi & iudicandi facultas, nihilominus fabrili versutia, & ipse contra veritatem linguam acuit, & quamquam iusto prælio non possit vincere, turbat attamen infirmos, & aduersarios Euangelij Christi, quando aliter nequit, vel baculis arundineis confirmat: robustis verò, qui non ad omnem ventum doctrinæ, vt paruuli, agitantur, Deo propitio, conatus eius minimè nocent. Omnes quidẽ, quod ad ipsum attinet, inuadit quemadmodum serpentes, qui sedẽt in triuijs, vt in eos, qui securè transeũt, repentè insiliant, Verùm ab huius morsib. quantumlibet venenatis nemo peribit, nisi cui Deus huius seculi ob infidelitatem oculos exæcauerit. Ne tamen exprobrentur nobis ab impijs & superstitiosis eius libelli, tanquam fortes & graues, vt qui nusquam possint iure carpi, nec inuenerint adhuc vnum aliquem, qui eis contradiceret, atque resisteret, hanc ego respondendi prouinciam suscepi: nec ea planè de causa quòd aduersum me scripserit, ac vbique meum nomen rabidè proscindat, & insectetur: hæc enim Christiani homines laudi, gloriæque ducunt, tantùm abest, vt illis quicquam moueantur. Dixit enim Christus: *Beati estis, cum probra iecerint in vos, et persequuti fuerint, dixerintque quoduis malum verbum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis. Ita enim persequuti sunt & prophetas, qui fuerunt ante vos.*

Proinde cum ex his intelligamus, hinc gradum à Domino factum esse ad felicitatem, conuitia & maledicta hypocritarũ, alacritate multò maxima ridemus. Idcirco ratio mei nominis quam ego penè nullo habeo loco, ad scribendũ me non impulit: sed, quòd sim veritus, ne non diuturnum silentium libris alioqui leuibus & ineptis aliquam authoritatem apud infirmos conciliaret. Cæterùm, quoniam tacui aliquandiu, nunc dicendum arbitror, cur tanto tempore defensionem hanc distulerim. Porrò (vt verũm fatear) nulla est ratio scribendi, cum tamen varia & multiplex inueniatur, qua minus delecter, atque si cum rabulis, & sophistis cogar certare. Et mihi videor, non abs re in scribẽdo contentiones odisse: quando quidem, vt à sapientibus longè prudentissimè dictũ est: *Veritas altercando sæpè amittitur:* quæque aliàs paucis agi potuissent, dum contendimus, verbosius explicantur, quoniam adhæc, aliáue declaranda libidine aduersarij trahimur, neque per eum nobis licet compendia orationis persequi: vnde horæ quæ in sacris literis interpretandis optimè collocarentur, in sophismatis, calumnijs, atque cõuicijs malè pereunt. Hinc itaque partim factũ est, vt ad respondendum Smythæo tam serò ac cesserim.

Causæ cur ad scribendum tardè accesserit author.

Quamuis & aliud præterea fuerit, cur mihi tam parum arriserit hæc arena: quòd sycophantam adeò stultum & ineptum sum nactus, vt in causa, quam defendendam suscepit ex ingenij penu miserrimo, nihil noui proferre valuerit, sed ea tantùm habeat, quæ ab alijs Papæ adulatoribus, & Antichristi mercenarijs dicta, & repetita centies hactenus fuerunt. Quibus cum sit ab aliquib. non incõmodè respondsum, operam meam superuacaneam fore suspicabar. Didici etiam à fide dignis, illum omnia quæ in me dicit, longè antè congessisse in Lutherum, licet ea, dum is vixerit, non sit ausus edere. Post mortem verò eius duos hos libellos inuulgauit: priorem quidem de Cælibatu sacerdotum, alterum autem de Votis monasticis, quem appellat Confutationem quorumdam meorum articulorum, & ita suum institutum tractauit, vt se in scribendo valde ineptum declarauerit. Deinde cum in priori libro omnia fermè arma sua consumpserit, non habebat postea

Smithæi libelli.

quid noui adferret in altero: vnde rancida illa, quæ prius adduxerat, denuo repetijt. Quare in duobus libellis nō habet lector, nisi quod prouerbio dicitur, Bis Crambem: & facilè videt istum duos parietes ex eodem cœno, ac luto suę ignorantiæ voluisse fœdare. Neque his contentus, priorem libellum, quem nominatim aduersus nullum ediderat, rursus excudi voluit, ac titulo commutato, ipsum quoque contra Petrum Martyrem inscripsit. Vbi tamen ab initio dubitaui, an de me, an de altero quopiam loqueretur: cum suum Petrū Martyrem Carthusianum faciat, & ego Carthusianorum institutum ne per somnium quidem vnquam susceperim: cuius rei testes habeo in Italia innumeros, & in Anglia nō paucos. Sed ipse in animū induxit, nihil dicere, aut scribere, quin statim eum deprehēdas mēdacē: adeò vt quātus quātus est, totus ex mendacijs conflatus videri possit.

Accesit præterea, quod etiam à scribendo me non nihil deterruit, quosdam grauissimos, & maximæ dignitatis viros, mihi nō semel fuisse authores, vt hominem tam malè sanum præreriré tacitus, atq; silentio altissimo vincerem Nam inter cętera ipsius vitia, quę infinita penè sunt, id quoque in eo deprehenderunt, quod cum sit alioqui omnibus partibus obscurissimus, nomen tamen sibi vel inde quærat, quòd templum Dianæ incenderit. Et certè nihil aliud videtur scribendo quæsiuisse, quàm ἀσέργως patriam suam maledictis proscindere, optimis quibusque viris mendaciter obtrectare, sinceramque diuinarum literarum veritatem impiè corrumpere. Quanquam, Deo gratia, operam lusit. Nam illustris hęc patria conuicijs eius nihil est deformata: nec de fama, dignitateúe insignium virorum vel pilus detractus eius cōtumelijs: nec sacræ scripturæ veritas, quæ constantissima est, vlla ex parte fraudulentis eius captionibus labefactata.

Cum itaque ab his pręstantissimis viris non contemnendas rationes adduci viderem, fum aliquandiu cūctatus: sed tamen respondere denique statui, tum propter causam iam à principio allatam, tum etiam quia in mentem veniebat, me promisisse id quandoque facturum, cū in epistolam priorem ad Corinth. anno superiori scriberem: postremò etiam quia ex auditoribus Oxonienſibus permulti, quos in Christo charissimos habeo, vt id faceré, importunissimè flagitarunt. Dumque animaduerto sortem Israelitarum fuisse, vt cum Cananæis ceterisq; idololatris, assiduè pugnarent, & mecum repeto, complures ex patribus alioquin mansuetissimos, addactos, vellent, nollét, cum impudentissimis hæreticis in certamen frequenter descendere, me ipsum ego quoq; cōsolabor, quòd licet id vehementer cuperem, non tamen euitare iustè potuerim, quin cum Smytheo denique in contentionem venirem.

Auctoris scopus.

In scribendo nihilominus, quantum res patietur, ero breuis, pręsertim cum in ista quęstione ante me præclarissima ingenia sudauerint, à quibus nil ferme relictum video, quod possit omnibus calumnijs ab hoc mōstro renouatis abunde latissimeque satis facere. Vnde intelligo solum mihi relictas partes, vt quę ab alijs doctè inuenta fuerunt, ea ad retegendas istius fallacias accommodé. Quod, vt spero, nō parū his cōducet, qui sunt infirmiores, & per se ipsos præclaras & verissimas interpretationes diuinę scripturæ vafris hęreticorū obiectis aptare nō valét.

Methodus huius tractationis.

Atq; vt nostra oratio absq; ordine dissoluta nō vagetur, sic eā esse distinguendā existimaui, vt primo loco spectemus, quidnā de Votis & præsertim cœlibatus è diuinis literis constituendum sit: deinceps quidnam in ista quęstione à pijs hominibus de Patrum sententijs, & Conciliorum iudicari debeat: Postremò ne Smytheus omnino ignoretur, non enim se patitur obscurum esse: quisnam hic vixerit, paucis demonstrabitur: non quòd is ego sim Apelles, qui eum suis coloribus aut possim, aut velim pingere, cum hæc materia prorsus omne opus, ne dum meum, superet: attamen virtutis eius atq; constātiæ aliquem gustum dabimus, ne quis fortè, cum illum audierit, in nuptias, vt vocat, Lutheranorum, tam spurcè, atque pro dignitate sui oris declamantem, ipsum arbitretur aliquem esse tertium Catonem è cœlo delapsum in banc insulam, qui defenderit vel vsq; ad mortē fortissimè quæ prius docuerat. Ideoq; sub finem oculos ponemus illius palinodiam, quā publicè Londini ad Paulinam crucem habuit. In hęc itaq; tria, Apologia vniuersa distribuetur. Quę si fauente Deo explicata fuerint, lectorem fortasse non pœnitebit laboris, si quem illi visum fuerit nostris legendis impendere.

Sed primum eorum quæ proposuimus, vt scilicet inuestigemus, quid scripturæ sanctæ de Votis tradant, & doceant, non poterit commodè ac dilucidè perfici, nisi prius mōstrauero per singulas quasque partes, quid ipse de Votis Oxonij auditoribus proposuerim: deinde, quo cauilli, & obiecta Smythæi suis locis diluantur, cum meæ sententiæ partem explicauero, statim fideliter subijciam, quę aduersus eam doctrinam in sua diatribe is produxerit. Aderat quippe in schola cum ea traderem, & quæ tum dicta sunt, vt videbatur, excipiebat: licet referēdo eadem in suo libello, frequenter corruperit, & vitiarit Nam cōplura mihi ascribit, quæ per febrim, vel phrenesim nūquam in mentem venissent. Eius autem reprehensionibus annectā statim doctrinę meæ defensionem. Vtque assidua repetitio euitetur istarum vocum, Ego inquam, ille objcit, Ego respondeo, quæ semper occurreret, & fermè necessaria esset, hæ notæ interponentur, Assertio, Obiectum, Defensio: quib. apertè videbitur, quid singulo quoq; loco agatur: & perspicuè lector intelliget, quid ego asseruerim: quid ille opponat: quidq; in defensionē à me adferatur. Adsit Deus Op. Max. labori suscepto, & Christus afflatu sui spiritus, quicquid scribēdū est, cū ad honorē sui nominis, tum ad ædificationem Ecclesiæ regat, & moderetur.

Asser.

ASSERTIO.

Votum, vt à significatione vocabuli auſpicemur, eſt quandoque vehemens deſideriũ: nõnũquã ardẽtes preces: aliquãdo ſancta promiſsiq alicuius oblationis Deo reddẽdæ: interdum verò ipſa res iam Deo ex obligatione promiſsionis cõſecrata.

Hęc quatuor ſignificata huius vocabuli quiſquis apud ſeſe diligenter expenderit, pulcherrima ratione factum deprehendet, vt eadem voce omnia exprimãtur: quandoquidẽ ita inter ſe coniuncta ſunt, vt naturæ ordine vnum illorum alterum conſequatur. Etenim cũ homines quippiam vehementer cupiunt, pro eo impetrãdo cõſueuerunt efficacib. precib. contẽdere: & quo probent ſuã beneuolentiam, & gratum animum Deo, cui ſupplicant, ſi quod precantur, eis cõceſſerit, aliquid illi promittũt ſe daturos, quod & præclarum ſit, & quo maximè delectetur. Cumq́ue poſtea exorauerint, quod orauerant, res votiua Deo, cui nuncupata fuit, ſancta, obligata & addicta relinquitur. Cohærent itaque ſibi mutuò iſta, quemadmodum diximus, & ideo vno Voti nomine omnia iure ſignificantur. Sed antequam vlterius progrediamur, definiendum eſt in hac multiplici ſignificatione, quam velimus, ex multis diſputando amplecti. Certè non de vehementi deſiderio, non de precibus, nec multum, niſi quantum erit neceſſarium de re ſanctè promiſſa diſputabimus nomine Voti: at de ipſa promiſsione, qua nos obſtringimus ad aliquid Deo reddendum. Vnde hoc ita conſtituto, id quoque addendum videtur, morem vouendi apud veteres etiam ante legem latam fuiſſe. Lex deinde ſucceſsit, quæ complura de Votis decreuit. Et in ſacra Hebræorum hiſtoria, patres frequẽter vouiſſe narrantur. Quin etiam leguntur apud bonos ſcriptores Græci, Romani, & Barbari cũ publicè, tum priuatim vouiſſe. Ac in Digeſtis habetur titulus de Pollicitationib. & votis. A populo autem Dei ex voto quandoque offerebantur victimæ, variaq́; dona: interdum etiam certum vitæ genus in aliquod tẽpus: vt de Nazaręis lex Moſaica teſtatur. Fuit etiam antiquitus, vt patet ex diuinis literis, & aliud genus voti ab Hebræis appellatum quod omnino eſſet occidendum, & internecioni dãdum, quicquid viueret, in his quæ voto nuncupabantur: cætera, quæ non viuerent, omnia deuaſtãda, & opes quæ inde colligebantur, mancipandę ſanctuario. Neq; poterat vnquam cedere vlli hominũ vſui quicquid erat ita deuotum, cum tamen in alijs Votorum generibus permulta redimere licuerit, vt in libro Leuitici perſpicuè traditur. Atque ſub hac voti poſtrema forma comprehẽdi voluit Deus Amalech, & Hierichuntinam ciuitatem. Idcirco Saul, & Acham grauiſsimè puniti ſunt, quod ex deuota pręda ſibi nonnihil auſi fuerint retinere. Et iſtud Hebræorum חרם à Græcis redditur ἀνάθημα, quod & Paulus eſt ſequutus in epiſtola ad Rom. cap. 9. prio ri ad Corinth. 12. ac. 16. & ad Galat. primo. Et apud Patres Chryſoſtomus de anathemate fuſè, ſcribit, ſtudens probare, dogmata praua licere quidẽ anathematizare: ſed in homines tale quippiam nunquam eſſe decernendum, quód de illorum extrema damnatione à nobis, dum hìc viuimus nihil poſsit certò cognoſci: cùm tamẽ Paulus ad Galatas dixerit: ſi quis aliud vobis Euangelium prædicauerit, anathema eſto. Verùm de Chryſoſtomi ſententia modò non eſt locus iudicandi, cùm hoc ſit in preſentia obiter dictum. Sciendum tamen, Latinos hoc de quo nunc loquimur, non votum, ſed potius deuotũ appellare. Hãc ego ſequor Votorum diſtinctionem iuxta ſcripturas ſacras: & parum moror quatuor ſcholaſticorum differentias: qui dicũt Votorum, aliud ſimplex eſſe, aliud ſolenne: aliud publicum, aliud priuatum: quòd iſta ſint ita votorum accidentia, vt ad ſolidam eorum cognitionem, atque ſciẽtiam vel nihil vel parum conducant. Addendum præterea eſt, quæcunque de Votis è ſcripturis haberi poſſunt, ea omnia ex veteri teſtamento eſſe accipienda, cũ in nouo non ſit eorum mentio, niſi quantum in Actis Apoſtolicis c. 18. & 21. habetur: quod tamẽ nõ facit ad ſtatũ noſtrũ, quia Vota quę ſub lege fieri cõſueuerant, nõ fuerũt è veſtigio prorſus abolita. Nã eo tẽpore cõplures ceremonię Moſaicæ adhuc ſeruabãtur, quoad Euangeliũ eſſet inuulgatũ, & clarius cognitũ: quãobrẽ illa vota accipiẽda ſunt, ad legẽ pertinuiſſe. Vt aũt arbitror, Votũ nõ incõmodè definiretur, quaſi ſit, ſãcta, & ſpõtanea promiſsio, qua homines Deo aliquid ſe oblaturos obſtringunt, quod ad eius cultũ, & honorẽ facere, certò nouerint. Promiſsionẽ ſanctã ideò Votũ dicim⁹, quod illã oporteat eſſe ratã, & firmã, vnde, niſi pater, marit⁹, & domin⁹ votũ illorũ approbaſſẽt, qui erãt in ſua poteſtate, habebatur inualidũ vt in Numeris à Deo prẽcipitur. Adijcim⁹ etiã ſpõtaneã, quia, ſi quis id promiſiſſet, quòd neceſſariò & ex lege põſtare debuerat, illa promiſſio rationẽ Voti nõ habuit: quocirca primogenita ex pecorib⁹, cũ Deo alioquin addicta eſſẽt, ex Voto nõ poterãt offerri vt Leuitici 27. ſcribitur. Deoq; diximus Votũ nũcupãdũ, ne sãctis, vt paſsim fieri hodie cõſueuit, ſuperſtitioſè nũcupetur. Poſtremò eſt additũ ea q̃ votis offeruntur, oportere ad cultũ Dei facere, ne quis aut vouere, aut quaſi vota reddere audeat, q̃ Deo nõ intellexerit certò approbari. Eſt ergo Voti hæc definitio, ſeu explicatio, pinguiori vt aiunt Minerua tradita: quãuis me nõ lateat Magiſtrũ Sentẽt. in 4. Diſt. 38. ſcripſiſſe, votũ eſſe teſtificationẽ quãdã promiſsionis ſpõtaneę, q̃ Deo, & de his quę Dei ſunt, propriè fieri debet. Quã ei⁹ definitionẽ idcirco nõ facilè amplector, quod Votũ dicat nõ eſſe promiſsionẽ ſed teſtificationẽ promiſsionis: quaſi non velit editã promiſsionẽ priuatim, ſeu mẽte vel animo nuncupatam eſſe Votum, ſed oportere vt illi ſolennis teſtificatio accedat. At quãtum ex ſcripturis licet colligere veteris teſtamẽti, Votũ re vera fuit promiſsio, neq; alia teſtificatio adhibebatur. Atq; hæc de ſignificatione vocis, diſtinctione, ac definitione pręfari libuit.

Deuotum quid

Diſtinctio ſcholaſticorum de Votis.

Leges de uotis ex veteri teſta. petendæ.

Voti definitio.

Deo tantũ vota nuncupanda.

OBIECTVM.

In Euangelio inquit, nihil legitur, quod ad Votum pertineat. Hoc perperam asserebant ante eum omnes Lutherani, è quorum colluuie est Ioannes Caluinus. Is contra synodum nuper Tridenti coactam, pro antidoto nobis propinans præsens ac energificum virus, sic ineptit: Apostolis erat ignotus cœlibatus, sub quibus nulla vnquam erat Votorum mentio. Hoc quàm sit falsum, & perperam assertum, vel hinc liquidius constat, quòd Eunuchi qui sese castrauerunt propter regnum Dei, perpetuam profitebantur, ac vouebant Deo continentiam, vt nũquam deinceps fas illis esset coitu vti, quemadmodum quibus execti sunt testiculi, ijs concumbere nec libet, nec licet. Quo obsecro ore denegas, in Euangelio esse, quod ad Votum attineat?

DEFENSIO.

NOn diffiteor, me dixisse in nouo testamẽto nullam fieri Votorum mentionem, ni si eorum tantùm, quæ Paulus de more legis Mosaicæ suscepit, Neque mihi nunc locus est, vt sanctos viros, quos tu Lutheranos appellas, à tuis conuicijs asseram: cum illos & vita, & scripta satis tueantur, ac eorum insignem pietatem declarẽt: cumque tuis tenebris ac maledictis, nec infici possit, nec obscurari eorum virtus præclarissima: imò quò magis eos insectatus fueris, eò erunt illustriores. Christus tibi concedat aliquandiu, vt eos & propius, & melius, quàm hactenus feceris, cognoscere valeas. *Locus Matthæi de Eunuchis.* Sed ad id venio, quod ex Matthæo adducis capite 19. Aliquos esse, qui se propter regnum cœlorum castrauerunt. Ea certè sententia nequaquam significatur, vt tu arbitraris, Eunuchos de quibus Dominus loquitur, cælibatum vouere: sed ostenditur, nõnullos inueniri, qui ad promouendum Euangelium felicius, sponte, ac volentes à coniugio abstineant: cum neque ab ipsa natura, neque vi hominum prohibiti fuerint, ne mulieribus commiscerì possent Tu frustra contendis, castrare idem esse, quod vouere. *Castrare & vouere non idem esse.* At id, quàm abs te non rectè putetur, ex eo facilè apparet, quòd cum Dominus respõdisset, interrogatus de diuortio, citra causam adulterij non esse à coniuge secedendum, Apostoli dixerunt, *si ad istum modum se habet causa hominis cum vxore, non expedit matrimonium contrahere.* Non dicunt, expedit homini vouere, sed nõ cõtrahere matrimonium: quod eorum dictum Christus non aprobauit: imò dixit, non omnium esse à matrimonio abstinere, sed eorum, quibus est datum. Vides itaque si scopus Christi spectetur, nihil de voto dici: cum Apostoli ad quos Christus respondit, similitudinẽ Eunuchorum proponendo, nullam voti mentionem fecerint sed tantùm iudicauerint, matrimonium hominibus non esse vtile. Vnde cum agatur de eo cõtrahendo, cur tu ad votum hunc sermonem astringere niteris? Vrges Eunuchorũ testes exectos. At in metaphoris, & similibus, si ex antecedentibus non spectes finem & consilium eius qui loquitur, sed partes quasdam tantum- A modo vrgeas, persæpè decipieris. In parabola de villico iniquitatis, num docemur ex alieno dare eleemosynam? num laudanda est iniquitas serui fraudantis dominum suum? num pauperes, quibus damus, recipient nos in æterna tabernacula, cum ipsi frequenter condemnentur ad gehennam? Nec enim omnes mendici sunt pij. Videndus est, mihi crede, scopus, & indenõ recedendum. Status parabolæ in eo est, vt non simus imprudentiores, quàm filij seculi, neque B minoris diligentiæ in nostra salute comparanda, quàm illi sint in rebus mundanis. Docet etiam proximis benefaciendum esse, quò fides nostra testimonium habeat externum, vnde apparat iustè nobis adiudicari æternam vitam. Si extra hæc sepia vageris, mordicus retinendo aliqua parabolæ verba, tibi dicetur meritò, Extra oleas. Quamobrem cum hoc loco, quem habemus præ manibus id non caueas, dum ais, habẽtes resectos testes, nec posse quidem si velint C concumbere, malè colligis, illos qui abstinent à coniugio propter regnum cœlorum promouendum, lege voti prohiberi ne vxorem ducant, si opus fuerit: cum tantùm Christus responderit ad id, quod Apostoli dixerant, conducere homini si matrimoniũ non contrahat. Nec licet sano & sobrio Theologo dogma corfirmare ex verbis scripturæ, quæ aliter, & quidem verè, atque commodè intelligantur. Verùm sophistica consuetudo te quandoque non finit, etiam si velis D à paralogismis abstinere. Ideò particulam metaphoræ tantùm captas, & finem consiliumque præcipuũ responsionis Christi non consideras. Mitto præterea, vt in eo fallaris, quod ais, quemadmodum, quibus execti sunt testiculi, ijs concumbere nec libet, nec licet: Siquidem illis persæpè liberet quàmmaximè, si possent. Quod te miror in historijs non obseruasse, vel saltem ex Terentio, cuius tamen quandoque flosculos, atque id parum tempestiuè vsurpas. Et vt non E nihil dicam de tuis Eunuchis papisticis, videre debueras, illis, & libere, & licere. Libet, quia semper in eodem luto hærent: licet etiam, quia data pecuniola suis episcopis, impunè, ac magno cum scandalo Ecclesiæ perpetuò scortantur.

OBIECTVM.

Esaias cap. 19. prædixit Christianos tempore euulgati Euangelij esse vota Deo nuncupaturos, cum sic inquit, diserens de Christi aduentu: Et cognoscetur Dominus ab Aegypto, & cognoscent Aegyptij Dominum in die illa: & colent eũ in hostijs, & in muneribus, & Vota vouebunt Domino, & soluent.

Et mox

Et mox apud eũdẽ vatẽ proditur his verbis, de Eunuchis in aduẽtu Christi futuris: Et nõ dicat Eunuchus, ecce ego lignũ aridũ, quia hęc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quę ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius præ filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit,

DEFENSIO.

Ea quæ sequitur.

DE vocatione gentiũ per Christũ ad cultũ Dei propheta scripsit illo 19. cap. Sed cum Iudæis loqueretur, qui adhuc sub lege veteri, vt pueri sub pędagogo detinebantur, cultũ Dei eo modo illis describit, quo ipsi tũc vtebantur, nimirũ per Vota & sacrificia. Cũ itaq; non ignoremus, vt apud Danielẽ scribitur, in aduẽtu Christi victimas & sacrificia cessatura, ita & Vota nõ amplius durãt, iã inducto & reuelato Euangelio. Quid. n. vouebãt patres antiquitus, B nisi oblationes & victimas? & aliquod vitę certũ genus? quibus iã sublatis, & Vota locũ nõ habent, quantũ ex sacris literis cõstat. Proinde ista descriptione victimarũ, & Votorũ à propheta intelligitur verus & purus Dei cultus, quẽ Christus in spiritu, & veritate futurũ prędixit. Et apud alios vates identidẽ sępè factũ legas. Nam idẽ Esaias alibi dicit, Gentes omnes vẽturas ad montẽ Sion, & ad Hierusalẽ, vt ibi Deũ colant. Et in Ezechiele cap. 40. vsque ad 46. describitur Euãgelij status, per templũ instaurãdũ, ministeria sacerdotalia, & victimas carnales. Atq; in Malachia dicitur passim offerẽdum esse Domino מנחה quę omnia si velis vt prę se ferunt verba, i intelligere, victimas, libamina, & omnia veterũ sacrificia reuoces. Alter verò loc⁹, qui c. 56. habetur in Esaia, manifestissimè declarat aduentum Domini gẽtibus patefaciẽdũ: & ita patefaciendũ, vt vmbrę, ac significationes legis prorsus facessant. Inter vmbras autẽ quę verũ Dei cultum referebãt, fuit quoq;, vt Eunuchus in Ecclesia Israelis nõ haberet locũ: quo significabatur, steriles & infœcũdos bonorũ operũ Deo vehemẽter improbari. Populus autẽ vetus nõ solùm verbo aperto, & simplici ad bene sancteq; viuẽdum incitabatur, sed etiã hac pædagogia cõmẽdatus fuit illi sanctarũ actionum fructus. At ij, vt erãt præpostera superstitione miserè decepti, dignè Deo viuere neglexerũt, & interim propulsatis Eunuchis carnalibus à sua Ecclesia, fœcundita te liberorum mirificè sibi placebãt. Quare propheta Esaias mittitur, qui hanc eis falsam, demẽtẽq; opinionẽ excutiat, ac declaret Eunuchis & cuiuis hominũ generi, quod videretur alioquin iuxta ceremonias legis externas à Deo alienũ, modò studioſi mandatorũ Dei fuerint, locũ futurũ in Ecclesia, & quidẽ non vulgarem, sed prę Israelitis, cet corpore fuerint fœcũdissimi, qui tamẽ obdire legi diuinę cõtemnerent. Quãdoquidẽ v in Christo nõ est masculus, neq; fœmina, neq; seruus, neq; liber, ita in eodẽ nõ est Eunuchu neq; multorũ liberorũ fertilis. mandatorũ Dei obseruatio requiritur, qui fructus est fidei certissimus. Exigit igitur Deꝰ obseruationẽ legis ex fide, idq; sub nomine sabbati: atq; illos pędicat beatos, qui se in ea exercuerint. Sed nunc id ista beatitudo cõcludẽda est duntaxat in semine Abrahæ quoad carnem? minimè. Imò tã la è pater, quã fides & obseruatio mandatorũ vnd in quocũq; ista fuerint, seu alienigena, seu Eunucho, illũ beatũ fore Esaias docet. Quid Iudas tandẽ proderit iactasse copiã sobolis, cum legẽ Dei cõtempserint? vicissimq; homini sterili quid oberit sua sterilitas modò sit fidelis, & perficiendæ voluntatis Dei cupidus?

C Sensus itaq; Prophetę fuit, sterilitatis conditionẽ nõ esse obstutũ, sed potius, adiũcta obseruatione legis meliorẽ locũ habiturã in Ecclesia quàm illi, qui licet fœcũdi sint, legẽ pactũq; Dei assiduè violant. Et si verba Esaiæ diligenter expenderis, videbis illũ, nõ tantùm eunuchos, verùm etiam alienos, videlicet à Rep. Israelis, dicere, admittẽdos esse in Ecclesiã Dei, cum tamen iuxta ceremonias legis alienigenę excluderentur. Vnde quicquid hîc vel abs te, vel ab alijs de Voto cõfingitur, à proposito & mẽte prophetæ D mirũ in modũ est alienũ: neq; par est, vt fũdamẽtis adeò ruinosis dogma de Votis cõstabilire nitamini. Colligite tãtùm ex hoc loco, quantum vobis dat spiritꝰ author scripturarũ, nępe sũmã cõsolationẽ fideliũ: quòd in cõferẽda salute per Christũ, Deus nihil moratur genus iuxta carnẽ neq; vitia corporis. Huc sanè spectat alienigenarũ, & eunuchorũ mẽtio, qui erãt apud Israelitas maximo contemptui. Et denique videas istà Deũ nõ polliceri eunuchis, hoc nomine, quòd sint eunuchi, sed quod obseruauerint mãdata & volũtatẽ eius. Quãobrẽ admittis paralogismũ, qui appellatur à non causa, vt causa. Arbitraris enim Deum eunuchis polliceri præclarum nomen, & locum in Ecclesia, quòd liberos non susceperint: cum ipse longè aliud in sua promissione respiciat, nempe fidem, & mandatorum obseruantiam.

OBIECTVM III.

Dicis, Apostolos paupertatem non vouisse, cum id colligatur, & quidem rectè, ex illo Euangelico: Ecce nos reliquimus omnia, Nam si dicas, eos affectu tantùm rerum fluxariam possessionem amandasse, ac non vniuersas simul facultates in cõmune cõtulisse, quid egregij præ cæteris Christianis fecisse dicẽdi sunt, vt Petrus tam audacter diceret: Ecce nos reliquimꝰ omnia, & sequuti sumꝰ te: quid ergo erit nobis? *Deinde quare Christus pollicitus esset ei haud vulgarẽ mercedẽ, inquiẽs: Amẽ dico vobis etc. Quónã pacto implesset apostoli tũc id consilij Christi, Si vis perfectus esse, vade vẽde etc. Visne facere apostolos inferiores vitæ perfectione, quam erãt illi quos Acta Apostolica referũt discessisse ab omnib suis facultatib. & vixisse in cõmuni, quib. omnia erãt communia, et nihil proprium?* & alibi. *Vnde liquet apostolos accersitos ad munus apostolicũ deseruisse suas vxores, quãtũ ad maritale officium illud attinebat. Alioquin quorsum attinuisset Christum ad illos etiamnum adhuc vinculis vxorijs annexos, atq; agglutinatos eiusmodi extulisse verba, quibus meminisset de coniugum illorum derelictione &c.*

DEFENSIO.

Miror sanè quid tibi in mẽt venerit, vt pro voto hũc locũ adduxeris, ui cõtẽdas, vt inferius videbitur, ea tantũ voto nũcupã da, ad quę alioquin iure ac legibu nõ astringimur, & modò vocationis apostoloũ facias mẽtionẽ, qui si non paruissent, quũ à Christo vocarentur, ob diuini mãdati contẽption excidissẽt omnino à salute. Vocat cùm Christũ sequuti sũt & sua reliquerũt pręstiterũt certè, quod nostrũ quemlibet oportet facere. Eo quippe affectu nostra sunt retinẽda, vt cũ viderim⁹ nos ad id vocari, vt eis careamꝰ pro Dei gloria, illa statim & incũctanter abijciamus. Nã Dominꝰ (quod amplius est quàm relinquere) dicit: *Qui nõ oderit patrem, matrẽ, filios, & vxorẽ, & denique animã suã, nõ potest meus esse discipulus.* Atq; hoc pacto maxilla est alteri percutiẽti obuertẽda, cùm id viderimꝰ esse dignitatem nominis Dei esse: cùm liceat aliàs percutiẽtẽ reprehẽdere, vt Christus arguit seruũ pontificis. qui sibi immeritò dedisset alapã. Cùm itaq; Apostoli sua reliquerũt à Domino vocati, facti sunt officio fideliũ discipulorũ. Voluit Christus vt se prędicãtẽ p diuersa loca sequerẽtur: quod suis rebus inhærentes, vbi illas quocunq; iret, secum trahẽtes minimè facere potuissent. Sed an perpetuò ita ab illis fuerint auulsi, vt eas nũquã postea vsurpauerint, quomodo tu probabis? Certè Petrus post Domini resurrectionẽ cùm nauit, tũ retibus vsus est: iuit enim piscatũ. Quãdo Christũ sequi non poterat, exercitiũ honestũ quod prius habuit, quàm ad apostolicũ munus vocaretur, absq; peccato repetijt: neq; quod scriptura tradat, vnquã eius criminis est accusatus.

Apost. habuerunt aliqua propria.

Prętera nõ est dubiũ, apostolos ita per orbẽ vagatos, vt si quid ipsis daretur, vltrò à pijs, vel pecuniarũ, vel rerũ quæ ad victũ facerẽt, accipere nõ renuerint. Nã Paulus gratias agebat Philippẽsibꝰ, quòd illũ iuuissent eleemosynis prõpto & alacri animo. Atq; idẽ mãnibus suis laborauit, vnde mercedẽ habuit, pecuniã quã lucrabatur, possidebat, & eã tanquã suam non solùm in propriũ victũ, sed etiã ad eos alendos qui secum erãt, erogabat. Vtq; liceat prędicãtibus euangeliũ habere propria, Christus satis indicauit, quũ diceret: *Dignus est operarius mercede sua:* &, *Qui euãgelio seruit, de euangelio viuat.* Vt igitur apostoli nõ sic abiecerũt pecunias, vt nullas vnquã habuerint, ita nõ est credẽdũ, eos ita reliquisse vxores vt matrimonio nullo modo eis vti licuerit. Imò quoad vxores nequaquam sentiẽdũ est, sua vocatione Christũ voluisse apostolos diuortiũ ab illis facere: vt videlicet prorsus diuiderẽtur, nec amplius cum eis vel thorũ, vel habitationẽ potuerint habere communẽ, quũ Paulus iubeat, vt si pars infidelis velit simul habitare, non deseratur. Quî potuerunt igitur bonę vxores ab apostolis abdicari, si pręsertim vnà cũ illis euãgeliũ Christi amplectebãtur? Et in cõcilio Niceno quid obstare potuisset, ne pręciperetur ministris ecclesiasticis ab vxoribus discedere, si Christus vocando apostolos perpetuo diuortio eos ab vxoribus diuisisset? Certè ibi non erat quòd Paphnutius se interponeret: respõ dissent quippe illi, se quod tentabãt, authoritate Christi facere, qui apostolos à se vocatos ab vxoribus vero diuortio separasset. Et profectò scribitur de Petro in Ecclesiastica historia, quòd Romę vxorẽ secũ habuerit: quę quũ abduceretur extremo supplicio afficiẽda, clamauit ad illam, Vxor memor esto Domini. Neq; sua sic esse relinquenda ecclesię ministris, vt ipse fingis, demonstrat Paulus, scribẽs, Episcopũ debere suos curare liberos vt eos habeat sibi subiectos in omni castitate. Quod si filios nõ tenẽtur episcopi abijcere, qui sunt apostolorũ successores, quare coniuges? maximè quũ ad Corinthios dicatur Cephas, & fratres Domini circumduxisse sorores, mulieres: quem locum, Deo volente, infrà tractabimus.

Christꝰ nõ suasit diuortium apostolis cũ eos vocauit.

Neq; possum intelligere, quomodo sua relinquere, vel, nihil habere proprij significet, vouere, quemadmodũ hi sophistę volũt. Porrò in Republica Platonis, vt ipse libro tertio scribit, Custodes & auxiliarij nihil habuerũt proprij. An dicemus eos paupertatẽ debuisse vouere? Multi etiã philosophi amore scientię incẽsi, reliquerũt sua: qui tamẽ voto nõ obstringebãtur. Taceo de mẽdicis, qui licet in diẽ viuãt, nihil possideant, & nihil proprij habeãt, nihilominus haudquaquã vouerũt, se nihil vnquã habituros. Tu prætereà reliquisti Angliã, ne patereris quod tua pfidia cõmerita fuerat. Ex te scire velim, an voueris in Angliã nõ redire? Equidẽ, si relinquere significat vouere, tu & omnes, quos prius cõmemoraui, diceremini vouisse. Et rursus ex te percũctarer, quum bis palinodiam cecineris, testatusque sis publicè te deponere quasdam impias opiniones: an voueris illas posthac te non esse resumpturum? Quod si vouisse dixeris, & iam in eadem sis reuolutus, ipse quoque licet semper in apostatas, vt vocas, inueharis, omnium illorũ eris deterrimus, & non minus quàm illi (vt loquar tuo more) votifragus. Sin verò dixeris te non vouisse, licet eas opiniones tum reliqueris, iam inde intelligas relinquere, ac vouere plurimum à se distare, neque te iustè colligere: Apostoli sua reliquerunt Christum sequendo, igitur voto fuerunt obstricti. Quæris à me quid apostoli habuerint prę cęteris Christianis, si voto se non abdicauerint ab omnibus quæ possidebant, & ab vxoribus? Hoc habuerunt, quòd à Domino vocati sua omnia relinquendo egregiam pręstiterunt obedientiam. Quare summopere sunt laudandi, quũ id omniũ Christianorum primi fecerint, & alijs præclarum exemplum ostenderint. Verùm non propterea conficitur, eos vel cœlibatum perpetuum, vel abdicationem à suis rebus penitus vouisse. Vtque quod illi fecerunt, omnes Christiani facere debent, ita merces & præmium quod illis promisit Dominus, vt sedeant iudicaturi super sedes, &c. omnibꝰ fidelib. qui vsque ad finem perseuerauerint, promittitur: quẽadmodum epistola ad Corinth. prior apertè docet: *An nescitis quod*

quòd angelos iudicabimus? & inde colligit Apostolus, Christianos debuisse inter sese iudicia exercere, potius quàm ad tribunalia infidelium fratres in ius vocare. Nam si tanta est Christianorum dignitas, vt sint mũdum & angelos iudicaturi, quomodo illis nõ permittetur causas fratrũ cognoscere? Fatebimur ergo apostolos quãdoq; fuisse absq; vxorib. & suis rebus, vt Christũ sequerẽtur, & prædicarẽt. Sed quòd istorũ omniũ vsum voto abdicarint, nõ dabimus.

Quodq; tibi sumis, apostolos id præstitisse quod Christus iuueni mãdauit, vt si vellet esse perfectus, diuẽderet sua, & daret pauperibus, nõ facilè cõcedemus: cùm illos nusquã legamus distraxisse sua, & pauperibus distribuisse: quod minimè tacuisset Euangelicę historię, si factũ esset. Et certè si Christus ab apostolis requisiuisset quod ab illo adoloscẽte, nisi paruissẽt, grauissimè peccassent. Verũ quòd iuueni Christ⁹ priuatim iussit, neq; apostolis, nec; omnib. christianis in vniuersum faciẽdũ præcepit. Imò, si scripturas volumus consulere, Petrũ adhuc post vocationẽ domũ habuisse legim⁹, in qua socrus eius decũbebat: et Matthę⁹ dominũ sequẽdo, quamuis telonęũ reliquerit, illi tamẽ in domo sua magnũ exhibuit cõuiuiũ: quod certè nõ de alieno, sed de suo fecit. Quare vides longè aliud esse Christũ sequi, cùm per Iudęã prædicãdo circũquaq; discurreret, atq; ita sua relinquere, ac illa Voto à se, quemadmodũ tu tibi fingis, abdicare. Et vt vno verbo dicã, relinquere sua propter Christũ nihil est aliud, quàm illũ rebus omnib. pręponere eumq; amare super omnia, ita vt nobis patiamur, nihil impedimẽto, esse quin eũ sequamur, & confiteamur. Possunt igitur ab his, qui Christi sunt discipuli, pater, mater, domus vxor & filij habere, modò propter illa non abducantur ad aliquid committẽdum, quod Euangelio aduersetur: nam tum potius sunt abijcienda omnia, quàm à Christo deficiendum.

Et mirũ est, cùm Christ⁹ multa recenseat, hoc loco relinquẽda illis, qui velint sedere iudices inter eius discipulos, cur tu alia omnia dissimules & adeo vxorẽ exaggeres: quũm par causa sit in omnib⁹: quam si parem sinas esse, vt debes, cum relinquãtur ministris Ecclesiæ pater, mater, filij fratres, domus, agri, nec ista illis interdicatis, imò nec diuitias, nec suorũ curã prouentuũ, cur vxores tãtũ in vniuersum prohibebitis? Si dixeritis, propter curas, & sollicitudines q̃ sũt in cõiugio haud sanè prudẽter dicetis: cũ in diuitijs tuẽdis & seruandis, longè sint maiores, atq; magis periculosæ. Fatemur sanè illos cõiugatos, nõ esse ad ministeriũ idoneos, imò nec ad Christianissimũ, qui cũ vocãtur ad cœnã, & nuptias domini, adeo coniugũ amore peruerso detinentur, vt audire vocantẽ nolint. Verùm cogitate idem impedimentũ accidere posse in villa emẽda, & iugis boũ experiundis, quod in vxore ducẽda, vel retinenda. Qui tales esse deprehẽdũtur: ex albo cleri deleantur: nec propter eos est necesse, vt qui moderatè vtũtur matrimonio, neq; cura nimia propter ipsum occupãtur, eius beneficio & commodo expoliẽtur. Si enim opibus Ecclesiæ ministri non priuantur, neq; à matrimonio, quod sit Ecclesiasticis aptũ, debẽt arceri. Cyprianus de episcopis, quos habuit collegas, querebatur, quòd auarissimi essent, & sordidè studerẽt diuitijs: neq; tamẽ propterea fuit cõstitutũ vt ministri opes nõ habeãt. Sed ad Christũ redeam⁹, qui nõ tantùm vxorẽ, verùm patrẽ, matrẽ, sororẽ, filios fratres, domum, & agros recẽsuit: quę illi⁹ verba, si tuo sensu accipiãtur, vt de vna vxore illa vis concludere, ita, & de omnib. locũ habere debebãt: quod verũ esse nõ potest. Quia nisi vocatio singularis intercesserit, nemo potest, salua dei lege, patrẽ, matrẽ, liberos & alia huius generis deserere. Qui. n. suorum, & maximè domesticorũ curã non habet, abnegauit fidẽ, & infideli est deterior. Hęc est vocatio communis, cui omnes astringimur, nisi disertis verbis contra eã De⁹ aliquid iusserit: vt Abrahamo de sacrificãdo filio, & de vxore Agara cũ Ismaele abijcienda. Et qui volẽt Zelũ Dei cũ sciẽtia cõiũctũ habere, nõ imitabũtur Apostolos, quãdo vocationẽ eiusdẽ generis nõ habuerint: licet fortasse darẽt, quod nos non cõcessimus eos scilicet ita sua reliquisse, vt nunquã illa repetierint. Itaque multis modis tua deficit argumẽtatio, & quocũq; te vertas, tibi hęret aqua. Primùm n. haud rectè colligitur, eos vouisse, si sua reliquerint: sẽcũdo non cõstat, eos ita reliquisse, vt nũquã postea vsurpauerint: imò scripturę, vt ostẽdimus, potiꝰ secus indicant: & demũ tertiò, si hoc illi fecissent, nõ omnib. ministris idẽtidẽ faciendũ est eo probabitur, cũ nõ discurrere cogãtur, nec vagari vt Apostoli, neq; cũ illis vocationẽ habeãt eiusdẽ generis. Videris q; paralogismũ inducere, quem appellant à secundum quid ad simpliciter. Non enim vocat Deus ad sua relinquenda, nisi quum vel discurrendum est per orbem ad prædicandum, vel in persecutione, vbi potius debemus nos abdicare omnibus rebus nostris, quàm Christum negare. Malè itaque abste verba Christi accipiuntur, quasi absolutè, ac simpliciter debeamus nostra relinquere.

OBIECTVM IV.

Iam dispiciamus quid de illo Actorũ Apostolicorũ, quòd de Anania, & Saphyra mẽtionẽ iniecit, sentiẽdũ sit, vt quod hic quoq; Petrus cum imprudẽter, tũ indoctè, ne dicã impiè, quod verè queã, inficiabatur, ad voti rationẽ pertinere & quicquã spectare, cui⁹ sententia aliena planè est ab ipsius cõtextus genuino sensu, et mox. Imò ipse cõtextus satis dilucidè cõuincit, istos Voto se obstrinxisse, cũ ait: nónne ager manẽs tibi mãebat? et venũdatus erat in tua potestate? Nã quis alius horũ verborũ quæso, poterit esse sensus, quàm ante pro[illegible]nẽ ac Votũ factũ Deo de projiciẽdo ante pedes apostolorũ agri vẽditi integro precio, liberũ illis fuisse, an voluerit, nec ne: quã libertatẽ ademit Votũ. Et, quia nõ poteris rectius à q[illegible] rone) refutari: ideo te tuo trajiciã telo. In hãc quũ de Voto exordire sãcta promissio, qua nos Deo astrigim⁹, ad præstãdũ ei aliquid. C promiserãt, ac obstrinxerãt se aliquid præstare Deo, nẽpe pre[illegible] dere agrũ, atq; diuẽditi preciũ dare apostoquàm à te ipso (vt Lactãtius dixit de Cicertationẽ, hoc pacto definiebas. Votũ est sacrodã istud assũptũ. At Ananias et Saphyra sãctè vẽditi, vouebãt igitur illud Deo. Quod sanctè

promiserant, et illa promissione obstrinxerãt se ad dilargiẽdũ Deo preciũ agri sui, liquet ex eo quod ca. 4. Actorũ teste tur, multos Christianos tũ tẽporis cõtulisse omnia sua in cõmune, & nemini quicquã propriũ fuisse: quod quomodo fieret nisi per Votum? Ac ca. 5. dicitur hos mentitos fuisse Spiritui sancto, ac Deo, cùm aliquã ex vẽdito agro collecti precij partem reposuerint sibi contrà quàm promiserant antea. Hoc conuincit quoque esse verissimam definitionem Voti, ab optimis iuxta ac vetustissimis scriptoribus in literas relatam, vt pote, qua sic definiunt illud: Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ Dei sunt, propriè fieri debet. Luculentius ostendit Actorum contextus tale quiddam fecisse Ananiam & vxorem illius, quam vt operæ precium sit in eo probando quicquam desudare.

DEFENSIO.

Locꝰ de Ananiа & Saphyra.

Cùm in sacra historia de Anania & Saphyra quã adducis, nulla voti mẽtio fiat, quid tu me alienã sentẽtiã clamas afferre? Vter nostrũ tandẽ aliena dicit? Ego qui sequor purã simplicemq; narrationẽ Lucę, nec Votũ cùm ibi nõ inueniatur, affingo: an tu, qui prẽter historię filũ, ea cõminiscẽris, quę nec spectat, nec tractat sacra lectio? Sed hoc vestrũ est perpetuũ vitiũ vt cùm in exponẽda scriptura semper extra stadiũ curratis, alios qui rectà incedũt, aliena dicere vociferemini. Porrò si purũ historiæ sensum captares, primùm vidisses in 4. ca. à Luca primitiuã Ecclesiã prẽclaris virtutibus ornatã describi, quę tanta pace ac cõcordia iuncta fuerit, vt vnã animam, & cor vnũ habuisse dicatur: ideoque simul tantã credentium turbam cohabitasse: quod sanè ab Esaia prædictum fuerat, lupum nempe cum agno habitaturũ. Deinde hanc pacem atq; concordiam verè Christianam alium fructum esse consecutum, vt nemo quicquam eorum quę possederat, sibi propriũ existimarit, cũ omnia illis iã essent cõmunia. Nã qui possidebãt agros domósue, illa vẽdebant, & precia deferebant ad pedes Apostolorum, vt in singulos distribuerentur: quò fiebat, vt nullus inter eos egeret. Quis hinc sanę mentis colligat, Votum intercessisse, cum inueniantur permulti, qui sua vendãt, & dent pauperibus absq; Voto? Quasi non possint aliqui sine Voto habere inter se omnia cõmunia, & simul viuere. In repub. Platonis, quam superius adduxi, debuerũt esse omnia communia, & nemo ex custodibus & auxiliarijs proprij quicquam habere debuit. Num putas Voto eum voluisse eos obstringere? Sanè non Voto, sed legibus. Et in Italia monachi Iesuitæ diu societatem inter se coluerunt absque vllo Voto, cũ tamẽ quàm diu in monasterio viuerent, nihil proprij haberent. In primitiua igitur ecclesia licet habuerint omnia cõmunia, nõ tamen ex Voto necesse est id accidisse, cum ex libera charitate potius nasceretur. Et quare sub illis initijs Ecclesiæ communio bonorum (vt hoc obiter dicã) fuerit inter Christianos, nõ est difficile cõijcere. Primũ voluit spiritus sanctus declarare illorũ animos qui credũt, prorsus liberatos ab auaro & tenaci affectu diuitiarũ: & ita liberatos, vt parati sint, quę habeant in commune conferre, si ratio Christianæ vtilitatis id exigat, vel ea diuendere, ac pauperi[illegible] erogare, quùm Dominus id iusserit: & den[illegible]inque re patienter, si vel alioqui infortun[illegible] hostib. rapiantur. Ista omnia illo exem[illegible]o-rum Christianorum sunt nobis ob o[illegible]i-ta, vt, & ipsi assuescamus, etiam quu[illegible] affluxerint, cor non adijcere. Prætere[illegible] acceſsit, credentium maior pars ex pauperibus erat conflata. Nam Paulus dicit, nec multos diuites vocatos, & his, quum egerent, qui aliquid habebant, operæpræcium duxerunt sua communicare. Quod vt nõ temerè, sed ordine iusto fieret, Apostolorum iudicio distributionem cõmitebant. Hinc erat illa oblatio ad illorũ pedes, quæ eo tẽpore fuit ẽt eò magis necessaria, quia fideles reliquis Iudæis erant mirũ in modũ exosi. Vnde nec suas operas locando pauperes poterant lucrari, & eorum, qui aliquid possidebãt, bona subinde aut confiscabantur aut diripiebantur. Adhęc spiritus sanctus voluit piorum facultates inter Christianos citò expendi, quòd alioqui in deuastatione Titi & Vespasiani, quę succesit nõ multo postea, funditus essent perituræ: in quo excidio Christiani omnes à Iudæa migrarunt, vt tradit Eusebius, nec in illa obsidione deprehensi fuerunt: & quia secum non valuissent asportare sua, consultum fuit, vt prius hoc modo admodũ pio inter fideles distribuerentur, Nemo tamen cogebatur: sed volens, & vltro ad Apostolos deferebat quisque, quod ex distractione suarum rerum collegisset. Quum itaque possint istæ causæ illius communionis assignari, non est necesse, vt ad vota confugiamꝰ. Iccirco peccauit Ananias, & Saphyra, quòd quum suum agrum vendidissent, & partem precij attulissent ad Apostolos, se totum conferre in commune simularunt, neque pluris agrum vẽdidisse testati sũt. Viderãt Barnabã, cuiꝰ à Luca fit statim superiꝰ mẽtio, agri sui preciũ, ad Apostolos detulisse, idéq; fecisse cõplures alios. Quare voluerũt etiã ipsi, ne viderẽtur minꝰ pij, quàm illi tantũdẽ facere: sed id nõ verè atq; sinceriter fecerũt. Vnde in peccata multiplicia inciderũt: auaritiæ ãbitꝰ, hypocriseos, & mẽdacij: & se arbitrati sunt Apostolis, hoc est spiritui sãcto posse illudere. Quę omnia mala ex vna infidelitatis radice in eorũ cordibꝰ pullurarũt. Proinde quid mirũ si Deꝰ in ĩfideles, auaros, ambitiosos, hypocritas, & mẽdaces tãtã voluit potẽtiã ostẽdere? Si verè ac fideliter verbo Dei credidissent, nec esset ab eis ita miserè locꝰ datꝰ auaritię, sed totũ dãdo, vt profitebãtur, & vt cęteri faciebãt, apud se cõstituissẽt, Deũ, cuius causa his bonis sese abdicauerãt, nõ defuturũ suis necessitatib. nec illi, qui omnia intuetur existimassẽt se facile, posse imponere. Et nõ debet quisquã moueri quòd Petrus dixerit Ananiam fraudasse de precio agri, quasi aliquis fraudulẽtus habendus sit in suis facultatibus retinendis: nisi fortasse, quãdo egẽtibus & petẽtibꝰ dare iubetur: in quã necessitatẽ Ananias nondũ venerat. Etenim Petrꝰ illi ait: Ager nõne manẽs tibi manebat? & venundatus

Quare in primitiua ecclesia fuerit bonorũ communio.

nundatus in tua erat potestate? hoc est, in manu tua fuit, aut vendere, aut non vendere, venditiq́ue precium deferre, aut non deferre: fraudasse tamen dicitur, quòd minus daret, quàm diceret: nec ista Voti fraus erat, sed graue mendacium circa oblationem, quam offerebant. Si quis alicui diceret se decimam dare, atque tantum vicesimam daret, is de decima proculdubio fraudaret, etiam si votum non interceſſerit. Et Petri verba, quibus ait, *Ager manens tibi manebat, & venundatus in tua erat potestate*, minimè possent esse vera, si vouissent. Nam voto nuncupato, non fuisset ager amplius in eorum potestate, & precium diuenditi iam fuisset obstrictum. Ideo conuincunt ea, quæ à Petro dicuntur, & agrum liberè vẽditum, & liberè precium allatum absque voto. Tu verò ais, horum verborum Petri non posse alium esse sensum, nisi vt de voto nuncupato intelligantur. O Theologum perspicacẽ, si tu alium sensum hìc nõ vides, ergo alius non videt? Quare non potuit Petrus Ananiæ dicere: Quis te cogebat, vt communes faceres tuas facultates? Quid simulas te totum agri precium deponere, quum bonam eius partem tibi retinueris? Quæ est hęc hypocrisis, quum possis candidè agere? Ista Dei Ecclesiam non decent: non ita Spiritui Sancto verba dari possunt, vt credidisti. Si Petrum in hunc sensum viderimus illa verba protulisse, quid opus erit voto? Sed vt magis rem teneas, fac tibi aliquem dicere: nónne integrum tibi erat vera & sana docere? nónne potuisti puro ac sincero Euangelio inseruire? nónne tibi licuit vel in matrimonio castè viuerè? Quis obsecro bene inferet ex his verbis, te vouisse docere, aut scribere erronea? vouisse tandem aduA lari Papæ ac monachis, contempta Euangelij veritate? vouisse impurè viuere, scortari & mœchari? Quomodo tibi satisfaceret hæc argumentatio? Tua, mihi crede, nihilo est melior. Sed hæc mitto. Videris præterea meam definitionem de Voto non probare: & adducis eam, quam habet Magister sententiarum, quum ego illam non tacuerim, & rationẽ reddiderim, cur ei libenter non acquiescerem. Et nunc abs te nihil audio, quod vel eam defendat, vel meam confutet. Dixi, votum esse sanctam promissionem, &c. neque nunc retracto. Verùm quòd tu assumis Ananiam & Saphyram sancta promisisse, hoc pernego, quia in Actis Apostolorum Christianos vendidisse sua lego: sed vouisse aut promisisse, non lego: nec aliquid in tota hac historia demonstrare poteris, quod votum necessario euincat. Sed quid facias huic misero capiti, cui adferre ad pedes Apostolorum, significat vouere? & mentiri Spiritui Sancto, est votum infringere? atque in commune sua conferre, est votum nuncupasse? At si concedatur ita vocum significationes pro libidine mutare, facilè omnia probabis. Hìc verò manifestissimè in paralogismum ab accidentibus, vt appellant, incidisti. Nam quum videres, in violatione voti mendacium intercedere, ac violatorem voti fraudare, & ad vouendum neminem cogi, & hæc eadem tria locum habere in simplici oblatione hypocritæ ac mendacis, oblationem huiusmodi pronuntiasti esse votum: ideoq́ue non immerito voco te Sophistam, quòd aliqua iudices eadem inter sese, quia in aliquibus accidentibus consentiunt.

OBIECTVM V.

INficias quoq; it Petrus Martyr illud Lucæ, quòd is testatur, sacratissimam Christi matrem in suo cum Angelo dialogismo extulisse, nempe illud: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: *ad Votum spectare. Et mox. At, inquis, nulla hìc sit prorsus Voti mentio. Fateor: quid tum quæso? Nulla mentio fit in his verbis,* Ego & pater vnum sumus, *de consubstantialitate patris & filij. Visne igitur hinc colligere, non posse eo testimonio rem illam constitui & reuinci contra Arrianorum hæresin? Rursus cùm Christus aiebat Iudæis,* Quoties volui congregare, &c. *nominatim et expressè non meminit liberi arbitrij, de quo nulla est in scripturis sacris mentio expressa. Nonne itaq; ex eo inferre cuiq; licebit, nec locum illum, nec vllum alium pertinere ad liberum arbitrium? aut illud vspiam statui in scriptura? Haud secus argumentabantur Arriani, conantes probare, filium non esse eiusdem essentiæ atq; substantiæ cuius pater, quod vocabulum istud, ὁμοούσιον, non esset vllo scripturæ sacræ loco proditum. Aduersus quos Athanasius stringens calamum, rectè dicebat, non esse contendendum de vocabulo, modò de reipsa constaret.*

DEFENSIO.

VT dicerem, beatam virginem Domini nostri matrem non vouisse Deo perpetuam virginitatem, Euangelistæ narratio me mouit: quæ refert, illam fuisse iam desponsatam, quum Angelus ad eam accesit: nemo autem matrimonium contrahit, qui secum iam statuerit obstringi voto ad virginitatem seruandam. In serijs rebus non lusit mater Dei: sciebat enim, per matrimonium cõiuges tradere sibi mutuo potestatem corporis. Et virginitatem Deo vouere, & tum corpus viro tradere, quo pacto inter se consentiunt? Decreuerat quidem Deus optimus maximus, vt beatæ Mariæ virginitas non violaretur: quam tamen voluit nubere miro consilio: partim, vt nõnulli aiunt, quò mysterium incarnationis Verbi lateret diabolum, & impios, membra eius: partim ne Dei filius ex coitu illicito natus diceretur: denique vt sanctissima virgo Ioseph̃um haberet, non tantùm pudicitię suæ honestum tegumen-

tum, sed etiam curatorem fidelem infirmitatis muliebris, & educationis incarnati redemptoris. Hæc ego non aspernor diuinæ prouidentiæ consilia, quæ à multis piè scribuntur, & piè referuntur. Sed quum virgo à Deo electa non præsentiret, aut vllo modo sciret, se illam Dei matrem futuram, quæ expectabatur, iuxta cursum atque morem sub lege Mosaica receptum, suam vitam instituit, & vt cæteræ puellæ Iudaicæ gentis nubebant, ipsa quoque nupsit. Quis igitur vos hîc adegit, vt vota commi niscamini? Dixit sanè Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ex isto sermone tam votum potest confici, quàm me hoc tempore ista fuisse scripturum. Sed isti, vt Anaxagoras, faciunt quidlibet ex quolibet. Audiuerat ab Angelo, quod esset conceptura, & paritura: interrogat, quomodo ista futura essent, quòd licet esset sponsa, non tamen adhuc viri congressus admitteret. Prudens sanè virginis nostræ interrogatio. Quia si conceptus & partus, qui ei prædicebatur, ordinaria vsitatáue ratione futurus esset, dixit, hoc obstare, quòd viro nondum admisceretur: sin verò extra ordinem ac supra naturam, de modo cupit edoceri, atque tacitè innuit, quòd si deprehenderetur grauida, quum adhuc maritalis congressus esset expers, pudor & fama eius periclitaretur. Obsecro te, quid hæc ad votum? ne dixerim, ad rhombum. Cùm Moses in Exodo capite sexto dicat: *Quomodo audiet me Pharao, quum sim labijs incircumcisus?* An dices, posse hinc demonstrari, Mosem vouisse labiorum incircumcisionem? Profectò locutionis forma est eadem. Beata virgo dicit, *Quomodo fiet istud, cùm virum non agnoscam?* Et Moses ait, *Quomodo audiet me Pharao, quum sim labijs incircumcisus?* Nicodemus quoque respondit Christo, *Quomodo potest homo nasci, quum sit senex?* Ex tua Dialectica hinc quoque licebit inferre, Nicodemum vouisse senectutem, si ibi vis consequi, beatam Virginem vouisse, se non esse virum cognituram. Decétne tantum theologum tam miserè in Dialecticá impingere? Sed non est mirum, quia illam iste non est professus nisi vsque ad Sophisticen, & videtur imposituras vouisse, adeò illas vbique magna religione persoluit. Rixam præterea mihi excitat, quasi ego tantùm de voce contendere instituerim. Vocabulum Voti per me valeat. Sed in locis iam adductis rem te velim ostendere: quod si feceris, de voce nec duo mutabimus verba. Quę autem περὶ ὑμνιαίου adfers, huc non conducunt: quoniam ex multis diuinæ scripturæ testimonijs euincitur, filium Dei eiusdem naturæ atque substantiæ esse cum patre. Vnde licet vox Homousij, vel vt ipse loqueris, Consubstantialitatis, non habeatur ad verbum in sacris literis: in eis tamen res manifestissimè traditur. Idem etiam tu de Voto facias, atque in locis adductis rem ipsam ostendas, & vocis causa intelliges, me nunquam verbo Dei reluctari. Quid præterea de libero arbitrio intempestiuè obieceris, arbitror, te ipsum ignorare. Argumentaris enim, *Quoties, inquit Christus, volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos, & noluisti.* Liberum igitur arbitrium quo ad rem hinc habetur, licet nec iste locus, nec vllus alius in scriptura, vocabuli illius mentionem faciat. Quod ad me attinet, libertatem arbitrij nunquam in vniuersum negaui. Verùm id ex adductis verbis tu malè colligis euinci posse: quia hinc non habes, nisi Iudæos incredulos noluisse Christum congregare suos: resistebant enim pro viribus eius ministerio. Quis autem nostrûm negauit vnquam, impios Deo se opponere ac voluntate praua diuinis conatibus pro viribus aduersari? Vtinam magno nostro malo quotidie hoc non experiremur. Tu verò cuperes, & ex isto, & ex consimilibus locis more Pelagianorum docere, nostrum arbitrium per seipsum posse vel mandata Dei seruare, vel diuinæ voluntati se accommodare, quod cùm fieri non possit, quæ illius est reliqua libertas? quo ad hæc opera, quæ verè Deo placeant, & iudicio eius approbentur? Non inficiamur, aliquã esse homini reliquam adhuc libertatem in moribus atque ciuilibus actionibus. In his verò, quæ ad cœlestem salutem pertinent, quemadmodum fuit, assentiri Christo, eique fauere in congregandis electis, nisi per spiritum eius iuuemur, iacemus: per nosipsos nihil possumus, imò potius omni studio aduersamur. Quòd si tu contendas, tibi esse liberum, quod per alterum potest concedi, haud propriè loqueris de facultate atq; viribus, quæ liberæ dici possint. Neque fortasse alia de causa scriptura sancta liberi arbitrij disertè non meminit, nisi quòd agit de homine aut perdito propter peccatum, aut non planè adhuc instaurato per Christum: in quo tam modica tamque tenuis libertas remansit, vt nomen libertatis ne mereatur quidem. Attamen, quod scriptura sacra noluit vsurpare, tu, & qui tui nõ sunt dissimiles, plenis buccis vndiq; & ad singula quæq; verba crepatis: quasi vos arbitremini, & Deo & spiritu diuinarum literarũ sapientiores. Ideoq; frustra nũc obstrepere voluisti, liberi arbitrij naturam non esse negandã: licet in verbis, quæ commemorasti, & in alijs locis scripturæ nõ habeatur. At de Voto, cũ ita res habeat, vt in libris Noui Test. neq; rem, neq; vocabulũ possis ostendere, appareret, quæ adduxisti minimè tuã causã releuare.

OBIECTVM VI.

Paulus in priori epistola ad Timoth. hæc habet, quæ perspicuè & efficaciter meo huic instituto dant suffragiũ. Adolescentiores, *inquit*, viduas deuita: cùm. n. luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. *Quid hic appellat Paulus primã fidem, nisi*

niſi fidem voti? qua iſtæ viduæ perpetuam continentiam Deo conſecrarunt, cùm Ecclesiæ ſumptibus alerentur: quã irritarunt, cupientes nuptui dari. Et hinc aſciuiſſe eas ſibi gehennæ ſupplicium aſſerit Apoſtolus. Hîc quid non comminiſcuntur Lutheriſtæ, quò ſe tueantur, nec cogantur fateri, ſe reuictos penitus his Pauli verbis? Nunc fidei vocabulo fidem in Baptiſmo datam, nunc diuinis mandatis obſeruandis præſtitam interpretantur: quo nihil aliud egiſſe doctis iuxtà ac pijs omnib. videri queunt, quàm ſuam prodidiſſe inſcitiam, atq; ſe deridendos, imò deplorandos potius omnibus propinaſſe. Et alibi. Ad hæc, cũ Apoſtolus damnet viduas à voto continentiæ edito relapſas, quãdo, inquit, illas habere damnationẽ, quia primam fidem irritam fecerunt, iſte Petrus imprudenter, indoctè ac impiè inficias it, loqui eum de voto, atq; adeò illud non probare, vt prorſus reprobet. Siquidem per primam, inquit, fidem, Chriſtianiſmum intellexit, à quo ad Iudaiſmum & Paganiſmum viduæ illæ, poſtquam luxuriatæ fuerint, laſciuierint, vel in delicijs egerint, contra Chriſtum deſciuerint, vt, vel ſic ſeſe ab hominum calumnijs vindicent, hunc eſſe loci illius Paulini genuinum ſenſum, Lutherum ſecutus. Quem colligi poſſe aſtruit ex eo, quòd contextus teſtatur, illas viduas abijſſe retrò poſt ſatanam, quod idem pollet, atq; deficere à fide Chriſti: quemadmodum legimus, inquit, Alexandrinum & Hymenæum abijſſe poſt ſatanam, cùm à Chriſto reſilirent. Deinde iubet adoleſcentiores illas viduas nubere, nec admitti ad vouendum, niſi 60. annos natas. Et ideò ſi loquatur ibi Paulus de voto, aduerſatur illi prorſus, ait Petrus, tantũ abeſt vt id ſtatuat. Ad hæc Paulus, inquit, primam fidem non retulit ad fidem voti, quia illa non eſt prima, ſed fides data in Baptiſmo. Poſtremò citauit Auguſtinum in lib. de Bono viduit. negantem, hîc loqui Paulum de voto, & aſtruentem, peccare, cõtrahentem nuptias poſt votum, veras tamen eſſe nuptias, non ſtupra, nec adulteria quæ init. Hæc effutiuit Petrus, dum hunc locum tractauit, diſſerens contra vota. Quæ quàm ſint omnia erronea, falſa, atq; contra mentem Spiritus S. in Paulo loquentis, mox palàm videbitur, cùm ſingulæ ſeorſim partes fuerint excuſſæ diligentius. Initiò manifeſtus eſt lapſus, interpretari primam fidem, Chriſtianiſmum, atq; iſtas viduas deſciuiſſe à Chriſtianiſmo ad Iudaiſmum vel Paganiſmum, cùm nullus vnquam ex priſcis & probatæ fidei authorib. ſic interpretetur: ſed cõſpiranter omnes de fide voti, quẽadmodum ſuprà eſt oſtenſum abundè. Deinde quòd ait contextus Pauli, abijſſe illas viduas poſt ſatanam, non probat eas deſciuiſſe à fide, ſeu à Chriſtianiſmo, tametſi id ſignificet abire poſt ſatanam apud Paulum loquentem de Alexandri & Hymenæi defectione. Et mox. Iam quòd ex eo colligit, hunc locum, ſi de voto continentiæ vidualis poſsit & debeat accipi, aduerſari voto illi, quòd Paulus iubeat deuitari adoleſcentulas viduas, quodq; velle ſe dicat illas nubere, oſtendit propalàm, ſe ignarum eſſe Paulinæ mentis. Non. n. ideò deuitari eas præcipit, nec ob id vult eas nubere, quòd velit aſtrictas voto viduitatis nubere, ſed ſimiles eis iuniores viduas mauult nubere, quàm irritam facere primam fidem, atq; abire retrò poſt ſatanã, quemadmodũ adſtruit, iam tum quaſdam feciſſe. & mox. Adde his, quòd ſi Paulus hoc loco vetaret, iuniores viduas profiteri, & vouere vidualem caſtitatem, non modò aliquot ſcripturæ locis, qui extimulãt ad vouendũ, & Chriſto eadẽ pollicenti, cũ diſſerit de eunuchorum caſtratione, ſed ſibimet aduerſatus fuiſſet, cũ toties hortetur viduas, vt ſine nuptijs permaneant. Id quod cũ ſit abſurdiſſimum cogitare, ne dum dicere, conſequitur, eum hîc non prohibere, ne viduæ ſint & maneant adoleſcentulæ. Falſiſſimũ quoq; eſt, quod aſtruit Petrus, nolle Apoſtolum, vt admittantur ad vouendum viduitatem, ante quàm 60. natæ ſint annos. Quia omnes omnis ætatis viduas citra delectum excitat, vt maneant viduæ, 1. ad Corin. 7. & cũ ait, Vidua eligatur non minus 60. annorũ, non differit de electione viduarum ad vouendum duntaxat, ſed ad ſuſtentationem opib. eccleſiæ, quòd manib. laborare non poſſint, & victum ſibi parare, vt inquit Hieronymus. & mox. At quid opus eſt, aliunde ſenſum Paulinæ huius ſententiæ petere, cùm liceat eum ab ipſo proximè inſequente contextu deſumere? nempe ex hoc: Si quis fidelis habeat viduas, ſubminiſtret illis, vt nõ grauetur Eccleſia, vt ijs quæ verè viduæ ſunt, ſufficiat. Hæc enim verba palàm indicant, Apoſtolum diſputare de electione viduarum, quæ ſtipibus & eleemoſynis eccleſiæ eſſent alendæ, quas 60. annorum eſſe vult. Quòd autẽ Petrus venatur elabendi rimam, primam, inquiens, fidem, non dicit fidem voti, quòd ea prima non ſit, ſed fidẽ Baptiſmi, mera cauillatio eſt, & tergiuerſatio. Nam vocula πρώτη, qua hîc vtitur Paulus, vſurpatur ſæpe, vt Græci tradunt, vicè comparatiui, vt hîc ponatur πρώτη πίστις pro eo, quod eſt, prior fides. vel prius data. Nam Græcis πρωτεύειν priores partes ducere ſignificat, & προγεύεσθαι priorem iaculari, προγεύστης præguſtator, & ſimilia multa apud eos reperiuntur. Poſtremò quòd ait, Auguſtinum de Bono viduitatis negare, hoc loco verba fuiſſe de voto, & tradere, peccare contrahentem poſt editum votum, nuptias tamen illas eſſe veras nuptias, non ſtupra, ſplendidum & impudens eſt mendacium.

DEFENSIO.

De viduis quarum Paulus ad Timotheũ meminit ea vouerit.

SI quis eſt locus in literis Noui Teſtamenti, quo putent aduerſarij noſtri, ſe votũ cœlibatus poſſe conuincere, is citra cõtrouerſiam eſſe prædicatur, quem in præſentia Smyth. mihi obijcit: verùm vt ſint falſi, oſtendere non erit vſq; adeò difficile. Primũ intelligere omnes arbitror, quã ſit à iuſta probatione alienum, ambigua in mediũ adferre: cùm oporteat ea, quæ ſolidam fidem ſint factura, non ſolũ firma, verũ etiam perſpicua eſſe. Præterea grauius adhuc peccatur, ſi ambiguitas eius generis fuerit, quę magis oppoſitæ parti faueat, ac illi, quę ſuſcipitur defendẽda. Atq; iſta vitia in argumẽtatione modò allata inueniri, cõfido me longè apertiſ- A B ſimè demõſtraturum. Ambiguitas loci, de quo nunc agitur, ex quatuor pẽder vocibus, fidem, primam, damnationem, abierũt poſt ſatanam, Quamobrem neceſſe eſt ad nodum explicandum, vt de his omnib. ordine dicamus. Aduerſarius contendit, fidem hoc loco accipiendam pro voto cœlibatus: cùm tamen ſignificare poſſit conuentionem & pactum initũ cum Eccleſia, quando ſuſcipiebat viduas. Etenim eſt euidentiſsimum, nõ potuiſſe matrimonium cum illo ſtatu conſentire, ad quem accedebant: ſcilicet vt Eccleſiæ inſeruirent, & alerentur ſimul omnes viuendo. Quia mulier nupta, marito ſubdita eſt, & neceſſariò illi parere tenetur, Vi-

dua verò, de qua nunc loquimur, suo ministerio Ecclesiæ obedire debuit in curandis debilibus & infirmis, in informandis & visitandis alijs rudibus cum puellis, tum mulieribus, ad quas ministrorum Ecclesiæ non erat iustus & frequens accessus. Hoc erat præcipuum ministerium viduarum in Ecclesia. Insuper nuptæ cum suis viris habitant, edunt & bibunt, vbi ipsis visum fuerit, & domestica curare debent: quæ omnia cum illa ecclesiastica vocatione pugnabant. Adde, quòd, ne grauaretur Ecclesia, parerat, quemadmodum iubet Apostolus, vt, quæ virum haberet, ab eo aleretur. Non ergo dubium est, eas, quæ sic admittebantur, tantisper dum huiusmodi locum retinerent, à coniugio debuisse abstinere. Sed ne aliqua turpia cõmitterentur, pollicebantur Ecclesiæ, interim se castè ac purè acturas, non voto, quo Deo aliquid offerrẽt: diuina quippe lege omnes astringimur ad purè castéq; viuendum in statu & cõditione, qua pro tempore agimus. Ideo non potuit hoc voto nuncupari: at de honestate vitæ atq; conuersationis externæ pactione conueniebant cum Ecclesia: vt milites cũ authorantur, promissione vel sacramẽto militari ad hęc, vel illa facienda, vel cauenda sese astringunt, quoad fuerint in ea militia: cùm tamen votum nullum edant. Hæc potuit esse fides à viduis data, nimirum vt dum in Ecclesia vèrsarentur, cæ libes temperatè atq; castè viuerent. Quæ ratio facti cùm à voto sit aliena, iam vides, quàm locus iste parum inseruiat voto asserendo. Et iuxta hanc interpretationẽ facilè potest intelligi, quid Paulus emẽdauerit. Cùm iuniores viduæ multis in locis ab Ecclesia reciperentur, forma & rarione, qua diximus, alendæ, otio, copia victus, & insitis iuuenili ętati cupiditatib. extimulabantur, vt fit, ad libidines, neq; sese continebant. Imò, vt ait Apostolus, lasciuiebant contra Christum, h.e. impudicè agebant & scortabantur. Sic. n. Hieronymus κατασπάσωσι est interpretatus ad Geruntiam: & deprehensæ volebant nubere, aiebantq; , se velle recedere à suscepto ministerio: quod per se ipsum non fuisset damnabile. Quis enim illas prohibuisset nubere, quando vellent? Matrimonium. n. à veris Christianis in nullo homine damnabatur. Sed habebant istæ damnationem, non ex eo quòd nubere vellent, sed quia fregerant fidem prius datã, & pactum violârant, quo se pollicitę fuerant in ministerio castè viuere, idq; non præstiterãt, in lasciuiam & scortationem lapsæ. Quæ res & coram hominib. & coram Deo illas damnabiles reddebat. Atq; ideò significanter Paulus dicit eas habuisse iudicium siue damnationem, non quòd nubere vellent, sed quòd primam fidẽ Ecclesiæ datam lasciuiendo & scortando irritã fecissent. Deinceps aliud quoq; malum sæpe addebatur, quòd videlicet nubendo post sathanã ibant, & à Christo deficiebant. Nam impatientes contumelię, quã sibi videbãt inter Christianos iure inustã, quòd essent in scelerib. deprehensæ, viros ducebant, nimirum ethnicos, & à Christo abalienabantur. Quãuis ire post satha-

nam, intelligi possit de impudicitia & scortatione iuniorum viduarũ, quã admittebãt, cum nubere detrectarent, & suis cupiditatib. & libidinib. non essent resistendo. Ideò hac de re non multũ contenderim, cũ vtrunq; posset verbis Apostoli accõmodari. Ne igitur huiusmodi acciderent scandala in Ecclesia, cõstituit Paulus, vt vidua nõ eligatur, nisi sexagenaria, quę penè cõfecta ętate huiusmodi scortationib. & clanculis turpitudinib. haud sit obnoxia. Non quòd interdũ non reperiãtur & anus libidinosissimæ, sed quia est humanæ vitæ cõmunis & visitata ratio, vt in senib. cadaueroſis restinctæ sint flãmæ libidinum. Quòd si in aliquib. non cõtigerit, est necessarium vt illæ anus, quæ sic rabidę sunt in Venerẽ, nec ætate mutantur, in iuuentute fuerint admodũ dissolutę. Quocirca Paulus ductu Spiritus S. non tantũ annorũ numerum sequitur, sed requirit, vt ætate anteacta, Ecclesiastica vidua vno viro cõtenta fuerit, h.e. suo legitimo marito neq; scortationis vel adulterij probro notata fuerit, vtq; habeat vndiq; bonum testimonium, quòd pijs & sanctis operibus ornata vixerit. Hac via scandalis subinde incidentib. iudicauit Apostolus occurrendum, nec vllã Voti mentionem fecit. *Volunt*, inquit, *nubere*: quòd antea quàm deprehenderẽtur in scortationib. noluissent. Placebat. n. illis ea viuẽdi ratio in libertate & commodo victu, cum quib. haberent voluptates etiam carnis cõiunctas Dicunt postea se velle nubere, cùm habeant damnationẽ propter admissam lasciuiam & impudicitiam, quæ contra Christum dicitur, quia in eius ignominiam vergebat, quandoquidẽ ab Ecclesia Christi nomine ac impensis alebantur: & quia Christi Euangelium atq; religio propter earũ contaminatam vitam malè audiebãt, vel ab ipsis ethnicis: quòd obscena & turpia flagitia deprehenderẽtur inter eas, quas maximè decuit purè ac sanctè vixisse. Non ergo hinc habetur, quod illis peccato ascribatur velle nubere, vt clamitat aduersarius, aut quòd damnationẽ habuerint violati causa voti: sed quòd ad matrimoniũ viduæ illæ confugerẽt, vt ad honestã rem & plausibilem: cũ ad eam expetendam per se non mouerentur, vt quib. fuisset gratius, viuere liberè ac otiosè impensis Ecclesię: verùm eò deflectebant, quòd iam damnationẽ haberent & à Deo & ab Ecclesia propter vitæ impuritatem. Arbitror, iam planũ esse, fidem posse significarie hoc loco pactionem externam siue conuentionem cum Ecclesia de cœlibatu & pudica vita, tantisper dum versarẽtur in illo statu. Propterea hæc verba Pauli, vt nihil iuxta hunc sensum ad votum faciant, non est prolixius exequendum. Et cùm viderimus de prima ambiguitate quo ad hanc vocem, Fidem, & allata sit interpretatio plana & facilis, quã ego veriorem iudico: cũq; animaduerterimus, quàm sensus iste aptior sit & cõmodior verbis Apostoli, quàm ille cõmunis & vulgò receptus: iam de altera ambiguitate possemus agere, nisi & alia interpretatio in mentem veniret, quę nõ minus, quàm prior, est verbis Apostoli accommoda. Potest enim fides

acci-

accipi nunc eodem modo, quo ſuperius dixit Apoſtolus eos, qui ſuorum curam non habẽt, & maximè domeſticorum, fidem abnegaſſe, ac infidelibus eſſe deteriores. Quibus verbis declarauit iſtos, etſi non palàm, & publica profeſſione à Chriſtianiſmo deficiant, opere tamẽ & factis exprimere quàm ſit tenuis & inanis ipſorũ fides, vt alibi dixit: *Aiũt ſe noſſe Deum, ſed factis negant.* Ita nunc ſcribit, iſtas viduas, quæ priuſquam ab Eccleſia reciperentur, modeſtæ videbantur & temperatæ, poſtea tamen cum opib. Eccleſiæ paſtæ fuiſſent & ſuſtentatæ, ſe conuertiſſe ad laſciuiam & impuritatẽ, ideoq; damnationem habere, quòd priorem fidem, qua ornatæ videbantur, priuſquã reciperentur ab Eccleſia, irritauerint, nõ ita purè ſanctèq; viuendo, vt prius in alio ſtatu vixerãt, quaſi prioris iuſtitiæ ac ſanctitatis oblitę, priſtinã fidem obliteraũerint. Et ſanè quantum quisq; mortaliter, vt dicitur, peccat, tantum à viua & vera fide recedit. Quo verò ad alteram ambiguitatem dictionis, Primam, vult Smythæus eam vocem referre fidem voti prius datã à viduis, quàm reciperentur. Fingit enim, nõ receptas fuiſſe viduas, niſi prius vouiſſent perpetuam viduitatem: quæ fides, quoniam poſtea non ſeruabatur, dum volebant nubere, violatrices nuncupati voti efficiebantur, atq; adeò damnationem habebant. Alij verò diligentius expendẽtes illam vocem, Primam, inquiunt, eam non intelligi de promiſſione voti poſtremò facti: quòd illa, ſi interceſſiſſet, non eſſet prima, ſed poſtrema fides. Non n. poſt illam aliquã aliam fidem dederãt. Quare cũ appelletur Prima, potius per illam intellexerunt Chriſtianiſmi profeſsionem, quã iſtæ viduæ laſciuientes & nubẽtes extra Chriſtum violabãt, deficiebantq; à religione Chriſtiana, indeq; propterea damnationem habebant, atq; poſt ſatanam ibant. Quamobrem cũ in amphibologia huius ſermonis expoſitio eorum pulchrius quadret, qui primam fidem intelligunt, Chriſtianiſmi profeſsionem in Baptiſmo; quã Smythæi expoſitio de fide prius datã per votũ, quis non videat illum deſtitui ſuo fundamẽto, quo vno ſe putabat inuictè probare in Nouo teſtamento cœlibatus votum fuiſſe conſtabilitum? Nec eſt quòd is iactet, ſe inueniſſe ſuffugium de ſignificatione huius vocis πρῶτος, quia probè ſciuerunt authores illius interpretationis, viri vtiq; eruditionis abſolutiſsimæ, πρῶτον vſurpari quandoq; pro comparatiuo, quemadmodum iſte cõmemorat: nec enim erant ignari Græcæ linguæ, vt eos nunc doceri oporteat ab hoc homine, cui diu eſt in ea lingua laborandum & ſudandum, vt illis poſsit æquari: nam adhuc nõ tenet, niſi fortaſſe prima rudimenta Græci ſermonis: tametſi nunc tam magnũ eius vſum videtur ſibi vindicare. Spectarunt autem clariſsimi viri, quis vſus eius vocis apud Græcos ſit vſitatior: præſertim cũ adiectiui forma ſuo ſubſtantiuo iungitur, vt hîc, cũ dicitur, πρῶτα πάντων. Et animaduerterunt quàm iſte votorũ cultus in Euangelio tãceatur. Ideoq; non exiſtimârunt, in Eccleſias Chriſti tam facilè obrepſiſſe: aq; ob id in ſuam interpretationem diſceſſerunt, admodũ verbis Apoſtoli & ſanæ doctrinæ conſentaneam. Ac illos ego quoq; antea ſum ſecutus, quàm duæ illę interpretationes in mentem venerint, quarũ ab intio memini. Sed fac aliquẽ tibi dare, quod tamen à me nõ impetrabis, primã fidem tam votũ perpetuæ viduitatis, quàm promiſsionem Chriſtiani mi in Baptiſmo, poſſe hoc loco ſignificare, quid obſecro inde lucraberis? nihil ſanè, cũ in hac ambiguitate quis cõſtitutus, nequaquã poſsit gloriari, ſe voti approbationem in Nouo teſtamẽto reperiſſe. atq; hęc de ambiguitate huius vocis, Primam, volo ſatis eſſe. Vidimus n. quòd ſi expoſitio Lutheri & Caluini (etenim ij ſunt iſti⁹ interpretationis authores) attẽtius cõſideretur, nõ minus quàm expoſitio de Voto poteſt ad locum Apoſtoli accõmodari: imò eſt probabilior. Quid verò ego per primã fidem accipiam, ſatis patet in prima & ſecũda expoſitione, quas cęteris veriſimiliores & faciliores iudicaui. Iam tertia ſe offert ambiguitas de voce hac Cõdemnationem. Qui voto cœlibatus impenſius fauent quàm legitimo matrimonio, exiſtimant has viduas iudiciũ corã Deo ſubire, quòd relicto inſtituto voti antea ſuſcepto, iam nubere conſtituerint, adeoq; grauiter peccare, vt niſi reſipiſcant, & initum coniugium deſerãt, omnino cũ diabolo ſint damnandæ. At alij videntes matrimonium rem ſanctam in omnib. & Chriſti teſtimonio atq; Apoſtoli vinculum eius indiſſolubile, niſi adulteriũ interceſſerit, aut diſceſſus alterius coniugis, voto continẽtiæ vidualis tantũ tribuere nolunt, cùm ſit res humanitus inuenta, vt matrimonium contra Chriſti & Apoſtoli ſententiam reſcindat, cũ voluntas diuina omnib. humanis inuentionib. præferenda ſit. Cogitãt præterea, præceptum Apoſtoli eſſe, vt nubant, qui non cõtinent, quòd ſit melius nubere quàm vri. Vnde tametſi concedãt, illas viduas, quæ ſuſcipiebantur tum tẽporis in Eccleſia, de cœlibatu & honeſtate conuerſationis peſpigiſſe, aut, ſicut volunt aduerſarij, vouiſſe, non tamen ſi ad nuptias tranſiuiſſent, inde ſequi, à Deo fuiſſe damnãdas. Verùm, aiunt, κρίμα qua voce Paulus modò vtitur, ad homines eſſe referendum: quòd nempe iam ab illis inconſtantes haberentur, & nomine leuitatis à plerisque malè audirẽt, vt quæ mutauerint propoſitum, quod adeò ſanctum & plauſibile videbatur. Cumq; hoc frequenter accideret allegendo viduas iuniores, vt in Eccleſijs mos inoleſcebat, Paulus conatur occurrere, ne iſtæ offenſiones atque perturbationes in Eccleſia vſuenirent. Nam iſtas fidelium ſugillationes, viduæ, quæ ſic ob infirmitatem propoſitum mutauerãt nõ ferentes, à Chriſto alienabantur, & poſt ſatanam paulatim abibant. Quemadmodum Smythæus, quum erronea docuerit, & ad Palinodiam canendam fuerit bis adactus, vt poſtremò tertio adigendus, atque videret dogmata ſua paſsim damnari, hanc non ferens ignominiam, non ſolùm ex Anglia diſceſsit, ſed poſt ſatanam & Antichriſtum abijt, cuius nihilomi-

nus tyrannidem antea multis modis abiuraue-
rat,vel ſe abiuraſſe finxerat. Quum igitur illa
vox κέλευσις poſsit vtroq; referri, tam ad Deum,
quàm ad homines, etiam hîc impeditur meus
faber,ne probet, vt perpetuò clamitat, per vo-
tum cœlibatus nõ licere iuxta verbum Dei ad
nuptias tranſire,cùm de hominum iudicio hæc
Apoſtoli verba,quæ prætẽdit,intelligi poſsint:
nec ſi nubant, propriè votum dicantur violaſ-
ſe,quum potius emendauerint ſtultam promiſ
ſionem. Nihil enim Deo polliceri debemus, de
quo nobis compertum non ſit, quòd eo dele-
ctetur. At ei non placere promiſsiones perpe-
tui cœlibatus,infrà ſuo loco declarabitur. Am-
phibologiam verò hanc iſtius vocis κέλευσις pro-
bè vidit & ſapientiſsimè tractauit Martinus
Bucerus contra Latomum, pius & doctus vir
& nunquã pro ſuo merito laudatus, cuius obi-
tu hoc anno 1551. tantam iacturam fecit Chri
ſti Eccleſia, vt ſit eam in dies magis ac magis
proculdubio ſenſura. Modò ſupereſt,vt de po-
ſtrema ambiguitate diſpiciamus, ſcilicet quid
ſit abire poſt ſatanam. Putat Smythæus,idem
eſſe quòd à voto deſciſcere: adeoq; furit & inſa
nit in matrimonia,quæ contrahuntur poſt vo-
tum nuncupatum, vt ea conſilia ſatanica non
vereatur appellare. A qua ſententia quum ho-
mines pij iuxtaq; doctiſsimi abhorreant, poſt
ſatanam ire interpretãtur, à fide Chriſti & pie-
tate,quam per Baptiſmum viduæ profeſſæ fue
rant,reſilire: quod fiebat ratione iam ſuperius
expoſita. Vt verò ego ſentio, abire poſt ſata-
nam à Paulo ſumitur pro eo, quod eſt impurè
viuere atque ſcortari ſub prætextu continen-
tiæ vidualis. Neq; à me, quum de his agerem,
quicquid iſte dicat,vel Alexandri,vel Hymenęi
facta eſt vlla mentio, quoad præſentem loquu-
tionem: nec legimus de illis hæc verba apud
Apoſtolum, quòd poſt ſatanam abierint. Eos
quidem ait ad Timotheum prima epiſtola ca-
pite primo,à fide naufragium feciſſe: quem lo-
cum adduxi, vt oſtenderem, fidem poſſe intel-
ligi profeſsionem in Baptiſmo, quemadmodũ
ibi Paulus de Hymenæo & Alexandro accepit.
Habet itaque locus iſte ad Timotheum,de quo
modò loquimur, multas ambiguitates, vt iam
probatum eſt: quamuis facillimam viam atq;
expeditam illum interpretandi abſque offen-
ſione tradiderim. Quæ ſi non placet Smythęo,
vt eſt corrupti & peruerſi iudicij, ſaltem intel-
ligat, ſe ad ſuam ſententiam confirmandam lo-
cum adduxiſſe, qui multis alijs modis poſsit
accipi,atque ab illo exponatur, & quiſque mo-
dus longè veriſimilior eſt eius interpretatione,
ſi ab antecedentibus,conſequentibus & alijs A-
poſtoli ſcriptis ac verbis ipſius mens ac ſenſus
indagatus fuerit: non autem vel à patribus, vel
à concilijs,vel à recepta conſuetudine: quibus
omnib. quantum tribuendum ſit, quando non
ſolidè confirmant,& probant ex ſcripturis,quę
docent, fuſius à me dicetur ſuo loco. Docui
præterea,vt iſte refert, nec inficias eo, hunc lo-
cum Pauli voto longè manifeſtiſsimè aduerſa-
ri, tantùm abeſſe, vt ab eo poſsit cõſtitui. Imò
hunc vnum locum ſatis eſſe ad iſtam contro-
uerſiam de votis facilè dirimendam, ſi modò ę-
quos nacti eſſemus aduerſarios. Dicit enim, ſe
velle iuniores viduas nubere, & filios procrea
re,ne videlicet ſub ſpecie ac ſtatu cœlibatus tur
piter labantur, & poſt ſatanam abeant: vult i-
tem vt allegatur vidua nõ minor ſexagenaria:
quoniam iuniores facilè damnationem incur-
runt, quòd violent fidem prius datam laſciui-
endo & ſcortando. Hæc oſtendunt clariſsimè, *Quæ ratione Paulus voti prohibeat.*
Paulum auerſari cœlibatus votum propter ma
gnum periculum lapſus atque ſcandali. Quòd
ſi votum ei probaretur, alia via procuraſſet his
malis occurri,quàm reiectione iuniorũ. Quin
& alibi dicit, hoc eſt, ad Corinthios priore, ſe
nolle cuipiam laqueum injcere: quibus ver-
bis oſtendit, cœlibatum, quando ſeruatur,libe-
rum eſſe retinendum, ne quis ad ipſum coga-
tur vltrà quàm poſsit. Verùm huic loco, de
quo ad Timotheum ſcribit, hic noſter ſe arbi-
tratur ſatisfeciſſe, quòd fingat aliud eſſe ad vo-
tum cœlibatus admitti, & aliud ad Eccleſiæ a-
limoniam percipiendam. Et definit, ſexagena-
rias tantùm ex decreto Apoſtoli aſciſci potuiſ-
ſe,vt opibus Eccleſiæ alerentur: iunioribus au
tem non obſtare, quin votum perpetuæ conti-
nentiæ nuncupẽt. Nec animaduertit, Paulum
non tantùm iuniores viduas reijcere ab Eccle-
ſiæ ſuſtentatione,verùm etiam à neceſsitate cœ
libatus. Quoniam, inquit, primã fidem irritam
faciunt, cum laſciuierint contra Chriſtũ. Sed a-
lijs, inquit noſter, in locis illas Paulus ad vo-
uendũ maximè allicit: præſertim ad Corin ca.
7. & Chriſtus ad idem prouocat,cùm de his eu-
nuchis loquitur, qui ſe propter regnũ cœlorũ
caſtrârunt: quomodo igitur fieri poteſt,vt mo-
dò votũ cœlibatus nuncupari prohibeat? Primũ
te ſcire velim diſtinctionem,quã confinxi-
ſti de admittendis viduis vel ad eccleſiaſticã ali
moniam, vel ad votũ, nihilo facere cauſam tuã
meliorem. Quoniam ego etiam concedo,Pau-
lum hîc non loqui de voto cœlibatus, cùm iu-
niores eſſe dicit reijciendas. Nam hoc genus
voti,vt ſæpe dixi,ei fuit ignotum. Do itaq;,illũ
de viduis tantũ agere, quæ ſuſtentandæ recipi-
antur ab Eccleſia. Sed quia illæ admittebãtur
ea conuentione ſeu pacto,vt cœlibes & pudicæ
viuerent, ideò cũ velit Apoſtolus, eas non eſſe
minoris quàm ſexagenarias propter ætatis lu-
bricitatẽ,cõficitur,ipſum nolle iuniores ad has
conditiones adigi,quib. auocentur à matrimo-
nio. Quare velim te diligẽter cauſam expende-
re,propter quã reijciat iuniores. Dices mihi, ne
grauetur Eccleſia. Non me latet,Paulum huius
quoq; rei meminiſſe inferiọ, vt ſuaderet fidelib.
qui haberẽt aliquas viduas ad ſe attinentes, vt
illas ipſi alerent,nec onerarent Eccleſiam. Quę
ſententia eius accipienda eſt in vniuerſum,tam
de iunioribꝰ.quàm de grandioribꝰ.natu,atq; per
hoc intelligi voluit, ſolùm deſtitutas & deſola-
tas fuiſſe recipiendas. At cũ de ætate prius age-
ret,ac prohiberet,minorẽ ſexagenaria recipi,&
iuberet reijci iuniores, hanc profectò aſsignat
cauſam,quòd laſciuiant cõtra Chriſtũ: deinde
quòd

Abire poſt ſatanam, quid.

quòd occasionem dent obtrectãdi aduersario, & post satanam abeant. Cùm itaq; respiciat iuuentutem & ætatẽ non capacem nisi raro, cœlibatus & istas ascribat causas, eædem retinendæ sunt nobis, neq; patiendũ, vt iuniores necessitatem sibi vllam cœlibatus imponant. Cùm autẽ sexagenarię fuerint, permittãt eis tunc de cœlibatu & pudicitia pacisci cũ Ecclesia, non quidẽ voto, sed conuentione atq; pacto inito pro eo tempore, quo in monasterio visum fuerit perseuerare. quod fieri vides in collegijs studiosorũ Angliæ, quib. non licet amplius in societate manere, si vxores duxerint, cũ tamẽ ex voto se matrimonio non abdicẽt. Ex his itaq; potes liquidò videre, vt distinctio tua sit superuacanea.

Quòd enim dicit Paulus, ne iuniores ab Ecclesia cooptentur alendæ propter lapsus periculũ: ego itẽ dico de ijsdẽ iuniorib. ne ad votum admittantur ob lapsus periculum. Quòd si causa quã Paulus assignat de suscipiendis ad alimoniam vera est, & de admittendis ad votũ debet valere, cũ paris eiusdẽq; periculi sit vtrinq; ratio. Deinde libenter abs te discerem, num virgines, quæ in monasterijs hodie recipiuntur, ab Ecclesia recipiantur. Certè illæ quoq; se dicũt ad Ecclesiam transire, vt ibi simul viuant, & Ecclesiæ bonis alantur. Et quæ hodie sunt monasteria virginũ, finge fuisse antiquitùs viduarum societates, quoad cõditiones, quarũ iam memini, vt pertineãt ad ecclesiam, simul viuant, & de bonis Ecclesię alantur: quib. adde, vt sint absq; cõiugio. Vnde quod vni parti attribuitur, vt iuuentus caueatur vsq; ad annũ sexagesimũ, alteri quoq; oportet conuenire. Atq; vt rem dilucidius intelligas, hæc Apostolũ in isto loco ad Timoth animaduerto de viduis cõstituere: sexagenaria, & nõ iunior, quę verè sit desolata, & bonum testimoniũ habeat, ab Ecclesia recipiatur alẽda, pudicè viuat & cœlebs, quãdiu est in suo ministerio. Iuniores, quæ se periclitari sentiunt de pudicitia, nubãt. Nam id & vult, & iubet Apostolus. Quę deniq; sunt iuniores, & citra periculum possunt viduæ manere, ac id facere volunt, à suis alantur & iuuentur, ne oneretur Ecclesia, quod nõ solùm est, vt diximus, intelligendum quoad iuniores, verũetiã quo ad grandiores natu. Sed fac iuniorẽ esse quę velit, & possit in viduitate manere, si nõ habeat suos, à quib. alatur, cùm ab Ecclesia per ætatem recipi nõ possit, quid erit ei faciendum? De hoc in prẽsentia nil traditur. Sed ad Thessal. in vniuersum cõsuluit Paulus omnib. vt manib. laborent, quò nõ solũ ipsi viuãt, sed etiã habeant, vnde subueniãt egenis. Quod istis viduis, de quib. nũc agimus, optimè cõuenit, cùm ætate sint integræ, atq; ocium tanquã præsentẽ aliquam pestẽ vitare debeant. Hæc est sana doctrina diui Apostoli, quã nec viduis, nec vlli mortalium cœlibatus votũ suasit, imò potius ipsum dilucidè simè prohibuit. Et nequaquã hîc fit, vt Smythæus arbitratur, qui semper argumẽta fabricat sophistica, Paulũ secum pugnare, aut cũ Christo. Nam ad Corin. adhortatur ad cœlibatũ, sed eos qui possunt, & nunquã cuiquã hominũ generi votum obtrusit. Christus itẽ Eunuchos laudauit, qui se propter regnum cœlorũ castrãrunt, abstinendo à matrimonio: sed vt vouerent, nusquã suasit. Verùm iste homo votũ significata pro libidine mutat, & si Paulus dicat de vidua, bonum esse vt sic maneat, eũ inquit suadere, vt voueat: quia vouere & sic manere, illi est idẽ. Si Dominus tradat esse, qui seipsos castrẽt, ille statim dicit, castrare est vouere. Si scribat itẽ Apostolus, velim omnes esse sicut meipsum, iste subijcit, eum velle omnes vouere. Atq; ita cũ ipsi omnia significent quicquid libuerit, ex quolibet colligit, quæcunq; sibi videntur. Nõ igitur ab aduersarijs iste locus deberet adduci, quin eos impudentię ac peruicaciæ suæ puderet. Volunt. n. ex eo persuadere, votũ cœlibatus, & quidẽ à iunioribus nuncupatũ, pium, sanctum, ac in Ecclesia retinendum, cũ hîc Paulus nolit minorẽ sexagenaria ob lapsus periculũ recipi, & dicat se velle iuniores viduas nubere, ac filios procreare. Quæ verba satis indicãt, eum nolle in Ecclesia Christi talia vota nuncupari, quę periculo, cuius meminit, homines reddãt expositos. Tãtum itaq; abest, vt probet huiusmodi vota, vt illa omnino fieri vetet. Dicit Smyth. me putare Apostolum, quãdo sic mandat viduis iuniorib. de illis agere, quæ prius vouerãt. Quę sanè illum intẽperię agitant? Quid ego istud existimare potui, qui Paulum dicam votũ cœlibatus ignorasse? De illis eũ loqui affirmo, quæ licet decreuerint in viduitate agere, postea tamẽ cùm sint adhuc iuuenes, animaduertunt se in periculo turpis alicuius lapsus versari. His sanè mandat, vt nubãt, neq; patitur vt à connubio vlla necessitate humanitus imposita reuocẽtur. Sed vos qui adeò vota iam nuncupata propugnatis, dicite obsecro, iuniores viduas ab ecclesiæ electione reijciens Apostolus, quò allegat? Nũ ad monasterium? si vruntur, aitne, ieiunent, orent, aut dormiant humi? Nil tale proponit: *volo*, inquit, *eas nubere, ac filios procreare*. Sic impuritati occurrit, & nullum genus viduarũ excepit. Nõ enim audis eum dicere, quæ non vouerint: sed in vniuersum sua mandata promulgat. At Smytheus vt veteranum Papæ militẽ decet, eius dogmata vel contra sacras literas propugnare non veretur. Ideoq; putat, vocare ad matrimoniũ, esse vocare ad carnis inquinamenta & ad libidines. Neq; videre potest ibi esse vocationẽ Christiano dignam, crucem à Deo impositam. Siquidẽ tribulationem carnis habent huiusmodi, sanctã liberorum educationẽ, piam œconomiam. Quibus in rebus homines ad cœlibatum nõ vocati possunt Deo quàm optimè placere. Satisq; prodit homo impurus quid sentiat de matrimonio, quando ipsum appellare audet spurcissimam scortationem, dum ab his initur qui votum ediderint. Scriptura è diuerso thorũ coniugalem sanctum in omnib. appellat. Augustinus quoque licet ad votum cœlibatus nimium esset propensus, longè aliter loquitur: vt qui dicat, matrimonium etiam post votum initum, firmum esse, neque velit appellari adulterium, vel incestum, vt postea demonstrabitur. Atque

hoc est, quòd ego illum citauì, cùm hęc publicè docerem, non vt negarem, eum cum alijs hæc Pauli verba intelligere de voto. Quis obsecrò id me vnquàm inficiatum esse audiuit? Quamobrẽ tu qui persæpe nõ rectè intelligis, & sæpius, quę bene percepisti, malitiosè reponis, accusandus es & stupiditatis & perfidiæ, non ego falsi. Verùm Augustini locum producam, cùm opportunum fuerit, atque tum videbimus an falsò, an verè citauerim. Nunc verò adhuc Smythæus veritati reluctatur, & ait, Apostolum nõ vocare iuniores viduas ad matrimonium, nisi vt non scortentur. Vult enim illas potius nubere, quàm impurè agere. Quasi nos aliter dicamus: cùm idem prorsus censeamus: & ea de causa votum cœlibatus non admittimus, tum quòd in sacris literis non habeatur, neque par sit, vt Dei cultum ex nostro capite fingamus, tum quia nolumus admitti stupra, neque infirmos homines, tum mares tum fœminas in periculo versari, de quo Apostolus admonet. Qui castè ac cœlibes viuere possunt, sua per nos vtantur felicitate, sese bonis operibus interim exercendo. Verùm se liberos conseruent, vt si quandoque opus habuerint, Apostoli præceptum de matrimonio contrahendo liberè sequantur: qui quidem voluisset omnes esse, vt ipse fuit: sed quia id non omnium, imò paucorum esse vidit, ideò scripsit, volo eas nubere & filios procreare, ne scortentur. Existimo iam satis liquere, Smythæum & cohortem papisticam, quando locum hunc ad votum cœlibatus confirmandum producunt, nil pro se habere aliud quàm Patrum interpretationes. At non quid Patres dixerint in dogmate statuendo spectandum est, sed quid sacræ literę testentur. De Patrum autem sententia, præsertim hac in re, quid sit existimandum, inferius ostendetur. Interim tamen satis mirari non possum, cur iste dicat, nos ita scribendo aut loquendo propinare nostrã inscitiam doctis ridendam, quasi difficile fuerit videre quid Patres dixerint, & vni Smythæo licuerit adire Corinthum. Quis non eum iudicet vel hoc ipso nomine doctissimũ, quòd adeò studeat Patrum sententias congerere, vt negligat interim expendere, an cum sacris literis congruant? Hæc est noua sapientia, qua se venditat, Patrum dicta, prout ei sunt obuia, ἰαχυολέγειν, regula, sensuq; diuinæ scripturæ procul submoto: & cũ iudicio penitus careat, de aliorum eruditione vt seueriſsimus censor statuit, affirmat quàm sanctissimè, Paulum isto loco, quem tractauimus, de voto agere. Interrogo, quare? Quoniam, inquit, de votis agit. Hoc ego dico, hoc dicunt alij: nónne satis est? Esset tanè, si theologia non verbo Dei, sed hominum scriptis inniteretur. Sed quia semper ad verbum Dei eam facere analysin oportet, ideò quod attulisti, non est satis. Vnde quia locus iam allatus ambiguus est, & potius contra te facit, si rectè fuerit expensus, ideo te hortor, vt alium quempiam producas & firmũ & perspicuum, à quo in Nouo testamento votum approbetur, quod est, vt vos prædicatis, tãtus Dei cultus. Quod si nõ feceris, aut scripturam maximæ negligentiæ accusabis, quæ tantũ Dei cultum in Nouo Testamento Ecclesiam cælauerit, aut veritati cedes, teque pigebit, quòd eam tam stultè oppugnaueris.

ASSERTIO.

NVNC verò tria sunt, quæ in ista quæstione iudico esse inquirenda. Primum, an lege veterum ceremoniarum iam per Christum abrogata, liceat Christianis hominibus quippiam vouere, ac præsertim cœlibatum & monasticas obseruationes. *Partitio causæ.* Alterum, si contigerit nonnullos vota huiusmodi nuncupasse, an rescindi queant. Postremò, an Ecclesiarum præsules iustè requirant & admittant cœlibatus vota, quando ministros ordinant, & ab his qui vouerint, obseruationem promissionis exigant. Hæc tria si examinata & excussa diligenter fuerint, nihil ambigui supererit in disputatione, quam tractandam suscipimus. Quo itaque ad primum consentaneum est, quando libertate Christiana fruimur, & sub Euangelij gratia & luce viuimus, ritum ceremoniamque vouendi omittendam esse: quandoquidem intelligimus, quàm Deo toti simus obstricti: atque propterea sponte flagrantiq́ue animo ac desiderio cuncta nobis esse facienda, quæcunque ad illius honorem promouendum & amplificandum viderimus conducere: Christumq́ue iam non ignoramus victimam singularem, & donum vnicum esse datum, quo Deus placatur & reconciliatur nostro generi. Ad quæ omnia cognoscenda, vt pædagogia quædam antiquorum vota pro suo tempore vtilia fuerunt. Quare vt aliæ ceremoniæ, quæ variè ac multipliciter ista & consimilia docebant, per Christum sublatæ sunt, ita & vouendi ratio debet facessere. Quemadmodum non opus est, vt victimas, primitias, aut donaria, de more veteri amplius voueamus, cùm Christus, qui per hæc adumbrabatur, aduenerit: ita non est necesse, vt aliquam vitæ rationem more Nazaræorum voto nuncupemus. Nam omnis vitæ nostræ institutum apertissimè intelligimus Deo deberi. Præcesserunt iam vmbræ: solida & vera doctrina modò affulsit: propterea non decet, vt quæ per Christum sunt abolita, denuò reuocemus. Scriptura manifestè prædicat, Deum non esse colendum, nisi ad eius præscriptum. Quare Vorum *Vota quæ post Christum sint omittenda.*

licet

licet antiquitus potuerit vsui esse, cùm ad legis ceremonias pertineret, modò explosum est, quòd literis Noui Testamenti non commendetur, neque à Christo, neque ab Apostolis propositum nobis vnquam fuerit. Nam quæ ad cultum Dei attinent ætate nostra, vsque ad seculi finem Apostolicæ literæ nobis tradiderunt. Quibus addas, cœlibatum & monachorum vota pugnare quàm manifestissimè cum verbo Dei. Idcirco in eos, qui se votis huiusmodi astringunt, iure conuenit, quod Matthæi decimoquinto scribitur: *Mandatum Dei fecistis irritum propter traditiones vestras.* Et sanè contra cœlibatus votum acriter pugnat Paulus priore ad Corinthios, dicendo: *quisque suam habeat, & quæque suum propter scortationem: Melius est nubere quàm vri: qui non continent, nubant: si nupserit virgo, non peccauit:* & cosimilia. Quo ad alia monastica vota, satis illis aduersatur in eodem capite, scribens: *Nolite serui hominum effici, precio enim empti estis.* Et ad Galatas primo deterret fideles ab infirmis & egenis mundi elementis: id quod etiam secundo ad Colossenses facit, vbi mundi elementa esse ostendit, *Ne tetigeris, ne attrectaueris, & ne gustaueris*: quæ si ad ceremonias veteris legis referantur, votum manifestè interdicunt, cùm ad antiquas ceremonias, veluti diximus, pertineat. Sin verò per ea verba significauit Paulus obseruationes & cultus ab hominibus inuentos, vota monachorum apertissimè reprehenduntur. Certus quippe illorum vestitus, ciborum discrimina, nomina diuersorum ordinum, & infiniti alij superstitiosi ritus, qui vigent in monasterijs, & pro Dei cultibus retinentur, quomodo non sunt infirma & egena elementa mundi, cùm nullo testimonio sacrarum literarum, sed hominibus duntaxat authoribus obtinuerint? Neque dubitandum est, quando sancta Dei κτίσματα prohibentur illis votis, & quidem in perpetuum, ea diuinis institutis aduersari. Ad tempus quidem ab his abstinere, quæ Deus condidit, licet iustis de causis. At id vouere, vt in perpetuum ab illis temperes, minimè potest ex Deo esse, cùm sis ignarus, an semper hoc velit à te fieri. Lex antiquitus vota non habuit æterna, sed ad tempus. Vouebant quippe aliquando certas oblationes & abstinentias à verbo Domini sibi commendatas, & certum vitæ genus ad aliquot menses aut annos. Verùm in totam vitam nihil, quod ego sciam, leguntur vouisse. Quod sanè de communi lege atque consuetudine intelligas: nam peculiari mandato Simson debuit perpetuò esse Nazaræus. Idemque dicendum est de alijs si qui occurrerint in sacris literis, ita fecisse. Proinde ritus iste vouendi partim Apostolorum doctrina & exemplo nusquam commendatur: partim contra illorum sermones & scripta euidentissimè pugnat. Præterea, quotquot fidem Christi profitemur, eo ipso toti sumus illi obstricti. Quid igitur voto nos rursus ei tradimus? Ridiculus porrò haberetur filius, qui tabulis obsignatis, atque testibus vellet sese patriæ potestati subdere. Illum profectò pater, si saperet, ita moneret. Absque contractu vel vlla stipulatione, naturæ ius & Dei authoritas te mihi subiecit: quare pareas, & filij officium sedulò præstes, ad quod faciendum etiam atque etiam te adhortor: & ni feceris, quæ filium decet erga parentes, in te coercendo & castigando absque tabulis & testibus patria vtar potestate. Idcircò, qui vota nuncupant, aut se fateantur non esse Dei, aut intelligãt, quàm vouendo stultè agant, dum quemadmodum dicitur, actum agunt. Lege cauit Deus, ne Israelitæ primogenita ex pecoribus sibi vouerent, non alia sanè ratione, nisi quòd iure sibi debebantur. Propterea cùm nos iam Christi membra simus, & Deo omnibus modis obstricti, non minus quàm primogenita antiquitùs erant, non est permittendum vt voueamus. Et libenter ab istis velim scire, an ea vouenda esse credant, quæ Deus fieri præcepit, an illa quæ mandatis eius aduersantur. Scio, respondebunt, neutra esse vouenda. Nam Dei præcepta, velimus, nolimus, præstanda sunt, & si contraria diuinis legibus nos voueremus esse facturos, voluntati eius repugnaremus: quod genus conatus omnino est impium. Sic egerunt, qui vouerant, se Paulum interfecturos. Ita Herodes iureiurando promisit, & præstitit cædem Iohannis Baptistæ. Verùm adiaphora & media constituerunt esse vouenda. Quos tamen nosse oportuit, quòd tametsi multa sint idcircò adiaphora, quia non omnibus, neque omni tempore conueniunt, quibus item possunt homines tam benè quàm malè vti, attamen illa eadem cùm vel expetuntur, vel repudiantur, nunquam sunt ei, qui delegit, indifferentia: quoniam tunc aut promouent Dei gloriam, aut saluti vel proximorum, vel propriæ conducunt, aut secùs. Ideoque si gloriæ Dei aut saluti vel aliorum, vel tuæ repugnant, sunt omnino refugienda: sin verò hæc iuuent & promoueant, expetenda, cùm ea præstare potueris: modò velis Dei mandatum saluum, quo illum oportet te toto corde, tota anima, omnibusque viribus diligere, atque proximum tuum tanquam teipsum. Qui enim dilectio tua, quemadmodum lex requirit, erga Deum solida constaret, si dum potes eius honorem ampliare, nolis? quæ tua in proximum charitas, illa refugere, quæ ad salutem ei sunt proficua? Debuerant etiam isti animaduertere, vouendo Christi de-

cretis & Apostolorum, quā parum deferant. Certè ea hoc illorum superstitioso cultu immutantur & peruertuntur. Nam Christus aiebat discipulis, cùm sermo incidisset de matrimonio nō cōtrahendo, Non omnes capiunt verbum istud, qui potest capere, capiat. Et Paulus, De virginib. Domini præceptum non habeo. Item, non hoc dico, vt cuiq; laqueū inijciam. Quæ oracula satis ostendunt, voluisse Dei spiritū, vt cuiq. semper liberum esset, vel cœlibem viuere, vel ad matrimonium se recipere: quā eius voluntatem se voto obstringentes minimè sequuntur. Sentiunt enim, & quàm obstinatissimè defendunt, post votum cœlibatus editum à matrimonio abstinendum esse. Atque hoc pacto libertas imminuitur, quam in sua cœlesti republica, quæ est Ecclesia, Christus extare voluit. Quis ignorat, Orbis monarchas, licet caro sint & sanguis, niti pro viribus, vt leges à se latæ constantes habeantur, neque liceat cuiquam ciuium pro suo arbitratu illas refigere. Quòd si quis tentauerit, in eum, tanquam reipublicæ perturbatorem & seditiosum, animaduertitur. Et nos, cùm Christus dicat, qui potest capere, capiat, cogemus aliquos in cœlibatu viuere, hoc prætextu, quòd vouerint? Cúmque Paulus dicat, se præceptum Domini non habere, quomodo nos inducimus votum, quó iam vertatur in præceptum, quod antea liberum fuit & integrum? Cùm ille nolit inijcere laqueum, nos per votum extorquebimus cœlibem vitam ab his, qui aduruntur? Et si statuit ille, virginem minimè peccare, si nupserit, nos eam voti causa ream accersemus vel sacrilegij, vel incestus, si matrimonium iniuerit? Incredibilis est hæc hominum arrogantia, imò intolerabilis, qua verbum Dei nituntur corrumpere. Sed agant quicquid voluerint, manebit in æternum, & suo robore atque stabilitate omnes creaturas quum in cœlo, tum in terra vincet. Sed ista quid miramur, quum etiam ausi sint hypocritæ atque sophistæ in consilia & arbitrariam opinionem, Domini præcepta vertere? illa, inquam, quæ Matth. 6. habentur de inimicorum dilectione. Quippe docent, consilium tantùm esse, non autem ad salutem necessarium, vt inimicis benefaciamus, erga eos simus beneuoli, & signis atque indicijs amici animi voluntatem demonstremus. Quid hoc aliud est, quàm dignitatem & locum Dei vsurpare? imò contra eius voluntatem omnibus modis pugnare. Si quæ præceperit, libera fecerimus: & vicissim constituerimus ad salutem necessaria, quæ libera & integra ille nobis reliquit? Quòd si eos roges, cur tandem votis ita se obligent, perfectionem prætexunt, atque ideò se ascíscere sibi ista consilia necessariò seruanda per votum, quòd præstantiora sint, atque perfectiora his mandatis, quæ Deus vulgò cunctis præcepit. At huic sententiæ vt subscribendum non sit, ita considèremus. Quis vnquam fas esse dixerit, existimare, Deum humanę perfectionis minus cupidum atque studiosum, quàm ipsos homines? Mihi certè non videtur, quum in cæteris artificibus longè diuersum appareat. Plus enim quisque illorum solicitus est, vt suum opus absolutum reddatur, quàm ipsa opera, si sensum haberent, per sese curarent. Ideoque si primæ partes Dei sunt in procuranda hominis perfectione, neque latet eum, quàm simus hebeti iudicio, quomodo asserimus ipsum, ea quæ minus perfecta sunt, præcepisse, & quæ hominem valeant absolutum reddere, ea tantummodò consuluisse? quum potius diuersum ratio exigat: nempe, vt quæ minus perfecta sunt, nobis arbitraria relinquantur: quæ verò integrum & perfectum reddunt hominem, iure legis & vi præcepti exigantur. Alioquin si homines relicti sibi ipsis necessaria sibi faciunt, quæ viderint optima esse, licet ea Deus non præceperit, sapientius, quàm Deus, videbuntur sibi prospicere. Atque hinc Spiritui Sancto luculenta fiet iniuria, si præter literas ab eo nobis consignatas hominis absolutionem constituerimus. Is porrò quum nobis frequenter præcipiat, vt simus perfecti, perfectionem haud nobis inuidit, neque liberam esse voluit. Sed videant, qui hæc dicunt, quam sibi perfectionem fingant, quæ nobis à lege Dei minimè præscribatur. Nihil certè boni comminisci possumus, nihil sancti, nihil iusti, nihil honesti excogitare, quod per legem non sit præstandum, & si non speciali, saltem vniuersali, qua sumus iussi diligere Deum toto corde, tota anima, &c. & ne concupiscas. Expendant non oscitanter vtrum sit præstantius, cœlibem esse, an ab omni labe cupiditatis animum seruare mundum: vtrum denique sit perfectius carere vxore, an Deum viribus omnibus diligere, ita, vt in nobis cogitatio nulla, nullus motus, nullum opus deprehendatur, quod amore Dei non sit accensum? Non est difficile iudicatu, quod quærimus. Permultos enim videas cœlibes agere, at qui nullo pacto concupiscant, quique omnibus in rebus Deum toto pectore, toto animo, & omnibus facultatibus diligant, nullos in hac vita dare poteris. Facilè est intelligere, cœlibatum, & coniugium genera esse vitæ, atque in vtroque illorum posse habere locum & summam fidem, & summam charitatem, quamuis in vno facilius quàm in altero, prout homines Dei donis, vel ad

hoc

hoc, vel ad illud vitæ genus, magis instructi fuerint. Et quum vitæ genera libera debeant cuique relinqui, quòd non omnibus eadem conueniant, neque omni tempore sint vtilia, vota demonstrantur aduersus hanc honestissimam rationem inducta. Nam vbi semel nuncupata fuerint, impediuntur homines, vt aduersarij volunt, ne quod magis ad honorem Dei, & proximorum ædificationem conducere viderint, expetere valeant. Idque non est prætereundum, neque Christum, neque Paulum tribuisse vnquam virginitati, seu cœlibatui ex operis præstantia, vel dignitate conditionis, largiorem spiritum, opulentiorem gratiam, vel remissionem peccatorum copiosiorem. Tantùm dixerunt, facilitatem quandam & solutionem à multis curis atque molestijs huius vitæ haberi extra coniugium. Verùm hinc non est colligendum, salutaria dona Dei, quæ recensuimus, à cœlibatu vel virginitate pendere: haud ita res habet. Nam si hæc veræ causæ illarum præclarissimarum rerum essent, eædem non contingerent his, qui iuncti sunt matrimonio, & necesse esset, coniuges vel illis prorsus carere, vel tanta copia, vt virgines & cœlibes nunquam, habere. Quod experientia longè diuersum esse testatur: quum permulti reperiantur coniuges, fide atque charitate præstantiores, quàm sint infiniti cœlibes & virgines, quique saltem illorum sanctitatem & veras virtutes æquant. Quod facilè videri potest ex Antonij vita, quam beatus Athanasius Græcè scripsit, & diuus Hieronymus Latinam fecit: qua narratur, diuina suggestione Antonio significatum, Euangelica perfectione atque gratia parem ei fuisse coriarium quendam Alexandrinum coniugatum, cœlibi, vulgarem ciuem & coriarium, monacho, imò patri monachorum innumerabilium. Nec secus Paphnutio monacho præclarissimo contigit. Æquatus enim est, quoad Christianam sanctitatem, duabus mulierculis, quarum vtraque vxor fuit. Proinde satis apparet, virginitatem aut cœlibatum per se ipsa partes non esse diuini cultus, neque præstantiæ aut virtutis quicquam addere. Sed interim fingamus, vt isti volunt, aliquid in eo absolutius & perfectius inueniri, quàm in coniugio. Saltem id velint, nolint, cogentur fateri, prudentium hominum esse, priusquam ad altiora conscendant, vendicare sibi, quæ sunt inferiora: alioquin si contendant ad sublimia, relictis gradibus medijs, aut nihil efficient, aut infelici casu grauissimè lædentur. Seruent ergo prius mandata, deinde si quà viderint perfectiora vltra Dei legem, ad ea nitantur. Quid, malum, eos iuuat, quum neque cupiditates adhuc refrenauerint, neque Deum toto corde dilexerint, ea, quæ putant his maiora seu præstantiora, iactare atque sectari? Neque parum videtur admiratione dignum, quòd quum præter cœlibatum, alia quoque nonnulla fingant consilia Euangelica, tantùm de eo vno soliciti sint: inimicis verò benefacere, obuertere maxillam percutienti, non persequi iniurias, à litibus, quando licet desistere, fermè negligant, ac talia nunquam voueant. Quæ tamen, si ab illis præstarentur, longè magis ædificaretur Ecclesia, quàm abstinendo à coniugibus. Fingunt etiam, nescio quam paupertatem, & de suis facultatibus nonnihil relinquunt, quando monasteria ingrediuntur. Verùm quæ sit ea paupertas, iam permulti norunt. Ditia sunt cœnobia & opulenta, vel eleemosynis adeò redundant, vt quoad vsus humanæ vitæ in illis mollissimis ergastulis nihil desit. Obedientiam quoque vouent Abbati seu Præpositis, quam neque præceptum Dei, neque Christi, vel Apostolorum consilium esse, testimonio scripturarum comminisci possunt. Imò Paulus, vt superius dictum est, apertè monet, ne serui efficiamur hominum. Et quis nesciat, monachos præterea cibis, vestibus, locis, constitutionibus & ritibus impijs voto sese addicere? Subducunt se dominis suis, principibus, Reipublicæ, atque parentibus, quibus generali vocatione ac diuino iure subduntur. Quid aliud habendi sunt huiusmodi, quàm fugitiui serui, iuris diuini violatores, plagiarij, & sacrilegi? Nihilo distant à Iephthe, qui Deo vouit, quicquid sibi occurrisset, neque cogitauit id esse posse animal ob immunditiem non sacrificandum, & contra Dei voluntatem promissam oblationem posse cadere. Mitto, quòd vouendo iurant in aliena nomina & decreta, hoc est, Basilij, Augustini, Benedicti, &cæt. quod tam parum Christianos decet, quàm id quod fiebat à Corinthijs, & ab Apostolo taxatur. Nec enim ferre potuit, vt se dicerent, vel Cephæ, vel Apollo, vel Pauli. Et nescio, quomodo isti non viderint, Christum sua ipsius morte ac sanguine ab infinito præceptorum onere, quæ continebantur in lege veteri nos exemisse, quò sub gratia quàm liberrimè ageremus. Cui instituto ac voluntati, qui votum faciunt, vehementer aduersantur: vt qui legem sibiipsis imponunt, & eam legem, quam Deus minimè sanxit. Vnde, quum Christus lege nos exonerare constituerit, isti contrario studio magis atque magis se impediunt lege. Qui non putat, satis esse præceptorum, quo fideles exerceantur, ille diuinæ legis est imperitus. Quòd si multum,

& pluſquam ferre poſsimus,lex præceptorum habet, cur ita noua ſibi accerſunt manda-
ta? quare potius ſe liberos non ſeruant? & ex fide, quæ per dilectionem operatur,ea fa-
ciunt,quæ honorem Dei & proximorum ſalutem magis augere viderint? Si nolunt re-
ctè agere,niſi lege adigantur,ſe potius ad ſeruitutem legis, quàm ad regnum gratiæ ac fi-
dei pertinere declarant. Et ignorare videntur,eos,qui tantùm ſub lege ſunt,comprehendi
ſub maledicto,vti ſcribitur ad Galatas. Scio iſtud inficiabũtur,& affirmabunt,vnà cum
voti lege atque neceſsitate ſe fidem habere,qua ad vouendum adducantur. Cæterùm hìc
ſe pulchrè decipiunt. Nam qui poſſunt fide impelli ad nuncupanda vota,quum ſcriptu-
ra noua de huiuſcemodi cultus genere nec vllum verbum eis faciat? Et fidei ea eſt natu-
ra,vt abſque verbo Dei minimè conſiſtat. Vnde conſectaneum quoque eſt,hos homines
vouendo peccare. Paulus enim manifeſtè ſcribit,peccatum eſſe quicquid non fuerit ex
fide. Neque audienda eſt ſophiſtarum adductæ ſententiæ interpretatio: fidem videlicet
hoc loco conſcientiam ſignificare: quòd nihil,ea reclamante,à nobis fieri debeat. Etenim
fidem non facilè oſtendent in ſacris literis pro conſcientia poſitam. Quod etiam ſi fortè
oſtendi queat,cum ſua interpretatione,velint, nolint, adhuc ſenſus noſter manet integer:
quoniam ſemper conſcientia reluctabitur,nutabit, neque certa eſſe poterit de vllo genere
operis,quod acceptum Deo ſit,niſi per fidem,ac verbum Dei formetur & doceatur. Qua-
re cùm illis non conſtet ex ſcipturis, vota ſua pertinere ad cultum Noui Teſtamenti,ne-
ſcient an Deo placeant,atque ita non poterunt ex fide vouere. Quòd ſi rem paulò atten-
tius vellent expendere, vota ſua ἐθελοθρησκείαν eſſe animaduerterent,quam Paulus ad Co-
loſſenſes notauit. Nec mediocriter dolendum eſt, hac audacia vouendi cœlibatum, ho-
die vſque eò à pietate aberrari,vt propter voti legem,quam temerè ſibipſis acceſſunt,non
vereantur ſanctis Dei præceptis ſeſe ſubducere. Quippe ſi ſcortari eos videris, quod vt
ſæpe,ita etiam impudentiſsimè admittunt, & monueris, vt vitam adeò impuram ſancto
matrimonio commutent,aiunt,ſe voti religione teneri, & hoc pacto irritant mandatum
Dei ob temerariam voti legem. Nam iuſsit Spiritus Sanctus per Apoſtolum,vt qui non
continent,nubant. Nec ſecus vbi dicitur alicui monacho,ſuccurrendum eſſe parentibus,
iuuandam patriam, opitulandum pauperibus, dicit ſe voto impediri, quum tamen iſta
pertineant citra controuerſiam ad mandata Dei. Et qui domeſticos deſerit, vt Paulus te-
ſtatus eſt,abnegauit fidem,& eſt infideli deterior. Quid aliud erit,propter hominum tra-
ditiones mandata Dei contemnere,ſi hoc non fuerit? Rogo autem, vt quiſquis hæc aut
legit, aut audit, cogitet ſecum, non hìc diſputari, an cœlibatus & virginitas capeſcenda
ſint? quandoquidem citra omne dubium,qui poteſt ea conditione frui, & illam videt ad
promouendum regnum cœlorum ſibi conducere, cùm deſiperet,tum non rectè faceret,ſi
eam repudiaret. At in eo vertitur quæſtio,an his rebus & earum ſimilibus vota ſint nun-
cupanda. Quòd nos ea ratione inficiati ſumus,ne Dei cultus ex hominum præſcripto in-
ſtituatur, & pro pietate ἐθελοθρησκείαν amplectamur. &,quia peccatum ibi poneremus,vbi
ſacræ literæ nullum eſſe voluerunt. Neque oportuit naturæ hominum alioquin infirmæ
laqueos nectere. Satis eſt vndique præcipitij, & lapſuum periculis abundè ſumus cir-
cumuallati. Dehinc manifeſtiſsimum eſt, pijs hominibus voto non opus eſſe. Nam ſi
dono cœlibatus aut virginitatis inſtructi fuerint, viderintqúe Dei Euangelium ſe poſſe
per illam facultatem ſpiritus magis propagare, ſponte facient, quod ſibi viſum fuerit fa-
ciendum,nec morabuntur votorum neceſſariam obligationem. Et quàm ſit inconſultum
ea vouere,quæ vt præſtemus,quemadmodum communi legi non aſtringimur, ita etiam
non eſt in manu ac viribus noſtris ea perficere. Conſtat verò clariſsimè ſacris literis cœ-
libatum atque virginitatem ſingularia eſſe dona Dei. *Non omnes capiunt verbum iſtud: qui po-
teſt capere, capiat*, inquit Chriſtus. Et Paulus ad Corinthios capite ſeptimo ſcribit: *Quiſque
proprium donum habet,alius ſic,alius autem ſic*, neque vult cuiquam laqueum inijcere. Quando
igitur ſingulare Dei munus eſt cœlibatus, neque omnibus datur: illum vouere, quid a-
liud eſt,quàm polliceri,ſe lautè victurum alienis impenſis? Facito, in manu eſſe noſtra,
continere ab externo opere vel contrahendi,vel ſcortandi: ſed ne vramur,ne concupiſca-
mus,ne fœdas perturbationes & motus impuros patiamur, & illis animo aſſentiamur,
id præſtare non poſſumus. At non ignoro,aduerſarios arbitrari, ſe argutè diluere hanc
rationem,quum aiunt: Si ea alicuius momenti eſſet, prohiberet etiam, ne in baptiſmo
nos ipſos voueremus Deo, ſanctè victuros, ac peccatis atque diabolo renuntiaturos.
Quum hæc non ſita ſint in noſtris viribus,ea nihilominus vouemus,& tamen quotquot
baptizamur,dono Dei ea eſſe confitemur. Cæterùm qui ſic ratiocinantur, non ſentiunt
bona opera,quæ à lege Dei præſcribuntur, ad ſalutem neceſſaria eſſe: ideoqúe omnes,
qui tinguntur in Chriſtum,& ei ſacramento regenerationis initiantur, illa in animo ſuo
conſtituunt pro viribus præſtare. Nam quæ illorum eſſet fides,niſi propoſitum haberent

fructus

fructus congruos edendi? Et Deus omnibus electis ad vitam æternam, si superuixerint, vtrectè viuant, & sancti sint elargitur, quum id ad salutem consequendam sit necessarium. Sed non ita est de cœlibatu, aut virginitate. Sunt enim hæc dona singularia, neque omnibus ex æquo conceduntur. Quilibet habet proprium donũ, alius sic alius autẽ sic. Vnde aliquis cœlebs, aliquis coniunx vt sit oportet, prout sibi datũ à Domino experitur. Ideoque facilè videri potest, quantum sit discrimen inter ea, de quibus modo quæritur, & de quibus illi garriunt. Sumunt præterea sibi, nos in baptismo vouere, quod non facilè dederim. Separamur quidem à satana, & Christo nos adiũgimus, & ad id ex Voto fieri, qua probatione demonstrabunt? præsertim quum Votum, si propriè loquamur, neque accipi valeat, neque ab istis intelligatur, nisi de his, quæ ad salutem non sunt necessaria. Quis verò non videat, absque illis, quæ in Baptismo nos facturos constituimus, salutem non haberi? Patres interdũ nomine Voti vsos esse in illis haud nego. Verũ fortasse per Votũ intellexerunt, aut preces, aut vehemens desiderium. Id siquidem orant, & vehementer optant, qui bona fide tinguntur, vt videlicet post hac, & sancti Christo sint, & iustè probeque viuant, opinantur præterea nonnulli, valde absurdum si liceat promittere hominib. quæ bona fide præstare obligemur: & Deo non sit fas quippiam ex voto polliceri. Sed tantum est inter hæc discrimen, vt mirum sit id eos non videre. Siquidem homini non omnia nostra debemus, vt Deo. Propterea multa supersunt, quæ donare, concedere, mutuò dare, vel quoquomodo impendere possimus hominib. citra debitum. Verùm si Deum respicias nihil prorsus habemus, quod ei non sit omnibus modis obstrictum & obligatũ. Non itaque mirum, si liceat iurare proximo, & alienum sit à Christiano quippiam Deo vouere. Neque dubium est, iuramenta, stipulationes, & promissa, quibus ad aliqua obligamur, & grata, & vtilia esse proximis, ob ciuiles necessitates, & humanæ vitæ casus. Nisi enim hęc vincula intercederent, humana societas conseruari nõ posset. Deo verò tantùm abest, vt hæc placeant, vt facilè sit de Votis ita dicturus: Quis hæc de manib. vestris requisiuit? Pactum seu fœdus inter me ac vos initũ est semel, vt sim Deus vester: quo debueratis intelligere, vos totos mihi esse addictos, omnia vestra mea esse, ideoque me à vobis vnicè colendum. Exigit præterea nostrum fœdus, vt sitis mihi populus, quem scilicet defendã, iuuem, & cumulem omni bonorum genere: quæ sicut hactenus præstiti, sic & in perpetuum fideliſsimè seruabo. Pręter hoc fœdus tam latè patens confirmatũ Christi sanguine, atque in Baptismo à nobis publicè receptum, quid supereſt, quod mihi vel promittatis, vel voueatis? Definite igitur, & potius, quæ facienda sunt, ex officio sedulo facite. Nõ desunt item alij, qui comminiscuntur, etiam quæ necessaria sunt ad salutem vouenda esse: hoc sanè consilio, vt ad ea persoluenda magis, magisque incitemur. Et fingunt Vota instar calcarium esse quibus extimulemur vehementius ad ea præstanda, quæ alioquin absque Voto facere debuissemus. Cæteris omissis, quæ hîc dici possent, illud tantũ monere istos visum est, vt caueant, ne suam ipsorum voluntatem, institutum, atque deliberationem pluris faciãt, quam Dei præcipientis authoritatem, quæ sanè apud vnum quenque piũ, præ omni creatura valere debet. Quod minus attendere videntur, cum Voto suo magis incitari volunt ad rectè agendum, quam diuinæ legis impulsu: quum tamen vt ego iudico, quẽ Dei mandata non mouent, eum neque Voti religio, ne dixerim superstitio, efficiet, vt sanctè viuat. Nos verò haud finamus nos perturbari ea sententia Dauidis, quæ ab his vouẽtibus perpetuò iactatur. *Vouete Deo, & reddite.* Neque illis item verbis, quæ in Leuit. & Numeris de Votis leguntur. Quoniam omnia eius generis testimonia Testamentum vetus respiciunt: in quo vt erat eius temporis conditio, multiplices ritus, & variæ ceremoniæ fuerunt descriptæ: quæ nunc declarata Euangelij luce, minimè sunt retinenda. Quæ necessaria sunt ad salutem, & suam vim conseruant, non minus in nouo, quam in veteri testamento subinde videas in literis Apostolicis nobis inculcari. Quemadmodum sunt vnius Dei cultus, detestatio idolorum, obedientia erga principes, & parentes, victus moderatio, mansuetudo, beneficentia in proximos, & alia id genus: quæ cùm à Christo, & Apostolis nusquam taceantur, existimabimus Votum, quod ad primam tabulam pertineret, si adhuc extaret tam alto silentio ab illis prętertum atque suppressum? Alij fortasse id sibi persuadeant, sed prudentiores, quique pietatem ex verbo Dei, non ex hominum traditionib. metiuntur, id nõ credent, vt quod hodie istis videtur esse prora & puppis in religione, mentio eius nulla prorsus fiat in Apostolorum scriptis. Addamus & hoc, victimas, primitias, oblationes & instituta Nezaræorum multo magis fuisse in manibus veterum, qui ea volebant, quàm cœlibatus, aut virginitas in nostra potestate sint. Idcirco non patiemur, vt veteris testamenti morẽ ad suum institutum vouendi pertrahant. Attamen quia mihi dubium non est, permultos fore, qui nullo modo patiantur his rationibus acquiescendo Vota esse irrita nostra tempe-

state,ideo eos qui sic animum obfirmarunt, vt Votum omnino ad nostra etiam tempora pertinere velint,ita vt sit res quoad religionem perpetua,& immutabilis,quęqúe ideo nostra etiam ætate locũ habeat,saltem hoc monebo: primùm videant per Deum immortalem vt suam conscientiam,ac fidem scripturarum testimonijs confirment: quod ego sicuti iam docui,ægrè fieri posse arbitror. Studeant ad hæc, vt Voto non polliceantur quæ verbis dei aduersentur. Caueant præterea in adiaphoris, cuiusmodi est cœlibatus,& alia similia,ne illa voueant,nisi salua Christiana libertate,quò liceat eis, quum vruntur,ex Apostolico mandato coniugio vti. Voueant,inquam,se tantisper ita victuros, quoad vires à Deo suppeditabuntur,& illud vitæ genus intellexerint,ad illius honorem,& proximorum ędificationem conducere: non vt mereantur,non vt iustificentur,non vt vitam æternam ex eo habeãt,vel vt his obseruationibus fauorem Dei,seu reconciliationem adipiscantur,& in ipsis aliquod sanctitatis fastigium constituant. In necessarijs verò ad salutem vouendis(nam & ea Voto nuncupari posse obstinatè,vt diximus aliqui defendunt) id saltem euitare velint,ne voluntatem suam diuinæ præferant: hoc est,ne potius ex animi sui Voto,quæ oportet,facere velint, quàm ex obedientia diuinæ legis,qua Deo præcipienti arctissimè sumus obstricti. Neque se vnquam eò rapi sinant in vllo Voti genere, vt Deo velint ea offerre,de quibus non sint ex eius verbo certi,quod ei grata sint, & placeant. Ac denique faciant quod volũt,nunquam euincere poterunt, Vota competere, nisi Christianis imperfectioribus, qui conditioni seruili Iudęorum,quam Christianorum sint propiores. Postremò tacendum non est,pleroſque inueniri, qui sanctorum virorum exemplo,à quibus Votum cœlibatus nnncupatum fuit,dum viuerent,conantur superstitionem vouendi confirmare. Quasi omnibus id facere liceat, quod inculpati homines fecerint,de quibus nemo ambigit, quod grati Deo fuerint. At si rationem hanc sequi velimus,iam non à regula,& doctrina scripturarum,sanctitatem & iustitiam operum nostrorum metiemur,sed à factis eorum hominum,qui pij quandoque habiti fuerint. Quod, vt sit absurdum,pluribus explicare non est necesse. Sit nobis semper ob oculos, omnem hominem mendacem esse,atque Deum vnum tantummodo veracem. Si hominum opera iusta & idonea regula fuissent ad piè sanctęqúe viuendum,quid opus erat lege? Verùm vt homines in suis decretis,& opinionibus & errare possunt,& sæpe falluntur, quando præter scripturas vel agunt,vel definiunt,sic etiam in suis actionibus,& peccare possunt & persæpe labuntur: nempè quando à regula,& præscripto scripturarum discedũt. Quid alioqui prohiberet,ne quispiam dixisset Paulo,quando Petrum simulationis publicè arguebat,in Antiochena Ecclesia: Quid,quæso te,Paule agis? Nónne sentis hoc opus,in quod adeò stomacharis,à Petro fieri,qui est Apostolorum sanctissimus? Non debes tibi persuadere illum errare posse. Imitare potius,quàm reprehendas quod ab eo agitur. Ad hæc Paulus citra controuersiam ita respondisset: Non ab hominibus vtcunque sanctis,neque à rebus gestis eorum pietatis mensura petenda est: que tãtum à verbo dei pendet,cui, quod nunc à Petro committitur,minimè respondet. Ideo tametsi eum suspiciam, quod tamen ab eo fit non possum non reprehendere. Desinant itaque tandem hoc genere argumenti contra nos agere. Nisi enim prorsus inficiari velint, quod scribitur ad Corinthios priori epistola,necesse est vt dent, non omnes qui doctrinam super Christo fundamento ædificarunt,rectè ac sanè semper ædificasse: nonnunquam fœnum,interdum ligna,& quãdoque stipulam superstruxerunt: quæ ad examẽ iudicij, ac regulæ verbi Dei admota,nõ valent consistere. Ac denique si multos è sanctis hominibus vouisse cœlibatum ostendẽt, nos item è diuerso poterimus cõplures proferre, qui nõ vouerunt. Quamobrem si ex vna parte contendatur,propter exempla,pium esse vouere, poterit ex altera probari eodẽ argumenti genere pium esse non vouere. Verum de hac prima quæstione, quam inuestigandam proposuimus,an Christianum hominem iam sub Euangelio constitutum,par sit vouere, quamquam non quantum dici poterat dixerimus, tantum nihilominus differuimus,vt pijs animis confidam satis factum.

OBIECTVM. I.

IN quis,verbum Dei solum docet,quid Deo arrideat,et quid secus. Audio,Sed vt cõstanter insicior id tantum placere Deo, quod manifesta scriptura proditum est illi placere. Quando vt arridet illi impensè baptisma administratum ab hæretico & schismatico, Virginitas Mariæ, obseruatio diei Dominicæ & multa alia quæ extra scriptum,veluti per manus tradita à priscis amplexa est catholica Ecclesia Christi, quæ nullus scripturæ locus abunde conuincat placere Deo: ita assero subnixus non vno loco Scripturæ sacræ,vbi consulitur paupertas, & continentia, Vota probari Deo, illique grata esse, idque Scripturam propalam facere, &c. Et mox: Quod ex lege Dei, inquis,non est,iustum non est. Audio. Sed quid tibi est,quum hoc asseris,Lex Dei? præceptmúne,an mandatum?

Vs

Vis, nihil esse iustum, Deoque gratum quod non præceperit Deus? Adeón es stupidus atque imperitus? Iustúmne erat, ac Deo gratum, quòd Ioannes Baptista nunquam comederit carnem aut locustum, neque biberit vinum aut siceram? Quis verè pius inficiabitur id iustum Deoque gratum fuisse, posteaquam hoc nomine ipse à Christo laudibus euehitur? At qua lege cautum erat, ne Ioannes promiscuè ac citra delectum omnem omnibus vesceretur cibis? & omne biberet potus genus? Quæ nam lex iussit, obsecro te, vt in ipsis Ecclesiæ Christi rudimentis omnia essent communia? Eráne ista verum ac facultatum communio iusta, ac Deo accepta? ad quam inuitauit Christus omnes, quum dixerit, si vis perfectus esse, vade &c. Quo mandato præcipitur virginitas & cælibatus, quæ Christus & Paulus consulunt tantum? Nonne iustum ac Deo gratum erat, quòd Paulus manuum sudore victum sibi ac alijs pararit, gratisque Euangelium concionatus est? Quæ Lex vt hæc faceret, iussit? Nunquid filij prophetarũ in veteri Testamento arcto victu, & aspero cultu, quã tã monachismi formulã expri mebãt? Quos ideo Hieron. monachos vocat, cũ nulla lege Dei iussum id esset? Et quis id vitæ institutũ iustũ Deoq; gratũ fuisse negabit? Filij Ionadab filij Rechab vinũ nõ bibebãt, domos non ædificabãt, sementẽ non serebant, vineas nõ plantabant nec habebant vllas domos: sed habitabant in tabernaculis, nulla lege ad hoc astricti, sed sponte parẽtes iussui patris sui Ionadab. Et tamẽ id facti adeò non displicuit Deo, vt illa egregia pensarit felicitate, inquies eis, pro eo quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mãdata eius (Nõ ait, mihi obedistis, & custodistis omnia mãdata mea) & feceritis quę præcepi vobis propterea dicit Dominꝰ exercituũ Deus Israel: Nõ deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stãs in conspectu meo cunctis diebꝰ. &c.

DEFENSIO.

Cum scriptura passim doceat, non esse Deum colendum inuentis hominum, sed ex præscripto verbi eius, quę etiam dicat, neque ad dextram, neque ad sinistram declinãdũ esse, mirũ tibi videri nõ oportuit, neq; inerudi-
tum, impium, aut ineptum pronunciare debuisti, quod ego statuerim, non esse opera hominũ Deo grata, quæ verbo eius probata non fuerint, neque cultum eius iustum, aut legitimum habendũ, nisi cõstet ex his, quæ ipse testimonio scripturarũ indicarit, atq; demõstrarit sibi placere. Quod ab eo fieri dupliciter obseruauimus. Quãdoq; n. distis verbis ea solũ tradit, ex qui bꝰ pleraq; alia opera, & bona esse & illi accepta, necessario cõficitur: Interdũ verò simpliciter & apertè de nõnullis exponit, qualia ea esse velit. Quod tu parum cõsiderãs baptismũ infantium mihi obijcis primo loco, quasi scripturis probari nõ posit. Verũ enimuerò toto cœlo aberras. Et est profectò magnũ odium veritatis, quo vos papistę laboratis: vt qui ad vestras traditiones, dixissẽ verius proditiones, cõfirmãdas, potiꝰ velitis cũ Anabaptistis docere, nõ posse constitui pędobaptismũ è scripturis, quã cõcedere omnia creditu necessaria in sacris literis haberi. Sed nõ est mirũ, cũ adeo flagretis cupiditate constituendæ ac retinendę tyranidis in Ecclesia, si quemadmodum ex diabolo ac mendacijs eam nacti estis, ita modò non vereamini eandẽ cum operibus diaboli, tum fallacijs & impostu-
ris defendere. Certè non potes inficiari, Baptismum circumcisionis loco nobis esse datum: quandoquidem id Paul. ad Colossen. manifestè scribit. Iam nisi velis nostros paruulos infra cõditionem filiorum Israel abijcere, quemadmodũ illi circuncidebantur in infantia, sic nostros pueros ad baptismum fateberis admittendos. Quid, obsecro te, in ista ratione ꝓponitur extra Scripturas? An Christianorum infantes ita pertinere ad Deum vt filios Hebræorum dubitabis? At id non relinquit ambiguũ Apostolus, quando inquit, iam nos esse verum Israelem. Quare cum Deus fuerit, non solum Israelitarũ, verum etiam seminis eorum Deus, ita & Deus est noster, & seminis nostri. Hoc est fœdus cum patribus initũ per fidẽ, quod in pueris per A circuncisionem obsignabatur: quod idẽ in nõstris baptismo fieri dubitare nõ possumus, cũ baptismus, nunc pro circuncisione habeatur. Ad hęc, si paruulis nostris cõceditur, vt ad Christum pertineant, & propterea sint Ecclesiæ membra, nec non participes redemptionis, quare signum externũ quo instar sigilli dona hæc muniuntur & confirmantur, illis negabimus? Eos Christi esse id ostendit, quod ipse voluit, ne prohiberentur ad se venire. Atq; circuncisionem & sacramẽta obsignationes esse donorum seu promissionum Dei, dubitare non possunt, qui epistolam ad Roma. attentè legerint. Vbi scribitur Abrahamus circuncisionem accepisse, sigillum iustitiæ fidei, quam prius habuerat in præputio. Iam perspicuum est qualis theologus haberi debeat, qui doceat baptismũ infantium ex Scripturis nõ haberi. Deus istius cę citatis misereatur, digneturq; pro sua clemẽtia, & tibi & similibꝰ tui, è corde tãtum Euãgelij odiũ eximere. Baptismũ ꝓterea collatũ ab hæreticis ratũ habẽdũ esse in Ecclesia, quo ore affirmas è Scripturis nõ posse demõstrari. Quasi nõ liquidò illæ doceãt, sacramẽta vim & efficaciã ex ministris nõ habere, sed tãtũ ex instituto, & ꝓmissione Dei. Nõ potest minister Dei volũtatẽ irritã facere seu veritatẽ diuinã in mẽdaciũ cõuertere. Ideoq; quãtũuis vitiatus, & corruptus fuerit, modo, quę Christus instituit, agat, Sacramẽto nihil deest, quod eius naturã & veritatẽ spectet. Ioãnes dicebat, *Equidẽ baptizo aqua, sed in medio vestrũ est, qui Spiritu baptizat.* His verbis potest quiuis intelligere, discrimẽ inter ministrũ Baptismi, & Christũ verissimũ fructus eius authorẽ. Prędicauit & Baptizauit Iudas, & quidẽ nõ inscio Christo, malus alioquin minister. Prædicabãt & Baptizabãt illi, de quibus ad Philipen. testatur Apostolus, quòd inuidia impellerẽtur, vt Christi negotiũ agerẽt: & eorũ ministerio Paulꝰ gaudebat: quod sanè minimè fecissẽt, si prædicatio & sacramẽta fuissẽt ab illis cõtaminata. Eas modo theologe doctissime, atq; doceas ex scripturis ista nõ posse demõstrari. Neq; plꝰ in eo roboris est, quod mihi de virginitate Marię obijcit. Quãuis ambigo, quid ibi velit, fortasse cõtẽdit Mariæ virginitatẽ Deo pla-

Scripturæ ostendunt baptismum ab hæreticis collatũ valere.

De virginitate Mariæ.

cuisse, cum tamen illi non fuerit lege vlla præcepta. Sed à vero longe aberrat. Deus certissimo decreto voluit matrem filij sui virginem esse, cuius mentio clarissima fit apud Esaiam, vbi scribitur: *Ecce virgo concipiet.* Proinde cum beata Maria nuntio Angeli senserit, se fore matrē Domini, ac sancto spiritu fœcūdādā, illico animaduertit priuata lege se astrictam esse, vt virgo pareret, Ideoq; hac de re verbū Dei habuit, cum è scripturis, tum ex angeli sermone, qui significauerat ei vi spiritus sancti non seminis virilis nasciturum ex ea Messiam. Verùm scio dicet, vt virginitatem post partum seruaret, verbo Dei non fuerat imperatum, Vnde virginitas, quæ partū sequuta est, iuxta meā sententiā, Deo nō placuisset. Quid iste de præcepto vel iussu Dei cōminiscatur, ipse viderit. Ego nūquā sum inficiatus, virginitatē & cœlibatū genera esse vitæ quæ testimonio scripturarū Deo probētur: nō quidē in omnib. sed in eis dūtaxat, quib. diuinit⁹ vires suppeditātur quiq; intelligūt se posse regnū Dei ea ratione promouere. Qui igitur cœlibatū aut virginitatē eligit, rem nō sequitur à scriptura nō probatā. Arbitratúrne adeo nos stupidos esse aut ignaros diuinarum literarum qui caput. 7. prioris ad Corin. non legerimus, vel Christi sententiā, quando ait, *qui potest capere capiat?* Nō hoc est inter nos cōtrouersum, an virginitas, vel cœlibat⁹ quādoq; liceant ex verbo Dei: sed an ex Voto suscipi debeant. Equidē nego: iste affirmat. Et cum de quali sit quæstio, ille ad quid sophisticè eā transfert. Nūquā dubitauimus, licere per Dei legē aut virginē, aut cœlibē agere: cū sacrę literę id gen⁹ vitæ in nōnullis disertè probēt. Sed de qualitate ac modo cōtēdimus: An liberè, an ex Voti necessitate. Hoc inquā hoc te probasse oportuit: quod cū nō facias, nihil agis. Proinde mutato quale, in quid, abeas quod dignus es cū tuis sophismatis. Status nostrę q̄stionis est: An scriptura noui Testamēti probet alicubi cœlibat⁹ Votū. Ego negaui: tu secus nō demōstrasti Quid hunc locū nobis opponis? Maria cū virgo peperisset, etiam in posterum virginitatē amplexa est: quia licuit, quia vires habuit, quia matrem Dei animaduertit decere. Quid hoc ad propositū nostrę quæstionis attinet? fortasse dices: non hoc volui, sed nos adigi ad credendum Mariæ virginitatem perpetuā, cum tamē id ex sacris literis non habeatur. Sed eadem responsione quam modo audisti, & alter iste nodus dissoluitur. Nam ex Virgine Christum natū esse, luculenter Scripturæ docent: atque ideo rectè faciunt, qui huic articulo fidem adhibent. De virginitate verò eius à partu, fateamur nihil extare scriptum, sed cū diuinæ literę ipsam nullibi testētur viro cōmixtam, id nos minimè credemus. Et si qui voluerint persuadere Mariæ virginitatē post partum fuisse corruptā, exigemus id ex verbis Dei nobis probari, Quòd si non potuerint, Mariæ integritatem, relinquemus in eo statu, quo sacræ literæ perhibent, illam filium suum, Deum, & redemptorē nostrum perperisse. Neq; hîc nouū articulum fidei condimus. At quēadmodū traditiones nō spernim⁹, quę cū Dei verbo nō pugnant, ita perpetuam Beatæ Mariæ virginitatē recipim⁹, ceu traditionē, quæ Christum & matrē ei⁹ deceat, queq; nulla ex parte dissētiat à sacris literis. De obseruatione verò diei dominici, quid hîc mihi obstrepis, quasi nulla ei⁹ mētio habeatur in scripturis? cū primo capite Apocalipseos, de illo ita scribatur: *fui in spiritu die Dominico.* Paulus etiam cum ad Corinth. epist. priore, præcepit, vt pro pauperibus Hierosolymitanis collectā facerēt vna sabbatorum, per vnam hebraica phrasi primā diem hebdomadę intelligit: qua eadē locutione Maria Magdalena, atque altera Maria dicuntur in Euangelijs, ad sepulchrum Domini veniſse vna sabbatorū. Quam locutionē Marcus disertis verbis expressit, dicens: quæ luxesit in prima sabbati. Et in libro Geneseos cum habetur, *Et factū est vespere & mane dies vnus*: illis verbis dies primus indicatur. Atque apud prophetas vnus mensis, & vna dies mēsis, & primū mēsem, & primā diē mēsis significant. Bis itaque in nouo Testamento fit mentio diei Dominici obseruati, nempe semel in Apocal. & semel in Paulo ad Corinthios. Cur autē spiritus sanctus voluerit, vt iā inde ab initio primitiuæ Ecclesiæ, sabbati dies transferretur in diem Dominicum, sic accipito. Lege perpetua, & nunquā delēda, sāctificādus est à fidelibus dies septimus, vt in hebdomada vnus habeatur dies cultui diuino publicè deputatus: quod ex decalogi verbis apertissimè cognoscitur. At quis nā deligēdus esset ex illo septenario numero, pro tēporū varietate Deus reuelauit, atq; sanxit in veteri Testamēto, vt ille seruaretur, quē modo sabbatū vocam⁹, quēq; Iudęi hacten⁹ coluerūt. Quia cū Christ⁹ nōdū veniſſet, vt summū Dei beneficiū orbis creatio recolebatur: quę cū fuerit, eo die perfecta, iure ac merito ille vt sanct⁹ habebatur. Nūc verò, postquā sumus redēpti per Christū & beneficiū resurrectionis, quod mai⁹ est prima creatione, in ipso capite nostro recepim⁹, idq; die Dominico primū in eo declaratum fuerit, idcircò vt memoria nostra refricetur, & vt ceremoniæ veteris legis tāquā vmbrę seponerētur, cōmutatus est sabbati dies in diē Dominicū. Propterea cū hęc traditio Apostolica sit, & in sacris literis cōmemorata, non est quòd vereamur obseruationē eius Deo non placere. Obijcis prętera, Ioānē Baptistā comediſſe locustas, & mel syluestre, vinū & ficerā nō bibiſſe. Qua de re hoc tibi sciēdum est quod ista Ioānes fecerit ad promouendū regnū Dei, & ædificationē proximorū. Voluit. n. maiori authoritate, atq; admiratione victus insoliti Iudęos ad cœlestē doctrinā attrahere. Vnde si consilium eius Deo probatū est, atq; illi hæc placuerunt, id sententiæ nostrę nihil aduersatur. Nónne Paulus item dixit, potius quàm scandalizē fratrē meū, nō comedā carnes in ęternū. Et quis nō videat lōgè plus esse proximū ad salutē adducere, quā illū nō offēdere, seu scādalizare? Ea itaq; ratione, qua nobis fratrū salus à sacris literis comēdatur, omnia quoq; ista probata fūt & Deo accepta, quæ illā promouebāt: præsertim

De die dominica.

Cur sabbatum sit translatum in diem Dominicum.

Ioannes Baptista cur locusta & mel syluestre comederit.

tim cum ſuppeterent vires diuinitus: & ſingularis vocatio, cum Apoſtoli, tũ præcurſoris exigeret, vt quanta poſſet diligentia homines ad Chriſtum traheret. Nec ſecus debẽt exiſtimare ſibi peculiariter mandatum eſſe verbo Dei, qui verſãtur in Eccleſiaſtico miniſterio, vt non ſua quærant, ſed quæ ſunt aliorum, & vt omnibus omnia fiãt. Aſtringimurque vniuerſi lege charitatis, vt ita nos inuicem diligamus, quemadmodum Chriſtus nos dilexit. Propterea quemadmodum ille neque crucem recuſauit, neque vllum pœnarum genus ad nos redimendos, ita viciſsim & nos ad ſalutẽ pximorũ, & Euãgelij amplificationẽ, quibuis, modò poſsimus, & opus fuerit, debem⁹ perferre. Atque vt Ioãni cõuenerint iſta, clarè admodũ verbũ Dei oſtẽdit, à quo appellat⁹ eſt *Vox clamãtis in deſerto*. Et fuit de illo prędictũ, quod in ſpiritu, & virtute Eliæ mittẽd⁹ eſſet. Illi⁹ prętereà fuit, vt pœnitentiam prędicaret, quam nõ ſolũ verbo, ſed etiã multo magis exẽplo parfuit docere. Omnes autẽ qui ſacras literas attẽtè legũt, facilè pꝛiſſũt agnoſcere, quã deceãt pœnitẽtia, ieiunia, face⁹, cilicia & alia id genus: quæ cũ de Elia, tũ etiã de Ioãne diçũtur. Vterque igitur illorũ vitã ſibi delegit, ad quã diuinitus erat deſtinatus, & in ſacris literis cõmẽdatam & approbatã: quãuis ex Voto illos hęc feciſſe demõſtrare nõ poſsis, quod in pręſẽtia vnicè, ac maximè cõtrouertitur. Quod ẽt ſi de Ioãne, vel Elia feciſſes, nihil adhuc tuã cauſã reddidiſſes meliorẽ: cũ illi ſub Veteri teſtamẽto vixerint, & nos tã tũ de nouo diſputem⁹. Licuit illis etiã tũc Nazareorũ vitã & votũ ſuſcipere, quod nobis modo nõ liceret. Adhęc, ſingularia quædã facta nõnullorũ ſanctorũ minimè ſunt in exẽplũ trahẽda: quaſi liceat omnib⁹ filiũ ſacrificare, quod facere Abraham⁹ erat paratus: aut ignẽ de cœlo poſcere, vt hoſtes abſumãtur quod Eliã feciſſe nouim⁹. Et alia ſexcenta ſunt hui⁹ ordinis, quę modo cõmemorare, nõ eſt animꝰ. Video q; iam ſatis quoad ęquũ piũq; lectorem de Ioãne Baptiſta eſſe reſpõſum. Nũc ad id venio, quod ais, in rudimẽtis Eccleſię omnia in cõmune fuiſſe collata quãdo q; ſua vẽdidit, nec ſibi quicquã proprij retinuit: quę affirmas, neq; teſtimoniũ, neq; approbationẽ à ſacris literis habuiſſe. Quod ſane abs te dici video, quia parũ animaduerteris diuinas literas cõmẽdare charitatẽ in proximũ & eã charitatẽ, qua quiſq; id bonũ alteri velit, quod ſibi ipſi. Hoc, inquam, ſi fuiſſet abs te cõſideratum, facilè intellexiſſes, verbo Dei quã optimè cõgruere, quod chriſtiani tũ tẽporis decreuerint cõmuni adminiſtratione victũ cuique pro neceſsitate diſtribui. Ea porro charitate fideles accendebantur, vt nemini quicquã deeſſe voluerint: quod ſanè verè fuit proximũ tanquã ſeipſũ diligere. Tu verò, dic obſecro, audiſtine vnquam negari à quoquam noſtrũm licere ſua diſtrahere, precia ſeu pecunias in medium cõferre, ac iuſta diſtributione inde ſuſtẽtari complures? Quòd ad me attinet, id certè nunquã ſum inficiatus. Quisq; in proximo adiuuãdo, id pro loco, & tempore faciat, quod magis ad honorem Dei promouẽdum, & aliorum procurandam ſalutem conducere intellexerit. Non patiuntur humanæ res, vt ſemper vnus idemq; tenor, in adminiſtratione facultatũ obſeruetur: atque diuerſis tẽporib. rationes varię cõgruũt. Id autẽ vitę gen⁹, de quo modo cauillaris primitiuę fideliũ Eccleſiæ quã maximè expediuiſſe, comprobatur. Nam cum Hieroſolymis Chriſtiani, penè omnib. odioſi eſſent, habitando ſimul, ac vnà viuendo, noctu diuq; ſeſe mutuo cum doctrina tũ precib. communibus, ac exemplis, & adhortationibus confirmabãt. Addas prętereà tũ tẽporis cõplurimos pauperes ex Iudęis ad Chriſtũ ſe tuliſſe, quibus cęteri ciues maximè infeſti erant, ita vt illos ſynagogos facerent, ac vulgo deteſtabiles. Vnde ſuas operas elocare nõ poterãt, quibus iuſtis manuũ operib. victitarent. Oportuit igitur ad talem multitudinem alendam, eos qui ditiores erant, ſuas facultates impendere, quas, ratione habita cuiusq; neceſsitatis, melius diſtribui viderunt per Eccleſiam, quam ſi per ſe ipſum quisque ſingulatim eos erogaret. Quemadmodum videmus in ciuitatibus bene inſtitutis, pauperibus ac mendicis multo iuſtius proſpici, ſi per diaconos Eccleſiæ, ſeu publicos Eccleſiæ miniſtros eleemoſynæ collectæ diſtribuantur, quam vbi quisque iudicio ac arbitrio ſuo largitur cuique prout voluerit. Prætereà non dubitarim, Deum ipſum incitaſſe ſanctos illos viros ad id faciendum, cum Iudęorum agri, & dom⁹ paulò poſt eſſẽt euertẽdę, ac perituręob ſidione, aç miſero excidio, quod ab exercitu Romanorum impẽdebat. Nõ paſſa eſt diuina prouidẽtia, temerè perire ſanctorũ bona: quę etiã à Iudæis, dum Chriſtianos vexabant, ante bellum quoque diripiebantur, & confiſcabantur. Proinde curauit ſpiritus ſanctus, huiuſmodi facultates eadem opera vſibus piorum inſeruire, dum ſimul habitarent: & exemplum admiratione dignum inde præberi, quo docerentur fideles, opes, & fortunas huiuſmodi contemnẽdas, cum pro nomine Chriſti, tũ vt pauperum neceſsitati ſubueniatur è quo charitas, quæ fructus eſt fidei, & vinculum humanæ ſocietatis ampliſsimè declaretur. Cæterum iſta, quod mihi vehementer dolet, neque tũ, neque tui ſimiles reſpicitis: quibus eſt ſatis huic præclarę hiſtoriæ, Voti ſuperſtitionem aſſingere, qua monachi ſe iactitant, nihil proprij habere. Cumq; id merum ſit hominum inuentum, ab Euangelica perfectione longiſsimè abeſt, quam tamen vos in hoc Voti genere ſitam perpetuò, ſed falsò, nobis obijcitis. Verum age, hiſtoriam hãc Actorum Apoſtolicorum mentionem Voti facere demonſtrato & cedemus: at id facere cum non poſsit, nugari deſinas. Et denique, ſi per inſitam licet peruicaciam, animaduertito inſtitutũ primitiuę Eccleſię, quod modo refers, vt à diuinis literis nõ fuiſſe alienũ, ita neq; ꝓpetuò neceſſarium, vt ſemper & vbique retineri debuerit: cum neque omni tempore, neque omni loco ea contingant, quæ tum temporis primis illis Chriſtianis euenerunt. Cũ igitur ad charitatem quod tum fecerunt pertineat, vt demon-

straui, minimè destituebantur sacrarum literarum testimonio, cum id facerent. Quamobrem cum totus iste locus ad tuum institutum minimè faciat, de illo plura non dicam quia & superius cum ageretur de Anania & Saphyra ijs consimilia scripsi. Deinde obijcis, imò potius fabularis, nescio quæ de Christo, qui cõsulerit adolescenti, si vellet esse perfectus, vt sua distraheret, daretque pauperibus, & se sequeretur. Qua in re, sicut in alijs, aut vehementer deciperis, aut noctem quandam offundere conaris luci eius veritatis, quam tractamus. Non enim, vt tu persuasum velles, consilium ibi fuit, sed præceptũ. Et mirum est, quomodo vos perfectionem ab omnibus Christianis hominibus requiri negetis, cum in vniuersum per diuinam scripturam præcipiatur: Nonne Christus ait, *Estote perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est?* Et ad Corinth. posteriori cap. 13. *Quòd superest fratres valete, perfecti estote, consolationem habete*, & ad Colos. 4. *Vt stetis perfecti, & completi in omni voluntate Dei.* Et in Genesi cap. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus*. Vnde vos cum perfectionem distinguitis à præceptis, nihil sanè facitis aliud, nisi quòd perturbatis, & confunditis, quę doctrina sacra de voluntate Dei planè docuit, & homines à pura castaq; obedientia illius auertitis. At doctiores, qui nasum æneum, & caput ferreum habẽt, ad vestra sophismata, rem dignissimam fontib. lachrymarum existimant huiusmodi figmenta, tantum abest, vt illis assentiantur. Etenim, præter illa, quæ adduximus, permulta inueniuntur alia loca in scripturis, quorum testimonio palpare possumus, nedum cognoscere, mandari nobis, vt simus perfecti. Neque in alio sita est perfectio hæc, nisi vt Deo aliquid præcipienti obediamus. Quod qui non fecerit, ex eo peccare animaduertitur, quòd anteferat suam voluntatem diuinis mandatis. Cum Deus Abrahamo imperaret, vt de terra sua egrederetur, proculdubio, si non paruisset, grauissimi sceleris fuisset reus, nec leuioris, si cum filius ab eo ad sacrificiũ exigeretur, ipsum dare noluisset. De alijs permultis idem posit doceri. Sed vt veniamus ad Apostolos, nonne cum vocati sunt à Domino, si eum sequi noluissent, proprię salutis fecissent iacturam? Nemo sanus dubitauerit. Sed tu, cũ eos dicas vouisse Christum sequendo, nescio quo modo posteà oblitus tui, vt inferius videbimus, vbique clamitas, Votum idcircò liberum esse, quòd sub præcepto non cadat. Vnde Apostoli, iuxta hæc, vel non vouerunt, vel non fuit eis liberum vouere, cum necessariũ fuerit ipsos obedire præcepto vocantis. Verùm vt ad rem veniamus, non consilium sed præceptum fuit, quod Christus adolescenti dixit, vt se sequeretur, bonis suis diuenditis: atque ille id non faciendo grauissimè peccauit: præsertim cũ fuerit absterritus ab illa Christi obedietia diuitiarum cupiditate. Dixeris fortasse, quemadmodum tui similes in his verbis hallucinari solent, non præcepit Dominus isti iuueni absolutè ac simpliciter, vt hæc faceret, sed conditione adiecta, si vellet esse perfectus. Quasi non omnia

A Dei præcepta ista conditione hominibus afferantur: nempè vt obediant, si salui ac perfecti esse velint. Siquidem humana perfectio, sicut ea posuimus, in eo sita est, vt Dei præceptis obtemperemus. Mandata verò Dei omnia pertinent ad omnes: verùm nonnulla sunt, quæ peculiariter à certis hominibus exiguntur, veluti ab Abrahamo filij sacrificium, & ab Hieremia vt cum Israelitis proficisceretur in Aegyptum. Atque huic adolescenti singulariter abiectio
B suarum facultatum præcepta est, quo suam ipsius infirmitatem agnosceret. Etenim planum est ex Euangelica historia, eum cogitasse, omnia Dei præcepta fuisse à se impleta: à qua integritate multùm sanè aberat, cum plures in eo cupiditates adhuc essent residuæ, quæ ipsũ latebãt. Proinde volens Christus illum sibi ipsi patefacere, inquit, vniuersa tua diuendito, pauperibus dato, ac me sequitor, si perfectus esse velis, quemadmodum tibi, vt qui parueris omni-
C bus Dei mãdatis, iam te esse persuades. Tu me magistrum & nominas, & arbitraris, qui sum & fidelis, & à Deo missus: Quare eum ego tibi hoc præcipiam, eque ac Deo parere debes. Atq; hinc deprehendere poteris, quantum adhuc absis à vera obseruantia, & debita erga Deum, obedientia. Iuuenis, his auditis tristis abijt: nã diuitiarum amore tenebatur, & vnà sensit, vt pli verisimile, quàm frustra temereque se iactitasset, quòd legẽ vniuersam à pueritia obseruasset.
D Vides igitur vt vestrum figmentum, de consilio, aberret à scopo loci à te propositi. Non itaque res libera exigebatur à iuuene, sed quæ necessariò ab eo facienda esset: quãuis non omnibus ad salutem aspirantibus, tale mandatum proponeretur. Verùm Ecclesia vobis sophistis hanc gratiam debet, quod ex præceptis consilia feceritis: quo factum est vt omnes monachi, quemadmodum tu quoque hoc loco doces, in his perfectionem suam fundarint, ac opi-
E nati sint, quòd si opes & rerum suarum possessionem à se abdicarint, verè perfecti essent, cum tamen id neque semper faciendum sit, neque semper fieri Deus velit. Proinde viderint hypocritæ, qua industria, quàue authoritate, hãc intelligentiam ex adductis, & explicatis locis Euangelij extrahant. De virginitate verò ac cœlibatu, quæ tu in transcursu attingis, ego quoque paucis respondebo: nec aliud sanè, quam quod iam latius exposui. Approbantur in
F sacris literis hæc vitæ genera, modò adsit Dei donum, & vtilis instituti vsus, qui fit vt compluribus liberum sit, aut virginitatem, aut cœlibatum amplecti. Sed status propositæ contentionis est de Voto, nimirum an ista vouere liceat, de quo quum te semper loqui fingas, & nihil probes, verùm perpetuò ad alia dilabaris, ex omnibus, quæ dicis, tuam causam quicquam non adiuuas. Non enim dicendo sed confirmando vincuntur controuersiæ. Quæ-
G ris de me, quæ lex Paulum adegerit, vt sudore vultus, ac labore manuum, sibi ipsi & suis quandoque victum quæsuerit, dum Euangelium prædicaret, quum sibi ex eo viuere li-

cerat

ceret, scito, id fuisse illi magna & latissima lege charitatis imperatum. Quippe quum hoc videret ad homines alliciendos ad Euangelium plurimum valere, atque id facere posset: certè si id non præstitisset, neque proximum, neque Deum ipsum toto corde, tota anima, & omnibus viribus dilexisset. Fateor quidem, non potuisse illum communi vlla lege à Deo Euangelizantibus lata, si hoc non fecisset, à quoquam coargui. Siquidem licet ex eo, quod vulgo propositum est, his, qui Christum prædicant, ex Euangelio viuere: quique negassent victum Apostolo, qui eum petijsset, culpam excusare non potuissent. Nam lege astringebantur, qua dictum est, operarium dignum esse mercede. Quis præterea iure potuisset Apostolum non laborantem reprehendere, si victum ab Ecclesia sumpsisset, quum nemo sciat, quantum virium cuique à Deo sit collatum, neq; omnes videant, quando ad honorem Dei conducat, vel mercedem accipere, vel gratis prædicare. At ipse Apostolus, qui roboris à Deo sibi concessi erat probè conscius, intelligebatque vt ad religionem propagandam expediret, liberalis, & gratuita prædicatio, animaduertit se lege illa dilectionis astringi, vt ex talento sibi commisso tantum fructus daret, quantum dantis voluntas exigebat. & facultas reddentis poterat. Atque hanc eandem responsionem accommodato, si sapis, ad virginitatem, & cœlibatum: quæ si quis valeat castè, pureque obseruare, atque id intelligat, ad Euangelium promouendum conducere, ea debet amplecti, si legem charitatis saluam esse velit. Et sicut Apostolus prædicando gratis, nil, quod ex verbo Dei fieri non debuerit, præstitit, ita & iste, quod à lege charitatis iubetur, manendo in virginitate, seu in cœlibatu faciet. Garris item de filijs prophetarum in veteri Testamento, & inquis arctum victum & asperum cultum nulla Dei lege fuisse illis imperata: quasi sacræ literæ non moneant in Elia, in Achabo rege, in Niniuitis, & in compluribus prophetarum sententijs luctum, pœnitentiam, cinerem, cilicium, saccum, & alia id genus, quando ex fide, atque contrito corde vsurpata fuerint, non autem ex hypocrisi, Deo probari, & grata esse. Ad hæc nonne testatissimum est Christum ipsum frugalem, abstinentemque fuisse? atque in omnibus rebus vixisse, quàm moderatissimè? Ieiunauit sanè, ac in solitudines, & in montes ad preces frequenter secessit. Nec non de Apostolis identidem legimus in Actis, vbi scribuntur, vnà in ieiunijs, & precibus perseuerasse. Proinde quũ hæc testimonio diuinarum literarum, & bona pronuntientur, & Deo grata, si spernantur, quũ præstari possint, charitatis ac dilectionis lex, qua omnia agere præcipimur, quæ Deo placẽt, procul dubio violatur. Cæterum in his, quod præterire non oportuit, caueatur quàm maximè, vt absque hypocrisi, sicut diximus, fiant, videaturque ne ipsis nimium tribuamus. Dixit enim Apostolus ad Timotheum, corporis exercitationem modicam habere vtilitatem: pietatem verò valere ad omnia. In his etiam seruandus est modus, ne incidamus in ea quæ idem Apostolus ad Colossenses reprehendit, quando inquit, quæ verbotenus quidem habent speciem sapientiæ, per superstitionem, ac humilitatem animi, & læsionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis, arripiatur interdum hæc, vt exercitia fidei, & pœnitentiæ indicia & testimonia: quam fidem atque pœnitentiam in sacris literis præcepta esse, qũi pietatem sapiat, nemo ambiget. Et licet in Veteri Lege mentio fiat Voti Nazaræorum, & in vsu apud veteres fuerit, quod vitæ genus nonnihil accedebat ad eorum mores, qui prophetarum filij dicebantur, attamen illos prophetarum discipulos sua illa instituta vouisse minimè constat. Quod etiam si demonstrasses, nihil aduersus meam sententiam profecisses: quum in præsentia tantùm de Nouo Testamento agatur, & disputemus, an post aduentum Christi vouere liceat. Postremo loco de Rechabitis ea comminisceris, quæ pro te facere falsò existimas: nempe quòd vinum non biberint, ciuitates non incoluerint, aut domos: verùm tentoria, & quidem vaga habitarint, quæ tamen eis nulla Dei lege mandata erant, sed tantùm à Ionadab eorum patre imperata. Vnde contectum putas, quum testimonio prophetæ hæc probata fuerint, multa dici posse, Deo placere, quæ in scripturis non commendentur. At verum tibi ne taceam, satis mirari nequeo, studio impietatis, atque mendacij tuam mentem adeo fuisse hebetatam, vt non viderit ea, quæ scriptura clamat, quamapertissimè: parentes obseruandos esse, illisque obediendum, si velimus esse longæui super terram: neque consideraueris Paulum ad Ephæsios affirmare, hoc esse primum præceptum, quod habeat retributionem. Proinde cum parentibus oporteat obsequi, dum nihil aduersus Dei legem præceperint, quod nemo inficiari potest, siquidem legitur in Decalogo. Iam manifestissimè apparet, quare Deo placuerint, quæ Rechabitæ fecerunt. Et nescit, quid loquatur, quisquis dicit, eorum opera ex scripturis non habuisse testimonium: quandoquidem nil aliud fuerunt, quàm obedientia erga patrem, quæ quum in Nouo, tum in Veteri testamento mirificè commendatur. Augustinus quoque super psalmo septuagesimo, te luculenter docuisset, si eum consuluisses, quidnam in filijs Ionadab Deo placuerit. Iam itaque vti spero, ex omnibus, quæ mihi obiecisti, patefactum est, nihil te adduxisse, quòd ad sententiam confirmandam, quam tueris, quicquam valeat. Nam omnia, quæ commemorasti, vel in sacris literis habent dilertum mandatum, atque commendationem: vel inde conficitur ea probari, & placere Deo. Apparet etiam manifestò, quæcunque dixisti ad Votum probandum nihil attinere, vbi status nostræ controuersiæ præcipuè versatur, à quo maximè cuperem, ne in disputando quemadmodum facis, atque id more sophistarum tam facile discederes.

OBIECTVM. II.

NIhil inquit, nobis Christianis licet vouere, quia nihil est nobis, quod non debeamus ante omnis Voti editionem præstare. Verùm enimuerò de his quæ iam sunt Dei, nõ licet Votum nuncupare: non est itaque licitum vllum edere Deo Votum. Hæc ratio tam est stupida, & imperitè collecta, vt vix mihi digna sit visa vel sola recitatione, tantum abest, vt refutari mereatur à quoquam. Nam duplici nomine errat iste Petrus, dum sic argutatur primùm astruens, non licere Deo illud vouere, quod illius est, quodque illi debetur ante omnis Voti nuncupationem. Deinde quum asserit, nihil nobis esse penitus, quod Deo non debeamus, etiam citra Votum. Vtrumque istorum apertè aduersatur sacrarum literarum locis compluribus, ac Vota priscorum omnia, quæ Deo erant impensè grata & plausibilia impugnat. Nam quod Scripturæ aduersetur, procliue erit ostendere. Iacob enim vt Geneseos historia prodit, vouit Deo, tum quod illi ante Votum persoluere tenebatur, tum quæ non debebat illi citra Votum. Hæc enim habet historia: Votum etiam vouit dicens, si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero in domum patris mei prospere, erit mihi dominus in Deum. *Nónne hoc debebat Deo sine Voto? Et quæ nunc sequuntur, minimè:* Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. *Videsne Iacob vouisse, quod debebat reddere Deo citra omne Votum? nempe vt dominus esset sibi in Deum, & pro Deo vero & vnico coleret illum: ac quæ præstare voto non astringebatur, nimirum domus Dei extructionem, & omnium quæ Deus illi elargiturus esset decimarum persolutionem. Nec est quòd dicas, perperam eum fecisse, dum hæc vouerit votumque istud Deo displicuisse, quando Deus illi ex Mesopotamia reduci apparens, vel interposito iureiurando pollicitus est, ex eo nasciturum, qui esset vniuerso Israeli assertor & seruator. Colliquescit itaque ex his, quàm crassè hallucinatus sit Petrus Martyr, quando hunc tam futilem, & neruorum exortem contra vota syllogismum contexuerit. Deinde quis non omnino cæcus, velit vnquam astruere: nihil esse prorsus, quod Deo citra Votum, reddere non debeamus. Obstringimúrne sine Voto nos castrare propter regnum Dei? Omnes facultates nostras in medium conferre? quæ consulit tantùm Christus, ac virginitatem per omnem vitam colere? quod vt fiat, hortatur Paulus: amiciri vestibus ex pilis camelorum contextis? nec vesci carnibus, nec vinum aut siceram bibere, quæ fecit Ioannes Baptista? Et mox. Diuus Iacobus Hierosolymorum Episcopus ex vtero matris sanctus, vinum & siceram nõ bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo, fixis genibus in tantum pro populo deprecabatur, vt camelorum duritiem eis genua traxisse crederentur: quemadmodum Hegesippus historiographus temporibus Apostolorum vicinus, ac Diuus Hieronymus testãtur. Astrictúsne erat vir hic pientissimus omnia hæc Deo reddere sine Voto, vt ea ille vouere Deo non licuisset? Effrontem esse oportet, imò cæcum potius, qui hæc dicat. Et mox. Iam quod de primogenitis attulerit iste, non potuisse ea Deo vouerì à quoquam tempore legis Mosaicæ, recipio & causam agnosco, quod nemo Deo possit vouere, nisi sua: & proinde cum primogenita iuxta diuinam legem non fuerint hominis sed Dei non licuit illa vouere Deo. Hæc inquam recipio, sed quid ista contra Vota? Non licet mihi vouere quæ Dei sunt, fateor: At cælebs adhuc sum: integrum est mihi ac liberum, nuptias inire, aut omnem vitam meam cælibem traducere, hoc est ius meũ. Annon igitur id Deo vouere liceat mihi? Sunt mihi prædia, sunt agri, ac facultates multæ, nunquid licebit mihi hæc omnia vendere, & largiri egenis, ac Deo votum nuncupare paupertatis? Quod feciſſe Apostolos suprà ex Diuo Augustino est ostensum. Cur itaque tenon puduit, istis ineptijs onerare auditorium tuum? ac præcipuè eos, quorum eruditio possit cum tua non iniquo certare Marte? Indifferentia inquis, quæ Græcis dicuntur ἀδιάφορα quoties certo scis, illustratura Dei nomen, obstringeris illo Dei præcepto, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde & tota anima, & omnibus viribus, & illico facere sine omni Voto. Falleris Petre, ac exorbitas. Isto etenim præcepto tenemur sic diligere Deum ex toto corde, &c. vt omni conatu illius impleamus mandata. Sed quid hoc ad cõsilia? Visne omnia penitus opera, vt vitæ instituta esse nobis præcepta? Arbitror te non adeo cæcutire & hallucinari. &c. Et alibi. Quoties verò inter prælegendum inculcauit, istud futile & elumbe argumentum? Debes omnia Deo, ergo nihil est, quod illi voto dedices. Irrefutabilem reputat hunc esse syllogismum, quum sit planè ineptus, & stupidus. Quis enim vnquam dixerit nos debere sic Deo omnia, vt cælibatum, virginitatem, continentiam, paupertatem Euãgelicam, collationem in commune omnium facultatum nostrarum, & id genus alia multa, necessario debeamus ei, cum ea Christus & Paulus consulant. &c.*

DEFENSIO.

ASserui equidẽ, nec muto, sed ratũ habeo, Vota christianos minimè decere: quia cũ iã certò intelligãt, & se, & sua omnia pertinere ad Deum: debent absque Voto, & liberè, non modo se ipsos verum etiam omnia quę habent in sua potestate, in honorem & gloriam eius impendere. Vndę si quis vouerit, actum agit, quum id asserat Deo, quod iam illi debitũ est, obligatum. Rationem hãc ex lege primogenitorum confirmaui, qua nemini licuit in Veteri Testamento illa vouere. Necnon à similitudine filij, qui tabulis, & publico scripto sua officia velit parenti obstringere, quum sit in eius potestate. Et tu, vir acutissime, cęcutire me clamas, & circa duo hallucinari. Primum quod arbitrer, non esse liberum nobis vouere ea, quæ Deo iã debẽtur: deinde quod asserã, quęcunq; nostra sunt, Deo deberi. Addisq; hac mea ratione Vota Patrũ, qui vixerũt antę Christũ dãnari, quod vt in me nõ quadret, facilè poteras intelligere, si quę docui animaduertisses. Cęterũ hoc vitio tu perpetuo laboras, vt his quæ scribis, & his quę audis ferè nunquã adsis. Nónne disertis verbis tũc dicebã, quũ de his ageretur, ceremonia, rituq; vouẽdi anti quitus patres fuisse vsos, vt pædagogia quadẽ erudirẽtur, debito perpetuo & nos, & omnia nostra deberi Deo, quo nõ modo iussu legis, verũ etiã cõsuetudine vouẽdi

se ac

se ac omnia sua Deo addicta nõ ignorarét. Vnde quáuis núc Vota nõ sint nũcupáda, inde tamẽ minimè colligitur, antiquit⁹ ea nõ licuisse: præsertim cũ Euágelij tépore materia illorũ Votorũ sit sublata, quoad maximá partẽ. Quid enim veteres pollicebãtur, nisi victimas, oblationes, donaria, vel Nazaræorum instituta. Quæ omnia, quũ Christi oblationem adumbrarent, quam Deo patri repræsentauit pro nostra salute, prorsus iam euanuerunt. Ideo non rectè facis quando antiquorum Vota confers cum tuis, ni mirum cœlibatus, pauperatis, obedientiæ, atq; cum similibus, quæ docere nequeas ex scripturis res esse, quas vouere liceat: siquidem neque Christus, neque Apostoli talium Votorum mẽtionem vsquá fecerunt. Proinde insigniter mentiris, quando me fingis Vota patrum veterum oppugnare. Nam illos vmbris, ceremonijs, & pædagogijs Deus voluit exercere, quibus nos iam luce Euangelij coruscante liberauit. Sed tu ac tui similes, vt qui erga veritatem indociles, & tardi quàm maximè sitis, hęc nunquam vidisti. Desine itaque tandem in nostra disputatione mihi ea obijcere, quæ in veteri testamento quo ad hanc ceremoniam fiebant, quum intelligere possis, nisi sis plumbeus, ea contra me non quicquam facere. Quum verò inficiaris ea non esse vouenda, quæ Deo alioquin debentur, aduersus te ipsum strenuè pugnas: vt non multò inferius loco suo monstrabo: nempe quando cuidam interrogationi meæ respondes, gregem tuum Papistarum idcirco dilectionem inimicorum non vouere, quod ad illam Dei lege sint obstricti. Quæ responsio planè, si vera sunt, quæ mihi nunc obijcis, mendacissima esset. Dicis enim modò licere nobis Deo vouere, quæ illi præstare, alioquin astringimur: & rursus, si quæ respondes ibi constent, quæ modo contendis retractanda sunt, & mutanda, cum seipsa vicissim tollant. Certè mira est ratio, qua spiritus vertiginis mẽtẽ tuã, & cęterorũ infidelium exagitat. Sed audiamus, cur liceat vouere vt iste putat, quæ Deo præstáda sunt necessariò. Quoniá, inquit, Iacobus in libro Geneseos duo rerũ genera vouit: idest Deũ sibi fore in Deũ, ad quod lege astringebatur: deinde se daturũ decimas bonorũ quæ Dei benignitate illi obuenissẽt. Quę oblatio libera, neq; necessaria illi videtur fuisse. Qua re colligit dicẽdo: Iá vides Deo nũcupari Votũ de eo, quod omnino præstádũ fuit. At ego de te id scire velim, vnde hoc exẽplũ habeas, ex Nouo scilicet, an ex Veteri Testamẽto? Respondebis, ex Veteri. Cur nõ etiã pari eadẽq; ratione dicas mihi, quia licuit antiquitus vouere sacrificia, & victimas, nos quoque igitur voueamus hodie boues, & oues mactádas corã Domino? Nónne vides, vt sępius dictum est, quá sit alienũ à tua causa, quæ fiebant in Veteri Testamẽto adducere, cũ hominib. ei⁹ tẽporis ego nũquá negauerim licuisse Vota nũcupare. Neq; magni refert, an dixeris eos vouisse, vel obstricta Deo, vel libera, quum & illos in vniuersum affirmem quemadmodum & nos, nihil habuisse in animo, in corpore, aut in externis bonis, quod honori, atq; glorię Dei nõ esset obligatũ. Sed illis vouere idcirco ista licuit, quo eo ritu docerẽtur, & assuescerẽt, vltro, spõte, atq; alacri animo ea offerre Deo, quæ honori nominis eius alioquin debebãtur. Atque hoc satis superq; ad tuã rationẽ diluẽdá esse potuit: quáuis & alia nõ desint, quæ tibi respõdere queá. Quippe licuisset mihi dicere, Iacobũ nõ vouisse absolutè ac simpliciter, Deũ sibi fore in Deũ. Nã fuisset impiũ hoc Voti genus. Esset.n. perinde ac si dixisset, Deũ nõ habebo pro Deo, nisi hęc aut illa mihi præstiterit. Quę sentẽtia reuera fuisset blasphemia, tantũ abest, vt pro diuino cultu haberi debuerit: quod Rabinos Hebręorũ nõ fugit: qui ad hoc euitãdũ scribũt: se, dũ in aliena terra degunt, nõ posse quodámodo habere Deum loco Dei, quod illic ipsis nõ liceat sacrificare & subinde instaurare alias ceremonias quib. plenè testari possint, Deũ esse suũ Deũ. Volũt igitur, Iacobũ rectè atq; ordine feciss̃e, cũ diceret: Si reduxerit me De⁹, erit mihi in Deũ, hoc est, illũ colã illiq; sacrificabo: ita vt hoc loco, Deũ habere in Deũ, significet illũ externo ritu, certisq; sacrificiorũ generib. colere. Et Abẽ Esra scribit, ista intelligẽda esse, quoad nomẽ sanctũ tetragrámatõ: quasi Iacob⁹ nõ vouerit absolutè Deũ se habiturũ pro Deo, sed illũ culturũ iuxta significationẽ sancti nominis יהוה. Vnde in ea historia paulo superiꝰ dicitur, & יהוה stabat super eã, ni mirũ scalá. Vouit itaq; sanctꝰ vir, se culturũ in eo loco Deum eo nomine, eaque causa, & ratione, quòd in vertice scalæ sibi apparuerit, ac inde sibi tã magnifica promiserit. Quin & verba Hebręa, si quis ea diligentius inspexerit: hunc possunt habere sensum, vt ista particula sumatur pro conditione, quam Iacobus petierit, & expectauerit, ac si dixisset: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via ista, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad comedẽdum, & vestimentum ad induendum, & reuersus fuero in pace ad domum patris mei, fueritque mihi Deus in Deum & lapis iste, quem posui in statuam, erit domus Dei, & omne quod dederit mihi, eius tibi decimando dabo decimam. Vouit itaq; iuxta hunc sensum, locum, vbi erexerat lapidem, fore domum Dei, & se daturum decimas, modo illi Deus fuerit pro Deo, hoc est, ipsum iuuerit, quemadmodum conuenit Deo, ea largiendo, quæ prius commemorauerat, vt in via secum esset, daret panem, vestes, & pacificum reditum. Hęc omnia commodè appositeque iuxta hebraicam veritatem ad istum locum dici possunt, quo tua plumbea sophismata refellantur. Quamquam te mirari satis non possum, hominem, qui licet in Scripturis diuinis, aut parum, aut nihil intelligas, in scholasticis tamen videri velis exercitatus, quomodo vel saltem ab Aquinate seu alijs, qui scribunt 4. sententiarum, distin 38. nõ didiceris, Votum de necessarijs ad salutem nũcupatum, incompletè, vt illi loquũtur, Voti rationem habere. Nec desunt ex illis, qui huius loci Genes. 28. quę tu tractas, mẽtionem disertis verbis fecerint, docuerintque

necessitatem excludere Votum propriè acceptum: quòd id non sit, nisi de his, quæ supererogationis ab eis appellantur, ad quod nõ omnes astringuntur. Vnde quod Iacobus vouisse legitur in Genesi, Deum sibi fore in Deum, intelligendum asserunt de Voto, vt dicunt extensè accepto, vel de aliquo speciali modo colendi, honorandiq́ue Deum per decimas, & certa sacrificia. Hæc illi tradunt. Quomodo verò tu ea vel non videris, vel dissimularis te vidisse, cogites quæso. vt apud homines tuę farinæ queas excusare, à quibus haberi vis & acutissimus, & totus lynceus, cùm planè nihil scias, nisi mendacia, & puerilia sophismata. Et modò tibi aliquid occurrat, quod in me, quocunque modo credas posse dici, nil pensi habes, quàm id vel absurdum sit, vel ridiculum, vel insulsum, Negas deinde, nil esse in nobis, quod Op. max. Deo nõ sit obstrictum: rogasq́ue num absque Voto adigamur ad castrandum nos ipsos ob regnũ Dei, ad conferendum omnes facultates in medium, ad vestes induendas ex pilis camelorum cõtextas: cogamurq́ue non vesci carnibus, neque vinum bibere, vt Ioannes Baptista fecit. Itemq́ue an D. Iacobus Episcopus Hierosolymorum omnia, quæ præstitit, Deo absque Voto reddere debuerit, Adhæc ferè omnia iam superius est responsum. Et in summa demonstraui, ad ea facienda fideles astringi, quando vi spiritus sancti constanter persuasi fuerint, ea conducere ad honorem Dei, & sibi concessas vires animaduerterint, quibus præstari queant. Qui enim intellexerit, hisce rebus Deum oblectari, & honorari, & eas perficere valuerit, si renuat amplecti, certè se declarabit, Deum toto corde, tota anima & omnibus viribus non amare: ad quod mandatum lege Diuina, vt scriptura testatur, vniuersi homines obligantur. Quòd si mihi præ odio, & inuidia, qua perturbaris, parùm adhibes fidẽ, Paulum certè audias, qui ad Philippenses quarto, illud mandatum Dei amplissimum, hac explicat declaratione: *Quod reliquum est, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcũque pura, quæcunque accomoda, quæcunque boni nominis, si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc facite, & Deus pacis erit vobiscum.* Quid hæc Apostoli verba liberum nobis relinquunt, cum omnia facienda esse iubeant, quæ pura, quæ iusta, quæ sancta, quæ accommoda, quæ boni nominis, atque id si qua sit aut virtutis, aut laudis cura. Porrò cũ nostra sit infirmitas, si hęc neglexerimus, Deũ toto corde non amamus. Nullum sanè opus hominis dare poteris, quod cum faciundum suscipitur, non debeat ad honorem Dei, quantum fieri potest, dirigi: quem vt valuerit, quicunque non procurat, cùm à lege Dei, tum à Pauli adducta explicatione quàm longissimè discedit: idq; cũ perpetuò committamus, ideò quotidiè orare cogimur, vt debita nostra remittantur. De Iacobo autem fratre Domini facilè suspicari licet, nõ totondisse eum comam, neque vinum bibisse, quod fortasse votum Nazaræorum obseruaret: quod eo tempore fieri potuit, quando omnes legis ceremonię nondum penitus erant abrogatæ. Multi enim adhuc circuncidebantur quin & Paulus Vota legalia se dixit habere dissoluenda, Atque isti Iacobo, qui Hierosolymorum post Christum primus fuit Episcopus, incumbebat, vt sese Iudęis omnibus modis approbaret, & suscipiendũ gratumq́ue redderet, quo maiori efficacia, & authoritate Christum illis, & eius Euangelium persuaderet. Quantæ autem admirationi Votum Nazaræorum fuerit apud Hebræos, vtque conuenerit sacræ functioni, nõ est præsentis loci demonstrare. Adducor etiam vt de Iacobo istud facilius credã, quòd animaduertam, illum in actis Apostolicis Paulo fuisse authorem, vt Votum cum alijs susciperet, quo indicauit, vnicam hanc viam se idoneam putasse ad fidem & gratiam captandam apud Iudęos. Argumentum autem ducere ab his, quę fiebant eo tempore in Ecclesia quoad Iudaicos ritus, iam ipse, quamuis omnino ad hæc stupeas, videre potes, quam sit ridiculum, & insulsum. Etenim sic euinceretur, nunc quoq; homines esse circuncidendos, Mosaica festa celebranda, & omnia Legis onera denique subeunda. Ad meam rationem de primogenitis, respondes, te fateri non licuisse illa vouere, quòd nõ de alieno, verum de suo vota nuncupare oporteat. *Non licet mihi vouere, quæ Dei sunt*, inquis: *fateor: at cælebs adhuc sum, integrũ est mihi ac liberum nuptias inire, aut omnem vitam cælibem traducere: hoc est ius meum: sunt mihi prædia, agri, facultates nónne licet vendere, largiri egenis, et votũ Deo nuncupare paupertatis? quod apost. fecisse, demonstraui ex Augustino.* Sic te arbitraris rem expediuisse. Verũ vt fateris, primogenita Dei fuisse, cur identidem te, ac omnia tua Dei esse non fateris? An ignoras Christianos omnes ad primogenituram, ad benedictionem, atque hæreditatem cum Iacobo, Esau reiecto esse translatos? Si sumus Dei cur nos vouemus? Israelitarum ætas, cum puerilis adhuc & rudis esset, vt se Dei esse discerent, & se totos illi deberi, ideò se necessariò reddendos esse, vouebant. Nos iam hoc manifestò scimus: transiuit vmbra, res manet. Quare etiam absque voto nos & nostra liberrimè, atq; alacriter perpetuò reddamus Deo, neque nos quicquam habere arbitremur quod illi non sit obstrictum. Iactas nescio quod ius tuum. At Paulus clamat, nos precio magno emptos: & subijcit, *non estis vestri.* Quòd si nostri non sumus, vt Apostolus ait, ne sis tardus, & indocilis, id agnosce: & quemadmodum dicis te fateri, primogenita ex Voto nõ potuisse offerri Deo, quòd eius fuerint, concedas etiam tibi non licere, vt Deo te consecres Voto, vel neges te Dei esse. Desine, quæso, tua iura superbè iactare, ac intellige, vt ad Corinthios habetur, nos in vniuersum omnes obstringi, vt siue edamus, siue bibamus, siue aliud quippiam faciamus, omnia ad gloriam Dei faciamus. Videas etiam, oro, quæ tua sit constantia, docebas paulò anteà posse homines etiam Deo vouere quæ illi necessariò debẽtur: & exemplum Iacobi adducebas: verùm hic tui oblitus, fateriste agnoscere, non licuisse offerri ex Voto primogenita

An omnia nostra deo sint obstricta.

Iacobus frater domini cur tam austerè vixerit.

Omnes Christiani primogeniti sunt Dei sunt.

Matrimonium et libertas sint pręstita.

genitā, quòd Dei essent, & illi deberētur. Oportuit certè grauem, virum, eadem, non pugnātia docere. Vide ergo, ne, si pergas talia committere, non disputator habearis, sed procax & impudens vitilitigator. Quin potius fateris cuiusque cœlibatum & cuiusque matrimonium deberi Deo, & quenq; obstrictum esse ad alterumeorum eligendum (modò suppetant diuinitus vires) prout viderit magis Dei gloriam illustrari. Liber dicitur cœlibatus cōmuni lege, quia neutrum præcipitur: cū neutrum omnibus hominibus, omnibusque temporibus conuenire possit. Cæterum singulis quibusque hominibus, quando ad electionem horum generum vitæ acceditur, alterum eorum præcipitur, nimirum quod gloriam Dei magis promoueat: habito nihilominus respectu ad imbecillitatem carnis, & pericula, si qua immineant. Dicis præterea me falli, qui præceptum diligendi Deum toto corde, tota anima, & omnibus viribus, tam latè accipiam: & arbitraris mandatum illud sic esse intelligendum, vt dicamus, Deum toto corde, tota anima, & omnibus viribus tū diligere, quando omni conatu mandata eius implemus. At mihi tam perspicuum videtur Dei hoc edictū, vt ista tua interpretatione haud quaquam egeat: quam etiam si admisero, nihil tibi prodesse intelligo. Non enim te adeò peruicacem arbitror, vt inficiari audeas, huius mandati verbis, hominibus præcipi, vt Deum diligant. Iam de hoc inter nos conueniat. Nunc ex tua definitione illud assumo, quod ais, hîc iuberi vt omni conatu Dei mandata impleamus. Quomodo autem id præstabunt, si ea reijciant, quæ magis intelligunt Dei honorem illustratura, præsertim si possint, modò velint, ea facere? Si te ratio ista, quæ alioqui firmissima est, & verbis tuis innititur, nō permouet, saltem ex definitione Amici mouearis, quæ ab Aristotele in primo Rhetoricorū traditur, hoc modo: Amicus est is, qui omnia ea, quæ arbitratur bona esse illi, quem diligit, facit propter ipsum. Audis, quid sit diligere quempiam, & amicum illi esse? An dubitas ea lege, de qua nunc agimus mandari, vt simus amici Dei? Si hoc fateris, vti debes, necessario quoque dabis, astringi quemlibet ad omnia ea facienda, quæ Dei gloriæ viderit expedire: atq; id non alia de causa nisi propter ipsum Deum. Satis iam videre potes, causam tuam nihil esse releuatam, dum commentitia expositione, vel potius deprauatione, verbi Dei iucundissimū vinū conatus es diluere. Quid hoc, inquis, ad cōsilia? Visne omnia penitus opera, & vitæ instituta esse præcepta? Consilia equidem, cum ad opus obeundum venitur, nulla video, quæ libera nobis relinquantur. Nam quisque vt dixim⁹ ad id eligendum astringitur, quò magis viderit amplificari, & ornari Dei gloriam. Verùm si loquamur de omnibus hominibus in vniuersum, aliqua concedam inueniri consilia, vt cœlibatū & matrimonium: quia non omnibus præcipiuntur, neque omnibus conueniunt. Non tamē ad hunc sensum dabo esse consilia, vt à singulis hominibus, quibus conueniunt, aut quibus repugnant, liceat ea temerè vt voluerint, vel reijcere vel amplecti. Quæ posthęc rursus blateras de voto paupertatis, quod affirmas Apostolos nunquam esse, vt somnium confictum, ab hominibus non à sacris literis proditum, funditus respuo. Quereris postremò quod sępius auditorio meo hæc inculcauerim. Id equidem me non ab re fecisse arbitror: quando tu, ac similes tui adeò infatuastis, ac dementastis miseros auditores falsa & pestifera opinione de operibus quæ vocantur (more vestro) supererogationis, quibus Vota, quæ defenditis, innitūtur, vt nunquam satis ad liberandos animos ex his erroribus, à quoquam nostrûm laboretur. Neque me arbitror parùm effecturum, si vel nunc mea ista lucubratione, stultitiam è corde tuo, quæ illi penitissimè insita est, nonnihil valuero excutere: Quamquam certò sciam frustra me conari, nisi Deus efficaci, potentique caduceo spiritus ac verbi sui virga te à stupore, seu veterno, quo grauaris, excitauerit.

Cœlibatus & matrimoniū an sint præcepta vel consilia.

OBIECTVM III.

VIrginitas, inquit, aut continentia à concubitu cum vxore, est res per Euangelium libera: sed quisquis vouet eam Deo perpetuò duraturam, facit eam necessariam ergo contra Christi authoris Euangelij institutum abutitur Euangelio. *Quis potest hic se à risu, imò à lachrimis potius temperare? cum videat illum à quo nonnulla spes fuit, Ecclesiam vindicatum iri ab erroribus irrepsis in religionem Christianam, & quem multi pro Deo aliquo suspiciunt, colunt, ac venerantur, tam dilucidè suam prodere insciti am crassissimam? Abutiturne is Euangelio Christi, aut eius Lege, qui quod liberum est, facit necessarium? Nónne liberum est, atque integrum cuique ante editum votum, & initas nuptias, connubium contrahere, vel secus, & tamen cum illud semel contraxerit, necessarium est illi matrimonium, obstringiturque necessariò reddere debitam benevolentiam vxori petenti? Quid ergo? Num hinc colligis non esse licitum inire matrimonium, aut ineuntem abuti Euangelio aut Lege Christi contra eius institutionem? Sub hæc, liberum erat Ananiæ, & Saphyræ vxori eius agri diuenditi pretium vel ad pedes Apostolorum abijcere, vel apud se seruare &c. Et mox: Denique quem fugit, priscos illos patres, qui Mosi vixerunt temporibus, atque sub ipsius Lege, ferè semper de rebus liberis feciße necessarias, cum Deo Vota nuncuparent? quippe qui obstrinxerint se per Votum, ad id præstandum Deo, ad quod alioqui præstandum non erant obligati. Ait enim illis Deus per Mosen Deuteron. 23.* Cum Votum voueris Domino Deo, nō tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod semel egressum est de labijs tuis obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate tua, & ore tuo loquutus es. *Nón-*

ne vel locus hic vniuersam Petri Martyris Itali doctrinam aduersus Vota temerè effutitam conuellit, labefacit, & penitus explodit? Nam vota de liberis reb. facta, adeò non esse illicita, Deo ingrata, & rumpenda ostendit, vt doceat illum seuerè exigere ea, suppliciumque de nobis vouentibus eiusmodi sumpturum, nisi ea obseruauerimus, haud secus quàm eramus polliciti. Si non liceret rem liberam vouere Deo, fuissent omnia veterum patrum illicita Vota, atque exegisset Deus ab illis illicita &c. Visne, *inquit Petrus iste,* tui principis legem mutare? *Quorsum ista Petre? Immutat ne ille Christi legem, qui iuxta illius consilium vouet virginitatem, aut continentiam Deo perpetuam? Nónne dicit Paulus se de virginibus præceptum Domini non habere, sed consilium dare? Vt ergo nolo principis mei iustam legem mutare, ita cum Vota Deo nuncupo, Legem nullã immuto, sed consilia tantùm impleo. Et mox. Quare cum pergendo ait iste Petrus,* noluit Christus cœlibatum tibi esse præceptum, *suam prodit imperitiam ac sese doctis omnibus propinat deridendum, imò defl endum potius. Quis enim est eum non deploraturus, qui putet orthodoxos ideo tueri, Votum continentiæ esse pium, & semel nuncupatum Deo non esse dirimendum, quòd velint, aut existiment, cœlibatum esse à Christo præscriptum, aut iussum & nõ potius consultum? Etenim ab eo Matthæi 19. & à Paulo eius Apostolo primo Corinth. 7. consulitur cœlibatus: sed Votorum persolutio iubetur, iuxta illud Dauidicũ,* Vouete *(id consilij est)* & reddite *(hoc præcepti, Tantáne laboras Petre cæcitate, aut malicia, vt dicas propterea catholicos asserere, cœlibatum esse præceptum à Christo, quod propugnent Votorum piorum saltem redditionem esse præceptam? Integrum ac planè liberum esse dicunt, Vouere cœlibatum: atqui emissum Votum reddere, non item, sed necessarium: sed felix est necessitas illa, quæ astringit nos Christo arctius inseruire, ac ad eum penitus colendum adigit.*

DEFENSIO.

Virginitas & cœlibatus, ita Christiano libera manere debent, vt inde, cum opus fuerit, absque vlla nota, infamia, vel suspicione pecati, quisque ad matrimoniũ semper transire possit: vt si quando verbum istud cœlibatus non capiat, sed, vt Apostol. dicit, aduratur, non sit ei præclusum matrimonij remedium: & ob inductam Voti necessitatem, flagitijs innumeris, adulterijs, & scortationibus ecclesiam pollu at. Vnde qui vult religionem ab errorib. repurgare, vt ipse spurcè ac barbarè loquens in eam irrepsis, necesse est vt Votis hisce temerarijs proviribus resistat. Quâ autẽ sis purior disputator, & elegãtior dialecticus, quàm fueris grãmaticus, ex eo declaras, quòd vinculum indissolubile, quod matrimonium contractum, excepta fornicationis causa sequitur, vis conferre cũ necessitate, quæ per vestras leges inducitur, ad virginitatem, & cœlibatum, ex Voto perpetuo seruanda: Cum matrimonij nexus indissolubilis citra scortationis causam, Deum Patrem, & Christum, atque Apostolum habeat authorem: Necessitas verò cœlibatus aut virginitatis ex Voto à vobis accersita, nec vnum habeat ex sacris literis testimonium. Quód matrimonium. constare debeat, & esse firmum, spiritus sanctus manifestè demonstrat: Sed quòd virginitas, & cœlibatus Voto fiant necessaria, merum est hominum commentum. Qua igitur audacia ista inter se conferre audes? Prætereà non sentis vt à vero aberres, cum doces, vnumquenque liberum esse, antequam nuptias contrahat, aut voueat: cũ sæpè vlu veniat, vt qui coniugio non est adhuc astrictus, aduratur, labatur, & scortetur fœdissimè, neque valeat continere. Istum appellabis liberum, cùm Lege astringatur ad ineũdum coniugium, quod posteà ex instituto Dei citra scortationis causam non est dissoluẽdum? Ex quo apparet, Deum virginitatem, & cœlibatum, per seipsa non tanti facere, vt vos fingitis. Alioqui, vt vult semper à virginitate, atque cœlibatu patere transitum ad matrimonium, ita vellet à matrimonio reditum patefieri ad cœlibatum. Sed quia proinde intellexit, posse homines in matrimonio perfectissimè adipisci salutẽ & multis de causis expedire, vt coniuges à se in uicem non diuidantur, honestissimam Legem tulit, de non soluendis matrimonijs: E diuerso autem quòd videret sæpè fieri, vt qui cœlibes, & virgines degunt, matrimonio denique interdum egeant, ideò liberum semper esse voluit aditum ad cõiugium, ne qui sunt infirmiores excidant à salute. De Anania & Saphyra, iam, affatim respondimus: & de priscis patribus audiuisti, quomodo ceremonijs inseruierint sui temporis, Quare de illis quicquid adducas, quo ad rem nostram, fuerit, vt dicitur, extra oleas. Potuerunt itaque illi ex rebus liberis, non quidem vt tu vis, sed, vt superius declaratum est, necessarias facere, cum id tunc temporis à Deo concessum fuerit. Denique non ista vouebant, aut sibi faciebant necessaria, quæ non possent ab ipsis absque animi exitio seruari: quemadmodum accidit de vestro cœlibatu: quem vbi, qui extra vires ipsum retinere conantur, aut per hypocrisin assimulant, in turpia, & nefandissima scelera incidunt: cuius rei nolo extra teipsum quempiam alium testem adducere. Vouebant sanè illi victimas, oblationes, & institutum Nazaræorum: qui licet à vino, & nonnullis alijs abstinerent, non tamen ab vxoribus temperare sibi cogebantur. Quæ omnia, cum ex Voto Deo promissa essent, is nequaquã accusandus erat, quasi exigeret illicita: nisi velis eum pariter accusare, quod plerasque alias ceremonias, à quibus nos Christus liberauit, seueriter tum temporis exegerit. Quare vos idcircò dixi Christi, & Apostoli sententiæ parum deferre, imò eam peruertere ac deprauare, siquidem virginitatem, & cœlibatum, quæ Dominus & Paulus libera esse voluerunt, quò remedium laborãtib. perpetuò esset in prõptu, vos iure voti necessaria facitis. Christus dixit, *qui potest capere, capiat.* Vos dicitis imò & ille, qui non potest capere, modò vouerit capiat. Nónne hoc est placito & voluntati Christi aduersari? Paulus ait, *præceptum Domini non habeo*

Scriptura statuit matrimonium indissolubile: sed cœlibatum non facit necessarium.

Matrimonium est quandoque necessariũ.

Cõiugi non patet reditus ad cœlibatum.

beo, sed consilium do. Quibus verbis cœlibatũ consulit, non autem Votum cœlibatus: vos autem cœlibatus & virginitatis Vota prædicatis, vt res Deo gratissimas. Quibus votis, quod liberum esse debuit, iam efficitur vestra sententia necessarium, vt nisi virginitas, aut cœlibatus promissa ex Voto seruentur, qui vouerit æternum sit periturus. Quî fit, vt, quod Paulus dixit: *Melius est nubere, quàm vri: &, qui non continent, nubant*, quoad hos qui vouerunt, incassum prolatum fuerit: cum tamen Apostolus accuratissimus doctrinæ salutaris administer neminẽ exceperit? Paulus ait, *se non habere de virginitate præceptum*. Hoc vos ægrè fertis, hoc vos malè habet. Ideóque hanc libertatem Christianã non patimini saluam in omni hominum genere: & rationem initis, vt per Votum, quod ipsi finxistis, necessarium efficiatur, quod iacrarum literarum decreto liberum esse debuit. Paulus ait *se nolle cuipiam laqueũ injicere*: vos laqueos Vorum sine fine multiplicatis. Cur, quando aliquis vouere decreuit, ei non dicitis: Charissime in Christo frater, quòd cœlibatus, aut virginitas tibi arrideat, huiusque cõmodissimæ vitæ facultatem, donúmque diuinitus habeas, tibi plurimùm gratulamur: cœlebs igitur, aut virgo purè, castè, sanctéq; degas cum animo, tum corpore: & quò expeditior es à coniugij molestijs, eò magis precibus, studio, atque doctrina, & probis operibus regnum cœlorum promoueas: attamen à Voto abstine cum hoc genus ceremoniæ, aut oblationis, in Testamento Nouo, sub quo in præsentia Dei fauore agimus, verbum Dei non habeat. Quin potius Christ⁹, & Apostolus hæc voluntaria & libera esse ideò voluerũt, vt semper valeamus eam vitæ conditionem eligere, quã magis, tum ad illius honorem tum ad nóstram salutem conducere videremus. Hoc nos requirimus: hoc libertati Christianæ consonat: hoc apostolicis, & Euangelicis literis est maximè accommodatum. Quid hinc obsecro te, aut saluti hominum, aut diuinę gloriæ decederet? Nihil. Hoc si fieret, & societates piorum haberi possent, & collegia rectè instituta, vbi homines quandiu vellent, probè ac sanctè erudirentur, & quoad sacras literas, & quoad mores. Deinde si opus esset, absque vlla nota leuitatis, inconstantiæ, aut peccati ad matrimonium transirent. Felix porrò fuit ecclesia, quãdo in hoc instituto permãsit: felices fuerũt ciuitates, & regiones quæ talia contubernia olim habuerunt: vnde perpetuò valebant bene sancteque eruditis ciuibus abundare, illisque pro necessitate, vel ad ecclesiam regendam, vel ad rempublicam administrandam euocare. Vna porrò hæc est causa, quæ me vehementer impellit, vt scholasticorum collegia tantoperè diligam, complectar, & cupiam pro viribus magistratibus & principibus commendata, quoniã in eis degitur absque votorum laqueis, bonæ artes atque vtiles doctrinę percipiuntur: ibiq; potest pia respub. bonorum virorum thesaurũ semper habere ad manum. Verùm duo cum primis diligentissimè curanda sunt à magistratibus. Primùm, vt illic sancta disciplina, quoad mores, & integritatem vitæ floreat, maximoq; studio retineatur: deinde qui aluntur ibi, veræ ac Euangelicæ religioni toto pectore faueant, & obediant. Alioquin & ecclesia inde grauissimos hostes experietur, & respublica ministros perfidos, & crudeli animo, ac impotẽti erga publicum bonum affectos. Verùm hęc obiter. Ad quæ Smythæus, & similes eius, qui sunt strenui animorum venatores præ cautibus obsurduerunt. Dicit modò, se vouendo implere consilia. Quis verba Pelagij, & sensum Cælestij nõ agnoscat? Legem nemo implet, dum vitam hanc miseram viuit: at istis non satis est iactare superbissimè, quòd legem impleant, nisi etiam istud idem prædicent de consilijs, quæ tamen volunt lõge absolutionis esse perfectionis, quã est Lex omnibus posita. Sed quam est ridicula, & stolida hæc illorum arrogantia? Vt enim longissimè abiunt à complenda lege, ita produnt eorum adulteria, & nefariæ libidines, quemadmodum impleant cœlibatum, & virginitatem, quæ pro perfectissimis consilijs habent. Et ne procul exempla quęram⁹, certè Oxonij vel tui symmistæ, quin ipsa quoque subsellia loquũtur amplissimè, de integra & illibata Smyth. pudicitia. Impingit mihi præterea, quòd ascribam doctoribus orthodoxis opinionem, qua putẽt à Christo cœlibatum præscriptum, & iussum, cum tantum contendam necessariam esse vorum persolutionem. Sed iste homo tanta vertigine laborat, vt iam illi tecta, & plantæ ambulent, quando me dixisse talia opinatur. Nunquam ego superstitiosos huius criminis insimulaui, quod opus vouendi cœlibatum dicant absolutè simpliciterque necessarium ad salutem: tametsi dum nolunt ministros in ecclesia ordinare, nisi voto cœlibatus interposito votum huiusmodi non sinunt omnino esse liberum. Vti enim ecclesia non potest carere ministris, sic iuxta eorum tyrannidem, Votum cœlibatus erit prorsus necessarium: quandoquidem non sinitur per eos quisquam attingere sacrum ministerium, nisi prius cœlibatũ voueat. Quamuis ego cum docerem hoc loco istud non attigi: vt qui tantum dixerim, per hos animorum Crudelissimos venatores, cœlibatum qui liber fem per esse debuit, tum Christi, tum Apostoli sententia, ob votum iam multis factum esse necessarium. Quis præterea non miretur, quum audiat hunc Smythæum adducentem Dauidem, cùm inquit: *Vouete, & reddite*, atque audacia cõsueta interpretantem, Vouete consilium esse, Reddite verò præceptum. Vnde tu acutissime vir, qui vel ipso aspectu oua dijudicare potes ex qua gallina sint nata, ex his verbis Dauidis hãc distinctionẽ colliges? Fingas, me tibi nõcredere, vt reuera fidem nunquam habeo: quomodo confirmabis mihi, vouete esse consilium, & reddite, præceptum? iuxta tuum iudicium, cũ Dauid ait: *seruite domino in timore*, equidem pariter dicam his verbis dari consilium: nam priori loco ponitur: & hęc sententia deinde additur: *Exultate ei cum timore*, quod affirmabo es-

Pelagiani iactant se complere legem.

Aduersarij votum faciunt in ecclesia necessarium.

Verbum Dauidis Vouete & reddite.

se præceptum, non alio sanè argumento, nisi quòd posteriori loco inducitur. Porrò, quòd attinet ad formam inclinationis verbi, vtrinque modus est imperátis. Sed scopum Psalmi, quęso, attentius intueamur. Aliqua populo Dei cõtigerat insignis victoria, qua Dominus hostes Israel deiecerat, atque prostrauerat. Ideòq; populus tanto percepto beneficio, vt authori eius gratias ageret, præcepto stringebatur. Quę gratiarum actio, licet in animo primũ reperiatur, attamen & verbis, & prout illa rempora exigebant, victimis, atque oblationibus externis testificanda erat. Idcirco præcipit, vt voueant, & & reddant. Ceremonia & ritus vouendi non erat in lege descriptus: sed vt illo tempore erat in vsu, inseruiebat gratiarum actionib⁹, & precibus. Cum enim aliquid vehemẽter petebãt, & precibus à Deo impetrare contendebant, aliquid vouendum fuit. Nec non percepto aliquo singulari beneficio, quia sæpius erant procul à tabernaculo, vbi solùm mactari victimæ poterant, fuerunt vouendæ. Quamobrem Dauid, vt Dei propheta, impulsus cœlesti spiritu, quum commemorat populo datam aliquam salutem, iubet, vt voueant: & præcipit, vt Vota nuncupata reddant, quo perfecta sit gratiarum actio. Cæterùm isti accidit, vt his qui sunt alicuius rei vehementer cupidi: hi enim sibi videntur eam per omnes vias & angulos videre, quum tamen semper fallantur: Ita Smythæus, quia miro ardore flagrat confirmandi consilia, quæ cuique libera sint, & postea ex Voto fiant necessaria, testimonio diuinarum scripturarũ, in omni fermè illarum parte, arbitratur se nactum ad suam causam firmum argumentum: licet in eis locis diuersa, & omnino alia pertractentur. Ideo non mirum est, si dum se credit leporem cepisse, canem denique in reti deprehendat. Nõ itaque verba Prophetæ consulentis, sed iubentis censenda sunt. Voluit enim Dauid, vt præclarum acceptum beneficium Israelitæ Deo ascriberẽt, à quo prouenerat. Et quia si quem lex requirit, demonstraturi erant, gratum erga Dominum animum, votiuis litandũ fuit victimis, propterea sic eis vt facerent, quasi Dei nomine imperauit. Non potuit attamẽ adeo hic noster dissimulare, quin sentiret ex voto aliquam constitui necessitatem. Idcircò exclamauit: *O felix necessitas, quæ astringit nos Christo arctius inseruire, ac ad eum penitius colẽdum adigit.* Porrò non aliter possent latrones, qui manicis, & compedibus iunceis vincti essent, exclamare, O felicia, & beata vincula: quandoquidem illa disrumperent, quoties liberet, & solùm à stultis, & pueris existimarentur vincti, quum reuera solutissimè agerent, & expeditissimè. Sic istos video, qui tam peruicaciter cœlibatus Vota laudant, & defendunt, quoties visum fuerit, scortari, adulteria designare, varijs libidinib. contaminari: & cùm ne per somnium quidem, aut ludum putarint vnquã se teneri voto cœlibatus, nisi eò vsque, vt castum sanctumq; matrimonium non ineant, facilè postea cantillant O felix necessitas, quam videlicet, quoties arriserit, vario multipliciq; genere impudicitiæ vincimus. At è diuerso facilè alios timidos, & superstitione vinctos audias, qui rem seriò agunt, & carnificina conscientiæ miserè afflictantur, seq; vident in obseruando huiusmodi Voto frustra luctari, ac sæpe infeliciter cadere longè diuersa exclamare, dicereq; O infelix necessitas, qua cùm simus impuro corde, contaminato animo, & corpore immũdo, ab inuocatione Dei casta, religiosa, pura cogamur desistere. O calamitosa necessitas, per quam potius necessarium est, vt vramur, quàm pio puroq; in coniugio liceat viuere. O miserrima necessitas, qua illos etiam qui nõ continent, ecclesiæ crudelissimi tyranni astringunt ad viuendum absque legitimis nuptijs. Istorũ infelicium voces, quæ timoré Dei spirant, & quod verum est, non dissimulant, audiendæ fuissent: non tuæ, ac tuæ farinæ hominum, qui simulatis Curios externa fronte, sed clam viuitis Bacchanalia.

OBIECTVM IIII.

PErgit Petrus iste, *non tam ratiocinari, quã ineptire contra vota inquiens:* qui vouent captant hinc perfectionem. At iniuriam facit Euangelio, quisquis molitur altius vergere, quá illud instituit. Id quod, qui vota nuncupat, facit: non licet itaque vouere. *Hic quod aßumpsit, quodque probandum sibi eßet, vt in quo argumenti istius cardo vertitur quamobrem reliquit intactum? nisi quòd facultas probandi illud ei non suppetierit: quippe quod ex diametro pugnet cum Euangelio Christi, tantũ abest, vt cum eo pugnent Vota omnia. Dicat enim mihi iste, qui fieret, vt ille progredi velle vltra Euãgeliũ, rectè dicatur, qui ea Deo voueat, quæ consulit Euangelium, nempe castitatem, paupertatem, virginitatem?* Matthæi 19. *&c. Et alibi. Iam quod inficiatur cœlibatũ pertinere ad Euangelicã perfectionẽ, nec id probare conatur, verisimile est, imò certum, nihil eum in promptu habuisse quo illud probet. Vultne suos auditores Pythagoræ discipulos imitari, vt sat habeãt, quod* αὐτὸς ἔφα, *ipse se dixit? Certè hi non adeo repunt humi, nec apud illos tantæ sunt fidei ac ponderis istius Martyris dictata, vt his citra omnẽ tum authoritatẽ, tum rationẽ sinant se dimoueri ab ea religione, quã iam antèà imbiberũt, quamq; multis retro seculis catholica amplexa est ecclesia.* Et mox. *Vt animantes omnes quæ erant extra arcam Noe diluuio perierunt, ita quisquis est extra catholicã ecclesiam, ab ea per hæresim, aut schisma aliquod diuulsus, ac decisus: qualis est iste Petrus Martyr in æternũ dãnari, visi eam tempestiuè introierit, est necesse.* Et mox. *Cur itaque cœlibatus aut spontanea desertio vsus rei vxoriæ, non rectè diceretur perfectæ virtutis esse ac promouere hominẽ ad Euangelij perfectionẽ? Deinde quamobrẽ, dic mihi sodes Petre, non debeat illæ vitæ status, ac institutũ ad perfectionẽ pertinere, cui redditurus est Deus peculiare aliquod brauium, quod eximium sit, & aliorũ longè excellat præmio, &c.* Et mox. *Consiliũ inquit Paulus do. Videsne Petre maiorẽ gloriã in cœlo erogandã virginibus, quã coniugibus, aut viduis? Augustinus de sancta virginitate, refutat illorũ opinionẽ, Petre, quam tu propugnas, quibus persuasum est, statũ virginis cõnubio anteferri debere, solũ propter vitæ huius molestias, non propter maius aliquod præmiũ cœleste.*

Vt breuis ſim, at reliquorũ veterũ ſcriptorũ miſſas faciã de hac re ſententias, nonne Chriſtus inuitat homines ad cœlibatũ & virginitatẽ, tanquã ad grãde & eximiũ vitæ inſtitutũ, quũ inquit, qui poteſt capere capiat? Et mox. *Redeo ad probandũ cœlibatum, ac virginitatẽ, ad Euangelij perfectionẽ ſpectare, quod negat iſte Petrus: quẽ rogatũ percupio, num illud dicatur meritò pertinere ad Euangelij perfectionẽ, nec ne, cui Chriſtus daturus eſt præmiũ haud vulgare, ſed inſigne, & quod aliorum piorum præmijs ſit longè præſtãtius? perfrictæ frõtis oportet eum eſſe, ſi id neget imo cùm indoctum, tum impium. Quod verò hoc genus præmij donabit Chriſtus continentẽ degentibus vitam, ipſe oſtendit inquiens Apoſtolis, quorum omnium nomine Petrus dixerat:* Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Amen Amen inquit Chriſtus, dico vobis, quòd vos qui ſequuti eſtis me, &c. Et mox. *Sub hæc, nónne Paulus dixit, vnumquemque recepturum mercedẽ ſecundum laborem ſuum? Quis neſcit plus laboris inſumere eos, qui expugnantes omnẽ libidinẽ, & penitus ab officio coniugali abſtinentes, cœlibẽ degũt vitã quã qui indulgent vxorum amplexibus? Cur itaque non redderet eis maius aliquod præmium, tanquã cultoribus arctioris, difficilioris, & perfectioris vitæ & inſtituti? Nónne iſtorum eſt perfectior vita, qui ſolliciti ſunt, quæ ſunt Domini, vt illi placeãt, quam illorum qui ſolliciti ſunt quæ ſunt mundi? quomodo placeant vxori? Illi enim authore Auguſtino, ædificant ſuper fundamentũ aurũ, argentum, & lapides precioſos: iſti lignum, fœnum, ſtipulã. Corint. 3. Nónne ergo debuit te pudere, inficias ire cœlibatum, ac continentiæ ſtatum prouehere hominẽ ad perfectionẽ maiorẽ, quã coniugatorũ inſtitutum? Hieronymus lib. 1. cap. 14. cõtra Iouianum, colligit ex eo quod Petrus dicit:* Ecce nos reliquim⁹ omnia &c ſequuti, &c. *apoſtolos accitos ad Euangeliũ etiã vxores, ſi quas habuerũt, reliquiſſe, cũ tu Caluinũ imitat⁹, negas cœlibatũ, & Votũ cõtinẽtiæ fuiſſe eis notum & t.*

DEFENSIO.

SIquis tibi manus, aut crura præcideret, neq; quicquã operari, neq; quoquã incedere poſſes. Ita etiam non eſt mirũ ſi argumẽta, & rationes meas dicas nihil efficere, quũ eas mutilas, & detruncatas vel audiendo perceperis, vel malitiosè ita retuleris. Nõ enim ſimpliciter, vt in mea patet aſſertione, affirmaui, non eſſe votum cœlibatus, vt ipſi fingitis, perfectionẽ Euangelicã: ſed rationes adieci, quas tu in omnibus cõfutationibus, pro tua fide, neq; attigiſti, neque recitaſti. Si cœlibatus, inquam, vt vos vultis, perfectio eſt, & Deus ipſum non præcepit, voſq; illum per Votum facitis neceſſarium, melius videbimini ſaluti veſtræ conſuluiſſe, quàm ipſe Deus: vt qui nolitis vllo modo illa perfectione carere, quã Deus vobis, nõ vt neceſſariã, ſed vt liberã, quemadmodum exiſtimatis, propoſuit. Hoc ego aſſerui pertinere ad iniuriã Dei: quũ artifex quilibet abſolutionis operum ſuorum, quã ipſa opera longè ſit cupidior. Mea itaque probatio in eo conſiſtit: Deus non exigit à vobis cœlibatũ, in quo eſt (vt vos decernitis) maxima Chriſtianorum perfectio: At vos ad cœlibatum vos ipſos ex Voto aſtringitis, quòd exiſtimetis per illum vos fore, quã citrà illum, meliores: Igitur de veſtra perfectione pl⁹ eſtis ſolliciti, & melius conſtituitis, quã Deus. Nam ille vobis oſtendit rem hanc vt liberam: at ipſi vobis facitis eam neceſſariam. Deus fert, vt, ſi velitis, ea careatis: vos nõ patimini ea deſtitui, eãq; nullo modo vultis amittere. Proinde veſtræ perfectionis maiorẽ curã geritis, quam Deus ipſe gerit. Quod vt ſit abſurdũ, ne dixerim impium, ab omnibus intelligitur. Ad hęc dicebã mirũ eſſe, quónã pacto De⁹ quę meliora eſſent, & perfectiora, nõ iuſſerit, qui minus perfecta exigat. Certè, qui aliquã rẽ bene curãt, id cum primis quidẽt, quòd illã reddat perfectiorẽ: ideoq; ipſã maximè exequũtur, mãdãt, præcipiũt, & omnino requirũt. Si qua verò minoris momẽti ſunt, ea nõ ita iniquo animo patiũtur abeſſe.

Vos autem facitis Deum, quę minus ad noſtrã perfectionẽ attinẽt, legis rigore imperaſſe: ac illa, quę nos perfectiſsimè reddunt Euangelicos, non exigiſſe, ſed reliquiſſe libera. Iniuriã præterea luculentã fieri dixi ſpiritui ſancto, ſi conſtituamus hominis perfectionem, citra literas ab eo eccleſiæ afflatas. Vnde cum in ſacris literis Noui Teſtamenti, quibus noſtro tempore Dei cultus eſt accõmodãdus, Voti huiuſmodi mentionem non inueniatis, cõficitur, perfectionem à vobis quæri, citra diuini ſpiritus magiſterium. Cœlibatum, aut virginitatẽ poteritis in nouo Teſtamento oſtendere commendatã: Votum verò de his nuncupatum, aut nũcupandũ nuſquã indicabitis. Annón id eſt, ſe ſpiritu ſancto iactare ſapientiorẽ, conſtituere Votum cœlibatus ad Chriſtianam perfectionẽ maximè conducere, cum ſpiritus diuinus eius nuſquam meminerit? Taceo præterea, quia id ſuperius oſtendi, quã iſti fallantur, dum perfectionem affirmant ad præcepta Dei non pertinere. Nam quoties nobis in ſacris literis dicitur, *perfecti eſtote?* Ac ne arbitreris vulgarẽ perfectionem, requiri adiectum eſt, *vt pater veſter cœleſtis.* Et Paulus nõ ſemel iuſsit, ad quos ſcribebat vt perfecti eſſent. In his præterea quæ docui, cœlibatum aut virginitatẽ ideò confirmaui, mandatis quæ in lege continentur, non eſſe perfectiorem, quòd ſi ad illa duo præcepta conferantur: *Diliges Dominum Deum tuum, toto corde, tota anima, & omnib⁹ viribus:* &, *nõ cõcupiſces*, lõgè inuenientur infrà iacere. Poterit enim quiſpiã permultos inuenire, aut virgines, aut cœlibes: at qui Deum perfectè dilexerint, vt lex præcipit, quiq; non cupiuerint, nullos inueniet. Adieci tandẽ, cœlibatum matrimoniũmq; genera quędam eſſe vitæ: in quorum vtroq; ſumma Euangelij perfectio locum habere queat, quamuis in vno ſæpè facilius quam in altero. Atque ſic meum aſſumptum, quod tu clamitas, non probatũ, probaui: cumq; tu rationes adductas nõ ſolueris, contra te adhuc fortiter demicant, & æternum pugnabunt, quandoquidẽ veritas perpetuò manet. Atque patet ex his, quomodo rectè dixerim: vltra Euangelium progredi, qui ea voueat Deo, quæ Euangelium conſuluerit, nempe cœlibatum & virginitatem: quoniã ſub neceſſaria Voti obligatione tentat ea recipere, quæ vt libera Euangelium cõmendauit. Certè, vt ſæpius dixi, nuſquam Euangelicæ literæ vel præceperunt, vel adhortatæ ſunt, vt iſta Voto

Probatur votum cœlibatus ad iniuriam Dei fucere.

Iniuria fit ſpiritui ſancto cum cœlibatus voto nuncupatur.

Mandata Dei ſunt perfectiora celibatu & virginitate.

Qui ſic vouent vltra Euangeliũ progrediuntur.

nuncupemus. Sed iuxta insanã grammaticam huius hominis, idem significat virginẽ, aut cœlibem viuere, atq; ista Voto nũcupare. Propterea cum legit in Nouo Testamento aliquas adhortationes ad cœlibatum, & virginitatem, statim existimat harũ rerũ Vota suaderi. At bene potuit ex moribus suis, atque ex suo grege facilè intelligere, hæc inter sese non esse eadẽ. Quãdoquidem illi virginitatem, aut cœlibatũ sanctè vouent, cum intereà loci, neque virginitatẽ viuãt, neque sanctum cœlibatum præstent. Cũ itaque tantùm distent à se inuicem, Smythęus nõ debet mirari, si scripturæ ad vnũ, eos qui posſunt, & donum habent, hortantur, de altero verò tacent. Miretur potius seipsum, qui hæc nõ distinguat, sed perpetùò, vt sophistæ cõsueuerũt, misceat cœlum terræ. Est autẽ nobis notũ disputando nusquã magis peccari, quã vbi diuersum ab eodem non seperatur. Hanc itaque meæ doctrinæ partem, vt liquet, probauit: quocirca me vt arrogantẽ iniuria carpit, qui Pythagoræ instar nudo meo sermoni ab auditoribus credi velim. Id vitij genus nõ mihi verùm sibi ac sui ordinis hominibus maximè omnium debet ascribi: qui, quod semel somniarũt, statim satis probatũ credunt: Quũmq; ex aliquo de patribus, qui homines fuerũt, & ideò sępe labi potuerũt, & lapsi sunt, dixerint, ille ita & ita scripsit: quod minus ferendum est, si Papæ, vel alicuius Decreti nudum verbum protulerint, satis idoneam probationem suorum figmẽtorum allatã putãt. Hoc est hominib⁹ inniti, & velle ratũ esse illud Pythagoricorũ, αὐτὸς ἔφα. Nos verò quũ sciam⁹ Euangelicã doctrinã nõ esse ab homine, nunquã arbitramur, rectè nos, aut ordine quippiam docuisse, nisi vsque ad verbum Dei, rationes quas adducimus, resoluerimus: atque ibi demum stamus, ibi pugnamus, ibi fidimus nos nõ errare: summaq; diligentia cauemus, nõ vt ad loca obscuriora scripturæ argumẽta nostra, & rationes resoluantur: sed ad perspicuã lucẽ, clarissimasq; sententias oraculorũ Dei, auditores deducimus, quò agnoscamur Dei nuntij, nõ autẽ humanarũ traditionũ ministri. Auditores meos Oxonienses prędicas, nõ vsq; adeo humi repere, vt dictata mea temerè admittãt. Qua de re aliud respõdere nolo, nisi quòd ingentes gratias diu noctuq; Deo meo ago, qui effecerit, vt complures illorũ, indolis, ingenij, ac eruditionis nõ penitẽdæ magno studio Euangelicã doctrinã amplectãtur: cuius hic mè Deus pro sua misericordia ministrũ constituit: eoq; profecerunt & pietatis & doctrinæ vt, illis acerbissimè doleat, vnquam te apud se docuisse. Verùm de his equidẽ nõ libẽter loquor, siquidẽ ad causam minimè pertinent: & video te nõ propter aliud hæc atti gisse, nisi quòd ambitione atq; inuidia, qua miserrimè laboras, huc vel imprudens passuses te rapi. Nã cui dens aliquis vehementer dolet, is imprudẽs, & volẽs, lingua eũ perpetuò agitat. Deinde facito multos hìc esse, qui mihi nõ credãt, an inde veritas doctrinæ æstimanda videbitur? Nõ arbitror: cũ Paulus dicat ad Romanos: *Quid si quidã illorũ nõ crediderunt? nunquid eorũ incredulitas Dei fidẽ irritã fecit? Absit.* Siue igitur auditores crediderint siue nõ, modò, quòd à me docetur, verbo Dei suffulciatur perspicuo, certo, nihilo magis aut minus erit verum. Ideoq; scito à me talia nõ vsq; adeo magnifieri: quæ si tu momentũ maximũ habere arbitraris, nõ est mirandũ, cũ diutina cõsuetudine assueueris, nõ alia de causa iudicare aliquã sententiam Patrũ, aut conciliorũ verã, nisi quia fides ei vulgò adhibetur, neq; vt oportuit eam reuocas ad examen scripturarũ. Discite tandẽ, licet serò, pro veritate, nõ ad hominũ sensus, sed ad verũ splendorẽ, lucemq; certissimã verborũ Dei mẽtis aciẽ cõuertere: neq; id spectes, an homines assentiãtur, an dissentiãt: alioquin in tãta varietate animorũ eris incertus, ac nutabis. Vellem præterea libenter de te scire, quo iure, quãue ratione me tanquã schismaticũ, & ab ecclesia præcisum tanta rabie proscindas. Nullas ego scripturas diuinas repudio: sacramentorũ perceptione, vt Christus illa instituit, & frequenter, & libentissimè vtor: omnes admitto traditiones, quæ necessariò ex verbo Dei cõuincuntur: in adiaphoris præterea, quæ cum verbo Dei nõ pugnãt, neq; trahuntur in abusos facilè, consentio. Cur igitur ab ecclesia sum præcis⁹, aut schismaticus? Quia superstitionibus resisto? At ita fuit Christus, & eius apostoli ἀσυνάγωγοι. Fortè me sic traducis, quòd à Papa defecerim. Verũ hoc non est ab ecclesia discedere, sed ab Antichristo ad Christũ trãsire, & à malignantiũ cœtu, ad verã Dei ecclesiã se adiũgere. Verũ heus tu, si hoc est in crimẽ schismatis incurrere, purga teipsum. Tu.n. nõ minus quam ego, à Papa desciuisti, quãuis in prędentia, vt perfidus transfuga, in eius castris, & sub eius signis militare te fingas. At nõ sunt Romanensiũ ingenia, tam parũ nasuta, quin facilè sint olfactura leuissimam tuam inconstantiã. Imò ea iam deprehensa est. Vt.n. mihi significauit & grauis, & ingeniosus vir, ita præ tua sapiẽtia in Gallijs te geris, quasi sis vespertilio, qui nec à volucribus Euãgelicis, neque à papisticis quadrupedib⁹ recipiaris. Hic est Diaboli triumphus in homines perfidos, vt ad perditionem illos vafra tentatione sollicitet: deinde illa perfecta, proditores omnibus exoses & detestabiles relinquat. Sed vt ad institutũ reuertar, quæris ex me, cur abdicatio vsus v. xoris nõ dicatur esse perfectę virtutis, ac promouere hominẽ ad Euãgelij perfectionẽ? Huic tuę admirabili percõtationi, sic paucis respondeo. Quia ego specto, quæ per se ipsa aliquid assequũtur, nõ quæ temerè, aut quamadmodũ loquũtur, per accidẽs ei adiuncta fuerint. Vnde quũ hodie ad virginitatẽ & cœlibatũ non semper imò quã rarissimè cõsequatur Euangelica perfectio, siquidẽ tyrãnide hominũ, ista obtrudũtur, nõ spiritu Dei suadẽtur: ideo illa perfectiones Euãgelicas esse per se nego: quũ Euangelica perfectio, nõ in nugis, sed in fide præstãti, atq; illustri charitate cõsistãt. Quin sæpe videas homines, qui dũ fuerũt cœlibes, vixerũt perditè: quũ verò se ad matrimoniũ contulissent, puríssimè vixerũt. Quod ego malũ, si malũ dici debeat, tibi imprecor, vt denique impudicitiæ, ac libidinũ tuarũ pertæsus, quia cõtinere nõ vales, ad matrimonij portũ cõfugias. Iam rationẽ habes, cur ego cœlibatũ perfectionẽ Euãgelicã esse

Disputãdo maximè peccatur, quũ idem & diuersũ non distinguuntur.

Adiaphora matrimonium non ob id perfectæ virtutis.

esse negem: quoniã cum maxima imperfectione frequenter inuenitur cõiunctus. Aliquibus ad sanctitatẽ conducit, quòd plurimas auferat carnis molestias: aliquib⁹ verò maximo est impedimẽto, ne in Christiana philosophia proficiant, quando vel vruntur, vel non continent. Tu erò conaris diuersum ostẽdere, quòd Christus pro eo sit redditurus eximium, & singulare præmiũ, quod alijs piorum mercedibus longissimè præstet. Sed hoc tuum argumentum, vt modò quæstionẽ odiosam, & inutilem, de paribus aut disparibus præmijs sanctorum, missá faciamus (nam tantundẽ ratio tua efficit, siue detur, siue negetur) adeo infirmũ est, vt causam tuam nulla ex parte adiuuet. Assentiri propositioni, quã affers, me fingito, illã esse Christiani hominis perfectionẽ, cui Deus ampliorẽ mercedem attribuit: Quomodo assumptum probabis, cœlibatui potius illud esse dandum, quã præclarę fidei atq; syncerę charitati? Proculdubio hîc deficis: nam si reperiantur ista in coniugato, longè meliora quàm in cœlibe, siq; admittatur inæqualitas præmiorum, coniugato illi plus citra controuersiá tribuetur, q̃ cœlibi, qui minus fidei & charitatis habuerit. Cumq; Paulus dicat, redditurũ esse Dominum cuiq; secũdum opera sua, velim mihi abs te demonstrari operũ radices, atq; principia. Non poteris profectò alia ostẽdere quàm fidẽ, & charitatem: cũ dicatur ad Galatas, fides, quæ per dilectionem operatur. Proinde, quia ista tã in matrimonio, quã in cœlibatu reperiuntur, in alterutro interdum perfectiora, interdũ minus perfecta intelligere potes, falsò assumi, Deum esse redditurũ maiora prę̃mia cœlibi, q̃ cõiugato. Posthac itaque sectaris quę sunt per se, nõ autẽ more sophistarum, quæ per accidens contingunt: & animaduertas, diuersitatem præmiorum, si danda sit, propriè respicere dignitatẽ fidei, & charitatis, non diuersa vitæ genera. Cæterũ quod instituisti, probare niteris, quia Christ⁹ Petro interroganti omniũ discipulorum nomine, Quid erit nobis, qui omnia reliquimus, quò te sequemur? respondit: *Vos qui secuti estis me, sedebitis super duodecim sedes iudicantes, &c.* Hîc videris oblitus, aut dissimulare, promissionem hanc ad omnes Christianos pertinere: ná Paul. dicit ad Corinth. priore, quòd essent & mundum, & angelos iudicaturi. Et omnes, quotquot in Christum credunt, omnia sua debent relinquere: nõ modò affectu, ne scilicet illis nimium hæreant, sed animi quoq; præparatione: vt quoties pro Christo ipsis carẽdũ sit quemadmodũ interdũ accidit, quando acerbę persecutiones aduersus Euangelij professionem excitãtur: vel si nobis prę̃ciperetur, quemadmodum ab Apost. requisitum fuit, vt ea relinqueremus, prompti simus ad obediendum, & omnib. reb. nostris cedendum, vti necessitas exposcet. Præmiũ apostolis, quod hæc fecerint, promissũ est, ac redditum: quod idem nobis promissum, ac reddendũ intelligitur, si vel idem fecerimus, cum opus fuerit, vel idem facere habuerimus constitutum, si Deus à nobis postulauerit. Quamquã nõ possum istũ hominẽ satis mirari, qui ex eo quod a

A bat, nisi dicendo. Quid inquis tu, an id non credis? Hoc asseruit Hieronymus cõtra Iouinianũ: asserit hoc Augustinus, &c. Dicat id, & credat quisquis voluerit: ego verò hoc ipsũ cerò scio, Relinquere, sermone Latino haud significare, vouere. Annon rectè fieri potest, vt quis, quum negotiorum suorum causa cogitur ire aliò, vt sę pe fit, vxorẽ suam alicubi relinquat: & quo sibi eundum est proficiscatur, neque tamen vllum votum cœlibatus Deo nuncupet? Sed agè hoc

B euincamus manifestissimè, ex illo Matthæi decimo nono: esto iam, sicut vis, relinquere vxorem, idem esse, atq; vouere, vxorẽ posthac nolle tractare, aut cognoscere tanquam vxorẽ. Porrò necessarium erit, si cõstanter ista significatio retineatur, vt eadem similiter in alijs reb⁹ valeat, quæ à Christo illic enumerãtur: inter quas recensentur, pater, mater, & filij. Quid igitur iuxta tuam grammaticã erit patrẽ relinquere, aut matrem? Nihil sanè aliud, nisi vouere, parentes

C nunquã posthac se habiturum, aut tractaturũ quasi parentes. Item relinquere filios, erit vouere se posthac non habiturũ illos pro liberis, vides itaq; demũ in quę detrudaris absurda, nẽpe vt hæc tua vota quę affingis Apostolis, contra præceptũ Decalogi sint nuncupata: quòd mandat parentes, & venerandos, & fouendos: liberosq; in timore Domini educandos, à Paulo disertè præceptũ est, atq; id, quod magis aduersum te facit, requirit ab Episcopo, qui iam

D ad Ecclesiasticum ministeriũ est vocatus, vt ad Timotheũ, & Titũ scribitur. Ad hæc, retia quoque & nauim reliquisse dicuntur. Vnde iuxta tuum sensum vouerunt se posthac neque naui, neq; retibus vsuros. Qui tamẽ postea piscatum iuerunt, quã Christus resurrexit. Proinde non poterunt euadere, quin abs te accũsentur violati Voti. Deinde Christus excepto scortationis casu, diuortiũ prohibet. Verũ si tuã sequamur

E sententiã, quoties aliquis, vel à Deo vocabitur ad aliquod ministeriũ, vel eum oportebit, sequente persequutione relinquere vxorem, illico matrimoniũ rescindetur, fietq; diuortium. Ná quemadmodũ tu ais, r l n quendo vxorẽ in huiusmodi necessitatibus, cœlibatus Voto nuncupatur. Non oportet, mihi crede, perpetuò respicere, quid Hieronymus, quidue alij Patres dixerint, aut de aliquo loco scripturæ statuerint: sed oportet ipsas diuinas literas perscrutari, ac

F diligenter videre quisnam sensus magis conueniat, quisue dissentiat, & à verò sit remotior: alioquin semper tanquã fistula sic sonabis, vt ab alio inferis. Quodq̃ subijcis, me negãdo Apostolos cœlibatum vouisse, Caluinũ sequi, bis temeritatẽ tuam patefacis: principio quidem quòd nescias, an ego ipse per me hoc viderim, an ex illo egregio doctore, vel ex Luthero, vel ex Bucero, vel ex Bulingero, pijs & eruditis viris didicerim: deinde quod pudendũ arbitraris, cũ pios, tum in sacris literis eruditissimos viros sequi: cũ tamẽ ipse perpetuò scriptoris cuiusuis ecclesiastici, modò nostrã ætatẽ antecesserit, licet sine authoritate pronuntiet, aut affirmet, sententiã quam leuissimè, ac futilissimè adducas. At quem ipse morẽ obseruem, si scire cupis, expediã paucis: propono mihi ante omnia sacras literas, quas vt sequi possim, pro viribus rimari & scrutari non desisto, quo ad eruam nõ

Relinquere vxorem nõ est vouere cœlibatum.

Christus vocando Apostolos diuortium inter illos, & vxores non iussit.

Quæstiones nõ sunt ad Patres reuocandæ, sed ad scripturas.

somnia hominũ, sed earum quantũ fieri potest, legitimum sensum. Quî fit, vt à cæteris pijs hominibus, imò à nullis dissentiam, quantum intelligo sacras literas posse ferre. Quòd verò tãtum virum, quantus est Caluinus, ac similes eius maledictis acerbis & odiosis audes insectari, diabolum refers, qui calumnias pijs hominib⁹ perpetuò struit. Cæterũ videamus adhuc, quomodo probare nitatur, quod assumpsit: nimirũ cœlibatum, seu votum suum (nam ista sæpe cõfundit, & quę est nobilis eius dialectica, pro eodem habet) perfectionẽ Euangelicam esse. Consiliũ, inquit Apostolus, do: ergo in cœlo maior gloria eroganda est virginibus, quàm coniugibus. Quis hic diuinet, vndè nam hæc argumentatio vim habeat? Sed vt in pauca refutationẽ eius conferam, à Smythæo responderi mihi velim, an præcipiatur nobis, potius vitã ponere, quàm Christi nomen abnegare. Scio, non negabit: quum Christus dixerit, eum, qui amat animã suam, illam esse perditurum. Quod quũ ita sit, dabo martyrem, qui pro Christo vitã posuerit, è diuerso cœlebs, aut virgo statuatur. Vtri dabitur potior merces in patria? Si virgini dixeris, non solùm omnibus Patribus verùm & tuis scholasticis sophistis aduersaberis. Sin verò primum locum dederis martyri, facilè inde colliges, plus præmij habere obseruati onem mandati, quàm consilij. Cur igitur tam inconsultè argumentaris: consilium do, inquit Apostolus, ergo maiora præmia dabuntur virginibus, quam coniugibus? Quasi Deo magis placeat, vt consilia faciamus, quàm vt obseruemus præcepta? Iam cernis quam apertissimè tua sophismata deprehendantur. Rursus idem stabilire conaris, quum inquis, *Christus quũ ad cœlibatum nos inuitat, ad grande, ac eximium opus vocare se ostendit, quum dicit, qui potest capere capiat.* Difficile genus vitæ in quibusdam cœlibatum esse, non nego. Haud tamen illum concedo sic Deo gratũ, quẽ admodũ est toto corde, tota anima, & omnibus viribus ipsum diligere, aut, sicuti mandatur extremo præcepto, nõ cõcupiscere. Adhuc in eodem voluitur luto: & licet parum feliciter, procedat, attamen inde vult euincere, deberi maius præmium virgini, quã coniugato: quia si Deus reddet vnicuiq; secundum opera sua, quis non videat, inquit, maiorem esse laborem, expugnare omnem libidinẽ, quàm ab vxorum amplexibus nõ abstinere? Redditur itaq; illi maius præmium, quòd arctius, difficilius, & perfectius institutum sequatur. Vitam cœlibum non diffiteor aliquibus laborare difficultatibus: sed pium matrimonium sæpe longè maiores habere contendo. Fingamus (vt esse potest) pauperem, qui quum animaduertat se aduri, neque posse continere, ita vt pudicè, castéque uiuat vxorem ducit, liberos procreat: Dũmque familiam sibi à Christo cõmissam alere studet, plurimũ diu noctuque laborat, Deũmque assiduè precatur, vt suis laborib⁹ det successum: is omnia hęc si patienter ferat, paupertatis, inquam, incommoda neque disciplinam, eruditionemq; liberorũ piam negligat, imò curet summa cum diligentia, vt in timore Dei educentur, proculdubio negare non poteris, talẽ hominẽ & graues, & arduos labores ad honorem Dei subire. Idemq; si tantum sua cõmoda spectasset, & voluptates, non duxisset vxorem, sed (vt plærique vestrũm faciunt (scortando, & adulteria committendo naturali cupiditati satis feciſſet: nec magno labore, quantum ad proprium victum sufficeret, necessaria sibi vni comparasset. At ita facientibus scriptura minatur exitiũ. Dicitur quippe à Salomone: *Meretrix profunda fouea*: & Paulus regno Dei cùm scortatores, tum adulteros excludit. Alteri verò qui sanctè coniugium colat, & pro sustẽtãda familia plurimũ laborat, in Psalmo promittitur, quod labores manuum suarũ sit manducaturus, habituruſq; vxorem instar abundantis vitis, & filios quasi plantulas oleæ circa mensam. *Ita*, inquit propheta, *benedicetur vir qui timet Dominũ.* His quæ iam exposuimus, ostendim⁹ nõ carere magnis varijsq; laborib⁹, & Deo sanè gratum esse legitimũ matrimoniũ. Ex altera parte nunc spectemus virginem, aut cœlibem, qui donum continentiæ à Deo sit nactus. Illum planè multis curis negotiorũ atque familiæ regendæ sentiemus carere, plúsq; otij ac temporis ei dabitur, vt studijs sacræ doctrinę, sacrisq; concionibus habendis vacet & publicis precibus: habebitque fortasse expeditiorem mentem ad res Euangelij tractandas: & licet aliquibus laboribus nõ careat, facilius tamẽ vitæ genus adeptus erit, atque docendo, & concionando frequentius, imò assiduè forsan vtilior erit ecclesiæ. Sed quòd alterius labores atque molestias, & quidem pias & sanctas vincat non facilè dixerim. Neque labor maiorem huic cœlibi, quàm coniugato, aut fidem, aut charitatẽ necessariò inesse. Id autem à pijs hominibus cumprimis intelligendũ est, summam difficultatem, aut laborem, non in hoc, aut illo genere vitæ ponendam esse à Christianis, sed in abnegando ac mortificãdo seipsum. Quod, cũ omnibus credentibus debeat esse commune, nõ est, quòd quisquam id magis in cœlibatu, quàm in matrimonio quærat. Infiniti reperiuntur in cõiugio, qui multò plus huius mortificationis, & abnegationis assequuntur, quàm virgines, & qui de cœlibatu sibi vehementissimè placent. Is igitur magis in regno Dei laborat, qui vnà cum Christo magis crucifigitur mundo, quocunq; sortitus fuerit vitæ genus. *Maior*, deinde dicis, *merces illis dabitur, qui solliciti sunt eorum, quæ sunt Domini, vt illi placeant, quàm his qui solliciti sunt eorum, quæ sunt mundi.* Nõ docet Paulus istis maiora deberi præmia, quàm illis, veluti abs te additur: sed tantùm ait, sollicitudine istos distrahi, & illos minimè: quod euertit priorem tuam sententiam, qua pronuntiabas magis laborare cœlibẽ. Nam si vtrunque tam cœlibem, quàm coniugatũ verè pium, & sanctum dederis, coniugi maioris labor sollicitudinis obstrepet: quia plus mundi sollicitudines excruciant, quã eorum quæ Dei sunt: quãdoquidẽ nisi quis rectè cauerit, & illis moderatè, ac prudenter vtatur, verbum Dei præfocãt, ne fructificet: quod Christus in parabola seminis in terram iacti de spinoso loco docuit: atque iste timor pios mirificè reddit anxios. Verùm hîc video, in quo vt plærique alij tui gregis, hallucineris. Etenim putas his verbis à Paulo mundum pro vitio-

An in cœlibatu, an in coniugio grauiores labores perferantur.

Quis in coniugio Christo magis laboret.

Mundus in scripturis non sumitur per vitium.

tiosa re accipi quũ ipse mundi nomine prauas cupiditates, aut libidines minimè intelligat, sed tantùm curas de necessarijs ad victũ, & ad rem domesticam tuendam. Cœlebs ab his curis liber esse ostẽditur, coniunx verò illis detineri, quod perinde non ita potest interdum, sicut alter, sacris promptè vacare, sed propterea nõ imminuitur necessariò eius fides & charitas erga Deum, propter quem vxorem duxit. Nam cũ dono virginitatis, aut cœlibatus animaduerteret se destitutum, ne fornicaretur, & adurere tur, subiretque curas & deterrimas, & turpissimas, laboriosum connubij susceptum institutum: & sollicitudines, inhonestas, impulsa dilectione Dei, commutauit cum alijs honestioribus, & melioribus quas habet plærunque matrimonium sibi adiunctas. Et idcirco tanta fide tantáque charitate potest eas perferre, quãta cœlebs potest sacris perpetuò incumbere. Caue itaq; putes mũdi sollicitudines, quas Paulus memorat adiunctas matrimonio, vitiosas, aut inuisas Deo esse, quasi ad peccatum pertineant: siquidem vox mundi, quemadmodum est dictum, hoc loco victum corporalem, & rei familiaris curam significat: à quibus curis neque sanctus cœlebs, quòd homo sit, prorsus est alienus, quàuis illis minus occupetur coniugato. Neque tẽ prætetea lateat, Apostolũ, cum dixerit, maritũ sollicitum esse quomodo placeat vxori, non eas respicere sollicitudines, quibus adducti nõnulli stulti mariti comunt & ornant sese, ac magna vanitate corpus expoliunt, vt vxoribus forma, vultúque, ac muliebri cultu plus commendentur. Ita non sunt Christianorum coniugũ, sed infidelium, mollium, & lasciuorum ethnicorũ. Sed Paulus placendi vxori sollicitudinem vocat honestam, sanctam, prudẽtemque conuersationem, qua iustis vijs pax coniugalis procuratur. Etenim virum cauere oportet morositatem, ne sit difficilis, ac temerè coniugẽ suam afficiat tristitia: curare quoque debet, vt Petrus piè monuit, vt infirmiori vasculo iustum honorem deferat: quod maximè fit, cum in his, quæ honesta sunt, queque de pietate nihil imminuant, aut detrahunt, benuolentia coniugali assentitur vxori: quę sollicitudo, cum multa quotidie accidant, quibus vnus coniugum facilè alterũ possit aut irrirare, aut afficere tristitia, neque paruã est, neque leuis momenti: non tamẽ haberi debet ex illo curarum numero, quę Deo displiceant, aut inter peccata censeantur. Imò si ob tales vitandas curas qui opus habet matrimonio, ipsum detrectaret, is animam suam læderet, & Deo non leuiter displiceret: dum quæ ex fide, vtque Deo purè seruiat, subit istas molestias, magna Deum prosequitur charitate, ac apud eum non vulgarem init gratiam. Proinde Apostolus nil aliud voluit, atque in matrimonio grauiores esse sollicitudines, & circa viliora, quàm in cœlibatu: quod manifestius paulo infrà expressit, cum diceret, carnis tribulationem huiusmodi habituros: nilque prætereà subiecit, vnde tu colligas, maiora præmia deberi cœlibi, quàm coniugato. Id autem falso tu putas confici ex maiori facilitate vacandi sacris. Sed obsecro, mihi dicito, si diues cum opibus abundet, facilius eleemosynas largiatur, quàm inops, num ea de causa plus illi mercedis affirmabis deberi, quã inopi, qui & paucas det eleemosynas, & nulla cum facilitate, quandoquidem vix habet, vnde quippiam interdũ queat dare? Certè Domini testimonio vidua, quæ tantũ duo minuta obtulerat, plus laudis meruit, quam illi diuites, qui opulentissimas oblationes inferebant. Iam vides ad quæ principia rationes tuæ resoluantur: vt semel dicas difficilioribus operibus deberi maius præmium: deinde tui oblitus, velis mercedem potiorem reddi cœlibatui, quòd expeditior sit, & paucioribus curis distrahatur. Audiui nonnunquam esse quandam bestiam, quæ se ipsam deuoret, sed eam nunquam vidi. At nunc intelligo, argumenta tua esse tale quippiam, cum seipsa inuicem perdant, atque dissoluant. Neque multùm me mouet, quòd Augustinum adducas dicentem, coniuges ædificare lignum, fœnum, aut paleam, cùm cœlibes ædificent aurum, argentum, & lapides prætiosos: quia omnes fermè intelligunt, quàm Augustini expositio illi loco parùm conueniat. Agitur quippe illic de doctrinæ diuerso genere, nõn de statu cœlibis & coniugatæ vitæ. Vnde cum discedat interpres à verborum Apostoli sensu, non mirum si error in colligendo accidat. Neque Augustinus in loco quem adducis, de fide & operibꝰ capite decimosexto in sua expositione, quam (vt audiuisti) non admitto, docet cõiugatos omnes ædificare fœnum, lignum, aut stipulam, sed tantùm illos, qui vxores nimio, atque ideo vitioso prosequuntur affectu; neque dicit, virgines esse, aut cœlibes, qui ædificent aurum argentum, & lapides pretiosos. Sed priusquam desinam, opus esse video, vt me ipsum de quodam crimine purgem, quod mihi, vt soles, iniustissimè impingis: quasi defendam cœlibatum præferendum matrimonio, tantum propter vitæ huius molestias: quam, vt refers, opinionem Augustinus in libro de sancta virginitate manifestissimè confutat. De Augustino autem & alijs Patribus, quid ego iudicem sentiendum, præcipuè quoad istam quæstionem, suo loco exponam. Nam decreui nunc, quemadmodum sum præfatus, ea tantùm loca, seu rationes, quas ex scripturis sanctis adduxeris, tractare seorsim ac diluere: posteà dicturus, quid mecum, vel qui contra me faciant Patres. Nunc ad id, quod mihi ascribis, sic habeto: me nunquam cogitasse, dixisse, aut scripsisse, cœlibatum, aut virginitatem, pio alicui suscipiendam, solùm ob huius mundi curas, & molestias fugiendas: nam hoc esset procul dubio nimium se amare, ac sua tantùm quærere: cui sanè proposito, quantum leges charitatis aduersentur, omnes planè intelligũt. Quis non videat Christum explicatissimè dicere, propter regnum cœlorum eunuchos Euangelij sese castrare? Sed eo loco regnum cœlorum non accipitur, vt multi arbitrantur, quasi isti sese contineant ad obtinendam æternam vitam: aut, quemadmodum tu putas, vt habeant in ea mercedem opulentiorem. Non huc Christus respexit: quoniam & æternã vitã Christianus potest in matrimonio assequi: & si præmia beatorũ sunt imparia, eorũ magnitudo

Circa difficiliora est maiora virtus.

Locus Augustini.

Quare cœlibatus aut virginitas interdum suscipienda.

non penes cœlibatũ, & matrimoniũ ſunt metiẽ A
da: ſed, vt iam docui, penes fidei atque charitatis excellentiam. Sed loquutus eſt Chriſtus de promotione, augmẽto, & amplificatione regni cœlorum, quã inter homines quotidie accipit, dum plures trahuntur ſpiritu, docentur verbo Dei, orationibus, & precibus iuuantur: quibus rebus cũ cœlibes expediti⁹ vacare poſsint, quã coniugati, ea cauſa illis qui valent, & à Deo facultate continẽdi ſunt donati, virginitas, & cœlibatus proponitur expetendus. Quam Chriſti B
ſententiã ſic intelligendã, Paulus perſpicuè cõmonſtrat. Præmiorũ.n. cœleſtiũ nullam mentionem facit, ſed *ſolùm*, inquit, *virginẽ curare, quæ ſunt Domini, vt ſancta ſit & corpore, & ſpiritu, & vt Domino adhæreat, abſque vlla diſtractione:* quę conditiones atque virtutes his maximè vtiles ſunt, qui perpetuis doctrinis, precib⁹, & diuinis functionibus ad regnũ cœlorum propagãdũ, ſunt addicti. Non quòd & in matrimonio Chriſtiano eſſe non poſsint iſtæ virtutes: verũ, vt diximus, in cœlibatu, atque virginitate & facili⁹ & C
expeditius inuenitur. Proinde non ſentio viro Chriſtiano cœlibatum tantũmodo expetẽdum ob moleſtias euitandas: quanquã videam gregem, quem tu ſequeris, impudicorum ſacrificorum, & monachorum, id genus vitæ non ad ſanctitatẽ, vel ad regnum Dei augendũ detorquere: ſed poti⁹ matrimonio ſe abdicaſſe, vt molli⁹ atq; diſſolutius viuant. Quãuis non ſum adeò ſtultus, vt à veſtro conſilio atque propoſito regulam quam pij ſequi debeant, ſtatuam ſumendam, quam duntaxat ex verbo Dei trahi oporteat. Hoc hactenus diſputaui tecum, concedẽdo prędmia ſanctorũ inæqualia, de qua ſanè quæſtione nunquã exiſtimaui acriter digladiandũ: cum illud tempus animo tranquillo expectare, valeam, quo nos docebit experientia, quomodo res habeat. Vnum tamen te monebo, & etiam atque etiam rogabo, vt ſtultam ſuperſtitioſamq; opinionem de meritis operum denique abijcias, qua cùm periculoſiſimè labores, hinc fit vt in votis, ſupererogationib⁹, & diſparitate præmiorum commemorandis & defendendis frequentiſsimè verſeris. Ea tamen diuerſitate mercedis hactenꝰ tibi permiſſa, intelligere iam facilè potes, vt nihil in cauſa tua profeceris.

OBIECTVM V.

TV quòd extenues cœlibatum atque continentiã, citaſti ex Athanaſio, fuiſſe quondã coriariũ Alexandrinũ & martyrũ, oraculo diuino Antonio monacho æquatũ: hinc decerpens, ſed indoctè admodũ, cœlibatũ aut continentiam nihil præſtare nuptijs, quod ad vitæ attinet perfectionẽ. Iſtud nemo pius & doctus inficiatus eſt unquã: nempè poſſe eſſe, & fuiſſe coniuges multos, quorum vita & ſanctimonia nihilo erat inferior vita continentiũ, & virginum: ac propterea Auguſtinus ait, de bono coniugali, cap. 24. Nõ eſt impar continẽriæ meritũ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias: & in Abrahamo qui filios genuit: nam vt Iohannes in opere, ita Abraham in ſolo habitu continentiã colebat. Melior eſt aũt caſtitas cœlibum, inquit, quã nuptorũ, quarũ vnam Abrahã habebat in vſu, ambas in habitu: caſtè.n. & coniugaliter vixit: *hactenus ille. Hinc liquet, quãobrem vita coniugum queat aliquando perinde grata eſſe Deo atque cœlibum & virginum, non quod horũ ſtatus & vitæ inſtitutũ non præſtet illis, nec quòd cœlibat⁹ & virginit⁹ nõ debeãt anteponi nuptijs: ſed qui cõiunx eſt, poterit fide, ſpe & charitate, atque reliquis virtutibus penſare imò excedere aliquando cœlibatum & virginitatem, ac ſimul aliarũ virtutũ chorũ. Proinde hiſtoria illa de Antonio & coriario, nil prorſus iuuat cauſam iſtius Petri, contendentis vota piorum nihil adferre perfectionis. Quum enim cœlibum, virginum, aut continentium fides, ſpes, charitas, obedientia, & reliquæ id genus virtutes quiuant æquo Marte certare cum iiſdem virtutibus coniugum, quis niſi aut impudẽs, aut prorſus cæcus ibit inficias vitam illorum, horum vita præſtabiliorem eſſe, atque Deo longè chariorem?*

DEFENSIO.

NVlla vnquam ego laboraui cupiditate extenuandi dona Dei, inter quæ purum etiã cœlibatũ annumero. Quare cũ me traducas iniuſtè, tu ipſe mẽdacij atque falſi potes accuſari. In eũ finẽ hiſtoriã Antonij recitaui, vt virginitatem, aut cœlibatũ per ſeſe, ac natura, ſua nõ eſſe Chriſtianã perfectionẽ oſtenderẽ. Qua in re nõ exiſtimo, vel à veritate, vel à doctorũ virorum iudicio me diſſentire. Semper.n. audiui ieiunium, cœlibatũ & virginitatẽ ſua natura virtutũ B
rationẽ minimè habere, niſi opere ac re ipſa inſtituantur, & dirigãtur ad aliud bonũ, quod ſit per ſe ipſum expetendũ: id eſt, vel ad preces, vel ad ſancta ſtudia, &c. Quòd ſi tu idem nõ ſentis, pro tuo inſito ſtupore, in luce clariſsima caligas. Ebuccinas me indoctè iſta colligerẽ ex allata hiſtoria. Quid hoc eſt? ſi ſumma perfectio, æquali, tã in coniugio, quã in cœlibatu reperitur, nõne appoſitè cõfectũ eſt, neq; matrimonio neq; cœlibatui perfectionẽ eſſe propriã? Si.n. C
alterum illorũ ſua natura perfectio eſſet, certè in eo in quo reperitur, perfectionẽ augeret: ſed illã nõ auxit in Antonio, qui cœlebs erat, & prędicatus eſt à Dei reſpõſo æqualis cõiugi: quare bene ſequitur, ſua natura cœlibatũ non eſſe perfectionẽ: ſi quod attinet ad fidẽ, ſpem & charitatẽ, quæ ſunt veræ perfectionis Euangelicæ menſuræ, Antonius & coriarius fuerunt pares: certè conſequitur, cœlibatum non feciſſe Antonium Deo grariorẽ. Verùm quid hîc me laborare oportet, cũ ipſe fatearis quorundã coniugatorũ vitam, poſſe nihilo eſſe inferiorem, vita cœlibũ, & virginũ? Vnde mihi videtur, argumento euidentiſsimo (vt dialectici loquuntur) à cõiugatis probè ſequi: cœlibatus natura ſua eſt perfectio: ergo iſte cœlebs eſt perfectus. Quòd ſi rectè hoc pacto nõ argumentamur, cœlibat⁹ per ſe nõ erit perfectio, ſed illã oportebit alibi quęrere. At iſte homo Lynceus argutatur, ideo illos æquari poſſe, quòd nõnulli cõiugati, licet opere coniugio ſeruiant, attamen habitu virginitatẽ, ſeu cœlibatũ complectũtur: vnde meritò aciure dicitur quandoq; cõiugatus æquari cœlibi quia vitã ei⁹ habitu, licet nõ opere habet. Et Auguſt de bono cõiugali, ſententię huius mihi producis teſtẽ, qui æquet Abrahamũ in nuptijs Ioãni, qui fuit abſq; cõiugio. Cui⁹ ſententia pro me facit. Nõne de pijs & ſanctis cõiugib⁹ modò agitur? alioqui iſte coriari⁹ nõ poſſet æquari Antonio, niſi pi⁹ fuiſſet. At quinã piorũ hominum,

hominũ, si sint in matrimonio, vehemẽter non A cupiant esse cœlibes, & virgines habitu, si facultate denunq; cõtinentiæ à Deo nacti sint, videantque se posse virginitate, aut cœlibatu latius regnũ Dei promouere. Imò eodem habitu optat in cœlo esse, vbi sancti neq; vxores ducũt, neque sanctę nubunt. Equidẽ pro certo habeo neminẽ esse, modò sit pius, qui seruitute coniugaliũ curarũ, si fieri possit, & Deo placeat, liberari nõ cupiat: æquatur dignitas Abrahami, & Iohannis: æquatur Antonius coriario: cœliba- B tus itaq; nõ est per se Christiana perfectio. Hic mihi rursus occurris. Aequãtur, quoniã quod vni deest, quo ad virginitatẽ, aut cœlibatũ, supletur fide, spe, atq; charitate, seu bonis operib⁹ inde cõsequẽtibus. Verũ hìc te percũctabor, an affirmare audeas, plus fidei, spei, & charitatis habuisse Abrahamũ, q̃ Io. Baptistã & coriariũ, q̃ Antoniũ? Vide, quid agas, si neges, iam nõ erunt pares: quia fidẽ, spẽ, & charitatẽ habebunt æqualẽ, & alteri eorũ, præter illas virtutes, acce C det virginitas, quæ vt tu decernis, perfectio est Euangelica. Quare iam erunt iuæquales, cõtra testimoniũ Augustini, & aduersus historiã, quã tractamus. Sin verò affirmaueris, Abrahamum plus habuisse fidei, & charitatis, cum tota ratio meriti (quemadmodũ tu, atq; scholasticorum grex constituit) à charitate pendeat, superabit Abraham⁹ Iohannẽ: & quia plus habuit charitatis, plus omnino habebit meriti. Ignoscat hìc mihi pius lector, si ei videar admittere vocẽ & D rationẽ meriti: quãdoquidẽ id nõ accidit, q ita sentiã, sed quia istos oportet ex sua hypothesi, atq; suis principijs cõuincere, & ad ea, quæ manifestè absurda sunt deducere. Argumentũ aũt, quo illũ nũc premo, ita se habet: Vel Abrahamo tribuit iste parẽ charitatẽ cũ ea, quã Ioannes, habuit vel disparẽ: si parẽ, tũc perfectior erit Ioánes quia illi citra charitatẽ virginitas accedit, quam perfectionẽ Euangelicã hic esse contendit. Sin habeat Abrahamus charitatẽ maiorẽ, tũc habebit plus meriti, q̃ Ioannes: namq; meritum, vt illi testãtur, nõ à virginitate, sed à charitate petitur. At Augustinus, quẽ ille adducit, paris meriti fuisse scribit cõiugiũ in Abrahamo, & cõtinẽtiã in Ioáne. Nõ autem potuit esse paris meriti, nisi par vtrinq; fuerit charitas. Quãobrẽ, vt arbitror, iã apparet, Euãgelicę perfectioni, tã cõiugiũ, quã cœlibatũ conuenire, sed temerè, siue, vt loquũtur, per accidẽs, cũ in vtroq; reperiatur. Neq; habet virginitas per se, atque ex natura sua & in seipsa, vim reddendi hominẽ Deo gratiorẽ, sed tantũ ex eo, quod interdũ illi coniungitur, nimirum ex fide, atq; charitate, quod etiam idem est in matrimonio sentiendũ. Quẽadmodum se habent paupertas, & diuitiæ, cùm in vtraq; conditione perfectio Euangelica reperiri queat: nisi velis facere Abrahamũ Frãciſco minoritarum institutore deteriorẽ. Quodq; omnib⁹ modis contẽdis, virginitatis, & cœlibatꝰ conditionẽ, seu statũ præstare matrimonio, facilè dabo, at nõ eo nomine, quòd sit Euãgelica perfectio: sed quia est, quoad nonullos, licet nõ quoad omnes, vita expeditior ad regnum cœlorũ propagandũ. Te verò nõ satis mirari possum, qui concedas omnes virtutes exæquo posse in coniugato, & cœlibe certare, quod est, vt ipse intelligo, æquales esse, quum virginitatẽ statuas esse Euangelicã perfectionẽ. Porrò si potest vtrinque cumulus verarum virtutũ esse, nõ superest matrimonio, aut cœlibatui, nisi vt sint vitæ status & conditiones, cũ quarũ vtraq; stare possit ex æquo Euangelica perfectio, licet in vna interdum facilius, quàm in altera. Quã de re iam me sentio plura dixisse, quàm oportuerit prudenti lectori: quamuis isti Smythæo propter lethargum profundum, quo altissimè stertit, vix putem satis dictum.

OBIECTVM VI.

CVr non vouent, inquis, vt inimicos diligant? Hoc tibi responsum volo, Christianos istud non facere, quòd Dei præcepto ad illorum dilectionẽ sint obstricti. Nunquid perinde Dei mandato aliquo obstringuntur Christiani, simul vniuersas opes suas effundere pauperibus, & vitam cœlibem transigere, ac cætera peragere, quæ nuspiam præcipiuntur, sed tantum consuluntur? Quare te non pudet tam futilis ineptiæ, ac inanis nugamenti? Puduisset certè te, qui labefactatæ pietatis vindex cupis haberi, ac cornicum oculos, vt habet prouerbium, configis, coram confertò, ac stipato doctorum virorũ consessu, qui coactus in Oxonienſi theologico Musæo te prælegentẽ cõtra vota audierit, tam frigidè, & inlocutè rem illã controuersam tractare, si nõ exuisses omnẽ prorsus pudorẽ, ad instar meretricis, &c.

DEFENSIO.

EQuidem de dilectione inimicorum non in- E terrogaui, quemadmodũ abs te simpliciter, imò frigidè ponitur. Sed quæsiui, cùm multa sint iuxta vestram sententiam consilia Euãgelica, vt bene facere inimico extra casum necessitatis, ita enim loquimini, percutienti alteram maxillam obuertere: iniurias non persequi: desistere à litibus, & consimilia. quare ista no vouea tis? Quũ tamen ea seruando à vobis longè magis ædificaretur Ecclesia, quã abstinẽdo à coniugibus? tantum autem circa tria vota pauper- F tatis, cœlibatus, & obedientiæ versemini quasi propria hìc sit Christianæ religionis prora & puppis. Hęc sanè fuit mea quæstio, vtq; arbitror, non absurda, quãuis tibi fuerit ingratissima. Vt autẽ pulcrè te de illa expediteris, operæpretiũ est audire. Si non voues dilectionẽ inimicorũ, quòd ad illã præcepto Dei astringaris, quid te oportuit paulò supra tãtoperè mihi obstrepere, qui dixerim, non esse Deo aliquid vouendum, quòd omnia quæcunque præstare valemus illi ex præcepto debeantur? Nonne ibi asserebas quam fortissimè licere etiam illa vouere, quæ Deo essent debita? atque contra me votum Iacobi producebas, qui Deum nouisset in Deum sibi fore? Magnoque conatu nitebaris argumẽtationem euadere quam de lege primogenitor. opposueram? Cur nũc ita mihi cõsentis respõdendo, ea nõ debere nuncupari voto, quæ sub præcepto cadãt. Nõ arbitror te mihi repentè factum beneuolum, aut furorem oppugnãdæ veritatis deposuisse. Verũ, in hanc

Contra se ipsum Smythæus apertissimè pugnat.

sententiam descendis, quoniam deerat, quid aliud respõderes: & potius hoc loco voluisti pugnare tecum, vertumnus fieri, & protheus, atq; arundo ventis agitata, quam desinere mendacijs quoquomodo patrocinari. Dign⁹ profectò es votorum papisticorum defensor, quo non decuit, vel fortiorem vel elegantiorem habere patronum. Nõne sentis ad meã quæstionẽ adhuc te non respondisse? Aut nega illa, de quibus interrogo, consilia Euãgelica esse, atque ita tuos omnes sophistas in te prouocabis: aut causam dic, quare illa non voueatis, cum tanti sint põderis, ac tantoperè faciant ad ædificationem. Nõ autem opus est, vt modò tibi respondeã, quo præcepto astringamur, quando possumus, & videmus ad gloriam Dei cõducere, opes nostras in medium conferre, cœlibes viuere &c. Nam satis, superq; id audiuisti, quũ ad multam nauseam (vt fateor) de eo egerim: tu verò interim audiendus, qui semper oberras eadem chorda. Nã sæpissimè dicis Deũ consulere, vt opes nostras relinquamus, quum nullibi hoc reperiatur consultũ in vniuersum, sed aliquibus priuatim est à Christo præceptum: nimirum adolescẽti, quo suæ cupiditatis prauitatem, se latentem disceret. Idem quoque requisiuit ab Apostolis, quũ eos ad se vocauit: nempè, vt statim se sequerẽtur, quod fieri nõ potuit nisi sua desererẽt, nempe nauim, & retia, quę tunc temporis tractabãt. Quod si ab ijs præstitum non fuisset, obstrinxissent se peccato grauissimo. Id autem vos in consilijs non recipiendis, minimè auderetis dicere: in qua opinione, vt erretis, quicunq; paulò attentius rem considerãt, facilè intelligũt. Quis enim eum peccare non dicat, qui hominem sibi prudenter, atque salubriter consulentem audire nolit? ne dum ipsum verum, & summũ Deũ, præcipuè si possit, ea quæ consuluntur efficere: vt vos de cœlibatu estis persuasi, qui omnibus illum possibilem arbitramini. Sed hoc interim omisso, id libenter scire velim, cur me irrideas, quod videri cupiam labefactatæ pietatis vindex, cùm talem formam, vel istum titulum nunquã ambiuerim. Quamuis inter alios, qui curant, & admonent, vt religio instauretur, operam dedi pro viribus, vt nõ essem postrem⁹. Hoc verò quid obsecro est vitij? Nonne omnes ad id lege Dei astringimur, vt pietatem, religionemq; sanctam tectam velimus? Neq; vos ipsi negare potestis, in religionem perpetuò irrepere varia & diuersa vitia, quæ expurgari oporteat. Alioqui in vinea Domini quid agerẽt operæ? Quare si odiosa tibi videtur, & arrogãs hęc vocatio, teipsum quoq; theologum esse negã. Cur nomen profiteris, si rem nominis putas ridendam? Forte ideo me rides, quod hoc profitear, & non præstem. Primum hoc tibi responsum habeto, id melius te posse illos dijudicare, qui me hoc loco esse voluerunt. Dei cũ primis iudicio, deinde illorũ quoad doctrinam, aut stabo, aut cadam, nõ tuo cum inuido, tum indocto suffragio. Prẽterea, si quę doceo iure vis arguere, quasi ad religionem instaurandã minimè valeant, oportet sanè vt melioribus rationibus agas, quàm illæ fuerunt, quas hactenus produxi. Deinde cùm testaris me cõtra vota ista quæ refers dixisse in Musæo Theologico Oxonij, coram stipato, & confertο doctorum virorum cõsessu, quomodo nõ es tui oblitus, neq; teipsum redarguis, qui passim in libellis tuis mihi non verearis insultare, quasi frigeã, nulliq; aut paucissimi audire me velint, nisi iuuẽculi, atq; ijdẽ imperiti? Sed vt pugnes tecum, adeo tibi est familiare, vt id captare de industria videaris. Inuidiæ, atque odio, quo aduersum me incitaris, aliquem finem, modumq; tandẽ pono: & memineris opera mea non esse factum, vt loco tuo deiectus fueris. Cum enim venirẽ in Angliam, iam à docenda theologia publicè per maiestatem Regiam eras amotus, & nõ injuria, cum sanę doctrinę pro viribus, quamuis indoctis & imperitis, ne dixerim, insanis, resisteres. Quid malum, tua refert, an stipatũ confertũq; habeam auditoriũ doctissimis viris, an exhaustum, tantumq; frequentatũ ab indoctis iuuenibus? Hæc ego, vt omnes, qui mecum degunt, testari possunt, nunquã de te inquisiui, nunquam sum percunctatus. Nostra interest in hoc vnum incumbere vt Euangelicã Christi doctrinã quisq; pro sua virili ornet, & promoueat. Neq; à nobis id requisiturus est Dominus, an coram paucis, an corã multis: corã doctis, an indoctis, iuuenib⁹, an senib⁹ docuerim⁹, sed an vera, & salutaria an superstitiosa & papistica. De his, theologe venerabilis cogites, quãdoq; tibi esse serio respondendũ in eo inquã, iudicio, vbi hominũ fum⁹, ambitio, & astutia sophistica nil cõtra fulmina, & tonitrua Dei valebũt. Atq; tũc quis nostrũ vtriusq; sit pudor, & verecũdia, quib⁹ me passi blateras prorsi⁹ exutũ vniuerso orbi patefiet.

OBIECTVM VII.

QVod, *inquit*, fit ex lege nõ fit ex fide, at vota fiũt ex lege, nõ itaq; ex fide prodeũt. *Hic tuã prodit inscitiam in re theologica, vt qui ostendas te ignorare, quid sit Paulo, fieri ex lege. Aut vt verius dicam, illud nusquã apud eũ legi. Sub lege esse hominẽ, & ex lege, epistolæ illius habẽt: vultq; hominẽ esse sub lege, & ex lege, qui iustitiã sectatur ex operib⁹ legis, nõ ex fide, Rom. 9. Et quærit suã statuere iustitiã, id est, quã iactat, & gloriatur ex sese sibi esse, nõ ex Deo impertitã. Et Dei iustitiæ, hoc est, quã ille hominẽ iustificãdo elargitur, non est subiectus. Denique quisquis habet persuasum, se viribus liberi arbitrij posse absque Dei gratia adminiculatrice implere illius iussa, citraque fidẽ & Christi meritũ, aspirare ad æternã salutẽ, rectè dicitur Paulo esse sub lege, seu ex lege. Vt cernas Paulũ vsum esse, cum hæc scriberet, antithesi, & quadã oppositione inter fidẽ, gratiã & legẽ: vt apud eum esse ex lege, sit nõ esse ex fide, & è cõtra. Sed quomodo docebis tu illos, qui vouẽt hoc pacto esse sub lege, aut ex lege? Quis enim adeo cæcutit, & hallucinatur, vt credat per votũ, & aliud quoduis illi⁹ opus, iustificari absq; fide, & gratia Christi, & se iustificatũ posse Dei mãdata implere vitamq; illũ æternã sine Dei auxilio, & Christi merito assequi?* Qui ex lege sunt, *inquit*, maledicto existũt obnoxij ad Gala. 3. verũ huiusmodi sunt qui vouẽt Deo, sunt itaq; maledictioni, & execrationi obnoxij, vt sciam⁹ quã impia sint vota. *Assũtũ isti⁹ belluæ, scilicet collectionis, nempe votarios omnes, esse ex lege, falsissimũ esse, vel id abũdè demõstrat, quod supra dictũ est, de eo, quod est, esse ex lege, &*

& sub lege, vt hic repetere, esset actum agere, & incassum sudare. Petat ergo illinc, quisquis volet huic respondere.

DEFENSIO.

LIcet in argumento meo referendo, & mentiaris, & iniustè me traducas, non tamen ideo redarguendo huius criminis multum laborare statui. Satis enim assertio, quam præfixi, testatur, me in summa ex eo refutasse vota, quod Christus voluerit nos vel morte sua ab oneribus legis, & infinitorum eius mandatorum asserere: cuius voluntati, ac studio, par est, vt quisquis pietate ornatur, non se opponat, imò illi obsequatur. Sed qui vouent ea, quæ libera erant, iam sibi obseruanda ex lege, ac præcepto constituũt: quare se non exuunt onere mandatorum: sed potius de industria se magis impediunt. Atque adieci ex diuina lege, quæ reliqua est, nempe morali, si quis non intelligat, satis esse præceptorum, eum minimè legem considerasse. Vnde colligebam satius esse, vt homines conseruarent se liberos, & in ea libertate starẽt, qua eos Christus donauit: incitarenturq; fide, adiuncta charitate, ad omnia exequenda pro viribus, quæ agnoscerent, ad Dei gloriam magis facere. Quoniam illi, qui nisi lege astringantur, hæc bonorũ genera facere nolunt, se declarãt, sub lege potiꝰ esse, quã sub gratia, & fide. Quod vt sit euitandũ, Paulus docet qui ad Galat. inquit, eos qui sunt sub lege maledicto esse obnoxios. Et ne isti dicerent, se quoque fide vouere, suffragium huiusmodi eis intercepi. Non enim fide, id constare potest quod non habet verbum Dei, cui possit inniti. Quare cum ex Euangelicis literis votum astrui non possit, ad illud nũcupandum humana ratione, aut si malunt instituto ceremoniarum veteris legis incitantur. Ista sunt adeo clara, & perspicua, vt quicquid iste sophista otioꝰ aduerſꝰ ea modò cãtillet (quod sanè dico, quoniam in tanta causa mihi videtur nihil seriò agere) sit stropha, & stipulis, & fœno cõtexta. Sed facito, me dixisse, vt refers, vota ista quę iactatis, nõ ex fide, sed ex lge fieri: quid hic peccassem? Quæ fides in Christũ homines impellit, iam sub Euangelio constitutos, & sacro baptismo tinctos, vt cæremonias veteris legis iam abolitas resumant? Certè dicebat Paulus *si circuncidamini, Christus vobis nihil prodest* Nõ potest quisquam ex fide vouere, quum neque Christus, neque Apostoli vspiam vota probauerint. Cùm itaque rationem meam sic protulerim, & explicauerim, quicquid modò tu adferas de antithesi inter illos, qui sunt ex lege, & ex fide, modò non suscipiam excutiendum: quia mihi non est animus, quæstiones ad causam istam non necessarias trahere. Hoc tamen vnũ dicam, te adeo in controuersia de iustificatione à vero dissentire, vt omnibus planè pijs facilè perspicuum sit, te ne intelligere quidem, quid sit iustificatio. Ea tamen de re, quam funditus ignoras, non puduit te libellũ scribere, cui nõnulli volebant, vt ego respõderẽ, quibus adhuc nolui acquiescere, partim quòd nõ arbitrer aduersũ me nugas, vel potius blasphemias illas esse cõscriptas. *Accedat Petrus Martyr, qui fuerit Carthusianꝰ, & dicitur Vermelinꝰ, is si tibi se ἀντιγνώστην exhibeat.* Ego.n. inter Carthusianos nusquam vixi, vt in Italia habeo infinitos testes, & hîc in Anglia nõ paucos. Neq; desunt in Gallia, vbi tu nunc agis, qui hoc nouerint. Verũ ipse, quũ sis mendacissimus, constituisti ascribere cuilibet quicquid libuerit: ideóq; mihi nõ es veritus asfingere genus vitę, à quo ego vixi tã alienꝰ, quã tu à bono viro longissimè distas. Deinde, quæ tua est sapiẽtia ineffabilis, librũ inscribis, contra tuũ illũ Petrũ Martyrẽ, quẽ Lucẽsẽ facis, quum tamẽ ego sim Florentinꝰ. Postea verò in progressu disputationis omniũ aliorũ fermè dicta, & sẽtentias, atq; pro libidine citra iudiciũ exagitas, & nusquã aut fermè rarissimè, tui eiꝰ aduersarij vllã facis mentionẽ. Putastine, adeo bardos, fũgos & stupidos fore lectores, vt nõ intelligant, quę nũc edidisti, ea te lõgè ante multos annos malè consarcinasse? Quę vt es ineptus, atq; stupore ipso stupidior, quum illa statueres, cõtra me scribere, nõ voluisti vllo modo trãsformare, vt saltẽ speciẽ prę se ferrẽt aliquã, vel simplicibꝰ, & imperitis, qua contra me scripta videri possent. Eas igitur, & illũ quẽ finxisti, ἀντιγνώστην tibi queras. Sed ad prẽsens negotiũ iam redeo. Vis fortassis ex me audire, quomodo hi, qui vouẽt, sint ex lege, quóue pacto illis accõmodetur, quod Paulꝰ habet ad Galatas, nempe ita ledictioni esse obnoxios, quòd sint ex Lege, quoniã vt ipse quoq; fateris, ex Lege sunt, qui Legẽ ipsam aggrediũtur exequi suis viribus, eãque sic prẽstare nitũtur, vt tamen neq; gratiæ, neq; Christo hęreãt. At votarios huiusmodi esse inde perspicuè apparet, quòd fide, aut gratia nõ possint ad vouẽdũ impelli, quũ in Euãgelio iste cultus locũ nõ habeat: neq; instigari possimus, vel gratia, vel fide, ad ea faciẽda, quæ Deus verbo suo non approbat. Vnde quũ isti, quoad hoc, fide nõ agãt sub nuda lege relinquũtur, & iure meritoq; inter illos recẽsendi sunt, de quibus Paulus ad Galatas loquitur. Proinde iam constat, & istũ vitiosè argumẽtũ retulisse, & verè illos, qui vouẽt, sub nuda lege, quoad hoc opus, relinqui, nisi dicere velint, se tantũ humanã traditionẽ absque scriptura, quũ id agant, sectari. Postremó erga Legẽ plus æquo illos affici demonstratũ est, quòd ea, quæ libera esse debuerãt, & põte seruari, quum fieri possit, atque sit ex re diuinę gloriæ, necesitate voti superinducta in præceptarum rerum naturam conuerterunt.

Qui vouẽt quare dicãtur esse sub Lege.

OBIECTVM VIII.

POrrò quũ niteris probare vota esse illicita, quia Paulꝰ ait, quod nõ est ex fide, peccatũ est, Lutherũ multarũ hæresium Lernã egregiè exprimis, ac cũ illo miserè detorques locũ Pauli, à suo nativo sensu. Non enim hoc agit ibidẽ Apostolus, quod vos somniatis: nimirũ quicquid nõ est ex fide theologica, quæ basis, & fundamẽtũ est totiꝰ Christia-

nisi, id esse peccatum: alioqui consequi oporteret, legem Mosaicam esse peccatum, vt quam ille ad Galat 3. pronunciat, non esse ex fide. Audi itaque germanum illius Paulini loci sensum: nempe id verti in crimen, ac vere esse culpam morte æterna dignam, quod molitur homo renitente seu refragante, sua ipsius conscientia. Differit enim Paulus ibi de esu carnium quæ erant à Mose vetitæ, aut idolis immolatæ, volens persuadere Romanis, nullam esse omnino speciem carnis perse suapte natura impuram: hominique Christiano licere vesci quibuslibet, modò id fiat citra imbecillis proximi offensionem, atque suæ ipsius conscientiæ renisum. Hinc est illud Agathensis synodi axioma: quicquid contra conscientiam fit, ædificat ad gehennam. *Quòd autem hîc sit Paulinæ mentis germanus sensus, nõ tantũ ipsemet contextus, sed opti mi quique interpretes dum eandẽ edisserunt locũ, perspicuè ostendũt. Et mox. Quæ tibi dixit Paul⁹, extra illi⁹ scopũ, nõ sunt trãsferẽda ad quiduis. Et mox: Iã obsecro te Petre egregie καρδιογνώστα, cordis q cognitor, qui scis an vota nuncupẽtur Deo reclamãtib⁹ hominũ cõscientijs? Imò qua fronte audes illud de quoquã pronũtiare? quũ quæ sunt hominis, nemo sciat nisi spiritus hominis, qui est in ipso, & sol⁹ Deus sit hominũ cognitor: et cõscientiæ, inquis approbatio vel improbatio, libet .n. tuis vti verbis quib⁹ tũ disseres vtebaris, ex Dei verbo tantũ pẽdet, &c. Et mox: Verũtamen donem⁹ fidẽ hoc Pauli loco in ea significãtia debere accipi, qua Paulus vsus est Hebr. 11. & quoties de hominis iustificatione disserit. Quid hinc, quæso, cõsequi oportet? nũ vota esse vitio dãda, quòd nõ sint ex fide? Bella profectò cõsequutio hæc. Cedo mihi obsecro, quomodo cõuincas, vota nõ esse ex fide theologica? Nõne te pudet vt ex tua officina, qui in Angliã cõcesseris, accit⁹ & inuitat⁹ salario nõ exiguo, assertũ, & vindicatum Christianismum tam elumbis, nec vuis Anticyris digna exiliat probatio hæc. Et mox: quin hoc quoque admonuisse non pigebit, turpiter per inscientiam hallucinari eundem Petrum Martyrem, & quotquot ex illo Paulino axiomate,* Quod non est ex fide, peccatum est, *colligunt omnium infidelium ac peccatorum opera, esse verè ac propriè in crimen vertenda. Nam inuerecundum ac frontis perfrictissimæ hominem esse oportet, qui ethnicum, aut alium quemuis peccato obnoxium, peccare dicat, si proximo inopia oppresso, aut inedia periclitanti de vita, stipem elargiretur. Deinde verba isthic Paulo fieri quis nescit, non de fide, quæ primaria est virtus theologica, ac quæ fundamentum extruendi ædificij spiritualis in hominis anima, Corint. 3. Hebr. 11. Sed de fide humanorum operum, aut dictamine conscientiæ, vt affatim suprà est declaratum. Proinde cùm constet incredulos ac peccatores multa ex fide, hoc est, ex conscientia recti honestique facere, falsum esse, est necesse, omnia ipsorum opera fieri non ex fide, id est, adeò non respondẽte, ac consentiente conscientia, vt illa reclamet. Recine itaque Petre Martyr, dum integrum est, quod perperam, inconcinnè, ac malè hactenus cecinisti.*

DEFENSIO.

QVamuis huc multa verbosè congeras, vt meũ eludas argumentũ, nõ tamẽ cum his omnib⁹ laruis & fictionib⁹ te potes explicare. Paul⁹ apertissimè loquitur: & quicquid nõ est ex fide, affirmat peccatũ esse. Illius ego sententiæ hanc alteram addo: sed vota non sunt ex fide, igitur sunt peccata. Quocunq; te torqueas, velis nolis, ratio hæc perstat. Sed age, videam⁹ quid prosint sophismata. *Fides hîc,* inquit, *non accipitur à Paulo pro theologica virtute, quæ basis est Christianismi, & fundamentum totius ædificij spiritualis: sed hoc loco significat conscientiæ dictamen vel assensũ: & ne parùm sibi credatur, addit rationes, quare incitanda sit hui⁹ vocis significatio. Primũ quia nisi sic interpreter, Lutherum imitabor, qui est omnium hæresium Lerna, torquẽdo verba Pauli à suo natiuo sensu.* Tanta fuit præstãtia & facultas tractandi sacras literas in Luthero, vt hic meo patrocinio non indigeat. Sed tu qui ei tam facilè obstrepis mortuo, sic persuasum habeto, ei nõ parũ honoris ac dignitatis ex eo accedere, quòd à Thersitis & rabulis, quorum turbæ tu vilissima pars connumeraris, conuicijs & inani coaxatione proscindatur. Est iam eius gloria, disrumparis licet, extra inuidiam. Talem profectò virum in vestra Papismi hæresi, nunquam sol vidit, neque vnquã (certò scio) visurus est. Illum tu dicis pro spurcitie tui oris, multarum hęresium Lernam: quem nos haud iniuria dicere possumus pelagianismi atque papatus, quibus duobus monstris tu impensissimè delectaris, fulmen terrificum, & inuictum malleum. At non patitur iste locus, vt de illo viro plura dicam: quem etsi nõ sequor in re sacramentaria, eius tamen istas laudes nusquam obscuraui. Sed iam reuertar ad

A institutũ. Detorqueri Pauli locum à genuino sensu arbitratur iste, nisi fidei significationem sequamur, quam nõnulli confixerunt. Videas lector, quam sit is vir peruersi iudicij, qui non putet verũ sensum & propriũ haberi posse, nisi ab vsitata vocũ consuetudine deflexerimus. Et quia nos per fidẽ intelligim⁹, quod sancta scriptura & Paulus intelligit, cõtortores & peruersores locorũ diuinarũ literarũ ab eo vocamur. *Fides,* inquit, *non significat virtutẽ theologicã, sed conscientiæ dictamen.* His enim scholasticorũ floscu- *Fides si*
B lis perlibẽter vtitur: sed iuuat hoc loco Prothe *gnificet*
um nostrũ fortiter premere, quò me certissimũ *conscientiã*
faciat de hac noua fidei significatione: nã si scripturam non ostenderit euidẽtissimis locis hoc modo fidem vsurpare, sic opinanti etiam si habeat consentientẽ expositorũ turbam, qui, vt homines erant, & labi potuerunt & sæpius lapsi sunt, nil credemus. Neque enim humani arbitrij est, vt iste sibi persuadet, verba Dei fingere
C ac refingere pro libidine, nisi omnia in scripturis velim⁹ redigere ad Anaxagorę philosophiã, vt ex quolibet fiat quodlibet. Vbi, inquã, vir doctissime, in sacris libris cõmõstrabis, fidẽ significare conscientiã? vel, sicut loqueris, eius dictamẽ? Legas, quęso te, priorẽ epistolã ad Corinth. 8. capite: ibiq; deprehẽdes Apostolũ, cũ ageretur de conscientia infirmorũ nõ turbãda esu immolatę carnis, nũquã vocẽ fidei pro conscientia posuisse: verũ dixit perspicuè ac apertè: & nomine cõscientię nõ semel est vsus. Inquit .n. *nõnulli verò cũ simulachri cõscientia, vsq; ad hoc temp⁹, tãquã simulachris immolatũ edũt: & conscientia illorũ cũ sit infirma, polluitur.* & paulò pòst: *Si quis cõspexerit te, qui habes cõscientiã, in epulo simulachrorũ accũbentẽ,*
D

nonne

ninne cõſciẽtia eius qui infirmus eſt, ædificabitur ad edẽdum? & deniq; : ſic autẽ peccantes in fratres, & vulnerantes conſcientiam illorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Ex his agnoſcere potes Paulum voce conſcientiæ cum fuerit opus familiariter vti. Atque hunc locum præcipuè adduxi, quoniam fermè ibi tractat eadem quę ad Romanos diſputabat, cùm ea ſcripſit, de quibus agitur in præſentia. Quare cũ ſint loci cõſimiles, ſicut in vno nõ abhorruit à voce conſcientiæ ſæpius repetita: ita non eſt veriſimile, quòd in altero pro eo nomine ſubſtituerit fidem. Vnde quouſque mihi nõ probabis Apoſtolum tali conſueuiſſe vti ſignificatione, fidem aſſeuerabo hic propriè vſurpatam. Neque me mouet, quòd ſcribis eſſe conſectarium, ſi fides hic propriè ſumatur, Moſaicam legem peccatum eſſe: quoniam ea vt Paulus dicit ad Galatas, non eſt ex fide. Declarat oppidò iſta cõnexio quam inducis, vt nihil intelligas, quid Paulo ſit, legem non eſſe ex fide. Ponas tibi aliquãtiſper locum illum quem citas ob oculos. Eo capite voluit Apoſtolus demonſtrare nos ex lege non iuſtificari, quoniam Propheta inquit: *Iuſtus ex fide viuit*: & ſtatim ſubdit: *Lex autem non eſt ex fide*. Ac ſi diceret: Lex non proponit nobis iuſtitiam, & vitam ex fide, ſicut Propheta, quem iam adduxi: ſed ſi opera præſtiterimus, quæ in ea ſcripta ſunt. Iuſtitia verò, quam habemus per Chriſtum, de qua Propheta vaticinatur, eſt ex fide. At lex & iuſtitia eius, quam promittit, ex operib. eſt, & nõ ex fide. Hoc Paulus eo loco voluit concluſitque, nos ex lege nõ iuſtificari, quòd ipſa non ſit contenta fide, ſed perfectam abſolutamque operum à ſe deſcriptorum perfectionem requirit, ad iuſtitiam ſuã obtinendam. Quod nos præſtare cùm minimè valeamus, id ſupereſt, vt ex fide iuſtificemur, quẽadmodum Propheta dixerat: Hic eſt germanus locî ad Galatas, quem induxiſti, ſenſus. Et ad hæc, libenter dabo legem ipſam, hoc eſt, opera ibi deſcripta, ſi eis ademeris fidem in Chriſtũ quemadmodum tum temporis Iudæi, contra quos Paulus diſputabat, ademerunt, (nam erãt Chriſti perſecutores) eſſe peccata. Et conſtantiſsimè affirmo, quod tu pro abſurdiſsimo mihi obijcis, meq; cum omnibus mei ſimilibus in eo fœdiſsimè hallucinari aſſeris, quòd omnia opera, quæ abſque fide in Chriſtum fiunt, arbitror eſſe peccata. Quandoquidem omnis actio, cui deeſt conditio neceſſariò requiſita, à ſcopo & à iuſto fine aberrat, atque ideò peccatum eſt: quod ſanè definitur, non eſſe aliud, quàm ſic aberrare. Homines verò aſtringi æterna lege omnia ſua opera in gloriam Dei, & Chriſti per fidem dirigere, palàm ſcriptura teſtatur. Quare opera infidelium iure dicuntur, & ſunt peccata. Neque ſolus ego, & mei ſimiles, ex illa Pauli ſententia, *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, colligimus, opera infidelium eſſe peccata: ſed idem nobiſcum Auguſtinus contra Iulianum maximè contendit, ac fortiter conficit. Neq; te iuuat particula illa, propriè aut verè quam addidiſti: cùm inquis, nos falsò exiſtimare opera infidelium eſſe verè, ac propriè in crimina vertenda. Etenim nos ea idcirco verè proprieq; dicimus peccata, quæ à fine iuſtitiæ in Scripturis propoſito aberrant. Oportuit ergo te probare, opera illa non deficere à recto ſcopo, & ex neceſsitate requiſito in actionib. humanis, ſi demonſtratum cupiebas, nos, vt fingis, adeò hallucinari. Sed interim video te non poſſe à mentiendo temperare: quandoquidem talia opera nuſquam crimina, ſed tantùm peccata diximus. Te verò tantum theologum diſcrimen inter peccatum & crimen latêre non debuit. Quod ſi noſti, et voluleris abuti vocibus, quo magis grauaremur, malitiam & fraudem ſatis prodis. Niteris præterea demonſtrare, fidem in iſto Paulino contextu ſignificare conſcientiam: quòd ſit Apoſtoli mens docere, nullam ſpeciem carnis per ſuam ipſius naturam immundam eſſe, modò abſque offenſione infirmorum comedatur, & ipſius comedentis, vt elegantur loqueris, conſcientiæ reniſum. Me verò non latet, Apoſtolum voluiſſe, ciborum quamlibet naturam eſſe mundam & cauendum ne infirmi offendantur exemplo, et, ne quid contra fidẽ agatur. Neque propter iſta oportet vt ſignificatio fidei trahatur ad conſcientiam. Eſt enim facilis & aperta interpretatio, ſi dixeris, quando credimus ex verbo Dei perſuaſi, aliquem cibum eſſe mundum, licet ipſum vſurpare. Dum verò ita non credimus, neque verbo Dei ſumus perſuaſi, comedendo peccabimus, quoniam illud opus ex impulſu veræ fidei non proficiſcitur. Certè, vt paulo antè dixi, Paulus hoc loco ſi voluiſſet conſcientiam ſignificare, vocabulo eius fuiſſet vſus: ſed Romanos docere ſtudebat, non eſſe ſatis ad peccatum euitandum aſſenſum cuiuſuis conſcientię: nam permultæ ſunt admodum peruerſæ, & vt vulgò à vobis dicitur, erroneæ. Et videas perſæpè aliquos nonnulla praua commitentes, quæ praua eſſe illorum conſcientia non iudicat: nec tamen propterea peccatum effugiunt. Sed tunc recta & iuſta fieri à vobis Paulus oſtendit, quãdo conſcientia fide verbi Dei munita, & bene inſtructa non reclamat, ſed potius ad opus efficiendum impellit. Ex his iam, vt arbitror, vides Apoſtolum per fidem non intellexiſſe conſcientiam, ſed ipſiſsimam fidem, qua cuiusque noſtrum animos, & conſcientias regi oportet, cũ aliquid faciundum ſuſcipimus. Neque repugnó Agathenſi. Concilio, dum ait, *Quicquid cõtra conſcientiam fit, ad gehennam ædificat*. Hoc etenim philoſophi & ethnici dicerent. Noſter verò Paulus altius philoſophatur, & cum fidem nominat, ſanæ conſcientiæ tutam firmamq; regulam demõſtrat, extra quam quicquid egeris, licet millies cõſcientia tua conſentiat, peccaueris. Quod ſi ſatis eſſet noſtræ rationis, & conſcientiæ regula, quid opus fuit legem, & diuinam ſcripturam hominibus dari? Nõ ad conſcientiam ſeu rationem Deus nos remittit, ſed ad verbum ſuum, quando conſilium de fugiendis, aut expetendis in noſtris actionibus ineundum eſt. Proinde tua metaphora qua contendis, fide ſignificari conſciẽtiam, non illuſtratur Apoſtoli ſermo, verùm potius obſcuratur corrumpitur, atque

Differunt peccatũ & crimen.

Aſſenſus cõſcientiæ nõ eſt ſatis ad euitandum peccatum.

Agathenſ. concilium.

torquetur. Quamobrem oro te, scripturam sinas natiua & simplici verborum significatione vti, quoad analogia fidei, & alia scripturæ loca non te ad tropum adigant. Neq; facilè dimoueris à dilucido planoq; sensu diuinorum sermonum, authoritate quorumuis interpretum, aut conciliorum. Quis præterea non miretur, adeò te confidere, atque insolescere, quasi optimam habeas causam, vt mihi te fingas donare, Paulũ de theologica fide, quæ scribit, intellexisse: atq; dicas, nihil inde adhuc haberi, quod pro me faciat cum non sim καρδιογνώστης: & scriptura dicat, neminem ea nosse, quæ sunt hominis, nisi spiritum hominis, qui est in ipso? Primum hìc moneo, nil te mihi donare, quod nõ prius ratione firmissima obtinuerim: fidem, inquam, propriè ac simpliciter à Paulo accipi: deinde vt colligam, Vota ex fide nõ esse, quid opus est, vt sim conscius cordium? vel vt cognoscam ea, quæ sunt spiritus hominis? Hæc non ad me, sed ad Deum pertinent. Facito illos, qui vouẽt quam pulcherrima, & speciosissima hypocrisi, dũ vouent, suum animum componere, quasi ad id solo desiderio nominis, & honoris Dei adducantur: an propterea ex fide vouebunt? Hæc est vestra pietas, vt in his, quæ agimus, tantùm humanus animus, ratio, vel vt dicitis, conscientia respiciatur, nulla verbi Dei ratione habita. Nos verò vbique constantissimè asserimus, nihil ex fide ab hominibus agi, nisi quod faciendum suscipiũt, ex diuina scriptura commendetur. Et quia, vt iam sæpissimè dixi, neque tu valuisti contrarium probare, scriptura sancta in Nouo Testamento nusquam vouendi ritum tradidit, ideo, quoties vouemus, id absque fide contendimus fieri. Ad hoc itaque, vt, quod agimus, & iustum sit, & Deo placeat, duo requiri necessariò intelligendum est. Primùm vt scripturarũ authoritate genus illud operis approbetur: deinde, vt animo syncero ac recto fiat. Vtrum istorum actioni defuerit, caret fide, quæ illius & anima, & vita dici potest. Sed vos ab hac orthodoxa veritate, plus quàm ab angue abhorretis: & dicitis, vt iam modo scribebas, multa rectè fieri à peccatoribus, & ab ethnicis, ex fide, hoc est, ex cõscientia, recti atque honesti: ita vt scripturæ diuinitus inspiratæ non sint vobis ad recte viuendum vsq; adeò necessariæ, & quibus veluti dicit Paulus ad Timotheum, *reddamini ad omne opus bonum instructi*: postquam multa sunt bona opera, quę vt à vobis rectè fiant, vt habeatis cõscientiam recti & honesti, sufficit, quãuis nulla fide, spe, aut charitate, in honorem & gloriam Dei nostri dirigantur. O pluſquam Pelagiana capita. Pelagius ipse non est inficiatus ad rectè agendum, saltem opus esse illustratione mentis per legem Dei, atq; scripturas, quæ gratiã appellabat. Istis verò ad hoc vt eleemosyna iusta sit & recta, satis superque est vt conscientia boni atque honesti sint pręditi. Videbitis aliquãdo mihi credite, atq; vestro magno malo, sentietis, quemadmodum opera vestra se tueri poterunt in Dei iudicio ista conscientia recti & honesti. Quamquã & ipse haud negauerim grauius ethnicos & peccatores damnandos, ni si eam saltem secuti fuerint, neque vt ad Romanos gentes accusantur, egerint contrà quàm natura lumine faciendum iudicauerint. Hoc tamen non est satis ad euitandum peccatum, cũ ad sanctitatem nostrorum operum, quæ à Lege Dei exigitur, altius principium, quàm sit humana ratio, aut naturalis conscientia requiratur. Porrò non potuisti esse tam hebes quin videris rectis sanisque iudicijs non satisfactura quæ dixeras. Etenim vndique sese produnt, quàm infirma sint, & parum sana. Quare inops consilij ad aliam responsionem ęquè arundineã te conuertis. Quæ ibi dixit Paulus, inquis, non extra illius scopum transferẽda sunt ad quiduis. Hìc dilucidissimè prodis te non esse dialecticum, sed vt ego, & cordati homines passim mecum dictitant, sophistam. Quomodo non agnoscis, Paulum suæ argumentationis propositionem priorem constituisse, quemadmodum oportet in vero syllogismo, vniuersalem? Cum dicit, *Omne quod non est ex fide peccatum est?* cui statim altera subijcitur: sed infirmus, qui adhuc nõ multa cognoscit ex scripturis, si exemplo tuo comedat, absque fide comedit, igitur peccat. Verba verò Pauli sunt, *qui diiudicat, si ederit, condemnatus est, quoniam non edit ex fide.* In hac argumentatione minorẽ pulchrè habes priori loco positam, & postea maiorem: vt apud bonos scriptores sieri sæpissimè cernitur. Quare si debuit illa vniuersalis ꝓpositio, *Omne, quod nõ est ex fide peccatũ est*, institutо Apostoli rectè seruire, necessarium est, vt idem semper conficiatur, quoties aliquid subijcitur, quod ex fide non fiat. Alioqui & Paulo negari potuisset sua connexio, tanquam non legitima, vt in qua propositione vniuersali vteretur, quæ re vera non esset vniuersalis. Exemplo tibi sint Apostoli, qui dum in scriptis Euangelicis quæ nobis reliquerunt, vetus testamentum adducunt, si ea testimonia expendantur probè, sępè illos deprehendes ab hypothesi ad thesin ascendere: & quæ ibi de priuata, & singulari quadam re interdum pronuntiantur, ad omnia membra Christi videbis vtiliter, atq; prudenter accõmodari. Interrogatur Christus de diuortio, & respondet per verba, quæ circa Geneseos initia scribuntur. Eat nunc Smytheus, & dicat: Domine Iesu, illa fuit oratio, quam habuit Adamus de vxore sua Heua: idcircò non oportet illam extra scopum historiæ trahere. Rogatus idẽ seruator noster de resurrectione, ait: *Ego sum Deus Abraham, Isaaci, & Iacobi.* Dicat illi fimiliter de illis trib. patriarchis quãdo sermo instituitur: Quid tu magister extra ꝓpositũ & Moseos, & historiæ illius applicas hæc ad omnes defũctos? Atque ita nihil ferè licebit ex Scripturis conficere. Nam semper dicetur, ille locus tantùm inseruit isti rei, de qua tum scribebatur. O præclaram theologiam. Si quid adducatur dictum Abrahamo, Apostolis, aut Dauidi, aut alicui prophetæ, nostris rebus id nihil inseruiet. Disce tandem, disce saltem ista ætate aliquid sane iudicare. Sunt quidẽ nonnulla in scripturis, quæ non licet in exemplum trahere, aut

Duo exigũtur ad nostrarum actionũ veràm iustitiã.

Pelagius.

Scripturæ sanctæ vtiliter ab hominibus ad thesin ascendunt.

Locus Apostoli ad Colossenses.

aut alio transferre: quod priuati sunt aliqui diuini afflatus, quorum exempla si velit alius vsurpare, pugnaret cum mandatis à lege in vniuersum præscriptis. Vbi vero tale periculum non imminet, quisque quod ad rem suam præsentem facit, debet ex scripturis elicere. Quanto magis hoc loco id faciemus, quum à Paulo propositio adducatur vniuersalis, sub qua ille sumit, quod idem est ferè, atque id quod nos accipimus? Qui fit, vt si respõsiones priores frigebant, hęc postrema concreta sit, atque tota frigore conglaciet. Exprobas mihi ad hæc, quòd ex mea officina tam elumbes rationes prodeãt. At ne posthac erres, te moneo, sanos theologos non opus habere officinis ad aliquid fabricandum, quum in armamentario scripturæ videant satis superque telorum sibi esse ad hostes veritatis conficiẽdos: propterea paratis armis à spiritu sancto libenter vtuntur. Vobis, inquã opus est officina Vulcani, in qua diu noctúque vnà cum Cyclopibus, qui tãtum vno oculo rationis humanę vtuntur, arma inuentionum humanarum, sophismatum, traditionum, stropharum, & captionum vobis frabicamini, ad mendacia tuenda, quæ suscepistis, magno cum vestro dedecore, atque scandalo Ecclesię propugnare. Deinde, quasi sis Latini sermonis acerrimus vindex, ita me rides. At conscientiæ approbatio, vel improbatio: libet enim, inquis, tuis vti verbis, quibus tu differens vtebaris. Quid te hîc offendit, approbatio, & improbatio? At istarum vocum apud bonos authores est vsus. Nunquam ego mihi politam elegantemque orationem arrogaui, non quod eam in alijs, aut vituperem, aut improbem. Donum quippe Dei præclarum, & insigne quid ego damnare ausim? imò sæpius vitia meę orationis incultæ sum deprecatus, & dolui quandoque mecum, quod ea facundia, & eloquentia, qua merentur, tractare sacra non queam. Fui tamen semper adeo facilis erga theologos, vt in eis veritatem, cum primis, & pietatem spectauerim in sacris literis interpretandis: orationis verò cultum, non adeo morarer: sed certè tua intererat, quãdo tam magnus es Ciceronianus, & muscas vocum in alieno sermone captas, in tuis compositionibus & verbis non adeo lutulẽtum fluere. Sed quia pudet me de his tecum agere, vnum tantum dicam, vt prius tuos barbaros, è finibus Romanis exulare facias, & postea ciues antiquos pellas ex vrbe, si Censoribus visum fuerit. Posteà transis à verborum examine, ad seria, consulisque satis grauiter, vt dum integrum est recinam. Verum mihi est difficile quod suades: siquidem nondum didici παλινῳδεῖν: abs te fortasse doceri possem, qui recãtationibus non semel assueuisti. Fortasse dixi: quoniã sensi te recãtando nonnunquam errasse, ita, vt alia palinodia rursus opus fuerit. Attamen credo te adhortari alios ad recantationem, vt socios permultos videaris habere inconstantiæ ac leuitatis, non quod tua papistica dogmata multùm tibi sint cordi, vt qui ad Papam ab Anglis, & ad Anglos à Papa centies in quamque horam sis paratus transfugere, modo fortunę melioris aliqua spes affulserit. Abeas igitur, quo dignus es cum tuis recantationibus, ad quas necessarium est, vt frequenter adigamini, quotquot hominum traditionibus, quæ inconstantissimę sunt, nitimini. Qui autem verbo Dei, quòd æternum durat, adhærent, nequaquam omni vento doctrinę, quẽadmodũ tu, atq; tuę farinę homines, agitantur. Quid autem inter pias D. Augustini retractationes intersit, atque tuas palinodias, ne illo prętexu, vel exemplo te defendas, liquidó patefacerem, si locus ferret, vt nũc ea de re agerem. Sed spero facilè visuros id esse per se ipsos, qui falsa possunt à veris dijudicare.

OBIECTVM IX

IAm illud Pauli ad Colossenses 2. vbi appellat ille ritus Mosaicos Græcè ἐθελοθρησκείαν, hoc est, superstitionem, voluntarium cultum, aut spontaneam religionem quam indoctè, impudenter, ac impiè detorquet iste aduersus vota Euangelica. Quod de obseruatione ceremoniarum veteris Legis id debeat intelligi, vel solum perlegentem caput illud fugere nequit: quippe quod in eo differitur de ciborum delectu, obseruatione feriarum, quæ sunt vmbra, inquit Paulus, futurorum: vt indocti, ac impij fuerit hominis ea detorquere, contra ieiunia indicta à proceribus ecclesiæ, & Christianas ferias: quod fecit Ioannes Caluinus in suo antidoto, imò veneno potius, contra Tridentinum concilium. Quis enim dixerit, vmbras hæc esse rerum futurarum, qui sacras literas vel à limine salutauerit vnquã? Deinde attexit ibidem Paulus mentionem luculentam aliarum cautionum Iudaicarum, inquiens, ne tetigeris, ne gustaueris, ne contrectaueris, *&c. Ac è vestigio subiungit, vocabulum, illud, quo abusus est Petrus iste Martyr contra piorum vota. Nam sic habet illico Paulus,* quæ sunt quidem rationem habentia sapientiæ, in superstitione. *Græcè etenim est ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, hoc est, in libero cultu. Licet non inepte, nec male habeat vetus traductio, in superstitione. Quandoquidem ritus ipsos Mosaicos obseruare, postquam Euangelium Christi prodierit in apricum, perinde est, ac si sine horum obseruatione, nemini pateret in cœlũ aditus, quid aliud fuerit quã superstitio ac vanus, imò noxius Dei cultus? Proinde quanta est impudentia, imo potius indocta impietas, hoc tam dilucido abuti loco, contra vota piorum hominum, quibus colitur Deus?*

DEFENSIO.

DVo hîc mihi facienda video, primum vt Apostoli mentẽ in eo capite secundo ad Colossenses, breuiter atque succinctè attingam: deinde vt demonstrem ad vota quoq; de quib. nunc agimus, illã ἐθελοθρησκείαν pertinere, de qua Paulus tum scripsit. Voluit citra cõtrouersiã in eo capite Apostolus ab his omnibus absterrere Colossenses, quę à Christo possunt homines alienare. Ea verò non tantũ erat obseruatio veterũ ceremoniarũ legis Mosaicæ sed etiam, quęcunque hominum vanitas, & superstitio excogitabat, vel subinde à Philoso-

Locus Apostoli ad Colossenses.

phis, & ſapientibus hũius mundi accipiebat, & ab initio primi capitis illius epiſtolę proposuit Paulꝰ nõ tãtũ circũcisionẽ iã nos habere, non manu factã, verũ & inanẽ philoſophiã depręda ri animos. Idcirco in proceſſu epiſtolę, vtrunq; eorũ proſequitur, & non tantũ, vt fingit Smythæus, ceremonias veteres exagitat, ſed ẽt quęcũq; alia citra verbũ Dei hominum inuenta damnat, q̃ prętextu diuini cultꝰ inuehuntur, quãuis & ſpecioſa, & pulchra ſint humanę rationis iudicio. Sed vt hęc dilucidiora fiãt, ad ſingulas, capitis partes deſcẽdamus, quas erit ſatis, vt lectori ob oculos tãtũmodo ponam: quia in illis facilè videbit, quiſquis iudicio penitus non caret, quæ ibi dicuntur, non omnia eſſe referenda ad veteris legis ceremonias. Primum dicit. *Videte, ne quis vos deprædetur per philoſophiam, & inanem deceptionem, iuxta conſtitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Chriſtum.* Hic ritus taxantur per philoſophiam inuecti, quam manifeſtiſsimè: quorum naturam qui velit intelligere, Auguſtinum legat De Ciuitate Dei, vbi multa contra Porphyrium habet, qui purgationes per ſacrificia, & familiaritates dæmonũ inſtituebat. Neque nos latet, vt ſuis Pythagoras iuſſerit nõ veſci carnibus, fabis, ouis, &c. Poſtea quoque reprehendit Moſaicarum ceremoniarum obſeruationem quum inquit: *In quo & circunſi eſtis circunciſione, quæ fit abſque manibus*, & c. Volebant enim pſeudoapoſtoli obtrudere circũcisionẽ eſſe neceſſariò retinendam, vt patet, & ad Galatas, & ad Philippenſes. Abrogationẽ verò legis, præſertim, quoad ceremonias, poſtea his verbis attigit: *Deleto quod aduerſus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, illud ſuſtulit è medio ſuffixum cruci.* &c. Pergit adhuc de ceremonijs: *ne quis igitur vos iudicet in cibo, aut potu aut in parte diei feſti, nouilunij, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbræ rerum futurarum, corpus autem Chriſti.* Quod verò poſtea ſequitur, minime ad veteres ceremonias attinet, ſed potiꝰ ad ſuperſtitiones, vel à ſcribis, & phariſæis, in ſuis traditionibus inductas, vel (vt potius ego ſuſpicor) ab Ethnicis, & philoſophis, vt ſuperius dicebam, inuectas. Dicit enim: *Nequis vobis palmã interuertat, data opera, per humilitatem & ſuperſtitionem Angelorum, in his, quæ nõ vidit, faſtuoſè incedens, fruſtra inflatus à mente carnis ſuæ, nec obtinens caput*, &c. Hîc dicat nobis Smythęus, quas ſuperſtitiones ac humilitates Moſaicæ ceremoniæ erga angelos habuerint. Certè in tota lege veteri nihil de cultu angelorũ ſcribitur: quare neceſſe eſt hęc aliud reſpicere, quàm ritus Iſraeliticos. Pergit adhuc, & inquit: *Itaque ſi mortui eſtis cum Chriſto ab elemẽtis mũdi, quid quaſi viuentes in mũdo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne guſtaueris: ne cõtrectaueris quæ omnia ipſo pereunt vſu, ſecundũ præcepta, et doctrinas hominum, quæ verbotenus quidẽ habent ſpeciẽ ſapientiæ, per ſuperſtitionem ac humilitatem animi, & læſionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis.* Quis non intelligat hæc omnia non poſſe reſpicere legales ceremonias? quandoquidẽ in illo diſcrimine ciborum Moſaicorũ nulla ſubibatur læſio corporis, ita, vt ei nõ haberetur honor, ipſum ſuſtentando, aut carnem exhauſtam non replendo commodis, & idoneis alimentis. Pauci enim admodũ erant interdicti cibi. Imò dixit ſemel in Leuitico Deus, vt carnium tantum comederent, quantum deſideraret anima eorũ. Propterea neceſſarium eſt ea, quæ hîc dicuntur, alios ritus, & inuenta hominum ſpectare, ob quæ corpus humanum inſigniter lęderetur, vt caro ieiunijs, & abſtinentijs hypocriticis conficeretur. Ideoque fatẽdum eſt, Paulum ſimul coniungere, quęcunque abſque verbo Dei, ſiue Gentes, ſiue Iudæi volebant admiti, & recipi, ab Eccleſia Chriſti, vt ritus, & cultꝰ diuinos, quantacunque id niterentur eloquentia, philoſophia, & veriſimili ratione. Ab his omnibus ſimul Apoſtolus reuocat vt Chriſtum vnum, vt ſummam totam, caputque noſtræ ſalutis, prædicat. Neque Paulus his verbis Legi à Deo latę maledicit, aut detrahit, ſiquidem fuit ſuo tempore neceſſaria: neque philoſophiam honore ſuo, & dignitate ſpoliat. Contemnenda quippe non eſt, modo ſeſe intra ſuos fines cõtineat. De natura diſputet, item de Deo, quantũ ex rebus creatis maieſtatem eius, & vim indagare poteſt. Hoc tamen ei non concedatur, vt pro ſuo cerebro, & inuentis, Dei cultum inſtituere nitatur. Solus ipſe Deus in his eſt audiendus, coléduſq;, vt ipſemet præcepit, non vt hominibus, aut cõmodũ, aut ſpecioſum videtur. Porrò ex his, vt arbitror, liquet, Smythęum iniuria iraſci, vel Caluino præſtanti, nobiliq; noſtrorum temporum ſacrarum literarum expoſitori. Si hæc papiſticis ieiunijs, delectuique ciborum accommodat, vel mihi, licet alijs de cauſis ei odio ſim, ſi ad Vota, præſertim cœlibatus, & monaſtica, quę in eo capite à Paulo tradũtur refero: quũ hęc omnia figmẽta ſint hõminũ, teſtimoniũq; verbi Dei non habeant. Deinde, ſi adeo ſtaret ſententia eius, de Moſaicis ritibus abrogatis iſta eſſe intelligenda, ea cauſa me reprehendere non debuit, qui vouendi ritum, cõtendam, Iudaicam eſſe ceremoniam, quæ apud Chriſtianos hodie locum non habeat. Quocunque igitur ſe vertat, immeritò mecum de his verbis Paulſ digladiatur. Attamẽ, vt omnia quę ibi dicuntur ab Apoſtolo, ſciat non eſſe intelligẽda de iudaicis ceremonijs, iuuat aliquos ex Patribus aſcribere, quibus ille tantum tribuendum cenſet, vt ſcripturam ſanctam putet ad illorum amuſsim dimetiendam, non è diuerſo, eorum ſententias ſcripturæ norma examinandas. Chryſoſtomus illic habet, *iuxta traditionem, iuxta elementa mundi, & non iuxta Chriſtum.* Tandem correptionem attingat, propter obſeruantiam dierum, Solem & Lunã vocans, quemadmodum in ea, quę ad Galatas eſt dixit: *Quomodo denuo conuertimini ad infirma, & egena elementa?* Non dixit autem iuxta dierum obſeruantiam, ſed totum omnino præſentem mundum inuoluit, vt vilitatem oſtenderet. Si enim mundus nihil valet, multo minus valebunt elementa. Et mox: Coucuſsis primum Gentilibus obſeruationibus, tũc & Iudaicas aufert. Nam plura obſeruabant, & Gentes, & Iudæi, ſed illi quidem ex

Auguſtin. *Pythagoras.* *Chryſoſt.* *Erasmus.*

dem ex philosophia, isti verò ex lege, &c. Iam ista declarant satis atque abundè, non omnia, quæ ibi perstringuntur, ad legales ceremonias, pertinuisse, vt iste sibi fingit. Hæc habet Chrysostomus, quę iam retuli, homelia sexta. Verùm postea in septima subdit, interpretando illud, in humilitate, & superstitione angelorum: *Sunt nonnulli qui dicunt non oportere per Christum reconciliari, & ad patrem accedere, sed per Angelos*, &c. Istámne opinionem tribuet Smythæus Veteri Legi Moisis? Cedat locum, Vnde tantum nefas colligat, quem si dare non possit, fateatur liberè, hîc reprehendi hominum inuenta, quorum cunq; illa fuerint, Et mox idem Chrysost. ibidē, *In his quæ non vidit incedens: Angelos enim*, inquit, *non vidit, & tamen ita afficitur illorum superstitione, ac si vidisset, &c.* Atque rursus, *Iuxta præcepta, & doctrinas hominum. Quid dicis? inquit: Etiam si Legē objcias, ea tamen ipsa iam deinceps humana doctrina est, elapso videlicet temporis sui præscripto: aut hoc ideò dicit, quod illam corrumpebant, aut traditiones Græcorum taxat. Totum, inquit, humanum dogma est, &c. Verbotenus*, inquit, *nō efficacia, non ipsa veritate. Itaque etiamsi sermonem sapientiæ habueris, auersamur. Videtur enim talis religiosus quidem esse & modestus, corpusque contemnere. Non aliquo honore, ad expletionem carnis: Deus enim corpori honorem suum contribuit, ipsi verò illo non cum honore vtuntur. Ita solet .n. quando dogma attinet, Ignominia*, inquit, *carnem afficiunt, priuantes illam honore debito, & potestatem concessam auferentes: nec permittentes: vt Spontaneè illi imperetur. Carnem Deus honestauit*, &c. Hæc ex Chrysostomo retulisse sit satis. Núc aliquid ex Ambrosio licet colligere, quo magis iste vel ex suis ipsius testibus, se falsum intelligat. Exponit illud, in humilitate animi, & superstitione Angelorum, & ait: *Quod superius sub nomine philosophiæ cauendū monuit, nunc apertius docet obseruandum, ab his, qui terrenæ sapientiæ studentes hæc colēda asserunt, quæ obtutibus adiacent, vel apparent, vt horum detentæ culturis animæ sub firmamento teneātur obligatæ, ne se supra firmamentum tendant ad superiores cælos ad Deum omnium adorandum*, &c. Dic obsecro Vbinam Lex Dei præcepit in Veteri Testamēto, vt visibiles creaturæ adorarētur, quod hic reprehendi asserit Ambrosius? Et mox: *Rursum de Iudæis dicit, quia & ipsi sub elementis serui unt, non elementis*. Hoc loco de paganis. Et post hæc: *Vsus enim culturæ ipsorum interitū generat, quia præcepta, & doctrinæ non Dei, sed hominum sunt, in quibus vana spes est: quippe cum ea aduersus creatorem inuehit error humanus, vt probibens ab vnius Dei fide multorum deorum superstitionem inducat*. Et mox: *Hinc se sapientiæ rationem habere putant, quia traditioni humanæ nomē religionis applicāt, vt religio appelletur, cum sit sacrilegium*. &c. Ex his iam manifestè apparet, quam iste sine iudicio, & insanè Caluinū & me prosciderit, cū sui iudices sacrosancti illum condemnent, & eum locum Pauli non in vniuersum de ritibus Mosaicis doceant intelligendum. Ignoscat hoc loco mihi lector, quòd præter institutum sim eum remoratus in addu cendis Patribus, cum decreuerim certo quodá loco de his agere, nimirum, quádo meā assertionem ab isto rabulá, scripturis; & rationibus firmissimis, & solidis defendissem. At nunc videor quodámodo non stetisse pactis: quod certè fateor non debuisse fieri, cum talia sim prę fatus. Sed, vt verū dicam, temperare mihi non potui, cū istum sentirē adeò petulāter de hoc loco Pauli nobis insultare: cū tamē & ipsum verborū cōtextū, & Patres contra se habeat Quare si vocaui αὐτοθησαύρισμα Vota vestra, rectè feci: quia ex voluntate humana, non ex verbo Dei cultū vouēdi nunc vsurpatis: & per vestram pauper tatem, obedientiam, ieiunium, & cœlibatum, quę vouetis, corpora ignominiā afficitis, & suo destituitis honore.

Ambrosius.

OBIECTVM X.

NEc minori impudentia, & impietate asserit, obniti vouentes legi diuinæ, quo suas traditiones obseruent. Nam quod attinet ad votorum nuncupationem, hominis non est traditio vouere, sed consilium Christi, & Pauli. Quoad redditionem eorundem semel Deo nuncupatorum, præceptis Dei obstricti tenentur vouentes, vt quæ vouerint, persoluant: iuxta hos locos Scripturæ: Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, *&c.* Redde altissimo vota tua: Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius offertis munera. Si quid voueris Deo, non moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio: sed quodcūq; voueris, redde. Celebra Iudæ festiuitates tuas, redde vota tua. Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare. *Prætereo multos huius generis locos, qui conuincunt necessariò debere vota Deo nuncupata semel reddi. Euasit satis itaque perspicuum, vouere non esse reniti diuinæ legi, quó contra eam statuerentur vllæ hominum traditiones, &c.*

DEFENSIO.

MIrum est, quomodo negare audeas, vota nūc esse humanas traditiones, sed vt consilia Christi & Pauli affirmes habenda: cū neq; Christus, neq; Paulus vllam eorū mentionē vsquá faciāt. Cōsulūt quidē his, qui possūt vt cœlibes viuant, aut virgines, ad regnū cœlorū promouendum. Voti aūt neuter eorum verbū alicubi fecit. Multa sanè loca citat Smythęus de votis nuncupatis fideliter persoluēdis: at nullū ex nouo Testamēto adducit, de quo tātū in præsentia cōcertamus. Quis vnq; illi negauit fuisse vota persoluēda, modò iusta essēt, quādiu facultas vouēdi fuit integra, & ratione tēporis in vsu māsit? Ideo aūt ego dixi, eos q hoc pacto vouēt, se diuinę legi subducere, quoniā si quē videris sacrificū, aut monachū impudēter scortantem, illumq; monueris vt desistat, vel si nō potest cōtinere, vt vxorē ducat iuxta præceptū à Deo per Apostolū promulgatū, statim respōdēt, id sibi nō licere, quod ad cœlibatū sint astricti p votū. Si ego hîc mētior, neq; talia respōsa vnq; dātur bene monētib. argui nō recuso At si frequēter hoc

accidit, Smythęũ cõcedere oportet, se phariſęũ esse, qui hominũ traditiones velit plus valere, q̃ diuinã legẽ. Certè negare nõ poterit, Deũ mãdasse parẽtes honore afficiẽdos: filiosq; astringi diuino p̃cepto, vt illis obediãt. Cuiꝰ mandati si admonueris iuuenẽ, qui parẽtibꝰ inuitis monasteriũ sit ingressꝰ, & Abbati vouerit obedientiã, nõne respondebit, & quidẽ piè, si Smythęo credimus, iam voti religione se impediri, ne patri obtẽperet? Quid est igitur propter humanas traditiones legẽ Dei cõtẽnere, si hoc nõ fuerit? Proinde hîc humana temeritas bis decipitur. Primùm in eo: quod iudicat vota, de his nuncupata, quæ Deus prohibuit, firma esse, cum nullo vnquam tempore fuerint rata: quemadmodum est, non obedire parentibus, & cœlibẽ viuere, si continere nequeas: Deinde, quod eo tempore vouere audet quando iam genus illud cultus diuini est abolitum.

OBIECTVM. XI.

Si dixeris mihi, quoã Lutheri cũ sis mysta, & discipulꝰ, dicturum te nihil dubito, neminem absque Dei haud vulgari dono posse continentiã colere & tueri, tecum hoc nomine digladiari non libet: quando non sum nescius libro Sapiẽtiæ hoc prodi nobis axioma, & proloquiũ. Nemo potest esse cõtinẽs, nisi Deꝰ dederit. *At quid tũ postea? Nũ hinc probè collegeris rũpẽda esse vota cõtinentiæ? aut fas esse sacrificis, & nonnis matrimonia cõtrahere? Certè indoctissimũ esse oportet, qui eiusmodi ex eo loco nectere conetur syllogismũ: Nemo potest credere in Christũ, sperare, respiscere, Deũ & proximũ diligere, forti & infracto animo aduersa perpeti, mandata Dei obire, aut denique quicquã peragere boni, citra Dei opẽ & auxiliũ, ergo hæc nõ sunt iuxta tuã ratiocinãdi normã à nobis sedulò præstãda. Quis hoc pacto colligat vnquã cui pectꝰ sapit? imò caput nõ habet opus, vt helleboro purgetur? At hæc, inquis ad salutẽ sunt necessaria, atq; à Deo præcepta, & propterea Dei, quò ea seruentur nulli deerit patrociniũ. Huiusmodi quidã non est continenter viuere perpetuoq; vxoris carere amplexu. Cæterum impudentem, & pudere nescium esse oportet, qui eat inficias reddenda esse vota necessariò cuiuis, qui ea Deo nuncupauerit, poſtquã tot tamque conspicui extent de hac re in sacris biblijs loci, qui hoc clare doceant, & magis peccet qui Deo, quàm qui homini non seruet fidem: peccetq; qui adulterium admiserit, quod fidem vxori præstitam non liberet, Vouere necne velit, cuilibet integrum esse nemo nescit. At non item vota persoluere semel data, &c.* Quod verò nulli desit castè viuendi facultas, vtcunque is ad libidinem sit propensus, vel illud mea quidem sententia affatim reuincat, quòd Paulus testatur, Deum neminem pati tentari suprà id quod potest ferre, sed facere vnà cum tentatione prouentum, vel exitum, vt queat sustinere. 1. Corinth. 10. *A quo nec illud Genes. est alienum, nempe,* subter te erit appetitus tuus, nimirùm sceleris designandi, aut patrandæ cædis fraternæ, & tu dominaberis illius. *Nam si mihi continenter iuxta votum meum non liceat traducere vitam, sineret me Deus tentari, supra id quod ferre liceat, nec faceret tunc cum tentatione exitum, seu prouentum, vt queat tentationi mens mea reniti, eamque vincere. Rursus si nequeo, vt maximè velim, omnemq; intenderem conatum continentem transigere vitam, consectarium esset me inuitum ac reclamantẽ peccare, neq; sub diditioni meæ peccatum, & Dominũ me illius non esse, quod pugnat ex diametro cũ Geneseos citato loco: nec cum illo solo, sed cum complurib⁹ alijs locis, quæ produntur in sacris voluminibus. Errant itaque qui inficiantur homini non esse integrum, vitam traducere cœlibem & perpetuò continentem.* Et mox: *Quamobrẽ da operã cãdide lector, nõ indiligenter vt caste viuas: adhibe libidinis designãdæ antidota: propelle procul, quæ ad eã designãdã extimulẽt, pelliciãt, adigãt: aut cũ cõtinẽtia sit, vt alia omnia bona, Dei munꝰ hãc quoq; ardẽtibꝰ à Deo efflagita votis: & tũ demũ nõ est, quòd ambigas, te traducturũ quatenꝰ fuerit necesse vitã. Nã Christꝰ dixit,* Petite & accipietis, *& rursus:* Quodcũq; petieritis patrẽ in nomine meo hoc faciã *Paulus dicit se omnia posse in Deo, qui eũ roborat. Deniq; ille testatur se ter Deũ rogasse vt sibi auferretur stimulꝰ carnis, ac Deũ sibi respõdisse,* sufficit tibi gratia mea, *ná virtꝰ in infirmitate pficitur. Indicant ista, posse hominẽ cõtinẽter viuere modo velit, idq; dũ sedulo precib. à Deo impartiri sibi ambierit. Noli ergo posthac cõqueri falsò de naturæ imbecillitate seu de carnis tuæ in malũ propẽsione vt hãc tuæ libidini obtẽdas, causerisq; per eã tibi integrũ nõ esse cõtinẽter degere vitã, sed tuã potiꝰ incusa, et traduc supinitatẽ atq; inertiã qui id nolis, quod possis, modò tuo volueris fungi officio, vt par est, & licet. Cæterũ hîc cõuenio, cõpelloq; Lutheri assecla, & consectaneos quid captarẽt cõsilij, aut quid agerẽt, si postquã vxores duxissent, illis nõ liceret per morbos reddere debitã benevolẽtiã, aut fugã arriperẽt, aut denique aliter cõtingeret, vt cũ his rẽ habere nõ foret integrũ? Nũ causetur hîc nõ posse se cõtinẽter viuere, & ideò vxores alias priorib. adhuc superstitib., atq; aura vescẽtib. ætherea, liceret sibi ducere, citra omnẽ cõscientiæ læsionẽ, atq; pietatis iacturã? Arbitror illos nõ esse vsq; adeò demẽtatos, vt hoc illis venerit vnquã in mẽtẽ vtcũq; fuerint in multũ crassissimè lapsi. Verũ abũde hactenꝰ de his locis disseruimꝰ, nũc ad reliqua progrediamur: atq; illud Christi à Matthæo bis proditũ verbis, breuiter expediamꝰ.* Nõ omnes, *inquit, Christꝰ* capiũt verbũ hoc, *scilicet de sui castratione p̃ perpetuã cõtinentiã propter regnũ cælorũ, sed quib. datũ est. Qui potest capere, capiat. Verba hæc miserè sunt à Lutheranis detorta à suo genuino ac nativo sensu, ad dogmatis sui assertionẽ, quod eumlgarũt aduersꝰ cleri cælibatũ, cũ illa hũc statuãt, ac cõfirmẽt: tãtũ abest, vt deijciãt, atq; infirmẽt eũ, vt Lutherani spẽldidè atq; impudẽter mẽtiũtur. Nã quòd nõ omnes sint capaces cælibatꝰ, aut perpetuæ cõtinẽtiæ sed illi duntaxat, quibus datũ est à Deo cõtinẽtiæ donũ, nemo it inficias. Sed hinc posse statui clericorũ cõnubia esse licita, nemo germanè pius vnquã dederit: quippe quòd qui castè & cõtinẽter nequeat viuere, inueniri possit nemo.* Et mox: *At id, inquiũt, quod illicò appingit Christꝰ, nẽpe: Qui potest capere, capiat, deterrẽtis est, ac dehortãtis ab ineundo ac capessẽdo hoc tã arduo vitæ instituto.* Et mox: *Nõ est aũt quod putet quispiã violẽtiꝰ esse atq; coactiꝰ in hũc locũ interpretamẽtũ, quãdo posse, et nõ posse, pro eo quod est velle et nolle accipimꝰ. In plurib. n. scripturæ locis necesse est vt ingenuè fateamur, si velimꝰ illorũ genuinũ assequi sensũ. hoc genꝰ expositionis admittere. Nã cũ ait Christꝰ,* quomodo potestis bona loqui cũ sitis mali. *ac rursus:* Nõ potest mũdꝰ odisse vos, *posse, et nõ posse, pro velle & nolle vsurpauit. Vt illud est, nõ potuisse illic Christũ facere signa, propter eorũ qui acciperẽt incredulitatẽ. In hãc sententiã Christꝰ loquutꝰ est illud Ioannis* Quare loquelã meã nõ agnoscitis? *quia* nõ potestis audire sermonẽ meũ: *hoc est, quia nõ vultis audire, cũ liceat. Haud se-*

cus

cus accipi debet illud Ioan.12. Propterea nō poterāt credere. Nā Ioan.5. legim⁹ Christū adscripsisse incredulitatem istorū Iudæorū eorā volūtati, cū dicitur, Nō vultis venire ad me, vt vitā habeatis, &c. Potestis venire ad me per fidē & respiscentiā. Sed cū licet, non vultis. Alioqui quorsum attinuisset Christum illos toties ad credendum extimulare, si integrum non fuisset illis credere? Adde quod aliās in crimen non fuisset illis vertendum, quòd non crediderint, nisi licuisset illis credere. Postremò potuisse illos credere, sed noluisse, vel illud Christi est argumento, quod prodit Matthæus his verbis: Hierusalem, Hierusalem, quoties volui te congregare, sicut galina congregat pullos tuos sub alis, & noluisti? Nam si congregari non potuissent bi vt libentissimè, & maximè voluissent, Christus, quem hoc latère minimè potuisset, quippe omniscius est, in quo & omnes thesauri scientiæ sunt reconditi, nunquam id operæ insumpsisset, vt eos colligeret. Proinde posse, & non posse, pro velle, & nolle, sumi bis locis necesse est, quemadmodum in his quoque: Non potero cēlare Abraham quę gesturus sum. Non potero facere quicquā, donec ingrediaris illuc. Quo circa quisquis velit, ac sedulo petat gratiā et donū continentiæ, potest vitā transigere continētē: vt hoc telū, quo suas nefarias Lutheristæ tutati sunt nuptias, illorum iam manibus sit prorsus excussum. Ac propterea videamus iam, quibus adhuc in hoc certamen descēdentes se defendant armis. Paulum adeunt, atque ex eius armario petunt, quibus armati pugnant. Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat. Hic immeritò atque vanè acclamant isti veluti re grauiter & feliciter peracta, illud Ouidianū, Dicite io pæan, & io bis dicite pæan, Incidit in casses præda petita meas. Nam nihil dubito, quin doctissimus quisque auditis semel aut lectis, quæ isti in hunc locum conminiscuntur, deprehendat ex illius depraua to sensu dicturus sit illa Plautina, Pulchrè dixti, belle narras: quæ ille de re dictu vehementer absurda solebat vsurpare. Verùm his missis, rem experiamur. Habent isti persuasum, alijsque conātur persuadere, Paulū hoc loco sensisse, liberum esse atq; integrū, cuilibet cōtrahere matrimoniū, quando ista libido eū pellexerit ad Venerem: cum Apostolus nihil huiusmodi vel somniauerit, vt qui nuptias his verbis nec præcepit, neque consuluit, quippe quòd horum vtrūque ex diametro pugnet cum his quæ mox apud eū sequūtur. Nónne dissideret Apostolus à seipso, pugnātiaq; nō iniuria extulisse dicendus esset, si nuptias aut præcepisset, aut consuluisset, cum virginitatē consulit dicens: De virginibus præceptū Domini non habeo, consiliū autem do, deinde optat omnes sibi esse similes, id est, virgines. Nónne ibidem hortatur vt mares, & fœminæ, qui liberi et soluti sunt à vinculis connubialibus, his nolint alligari? Quomodo itaq; aut consuleret, aut iuberet nuptias celebrari? Cum dicit, propter fornicationem vnusquisque vxorē suā habeat, &c. Nónne ergo cuiq; obscurū esse potest, quàm hic tota, vt dici solet, via, totoq; cœlo aberrent isti egregij aruclones, atque insignes Christianorum Epicuræi, dum locum hunc per capillos, vt aiunt, renitentem trahunt? Sed longè aliud sensit Apostolus, nimirum, non esse bis, qui paganismo deserto, sua nomina Christo dederant, auertendum à suis vxoribus quas duxerant antequā Christianismū iuerant amplexi. Hoc enim multis persuasum erat necessariò faciundum, de quo alij hæserunt plurimum, ac propterea per literas Paulum consulebant, quid esset illis faciēdū, cū causa cōtinentiæ vel religionis prætextu deserendæ essent suæ vxores an retinendæ? Quib. respondet Apostolus bonū esse, hoc est cōmodū esse, & expedire, mulierē nō tangere, hoc est, à reddenda debita beneuolētia, etiā suæ ipsius vxori antea ductæ penitus abstinere, vt molestia muliebri & sollicitudine vacuus, quietius atq; commodius Deo inseruiret. Cæterū ne stuprum designet, aut adulteriū patret, habeat, hoc est retineat atq; vtatur ducta prius vxore, adeò, vt hic nihil prorsus sit scriptum de ducendis vxoribus, sed retinēdis tantum & non deserendis causa religionis illis cōiugibus, quas ante susceptum Baptisma, & initum Christianismū duxerūt. Et proinde locus inductus nihil omnino suffragatur Lutheranorū exitioso dogmati, quo contendunt sacrificis licere vxores ducere. Et mox: Quid quòd ἔχειν, quo hic verbo vtitur Apostolus non habere tantùm, sed tangere, iuxtà esse, hærere tenaciter, adhærere, aut coniunctum esse significat? vt vel eius etymologia ostendat verba fecisse Apostolum de tenaciter adhærendo vxoribus prius ductis, deq; illis non abijciendis, non deducendis. Postremò hoc manifestissimè conuincit vel ipse Pauli contextus, vt qui hæc habet è vestigio post adductam sententiam à Lutheranis, qua asserunt sacerdotum connubia. Vxori vir debitum reddat, similiter autem vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, vt nimirum absque eius consensu abstineat à reddendo debito, sed vir. Similiter vir corporis potestatem non habet, sed mulier, vt citra eius consensum non liceat illi continenter viuere, &c. nolite fraudare vos mutuo. Nónne monstrant hæc Paulum in exordio illius capitis dissensisse de habendis id est, retinendis vxoribus? Id quod vel ipsi refutabiliter conuincet, quod Apostolus ipse Sole clarius ostendit, se dissentire de cōiugatis, quādo præfatā scripsit sētētiā, cū hæc adiūgit. Dico aūt nō nuptis & viduis: bonū est illis si sic pmānserint, sicut & ego, quòd si se nō cōtinēt, nubāt, &c. Et mox. Cōtexūt rursus hūc, si dijs placet, syllogismū planè elūbē, et beatceū. Paul⁹ ait, Vnusquisq; donū suū habet ex Deo: Vn⁹ quidē sic: hoc est, vt cōtinēter viuat et virginitatē tueatur: alij⁹ vero sic, hoc est, vt ducat vxorē, cūq; ea ducat castā vitā: ergo nō licet omnib. cōtinēter perpetuò vitā traducere, quia nō omnib. est illud cōtinētiæ donū impēsū, vt hic vult Apostol⁹. Quàm futilis sit, & imbecillis hæc ratiocinatio, ostendit huius Paulinæ sententiæ natiuus sensus: de quo fateor perquā libēter cū doctissimo quouis interprete, virginitatē esse donū Dei pariter atq; nuptias, seu castitatē cōiugalē, vt vult hoc loco Paulus. Vtrūq; à Deo poscēdū, nec dubitādū, quin ille, qui est in omnes inuocātes eū in veritate, propēsione atq; benignitate votis nostris ānuet, iuxta illud Christi, Petite & accipietis, de quo fusius suprà. Et mox: Struūt præterea mei antagonistæ, & colluctatores rationē ex his Apostoli verbis, Quòd si se nō continēt, nubāt: melius est. n. nubere, quàm vri. 1. Corinth. 7. Loc⁹ iste irrefutabilis videtur meis aduersarijs Lutheri cōsectatorib. cū pcliue fuerit, atq; facile refutare cōtextū ex eo quemuis syllogismū. Nā vult vt mulieres nōdū nuptæ, ac viduæ, quæ se nō cōtinēt, nubāt, ne pertrahantur ad scortationē, Quid tū postea? Nū ideò cōuincas, vt virgines Deo consecratæ ac nuptæ, atque sacrificī post nuncupatū Deo Optimo max. votū perpetuæ cōtinētiæ, matrimonio sese dedāt, alligēt, & astringant? Non certè, cùm verba Pauli solùm pertineāt ad non pollicitos, neque voto astrictos, etc. Et alibi: Aliū nobis struxit Petrus syllogismū, oppidò quàm ineptū, et indoctū, hoc pacto: Illud tantū vouēdū est, quod est in nostra potestate situ: sed huiusmodi nō est cœlibatus, virginitas, aut cōtinētia, vt quæ sunt Dei dona: cur itaq; voueam ea Deo? Cui primùm hoc respōdeo, nō ignorasse priscos illos integerrimos patres vtriusque testamēti, hæc Dei munera esse, haud secus quàm omnia bona. Roga igitur illos cur vouerint, quod nō erat illis liberū præstare, aut

quod non erat situm in illorum potestate. Nunquid non exigebat ab illis Deus votorum suorum redditionem, vt su prà diximus? At exigitne ille aut mala, aut quæ scit penes hominem non esse præstare? Deinde consulit Scriptura vota cum ait: Vouete, & reddite, *Christus, & Paulus. At consulunt hi illicita? aut quæ persolui nulla parte ab homine possunt? Denique votum, quod nuncupant homines Deo, dum Baptizantur, & fides, spes, charitas, ac reliquæ virtutes omnes, vt omnia piè facta sunt dona Dei: non possunt itaque præstari à nobis, aut nõ est penes nos potestas ista præstãdi. Nam si pondus habebit ista tua collectio, eodẽ modo ista mea nõ carebit, quando neruus tuæ collectionis in hoc situs est quod continentia sit donum Dei & idcò non esse in nostra potestate posita: Verũ est itaque, cõtinentiã ac virginitatẽ esse donũ Dei, iuxta id Sapientiæ 6.* Et vt sciui, quoniam aliter continens esse non possem, nisi Deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia scire cuius esset hoc donum, adij dominum, & deprecatus sum illum. *Docent hæc verba non modò continentiã esse donũ Dei, sed etiam illã ab eo precibus esse ambiendam & postulandam. Id quisquis ardenter, indesinenter, ac piè fecerit, non patitur repulsam, sed exorabit indubiè iuxta illam Christi pollicitationem,* Petite, *&c.* omnisqui petit accipit. *Ac rursus Iacobus ait:* Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & nõ improperat, & dabitur ei. *Proinde licet continentia ac virginitas sint dona Dei, sunt tamen in nostra sitæ potestate, quemadmodum omnia benefacta, quatenus licet illa impetrare precibus à Deo, atque facultatem obseruandi eadem, semel nuncupato de his voto. Excussum est itaque é manib. Petri hoc telum, &c.*

DEFENSIO.

NVlla ferme alia pars huius quæstionis est in qua iste antabata cõtendat verbosius. Sed nõ secus illi accidit atque his qui per labyrinthũ errant. Nam quò magis proficiscuntur, eò magis & perturbantur, & sibi ipsis exitũ impediunt. Cum negare nõ possit virginitatem & cœlibatum dona Dei esse, videtur id sponte, & vltrò velle fateri. Sed, vt vides, optimè lector, ita hæc dona Dei esse concedit, vt tamen ea omnibus, dari existimet necessariò, modò ea velint, & petant: Semperque clamitat ea posita esse in nostra potestate. Quare concludit: neminem esse illis frustrandum, si ea precibus nitatur impetrare, ac in eis acquirendis laborem non recuset impendere. Hæc planè summa est eorũ, quæ nobis modò sophistica huius loquacitas proponit examinanda. Primùm valde admiror istum parùm considerasse inter dona Dei notissimum & vulgatum discrimen: quod ego tradidi sæpius cum docerem, et is modò retulit, quamuis imperfectè, vt solet cætera. Dico itaque aliqua dona Dei ad salutem esse necessaria, atque ideò ea ratione omnibus Christianis communia: de quibus etiam generalis in sacris literis extat promissio, vt fides, spes, charitas, patientia, & alia id genus. E diuerso autem sunt quædã ad salutẽ nõ necessaria, vt prophetia, genera linguarũ vis edẽdi miracula, sanãdi ægrotos, &c. Quæ vt peculiaria sunt, neq; dãtur omnib. neq; omnib. credẽtib. omniq; tẽpore promissa fuerũt. Cũ itaq; verũ sit castitatẽ, si sumatur in vniuersum, vt est cœlibum, virginũ, & coniugatorũ, necessariã esse ad salutẽ, & ptinere ad primũ donorũ genꝰ, Ideò quilibet pro ea impetrãda debet orare magna fiducia, quòd æternus pater eã sit electis cõcessurus: prout illã existimauerit cõducere, aut in cœlibatu, aut in virginitate, aut in matrimonio. Nec est cuiq; nostrũ quicq; Deo prescribẽdũ. Nã ad quascũq; partes vel species castitatis iã enumeratas descenderis, nulla earũ est ad salutẽ necessaria. Imò virginitas & cœlibatus inter dona Dei singularia censentur, quæ nequaq; omnibus conueniant, neque omnibus præcepta sint. Propterea si quis ea precibus conetur impetrare, fortasse laborabit incassum, quod illũ hominem Deus, vt fieri potest, decreuerit sanctũ colere matrimoniũ, vt de multis patriarchis inveteri Testamẽto negari non potest. Hanc distinctionẽ cũ Smytheus nunq; didicerit, aut attẽtè cõsiderarit, omnia disputãdo cõfundit, aqꝫ passim turpissimè aberrat: multaq; referuntur ab eo longè aliter, q̃ ego vnq; vel dixerim, vel cogitauerim. Putat me ita colligere: Castitas virginũ aut cœlibũ est donum Dei, igitur rumpenda sunt vota: cum à me prorsus aliter dictũ sit, nempè, cœlibatus est donum Dei nõ cõmune omnib fidelib. non ad salutẽ necessariũ, igitur cœlibatũ nõ debemus vouere. Quòd autè ipse dicit me concludere, huiusmodi vota rumpenda esse cum opus fuerit, equidem non negarim ex his omnibus consequi simul coniunctis. Vota enim de his rebus nuncupata, quæ promittenda non sunt, haberi debent apud Deum pro irritis. At istam huius quæstionis partem modò non agitaui: postea de illa fauente Deo, quantum necessitas requirit, videbimus. Sed iste magnus dialecticus, quæstionem, quam appellant, Quia est, cum quæstione an est, permiscet. Primùm ego tractandum suscepi, an votum inter Christianos dandum sit: postea, an hæc vota cœlibatus nuncupata, rata sint necessariò seruanda. Quare licet id, quod ipse infert, ex omnibus partibus antecedentis iamà me declaratis, sed ab ipso non expositis, consequatur, ipse tamen bis peccat. Primùm quod antecedens, non totum, neque distinctum, sed confusum & mutilatum arripit: deinde quòd non in tempore mihi hæc obijcit, quum id, quod ab eo inducitur, non sit à me dictum, nisi cum prius, quæ modò tractantur exposui, ac dilucidaui. Est itaque mea ratio, sicuti dixi: Cœlibatus est donum Dei singulare, ad salutem non necessarium, non omnibus commodum, neque omnibus commune, igitur nullus ipsum debet vouere, præsertim liberè, absolutè, absque vlla conditione: cum ignoret, an status huiusmodi saluti suæ conueniat, vel posthac semper possit congruere. Deinde quàm est illud extra oleas, cũ dicit, credere in Deum, sperare, proximum amare, patientes esse in afflictionibus, & alia id genus, absque Dei ope non possumus, ergo ista non sunt, iuxta meam sententiam sedulò præstanda. Primùm vide, quomodò se torqueat. Ego ex

Ego ex illo antecedente integro & perfecto cõficio: igitur cœlibatus non est vouendus. Ipse verò concludit, ista non sunt à nobis sedulò præstanda. Profectò nunquam ego docui, cœlibatum, ab his qui donum eius habent, & eo bene vti possunt, non esse præstandum sedulò: Verùm tradidi non vouendum. Cur tu argumentaris, ergo ista non sunt à nobis sedulò præstanda, cum dicere debueris, non sunt vouenda? Fortasse hoc dicere noluit vir circunspectus, ne secum pugnaret, qui superius dixerit, nos ideò nõ vouere dilectionem inimicorum, quòd Lege Dei ad illa astringamur, sed interim nisi hoc pacto concludat, nihil contra me dicit, cum ego non de obseruatione, sed de voto agam. Quòd si hoc loco sit vsus hac vafricie vel astutia, attamen infrà sententię suæ oblitus, mihi obijcit, nos in Baptismo hæc omnia bona vouere: quæ cum non sint in nostra potestate, non erunt, vt concludit, iuxta meam rationem seruanda. Quã stultè ista conferuntur cum cœlibatu? cum, vt liquidò apparet, hæc ad salutem sint necessaria, & omnibus, qui verè Christiani sunt, communia. Quid euincet similitudo eorum, quæ tam diuersi sunt ordinis? Pretereà iam affatim docui superius, nos in Baptismo propriè non vouere, nisi per votum intelligas aut preces aut ardentissimum desiderium ea præstandi, quæ ad regeneratum in Christo pertinent. Ideoque fidem, spem, charitatem patientiam, & consimiles virtutes, cum requirantur necessariò, & sint perpetui fructus regenerationis, omnes fideles pro virili præstare debent: nunquam tamen, vt ego iudico, voto vllo sunt nuncupanda: siquidem ea, velimus, nolimus, Deo debemus. At contendit parem voti quoque debere esse rationem, quoniam reddere votum nuncupatum, ad salutem necessarium est, vt multa loca scripturæ atteſtantur. Et si fidem hominibus datam violasse, crimini vertitur, vt in adulterijs, multo magis id est, in his damnandum, qui Deo non reddunt, quæ vouerint. Sed quia vt asseruimus vota in nouo Testamento locum non habent, quomodo sunt persoluenda? Primùm necesse est, vt aliquid extare demonstres, posteà poteris progredi ad ostendendum, quæ de illo existimas credi oportere. Idcirco tantisper irritaerit tua probatio, quoad reliqueris ambiguum, an votum concedendum sit Euangelij tempore. Neque mihi probes id oportet hominum verbis, quoniam ritus & cultus Domini, verbo quoque diuino confirmandi sunt. Potuissem vno verbo etiam respondere, vota ea non esse retinenda, quæ de his nuncupantur, quæ vouere non licet, quemadmodum fuit in Lege veteri de primogenitis, & hodie sunt, vester cœlibatus, paupertas, & obedientia. Sed quoniam hoc in altera parte assertionis tractandum differo, ideò in responsione, quæ iam allata est, aquiesco: nimirum, quòd cum nostro tempore, non sint vota coram Deo rata, ideò frustrà de illis persoluendis agitur. Quòd non ita est de adulterio, aut de perfidia in homines cõmissa: quia ista literis cum noui, tum veteris Testamenti, & damnantur, & prohibentur. Non enim ad ceremonialia, vt loquuntur, sed ad moralia præcepta pertinent. Concedo itaque non inuitus, eum qui à Deo deficit, longè grauius peccare, quàm qui vxorem adulterio fallit. Verùm hoc, quid ad votum facit? Monent quidem nos diuinæ literæ spirituale matrimonium inter Deũ & fideles eius iniri, quemadmodum, quoad corpora, inter virum, & vxorem. At quòd aliquid sub Euangelio Deo vouendum sit, nihil prorsus habent. Et quęcunque testimonia Smythæus adducit, semper ea ex veteri Testamento ad causam deriuat. Idemque, dum citat diuinas scripturas, partim adducit ea quæ contra se faciunt, partim ea, quæ à causa sunt quàm remotissima. Paulum scio ad Corinth. pijs hominibus spem facere, Deum non permissurum, vt vltrà vires tententur, non quidem propriis: nam quoad eas tentatio quamuis leuissima nos valet illico prosternere. Verùm intelligendus est Apostolus de viribus à spiritu sancto collatis, quæ suppeditantur copiosè Dei electis, vt supra modum non tententur: & ipse Deus est qui cum tentatione facit exitum. Quæ sententia ita pro me facit, vt ad meam causam nihil dici potuerit accommodatius. Quando aliquis viuendo cœlebs sic tentatur, vt aduri cœperit, videatque suæ castitati periculum imminere, Deus illi sanctum parauit matrimonium, vt ibi certum & fidelem exitum reperiat in tentatione: neque patitur Deus tentari eum, suprà quàm valeat. Smythæus intelligit, quia donum largietur cœlibatus: ego verò alterutrum dico futurum: vel ignes cupiditatis noxios in ipso Deus restinguet, si eum cœlibem voluerit, vt in suscepto instituto valeat perseuerare, Dei gloriam & Euangelium promouendo, vel pacem eius conscientiæ in sancto matrimonio concedet. Quid verò huc faciat locus ex quarto capite Geneseos, *Ad te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, nemo facilè intelliget, nisi qui nouerit, sophistas his verbis abuti ad liberum arbitrium aduersus gratiam Christi constituendum: atque hinc elici volunt, situm esse in manu cuiuslibet, vt appetitus, & cupiditates peccati reprimat, quoties, quomodo, & quando voluerit: & omnes arbitrantur, homines, pro ipsorum voluntate, ac iudicio, dominos esse innatæ prauitatis. Quæ vt sint falsa quilibet in seipso experitur. Verum quidem est, hominem Dei gratia, & spiritu iam regeneratum, sæpius efficere, vt peccatum, quod exscindere non potest, ne in suis membris perpetuò aliquid malè commoueat, mortificetur, &, quemadmodum Paulus dicebat ad Rom. in se non regnet. Verùm vt natura nostra vitiata est & corrupta, hoc homini per seipsum non congruit neque iuxtà ingenium, quod à suis maioribus traxit. Deus autem in Genesi, loco abs te adducto, naturæ humanę vitium describit, quando inquit: *Appetitus eius*, videlicet peccati, *ad te*: semper enim prauos illius motus experimur, & vel imprudentes, aliudque agentes, prauæ cupiditates inuadunt:

Locus ex quarto capite Geneseos.

quæetiam, si gratia Dei nō adsit per Christum, necessariò prævalent: nisi velimus, vt isti Pelagiani sentiunt, existimare hominem adhuc nō regeneratum, per seipsum posse vniuersam Dei legem seruare: contra quem peruersum errorem scriptura vbique reclamat. Descripta itaque hominis natura, quæ perpetuò à peccato, & illius cupiditatibus agitur, subiecit Deus legem, & inquit, *Dominaberis eius*: ita enim per futurum tempus indicatiui modi præcepta Dei nobis proponi consueuerunt. *Non occides: non mœchaberis, non furaberis:* Quibus mandatis non ostenditur nobis, quantum possimus, sed quid faciendum sit, quidúe à nobis exigatur. At isti vocum omnium significata ita loco mouent, vt nihil iam natiuam propriamque significationē per eos valeat retinere. Illis perinde est, *Tu dominaberis peccato, & appetitui eius*, acsi diceretur, potes modò velis, peccato dominari, & stimulos eius restinguere. Item, *Deum diliges toto corde, tota anima, & omnibus viribus*, est his hominibus acsi dicatur, Potes, modò velis, diligere Deum toto corde, tota anima, & omnibus viribus. Cum tamen ista præcepta sic ponantur, vt intelligamus quid requiratur à Dei lege, quid faciat ad hominum actiones corrigendas. Non tamē sequitur, neque significatur illis verbis, nostrùm quemquam per seipsum ista posse. Nisi. n. Deus gratia Christi iuuerit, vel minimum mandatum nunquam absoluemus. Data est lex ad cognitionem peccati, vtque nos ad Christum tanquam pædagogus adducat: & quò sciamus, quid nobis desit, quidúe à Deo sit petendum, & orandum per Christum Dominum nostrum. Cuius gratiā qui consecuti sunt in regeneratione, aliquo modo peccato dominātur, non tamē ita perfectè quemadmodum lex requirit. Atq; ideò semper clamāt, *Remittas nobis debita nostra*, &c. Noruntque illud Ioannis, *quòd si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Sed redeamus ad pseudotheologum. Christianus iam regeneratus non ex suis viribus naturæ iam peccato corruptæ, sed per gratiam Iesu Christi habet, vt libidini aduretti dominetur, ne se perdat, aut in damnationem præcipitet: quod in ijs facit, quos ad scortationes & adulteria committenda impulerit. Hoc nos libenter damus: qui enim vxores ducunt, nequaquam libidini fræna laxant, sed honesto sanctoque remedio coniugij diuinitus instituti se tuentur: quod cum faciunt, Deo parent præcipienti per Apostolum, *Qui nō continent, nubant: siquidem melius est nubere, quàm vri*. Quare tam loca ad Cotinth. quàm verba ex Genesi adducta, nequaquam persuadent in manu esse omniū, cœlibatum seruare. *Tunc*, inquit, *adigar inuitus peccare, si non valeo libidini resistere.* Quasi ducere vxorem sit peccatum. Ad matrimonium adigeris, quando continere non vales, non ad peccandum. *Sed obstat votum: nam ei qui votum nuncupauit, peccatum est matrimonium contrahere*. Verum diceres, si modò liceret vouere: & si votum de re licita fuisset nuncupatum: sed cum vtraque desit conditio, votum non obstat, quin pareas necessitati. Neq; adhęc tacendum est quàm in eo plurimum fallaris, quòd cùm dicitur, homines per seipsos non posse mandata seruare, aut libidini resistere, aut pudicè agere, concludis euestigiò consequi, reclamantem & inuitum peccare: quod minimè verum est. Qui enim scortantur, inuiti non cogun tur, sed volentes & vltrò se contaminant, & pol luunt interdicta libidine. Imò si quis tentaret eos impedire, aut reuocare, vehementer irascerētur, Atque hæc illorum peruersa atque effrænata voluntas, sufficit ad rationem peccati (vt loquuntur) actualis constituendam, ad quam non requiritur, vt per seipsos queant secus agere, hoc est, pudicè & continenter viuere. Quot enim sunt, quæ à nobis volentibus quotidie fiunt, quorum tamen oppositum non possemus efficere? Nullus ferme est qui libenter & cupidè non dormiat, quando à somno inuaditur: quamuis nequeat illi non parére, nec in manibus eius positum sit, vt vigilet. Quòd si dixeris, hanc quam adduco, esse naturæ necessitatem, id fatebor. Sed interim addam longè maiori necessitate nos esse peccato subditos, per vitiatam corruptamque originem, quàm necessitatibus naturæ simus obnoxij. Qui enim sanam theologiam perceperunt, vltrò confitebuntur: neminem esse qui per seipsum à peccatis expediri queat: quique suis viribus posit ea quæ Deo grata sint, aut vacua peccato præstare: cùm tamen omnes quicquid agunt, volentes agant, & non coacti, eaque de causa peccatorum qui alieni sunt à Christo, ad tribunal diuinum rei peraguntur. Pij autem, quoniam reclamant, aduersantur, & dolent, ob multa quæ in seipsis perperam fieri sentiunt, & Christo adhærent voluntate, ac spiritu, ideo à peccato absoluuntur: & ea quę natura sua peccata essent, illis non ascribuntur. Deinde peccato non concedunt, vt corpore suo mortali dominetur. Non enim spiritu ac mente vnquam probant ea, quæ cum lege Dei pugnare intelligunt. Non itaque sequitur, vt aduersarij putant, ex infirmitate vel impotentia liberi arbitrij, quempiam inuitum, coactum, aut reclamantem peccare, præsertim quoad externa facta: sancti enim, veluti diximus, quando naturali se impetu vinci senserint, commoueri & aduri, non ita patiuntur cupiditates in se vincere, vt adulterijs, vel scortationibus sese contaminent: sed propositum à Deo matrimonij remedium amplectuntur: atque ita Deum sentiunt exitum fecisse in tentatione, dominanturque peccato & eius appetitui. Suadet verò Smythæus, & alij suaserunt ante ipsum, vt cœlibes ad frangendum libidinum impetus, & flammas restinguendas certis remedijs vtantur: nempe victu frugalissimo, ieiunijs & castigatione carnis, & precibus, quæ sanè omnia vt laudabilia, & exercitia pietatis vehementer probo. Sed ab eo quæro, cùm ea sint omnibus prompta & exposita, cur illis votarij sacrifici non vtantur? cur, vti vulgò dicitur, ita se turpiter subinde vinci patiantur? Aut impiè nō volunt vti remedijs, q̄ iste propinat,

Præceptis non ostenditur quid possimus, sed quid faciendū sit.

Qui scortantur, inuiti cōtaminant.

Multi inuersa quorum possimus possemus cere.

nat, aut nugas & fumos esse intelligunt, quæ vẽ dit, atq; cum viderit se his pharmacis quandoq; que parum profecisse, potius fœdissimis cupiditatib. (quemadmodum fama est) laxant habenas, quam velint sanctum inire coniugium. Ita Deus in reprobum sensum eos tradit, qui se non ritè colunt, quique suam gratuitam & merè liberalem misericordiam in merita & supererogationis opera commutant. Certè spiritus sanctus nusquam (quod ego sciam) his qui non continent, quique aduruntur, talia proposuit remedia: sed omnes istos per Paulum ad sanctũ matrimonium ablegauit. *Petite, et accipietis*, dicebat Dominus: &, *quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis*. Has ego sententias vt à spiritu sancto in sacris literis prolatas, amplector, & verissimas esse fateor. Quas tamẽ vt rectè saneque intelligamus, opus est vt alter locus apud Paulum in mentem veniat vbi dicitur, quid petamus, quemadmodum oportet, nescimus. Propterea si quæ petenda sunt, ignoramus, fieri potest vt interdum rogemus noxia. At Deus, qui bonus est, & nostri amans, num illa concedet? Hoc esset irati & crudelis Dei, nõ benefici & clementis. Quum autem non dat quæ sunt noxia, & videt non expedire, quomodo erit verum illud. *Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis*. Necessaria est porrò distinctio rerum petendarum. Aliqua enim spiritualia sunt, & ita spiritualia, vt ad salutem requirãtur necessariò: veluti est remissio peccatorum, liberatio ab eterna morte, atq; vita felix denique per Christum obtinenda. Quæ omnia electis fidelibusq; sunt promissa vnà cum medijs, per quę Deus ad ista suos perducit, vt fides, spes, charitas, bona opera & huiusmodi. Hęc absolutè ac simpliciter absque vlla conditione postulantur: & qui vera fide in nomine Christi ea petit, omnino auditur. Alia verò sunt minimè ad salutem necessaria, vt liberari à febri, quum laboramus: aut ditari, quũ sumus pauperes. Hæc à Deo petenda sunt, nõ quidẽ ea certa & inconcussa fide, quòd ea omnino sint nobis danda: q̃uis persuasissimũ ex fide habere debeamus, quod absq; dubio à Deo nostro audiemur, nosque citra controuersiam seruabit, licet nõ fortasse eo modo quo ipsi nũc velimus, quemque orando petimus. Propterea quæ sunt huius generis, petenda sunt ea conditione, quam dominus docuit nos dicens: *Fiat voluntas tua*: Vt autem ad causam redeam, quando cœlebs petit, vt in tentatione libidinis adiuuetur, ab aduste one quã patitur, eximatur, quod postulat, nõ est ex earũ rerũ genere, sine quibus ęterna salꝰ nõ possit haberi. Cœlibatꝰ est genus vitę in quo est sępe, vt facilè cõcessimus maior facultas ꝓmouẽdi Euãgeliũ, per prędicationẽ, doctrinã & similia, quàm in matrimonio: licet id nõ sit perpetuũ, & quoad omnia hominũ genera: non tamen est necessarium, quandoquidem salus in matrimonio quoque obtineri potest, & regnum Dei per sacrum minist[illegible]m amplificari. Proinde illius donum minimè petendum est liberè, absque vlla conditione. Verùm addendum est, Si Deus tales nos velit, & si efficacius quàm in matrimonio eius nomen simus sanctificaturi. Atque ita inuocando vera fide certi esse debemus, Deum precibus nostris minimè defuturum, neque permissurum, vt vltra vires tentemur. Imò si voluerit nos in cœlibatu viuere, suppeditabit ad ipsum purum castumque seruandum robur: sin verò cœlibes esse noluerit, eam concedet pudicitiam, qua pacata & tranquilla conscientia in matrimonio viuamus, quæ etiam proculdubio est Dei singulare donum, quod nullus habet, nisi cui Deus concesserit: & de hoc in libro Sapientiæ scribitur sub nomine Salamonis: qui non cœlibum, aut virginum continẽtiam à Deo petijt, vt quę neq; suo regio statui, ex ipso enim Messias erat nasciturus, neque conditioni Veteris populi conueniebat. Et, vt sermonem paucis absoluam manifestè apparet, ista loca nihil euincere contra meam sententiam, cum vlla promissio singularis à Deo non extet de nostro cœlibatu: ideoque non potest esse firma fides, qua nos credamus omnino audiẽdos, de illo genere vitæ obtinendo. Quique remedium habet paratum, & expositum, si conqueratur, Deum se non audire, neque concedere quod petit, vt à tentationibus, quæ cœlibatum impediunt liberetur, nõ euadit, qui illum dicatur tentare. Non enim est nostrum Deo præire, sed potius illum ducentẽ sequi: cumque cœlibatus, & matrimonium, & alia genera vitæ sint in manu eius, tuum est illud institutum sequi, quod ab eo tibi conceditur, & in eo conari pro viribus purè ac sanctè Deo inseruire. Sed ibi putat se iste homo captiosus, me tenere medium, quando coniugem opponit, aut ægrotã, aut absentem, aut alio modo impeditam, ne viro debitã benevolentiam reddat. Quid ibi erit, inquit, faciendum viro si aduratur? Num aliam vxorem priore superstite ducet? Hæc ita objicit, quasi huic Achilli muscarũ nihil possit respõderi. Neque prę furore, quo aduersus Deũ insanit, potest discernere quantũ sit discriminis, inter cœlibatũ, quẽ mouẽdũ suadet & matrimoniũ. De matrimonio quippe statuit Deus, vt qui nõ cõtinẽt, illud ineat. Ipsum prętera voluit indissolubile, nisi adulterij intercesserit: & cuique prohibuit, ne cum aliena misceatur. Vnde quisquis in has necessitates incidit, nequaquam illas est sibi fabricatus. Iussus quippe fuit à Deo matrimonium subire, cum eo indigeret: cui statui, & generi vitæ hæc vincula reperit annexa. Non itaq; ipse sibi vinculũ iniecit, sed à Deo talis necessitas continẽdi tunc ei est imposita. Quare si fideliter illum orauerit omninò audietur, cùm alia ratione saluus fieri nequeat. Isque audacter dicere potest, se in hanc necessitatem non præcipitasse, verùm incidisse, ordinariam vocationem à Deo propositam sequendo. Non autem dubium est, Deum his, qui se vocantem sequuntur, nunquam defesse. Qui autem vouit cœlibatum, si aduratur & non contineat, pergatque Deum precibus temere fatigare, an dicere potest se à Deo coniectum in has necessitates? Profectò nõ poterit. Quin potꝰ Deus illi iustè

dixerit: *Quis hæc requisiuit de manu tua?* Votum in Nouo testamento nusquam posui. Deinde neque in nouo, neque in Veteri suasi alicubi, vt cœlibatum, aut virginitatem quis voueret. Ideòq; cum hoc tuum Votum sit hominum, irritum & nullum est. Præterea autem cum tibi sancti matrimonij refugiũ pateat, quid me tentas, & quotidie frustra obtundis? Hæc ego in assertione mea, vt loco suo dicetur clarissimè retuli. Quorsum itaque iste impostor, quasi núquam ea cuiquam in mentem venerint, illis gloriatur, & cũ ad meam responsionem non habeat quid regerat, se vicisse quã stultissimè iactat, & expectat, vt vi huius argumenti potius fateamur, licere scortari, & adulteria committere, quàm iustam coniugem iusto matrimonio sibi coniungere? Paulus verò cum ait, Omnia possum in Christo qui me corroborat, non ait, se omnia quęcunq; velit, posse facere: sæpius enim cum Romam ire decreuisset, prohibitus fuit vsque ad tempus, quo ad eos epistolam scribebat. Optasset prętereà sibi auferri stimulum carnis, quod tamen cõsecutus non est. Quin & in seipso non poterat facere quod volebat, sed cogebatur agere quod oderat: quod in eius carne bonum minimè habitaret. Omnia tamen potuit in Christo, quæ ad suam Apostolicam vocationem & propriam salutem pertinebant. Ad hæc animaduertere oportuit, quod prius dixerat, se his contentum esse in quibus erat: & se nosse et humilem esse & excellere: & saturari, & esurire: & abundare & penuriã pati. Ne hoc videretur ex iactantia dici adiecit, omnia quæ posset, se in Christo posse, qui se confirmauerit. At isti Pelagiani vbique torquent, & crucifigunt Scripturas. Nam quacunque occasione modicula ex verbis accepta, liberum homines arbitrium vellent omnipotens constituere, ac si quid gratiæ Dei vnquã concedunt, id ita faciunt, vt gratiam in naturam transforment, quam sibi fingunt instar cuiusdã habitus, aut vestis vniuersalis, atque communis quæ sit in aere pensilis, vt qui vult induere, per se ipsum induere valeat. Et electioni diuinæ fermè nihil tribuunt: & quãuis id vafrè dissimulẽt, omnia viribus humanis fermè adscribunt. Hac sanè de causa nos tam petulanter insectantur, quando verba Christi, quibus dixit apud Matheum: *non omnes capiunt verbum istud, qui potest capere, capiat:* simpliciter accipimꝰ, affirmantes munus hoc seipsum castrandi propter Euangeliũ, neque omnibus hominibus conuenire, neque omnibus ingenijs esse vtile: quòd hanc facultatem Deus non omnibus, pro cuiusque arbitrio largiatur. Illi verò audent dicere, neminem inueniri posse, qui castè, et continenter viuere nequeat. Et licet gratia Dei fateantur id hominibus concedi, eam tamen omnibus expositã clamitant: & eos tantum dictitant, donum continentiæ nõ habere, qui ipsum non velint. Cæterùm ab eis hoc libenter audirẽ, an omnia Dei dona ita sint comparata, vt quilibet habere possit ex eis quodcunque voluerit. Quis nescíat dona Dei esse regna, diuitias, pulchritudinem, & robur corporis? quæ tamen omnes fatebuntur in nostra potestate non esse: nempe vt simus reges, diuites, & pulchri, aut valido corpore. At dicent, ista esse res externas, & quæ ad corpus & carnem attineant, & idcirco non debere conferri spiritualibus. Sed hoc dicere, est nihil dicere, quandoquidem in spiritualibus videor mihi deprehendere, non secus euenire. An putabunt isti positũ in mea facultate, vt scientiam legis, & omnium rerum diuinarum tantam habeam, quanta Paulus fuit à Deo donatus? Certè non est. Quamobrem non omnia Dei dona collocãda sunt in nostra potestate. Quia tamen isti sunt lubricæ anguillæ, rursus elabi conantur, ac dicere solent: Ista sunt dona gratis data: seu gratuita: nos autem loquimur de cœlibatu, qui est inter dona gratũ facientia collocãdꝰ. In erroribus istorum nullus est finis: semper abyssus abyssũ inuocat: quandoquidem nulla opera seu dona, excepto Christo, nos gratos Deo faciunt. Imò potius quia sumus Deo grati per mediatorem, inde fit vt dona ab eo nobis tribuantur. Sed iam operæpretium est illum audire, quomodo verba hæc Domini, nempe: *Non omnes capiunt verbũ istud, sed quibus datũ est. Qui potest capere, capiat:* quæ plana sunt ac dilucida exponat, hoc est, obscuret vitiet, atque corrumpat. Primùm fingit, nos dicere, his verbis, *qui potest capere capiat*, Christum voluisse homines deterrere à cœlibatu: quod mihi reuera nunquam in mentem venit, vt qui potius videam Christum hortari eos qui possunt. Primum, inquit, nõ omnes huius rei sunt capaces. Vbi oportet intelligas è diuerso aliquos capaces esse, de quibus illicò subdit, *qui potest capere capiat.* Non itaque, vt iste mentitur, aio Christum deterrere, sed adhortari, nimirum illos qui dono huiusmodi prædíti fuerint. Et quoniam subtilissimus vir animaduertit obstare sibi verbum, potest, illud contendit, hoc loco accipiendum esse pro velle, atque vt hunc tropum affirmet, non respicit, vt debuerat circumstantias verborum Christi, non ad ea, quæ præcesserunt, neque ad ea, quæ consequuntur: sed tantũ alia quædam Scripturę loca inducit, vbi ait, posse, pro velle, accipi. Quod etiam si ego darem, non propterea conuincitur, hanc significationẽ hoc loco esse susciendam. Quid enim si alibi hoc modo sumatur, num statim hoc loco sic erit intelligendum? Si quis vobis transubstantiatorib. & *παρονομάσους* dixerit, In compluribus diuinæ Scripturæ locis, Est, sumitur pro significat: quum itaque dicitur, *Hoc est corpus meum*, in sacramento Eucharistiæ, vt loquimini, conficiendo, verbum est, pro significat, oportet accipere, omnes ibi clamatis, omnes contradicitis, ne à vestra impanatione, vel transubstantiatione discedere cogamini: quum tamen velitis, nolitis, ex antecedentibus, consequentibus & circumstantijs historiæ cœnæ Dominicæ, ex veritate naturæ humanæ, quæ fuit in Christo, ex capite sexto Ioannis, & ex natura sacramentorum firmiter probetur, verbum est, accipiendum ibi esse pro significat. Proinde, quod tu, ac tui similes non patimini, vt alij quamuis iure faciant, cur ipsi tam facilè, ac sine ratione vsurpatis? Primùm vobis

Locus Pauli.

An Paulus omnia potuerit.

De verbis Christi, potest capere capiat.

Verbũ est pro significat, accipiendum esse dicimus.

Dona dei non sunt in nostra potestate.

vobis ex antecedentib. cõsequẽtib. circũstãtijs, verbis textus, & viuis rationib. probandũ fuit, hoc loco verbum posse, idem significare, quod velle. Postea ne tropus videretur durus, commodum fuisset alia producere loca, in quibus talis metaphora vsurparetur: quod nos in exponendis illis verbis cœnę dominicæ diligenter obseruauimus. Quare hoc tibi dictum habeto, quoad rationibus non euiceris, ita hoc loco verbum illud accipiendum, etiam si mille alias mihi sententias adduxeris, vbi potest, vt cõtendis, accipiatur, nihil quod ad rem tuam faciat, probasti. Narratio sanè Euãgelistæ plurimum contra vos facit. Nam si rationem adhortandi sequamur, longè est efficacior adhortatio si dixeris, *Qui potest capere, capiat*, quàm dicendo, Qui velit capere capiat. Ibi enim adhortabitur omnes qui possunt: hîc vero liberam volentib. relinquet optionem, vt faciant, quod libuerit. Cùm igitur eos insecteris, qui volunt ibi Christum deterrere à cœlibatu, & velis potius, Dominum illis verbis adhortari ad vitam cœlibẽ, cur non id genus adhortationis amplecteris, quod sentis efficacius esse? Mitto, quod Paulus ait, *Quemque suum habere donum alium sic, alium autem sic*. Et Christus adiecit, *sed quibus est datum*. Quibus diligenter hinc atque inde consideratis, maximè cõuenit, vt posse, hoc loco pro sua simplici, & germana significatione accipiamus. Nam dicit anteà Christus, Non omnes esse capaces: deinde vult adhortari, non dicere, qui vult capere capiat. Hoc enim esset ostendere sua non referre, & sibi perinde esse, an aliquis capiat, an non capiat. At si dicat, Qui potest capere capiat, ostendit, ab hortatione sua eos tantũ excludi, qui non possunt. Et demum subijcit, *sed quibus datum est*, vbi discriminis rationem collocat in dante, nõ in accipientib. Deinde Paulus, vt interpres accedit, qui ait, *quẽq; suũ habere donũ*: & cœlibatum non vult præcipere, nõ solũ quia non habet mandatum Domini, sed ne laqueũ cuipiam nectat. Quis obsecro esset laqueus à Paulo iniectus, si quicunq; vellet, posset, certè qui posset & non vellet, laqueum sibi ipsi necteret, non Apostolus esset accusandus, qui iuberet, quæ omnes possent, modò vellent. Hæc omnia testimonia rectè iudicanti satis demonstrant, ex verbis inductis haberi, non esse in manibus nostris cœlibatus obseruationem. Sed hunc Pelagianum ad extasin miror: qui quum citasset illud Ioannis quinto *Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis*, de suo addat, Potestis ad me venire per fidem, & resipiscentiam, sed cùm liceat, non vultis: alioquin quid attinuisset Christum toties illos ad credendum extimulare, si integrũ nõ esset illis credere? Adde, quod aliàs in crimen non fuisset illis vertẽdum, quòd non crediderint, nisi licuisset illis credere. Atq; illud statim Matthęi adducit, *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, vt gallina congregat pullos suos sub alis, et noluisti?* Et addit *Si Christus qui est omniscius nouisset, illos non posse congregari, si vellent, nunquam id operæ impẽdisset*. Quid hic ego faciam? si clamauero Pelagianum illum esse, non pudebit, quia hodie apud papistas cœpit hæresis Pelagij non malè audire. Estque satis magistris nostris, illam duntaxat nomine declinare, quod dicãt se gratiã statuere, quàm Pelagius negarit. Interea verò ab illo minime discedunt, cùm gratiam, quam ponunt faciant omnibus communem, quã accipere sit in cuiusque potestate, ita, vt hoc modo vel parum, vel nihil distet à natura. Pelagiani planè si quis bene sententiam illorum disquirat, minimè talẽ gratiam negassent. Sed illis missis, dicas obsecro quis est nostrũm, qui posit ad Christum venire per fidem & resipiscentiam, & quum id in manu sua sit, nolit? An adeo gratiæ Christi es aduersarius, vt non tantùm dona cœlibatus & virginitatis, sed etiam fidem, & veram pœnitentiam, quæ sine illa non potest haberi, confirmes in manibus esse hominum, priusquam ad Christum conuertantur? Si hæc in manib. eorum sunt, cur Deum rogamus, vt illis mentem illuminet, & cor aperiat? Illi tantum rogandi essent, vt communia hæc, et quæ vulgo sint omnib possibilia vellent accipere. Deus enim vt vos profitemini, quod suum est fecit, gratiam hanc vniuersalem constituendo. Homines itaque tantum sunt adhortandi. Adhæc, Paul. cur ait ad Cor priore, *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, neque enim potest, quod stultitia illi sunt*. Cùm itaque nondum regenerati spiritualia non percipiant, quomodo illa possunt credere? Cumque ex fide sit iustificatio, cogetur denique homo iste dicere, homines posse iustificare seipsos. Nam si non possent, inquit, illis non posset in crimen verti. Iam cum Deo ipso vult disputare: verùm iam ipse respondeat posíntne infidelium paruuli seipsos ab originis peccato liberare? Certè non possunt. Cur igitur illis in damnationem, non tantum in crimẽ vertitur? Ex eo quòd homines peccatis obnoxij sunt, iste vult efficere, illos posse seipsos liberare: certè quisque valet semetipsum occidere, cùm tamen sese à mortuis non posit excitare. Voluit Christus filios Hierusalem congregare, ipsa verò noluit: ergo inquit iste, velle potuit. Hæ sunt abnegãtium gratiam Christi, pulcherrimæ argumentationes. Noluit Hierusalem, hoc est, impia hypocritarum synagoga id fieri, qua tamen inuita, Christus, quos voluit, congregauit, neque voluntati eius potuit resistere. Quis est, qui ad Christũ velit adduci, nisi prius dominus voluntatẽ eius immutarit, & ex mala bonam fecerit? Quoad est in nobis cor lapideum, à Deo semper sumus auersi. Propterea necessarium est, vt ille prius cor carneũ inserat, quemadmodũ dicit Ezechiel, quò placeãt nobis illius præcepta, & voluntates, quæ ante displicebãt. Non laborat Christus frustra, qui sciat omnes posse congregare, quos ille iuxta suam electionẽ, atq; prędestinationẽ aggregare sibi voluerit. Interim tamẽ praua hominis volũtas iure accusatur, licet aliter non posit. Quod n. aberrat à lege Dei & cum ea pugnat, quãuis nequeat sibi ipsi relicta secus agere, cum turpe est, tũ ab honesto & iusto discrepat. Quàm aũt

iustè, aut cur Deus accuſet homines in ea infirmitate ac imbecillitate poſitos, non eſt præſentis loci excutere, atque illis, qui diligenter epiſtolam ad Romanos legerunt, non eſt neceſſarium: Sed tamen hoc eſt in Smytheo admiratione dignum quod vt falſa confirmet, ea producat, quæ longè magis & falſa ſint, & abſurda. Quid in præſentia nitebatur probare? *Omnes poſſe, modo velint cælibes eſſe*, quod vt docuimus, alienum eſt à ſcriptura. Id, vt cõſtabiliat, inquit, *homines poſſe, & credere, & reſipiſcere, ita vt nemini non ſit data hæc facultas.* Quæ ſententia, vt hæretica eſt, ita longè eſt abſurdior, & à ſacris literis alienior, quàm ea de cœlibatu, quã probandam aſſumpſerat. Nam cœlibatus iã regeneratis aſſumitur, qui per ſpiritum Chriſti receptum vires aliquas habent, quibus ſpiritualium poſſint *Simile.* fieri compotes. Credere verò ac reſipiſcere, cũ primum homines incipiũt, erant anteà in morte, neque ad ſpiritualia vel intelligenda quicquam virium habebant. At his hominib. vſu venit, quod etiã lapidibus, qui à montibus altiſſimis præcipitãtur: hi enim primum leui motu cadunt, deinde aliquãto citatius rapiuntur: poſtremò ingenti ruina decidunt in vallem, aut in barathrum obſcuriſsimum. Ita iſti videntur ab initio paulum quiddam ſecus dicere, quàm re vera habeat, ſed quò pergũt viterius ad ſua vel confirmanda, vel illuſtranda, in grauiores errores decidunt, vt denique lapſu euidentiſsimo, ſeſe in apertas hæreſes conijciant. Deinde quaſi pulchrrrimè atque appoſitiſsimè locum iſtum Matthæi tractarit, ac explicarit, iactitat ſe telum hoc è manibus mihi excuſsiſſe. Dicas, hunc eſſe Theologorum Hectorẽ, quòd ad eius impreſsiones omnibus arma excidant. O felicem papiſtarum Troiam, quæ talem propugnatorẽ habeat. Telum quod mihi extortũ gloriatur, cum diuinum ſit fulmen, ſophiſmatis neſcit cedere, ſed inuictum, & inſuperabile perſtat æternumque durabit, licet præ dolore atq; inuidia papiſtę rumpãtur. Iam verò attẽdendũ eſt, quomodo Herculeum iſtius robur, aliud telũ diuini armamẽtarij, quod pro nobis acriter pugnat, conetur facere irritum. *Propter ſtupra ſuam quiſque vxorem habeat*, inquit Paulus, *& quæq; ſuum virum.* Hic blaterat Smytheus, nos omnẽ victoriæ ſpem habere, de qua gloriemur, eaque non dum parta: neque ſibi temperare poteſt, quin Ouidium poetam prorſus factum ad ſuũ caſtiſsimum ingenium adducat de Arte amãdi, & Plautum quoque præſidium ſanæ ſuæ theologię non contemnendum. Tamen ad ſeria venit: & vt demonſtret Paulum his verbis noluiſſe commẽdare, vel præcipere matrimoniũ, his omnibus qui ſunt in periculo, ne ſcortentur, ait: ſi Paulus id faceret, omnino ſecum pugnaret, quandoquidem potius virginitatem conſulit, dicens: *De virginibus præceptum domini non habeo, ſed conſilium do.* Ac ſubdit: *Volo omnes eſſe quemadmodum ego.* Non eſt hoc vulgaris acuminis præuidiſſe tantum periculum, & cauere, ne magiſter gentium dicat pugnantia? Quis præter hũc tantum mali valuiſſet auertere? Hoc eſt ſapere. Si quis doctiſsimus, atque ſani iudicij theologus diceret Smytheo, ob tuam ſtupiditatem, atque ſtultitiã, queſo à theologicis queſtionibus tractandis abſtineas, rectè illi profectò præciperet. At idem poſtea ſi aliqua beneuolentia, & charitate ductus diceret, optarem Smytheo tantum doctrinæ ac pietatis in re theologica, vt queſtiones eius facultatis cõmodè tractaret, & quèadmodum mihi eſt conceſſum, ego ſanè minimè iudicarem, hunc doctum, & pium virum proinde ſtulte pugnantia. Prius enim iubebat id, quod re uera iſtius imperitię conuenire intellexit: deinde de illi bonũ optauit quo eſt deſtitutus. Reſpicit itaque Paulus priori loco cõmunem hominũ imbecillitatẽ, & eis potiſsimum loquitur, quibus ab adulterijs, & ſtupris periculũ imminet, eisq; iubet, vt in matrimonio degant. Quod idem infra quoque apertius præcipit, dicendo, *Qui non continent, nubant.* Poſtea verò dum laudat cœlibatum, vt ſtatum conditionemque feliciorem, ipſum omnibus hominibus optat, neq; tũc agit, an ſit eius obſeruatio, vel poſsibilis, vel impoſsibilis. At huiuſmodi eius deſiderium ad magnã vehemẽtemq; charitatẽ pertinet, vt ad Rom. inquit, *Pro fratrib. meis ſecundũ carnẽ optarẽ eſſe à Chriſto anathema:* vbi non ſpectauit, an id fieri poſſet. Iã arbitror ex his liquere ſatis, in verbis Apoſtoli nihil eſſe pugnæ, ad quam euitandam Smytheum tantopere laborare oporteat. Fingit attamen nodos, vbi omnia ſunt perſpicua, & ipſa luce clariora. Quare ſuſpicandum eſt, eum tenebras obſcuriſsimas in oculis habere, niſi fortè, vt videatur acutus, queſtionem ſuperuacaneam inferat de Apoſtoli ſcopo, & tanquam ipſi negotio interfuerit, nos, quos appellat, ſi dijs placet, ardeliones, docet quidnã Corinthij per literas Paulo ſcripſerint. *Multi eorum* inquit, *exiſtimabant requiri à ſe, vt cum defeciſſent à paganiſmo, & Chriſto nomen dediſſent, vxores, quas prius habuerant, dimitterent. Quibus reſpondet Apoſtolus, bonum quidem eſſe, ac commodum homini mulierem non tangere, hoc eſt, vel à propria vxore abſtinere. Verum ne ſtupra deſignentur, quemlibet ſuam debere quam prius habuerat retinere.* Quare nos damnandos pronuntiat, qui hunc locum intelligamus in vniuerſum quoad omnes, cum Apoſtolus tũ tum loqueretur de vxoribus, quæ iam ductæ fuiſſent, non autẽ dein ducendis. Quicquid iſte dicat de literis Corinthiorum ad Paulum, coniectura eſt, neq; adeo firma, vt omnes ei ſtatim cedere debeant. Deinde, quum infra de his luculenter agat Apoſtolus, qui ad Chriſtum conuertũtur, iubeatque ſi pars infidelis cohabitare velit cum fideli coniuge, ne diſcedat, aut repellatur, videtur ab initio loqui generalius: nẽpe quoad omnes, qui ſunt in procliui, vt ſcortẽtur aut adulterijs polluantur. Quod ne videatur obſcurè dictum, infra mandat idẽ apertius, qui nõ continent, nubant. Non opus eſt itaque neceſſariò, vt fingatur, Apoſtolus ab initio loqui de coniugatis, ne ſcilicet vnus alterum deſeraq. quia, non tantum, vt diximus, hoc deinde agit de infideli coniuge, verum quoad omnes ex Domini præcepto iſtud mãdat, vt vir à muliere nõ diſce-

discedat, neq; vxor à viro. Cũ itaq; ista sit cõiectura, qua isti sic opinãtur, & admitti potest, & reijci. Neq; mouere nos debet, quod Smytheus addit de verbo ἴχειν, quod significat adhærere firmiter. Nã paulus habet ἰχέτω non ἰχέτω. Et verbum ἴχω apud bonos authores, nõ solum significat rem possessam à me retineo, sed etiam occupo, adduco, deduco, & applico. Neq; in sacris literis talia significata desunt. Siquidem Iacobi primo scribitur, ἵνα ἦτε ὁλόκληροι ἔργον τέλειον ἰχέτω. Nec loquitur hic Apostolus de opere iam perfecto, quod qui prius habuerit, retineat, sed de eo quod vult, vt pij sibi vendicent per patientiam. Et in 1 ad Timoth. ca. 5. ἵνα δὲ λοιποὶ φόβον ἴχωσι. Hîc quoq; nõ loquitur Paulus de timore, quo prius perciti fuerint cõseruãdo, sed inducẽdo cũ viderẽt à Paulo sumptã vltionẽ. Et Ioan. 3. ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, ἴχει ζωὴν αἰώνιον Non existimandus est is qui credit, vitam quam prius habuerit retinere, sed credendo illã adipisci. Me planè tempus deficeret si locutiones huiusmodi velim vndiq; corradere. Quid itaque obstat, vir sapientissimè, quin Paulus dicat, cuicunque periculũ imminet à scortatione, vxorẽ ducat? Ἔχειν non potest hoc significare? Ostendimus iam esse hanc quoque huius verbi germanam significationẽ: & sensus est admodum consentaneus, cũ Apostolus disertis verbis idem postea iubeat. Deinde quę sequuntur, minimè secus indicant, licet id Smytheus falsò persuadere contendat, ex eo quod scribitur: *Vir vxori debitam benevolentiam reddat*, quasi demostretur hic de coniugatis haberi sermonẽ. At mihi potius videtur vt, cũ propter fornicationem matrimonium iusserit his qui versantur in periculo, statim de officio coniugatorum præcipiat, & de eo præsertim officio quo scortatio auertitur. Idcirco mox adiecit, *Nolite fraudare inuicẽ*. Primũ itaq; matrimonio eos copulat, deinde addit quę facienda sint in coniugio, ad euitandas nefarias contaminationes. Neq; intẽperãtes, & qui aduruntur, seu scortantur, ad vigilias, ieiunia, preces, vt facit Smytheus, ablegauit, quo à congressu mulierũ tẽperare possent. Si hoc pacto, quẽadmodũ nũc exposui, fuerimus interpretati Apostolũ, certè simplicẽ textũ sequimur, nihil absurdi admittimus, neq; incertas cõiecturas captamus. Ne tamẽ aut morosi, aut difficiles nimiũ habeamur, Smytheum, & qui cum eo faciunt, diuinasse concedamus: quæramusque nostrę sentẽtiæ quid officiat eorum cõiectura, & interpretatio: causam eorum sane minime facit meliorem. Nam ad cõcludẽdum quod volumus, ducẽdã scilicet vxorem esse ob periculum scortationis, & adulterij, satis est, quod isti nobis vltro largiuntur. Si enim remedium cõtra libidines est, habere, vel, vt volunt, adhærere tenaciter vxori, nónne idẽ prẽstabit ea quã duxeris cũ anteà illã nõ habueris? Porro qui retinuit diu suas pecunias, si illis vtatur ad res necessarias cõparãdas, nõne similiter iuuabitur, qui pecunias de nouo sibi acquisierit? Quis nõ miretur eorũ subtilitates, qui tã multa dicũt, vt nihil dicãt? Mitto, quod, vt dixi, Paulus disertè iubeat eos, qui nõ continẽt, nubere. Cur si ibi eũ ferre possunt, hîc adeo se torquent, ne idem ab illo audiant? Alium verò locum, quo robustissimè aduersariorum insania expugnatur, ita molli brachio Smytheus attingit, vt eũ dicas ambulare super aristas. *Quisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic.* Potest ex his verbis aliquis, modo sit alicuius iudicij, elicere, cuique distribui dona pro vt ipse velit à spiritu sancto, & non pro suo ipsius arbitrio? Oportet sanè admodum esse rudẽ qui hoc sibi persuaserit, cum Apostolus in eadẽ Epistola ad Corinthios dicat apertissimè, spiritum sanctum dona partiri prout ipse vult: non autem dicit prout ipsi ei prescribimus. Alicui enim cõceditur, vt pudicè casteq; viuat in cõiugio: isti cœlibatus non conuenit: Alteri verò datur, vt absque matrimonio castè syncereq; Deo seruiat: isti nuptiæ non sunt necessariæ: atq; fortasis ad matrimoniũ, ad vxoris familiæq; regimen esset ineptus. Nõ. n. leue, aut contẽnendũ est donum Dei, sese in matrimonio commodè, sanctè, ac piè gerere. Quod si quisq; quodlibet donum habere pro sua voluntate posset, cur dixit Paulus, proprium donum esse cuique datũ, vel assignatũ? Debuit potius dicere dona hæc, si faueret istorũ expositioni, omnibus esse cõmunia. Nemo autẽ non videt propria opponi communibus. At non ita loquitur, cum tamen ad persuadendum cœlibatum in vniuersum nihil fuisset validius. Nũquã ei hoc excidit quod isti perpetuò inculcãt. Omnes potestis esse cœlibes, si velitis: Dona ista, nempe virginitas, & cœlibatus omnibus communia sunt, omnibus liberè proponuntur, vt quisque modo velit, capiat: sic adhortatio perfecta fuisset, & completa. Cęterũ quãdo & Christus, & Apostolus verba proferunt, quib. demõstrãt liquidò se nõ omnibus cœlibatum suadere, quod non omnes ad illum facti sint, quid istos oportuit, eorum sermones tam miserè torquere? Non erant illi profecto aut stipites, aut trunci, aut lapides, vt in suis verbis non senserint illum sensum quem nos quoq; sentimus. Qui cum illis occurrerit, cauere debuerant, ne rem sic proponerent, vt adhortatio videretur frigida: quod accidebat præseferendo, cœlibatum non conuenire omnibus, cũ tamẽ omnibus esset cõmunis. Quod itaq; verba sic librarint, causa fuit, quia de industria & data opera docere voluerũt, virginitatẽ & cœlibatũ ad quemuis nõ pertinere. Hoc sibi volunt illa Christi verba, *Qui potest capere, capiat:* & similiter Pauli sententia. *Quilibet propter stuprum suam habeat.* & : *Quisque proprium donum habet.* atque illud: *Hæc non dico vt, vt laqueũ vobis injiciam*, nec nõ: *Quod si quis indecorum virgini suæ putet si prætereat nubendi tempus, & sic oportet fieri, quod vult, faciat: nõ peccat.* & deinde: *Qui stat firmus in corde suo nõ habẽs necessitatem, potestatem autẽ habens propriæ voluntatis, & hoc decreuit in corde suo, vt seruet suam virginẽ, bene facit.* In quibus postremis Apostoli verbis illud est consideratu dignum quod dicit, *Et necessitatem habet, aut non habet.* Nam inde colligitur aliquibus nuptias esse necessarias. Haberi etiam ab eodem, *Melius est*

nubere, quàm vri. An tu putas, ignoraſſe ſpiritum ſanctum, qui horum verborũ fuit author, iſtas loquendi formas, ſi accipiantur ſimpliciter, & iuxta vocum ſignificationem, demõſtrare nonnullis neceſſarias eſſe nuptias? & non poſſe omnes per infirmitatem vel aduſtionem cœlibes eſſe? In re tanti momenti proculdubio noluiſſet nos decipere. Sed quia verũ eſt, quod ſimpliciter & planè ſignificatur, nuſquam vel ſemel iſta doceri curauit, quæ Smythæus, & eius complices quaſi notiſsima ſint, perpetuò nobis obijciunt: at ſemper ex proprio capite, nunquam è diuinis literis. Conſideret autem lector, quamdilutè interpretetur ac tractet iſte noſter locum, quem habemus præ manibus: *Quiſq; proprium donum habet à Deo: Fateor, ait, cum omnibus doctis dona hæc eſſe Dei, et ideo eße ab illo cùm petenda, tum etiam precibus impetranda,* Sic arbitratur ſe ſatis feciſſe, atque abit: eíque ſatis eſt vnum aut alterum ſuæ contortæ interpretationis adhibuiſſe teſtem. Cur non conſiderantur ea quæ præcedunt? ex quibus facilè videri poteſt, quidnam velit Apoſtolus. *Volo*, dixerat *omnes eſſe ſicut ipſe ſum*, quemadmodum & decimoquarto ad Corinth. priore, *Volo autem vos omnes loqui linguis, magis autem vt prophetetis*. Vellet quidem Paulus omnes hęc habere dona, quum tamen ſciat non eſſe in manibus cuique poſitũ, vt ſibi, quod voluerit, eligat: quum ſpiritus ſanctus fuerit, qui alios poſuit apoſtolos, alios prophetas, alios euangeliſtas, &c. Quando itaque dicitur, *Volo omnes eſſe ſicut ego ſum*: ſtatim ſubijcitur, quid obſtet, quò deſiderium eius non impleatur, neque ſit poſsibile, vt quilibet hoc habeat. *Quia*, inquit, *proprium donum quiſque habet à Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic*: ideo debet quiſque contentus eſſe propria ſorte, præſertim quia vtrinque ſalus conſtat, & à Deo ſtatus vterque approbatur. Non tamen inficias eo quin, ſi quis exiſtimauerit ſe magis ædificaturum proximos, aut regnum Dei promoturum in cœlibatu, Deum rogare debeat, vt ſibi donum eiuſmodi largiatur. Quòd ſi non impetrarit, ſeque labi viderit, & aduri ſenſerit, ita vt eius turbetur conſcientia, & à pietatis curſu, & à ſanctis exercitijs impediatur, matrimonium ineat, atq; illo Dei dono ſit contentus: quemadmodum donatus linguarum dono, quũ intelligeret ſe poſſe Dei populum magis ædificare prophetando, debuit orare, quo prophetiæ donum impetraret: non enim omnibus Chriſtianis fuit commune: ac, ſi non valuiſſet obtinere, oportuit illum ſuo dono linguarum vti: non tamen ita vt Eccleſiam turbaret, ſed opportuno tempore atque loco, & vt iubet Apoſtolus: prophetanti cedere. Non ſunt hæc ad ſalutem neceſſaria: ideo non eſt opus, vt cuilibet concedãtur. Et ſanè Paulo videmus non fuiſſe detractum ſtimulum carnis, quum tamen id ter à Domino petiſſet, Deus quippe in hoc petitionum genere ſuos electos non ſemper exaudit. Quod ſi tantopere libeat aduerſarijs eſſe pertinacibus, & hæc verba vrgere, Volo omnes eſſe ſicut ego ſum, audiant etiam eundem Apoſtol. ad Timoth. ea loquendi forma vtentẽ: *Volo*, inquit, *iuniores nubere*: illum vrgeant, illũ interrogent, num contraria præcipiat? Quibus reſpõdere poterit ſe conſentanea loqui non pugnantia: quia ex beneuolentia, & charitate qua ergo vocatos Chriſti afficiebatur eos vellet à moleſtijs & curis liberos: ſed quia hoc fieri non poteſt, & quiſq; proprium habet à Deo donum, ideo vult iuniores, & quotquot de caſtitate periclitantur, nubere. Iſta ſunt clariſsima, perſpicua, facilia, neq; vlla ex parte pietatem labefactant. Quid oportet nodum in ſirpo quærere? Exiſtimant aduerſarij, & admodũ ineptè, proprium donum referendum ad voluntatem accipientium: quod quiſque illud habeat, quod propriè ac ſingulariter ſibi delegerit, quũ Deo potius quàm homini libera diſtributio ſit relinquẽda. Vtri magis piè ſentiant, iudicet pius lector. Illi dicũt, Quiſq; habet à Deo propriũ donũ, id ſcilicet, quod ſibi propriè optarunt, & elegerunt. A Deo quidem fatentur dari, ſed iuxta cuiuſque voluntatem, delectum atque optionem: quaſi ea dona pendeant communiter omnibus expoſita: vt Plato ad finem decimi de Republica fingit, animos venientes in hanc vitam, propoſitis ſibi multis ſortibus, pluribuſque vitę generibus, quod magis placuerit expetere. Ille quoque fatetur hæc dari à Deo cum ea proponat. Atque etiam, vt fabulatur, adeſt Propheta qui ſuadet, vt quiſq; ſapiẽter, quod melius eſt, eligat. Sũtne iſti præclari theologi, qui nihilo plus Chriſto, aut eius gratiæ tribuũt, quam philoſophi Deo cõceſſerint, quem tenuiter admodum, & tantùm per opacas vmbras creaturarum nouerunt? Nos vero dicimus Dei arbitrium eſſe, dona ſua cui voluerit diſtribuere: & eum, quem vult matrimonio iungere, quemũe ſtatuit cœlibem viuere: ad hæc expetenda ſuo ſpiritu impellit, eique ſuppeditat vires ad vitam quã ei conceſſerit, piè ſanctéque colendam. Ecquis de hac Dei adminiſtratione conqueri poterit? Conqueratur etiam pes in humano corpore, quod non ſit manus: & manus, quod non ſit oculus. Credo, te verba Pauli agnoſcere ad Corinthios, vbi attribuit Paulus diuino ſpiritui liberam diſpenſationem donorum, & quenque oſtendit debere contentum eſſe portione, atque gradu cõceſſo. Agnoſcamus, obſecro, ſemel Dei numen potentiſsimum, tam in reb. quæ ad regenerationem & ſalutem ſunt neceſſariæ, quàm in donis quæ à vobis dicuntur gratuita. Viciſsimque attendamus humanarum virium, & noſtri arbitrij magnã infirmitatem, & attribuamus Deo, quemadmodum par eſt, & electionem & ſalutem quam habemus per Chriſtum, & donorum ſuorum ei liberam diſtributionem permittamus. Si eum fatemur autorem eſſe, vt quiſque aut diues, aut fortis, aut nobilis, aut formoſus naſcatur, non pro eorum qui creãtur, ſed pro ſua ipſius qui eos fingit, voluntate, quid ambigimus de his quæ ad ſalutem & dona ſpiritualia ſpectant, idem concedere: quum iſta longè magis quam illa, noſtrum captum, noſtrasque vi-

res exupe-

res exuperent? Non perit hoc pacto, sicut isti clamitant, humanæ voluntatis natura, quin potius & roboratur, & confirmatur. Nam Deus ita illam suis donis & gratia confirmat, vsq; eò, vt, & illis quæ sibi concessa sunt, delectetur, illa probet, illa Deo ascribat, & illis bene vtatur. Quòd si querelas carnis & humanæ rationis velint sedatas, & acquiescentes diuinis iudicijs, in his qui regenerati non sunt, id frustrà tentát: quia nunquam id obtinebitur, vt Deus humanæ prudentiæ satisfaciat. Quo verò ad pios, nõ est necessarium multum sudare. Nam illi, si veræ pietatis regulam sequantur, diuinæ curæ atque administrationi sese libenter subijciũt. Sed ad nostrum reuertamur aduersarium. Tandem venit ad locum mitigandum, imò, vt rectius dicam, corrumpendum, quem maximè videt contra se facere. *Qui non continent, nubant.* Mirum est quam subdolè conetur ista ac ridiculè euadere. Ista, inquit, mandauit Apostolus non adhuc nuptis, & viduis. Quis adeo cęcus est, vt de hoc illũ monere oporteat? Qui enim sint alioqui apti matrimonio, nisi qui nondum sint eo astricti? Quasi verò Christianus quisquá, nedũ Paulus, iubeat illũ, qui habet vxorẽ, vxorẽ ducere? Quis herclè non miretur Smythęum tantũ vidisse matrimonium scilicet præcipi, aut innuptis, aut his qui sunt in viduitate? Nos admodũ stupidos, ac hebetes existimauit, qui de hoc esse mus admonendi? Addit præterea hinc non sequi, & sacrificis, & his qui votum cœlibatus nũ cupauerunt, licere matrimonium contrahere: quòd Paulus de illis non loquatur. Vnde hoc ex Apostolo habeat, non dicit. Oportet illi credere. Illi commissa est ęquitas, qua Papistę tradunt oportere sacras literas interdum moderari, ac regi: vt non sensu verborum, vt loquũtur, sed sensu Ecclesiæ intelligantur, quæ est super scripturas, & super cœlum & terrá, & super Iesum Christum. Dicat iste, quo vnquam loco Paulus eorum mentionem fecerit, qui perpetuum vouerint cœlibatum? Quos quum nunquam attigerit, quomodo illos dicit excipi? Fortè Paulus erat adeo stupidus, vt quum iste locus esset maximè idoneus ad eos excipiendos, ne deciperentur miseri votifragi, vt tu semper eos accusas, aut non senserit, aut oblitus fuerit, hanc tuam inserere admirandam exceptionẽ, aut si vidit, de industria, vt falleret, suppresit. Et necesse fuit, vt Smytheus, & nonnulli, qui eum præcesserunt, hunc Pauli miserum lapsum exceptione sua quam acutissima corrigerent. Nunc igitur vides, quo loco res hæreat: Nos tibi non credimus, tu non probas. Quare argumẽtum nostrum vti cœpit, in acie stat, stabitque ęternum: cum verbum Dei omnibus alijs rebus pereuntibus perire nequeat. Ad hęc vt declaret, quàm ego absurdum paradoxúmque dogma tuear, in nostra potestate non esse vt præstemus, ideoque non vouendum, me remittit ad priscos patres veteris Testamenti qui multa Deo vouerunt. *Interroga*, inquit, *eos cur id fecerint, si non licuit?* Addit præterea: *Deus nónne ab alijs exigebat, vt Vota redderent? Igitur iuxta tuam sententiam rem illicitam exigebat. Scriptura consulit Vota, cum inquit. Vouete Deo, et reddite, & Christ⁹ & Paulus illa consuluerunt. Num illi, quæ non licent, consulebant?* Hic adeo exultat noster, vt se arbitretur me propinasse omnibus exibilandum, ne dum ridendum. Primum velim me minisse lectorem, in assertione me hanc rationem adduxisse, nequaquam vniuersalem, sed vt singularia quædam vota perstringerem, quę dixi in manu nostra non esse præstare, præcipuè spectans virginitatem, & cœlibatum, de qnibus agimus non quod omnia quæ veteres promittebant, vouendo, reddere non potuerint. Nunquam planè sum inficiatus, in potestate, vel arbitrio pij hominis iam regenerati fuisse, victimam Deo piè mactare: oblationes aut decimas offerre, atque alia id genus. Erant illa tum fidei sancta exercitia, & à pijs exerceri piè poterant, vt hodie nos quoque sponte ac libere sæpè accedimus ad laudes in cœtu sacro Deo cœlebrãdas, & ad communionem Eucharistiæ cum cæteris fidelibus percipiendam: similiter nunquá negaui, in manu esse hominis regenerati, per Christum, qui spiritu Dei iam agatur eleemosynam ex fide pauperi dare. Verùm cur ista vouenda non sint hac tempestate, rationes prius adduxi, neque illas nunc repetere oportet. Quo verò ad hoc argumentum, illa ego vota damnaui, pro quibus isti tantoperè pugnant, eaque dixi extra nostram potestatem sita quod spero ex his, quæ diximus, iam satis apparere. Non aliud ergo concluſi hac ratione, quàm cœlibatum, & virginitatem propriè non esse vouenda. Nec videre possum, quare mihi Patres veteres adhuc obijciat: cum veteri Testamento vota semper concesserim, Proindè videat ipse contra quem ista dicat. Quomodo autem scriptura dixerit, *Vouete, & reddite*, superius explicaui copiosè. Illud item quod impudẽter assumit, Christum & Paulum vota consuluisse, non semel negaui, vt nunc pernego. Quare cum semper idem canat, nec vnquam probet, re infecta denique abibit. Rursus vt videatur Deo multum deferre, castitatis donum ab illo esse fatetur, quòd hoc Salamon dixerit in libro Sapientiæ quem vt commemoraui, de cœlibatu minimè locutum esse constat, sed potius de castitate coniugij, qua illi vehementer opus erat, eamque necessarium est, vt coniuges à Deo instanter petant. Quod vero dicit, donum cœlibatus, aut virginitatis precibus impetrandum, pro vt Christus monuit, *Petite & accipietis*, ad rem præsentem, vt monstratum est, nihil facit: quum Deus hoc genus doni distribuat, cui voluerit. Non tamen hæc obstant, quin vti dixi, aliquis possit petere à Deo, si iudicauerit ad gloriam eius cõducere virginitatis, aut cœlibatus munus. Quibus nunc addo, eum oportere, si adeptus fuerit illud purum castumq; obseruare. Quod si non successerit, & incõtinenter uiuatur, & cõsciẽtia turbetur, cũ tãto animę periculo nõ est reluctãdũ, sed potius ad matrimonij remediũ cõfugiẽdũ. Itaq; nulla tela, vt iste prędicat, & videri vult

sunt è manibus nostris extorta, sed ita robustè pro veritate pugnant, vt eius & consimilium errores funditus iugulent, atquè vt omnibus patefiant, prorsus euiscerent.

OBIECTVM XII.

Impudèter quoq; inficiatur illud psalmi 75. Vouete & reddite, ad nos Christianos quicquã pertinere, sed ad Iudæos tantùm, & Iudaica vota: quasi verò vouere Deo quippiam, ceremoniale quiddam esset, ac Iudæis peculiare, & non potius morale, pertinens ad Dei cultum, ac omnibus proinde commune, omnis ætatis, omnisque sortis hominibus.

DEFENSIO.

NVnc tandem cœpit iugulum causę attingere sed quam frigidè, quámue paucis facilè cognosci potest. Et nullam rationem contra me attulit, nisi quod patres asserit contra me pro se stare, Votum ego dixi ceremoniã fuisse antiqui testamenti, & sub lege, & ante legem seruatam, sed quæ Christo adueniente abierit, et obsoleuerit. Multasque adduxi robustas firmasque rationes, contra cœlibatus, & virginitatis vota, quas non refellit, neque ad suam sententiam probandã, quod in nouo statu euangelij vouere liceat quicquam ex scripturis affert. Me iam reprehendebat, quod absque ratione meis dictatis velim fidem adhiberi, quasi essem Pythagoras, de quo discipuli aiebant, ipse dixit, nec eius doctrinę aliam rationem reddendam esse existimabant. Sed quis non videat hanc arrogantiam non in me, sed in illum cadere? Quomodo hic tantam rem, quam proponit, confirmauit? Nullo sanè argumento. Vota ego dixi ad antiquum testamentum pertinere: quia nusquã in sacris literis nisi ibi ea reperio, & vt illic apparet, circa victimas, oblationes & ceremonias aliquas versabantur, quæ omnia Christum venturum adumbrabant. Vnde cũ veritas accesserit, vmbræ intelliguntur cessisse. Dixi etiam illi opus nõ esse, quod per vota Deus Patres erudire voluerit, vt sua omnia illi ascriberent, & sese vltro ei addicerent: qua pædagogia fideles Christi non indigent, cum id per copiã spiritus Euãgelici, & literas Apostolicas apertissimè sint docti. Has ego rationes antea non solũ posui, sed multis cõfirmationib. cõstabiliui. Iste tantũ dicit, vouere nõ esse opus ceremoniale, sed morale: neque videt, quod si morale esset, rationem præcepti haberet. Neq; hoc dico, quoad reddendum, ne cauilletur: verùm de ipso vouendi opere, quod ego ceremoniam esse affirmo. Rem contendit esse votum moralem, & bonam. At nil ad bonos, iustos, & sanctos mores pertinet, quod lex Dei non præceperit, aut expressè, aut quemadmodũ isti loquuntur, implicitè. Quare vouere si ad hoc genus rerum pertineret, fuisset præceptum. Neque in lege veteri quicquam mihi demonstraueris morale, quod ad præceptum non pertineat. Neque vt monui, te oportet confugere ad voti persolutionem, cum in præsentia de ipsa eius nuncupatione contendamus. Quod si dixeris ceremonias quoq; omnes sub præcepto fuisse, fatebor, at non semper in omni loco, & tempore. Non enim semper festa celebranda, non vbique cędęda victima, non omni tempore, sed tantum octauo die circumcisio adhibenda. Ita ego dico sub præcepto fuisse ceremonias ali, vt homines interdum quippiam Deo vouerent, nempe quum illi pro aliquo singulari beneficio essent gratię maximè referendæ, aut quũ aliquid ardentissimè peteretur. Ideoque dicitur à Dauid, *Vouete*, neque tu ex illis verbis, vt superius docui latius, magis cõsilium, quàm præceptum demonstrare poteris. Verum quidem est, Deum neque rem vouendam, neque tempus vouendi statuisse: ideo iudicio humano quis obstringi non poterat. Sed cùm omnes intelligerent hoc esse genꝰ diuini cultus omnibus commune, agnoscebant id ad se quoq; pertinere, vt illud præstarent: licet quomodo, aut quando id facerent, minimè præscriberetur. Sicuti etiam multæ alię fuerunt oblationes voluntariæ quæ sępe absque vllo voto fiebant, & sub præcepto ceremoniali in vniuersum lato de sacrificijs offerendis comprehendebantur. Nam dicere, Votum pertinuisse ad legem veterem & non fuisse præceptum, est absurda & pugnátia dicere: cùm lex non sit nisi præcepta, tametsi in libris legis quandoque insertas esse fatear aliquas promissiones Euangelicas aut narrationes: attamen si propriè loqui velimus, partes legis non sunt nisi præcepta. Nostræ autem controuersię status hic est, quod votũ ego ceremoniale antiquę legis preceptum fuisse affirmo. Smyth. verò & ceremoniale negat esse, & præceptum, sed legi illud inserit, vt consilium morale idque sine vlla ratione. Et qua licentia id faciat, dicere non poterit, nisi præter pictorũ & poetarum, quorum ille artes non profitetur, licentiã hæreticorũ & sophistarũ se dicat vsurpare: quorũ hominũ genus paratũ est, quiduis fingere ne in verũ incidat. Subijcit, votũ cõmune esse omnib. ętatib. & hominibus cuiusuis legis. Hoc autẽ, quid cõtra me obsecro facit? Nũ fortasse obscurũ & arcanũ erat, nisi iã iste reuelaret, ceremonialia præcepta in lege naturę per multa existisse, quæ Christi aduentu sunt deleta, & per veritatis præsentiam abrogata? Mundorum sanè animantium, & immundorum in historia Noach fit aperta mentio. Circumcisio tempore Abrahami fuit instituta. Et consuetudo mactandi victimas sub antiquissimis patriarchis ad cultum dei, & sacros ritus pertinebat, quæ omnia cùm ceremoniæ fuerint, sanctæ pro tempore, & gratę Deo erant, licet vetustate prę cesserint Mosaicam legem, & Iudaici populi constitutionem, atque vel omnibus, vel certè multis Gentibus communes fuerint. Nam & Aegyptij & Ismaelitæ circũcidebantur, & Ethnici animãtes deo sacrificabant. Sed hęc omnia post Christi aduẽtum debuerunt facessere: nisi dicere velis adhuc retinendum morem sacrificandi

Votũ quomodo in ea signa legis sub præceptum cadat.

Cur votum dici nõ possit morale opus.

ficandi hostias, quod fuit cõmune omni ætati hominũ, & omnibus legibus. Etenim à sanctis patriarchis ista sacrificia boũ, & pecudũ, manarunt ad omnes gentes, licet infideles illis abusi fuerint, & quę ab antiquissimis Patribus acceperãt vni verọq; Deo esse offerẽda, ea multis idolis, & sanè detestãdis sacrificauerint. Ita etiã vouẽdi ratio ad omnes fermè nationes est derivata, qua interim nõ minus atq; instituto sacrificãdi sunt pessimè abusę. Cõstat itaque vt argumentũ adductum causæ tuę malè inseruiat: quãdoquidẽ ex antiquitate, & ex eo, quòd latè patuerit vouẽdi ritus, probare conatus sis, eum rem fuisse moralem, & vt arbitror, legis naturæ non tantùm legis Mosaicæ, ideoq; propterea retinendum semper pro cultu Dei: cùm fieri possit, rem antiquissimam fuisse, sed quæ tam in lege naturę quàm in lege Mosaica pertinuerit ad ceremonias Christum adumbrantes, & homines de vita perfectiori instituentes. Nemo itaque non videt, quàm parũ profecerls hoc tuo: infirmo, atque leuissimo argumento, nisi qui velit in turba tuorum numerari, & in omnibus pendẽre à Patrum sententijs, fidemque suam hominum verbis constabilire. Quod vt non par sit, neque Christianũ deceat, & partim aliàs dixi, & suo tempore sum fusius dicturus.

OBIECTVM XIII.

IMpudentius sanè, & magis impium est, quod illico attexis, nempe, non ideo nobis vouendũ esse, quòd sancti vouerint, quia non sunt, inquis, omnia facta sanctorum imitanda, nec protinus sanctum putandum est, quod sancti fecerint. Nam Petrus subducens se à gentium conuictu Antiochiæ, impellens eos ad Iudaismum non rectè fecit, neque in hac re, est imitandus. *Nónne est hæc prodigiosa insscitia, & impia malitia? Nunquid manifestæ stupiditatis est, inficiari Petrum in confitendo Christum, & in agendo pœnitentiam imitandum esse, quòd is negauerit Christum, aut facto suo impulerit gentes ad Iudaismum? Excordem prorsus ne dum effrontem esse oportet, qui asserit, Dauidis resipiscentiam non esse ideo sequendã, quod is peccauerit, designando adulterium, & cædem. Non sunt honestè facta diuorum imitanda, quòd vitia eorum sunt fugienda? Doce, si potes, deliquisse illos sanctos vouẽdo, quod nunquam euinces, et cedemus causæ, herbãq; porrigemus, &c.* *Imitatio patrum quomodo assumenda.*

DEFENSIO.

QVũ primis dicendũ cẽseo, de quibusnã sanctis intelligerẽ, quũ hãc rationẽ adueriariorũ contra me in assertione induxissem. Patres veteris testamẽti nõ spectaui, neq; Paulum, qui in actis Apostolicis Hebraico more vota suscepit, sed eos posteriores, qui sub Euangelio vouerũt, præsertim cœlibatũ, obedientiã hominibus, quibus alioqui cõmuni iure obstricti nõ erant: vt D. Bernardus, & cõplurẹs eiusdem generis, qui vel ea, quę recẽsui, vouerũt, vel eos qui vouisẽt, laudib. miris extulerũt. Hos equidẽ vtcunque volui excusare, salua nihilominus dogmatis veritate. Dixr homines fuisse, neque omnia illorũ facta in exẽplũ trahenda, cùm non sẽper, vel quoad opera, vel quoad doctrinã, aurũ, argentum, aut lapides precioſos ędificarint: attamen, quia Christũ fundamentũ retinuerũt fieri potuisse, vt sint seruati, nõ tamẽ in eo, quòd malè fecerunt, esse imitãdos. Et adieci ab hominibus nõ esse bene viuẽdi regulã petẽdã, quum omnis homo sit mendax: & si exẽpla virorum sanctorum satis essent ad homines infirmãdos, Deus non insumpsisset frustra operã ferendi legem per Mosem, loquẽdi per prophetas, & per Apostolos. Iste verò quid blateret, fortè nec ipse nouit. Bona opera Dauidis, Petri, & Pauli, quę bona esse, per verbi Dei regulã intelligũtur ego negarẽ imitãda? quãdo hoc vnquã dixi? Omnia quidẽ opera dixi nõ imitãda, & recte dixi tu verò qui nũquã desinis esse sophista, quod vniuersaliter dixi, quasi particulariter enũtiatũ refers. Quòd si scire velis, quę opera sanctorũ imitatione digna sint, cũ ea legis in sacra historia vel oculis contẽplaris, è regione spectã Dei legẽ, & scripturę institutionẽ: quęque videris ab his nõ discrepare, cũ ingẽti gratiarũ actione imiteris. Vnde Pau. aiebat, *Imitatores mei estote:* verũ vt sanè intelligas, adiecit, *Sicut & ego Christi.* Quid igitur cauillaris, me dicere facta sanctorũ sequẽda nõ esse, cùm ego de his tantũ duxerim quę testimonio Scripturę, seu diuinorũ præceptorum probari nequeũt? Quòd aũt rogas, vt ostẽdã sãctos istos vouẽdo pecasse, importunè rogas, cũ id affatim demonstrauerim. Et vt nũc vno verbo dicã, illi omnes peccãt, qui Deo cultũ exhibẽt, ab eo nõ requisitũ, neque in sacris literis approbatũ. Vt autẽ votũ cœlibatus, obedientię, & paupertatis quæ vos tãtoperè defendi tis, huc spectent, iam satis superque docui.

ASSERTIO.

NVnc iam secundo loco videndum est, an cum hæc vota nuncupata fuerint, ita seruari debeant, vt solui non possint. Et primo loco insciția & impudentia quorundam occurrit, qui volentes probare vota esse indissolubilia, ita inquiunt: vel prudenter vouisti, vel temerè. Si prudenter obserues, & reddas piè, quæ prudenter promisisti: sin temerè obseruãdo pœnas des meritas tuę stultitię atque temeritatis. Hi vt sunt imperiti, non animaduertunt ignorationem auferre voluntarium, quod vel ipsa moralis philosophia testatur. Et licet non omnis ignoratio culpã excuset, nihilominus voluntariũ impedit, quod in iuramentis, & promissionib. perspicuè apparet: quia si per ignorationem, & imprudentiam rem illicitam, & inhonestam sumus polliciti, eam non debemus præstare. Nam herodes quòd malè iurauit Psaltriæ, iniustè persoluit: optimè sanè fecisset, audita immani petitione, si dixisset, Meo iuramento sum deceptus, qui te nunquam putaui peti-

turam,quod sic iniustum esset.Ideo caput Ioannis non do:quod si te putassem petiturã nunquam tale iuramentum mihi excidisset,quod nunc vt imprudens,stultum,& temerarium vehementer detestor.At Dauid piè prudenterque mutauit,quod incogitanter iurauerat,de occidendo Nabalo,familiaqúe eius funditus delenda.Verúm fortasse contemnentur hęc exempla,quòd tam Herodes,quàm Dauid iuramento constituerunt,se facturos iniusta:cum,qui vouent cœlibatum, aut virginitatem , rem voueant natura sua non malam,sed quę in sacris literis commendetur.Nullus autem est qui dicere ausit, peccatũ esse cœlibem vitam agere.Propterea vt intelligatur,quàm adductum argumẽtũ firmũ sit, libet quodam vti simili.Facito aliquẽ ciuem cuiuspiam Reipub.iuramento interposito promisisse vicinæ ciuitati , se daturum infrà annum tela,sagittas, & arma quædam certo precio:interim verò contingat inter istius viri patriam,& vicinam ciuitatem inimicitias adeò graues excitari,vt bellum inde secuturum appareat. Quis non dicat istum ciuẽ impiè ac sceleratè acturum,si stet promissis?Licebitqúe illi iuramentum non seruare, nempè,quòd rerum mutatæ sint conditiones,cum tamen priusquam vllæ turbæ accideren, nil promiserit,quod honestum & iustum non esset.Non autem alia de causa excusabitur à periurio,nisi quòd posterior obligatio non valet priorem,quæ validior est, abrogare. Maiori sanè debito quisque obstringitur,ne suæ patriæ noceat,quod vinculum statim eũ ligat à vitæ primordijs,quàm vt alteri priuato fidem datam seruet. Ideò si promissio in exitium patriæ vergat,irrita est habenda.Ita se res habet de voto cœlibatus , quem cum aliquis imprudenter vouerit,res quæ promittitur,& honesta est,& iusta,cum in sacris literis approbetur:at si progressu temporis mutentur conditiones,& iste,qui videbatur sibi fortis,incipiat aduri,mente,ac conscientia perturbarí,labaturqúe subinde,neque precibus obtineat,vt mundè,casteqúe agat in cœlibatu,iam si non stet voto,atque promissioni,benefacit:quoniam ius voti,aut nouæ promissionis haud potest abrogare antiquiorem obligationem illius mandati,quod per Paulum promulgatum est,*Qui non continent nubant:Melius est nubere,quam vri.*Et concilium Toletanum octauũ apertè pronunciat,certis casibus non esse standum iuramentis:quod idem Augustinus asserit in epist. quam scripsit ad Seuerũ Mileuitanum episcopũ:& Ambros.primo de Officijs statuit,officium esse quãdoque à iuramento recedere.Quare cũ promisimus, quod postea deprehẽdimus verbo Dei aduersari,neque promissio,neque votum,neque iuramentum potest esse ratum,quia prius Deo sumus obstricti,quã vllis hominũ inuentis.Et duo in hoc genere promissionum mala simul concurrunt,quę illas irritas faciunt,primũ est ignoratio,qua nõ animaduertimus id,quod pollicemur,aut esse tunc iniustum,aut mutatis reb.iniustum fieri. Atque hoc genus ignorationis tanti est in matrimonio contrahendo,vt,si,qui putabatur liber,posteà deprehendatur seruus,matrimonium statim irritum fiat.Quare non mirũ si accidat idem in voto.Alterum prætereà malum est quo votum irritatur,quia labefactamus hoc pacto ius Dei,quod ante omnia iura oportet locũ habere.Ideò si,vt illud saluum maneat,votum imprudenter seu temere nuncupatum infringimus,non sumus,vt aduersarij volunt,perfidiæ accusandi.Peccãt nihilominus,qui hoc pacto temerè vouẽt,ex eo,quòd nituntur cultũ Deo prẽstare citra scripturam,& illa pollicentur,quę possint in ipsorum perniciẽ vergere . Vtqúe in summa dicam,vel cœlibatum seruare potes,vel secus.Vtrum volueris elige.Si potes,iuxta Christi & Pauli consilium cœlibem vitam agas. Verùm duo tibi cauenda sunt:primùm,vt cum opus fuerit,absque vlla hæsitatione,propositum mutes:deinde,ne ad hoc,licet voueris,te arbitreris cogi vi nuncupati voti. Nã Christus & Paulus ista volũt esse libera.Neque tu debes tuo exemplo Christianam libertatem vllo modo labefactare.Ideoqúe si voueris,licet possis in cœlibatu viuere,videas tamẽ per multos factũ tuũ in exẽplum trahere,eosqúe infirmos,quiqúe aduruntur,et labũtur,nolle ob id remediũ matrimonij vsurpare,q̃ te videãt cœlibẽ agere,prout aliquãdo vouisti, debes errori occurrere,aut cõfessione publicè testificãdo,te nõ facere quod agis,religione superstitiosa voti,aut quo merearis tibi ęterna prẽmia.Nec esset incõsultũ,si videres tuis verbis parũ credi,vt vxorẽ duceres:cũ Deo lõgè sit gratior multorũ infirmorũ salus,q̃ tuus cœlibatus cũ illorũ scãdalo,aut praua persuasione,quòd si nihil hinc est periculi dono tibi cõcesso liberè fruere,atque regnũ cœlorũ ,p virib. adiuta.Exẽplũ huius doctrinę pulcherrimũ nobis reliquit apostolus.Is.n.cũ eo tẽpore circũcisio adhuc esset res indifferens, cũ vidit se per eã iuuare posse Christi Ecclesiã,circũcidit Timotheũ et eodẽ cõsilio totondit caput,et vota suscepit,quẽadmodũ sub lege fiebat:qui tamẽ,cũ videret circũcisionem Titi exigi,vt debitã,et ad salutẽ necessariã,fortissimè restitit,neq; passus est,vt Titus circũcideretur:sicut epistola ad Galat.diserte habet.Ita qui cœlibatũ vouerũt,si viderint se in eo posse p̃stare,atq; sic magis Ecclesię prodesse,in eo maneãt.Verũ si iure voti quasi ratũ haberi debeat,illũ à se animaduerterint exigi,omninò reclament.Et Phocius Gręcus inter

pres

pres cum illud exponit Pauli, de virgine, quę à patre seruari potest, modò necessitatē non habeat: per necessitatē exponit, nisi cogatur existimare Dei lege illicitas esse nuptias. Ac si dicat, quando iudicaret, aut suaderetur hoc nomine filiā non elocare, quòd nuptiæ lege Dei essent prohibitę, tū filiā non debeat seruare, virginē, sed elocare, ne scilicet suo exēplo falsum dogma cōfirmaret. Hoc ego dico, non quo illius expositionem probem, quoniam per, Necessitatem, aliud eo loco intelligendum putem, sed quo videas, iuxta sententiam eius, nō esse cœlibatum, aut virginitatem cum periculo falsi dogmatis retinendam. Sin verò cœlibem vitam quam quis vouit, seruare non potest, is non tantū vxorem ducēdo nō peccat, sed ad id faciundum astringitur, cum de matrimonio contrahendo ab his, qui nō continent, prȩceptū exstet. Quod etiam aduersariorū leges, pontificiæ, inquam, nobis cō firmant. Nam per eas licet vxori è monasterio virum suum repetere, quantumuis omnia vota solēniter, vt loquuntur, vouerit. Neque aliam rationem adducunt, nisi quòd in eius potestate non fuerit vouere citra vxoris consensum. Idqúe cum ita sit, qua fronte negare audent, Deo & legi eius non licere, eos, qui vouerunt, eximere à voti laqueo, cum aduruntur, & non continent, neque ob infirmitatem possunt. Nónne Deus, & lex, priusquā vouerent, illos habuerunt sibi obstrictos ad matrimonium ineundum nisi continerent? Certê, hoc est, plus hominib. quàm Deo, & legi eius tribuere: vxor maritum potest iustè à voto reuocare, Deus autem, & prȩceptum ab ipso per Apostolum promulgatum tantūdem non poterunt? Fingito aliquem esse qui vouerit xenodochio, aut nosodochio se ministraturum proprio labore, suiqúe corporis officio: Si eū contingat in morbum grauissimum interim incidere, vt promissum ministerium non valeat præstare, an accersetur criminis violatæ promissionis? Negant. Et aiunt, eum excusari, quia non possit. Cur idem non statuunt, quando quis aduritur, & non continet? cum morbo longè grauiori laboret, quàm ille, qui ab ęgrotantium vel peregrinorum obsequio impeditur. Et si pergat degere absque vxore, peribit quoad animum, cū ægrotus ille, si velit pauperibus ministrare, quandoquidem male valet, tantummodò quoad corpus fortasse interibit. Cur, sicuti aiunt, quando ille ægrotat, neque potest, vt vouerat, xenodochio inseruire, apud Deum excusatur, quia eius voluntate sit contentus: non itidem respondent de illo, qui ob infirmitatem & lapsus, nō valet, quēadmodū vouerat, cœlibem vitam ducere? Vellet quidē & ille modo absque vxore esse posse, siquidem multis curis atque molestijs esset liberatus: verùm obstat illius incontinentia & adustio. Porrò debuerunt & de hoc dicere, Deū eius voluntate atque animo contentum esse. Sed consueuerunt infirmum huiusmodi sic mouere: preceris à Deo tibi dari vires, pulses, petas, & impetrabis, vt cœlebs possis viuere, & voto nuncupato satisfacere. Quare non idem occinunt ægrotanti, qui pauperibus vouerat inseruire? Ora, pulsa, pete à Deo firmam valetudinem, quò possis, quemadmodū vouisti, pauperib. ministrare: atque interim in opere perge, impetrabis, ne desinas voto satisfacere. Profectò debuit vtrinque par esse ratio. Sed ideo isti nolunt admittere similitudinem quòd sint reuera Pelagiani, & in arbitrij nostri facultate positum existiment, vt contineamus: & gratiam, cœlibatusqúe donum res communes faciunt, quæ à Deo cōcedantur omnib. modo suo arbitrio eas eligant, & recipere velint: quod est gratiam in naturam vertere. Atque itidem dicunt de illa, qua iustificamur, gratia, & regeneramur, eam ita propositam esse omnibus, vt quisque pro sua voluntate eā queat adipisci. Precum vero aut humanæ infirmitatis vtcunque meminerunt, potius ne videantur ista negare, quam quòd re vera illis multū attribuāt, cū totū sit positū, quantū existimāt, in libero arbitrio. Vtque se excusent, ineptissimè nobis obijciunt Paulū, qui ter Dominū rogauerit, vt à se stimulus carnis auferretur: quod licet à Domino nō obtinuerit, ei quippe respondit, sufficit tibi gratia mea, tamē haud quaquā destitit cœlibatū retinere. Ita putant his, qui vouerūt, esse faciēdū, vt Deū in tēptationib. inuocēt: & à Deo impetrabūt, vel liberationē, vel facultatē resistēdi. At istis probandū prius fuerat, stimulū carnis, & angelū Satanæ, illo Apostoli loco significare adustionē, de qua nūc loquimur, cū Chrysostomus scribat, stimulū carnis ibi fuisse dolorem capitis: & scholia Græca intelligant significari cathenas, vincula, carceres, flagella, & affictiones quas Paulus euangelizando sustinebat, idqúe potissimum à ludæis, qui carne illi coniuncti erant. Neque Ambrosius dissidet ab hac interpretatione. Sed interim, vt nos experiantur humanos, demus aduersarijs, per stimulum carnis, quod volūt, significari: quid sanè cōtra nos ex eo proficient? Nil sanè aliud quàm Paulū obtinuisse gratiā resistendi, sic, vt nō laberetur, nō incōtinenter viueret, neque adulationes patereturque illius vocationē impediret. Iudicabūtne isti omnib. promiscuè dari ea omnia quæ Paulo sūt cōcessa? Illi, pcul dubio multa Deus largitus est, quę aliis minimè tribuit. Vnde si aliqui sint, vt permulti reuera sunt, qui à Deo id non obtinent, quod vos dicitis Paulum impetrasse, quid obsecro agere debent? Num parere mandato quo di-

citur, *Qui non continent nubant?* Procul dubio si non obedierint, Deum tentabant, vt qui remedium infirmitati suæ oblatum contumaciter aspernentur. Accedit adhæc, quòd votorum religionem potius Papistæ fingere sint existimandi, quàm quod re vera eam sacrosanctã velint, aut reipsa tãti faciant, vt præ se ferunt. Nam & Papæ ipsi vota relaxant, atque præfectis monasteriorum ea permittunt irritare: quod tamen, vt fiat ex verbo Dei pati non possunt. Id autem aliunde non est, nisi quod Antichristus effert sese, præ omni eo, quod dicitur Deus, aut quod colitur, & sibi nititur arrogare, quæ verbum Dei posse negat pertinacissimè. Quod vt lucidius exponatur, non obscura proferemus exẽpla. Qui monachatum voto nuncupant, non solùm tribus illis votis nominatissimis se obstringunt, sed etiam vouent iuxta regulã Augustini, Basilij, Benedicti, seu Frãciscí se victuros. At permulta sunt in his regulis, quę ab ipsis postea immutantur, & longè aliter fiunt, ediciturque ab istis regulas illas in manibus & potestate præpositorum sitas esse, vt multa queant relaxare. Istos libet percunctari, cur eadem ratione præsidi monasterij non liceat votum cœlibatus remittere cum ibi grauior sæpè vrgeat necessitas, quàm in alijs, quæ ab eo relaxantur? Hæc sane spiritualis est necessitas, & vita spiritus hîc periclitatur. Respõdent, vota esse distinguenda, cum alia sint vt illorum vocibus vtar, accidentalia, & alia substãtialia. Nomine substantialiũ tria illa significari volunt in vno quoque ferè ordine vsitata, castitatis, abdicationis facultatum & obedientiæ. Reliqua verò, quæ continentur in singulis regulis, ad accidentalia pertinere fingunt. Ideoque ista, seu minora sinunt relaxari, alia verò prædicant perpetuò esse retinẽda inuiolata. Primùm de istis velim scire, vn dénam certi sint, Deum hanc suam distinctionem admissurum, cum non tantùm illa tria voueant, sed simul omnia quæ continentur in regula, quam profitentur. Ad hęc, si quis monachus, vt quandoque vsu venit, efficiatur aut episcopus, aut cardinalis, iã desinit esse pauper, desinit obedire prælatis illius ordinis, aut instituti, desinit, quæ continentur in regula, quam vouit, obseruare, nihilque suæ professionis retinet, pręterquã colorẽ vestis, quẽ minimè vouerunt. Quare manifestissimum est, vota relaxari etiam ea, quę substãtialia isti appellarunt. Non est itaque firma illorum distinctio. Et religio votorum fermè tota reuocatur ad cœlibatum, quasi sit à monachis, ab episcopis, à cardinalibus, & ab ipso Papa fide parùm bona præstandus. Vbi verò interrogantur. Cur in eo vnico relaxando tanta morositas, & difficultas adhibeatur: Cũ non possint se aliter expedire, ad ipsius rei dignitatem effugiunt, & Deo affirmãt, nil posse offerri gratius, aut cœlibatu, aut ipsa virginitate. Et ne id temerè videantur asserere, Hieronymum semper habent in ore, ad Eustochium, qui ait: *Audacter dico, cum omnia possit Deus, hoc non potest, vt virginem post ruinam suscitet.* Sed, vt primùm de Hieronymo respondeam, mihi parùm videtur curandum, quàm audacter dixerit, sed quã verè spectãdũ est attẽtissimè. Quod.n. attinet ad corpus, hymenęũ, & membrorũ genitaliũ integritatẽ quas virginitatis claustra vocant, falsissimum est, Deũ illa non posse restituere, qui corpora mortuorũ extremo die à bustis, & cineribus sit reuocaturus, Quòd si forsitan intelligat, vt puto intelligere, Deũ nõ posse facere, quin puella fuerit corrupta, quæ vitiũ passa sit, id facilè cõcedam. Sed hoc virginitati cum infinitis alijs peccatis erit cõmune. Nõ .n. potest Deus facere, vt qui heri fuit ebrius omnino non fuerit ebrius. Imò potest hoc ad omnia quæ iam præterierunt applicari, cum vulgò iactetur, Deum non posse hoc vnum efficere, vt infecta sint, quæ iã facta fuerint. Deinde istos meminisse velim à vero esse alienissimum, quòd tam confidenter affirmant Deo nihil præstantius offerri posse virginitate, cum Christus dixerit maiorem charitatem neminem habere, quàm vt animam suam ponat pro amicis. Idcircò qui vitam offert Deo, sicut martyres, longè plus dant quàm virgines. Quòd si etiam istis darem, virginitatem esse rerum omnium præclarissimum, nihil efficerent. Neque ob id probarent relaxationem in cæteris votis posse concedi præterquam in eo, quo virginitas, aut cœlibatus nuncupatur. Quandoquidem vis voti non expenditur penes dignitatem rei promissæ, sed penes obligationis vinculum. Nam qui cuipiam promisit decem, non minus ea prẽstare astringitur, quàm si mille fuisset pollicitus. Alioqui Saul peccatum suum facillimè purgasset, dicendo: Quæ conseruaui ex præda pauca fuerunt animalia, quæ ad sacrificandum retinui, non vt mihi sint vsui. Vnde si cum alijs conferantur quæ internecioni dedi, vt Deus mihi præcepit, sunt minimum quiddam, quod remitti & condonari par est, cũ tãta prẽstiterim. Adamus quoque potuisset excusare vnicum pomum se tãtummodò degustasse, quod leuiculũ, si rẽ ipsam cõtempleris, videri poterit. Sed quia in prẽceptis res nõ attẽditur, quã lex iubet, sed tãtùm vis obligationis, et obedictia, quã debemus Deo, respicitur: ideo futiles, et inanes habẽtur omnes huiusmodi prẽtextus. Verbũ Dei adiunctum quibusuis rebus quantumuis leuibus & minimis pondus addit maximum. Ita de votis istos censere oportuit, non vt dignitatem rerum promissarum expenderent, dicendo, alia

do, alia quòd leuiora complectantur relaxari posse: cœlibatus aiunt & virginitatis votũ perpetuò seruandum esse inuiolatum, cum sit de re prestantissima. Sic dicendo longè fallunt: quia promissionis vis in omnibus ex æquo est efficax. Vnde apparet, quam Papa corruptè agat, qui cum religionem votorum vt sacrosanctam odiosissimè vrgeat, attamẽ ea relaxari permittit & sibi quædam retinet, vt votum religionis, castitatis, peregrinationis ad limina Petri & Hierosolymam: quæ, vt vult, remittit, non tamen gratis, vel sine pauo pretio. Et postremò ne videatur non omnia posse, quandoque etiam legitur in historijs cœlibatus, & virginitatis vota remisisse. Nam fecit olim ex monacho iamdiu professo, qui susceperat ordinẽ, regem & maritum: item ex monacha, reginam & vxorem, ad pacem regnorum, vt præ se ferebat, conciliandam. Quod cum ita sit, cur prohibet, ne idem fiat pro salute animi cuiusque? cum Christus & vitæ & sanguini suo non pepercerit in eo redimendo? Sed gratia Deo, pij iam minas eius contemnunt, & fucos deprehenderunt? Quare non iudicant sibi opus esse vt pergant Romam, cum videant, quòd ille sibi tantum licere prædicat, omnib. Christianis ex verbo Dei pariter esse liberum. Ex adductis itaque apparet quam manifestissimè, confessione quoque aduersariorum votorum vincula, non tam esse ferrea, quemadmodũ ipsi fingunt, dum contra ministros ecclesiæ, aut monachos, qui vxores ducunt, prout sibi opus esse viderint ad salutem, audacissimè se opponunt. Præterea qui honesta de causa vxorem ducit, minimè vereri debet, ne voti nomine coram Deo reus accersatur: quoniam legem istam seruandi cœlibatus ex voto ipse sibi asciuit, cum à Deo sibi non esset imposita: cuius tanta est bonitas, vt infirmitate nostra perspecta, neque suæ quidẽ legis haud integrè, perfectèque obseruatę, nos, modò in Christum credamus, condẽnet. Cũ ergo remittat Deus quoad fideles de sua lege alioqui iustissima, cur indignabitur, si nos ipsi bene mutauerimus leges temporarias quas vouendo nobis præfiximus? Deinde ad rem adhuc magis patefaciendã non grauabimur alio testimonio aduersariorum vti: Suis legibus ipsi statuunt, vota monastica & similia, quæ nuncupata fuerint ante decimũ quintum, vel decimum octauum annum, irrita esse: quod aiunt idcircò sentiendum esse: quòd illa ætate homines adhuc iudicio nõ valeant. Quid? annón idem constituetur, quando vouentes, licet vicenarij sint, aut triceuarij, perinde ignorant suas vires, diuini cultus rationem, & naturam votorum, atque illi qui sũt vel duodecim, vel tredecim annos nati? Paulus ad Timoth. præcepit, ne ad ministerium Ecclesiæ reciperetur vidua minor quam sexaginta annorum. Quid igitur istis in mentem venit, qui contra eius institutum quintumdecimum, aut decimumoctauũ annum præfigunt? Certè quoad viros, qui sunt robustiores mulieribus, & in quib. calor ad procreandum idoneus tardius restinguitur septuagesimus vel octuagesimus annus debuerat constitui. Quo etiam tempore licet obseruatio cœlibatus reddatur facilior, eum tamen censeo nulla ætate vouendum. Neque Paulus, vt supra dictum est fusius, in eo loco scripsit illa verba de voto cœlibatus nuncupando. Quæ hactenus dicta sunt, dilucidè probant, Christianos homines votis huiusmodi, si ea fortasse nuncuparint quod minimè committere debuerant, sic non esse obstrictos, quin pro sua necessitate contrahere valeãt matrimonium. Sed vnum excutiendum supereſt, quòd à superstitiosis & Papistis nobis frequenter opponitur. Si licet inquiunt mutare votum, licebit & matrimoniũ pro nostro arbitrio deserere. Nam vtrinque promissio fit, vna sanè Deo, altera verò coniugi. Et par est vtrinque ratio, cum iuxta nostram sententiam, tam cœlibatus, quàm matrimoniũ sint quædam conditiones & genera vitæ. Ad hæc nos dicimus, inter ista duo maximum esse discrimen. Quoniam matrimonium non esse rescindendum, nisi iustæ causæ intercesserint verbo Dei præcipitur: De votis autem eiusmodi longè secus accidit. Primùm sua natura cum sub nouo Testamento degamus, irrita sunt. Deinde præceptum vrget, vt, qui nõ cõtinet, nubat. Quare vota hæc licet soluere, & si adduramur, solui debent. Matrimonia verò necesse est, vt rata consistant. Ad hæc, falsum est, quod sumitur, nempe in coniugio promissionem tantùm fieri inter coniuges, cum addatur iuxta institutionem Dei nuptias illas iniri: quæ diuina institutio dissolutionẽ prohibet. Possent & aliæ complures adduci rationes pro hac nostra sententia confirmanda. Sed cum eam ista satis abundeque confirmasse videam, ab alijs corrogandis modò supersedebo.

OBIECTVM I.

Verùm pergam ad reliqua ipsius Petri argumenta, qui hoc pacto nititur refellere argumẽtũ hoc catholicorum. Quisquis vouet, volens & ex tẽpore vouet: tenetur igitur quod vouerit semel, saltẽ piè obseruare. Hîc inquit Petrus, desidero eorum, qui sic colligunt, prudentiam. Nã multi dũ primũ vouerint, arbitrabãtur se rẽ

gratã Deo in primis promittere, ac ſeſe pares præſtãdo voto, ſed falſò, & ideò ignorãter vouebant, non voluntariè. *Quis eſt tam æquis auribus, pie lector vt ferat tã ineptè argutantẽ: Tollitne eiuſmodi ignoratio voluntatis conſenſum? Nunquid Ananias & Saphyra vxor eius rem gratam promiſerunt, cum pretium agri ſui erogarent Apoſtolis? Et mox: Sum adultioris ætatis cum baptiſmo admouear: do fidem Deo, renuntio ſatanæ: poſtea labor, nec libero fidem. Nunquid nolens ac inuitus hæc ſum pollicitus?* Seruitus, *inquit* ciuilis impedit matrimonium ineundum, ac dirimit contractum. Cur itaque imbecillitas & inualentia virium ad reſiſtẽdum libidini, non debeat impedire votum edendum, & editum diſſoluere? *Reſpondeo paucis, errorem cõditionis perſonæ, qualis eſt illa ſeruitus, prorſus aduerſari conſenſui quo contraheretur matrimoniũ, ac ſeruum non eſſe ſui iuris, vt liceat ei ſuo arbitratu, cũ velit, inire nuptias. Sed imbecillitas viriũ hominis ad reſiſtendũ libidini, atque eã ſuperandã huiuſmodi nõ eſt, quæ remoretur, aut impediat hominẽ, ne votũ nuncupet, aut nuncupatũ ne præſtet. Qui aut vltrò ac ſponte vouet, ita licebit ſibi precibus donũ continentiæ, ac auxiliũ euadẽdi inter certãdũ ſuperior, impetrare à Deo. Vt fruſtrà toties occurant Lutherani orthodoxis, non poſſe hominẽ caſtè, ac continenter viuere, quia dono continẽdi fuerit deſtitutus.* Iurans, *inquit* Petrus iſte, cõtra legẽ Dei vt fecerũt Herodes, & Dauid, ad præſtãdũ nõ eſt deuinctus, imò debet reſcindere iuſiurãdũ. Ergo quiſquis virginitatem, aut continẽtiã ab omni coitu vouerit, ac poſteà vri ſeſe ſenſerit, nõ obligatur ad præſtãdũ, ſed ad dirimẽdũ potius votũ. *Nemo tã parũ vidit, quin cernat quàm parum conſiſtat hic argumentandi modus. Quandoquidem antecedens conſtat eſſe veriſimum, conſequens verò falſiſſimum. Quis .n. aſtrueret aduerſari alicui diuino mandato, vt voueas, & perſoluas votum continentiæ ſi vri te ſenſeris: quemadmodum pugnat cum lege improbè iurare, & improbum ac nefarium præſtare iuramentum cuius generis erant iuramenta Herodis & Dauidis? At inquit Petrus,* aſtringit actũ vltione, id eſt libidine victũ cõtrahere matrimoniũ, etiãſi votũ nũcupauerit cõtinẽtiæ: quia Paulus iubet, vt qui ſe nõ cõtinẽt, nubãt: proinde niſi illud fecerit, peccat, & ideò dirimere debet votũ: tãtũ abeſt, vt teneatur illud præſtare. *Quoties ſuprà dictũ eſt, illud Paulinũ iuxta vetẽ Catholicorũ doctorũ sẽtẽtiã, pertinere dũtaxat ad ſolutos et ſui iuris, nõ ad obſtrictos voto. Quod niſi ſic intelligatur neceſſe eſt, id omnib. locis Scripturæ aduerſetur, qui docent ac iubẽt, vt vota pia omnia præſtetur Deo bona fide. &c.*

DEFENSIO.

Ad promiſſionis firmitatẽ requiritur notitia.

QVod ego accepi, minimè dubito pios lectores facilè daturos: nempè quę vltrò promittimus, aut vouemus, iuſtã notitiã requirere, tã naturę voti, quã noſtrarũ viriũ. Si enim quis neſciat, an ad honorem Dei vergat, & ad ſalutem ſuam faciat, quod pollicetur, idemque ignoret, an queat præſtare quod promittit, non promiſit volẽs. Quandoquidem voluntarium, vt docui, teſtibus vel ipſis philoſophis, requirit notitiam. Hîc tamen video Smythæum, quod aſſumpſi euidens & manifeſtum conuicijs exagitare, cum tamen id nullis rationibus confutet. Interrogat, an iſta ignoratio conſenſum tollat voluntatis. Conſenſum ibi aliquem fateor: at non liberum, & voluntarium, cùm debita cogitatio & ſcientia non intercedat. Etiam qui fatui ſunt, conſenſum voluntatis adhibent: ſed cum iuſta ratione atque notitia & iudicio careat, nihil quod pollicẽtur, aut paciſcuntur, eſt ratum. Sententiam aduerſarij confutare, vt iſte facit, ridiculum eſt: qui tantùm vna aut altera vrget interrogatiuncula, quaſi ſint, quæ nos aſſerimus tam perſpicuè falſa: vt nec rationibus oppugnari debeant. De Anania & Saphyra nõ addenda ſunt plura, cum ſuperius vberrimè ſit demonſtratum illos non vouiſſe. Quod idem eſt reſponſum de his, quæ tu perpetuò aſſeris, nos in baptiſmo vouere, atque id non probas. Neque aliter poſteà te geris: cũ agitur de ignoratione ſeruilis conditionis, quæ matrimoniũ, licet initum ſit, dirimit: quod tu fateris iure fieri, cum ea res impediat requiſitum conſenſum. Sed ignorationẽ interim noſtræ imbecillitatis non vis poſſe irritare votum nuncupatũ, quòd non ita ſimus libidini ſubiecti, vt ſerui externis dominis. Quare plurimum à veritate diſcedis, cum longè plus homines his affectibus à natura inſitis obnoxij ſint, quàm omnibus externis tyrãnis. Et quãquam ſit inualidum, quod aſſumis, precibus nos poſſe impetrare, vt à tentationibus liberemur, vel vt eas vincamus, tamen nunc non oportet de eo pluribus agere, cum ſuperius multa ſint in hoc argumento dicta. Sẽper idem occinis, Lutheranos falſò dicere, non poſſe cœlibes viuere, qui diuinitus prẽditi non fuerint dono cœlibatus. Verùm tuam confutationem tantùm conuicijs, non ſcripturarum teſtimonijs cõmunis. Irriſione præterea tibi perſuades, te argumẽtum ſoluiſſe à me adductum ex collatione iuramenti & voti. Et ais, eandem non eſſe rationem quòd iuramẽta iniqua, cum alicui Dei mandato aduerſentur, non ſint perficienda. Sed vouere ac præſtare virginitatem, vel cœlibatum, nulli Dei præcepto aduerſatur. Quod ſi dixerim, Dei iuſſu non deberi ſeruari cœlibatũ ab his, qui nõ continent, & adurũtur, vt Paulus teſtatur, illicò ad ſuũ figmentum cõfugit, dicitq; iſta nõ eſſe intelligenda quoad vouẽtes, ſed tãtùm incęteris, qui liberi ſũt. habere locũ. Atq; in tua ꝓbatione, qua vis oſtẽdere, cœlibatũ ſeruare, cũ lapſib⁹, & aduſtione, minimè aduerſari cuipiã diuino mãdato, miſerè deliras, &, vt conſueuerunt ſophiſtę petis turpiſſimè quod in principio erat probandũ, & inter nos eſt cõtrouerſum. Si ego darẽ, aliquos eſſe obſtrictos voto quẽadmodũ tu tibi nũc ſumis, vt matrimoniũ inire nequeant, definita eſſet lis & nulla ſupereſſet controuerſia. Sed hoc dum non probas, tibi ſumis vt conceſſum, quod eſt prope totius diſputationas caput. Ipſe locum oſtendo, quo præcipitur, quod ego aſſero. Tu ſtatim dicis, At qui vouerunt, ſunt excipiendi:

& vt sophista, exceptionem in eo facis, de quo contenditur. Sic nullus error vnquam è sacris literis reuinci posset. Et ne videaris hoc non sensisse, ad finem addis, *Nisi sic intelligatur, quod Paulus dicit, pugnaret cum omnibus Scripturæ locis, in quibus docetur, omnia vota, pia bonaq; fide præstanda esse.* At iam centies diximus, loca, quæ tu citas, ex veteri sumi Testamento, & ceremonias esse, quæ vigebant eo tempore, ac nostro minimè sunt retinendę. Deinde tibi accipis, vota cœlibatus esse pia, quæ nos multis nominibus ostendimus esse illicita. Idcirco nisi meliores firmioresq; rationes habeas, tacendum tibi potius est, quàm ita incassum loquendum.

OBIECTVM II.

PORRO *quòd ait*, Si potes seruare continentiam, serua: sed vide, ne putes te vi voti astringi ad seruandum, seu aliquid te Deo per votum præstare, quòd aliàs non teneris illi facere. *Quem præterit, quàm istud sit à vero alienum? Vi enim voti obligari vouentem euincunt loci complures: quod suprà tum ex Scripturis, tum ex priscis & optimis authoribus adduximus. Deinde per votum ad continentiam astringi hominem, quam ante editum reddere non tenebatur, sed tantùm ad eam seruandam inuitabatur à Christo & Paulo, apertissimum est. Nam dicit Paulus, se Domini præceptum de virginibus non habere, sed consilium dare. Falsum itaque est, quod ais, debere necessariò cœlibem & continentem eam ducere vitam per omnia, cui contigit donum continentiæ: vt de quo Paulus nullum habuit Domini præceptum, sed consilium duntaxat se dare astruxit.*

DEFENSIO.

NOlo nunc agere, quàm fideliter mea retuleris, quoniã hoc esset frustra tempus conterere: præsertim quia lector ex assertione præfixa videre queat hæc, quæ modò narras, quomodo disseruerim. Ad id venio, quod ais, te compluribus ex locis diuinæ scripturæ probasse, homines adigi iure voti ad id præstandum quod vouerint. Ea quum nulla sint, nisi veteris instrumenti, par est, vt de veteri tempore intelligantur. Ideò quum illa loca perpetuò iactas, actum agis. Neq; vnquam ego sum inficiatus, de cœlibatu non extare vllum præceptũ priuatum & singulare: quandoquidem res est, quæ non omnibus in vniuersum, imò paucis admodum vt videmus, conueniat, sed potius è diuerso matrimonium Deus apertè præcepit illis, qui non continent. Et absque controuersia, quicunque non sentiunt sibi concessum donum cœlibatus: neq; vident se per ipsum promoturos magis quàm matrimonio regnũ Dei, legi communi relinquuntur obnoxij, quam ab initio Deus promulgauit, quum dixit: *Non est bonum, hominem esse solum.* Cœlibatum verò illi dixi necessariò præstandum, qui & vires diuinitùs habuerit, & per ipsum animaduerterit, se posse Christi Ecclesiam magis quàm in matrimonio ædificare. Nam si hoc præstare nollet, conuinceretur absq; vlla tergiuersatione, Deũ non amare toto corde, tota anima, atque omnibus viribus. Apostolus verò dicit, se non habere præceptum: quia nihil in vniuersum de hoc genere vitæ constitui potest, vel est constitutũ: sed ex diuino præcepto, quo Deum astringimur omnibus modis diligere, quoad certos homines necessariò concluditur, aliquando sub præceptum cadere.

OBIECTVM III.

VEruntamen in rebus promiscuis, qualis est vota edere Deo, libera debent esse omnia, *inquit*. Nec fas est cuiquam vouere perpetuam castitatem seu continentiam: nec tanquam rem necessariam ad salutem, sed ad tempus solùm, donec potueris præstare, & tanquam rem indifferẽtem. *Accipe iam, candide Lector, egregiam huius probationem.* Paulus, *inquit*, circumcidit Timotheum, non quòd necessariam arbitraretur circumcisionem ad salutem, sed promiscuam & indifferẽtem. Nam Titum nolebat circumcidere, quòd Iudæi id exigerent ab eo, tanquam ad salutem necessarium. *O tenebras. Quis cui pectus sapiat, hunc tam crassè cæcutientem pro vindice labefactatæ fidei, qualis videri cupit, libenter amplectatur? Estne, Christiane Lector, virginitas sic res promiscua, quemadmodum erat tempore Pauli circumcisio Timothei, quæ fiebat ne imbecilles in fide Iudæi offenderentur, & offensi resilirent à fide Christi? Nunquid, si fuisset facta illa circumcisio spe assequendæ iustitiæ & salutis æternæ, non fuisset illi damnabilis, & maximè Gentibus? Quibus Paulus dixit post celebratum ab Apostolis concilium Hierosolymis,* Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. *Hoccine sentit doctus & pius de cœlibatu, virginitate, aut continentia? Vt si hæc vouentur spe consequendi amplius præmium cœlestis gloriæ secum ferent damnationem illam? Deinde si Timotheum non circumcidisset Paulus, quando id factum fuisset citra proximi infirmi scandalum, nullum admisisset facinus malum, quod non egisset contra vllam Dei legem. At qui editum votum non persoluit, peccat mortaliter contra varia Dei mandata. Ergo collatio hæc Petri longè est aliena à proposito illius, vtcunque ob eam sibi blandiatur, & cristas tollat.*

DEFENSIO.

Qui vouerũt cœlibatum, quib. cõditionib. queant ipsũ retinere.

MOre tuo, quę dilucidè ac integrè à me dicta sunt, (quemadmodum in Assertione patet) inuoluis & mutilas. Docui enim, licere illis quì cœlibatum vouerunt, licet non rectè egerint in voto nuncupando, cœlibes viuere, modò & donum sint nacti ad hoc necessarium, & intellexerint, ad regnum Dei promouendum cõducere. Sed cautiones adijciendas recensui, quarum vna fuit, ne isti se putarent iure voti ad id genus vitæ adigi. Nam si cœlibatus necessariò ab eis exigeretur eo nomine quòd vouerint, reclamare debent & reluctari: sicut fecit Paulus, qui cũ vidit circumcisionem ædificare posse, atq; non exigi vt necessariam, illam adhibuit circũcidendo Timotheum. At cùm exigeretur quasi vi & iure legis, noluit cedere, nec passus est vt Titus circumcideretur. Quid obsecro est in ista collatione absurdi? quid inepti, vt ita te oportuerit exclamare? Res est vtrinque promiscua vel indifferens, cœlibatus & circumcisio, prout ea tempestate fuit. Atque hæc libera vel indifferentia idcirco dico, quòd illis possint homines vel bene vel malè vti. Et quę sunt huius generis, libera seruari debent, neq; sunt astringenda necessitate, vt quilibet, vt magis ea viderit ad honorem Dei conducere, aut minus, consilium atq; propositum mutare liberè valeat. Et quod ad me attinet, neque ad tempus talia vouenda censeo, quamuis id tu mihi adscribas. Dixi quidem his, qui fortasse nullo modo adduci velint, vt credant, vouendi facultatẽ in Euangelio prorsus extinctã esse, ac sunt procliues ad vota, vt sic saltẽ voueant, vt se liberos esse arbitrarentur ad mutanda quę Deo ex voto dicarint, cũ id viderint honorem & gloriã Dei exigere. Sed quòd ad rem attinet, ex mea sententia nunquam dixi vouendum. Atq; in hac parte assertionis tantũ docui, vt si possint & cõducat, cœlibatum seruent: nõ autem consului, vt voueant vel absolutè, vel ad tempus. Quare rideas quantũ velis, meamque probationem ironicè appelles egregiam, quæ ab exemplo Pauli deducitur, quãdo eam euertere nõ potuisti, sed adhuc velis, nolis, perstat: ac eius tota vis in eo sita est, vt dum res liberæ sunt, liberè præstari possint: quæ tamẽ eædem non sunt dandæ, quando requiruntur necessariò, nempe vi legis aut iure voti. Paulus ita se gessit, qui liberè circũcidit Timotheũ: sed quasi coactus lege Titũ circũcidere noluit. Videtur isti mirum, si virginitas aut cœlibatus compo natur cum circumcisione. Verùm intelligere debuerat, in eo ista esse similia, quòd rectè & prauè præstari seu fieri poterant. Deinde tu ipse mihi aliud simile in ista collatione demonstras, quod ego non adduxeram. Nam dicis, circumcisionem tunc temporis factam spe assequendæ iustitiæ ac salutis æternę fuisse damnabilem. Illud idem ego dico de cœlibatu, si quis eo speret se iustitiam assequi, quam habemus per fidem, aut speret eius merito vitam æternã, quæ gratis datur, proculdubio erit damnabilis. Tu verò, quia Pelagij non potes obliuiscì, semper operibus ac tuo potissimũ cœlibatui tribuis vim merendi iustitiam, vitam æternam, & præmia in cœlo ampliora, nec non propter opera & cœlibatum, Christum ipsum ac mortẽ eius facis superuacaneam. Ad hæc, finèm videris constituere cœlibatus maiora præmia in cœlo. Quem sanè finem neq; à Paulo, neq; à Christo didicisti: sed vel tibi fingis, vel mutuaris ab hominibus. Vnde inter mercenarios verè connumerari potes, qui nihil aliud in suis operib. spectant quàm præmia. Finis autem sancti cœlibatus est, vt docet Christus, regnum cœlorum nempe in terris amplificandum & protendendum ad latissimos fines doctrina, prædicatione, atque instantissimis precibus, ad quæ cœlibatus his, quibus datus est, eò conducit, quòd multis curis illos expeditos reddat. Tu verò intelligis regnum cœlorum, quo fruamur in æterna patria: quasi qui viuunt cœlibes, ibi potiores partes eo merito sint habituri. Atque ita quid Christus per regnum cœlorum voluerit, vt multa alia soles, malè percipis. Neq; Paulus, si quis illum rectè inspiciat, alium scopum cœlibatus à Christo constituit. Vt deniq; redeam ad collationem propositam, adhuc in ea est aliud simile: quia vti tu dicis, Paulus citra scandalum infirmorum, si circumcisionem Timothei omisisset, non peccasset: ita ego dico, non peccare illum, qui si videat, se nihilo plus ædificare Ecclesiam, & doctrinam promouere per cœlibatum, quàm per matrimonium, imò fortasse minus, cœlibatũ omittat, & matrimonio iungatur, quo videat se melius rem gesturum. Quamobrem quum omnia hęc similia intercedant, aptissima fuit collatio, quã proposui. Cæterùm malitia & odium, quo contra me, imò contra veritatem laboras, hæc te videre non patiuntur. Quodque asseris, contra varia Dei mandata illum peccare, qui cœlibatum, quem vouerit, abijciat, inane ac nullius est momenti, quum mandatum nullum proferri possit, quod hoc facto violetur. Nam sæpius indicatũ est, ad testimonia veteris Legis, quã frustrà cõfugias:

Quæ sint libera & indifferẽtia.

Quis sit finis cœlibatus.

OBIECTVM IIII.

CItat Phocium Græcum enarrantem illa Pauli verba, Qui statuit in corde suo firmus, &c. *Quo persuasum daret nobis, non esse seruandum votum continentiæ, si contingat vi aut violentia legum nos ad id adigi. Nonne te debet pudere, Petre, illum scriptorem pro te citare, qui adeò nihil subleuat causam tuam, vt eam planè deprimat, aut humi dejciat? Habet enim is hæc verba, quæ & suprà citauimus in illud Pauli.* Si nupserit virgo, non

non peccat. *Virginem intelligit non illam Deo consecratam, sed innuptam puellam. Illa etenim, quæ iam Deo consecrata est, si nupserit, adulterium inducit Christo, cui nupta est. Videsne pie Lector, quàm indignus sit iste Petrus, cui fides habeatur, qui tam dilucidè, tamq; impudenter mentitur, illum scriptorem à se stare, qui aduersus eum stat gnauiter.*

DEFENSIO.

MEa non refert, quid alibi dixerit iste Phocius. Id tantùm nunc animaduerti, eum velle vt pater non seruet filiam virginem: quod ei alioqui facere licuit, si necessitas ipsi fortasse imponeretur, quasi per Dei legem nuptiæ non essent licitæ. Imò si quis hanc illi sententiam niteretur obtrudere, non debet ille, inquit, filiam seruare virginem. Quid autem nunc attinet, si in exponendo Paulo quandoque aberret? Cùm à vero deuiat, eum non sequamur: quemadmodum ego interpretationem, quam adfert hoc loco, non approbo, sed id notaui, rectè ab ipso iudicatum, quod interpretando attulit de necessitate, quæ posset oriri ex praua opinione, qua existimaretur lex Dei coniugia improbare. Atquè cum eo idem esse constituo de necessitate, quæ apud multos nascitur ex vana existimatione, quam de his votis conceperunt. Hæc sanè causa est, cur eum citaui. Sed quis te non miretur adeò multa dicere de Phocio, quæ alibi differuerit pro tua parte, quum nihil ad id respondeas, quod ego pro me facere hoc locò demóstraui? Quid aliud id est, quàm prætereundo dissimulare, quod soluere non possis? At nescio, quomodo videor mihi præter ordinẽ fecisse, qui cùm isto loco non soleam scriptoris alicuius mentionem facere, nunc huius Phocij meminerim. Sed cauebo posthac vt ordo seruetur integer, ideóq; plura de isto Phocio non dicam: qui verba interpretando Apostoli, quæ adiunxisti, cum alijs errat, & aliquas virgines excipere audet, quum neque Paulus, neque Scriptura vllibi cuiusquam exceptionis mentionem faciat.

OBIECTVM V.

SI absque vxoris, *inquit*, consensu vir quispiam votum nuncupauerit continentiæ, irritum est votum illud & reuocandum, cur itaque non liceret reuocare hominem à voto, si se non continet ac vratur, quum id iubeat Apostolus. *O argutulum caput. Quem non misereſcat tantæ inscitiæ? Quis non deploret miseriam illius reipublicæ, cui præficitur vir talis, vt Christianam religionem & fidem ab erroribus repurget ac vendicet? Sed excutiamus hominis huius argumentum istud.* Si maritus, *inquit*, votum continentiæ ediderit absque vxoris suæ consensu, irritandum est votum illud: Ergo reddi non debet votum hominis, qui se non continet aut vritur. *Validum atque efficax istud esse argumentum, probabit ad Calendas Græcas. Nunquam enim conuincet, hæc aliquam inter se habere similitudinem aut affinitatem. Nam marito nulli licet votum continentiæ Deo nuncupare absq; consensu vxoris suæ, eo quòd is non habet potestatem sui corporis, sed illa. Et Paulus præcipit, vt vir debitam reddat benevolentiam vxori, nec se inuicem fraudent illo debito. At vouere nemo cogitur, sed cuique liberum est, libero saltem & soluto, an velit, nec ne vouere. Sed ab edito semel voto resilire fas non est. Maritus non est sui iuris vt voueat continentiam absque consensu vxoris. Id enim aduersatur legi Dei à Paulo euulgatæ. Et ideo illud votum, quod sine consensu vxoris fit, irritari prorsus debet. Sed nunquid haud secus incassum cadere debet votum liberi hominis, & qui sit sui iuris, solutus ab omni vinculo connubiali, quando se non continet & vritur? Quum lex Dei diuersum præscribit, quando iubet, vt bona fide reddantur vota. Puduisset ergo Petrũ hunc, si non omnem pudorem exuisset, tam ineptum ac imperitum nectere argumentum, coram tanta hominum doctorum concione, quanta tunc Oxonij in gymnasio Theologico ad eum prælegentem auscultandum erat congregatâ.*

DEFENSIO.

MEæ rationis vis in eo erat: plus debere legem & præceptũ Dei valere, quàm ius vxorium: sed illud est tanti, vt votũ abroget, si quis absque vxoris consensu cœlibatũ vouerit. Cur ergo idem non valebit lex Dei, quæ iubet non continẽti vt nubat, & prædicat, melius esse nubere quàm vri? Ideóq; non oportet expectare Calendas Græcas, vt argumentũ probetur, quod est efficax & euidens à minori ad maius. Si valet vxor irritare votũ mariti reclamando, multò magis idem poterit præceptũ Dei secus iubendo. Verùm tu homo subtilissime ad quas vnquam Calendas probabis hominem esse liberum aut sui iuris, ita vt mandatis Dei non fit subiectus? Semper hoc tibi sumis, quasi gratis id sis ablaturus. Dicis præterea, non esse conferendam similitudinẽ hominis, qui sit in coniugio, & qui sit absq; vinculo connubiali: quasrego hac parte argumentum connectam. Non ita sum hebes, vt tibi fingis. Nam eam subiectionẽ quam habemus erga præcepta Dei, cũ illa confero, quã habent inter se coniuges. Quoad hoc, secutus Paulũ ad Rom. cap. 7. qui subiectionẽ vxoris erga virum comparat nostrę subiectioni erga legem. Sed quia tu hanc collationis rationem in eo argumento nõ sensisti, qua ego à minori ad maius sum progressus: ideò sic erras in tua confutatione. Vel fortasse argumenti vim deprehendisti: & quia, vt à me proponebatur, difficilius visum est, quàm vt illud posses elu-

dere, iudicasti esse perturbandum & inuertendum. Nunc ad alia iustè possem orationē transferre, nisi lector adhuc monendus esset, vt non oscitāter notet, quid in calce huius obiectionis scripserit: magnā nempe concionē doctorum virorum mihi docēti in gymnasio Theologico adfuisse, cū tamē passim deblateret, pueros tantùm & adolescentes ad me audiendū conuenire. Quod sanè non propterea dico, quòd id vel pili faciam, quot, vel qui ad scholam meā accedant: sed tantū hæc refero, vt stupor huius viri deprehendatur, quo scribendo mendacia, pugnantia, & vana, seipsum laceret. Nugatur etiā circa obiectionis initia, deplorādo Remp. quasi miseram, cui ego præficiar ad Christianam religionē & fidem ab errorib. repurgandā. Nescio profectò quàm iste somniet, me hîc habere, vel alicubi vnquam habuisse rerum publicarum præfecturam: nisi ministerium & obsequiū Ecclesiæ aut scholæ, isti homini sit præsse Reip. sed horum mendaciorum atq; ineptę locutionis magistram habet solam inuidiam.

OBIECTVM VI.

TAndem exhibet nobis exemplum, quo conuincat, licere vota soluere propter imbecillitatem nostram. Si aegrotus, inquit, aliquis voto sese obligaret ad seruiendum morbis laborantibus & affectis in valetudinario aut infirmario, atque contigerit huic, quoq; morbo affici, nónne affecta hæc valetudo â voti solutione liberum eum reddet? Cur non ita aduersa valetudo mentis ad vincendum libidinem liberabit hominem à debito præstandi voti? *Argumentum leue, & solutio facilis. Nam ea, à quibus ista depromitur collatio, nihilo minus sunt dissimilia, quàm quæ sunt dissimillima. Quod enim priori ponitur loco, impossibile effectu est: non item quod posteriori. Quia mente nemo adeò imbecillis est, aut esse potest, vt non valeat, modò velit, liberare fidem, atque præstare quod promisit. Quia petentibus datur facultas præstandi, vt Christus ait:* Petite & accipietis, &c. *de quo satis suprà. & Paulus ait,* Fidelis est Deus, qui non sinet vos tentari supra id quod potestis. *Denique quemadmodū Deus Paulo poscenti ter, vt sibi auferretur stimulus carnis dixit,* Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur: *ita haud dubiè lacessitis ad stuprum, sufficit Dei gratia, vt fortiter queant resistere; modò eam sedulò & piè poscerent.* Cur, *inquit Petrus iste,* non iubent ægroto illi, vt pergat cū vitæ extremo periculo ministrare ægrotis & valetudinarijs, atq; interim precib. salutem petat? quemadmodum impotenti se continere à coitu præcipiunt, persistere in cœlibatu, atq; auxilium cōtinenter viuendi à Deo precib. poscere non cessent? *Respondeo; hæc duo nihil habere inter se affinitatis. Quandoquidē corpore ægrotus saltē cum vitæ maximo discrimine, nequit vllo pacto ministrare morbo affectis, ac votū præstare, nisi mente tantū & affectu, quod promisit, quod illi satis erit. Sed inualidus & ægrotus animo perbellè potest votum exoluere Deo, modò velit, & suo non defuerit officio. Cū verò à multis, nec infimi nominis Theologis illud Paulinum, quòd is rogarit, auferri à se stimulū carnis, aliquod incitamētum carnis, adducitur, quo probent, confugiendum esse nobis ad diuinum auxilium postulandum, quoties ad libidinem solicitamur, quò virtutem ac facultatem vincendi tentationem assequamur, ille conatur ita locum hunc eludere, vt nihil videatur eis suffragari, sed refragari potius.* Non enim intellexit, *inquit,* Paulus, ibi per stimulum carnis aliquod incitamentum ad stuprum aut fornicationem, sed persecutiones, afflictiones, carceres, vincula, cathenas, plagas, lapidationes, quemadmodū Græca scholia, *inquit,* interpretantur. *Respondeo, has omnes ferè interpretationes apud Oecumenium, Chrysostomū, Theophylactū legi: tametsi Ioannes quidā Graecus & Theodoretus intellexerunt per stimulū carnis, laborem & negotium, quod illi fidem concionanti exhibuerūt Alexander, Hymeneus, & alij fidei hostes. Hieronymus lib. 2. in epist. ad Gal. grauissimum existimat fuisse capitis dolorem, quem subinde erat Paul. perpessus. Sedulius Hibernienſis vir eximiæ eruditionis, ac veneranda antiquitatis nomine suspiciendus (erat enim anno Domini 430.) non de his tantū, sed de lege membrorū luculenter interpretatur. Primasius D. Augustini discipulus alios asserit intelligere titillationes carnis, licet ipse mauelit, vt de ingib. affectib. intelligatur. Cæterū quid opus est tam multis? Non. n. retulerit quicquā siue de his, siue de illis intelligatur, quod ad nostrum institutū attinet. Quando Paulus docet, oportere afflictos, qualiscunq; illa fuerit afflictio, cōfugere ad precū præsidiū. Et propterea dicunt theologi maximi nominis, quoties prouocamur ad libidinē, omnib. & maximè voto obstrictis solicitandū, ac fatigandū esse Deum precib. vt illius auxilio roborati euadant superiores in eo certamine, & hinc coronentur. Cùm Petrus iste asserit, locū hunc Pauli à suis partib. contra nos stare, eò q; Paulus interpellans non erat auditus, sed repulsam passus erat toto cœlo totaq; terra. Nam etsi non fuerit auditus, vt stimulus ille ei prorsus auferretur, quod petijt ter, quia id illi maximoperè erat incōmodum, est tamen ei tanta gratia data, vt par fuerit omnib. insultib. resistere: ac virtus illius hinc absolutior effecta est, ac Dei potentia illustrior reddita. Quare si quis petitus libidinis prouocamento, Deū precaretur auferri id sibi, forsitan non exorabit, quòd cōmodo sit futura illi tentatio ea: dabitur tamē à Deo auxilium, vt sufficiat resistere, ac victoriam reportare iuxta illud Christi,* Petite, & dabitur, &c. *Quare dum hoc testimonio sic indoctè abusus est Petrus, non operam solùm lusit, sed suam prodidit auditoribus imperitiam.*

DEFENSIO.

SImile quod adduxi, vt nō ignorare videris, in eo situ est, quòd saltē æqualis habenda est ratio periculi & salutis animæ ac corporis. Ideò si morbus corporis voti executionem cessare patitur, multò magis aduſtio & lapsus, qui contingunt donò castitatis destitutis, nuptias illis faciunt & licitas & necessarias. Hîc tu neminem esse contendis, qui non possit votū cōlibatus præstare, modò velit, & officio nō desit. Tu hæc dicendo gratiam vertis in naturam, quam

quam ponis omnibus communem, quasi Deus non sit qui efficiat, vt ab eo petatur, & vt officio non desimus: quod sanè manifestum est, vt nō in omnib. efficiat. Sed vos dicitis, faciat homo quod in se est: Deus non poterit nō ei esse propitius. Atq; ita vestra sententia, homo est Deus, & potest seipsum saluum facere, modò velit. Vę autem homini, si faciat quod in se est, cùm nihil in se habeat, quod sit bonū, iuxta Pauli sententiam: *Scio quod nō habitat in me, hoc est, in carne meo bonum.* Et licet conemini vestra gratia præueniente hic fucum facere, vestrum Pelagianismū oculis spiritus non valetis subducere. Quis enim non videat istos, quando volunt suam gratiam præuenientem omnib. adesse, atq; id, vt loquuntur, sufficienter, eos in libero arbitrio ponere salutem? Non enim requiritur, istorū iudicio, vt Deus voluntatem nostrā inflectat, neq; opus est corde carneo diuinitus dato, vt inquit Ezechiel: siquidem licet cuiq; per seipsum cor carneum sibi facere gratiā recipiendo. Nec vnquam explicāt isti homines, quis det animo nostro vt velit, vt admittat, vt recipiat Dei gratiā. Cumq; tam infeliciter circa ista errent, identidem errant de cæteris Spiritus S. donis, vt est virginitas & cœlibatus. Quilibet, inquiunt, hęc potest, modò velit: satis est, vt oret & petat à Deo vim resistendi tentationibus: quasi Deus det omnib. eandem vim orandi & petēdi quælibet efficaciter. Præterea, vndenam hausit hāc doctrinam? Certè Christus non dixit, cùm Apostolis responderet, *Non omnes capiunt verbum istud*, orandum esse hominibus, vt verbū huiusmodi capiant. Simpliciter extulit, *Qui potest capere, capiat.* Tunc sanè fuit locus dicendi, si qui videant se non posse capere, Deum precib. fatigent. Paulus nō minus vidit quàm Smythęus, licet sibi videatur totus lynceus. Is cū diceret, *Qui non continent, iungantur matrimonio.* &, *Melius est nubere quàm vri.* &, *Pater, si non habet necessitatem, seruet filiam.* &, *Non hæc dico, vt laqueum vobis injiciam.* & deniq;, *Propter fornicationem quilibet habeat suam*: hæc, inquam, omnia cùm Paulus diceret, nusquā adiecit, vt ipse facit, *Petite, & accipietis*: preces contra tentationes huius generis remedium idoneum sunt. Id, inquam, Paulus non dixit, sed matrimonium vtilem & salutarem portum ab his tempestatib. demonstrauit. Et à pijs proculdubiò verum deprehenditur, Deum nō sinere nos tentari supra id quod possumus: quia vel dat vires ad cœlibatū purè seruandum his, quos ad ipsum vocauit: vel matrimonium eis consulit, quod illi debent arripere, qui se labi vident & pernitiosè aduri. Ægrotanti, si voto non satisfaciat impeditus morbo, nō iubent, vt pergat in voti persecutione, orando Deum pro sanitate ac viribus adipiscendis: aiuntque illi sufficere desiderium. Cœlibis verò miserè adusti & frequenti scortatione vulnerati non miserentur: oret, inquiunt, & pergat in suo cœlibatu, etiam si æternùm pereat, non iungatur matrimonio, quoniam semel vouit: neq; illi valeat in connubio rectum desiderium, quo cuperet, modò vires adfuissent, absq; vxore esse. At quamuis ita rigidi sunt, patiantur me vel vnum interrogare. Quomodo dicunt impossibile factu, vt ęgrotus ministret in nosodochio? Nōnne precibus eius concedi possent à Deo vires? Arbitror, id non negabunt, cùm vi diuina multi ab horribilibus morbis repentè fuerint sanati. Vnde, si fieri potest, cur non imperatis ægroto, qui vouit se pauperib. inseruiturum, vt pergat ipse in opere, ac Deum oret, vt sibi det vires? Aut, si remittis huic, cur nō magis cœlibi, qui succumbit oneri, & de æterna salute periclitatur? Hìc iam suum virus pelagianum vlterius celare non possunt, videntes non posse fieri, scilicet naturaliter. Nā, si Dei potentiam spectes, nulla est hìc impossibilitas, vt ægrotus alijs ministret: socrus enim Petri, quę febri vehementer laborabat, surrexit & ministrauit, vt Lucas refert. Quare isti, cum dicunt esse possibile cuilibet, vt sanctum cœlibatum custodiat, quasi Pelagiani hoc naturaliter intelligūt. Nam si potentiam siue gratiam Dei respicerent, eam quoque in ægrotante corporaliter spectare debuerant. Vnde apparet manifestè, vtrinque parem esse causam: quia tam in isto, quàm in illo est infirmitas: tam iste, quàm ille potest sanari precibus: tam iste, quàm ille voto est astrictus. At isti, quæ illorum est præposterа iustitia & charitas, vnum sinunt, alterum vrgēt, & illum sanè qui versatur in grauiore periculo. Quare solū id illis relinquitur, vt dicāt, se opinari sanctum cœlibatum à quolibet naturaliter seruari posse: ægrotantem verò sibi ipsi naturaliter non posse restituere vires ad ministrandum sicuti vouerat. Hoc est illud argumentum futile, ad quod responsionem aiebas esse tā facilem. Adeò facilis est, vt Pelagianismū tuum, quod niteris occultare, prodiderit. Cùm Paulū citarent, qui ter Dominū rogarit pro stimulo carnis, dixi locum ad rem non facere, quòd per stimulum carnis Paulus longè aliud intelligat, quàm adustionem, de qua in præsentia loquimur. Neq; Smythæus, licet faber sit mendaciorum, & homo natus ad perdēdas sacras literas, id negare ausus est. Totus enim à Patrib. pendet, qui quod ego dico, non dissimulāt. Sed inde putat robur se argumento conciliare, quòd ex isto loco saltem colligamus, in omnib. afflictionibus, quales quales fuerint, precib. esse ad Deum confugiendum, quò illas possimus absque damno tolerare. Placet mihi hæc regula: verùm diuersorum generum sunt afflictiones. Quasdam enim ipsi nobis accersimus, neq; cogimur eas pati, nisi velimus. Contra quas paratum promptumq; remedium à Deo habemus. Talis est cœlibatus, qui adustiones & lapsus habet coniunctos. Non iubetur hoc genus vitæ, sed quisque prout vult, illud sibi accersit: quod quando non est tutum, matrimonium non solùm à Deo est propositum, verumetiam eo casu imperatū. Quare si nō obtinemus tranquillitatem in cœlibatu, velimusq; pergere, ac Deū, vt tu præcipis, fatigare nostris precibus, eum tentabimus: qua in re grauissima est culpa. Sūt autem aliæ afflictiones & aduersi casus, quos

Afflictionū duplex genus.

Deus ipse nobis infligit, & ferendos imponit, neq; nos illos vltrò aſciſcimus. Hic eſt orandũ, hîc promiſsiones habemꝰ, hîc ex fide preces valemus fundere. At cœlibatũ quando ſemel aut iterum petitus eſt, neq; purus aut caſtus impetratur, qua fide orabis, cùm tibi non ſit promiſſus? Neſcis an Deus te velit in numero coniugatorum, an cœlibum. Imò cũ tibi non dantur vires, adureris & laberis, vides ſatis manifeſtè ad matrimoniũ te vocari. Paulus igitur in hoc afflictionum genere verſabatur, qui coactus eſt grauia pati ob Euangelij prędicationem, & ſtigmata domini noſtri Ieſu Chriſti geſtare in ſuo corpore. Idcirco orabat, & data eſt illi gratia, vt ferre poſſet, quæ Deus illi ferenda impoſuerat. Proinde vide quàm rationabiliter ego dixerim, Pauli locum adductum minimè ad noſtrum inſtitutum facere. Prætereà dum tribulationes, vt vincula, carceres, corporis morbos, atq; alia id genus pij viri ferunt, virtus Dei magis declaratur: quæ illos in his aduerſis conſtantes efficit & ſeruat: neq; illorum mens ob hæc polluitur, aut cõtaminatur, ſed redditur potius & innocentior, & purior. At qui obſtinatè durat in cœlibatu immundo, ibiq; infeliciter aduritur, & labitur, neq; in virtute proficit, neq; Dei potentia, quæ ad ſalutẽ eſt, in eo declaratur. Quare ſi quis videat, ſe à Deo non audiri, debet in portum matrimonij ex tanto naufragio ſe recipere. Ideò ſum teſtatus, quòd ſi Paulus de hoc genere ſtimuli carnis loqueretur, de quo modò agimus, cõtra meos aduerſarios, nõ contra me faceret. Quia Paulus non eſt auditus, vt ſtimulus huiuſmodi ſibi auferretur. Vt itaque illi preces ad id non profuerunt vt liberaretur, ita nec alijs proderunt, ſi ad cœlibatum non ſint vocati. Imò, ait Smythæus, profuerunt, quia data eſt illi gratia, vt ferre poſſet. Dumq; hoc reſpondet, nõ animaduertit, ſermonẽ non eſſe inſtitutum de leui tentatione, ſed de aduſtione turpi, quæ mentẽ fœdet, turbet, impediatq; à pijs & ſanctis exercitijs, vt ſunt preces, in uocationes, & ſacra ſtudia, ex qua etiam lapſus frequentes oriuntur, quæ apoſtolo Paulo tribuere nefas omnino eſſet. Et in ſumma de hoc hominum genere agimus, qui dono cœlibatus deſtituti ſunt. Hi ſi ſemél, iterũ ac ſæpius orauerint, cùm videant non ſuccedere, matrimonio iungantur neceſſe eſt. Non autẽ grauabor, dare illos qui vocati ſunt ad cœlibem vitam, eamq; cum fructu regni cœlorũ agunt, nõ debere indè facilè dimoueri, vel ob quamuis leuẽ tentationem reſilire. Iſtis ita vocatis orare licet, cùm tentationem ſenſerint, atque id ex fide agant verbi Dei, qui neminẽ in ſua vocatione deſerit. Cuiuſmodi etiam concedere poſſem fuiſſe Paulũ, ſi dare velim, locũ iam adductum de hoc ſtimulo carnis, de quo modò agimus, accipiendum. Verùm tunc Apoſtoli factum nõ eſſet in exemplum omnium trahendum, cùm nõ omnes eadem habeant dona, quæ illi conceſſa fuerunt. Sed, vt dixi, locus longè aliter eſt intelligẽdus. Verùm interea dum proſecuti ſumus aduerſariorum expoſitionẽ, lector cognoſcere potuit, de qua loquamur aduſtione, quóue de tentationis genere, propter quod nõ amplius in cœlibatu perſiſtendum cenſemus. Quibus addo, quòd cùm nemini poſsit eſſe certum, niſi reuelatione ſingulari, de dono cœlibatus, an ipſum perpetuò, an tẽporis aliquo ſpacio ſit habiturus: ideò nemo ſe debet voto perpetuæ caſtitatis obſtringere. Apparet igitur euidentiſsimè, quamoptimè quadrare propoſito ſimile adductum de ægroto: & locum Apoſtoli vel nihil contra nos facere, vel potius aduerſarijs, qui eum produxerunt, mirificè obeſſe.

OBIECTVM VII.

CVr, *inquis*, „diſpenſant (*tuo enim verbo libenter vtor, quod multi in hac re vſurpant*) abbates, epiſcopi, & reliqui Eccleſiæ præfecti cum monachis, vt ieiunia ſoluant promiſcuè, ac citra delectũ veſcantur quibuſlibet, aliaq; multa huius generis, quę ipſorum ordinis & inſtituti regula præſcribit, omittant, idq; faciunt ne corporis pereat incolumitas, aut homo de vita periclitetur, aut ob leuiores cauſas. Cur itaq; non diſpenſant, cùm virginitatis aut cœlibatus voto, quoties homo aduritur, & de animæ periclitatur ſalute? *Reſponſio eſt facilis, obuia, & in promptu: non quam tu inter diſſerendum attuliſti: nempe diſpenſare eos ſolitos in rebus leuiuſculis, vt quas non vouerint monachi, licet præſcribat illorũ regula harum rerum obſeruationem his, qui eas ſeruare citra incõmodum queunt. At monachi ac monachæ ſolent poſs liceri, ſeſe vitam ductũros ad regulæ illius præſcriptum. Sed in illis, nempe virginitatis & cœlibatus atq; cõtinentiæ votis nõ diſpenſare, nec poſſe, ſi maximè velint, vt ad quæ perpetuò ſeruanda ſeſe vltrò obſtrinxerint, quorumq; obſeruationẽ lex Dei ſubinde exigit, quemadmodum eſt votum paupertatis & obedientiæ, vt ait D. Bernhardus. Quod cùm tu conſtanter perneges, quid aliud facis, quàm quòd in ſententia longè abſurdiſsima manes pertinaciter? Vt in te dicatur vulgò detritum illud adagium,* Cum aqua fauces ſtrangulat, &c. *Et mox. Porrò quòd objcis, ſolui obedientiã monachi, cùm ſit abbas, vel epiſcopus, ac paupertatis votum, cum quis ex mendicantib. creatur Epiſcopus, aut prouehitur ad Cardinalitium: cur ergo ob ſalutẽ animæ eius qui vritur, nõ ſcinderetur votum obedientiæ & cœlibatus? Hæc è Lutheri officina profecta ſunt, multarum hæreſium fœdiſsima Lerna. Sed cedo mi Petre, quamobrẽ, hæc incogitãtius & inſõſultius effutiſſe ſat habueris, interim nullo verbo penitus interiecto de probando. Nunquid dicta tua nulla nec ratione, nec autoritate ſubnixa titubare, imò pro vaniſsimis nugis haberi, vt par eſt, neceſſe erit? præſertim quoties falſa pro veris affirmas, & cõfeſa ab omnib. catholicis impudẽter diffiteris? Proinde nos hæc, quæ pro veris obtrudere conaris, cùm ſint falſiſsima, interea temporis donec tu ea probaueris, vel ſaltẽ pro tua virili conatus fueris probare, dixiſſe ſat habebimus. Quando id feceris, mutos nos non cõperies: nec putes beſtias nullis cõminus cornibus. Certè quiſquis poſt editum paupertatis aut obedientiæ votum ſit abbas, aut epiſcopus, aut cardinalis non liberatur ab ijs votis, ſed manet in ijſdem ſoluendis aſtrictus.* At, *inquis*, monachis & fratribus non tenetur

tur morem gerere, vti abbati vel præsidi antè tenebatur: ac loco paupertatis etiá succesſit opulentia. *Perbellè tu quidem philoſopharis: quaſi verò qui ad illiuſmodi aſpirarit dignitatem & opulentiam, nõ poſſit deinceps paupertatẽ & obedientiã, cùm virunq; Deo vouerit, colere & exercere. Nónne poteſt aliquis in maxima facultatum copia reijcere ac abdicare omnino rerum proprietatẽ mente ac animo ſuo, ac perinde reſ ſuas hilariter et largiter erogare egenis, atq; fecerint illi, quibus in exordio Eccleſiæ omnia fuiſſe cõmunia & nihil proprium, Acta apoſtolorum teſtantur? Deinde qui abbas creatur, aut alius quiſpiam ſit præfectus, non liberatur à voto obedientiæ, vt quã Deo vouit ſoli, quod eſſet ſe abnegaturus, & Chriſtũ ſecuturus: id quod implere poteſt iam liber ab obedientia fratrib. præſtanda, quia iam ei parẽt. Breuiter, quiſquis vouet obedientiã Deo, et eius vicẽ gerenti prælato in cœnobio aliquo, id facit iuxta præſcriptionẽ ſuæ regulæ, quæ nõ exigit à quoquã præfecto obedientiã, ſaltem quæ cœnobitarũ vlli præſtetur. Et proinde votum illud obedientiæ nõ propterea dici debet ſolui, quòd abbas qui ſit, nõ obedit fratribus.*

DEFENSIO.

DIxeram Papiſtarum potius eſſe hypocriſin circa vota, quàm religionem eorũ obſeruationem: quandoquidẽ, vbi videtur, eorũ perſolutionẽ relaxant, &, vt vulgò dicitur, facilè diſpenſant, vno voto cœlibatus excepto & virginitatis. Hic meus aduerſarius, qui turpiſſima barbarie alioqui tã in ſcribendo, quàm in loquendo laborat, fingit ſe non vſurũ verbo diſpenſandi, niſi quòd me illo audiuerit vti. Diceres, eum cũ magna eloquentiæ ſuæ iactura velle ſtylũ ſuum demittere ad verba parum latina, quib. mea fluit oratio. Verùm cũ hoc leue ſit, viterius nolo perſequi. Quis hic non animaduertat, in quàm varias & multiplices figuras ſeſe torqueat, ne vota relaxari fateatur in Papiſmo? Primũ cauillatur eſſe res leues, quasq; monachi voto minimè nuncuparint: & ideo circa eas illorum abbates & prælatos pati, vt ſecus agant, quã in decretis aut regulis cœnobij habeatur. Quid eſt magis cõiunctum & propriũ inſtitutis Chartuſ. ex quorũ familia iſte me fuiſſe auda ter mentitus eſt, quàm carnes non comedere? Si tamẽ ex illis aliquis efficiatur Epiſcopus aut Cardinalis, veſtem fortaſſe retinebit: at reliqua fermè omnia, quę ad eiuſmodi ordinẽ pertinẽt, reijciet. Quid eſt Franciſcanis magis proprium quã pecunias ne quidẽ attingere? ne dũ eis vti poſſint, quod tamẽ per Pon. Rom paſſim videmus relaxari. Quis negare poteſt, eoſdẽ Franciſcanos vouere obedientiã Prælatis ordinis D. Franciſci vſq; ad mortẽ? Dicat nũc iſte, quando fiunt epiſcopi, aut cardinales, an id amplius prę ſtent. Illi verò cũ ſint præſtolido Smythęo acuti, reſpondere ſolẽt, ſuo ipſorũ voto nequaq̃ potuiſſe ſe ſubducere obedientiæ Papæ, quẽ aiunt omnib. iure pręeſſe in Eccleſia Dei. Propterea ſi ei viſum fuerit ſe liberare ex illis cõpedib. attrictos eſſe, vt illi ſuauiter obediãt. Sed tam cõtra eos, q̃ contra Smythæũ adhuc perſtat argumẽtum à me allatũ. Cùm faciãt hæc, vota poſſe relaxari varijs de cauſis, cur in cœlibatu ſunt adeò leueri, cũ tamen ibi periculum ſit maioris momenti & grauioris iacturæ? Cauillatur itẽ, me non probare quæ dico: & nõ videt ea ſeniui eſſe manifeſta, nec egere probatione. Qui nõ ſunt Romæ, ortaſſe nõ vidit & ditiſsimos & potentiſs. cardinales, tũ Franciſcanos, tũ Dominicanos, tũ Benedict. Vtar igitur cũ iſto tam craſſo homine ſyllogiſmo, quẽ vulgo appellãt expoſitoriũ. In his hominib. obedientia erga prælatos A ſui ordinis, & mendicorũ paupertas relaxãtur: hæc ſunt ab eis voto nũcupata, vſq; ad mortem præſtanda: igitur vota relaxantur. His ego neſcio quid apertius dici poſsit. Excuſant ſe teneri obedientia Papæ, à quo ſic eximuntur ex illis votis. Itidẽ ego dico cœlibẽ, qui non cõtinet, obediẽtia Dei teneri, vt matrimonio copuletur: quã ſeruitutem ſiue obedientiam erga Deum per ſuum votũ non potuit excutere, cũ ſermo Dei æternum maneat. Nõ dubito, mirari lectorẽ, & fortè nauſeare, quòd hoc præceptũ de matrimonio cõtrahendo repetã adeò frequenter. B Sed mirari deſinet, ſi hunc animaduerterit eſſe victorię campũ, in quẽ non modò nõ Smythę⁹, verùm ne portæ quidem inferorum præualere queant. Quis ad hæc nõ rideat, cùm audiat hũc noſtrum dicentẽ, monachos qui fiunt epiſcopi, aut cardinales, nõ abſolui ab obedientiæ voto, quoniã, inquit, ad eam Deo prętandam ſunt aſtricti? Quid ais? Hàncne illi, cũ monachi fierent, vouerũt obedientiam? Non arbitror. C Omnes quippe homines obſtricti ſumus ad parendũ Deo. Vbi eſt illa tua magiſtralis regula, qua ſuperius contra me vtebaris, nẽpe ad ſalutẽ neceſſaria nõ cadere ſub rationẽ voti? Aliam illi dicunt profectò ſe vouere obedientiã, nimirum prælatis ſui ordinis, & regulæ: à qua eucti, vt loquuntur, ad maiora per beatiſsimũ abſoluuntur. Præterea id magis etiã eſt Smythęica theologia dignum, quòd confingit, iſtos puros D puratos in tanta opum affluentia bene poſſe animo & deſiderio paupertatem retinere, quam vouerunt, ſi temperatè viuant, & egenis opes ſuas diſtribuãt: vt iure diuino omnes qui adminiſtrant Eccleſias, ad id faciendum ſint obligati. Interroga, quæſo te doctor eruditiſsime, ordinum magiſtros, quando hæc ignoras, cùm ſis tantus Gamaliel in lege Papiſtica, num talem paupertatem, ſcilicet duntaxat mentis & animi voueant, qui ad ſocietatẽ mendicantium E monachorum recipiũtur. Nónne vides iſta tua effugia eſſe mei argumenti robora? Quare non ſtatuis pari eademq; ratione, illũ qui nõ continet & vritur, ſi matrimonium cõtrahat, poſſe animo caſtiſsimè viuere, atque affectũ & mentẽ deſiderare, vt Deo tam indiuulsè adhæreat, eiusq; regnũ promoueat, q̃ quælibet virgo ſeu cœlebs? Ibi ſufficit tibi paupertas animi & obedietia cõmunis quę Deo exhibẽda eſt. Ea dicis ſatisfieri votis: illa prędicas Deũ eſſe contentũ.

Cur idem non dicis in altero, qui ob præceptũ Dei non contemnendum sese iungit matrimonio? Hoc ex officina Lutheri clamitas esse profectũ. Certè nimis ingratus essem, si per illũ virum Dei me profeciſſe negarem. Vtinã tu quoque didicisses ex eo, neq; sic versareris in sophistarũ perforatis cisternis, quæ verbi Dei aquas non valent continere. Inde tibi cõparas adeò insana & delira, quib. incitaris, vt tantũ virum nominare audeas multarum hæresium fœtidissimam Lernam, quem omnes pij pro illustrissimo Euangelij Christi habent instauratore. Deinde tuum antiquum, hoc est sophisticum, obtines, vt cùm non possis certis Scripturæ testimonijs, aut sanis rationibus ea, quæ à me prolata sunt, refellere, inuidiosa tantùm eo nomine reddere coneris, quòd à Luthero sint inuenta. Equidem si tua velim premere vestigia, luculentissimè possem ostendere, nil in vtroq; tuo libello ferè haberi, quod nõ à Cochlæis, Eckijs, Alphonsis, Pigghijs, cæterisq; huiusmodi pestibus fueris suffuratus: & fœdiora reddideris, quæ illi minus malè scripserunt. Aliena itaque si tibi adimerentur, nudus vt cornicula rideremis, quæ plumis non suis antea voluerat esse conspicua.

OBIECTVM VIII.

NOn admitto, *inquit iste Petrus*, virginitatem aut continentiam à re Venerea tanti esse ducendam, vt non sit, quod illi ex æquo respondeat. *Perbelle ille quidem & satis arroganter. Quid si ù nõ admittit, virginitatem & continentiam tanti esse ducendam, vt non sit, quod cum ea componi possit, nunquid illud conuincet, non esse eam eiuscemodi? At age, candide Lector, & accipe verba Salomonis ea de re.* Omnis, *inquit*, ponderatio non est digna animæ continentis. *Dispice iam sedulo, pie lector, num hic locus persuadeat, quod Petrus hic ait se non admittere. Cæterùm finge continentiam non esse rebus alijs omnibus superiorem ac præstantiorem. Quid tum postea? Num hinc colligas dispensari posse à quoquam cum ea vouente? aut votum continentiæ ob aliud aliquod commodum rumpendum esse? Stupidum sanè oportet eße hominem, qui sic argumentatur. Abundè suprà euictum est, persolutionem voti pij exigere vtriusque instrumenti scripturam. Proinde penes hominẽ fuerit, nullum rigorẽ illius iuris laxare: tantum abest, vt cuiquam per se liceat illud dirimere, quod Petrus isto fecit. & alibi:* Pro te nihil prorsus facit, quod ais tandem, non ex natura rei aut dignitate eius pendere obligandi vim, sed ex promissione facta, vt patet de Adã & Saule, inquis, qui ob reculas minimè acerbas dederũt Deo pœnas, vt prodit Scriptura. *Hæc inquã, nihil prorsus iuuant tuã causam, sed catholicã potius prouehũt. Nam ideo vota virginitatis & cœlibatus obligare aßeueramus, & qui promiserunt Deo ea præstare & persoluere, obligẽtur ad standũ promißis. Et ideo vis obligãdi pendet à promißione, ne dũ à promißæ rei dignitate.*

DEFENSIO.

EA de causa fui pertractus, vt dicerem, virginitatem aut cœlibatum non esse tanti, vt nihil ei possit æquari, quòd cùm aduersarij negare non possint, permulta genera votorum vel relaxari, vel commutari iure quis miretur, quare in vno voto cœlibatus adeò sint duri. Et mihi ipsi dum hoc mirarer, quorũdam responsum opposui, qui dicere ausi sunt, ideò in hoc genere voti nihil remitti, quòd virginitas aut cœlibatus omnib. rebus præstent, quæ à nobis Deo possint offerri. Quod esse falsum, in assertione mea luculenter demonstraui, neque ea modò repetere oportet. Cæterùm Smythæus modò nititur cõfirmare, nil inueniri, quòd virginitatem aut cœlibatũ æquet. Et verba, vt dicit, Salomonis adducit in Eccles. cap. 26. Qua in re nõ semel bisue peccat: sed plus quàm ter iustè reprehendi potest. Primùm ex libro, qui non est canonicus, vult dogma stabilire, quod vt sit boni theologi, alijs iudicãdum relinquo. Deinde librũ hunc fecit Salomonis, cùm Hieronymus (quẽ alioqui habet pro Deo, & præsertim in hac de votis quæstione) dicat fuisse conscriptum à Iesu filio Sirach: quod etiam ex ipso libro potest intelligi, cùm in prologo, tũ in cap. 50. Quis præterea nõ videat, non posse asscribi Salomoni, cùm ad finem ibi mentio fiat Simonis summi sacerdotis, filij Oniæ, qui circa tempora Machabęorum vixit? Salomonem autem longè eam ætatem præcessisse, neminem latet. Tertiò errat, quòd ibi putat agi de virginitate aut cœlibatu, cum loquatur author de vxore proba, erudita & sancta, quam maritus cũ nulla alia re, si sapiat, vnquam commutare volet. Quod vel à suo Lyra discere potuit, quandonõ tantum habet ingenij, vt possit per seipsum dispicere, quid in eo capite 26 quod citat, agatur, aut quid paulò antè sit dictum, quidue mox dicatur. Est itaq; deceptus, & locus adductus nil pro eo facit: imò pro me robustissimè pugnat. Nam cùm agatur de vxore continenti & bona, dicaturq; nullam esse ponderationẽ illi æquandam, videat Smythæus, nisi sit prorsus luscitosus, quid sequatur: ego non dicam, ne tantũ hominem instruere videar. Est aũt calamitas multũ deploranda magistrorũ nostrorũ, qui sic cõtigerit, vt Magister sent. aut Decreta, seu aliquis antesignanus Papisticę aut Sophisticæ factionis in adducendis scripturis sacris errauerit, sicuti sæpius errant, omnes ad eundẽ scopulũ impingunt, & locum ex Scripturis citatum ab infelicibus illis authorib. vsurpant, nihil spectantes, an ita in fonte habeat. Quare iure ac meritò pecudes dici possunt, quarum si vna saltarit, aut aliquò deflexerit, omnes eũ absq; vllo delectu è vestigio sequũtur. Attamẽ ne illũ disputatorem

Ecclesiasticus nec est in Canone, neq; à Salomone conscriptus.

rem timidum arbitremur, quin valeat absque omni periculo concedere, virginitatem non præstare omnib. quæ à Deo nobis offeruntur, illud quod vi & certa ratione adducta ex verbo Dei extorsi, vltrò dicit, se velle dare. Facito, ait, ita esse, num ob id votum cœlibatus irritabitur? quasi ego ita concluserim, cùm ab initio vsq; nõ aliud vrgeam, nisi eos, qui tam faciles inueniuntur in alijs votis moderádis, mirum esse, cur in vno isto sint adeò morosi & asperi tyranni. Adhuc non affertur causa. Illam enim confutaui, quam vulgo ex dignitate cœlibatus, aut virginitatis adducunt: primùm declarando, illá non esse rerum omnium præstantissimam: deinde quòd obligatio cuiuscunq; promissionis à dignitate rei promissæ vim suam non sortiatur, sed ex vinculo & iure promissionis. Ad hoc iste dicit, id pro me nihil facere, sed pro opinione catholica: quasi vno verbo me faciat hæreticum, & sese catholicum prædicet. Sed bene habet, quòd cũ eius iudicium è scripturis nõ prodeat, inter pios nullius est momenti. Cur pro te ista faciunt? Quoniam, inquit, euictum iam est scripturarum testimonio, persolutionem pij voti exigi, & ideo, vt tu dicis, obligandi vis pendet à promissione. Si pendet à promissione, dicebá ego, quid tu mihi opponis, in voto cœlibatus nihil relaxari, vt relaxatur sæpissimè in alijs votis præter rei promissæ dignitatem? Hìc magis pisce te mutum video. Alia vota relaxari, non potes negare, vel, vt aiunt, permutari. Quare apud vos promissionis ius non est inuiolabile. Et ad rei promissæ dignitatem cõfugere nõ potestis. Primũ, quia virginitas non omnib. reb. præstat: dein quia ex dignitate rei vis obligationis non pendet, si qua ibi ponenda sit: quod idcireo dico, quia nos modò sub Euangelio in votis nullam vim ponimus. Vos autem qui vim tantã in votis esse vultis, nullũ debueratis votũ remittere. At cũ vota passim & cõmutetis, & relaxetis, dũ postea implacabiles estis in voto cœlibatus, vestrá cùm hypocrisin, tũ tyrannidé retegitis.

OBIECTVM IX.

PErgit adhuc iste Petrus hoc pacto ratiocinando. Rex Aragonum sanctimonialé aut monacham summo pontifice relaxante aut dispensante cum illa, duxit vxorem ad conciliandam, inquit, pacem regnorum. Cur itaq; non dispensat item cum voto continentiæ obstrictis, vt contrahant matrimonium, cùm maior sit habenda ratio salutis animorum, quæ per vota periclitatur, quàm externæ & ciuilis pacis? *Hicingenuè quod sentio dicam, perperam egisse Episcopum Romanum, cùm hoc pacto ius relaxarit, ac copiam fecerit Regi, nonnam ducendi in vxorem. Non est enim faciendum malum, vt inde veniat bonũ: maximè cùm incertum sit, an inde sit bonum illud consecuturum, nec ne: quod genus est pax ciuilis, ad quam confuendam ac cõponendam ferunt, regem Aragonum nonnam duxisse vxorem. Vtq; in summa dicam, quis dixerit, penes hominẽ esse mortalem, in his laxare ius, quæ Dei lex exigit, qualia sunt vota? Innocentius tertius Romanus pontifex capitulo, Cùm ad monasterium, negat penes Episcopum Romanum esse potestatem dispensandi cum votis continentiæ, paupertatis & obedientiæ.*

DEFENSIO.

HAnc voti virginitatis relaxationem cùm à Cælestino tertio factã scirem, qui Constantiam ex monasterio Panormitano Deo dicatam eduxit, & Henrico VI. Imp. vxorẽ dedit, quo iure dotis regnum Siciliæ vltra Pharũ obtineret, meritò dicebã hypocrisin esse, quam iactant pontificij, non iustæ religionis obseruantiam, quando se fingunt virginitatis votum tanti facere: siquidem illud, cũ voluerint, non solũ dicunt relaxari posse, sed etiã reipsa dissoluunt. Hoc non tantũ in exemplo adducto aliquis poterit videre, sed in alijs historijs idem reperiet non semel accidisse. Ideò nõ ineptè colligo, contra superstitionum defensores, votum virginitatis non esse omnino indissolubile, cùm sui Romani Episcopi deprehendãtur quãdoq; illud votum remisisse. Smyth. nunc se mihi opponit, diffinitq; fortiter, Pontificem Rom. indignè ac iniustè fecisse, qui dicatam Deo virginẽ matrimonio copularit. Verùm non habet omnes alios theologos, licet suę farinæ, sibi consentientes. Nam pleriq; scholastici factũ probant, quãdo publicæ saluti seu paci regnorũ consulitur. At Smytheus ne videatur sine ratione loqui addit, non esse facienda mala, vt eueniant bona: quasi constet, malum esse, si voto alioquin obstricti matrimonio iungantur. Nónne hoc est semper id petere, quod est in principio, & ab initio vsq; nostræ disputationis probandũ? Addit, non esse penes hominem mortalem, ea relaxare, quæ ius & lex Dei exigit. Cæterùm hoc probandũ erat, ius & legem Dei talia vota exigere, quod vt suprà demonstrauimus, ex sacris literis fieri non potest. Sit aũt, quemadmodum ait, Innocentium tertium dicere, hoc non est in potestate Romani pontificis, vt vota continentiæ, paupertatis & obedientiæ relaxet, cur, vt quotidie fit, obedientia saltem & paupertas remittitur in Episcopis & Cardinalibus, qui ab ordinib. mendicantium eximuntur? Hic quidnam respondeat Protheus non habet, nisi rursum nobis obedientiam erga Deum obtrudat, & animi paupertatem, ad quæ istos adhuc astringi contendit. Sed hoc vt futile sit & ineptum, paulò antè demonstrauimus. Quare patet, vt arbitror, papistas non esse tam morosos in votis relaxandis, vt ipse eos videri voluit, cũ votum nullum inueniatur, etiam ex his, quæ substantialia vocant, ab eis quandoque non remissum aut commutatum.

OBIECTVM. X.

Aliud argumentum istius Petri, non minus ineptum quàm priora, audi. Deus non imputat nobis, quæ contra illius fiunt legem, cur itaque illa imputaret nobis, quæ nostra stultitia admittimus, dum vota nuncupamus Deo, ac soluimus postea? *Istius argumenti maiorem, quam vocant, sic probat.* Paulus ait, non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Vbi fatetur, se, *inquit Petrus iste*, peccare: & tamen initio capitis proximi asserit, nullam damnationem esse his, qui sunt in Christo Iesu, & non ambulant secundum carnem. *Idq; interpretatur, quòd Deus non imputet, quæ alioqui sunt verè & propriè peccata. Hic error longè turpior est & luculentior priore illo contra vota, si quid turpius & luculentius esse possit. Quis enim verè pius & doctus mediocriter asseret, Paulum peccasse saltem mortaliter, quum egerit quod noluerit, hoc est, quando voluerit non concupiscere, nec primas illas titillationes & prouocamenta carnis ad peccandum sentire: & tamen concupiuerit, & eas senserit extimulationes etiam inuitus ac renitens mente? Est ne cuiquam vitio dandum, quod volens, nolens ac reclamans admittit? Nónne voluntarium omne vitium, præsertim actuarium & personale, ac sola voluntate peccatur? Poteritne Deus iniustus ac crudelis (absit blasphemia verbis) meritò videri, si id vertere vellet mihi in crimen, illiusq; nomine de me sumere supplicium, quod ne ipsius quidem auxilio & gratia munitus quo effugere, quantuncunq; velim, ac annisus fuerim? Nónne in calce cap. 7. habet Apostolus hunc epilogum:* Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. *Cuius sententiæ hic est sensus germanus iuxta venerandæ antiquitatis scriptores. Ego ipse Paulus, in cuius ac similium persona disserui hactenus ab eo saltem loco, Lex spiritualis est, &c. mente seruio legi diuinæ iubenti, ne concupiscam, quia non consentio concupiscentiæ desiderijs, non sino peccatum, id est, fomitem peccati primi tum parentem, tum aliorum segetem ac seminarium regnare in corpore meo mortali, vt obediam eis. Carne autem legi peccati, id est, quod ad inferioris animæ portionem ac vim attinet, habeo & experior in me fomitem peccati ac stimulos carnis, quæ solicitant me ad designandum aliquid sceleris ac vity. Lex membrorum repugnat legi mentis meæ, hoc est, vires inferiores nõ parent viribus superioribus, hoc est, dictamini rationis meæ. Et Euerhardus Bilichius vir impensè doctus, ac ingenio perquàm felici, interpretatur. Nónne omne genus admissorum atq; culparum hæret in mente? Nónne hæc sola vt peccat, ita benefatur? Caro est officina spiritus, vt rectè ait Cyprianus. Quæ ergo Paulus tunc admisit, non erant contra Dei legem vllam. Nam cũ lex cauet ne concupiscamus, id accipi debet de mentis ac voluntatis concupiscentia, non de carnis primo affectu & insultu quem sensit Apostolus inuitus, & ideò nil contra legem Dei patrault. Et mox: Hæc autem sententia Pauli,* Nulla est damnatio his qui sunt in Christo Iesu, *ad Rom. 9. adeò nihil penitus Petri Lutherani suffragatur opinioni, vt illi refragetur vehementer & perspicuè. Si enim aut concupiscentia in recens baptizato hærens, aut illius primus, vt vocant, motus, cui mens liberè non obsequitur, sed renititur omni conatu ac molimine, verè atq; presè loquendo sit peccatum, verum non esset tunc Pauli hoc axioma.* Nulla est damnatio, &c. *Quæ enim esset condemnatio, si propriè quod culpa est, non sit? Si dixisset Apostolus, Deus nihil imputat his, qui sunt, &c. res esset extra omnem controuersiam. Sed cùm ait,* Nulla est damnatio his, &c. *indicat apertè, nec ipsam quæ hæret in nuper baptizato concupiscentiam, nec affectus illius inuoluntarios, quibus mens hominis non accedit, esse condemnationem coram Deo Christianis baptizatis, verè credentibus, & non ambulantibus secundum carnem, id est, non obedientib. illis carnis motibus, sed eos mortificantibus, vt viuerent in æternum, Rom. 8. Deniq; Paulus astruit Rom. 6. peccatum existentibus sub gratia, non dominaturum. Et quid hoc sit, residentem in baptizato cõcupiscentiam esse propriè peccatum, ac primos illos affectus verè esse peccata renitentib. prõ sua virili. si non sit peccatum illis damnari? Verùm faceßant hæc, atque excutiamus assumptum huius argumenti, quod est hoc. Cur itaque imputarentur à Deo, quæ nostra stultitia admittimus, dum vota edimus, & postea dirimimus? Hîc desidero etiam huius acumen ac iudicium. Nam vt demus illi concupiscentiã in baptizato, ac affectus illius, quos inuitus sensit Paulus esse verè peccata, non tamen à Deo imputari: num quid hinc consequi oporteret, illum non imputare votorum diremptionem, quæ voluntariè ac sponte contra illius legem committitur? Quis enim dixerit, perinde iudicare Deum illa inuoluntaria, atque hæc voluntaria? Quorsum citauerit illud Psal.* Non intres in iudiciũ cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, *non planè video. Nam sit planè verum, vt est verissimum, quod psaltes regius ille habet: sed accedat oportet commoda eius interpretatio, nempe quòd mortalium omnium nemo sit cũ Deo ita compositus, in cuius conspectu stellæ, id est, angeli sunt impuri, iustificabitur. Vel, nemo traducens hanc vitam mortalem, comperitur absque omni genere peccati, vt careat etiam quotidianis & venialibus culpis, sine quibus hanc vitam transigit nullus. Hæc est D. Augustini interpretatio de Spiritu & litera, cap. 29. & vlt.* Non aberrabit quisquis dixerit, ideo prophetam illum scripsisse versum, quòd nemo dum hîc vixerit, assequetur perfectam illã & omnib. numeris absolutã iustitiam, qua diligitur Deus prorsus ex toto corde, & tota anima, &c. citra quoduis genus remoræ, aut impedimenti, vt caro non concupiscat aduersus spiritum, nec vlla futura sit penitus concupiscentia carnis, de qua Apost. ad Philip. 3. ait: Non quòd iam acceperim, aut perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Hæc iustitia non ad hanc vitam, vbi cognoscimus ex parte 1. Cor. 13. & ideo ex parte diligimus, quia incognitum nemo diligit vnquam, sed ad futuram pertinet, in qua cognoscemus Deum facie ad faciem, sicuti est. *Hæc fer accepta D. Augustino, ex cuius lucubrationibus ea mutuò sumpsimus.*

DEFENSIO.

Possem hîc, & non iniuriã, cõqueri de mutilata & confusa mei argumẽti recitatione. Sed quia breuitati studeo, & hoc fit vel inscitia, vel malitia mei aduersarij, ideo supersedebo nũc à querela. Hoc tamen lectori cõsulo, vt semper in his obiectis ad assertionẽ meam recurrat. Nõ inficior,

cior, me dixisse, Deum non imputare suis, quæ A contra legem subinde cõmittunt. Quia si eam requireret à sanctis, dum hîc viuũt, ad vnguem obseruari, nulli vspiam essent, qui salutem assequerentur. Quòd si de lege sua, quæ alioqui sanctissima est, Deus patitur, vt aliquid relaxetur & condonetur in vita sanctorum, certè longè minus inquiret in suos fideles, si à lege deflexerint, non Dei, sed quam ipsi per temeraria vota sibi imposuerunt. Argumentum est à maiori ad minus. Longè enim sanctior est Lex diuina, B quàm ea, quam ipsi nobis adinuenimus. Sed iste primùm negat, Deum non imputare sanctis, dum hîc viuunt, quæ alioquin sua natura sunt peccata. Id ego confirmaui, quia Paulus septimo capite ad Romanos, cupiditatis motus licet incogitatos, innatos eius impetus, incitationesque ad peccandum quum appellasset, quemadmodum sunt verè peccata, eisque ostenderet se detineri, quemadmodum & sanctis reliquis vsu venit, vt postea demonstraret, C Christi beneficio nos iuuari, atque inde consolationem acciperemus in nostris malis, ad principium octaui capitis inquit, Nil esse damnationis his, qui sunt in Christo Iesu. Quòd autem hæc verè sint peccata, non tantùm ex eo liquet, quòd Paulus ea ita vocat, sed etiam ratione constat, quoniam Legi diuinæ reluctantur, contra illum insurgunt, & nos impellunt. Et cùm toto corde, & tota anima, & omnibus viribus Deum colere debeamus, & nequaquam D concupiscere, obstant hi motus & hæ incitationes, quo minus id præstemus. Quare à peccatorum numero eximi non debent. Smythæus verò sophisticæ suæ non potest obliuisci, & neminem, inquit, ausurum dicere, Paulũ peccasse mortaliter ex eo, quòd agebat quæ noluisset. Quis vnquam à me audiuit, Paulum ibi peccasse mortaliter? Est ne firmum argumentum: Peccat, igitur mortaliter peccat? Nónne hoc est à genere ad formas vel partes eius descen- E dere affirmando? Quis non videat fœdissimum hic admitti paralogismum? Multæ sanè sunt peccatorum formæ: primùm habemus naturæ corruptionem & insitum vitium ab ipsa procreatione, quod peccatum originale dicimus, idque nisi per Christum condonaretur, in ipsa morte relinqueremur æterna. Deinde ab ista natiua corruptione, quam ex Adamo contraximus, & nobiscum perpetuò circumferimus prauæ semper cupiditates, motus, & incitamenta exhalant ad peccandum, quæ & à peccato nascuntur, & ad peccandum impellunt, & peccata sunt, quum Legi diuinæ (vt dixi, aduersentur. Sed credentibus in Christum non imputantur: quia, vt ait Paulus, nihil est damnationis his, qui sunt in Christo Iesu. Tertio loco mens aut volũtas cedit his prauis motibus & peccata, quæ suadentur ab illis, approbat, quod est peccatũ regnare in corpore mortali: atque hoc genus, peccata vulgo appellantur mortalia & actualia. Suntque in hoc genere illa peccata, de quibus Paulus etiam dicit, quòd qui talia faciunt, non habent partem in regno Dei. Possem etiam inter partes speciesue peccati, ad illa quæ dixi, recensere prauitatem consuetudine vel habitu confirmatam, & præterea in Spiritum sanctum. Vnde quilibet facilè intelligit, quàm infirma sit ista collectio. Qui primis motibus prauis agitantur, peccant: ergo mortaliter peccant. Non aliter est, atque si diceres, Smythæus est animal, ergo Smythæus est asinus. Fateatur itaque, nisi velit esse asinus, argumentum, quod in me torsit, nullius esse momenti. Quodque magis mireris, adeò videtur ignarus, vt peccatum agnoscere nolit, nisi quod voluntate aut electione committitur: quod, vt ostendimus, ad tertiam formam seu speciem peccati pertinet, nempe quando mens assentitur, & peccatum regnat in nostro mortali corpore. Audebit negare vitium originis peccatum esse? Non arbitror, quia licet reuera sit Pelagianus, tamen videri nolit Pelagij sectator. Ideoque fortasse hoc noluit cauere, cùm dixit, quod est peccatum actuale seu personale, oportere vt à volũtate proficiscatur. Verùm hoc quid aliud est, quàm portenta vocum fingere? Dumque peccata quædam introducit personalia, videtur innuere, alia inueniri, quæ non sint in aliqua certa persona: quod haud est mirum. Qui enim accidentia fecerunt in Eucharistia sine subiecto, fortasse ijdem aliqua peccata constituunt extra personas. Peccatum est in homine, quicquid Legi Dei aduersatur, siue prodeat à voluntate, siue ab alijs eius viribus: qui quum totus ad id sit conditus, vt Deum referat, eiúsque sit imago, quaquauersum ab eius voluntate, quæ summa lex est, discesserit, peccat. Et quum peccatum varias habeat naturas & partes, veluti demonstrauimus, non licet, vt ausus est Smythæus, ex qualibet earum quamcunque aliam inferre. Deus illi videtur crudelis & iniustè agere, si in peccata vertat hominibus, quæ non possunt effugere, & quæ vel int, nolint, illis accidunt. Querelam eius si iusta esset, Deum oporteret videre, quomodo se defenderet, cùm peccatum originis, in quod nolentes incurrunt, grauiter puniat. Certè arrogans est & superbus, qui hęc loqui audet, quasi alter Iobus cum Deo disputaturus. Deus, inquit, erit crudelis, si nobis ista vitio vertat. At nónne dixi, quòd ei qui crediderit in Christum, talia non imputat in peccatum, non quasi natura F sua peccata non sint, sed quòd in Christo nobis condonentur. Duo proinde inducis, quorum vtrunque falsum est. Primum, Deum esse crudelem, si hæc in crimen verterit, aut peccatum. Nam vti iustè peccatũ originis in paruulis, qui nequeunt illud enitare, damnatur, ita iustè coram Deo hæc habentur, vt peccata, cũ eius legi repugnent, & damnationẽ inducerent, nisi per Christũ non imputarẽtur. Et quia Paulus ad finem cap. illius dicit: *Ego quidem mente seruio Legi Dei, carne aũt Legi peccati*, existimat iste acutus interpres, Paulũ se à peccato eximere, quasi ea reluctatio mentis peccatum auferat, cùm tamen ad finẽ capitis duntaxat Christo acceptum re-

ferat Apostolus condemnationis ablationem: neque propterea dicit in se peccatum non esse, verùm declarat vi fidei, qua mens est communita, fieri, vt peccatum compescatur, ne serpat latius, néue tam graue reddatur, vt partem nõ habeamus in regno Dei. Non dixit ad Romanos, peccatum non sit in vestro mortali corpore, sed, non regnet. Proinde peccatum non eò funditùs tollitur, quòd illi resistitur spiritu, sed frangitur & debilitatur, assequiturque spiritu & gratia, vt nihil sit nobis damnationis. Quam sententiam rursum Paulus cautè profert, neq; ait in nobis nihil esse peccati, sed damnationis, quæ peccatum sequitur, nisi per Christum condonetur, siue, vt dixi, non imputetur. Hæc vt pia sunt, & menti Paulinæ cõformia, ita εἰς ἕλιξ ἐλιξ ἀπὸ à doctrina Pelagiana distant, ideoque nostro Smythæo placere non possunt. Qui etiam non est audiendus cum Aristotelico more, primos illos motus prauos attribuit inferiori parti animæ, quasi non habeamus in mente seu in ratione primos motus infidelitatis, superbiæ, inanis gloriæ, & alia id genus vitia, quæ ad partem animi rationalem, non ad inferiorem spectant. Sed in Sophistico capite nunquam hærere potuit, per carnem, in sacris literis totum hominem quantus quantus est intelligi, eo versum, quo adhuc non est regeneratus, neq; per Christum immutatus. De Euerardo Billichio non est quòd ego tibi respondeam, quia D. Bucerus, antequam nobis magnum sui desiderium relinqueret, satis in suo libro de Actis Ratisponensibus testatum fecit, quàm ille à scopo diuini vltimi præcepti aberrârit. Sed quid ego virum tam præclarum tibi proposui, cui tantumodò scripta illorum, qui tuæ farinæ fuerint, præ cæteris placent, quantumuis doctissimis atq; eruditissimis. Quod non est mirum: nam & asini pluris faciunt paleas, quàm cinnamomum, si eis vtrunque appositum fuerit. Neq; interim is videre potest, quàm nil pro se faciat Cypriani dictum, quo ait, carnem esse spiritus officinam. Quoniam si caro ad hoc est deputata, quemadmodum totus homo, vt sit spiritus officina, ideo vitiosum est, & peccatum quicquid in eo fit, & mouetur contra fabri sui artẽ. Sed operæ pretium est, præter hæc audire, quâm fideliter nobis interpretetur præceptum, *Non concupisces*. Intelligendum, inquit, istud de cupiditatibus voluntatis, non de carnis primo affectu & insultu. Hęc sanè istius interpretatio tam est Dei præcepto accõmodata, vt ipsum euertat, prorsusq; inane ac superuacaneum reddat. Nam de eo libenter velim intelligere, cùm quis iam concupiscit voluntate vxorem proximi, quódnam præceptum violat? Certè si Christum interpretem audiamus, ille docebit, id ad mandatum, quo prohibetur adulterium, attinere. Nam, inquit, dictum est, *Non mœchaberis: ego autem dico vobis, qui viderit alterius mulierem ad concupiscendam illam, iam mœchatus est in corde suo.* Quare si allatam à Smythæo sequamur expositionem, præceptum, *Non mœchaberis*, & *Non concupisces*, idem erunt mandatum. Item, si quis cupiat opes proximi animo, vt dicũt, firmo & deliberato, is peccat contra mandatum, *Non furaberis*. Quorsum ergo præcipitur, *Non concupisces rem proximi tui*. Si quis item cupiat destinato animo vltionem sumere de proximo, quod est irasci ei: nam ira definitur vltionis cupiditas, is peccat in mandatum, Non occides, vt Christus exposuit. Quare cùm ista omnia ad electionem voluntatis aut ad opus referuntur, singularia Dei habẽt in lege mandata. Vnde nisi velimus præceptum, *Non concupisces*, esse superuacaneũ, illud accipiemus latum contra omnes prauos hominis motus, quos Deus in nobis odit sua ipsorum natura, sed per Christum credentibus condonat. Quemadmodum per mandatum illud summum legis, *Diligas dominum Deum tuũ ex toto corde, &c.* omnes motus requirit in nobis & sanctos, & legi ac voluntati suæ conformes. Istis duobus mandatis tenẽtur homines à Deo medij, sic vt nemo illorum, quãtumuis sanctus negare possit, quin subinde peccet, cùm neque omnes bonos motus præstet requisitos, neque careat ferè vnquam prauis atque corruptis. Ex his autem iam habetur, quomodo isti primi ad peccandum impetus peccata sint, siue peccatũ propriè, siue vt iste dicit, presè consideraueris, & quomodo sit intelligendum, quod Paulus ait, *Nihil esse dãnationis his, qui sunt in Christo Iesu.* Quòd licet ista sua natura sint peccata, tamen credentibus non imputantur, quia non tã grauia sunt, vt fidem qua iustificamur, aut prorsus excludant, aut ita debilitent, quin ea, dum adhuc habenas retinet, neque sinit istos motus à pijs hominibus approbari, & per Christum habet, vt quasi peccata non imputentur, nosque hoc pacto condemnationem euadamus. Friuolum verò admodum est, quod iste affert, Paulũ non scribere, vt nos dicimus, Deum videlicet credentibus non imputare damnationem, sed his qui sunt in Christo Iesu, nullam esse condemnationem, quod ipse intelligit, quoniam ab illis abest culpa, condemnationemque accipit, quasi sit idem quod peccatum. Sed hæc grauis est hallucinatio. Nam condemnatio sequitur peccatum, non autem est ipsum peccatum. Peccatũ à nobis proficiscitur: condemnatio à Deo iustissimo iudice, quam ille pro sua misericordia suspendit in his, qui per fidẽ sunt membra Christi, quos Paulus ab initio capitis octaui consolatur. Cùm enim antea ostendisset miserias & calamitates, quibus vel nolentes adhuc subiacent, dum sunt in corpore mortis, vt bono sint denique animo iubet, quod licet hęc habeant peccata, & quidem verè peccata, vt Paulus ea disertè appellauit, damnationem tamen illis non sint allatura. Quod Christi beneficium quotquot ignorant, nõ paruam partem nostræ redemptionis obscurant & abrogant. Vnde non est hæc quæstio, vt multi nos ridẽt, de lana caprina, sed quæ benè explicata nobis mortis Christi beneficium maximè commendat. Et licet Paulus hîc peccati non imputandi haud meminerit, tamen disertis verbis in 4. capite mentionem toties eius fecit, vt eo nemo

Præceptũ Non concupisces.

Præceptũ diligendi Deum ex toto corde.

Condemnatio non est peccatum.

iam

iam, qui verè sit Christianus posit ambigere. Quærit postea, quid sit peccatum in nobis non dominari, si primi motus verè sint peccata. Et hac inepta quæstione ostendit, se non posse intelligere, peccatum inesse homini, & ei non dominari, cùm ex illis verbis Apostoli colligatur nobis inesse peccatum. Quorsum enim prohiberet, vt non dominaretur, si nobis non inesset Si enim abesset à nobis, nihil esset periculi ne dominaretur, Sed quum insit, magnâ semper nobis imminet lucta contra ipsum, ne cedamus, & sinamus ipsum dominari: quod fit illud approbando, & eius placita consectando. Non est dominatus externus, de quo nunc agimus, sed totus ad animum, vireśque illius, & mẽbra corporis pertinet. Vnde licet quispiam tyrannus, aut rex dominari eis posset, in quibus non hæret, peccatum tamen nisi nobis insit, dominari nobis non potest. Fingit deinde noster, se dare hos malos motus, & prauas incitationes esse peccata, & à Deo non imputari credentibus. At inde sequi negat, Deum pariter votorum non imputaturum violationem, quòd hæc non sit inuoluntaria, quemadmodum illi motus absque rationis arbitrio in nobis excitantur. Sed hoc obijciendo rursus in idem impingit, quasi nos dixerimus, illos primos motus, vel impetus prauos eo nomine non imputari, quòd minimè sint voluntarij. Hoc certè non posuimus. Nam etiam non voluntaria imputantur, vt de originis peccato satis liquet, sed causa non imputationis Christus est, iam à credentibus per fidem apprehensus. Itaque paralogismum hîc admittit, dum accipit non causam pro causa. Redit ergo meum argumentum, & manet vt ab initio. Quòd si remittit de sua lege ob infirmitatem credentium, & multa eis non imputat, quæ alioquin peccata essent, cur non patietur æquo animo legem illam votorum infringi, quã nobis ipsi temerè præfiximus? Ambigit quorsum à me fuerit citatus locus è Psalmo, *Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. Quumque per omnia sit hypocrita, ita se hic quoque fingit dubitare, quum re vera non ignoret, quo spectem. Quod quia probè intellexit, ideo primo loco verba Dauidis à meo scopo voluit deflectere. *Sint*, inquit, *ea vera: sed accedat commoda interpretatio*, quæ nam illa est? *Homo*, inquit, *cum Deo collatus iustificari non potest. Quoniam in conspectu Dei vel ipsæ stellæ sunt immundæ*. Sæpe ei placet ad Pelagianos diuertere tanquam ad hospitia bene sibi nota & vsitata. Hominem quippe sentit ita iustificari posse, quòd omnia quæ sunt in lege ad vnguem seruet vt si Deus ex lege cum illo disceptet, valeat subsistere. At si cum innocẽtia ipsius Dei conferatur, tum fatetur eum non posse iustificari, quòd à munditie Dei plurimũ distet. Sed nobis dicat, quando requisiuit vspiam Deus ab homine, vt sibi par esset, aut æqualis? Ita vt tanta eius esset puritas, iustitia, & innocentia, quanta est Dei? Certè hoc nusquam poterit ostendere à Deo fuisse præscriptum. Quare non erat, quod precaretur tantopere Dauid, ne tale iudicium subiret. Ex lege nobiscum agetur in iudicio Dei cum in ea declarauerit, quid ab homine præstari vellet. Dauid autẽ qui probè intellexerit, neminem quantumuis iustum & sanctum in humano conspectu inueniri, qui præceptorum diuinæ Legis non sit reus quum ad iudicium Dei causa fuerit delata, ideo tam attẽtè precatur, ne seueriter agatur secum, fateturq; in ea contentione, neminem esse, qui posit iustificari. Explosa itaque vt absurda priori expositione, alteram quam adfert, & est Augustini, libenter admitto, qua iste maximè conficitur, quum a iudicet se posse releuari. Nemo, inquit, reperitur absq; omni genere peccati. Saltẽ leues & quotidianas culpas in vnoquoque deprehendes. Ista sunt verissima. Sed respõdeat Smytheus: Quilibet fidelium singulo quoque die sinitne sibi peccatum dominari? consentitne perpetuò, & approbat malos motus? Non arbitror hoc eum velle dicere, quum humanas vires pluris faciat, quam conueniat orthodoxo. Quòd si Dauid respexit veniales, vt iste loquitur, & quotidianas culpas, sine quibus humana vita nõ transigitur, verba eius pro me faciẽt, quòd quum ab his occultis, nemo sibi omnino caueat, nemoque illa vndique, omnique ex parte valeat cognoscere, meritò psalles diuinum examẽ deprecatur. Adhæc imprudẽs istè apertè discedit in meam sententiam, quando affirmat neminem esse, qui dum viuit, assequatur perfectam absolutamque iustitiam, ita vt caro non concupiscat aduersus spiritum, & omninò præstet id, quod mandato diligẽdi Deum toto corde, &c. præcipitur. Et addit, *hæc illa est iustitia, quam Paulus persequebatur, quum ad Philippenses dicit, non quòd perfectus sim, sequor autem, si quo modo apprehendam: sed inquit nõ esse hanc iustitiam præsentis vitæ, sed alterius, vbi videbimus Deum facie ad faciem* Hîc me non possũ continere, quin ad cœlum manus tollam, & quodammodo exclamem. Iam tãdem Smytheus bene loquitur, rectè scribit, & cum diuinis literis, atque Augustino consentit. Si enim vt fatetur, nunc contra perfectã, & absolutam iustitiam est, quòd caro concupiscit aduersus spiritum, cur non concedit istam cupiditatem natura sua esse peccatũ, quandoquidem iustitiæ, & quidem perfectæ aduersatur? Si scribit non impleri à nobis dũ hîc viuimus, præceptum vt diligamus Deum toto corde, &c. cur non confitetur nos in eo peccare, cum peccatum sit à præcepto Dei recedere? Sed ista non sunt, inquis præsentis vitæ. Quid ad me? Non reclamo: lex tamen exigit à me hãc iustitiam, hanc illo præcepto postulat, & qui ab eo deficit, aut aberrat, peccat. Nam peccatum apud Græcos dicitur ἁμαρτία, ἀπὸ τοῦ ἁμαρτάνειν, quod est aberrare à scopo. Quemadmodum. nqui nõ attingit scopum, in aliquã partẽ aberrat, ita qui nõ perficit & absoluit præcepta Dei, aberrat & peccat. Non esse aũt huius vitæ hanc iustitiam, concedo sed quando ab illa deficimus, non peccare nos, vel illam à lege Dei non requiri pernego. Quæ omnia cũ melius, quàm cæteri homines Dauid perspiceret, clamabat,

Non intres in iudicium, &c. Quòd si non est huius vitæ tanta iustitia, si quæras, cur eam Deus præceperit, Augustinus docet, imò Paulus ipse: Præcepta hæc ideo esse posita, vt peccatum intelligeremus in nobis longè maius grauiusque esse quàm humana ratio queat intelligere. Atque hinc discamus quanto beneficio Christus nos affecerit: Deinde vt sciamus quæ & quàta iustitia votis & precib. roganda sit: vtque dum opera bona facimus, videamus quòd sit colli-

Cur Deus legem præcepit, si non potest in hac vita seruari.

mandũ. In lege enim declaratur nobis, quod genus operum Deo probetur, & de voluntate illius reddimur certiores. Non itaque frustra data sunt præcepta, licet in hac vita perfectè absolutèque non obseruentur. Hanc ego coronidem huic defensioni adiungere volui, quod multos videam ad hunc scopulum impingere.

OBIECTVM

FRiuolum est illud huius Petri Martyris, nec dignum refutatione, quod ait, non esse integrum viris, aut fœminis, ante quintumdecimum, vel decimumoctauum ætatis annum nuptias inire, quòd non antè expertum habere queant, quid valeant humeri, quid ferre recusent: Quare ergo nõ liceret, vel profectioris ętatis viris, & fœminis vota continentiæ soluere qui ea ediderunt, priusquã probè habuerunt experientiam virium suarum? *Cuiuis in procinctu est mediocriter docto, quod respondeatur. Nempe nec hic permitti, vt quis voueat, antequam dicat se explorasse vires suas, ac positeatur nihil dubitare, se posse quod vouerit, Deo bona fide præstare. Id quod cùm fecerit, voto vltro sese alligat, & efficit ne liceat, quod antea licuit. Vt non habeat quod conqueratur, nec in quem possit præterquam in ipsum, cudi hæc, vt dicitur faba, si resilierit ab incepto, nec fidem liberauerit vnquam.*

DEFENSIO.

QVia meam rationem inuertit, eáq; perturbatè recitat, illam primum reponam. Vius ium aduersariorum testimonio: à quibus decernitur, vt vota nuncupata ante decimum quintum, aut decimum octauum annum irrita sint: quod neque ad eam ætatem homines adhuc rerum sint admodum imperiti. Hoc ab eis quum ita constituatur, & causa decreti sit imperitia, quare non debeant & illorum vota esse irrita, qui perinde humanas vires ignorant, & naturam votorum non intelligunt, & adhuc veri cultus Dei omnino ignari sunt, atque puerorum tredecim, aut quatuordecim annorum. Si potest imperitia, iuxta illorum decretũ quæ per ætatem accidit, vota irritare, cur non & illa ignoratio quæ ex ruditate diuinarũ rerum inueterauit? Sic ego meum argumẽtum induxi. Audiamus nunc quid contra illud disseratur. Dicit iste in sua secta papistica hunc esse morẽ, vt non prius voueant quam dixerint se vires suas explorasse. Hoc vt luculentum sit mẽdaciũ, duo probare possunt. Primùm nusquam ab episcopis de hoc interrogari subdiaconos, qui sũt propemodum adolescentes, cùm ordinantur: quibus tamen ex voto ibi edito nuptias interdicunt. Tuam ipsius appelles conscientiam, & quæras an abs te quispiam requisiuerit, quum vel subdiaconus, vel diaconus, vel presbyter fieres, vt vires tuas explorares? Alterum quo falsitas assumpti demõstratur, est, quod tametsi ab hominibus pietatis ignaris quique sacras literas nũquã tractarũt, & per ętatẽ sese vix norũt, dicatur, quòd se explorauerint, id satis erit? Quid illi nosse poterũt, etiã si virginitatis seruã dę facultatẽ ad aliquod spatiũ temporis se fortasse viderint habere, aut habuisse, nũ illud donũ ipsis perpetuò sit concedẽdũ? Quare quum neque interrogentur, neque seipsos exploratos habere possint, partim quòd pietatis veræ sint ignari, partim quòd à nemine citra reuelationem singularẽ sciri possit, an perpetuò donum cœlibatus à Deo sit habiturus, apparet non esse verũ, quod in responsione posita est allatũ. Notabit prętera lector, quãta arrogãtia dicatur is qui vouet, profiteri se bona fide prętare posse Deo, quod vouit. Certè hoc quod iste dicit, nusquã illi profitẽtur, ne illi quidẽ qui sunt in monasterijs. Deinde cum ista non sint ad salutem necessária, & Deus modò ea cõcedat, modò nõ largiatur, quid homo profiteri potest, se facturum, quod nõ in sua, sed & in Dei manu positũ scire debuit? In mea prętera ratione leges Papisticas reprehendi, quæ decimumquintum, aut decimumoctauum annũ præscripserint, ac ea ætate virgines dedicẽt Deo, & in Ecclesiam admittunt eius opibus alendas, quũ Paulus viduam noluerit minorẽ natu quàm sexagenariã admitti. Ad hæc iste nil affert, sed magis quàm piscis est mutus: vt qui negare non possit suas regulas, quas vocat Apostolicas, esse potius à sacris literis apostaticas.

ASSERTIO.

QVanquam tertia quęstio ex iam dictis facilè dissolui possit, vt ex quibus apertè consequatur, votũ cœlibatus non esse per Ecclesiasticos prefectos exigendũ, neque ab his qui sacris ordinibus initiantur, neque à cæteris quibuscunque. (Nam si non est Christianorum vouere, vt primo loco statuimus: etsi licet huiusmodi vota lã edita irritare, quòd altera quęstionis parte probatum est, constat perspicuè, quod tertium erat, vota huius generis non esse à quoquã extorquẽda.) Nihilominus ad rei planiorem euidentiã, non grauabor ad hoc idem cõfirmandũ, & alia complura argumẽta proferre, quę tamẽ attingam breuissimè, quum ad eorum pondus perspiciendum non magnum lectoris iudicium requiratur,

quiratur,quod satis per se dilucida sint & perspicua.Primùm reducere in memoriã oportet,Paulum,qui summa cũ pietate,atque adeò vera doctrina ecclesias plantabat,ad Corinthios dixisse,nolle se cuipiã laqueum injcere.Sic enim cœlibatũ laudauit,vt illũ à nullo hominum extorqueret.Nã si id fecisset,iudicabat laqueũ hominib.injci.Quod,vt Apostolica pietate prẽditus erat,indignũ factu existimauit.Dicãt itaque nostrorũ temporũ episcopi,nũ alio consilio velint Ecclesias regere,quàm ab ipso Apostolo plantatę fuerint? Dũque vota exigũt hodie in Ecclesia,quãdo ministros ordinãt,sæpé illos adigunt ad id pollicendũ:quod esse posset contra Dei mandatũ.Nã cùm nõ continentibus, & his qui adurũtur,prẽceptũ sit matrimoniũ,ab istis videntur exigere,vt polliceãtur, se Dei prẽcepto nõ obtẽperaturos:& vota quæ postulãt,aut exigũt,non possunt appellari nisi temeraria.Sic Iephthe malè vouit.Potuit enim fieri,vt quod sibi redeunti à victoria primùm occurreret,animal esset diuino sacrificio nõ idoneum,sicut illi vsu venisse historia sacra refert:quandoquidẽ primã omnium filiam obuiam habuit.Quam si Deo sacrificauit, vt stultè promisso stetit,sic temerè ac malè vouit.Extorquẽdo prẽterea vorum cœlibatus à iunioribus,disceditur ab instituto Pauli qui viduas nõ minoris natu,quàm sexagenarias recipi voluit.Isti verò à monialib. adhuc puellis,& ab adolescẽtibus tã monachis, quàm clericis tale votũ exigunt.Proinde quũ tãtus Apostolus iuuenes ob ętatẽ lubricã ad matrimoniũ ableget,quãdo ait,*Iuniores viduas volo nubere*,quomodo dicũt isti,subdiaconos,aut diaconos quãtumuis iuuenes,à matrimonio volumus abstinere,& vouere? Deberẽt porrò episcopi Paulos in Ecclesia agere,atque cum donum cœlibatus nemini possint elargiri, votũ eius à nemine quoquã deberẽt exigere.Patrẽ nõ vult Paulus,filiã suã innuptam seruare,nisi eius potestatẽ habeat volũtatis:et ostẽdit posse necessitatẽ vrgere,vt illã nuptui elocet,quę intelligẽda,est si eã deprehenderit nupturire,itáque in ipsa vel aduſtionis, vel incontinentię animaduerterit indicia.Nec video qua cõscientia,quaúe fronte audeãt nuptias rẽ adeò laudatam in sacris literis prohibere generi vniuersõ ministrorũ Ecclesię, ordini tam amplo atque tam latè diffuso,in quo veluti satis damni nõ fuerit, illatũ,et monachos,et monachas adiecerũt.Epistola verò ad Hebręos thorũ cõiugij appellat τίμιον ἐν πᾶσι. Neque satis illorũ prudentiã queo mirari,qui cũ nuptias interdicant ministris Ecclesię, illos aiũt oportere carnẽ mortificare:perinde veluti prẽceptũ mortificationis ad cõiugatos nõ pertineat.Porrò qui facta carnis spiritu nõ mortificant, ęternam vitã nũquam poterũt viuere.Vnde actũ erit citra cõtrouersiam de parentũ,auorũ,iuxtaqúe maiorũ nostrorũ salute,à quib.per matrimonia legitima sumus procreati.Isto Pauli testimonio Syricius papa est abusus,qui primus,vt videtur,decretũ apertè instituit de perpetuo cœlibatu sacerdotũ quòd spiritu facta carnis mortificare debeant.Hanc ille sentẽtiã pro argumẽto adduxit sui decreti:cũ tamen Paul.id omnib.fidelib.prẽcipiat,si ad ęternã vitã pertingere velint.Alioqui moriẽtur qui secũdũ carnẽ vixerint. Cauillãtur aduersarij, matrimonia,vt Paul.etiam testatur,multa secũ trahere impedimẽta,quib.neque fideliter,neque sedulò ministratur Ecclesijs.Respõdetur,haud negãdũ esse,vt Paul.inquit,molestias aliquas & occupationes habere matrimonia:sed illa vicissim cõsiderare oportet,multis alijs cõpẽsari cõmodis Tollũtur à clero scortationes magna ex parte:& si quę contigerint,iustiori poterũt ratione puniri,cũ hodie rideãtur,vel ab his qui vidẽtur honestiores,tolerẽtur prætextu humanę infirmitatis.Adhęc sępè fama periclitatur pudicitię ministrorũ, quos in historijs sępè legimus fuisse coactos vti Canonica purgatione,aut depositos à suo ministerio,cũ se purgare non possent.At honestate matrimonij facile tollũtur huiusmodi prauę suspiciones.Prętereà cum magna diligentia educatur Ecclesiastici pastoris familia, filijqúe & vxor eius piè sanctęq; cõtinẽtur in officio,discũt aliqua ex parte ministri,quomodo Ecclesiã quoque debeant administrare.Atque hanc rationẽ Paulus nõ omisit,quãdo dicit,nõ esse idoneũ ad Ecclesiã bene regẽdam,qui suę familię nõ fuerit prudẽs gubernator.Cũque tandẽ oporteat Episcopũ hospitalẽ esse,nõ incommodè potest per vxorem ac liberos obire officia: quę omnia si semper velit per famulos agere, sępè minus rectè curabuntur:& grege magno famulorum,atque amplo matrimonio erit opus,quę vt seruum Christi positum in ministerio deceant,aliorum esto iudicium. Mitto, quòd si contigerit pia & prudens vxor,non modò illi erit adiutorium ad familiam regendam, sed ẽt sæpè iuuabit consilijs non pœnitendis ad res Ecclesiasticas gerendas. Quod qui mihi non credit,Gregorium Nazianzenum legat, qui matrem suam narrat in Ecclesiasticis curis patrem suum Episcopum sæpè iuuisse.Neque debet quisquam suspicari,ex his,me statuere omnes Episcopos & pastores debere esse coniugatos. Non equidem sic doceo. Quisque vtatur dono sibi à Deo concesso cum gratiarum actione.Tantum recensere volui,quibus commodis Deus recompenset fidelium pastorum Ecclesiæ coniugia:quæ alioqui sua natura nonnihil incommodi ac molestiæ secum afferunt. Qui locus vt euadat

clarior,atque adeò certior cõferamus, quęso pastores cõiugatos cũ his, qui hodie iactitãt suũ cœlibatũ. Istos videbis otiosos,multis sacerdotijs oneratos,deditos voluptatib.luxu & fastu sumptuosissimos,tacitos & mutos,atque nõ raro sacrarũ literarũ imperitos. Non concionantur,suũ gregẽ nõ pascunt,in quẽque annũ ter quatérue fortasis magno cũ honore,gloria & ornatu Missam faciũt,quotidie autẽ horas nescio quas Canonicas musitant,& hìc omni pietate sibi videtur pulchrè defuncti. Vita verò sunt impurissimi scortatores,adulteri,ebriosi,atque per omnia fermè contaminati. Ita se habere maiorẽ partẽ Romani cleri,& sectatorũ eius,omnes fermè intelligũt. Quòd si qui sint paulò honestiores, quoad ciuilẽ externãqúe cõuersationẽ,licet pauci sint,tamẽ illos ipsos haud videas carere vitio sacerdotiorũ accumulatorũ,& otij. Nõ enim assiduè,vti deberẽt,populũ sibi creditũ pascunt,& docent: sed,vti iactitare ipsos nõ pudet,& sibi & Musis,nõ autẽ Ecclesię viuũt. E diuerso autẽ permultos possumus ostẽdere pastores astrictos cõiugio,qui nõ solùm castè sanctęqúe ac purè viuũt, sed etiã omnibus bonis artib. instructi sunt,perpetuò docent in schola,aut prędicãt in Ecclesia,& sæpè vtrũque faciũt: habẽt familiã piè ac sanctè institutã,frugaliter viuũt,benefici sunt in quoscũque possunt,afflictos consolãtur,ægrotos visitãt & in summa, quæ Christi sunt,& ouiũ sibi cõmissarũ,ea diligentia summa quęrunt,atque adeò pręstant. Neque hæc à me dicũtur in iniuriã cœlibatus atque virginitatis: verùm in eũ finẽ solũ cõmemorantur, vt vel ipsa experientia doceã,nõ esse tanta impedimẽta matrimonij,vt quũ Ecclesię ministerio feliciter obeundo nõ possit cõiungi. Sed vereor,ne qui Paulo nõ credunt,istis quoque experimẽtis non multũ tribuant. Cæterùm quicquid senserint,nõ refert: quando nulla ex parte demonstrari potest, quod prętexunt, videlicet nuptias ordini sacro aduersari. Istis addamus,Paulũ ad Timotheũ notasse vt doctrinã dęmoniorum,prohibitionẽ nuptiarum. Neque sunt audiendi papistę,quũ aiunt,se minimè iudicare nuptias impuras,vt Manichæi,& quidã alij hæretici fecerũt: deinde se illas nõ prohibere,nisi tantùm illis,qui sunt Ecclesię ministraturi. Animaduertant obsecro,Paulum,quum dicit,nuptiarum prohibitionẽ doctrinã esse dæmoniorum,nullã excepisse causam,nullum statum,& nullũ gradum hominum remouisse. Ideoqúe omni humano generi,si mundæ sunt & puræ,concedi debent. Paulus ter tantum vidit,ne plus dixerim, quàm isti cognoscant. Et si vidisset alicui generi hominũ iustè nuptias posse prohiberi,id nobis proculdubio indicasset: at id neque in isto loco ad Timotheũ,neque quum matrimoniũ prœcepit incontinentibus,& liberum alijs fecit,ad Corinthios,vnquã monstrauit. Quis igitur volet persuadere,illum quosdã exceptos voluisse? Manichæi quoque licet malè sentirent de nuptijs,non tamen illas omnib. prohibebant,sed tantũ suis electis, qui erant in Ecclesijs eorũ ceu ministri: illis verò quos auditores appellabãt cõcesserunt. Neque debet ecclesia,quãdo functionẽ ecclesiasticã pastoribus,presbyteris,aut episcopis dat,ab illis horrere conditionib. quas inter cæteras diuina scriptura non excludit,sed inter alias quæ probantur,enumerat. Quis autem ignorat & ad Timotheũ,& ad Titum,episcopũ describi vnius vxoris virũ,qui domui suę bene præsit,& filios habeat subiectos cum omni castitate? Sępius etiam vsu venit,vt ad Ecclesiam regendam,quæ iam ferè vbique latissimè patet,sit necessariũ iuuenes initiari sacris. Quomodo illis ætate lubrica cœlibatus præcipietur,cùm Apostolus iuuenes viduas testetur se velle nubere,ac filios procreare? Et nemo est,quantũ arbitror,qui neget Ecclesiam magno numero ministrorũ hodie opus habere. Cumqúe pauci sint qui cœlibatũ reuera possint amplecti,satis constare arbitror,malè factũ,vt votũ de illo præstando,tanta obstinatione,atque adeò violentia extorqueatur. Nã ex hoc peruerso dogmate,quantã plagã acceperit Ecclesia,illi nõ ignorabũt qui sibi ponent ob oculos quàm plurimos viros,& prœclaris dotibus ornatos,qui admodum essent idonei ad Ecclesiã regendã,nolle eò se transferre,quòd laqueũ huiusmodi, vt sine vxoribus esse cogantur,minimè patiuntur sibi necti. Atque ita Ecclesiæ Christi multis optimis & pijs ministris destituuntur. Vnde post illos primos aureos pastores, quib. licuit esse coniugatis, pessimis quibusque hominibus aditus patefactus est ad sacrum ministeriũ,qui nil pensi habent ea vouere,quæ nunquam in animũ induxerunt, vt bona fide præstẽt. Hoc sanè malũ legi illi de cœlibatu ministrorum acceptũ debet referri. Quam tamen homines impurissimi atque obstinati,eò vsque tueri ac defendere audent, vt dicãt satius esse clerico aut monacho,postquã vouerit,scortari aut adulteriũ cõmittere, quàm cõtrahere matrimoniũ. O vocẽ horrendam,ab omni pietate alienã, & inter blasphemias nõ vulgarẽ. Vitia,imò scelera & flagitia præferre audẽt mandato Dei. Receptũ morẽ, et vetustatem nobis obijciunt: quũ tamen Ecclesiæ primitiuę temporibus innumeri demonstrari possint Ecclesiarum pastores & Episcopi fuisse mariti. Quid quòd & Græca Ecclesia imò penè tota orientalis,adhuc ad istas cœlibatus leges non est adacta. Mitto de Germanica & Anglica quàm serò admodũ in istũ morẽ concesserint: idqúe potius per vim quàm

vltroneo &

vltroneo & volenti animo. Qua in re vt pōtifices Romani tyran[illegible] intolerabili vſi fuerint, ex eo apparet, quòd eſſe voluerūt domino ſuo (cuius tamē vic[illegible]ios impudēter ſe prędicāt) auſteriores. Is iugū leue nobis reliquit, & ſuaue: nō tantū eo nomine, quòd gratiā & ſpiritū ſanctū credentibus afflat, quo & ſpōtanei reddimur, & vltronei ad ea faciēda quæ præcipiuntur, ſed etiā ea cauſa quòd iugo grauiſsimo infinitorū præceptorū legis quib. tenebātur veteres, nos exemit. Ideò nō decuit, vt prælati Eccleſiā illius tā graui & impor tabili iugo votorū onerarent: præſertim quū hoc Chriſtus ab apoſtolis non requiſiuerit. Nam qui diuortiū mirificè diſſuaſit, quomodo à ſuis apoſtolis eos vocando requiſiuiſſet diuortiū? Iuſsi quidē ſunt vt ſe prædicantē ſectarentur, quod facientes ad tempus vxo ribus caruerunt. At illis nuſquā legitur interdictū ne vxoribus cōmiſcerentur. Quin potius eas circumduxerunt ſecū, vt epiſtola prior ad Corinthios teſtatur. Et Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria cōmemorat Petrū Romæ ſuam habuiſſe, quā quū ad martyriū duceretur, adhortatus eſt, vt eſſet memor Domini. Neque Paulus inter conditiones epiſcopi & diaconi recenſuiſſet, vt eſſent vnius vxoris viri, ac filios haberēt ſanctè inſtitutos, niſi iudicaſſet fore, vt Eccleſijs plerunque coniugati præeſſent: quandoquidē leges de his ferūtur quæ plerunque accidunt, nō autē de his quæ rarò. Quòd ſi cœlibatum putaſſet ex maiori parte ſeruandum à miniſtris Eccleſiæ, non de vxore tam epiſcopi quàm diaconi, tam diſertè ſcripſiſſet, ſed potius de illorū vita cœlibi. Sed ab hac Pauli deſcriptione tantum proceres Eccleſiæ diſſentiunt, vt maritos ordinare in Epiſcopos prorſus nolint, niſi ex vxoris conſenſu, ſi quam fortè habeant, à coniugij vſu prorſus diſceſſerint. Dicemúsne hoc eſſe apoſtolicè agere, an de induſtria regulis apoſtolicis reluctari? Solent iactare ideo ſe nolle homines cōiugatos ad ſacra promouere, partim quòd matrimoniū quātūuis purum, ſacrū miniſteriū impediat, partim verò quòd nuptiæ ſint infirmorum, & ad Eccleſiæ regimen fortes adhiberi oporteat. De primo ſatis antè reſponſum eſt. De altero verò quo ad infirmitatē, nō eſt quòd nobis fucū faciant: quandoquidē videmus antiquos patriarchas, apoſtolos Chriſti, & martyres complures, nec nō bene multos epiſcopos magno fuiſſe animo; & viros fortiſsimos, quū vitā ſæpè ac omnia pro nomine Chriſti, & diuinis legibus conſtantiſsimè poſuerint: quibus nihilominus fuerunt legitimæ atque iuſtæ vxores. Neque hìc, ſi propriè loqui volumus, rectè fit mentio fortitudinis, quum illa verſetur circa grauia diſcrimina iuſta de cauſa ſubeundā: præſertim, vt Plato inquit, de Republica, vt recta ratio & ſententia conſeruetur. Potius de temperantia fuit loquendū, quæ in abſtinentia ab hoc voluptatū genere, propriè locum habet. Sed cùm eadē in matrimonio quoque locum habeat, fruſtrà illius meminiſſent. Verùm his donemus vt de fortitudine pro ſuo arbitrio, licet indoctè, loquantur. Certè adhuc nō poterunt inficiari, permultos fuiſſe athletas Chriſti, qui tamen non caruerunt nuptijs. Sed iſti eos videntur appellare fortes, qui licet alijs grauia onera imponant, ipſi tamen ne digitulo quidem ea volunt commouere, quique ne tantillū quidē ferūt ob regnū cœlorū propagādum, nedū aut vitā aut facultates veritatis Chriſti cauſa velint ponere. Et ſi modò quæras cur ſuam iactent fortitudinem, reſpondebunt, quòd vxores non duxerint, cùm interim adurantur, ſcortentur, & præceptum Domini de matrimonio ſtrenuè contemnant. Neque ſuum cœlibatum eò referunt, quò Chriſtus & Apoſtolus iuſſerunt: nempe, vt regnum Dei promoueant. Siquidem literas ſacras nō diſcunt: nō docent populū verbū Dei, neque illū, vt videtur, vnquā ſunt docturi, cùm citra nomen & titulum ob omni genere miniſterij abhorreant: tantùm aliquando miſſant, atque propter tā grande opus, dicunt neminē ex ſacrificis oportere eſſe cōiugatum, quòd Chriſti corpus in miſſa conficiant. Nuſquā verius quàm hic, licet imprudentes, loquuntur. Nam in ſuā miſſa ſacrifici verè conficiunt corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia: quam perdunt, lacerant, deſtruunt & euertunt, quod eſt eam conficere. Tantaque caligine iam tenentur obfuſcati, vt ſe non putent, aut dicant inſtitutos Eccleſiæ, vt paſcant, vt prædicent, vt doceant: ſed tantùm ad corpus Chriſti conficiendum, & miſſandū. Nam hìc prorā & puppim totius religionis conſtituunt. Poſtremo autem loco clamitant Eccleſiæ parendum eſſe, quæ nō poteſt errare, & à multis hinc annis ademit coniugia miniſtris. At ſibi ſumunt id, quod ſimpliciter nō eſt dādum: nimirum Eccleſiā nunquā errare poſſe. Tunc nō errat, quū quæ decernit, ex verbo Dei ſtatuit. Sed ſi aliter in ſynodis ab ea definiatur, quàm habet ſcriptura Chriſti, oues talia nō audiunt. Neque vnquā accidit, Eccleſiā in vniuerſum errare. Semper enim multi fuerunt pij & docti viri, qui traditionibus reclamarunt quas verbo Dei ſenſerunt aduerſari. Etenim in ſynodo Nicena, quū iā tentarent à matrimonij vſu arcere miniſtros, qui vxores habebāt, reſtitit Paphnutius vir ſāctiſſimus, & alioqui cœlebs. Et quū eā legem demōſtraſſet iniuſtā, omnes denique patres in suā ſententiā pertraxit Videbat planè vir ſanctus ex diſtractione cōiugū à ſe inuicē, ſecuturā eſſe ſcortationē. Sed quod tunc diabolus obtinere nō potuit, poſtea tamē euicit, & nuptię ſūt adēptę, cùm miniſtris, tū etiā monachis, & virginibus Deo dicatis. Atque nulli ordinātur, niſi, vxore, ſi eā habuerint, ſeſe abdicarint: et ordinati q fuerint in cōiugio, ſi ab vxorū vſu, quantūuis legitimo, nō diſceſſerint, à gradu ſui miniſterij deijciūtur. Quare illi

nō ſunt audiēdi, qui cōtendūt Paphnutij ſentētiā nequaquā eſſe cōtrariā decretis de cœlibatu, quę poſtea ſunt inducta, quòd ille vetuerit ſolùm dirimi ea matrimonia, quę iā cōtracta erāt: deinde fuiſſe tantùm ꝓhibitū, ne cōtraherētur ab his qui ad munus eccleſiaſticū eſſent allecti. His quippe reſpōdemus, primùm, diſcrimen hoc tantum nō eſſe, vt Paphnutij ſentētia nō ſtet à noſtris partibus. Nā ex ea docetur Eccleſia matrimonij ſtatū eius generis nō eſſe, vt cū ſacro miniſterio pugnet. Nā ſi hoc probari potuiſſet, veritas fuiſſet prę ferēda ꝑſuaſioni Paphnutij. Deinde ratio, quā adduxit, ne cōſequerētur ſcortationes, tāti eſt momēti, vt perſuadeat his, qui ſūt in eiuſmodi periculo, vt ad matrimoniū cōfugiāt. Nā vt illi ob hoc malū vxores ſuas retinere debuerūt, ita, qui nō habēt, eas ducere poterūt, ne in idem malū incidant. Et deniq; vt diximus, eò ventū eſt, vt ſuū gradū miniſterij retinere nō ſinantur, qui proprijs vxorib. vti voluerint. Sed, vt redeamus, vnde ſumus digreſſi, Eccleſiā dicimus vniuerſā nunquā errare, in qua ſemper ſancti et docti reperiūtur, qui decretis impijs nō cōſentiūt: quāuis interdū, imò frequēter pauci ſint, ac numero impiorū & obruantur, & vincantur. Elię tempore res in Iſrael adeò erāt corruptę, et quoad principes regni, et quoad ſacerdotes, et eos qui prophetarū locos occupauerāt, vt Elias iudicaret ſe vnū relictū eſſe, qui Deū verè coleret, cū tamē vltra ſeptē millia ſupereſſent, vt Deus monuit qui nō curuaſſent genua idōlis Et Antichriſtus nónne à Domino et à Paulo demōſtratus eſt adeò prouehēdus, & potētia, & prodigijs futurus illuſtris, vt electi quoque, ſi fieri poſſit, ſint ſeducendi, & rē eò peruenturā, vt filius hominis vix fidē ſit inuenturus in terra? Et cū iā tēpore Pauli cœperit myſteriū iniquitatis operari, vt habetur ad Theſſalonicenſes, haud mirū eſt, ſi non ſolùm exactio votorū cœlibatus, ſed etiā quàm plurimę alię ſuperſtitiones cœperint abhinc multis annis, imò fere ſub ipſis initijs in eccleſia graſſari. Quę mala niſi falce verbi Dei amoueri, et repurgari nō poſſunt. Quod oro Dominū noſtrū Ieſum Chriſtū, vt beneficio ſpiritus eius q̄ primùm ſuccedat, Amē. Patere iā ſatis exiſtimo, quid in hac diſputatione ſit, quantū iudico ex diuinis ſcripturis, dicēdū. Ex quib. demonſtratū eſt, primū ad Chriſtianos homines nō pertinere vt voueāt. Quod licet in vniuerſū ego intellexerim, et fortaſſe nō omnes ita exiſtimēt, neq; cū illis nimiū pugnare ſtatuerim. Attamē omnino de Votis illis tribus vbique apud Papiſtas celebratis, veriſsima eſſe quę docui affirmo. Alterū, quod ſecūdo loco probauimus, eſt: Eiuſmodi Vota, ſi fuerint imprudēter edita, nō eſſe rata, ſed quēlibet Chriſtianū oportere credere ſe liberū eſſe, vt id expetat, quod magis ad ſuā ſalutē, honorē Dei, ac mandatorum eius obſeruationem conducere animaduerterit, quātūuis impij reclamēt, et votorū leges importunè obtēdāt. Tertio ac poſtremo loco manifeſtū reddidimus, neque ab Epiſcopis, neque à prę fectis Eccleſię talia vota debere vel extorqueri vel admitti, quādo aut ordines ſacri conferuntur, aut quis prę ſe tulerit, ſe velle aut virginē, aut cœlibē viuere. Nūc verò iuxta doctrinę ordinē quē auditorib. propoſui, ſupereſſet vt aduerſariorū diſſoluerē cauillos, & obiecta: ſed quoniā recitādo, quę mihi Smythęus oppoſuit omnia ferè iā ſunt & propoſita, & ſoluta, ideò ſi nūc idē quoq; tentarē, iuſtè poſſē videri actū agere. Quare ſi deſiſto, neque illā partē adijcio, lector nullā iacturā faciet: quē rogatū velim, vt quę hactenus dicta ſunt, boni cōſulat.

OBIECTVM I.

AT laqueus nō debet inijci hominib. ait Paulus, ſed per votū injicitur laqueus. Proinde cōtinētia nō eſt vouēda. *Nuſquā cauet Paulꝰ ne laqueꝰ injiciatur, ſed prima Corinthiorū ſeptimo.* Porrò hoc ad vtilitatē veſtrā dico, nō vt vobis laqueū inijciā, ſed ad id quod honeſtū eſt, & facultatē prębeat ſine impedimēto Dominū obſecrādi. *Sēſus verò Pauli eſt, ipsū nolle injicere laqueū, hoc eſt neceßitatē cōtinētię aut cœlibatus his quos hortatur, atq; inuitat ad cœlibatū & ad ꝑpetuā cōtinentiā. Quid. n. hoc eſſet aliud, q̄ ꝑcipere cœlibatū, & arcere homines à remedio, vt illaqueētur infirmi & ad Venerē propenſi. &c. Et mox: iā quis cogit quenquā virginitatē, aut continētiā ſeruare, niſi is ſponte eā prius vouerit Deo, qui exigit illius redditionē? Hoccine eſt laqueū vt interpretaris indoctè et impiè homini injcere, cauere ne ineat cōnubiū, poſtquā ſe Voto aſtrinxerit, & ex re licita ſibi fecerit illicitā? Nónne laqueū ſibi potius injcit, quisquis Votū reſcindit? Qua de re audi Salomonē in hac verba erumpentē:* Laqueus fortis eſt viro aliquid de ſuis ſanctificare, & poſteaquā vouerit, pœnitere. *& mox Te non putet aſtruere laqueum homini Voto alligato injci, cum arcetur à nuptijs, ac cogitur eſſe cœlebs.*

DEFENSIO.

CVm ratio adducta ſit efficaciſsima, conatur Smythęꝰ varijs modis elabi, ſi poſsit. Verū quò plura tētat, nodū arctiꝰ nectit. Principiò dicit Paulū nuſquā ꝓhibuiſſe cuiquā injici laqueū. Neq; videt, in allato argumēto nō aſſumi à Paulo id prę cipi, ſed ꝓponi ſāctum eius morē, piāq; modeſtiā imitandā paſtorib. & Epiſcopis noſtri tēporis in regēda Eccleſia, dicat, ſi audet, Paulū nō eſſe imitādū. Quòd ſi nefas eſt affirmare, cū ipſe à nullo ſtatu hominū cœlibatus, aut virginitatis Votū requiſiuerit, cur noſtri tāta inſtantia id exigunt, ab his, quos ordinant? & niſi prę ſtetur quēquam nō ordinant? Ad hęc in lege diuina hoc mādatum cōtineri, quis nō intelligat, quandoquidē proximorū ſalutē iuuare debemꝰ, nō impedire? qui verò laqueos injciunt, bene multos auertunt à ſalute cōſequēda. Quare meritò & iure Dei legē violare dicētur. Liquet igitur nō eſſe laqueū inijciēdum, ex diuina lege colligi. Colligi autē? Imò paſsim

in

in Psalmis, & in Prophetis disertis verbis repre A
henduntur impij, quòd simplicibus, & sanctis
hominib. retia & laqueos tendãt. Deinde quod
maximè optabã, vltrò dat, laqueum à Paulo ꝓ
necessitate, atque præcepto sumi: & illum fate-
tur noluisse inijcere laqueum, ne videretur prę
cipere cœlibatum, & arcere homines à remedio
vt illaquientur infirmi. His quæ dedit probè
animaduersis, facilè quãtumuis hebes intelli-
git, vt isti peccent, qui vota huiusmodi extor-
quẽt: quãdoquidẽ illi necessitatẽ imponũt cle- B
ricis, monachis, et sanctimonialib. vt à nuptijs
abstineãt, eosq; à remedio sæpè necessario ar-
ceãt: quod est, vt Smythæus fatetur, laqueũ inij-
cere. Paulus autẽ id facere noluit, & lex nõ pati
tur, vt quisquã ita salutẽ proximi impediat.
Qua itaq; audacia id modò in consuetudinem
abijt? Sed acutus homo sibi videtur inuenisse
rationẽ, qua pręsides Ecclesiarũ tueatur, cum
ait, *Nullos eorum cogere quempiã ad virginitatẽ ser-*
uandã, nisi prius ipse ꝓponte sua vouerit. At ista dicen C
do, nil dicit: quia quod ego conqueror, est, no-
stros Episcopos hodie in papatu nolle admitte
re ad Ecclesię ministerium vllos, qui prius non
vouerint, & se ad id existimẽt cogi, vt cœlibatũ
seruent. Quis adhortabitur aliquẽ impunè vel
absq; culpa vt seipsum suspendat, aut se in ardẽ
tem flãmã conijciat, quasi posteà se valeat excu
sare, quòd nõ ipse illum aut suspenderit, aut in
ignẽ coniecerit, cum is potius hæc per seipsum
quamuis illius hortatu admiserit? Cum impij D
sacerdotes persuasissent filijs, subtracta debita
alimonia parentibus, quę in eis sustẽtandis fuis
set impendenda, templo ea consecrarent: Chri-
stus huiusmodi transgressiones nõ ipsis filijs,
qui tamẽ crimine haud caruerunt, ascripsit: ve-
rùm sacerdotes ipsos qui fuerant huius mali
caput, acerrimè castigauit. Ita equidẽ licet istos
qui vouent accusandos esse arbitrer, attamẽ ci-
tra hæsitationẽ affirmo contra Episcopos Ro-
manos, & alios authores istarum legum, iniu- E
riarum agendum esse, quod laqueum infirmis
iniecerint, ne posteà aditum haberẽt ad matri
monij remedium, cum eo senserint sibi opus es
se. Nam si legitimas inierint nuptias, decreue-
runt cleri, siue Christianę Ecclesię, hi noui Pha
larides, vt ignominia notentur, à suis deijcian-
tur ministerijs, & ad extremum ignibus cremẽ
tur, quo magno cruciatu, vitã finiant. Quis ne-
gare poterit, hoc esse laqueum inijcere infirmis
& libertatẽ Christianã labefactare? Porrò nul F
lus, nisi animum iuxta atque Smytheus, & plũ
beũ, & impudẽtẽ habuerit. Adducit locũ ex vi-
gesimo capite Prouerbiorũ, *Laqueus fortis est viro*
cito aliquid de suis sãctificare, & posteaquã vouerit pœ
nitere. Quẽ locũ apud Latinos vulgata recepta-
q; trãslatio sic habet. *Ruina est homini deuotare san-*
ctos, & post vota retractare. Hebraice verò est.

מוקש אדם ילע קדש ואחר נדרים לבקר.

Munsterus ita reddidit, *Offendiculum est homini*
qui deuorat rem Deo sanctificatã, & post votũ quærit
reddi liber. Septuaginta verò interpretes, παγὶς
ἀνδρὶ παχύνει τὰ ἴδια ἁγιάσαι, μετὰ δὲ εὐχὰς μεταμέλει
γίνεται. Quod est, *Laqueus verò celeriter quippiam*
propriorum sanctificare, quia postquam votum fuerit
editum pœnitere contingit. Possemq; alia de
hac sentẽtia referre, sed quia lectorẽ nõ consti-
tui onerare superfluis, ideo cõcesso verborum
sensu quẽ Smythæus citauit, qui discesisse, vi-
detur in sentẽtiã septuaginta interpretum, nõ
quòd ipse hoc animaduerterit, sed quia exposi-
tio Cyrilli, inquã incidit fortè fortuna, illũ eò
deduxit: is.n. quũ Græcus homo esset, græcã edi-
tionẽ, nõ latinã, neq; hebraicã est secutus, eo ta
mẽ, vt dixi, cõcesso, nihil cõtra me agitur, imò
pro nostra parte locus iste fortiter pugnat. Si e-
nim Salomon docet in uouẽdo, quãdo tempo-
re legis id facere licuit, cauẽdũ esse laqueũ, ne
facilè se homines ad ea obstringerẽt, quę postea
detrectarẽt pręstare, quid nũc faciẽdũ est Euan
gelij tẽpore, sub quo vota, vt demonstraui, mi-
nimè cõueniũt? Nõnne magis votorũ ibi cauẽ
di sunt laquei? Ab initio itaq;, dũ iste hunc lo-
cũ adduceret, duo cõsiderare debuit: Primum,
quòd quũ hoc in Veteri Testamẽto scribatur,
ad nostra vota cõprobanda nõ facit. Alterum,
quòd laqueũ suadet esse cauẽdum, quẽ ego no-
stro tẽpore tollẽdum cõtẽdo. Laqueus tunc e-
rat, facilè, citò, inconsideratè, seu temerè voue-
re. Vnde Rabbini votũ noluerunt esse ratum,
nisi ore ac disertis verbis pronũtiaretur: quod
nimis leues facilesq; sint cogitationes animi:
quum tamẽ eo tempore, quæ voto nuncupabã
tur, nõ essent perpetua, sed temporaria, vt victi-
mę, oblationes, obseruatio Nazaræorum ad ali
quot ãnos. Nũc verò iustè laqueũ dicimus, voue
re certũ genus vitę, pręsertim quòd nõ sit in no-
stra potestate, idq; ita polliceri, vt ꝑpetuò sit re-
tinẽdũ. Vnde qui talia extorquet, ac certis ho-
minũ generib. euadere nõ potest, quin laqueũ
illis miseris inijciat, quod Paulus manifestissimè
testatus est, se nolle facere. Atq; dũ nostri talia
vota ministris obtrudũt, monachis, & sãctimo
nialib. nõ animaduertũt se in Euãgelio facere,
quod husq; inter Iudęos antiquitus, vt fieret, li
cet onere legis premerẽtur, à Deo cõcessum est.
Nõ enim ab vllo genere hominũ extorquebatur, vt vouerẽt, quamuis vsus votorũ tũ tempo
ris frequẽs fuerit. At nostri Ecclesiã ruere po-
tius volunt pati, quàm ministros absque voto
cœlibatus admittere. Interim tamen fortiter ne
gant, se cuiquam inijcere laqueum.

OBIECTVM II.

POrrò tu sic colligis cõtra vota, qui voto existis alligatus, eiusq; violati reus: Ille nõ debet aliquã legẽ condere, qui potestatẽ, & facultatẽ implendi eã nequit suppeditare. At Episcopi, & Ecclesię proceres, nõ possunt cuiquam dare facultatem implendi cœlibatus legem: non debent itaque de eo ferre legem. *Facilis est responsio. Nam tu ipse vouens adimis tibi nuptias ineundi libertatem. Et Deus ipse fert legem, vt quod semel voueris, præstes, inquiens,* Vouete, & reddite Domino Deo vestro. *Nam hìc lege perstringeris ad persoluendum quod voueris, et Deus illius legis author potest, et vult, nisi tu tibi defueris vim ac facultatẽ eã implendi elargiri. Quod verò Episcopi legẽ de cœlibatu tulerũt, id fecerunt, vt metu supplicij adigantur votarij ad standum promissis, & ad præstandum vota sua, quorum Deus exigit in Lege sua impletionem. Non quod aliàs ibi obligati non essent ad persoluendum quod vouerunt, nisi episcopi legẽ edidissent eiusmodi. et mox: At quãta est hæc, Petre,*

tua insciti? quanta cæcutientia? Quis enim velit ideo astruere proceribus Ecclesiæ, propterea non licere Legem ferre de seruando cœlibatu, post nuncupatum de illo votũ, quod illi nequeãt suppeditare vim et copiã implendi huiusmodi sanctionem? Quin haud secus colligat, fas non esse regibus, & præcellentioribus magistratibus ciuilibus leges cõdere, quandoquidem nec illi possunt nobis suppeditare facultatem seruandi eas semel ab eis latas: Quod aduersatur Paulo ad Romanos tertiodecimo, astruenti nos debere morem gerere illis, non ob iram solùm, id est, ne mulctemur, aut plectamur ab eis, sed etiam propter conscientiam, hoc est, vt illa non lædatur, nósue excruciet ob admissum scelus. Deinde Salomon sic habet, Per me reges regnãt, & legũ conditores iusta decernũt. *Nõne Apostoli sanxerũt Legem, vt Gentes abstinerent ab esu idolothytorum, à sanguine suffocato, & scortatione, quum tamen hi nequiuerint dare facultatem implendi Legem eam? Quis inficiabitur Paulum leges tulisse, quum alias, tum prima Corinthiorum capite vndecimo, cùm nec illi licuerit impartiri vim aut potestatem eas seruandi? Suffundi itaque rubore debes Petre, quòd tam indoctè contra vota sis ratiocinatus.*

DEFENSIO.

CVm lector audit Legẽ à nullo ferẽdã, q̃ da re nõ possit facultatẽ illã implẽdi, duo per sese agnoscet ascribẽda. Vnũ, si homines nõ habeãt p̃ naturã potestatẽ huiusmodi sibi collatã. Alterũ, hęc de hominib. esse dicta: siquidẽ non potest cuiquã sano in mẽtẽ venire, ista de lege à Deo data esse accipiẽda, cum Deꝰ arbitratu suo queat hominib. vim cõcedere, vt nil peccẽt, & nullũ de suis mãdatis trãsgrediãtur, quãq̃ hacte nus id nõ fecerint, neq; vlli tribuerit, nisi Christo quẽ vnum sẽper exceptũ velim, quum hac de re quicq̃ p̃tulero. Neq; vlla extat p̃missio, quòd tãta copia gratię cuiq̃ sit cõcedẽda. omnes q̃ppe sumꝰ edocti, vt oremꝰ, *Remittas nobis debita nostra.* Itaq; quũ dictũ de Deo nõ intelligam, nihil ad me attinet, quicquid Smytheus obijciat de Paulo, qui leges tulerit: præsertim ad Corinthios epistola priore capite vndecimo: Quia quũ illas leges nõ minꝰ à Deo latas esse iudicemus, quàm p̃ Mosẽ Iudaica, malè isti cadit, quod mihi allatrat p̃ hoc legũ genꝰ. Quòd autẽ ánotaui primo loco, liberat magistratus ab hac regula. Nã illi cum leges ferãt de reb. externis, iustè suas leges, quę cõducãt ad pacẽ publicã, ferre possunt, vt de vectigalib. de ánona inferẽda, seu exportãda, de monetis, cõtractib. & sexcẽtis, huiusmodi, quę potestatẽ volũtatis, aut quẽadmodũ aiũt, liberi arbitrij nõ superãt. At cœlibatus quũ requiratur à Deo, mũdus, purꝰ, & impolluꝰ, qui ab his nõ p̃stetur, qui adurũtur, & subinde labũtur, non debet cũ his cõferri, quę ad ciuiles, &, vt loquũtur, morales actiones pertinẽt. Vnde apparet leges latas à Paulo, & cęteris Apostolis, quę colligũtur à sacris literis, me nõ aspernari, quũ sint spiritꝰ sancti leges, ne q; præscribere magistratib. ciuilib, vt suas leges nõ ferãt, quę tamẽ ad cœlibatũ vsq; se nõ extẽdant. Quia neq; Paulꝰ erga filiã potestatẽ huiusmodi cõcesit parẽti, vt qui nõ p̃mittat illũ seruare filiã virginẽ, si necessitas vrgeat, etsi potestatẽ voluntatis eius nõ habeat. Quę tamẽ duo si accesserint, nõ, inquit, ad votũ illã adigat, sed eã seruare poterit. Sẽper cõ spectauit Apostolus, vt quo ad cœlibatũ liberi seruarantur homines. Quòd si neq; parẽtib. cõceditur hęc potestas adigẽdi ad vota, neq; magistratib, neq; procerib. Ecclesię dabitur. Huc deinde accedit, quòd absq; matrimonio esse, quãdoq; posset mãdato Dei aduersari, nulli aũt potestati creatę licet aliq̃ legẽ ferre, quę diuinis mãdatis repugnet. Vt. n. verũ semp̃ astipulatur vero, ita iustũ, cũ iusto sẽper oportet cõsentire. Proinde Friuola sunt, quę de legib. Pauli & Apostolorum, quęq; de legib. magistratuũ Smyth. admodũ Sophisticè cauillatur. Quod & ipsũ vidisse nõ dubito. ideo alia vitur stropha ad hãc meã firmã, solidãq; rationẽ corrumpẽdã. *Deus,* inquit, *nõ episcopi huiꝰ legis fuerũt authores. Ipse .n. est, qui dixit, vouete, et reddite. Deinde episcopi, postquã votarij, vt eiꝰ voce vtar, se obstrinxerint, leges de cœlibatu cõdiderũt. Nõ quòd antea illi nõ essent obstricti ad præstãdũ quod vouerãt, sed vt metus incuteretur, quóue redderẽt diligẽtius, quod voto nũcupasset.* Si quis attẽdat his, quę modò afferũtur, istũ semp̃ à scopo & statu p̃sentis quęstionis animaduertet aberrare. Nõ. n. in p̃sẽtia geritur, & deploratur tyrãnis, qua exigũt Episcopi q̃ptinẽt ad Romanã cohortẽ, vt vota iã edita seruẽtur, quãdoquidẽ de hac violẽtia, & iustitia superius in altera parte huiꝰ disputationis cõquesti sumus. Verũ cõtra illud impiũ decretũ nũc dicimus, quo statuerunt sacris ordinib. adiunctũ esse votũ cœlibatꝰ, nec vnq̃ patiũtur nõ vouẽtes aut reclamãtes initiari. Qua eadẽ audacia volunt p̃fecti monasteriorũ, & abbates, vt sui monachi voueãt. Alioq; in monasterijs eos nõ ferũt. Idẽq; facere cogũt sãctimoniales. Querimur itaq; hìc quod his generib hominũ vota huiusmodi obtrudãtur, cũ ea Christꝰ ab Apostolis nõ exegerit, & absq; illis Apostolis sua tẽpestate ministros ordinauerint. Qua igitur potestate ecclesiastici tyranni sacrum munus concessum ad ędificationem potuerunt onerare superstitiosa vouẽdi necessitate? Adhęc nõ respõdet Smyt. licet meam rationem susceperit confutandam. Alibi causatus est, sacro ministerio maximè conuenire cœlibatum, & matrimonium parum decere. Sed ibi quoque ut cadat causa, inferius, Deo fauẽte audiemus. Vnum tamẽ obliuisci nolim, quod hoc loco deblaterat Deum nẽpe authorẽ Leges voti reddẽdi, et posse & velle suppeditare vires ad cœlibatum p̃stãdum. Quod vt ei cõcedamus, diuinis verbis debebat ostẽdere. At id nunq̃ faciet cum in sancta scriptura nusquã habeatur cœlibatum esse vouẽdum, neq; itidẽ velle Deum omnib. vires cõcedere ad perseuerãdũ castè absq; nuptijs. Quapp̃ter cùm hęc duo nõ sint demõstrata, par est vt desinat tãdẽ suis figmẽtis veritati obstrepere

OBIECTVM III.

FRiuolum prorsus est, & enerue, quod ais, vxorem & liberos plurimum facere ad colendam hospitalitatem, ad quam excercitandam Episcopi, & Præsbyteri obligantur, vt 1. ad *Timoth. 3. Non enim omnia, quæ huc conducunt, sunt licita. Cur furari hoc nomine, aut scortum aliquod nutrire non liceret? Dic, si potis cùm hinc nonnihil adiumenti dimanaret, quod excerceatur hospitalitas.*

DEFENSIO.

DEFENSIO.

QVanquam ego etiam hospitalitatis mentionem fecerim quando commoda recensui, quib. matrimonij resarciuntur molestię, attamẽ iste hoc solũ apprehẽdit, cęteris omnibus præteritis. Quoniam de industria non solum vera deprauat, sed etiã integra & perfecta, quantum potest, mutilat. Quod licet summo studio fermè vbiq; faciat, non tamẽ eius causa, vel pilo redditur melior. Duo quę mihi sumpsi vera esse negare nõ potuit, ab episcopis, & pastoribus requiri vt sint hospitales, quoniã id Apostoli Pauli testimonio cõuincitur, & ad hãc humanitatẽ exhibendam honarũ vxorum curam & diligentiã plurimum conducere. Ista dum expugnare non potuit, videamus, quid tandem sophista magnificꝰ aduersus nos afferat. *Cur*, inquit, *furi hoc nomine, aut scortum alere nõ liceat?* Et quasi captionem hanc euadere omnino nemo possit adiecit, *dic si potes*. Hæc dicit perinde, quasi non omnes videant, & furari & adhærescere ad scorta (vt sui faciunt) et graue peccatum esse, & ea lege diuina prohiberi. Demonstret autem ipse nobis vicissim, diuina lege interdictum esse, ne minister Ecclesię fiat maritus: atque tunc exẽpla sua ad præsentẽ causam vt voluerit, applicet. Sed ille vt est egregius petitor principij, sẽper hoc sibi sumit, ministerio sacro addictos enormiter peccare si vxorẽ duxerint. Quod cũ nũquam ab eo probatum sit, quicquid tali principio assuat, ruinoso fundamento nititur. Nolim preterea, vt lectorem lateat, quomodo iste semper à statu controuersiæ deflectat, quod in hoc tertio articulo agitatur. Probare nos annitimur, id male factum ab Episcopo bullarum, & eiꝰ creaturis, vt decerneretur ne ministri ecclesię fierent qui cœlibes esse noluerit. Hoc tollendum esse modò contenditur, votumque huiusmodi ab ordinatione ministrorũ disiũgendũ. At iste quasi non audiat, semper affert peccatũ esse huic hominum generi si matrimonio iũgãtur, quia vouerunt. Quod & vt demonst rauimus falsum est, & etiã si daretur, ad id quod modo agitur minimè pertinet. Ille contendit obligationi iam cõtractę standũ: nos affirmamus, & ostẽdimus cum rationibus tum scripturis, obligationes huius generis nõ esse interponẽdas.

OBIECTVM IIII.

ILlud Pauli est istis veluti anchora, vt vulgò dici solet, totius domus, vt cui innitũtur, cuiusq; fiducia maximè fulciũtur, quòd is habet primo ad Timotheũ tertio his verbis, Oportet episcopũ esse vnius vxoris virũ, *Nam hunc locũ accipiũt, perinde ac si creari Episcopus, aut sacerdos nequeat quisq;, nisi fuerit maritus vnius vxoris, vt existimãt scioli & indoctissimi adolescẽtes, clero præceptas esse hoc loco nuptias, cũ illud sit cõmentum vanissimũ quẽadmodũ statim patescet omnib. nõ prorsus cæcis & stupidis, qui recte ac suo ipsorũ merito dicãtur lolio victare. Et mox Quãobrẽ paucis dispiciamus, quisnã sit loci huius natiuus ac genuinus sensus, iuxta antiquorum & maximè idoneorũ scriptorũ interpretationẽ, &c. Postquã autẽ cõmemorauit prolixas interpretũ sentẽtias, ita cõcludit:* Liquet itaq; Apostolum nihil minus sensisse hoc quem disserimus loco, quã præscribere vt nõ eligantur in episcopos nisi mariti, nec episcopis aut sacerdotib. permittere vxores ducere, sed cauere ne quis bigamus creetur episcopus aut sacerdos &c. *Et mox:* Nemo est qui non libenter dabit nostris aduersãrijs, tẽporib. Pauli ex laicis cõiugatis, qui virgines duxerãt, nec gemino cõnubio fuerãt copulati admissos fuisse, & subuectos ad sacerdotij ordinẽ, sed nõ ita bigamos, aut qui prius sacris erãt initiati ordinibus, permissos fuisse vxores ducere, simulq; sacerdotali fungi officio. *Et mox:* Ad Timotheũ & Titum nihil prorsus differit de presbyteris & sacris initiatis, sed tãtũ exprimit quales sint eligendi episcopi, presbyteri, ac diaconi. Vt bigami non eligantur, sed aut cœlibes, aut vnius vxoris mariti, vt suprà abundè declarauimus *Quid hoc ad persuadendum, licere his qui iam sunt episcopi, presbyteri, diaconi vxores ducere? Estne idem dicere eligatur in Episcopum, sacerdotem, vel diaconum, qui vnius fuerit vxoris maritus, nenitem plurium, & ducat vir vxorem vnam, qui iam creatus est episcopus, presbyter, aut diaconus? Canones Apostolorũ præcipiunt, ne qui iã est episcopus presbyter, aut diaconus vxorẽ ducat: Paulus cauet ne is qui plures duxerit, eligatur, & ordinetur, quemadmodum suprà fusius declarauimus. Nonne ergo merito puduisset te Petre, illos repudiare Canones? causaris eos aduersari Apostolo, cum nihil minus faciant. Exorbitas rursus Petre, cum ais, Paulũ velle prima ad Timot. 3 & ac Titum 1. inquientem:* Oportet episcopum esse vnius vxoris virum, vt presbyteri ducant vxores & de coniugio eorum ferre legem. *Nam quomodo vult ibidem Paulus vt presbyteri ducant vxores cum 1. Corinthiorum 7. velle se dicat omnes sicut seipsum, id est, virgines, interprete Hieronymo cõtra Heluidium. Et toties hortatur ac inuitat ad cœlibatum. Nunquid ex vno eius ore frigidum & calidũ? Deinde qui fieret quæso vt 1. ad Timot. 3. ferret legem de sacerdotum connubio, vt tu asseris, cum tantum admoneat Timotheum quinam & cuiusmodi inaugurarentur episcopi, presbyteri & diaconi? nulla interim penitus inculcata de his qui anteà erant episcopi, presbyteri vel diaconi mentione? Nec minus erras quando ais velle Paulum, cum dicit,* Volo iuniores viduas nubere, *vt adolescentulæ viduæ nubant, nihil obstante voto edito, & ideo tollenda esse vota iuniorum sacerdotum, quia non est sermo illi ibidem, vt suprà declaratum est, de illis viduis, quæ vouerunt, & votum soluerunt, sed de similibus alijs. Nec id simpliciter voluit, sed illud satius esse iudicauit, quam aut post nuncupata vota resilire, aut stuprum committere.*

DEFENSIO.

SI nostra nauis anchorę verbi Dei, vt quę firmissima est, innitatur, minimè fluctuabit: veluti, qui mandatis & traditionibus hominum innituntur, semper iactantur superstitionum tempestatibus. Ideò, quòd sententiam nostram de honesto ministrorum coniugio, fulciamus verbis Apostoli ad Timotheum & ad Titum, prudentiæ ver-

ti debet, non vitio. Vt autem id iure meritoque fiat, videre lector facile poterit, modo intelligat, nos minimè ita colligere, vt Smythæus fingit. Equidem nunquam istum locum sic accepi, quasi Paulus ibi præcipiat omnes episcopos, omnesque ministros Ecclesiæ, maritos esse oportere, perinde quasi eis aliter esse non liceat. Omnes meos auditores, qui adderant, voco testes: & assertio mea liquidò aperit, quidnam senserim. Alibi extant de matrimonio præcepta, vt aliàs retuli. Primò quidem illis est ducenda vxor, qui se non sentiunt ad cœlibatum vocatos, neque vident se in Ecclesia operę pretium facturos, aut regnum Dei magis promoturos, si cœlibes manserint. Quoniam hi communi legi subiacent, *Non est bonum hominem esse solum, crescite atque multiplicamini*. Ab hac lege nemo per Christum est exceptus, nisi datū ei fuerit, vt aliquam singularem vocationem manifestè sentiat sibi sequendam. Ea verò, cum non sit omnium, qui extra illam se deprehendit, legi communi subiaceat oportet. Illis præterea mandatur connubium, qui aduruntur, quique non continent. Neque vllus ab hac lege in scripturis inuenitur vsquam exceptus. Quare cuiuscunque sit ordinis, episcopus, presbyter, aut diaconus, illi subiacet. Ex his fontibus & consimilibus matrimonij præcepta colliguntur à nobis: non, vt iste fabulatur ex verbis ad Timotheum, & ad Titum, quę tamen haud frustra seu inutiliter citamus. Dicunt enim pro nobis testimonium contra eos, qui arbitrantur, coniugium cum sacro ministerio non posse conuenire. Apostolus episcopum maritum admittit: vos nuptias procul à ministris omnino esse vultis. Paulus dat episcopum esse posse maritum: vos id non patimini, & maritos hodie ordinare non vultis, nisi ab vxore decreuerint abstinere. Audis in quem finem Pauli locum citemus? Nónne dabis conditiones, quas Paulus requirit in Episcopo ordinãdo, etiã ab eo, cũ ordinatus fuerit, iustè posse retineri? Qui eligitur, debet esse sobrius, neque vino dedit⁹. Idẽ nónnè licebit postquã fuerit episcopus? Eum anteà oportet non esse percussorem: In eo certè perseuerabit etiam factus episcopus. Hospitalis eligitur: nónne item manebit hospitalis? Et cum de omnibus illis conditionibus ita dicẽdum videas, quid vos illum, cum ordinatur adigitis, ne amplius sit maritus. Et illud, *vnius vxorũ*, non, quemadmodum tu interpretaris, interpretandum censeo, quasi priori vxore defuncta, alterã ei legitimè ducere nõ liceat. Quippè secũdas nuptias in nullo Christianorum ordine damno, licet Patres quandoq; videam à secundis nuptijs episcopum prohiberę: Cum tamen Paulus illis verbis tria alia possit intelligi vetasse. Vnum est, nè episcopus vxores plures eodem tempore habeat, quèadmodum multis Hebræis licuit: qui si ad Christianismum fuissent conuersi, vt tunc sæpè fiebat, ob multitudinem vxorum non eligebãtur, episcopi. Atque huius expositionis Chrysostomus meminit, ne me confinxisse illam putes: & ita meminit vt non improbet. Idque disertè fatetur, adeo nuptias esse honorabiles, vt cum illis ad sanctum episcopatus thronum licuerit assumi quod vos non permittitis. Altera interpretatio est, vt ab episcoporum ordine arceantur, qui diuortio dato priori vxori, quod apud Hebræos, & apud Ethnicos leuissimis de causis fiebat, alteram superinduxerint. Tales enim non poterant eligi. Et rationem adfert Chrysostomus, quoniam visus est eam vxorem quæ discessit, abijtq; parua prosequi charitate qui sic ab illa voluerit separari. Et Græcè Chrysostomus habet ἀπελθόσης, quod malè aliqui interpretantur, mortuæ. Tertio loco his additur & alia non contemnenda expositio, quod episcopum deligendum ob pudicitiam castitatẽq; bene audire oporteat, ita, vt, si fuit maritus, vnius vxoris suæ fuerit, neque cum alijs mulieribus per scortationes, vel adulteria commixtus, verum sua contentus vxore vixerit. Has tu interpretationes è scripturę verbis oppugna, si potes. Nil aliud certo scio in medium poterit adducere, quam Patres: qui vt in hoc rectè senserint, alij videant. Certè duarum interpretationum, quas primo loco retuli, Chrysostomum habeo authorẽ: Quod etiãsi nõ esset, adhuc eas proferre auderẽ, quoniã dũ in ipsa contentione de dogmate sumꝰ, nõ oportet iactare aut vociferari Patres, Patres, nisi quantũ illi scripturis loquuntur. Sed vnum adhuc restare video, quod ex his Pauli verbis à quouis pio debet colligi. Si Paulus episcopum maritũ esse patitur, quid eius refert, anteáne, an postea duxerit vxorem quàm episcopus fuerit constitutus? Equidem non video, cur sit maior culpa vxorem posteà ducere, quam retinere ac vti ea, quam prius habueris. Nam quicquid isti affingunt immunditię matrimonio licet falsò, & graui cum eius iniuria, totum id situm esset in reddenda beneuolẽtia debita. Quę res, cũ à Deo præcipiatur, et mũda est, & pura. Quippe Deus culpam, seu peccatum nusquam iubet. Pròinde cum episcopo concedatur, etiam dum in suo est ordine, vti matrimonio, quid per verbum Dei potest obtendi, quò nõ liceat eidem matrimoniũ contrahere? Si enim per legem concedatur alicui fundo vel prædio vti, certè nisi diserte caueatur noua emptio, nullus non dicet idẽ licere fundum & prædium emere. Vnde sic vrgebo sophistas. In ordine sacro concedit scriptura diuina ministris vsum connubij, & nusquam prohibuit, ne vxores ducerent, igitur id eis per diuinas literas licebit. Quin & ipsi Canonistæ inficiari hoc non audent, ex Ecclesiastica lege, quam positiuam appellant, dimanasse, quicquid hic est prohibitionis. Et denique Smythæus, quanquam adeo est ferox, tamẽ concedit Pauli tempestate licuisse maritos ad episcopatum assumi: quod si intelligat, modò relin querẽt vxorũ vsũ quid noui nobis cõcedit. Quid eũ oportet Pauli tẽpora cõmemorare, cũ hodie quoq; id vsu veniat, & absque vlla contradictione permittatur? Sin verò intelligat, vt par est, Ecclesiæ ministros tum tẽporis habuisse

Episcopus vxore priori defuncta potest alterã ducere.

habuisse vxorum suorum vsum, iam superest humana traditione contrarium postea fuisse inductum. Quod cum in pernicem & Ecclesiæ, & animarum vergat, ac verbo Dei apertè repugnet, à nobis meritò taxatur & reprehenditur. Neque dissimilia sunt, quæ Smythæus adeò fingit distare, nimirũ illũ, qui eligitur episcopus, habere posse vxorem, &, si non habuerit, licere. Cum, sicuti demonstrauimus, tanta sit inter ista connexio, vt qui habere potest, ei ducere quoque liceat. Nuptiæ si quidè quando superueniunt, nil immunditiæ afferre possunt. Ob Canones Apostolorũ grauissimè tumultuatur, & me vehementer accusat, quòd eos publicè docẽdo vt Apostolorum Canones recipere noluerim. Sed velim mihi dicat, an ipse illos recipiat. Fortè, vt est incogitãs, respondebit, Maximè. At in capite nono ibi præcipitur, vt episcopus, & quilibet ex sacerdotali cãlogo, qui astat administrationi sacrarum mysteriorum, si non cõmunicauerit, vel dicat causam, vel excommunicetur. Certè si admiserit hanc legem, millies erit ipse excommunicatus, cum frequentissimè adsit suæ missæ idololatricæ, & neque communicet, neque rationabilem causam dicat, cur abstineat à communione. In 10. capite item ibi mandatur, vt omnes fideles, qui Ecclesiam ingrediuntur, scripturas audiãt, perseuerent in oratione cum alijs, & communicẽt, alioquin communione priuentur. Dicat iste, an ecclesiæ suæ Papisticæ canonem hunc hodie saluum velint, nedum recipiãt? Canone sexto mandatur nequis episcopus, aut presbyter, vxorẽ propriam prætextu religionis abijciat, & si abiecerit, vt excommunicetur, demũque, si perseuerauerit, vt deijciatur. Locus iste nónne satis reuincit, eos, qui vocabantur ad Episcopatum potuisse licitè suarum vxorum cõsortium rétinere? Atque hinc rursus patet, matrimonium non adeò (vt isti fingunt) sacro ministerio repugnare, quod iam demonstratum est ex Paulo, ideoque ad confirmandum id nõ opus est his aprocrypsis canonibus. Verùm ad huc progrediamur vlterius, videamusque, nũ isti canones vsq; adeo Smythæo placeant, Capite 38. habetur, vt Concilia episcoporum bis in anno celebrentur, tempore nimirum Pentecostes, & Octobri mense. Hìc scire velim, an ecclesia papistica recipiat istum Canonem. Non recipit cum rara sint in ea episcoporum concilia. Væ gregorio Nazianzeno si verus esset iste canon, qui non tantum subterfugiebat Concilium episcoporum, sed scribere ausus est, vt habetur in quadam eius epistola, se fere nullũ vnquam vidisse bonũ exitum episcopalium Conciliorum. Canones profecto isti si ab Apostolis vt iste vellet me credere, fuissẽt conscripti, non minus in censu diuinarum literarum habendi essent, atque Apostolorum epistolæ. Quid enim priuilegij magis assignari posset epistolis, quã canonibus, si Apostoli fuissent authores ex æquo, vtriusque generis scripturæ? At quis vnquã catalogo scripturarum istos Canones annumerauit? Verũ adhuc id libet addere; quod in 8. canone scribitur: *Si quis episcopus, aut presbyter aut diaconus sanctum Paschæ diem ante vernale æquinoctium cum Iudæis celebrauerit, abijciatur.* Iste canon si ab Apostolis fuisset conditus, quis locus relinqui potuit contentioni, quæ tempore Victoris, Polycratis, & Irenæi contigit? Ephesini more Iudæorũ pascha celebrabant, producentes Ioannis Apostoli traditionem. Romani secus, iactabantque Petri sui Apostoli vetus institutum. Sanè Apostolorum Canones hanc de lana caprina quæstionem iam definierant, si nati fuissent. Permulta quoque in eis alia possem indicare quibus conuincerentur, tam fuisse ista decreta ab Apostolis edita, quàm Smythęũ esse verum fidelem, & constantem theologũ. Proinde mihi desinat posthac tam futili de causa obstrepere: neque me repetere cogat, quæ ipsemet nolit admittere. Vt autem verum fit, me dixisse hoc loco, Apostolum ferre legem qua episcopis liceat vxorem ducere, iã audiuistis, & ex his, quæ attuli, confutatum est. Potuit quidem Smythæus id ex me audire, Paulum hìc tulisse legem de conditionibus ad episcopum requisitis: inter quas illam recensuit, vt sit vnius vxoris vir: ex qua robustè cõficitur, vt iam sæpius dixi, matrimoniũ cum sacro ministerio non pugnare, sed cum illo pulchrè consentire. Lex verò, qua iubentur vxores ducere, cum ópus habuerint, aliunde vt paulò superius notaui, accipitur. Nec tamen ratio, quam adducis, verè confirmat, non potuisse Paulum de cõiugio ineundo legem vllam ferre, quod ad Corinthios dixerit, se velle omnes homines esse sicut se, quod Hieronymus, vt ais, interpretatur virgines. Paralogismus enim hìc admittitur ignorationis elenchi. Quod enim adducis nil aduersũ me facit. Ex eo enim quod ait Apostolus, *Volo omnes esse, sicut ego sum*, tantum elicitur eum vehementer desiderasse, vt omnes coniugio carerent. Sed quia hoc intelligitur cum exceptione, si fieri possit, vt declarat quæ sequũtur, ideo cum hoc sit omnibus impossibile, nihil obstat, quo minus legem ferre possit de cõiugio, vt incontinẽtes, & qui adurũtur illud ineant. Voluisset quidem omnes aut virgines aut cœlibes & nihilominus præcipiebat, vt mutuam inuicem beneuolentiam redderent. Etsi formam loquendi sectari velis, ab illo audis ad Timotheum, *Volo iuniores viduas nubere*: & ad Corinthios, *Volo vos omnes loqui linguis*: quæ non dubitamus intelligenda, si detur, & si opus fuerit. Neque nunc ad propositum facit quicquid iste de iunioribus viduis cauillatur: quia negare non potest, illas ibi à voto absterreri, cum subdatur causa, quòd labantur, & in valde absurda ac detestabilia incidant. Vt verò Hieronymus nunc in exponenda illa sententia Pauli, *Volo omnes esse sicut meipsum*, sibi sumat, illum fuisse virginem, alijs iudicandum relinquam. Equidem nisi ex scripturis mihi aliter probatum fuerit, non facilè dabo quamuis, vt nunc, de eò cõtendam, nõ est opus. Nam ad meã constabilendam rationem tantundẽ est vtrum duorum ponatur.

OBIECTVM V.

QVi cũ vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. *Expende iam candide lector, quã non congruat cum sacerdotali functione alligari nexibus vxoris, coniugij, liberorum, totius familiæ, ac rerum domesticarum distrahi curis, &c. Et mox: cum Bedam citasset, inquit, duo ex his Bedæ verbis animaduertisse erit operæ precium: alterum femoralia illa linea quæ Deus præcepit, vt Aron & sui filij cum essent in tabernaculo, & sanctuario ministraturi induerent, adumbrasse, ac præsignasse perpetuam continentiam ministrorum noui Testamenti, qui Deo essent iugiter in ædibus nostris sacris operam daturi. Alterum est, Christũ quãdo dixit, Qui potest capere, capiat, innuisse, ac extimulasse Apostolos aliosque omnes ad seruandam virginitatem perpetuam. Tantum abest, vt ab illo vitæ instituto quenquam deterruerit, vt astruit Lutherus, &c.*

DEFENSIO.

IAm virus maleficum incipit serpens euomere, cum nititur probare nuptias ministerio sacro haud cõuenire. Principioque à Pauli testimonio incipit, qui dixerit, eos qui cum vxore sunt, de mundo sollicitos esse, & cogitare, quomodo vxori placeant. Et cum sit Græcarũ literarum imperitus, Latinæ versionis errorem sequitur, in qua legimus, *Et diuisus est*. Quæ verba, vt Paulino sensui parum congruant, quilibet doctus per seipsum satis intelligit. Estque tam acutus iste sophista, vt hoc suo argumẽto non solum nos vulneret, sed etiam Paulo, & suis Apostolorum Canonibus valdè sit contumelioſus. Nam si tam parum, imò nihil, vt deducit ex isto loco, matrimonium cum ministerio Ecclesiæ consentit, imprudenter fecit Paulus, qui ad Timotheum, & ad Titum mariti episcopi cõditionem inter cæteras annumerauit. Et canones Apostolorum quid mandant episcopo, & presbytero, ne vxores suas abijciãt, alioqui deponantur? Cauillatur iste, me sæpè adigere Apostolum ad contraria, quando affirmo, illum certo generi hominum præciperè matrimoniũ. Nam, inquit, non potuisset alibi dicere, *Volo omnes esse sicut meipsum*: Et nunc non videt, si ex isto loco, quem citat, verè sequatur, nuptias cũ sacris ordinibus nõ conuenire, Paulum pugnare secum, qui episcopum maritum, sed vnius vxoris describat. Deus isti det saniorem mentẽ. Nos verò interim locum interpretemur, quem contra nostram sententiam adducit, quamuis & de eo superius aliqua dicta fuerint. Curare quæ sunt mundi, & quomodo quis vxori placeat, non est, vt hoc loco accipitur ab Apostolo, peccatum. Alioquin omnes coniugati à statu salutis excluderentur. Quique sunt in coniugio non improbantur Deo, quod rerum pertinentium ad hanc vitam aliqua tangantur cura. Id enim aliter fieri non potest, cum vxori atque familiæ sit prospiciendum. Neque etiam Deo displicet, si vir prouideat, vt inter se atque vxorẽ dilectio & amicitia bene cohæreat. Quis hoc studiũ neget Christianis hominibus? Nullus planè, qui coniugij leges è scripturis didicerit. Cúmque hæc aliquam curam & diligentiã exigant, non inficiabor ea afferre quippiam distractionis, vt ne toti rebus diuinis vacemus, quod in virginitate aut cœlibatu facilius liceret. Ideò dedimus esse beatiores in promouẽdo regno Dei, qui sunt his curis atque molestijs vacui, quòd virginitatis aut cœlibatus donum habeant. Ideóque Paulus, eos qui sic facti sunt, vt ita maneant, adhortatur. Verumtamen hinc non efficitur, matrimonij hæc incommoda Ecclesiæ ministerio repugnare: cum etiam suas matrimonium habeat vtilitates, vti superius recensui quę magno bono esse possunt ministris. At quis istos non miretur, qui sic fingunt, se curare, ministros ab omnibus curis extra diuinas fieri alienos? Et hoc prætextu eorum matrimonia sustulerunt, cum interim sinant eos magnã famulorum turbam curare, magnas opes, & amplissimas diuitias, aulis inseruire, administrare bella, tractare mundi negotia, & alia id genus, quæ maximè ab eorum munere sunt aliena. Vtra, quæso te, pie lector, magis animum à rebus diuinis alienant, hęc, an sancti matrimonij quędam leues molestiæ, quæ tamen intereà multũ habent commodi adiunctum? Taceo alias parùm honestas curas, ne turpes dixerim, quas ministris relinquunt, vt perpetuarum venationũ, ludorũ aleæ, conuiuiorum, exactionis, lupanarium, &c. Hîc muti sunt, & nihil prorsus dicunt nostri Catones. Tantùm honesta, & sancta matrimonia insectantur, quæ sacræ literę à nullo Ecclesiæ ordine remouerunt. Maritum, inquiunt, studere, vt vxori placeat: at hîc nil peccatur. Illi verò quotidiè nobilibus, & principibus inseruiunt extra suam vocationẽ, imò sese insinuant, & non raro contendũt sue amicę seu cõcubinæ turpissimo studio esse grati, atq; fœdissimè placere. Et dum hîc grauiter peccãt, nónne deberent hęc à se præcidere, & sanctum inire matrimoniũ? Verũ sua vitia palpãt, & hîc sũt plusquam Mitiones, qui tamẽ acerbissimè proscindũt ecclesiasticorum connubia, atq; illa omni cónatu prohibent, quasi Ecclesię ministerio dedecorosa. Vides itaque Apostolũ nõ taxare coniugij curas, vt vitiosas: tantùm dicit, illis nonnihil à diuinis animum distrahi: quod idẽ possis dicere de occupatione prandij, cœnæ, aut somni. Quòd si responderis, nõ posse nos istis, quòd naturę sint necessaria carere, fatebor, sed identidem regeram, multos esse ad ministerium Ecclesiæ bene appositos & idoneos, qui matrimonio, si debeant honestè ætatem agere, carere non possint. Ostendit Paulus his, qui possunt, quænam vita sit expeditior: nõ tamẽ sacrum ministerium matrimonij vsu expoliat. Num isti à sacris ordinibus hominem arcebunt, qui propter imbecillitatẽ sui corpusculi non possit ieiunare, aut delicatiori victu potuq;

tuque opus habuerit, si alioqui pietate atque doctrina plurimum valeat? Non arbitror. Istas nihilominus curas frequenter edendi, bibendi, atq; vtendi melioribus & præstantioribus alimentis, atque huiusmodi delicias non negabũt à sacris mentem & corpus interdum non leuiter distrahere. Quod cum sic habeat, cur in matrimonio exagitando sint adeò vehementes & acres, nõ poterunt defendere. Sed iam videmus alteram eius rationem ex Beda collectam in locum *Exodi*: *Femoralia linea, quæ Deus mandauit sacerdotibus vt induerent, significant perpetuam continentiam ministrorum noui Testamenti. Quare eis non licet vti matrimonio.* Si à me rationes huiusmodi afferrentur, quos risus, quosue cachinnos Smythæus alioqui petulantissimus excitaret? Demus tamen ei allegoricam hanc interpretationem esse veram, vt femoralia continentiam, seu castitatem sacerdotum significent. Nónne ab eo vsquam est animaduersum in coniugio quoque suam esse castitatem suamque continentiam? Coniuges procul dubio ab adulterijs, & vagis libidinibus debent sibi temperare. Quare nihil ista femoralia castitatis, quæ nunquam ne in senecta quidem Smythæus induit, clericorum matrimonia impediunt, quandoquidem illa, si qua alia, debent esse castissima. At dicit, Bedam scribere, absq; hac perpetua castitate, neminem vel sacerdotiũ suscipere, vel ad altaris ministerium posse consecrari, id est, si non aut virgo permanserit, aut contracta cum vxore coniunctionis fœdera soluerit. Beda, licet quandoque non malè scribat, non tamen si contra veritatem quicquam dixerit, debet audiri. Cedat oportet Paulo, qui nequaquam dixit, vllum debere soluere fœdera iniuti coniugij, si sit ordinandus episcopus. Audiat & Canones Apostolorum, quos noster Smythæus plurimi facit, in quibus præcipitur, ne religionis causa vel episcopus, vel presbyter vxorem abijciat. Sed ante omnes Christus est audiendus, qui sacros ordines inter ea non posuit, propter quæ coniugium dirimi possit. Itaque iam manifestum est, locum Exodi adductũ non auferre clericis coniugium, etiamsi detur quam postulant, allegoria, qua femoralia perpetuam castitatem adumbrêt. Quam tamen significationem, vt necessariam, quis me dare cogeret inuitum? In huiusmodi vmbris cuique licet pro arbitrio ludere. Ratio vestimenti huius in contextu satis demonstratur. Noluit quippe Dominus quicquam fœdum, turpe, aut obscœnum accidere dum ministrabatur in tabernaculo. Propterea cum multa & à Leuiticis, & à sacerdotibus facienda essent in hostijs mactandis, excoriandis, lauandis, struendis in altari, & incendendis, cauit Deus, ne vnquam carnis eorũ turpitudo reuelaretur: sic enim scriptura loquitur. Vnde potius ex hoc loco fuisset deducendũ (pace Bedæ dixerim) in opere sacrorum omnia esse cum decoro honestè & grauiter agenda. At iam satis de hoc inepto atque ridiculo argumento. Quod autẽ posthæc adijcitur, Christum, quando dixit, *Qui potest capere, capiat*, à cœlibatu non absterruisse discipulos, imò potius adhortatum fuisse ad eum capescendum, neque aduersum me quicquam facit, neque aduersus nostros. Vtrunque enim verum est. Illis quippe verbis eos adhortabatur, quibus datum esset, & vicissim illos, quibus datum non erat, potest dici à cœlibatu deterruisse.

OBIECTVM VI.

A Fructibus, *inquit Petrus iste*, cœlibatus legem agnosce, videlicet à scortationibus, adulterijs, fornicationibus, & id genus alijs. *Quorsum hæc Petre? Adeo tibi parum est salis, aut bonæ mentis vt velis ideò reijci debere legem cœlibatus, quòd multi ex cœlibibus, & votarijs designarunt sæpius quæ recens fueris crimina? Quin non reijcis eodem nomine diuinam legem decalogi, cum contra eam toties quotidie peccetur? Infirmum certè oportet esse, qui his capiatur, irretiatur, aut illaqueetur retibus, quæ aranearum telis sunt imbecillio ra. Causaris obstare legem cœlibatus, ne idonei ministri præsint Ecclesijs Christi: perperam id quidem. Nam si tales desint Ecclesiæ, non est lex illa culpanda, sed hominum prauitas. Et habet Ecclesia (laus superis) idoneos multos, qui probè officijs suis defungun tur. At tibi non videntur idonei, nisi tuo more concionentur, & prælegant, hoc est, sedulò atque totis viribus conentur pia quæuis è medio funditus tollere, ac surrogare & substituere in ipsorum locum impia dogmata.*

DEFENSIO.

REgulam ego sum secutus, quæ in legibus humanis & sanciendis, & approbandis retinenda est: in quibus præcipuè id spectatur, an augeant vitia, & illis dent occasionem: an virtutes confirment, & probitatem stabiliãt, Prout se habere in his deprehensę fuerint leges, quæ ab hominibus feruntur, aut confirmantur, aut abrogantur. Nec aliam rationem possumus adducere, cur subinde in Concilijs multa constituantur, quoad ritus, vel obseruationes illis admodum contraria, quæ antiquitus fiebant, nisi quòd vetustiora ideò fuerunt abrogata, quia Ecclesia inde accipiebat detrimentum. Inde sublata est scelerum admissorum confessio publica, quæ fuit primis temporibus in vsu. Paulus quoq; morem aboleuit admittendi viduas iuuenes ad Ecclesiæ ministeriũ, non alia de causa, quàm quòd incontinenter viuentes denique à Christo alienarentur, & post Satanã irent, non seruando propositum aut pactum cũ Ecclesia initum. Christus etiam veterum traditionem taxauit, qua suadebatur filijs, vt sua bo-

na templo consecrarent, quoniam ex eo sequebatur miseros parentes debitis alimentis, & necessaria sustentatione destitui. Vides itaque me iustam vsitatamque regulam induxisse, qua leges hominum, siue traditiones vel probantur, vel improbantur, cum de neutris rebus agitur, de quibus verbum Dei nil constituerit. Atque hanc me docuit Paulus obseruationem, quàdo in Ecclesia inquit omnia debere fieri, non solũ cum decoro & ordine, sed etiam ad ædificationem. Quare cum ex hac lege cœlibatus à tyrannis Ecclesiæ lata, multa videamus quotidiè nasci grauia mala, eam iure contendo abrogandam. Cum verò mihi obijcis, identidẽ faciendũ de diuina lege, cum in eam quoque varijs, multiplicibusque modis quotidiè peccetur, delirare, ne insanire dixerim, te ostendis, qui hominibus par ius tribuas in leges à seipsis latas, & in eas, quas Deus ipse condidit. Quis ignorat humanas leges posse pro arbitratu hominum & figi & reuelli? at non ita diuinas: quæ ad salutem necessaria contineant, cum humanæ solùm de medijs & neutris rebus ferantur? Hæc discrimina extra te, vt mihi persuadeo, nullus ignorat. Constat itaque in legibus ferendis ab Ecclesia canonẽ, quem adduxit, de illarum vtilitate vel damno æstimando, iure non posse improbari. Adieci reuera, neque me pudet, per hanc legem cœlibatus accidere, vt permulti, qui essent alioqui idonei ministri, à munere sacro capessendo abstterreantur, vt qui nõ facilè tolerẽt laqueum sibi injci: & plerunq; videre esse illos ad vouendum precipites, qui de castitate bona fide præstanda nihil seriò cogitant. Smythæus negat ita esse. Experientia rem doceat: rogenturque cõplures & docti & pij, quare animum ad ecclesiasticam functionem non appellant. Si, quod est, fateri voluerint, vt plerunque fatentur, non reperies me falsum testem. At quia fortasse vidit sic habere, ad aliud responsum deflectit dicitq;, si Ecclesia ministris bonis & pijs destituitur, neq; lex cœlibatus est accusanda, sed hominũ improbitas. Prauitatis ministrorum culpam vniuersam in legem cœlibatus nõ reijcio. Nam probè noui, & aliunde illam oriri posse. Tu verò quomodo interim mihi ostendes hanc legẽ non esse bonam partem causæ defectus istius? Quod quum ita sit, quid est quod tãtopere cunctemini eam abrogare? *Iactas, Dei gratia, differtõ esse ecclesiam bonis ministris, verùm id mihi non videri.* Vtinam ita esset, libenter velim causa cadere, modò mihi solidè probares, ecclesiæ non deesse bonos pastores. Quotumquenque reperias, qui populum sedulò doceat, qui rudes, vel pueros cathechizet? Imò ne legibus quidem ad ista facienda tui sacrifici hodie possunt adduci. Ex in vestris ministris tanta deprehenditur imperitia, vt ne legere quidem possint, quę sunt materna lingua conscripta. Mitto, quàm vita & moribus parum ædificent, & multùm lædant Christi membra. Hîc profectò declaras te papistarũ omnium impudentissimum, qui ecclesiã crepes adeo bonis abundare ministris, cum illi, qui tui sunt ordinis & farinæ, nõ vereantur suorum temporum infelicitatem, quo ad hanc partem, publicè deplorare. Calumniaris præterea me, quòd ministros docendo, vel, vt ais, præledendo, velim pia omnia tollere, atque pro illis impia dogmata substituere. At quid aliud perpetuò inculco, quàm vt Christianum vulgus pascatur sacris literis? non hominum traditionibus quę verbum Dei oppugnent? Ideo men dogmata infectaris. Sed missam nunc facio istã contentionem. Demonstra tu si potes, vestrarum ecclesiarum ministros diligentes esse in tradenda populo saltem sua doctrina. Nónne vides pastores in vniuerso papatu, licet ab ecclesia percipiant ampla stipendia, nunquá vel saltẽ rarissimè populum sibi creditum docere? Monachos habent mercenarios, quos ad cõciones habendas conducant. Curant sibi prętereà sacrificulos, qui vno aut altero obulo dictim accepto in suis parochijs missent. Verùm, quid ego istud accuso? Bene præesse ecclesię, populum Dei benè curare, hi suaues homines totum in missa vel cantanda, vel facienda situm esse volunt. Quod quia facillimè fieri potest, & à quouis nebulone præstari, propterea Smythæus tantam copiam bonorum ministrorum iactat hodie inueniri.

OBIECTVM VII.

IStis enim persuasum est, Paulum eorum suffragari opinioni, cùm hæc refert: Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suá conscientiam, prohibentium nubere. *Existimant enim in crimen hoc loco verti præscriptum ecclesiæ de sacrificorum cœlibatu, perinde ac proceres, & præfecti ecclesiæ Christi prohibuissent nuptias clero, veluti ex sese penitus illicitas & impuras. Quem errorem Eucratitæ, & horum antesignanus seu præsul Tatianus tutati sunt, &c.* Et mox. *Vides ergo mentem Pauli fuisse, notam hæreseos inurere Manichæis, Eucratis, & Marcionistis, Christianos omnes à matrimonio, tanquam à re impura arcentibus. Quod cùm nullus procerum ecclesiæ vnquam fecerit, constat, frustra abuti aduersarios nostros hoc testimonio, quo suum illud constituant dogma, quod aduersus clericorum cœlibatum tantoperè moliuntur Christiano orbi obtrudere, &c.* Et mox. *Num quisquam ex procerum ecclesiasticorum cœtu astruxit vnquam impuras esse nuptias, ac ex sese illicitas penitus, cum sanxerint, ac edicto vetuerint, ne ex choro quisquam à susceptis sacris ordinibus alligetur vinculis vxorijs? Nónne alia fuit istis mens, alióq; oculos rietenti suos, cũ tulerunt illam legem? Nimirum vt clerici, qui vltro renuntiarunt iuri contrahendarum nuptiarũ, Deo sponte castitatis nuncuparunt vota, quo Deo mundius ac tranquillius seruirent, præstent datam illi fidem, nec pœnidiæ dent acerbas pœnas? Et alibi. Nónne effrontem ac exortem pudoris, te prodideras, cum inter prælegendum decreta præfectos ecclesiæ, qui latis legibus cauent ne quis continentiæ perpetuæ obstrictus voto nuptias contrahat, damnare nuptias? De quibus Paul. 1. ad Timoth. 4. meminit, dicens, illos prohibere nubere? O tenebras, esse il*

damnat

damnare nuptias, docere voto alligatos debere necessario præstare, ac persoluere quod vouerint? Tatianorum, Manichæorum, Martionistarum hæresis est damnare nuptias tanquam impuras, malas, & omnib. illicitas. & mox: Videsne iam Petre, quos traduxerit Apostol. illo ad Timoth. pronuntiato? At Manichæus, inquies nō interdicebat omnib. nuptias, sed tantum suis electis. Vbi habes? dic amabo, tuum, id est vanum commentum nullius scriptoris probati authoritate subnixum. Quis non respuet? Verum si donemus id tibi, quid hinc referes adiumenti ad tuum dogma asserendum? Vetuerunt isti nuptias in sua iuratis verba tanquam malas, et prorsus illicitas quemadmodum declarant veterum authorum testimonia.

DEFENSIO.

LEgem de cœlibatu latā excusas, quòd nō sit ea de causa promulgata, quasi ecclesię proceres nuptias vt illicitas per sese dānarint. Nam inquis, cum vetuerunt, ne quis ex clero à susceptis sacris ordinib. alligetur vinculis vxoris, eò spectarunt, nempe vt clerici, qui vltro renunciarunt iuri contrahendarum nuptiarum, votaq; castitatis nuncuparunt, præstent datam fidem, ne perfidię dent pœnas. Vt breuibus cōplectar dicenda, de duob. operæpretiū duxi lectorē monere. Primùm quidē verbis istos dicere nuptias ex sese non esse illicitas, & immundas, ne cū Martionistis, Eucratitis, et Manichæis dānentur, sed reuera existimare nuptias aliqua cōtaminatione atque impuritate nō carere. Quod. n. sanctū est, honorabile, atq; impollutum, cur certo generi hominū, eiq; nō solū honestissimo, sed etiā amplo, & latè patēti negāt? Si dignum est, atq; honorabile, vt loquūtur, sacerdotium, nuptię certè cum mundę sint, et sanctæ, illud nō dehonestabūt. Quare cum ministris ecclesię matrimonia prohibeāt, seipsos pdūt, quod illas nō iudicent adeo puras esse atq; honestas, vt fingūt. Addā quoq; id, eos plus audere, q̄ Paulū. Is dānat doctrinā quę phibet nubere, isti nubere quosdā prohibēt: cur nō eius sententia cōdēnantur? Ipse nullos excipit: isti quasi erret, eius verba cōtrahunt, et quodāmodo corrigunt, veluti ipse oblitus fuerit sua lege clericos excipere. Atqui hāc exceptionem esse adhibēdā, ex illius scriptis nusq̄ probant. Quare ipsi ea fabricati sunt, neq; Spiritum sanctum, vel Apostolicā authoritatē habēt, qua eā tueantur. Hoc autē modo si agere liceat, neq; vllum Dei præceptum, neq; Apostoli tā firma erit institutio, quā homines violare nō audeant. Fingent. n. sēper aliquod hominum genus excipiēdum, vel aliquod tēpus, aliquē itē locū: & ita pro sua libidine vim diuinarū legū, atq; rigorē emollient. Quum itaq; Paulus istā doctrinā dæmonib. prorsus ascribat, nihil excipiat, neq; vllā causā adducat, qua defendi possit, manifestum est, vos frustra tot atq; tāta confingere. Alterum, quod admonēdum cēseo, est, more soliti Smythęum plusquā sophisticè mutare statū disputationis. Nō enim quæritur modò, an vota cœlibatus reddēda sint: nā de eo satis superque iā egimus: sed an debeant ecclesię (vt iste dicit) proceres ordinib. sacris tale votum adiungere. Si saltē reliquissent integrum his, qui ordinātur protestari, ac reclamare, tyrannis minus fuisset intolerabilis. Nā per Ancyranā Synodum cōstitutum fuit, vt qui sic reclamassent, quum postea duxissent vxores, de suo honore, vel gradu deijcerētur. Proinde, quū isti ordines cōferēdo statim velint ordinatos obstringi voto, quomodo sese defendēt, quod magno & amplissimo ordini hominū matrimoniū nō prohibeant? Subiaceant itaq; damnationi Pauli, cum execrabilem doctrinā, seu quemadmodum ille dicit, dæmoniorum ecclesiæ obtrudāt Vis omnē hanc Pauli accusationē in hæreticos deriuare: ac inter alios, dum huius criminis damnas Manichæos, me perstringis, quòd eos dixerim se posse defendere eadē ratione, quā p vobis ipsi adducitis: quia nuptias nō omnib. verum suis electis tantum modo prohibuerūt. Deme quęris, vnde ego id habeā: calūniarisq; meum hoc esse cōmentum, quod nullius probati authoris testimonio possit ostēdi. Quib. Thrasonicis verbis, prēterid quòd mētiris, te declaras Augustinum obscitāter admodum legisse. Vnde suspicādū relinquis, quæ testimonia subinde citas Patrū, nō ea te ab ipsis fontib. hausisse, sed corrasisse ab Echijs, Cochlæis, & huiusmodi hominib. tuę farinę. Quò tamen videas, me nihil fingere, Augustinū audias, quē licet in multis locis potuisse adducere, tamē ex duob. tantùm ero cōtentus impudentē calumniā tuā refellere. Primus locus habetur in secundo libro de Morib. Manichęorū, capite decimo octauo, vbi hęc leguntur. *Hic nō dubito vos esse clamaturos, inuidiamq; facturos perfectā castitatē vos vehementer cōmendare, atq; laudare, nō tamē nuptias prohibere. Quādoquidē auditores vestri, quorū apud vos secundus est gradus, ducere, atq; habere non prohibētur vxores,* &c. Iam clare vides, quidnā Augustinus de illis dicat, qui illos per nouē annos audiuit, vt ipse de se testatur. Idē post illā Manichęorū excusationem, nō inde cōuincit eos de nuptijs malè sentire, quòd illas simpliciter prohibeāt, sed quòd filiorum procreationē dānēt, eāq; in suis matrimonijs quā maximè caueāt. Hoc itaq; nomine accusātur Manichęi, qui tamē aliàs suis, vt ita dicā, laicis, vxores cōcedebāt, eas tātūmodo ab electis remouēdo. Sed idē, vt secundū locū adducā, clarię hoc tradit in epistola 74. ad Deuteriū Episcopū vbi ait, *auditores aūt, qui apellātur apud eos, et carnib. vescūtur, et agros colunt, et si voluerint, vxores habēt quorū nihil faciūt, qui vocātur electi.* Nōne animaduertis, quod in latrone retuli, nō fuisse vanū meū cōmētū, sed Augustinū me habere, cuius nitar authoritate? Ne sis post hāc adeò præceps ad iudicāda, quę nescis. Ego verò idē, quod tūc dixi, modò quoq; affirmo: vt illi suis electis nuptias prohibuerūt, cęteris verò cōcesserūt, nēpe auditorib. ita vos vxores à clero sustulistis, reliquis integras & liberas permittēdo. Illi detestabātur in matrimonijs prolē et cōceptū: vos maritales curas adeo aspernami

ni,et traducitis, vt ministerio sacro indignas putetis. Atq; ita in matrimonio auferendo electis, vel clero, vtrinq; cõtra verba Dei peccatis. Nã vt habet scriptura, homines p matrimonia debere crescere, & multiplicari, ita eadẽ habet cõnubij sãcti curas, à sacris ordinib. nõ sic dissidere, q̃n vnà iũgi possint. Nõ excusaui Manich. quos mihi cõstat homines fuisse pestiferos: sed tantũ hãc tuã defensionẽ, omniũq; papistarũ cõfutaui, qua vos putaris absolui, vt ne doctrina vestra videatur à Paulo ꝓscissa, vnà cum doctrina dęmoniorũ, & hęreticorũ. Ideoq; parũ te iuuat, quod mox aiebas: *Fac ita esse de Manichæis, vt finxit Petrus, nihil adhuc habebit hinc adiumenti, cũ illi nuptias vetuerint sibi iuratis tũq; malas, et illicitas.* Nã vt initio dicebãt, te interrogabo, cur vos illas ꝓhibeatis clericis, nisi ꝓ illicitis aliquo modo habeatis, eorum saltẽ ordini? Nõ oportet, vt hinc ad votũ cõfugias, cùm tãtũ nũc disputemus de illo decreto, quo vultis absq; voto huiusmodi neminẽ ordinari. Quod statutũ nõ pertinet ad ius diuinũ cũ Paul. maritũ patiatur episcopũ, & Ancyrana synodus absq; huiusmodi voto ꝓmiserit aliquos ordinari. Etenim qui reclamãdo & protestando fuissent diaconi ordinati, si postea duxissent vxores, vt anteà dixi, nihil eis fraudi erat, quòd episcopus licentiã eis dedisset, atque hoc in 10. cap. eius Concilij habetur. Proinde cum tantus laqueus ab humana præsumptione fuerit ortus, illum dixi verbis Pauli ad Timoth. fuisse taxatum, quibus prohibentes nubere perstringuntur.

OBIECTVM VIII.

SCortari malis, *inquit*, quã matrimonium contrahere. *Quid nam mi bone? Hocce probat tibi, qui voto præstando obstringeris, fas esse nuptias inire, quòd alius scortetur? Quis dixerit licere mihi furtum desiguare, aut committere adulterium, si alius mauelit mœchari, quàm sanctum contrahere matrimonium, atque furari, quam absque vllo flagitio vitam transigere inopem, & piam? Vtrunque vitio dat Scriptura, neutrum itaque licet. Sed dispiciamus, num minus peccet sacerdos, aut voto obstrictus quispiam, cũ scortatur, aut fornicatur, an quãdo ascisit sibi in locũ vxoris solutã fœminã? Minus peccare, qui prius illud admittit flagitium, quam qui hoc posterius, vel hinc manifestũ euadit, quòd quisquis voto obnoxius stuprum cõmiserit, sui iuris est, ac integrum est illi, vt cùm libuerit, desinat eiusmodi transigere vitam, & eam in castam commutare, quod non perinde illi eidem licet coniugi.*

DEFENSIO.

DVm lego, quæ iste mihi nũc obstrepit, existimare nõ possum, illũ, dũ talia scriberet, nõ habuisse cerebri partes, vel vt dicitur, ventriculos inuersos: Equidẽ illos induxi, qui mihi resisterẽt, in hoc absurdũ, vt potius velĩet scortari ministrũ, q̃ matrimonio iungi: & faterẽtur minus peccare sacrificũ, qui fornicatur, q̃ qui vxorẽ ducit. Et nũc iste me interrogat, an velim cõtrahere nuptias, quòd alius scortetur, & an liceat cuipiã furari, quoniam alter mœchari velit. Quid hæc ad rẽ faciũt? quorsũ tu diuersas ꝑsonas mihi memoras, cũ ipse de vno eodẽq; homine loquar? Dico. n. potiꝰ esse matrimoniũ expetẽdũ q̃ scortãdũ. Et dũ ita sentio, sequor apostolum, qui ait. *Iungantur matrimonio, si nõ continent*, iste autẽ audet affirmare, potius clerico scortãdum, si nõ contineat, quã vt ducat vxorẽ. Vter nostrũ rectius loquitur, aut sentit? Nunquã dixi me velle inire matrimoniũ eo nomine, vel ea causa, quòd alter scortetur, sed ne ipse scortetur? Quid mihi tu nunc obstrepis de altero? Alter sibi ipsi caueat, ego mihi cauere debeo. Quid prętẽrea furti mẽtionẽ facis, quasi dixerim me velle furari, quoniam alter cõmittit adulteriũ? Suntne ista paria, furari, & vxorem ducere? Si paria ista ceris, iã excusari nõ potes, quin dixeris nuptias natura sua esse malas & illicitas. Sin dixeris non esse paria, sed nuptias esse sanctas, vide q̃m absurdè atq; sophisticè argumẽteris. At dicunt sunt malę nuptię post votũ: nã ex illa promissione reddũtur illicitę. Audio & hîc te medium teneo. Cur vos illa promissione seu voto, quod ꝺ ordinandis exigitis, tantum iniuriam & contumeliam nuptijs alicqui sanctis facitis, vt postea vestro iudicio, licet non naturas sua, malæ & illicitæ reddantur? Si sanctę sũt honestę, ac purę, cur aliquos homines vultis sese illis abdicare? Nonne vos hac vestra impia lege illos eò adigitis, vt postea si vestram sententiam sequi velint, se iudicent minus peccare scortando, quàm vxorem ducendo? Vel hinc sanè apparet, quàm illa vestra lex & impia sit, & absurda, vnde tantùm oritur monstrum, vt scortationem laudare cogamini prę matrimonio. Hoc quidem tãdem expectãdũ erat à Smyth. vt suã hãc non vereretur proferre stultitiã. Nõ erit adhæc inutile spectare, vt verba istius parũ sibi consentiant. Primùm dicit, *clericum, qui ne scortetur, matrimonio iungitur, ascisceresibi loco vxoris solutã fœminã.* Quæ forma loquẽdi eũ indicat sentire coniunctionẽ illam nõ esse matrimoniũ. At postea dicit, *eũ qui voto obnoxius stuprũ cõmisit, sui iuris esse, vt cui sit integrũ, cũ libuerit, desinere.* Qui fit vt obstrictus voto, si vxorẽ duxerit, iuxta hanc sententiam nõ sit sui iuris, neque amplius illi sit integrum, cũ libeat desistere? Dicat iste, qui sic loquitur, quare non sit amplius sui iuris, quare non sit illi amplius integrum desistere. Non poterit sanè aliam rationem reddere, nisi quia matrimonium est contractum. Si enim matrimonium non esset quod initur, vt iste videbatur innuere, adhuc sui iuris esset, eiq̃ esset integrum vt desisteret. Ne autem me effugere quippiam suspiceris, tua ipsius verba recognosce, quibus ad finem dicis: Quod non perinde illi eidem licet coniugi. Coniunctionem illam hic apertè vocas coniugium. Discas itaq; aliquando cùm sentire melius, tum magis consentanea loqui.

Aiunt si tius esse post votum scortari, quàm vxorem ducere

OBIECTVM.

OBIECTVM IX.

ADducti sunt prisci Ecclesiæ proceres, pie lector, non modò sacrorum voluminum testimonijs, ijsq; illustribus admodum, sed rationibus quoque nonnullis, nec leuibus quidem ipsis, nec contemnendis, quæ ex Scriptura fuerint petitæ, vt legibus cauerent, ne quis è cœtu coniugum sacrificus crearetur. Nam sacerdotibus vxores ducere nunquam vspiam licuit. Tametsi qui anteà connubia inierunt, quàm in cleri album erant relati, postea sacris fuerunt initiati. & mox: Non est recens cœlibatus his obtrusus, vt multi impudenter mentiuntur. Cæterùm quorsum his subnixus contendo persuadere cœlibatum sacerdotibus, episcopis, & diaconis non esse nuper iunctum aut demandatum, cum in promptu sint testimonia longè vetustiora his, quibus facilè atque dilucidè satis reuincatur? Canones enim ab Apostolis proditi luculenter docent, vel illorum temporibus non licuisse sacris initiatis vxorem ducere, vt qui sic habent: Innuptis etiam qui ad clerum sunt prouecti, præcipimus, vt si voluerint, vxores ducant, sed lectores cantoresque tantummodo. *Constátne ex his coercitos fuisse sacerdotes, episcopos & diaconos ab vxoribus ducendis, etiam Apostolorum ætate, idq; illorum authoritate, quæ omnibus verè pys sacrosancta & suspicienda esse debet, nedũ par habenda crasso huic Lutherano errori, mortalibus animis penitus exigendo, exturbando, extrudendo? &c. Nec est quòd nobis obijciant sacerdotes orientales, quorum non paucos tempore episcopatus sui ex legitima vxore liberos sustulisse proditur. Nam ipsis non parum reluctatur, quod Socrates Constantinopolitanus memoriæ reliquit his verbis.* Ego quoque cognoui in Thessalia consuetudinem aliam. Cum quidam clericus ante clericatum legitimam vxorem habuisset, quia cum ea mixtus fuisset, abdicatus est, cum in Oriente cuncti spontanea voluntate, & non aliqua necessitate etiam episcopi seipsos abstineant, plurimi etiam eorum episcopatus tempore ex legitima vxore filios habuerunt. *Hæc Socrates ille. Vnde liquet, quòd non fuerit mos in vniuersis regionibus Christianis, & in omnibus Ecclesijs earundem, vt qui vxorem duxerit, antequam ascitus fuerat in album clericorum, concumbere cum sua vxore illi fas & licitum fuerit, ac simul munere cleri fungi.*

DEFENSIO.

SI proceres Ecclesiæ adducti sunt, vt ais, testimonio sacrarum literarum, & rationibus indepetitis, vt statuerint, non eligendos ministros è cœtu coniugatorum, vicisti, nõ est quòd amplius tecum rixari velim, de hac arena tibi cedã. Sed prius hæc testimonia Scripturarũ, quibus excipitur, vt ne mariti ad sacrum ministeriũ eligantur, in medium producito. Si Paul. ad Timotheum & ad Titum maritos admisit, quomodo isti docebũt vnquam è sacris literis maritos excludendos? Quid dãnat iste imprudens sanctos episcopos, qui tempore episcopatus sui vxores suas retinuerunt? Nónne hoc est illos damnare, si conuincantur feciſſe contra sanctæ scripturæ testimonia? Non est itaque? proceribus Ecclesiæ constitutum ex verbo Dei tale decretum, cum iuxta idẽ verbum Dei sint admissi, quotquot coniugati sacrum ministerium obierunt. Sumis prætereà tibi, sacerdotibus nunquam licuisse vxores ducere: quod tamen nosti, me nõ daturum, nisi fortiter & robustè id probaueris. At iste mos est perpetuus nostri sophistæ, vt tanquã magnus principij petitor, semper id sibi sumat quasi verũ atq; concessum, quod illi quã maximè probandũ fuit. Cũque nil proferat ex sacris literis, per quod ostendatur, ministros non posse maritos esse, iã petit suppetias à tẽporis vetustate, adductisq; nonnullis cõcilijs, antiquũ concludit fuisse cœlibatum clericorum in Ecclesia. Quis vnquam negauit ipsum fuisse antiquitus obtrusum? Imò nos hoc maximè dolemus, tam citò zizania fuisse super agro Domini à malo vel inimico homine superseminata. Citò, heu, nimium citò inualuerunt pernicioſæ leges, aut potius tyrãnica edicta. Sed meminisse oportuit Cypriani testimonio, antiquam consuetudinem, si verbo Dei non consentiat, nil esse, quàm vetustatem erroris. Scripturis itaque pugnes, non temporum diutina consuetudine. Alioqui si vetustate delectaris, ignorare non debes, diuinas literas omnibus alijs constitutionibus humanis esse antiquiores. Pergit iste, atque mihi Canones apostolorum adducit, quò faciat fidem, non licuisse ministris vxores ducere. Qui tamen Cánones contra illos proceres Ecclesiæ istius maximè faciunt, qui statuere audent, ne ad sacros ordines mariti admittantur: quum apostolorum Canones maritos non solùm amplectantur, & in sacris ordinibus sinant, verumetiam imperent, ne minister causa religionis à sua vxore discedat. Eligas itaque tibi vtrum volueris: aut Canones istos valere pronuntia, vel statue irritos. Si valent, mariti inter ministros sunto, & vxores suas retinento. Neque statuant tui proceres, vt ne mariti ordinentur. Sin verò his Canonibus nos minimè teneri arbitraris, quid eos mihi obtrudis, quasi mihi & tibi non sit par ius in ista quæstione? Mitto quòd superius luculenter ostẽdi esse permulta alia, in quib. nolles ipse Canones istos admittere. Sed nũc ad illa mihi id venit in mentẽ, quòd, vt ipse citas, & lectorum, & cantorum mentionẽ faciant, quasi apostolorũ tẽpore inter ordines sacros aut lectores, aut cantores recenseren tur. Sunt, mihi crede, ordines isti post apostolos inducti: nusquã fit in sacris noui Testamẽti horum ordinum mentio. Episcopos, presbyteros, diaconos reperias: cæteri sunt ascititij, & ab hominibus inuẽti. Non quòd apostolorum tẽpore non essent qui legerẽt, aut recitarẽt quippiã in sacro cœtu, aut qui aliquid canerent. Verùm hæc ad sacros ordines pertinuisse, nunquã ostendes. Quare quum istorum ordinum tui Canones apostolici meminerint, se produnt esse commentitios. Mitto prætereà Zepherinum episcopum Romanum in sua epistola decretali facere istos apostolorum Canones septuagin ta, cũ tamẽ solùm quinquaginta recenseantur. Quæ numeri tanta diuersitas demonstrat illos

Canones à postolorũ.

Quos ordines diuinæ literæ cognoscant.

Canones à postolorum commentitij.

Zopherinus.

esse adulterinos. Nam si propriè ac legitimè ab apostolis fuissent editi, summa diligentia conseruatos haberemus, & de illorum numero certo constaret, prout Canonicæ apostolorum extant epistolæ, neque de illarum numero ambigitur. Quæ verò Socrates refert in sua historia, non parum pro me faciunt. Primùm ipse fatetur plurimos episcopos episcopatus sui tempore liberos sustulisse. Quòd quum illi fecerint, & neque in illa historia, neq; in sacris literis taxentur, quare voluerunt proceres Ecclesiæ, quos cõmemoras, ex suo capite, suaq; traditione sancire, vt nullus maritus episcopus aut minister eligeretur? Quòd verò dicat, clericum in Thessalia fuisse abdicatum, quòd cum vxore, quam ante ordinationẽ duxerat, rem habuisset, pessimum refert exemplum, quod etiam Paphnutio autore, de quo infrà dicetur, damnari potuit. Is enim omnino sensit, nõ esse abducendos à suis vxoribus, qui sacris erant initiati, vt ne scortationibus vel adulterijs omnia implerentur. De mumq; cùm narrat in Oriente maximam partem sacerdotum, aut episcoporum ab vxoribus suis abstinuisse, nil contra me facit. Nam addit, Absque vlla necessitate, sed sponte. Quis enim ignorat ex Paulo, coniuges aliquando posse tẽperare sibi à matrimonij vsu, Deumq; dare aliis quibus, vt hoc diutissimè facere possint? Vtinam hæc libertas quam ille refert, nunc Ecclesiæ redderetur, nempe vt necessitas & vota essent ablata. Quamobrem ex his quæ sunt nobis obiecta, nullam prorsus accepimus plagã: sed tu potius, tuaque superstitiosa opinio est non parum labefactata.

Socris hi storia.

OBIECTVM X.

IAm quando dicis iugum Domini esse suaue, & leue, ac proinde non debere id insuaue & graue istis traditionibus hominum reddi, quis negat iugum Domini esse leue & suaue his qui verè credunt & diligunt? Nec illud pie nũcq; traditiones, quales sunt omnes, quas Catholica amplectitur Ecclesia, reddunt aut insuaue, vt tu perperam falsò quereris, aut graue, sed suauius potius & leuius, quando conducunt vel ad eius intellectionem, vel impletionem omnes. At donemus reddi iugum Domini hominum mandatis acerbius & grauius: quid hinc erit tibi pecinij contra Vota? Hæc ex humanis tantùm pendent traditionibus, aut vt edantur, aut vt præstentur? Quis est tam cæcus, Petre, præterquam tu, ac tuæ farinæ alij, vt dicat votorum nuncupationem quam Deus in Scriptura consulit toties, seu redditionem eorum, quum Deus præscribit ac iubet, hominis esse constitutionem? Deinde cum vis, iugum Domini nosse tantùm mandata, si iugi vocabulo complecteris totam legem Dei, cæcutis planè & turpiter hallucinaris, Coryphæum & præsultorem vestrũ Lutherum intelligo imitatus. Nemo enim nisi Liberide cæcior astruet desertionem & omniũ nostrarum facultatum, ac earumdem cõmunicationem esse præceptam: cum nusquã exigat Deus in Scriptura, vt Christiani discedant à suis facultatibus, vt nullas omnino possideant, sed vtique ferè earum dominos esse permittit, vt ex his pro arbitrio eleemosynas elargiantur. In Actis tamen Apostolorum legimus, illud in ipsius Ecclesiæ rudimentis feciſſe non paucos. Vt breuis sim, ac multa opera supererogationis missa faciam, quia de his alio libello egi abundè, quis cœlibatum præscriptum esse fatebitur cum hoc esset amoliri velle nuptias, ac eas damnare, laqueumq; hominibus injcere? Quanta igitur est hæc imperitia, quantaq; impietas asserere legem Dei nosse duntaxat mandata? Nónne in istos nugatores plusquam nugacissimos competit illud Apostolicum, profitentes se esse sapientes stulti facti sunt? *Rursus,* Volentes esse doctores legis, non intelligentes quę loquuntur, neque affirmant. *Cæcus es, Petre, & dux cæcorum, erras quàm turpissimè nescius genuini Scripturarum sensus. Sacra scriptura tibi est Lesbia regula, vt quam cogis tuis subinde inseruire dogmatibus, non contra dogmata tua huic accommodas.*

DEFENSIO.

MIror quo possis ore negare, iugum Domini aggrauari ea constitutione, qua ministris votum perpetui cœlibatus decreuistis, ita vt neminẽ absq; illa conditione patiamini ordinari. Nõ ad id astrinxit Christus, neque vsquã Apostolicæ literæ. Vnde cũ vos istã seruitutem addideritis, iurè meritóque accusamini, vt qui legẽ Dei traditionibus vestris reddatis grauiorem. Christus autem iugum suum non hoc tantùm nomine voluit esse leue, quòd vi spiritus sancti fides, spes, & charitas affluentur, quibus volentes & alacres efficiamur ad ea obeunda quæ mandantur, verùm etiam quòd ab infinitis nos absoluerit legalibus ritibus, quos proceres illi tui Ecclesiæ suis traditionibus non tantum numero, sed etiam pondere iã fermè adæquauerunt. Qua de re Augustinus cõquerebatur dicens, nos ferè cõditionis deterioris effectos, quàm vnquam Iudæi fuerint. Institutum Christi de industria impediunt, vt ne locum habeat, sed potius ipsi suã tyrannidem constabiliant. Ad hæc affirmas omnes traditiones, quas Ecclesia catholica sanciuit, quã procul dubio Papisticã intelligis, iugum Domini potius reddere leuius ac suauius. Possem hîc rursus de te quærere, si res ita habet, vt dicis, quid Augustinus de suis tẽporibus lamentabatur? Nã ceremoniæ, ritus, aut traditiones ab illius ętate vsq; ad nos imminutę sunt, an auctę? Certè illo iã defuncto cõcilium Chalcedonẽse habitum est, Constantinopolitanum vnum atque alterum, Lateranense sub Innocentio, & alia multa: infinitæq; constitutiones Romanorum pontificum sunt adiectæ. Quæ omnia semper onera grauiora multiplicauerunt. Quũ ergo sanctus ille vir de suo tẽpore conquestus sit, quid esset facturus, obsecro te, si nostra hac ætate viueret? Sed hoc mihi præterea dicito, quãnam ratione adduceris, vt credas, traditiones, quæ hodie retinentur, iugum Domini reddere suaue ac leue? Hãc niteris afferre, quòd tum ad intelligendum melius, tum ad melius implendum istud iugum conducant. Primùm absque iniuria gratiæ & spiritus nõ videtur posse dici, vt, quod illorum est, humanis traditionibus ascribatur. Deinde si Lex Dei non facit ad hoc, vt mãdatis

Traditiones breuissimè.
ne adpræceptis Dei vel intelligendis vel implendis præstandis nihil conducunt.

vt mãdata impleãtur, sed potius ob trãsgressiones est posita, vtq; delictũ abundaret, atq; ideò gratia & spiritu Christi opus fuit, quomodo hãc vim attribues humanis traditionib. vt conducãt ad implendũ iugũ seu legẽ Domini? Pluris igitur erunt iuxta tuũ sensum humanæ traditiones, quàm lex diuina. Quòd verò dicis traditiones facere, vt iugũ seu lex Dei melius intelligatur, nequaquã tibi facilè cõcesserim, cùm humanæ traditiones verbi Dei notitiã obscurent: quod Christum non latuit, qui obid Scribas & Pharisæos vehemẽter increpauit, quod suis traditionib. Dei mãdatum irritum facerent. Et hodie in Ecclesia id inoleuit, vt, dum ritibus, cerimonijs, & signis humanitùs inuẽtis populum occupatis, prædicationẽ Euãgelij, & publicam Scripturarum interpretationẽ cõtẽnatis. Atq; tandẽ eò ventum est, vt, cùm significationes rituum atq; signorum à populo ignorẽtur, & sæpissimè à sacrificis qui eis vtuntur, plebs insulsè stupeat ad signa & characteres, elemẽtis mũdi affigatur, & omnia verbis occultis, crucibus & gesticulationib. tribuãtur, ita vt nostra salus elemẽtis mundi prorsus videatur alligata. Dicito quæso, quid ad intelligentiã vel obseruationẽ mãdatorum Dei cõducit, si pascha magis vno die, quàm altero celebretur? Qua de re traditionib. tã vehementer vltrò citróq; actum est, vt ea cõtẽtione orbis terrarum penè cõcuteretur. Quòd adolescẽtulæ, ac penè puellæ in monasterijs receptæ perpetuã virginitatẽ voueãt, & Ecclesiæ stipe alãtur, quomodo ex vsu fuit, vt melius lex Dei intelligeretur, aut impleretur? Lex Dei planè promulgata per Paulum non vult ab Ecclesia recipi nisi sexagenarias: si nunc fiat cõtrariũ, vt reuera fit, certè hoc nihil facit ad legẽ Dei intelligendã, nisi fortassè, vt nigrum album reddit manifestius, vtq; tenebræ magis lucem declarãt. Ita in præsentia cùm vos cẽseatis è diuerso faciẽdum q̃ sanciat diuina lex, vestra impia traditione monstratis, q̃ rectum fuerit institutum sp iritus sancti. Et ista consecratio iuuenculariũ tantũ ad maiorẽ obseruationẽ mandatorum Dei conducit, quantum demonstrauit Paulus, cùm diceret, eas contra Christum luxuriare. Implentur sanè omnia scortationib. & ab infinitis post satanam itur, vt Apostolus ætate sua fieri videbat. Quid rursus ad mandata Dei vel implenda, vel intelligenda cõducit ea traditio, qua statuitis, vt ne sacrificus audeat missam facere, nisi tot ac talib. vestib. prius fuerit instructus? Moriar, si vel ipse sacrificus quid ,ppriè singula quæq; illarum vestiũ sibi velint, intelligat. Denique quid ad legẽ Dei vel implendã vel intelligendã iuuamur, si is qui viduã vxorẽ duxit, vel priusquã ordinetur ad ministerium, vel ante baptismum, eaq; sit iã mortua, non possit ad sacrũ ministerium ordinari? Hoc quoq; habet vestra traditio. Et me prius tempus & spiritus deficerẽt, q̃ omnes vestras traditiones recẽsere valeã, quę hodie in Papistica Ecclesia receptæ sunt, & obseruantur: ex quarum vsu neq; meliores efficimur quo ad vitã, neq; illustramur quoad intelligentiã: sed potius per eas pietatis impeditur cursus, & doctrina quæ summum debet in Ecclesia locum habere, abijcitur. Doras præterea, vt tibi videtur, satis liberaliter, humanas traditiones iugum Domini aggrauare. *Sed* inquis, *id nil prorsus facere cõtra vota, cùm illa petant à iure diuino, quo & suadentur, & reddi præcipiuntur.* Non possum credere, te adeo esse obtusum, vt nõ videas quomodo cõtra vota facia regula quã adduxi: nẽpe iugũ Christi, q̃ illevoluit esse leue, à pastorib. Ecclesiæ aggrauari. Si Deus quemadmodum tu dicis, vota solùm õsoluit, cur vos illa præcipitis? Cur ipse modò tõ retines pertinaciter tua discrimina inter præceptum & cõsilium? Deus cùm votum, quẽadmodum tu affirmas, tãtummodo consuluerit, certè tãtò iugum eius vos aggrauatis, quãtò præceptum arbitramini grauius consilio. Quòd si dixeris, minimè vota præcipimus, cur igitur legitimistis, vt nullus absque voto cœlibatus nuptiato ministeret Ecclesiæ fiat? Negare hîc non potestis, quin faciatis necessarium, quod liberum Deus voluit, & id non quoad paucos & ignobiles, sed quoad amplissimum & nobilissimum Ecclesiæ ordinẽ. Præterea quòd scribis me affirmare, iugum Domini esse, tãtùm nosse mãdat, & in hoc me imitatum Lutherum nostrum, vt vocas, præsultorẽ, vt verum fatear, non intelligo quid balbutias. Sacraméto planè cõtendere possem, nusquam me talia prótulisse, neq; e vllo in loco apud Lutherum, verba quæ adfer, legisse. Quare apologiã de huiusmodi sentẽtia idcirco peto, quòd illam neq; dixerim, neq; nunc bene intelligam, neq; arbitrer id à me requiri, vt diuinationibus vtar. Scio quidẽ me in opera supererogationis non semel inuectum: vt quæ non possunt absq; magna superbia, & misericordiæ Christi contumelia vel iactari, vel defendi. Pro illis quidnam tu alibi scripseris, nescio: sed tantùm video quæ modò attingis, infirmissima esse ad illa cõfirmãda. Et quoniã de his latius dixi superius, me nũc vno verbo expediã. Cùm itaq; propriorum bonorum abdicationem quæris, an ego præceptã esse constituam, dico lege cõmuni & quoad omnes non esse præceptã. Adolescenti tamẽ qui Christum de sua salute consulebat, imperatam fuisse cõtendo, atq; illum peccasse grauiter, qui eã Christo petenti & iubẽti non prẽstiterit. Aio etiam ei, qui viderit, illam ad honorẽ Dei cõducere, & se ad eam vocari nõ dubitet, præcipi iure vniuersalis mandati, *Diliges Dominum Deũ tuũ ex toto corde, ex tota anima, omnibusque viribus tuis.* Quomodo enim aliquis hoc præstat, qui, cùm possit, id non vult facere, quod videt fore Deo suo gratum & honorificum? Quod idẽ & de cœlibatu sentio, ac de virginitate, quãdiu ad ista vires Deus elargitur. Neq; obstat meæ sententiæ, quòd Paulus dicat, præceptum Domini se non habere. Quoniã id intelligit in vniuersum. Non enim omnib. ista genera vitæ prescribuntur, sed illis tãtum qui possunt, quiq; intelligunt, p hæc Dei nomen se illustraturos. Quæ cũ non sint ea dẽ in omnibus, ideo Paulus cõsilium dat, vt quisque videat quantum possit, & quid honori Dei magis conducat. Atque ita statuẽdo nuptias mi

Abdicatio bonorum an sit præceptа.

nimè condemno, neque cuipiam laqueum inijcio: quandoquidem nuptiæ sunt omnibus licitę, atque a omni hominum ordine possunt contrahi. A quibus tamen abstinebit, quicunque se viderit & cœlibatus donũ habere, & absque coniugio regno Dei magis posse prodesse. Laqueus verò nijcitur à vobis, qui cœlibatũ ab his qui ad illũ apti non sunt, & voto nũcupari, & voto facto præstari cogitis. Quòd verò legem ipsam melius quàm tu, intelligã, inde apparet, quòd præcepti summũ, *Diliges Dominum Deum tuum toto corde, ota anima, & omnibus viribus*, vnde tota lex pẽdet & prophetæ, omnibus modis tueor: cùm tu illud miris sophismatib. coneris diluere atque enervare. Quisnam verò ad hæc sit Scripturæ sensus genuinus, tam tu potes ex meis dictis colligere, quòd ego ignorem, quàm ego ex tuis verbijs intelligo, vt sensib. illius tu abutaris. Nã per allegorias etiã confictas dogmata quæ libuerit, probare niteris. Et quã falsò me insimules, quòd habeã sacras literas, vt Lesbiam regulã, id satis docet, quòd omnib. iam manifestissimũ esse spero, nullos esse, qui magis quàm nos, genuinũ sensum verbi Dei rimẽtur: nos enim semper à traditionib. ad Scripturas prouocamus, vt quibus maximè velimus obedire, atque inde corrigi, si quid minus rectè dixisse cõuincamur. Vos autẽ sancta Scriptura verisimè abutimini vt Lesbia regula. Nã quic quid traditionũ & rituũ ipsi vobis cõfinxistis, id ex Dei verbo confirmare minimè curatis: etsi quod interdum fortasis inde petitis, tam ad causam vestram facit, quàm terra cum cœlo hacet commercium. Sat habetis, modò vna vel altera vocula videatur alludi ad vestra commẽta, & impudenter ficta mendacia.

OBIECTVM XI.

PRodit Exod codex, nemini è turba Iudæorum licuisse carnibus agni paschalis vesci, nisi qui renes accinctos habuisset, hoc est, castè vitam transegisset. An non igitur eò castius debeant nostri sacerdotes vitã traducere, quo sacrosanctus nostri seruatoris corpus, quod conficiunt, atque confectum edunt, præstat agno illi typico? Cui succinit, quod Achimelech sacerdos noluerit prius Dauidi & suis panes propositionis comedendos suppeditare, quantumuis inedia laborantibus ac fame, quàm testati fuerint se mundos fuisse à suarum coniugum amplexibus, nedũ alienarum. Quid ergo nónne par est sacrificos huius temporis maiori continentia commendari, atque redimiri, vt qui non typicos illos panes contrectant atque vescuntur, sed ipsissimam rem per hosce adumbratam, nempe verum Christi corpus contingunt, consecrant, offerunt Deo pro viuis & defunctis, præbent alijs, denique edunt? Hortabatúrne Paulus Corinthios vt abstinerent à commercio connubiali, quò operam darent precationibus, perinde ac si cõcubitus quantumlibet licitus, & infra nuptiarum cancellos coercitus, præpedimento illis foret, ne præ dignitate Deum comprecarentur? Cùm itaque huius ætatis sacrifici nunquam non obstringuntur esse idonei, vt Deum fatigent precibus sibi crediti gregis nomine, quò illum eis popitium reddant, atque quotidie deuinciantur Eucharistiam consecrare, ac consecrata vesci, quis ibit inficias, debere eos perpetuò excolere vitæ continentiam quò Deum semper sollicitent, cum precationibus ijs quæ populum illi commendent?

DEFENSIO.

IAm hoc loco Smythæus nititur ex sacris literis ostendere, non conuenire cũ sacris ordinibus matrimonium. Cumq; nullum testimoniũ posset vspiam inuenire, quo id apertis & explicatis verbis dicatur, aut ex professo tractetur, quod supereſt, tentat ex dictis aliorsum spectãtibus id colligere. Primũ argumentũ deducitur ab Israelitis, qui iubebantur accinctis renibus agnum typicum edere. Quid certæ fidei, aut solidi roboris hoc habet? Ex allegoria tota vis rationis constat: quæ vt infirma sit, nunquam putaui Smythæum celeberrimum theologũ, vt se profitetur in libelli huius inscriptione, latêre. Quoad illum habitũ nil ex historia colligitur aliud, quàm Deum voluisse, illos paratos & expeditos esse ad iter faciũdum statim, vt ex Aegypto extruderẽtur: quod ea nocte futurũ probè sciebat. Vides itaque vno verbo me dicere potuisse, nil tuam allegoriam efficere, quum aliò spectet historia. Sed quia scio multos & pergraues autores delectatos illa significatione, quam tu adducis, vt renes succincti castitatem referant, hîc figo pedem, & quæro, eo posito atque concesso, quod assumis, quid inde sis assequutus? Nónne, vt sæpè dixi, coniugiũ quoque suam habet castitatem: quandoquidem illic & vagæ reprimuntur libidines, & adulteria vehementer damnantur? Deinde nónne intelligis omnes Christianos oportuisse illis aureis Ecclesiæ tẽporibus, quando legimus, fideles quotidie cõmunicasse, matrimonio & nuptijs prorsus caruisse, si tua hæc argumẽtatio robustè cõcluderet? Sed ad Testamentum ipsum vetus redeo. Nónne Aaron familiaq; eius, vxor, inquã, & filij & filiæ sacrificiorum carnib. & alijs oblationibus perpetuò vescebantur? quæ omnia fuerunt sacramenta veteris legis, vt ille paschalis agnus, de quo tu loqueris. Et tamen absque nuptijs & matrimonio non viuebant. Ad hæc quando Aaron ipse solus fungebatur sacerdotio, atque ideó quotidie ministrabat, si quidem non erant adhuc vices per Dauidem & Salomonem institutæ, quomodo obsecro te, quũ haberet vxorem, dabat operã liberis? Non est leuis quæstio, vt in qua plurimum laborarit Augustinus, quæstione 82. super Leuiticum: & in ea cum non videretur sibi ipse planè satis fecisse, in secundo Retractationũ cap. 55. de ea rursus agit. Quare cum potuerit iuxta Augustini sententiam, summus ille sacerdos, qui quotidiè ingressurus erat tabernaculum ad iuge sacrificium manè ac vesperi offerendum, atque ad suffitum faciendum coram Domino, liberis operam dare, cur & nostri ministri tempus nó poterunt

inuenire aptum vsui matrimonij? Quanquam hîc non dicam quàm Augustinus, & alij quidam sint hallucinati, putantes concubitum cum legitima vxore in Veteri Testamento, fuisse inter illa, quæ hominem redderent immundum, vt Scriptura loquitur vsque ad vesperam. Verum de hoc paulò pòst fortasis non nihil dicam. Nunc verò vt rem propositam agam, ex tuo argumento aio, nihil aliud elici, quàm oportere profecturos in cœlum, quod maximè fidelibus conuenit, dum sacramenta percipiunt (mens enim illorum per fidem in cœlum subleuatur) omnes coercere suas prauas cupiditates, quas si propter vocem Lumborum, ad Venereas contrahere volueris, nihil habebis hinc aliud, quam esse necessarium vt non diffluant, neque vagæ sint, sed verbo Dei constrictæ, quoad coniugatos intra iusti matrimonij fines contineantur. Video te prætereà, duplicem collationem in hoc argumento facere. Prima est nostri sacramenti ad agnum paschalem, in qua licet concedam, sacramenta Euangelica præstare quibusdam prærogatiuis & conditionibus sacramentis veterum, vt Augustinus non semel dixit, non tamen patiar tantam contumeliam patribus veteris Testamenti abs te irrogari. Videris enim statuere, illos tantummodo habuisse vmbras: cum re vera, inter eos qui spiritu præditi erant, ipsum eundem Christum fide perceptum fuisse constet, quem & nos ipsi fide sumimus. Quod mihi nunc obiter dixisse sufficiat. Nam quæstionem hanc modo plenè tractare, plus temporis requireret, & plus prolixitatis, quàm nunc adhiberi possit. Verum hoc tantùm dicam, non esse me solum, qui hoc tribuam sacramentis Veterum. Nam Paulus ipse priore ad Corinth. cap. 10. ait, illos eandem escam máducasse, quam nos manducauimꝰ spiritualem. Item nobiscum eundem bibisse spiritualem potum. Et ne ambigas, adiecit disertis verbis, illos percepisse Christum. Ná ait: *Bibebant de spirituali consequente eos Petra: Petra autem erat Christus:* His cũ nihil apertius dici possit, abũdè, si sapias te monitum putò, ne posthac veterum sacramenta ita contemnas. Altera tua collatio est, quod ministri præ cæteris debeant esse casti, quòd corpus Christi non solùm edant, sed etiá vt verè dicis conficiant: non enim aptius potuit, significari tanta corruptio, atque perditio, quantam in suas missas per istam consecrationem, seu excantationem secretam panis & vini inuexerunt. Primùm non negabimus, ministros Ecclesiæ cæteris debere sanctiores, & castiores esse, nec non omnibus virtutibus magis ornatos, cum doceant alios: vnde non solùm verbo, sed vita etiam illos oportet esse formam commissi gregis. Sed id, quod tu videris per ista innuere, minimè dabo, summam dignitatis ministrorum in eo sitam, vt panem & vinum, quemadmodum tu dicis, conficiant. Finis vtique sacramenti est Eucharistiæ, vt edatur, & bibatur: quum, vt rem non ignores, extra vsum non sit sacramentum: neque aliter è sacris literis vnquam poteris euincere. Vos autem ideo isti confectioni, vt loquimini, tantum datis, quoniam infinita illic miracula per vestram mendacissimam transubstantiationem fingitis: quæ omnia vt mendacia sunt, vos quã longissimè abducunt à veritate. Quid est aliud, quæso te, si sacras literas velis consulere, administrare sacramenta, quàm verba Euãgelij recitare in sacro cœtu, & sacramenti partes, hoc est, panem & vinum ad manducandum & bibendum fidelibus proponere, memoriam Dominicę mortis repetẽdo? Quod si obstrepas etiam propter ministerium huiusmodi oportere illos qui sacris præsunt, absque coniugio esse, vt sua castitate cæteros vincant, respõdebo, te nil aliud ex illorum functione ac præeminentia posse colligere, quàm par esse, vt ipsi cęteris temperantius agant: non tamen vt omninò sint absque coniugio, quum Paulus ad Timotheum & ad Titum maritos quoque admittat ad sanctum ministerium. Atque, vt paucis dicam, est de coniugio, vt de opibus diuitijsque huius mundi, vt de cibo & potu, atque alijs id genus. Clericis quidem concedo, mortificandas esse cupiditates circa hæc præ cæteris: non tamen dabitur, esse cogendos vt absque vllis opibus & facultatibus degant: decétque non solum vt à crapula, & ebrietate sibi temperent, sed etiam ab intempestiuis & comessationibus, & compotationibus. vtq; se ieiunijs & frugalitate exerceant frequentius, in matrimonio etiam temperanter degant, vt patitur illorum naturæ conditio, non tamen eo prorsus, quum opus habuerint, abstineant. Secundo loco rationem adducis ex vigesimo primo capite primi Samuelis, vbi legimus Achimelechum sacerdotem, cùm diceret Dauidi, se non habere nisi panes propositionis ad manum, quos illi esurienti dare posset, eos tamen se daturum testabatur, si pueri mundi essent à muliere. Sacerdos, inquis, iste sanctos panes dare noluit, nisi certior fieret de munditia illorum à coniugum amplexibus, nedum alienarum. Nónne itaque par est, sacrificos, qui ipsissimam carnem Christi commedunt, & pro viuis & mortuis offerunt, maiori castitate ornari? Quid ista discrimina nunc ita oportuit exaggerari inter laicos & ministros. Nónne vtrique commedunt Eucharistiæ idem sacramentum Quòd si laici hodie non faciunt singulis diebus, antiquitus tamen commedebant: præsertim in Romana Ecclesia vt Augustinus testatur, & Hieronymus, & Ecclesiastica historia. Quòd verò ais carnem ipsam Christi à sacrificis offerri etiam pro defunctis, pessimum refers vestrum exemplum, & multarum maximarumque superstitionum fomentum. Christus ipse obtulit semetipsum, neque est, quòd aliun sacerdotem asciscat, à quo patri offeratur. Ipse sacerdos est & hostia, & vt in epist. ad Hebræos legitur, vna hostia consummauit omnia. Quòd si per oblationem seu sacrificium intellexeris memoriam illius hostiæ, quam ipse in cruce

Concubitus cum vxore in vetere lege nõ prohibebat cõ iuges immundos.

Ministros Ecclesiæ cæteris esse sanctiores & castiores cæteris esse oportet.

Finis Eucharistiæ.

obtulit, & pro illa gratiarum actiones, ista non sunt propria ministris, cùm etiam pertineant ad omnes fideles, qui vnà cum illis communicant. Præit quidem verbis minister, sed nõ solus illam memoriam celebrat. Preces quoque simul ab omnibus fiunt, qui sunt eiusdem mentis participes. Verum qui pietatem vllam spirant, & sapiunt, nequaquam pro defunctis orãt, ne purgatorij confabulãt erroré, quẽ tu stultè defendẽdo, nescio quę audus es deblaterare in dominũ Doctorem Coxum regię maiestatis eleemosynarium, Oxoniẽsis Academiæ tum temporis moderatorem, vtq; vos loquimini, cancellarium. Quę ab illo cùm vir sit grauis, pius, atque doctissimus, ego nũquã audiui proferri, quum tamen omnibus illis disputationibus, quas tu cõmemoras, semper interfuerim. Quare, vel illa tibi cõfinxisti, qui mis Vulcanus mẽdaciorum, vel saltem ita narrãdo inuertisti, vt pro verbis illius viri, quę tu refers quantum ego arbitror, à nemine haberi debeant. Nec potuit sanè ille, quum vndiq; te sit longè doctior ita loqui, vt tu illum loquẽtem facis. Sed ab ingenio deduci non potes, quod tibi cum Harpyjs commune est. Vt enim de illis dicitur, ita tu deuoras, quę potes: alia verò fœdas, polluis, cõtaminas, quæcũque vllo modo attigeris. Nunc si potes, vel vnum testimonium proferas, aut ex Euangelio, aut ex Apostolis, vnde didiceris, carnem Christi hodie à sacrificis offerri pro viuis, & mortuis. Quod si fieri non potest, desine tandem mentiri. Non quidem me latet, consueuisse antiquitus in Ecclesia dum communio celebraretur, pro omnibus Deo gratias agi, qui in religione præcessissent, quòd dignatus esset vsque ad finem illos constantes in fide seruare. Vt autem à pœnis vllis, de quibus incerti sumus, liberarentur, precari nunquam vetustissimis illis Ecclesiæ temporibus vsitatum fuit. Verùm his omissis, ad Achimelechum veniamus, de quo tu, tuique similes tot ac tanta iactatis. Quomodo ex eo loco concludis tu, illum quæsiuisse de Dauide, an pueri eius mundi essent ab vxorum suarum amplexibus? Id Scriptura non dicit, ipse hoc tua interpretatione assuis. Domo aberant, neque verisimile est, secum habuisse in itinere vxores, quum Dauid sacerdoti dicat, se expedite, ac penè occultè arripuisse iter, pueriq; cerũ hcum condixisse. Fingebat enim regem sibi eli aliquid mãdasse faciundum. Proinde nõ est verisimile de vxoribus magis quàm de alijs mulieribus fuisse quæstionẽ. Dices fortasse Dauidis integros mores non visos fuisse pati, vt de illegitimo coitu, siue scortatione quæreretur. Facita esse, nõ solũ pro Dauide interrogat, sed etiã pro eius pueris: quos ex verbis Dauidis intelligere poterat, toto itinere nõ iuisse cũ illo, quo abierat, aliquid fortasse peccare potuissẽt. Præterea quod etiam de alia immunditia quęrere potuerit, quã de cõplexu legitimæ vxoris, ex eo licet cõijcere, quod mulieres quæ fluxum mẽstruũ patiebãtur, in lege fuerunt immundę, atq; ita immũdę, vt quicunq; vel illas, vel vestimenta, vel sellas, vel stratũ earum attigissent, immũdi efficerẽtur. Quod idẽ cõstitutum erat de mulierib. quę peperissent, quoad abijssent dies à partu in lege definiti. Cũ itaq; tot alię cõtaminationes à mulierib. esse possint, quare tu, quæ dicũtur solũmodo ad legitimũ cõgressũ cõiugũ detorques? Præsertim cũ ex lege domini certũ locũ ostẽdere nõ valeas, quo (si hebraicã veritatẽ sequaris) probes matrimonij vsũ reddidisse cõiuges immũdos. Scio te vnà cũ multis ex veteribus in eo esse hallucinatum, quod istius rei putaris in Leuitico mentionem fieri cap. 15. Verum quę ibi scribuntur, & visa sunt multis huc ptinere, de semine dicũtur quod ex dormiẽtib. interdũ effluit. Inde voluit lex, vt homines redderẽtur immũdi. De coitu autem cũ vxore, ne verbum quidem, licet versio Latina eius meminerit. Sed ibi translator potius egit paraphrasten, q̃ interpretem: & quę addidit ex suo, minime sensui verborũ legis cõueniũt. Atq; de hoc tibi nõ adducã testes commẽtaria Hebraica, vt possẽ, neq; Mũsterum, & Paulum Phagium, viros Hebraicę linguę peritissimos: quoniã testimonia huiusmodi fortasse cõtẽneres. Monebo tãtũ Cardinalẽ Caietanũ, Steuchũ, et Vatablũ quos nõ potes dicere Lutheranos, idẽ vidisse, ac iudicasse. Qđ si me roges, quare Deꝰ in lege voluerit sõniale, vt ita dicã, semẽ homines immũdos reddere, nõ aũt legitimũ cũ vxore cõgressũ, respõderẽ (licet id in præsẽtia explicare, vt res postularet nimis longum esset) vno verbo: Cœsus ille, de quo loquimur, quum in somnis accidit nobis, inquam, & imprudentibus, & nolẽtibus, res est absque fructu, neque finem assequitur, ad quem fuit ab initio condita. Nec enim semen homini ea de causa est attributum, vt sic inutiliter effundatur, cùm inde procreatio legitima sequi non possit. Deinde hinc apparet nostra infirmitas: nam qui nostrarum rerum deberemus esse domini, eas que ita in nostra potestate habere, vt nobis nolentibus aut imprudẽtibus nõ excideręt, propter peccatum eò redacti sumus, vt multa quę nollemus, inuiti patiamur. Quod vt est ab humana perfectione alienum, sic dum immũditia legis notatur, extimulat nos, vt liberationem ex corpore mortis huius vehementius optemus. Eandemque rationem immunditiei mulieris à partu, & fluoris mẽstrui possumus assignare. Hac sanè pędagogia veteres in lege docebantur. His etiam addere potes casum illum nocturnum sæpe accidere ob turpes cogitationes, quæ interdiu præcesserint, aut ex intemperantia, vel cibi, vel potus, quæ culpa non sunt vacua. Ideo hac immundicia in lege demonstrata, Deus nos voluit culparum huius modi admonitos. Hæc autem vitia, cum ad coniugale opus non necessario adhærescant, ideo inter immunda non recensentur. Verum tu quum Hebraica nescias, & non solus imò cũ multis errauerís, facilè quoad hoc à me veniam impetras. Adhuc tamen video argumẽtum, quod ex facto Achimelchi, vel ex ista lege adducis, quæ testari videtur, congressum legiti-

Richardus Coxus Anglus Theologiæ doctor.

Caro Christi non potest à sacrificis pro mortuis offerri.

Historia Dauidis & Achimelechi.

Locus Leuitici declaratur.

Pollutio somnialis cur in lege immunda reddiderit.

legitimum cum vxore immundum reddere, ni
hil fermè ad tuam causam hoc nostro tempore
pertinere. Quoniam fatearis, necesse est, legales
immumditias, Christi beneficio & gratia mi-
nimè nunc habere locum, Dic obsecro, si forte
fortuna murem attigeris, aut cadauer, nũ tibi
ea de causa iudicabis ab Eucharistię perceptio-
ne tęperandũ? Id tamen in lege veteri reddidit
homines immundos. Quòd si hęc per Euange-
lium sublata sunt, etiam si darem cõgressum le-
gitimum cum vxore in lege immunditiem pe-
periisse, cur hanc vnam inter alias vis adhuc vi-
gere, nimirum, vt nostro tempore coniuges
post legitimam commistionem reddantur im-
mũdi? Profectò etiam si olim sub lege sic fuisset,
tamen hodie debe remus censeri liberi. At cum
sub lege, vt dixi, nõ fuerint immundi, certè nũc
multo minus pro immundis haberi debẽt. Ex
Dauide autem, cùm in itinere esset, potissimũ
quæsiuit sacerdos de immunditia mulierum,
quòd ea domi facilius caueatur, quàm dum pe-
regrinando in diuersorijs homines esse cogun
tur. Ibi enim facilè fit, vt mulieres ob fluorem
menstruum immundæ, aut nondum, quãtum
lex præcipit, à puerperio purgatæ ministrando
aut ipsos, aut vestes, aut cibos attingant, vnde
qui peregrinabantur, immundi reddi potuerãt.
Postremò vehementer admiror quomodo ipse
non videris, hanc ipsam rationem, quam pro te
adducis, maximè contra te facere. Si enim dum
habuerunt suam vim hæ legales immunditiæ
sacerdotibus non fuit à matrimonio abstinen-
dum, hodie cùm sublatæ sint quare ministros
Ecclesię sic arcetis à coniugio? Ne mihi dixeris
quoniã veteres habuerunt suas vices, & diu po
terant à sacro ministerio vacare: quod nostris
non accidit, qui astringũtur quotidie ministra-
re. Non vos absoluit hæc responsio. Primũ quo
niam serò fuerunt illę vices sacerdotũ per Da-
uidem & Salamonem institutæ. Siquidem an-
tiquitus cogebantur ferè quotidiè sacerdotes
ministrare. Neque vices illæ sacerdotales ideo
fuerunt inuectæ quemadmodum vos fingitis,
vt ministerij tempore sacerdotes ab vxoribus
abstinerẽt. Id enim è scripturę verbis nusquam
habetis. Sed potius id videtur factum vt inter
ministros Dei certus ordo seruaretur. Vnde q̃-
libet familia eorum ad honorẽ ministrãdi Deo
interdum admitteretur: quod nõ fuisset, si per-
petuò vnus aut alter in tabernaculo sacra pere
gisset. Omnibus visum est, vt honor haberetur,
& nulla sacerdotalis familia erat prætereunda,
maximè cùm ex oblationibus & sacrificijs ali-
quid emoluměti semper illi sacerdoti, qui mini
strabat corã domino, accederet, cuius omnes,
cũ essent per vices distributi reddebantur par-
ticipes. Conducebat præterea hæc alterna-
tio sacri ministerij ad hoc, vt familię cuique da
retur spatium, & quies, vt rẽ familiarem sacer-
dotes possent administrare. Neque video quo-
modo abs te verè dicatur, nostros ministros de
bere quotidie sacris functionibus incumbere.
Te ipsum rogo, quando eras Oxonij, quàm fre-
quenter populo sacramenta ministrabas?

A Quòd si tibi vacabat conuiuijs, & compo-
tationibus, vt cætera taceam ferè quotidie
interesse, dic quæso, quomodo non vacas-
set vxorem legitimam habere? Certè quilibet
ex tuis cõgerronibus, dum hęc tua leget, facilè
dicet secum, ad populum Phaleras, ego te intus
& in cute noui. Sed vt iam finem faciam de hoc
argumẽto plura dicẽdi, quę attuli, paucis colli-
gam. Primùm accipis Achimelechum interro-
gasse, an mundi essent ab vxoribus, quod in sa-
B cro textu non habetur, quum simpliciter dica-
tur à mulieribus. Sumis præterea iuxta legem
veterem fuisse immundum legitimum congres
sum cum vxore, quod nusquam poteris demõ-
strare. Vis deniq; cõficere propter hãc immun-
ditiam debere nostros ministros esse absq; cõ-
iugio cùm potius ista de causa veteres sacerdo
tes debuissent esse cœlibes, quorum tẽpore il-
lę immũditię legales habuerũt locum, quę no-
stra tẽpestate sunt per Christũ sublatę. Ad histo
C riam Achimelechi adijcis Pauli verba, quæ scri-
psit in 1. ad Corint. cap. 7. *Ne fraudetis inuicẽ, nisi fi
quid ad tempus ex consensu, vt vacetis ieiunio, & preci
bus, & redite in id ipsũ*, &c. Hinc tu sumis coitum
quantumuis legitimum impedimento esse, ne
Deum præ dignitate oremus: & quum nostri sa
crifici debeant parati esse ad orandũ pro popu-
lo sibi commisso, iure meritoque debuisse con-
stitui, vt sint absq; coniugio. Hic primùm te sci-
re velim, quod si de communibus & vsita-
D tis precibus loquamur, cùm illæ debeant ab
omnibus Christianis perpetuò coram Deo
effundi, si coniugali mistione impedirentur,
nullus Christianorum licitè posset sua vxore
vnquam vti. Dicit Christus in 18. Lucæ: *Opor
tet semper orare, & nunquam defatigari.* Et Paulus
habet priore ad Thessalonicenses capite quin-
to: *Sine intermissione orate.* Quare non est dicen-
dum, intellexisse Apostolũ preces cõmunes &
quotidianas, quãdo ait Corinthijs, licere vt ali-
E quãdo vacent ab opere coniugij ob preces: sed
loquebatur de his, quæ interdum summa reli-
gione indicuntur ob aliquam necessitatem po-
puli, vel ecclesiæ, quæ magni sit momenti. Atq;
ita esse patet ex eo, quòd illis ieiuniũ cõiungit.
Scimus autẽ, cùm apud Hebręos, tum in Eccle
sia nostra consueuisse aliquas preces, & vehe-
mentes, & serias interdum susci pi: in quib. ieiu
nabatur: ibiq; propheta monebat, vt sponsa de
thalamo suo egrederetur, volebatq; sanctificari
F ieiuniũ, et ad cinerẽ & ciliciũ omnes cõfugere,
quo magis ad Dominũ in fortitudine clamare-
tur. Hoc precũ genus haud quotidie fit, neq; vlte
rius quã ad vnũ diẽ, vel ad biduum, seu ad triduũ
summum extrahitur. Fit etiam vt quandoque
priuati homines, ob aliquas iustas causas in sua
familia preces instituãt, & ieiuniũ ad aliquod
tẽpus, vt Esther domi suę fecit, Dauid à Natha
ne proheta correptus, & Achabus ab Elia re-
prehensus. De his itaq; precib. credendum est,
G Paulũ tũ egisse. Nã si de cõmunibus & vsitatis
ibi loqueretur, omnes, vt dictum est, Christiani
deberẽt vxorib. carere, cũ omnib. vt sãcta scri-
ptura præcipit, assiduè sit orandũ. Duo præte-

rea in illis Pauli verbis debuerant annotari: vnum, id ab Apostolo non iuberi, vt à coniugibus fiat, impera t quidem vt se mutuò ne fraudent: deinde m onet, posse intercedere aliquâ intermissionem, aut vacationem ab opere coniugali, sed quæ non fiat nisi consensu mutuo: & addit particu lam, si quid, subijcitque vt ad idem reuertãtu r: quæ indicant non fuisse diuturnas illas pre ces, de quibus agebat. Alterum, quod præteriri non debuit, est, quod additur ieiunium: dicit enim: Vt ieiunio & precibus vacetis. Siquidem vt abstinentia ab opere coniugij, sic etiã ea, quæ est à cibo & potu, iuuat preces, illas q; reddit contentiores. Vnde cùm Paulus ista duo iungat, cur Smythæus & eius complices tantũ à ministris auferunt matrimoniũ, non aũt cibum & potum? Etenim si ratio valet, quã ex his Apostoli verbis adducunt, ita de ieiunio est intelligenda, vt de separatione à complexu coniugum. Erit itaque sacrificis ita perpetuò ieiunandũ vt perpetuò carendum vxorib. Si autem respondeant id humanam naturam minimè pati, vt semper ieiunetur, identidem nos dicemus, non pati eandem hominum naturam, vt sint omnino absque vxoribus. Quod nimis, proh dolor, firmiter probant, sacrificorum assidui lapsus, & continuæ aduſtiones. Proinde sciant docti pijque ministri, quum habuerint coniuges, tempora captare, suas actiones ad functionem inluctam sic adaptare, vt & non sit vxoribus perpetuò carendum, neq; à suscepto ministerio desistendum: Fatemur quidem con- A iugale opus, cibum & potum omnesque voluptates corporis, quantumuis honestas, mentẽ nonnihil distrahere ab attentione atque contentione precum, cum tamen inde non sequatur ab his perpetuò abstinendum: quod alioqui interdum ad vnum aut alterum diem fieri debet, nimirum quando maiori studio videtur esse orandum. Hoc modo inuenies Deum præcepisse in Exodo, cum esset descensurus in montem Sina, & legem laturus, conspiciendus que, B ac audiendus ab vniuerso populo, vt Israelitæ vestes lauarent, atque triduo ab vxoribus abstinerent. Argumentatus est itaque Smythæus à secundum quid ad simpliciter, vt aiunt dialectici. Ex eo enim quòd Apostolus monet, vt aliquando abstinearur, ille colligit semper esse abstinendum, & omnino matrimonio carendum. Ita ratiocinari putat sibi licere. Et ex eo, quòd sacerdotes, vt dicit, præ cæteris debeant esse ad C preces perpetuò intenti, ab vxoribus oportere semper arceri. Et non videt eadem ratione, vt demonstraui, fuisse illis perpetuò ieiunandum. Potuissem hîc etiam commemorare infinitum esse numerum illorum, quos isti dicunt sacerdotes, qui vix ter, aut quater in anno publicas preces coram populo habent, neque se aiunt ad id astringi. Quare oportebit Smythæum vel illos ex albo cleri expungere, vel eis matrimonium concedere. Nam summota causa, non est necessarium vt retineatur effectus. Sed quoniam iste D ad hæc iam peccalluit, & præ silice obduruit, ea sanioribus expendenda relinquere statui.

OBIECTVM XII.

ITaque tandem astruis, Ecclesiam catholicam (*quòd ea non hoc tantùm tuum dogma, sed reliqua omnia damnanit*) aberrare, atque amplecti errata subinde, quod facit in hac, inquis, controuersia de cœlibatu clericorum. *Quàm tu erres hîc Petre turpiter, vel qua hîc cõpendio subnectuntur reuincunt. Nónne promisit Christus, qui veritas est, portas inferorum, hoc est, hæreses & vitia lætifera, quibus itur ad inferos, non esse præualituras aduersus Ecclesiam suam? Quomodo itaque vniuersæ simul Ecclesiæ aberrabunt à fide Christi? Quid enim est Ecclesiæ portas inferorum præualere, si id non sit? Deinde pollicebatur Christus se futurum cum Ecclesia vsque ad finem mundi. Quomodo lib exasset Christus hanc fidem, atque stetisset promisso si errauerit, atque adhuc erret Ecclesia vniuersalis & catholica? Poteritne illa à fidei veritate tota recedere, cum qua perpetuò est ipse veritas? Ad hæc promisit Christus Apostolis suis, se his demissurum spiritum veritatis, qui omnia eos doceret, atq; maneret cum eis in æternum. Hoccine est, spiritus veritatis adesse indefessè Ecclesiæ, pati eam labi in fœdos errores, totamq; à fide & pietate deflectere? Poterúntne illuc irrepere, ibique grassari funesti errores contra fidem Christi, vbi veritatis spiritus præsidet ac sedet à gubernaculis? Accedit his, quod Christus, vt author est Paulus tantopere dilexit Ecclesiam sponsam suam, vt pro ea sese litaret Deo patri. Et tamen passus est eam tam multis retrò annis adeò crassis & fœdis implicari erratis? Estne hoc tam flagrantis & rari amoris specimen? Postremo Ecclesia, vt ait Paulus, est columna & fundamentum veritatis. Qui ergo fieret, vt illa vniuersa erret & præuaricetur ab ipsa fidei veritate? Quiueritne fundamento veritatis superstrui hæresis, aut columnæ, & basi veritatis inniti impius & exitiosus error quispiam? Nónne inter se veritas & falsitas pugnant ac diuersa sunt, vt in vna sede morari aut consistere nequeant? Nónne fefellit nos Christus, cum dixerit se fore in medio duorum vel trium in nomine eius congregatorum? si vt synodi in quibus multæ fuerint congregatæ centuriæ hominum, à fide aberrarint, quando quæ tu tuiq; similes damnatis, decreuerunt? Precatúsne est Christus pro Petro, vt non deficeret fides eius? Exorasse tũ quis ibit inficias postquam ipse dixerit, patrem suum se semper audire, & Paulus, nunquam non exaudire pro sua reuerentia? Proinde dic mihi, quomodo catholicæ Ecclesiæ, pro qua Christus orauit, qui non est passus repulsam, sed semper impetrauit quod petijt, tot centenis annis fides defecisset?* Et mox. *Quo igitur ore fueris, qui dixeris cœlibatum sacerdotum, monachorum, & nonnarum, quem ab ipsorum Apostolorum, imò Christi temporibus huc, usque Ecclesia approbauit, amplexa est, exercuit, bonæ vitæ mortalium aduersari? Nunc excutiamus Petri istius testimonia, quibus subnixus asseruit errare catholicam Ecclesiam. Allegabat illud Matthæi vigesimoquarti:* Surgẽt pseudoprophetæ & pseudochristi, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt inducantur in errorem, si fieri potest, etiam electi. *O hominis cæcã inscitiam, qui quod de temporibus Antichristi tantùm, deq; tunc futura persecutione, & tentatione dictum est, vt Chrysostomus optimè interpretatur, imò contextus ipse palam edocet: is id refert ad nostra hæc & propria tempora, cum tamen si spectaret ad hoc tempus, nihil hinc haberet prorsus,*

ret prorſus, ſuffragij ad ſuam conſtituendam opinionem pluſquam impientiſſimam. Nam finge iam tam magna ſie, ri ſigna & prodigia ab impijs pſeudoprophetis, & pſeudochriſtianis, qualis tu Petre es, vt, ſi fieri poteſt, ſeducantur etiam electi, quid tum vis hinc inferre, catholicam Eccleſiam errare in fide? Quam ſpeciem, quæſo, bonæ & iuſtæ collectionis habet hæc ratio tua? Nonne his verbis voluit Chriſtus ſignificare electos non poſſe vlla vi tentationum ſeduci? Et idcò docet hic locus totam Eccleſiam non poſſe errare? Diuus Chryſoſtomus enarrans illud Pauli. Nã myſterium iniquitatis agit, *&c. quod tu allegaſti quo probes Eccleſiam vniuerſam errare, ſic habet:* Neronem hic dicit, tanquam typum Antichriſti gerentem: nam ille volebat reputari Deus. *Idem habet Theophylactus. Primatius Auguſtini diſcipulus intelligit Antichriſti præcurſores, quia iam Antichriſti ſunt, vt ait Ioannes, multi. Adde his quòd Sedulius Hibernienſis ait, hoc dixiſſe Paulum, quòd Antichriſtus operetur per mẽbra ſua myſterium iniquitatis qui falſis doctrinis peruium faciunt iter eius. Iam dic mihi Petre, quonam pacto liceat tibi ex hoc Pauli contextu colligere catholicam ſeu vniuerſalem Eccleſiam errare in Chriſti fide? Nunquid probè ſic collegeris: Nero typum gerens Antichriſti operabatur tempore Pauli myſterium iniquitatis, ergo catholica ſeu vniuerſa Eccleſia errat in fide? Vel Antichriſtus iam agit per ſua membra myſterium iniquitatis, igitur tota Eccleſia aberrat à fide? Quis vnquam audiuit aut legit huiuſmodi argumentum vel à mediocriter docto theologo contextum?*

DEFENSIO.

CVm iſta obijcis, aperte demonſtras, quid per Eccleſiam intelligas, nimirum colluuiẽ Romanorũ pontificum, cardinalium, epiſcoporum, & magiſtrorum noſtrorum, fynodos quaſcunq; & abſq; vllo diſcrimine, ſcripta Patrum, addas etiã conſenſum aliquẽ principũ, & popelli, ſeu plebeculæ parum in verbo Dei per veſtram negligentiãmne an malitiam dixerim, doctæ ac eruditæ. Nam multitudinem hominum indigeſtam cum Eccleſiam appelles, non pateris eam vllo modo inſimulari erroris, præſertim quoad fidem, & ea quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria. Qua in re vt vehementer erres permulta facilè demonſtrant, quæ in hac tua Eccleſia fuerunt ſæpius & decreta & recepta. Per eam purgatorium eſt conſtitutum, cultus imaginum confirmatus, inuocatio mortuorum conſtabilita, ſacramentum Euchariſtiæ mutilatum, tyrannis Papæ admiſſa, idololatria deteſtabilis erga panem & vinum in Euchariſtia inducta, miſſarum priuatarum abuſus, & deniq; me tẽpus deficeret, ſi vellẽ omnes eius fœdos & turpiſsimos lapſus commemorare. Atq; cum ſæpe Concilia pugnent cum concilijs, & Patres cũ Patribus etiam in his quæ ad fidem attinent, quomodò ab erroris labe abſolues Eccleſiam, ſi per iſtos tuos Eccleſiã pergas intelligere? At ſi per Eccleſiam accipias vocatos per Chriſtum, qui verbo Dei vt ſolido firmoque fundamento inhituntur, & rectã ſacramentorum adminiſtrationem retinent, neque diſciplinam Euangelicam contemnunt (quæ ſanè congregatio non locis, non cathedris, neque huius mundi rebus eſt alligata) ea re verã ita non poteſt errare, quin ſtatim à ſpiritu per verbum Domini reuocetur in viam. Conſtat quidem ipſa quoque ex hominibus, qui cum adhuc grauentur carne, ſæpius abducuntur à vero: ſed id non eſt perpetuum, & vbi contigerit non multo pòſt emẽdatur. Atq; ita facilè cõcedo portas inferorũ aduerſus hanc Dei Eccleſiã nõ præualere. Quòd ſi eam tuam Eccleſiam, quã potius Eccleſiæ Laruam dicas, reſpiciamus, nunquam ipſam videbis portis inferorum non ſuccumbere, tã in dogmatis & prauis opinionibus, quàm in corruptione & turpitudine morum. Quod non modò Romæ hodie apparet, & in Eccleſijs, quæ à Romana pendent, ſed etiam in Eccleſia viſum eſt, quæ olim fuit inter Iudæos. Cuius externa facies, quam pontifices, ſacerdotes, ſcribæ, phariſæi refebãt admodum fœdata erat. (Illic enim fuit religio, & diuinus cultus ita deprauatus, vt idololatria, hypocriſis, & perſecutio ſanctorum prophetarum vbique fermè obtinuerit, ſanctis & pijs, qui vera erant Eccleſia, vbique depreſsis, & conculcatis.) Nonne ea Eccleſia fuit quæ Chriſtum abiecit, damnauitque ipſius doctrinam, hoc eſt, ſanctum Euangeliũ, & Apoſtolos à ſe ad gentes vi perſecutionum propulit? Quò tamen tempore ſancti fuerunt viri, qui purum Dei cultũ retinere conati ſunt: neque defuerunt prophetæ, qui & corruptos reges, & vitioſos pontifices, malosque ſacerdotes grauiſsimis increpationibus Dei nomine exagitabant. Quod & noſtris temporibus euenisse, quis non videat? Cum enim plantatæ ab Apoſtolis fuiſſent per orbem paſsim Eccleſiæ, diabolusque ſuperſeminaſſet ſtatim zizania, varijque ac multiplices errores eb Antichriſti miniſtris vbique ſpargerentur, ita vt maiorem partem Chriſtianiſmi occupauerint, quemadmodum apud Hebræos minima pars hominũ, eáque abiecta & contempta mundi iudicio ſanam profitebatur doctrinam: ita noſtro tempore qui bene ſenſerunt, & impijs abuſibus dum augerentur reclamabant, cum pauciores eſſent, & numero, & authoritate mundana ſæpiſsimè vincebantur. Nunquam tamen defuerunt, qui rectè ſenſerint, & qui puram Chriſti doctrinam vel vſque ad ſanguinem & mortem defenderint. Neque inter illos & hypocritas aliunde poteſt diſcrimen accipi, niſi quòd vt iſti verbo Dei, vt vnicò ſolidoque fundamento ſemper nitebãtur: ſic illi ſemper conati ſunt humanas traditiones, & literis diuinis repugnantes defendere. Itaque non eſt, quòd clamites Chriſtum non liberaſſe fidem, ſi Eccleſiam tam diu permiſit errare. Id enim, vt ſoles, falsò nobis affingis, quod veram Chriſti Eccleſiam in errore iacere aſſerãmus. Qui enim poteſt in errore manere ille ſanctorum cœtus, qui nihil amplecti vult vt ad ſalutem neceſſarium & quaſi Dei cultum, quod ex ſacris literis non decerpatur? Erras etiam, quòd arbitraris nos dicere ſimul vniuerſas orbis Eccleſias erraſſe, ac nunc in errore verſari, quod controuerſiam de Votis cæ-

TT

libatus clerò tyrannicè obtruſis, cum à nobis hoc non dicatur, neque verè dici poſsit. Siquidem innumeræ hodie per orbem ſunt Eccleſiæ in Græcia, in Aſia, in India, & alijs prouincijs, vbi miniſtris licet vxores habere. Tu verò per catholicã & vniuerſalẽ Eccleſiã maximè intelligis Papiſticã: quaſi omnes, qui cũ ea nõ faciũt, ab Eccleſia ſint alieni, nec tamẽ Deus Eccleſiã Europę noſtræ credẽdus eſt deſeruiſſe, cũ ſemp in ea permultos excitet, qui reſiſtunt impietati, fortiter clamãt, ſcribũt, & cõcionãtur. Quin & in ipſa Tridẽtina ſynodo fuerũt poſtremo tẽpore, quibus ea non probabantur, quæ illic acta ſunt. Boœmi etiam, qui partes erant Eccleſiæ Romanæ, quoad multa illi reſtiterunt, & reclamarunt. Germani ſunt ſubſecuti, & Dani & infiniti penè alij principatus. Inclitum poſtea hoc regnum Angliæ Romanæ ſuperſtitionis atque tyrannidis iugum feliciter abiecit. Per vniuerſam Italiam & Galliam ſunt innumerabiles cœtus piorum atque ſanctorum hominum, qui rectè ſentiunt. Et antè noſtra tempora Græca Eccleſia, hoc eſt, Conſtantinopolitana, in multis Romanis epiſcopis reſtitit. Sed quia nimis longum eſſet omnia recenſere, quæ huc pertinent, ideò mihi temperabo, ne ſim nimium prolixus. Lector in hiſtorijs multa per ſeipſum facilè poterit obſeruare. Mihi verò nunc ſatis erit vno verbo dicere, Chriſtum libe raſſe fidem ſuam, neque paſſum vt portæ inferi contra veram Eccleſiam prævalerent, licet in hypocritica & externa paſsim regnent & triumphent, vbi zizania vincunt bonum ſemen, & paleæ ſunt plures, quàm grana tritici. Cum ſuis nihilominus eſt Chriſtus vſque ad finem mundi, quemadmodum fuit ab Adamo vſque ad ea tempora, quibus è virgine dignatus eſt naſci. Eccleſiam veram nunquam deſeruit, licet hypocriſis pharisæorum & ſcribarum, humanæ traditiones pontificum, & idololatria in populo ac externa Eccleſiæ facie palàm graſſarentur, obtinerentque omnes illæ peruerſæ legis interpretationes, quas Chriſtus in Matthæo præſertim quinto & ſexto capitibus & alibi oppugnat. Promiſit ſpiritum ſanctum Eccleſiæ atque ſuis fidelibus, illumque dedit, à quo diriguntur in omnem veritatem, quando ex illo agunt. Sed quia non ſemper in omni ſenſu & actione, ne pij quidem illo ſpiritu aguntur, ideò interdum errant. Sic Petrus eſt lapſus & Pauli correctione opus habuit. Ita Cyprianus de baptiſmo repetendo, quando fuiſſet datus ab hæreticis, perperam ſenſit, & neceſſaria fuit aliorum ſanctorum emendatio. Aliaque permulta huius generis facilè occurrunt, quæ omitto. Sed hoc pro certiſsimo habendum eſt, veros Chriſti cœtus, electorum, inquam, & ſanctorum, non deſeri, vt verſentur in erroribus noxijs. Ita cum multæ Eccleſiæ penè totæ Arrianæ eſſent, quoad numerum hominum & epiſcoporum, ſub Valente Imperatore, atque alijs quibuſdam principibus, attamen ſemper Eccleſia Chriſti agnouit, & confeſſa eſt veritatem. Columna verò & fundamentum veritatis à Paulo dicitur, quia ſpiritui Chriſti & verbo Dei firmiſsimè inhæret. Hinc petendum eſt, vt iam diximus, apertum & certum diſcrimen inter veram Eccleſiã, & hypocriticam. Vnde veſtra papiſtica ſynagoga cum verbum Dei paſsim auertetur, & abroget, qualis ſit, manifeſtè ſe prodit. Miraris, quomodo ſuper fundamento veritatis hæreſis ſuperſtruatur, aut exitioſus error: cùm nos hoc non affirmemus, ædificari poſſe, hoc eſt, verè confici, concludi, aut inferri hæreſes & exitioſos errores ex verbo Dei, quod eſt ſolidum Eccleſiæ fundamentum. Licet interdum ſuper ipſo Chriſto, id eſt, ab hominibus, qui crẽdunt in illum, & ipſum profitentur, aliquæ doctrinę inutiles, & infructuoſæ potuerunt malè ædificari. Et Paulus priori ad Corinthios dicit, alios inueniri, qui aurum & argentũ, & lapides pretioſos ædificant: alios verò qui ligna, fœnũ, & ſtipulam extruunt. Sed tu finem vtriuſque ædificij cogites, qui ibi deſcribitur, & intelliges, quàm malè vobis, ac veſtris doctrinis conſulatis, quotquot ita contentioſè ſuperſtitiones defenditis. Nos verò illis qui nonnihil errant ædificando, & nihilominus fundamentũ, hoc eſt, Chriſtum, ſeu verbum Dei retinent, ſaltem quoad prima noſtræ ſalutis capita, Dei miſericordiam non negamus cum Paulo, veruntamen ita, vt illæ prauæ ac inutiles illorum doctrinæ ac opiniones igne diuinæ reuelationis, atque iudicij conſumantur. Attamen vos, qui clauem ſcientiæ tuliſtis, & ipſi non intratis, neque alijs intrare permittitis: imò frequenter veritatẽ cognitam oppugnatis, non eſt, niſi ſententiam mutaueritis, quòd ita ſalutẽ vobis pol liceamini. Veſtra ignorantia nimium eſt, mihi credite, inexcuſabilis. Veritatem & falſitatem, vt ipſe ſibi accipis, plurimùm inter ſe pugnare concedo. An verò in eadem ſede cõmorari poſſint, quoad eius diuerſas partes, non negauerim. Quemadmodum in Eccleſia quoad externum aſpectum multos eſſe, qui decipiantur, dabo: & rurſus alios proferam, nimirum electos, qui ab errore ſeruantur: etſi, quoniam ſunt homines, per infirmitatem labantur interdum in errores, vſque in finem minimè deſerũtur. Eſt ſanè Chriſtus inter ſuos vt obijcis, præſertim quando in eius nomine conueniunt. At ſynodi, quas mihi commemoras, non ſemper quoad omnes partes in nomine Domini congregabantur. Ibi multi ſæpè exagitabantur prauis affectibus, quod negari non poteſt, cum legamus in ſynodo Nicena, quæ habetur ſanctiſsima, epiſcopos, qui conuenerant, adeò fuiſſe impotentes, vt, quodammodo relicta cauſa, propter quam acceſſerant, ſeſe mutuò proſcindere cœperint libellis accuſatorijs Conſtantino principi optimo, qui præſidebat, oblatis. Et in Epheſina ſynodo Cyrillus Alexandrinus, & Ioannes Anthiochenus patriarchæ ita inter ſe rixati ſunt, vt ſe inuicem deponerent, ac excommunicarent. Dicẽsne, quicquid in his Concilijs eſt factum, habendum eſſe vt à Chriſto decretũ? Quin potius re-

Non omnes ſynodi conueniũt in nomine Domini.

vocas, quę ibi acta sũt ad verbũ Dei, vt illo tãq; Lydio lapide facilè deprehendas, quę sint adulterina, quæ legitima? Putauit se Cyprianus cũ suis episcopis in nomine Domini cõuenire ad synodũ: in qua tamẽ definitum est, quod post oportuit retractari. Secunda Ephesina synodus existimabatur in nomine Domini coacta, & tamen Eutychetis errorem confirmauit. Quid dicam de Ariminensi synodo, quæ cum Ario fecit? de secunda Nicena, vbi cultus imaginum turpiter est defensus? Quas ita synodos erasse quandoque ideò contigit, quòd nõ omnes qui accedebant, semper cõsenserint, & verè conspirauerint, idque in nomine Domini: quod illi soli faciunt, quibus nihil aliud est viuere, quàm ipse Dominus. Quare locus qui abs te adducitur maximè stat à nobis, quia numerus minimè spectãdus est, aut dignitas illorum qui consentiunt & petunt. Nam etiamsi duo sint aut tres, modo verè credant, & in nomine Christi petant, audiũtur. Propterea cum semper aliqui boni sint, pij, sancti, ac electi qui à Domino petant, & in nomine illius conueniant, etiamsi damnentur ab exteriori Ecclesia numerosissima, & splendidissima, non contemnuntur à Deo. Scio Christum pro Petro orasse, vt fides eius non deficeret, quę tamen non ita semper fuit constans & solida, quin interdum sit lapsus. Pro Ecclesia item orauit Christus, & est auditus: quoniam, vt sum testatus, vera Christi Ecclesia electorum, etsi quandoque offuscatur, nunquam tamen relinquitur in errore: quod in Petro, quem commemorasti, liquidò apparet. Quòd verò ais monachorum, monnarum, & sacerdotum vota cœlibatus, à temporibus vsque Apostolorum & Christi fuisse probata, certò scito me tibi non credere: ideoq; vel probes quod iactas, vel desinas tam futilia & Thrasonica blaterare. Dum Ecclesiam hanc externam errare posse ostenderem, si locum ex Matthæi vigesimoquarto citaui, non id iniuria feci: cum ibi dicatur vsque adeo inualituras esse tentationes, vt seducantur, si fieri possit, etiam electi. Deinde adieci, fidem adeò esse labefactandam, vt Christus dixerit, Quando filius hominis veniet, putâsne fidem inueniet super terram? Hîc mihi tua fabrilia sophistica obstrepis, & ista contendis reijcienda in extrema tempora, quando Antichristus apparuerit: quasi nunc non sit extrema hora, & quod tunc maximè fiet, nunc bona ex parte non possit accidere. Illi ijdem Patres, quos vt sententiæ tuæ fauentes adducis, scribunt. Antichristum suos habere præcursores, & sua membra, per quæ agat, & cœpisse opus suæ inquitatis ab Apostolicis temporibus exercere, cum multi pseudoapostoli, & pseudoprophetæ, atque fallaces prædicatores Ecclesiam tum temporis turbarint, & simplices vitiosa doctrina seduxerint. In me clamas, quod ipse sim pseudopropheta, & seductor. Verùm vt lis nostra finiatur, ad communem iudicem adeamus, nempe ad sacras literas. Cupio equidem explorari diligentissimè, an ab illa verbi Dei certa regula aberrem, & ibi corrigi non recuso. Verùm tu cum ad traditiones & hominum commenta semper te recipias, cuiusmodi sis facile prodis. Christus, inquis, illis verbis, vt seducantur, si fieri possit, etiam electi, manifestè ostendit vlla vi tentationum eos non posse seduci: atque ita docemur, Ecclesiam totam in fide non posse errare. Quid hæc obiecro, faciunt aduersum me, qui vtrunque fateor? Electos enim alio, licet, vt homines quandoque labantur, non tamen in errore deseri, saltem cum moriuntur: extrema nempè illa hora non destituuntur misericordia Dei, & si quid errauerint, corrigunt, & agnoscunt, quid ad salutẽ sit necessarium. Idq; non dubito Cypriano euenisse, cũ deniq; pro Christi nomine vitam poneret. Libenter etiam concedo, totam Ecclesiam non errare. Nam sæpius dixi, permultos esse bonos & sanctos, qui vestrę horrendæ superstitioni se opponunt, &, vt possunt, vehementissimè reclamãt. Vtque paucis dicam, quæcunque citaui, aut ex Matthæo, aut ex epistola ad Thessalonicenses, quo probarem Ecclesiam, vt de ea tunc loquebar, exteriorem errare posse, quicquid ipse confingas, & rectè, & appositè adduxi. Quę tu dum accipienda esse tantùm de extremo tempore, cum Antichristus venerit, affirmas, frustrà laboras. Nam si tunc bona Ecclesię huius exteriorę pars, imò maxima falli poterit, quare nunc præsertim cum ad eà tempora quotidie magis accedamus, non poterunt seduci multi, qui versantur in Ecclesia, imò eorum maior pars. Eas hodie in Africam, Ephesum, Smyrnam, Hierosolymam, & videas, quomodo illic habeant Ecclesiæ Christi. Videbis planè, quàm bene multa pars earum falli ac seduci potuerit. Si Nero tempore Apostoli crudelissimè Christianos persequebatur, quod hodie facit papa cũ suis satellitibus, siquidem is nõnne igne, ferro, flãmis, & omni pœnarũ & cruciatuũ genere in professores Euangelij sæuit? Nero voluit vt Deus coli: hodie Papa vt Deus adoratur. Illiq; ad pedes osculandos in ipso templo Dei homines prouolnuntur. Nõnne pseudoapostoli, pseudoprophetæ, ac mali concionatores tunc omnia conabantur vitiare atq; corrumpere. Cur hodie ista negas posse fieri? Si dum viueret Paulus Galatarum Ecclesia penè seducta erat, quæ diu bene cucurrerat, quare hodie bona pars Ecclesiæ non potuit esse decepta? Si Paulus dicit se timere, ne Corinthiorum Ecclesia, quam ille cupiebat Christo, vt viro coniungere, virginẽ castam, à serpente vt Heua seduceretur, quid mirũ, si hodie, quod Apostolus timuit, bona ex parte vsu venit? Non ego tam insulsè colligo quam ipse fingis. Non dico, Nero persecutus est Ecclesiam, ergo illa quę est catholica, seu vniuersalis errat. Vel, Antichristus iam operatur mysterium iniquitatis per sua membra, ergo tota Ecclesia à fide aberrat. Ipse mihi hæc impingis: quàm verè Dominus iudicabit. At dixi, cũ Christus nos monue-

rit, tantam fore tentationem, vt seducantur fermè omnes etiam electi, si fieri possit: cumq; ab eodē sit dictū. *Putas filius hominis cū venerit, fidē super terram inueniet?* esse manifestum, bonam Ecclesiæ partem, imò maiorem, si externam respicias, & non contrahas ad electos, errare posse. Nam quod Christus prædixit fore, non tantùm possibile est, sed omnino fiet. Et ne ista, quæ adduxi, reijcerentur prorsus, quemadmodum tu facis, in extrema tempora, ostendi iam Antichristū operari cœpisse mysteriū iniquitatis vsq; à tēporibus Pauli. Quod qua ratione tu solùm ad Neronis persecutionem reuoces, non video: cum Ioannes agēs de malis dogmatibus, quæ de Christo spargebant pseudoapostoli, dixerit sua tempestate multos Antichristos esse. Quamobrem toto hoc tuo conatu, quo ad rauim vsq; in me clamasti, nil aliud es cōsecutus, quàm vt mendacia tua magis patefeceris. Quā quam vt non ignores locum illum ad Thessalonicenses maximè significare Papisticam tyrānidem, hīc te monebo. Quid enim voluit aliud Paulus, cum diceret, *qui tenet, teneat adhuc*: id est vigeat adhuc aliquantisper Romanum imperium, quod modò rerum potitur, donec de medio fiat, & inclinet: quod tunc contigit, cum Imperatores deserta Roma, Constantinopolim cœperunt colere: deinde maximè, cum imperium ad Germanos translatū est, saltē quoad nomē, tū filius ille iniquitatis & perditionis sese declarauit in templo Dei, Papa inquam qui cœpit ibi sedere, atque pro Deo coli & adorari. Mysterium quippe iniquitatis à primis temporibus cœpit operari, sed occultè: verùm sub Phoca verè sese manifestauit. Vide itaque Smythæe, vt ista bene consentiant verbis Apostoli. Quod si adhuc intelligere non potes, Deus tibi cordis oculos dignetur aperire.

OBIECTVM XIII.

NEc istorum causam quicquam iuuat, quòd Paphnutius sanctus ille episcopus dissuaserit synodo Nicenæ, ne interdiceret episcopis, presbyteris, & diaconis vsum suarum coniugum, quas duxerant antequam sacris initiarentur ordinibus. Nam vt synodus illa non conabatur lege cauere, ne quis iam sacris initiatus ordinibus contrahat matrimonium, ita ille huiusmodi quiddam non suasit sed tantum ne clerici arcerentur ab vsu & cōmercio suarum coniugum, quas priusquàm in clericorum cœtum referrentur, duxerant. Et proinde aduersarijs quod iste fecit, nihil omnino suffragatur. Historia sic habet, ne quis tergiuersetur dicens, me rem hanc bona fide non attigisse. Synodus corrigere volens hominum vitam, & in ecclesijs commorantium, leges posuit, quas Canones appellamus, in quorum tractatu videbatur quibusdam legem introducere, vt episcopi, presbyteri, diaconi, & subdiaconi cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgens autem in medio Paphnutius confessor contradixit, honorabiles confessus nuptias, & castitatem esse dicens concubitum cum propria cōiuge, suasitque concilio ne talem ponerent legem, grauem asserens esse causam quæ aut episcopis, aut eorum coniugibus fornicationis occasio existeret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus, expasuit, synodusque laudauit sententiam eius, & nil ex hac parte sanciuit, sed hoc in vniuscuiusque voluntate dimisit, non in necessitate. Hactenus Concilij verba vnde liquidò constat, nihil omnino dixisse hunc episcopum de vxoribus à clero ducendis, quæ res nunc controuertitur inter Christianos, sed tantùm de concubitu cum antea ductis, quàm erant clerici ascripti atque accersiti in album sacrorum ministrorum Ecclesiæ. Ac propterea in casum adducunt aduersarij mei hanc historiam, quò persuaderent non esse nefas seu illicitum, vt episcopi, presbyteri & diaconi matrimonium contrahant. Quod nunquam licitum fuisse vel Græcis ipsis, atque adeò ecclesijs Orientalibus legimus. Nam de hac re Concilium Ancyranum, quod primo Concilio Niceno prius erat, vt author est Gratianus, sic meminit. Hoc diligenti obseruatione custodit Orientalis Ecclesia, vt post adeptum sacerdotium defuncta priori vxore cum qua sacerdos factus erat, si alteram duxerit deponatur, *&c. Et alibi. Abuteris Paphnutij sententia, quò statuas impium dogma tuum contra votorum obseruationem, quæ nihil tibi suffragij porrigit. Egit enim iste in eo Niceno concilio cum coactis in illud Patribus, vt non cauerent vllo edicto aut decreto, ne sacerdotes redderent debitum vxoribus, quas duxerant ante priusquā sacris initiarentur. Dixerat enim hoc esse laqueos illis injeere, ac veluti in præcipitium eos dare, quod prohibet Apostolus. 1. Corinth 7. Sed quid hoc ad rem inter nos controuersam, cum litigemus ac disputemus, an qui iam sunt sacrificij, arceri debeant à ducendis vxoribus nēcne. Sunt etenim hæ duæ quæstiones longè diuersæ, An sacerdotibus permittendus sit vsus vxorum, quas duxerant antequam sacris erant initiati. quod synodo illi persuasit Paphnutius: et, An liceat sacris iā initiatis vxores ducere: quod cū scriptura sacra negāt catholici omnis ætatis.*

DEFENSIO.

HIstoriam Paphnutij celebrē ait Smythęus, nihil prodesse nostræ causæ: quòd ille non de vxoribus ducendis à sacrificis postquam essent initiati sacris quippiam egerit, sed vt ne arcerentur ab illarum vsu, quas prius habuerant. Quomodo non animaduertit iste disputator egregius. primum hinc sequi vsū cōnubij rē nō esse alienā à sacro ministerio? quod ille prius nitebatur probare, adductis rationibus ex habitu filiorum Israel cum pascha edebant, quos oportuit accinctos esse renibus. argumento item arrepto ex historia Dauidis, cui non sunt dati panes propositionis, nisi mundum se à mulieribus professus esset. Item allata est ab eo probatio, quod Paulus, vt vacetur ieiunio & precibus, dixit, licere coniugibus aliquantisper desistere à reddenda beneuolentia debita. Omnes istæ rationes quorsum à nostro theologo sunt adductæ? Nónne vt demonstraret Ecclesię ministros debere vxoribus carere? Quòd nimirum vsus coniugij muneri sacro nō conueniat. Nunc audimus Paphnutium lōgè secus decernentē. Nec ego in præsentia curo, an loquatur de vxoribus ductis, an de vxoribus ducendis. Tantum colligo ex eius dictis coniugale opus nō pugnare cum sacris ordinibus, neque ab illis necessariò esse dissociandum. Nónne vides, hac sententia tuos illos eneruarias

ria rietes, quibus putabas, te omnino euictu-
rum, sacrificos tuos, cum perpetuò debeant cõ
ficere, vt loqueris, corpus Christi, debeantque
perpetuò orare pro populo, ac ministrare sacra
menta oportere prorsus ab opere coniugij ab-
stinere? Verũ ista quæ visa sunt te mouere, mo-
uerunt fortasse aliquot Patres illius Niceni Cõ
cilij, & propterea voluissem illam seueram legẽ
promulgare. Sed vt vides, & fateris, Paphnutiꝰ
restitit. Vnde sequitur, illas tuas rationes non
fuisse validas, & firmas, quemadmodum tibi
persuades. Hinc nostra causa releuatur, licet
iste suauis homo id inficietur. Cumque sit vt a-
sinus, qui portat mysteria, & ea non intelligit,
verba huius sancti confessoris adducit, quibus
testatur, castitatem esse cum propria vxore con
cubitum, & non sentit, quàm vel hoc ipsum cõ-
tra se faciat, qui superius contendebat, non po-
tuisse dari Dauidi panes propositionis, nisi mũ
dus fuisset vel à coitu cum iusta & legitima vx-
ore. Castitatem id dicit esse Paphnutius, iste
pronutiant immunditiem. Ad hęc non sentit,
dum ista narrat, alia se mihi dare, quæ superius
nũquam se daturum clamabat. Dicebam enim
id esse laqueum inijcere, si cogantur, qui opus
habent vxoribus, ab illis abstinere. At nunc
de Paphnutio inquit, vt eius vtar verbis, di-
xerat enim, hoc esse laqueos illi inijcere, ac ve-
luti in præcipitium eos dedere, quod prohibet
Apost. 1. Corint. 7. Aiebam ego cũ Paulo laque-
um non esse inijciendum, quod idem iste nunc
affirmat, vt Paphnutium tueatur. Superius ve-
ro prorsus negabat, eos qui votum castitatis in
troducunt, & necessario coniungunt cũ sacris
ordinib. laqueũ inijcere cuipiã. Idẽ itaq; negat,
et affirmat, vt cõuenire sibi animaduertit, vnde
Vertũmus iustissimè potest appellari. Atq; vt
in mendacijs confingendis, nusquam sibi ipsi
desit, scripturam sanctam cũ omnibꝰ catholicis
testatur affirmare, nunq̃ licuisse initiatis sacris
vxores ducere. Quę hæc sũt huiꝰ Vulcani por-
tẽta? Quãdo ex sacris literis vnq̃ hoc demõstra
uit, aut demonstrare poterit? Admittunt sacræ
literę maritos ad sacros ordines: quid refert, an
prius, an postea fiãt mariti? Votum dicis obsta-
re. At votum si esset diuino iure ordini sacro an
nexum, non liceret ordinatis vti suis vxoribus.
Nam votum susceptum cum ordinibus impe-
diret. At cum initiatis liceat vti vxoribus, vt di-
xit Paulus, vt dixit Paphnutius, & vt ipse quo-
que affirmas, patet dum ordinãtur ministri, nõ
esse necessarium vt votum edant. Quare nihil
impedit, quin ordinati valeant vxores ducere.
Atque quod ex Concilio Ancyrano adducis,
deprehendes non sic habere, vti refers, si cano-
nes eiꝰ probè discusseris, imò v ehemẽter cõtra
te pugnare. Sic enim habet canon decimus. *De
diaconis, quicũque cũ ordinantur, si in ipsa ordinatione
protestati sunt, dicentes, velle se habere vxores, nec pos-
se se continere, hi postea, si ad nuptias venerint, maneãt
in ministerio, propterea quod is episcopus licentiã dede-
rit. Quicunque sanè tacuerunt, & susceperunt manus
impositionem, professi continentiam, si postea ad nupti
as conuenerint, à ministerio cessare debebunt.* Ex isto
canone, probè potes intelligere, de iure diuino
aut scripturarum authoritate, vt tu falsò iacta-
bas, nõ esse cõiunctos sacros ordines cum voto
cœlibatus, quandoquidem, vt audis possunt di
aconi absque illo consecrari, & episcopus eis
potest dare licentiam. Vnde si nuptias contra-
hant, in ministerio manẽt. Audisne post sacros
ordines susceptos potuisse diaconos vxores du
cere? & in nuptijs pseuerãdo ministrare? Quid
tibi videtur. Si potest episcopus dare licentiam
hoc nos quærimus, vt fiat. Quãdo per istud cõ-
cilium, quod adducis, hoc liceat, quomodo tu
dicis id nõ posse fieri? atq; scripturam secus de-
cernere, nimirum quòd his qui sacris initiati
sunt, non sit fas ducere vxorem: deinde quàm-
uis fermenꝰtũ vouendi cœlibatũ iam obrepse-
rit in ecclesiam eo tempore, considerandũ est
tamen, quam humaniter iste canon loquatur.
*Qui inquit, professi fuerint, & non reclamarint, si post
ordinationem ita susceptam ad nuptias transiuerint, de-
ponantur.* Solũ priuat eos ministerio, quod qui-
dem iniustè facit, si ex verbo Dei velimus iudi-
care: attamen illa matrimonia non dicit nõ esse
matrimonia, neque iubet vt dirimantur, quem-
admodum vos clamatis. Et in canone 19. habet
idem concilium, *quotquot virginitatem pollicitam
præuaricatæ sunt, professione contempta, inter digamos
adsit, eos, qui ad secundas nuptias trãsierint, habeãtur.*
Hîc quoque, non dicit has coniũctiones nõ esse
matrimonia, nõ dicit esse diuellenda, vel non
habenda rata. Solùm constituit, vt qui ita con-
traxerint, inter digamos habeantur. Hæc de
Ancyrana synodo, quoniam tu illam pro te ad-
duxisti dicere libuit. Nunc ad Paphnutium re-
deo, de quo sermo fuerat institutus. Prudens il-
lius oratio causam attulit, ne ministri cogeren-
tur à proprijs vxorib. abstinere, scortationum
euitationem. Quæ si tunc valuit, nunc etiam va
lere debet, ne vota cœlibatus cum sacro mini-
sterio coniungatur: quoniam illorum occa sio-
ne omnia turpibus libidinibus implentur. De-
inde is Paphnutius, quoniam vt ipse fateris, re-
ctè saneque respondit, vt episcopi, presbyteri,
diaconiq; non iuberentur à proprijs vxoribus
quas antea duxerant, separari, abs te libẽter pe
terem, vt saltem conciliorum tuorum inconstã
tiam agnosceres. Nam sententia Paphnutij, quæ
tum laudata fuit, & probata in Nicena synodo,
postea rescissa est, tempore, inquam, Syrici epis
copi Romani, & Innocentij. Paphnutius aut ve
rè respondit, aut malè. Si male, quare Nicenum
concilium præbuit assensum? Sin verè, cur po
stea mutauerũt? Certè in Concilio Carthagin.
5. cap. 30. mãdatur sacerdotibꝰ, diaconis, & sub-
diaconis ne suis misceãtur vxoribꝰ. Hæc certo
certiꝰ demõstrãt, neq; synodis, neq; Patribꝰ esse
confidendum, cum inter se frequentissimè pu-
gnent & collidantur. Confugiamus iam tandẽ
ad scripturas: in illis fundamentum solidum ac
stabile collocemus. Quod si vel vnquam face-
re Smytheus in animum induxisset, & has ho-
ras, & hæc verba nõ cogerer ita perdere. Vt au-
tem non obliuiscatur lector, quare huius cõfes-
soris Christi sententiæ meminerim, non me pi

gebit denuo repetere, cõstituerã demõstrare, to-
tã eccleſiã nõ errare, quod ſemper boni viri fue-
rint in ea, qui reclamarint aduerſus abuſus, &
leges tyrãnicas, quę quotidiè promulgãtur per
A Antichriſti mẽbra, vt in ſynodo Nicena iſte fe-
cit, & illi feliciter cecidit, quoniã fuit audi-
cet alijs interdũ nõ tã cõmodè accidit, qui & nu-
mero ſuffragiorũ, & potẽtia impiorũ vincũtur.

OBIECTVM XIIII.

Quando vero allegas illud Dei oraculum, quod Heliæ prophetæ ſe ſolum relictum conquerenti fiebat: Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui nõ curuauerunt genua ante Baal, *quo perſuadeas catholicam, & vniuerſalem errare eccleſiam, quid aliud facis, quàm quòd te deridendum, aut potius deflendum omnibus vel mediocriter eruditis in re theologica propinas? Nónne hîc locus eſt, trito illi adagio, ſuo ipſius gladio hunc iugulo, ſuoque telo? Nam iſte ſuis ipſius dictis reuincitur optimè, vt quæ ſuum inſtitutum adeo nihil prouehãt, aut ſubleuet, vt illi ex diametro repugnent. Nam hoc pacto licet nobis colligere. Cùm tempore periculoſiſſimo, & quando ferè omnes defecerant à fide Chriſtiana, ac Helias propheta fuerat conqueſtus, ſe ſolum derelictum ſuperſtitem qui verè crederet, ac coleret Deum, Deus reliquit ſibi ſeptem millia virorum, qui idolum Baal non adorauerunt, ergo tota Eccleſia catholica nunquam errat in fide. Quando enim tota erraret, cùm ne tunc quidem erret, quando maximè ſæuit tentatio, & perſequutio? En Petre, tu tuo ipſius laqueo captus es.*

DEFENSIO.

IAm in noſtrã ſententiã, licet imprudens, iſte admirãdus dialecticus diſcedit, & ita diſcedit, vt idem prorſus affirmet, quod ego dico. Nunquã vt audiuiſtis, & in aſſertione, & in defenſionib. allatis ego docui, totã eccleſiã à fide aberrare, quũ in eccleſia quoq; cõtineãtur ſancti, & electi Dei, qui pendent à verbo eius puriſsimo. Atqué hi minimè ſic aberrant, vt in erroribus relinquantur. Licet illa eccleſia laruata cornutorum, raſorum, vnctorum, vt ſunt papę, cardinales, epiſcopi, monachi, & magiſtri noſtri, lamiæ ſint, vlulæ, piloſi, & onocrotali. Tales erant Eliæ tempore, in regnõ decem tribuum ſacerdotes, leuitæ, doctores, & populus, qui eis aſſentiebatur. Adeo vitiarãt Dei cultum praua doctrina, & idololatria, vt iã nil ſani ſupereſſet.
B Publicè receptus erat cultus vitulorum aureorũ, ſacerdotes ex alia ſtirpe quã Leuitica eligebantur: interdictus erat cultus à Deo præſcriptus: neque cuiquam erat tutum per crudelitatem regum & ſacerdotum, illum profiteri. Attamẽ ſeptem millia virorum interea ſupererãt integri, & ſancti, qui tamen latebant, nõ agnoſcebãtur à propheta, ſolus Deus illos nouerat.
C Dic quæſo Smythę, quot hodie tu eſſe putas, quãdo externa facies Eccleſiæ ſic eſt corrupta, qui tamen veſtras miſſas priuatas deteſtantur, idololatriam imaginum, ſacramentum Euchariſtiæ mutilatum, mortuorum inuocationem, & alias huiuſmodi peſtes? Sunt procul dubio multa cẽtena millia hominum, ſi omnes recenſere poſſes, qui ſunt in Anglia, Germania, Gallia, Italia, Scotia Hungaria, Illyrico &c. Qui tamen non agnoſcuntur, & prẽualet Babylonica eccleſia, milerè decipiẽs, & infeliciter decepta.
D Hinc ais, concluditur, totam eccleſiam non errare. Fateor: quandoquidem pij & electi, & qui vocem Euangelij audiunt, veſtros abuſus deteſtantur, veſtra vota reijciunt, & ſuperſtitioni vniuerſæ, quantum pro infirmitate carnis eis licet, valedicunt. Neq; morãtur externã eccleſię faciem, aut hominum inuẽta, ſed ad verbi Dei regulam omnia expendunt. At videor mihi audire Smythæum clamitantem: ſi ſic pergas, eccleſiam nobis conſtitues inuiſibilem, cui non dabis certum locum, neque certos paſtores. Reſpondeo, nos quidem ſcire homines, qui verè ſunt eccleſia, eſſe ac verſari in mũdo, atque ideo nõ viuere ſine loco: prẽterea notas habere certas, quibus internoſci poſsint, ab his, qui ſpiritu dei, & verbo Euangelij non dũcuntur. Non eſt vera eccleſia vt arbitramini, cathedris, titulis, perſonis, & locis alligata, ſed in omni loco eſt, & ideo catholica dicitur. Quando poteſt libentiſsimè vtitur miniſtris, tantùm abeſt, vt illos contemnat, ſacramenta pura, & ſimplicia maximè cupit: euangelium denique ac Dei verbum nunquam non legit, aut audit, aut loquitur, neq; diſciplinam, & cenſuras, quæ proficiſcantur ex verbo Dei, contemnit. In quocunque cœtu iſta licẽt & vigent, eccleſiam Dei eſſe fatemur, ac tali cõgregationi pij ac ſancti ſe adiungunt. Quare nõ ſtatuimus, vt fingis Eccleſiã inuiſibilẽ, quãuis dicamus nõ poſſe certos ſciri, qui nam verè ſint eccleſiæ membra, quiue fictè in ea verſentur: notæ attamen eius congregationis, quæ dici poteſt eccleſia, vt eas recenſuimus, & viſibiles ſunt, & à pijs benè diſcerni poſſunt. Apoſtolorum tempore potuiſſet videri eccleſia inuiſibilis: nam templo deſtituta erat publico, per domos fideli-m clam cõueniebatur, ceremonijs multis caruit, ornamẽtis ſacerdotalibus, cathedris, & præclaris locis: quum tamen eo tempore fuerit eccleſia valdè nobilis & illuſtris. Similiter cum Patres in Aegypto eſſent, vel in Chaldæa captiui, non deſtitit inter illos eſſe Dei eccleſia: imò ſicut fuit ſub Apoſtolis clariſsima, ita in illis captiuitatibus fortaſſe Deo magis placuit, quàm in domeſtico luxu & apparatu.
E Nónne tu fateris Eliam conqueſtum eſſe, quod ſolus eſſet relictus, qui verè crederet, & Deum coleret? Non potuit ſanè ſuſpicari, niſi tum publicè obtinuiſſent religionis vitia, quemadmodum hodie quoque inualuerunt. Opto itaque tibi Smythę, atque id ex animo, vt viſitationis diuinę tempus ſeriò

An vera eccleſia ſit inuiſibilis

rio agnoscas: iam non vnus missus est Elias ad arguenda papisticæ synagogę vitia, & sic arguẽda, vt falce duntaxat verbi Dei ea metant. Quare desinas, obsecro, fabulis, argutijs, strophis, & sophismatis veritati iam rutilanti resistere, aut allatrare. Sepositis affectibus, oro te, aliquantisper causam expẽdas, & redeas ad sacrarum literarum iudicium, quod ita videris hactenus abiecisse. Atque Deum precare quàm diligentissimè, si fortè det tibi locum pœnitentiæ, quã ego cum omnibus, qui Christo in spiritu seruiunt, sinceriſsimo corde, & animo fraterno tibi cupio, Deumque rogo, ne te in tenebris iacere diu patiatur.

Cùm iam sit, vt mihi persuadeo, demonstratum, vota sicuti nũc de illis disputamus, & præsertim monastica, seu cœlibatus, nulla habere scripturarum, aut solidarum rationum firmamenta, quibus nitantur, & assertionẽ à me allatam satis defenderim, atque nostri phrenapataæ matæologique Smythæi obiecta confutauerim, possem videri pijs hominibus causæ à me susceptæ, abundè satisfecisse, verùm quia in eius rationibus diluendis omisi Patrum sententias, & Conciliorum decreta, quæ iste pro se adduxit, nisi hac quoq; parte illi videbitur satisfactũ, forsan vel ipse, vel eius amici clamabũt, me bonâ disputationis huius partem vafrè voluisse dissimulare. Igitur volui tanti criminis cauere infamiam: & modò constitui de Patribus, de Concilijs, de Decretis, de Decretalibus, & postremò de Scholasticis doctoribus perspicuè scribere, quidue mecum, quidue cum illo faciant. Quorum ego dicta nolui superius referre, prout ab eo passim recitabantur, ne mihi sæpius idem esset repetendum. Nam partim à Smytheo eadem alicuius sententia Patris, bis, terue adducitur, partim id, quòd ab vno ex Patribus dictum fuit, in alijs quoque idem haberi testatur. Et cum eadem opera vni atque alijs responderi possit, non cõmittendum putaui, vt eadẽ responsione lector esset mihi frequenter obtundendus. Neque visum est æquum, vt grauis & sancta pugna, qua primo loco è sacris scripturis dimicatum est, permisceretur atque confunderetur admotis & Patrũ & cõciliorum acieb. Hæc enim quum humana sint, atque illa diuina, longè plus à se inuicem distant, quàm cœlũ à terrra Hunc ordinem seruasse video Augustinum, quum aduersus Pelagianos disputaret. Priori enim loco, quæ dicenda erant è sacris literis probauit, & defendit: postea & Patrum sententias pro se adduxit. Quia & aduersarius meus à principio sui primi lib. videtur hunc sibi ordinẽ præfigere. Verũ vt est impotens, in sententia propositoq; non mansit: etenim simul cùm diuina tum humana cõmiscuit. Ego tamẽ priusquam ad vniuscuiusq; Patris authoritatẽ examinandã accedam, paucula præfari operæprecium duxi. Primùm quidẽ quid causæ fuerit, cur statim ab Apostolorũ temporib. virginitas tanto in honore fuerit. Alterũ autem quãtum tribuendum sit iudicio Patrum. Et de priori quæstione, Cur tanto in precio virginitas fuerit, causa vna esse potest, quòd Christus dixerit, esse quosdam Eunuchos, qui se castrent propter regnum cœlorum. Et in eã sentẽtiam, permulta Paulus habet in 7. cap. prior. epist. ad Cor. Hæc sanè Patres semper habuerunt in ore. Sed eos cogitare oportuit, quemadmodũ essent intelligenda. Nam Paul. laudat quidẽ virginitatẽ & cœlibatum: sed addit cautiones, ex quib. intelligi possit, quid senserit. Patres autem verba quidem accipiunt, sed cautiones, & tẽperamentũ non admittunt. Nã Paulus (vt de illo prius dicam) prudentissimè cautissimeque scripsit. *Bonum est*, inquit, *homini mulierem non attingere*: sed addit exceptionem, *Attamen ad vitandam scortationem, quisque suam habeat, et quæque suum.* Postea coniugibus suadet, vt orationis causa ad tẽpus secubent, interim tamen adiuncto temperamento. *Rursum ad illud ipsum conuenite, ne tentet vos satanas propter intemperantiam vestram.* Ait præterea, *velim omnes esse, vt ego sum*: temperat tamẽ sermonem: *Quisque donum suum habet à Deo, alius sic, alius autem sic.* Porrò virginibus & viduis inquit, *dico bonum est, si sic permanserint*: sed statim addit cautionem: *Qui non continent, nubãt: Et melius est nubere, quã vri: Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem* Subijcit: *Si nupserit virgo, non peccauit*, Postremò, *Vellem*, inquit, *vos esse sine sollicitudine*: sed adhibet rursus cautionem: *Nolo vobis laqueũ injcere.* Si Patres has cautiones vrsissent, non ita incitassent homines ad cœlibatum. Christus etiam cùm dixisset esse qui se castrarent quò latius propagarent regnum cœlorũ: statim addit exceptionem: *Non omnes capiunt verbum hoc*, quasi diceret, id non omnibus conuenire. Si Patres ita fuissent loquuti, & temperamenta orationis non reticuissent, nunquam secuta fuissent ea mala in cœlibatu quæ nos vidimus. Altera causa est, cur tantum datum sit cœlibatui, quòd illo tempore omnibus in locis graues erant persecutiones. Christiani erant plerumq; in fuga & ἀσκητοι quodammodo, omnibusque bonis euertebantur. Minus autem molestum est in persecutione, si quis solus fugiat quàm si cogatur sollicitus esse de vxore & liberis.

Tertia causa est, quia illis temporib. Christiana religio graui laborabat infamia. Cùm enim horis antelucanis et in tenebris metu principum ad hymnos & synaxes conuenirẽt, populus cœpit suspicari illos vti inter se promiscuo concubitu & nefaria libidine, vt autor est Iustinus martyr in 2. Apologia. Atque de hac infamia veteres multa tradiderũt. Imò Iustinus ait, iuuenem quendam Alexandrinum huius suspicionis delendæ causa egisse cum chirurgo, vt ab eo secaretur: Ille respondit, non licere sine arbitrio magistratus aut præsidis. At ille noluit. Hoc autem fecit iuuenis, vt populus intelligeret, Christianos quiduis potius cogitare quàm libidines. Atque ea gratia magnum numerum alebant virginum & cœlibum.

Quarta causa est, quia bona pars eorum qui accesserunt ad Christum, erat ethnicorum. At illi maximè semper suspiciebant virginitatem & cœlibatum. Pontificem

enim maximum oportuit vnius vxoris maritũ esse, & Flaminicam Vniuiram. Sacerdos Cereris abdicabat se coniugio, sed amicè & assentiente coniuge, ita vt abstineret prorsus ab omni virili contactu vsque ad osculum filiorum. In Digest. de Donationibus inter virum & vxorem. Lege vitricus: *Facilè diuertimus, si sacerdotium interueniat.* Quis nescit apud Romanos in honore fuisse Vestales virgines, & virgines Iunonis Achaicę, & Dianæ Scythicæ, & Appollinis Pythij? Hęc habet Tertullianus in libro de Præscriptione contra hæreticos, de Monogamia, & in adhortatione ad Monogamiam, & Hieronymus ad Gerontiam. Sed addit hierophantam Athẽniẽsiũ euirari solitum, vt sacerdotes etiam Cybeles. Hæc omnia à nullo exemplo diuinarum legum profecta sunt. Nihil enim est huiusmodi in sacris literis Veteris Testamẽti. Erant autem hæc omnia in vsu apud Ethnicos & ab illis traducta sunt ad Christianos.

Quod ad alterum attinet de Patrum iudicio quoniam aduersarij nostri, & in hac causa, & in alijs controuersijs, semper prouocare solent ad eos: pronuntio, mihi non videri hominis esse Christiani, ad hominum iudicia prouocare à scripturis Dei: Hoc enim est iniuriã facere spiritui sancto. Nam fides est ex auditu, auditus autem ex verbo Dei, non ex Patribus. Et ad Corinthios, *Vt fides,* inquit, *vestra sit, non ex sapientia hominum, sed ex virtute Dei.* Et ad Timotheum, *Omnis,* inquit, *scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad refellendum, ad increpationem, & ad institutionem, quæ est in iustitia, vt integer sit homo Dei & ad omne opus bonum instructus.* Hæc verba notanda sunt diligenter. Quatuor enim sunt in doctrina ecclesiastica necessaria: vt doceamus vera: vt refellamus falsa, vt instituamus ad virtutes: vt arguamus vitia. Atque hæc omnia petenda sunt è sacris literis. Et vt ista dicam apertius, quicquid minister agit ad populum, id vel ad dogmata pertinet, vel ad mores. Et dogmata vel vera docenda sunt, vel falsa refellenda: mores autem vel boni instituendi sunt, vel mali corrigendi. Ita perfectus erit homo Dei, vt nihil ei desit vel ad dogmata, vel ad mores. Est ẽt locus alius in eodẽ capite: *Literas sacras didicisti, ex quibus habere potes salutem.* Hæc perspicuè docent, non esse prouocandum à scripturis ad Patres. Id enim esset prouocare à certis ad incerta, â claris ad obscura, è firmis ad infirma. Patres enim, quamuis erant sapientes & docti, et multa viderunt, tamen homines erant, et errare potuerunt. Et illud potissimum spectandum est, Patres non semper congruere inter se, & interdum ne vnum quidem ipsum conuenire secũ. Sed hìc aduersarij respondent: At audiendi sũt cum omnes inter se consentiunt. Nos autem dicimus, non idcircò audiendos esse quòd inter se consentiant, sed quòd consentiant, cum verbo Dei: vt dici possit illis, quod dictum est Samaritanæ mulieri: *Iam non credimus propter sermonem tuum, sed quia ipsi vidimus.* Nam etsi omnes inter se Patres consenserint, tamen non faciemus hanc iniuriã spiritui sancto, vt illis magis credamus, quam verbo Dei. Imò patres ipsi nunquam ita sibi credi voluerunt idque scriptis suis testati sunt, nolle se eum honorem sibi, sed tantum Canonicis scripturis tribui. Quare qui à scripturis prouocat ad Patres, prouocat ad Patres contra Patres. Id Augustinus multis in locis confirmauit: Vt, cum obiectus esset Cyprianus de Baptismo hæreticorum, respondit, se non habere Cypriani Epistolas pro Canonicis scripturis, sed illud se tantum tribuere verbo Dei. Et sæpè reprehendit eos qui scriptis suis plus æquo concedebant. Et cum Hierony. citasset tres aut quatuor Patres de reprehensione Petri, respondit se quoque posse citare Patres, sed malle prouocare ad sacras literas. Basilius in Moralibus summa 80. ca. 22. ait: *Si omne quod non est ex fide, peccatum est, fides autem est ex auditu, auditus autẽ per verbum Dei, ergo quic quid non est ex verbo Dei, peccatum est,* & in oratione De confessione fidei: *Lapsus, est,* inquit, *à fide, & crimen maximæ superbiæ, vel à scripto recedere, vel non scriptum admittere.* Et addit probationem *Quia oues meæ vocem meam audiunt. Nec astringimur,* inquit, *vt alios audiamus, quàm pastorem.* Vt magis etiam confirmaret sententiam, adduxit locum ad Galatas: *Testamẽtum hominis nemo mutat, aut superordinat. Quòd si hominis testamento,* inquit, *tantus defertur honos quanto maior deferendus est testamento Dei?* Et in expositione symboli, quæ ascribitur Cypriano, post recitationem Canonicarum scripturarum. *Ex his,* inquit, *colliguntur, quæcunque sunt ad salutem necessaria.* Et contra Aquarios semper prouocat à consuetudine ad sacras literas, & ad ea quæ Christus ipse gessit. Et in epistola ad Pompeium multa habet in eandem sententiam. Hieronymus etiam in Hieremiam cap. 9. *Maiores,* inquit, *non sunt imitandi quoad errores: sed fides petenda est, è sacris literis.* Chrysost. ad Hebræos cap. 7. *Sicut qui regulas tradunt, non habent opus vt tradant mille versus, sed pauca quædam, vnde reliqua intelligantur, ita si nos teneremus tantum literas diuinas, non tantum non laberemur ipsi, sed etiam alios lapsos reuocaremus.* Idque probat ex eo, quòd Christus dixit, *Scrutamini scripturas, in quibus putatis esse vitam æternam.* & *Erratis nescientes scripturas.* Et citat locum Pauli: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Postremò adducit ea loca omnia quę à me citata sunt paulo antè. Et in oratione de profectu Euangelij, in illum locum Pauli ad Philip. *Siue per occasionem, siue per inuidiam. Si hæc verba,* inquit, *teneretis, possetis hæreticis occurrere.* Sed in epist. ad Galat, de diuite & Lazaro habet multa multò clariora. *Abraham respondet, Mosen habẽt, et prophetas. Hìc Chrysostomus, ostẽdit,* inquit, *maiorẽ fidẽ habẽdã esse scripturis, quàm si quis resurgat ex mortuis:* & addit, *non tantum verbo Dei magis credendum esse, quàm hominibus mortuis sed etiã magis quàm angelis:* vt Paulus monuit: *Etiam si angelus de cœlo docuerit vos aliud Euangeliũ quàm quod nos docuimus, anathema sit.* Adhæc certum est Ecclesiæ libertatem suam eripiendam non esse. At Ecclesia semper iudicauit per verbum &

Hieronymus. Chrysost.

bum & ſpiritum. Sic ergo etiã nunc eam æquũ est liberè iudicare. Quid enim fecerũt antiquiſſimi illi ſcriptores, cùm nulli adhuc eſſent Patres? Si tum Eccleſia iudicabat ex verbo & ſpiritu, cur nũc quoq; ita nõ poteſt iudicare? Nam Patres iuuare certè volebãt Eccleſiã, nõ eam libertate ſua priuare. Sed ſolẽt dicere, Apoſtolorũ temporib. infantiã tantũ fuiſſe Eccleſię, eam autẽ poſte à magis magisq; promouiſſe. Hęc non refellenda, ſed ridenda ſunt. Vtinã enim nobis liceret ad illorum apoſtolicorũ, dico temporũ pedes infimos accedere. Verùm, fuerit ea Eccleſię infantia vt vultis. At ſi illi tũ promouere potuerunt Eccleſiã verbo & ſpiritu, cur nõ etiam nos nũc poſſumus eã eodem pacto promouere? Multa enim ſemper ſunt in Eccleſia quę vel inſtaurari, vel tolli debeant, iudicando per ſpiritum & diuinas literas ea, quæ Patres conſtituerunt, vel illis conſentiendo, vel ab eis diſſentiẽdo, prout in adultiore ętate iã ſumus Eccleſiæ, quàm illi fuerint. Sed iſti quomodo ęſtimant Patres? Si ętate, nos etiã aliquãdo futuri ſumus Patres: & ſcholaſtici illi qui fuerunt ante quingentos aut ſexcentos annos, nũc erũt Patres: & ita patrũ nullo vnquã erit certus numerus? At dicũt, ſcripturas obſcuras eſſe, eoq; opus eſſe Patribus interpretib. Sed patres quoq; obſcuri erant: atq; idcirco opus erat Magiſtro ſententiarum. Cùm autẽ Magiſter ipſe obſcurus videretur, opus erat infinitis propè cõmentarijs. Atque hinc natæ ſunt complures ſectę, opinionibus inter ſe diſſidẽtes, vt alij Scotiſtę, alij Thomiſtę, alij Occaniſtę, alij alijs nominib. dicerẽtur. Neq; verò negari poteſt, ſępè erraſſe Patres. Cyprianus errauit de Baptiſmo hæreticorum. Tertullianus de Monogamia, & alij aliter. Concilia etiã ſępè errauerũt, vt ſuprà plurib. docuimus. Traditiones poſtremò interdũ errant, & inter ſe pugnãt. Epheſina traditio fuit, vt Chriſtiani paſcha celebrarent decimaquarta Luna cum Iudæis, eamq; ad Ioannem Euangeliſtam & apoſtolũ referebant. Contrà Romana traditio fuit, vt ne Chriſtiani celebrarent paſcha niſi poſt decimamquartã Lunam, ne viderentur cũ Iudęis conuenire. Atque huius traditionis autores faciunt Petrum & Paulum. Vtraque eſt Apoſtolica: tamen vtraque probari nõ poteſt. Ipſe verò Panormitanus de Electionibus, cap. Significaſti, *magis ait credẽdũ idiotæ, ſi ſcripturas afferat, quàm Papæ & toti Concilio, ſi abſque ſcripturis agant.* Homo Canoniſta, quamuis in alijs multis ſæpè errauerit, tamẽ, hoc videre potuit. Paulus ait, *quum alij quis prophetat, ſedeant cæteri, & iudicent.* Patres quũ interpretantur ſcripturas, nónne prophetant? Nos ergo quaſi ſedere oportet, & de illorũ dictis iudicare. Sed tum ſaltem, inquiunt, Patres probandi ſunt, quando omnes inter ſe cõſentiunt. Imò ne tum quidẽ ſemper. Nam Epheſini Concilij 2. conſenſum ſuſtulit conſenſus Concilij Chalcedonenſis. In ſynodo Conſtantinopolitana, ſub Leone Imperatore erat conſenſus de imaginibus tollendis. Sed ille conſenſus in ſynodo Nicena 2. ſub Irene alio conſenſu ſublatus eſt: & ille ipſe cõſenſus ſublatus eſt conſenſu Germanico ſub Carolo Magno. Sed addam probationẽm per inductionem non ſemper eſſe de ſcripturis iudicandum ex Patribus: ſed Patres potius ipſos iudicandos eſſe ex ſcripturis. Alij Patres dicũt iuſtificationẽ eſſe ex fide, nõ ex operib. Alij ad iuſtificationẽ multũ tribuunt operib. Quis hãc controuerſiam diſceptabit? Verbum Dei. Paulus ad Romanos ait: *Æſtimamus hominem iuſtificari ſine operibus legis.* Nec dici poteſt, Paulum eo loco tãtum agere de ceremonijs. Agit enim de ea lege, quæ oſtendit peccatum, quæque iram operatur: & addit *nos iuſtificari gratis, &* attingit decalogũ, *Cõcupiſcentiam*, inquit, *nõ cognoui, niſi Lex diceret, non concupiſces.* Petrus reprehenſus eſt à Paulo, quòd ſimulaſſet, & ſe à menſa ſubduxiſſet. Hîc litigat Hieronymus cum Auguſtino. Hieronymus Petrum cum Paulo ait ſic egiſſe, quaſi de compoſito res ea fuiſſet gẽſta, vt ex reprehenſione Petri, Iudæi qui aderãt rem omnem melius intelligerent. Auguſtinus non poteſt ſimulationem aut mendacium admittere in ſcripturis. Quis hîc erit iudex? Verbum Dei. Paulus ad Galatas, *Erat*, inquit, *reprehendendus, ſiue reprehenſus, quia non rectò pede ambulauit ad veritatem Euangelij.* In hæc verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, alij intelligunt, ſuper petram, id eſt, ſuper Chriſtum, & ſuper fidem & confeſsionem Petri: alij autem ſuper Petrum ipſum. Quis hanc litem iudicabit? Verbum Dei. Paulus ait, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, niſi quod poſitum eſt, Ieſus Chriſtus.* Sæpè mortui in ſcripturis appellantur dormientes. Id alij ad corpus referunt, alij ad animum. Quis hîc erit iudex? Verbum Dei. Chriſtus dicit latroni: *Hodie mecum eris in paradiſo*: & Paulus ait, *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Daniel confitetur peccata ſua. Quo loco Origenes ait, eum ſuſtinere non ſuam perſonam, ſed aliorum. Auguſtinus hunc locum ipſum citat contra Pelagianos, vt doceat, neminem eſſe innocentem. Quis iſta iudicabit? Verbum Dei. Paulus ait: *Omnes peccauerunt & egent gloria Dei.* & Ioannes: *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, noſmetipſos decipimus, & veritas in nobis nõ eſt.* Paulus ait: *Quis liberabit me de corpore hoc morti obnoxio?* Id Ambroſius & Auguſtinus interpretantur de Paulo regenerato. Alij de alijs non regeneratis dictum putant, nec poſſe conuenire in Paulum. Quis has ſententias iudicabit, niſi verbum Dei? Scribitur eodem loco, *Mente ſeruio legi Dei.* At non regenerati mente non ſeruiunt legi Dei. & addit: *Non quod volo bonum, hoc ago*: at non regenerati non poſſunt velle bonum, & addit: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Non eſt hominis non regenerati agere Deo gratias. Millenarij putabant Chriſtum rediturum in terras, & inter homines regnaturum mille annos: & in hac ſententia fuit Papias, Lactantius, Appollinarius, Iræneus, Iuſtinus, & alij. Eos Hieronymus naſo ſuſpendit, & appellat fabulam Iudaicam. Hanc controuerſiam facilè dirimit verbum Dei. Paulus ait: *Regnum Dei non eſt eſca & potus.* & Chriſtus ait: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* & *In regno patris mei neque nubent, neque matrimonia*

contrahent. Cypriani & Augustini temporibus Eucharistia tradebatur infantibus: id hodie non fit. Vtrum autem melius fiat, verbum Dei iudicabit. Paulus ait: *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* At infantes se probare non possunt. Multa possem prætereà commemorare, in quibus Patres inter se dissentiunt, vbi necesse sit, iudicium referre ad verbũ Dei. Quapropter videat Smythæus meus, quam prudenter scribere potuerit: ad horum gnomonem & amussim sensum Bibliorum exigamus sacrosanctorum: horum in edisserendis sacris voluminibus iudicium sectemur. Sed aduersarij nostri, dum sic Patres obtrudunt, nihil quærunt aliud quam vt dominentur fidei nostræ. Id autem Paulus noluit: *Nolumus*, inquit, *dominari vobis nomine fidei:* hoc est eo nomine, quòd fidem vos docemus, nolumus dominari vobis auferrendo vestras substãtias. Quare Patres ob id, quòd fidem in Ecclesia docuerunt, sic dominari par non est, vt quicquid dixerint, aut scripserint, non liceat contrà sentire. Id enim non dominari esset, sed tyrannidem exercere. Augustinus ad Cresconium grãmaticum lib. 2. *Nos*, inquit, *nullam Cypriano facimus iniuriam, cùm eius quaslibet literas à Canonica diuinarum scripturarum autoritate distinguimus.* Neque enim sine causa tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi prophetarum & apostolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & secũdum quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelium liberè iudicemus. Et Cõstantinus in synodo Nicæna hortatus est episcopos, vt decid erent omnes controuersias ex scripturis Canonicis, & propheticis & apostolicis, & à Deo inspiratis: vt Theodoretus in sua historia testatur. Et Augustinus cõtra Faustũ Manichęum libro 15. cap. 5. *Scriptura*, inquit, *tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi si quid velut absurdum moueris, non licet dicere, author huius libri non tenuit veritatem: sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ Canonicarum scripturarum excellẽtiæ coæquantur, etiam in quibuscunque eorum inuenitur eadem veritas, longè tamẽ est impar autoritas. Itaque in eis si qua fortè propterea dissonare putatur à vero quia non, vt dicta sunt, intelliguntur, tamen liberum habet ibi lector auditorue iudicium, quo vel approbet, quod placuerit: vel improbet, quod offenderit: & cautus eius modi nisi vel certa ratione, vel ex illa canonica autoritate defendantur, vt demonstretur, siue omnino ita esse, siue fieri potuisse quod vel disputatum ibi est, vel narratum, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur.* Et ad Hieronymum in epistola 19. *Hanc ingenuam debeo seruitutem scripturis diuinis, qua eas solas ita sequar, vt conscriptores earum nihil omnino in eis erravisse, nihil fallaciter posuisse non dubitem. Nulla autem antiquitas aut dignitas personæ tanta est, vt possit præscribere verbo Dei. Siue nos ipsi, inquit, Paul. siue angelus de cœlo prædicauerit vobis aliud Euangelium, quam nos prædicauimus anathema sit.* At aduersarij nostri semper clamãt annos & tempora & sanctitatem Patrum. Sed hæc omnia nullum momentum habere debent contra verbum Dei. Christus & apostoli nunquam citabant Rabbinos & Patres, quamuis multi essent doctissimi: sed omnia docebant è lege & prophetis. Hieron. in Esaiam lib. 18. cap. 65. *Vt nequaquam festinent absque ratione credere, sed imitentur Nathanael, qui domini voce laudatus est: Ecce verè Israelita in quo dolus non est: qui Christum autoritate scripturarum quærebat, & de prophetis cupiebat agnoscere, dicens: de Nazareth potest aliquid boni esse? & est sensus: Quomodo mihi Messiam adducis de Galilæa, & à Nazareth, quem ego de Bethlem Iuda scio esse promissum? Apostoli igitur & apostolici viri ita filios generabunt, vt de scripturis sanctis instruant.* Idem super 23. cap. Matth. in illa verba: *Et veniet super vos omnis sanguis qui effusus est à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ* Agit de loco controuerso, quisnam ille Zacharias fuerit occisus inter templum & altare: & infert illorum sententiam, qui volunt eum fuisse patrem Ioan. Baptistæ, qui fuerit occisus, quòd Christum annũtiasset. Qua de re ita inquit: *Hoc quia de scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Et his verbis occultè perstringit Basilium, qui erat in ea sentẽtia. Ita 17. cap. Act. cùm Paulus apud Thessalonicenses prædicasset Christum, illi non statim habuerunt fidem eius verbis, sed cõsuluerunt scripturas, an ita se res haberet. Et ad Corinth. cùm dixisset: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, nisi quod positũ est Iesus Christus*, addidit, *alios superædificare, sed non omnes aurea & argentea, aut lapides pretiosos, sed alios fœnum alios stipulam.* Cũ lego Augustinũ lib. 3. de Doctrina Christiana pluribus locis, vbi agit de interpretatione scripturarum, video eũ nunquã lectorẽ remittere ad Patres. *Si quid*, inquit, *occurat in scripturis obscurũ et difficile, id confer cũ alio loco scripturarũ vel apertiore, vel simili. Tũ si ex vno loco plures sentẽtiæ possunt elici, illã magis amplectere quæ magis videbitur ædificare. Tertiò fac*, inquit, *vt linguis instructus accedas ad interpretationẽ scriptuarũ. Fit. n. sæpè, vt quod in vno idiomate non intelligis, intelligas ex altero. Quartò ne pigeat consulere varios interpretes: nam quod vnus reticuit obscurius, id alius sæpè expressit planius. Quintò considerandæ sunt diligenter omnes circumstantiæ. Sexto videndum est, quid antecesserit, quid sequatur. Sed in primis*, inquit, *nunquam oculos dimoueas à scopo scriptoris.* Hac ratione & via putauit Augustinus facillimè ad sensum & intelligentiã scripturarum posse peruenire. Quanquam nihil impedio, quin iuuenes consulere etiam possint viros doctiores, et interpretes. Hoc tamen meminerint: eos quicunque sint, & quantumuis docti, non posse præscribere contra apertum verbũ Dei. Est pulcherrima epistola Cypriani ad Cæcilium libro secundo epistola tertia *Non curandum est*, inquit, *quid hic aut ille senserit, sed quid Christus fecerit & docuerit.* Agebatur eo loco contra Aquarios, qui in celebratione cœnæ dominicæ aqua vtebantur pro vino. Eos Cyprianus reprehendit, quòd facerent contra verbum

Hieron.

bum Dei. Hodie Papistæ non quidem aqua vtuntur pro vino, sed lacerant & mutilant sacramentum, & alteram partem populo eripiunt: neque cogitant interim quid Christus docuerit aut fecerit, sed tantum quid aliquot homines contra verbum Domini decreuerint. Ita priscis illis Iudæorum tẽporibus, cum omnia expenderentur ad scripturas, omnia erant sana & integra. Cum autem controuersiæ reuocarentur ab Rabbinos, qui sedebant in cathedra Mosi, omnia erant vitiata & corrupta. Eoque pharisæi reprehensi sunt à Christo, quòd propter traditiones suas violarẽt mãdata Dei. Ad hæc quid aliud quæritur, quàm vt animus possit acquiescere? Acquiescere autem animus non potest nisi in verbo Dei. Sed verbum Dei, inquiunt, obscurum est. Esto: & Patres etiã sæpè sunt obscuri. Quapropter semper vacillent oportet animo & cõscientia, qui ancoram istã sibi auferunt. Hunc ordinem ethnici quoque scriptores secuti sunt. *A notioribus enim*, inquiũt, *proficiscendum est ad ignotiora.* Quæ autem ad religionem attinent, fide tantum nota sunt, non sensu. At fidei scripturæ notiores sunt quàm Patres. Fides enim est ex auditu, auditus autẽ ex verbo Dei, non ex verbo Patrum. Sed in primis animaduertẽdum est, quod habet Paulus in priori ad Corint. *Spiritualibus*, inquit, *spiritualia comparantes. Nam animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Facienda est ergo collatio, vt spiritus noster spiritualibus confirmetur. Quid autem tam est spirituale, quàm diuinæ literæ? Profectæ enim sunt immediatè, vt ita dicam, à spiritu Dei. Sed Patres quoque aiunt, sunt spirituales. Fateor: erant enim fideles & regenerati. Sed quomodo erant spirituales? Certè non quatenus erant Patres, sed quatenus erant Christiani. Hoc autem commune est omnibus fidelibus. Et vt fuerint Patres spirituales: non tamen ita prorsus erant spirituales, vt nihil haberent carnis, aut affectus humani: non enim semper aut loquebantur, aut scribebãt, aut sentiebãt ex spiritu. Pugnãt etiã nterdum inter se: ita nõ faciunt sacræ literæ. Addo, in Christo non est masculus, neque fœmina, neque seruus liber, sed tantum noua creatura. Spiritus enim Dei non alligatur personis, vt in hoc sit quòd sit rex: in illo, quòd sit subditus: est enim communis omnibus. Habet Pater spiritum Dei, sed non eò nomine, quòd sit pater: habet iuuenis spiritum Dei, non tamen idcirco quòd sit iuuenis. Augustin. contra Donatist. lib. 2. cap. 3. *Quis nescit sanctam scripturam Canonicam tam veteris quam noui Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit? Episcoporum autem literas quæ post confirmatum Canonem, vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & aliorum episcoporum graiorem auctoritatem, doctiorumq; prudentiam, & per concilia scimus debere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est. Et ipsa concilia quæ per singulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum con-*

ciliorum autoritate quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere: ipsaq; plenaria sæpè priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat. Et contra Maximinũ Arrianũ epist. *Nunc*, inquit, *nec ego Nicenum, nec tu Ariminense debes tanquam prædicaturus proferre concilium. Nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus non quorumcunque proprijs, sed vtriusque communibus testibus pugnemus: vt res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione concertet.* Et de Bono Viduitatis. *Quid ego amplius te doceam, quam quod apud Apostolum legimus? sancta enim scriptura nostræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus sapere plusquàm oporteat sapere: sed sapiamus, vt ipse ait, ad temperantiam, sicut vnicuique dominus partitus est mensuram fidei.* Sed obijciũt nobis Paulum in Epistola ad Timotheum appellare Ecclesiam columnam Veritatis. Fateor: est quidem columna Veritatis: sed non semper: Verùm quando nititur verbo Dei. Et Ecclesia dicitur à Græca voce ἐκκαλεῖσθαι: excitatur autem & euocatur verbo Dei: & quandiu ex eo agit, tam diu est columna Veritatis. Quid, ergo abijcimus Patres? Nihil minus. Sed minuimus superstitionem multorum de authoritate Patrum, qui illorum verba eo loco & numero habent, quo si essent verba Dei. Multa illi quidem scripserunt, & inuenerunt, quæ nos fortasse nunquam inuenissemus. Nõ tamen ita omnia scripserunt, quin oporteat nos iudicare atque expendere quid scripserint. In iudicando autem de rebus obscuris duo nobis proponenda sunt κριτήρια, quorum alterum internum est, hoc est spiritus: alterum externum, hoc est verbum Dei. Tum si ad hæc Patrum etiam authoritas accesserit, valebit plurimùm. Sic in causis ciuilibus oratores, re iam confirmata, addunt argumenta alia à iudicatis, eaque interdum plurimum habent ponderis. Iudex tamen secundùm ea non pronuntiat. *Legibus enim viuitur*, vt inquit Demosthenes, *non exemplis.* Hinc intelligitur illud Augustini contra epistolam Fundamenti. *Non crederem*, inquit, *Euangelio, nisi me authoritas Ecclesiæ commoueret.* Hic se mirificè iactant aduersarij, & clamant maiorem esse authoritatem Ecclesiæ, quàm verbi Dei. Et proferunt regulam dialecticam: propter quod vnumquodque est tale, illud ipsum est magis tale. Sed propter Ecclesiã inquiunt, credimus Euangelio: ergo multò magis credendum est Ecclesiæ. Excutiamus illam regulam, & videamus quãtum pro illis faciat. Præceptor in causa fuit, vt Virgilius esset poeta: ergo præceptor ille fuit magis poeta quàm Vergilius. Propter vinum aliquis est ebrius aut furiosus: ergo vinum ipsum magis est ebriũ aut furiosum. Cur ista non sequũtur? Quia in causis efficiẽtibus hæc regula non tenet, nisi sit & tota causa, & proxima, non remota, aut instrumẽtalis. Ecclesia autẽ nõ est tota causa, cur credamus Euãgelio: accedit etiã spiritus, sine quo nunquã credimus. Cõseruãtur quidẽ scripturę in Ecclesia:

Quæ dubi benda sint à nobis. κριτήρια.

Nota locũ August.

& ab episcopo aut magistratu conseruantur testamenta: sed ea nec episcopus nec magistratus mutare potest. Notarius aut tabellio scribit acta & contractus, & interdū scripta apud se retinet. Non tamen maior fides habetur notario, quàm testatori, aut cōtrahentibus. Sed dicere solent: hæretici non credunt scripturis. Atqui id ipsorū sit vitio non scripturarū. Et Iudæi obstinati ne Christo quidē credere voluerunt, aut Apostolis. Id autē ipsis vitio verti debuit, non Christo, nec Apostolis. Quid quòd ne Ecclesiæ quidē volunt credere? Nā post Nicenā synodū Arriani & plures erant, & pertinaciores, q̄ vnquā fuerant antea. Sed qui Ecclesiam statuunt supra scripturas, eānt ipsi ad Turcas, vt Ecclesię authoritate ac nomine eos inducant in fidem. Cyprianus de singularitate clericorū habet locum pulcherrimū. *Si totum*, inquit, *quod gerimus ad hoc tantūmodo gerimus, vt domino placeamus, profectò hoc solū erit iustū, quicquid voluerit, & iusserit, et probauerit Dominus, cui placere gestimus. Nā cū serui non possint à semetipsis scire, quid suis dominis placeat, nisi dominorum sequantur imperia, & vtique homines hominū similiū sibi non valeant vtilitates agnoscere, ni si acceperint, quod obseruent, multò magis mortales nesciunt immortalis Dei iustitiā cōprehendere, nisi ipse iustitiarū suarū dignetur iudicia demōstrare.* Quamobrē isti qui fugiunt scripturas, & colunt Patres, mihi nō videntur theologi dici posse, sed patrologi. Nos autē dicemus, quod quidā olim ethnicus respondit, nō curare se minutos illos Deos, modò Ioué haberet propitiū: ita nos nō tanti facimus Patrū sententias modò scripturæ à nobis faciant. Quāobrē videmus olim laudabilē fuisse consuetudinē, ne quid legeretur in Ecclesia præter scripturas Canonicas: idq; concilio Carthaginensi tertio decretū est. Et in synodis quum controuersiæ essent vltrò citroq; disputatæ, episcopi postremò sententiā pronuntiabant è sacris literis. Cuius rei exēplum luculentissimum habemus apud Cyprianum. Nā quū controuerteretur in concilio de Baptismo hæreticorum, episcopus quisq; sententiā suā probauit testimonio scripturarum. Deinde quum volumus instaurare Ecclesiā, in qua aduersarij ipsi multa deprauata esse cōfitentur, nihil consultius est, q̄ omnia reuocare ad prima Ecclesię principia, & religionis primordia. Quandiu enim cōsistimus in cōciliis & Patribus, veri abimur semper in ijsdem errorib. Ita in Rebuspublicis vbi aliquid collapsum est, boni ciues dāt operam, vt id reuocetur ad prima initia ciuitatis & fundamenta, si bona fuerint. Sed ne longius abeamus à proposito, aduersarij nobis perpetuò obijciunt votum. Id primùm videamus an ex verbo Dei obijciant, an sine verbo. Si id obijciant ex verbo Dei, omnino cedendum est: sin sine verbo operæprecium est videre, in quem finē obijciāt, & quid velint. Nā si votum statuunt cultum Dei, quo homines iustificentur, & cœlestia præmia mereantur, est aperta impietas, nec ferri potest: iustificamur enim gratis, ex fide, non operib. & æterna felicitas gratis datur. Quòd si dicent, se in voto ædificationem tantùm quærere, ne id quidē audiri debet. Certū est enim ex eo secutā esse magnā piorum hominū euersionem. Verùm si contra verbū Dei votū obtrudatur, ferendum omnino nō est. Supra autē plurib. verbis docuimus, votū cœlibatus inuectū esse contra verbum Dei. Quāobrem videant illi quēadmodum tolerari debeat. His iā cōstitutis, veniamus ad singulos Patres, vt videamus quid illi de voto & cœlibatu senserint. Certè, vt quod verū est fateamur, eos in causa habemus iniquiores. Statim enim ab Apostolorum temporib. nimium tribui cœptum est cœlibatui. Quibus autē de causis id factum sit, supra multis verbis docuimus. Non tamē huic causæ ita prorsus iniqui sunt Patres, vt omnes cōtra nos faciāt. Ita enim potēs est veritas, vt etiā ab inuito interdū extorqueatur. Sumemus aūt principium ab Apostolis: nā quodā modo sunt Patres Patrum. Illi autē primū quāuis essent sanctissimi, tamē nō aspernati sunt cōiugia. Imò si credimus Ambrosio omnes habuerunt vxores, præter Ioannē & Paulum. Nā in illa verba Pauli, *Despondi vos vni viro virginem castā exhibere Christo, hæc*, inquit, *referēda non sunt ad corporis castitatem. Nam ita excluderemus Apostolos ab ecclesia Dei, qui omnes præter Ioannem & Paulum habuerunt vxores, & tamē pertinebant ad ecclesiā.* Paulus ergo intelligit castitatem spiritus, ne ecclesia inficiatur idololatria, aut adulterio hęresiū & prauarum opinionum. Sed solent dicere, Apostolos, postquam venissent ad Christum, repudiasse quodāmodo vxores, & ab illarum cōsortio abstinuisse, Qui ista dicunt, sua tantum dicunt, nihil probant. Imò absurdè, & sine ratione dicunt. Nam nisi interceſsisset adulteriū, nullo modo licuit discedere ab vxoribus. Nec Christus venit in mundum vt faceret diuortia: sed potius monet, vt quos Deus coniunxit, homo ne separet. Quanquam ita Ambrosium cito hoc loco, non vt prorsus concedam in eam sententiam. Vnde enim sciebat ille, Paulum non habuisse vxorem? Certè alij Patres eo longè antiquiores putant habuisse. Quid autem dicemus de diaconis? Nicolaus diaconus habuit vxorem, vt apparet ex Eusebio & clemente. Sed de eo post plura dicemus, quum ventum erit ad Clemētem. Philippus diaconus & vxorem habuit, & filias. Quanquam sunt, qui eum referāt in numerū Apostolorum. Verum id non multū refert. Hoc certè ex his exēplis intelligimus, munus nec Apostoli nec diaconi ab horrere à matrimonio. Inter reliquos Patres primus occurrit Ignatius. Cuius epistolæ etsi numerentur inter apocrypha, tamen eas diligenter excutiemus. Erat episcopus Antiochensis vir sanctissimus, & constantissimus martyr. Is cùm Christi causa condemnatus esset, & obijceretur bestijs, magna voce inquit: *frumentum sum Christi, oportet vt bestiarum dentibus molar, vt inueniar mundus panis Dei.* In epistola ad Philadelphienses, *Non detrabo*, inquit, *de cæteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt, quorum nunc mēmini. Opto enim Deo dignus ad vestigia eorū in regno Dei inueniri: sicut Abrahā, Isaac, Iacob, sicut Iosephus, Esaias,*

In templis non sunt legendæ nisi scripturæ Canonicæ. Concilium Carthaginense tertium.

Patres quo ad huc virginit. & cœlibatu.

Apostoli magna ex parte ab ingenij Ambros.

Nicolaus diaconus habuit vxorem.

Philippus diaconus habuit vxorem.

Ignatius.

Esaias, & cæteri prophetæ: sicut Petrus & Paulus, & reliqui Apostoli, qui nuptys fuerunt sociati: qui non libidinis causa, sed posteritatis surrogandæ gratia coniuges habuerunt. Primùm ait se cõmendasse virginitatem, sed non ita tamen, vt quicquam derogaret maritis. Imò optat, vt ipsi contingat, ad illorum accedere vestigia. Quare matrimoniũ nihil impedimento est ad æternam salutem. Enumerat patriarchas, qui familiariter cum Deo loquebantur facie ad faciem, & prophetas, & apostolos, qui & Spiritu Sancto erant præditi, & populo proponebant verbum Dei. Si illos non impediebat à sancta functione matrimonium, cur nunc cum sacro ministerio non conueniat? Sed dicũt se spectare oportere diuina: & illi diuina spectabant, vt qui maximè dicunt se prædicare, atq; vtinam prædicarent: illi tamen prædicabant assiduè. Sed mitto Ignatiũ, & venio ad Iustinum Martyrem. Is in secunda Apologia, quam dedit Antonino Imper. quum malè audiret Ecclesia propter Gnosticos, & Carpocratianos, qui vxores habebant inter se communes, ita respondet. *Sunt multi in Ecclesia, qui se castrarunt propter regnum cœlorum: verùm hoc non cuiuis datum est. Siquidem & qui iure humano duas vxores ducunt, peccatores sunt, iudice præceptore nostro, & qui spectant mulieres, vt alant concupiscentiam.* Et mox: *Et multi in vtroque sexu reperiuntur egressi annum 60. ac 70. qui à teneris disciplina Christiana imbuti perpetuam castitatem conseruauerunt.* Hic de castitate voluntaria mentionem facit, nullam de voto. Imò inquies, etiam votum nominat in quæstione 89. fateor. Sed videamus quid dicat. Tractatur historia de filia Iephthę. Verba autem eius sunt hæc: *Permisit Deus illam immolari, non quasi humano sanguine delectaretur, sed quò documentum statueret posteris, ne vnquam imprudenter Deo vota nuncuparent. Multa enim metuenda sunt absurda in eiusmodi votis imprudentibus: quæ ne eueniant, prospiciens Deus, permisit immolari filiam Iephthe. Quod quidem non fuit antegressi consilij vel Dei, vel ipsius Iephthe, sed accidens imprudentis voti.* Hæc verba si aduersarij expenderent, non ita homines adigerent ad vota, vnde videmus tot mala in Ecclesiam redundasse. Sed obijcient: At quæstione vigesima prima addit etiam insuper de monachis. Esto: sed primùm eo loco nulla est mẽtio de votis: deinde hoc addo, illas interrogationes non esse Iustini. Id nisi probauero, nolo mihi quisquam credat. Nam qua ætate vixit Iustinus? Anno Domini centesimo sexagesimo quarto, sub Antonino. Et tamen quæstione octuagesima secunda & octuagesima sexta citat Origenem, qui vixit sub Alexandro Mammeæ, anno ducentesimo duodecimo. Videmus ergo, Origenem longo post tempore secutum esse Iustinum. Hic tamen, quisquis est, eum ita citat, ac si multo ante præcessisset. Adhæc mentionem facit de Manichæis. At Manes author eius sectæ multo pòst vixit sub Aureliano, anno ducentesimo sexagesimo, vt centum anni omnino interfuerint inter eũ & Iustinum. Et quæstione quinquagesima secunda ad Orthodoxos negat fuisse verum Samuelem, quem maga excitauit. At in colloquio cum Tryphone Iudæo, qui liber Iustini est sine omni controuersia, ait fuisse Samuelem. Fuisse & non fuisse sunt contradictoria. Quare liber ille Interrogationum non videtur esse Iustini. Proximus est Dionysius Corinthiorum episcopus, qui epistolam scripsit ad Gnosios, in qua monuit Pinytum illorum episcopum, qui iam tum cœperat eiusmodi quippiam meditari, ne iugum castitatis fratrib. imponeret, quod illi ferre non possent, & citatur ab Eusebio, & ab Hieronymo de viris illustribus. Post hunc sequitur Irenæus. Ille hac de re neutram in partem multa scribit. Aliqua tamẽ habet, quę non nihil pro nobis faciant, libro primo, capite nono de Marco quodam, quem ait fuisse maleficum & magum, & præstigiatorem. Efficere enim solebat præstigijs, vt vinum in calice ruberet, ac si sanguis esset: & de paruo calice cũ magna spectantium admiratione magnum implebat. Decepit etiam mulieres, & eas illexit ad adulteria. Vnde quum venisset in Asiam, & diuertisset ad diaconum quendam, eius vxorem corrupit malis artibus, & abduxit. Ea postea quum egisset pœnitentiam, restituta est Ecclesiæ. Ex hoc loco colligitur, illum diaconum nõ solùm habuisse vxorem, sed etiam eam domi suæ habuisse. Idem Irenæus libro primo, capite trigesimo primo ait, Tatianum quendam discipulum Iustini, qui quandiu præceptor vixit, quum se continuisset in officio, postea elatum superbia æquasse matrimonium scortationi. Et quid aliud nostri faciunt aduersarij? Imò isti matrimonium ministrorum statuunt esse adulterio & scortatione deterius. Quid est consentire cum Tatiano, si hoc non est? Et vt ne hoc taceam, libro secundo, capite quadragesimo sexto, idem Irenæus scribit, *quum vniuersæ scripturæ & Propheticæ, & Euangelicæ in aperto sint, & sine ambiguitate, & similiter ab omnibus audiri possint, &c.* Videant isti hæc verba pro nobisne, an pro illis faciãt. Illi populo eripiunt scripturas, Irenæus eas vult esse in aperto, & similiter audiri ab omnibus. Veniamus nunc ad Clementem Alexandrinum. Is in secundo lib. Pædagogi, cap. 10. scribit in hunc modum: *In summa oportet Christianos, aut matrimonium contrahere, aut, si qui non contrahunt, mundè ac purè viuere* Hæc oportuit papistas ad suos sacrificos accommodare. Nam si purè & mundè non viuant, Clemens monet, vt contrahant matrimonium: illi autem contra statuunt. Quantũuis enim spurcè ac impurè viuant, tamen eos non patiuntur vxorem ducere. Sed veniamus ad apertiora. Idem Clemens Stromat. lib. 3. ait: πίστος ἐ φιλιππος ἐπιδοκιμασεν. Et de Philippo, τὸν ἀγαπητὸν αὐδρὰσιν ἐξέδωκεν. Et alio loco, Paulus, inquit, non est veritus in quadam epistola nominare coniugem suam. Ea autẽ epistola est ad Philippenses, in qua sic affatur vxorem suam: γνησιε σύζυγε. Quam alio loco ad Corin. ait, se nõ circumducere, quãuis alioqui liceret: sic enim ait: *Non habeo potestatem ἀδελφὴν γυναῖκα circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini & Ce-*

phas. Clemens ergo testis est, Paulum habuisse vxorem. Sed hîc aduersarij occurrunt, & dicũt alios patres id negare. Et in eam sententiam citant Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Theophylactum. Primùm quòd ad authoritatem attinet, nemo vnquam explosit Clementem, quasi virum malum, aut non rectè sentientem. Deinde quæro, quum Ignatius & Clemẽs propiores Apostolorũ temporibus fuerint, & rem omnẽ scire facilius potuerint, cur non illis potius fides habenda sit, quàm his, qui longo pòst tempore secuti sunt? Certè quando vel de furto, vel de homicidio testimonium dicendum est, magis illis creditur, qui propius adfuerunt, nisi improbi, aut malitiosi esse arguantur, quàm alijs, qui scire non potuerint. Sed hic Smythæus meus clamat, locum illum Ignatij impostura alicuius hæretici esse depraua tum, quò facilius persuaderetur, licere sacerdotibus ducere vxores. Nam Oxonij, inquit, in bibliotheca Magdalenẽsi in libro miræ vetustatis, nõ excuso typis, sed manu perpulchris characteribus exarato, non inuenitur nomen Pauli. Pulchrum est, quum aliquid obijcitur ex Patribus, quod soluere nequeas, respondere, locum esse depraua tum ab hæretico. Et nonnihil miror, cur Clementem quoq; non ausus sit dicere, depraua tum esse eodem modo. Hunc autem errorẽ in Ignatio, cur ante hunc Aristarchum vidit nemo? Tum ille hæreticus, quo nomine, vbi, aut quando fuit? Hìc satis est Smythæo dicere, fuisse aliquem. Sed ille aliquis vnde tantam nactus est potestatem in libros, vt vnus mnia exemplaria, qu cunque essent, vbique terrarum potuerit corrumpere? Verùm vt fuerit aliquis, & omnia exemplaria corruperit, quo ea consilio corrupit? Vt facilius, inquit, persuaderetur, licere sacerdotibus vxores ducere. Ea causa interposuit nomen Pauli. Ridiculum. Quasi minus sit ponderis in Petri nomine, quàm in Pauli: aut quasi nobis non sit satis, vt doceamus matrimonium non abhorrere à sacro ministerio, si probari possit, Petrum vel solum habuisse vxorem: aut, quamuis tollas nomen Pauli, quasi Ignatius non apertè scribat, *Petrus, & cæteri Apostoli Domini.* Sed vt intelligas, Lector, quanta dehinc Smythæo fides habenda sit, ego quum essem Oxonij, vidi in bibliotheca Magdalenensi librum illum, quem iste ait, miræ esse vetustatis, & multa legi, & multa cum alijs exemplaribus contuli. Quid quæris? Inueni librum non modò non ita mirè vetustum, vt Smythæus prædicat, sed etiam multis locis corruptissimum. Sed vt redeamus ad institutum, quamuis, inquiunt, Ignatius & Clemens sint magnæ authoritatis, tamẽ verba Pauli illorum sententiam non probant. Nam si in epistola ad Philippen. vxorem suam intelligi voluisset, γνησια dixisset potius in fœmi nino genere quàm γνησιον. Hìc ego non possum non mirari velle istos corrigere Græcè scripta, quum & Ignatius, & Clemens fuerit Græcus, & præsertim Clemens Græcè doctissimus, & in Poetis & Oratoribus maximè versatus, & tamen Pauli dictione nõ sit offensus. Proprium enim est Atticorum, masculino genere vti pro fœmineo. Sed dicent fortasse, Paulum communi potius lingua vsum esse, quàm Attica. An verò epistolam Pauli ad Titum non legerunt? Nam in illa epistola sic scribit, *Apparuit χαρις ἡ σωτηριος*, &c. Eodem prorsus modo, quo hìc vxorem suam dicit γνησιον. Et certè Paulus si virum aliquem eo loco intellexisset, σωσιγενη eum potius appellasset, quàm συζυγον. Nusquam enim fratrem συζυγον salutauit. Adhæc quoties salutat aliquem, eum vel vocat proprio nomine, vel ita describit, vt intelligi possit, quem velit. Id autem hoc loco non fit. Vxorem autem suam ita appellat συζυγον, ac si eam suo nomine salutasset. Alterum autem illum locum ad Corinthios, *Non habeo potestatem, sororem mulierem circumducendi, &c.* superius explicuimus. Sed dicere solent, illa voce, γυναικα, aliam quamuis mulierem significari, non vxorem. Cur ergo dixit Paulus sororem mulierem? Quid erat opus, vt adderet mulierem? Quasi verò vir aliquis soleat dici soror: esset nugatio, si ita sensisset. Sed videamus eius loci circumstantias. Quæ erant illæ mulieres, quas Paulus ait, sibi licuisse circumducere? Ambrosius respondet, fuisse diuites matronas & pias, quæ de suis facultatibus victum submin strabant Apostolis. Quid ergo agit Paulus eo loco? Ait, se posse pro suo iure petere ab Ecclesia, vt res sibi ad victum necessaria suppeditentur. Neq; id solùm, sed etiam vt mulier, quam posset circũducere, si vellet, ab Ecclesijs aleretur: ita enim prospectum erat alijs Apostolis. Iam si mulieres illę ita erant diuites, vt Apostolos alerent, & omnia illis necessaria suppeditarent, quomodo ista cõsentiunt cum instituto Pauli? Quare non oportuit tam facilè Clementem condemnare: erat enim & pius vir, & antiquissimus, & illis temporibus, vt ista facilius scire potuerit. Sed objiciunt, Quid ergo dixit Paulus, *Volo omnes esse sicut ego sum?* Nam si maritus fuit, videri potest ad matrimonium potius hortari his verbis, quàm ad cœlibatum. Facilis est responsio. Habuit quidem Paulus vxorem, sed eam reliquerat Philippis ex consensu, vt expeditius prædicaret Euangelium. Itaque habuit vxorẽ, quasi non haberet, vt quamuis esset maritus, tamen videri posset cœlebs: eoque se proponit exempli loco, quem imitentur. Sed quid respondent Clementi? Aiunt, Patres quum scriberent in hæreticos, violentius torsisse Scripturas: ita Clemens, inquiunt, quum contra Tatianos & Eucratitas scriberet, quacunque ratione illos volebat opprimere. Accipio libenter quod dicunt, & peto, vt mihi quoque tantundem concedant alio tempore, vt mihi quoque liceat dicere, Patres interdum vtsisse Scripturas violentius. Sed redeamus ad Clementem. De Nicolao citat historiam, quam etiam narrat Eusebius. Ait enim, cùm haberet formosissimam vxorem, cœpisse malè audire, quasi laboraret zelotypia: eum autem, vt se purgaret, adduxisse vxorem in medium, & dixisse publicè: Eat

cè: *Eat per me, & nubat cui volet*: ac si illi dedisset libellum repudij. Hæc autē eius verba alij perperā intellexerūt, quasi ille sensisset vxores cōmunes esse oportere. Atq; hinc nata est secta illa Nicolaitarum, qui tuebantur vxorum communitatem. Excusatur tamen Nicolaus, quia illi eum aliter acceperūt, atq; ille sensisset. Eoq; vxorem retinuit, atque ex ea filias procreauit, quæ, vt ait Clemens, virgines permanserunt. Idem Clemens refutat illorum argumētum, qui ex 7. cap. Pauli ad Corinthios probare volunt, non esse contrahendū matrimonium. Ita enim colligunt: Bonum est mulierem non tangere: ergo malum est tangere, Id refutat à simili. Paulus, inquit, octauo ad Corinthios ait, *Bonum est non comedere carnes, & non bibere vinum.* Quare si ex altero loco impedire volunt matrimonium, ex hoc, inquit, impediant, ne quis edat carnes, aut bibat vinum. Vtq; doceat, nihil esse obscœni in matrimonio, citat hæc verba Pauli, *Sanctificatur mulier infidelis per uirum fidelem.* Quare matrimonium nihil impedit, inquit, sanctitatem. Illi autem dicebant, se nolle nubere, quòd iam facta esset resurrectio. In resurrectione autem, inquiunt, neq; nubunt, neq; contrahunt matrimonium. Verum quidem est, inquit ille: Sed hoc etiam additur, *Regnum Dei non est esca & potus: & esca ventri, & venter escæ: & hunc & hanc destruet Dominus.* Quare, quoniam iam facta est resurrectio, nec edant posthac, nec bibant. Addit præterea fuisse maleficorum & magorum, & eorum qui angelos & dæmones colerent, abstinere à carnibus, & vino, & re Venerea: & alludit ad locum illum Pauli ad Colossenses: *Ne tetigeris, ne gustaueris, quæ pereunt ipso abusu: quæ sunt secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ speciem quidem habent sapientiæ in superstitione & humilitate, & neglectu corporis, non in honore ad expletionem carnis.* Qui detestantur matrimonium, Christum sibi proponunt pro exemplo. Christus, inquiunt, nō duxit vxorem, ergo nobis non licet vxorem ducere. Par enim est, vt per omnia Christi vitam imitemur. Respondet Clemens, alias Christo fuisse causas peculiares, ne vxorem duceret, quæ nobis non sint. Adfert autem tres. Primùm Christum iniisse matrimonium cum Ecclesia, eoq; nō curasse aliud. Quare cùm Papa & episcopi vocant se sponsos Ecclesiæ, abutūtur ea voce, quæ propriè Christo conuenit. Christus enim solus est sponsus Ecclesiæ. Et Paulus ait. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*: ac si diceret, Ego sum pronubus tantùm, aut paranymphus, non sponsus. Etlohannes Baptista se vocat amicum sponsi, non sponsum. Altera causa erat, quòd nihil esset imperfectionis in Christo, ut opus haberet adiutorio. Vxor autē adiutorium est viro, non tantùm ad propagandam sobolem, verùm etiam ad multos vsus humanæ vitæ. Tertia autem causa fuit, quia vxores ducuntur, vt parentibus morituris surrogē tur liberi. Christus autem viuit in æternū: quare non erat opus, vt sibi liberos surrogaret. Et nos, cum erimus in patria, nō ducemus vxores: quoniam viuemus in æternum, nec opus habebimus liberis, aut vicarijs qui nobis succedant. Addit Clemens præterea: Apostoli scripserunt epistolas ad Ecclesias, easque plenas omnium rerum ad salutem necessariarum. At illi nusquā prohibent nuptias, imò potius docent, quemadmodum colendæ sint. Nam aduersarij fatebantur, in veteri Testamēto licuisse contrahere matrimonium, sed non licere in Nouo. Quapropter ducit argumentum ex epistolis Apostolorum. Adhæc, mariti, inquit, deliguntur episcopi, presbyteri, & diaconi in nouo Testamento. Id illi fatebātur: sed hoc addebant, eos qui ita creati fuissent ministri in Ecclesia, statim repudiasse vxores: id quod Papistæ etiam hodie faciunt. Clemens autem, *Imò verò*, inquit, *Ecclesia admittit episcopos, presbyteros, diaconos vtentes matrimonio citra reprehensionem.* Vtentes, inquit, matrimonio, nō tantùm qui vsi sint. Quibus verbis refellitur illorum futile commentum. Citabant porrò Marcionistæ, Tatiani, & eiusmodi pestes Euangelium secundum Ægyptios. Quod quale fuerit, Nazaræorúmne an Ebionitarum, an aliud, nescio. Sed in illo Salome sic affatur Christum: *Quandiu nobis mors dominabitur?* Christus respondet, *Quandiu vos mulieres paritis.* Ergo, inquiunt, vt mors ne amplius dominetur, tollenda sunt coniugia. Hic possumus verè dicere, Euangelium illud esse suppositititium. Sed Clemens aliter respondet. *Christus*, inquit, *his verbis non prohibet partum, sed tantùm ostendit euentum, mortem dominari si mulieres pepererint. Quia qui ortum habet, necesse est, vt eum interitus consequatur. Atque id fiet*, inquit, *vsq; ad iudicium.* Sed redit ad Euangelia recepta. Hìc obijciunt parabolam. Qui inuitabatur ad conuiuium, respondit, se, quod vxorem duxisset, non posse venire. Ergo, inquiunt, non licet contrahere matrimonium, quia auertit nos à conuiuio cœlesti. Respondit Clemens: *Ille, qui dicitur duxisse vxorem, significat hominem mundanis curis & cogitationibus implicatum, quiq; ob voluptates recusat sequi vocationem Domini. Illa nos morantur à conuiuio Dei. Alioqui si ob eam causam non licet vxorem ducere, eam ipsam ob causam nō licebit villam aut boues emere, aut terram colere. Nam illi quoque se excusari voluerunt, ne venirent ad cœnam.* Sed obijciunt aliud aliquāto in speciē grauius ex Paul. *Qui sine vxore est, cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: qui autem duxit vxorem, cogitat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: diuersæ enim sunt mulier & virgo. Quæ virgo est, curat ea quæ sunt Domini, vt sit sancta corpore & spiritu: quæ verò nupta est, curat ea quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Ergo matrimonium, inquiunt, prohibet, ne possimus placere Domino. Hic scire debemus, ex his verbis Pauli nihil aliud posse colligi, nisi maiore quadam cura implicari maritos, quàm cœlibes. Sed cū omnib. nō sit datum cœlibem vitam viuere, multò satius est, has qualescunq; curas subire, quàm vel vri, vel apertè scortari. Duob. enim propositis incommodis id eligendū est, quod minus lædit. Nam nec qui grauiter vritur, potest animum inducere, vt spiri-

tualia curet, & ea quæ sunt Domini: quando- A
quidem distrahitur, & vehementer animo per-
turbatur, nec qui apertè scortatur, & idcircò la
borat infamia, potest ædificare Ecclesiam Dei.
Quin & maritus habet quædá munera, quæ &
Domino placent, & faciunt ad gloriá Dei, qua-
le est piè educare liberos, regere & instituere fa
miliam. Quod autē Paulus dicit, maritum soli-
citum esse de mundo, cogitare debemus, Mun-
dum in sacris literis bifariá intelligi. Interdum
enim accipitur in deteriorem partem pro pec- B
cato: sed ita hoc loco non accipitur. Interdum
pro cura quadá de victu & alenda familia. Atq;
hic est sensus Pauli. Hæc autē cura damnari nō
potest, modò ne cum diffidentia coniuncta sit.
Verùm dicent: at minister ab omnibus, nedum
ab istis curis solutus & liber esse debet. Imò, in-
quit Clemens, non est necesse. Nam istæ curæ
matrimoniales sunt quædam meditationes, &
quasi præparationes ad regendas Ecclesias: & C
idcirco eligitur episcopus maritus, qui se exer-
cuerit in alenda familia. Itaque cura illa nō est
tanta, vt possit auellere à cogitatione rerum di
uinarum, & à cura Ecclesiæ. Idque ex Luca in-
telligi potest. Zacharias & Elizabetha erant cō-
iuges, & tamen erant iusti ambo coram Domi-
no, & ambulabant sine reprehensione. Quare
matrimonium non impedit pias cogitationes.
Et addit Clemens: *Qui est in matrimonio, non po-*
test Deo gratias agere? Non potest solicitus esse de his
quæ sunt Dei? Potest, inquit. *Et mulier nupta non* D
potest sancta esse corpore & spiritu? Certè, inquit,
potest. Nam ambæ sanctæ corpore ac spiritu esse queūt,
sed pro sua portione, vt hæc sit sancta vt vxor, illa vt
virgo. Sermo autem Apostoli non est in mate-
ria necessaria, vt loquuntur Dialectici, sed tan-
tùm de his, quæ vt plurimū contingunt. Nam
quod Paulus dicit, hominum vitio accidit in-
terdum, non nuptiarum. Homines enim non
semper prudenter contrahunt matrimonium.
Ducunt enim interdum vxores non Christia- E
nas: interdum oculis magis ducunt, & digitis,
quàm iudicio aut ratione. Inde sunt distractio-
nes & solicitudines, vt mundo & coniugi pla-
ceant. At si quis à Deo pium sanctumq; matri-
monium petat, non ita superfluis curis onera-
bitur. At Clemens lib. 3. Strom. apertè mentio-
nem facit de voto, vbi ita definit temperātiam.
Ἐγκράτεια ἐστι σώματος ὑπεροψία χάριν τοῦ θείου ὁμολο-
γίαν. χάριν τοῦ ὁμολογίαν, inquit, hoc est, ex profes-
sione aut ex voto. Hæc autē continentia, inquit, F
non tantū est in re Venerea: ἀλλὰ καὶ περὶ τὴν γλῶσ-
σαν, καὶ περὶ τοὺς κλήσεις, καὶ περὶ τὴν χρῆσιν. Quem locum
in primis cogitare Papistas oportet, cùm tanto-
perè vrgent votum castitatis. Verùm hic lo-
cus euitari vtcunque posset: sed est alius in se-
cundo libro multò clarior. Sic enim citat Chri
sti verba, quæ vbi scripta sint, nescimus: πάλιν ὁ
κύριος φησιν: ὁ γήμας μὴ σωθήτω, καὶ ὁ μὴ γαμήσας, μὴ
γαμήτω. ὁ μὴ προῖσιν σύνοιδας ὁμολογήσας μὴ γήμαι, ἄγα-
μος διαμενέτω. *Qui professus est se non ducturum vxo-* G
Nota pro- rem, cælebs maneto. Erant ergo Clementis æta-
gressum vo te professiones castitatis, & vota. Fateor, nec e-
torum. ro difficilis. Iam tum inceperant homines de-

flectere à verbo Dei. Erant primis illis Apos-
tolicis temporibus, qui cum donum haberēt cœ-
libatus, viuebant cœlibes, sed sine voto. Postea
erant qui profiterentur etiam coram Ecclesia,
se velle viuere cœlibes. Adhuc tamen vota non
exigebantur à quoquam: imò si quis illorum,
qui hoc pacto vouissent, postea duxisset vxo-
rem, non erat ei fraudi. Erat enim legitimum
matrimonium. Postea tamen cœpit malè audi-
re, vt Basilius hoc genus matrimonij incestum
appellarit. Quanquam Augustinus multis ra-
tionibus docet, huiusmodi contractus esse legi-
tima matrimonia, quamuis interceſsisset votū.
Et temporibus Iustiniani Imperatoris, vt appa
ret ex eius authenticis, ministri, qui post votū
duxissent vxores, deponebantur tantùm à mi-
nisterio, non distrahebantur à matrimonio.
Nunc & exiguntur vota, & matrimonia soluun
tur, & qui contraxerunt, comburuntur. Ita non
diffitebor etiam tempore Clementis apud pau-
cos quosdam cœpisse consuetudinem vouen-
di. Clemens tamen addit hanc cautionem: *qui*
suscipiunt votum castitatis, videant ne per impieta-
tem suscipiant: &, ne obscœna putent esse matrimo-
nia, néue alios contemnant, qui vxores duxerint.
Vtrunque in Papistas bene conuenit: nam &
matrimonia fœda & obscœna esse clamant, &
se, quia cœlibes viuunt, multò putant sanctio-
res & meliores esse, quàm alios qui viuunt in
coniugio. Clemens autem monet, vt vterque
agat gratias Deo de dono suo. Vtrunque enim,
& cœlibatus & matrimonium, est donum Dei.
In 7. Stromat. ait, Petrum adhortatum esse v-
xorem suam, cùm illa duceretur ad martyrium
& eam his verbis compellasse, Heus tu, memen
to Domini. Talia, inquit, sunt Apostolorum
coniugia, vt sibi mutuò sint adiumento, & mu-
tuò se cohortentur ad martyrium. Nunc venio
ad Tertullianum. Hic aduersarij nostri multa
inueniunt: sed vt sorex, prodūtur indicio suo.
Quis enim fuit ille Tertullianus? Certè pres-
byter Carthaginensis ciuitatis, vt apparet ex
Hieronymo de viris illustribus. Et cùm esset
presbyter, habuit vxorem. De eo si quis dubi-
tat, legat eius librum, quem scripsit ad vxorem
suam. Ergo illo tempore presbyteri habebant
vxores. Sed non nimis magna fides illi haben-
da est in hac re: lapsus enim est ad Montanistas.
In exhortatione ad castitatem, quem librū Hie-
ronymus ait scriptum esse contra Ecclesiam, &
in libro de Monogamia damnat secundas nu-
ptias. Veteres autem etsi multum tribuerent
virginitati, tamen libenter concedebāt primas
nuptias. Secundas autem vix & ægrè dabant,
idque si quis se non contineret. Has autem nu-
ptias Tertullianus nullo modo dabat. At Mon-
taniſtæ longius etiam profecti sunt. Damna-
bant enim in vniuersum omnes nuptias. Argu-
mentum autē, quo Tertullianus secundas nu-
ptias damnabat, inane est & friuolum. *Vnde, in-*
quit, eliguntur episcopi? Ex monogamis. Ergo omnes
laicos, inquit, *oportet esse monogamos, ne impediant e-*
lectionem episcoporum. Nam si omnes laici fuerint bi-
gami, non erit, vnde eligantur episcopi. Hoc argu-

men-

mentum si Papistæ vrgere vellent, prohiberent A omnino omne matrimonium. Nam apud eos episcopi non eliguntur nisi cœlibes. Sed vtitur alio argumento non magis firmo, quàm est illud, quod modò retulimus. *Oportet*, inquit, *omnes Christianos esse monogamos, quia omnes sumus sacerdotes. Sacerdotes autem oportet esse monogamos.* Christianos autè esse sacerdotes probat ex eo, quod scriptum est, *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotium.* Sed in libro de Velandis virginibus ait, fuisse quasdam in Ecclesia virgines B Dei. Et in libro, quem inscripsit, Exhortationē ad castitatem, appellat quasdam virgines ordinatas. Id Papistæ ita interpretantur ac si essent ab episcopo consecratæ. Verùm ille mos non cœpit ante tempora Ambrosij, cùm Ecclesia iam otium & pacem nacta esset. Certum autem est, librum illum de Velandis virginibus nihil minus spectare, quàm virgines ab episcopis cōsecratas, quod isti putant. Hoc enim est eius libri argumentum. Virgines Carthaginenſium C venisse in templum aperto capite. Id factum cùm à quibusdam reprehenderetur ex Pauli verbis ad Corinthios, Carthaginenses respondērunt, locum illum Pauli intelligendum esse tantùm de nuptis mulieribus, non de virginibus. Tertullianus itaque probat, verba illa Pauli pertinere ad omnes, & tam virgines quàm nuptas in cœtu sacro velari oportere. Est etiam in eodem libro, quod pro nobis nonnihil faciat. *Inuita*, inquit, *& coacta castitas in grauissima mala protrudit: hinc enim fit, vt virgines sæpe debellet infantes.* Virgines, inquit, quæ inuitæ & coactæ virginitatem colunt, ne facinus prodatur, sæpe curant aborsum. Hîc Papistæ negare non possunt, multos esse ex sacrificis & sanctimonialibus suis, qui & coacti ita viuant, & sæpe in ista scelera & flagitia labantur. In libro de Monogamia ad psychicos (ita enim verè Christianos quasi animales aut carnales vocat, quòd secundas nuptias tertiasque permitterent) ita scri- E bit: *Apud vos episcopi etiam sunt bigami.* Ex quibus verbis hoc potest colligi, vel veteres non ita intellexisse Pauli verba ad Timotheū, vt ea hodie multi intelligunt, vel certè cum aliqua ἐπιεικείᾳ & moderatione intellexisse. Ita cùm Paulus monuisset, ne neophytus deligeretur episcopus, tamen adhibita moderatione, & Ambrosius Mediolani, & Nectarius Cōstantinopoli, vterque catechumenus & neophytus creatus est episcopus. Quod autem ad secundas nu- F ptias attinet, vidit Tertullianus aduersari sibi Pauli locum ad Timotheum, vbi ait, se velle viduas iuniores nubere, & filias procreare. Quare ea verba ad hunc modum interpretatur. *Ad eas dirigit*, inquit, *quales suprà notauit, iuuenculas, viduas, quæ in viduitate deprehensæ, & aliquandiu affectatæ, postquam in delicijs habuerunt Christum, nubere volunt, habentes iudicium, quòd primam fidem rescinderunt, illam videlicet, à qua in viduitatæ inuentæ professæ eam, non perseuerant. Propter quod vult eas* G *nubere, ne primam fidem susceptæ viduitatis postea rescindant.* Et his verbis alterutrū horum omnino intelligendum est: vel Paulum velle eas nubere, quamuis vouissent: idq; magis Tertullianus videtur sentire: vel si non de viduis, quæ professæ sint, sed de similib. agatur, tamen Paulum eas quoque velle nubere, ne postea fidem datam rescindant. Hæc quoq; sententia contra aduersarios nostros facit. Nam illi iuuenculas & penè puellas permittunt vouere, & in periculum incurrere. Quare in vtramuis partem sententiam Tertulliani acceperint, contra illorum instituta facit. Idem Tertullianus in libro de Anima, ait verba illa Domini, *Crescite & multiplicamini*, hucusque durare, & consecrare matrimonia. Nihil ergo turpe aut fœdum est in nuptijs, quæ verbo Domini consecrantur. Papistæ tamen eas, vt impuras & spurcas damnant. Venio nunc ad Origenē, qui vixit sub Alexandro Mammeæ, & peruenit vsq; ad tempora Philippi. Eum nimio quodam laborasse studio castitatis, testimonio est, quòd se ipsum castrauit: id enim eum fecisse, author est Eusebius: quod perperam factum multa pòst Concilia damnauerunt & prohibuerunt, ne quis se ipsum execaret. Quare mirum non est, si quid Origenes de hac re non rectè senserit. Homilia 23. in Numer. ait, *iuge sacrificium non nisi à virgine aut cœlibe præstari posse.* Per iuge autem sacrificium intelligit preces: quasi dicere velit, neminem precari posse nisi cœlibem. Contrà, Christus apud Lucam iubet, vt semper oremus: & Paulus ad Thessalonicenses, *Sine intermissione*, inquit, *orate.* Atque hæc verba ad omnes Christianos pertinent, non tantū ad cœlibes. Quare si Origenes rectè colligeret, nulli Christiano liceret coniugium inire. Verum quidem est, Paulum septimo cap. ad Corinthios monuisse coniuges, vt precationis & ieiunij causa temperarent sibi ad tempus ex consensu. Non tamen ita monet, vt à se inuicem discedant, quasi cùm sint in coniugio, precari non possint. De quibus autem precibus eo loco egerit, iam suprà docuimus. Minus autem tolerabile est, quod habet idem Origenes homilia 27. in Lucam. *Primus*, inquit, *gradus est ab omni coniugio abstinere: secundus, vinas tantùm nuptias experiri, vt coniux apud se voueat & statuat, si quid coniugi humanitùs contigerit, nolle se secundas nuptias inire. Secundæ enim*, inquit, *nuptiæ, vt excludit à ministerio ecclesiæ, ita etiam excludunt à regno cœlorum.* Sed adhibet moderationem: *Non quidem*, inquit, *vt proiciantur in ignē, sed tantùm vt ne sint in regno Dei.* Ita meditatur tertium, nescio quem locum non satis prudenter, nec ex autoritate verbi Dei. Sed tractatu 29. in Matthæum, cùm exponit hæc verba Pauli ad Timotheum: *Seruabitur autem per filiorum generationem, si perstiterit in fide*: ait, hæc verba non posse intelligi secundum literam. Neque enim mulier inquit, seruatur propter procreationem liberorum. Quare ista torquet ad allegoriam, vt animus qui pepererit & produxerit opera bona, seruetur per ea, quasi per procreationem filiorum. Hoc verò ferendum non est. Quid enim tandem indignū est in verbis Apostoli? Egerat antè de mulieribus, velle se eas in cœtu tacere, nec potestatē exer-

cere in viros. *Quoniam*, inquit, *mulier seducta fuit, non vir: & Adam prior formatus est, deinde Eua. Tamen ne mulieres se contemptas & spretas putarent, seruabuntur*, inquit, *per filiorum procreationem, &cæt.* Quid ergo est filiorum procreatio causa salutis? Non: Christus enim est solus, per quem iustificamur, cum fide fuerit apprehensus. Liberorum autem procreatio medium tantùm est ad salutem. Tantum enim abest, vt id mulieribus obesse possit, vt hoc medio Deus vti velit ad illarum salutem. Ita opera bona media quædam sunt ad vitam æternam. Non quòd ea vitam aut salutem promereri possint, sed quòd media tantùm sint, in quibus oporteat versari. Ita si quis velit per gradus ascendere, gradus illi media tantùm quædam sunt ascensionis, non causæ. Nam causæ sunt vires, motus, spiritus. Ita intelligendùs est locus ille Pauli, nec est opus, vt confingamus allegorias. Et certè non parum est, si mulier patienter ferat dolores, fastidia ciborum, pericula vitæ, labores in educandis liberis: ná eam per hæc Deus perducit ad salutem, quæ tamen partubus & educationi liberorum non est sic alligata vt sterilibus & orbis, modò fidem in Christum habeant, non sit conferenda. Quod autem Origenes ait absurdum fore, si hæc ad literam intelligantur, quod pace tanti viri dicatur, ipse mihi videtur absurdus esse: sed habet alia bona, neq; enim semper errat. In 12. cap. ad Romanos in hæc verba: *Obsecro vos fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, &c.* Non tantùm virginum corpora sunt hostia viua & sancta, inquit: nam alioqui excluderemus aliquos Apostolorum, qui habuerunt vxores. Nam qui viuunt in coniugio, si orent Dominũ, & moderatè viuant, possunt illi quoque esse hostia viua. Et virgines si impudenter & auarè ac dissolutè viuant, non possunt esse hostia viua & sancta, quamuis sint virgines. Vt enim in victima non tantùm spectabat sacerdos, an esset ex genere mundo, sed etiam num quid vitij aut maculæ esset in pedibus, aut in aliqua parte corporis: ita non satis est videre, num quis cœlebs viuat, sed etiam videndum est, an in eo statu mundè viuat. Et idem in hæc verba ad Romanos: *Ne quis plus sapiat, quàm oporteat sapere.* Quidam, inquit, plus sapiunt, quàm oportet, de quibus Paulus loquitur ad Timoth: *Qui discedent à fide, attendentes spiritibus erroris, habentes cauteriatam conscientiam, prohibentes nubere, &c.* minus autem sapiunt quàm oportet, qui scortantur & viuunt in adulterio. Idem in Matthæum homilia vigesima quarta, exponens verba Christi de Pharisæis, qui sedebant in cathedra Mosis, de quibus ait, eos colligare onera importabilia, & ea imponere humeris aliorum, ipsos autem nolle ea ne digito quidem attingere, sic inquit: *Hodie qui non habent rationem humanarum virium, imponunt hominibus onera grauia & intolerabilia. Sunt autem illi, qui cauterio inusta habent conscientiam, prohibentes nubere, & comedere cibos quos Deus creauit: & aggrauant iugum Domini, quod ipse leue & commodum esse dixit. Ipsi verò interim*, inquit, *ingurgitant se voluptatibus, & nec castè agunt, nec sobriè viuunt.* Et tractatu septimo, in hæc verba, *Quos Deus coniunxit, homo ne separet.* Matrimonium, inquit, ita est bonum, vt vocetur gratia Dei. Nam Paulus inquit, *Volo omnes esse vt ego sum: sed vnusquisque donum suum habet à Deo.* Quod Paulus Græcè dixit χαρισμα, id interpres Origenis reddidit Gratiam. Nam si vir amet vxorem suam, vt Christus amauit Ecclesiam: & vxor obtemperet marito, vt Ecclesia Christo, ea est magna Dei gratia: non enim fit sine singulari beneficio Dei. Et idem in tractatu 21. in hæc verba, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*: ait, hominem constare ex diuersis partibus, ex corpore, anima, & inferioribus viribus animæ: & addit, hominẽ posse reddere quæ Dei sunt, Deo, & tamen seruire necessitatib. naturæ. Vt cùm colimus Deum, reddimus quod debemus Deo: cùm curamus victum, vestitum, coniugiũ, reddimus quæ Cæsaris sunt, Cæsari. Sed sunt quidam Pharisæi, inquit, qui volunt nos reddere vectigal Cæsari, hoc est, seruire necessitati naturæ. Et hæc quidem hactenus bene. Quod autem tractatu septimo ait, quędam esse bona simpliciter, quędam permilla ad duritiam cordis, & in eo genere ponit matrimonium, probari non potest. *Nam bonum est*, inquit, *mulierem non tangere: verùntamen propter duritiam cordis additur: propter fornicationem vnusquisque suam habeat, & quæque suum. Bonum est, quod Paulus ait, Volo omnes esse sicut ego sum: ad duritiam tamen cordis subdit, Melius est nubere quàm vri.* Hæc nec bene dicuntur, nec ferri possunt. Ex his intelligimus, quanto iudicio in Patrum scriptis versandum sit. Quod tamen postremò scripsit Origenes de nuptijs, eas bonum esse, non simpliciter, sed ad cordis duritiem, quasi sint alioqui malæ, si natura earum spectetur, inde posset videri originem habere, quod Paulus cùm priori ad Corinthios iussisset, vt coniuges, qui ad tempus à mutuo congressu sibi temperassent ieiunij & precum nomine, ad id ipsum redirent, id se ait, non ex imperio mandasse, verùm iuxta indulgẽtiam. Visus est ijs verbis Paulus aliquid peccati aut vitij nuptijs inurere, quando earum vsui putauit indulgentia opus esse. At si genuinum sequamur sensum, res longè aliter habet. Nam vocem συγγνώμην non rectè accipiunt. Vt enim Aristoteles 6. Ethic. definit, γνώμη ἐστὶ κρίσις ἐφ' ἃ ἐπιεικὴς, id est, *rectum iudicium æqui*: idcirco ἐπιεικῆ, laudamus, & τὸ ἐπιεικὲς συγγνωμικὸν dicimus. συγγνώμη verò ἐστὶ γνώμη κριτικὴ ὀρθῆς τοῦ ἐπιεικοῦς. Versatur itaque circa æquum, & summum ius remittit, quod sæpissime summa est iniuria. Non ergo peccato connuet, tantùm id tutatur quod est æquum. Non cogit Paulus coniuges vt sibi temperẽt, sed æquum dicit, vt id ad tempus faciant, ieiunij & & precũ causa. Non item iubet necessario præcepto, vt ad opus coniugij redeant, sed ἐξ συγγνώμης, quod recta sanaque conscientia ex æquo possint facere. Si Deus continentiæ donum sit elargitus, videantque illius vsu regnum Euangelij se posse proferre, non impedit Paulus, quin

quin ita maneant. Sed interea si nolint, aut nō possint, ostendit quid liceat, & ita liceat, vt duritiem cordis non oporteat prætexere, vt Origenes & similes eius fortè somniarunt. Sed Origenem missum faciamus, & iuxta ætatis ac temporum ordinem videamus quid Cyprianus afferat. In lib. 1. epist. 11. quæ nomine cum primis eius, & quorundam aliorum episcoporum ad Pomponium scribitur, de quibusdam sacris virginibus agit, quæ cum marib. nimium similiariter versabantur: quia non solùm vnà degebant sub eodem tecto, verumetiam eodē lecto cubabant: nec tamen illæ ob id volebant minus haberi virgines. Ideò in Ecclesia oriebātur varia scandala, quod vir Dei Cyprianus nō ferens in hæc verba tandē erupit: *Quòd si sese ex fide Christo dicauerunt, pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent: si aūt perseuerare nolunt, aut non possunt, melius est vt nubāt, q̄ vt in ignem suis delictis cadant.* His verbis indicat, quandoq; fieri vt cœlibatus non feratur, vel quod nolimus, vel quod non possimus. Ergo non est tam clarū, vt aduersarij volunt, omnes posse virgines & cœlibes manere, si velint. Nam quandoq; fieri potest, quemadmodū inquit Cyprianus, vt nō valeamus, licet velimus. Deinde illis quę nolint, vel nō possint, suadet nuptias, easq; docet lōgè magis conducere, quàm vt ob delitiarum lasciuiam in ignem conijciamur. Atq; vt intelligamus, illum non de quibusuis loqui virginibus, eas nominatim alloquitur, quæ virginitatem profitebātur, dicendo: *Christus, cùm virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernat, quàm indignatur & irascitur?* Moxq; addit: *Quia, quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est.* Atque ad extremum id magis patefacit: *Quæ se, inquit, semel castrauerunt propter regnum cœlorum, Deo per omnia placeant.* Hęc satis indicant ista dicta esse de virginibus, quas tū temporis pro sacris habebant. Non tamen aduersarij cauillari desinunt; Primùm inquiunt, hæc de velatis non esse intelligenda. Quid illi norūt eo tempore morem fuisse, vt sanctimoniales velarentur? Id aliquanto postea inductum fuisse arbitror. Scripsit quidem Tertullianus olim de velandis virginibus libellum, sed in quem scopum, iam superius exposui, neq; hîc opus est repetere. Certum id omnino est, Cyprianum hîc vel nullam facere mentionem. Dicunt postea, non de ijs hæc scribuntur virginib. quæ in monasterio degerent, & vnà coactæ in sacro cœtu viuerent. Quasi Ecclesia, cùm nondū pacem haberet sub Valeriano & Gallieno, quibus imperantib. vixit, & mortuus est Cyprianus, monasteria ædificaret, vbi virginum caterue simul concluderentur. Non sic agebatur: sed si qua erat virgo, quæ se Deo consecrasset, in suis manebat ædibus, & priuatim, vel apud suos cognatos vnam aut alteram eiusdem voluntatis secum habebat. Verùm facito, monasteria fuisse. Si votum editum erat, quid refert, an in monasterio, an in priuatis ędibus fuerit nuncupatum? Locus ad ista nihil confert. Sunt præterea qui dicant, à Cypriano solùm de illis virginibus agi, quæ nō habita ratione suarū virium, temerè vouerant. Hoc quod nobis dant accipimus: & cùm antea probauerimus, nullū de suo dono certum esse, quàm diu sit perseueraturus, sciantq; omnes suis viribus, se nō posse cor habere castum, satis liquet cœlibatum atque virginitatem non esse vouendam. Qua enim conditione istas fuisse dicunt, non omnes esse manifestè probauimus. Quare vt votum istarum Cypriani testimonio est irritū, & si nolint, aut si non possint in virginitate durare, præcipitur eis vt nubant, sic aliorum vota hoc testimonio abrogantur, & ipsis nubere, si opus fuerit, conceditur. Sed multo de his magis mirandum est, qui blaterant, duo hîc à Cypriano institui virginum genera, quasi earum quasdam faciat vnà iacere cum masculis, quas grauiter coarguat: alias verò nubere post votum, & illas cùm incestas, tum Christi adulteras vocet. Quæ fictio locum non potest habere. Non enim de virginibus, quæ nupserint, loquitur Cyprianus. Nā si nupsissent, vt id facerent, monendæ nō erant. Cur dixisset, aut perseuerent absque fabula, vel si non possunt, aut si nolunt, melius est vt nubant? suaderetne id, quod sibi vel incestus, vel adulterium videretur. Ex verbis eius id solùm colligitur, quasdam ex illis virginibus iacuisse cum diaconis, verùm interea se prædicasse virgines, & exhibuisse se obstetricibus probandas & inspiciendas. Quibus licet fortasis corpore, neque corruptæ, neque vitiatæ fuerint, his verbis Cyprianus succenset. *Si superueniens maritus sponsam suam viderit iacentem cum altero, nónne indignatur & fremit? Ita Christus cùm viderit virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam, iacentem cum altero, quàm indignatur & irascitur?* Sed quia virgines huiusmodi sæpe vitiabantur, ac turpibus coniunctionib. se polluebant; ideò adulteras & incestas appellat: non quòd matrimonia contraxissent, sed quia sub nomine Christi, ac professione sanctæ virginitatis scortabantur. At si matrimonium iniuissent; neq; incestus, neq; adulteria coniunctones illas appellasset, siquidem ipsas suadet. Quid verò de illis dicemus, qui votū non propriè nuncupasse eiusmodi virgines, sed solum propositum decretumúe animi, vt non matrimonio vterentur, quod tamen propositum mutari poterat, & ideo Cyprianum ita fuisse de illis locutum? Primùm dicimus eos diuinare, illorúmque commentum parum verbis Cypriani consentire. Deinde illos rogamus, vt sublatis votis tale propositum virginum sacrarum in ecclesia hodie quoq; sinant, vt libera maneat voluntas, & mutari posset, cùm vel ad gloriam Dei, vel ad animæ salutem magis expedit. Cauillantur postremò nonnulli eas publicè in ecclesia, sed tantùm apud se ipsas vouisse. Quî hoc sciunt? An adfuerunt? Est facilè quiduis fingere. Sed esto, sic fuerit, vt dicunt, votum siuè apud seipsum quis nuncupet, siue publice, quoad obligationem perinde est. Neque Dominus in lib. Num. cùm de votis egit, huiusmodi subindicauit distinctionem. Scio quidē Canonistas discrimen

inter votũm ſolenne atque priuatum poſuiſſe, verùm totum id commẽtitium eſt. Sciendum tamen, hic Cyprianum in iſta epiſtola expreſſis verbis non meminiſſe voti: quamuis in libro de Habitu virginum mentionem eius faciat. Ex quo tamẽ libro apertiſsimè deprehenditur, non fuiſſe virgines illas in monaſterijs. Nam grauiter ibi reprehenduntur, quòd ad nuptias irent, & conuiuijs laſciuis interẽſſent. In libello verò de Singularitate clericorum, ſiue Cypriani ſit, cuius inſcriptionẽ habet, ſiue Auguſtini, inter cuius opera circũfertur, ſiue cuiuſuis alterius Patris, ita diſertis verbis habetur: *Si quis habet matrem, vel filiam, vel ſororem, vel coniugem, vel cognatam, ſic habeat, vt nulla ancilla interſit, neque aliqua ingrediatur extranea.* Cum coniuge iſte locus clericum habitare concedit, verbaq; tam aperta ſunt, vt negari nequeant. Sed quia votorum virginitatis aut cœlibatus publicorum & ſolennium cum aliqua epiſcoporum conſecratione iam paulò antè mentionem fecimus, operæprecium duco demonſtrare, quando conijciam illa cœpiſſe. Opinor id factũ ſub Conſtantino. Etenim is legem ſeueram correxit, vt Euſebius Cæſarienſis teſtatur in vita eius lib. 4. qua cauebatur apud Priſcos, ne ſterilis, quiq́ue liberis careret, eſſet hæres fœcundi. Vidit enim pius Imper. aliquos eſſe, qui optarent quidem liberos: verùm ob naturæ imbecillitatem illis non ſuccedere. Vnde iudicauit indignum, vt veluti delinquentes punirentur. Et alios eſſe animaduertit, qui abſtinerent à cõiugijs, non quia ſucceſsionem liberorum detrectarẽt, ſed ob vehementẽ philoſophię Chriſtianæ amorẽ. Vnde neq; hos puniendos aut mulctandos illa lege putauit, vt hęreditatẽ adire nõ poſſent. Hoc vbi narrauit Euſeb. illico ſubiecit, mulieres ad perpetuam virginitatẽ ſe Deo cõſecraſſe, nec nõ ad ſacerdotiũ Dei: ac ſi diceret, publicè in Eccleſijs recipiebãtur: quod nõ eſt credendũ antea permultas feciſſe, cũ lege non ſolũ fuiſſent notatæ, ſed hæreditatib. alioqui ad ſe pertinentib. expoliatæ. Coniecturã meam proponere volui, vt candidi lectores de illa, vt viſũ fuerit, iudicẽt. Sed Athanaſium producã: is in lib. de Paſsion. & cruce Dom. *Quæcunq;*, inquit, *promiſimus Deo, iam noſtra nõ ſunt, ſed in ære Dei: adeò, vt ſi quid inde ſubtraxerimus, haudquaquã id faciamus, veluti quæ noſtra ſunt vſurpantes, ſed vt quæ Dei ſunt, ſacrilegio deprædantes.* Cur iſta dicuntur de ijs nominatim, quę Deo promiſimus? Nónne abſq; noſtra promiſsione omnia quæ habemus, in ære Dei ſunt? Certè nihil eſt, quod ab eo nõ acceperimus. Quare omnia noſtra illi abſolutè debentur. Quid hìc facit noſtra promiſsio? An indicat, non promiſſa non pertinere ad Dominum? Si ſic res accipiatur, quid Paulo reſpõdebimus, qui omnia inquit, noſtra eſſe, nos Chriſti, & Chriſtum Dei. Quare omnia quoq; noſtra ſiue promiſerimus, ſiue non promiſerimus, Dei erunt. Subdit præterea: *Omnes profeſſi ſumus, & omnes debitores ſumus profeſsionis adeò, vt neceſſe ſit perſoluere, virginẽ quidem virginitatem, quã profeſſa eſt, cõtinentes verò continentiã, cõiugatos pudicitiã, mutuamq; inter ſe charitatẽ & honorẽ. In ſumma, omnes neceſſe eſt vt perſoluant fidẽ erga Deum, religionem, iuſtitiam, ac fortitudinẽ, ne nos velut ingratos et iniurios Ananiæ Saphyræq; exemplũ occupet.* Omnes nos eſſe ait profeſſos, fortaſſe putat, in baptiſmo quemlibet noſtrũm vouiſſe. Quod ſi ita eſt, & ibi omnia noſtra Chriſto vouimus, nil ſupereſt nobis, quod poſtea voueamus. Nomẽ quidẽ in baptiſmo damus Chriſto: ſed aliqua ibi nuncupari vota, Scriptura nõ dicit. Cõcedo tamen, omnes qui baptizãtur, profiteri Chriſti fidem & vitã fidei ſuſceptæ cõſentaneã. Verùm licet iſta nõ profiteremur, neq; vnq; polliciti eſſemus, ad ea tamẽ velimus, nolimus, lege ſumus aſtricti. Reddat virginitatẽ, quę illã profeſſa eſt, reddat, ſed liberè, & quãdiu in eo ſtatu fuerit, caſtè viuat: prætextu Chriſti aut virginitatis nõ abutatur libertate laſciuiendo & ſcortãdo. Virgo maneat pura & ſancta, quãdiu ferre conditionẽ illã poteſt. Quòd ſi nõ valeat, liberũ ſit ei ſanctum coniugium. Coniuges quoq; reddant ſibi mutuò pudicitiam, charitatẽ, & honorem, etiamſi hæc diſertè non fuerint polliciti. Ab ipſis enim id lex coniugij exigit. Quod idem affirmo de fide, religione, iuſtitia, & fortitudine reddẽda Deo. Iſta omnia illi debemus, vt vt nõ ſimus ea polliciti, neque ipſa vouerimus. Atque ita eſſe, verba quæ ſubdit, oſtendunt. Nam & hãc ob cauſam prius Apoſtolicus ille ſermo confirmatus eſt: *Reddite omnibus debitum, cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Iſta quæ Paulus iubet reddi, an ſumus antea polliciti, vel ea vouimus? Quiſque debet officium facere, quia Deus, vt fieret, mandauit. Quare ſic iſti placuit profeſsiones aut promiſſa interponere? Adhæc omnia ſatis, & plus ſatis ex legis imperio ſumus obſtricti. Idem de incarnatione Verbi: *Quis vnquam hominum virginitatem ſeruare homines docuit, eamq́ue virtutem putauit eſſe poſsibilem?* Hæc ſi de populo Hebræo dicantur, vera ſunt: quia nemo ante Chriſtum in illa gente virginitatem aut cœlibatum ſuaſerat. Atque hoc permultum ad meam interpretationem hiſtoriæ Iephthe facit. Solus Chriſtus hoc vitæ genus laudauit. Sin verò id in vniuerſum de omnibus populis capiatur, haud facile admittetur. Nam apud Romanos virgines Veſtales in pretio fuerunt, & apud Ægyptios & Athenienſes tale genus vitæ à nonnullis colebatur. Sequitur mox, & ait: *Seruator & rex omnium Chriſtus eam ita humanis affectibus inſinuauit, vt & impuberes pueri hanc tantæ excellentiæ virtutem ſponte geſtiant tota animi alacritate profiteri.* Hoc item cautiſsimè legendum eſt. Nam & ipſi canones pontificij, & Concilia nõnulla prohibuerũt votum ratum haberi, quod nuncupatum eſſet ante pubertatis & maturæ voluntatis atque iudicij annos. Non enim minoris momenti eam promiſsionem eſſe duxerunt, quàm teſtamenta ſint, & cæteri contractus, ad quorum firmitatem & conſtantiam iuſtum ætatis tempus requiritur. Sed iſte idem Pater in libro de Virginitate quædam ſcribit adhuc duriora, nempe: *Quemadmodum enim*

per

per maritum corpus polluitur, sic & affectiones mundæ animã simul & corpus continentis polluunt. Dicit, vt audimus, corpus coniugis à marito polluit: at nõ ita diuinæ literæ docent: imò habent, infidelem coniugẽ à fideli sanctificari. Propter ea, cùm opus coniugij sanctificationẽ interponat, multũ abest, vt contaminationẽ aut pollutionem inducat. Proinde hic pater, cùm aliter loquatur quàm Apostolus, non est hoc loco audiendus. Virgines aũt sacras tum temporis habitasse seorsim, neque fuisse aliquo loco clausas aut coactas, id ostendit, quod is pater mox subijcit: *Si oras, aut psallis, aut legis sola sedeto, ne quis audiat, nisi tu sola, aut nisi habueris concordem vnam, aut duas virgines,* Quod idem manifestius indicant, quæ aliquanto postea sequuntur. *Si sanctus venerit in domum tuam, sic illum excipe, vt filiũ Dei, Dicit enim Dominus: Qui vos recipit, me recipit. Si ingrediatur vir iustus in domum tuam, cũ metu & timore occurres illi, & procumbes ad pedes illius in terra: non enim illũ adorabis, sed Deum, qui misit illum.* Hinc videmus, istas virgines ministeriũ hospitalitatis habuisse, atq; Dei viros cõsueuisse suscipere, qui huc & illuc ob varia ecclesiæ negotia discurrebant. Quod enim aliud ministeriũ vel viduæ, vel virgines, tum temporis habuerint, non facilè potest cognosci. Mirum verò est, quod in eodem libello habetur. *Postea enim quàm continentiam professa es, corpus tuum sanctificatum est, templumq; Dei factum.* Quid ergo, si non professa esset virginitatẽ vel continentiam, & Christo tamẽ credidisset in sancto coniugio, an corpus suum non habuisset sanctificatũ & Dei templum? Certè Apostolus in suis epist. corpora Christianorũ etiam coniugatorũ tẽpla Dei appellauit. Nõ enim alicubi cõiugatos excipit, quin & ipsi templum Dei essent, & sanctificati. Quod itaq; omnium Christianorũ est, cur virginum peculiariter esse affirmatur? Et quod magis est admirabile, tandem sanctus is vir exclamat: *O continentia gaudium Prophetarũ, Apostolorũ gloria: ô continentia Angelorum vita, & sanctorum hominum corona.* Sunt hæc hyperbolis plena, neq; ad amussim veritatis consistunt. Apostoli sanè coniuges habuerũt, & Prophetæ: quomodo ergo virginitas est illis gaudium & gloria? Porrò cùm hoc vitæ genere caruerint, tristitia potius & dedecore sunt affecti. Quid præterea cũ virginitate commune habent angeli, quandoquidem corpore carent? Vnde nõ magis illi virgines queunt dici, quàm si quis lapidẽ cæcum appellet. Verùm ijs omissis, clausulam eius libelli audiamus. *Ne declines igitur ab ijs sermonibus, neque ad dextram neq; ad sinistrã. Quisquis enim hos sermones auditos contẽpserit, condemnatio magna erit illi.* Hîc salua Patris huius reuerentia, suæ doctrinæ atq; sermoni tribuit nimium. Hoc Dei sermonum est, vt sic mordicus retineantur, ne vel ad sinistram, vel ad dextram declinemus. Quis præterea mortalium cõminari potest, aut debet damnationẽ illis, qui à suis verbis recedũt? Si adiectum esset, quatenus propono Dei verbum, & diuinos sermones ac sacras literas vobis affero, tolerabiliter esset locutus. At quando suis id sermonib. adscribit, non potest piorũ lectorũ animos nõ offendere. Sed quando iam de Athanasio satis diximus, Basilius est adducẽdus, qui doctrina & eruditione dictus est magnus. Is libellũ scripsit de Virginitate, vbi professionis disertè meminit. Sed agens de virgine quæ in eo statu parum Christo integrè seruiat, sitq; curis mundi & prauis affectib. contaminata, ita scribit: *Nam si abiecto viri iugo, & ad vitam, ad quã conseruandæ domus & procreandorum liberorũ gratia facta est, inutilis & professæ virginitati pudenda futura est, tota res damni plena est, dum & inerauditis cogitationibus animũ, & remissis exultationib. corpus corrũpit. Et longè sanè præstabilius esset, ipsam viro coniunctam ad vitam gubernari, & quod ad opem rei domesticæ ferendam cõducit, talionis vice profectura ipsi rependere, et liberos senum nutritores ad generis successionem bonos producere.* Nil pro nobis dici potuit aptius. Nã dissentit ijs verbis à Cypriano, quando longè præstabilius inquit esse nubere, quàm ita viuere. Hortatur postea virgines huiusmodi, ne vagentur frequẽter, nêue accedant ad nuptias, & per omnes discurrãt angiportus. *Deinde,* inquit, *si virgo Dei curat, quomodo placeat Domino, nihil quod ei nõ placeat, debet facere, neq; palã, neq; clanculũ: quin & suos ipsius cogitatus castiget oportet. Nã quæ hæc nõ fecerit, neq; Christo sponsa est, neq; homini vxor: sed in oculis sponsi opinionẽ virginitatis captat virgineo habitu, quo se per pompã vẽditat. Imò Christũ non leui afficit iniuria, cũ magis hominum quàm eius oculos reuereatur. Corã hominib. pudet illã non agere virginẽ, cùm tamẽ clanculum multò aliter se habeat, saltẽ quoad affectus et cogitationes.* Atq; mox vt seuerius admoneret virginem, suã occulta & motus animi haud latère, illa videri ait, non solũ à Deo, verùm & ab infinita quodãmodo angelorũ multitudine, qui pijs hominib. perpetuò adsunt, & à Deo mittũtur ad varia ministeria. Et addit cũ ijs & Patrũ sanctos spiritus: nullus. n. horum est, inquit, qui nõ vbiq; omnia videat, nõ oculis corporalib. carnis, verùm incorporali vilu vniuersa in cognitione comprehendens. Certè hoc de spiritib. beatis, vt obiter dicam nõ debet cõcedi. Siquidẽ in Esaia dicitur: *Abrahã nesciuit nos, & Israel nos ignorauit: ideoq; illis relictis ad inuocandũ Deum à pijs, vt narrat propheta, confugiebatur.* Solent dicere, sanctos videre, quæ hic aguntur in diuina essentia, quæ speculũ fulgentissimũ est, in quo apparẽt omnia. Sed ipsimet fatentur scholastici, speculum illud nõ esse naturæ, sed volũtatis. Nã ibi tantũ sancti vidẽt, quantũ illis Deus voluerit ostẽdere. Alioquin non diceretur ad Ephes. notam factã principib. & potestatib. esse multiformẽ Dei sapientiam per ecclesiam. In Dei enim essentia illã potuissent contemplari. Sed ad virgines redeamus, de quib. inquit Basilius quodãmodo eorum oblitus: quæ primo loco rectè dixerat, cũ ad voluptatẽ carnis declinãt, velle nubere: sed prętexere nuptias incassum, cùm incestum coniugium amplius inire nequeant. Ad quod probandum rationem genuinam adducit. Quarum prima est, quia in vero legitimoq; coniugio statuit iudicium rationis anteuertere debere cupiditatẽ

voluptatis, quod istis non accidit, cùm desiderio voluptatis victæ nubere velint. Cùm itaq; vbi sic agitur, iustum connubium nō possit intercedere, ait istarum, nuptias nō esse nuptias. Et ad confirmandum quod dicit, affert locum ex 1. ad Corin. cap. 7. vbi de vidua, si velit nubere, dicitur, nubat, sed tantū in Domino. Id ille interpretatur, præeunte iudicio rationis, non cupiditate voluptatis superante atque anteuertente. Iudicium hoc rationis esse putat, vt quis prudenter apud se constituat expedire, atq; honestum esse procreare liberos, illos educare sanctè, atq; piè familiam instituere. At non ita sensit Paulus, quando ait, *Melius est nubere quàm vri, & qui non continet, nubat, & propter scortationem quisque suam habeat, & quæq; suum.* Nulla est in his verbis liberorum procreandorum mentio. Atque proculdubio si hac regula vteremur, infinita matrimonia rescinderentur. Nubere ad hæc in Domino minimè sic accipitur, sed vt fidelē virum accipiat, neque tali copuletur coniugio, propter quod à fide Christi facilè desciscat. Altera eius ratio est, quia, inquit, viuente priore viro, matrimonium quod subsequitur, fit irritum, quoniam mulier lege coniugij tenetur, quandiu vir eius vixerit. Christus autem non moritur, virgo ergo, quę illi est desponsata, nunquam potest alteri nubere, cùm Dominus nunquam moriatur. Hoc argumenti genus ab aduersarijs frequentissimè iactatur, quum tamen sit admodum friuolum. Matrimonium quippe inter nos & Christum metaphoricū est & spirituale, atq; viuente viro Christo non licet nobis alium virum superinducere in eodem matrimonij genere: alioquin scortaremur, vt Deo feciſse coarguebat Hebræos, qui deos alienos sibi fecerant. At matrimonium alterius generis quoad carnē minimè prohibebantur cōtrahere. Certè Christus non solū virginum, sed omnium credentium vir est, qui tamen inire matrimonia externa possūt. Nónne de omnib. fidelib. Paulus aiebat: *Despondi vos vni viro, virginē castā exhibere Christo?* Et ad Ephes. cùm dixisset ex lib. Genes. *Propter hoc relinquet homo patrē suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ:* hoc addebat, *esse mysterium magnum in Christum & in Ecclesiam.* Quibus verbis demonstrat, inter Ecclesiam & Christum matrimonium esse, sed mysticum & spirituale. Quin & in eadem epist. scribitur: *Qui adhæret scorto, vnum corpus efficitur, qui verò adhæserit Deo, est vnus spiritus.* At omnes per fidem Christo adhæremus, non tamen prohibenda sunt matrimonia. Si vera esset istorum argumentatio, cōsequeretur, Christum fieri adulterum, quod longè absurdissimum est. Facito duos cōiuges ex mutuo cōsensu arguere castitatem. Certè inter sic vouentes, vt isti volūt, cum Domino matrimonium initur. Ergo mulier, quæ sic vouit, efficitur sponsa Domini, vt isti volunt. Quare cùm prior maritus viuat, nec dū sit mortuus, Christus, quod absurdissimum esset & blasphemum, efficeretur adulter, quod nouum matrimoniū cum aliqua contraxerit, priori viro eius adhuc superstite. Hoc argumenti genere vsus est Augustinus, vt postea cū ad illum ventū fuerit, demōstrabo. Quid est, quod addit nō multò pòst? *Nullus adeò furiosus sit sacrilegus, vt impollutam sacerdotem petulantib. manib. cōtingat.* Sacerdotem vocat virginē, quæ voto se obstrinxerit. Locutio ista verbis apostolicis aduersatur. Iubet enim Paulus, vt mulier in silentio discat, neq; autoritatem in virum exerceat. Nullus verò ignorat, sacerdotium & autoritatē & potestatem non vulgarem habere. Nos vnū habemus sacerdotē Christū Iesum, quia vnicū etiam sacrificiū eius mortis agnoscimus. Cūq; honorem hunc nec sacrificis quidē Papisticis, nec nostris ministris demus, quāto minus virginib. aut mulierculis dabimus? Inseruisse primo tempore viduas & virgines Ecclesiæ, nō dubito. Erant hospitales & sanctorum pedes lauabant: non tamen propterea sacerdotes erant. Ideo Patres cùm nec ex Euangelio, nec veteri ex Testamēto hæc hauserint, id superest, vt ab ethnicis in Ecclesiā introduxerint, apud quos etiam mulierculis sacerdotia credebantur. Statim postea virginis corpus templum appellat Dei, & quod omnium Christianorū est, videtur ad certum genus vitæ, hoc est ad virginitatem contrahere. Sed audiamus, quàm mox adscribat collationem. *Sicut Adam semē per nuptias præsentis vitæ fuit, ita semen futuri seculi per virginitatis incorruptionē Dominus fuit.* An ita dictū hoc intelligitur, quòd cœlum non replendū sit nisi virginibus? Hoc nisi velit, quorsum ista dicit? Videtur post aliquot verba correctionē addere, *Non præcepit Dominus,* inquit, *vllibi virginitatē, neque vsquam nuptias interdixit.* Est vtiq; ista sermonis allati nonnulla correctio, sed tamē ea deberet vbiq; addi: & quod ipse nunc facit, à nobis vbique deberet præstari. Quærit præterea, quomodo cōtingat virginitatē acquirere, ac respondendo verba vsurpat, quæ ad Roman. ex Mose habentur. *Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cœlum, hoc est, Christum detrahere: aut quis descendet in abyssum, hoc est, Christum reuocare à mortuis?* Verùm quid dicit? *Prope te verbum est in ore tuo, & in corde tuo.* Non, inquit, oportet, vt de virginitate ita dicas, quasi vel in cœlum, vel in abyssum, vel vltra mare sis iturus, vt illam adipiscaris. *Est prope te,* hoc est, secundum naturam tibi ingeneratur virginitas: & in teipso secundum naturam occultatam reperies: atq; si vis eam apud te manere, sabbatum age, maneas id quōd natus es, neq; moueas manum ad tactū viri. Hîc desidero aptiorem doctrinam, virginitatem scilicet esse donum Dei, & neminem illam capere, nisi cui data fuerit. Atque vt inquit Paulus, *quisque donū suum habet proprium.* Hæc, inquam, desideraui, ne quis virginitatē ipsam humanis virib. tribueret. Oportet de gratia Dei luculentius atq; amplius loqui, nō sic aridè acieiunè, quasi à nobis tantū dona ista penderent, & omnibus indifferenter sint expositа. Verùm in suis quæstionibus nimirum quæstione 14. quærit de ijs, qui se ipsos Deo desponderunt, deinde professionem irritam facere conātur. Talem, respōdet, virum spectare oportet

tet, velut eum qui peccauerit in Deum, & quis orabit pro eo? Adducit illud, quod primo Samuelis cap. 1. habetur. *Si qui vir in virum peccarit, iudicabit, vel arbiter erit ei elohim, id est, iudex. Aliquis enim potest se vt arbitrum interponere, atque offenso persuadere, vt aliqua honesta satisfactione sit contentus. At si quis in Deum peccauerit, quis interponet seipsum? Nemo enim potest Deo præscribere, vt offensum animum deponat.* Voluit ibi verbis his discrimen inter peccata constituere. Non tamē propterea desperandum est, si quis in Deum ipsum peccarit: sed ibi more hominum est loquutus. Quando agitur sub aliquo principe, si quis in proximum peccet, facile patronum inueniet, qui pro se apud principem agat: sed si crimine læsæ maiestatis ipse princeps sit offensus, non facilè inueniuntur, qui audeant pro eo principe loqui. Voluit in summa Basilius istos grauissimi criminis taxare, quod non rectè iudicauit. Nam huiusmodi si vrantur, aut scortentur, potius debent nubere: neq; sunt reprehendendi, cùm verbo Domini pareant. Pergit iste, atq; illos vocat sacrilegos: neque vult, vt fores fratrum illis amplius aperiantur, neq; si accesserint, gratia tecti ob frigus grauiter vrgens. Vehementer satis hæc dicuntur, sed vereor ne nō multū Christianè. Quid si frigore, fame, aut siti premantur, illos non releuabis? Profectò Christiana charitas longè aliter suadet. Dicitur quidem ab Apostolo 2. ad Thess. 3. quenque debere se subducere ab omni fratre inordinatè ambulante: sed non præcipit, ne laborantib. extrema necessitate non subueniamus. Pudefaciendi quidem sunt homines huius generis, qui ambulant inordinatè, vt in viam redeant: neque versari cum illis debemus animi causa: sed officia correctionis, precū & opitulationis quoad necessitates illis non debemus temerè subducere, cum proximi esse non desierint. Deinde quæstion. 15. de tempore statuit, quo admittendi sint ad virginitatis professionē iuuenes: & maturam ætatē, & iudicij confirmationē expectari iubet: quod hodie non vbiq; seruatur. Exigit præterea, vt qui sunt in potestate Patrū, eis inuitis non recipiantur: verùm id fieri vult illis offerētib. & sub aliquot probatis testibus: cum tamē aduersarij nostri parentib. ignaris & nolentib. id sæpenumero faciant. Nam violare mādata Dei pro suis traditionib. nihili pendūt. Basilio adiungēdus videtur Gregorius Nazian. Is in oratione habita in funere Gorgoniæ sororis ita scribit: *In duo diuisa est vita, in nuptias et virginitatem. Hæc sublimior est ac diuinior, laboriosior autem & lubricior: illæ verò humiliores ac securiores.* Et mox: *Neutrū horum vel Deo penitus, vel mundo coniungit, rursusq; dissoluit, ita vt hæ propter naturam propriam penitus sint fugiendæ, illa autem nimis laudanda.* Hæc rectè scripta sunt à Nazianzeno, neque nos quicquā lædunt, imò susceptā causam maximè iuuant. Neq; minus à nostra sententia stant, quæ post hæc statim subijcit: *Verùm mens est, quæ nupt js & virginitati rectè dominatur, & tanquam materiam rationi opifici hæc adaptat, & ad virtutē operatur.* Ita quoq; probātur: nēpe nuptias & virginitatē materiam esse virtutis, ita vt neutrum istorū sit vitiosum, ac mētem posse vtroq; illorū rectè vti. Hoc duntaxat in ijs verbis desidero, vt doni dei, spiritus, aut gratię mentio facta esset, ne in potestate mentis hæc esse posita viderentur. Sed quod mox additū est, omnino & citra vllā exceptionem recipimus. *Carni enim congiuinari nequaquā separat à spiritu: neq; si qua caput habet virum, ideo caput primū ignorat, sed parūper mundo ministrat, & naturæ, quantū lex exigit carnis, seu illi potius, qui carni legē hanc tulit, Deo.* Illud est notandum, fieri posse, vt mulier, quæ in matrimonio est, duo habeat capita, verum non eiusdem ordinis, Christum spirituale quoad vitam cœlestē, & maritum vt œconomicā regat. Ecclesia verò non potest caput habere Papā: nam Ecclesia, quā Ecclesia est, ad vitam ęternā spectat: quā ab vno capite influi sibi, & nō ab vllo mortalium expectare debet. Sed ad Gregorium redeo, qui in oratione habita in funere patris, qui Nazianzi fuerat episcopus, eius vxorē, h. e. matrem suam hoc nomine laudat, quod patri suo magno fuisset adiumento, non solū in re domestica regenda, verūetiam in Ecclesiastica. In Orat funebri de Basilio scribit: *Res magna est virginitas, angelis aggregari, ac absq; iugo esse, naturæq; solitariæ: nam Christi illam vocare cunctor, qui cum nasci deberet ob nos natos ex virgine nascitur, vt virginitatē lege sanciret.* Hic etiam non facilè admitterē, virginitate homines angelis aggregari. Nā & coniugati queunt in patria cum angelis coniungi. Neq; Christū noui sanxisse lege virginitatem, cùm illam non præceperit: nisi forte significetur post Christi aduentum virginitatem cœptā esse laudari. Quod vt sit intelligendum, superius exposuimus. Ad hæc in Oratione ad virginem exhortatoria: *Materia verò corporalis admixtionem corporū inuenit: nam semper fluida Deus certis discreuit limitibus, lege nuptias sanciens. Quid si absque peccato Adam perseueraßet, neque materia fluida fuißet, morte ac vita sibi mutuò succedentibus, an propterea desijßemus inter homines omnino habere nuptias?* Adiecit deinde: *Nuptiæ sunt indicium perturbationis: castitas verò splendoris.* Hoc quoque in vniuersum non est verum: quandoquidem fieri potest, vt aliquis non perturbato, sed integro sanoq; iudicio ad coniugium adducatur, atque primo homini datæ sunt nuptiæ, priusquam prauis affectibus concuterentur. Neque castitas indicium est splendoris animi. Non enim solū cupiditate carnis accendimur, sed metu, dolore, inuidia, & ira mouemur. Postea inquit, *Olim cùm lex esset & vmbra, tum primatum habebant nuptiæ. Postquam emigrauit litera, subinduēnq; est spiritus, tū affulsit castimonia.* Hæc nō sic accipi debent, ceu spiritus ac litera castitate ac virginitate discernātur. Virginitas & matrimonium cū spiritu esse possunt, & rursus cum litera. Sed videntur quandoq; ij Patres omnes, qui fuerūt ante Christi aduentū sub litera cūcludere: omnesq; vicissim qui post Christum viuunt sub spiritu. Quod vt à vero sit alienū, Augustinus in lib. de Spir. & lit. pulchrè ac vtilis. declarauit. Verū in homilia seu orat-

quam habuit de tentatione Phariſęorũ & Scri A barum, qua rogarunt, an qualibet de cauſa liceret alicui dimittere vxorem, dum ea verba illi occurrerent, quib. Apoſtolus ad Epheſios ait: *Magnum hoc ſacramentum, dico in Chriſtum & Eccleſiam*, inquit, videtur mihi ſermo hic ſecundas reijcere nuptias. Si.n. duo ſunt Chriſti, duo etiã mariti, duę quoq; vxores. Si aũt vnus eſt Chriſtus, vnũ caput Eccleſiæ, & caro vna, ſecundæ nuptię reſpuũtur. Quòd ſi ſecundas prohibeo, quæ ratio erit tertiarum? Primæ legis ſunt: ſe- B cundæ indulgentiæ: tertiæ verò præuaricationis: & quod vltra hæc, ſuillum magis, quàm aliud quicquam. Certè ſententia itta damnantur ſecundæ nuptiæ, ac tertiæ apertiſsimè improbantur. Quod cum aduerſarij noſtri non ſint conceſſuri, haud nobis iraſci debent, ſi aliquando Patres nos quoq; repudiemus. Verùm in eadem oratione habet: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus eſt datum. Hæc audiens*, inquit, *nihil hæreticum patiaris, neue naturas induces* C *ſiue terreſtres, ſiue ſpirituales, ſiue medias. Sunt enim quidam adeò malè affecti, vt arbitrentur quoſdam omnino eſſe naturæ perituræ, alios autem ſaluandæ, nonnullos verò ita ſe habere ſicut eos liberũ arbitrium vel ad melius, vel ad deterius impellit, aliumq; alio plus minúsue idoneum eſſe.* Hæc in Marcionitas vel Gnoſticos citra controuerſiam dicuntur, qui tales naturas fingebant ſic homines partiendo. Nos verò quoſdam fatemur prædeſtinatos, qui ſeruabuntur: alios verò concedimus reprobos. D Inter hos nihil eſt medij. Præterea non attribuimus naturæ quòd ſeruemur, aut prædeſtinati ſimus, verùm meræ ſimpliciq; diuinæ miſericordiæ. Vitiatam alioquin totam hominum naturam in Adamo ſcimus. Qui prædeſtinantur, ex vna Dei bonitate inde ſunt exempti: reprobi verò in ſua natiua corruptione deſerti. Neq; libero arbitrio, imò gratiæ, quæ per Chriſtum eſt, ſalutem hominum aſſcribimus. Sequitur mox: *Cùm verò audis, quibus datum eſt, ad-* E *de, datum quidem ijs qui volunt, & qui aſſentiuntur. Etenim cùm audis, Non eſt volentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei, tibi conſulo, vt ſermonem hunc acceptes.* Quoniam enim nonnulli ſunt, qui ob iuſtitiam propriam tam magnificè ſentiũt, vt totum ſibijpſis acceptum referant, ac nihil factori, hos ſermo hic docet, quod & bonum velle diuino egeat auxilio: ſeu potius eligere vtilia diuinum quid, & clementiæ ſuæ donũ exiſtat. Quòd enim ſaluamur, partim ex nobis, partim F ex Deo eſſe oportet. Propterea inquit, non volentis, hoc eſt, non ſolùm volentis & currentis, ſed & Dei miſerentis. Deinde, quoniam velle ex Deo eſt, meritò totum acceptũ fertur Deo. Quantumcunque enim curreris, quantumcunque certaueris, indigebis eo, qui coronam præbet. *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborãt qui ædificãt eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam.* Noui, inquit, quòd non leuium eſt curſus, nec poten- G tium bellum, nec pugnantium victoria, nec feliciter nauigantium portus: ſed Dei eſt victoriam perficere, ac nauim ſaluam in portum deducere. Hæc ſcribit Nazianzenus, videturque omnino velle virginitatem & cœlibatum eſſe in viribus & manu noſtra: hoc eſt, nos donum huiuſmodi eſſe habituros, modò velimus & aſſentiamur. In quam ſententiam non queo deſcendere, quia tum nõ erit eorum qui poſſunt, vt loquitur Dominus, ſed eorum qui volunt. Nec quiſque habebit proprium donum, vt Paulꝰ teſtatur, ſed illud quod ſibi elegerint, & quod omnibus eſt expoſitum, ſi ipſum velint. Neque fuiſſet eidem Apoſtolo timendum, ne cuiquã laqueum inijceret. Potuiſſent enim abſque vllo periculo, quicunque voluiſſent, eius conſiliũ ſequi. Deinde multò minus concedo, ſalutem noſtram partim ex nobis, partim ex Deo eſſe: neque verba Apoſtoli ad Romanos, *Non eſſe volentis, neque currentis*, accipio ita, vt interponi debeat particula, ſolùm: quia citra vllã exceptionem, Dei eſſe ſalutem noſtram credo: longeq; melius ac tutius hæc Auguſtinus tractauit. Huius tamen admonere te, lector, volui duplici cauſa: primũ vt cognoſceres, in quo diſſentiamus à Nazianzeno, de doni huiuſmodi perceptione: deinde vt etiam de cauſa ſalutis noſtræ intelligas, vt cautè atque cum iudicio ſit legendus. Venio nunc ad Hilarium Pictauienſiũ epiſcopum, qui hac de re admodũ pauca, quod ſciam, eſt locutus. In Canone decimonono ſuper Matth. vbi de triplici eunuchorum genere agitur, ſcripſit, probari admodum tertiam formam eunuchi, eius nimirum qui ſpe regni cœleſtis talis eſſe decreuerit, cui nos ſimiles efficí, ſi tamen poſſemus, admonuit. Ecce is non inquit, Si tamen velimus: ſi poſsimus inquit, rationem habens virium cuiuſque noſtrũm. In Pſal. 64. quia illud erat expoſiturus, *Tibi reddetur votum in Hieruſalem*. ait: Cernimus namque nudis philoſophos corporibus algere: ipſi etiam coniugiorum vſu magiſtri abſtinent: hæretici ſicco panis cibo viuunt. Sed quis tandem otioſi huius propoſiti profectus eſt? Totum hoc inane atque ridiculum eſt, & cum ipſis ſuperſtitionis cauſis miſerabile. Deo ergo vouenda ſunt, contemptus corporis, caſtitatis cuſtodia, ieiunij tolerantia, atque ideo ait, Et tibi reddetur votum in Hieruſalem. Iſta indicant abſtinentiam à coniugio apud ethnicos, vt ſuprà docebam fuiſſe in precio, non apud Hebræos veteres: deinde iſtius epiſcopi tempore iam in Eccleſia vota continentiæ fuiſſe ſuſcepta: quare id requirit, vt in honorem Dei fiant. At quì Deo placere poteſt, quod eius verbo aduerſatur? Quod verò in epiſt. priore ad Augu. ſcribat hæc verba circa finem: *Sciat ſanctitas tua fratrem meum, cuius maximè cauſa hinc diſceſſimus, cum matrona ſua ex conſenſu perfectam Deo continentiam deuouiſſe*, non eſt magni faciendum: non quaſi eo tempore talia vota ignorem aliquando nuncupata, ſed quia ille Hilarius non is eſt, de quo modò agimus. Nam iſte Pictauorum epiſcopus multò grandior natu eſt Auguſtino. Fuit enim ſenex, & grauia paſſus eſt ſub Conſtantio. Auguſtinus verò floruit ſub Honorio, & Arcadio, ac Theodoſio. Quare iuuenis erat, cum iſte ſe-

nex

nex esset. Atqui primis epistolæ verbis Patrem suum appellat Augustinum: quod non feciſſet, si ambo fuissent episcopi, & Augustinus eo multò minor natu. Fuit itaque ille, vt ex posteriore illius epistola ad eundem Augustinum colligitur, Syracusanus. Atque multò minus recipienda sunt, quæ sub eius nomine scribuntur ad Apram filiam. Totũ quippe id est inane cõmentum quod etiam non valde nasuti facilè possint deprehendere. Succedit Epiph. Cyprius episc. Quem vt ego concesserim habere nonnulla de voto, quæ sicut sacris literis non consentiunt, ita quoque à me non omittuntur, sic etiam illum video multa rectè scripsisse, quibus possint Smyth. praua dogmata reuinci. Primum vt aliqua referam, contra Montanistas hæres 48. lib. 2. tom. ita scribit: *Nos verò non necessitatem imponimus, verùm cum bono consilio admonemus, exhortantes eum qui potest: non autem necessitatem imponimus non potenti, neq; reijcimus ipsum à vita. Sanctũ enim verbum omnibus prædicauit, vt debilium infirmitatem portemus, velut etiam ipse sanctus Apostolus dicere comperitur, & tales redarguere, qui non sunt eiusdem doni. Iuniores inquit viduas reijce.* Notabis in his verbis illum dicere, neminẽ necessitatem imponi: quòd nostri non faciunt Papistæ, qui neminem volunt ordinare, cui non prorsus matrimonium interdicatur, & ita interdicatur, vt si postea contrahat, illud matrimonium pro irrito habeãt. Non ita fuit antiquitus. Nam melioribus temporibus & vxorẽ ducere licuit sacris initiato, vt postea demonstrabo: & posterioribus quando iam superstitio cœpit inualescere, matrimonia ministrorũ non rescindebantur, si ea iniuissent: sed illi tantum vel à ministerio suo cessabant, seu deponebantur, vel non potuerunt ad vlteriores ordines promoueri. Postea cœptum est illos excommunicare, & matrimonia contracta dissoluere, atque demum illos miserè trucidare omni prius tormentorum & pœnarum genere diuexatos. Ita res paulatim in deterius decidit. Et cum in omnibus fermè conditionib⁹ à Paulo cùm ad Timotheum, tum ad Titum enumeratis, vt ita dicam, facile dispẽsetur, hanc vnam firmissimam volunt, & perpetuò inuiolatam haberi. Hoc non est imponere hominibus necessitatem? & vt Pauli verbis vtar, laqueum injicere? Dicit bonos pastores cohortari eos qui possunt, non autem imponere necessitatẽ non potenti. Smytheus autem dicit omnes posse, & neminem inueniri, qui si velit, & Deum precetur, non possit. Epiphanius verò hîc manifestè asserit, aliquos posse, aliquos verò non posse. Et quod maximè pro nobis facit, Paulum inquit redarguere illos qui non sunt eiusmodi doni. scilicet quando se obstringere audent aut ad virginitatem, aut ad cœlibatum. Nam dicit, iuniores viduas reijce. Hîc mihi tu notes primùm, nõ esse omnes eiusdem doni quod à nostris aduersarijs suauiter irridetur. Sed iste à Paulo didicit, qui ait quemlibet proprium donum habere, alium quidem sic, alium verò sic. Valeant igitur hi Pelagiani, qui dona expectanda esse derident, omnia verò in nostris viribus arbitrantur posita: vel si vlla dona concedere vi scripturarum adiguntur, ea in nobis posita esse prædicant, quòd illa Deus omnibus exposuerit. Capiant, inquiunt, qui velint, non qui possunt, vt noster seruator dixit. Deinde non excidat annotare, quòd Paulus dicatur ab Epiphanio, eos reijcere, qui non sunt eiusdem doni: cùm Smythæus dicat iuuenculas à votis illis Pauli verbis non prohiberi, sed tantum ne ab Ecclesia alantur. Certè Apostolus vt hîc docet Epipha. tũ de iugo cœlibat⁹ aut viduitatis imponẽdo vel nõ imponẽdo, reijciẽdo, aut admittẽdo scribebat. Idẽ Epipha. aduersũ Catharos, hæres. 59. lib. 2. tom. 1. Reuera enim non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos qui mortua sua vxore secundis nuptijs coniunncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc certò sancta Dei Ecclesia cũ synceritate obseruat. Sed adhuc liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit: sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, diaconum, & presbyterũ, & episcopum, & hypodiaconum, maximè vbi synceri sunt canones Ecclesiastici. At dices mihi omnino in quibusdam locis adhuc liberos gignere presbyteros, diaconos & hypodiaconos. At hoc non est iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cùm non inuenirentur ministri. Hunc locum mihi obijcit Smytheus, sed multilatum. Non enim adduxit postremam partem, ex qua elicitur non fuisse hoc vbique seruatum, vt presbyteri, diaconi, & hypodiaconi se continerent à proprijs vxoribus, & solũ id innuit obseruatum vbi synceri essent canones. Quo loco demonstrat non id ex verbis Dei haberi, sed tantùm ex Ecclesiæ Canonibus. vel decretis, quæ vt illa fecit, sic etiam relaxare deberet, cùm videat ea in perniciẽ vergere. Deinde aliam causam affert, quòd permitterentur multi cum vxoribus misceri, propter multitudinem scilicet Christianorũ, & quod non facilè ministerium inueniretur. Quod si tum locũ habuit, quare hodie non conceditur? passim opus est ministris, sed non passim inueniuntur qui cœlibes viuere possint: nisi velimus dicere, nostra tempora esse meliora temporibus Epiphanij. Si tunc non poterant Canones vbique seruari, & ferebatur eorum violatio, quòd multitudine ministrorum esset opus, quare magis nunc tales canones, id est, hominum inuenta seruari poterunt? Non pronuntiat Epiphani⁹ hoc loco illa matrimonia dirimenda, neque ob id illos esse à suo ministerio deponendos. Tantùm dicit, Canones apud illos non fuisse synceros. Quòd si de verbo Dei scripsisset, permultũ referret. Sed quando de canonibus tantùm agitur, cum multi eorum iam refrixerint, non est res tanti facienda, vt aduersarij iactant. Video præterea hîc eum nullam voti facere mentionẽ, quòd fuerit sacris ordinibus adiectum, neque audimus illos eum accusare, vt voti nuncupati violatores, quod hodie papistæ clamare nõ de-

sinunt. Idem aduersus Apostolicos hær. 61. lib. 2. tom. 1. Postquam tradidisset post votum editum virginitatis aut viduitatis cõiungi matrimonio non licere, sed eos qui hoc faciunt peccare, sic tamen addit: *Sed melius est iudicium quàm condemnatio. Qui enim, vt ne confundantur apud homines, occultè scortantur, & sub solitudinis aut continentiæ specie libidinem curant, non apud homines habent confusionem, sed apud Deum, qui videt occulta & redarguit omnem carnem in suo aduẽtu, prout quisque peccauit. Melius est enim vnum peccatum habere, & non plura: melius est lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere secundum legem, & ex virginitate multo tempore pœnitẽtiã agere, & sic rursus ad ecclesiã induci, velut qui male operatꝰ est, velut lapsũ, & fractũ, & obligatione opus habẽtẽ, & nõ quotidie occultis iaculis sauciari ab improbitate, quæ ex diaboli opere infertur.* Hunc ego locũ quãdo egi de votis, ea ratione produxi vt ostẽderem, Patres nõ adeo fuisse rigidos, vt hodie sũt nostri Catones, q̃ tamẽ Bacchanalia sæpè viuũt. Isti .n. matrimonia post votum inita passim clamitant, nõ nuptias esse, sed incestus & ea dirimunt, neq; ferre volunt: cum veteres matrimonia illa rata habuerint, licet peccare dixerint, sed semel, eos qui post votum contrahunt. Et huius sententię testem citaui Epiphanium. Quomodò verò hac de causa in me Smythæus excanduerit, ex his liquet videre, quæ mihi sic obijcit. Hæc Epiphanij verba vt tu calculum porrigere, tibique suffragari arbitraris, quòd dicat melius esse vni obnoxium esse, quã multis noxis, ac vxorem ducere, quod absque peccati designatione post Deo dicatam virginitatem fieri posse inficiatur, quam occultis sauciari iaculis, dum scortatur quotidie ac curat libidinem sub solitudinis ac continẽtiæ, vt is ait, specie. Sed dic mihi qua fronte hãc eius posteriorem sentẽtiam, quæ tibi asserenti Voto astrictorum nuptias esse veras & licitas nuptias videatur astipulari proferas, cùm, quæ paulò antè ille astruxerit cõtra tuam impiam opinionẽ reijcias? *Hoccine est fas & æquum? Hoccine veri assertorem, & labefactatæ fidei vindicem, qualem te haberi percupis, Petre decet?* Quis verè cordatus, & vel mediocriter eruditus in theologia tibi adhibebit fidem, postquam te non pudet sic tractare optimos quosq; scriptores, & primarios Ecclesiæ Christi Patres? vt tum demum illorũ sentẽtijs accedere solùm velis, cum tibi vtcunque videantur patrocinari? At quoties tecum pugnant (pugnant ferè semper) nihil ducis, ac contemtui prorsus habes. *Astruitne hic Epihanius peccare, quisquis à nuncupato Deo continentiæ voto init nuptias, ac satius esse vt ducta vxore vna, quam multis implicetur peccatis? Visne hinc colligere, nuptias ei celebrare licere qui virginitatem aut continentiam Deo addixerit? Nunquid satius diuitibus quicquam, quàm in opibus surripere, licet vtrunque nefas sit & illicitum? Minus flagitium esse ab edito cõtinentiæ voto nuptias cõtrahere, quàm scortari & libidinem curare solitudinis & continentiæ specie, astruere hîc Epiphanium fatẽor. Quid tum posteà. Num ideo asserere eum dices eiusmodi nuptias prorsus vacare culpa? & penitus esse licitas? vt tu hinc dogma tuũ impium statuas? Nunquid qui melius esse fornicari, quàm adulterium committere dixerit, is protinus fornicationem tanquam rem licitã admiserit? Paulo authore, non sunt facienda mala vt eueniant bona. Proinde quum malum sit votum dissoluere, vt palam testatur hîc Epiphanius iuxta Paulum 1. Timothæi 5. quis non viderit ob bonum quod parituræ sint nuptiæ, illud malum non esse designandum?* Hæc aduersus me Smythæus, candide lector, vti vides, magno supercilio dictauit: sed quàm iustè, nunc superest excutiendum. Primùm in eo nunquam asserui, Epiphanium facere mecũ, quod dicat esse peccatum matrimonium inire post votum editum, si opus habeat quis matrimonio, & aduratur, vel in scortationem labatur. Quî enim peccaret, cùm potius obediat mandato Dei & Apostolico, & remedio vtatur sibi diuinitus proposito, cùm nullum votum vt ratum sit habendum, nullaque promissio firma, quæ verbo Dei aduersetur? In eo itaque mecũ non conuenit cum Epiphanio: sed tantum in eo, quòd illas nuptias & veras esse dicat, & licitas. Imò incõtinẽtibus qui se astrinxerint, & nõ stant promisso, sed scortãtur, eas persuadet. Neque hanc eius posteriorem sententiam citaui dissimulato priori eius dicto. Scio enim, & proposui auditoribus illum cũ multis alijs ex patribus in eo errare, qui peccatũ esse dicat, votũ huiusmodi violare cùm opus fuerit, & malè illum id referre in traditiones Apostolicas, cùm ex sacris literis non valeat suam sententiam cõfirmare. Deinde proposui hunc Patrem discrimen ponere inter κρῖμα & κατάκριμα, inter iudicium, inquam, & condemnationem. Negatu modò si potes, illud dicere, quod ego maxime contendo, has nuptias esse veras nuptias. Peccatum quidem ibi vnum fatetur: & dat istos semel peccare, sed tamẽ cum suo matrimonio inito ecclesiæ posse reconciliari per aliqualem pœnitentiam. Hæc illum dixi scribere, nunquã tamen dedi, facienda esse mala, vt eueniant bona, & si peccatum arbitrarer admitti in nuptijs post votũ ineũdis, nunq̃ illas suaderem. Neq; in hoc sum vel cum Epiphanio, vel cum quouis alio Patre, vt dicam peccatum esse tales inire nuptias, etsi vel tu, vel illi hoc affirmẽt. Ex sacris literis oportet vt vos vera sentire demonstretis. Sic aũt tracto Patres, quemadmodum sæpiꝰ contestor, vt quæ dicũt verbo Dei consentanea, vlnis, vt dicitur, ambab. amplectar: cætera verò si pugnare cũ sacris literis videro, facilè respuã. Meipsum verò aut sentẽtias meas nihil moror: vnicũ verbũ Dei tantũ suspicio. Quòd verò mihi semper obijcis, me velle videri labefactatę religionis vindex, iniuriã mihi facis: quandoquidẽ nunq̃ me hoc iactare audiuisti. Quamuis id omnes præstare teneamur pro viribus. Ambire aũt vt videamur tales, cũ reipsa nihil faciamus, hoc vitiosum esset. Quare desine, te obsecro, tã futiliter oblatrare. Si Epiphan. dixit facienda mala vt eueniãt bona, ipsum accusa, in me locũ nõ habet ista calũnia. Illud .n. apud te firmissimũ statuito, id Christiano licere, imò cõuenire maximè, vt nõ omnia, quæ à Patrib. dicũtur, statim admittat. Quod & te ipsum facere video, q̃

posteriori

posteriori parte sententiam Epiphanij non admittis. Idq; cum tibi permittas, cũ mihi nolis itẽ concedere, omni prorsus caret æquitate. Nec illa tua similitudo hîc locũ habere potest, qũa dicis minus esse flagitiũ scortari, q̃ adulteriũ conmittere: ac minus malum esse diuiti aliquid surripere, q̃ pauperi. Quoniã hîc duo peccata simul comparas. At inire nuptias etiã post votũ peccatũ esse, nõ tũ mihi demõstrasti. Quod si Epiphan. hoc dicat, aut Augnst. ego nõ dico: neq; id sacræ literæ dicunt à quib. solis mea fides, & omniũ sanctorũ pendet. Quòd verò Patres ꝑpetuò, vt iactas, mecũ pugnent, iam ex multis demõstraui, & sum demõstraturus esse falsum. Mecum interim facit iste Epiphan. qui nuptias istas, vt legitimas admittit, & eas licet nõ bona ratione, bene tamẽ consulit incontinẽtibus qui voto fuerint obstricti. Sed nunc ad Chrisost. venio. Is sup Genes. hom. 21. cũ de Enoch ageret, nuptias ostendit, minimè illi fuisse impedimento, quo minus vel Deo placeret, vel virtutes acquireret: Deumq; testatur adeo bonũ, vt nuptias nũquã fuerit in mũdũ inducturus, si homines illis fuissent lædẽdi. Neq; tantũ innoxias esse testatur, verũ etiã magnæ cõsolationis: quandoquidẽ insanũ impetũ naturæ comprimunt, & nauim feliciter in portum adducũt. Verba eius hæc sunt. *Placuit Enoch Deo postquam genuit Mathusala. Audiãt mariti & vxores, & discãt iusti virtutem: nec putẽt nuptias in causa esse, quo minus quis Deo placeat. Nã idcirco diuina scriptura semel atque iterum id significauit dicens, Genuit Mathusala, & tunc placuit: & idem ingeminat, ac repetit, dicens, Et placuit postquã genuit, vt ne quis arbitretur obstaculum virtutis esse coniugiũ. Quia si sobrij sumus, neque educatio, neque coniugiũ, neque aliud quid nobis oberit, quo minus placeamus Deo. Ecce n. & hic eiusdẽ naturæ est, cuius & nos sumus & neque lex tradita, erat, neque scripturæ docebãt, neque aliud quicquã ad honestatis sapientiæq; studiũ impellabat. Nã si nuptiæ, vel puerorũ educatio præpedimentũ forent in virtutis itinere, nequaquã in hãc nostram vitã nuptias introduxisset vniuersorũ dominus, vt ne temporalib. & maximè necessarijs nos læderet. Sed quia nõ solũ nihil nobis obstãt ad philosophandũ Deo, si voluerimus esse sobrij, sed magnã adferũt consolationẽ, dum comprimunt insanũ naturæ impetũ, nec turbari, quasi mare sinunt, sed efficiunt, vt nauis feliciter in portũ appellat, ideo consolationẽ hanc humano generi tribuit.* Atq; in eadẽ hom. de Noha scribẽs, eadẽ prope modũ habet: ita.n. loquitur. *Et erat Noha annorũ 500. & genuit tres filios. Vide, inquit, iterũ aliũ iustũ cũ vxore et filijs, qui bona operãdo placuit Deo, & dilpicentẽ omnib. virtutis viã elegit, & neque nuptijs, neq; filiorũ educatione prohibitus est. Porrò stupenda est ineffabilis misericordia Dei, & prodigiosa hominũ, qui tum erãt, ingratitudo. Ecce enim 500. annis vixerat iustus ille, &c.* Et mox: *Erudite vosmetipsos, & virtutũ curã agite, & pro magno habueritis Deo bene placere: & neque domus gubernationẽ, neq; vxoris curã, aut filiorũ, neq; aliud quicquam prætexamus, quod putemus satis esse, ad excusandã nostrã negligentẽ, desidemq; vitã. Neq; frigida illa verba proferamus, & dicamus, mũdanꝰ sum, & vxorẽ habeo, & liberorũ curã gero, qui multis mos est, vt ita dicãt, si quãdo eos hortamur vt virtutũ labores aggrediãtur, vel studiũ adhibeãt in sacris literis legẽdis. Nõ est hoc meum, dicit. Nunquid renuntiani seculo? nunquid monachus sum? Quid dicis homo? an hoc ad solos monachos pertinet, vt Deo placeãt?* Et mox: *Nũquid dico, iusto huic vxoris consuetudo, vel puerorũ cura fuit obstaculo? Obsecro igitur ne nosmet ipsos fallamꝰ: sed quãtò magis huiusmodi curis implicamur, tãto magis remedia ex lectione diuinarũ scripturarũ sumamꝰ. Nõne vt illi eiusdẽ, cuiꝰ nos sumꝰ, fuerint naturæ, &c.* Idẽ in homilia de Beato Philogonio, testatur eum vxorẽ & filiã habuisse vocatũq; ad sanctũ episcopatũ, neq; impeditũ ijs curis, quo minꝰ functionem creditã feliciter administraret. Præterea hom. 4. in illa Esaiæ verba. *Vidi dominũ sedentẽ super solium excelsum*, ostendit Esaiæ, mosi, Abrahamo nuptias haud fuisse fraudi, quo minꝰ Deum viderint sintq; cum eo familiariter collocuti. Qua de re verba hęc scribit. *Quis hic loquitur? Esaias ille spectator cœlestiũ Seraphin, qui cũ coniugio cõmerciũ habuit, nec tamẽ extinxit gratiã. Auscultastis prophetã, & audistis prophetã hodie: Exi tu, & Iasuph filius tuus. Neq; ista oportet prætercurrere. Exi tu, & filius tuꝰ. Itáne filiũ habebat propheta? Si filiũ habebat, habebat & vxorẽ, vt intelligas, nõ esse malas nuptias, sed malã esse scortationẽ. Sed quoties cum quibusdã de vulgo disserimꝰ, dicẽtes: Cur nõ rectè viuis? Quamobrẽ nõ præstas mores absolutos? Qui possum? inquiũt, nisi diuertã ab vxore, nisi valedixero liberis, nisi valere iussero negotijs? Quamobrẽ nõ obstat matrimoniũ? Adiutrix tibi data est vxor, nõ insidiatrix. Annõ habebat vxorẽ propheta? Neque tamen spiritꝰ gratiæ obstabat coniugiũ, sed cum vxore conuictũ habebat? & erat nihilominus ꝓpheta. Moses nõne vxorẽ habebat? Et tamẽ is petrã dirupit, aerẽ immutauit, cũ Deo colloquebatur, diuinã iram cohibuit. Abraham nõne habebat vxorẽ, & tamẽ pater factꝰ est, gentiũ & ecclesiæ.* Deinde ne hoc tantũ in Veteri Testamẽto accidisse suspiceris, ex nouo Petrum, & philippũ adducit & eò venit, vt nuptias vel suo periculo suadeat. In hæc aũt verba scribit: *Quid autẽ Petrꝰ basis ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctꝰ, & rhetorũ victor, ille imperitus, qui tamẽ philosophis obturauit os, ille q̃ græcanicã sapientiã, nõ aliter quã aranearũ telã dissoluit, qui terrarum orbem peragrauit, qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem? Quid autem ait Euangeliũ? Ingressꝰ est Iesus ad socrum Petri febricitantẽ. Vbi socrus, ibi & vxor, ibi & coniugiũ. Quid autẽ Philip. nonne quatuor habebat filias? Vbi verò quatuor filiæ, illic & vxor, & matrimoniũ. Quid igitur Christus? A virgine quidem natus est, verum ad nuptias accessit, ac donum attulit. Non habent, inquit, vinum, & aquam vertit in vinũ, virginitate nuptias honorans, dono id, quod fiebat, commendans: vt ne abomineris nuptias, sed oderis scortationem, meo periculo: nam ego spõdeo tibi salutem, etiamsi vxorem habueris. Prospice tibiipsi. Mulier si proba fuerit, adiutrix tibi est. Quid igitur si non fuerit cõmoda? fac illam commodã. Annon fuerunt vxores bonæ, simul & malæ, ne haberes excusationẽ? Qualis erat illa Iob? Sed Sara erat bona, &c.* In epistola ad Timotheum illud tractans, vnius vxoris virũ. Paulum ait, hęc scribendo nõ sancire legẽ quo minꝰ liceat episcopum non coniugatũ assumere: sed modum cõstituit. Iudęi enim plures vxores simul habuerant: quod Paulus in episcopo non censet ferendum: aut vult vnius tantum vxo-

ris virum esse, quod intellige, ne post primam alterã ducat. Vtramq; interpretationẽ adducit remq; in medio relinquit, neutram confutãdo. Atque hæc sunt eius verba. *Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum.* Non hoc veluti sanciens dixit, quasi non liceat absq; vxore episcopũ fieri, sed eius rei modum cõstituẽs. Iudæis quippe licitũ erat, etiã secundo matrimonio iũgi, & duas itidẽ habere simul vxores: honorabiles enim nuptiæ. Quidã verò hoc ita intelligunt, vt scilicet ad episcopatũ is assumatur, qui vnius fuerit vxoris vir. Adhæc illud tractãs, Filios habentẽ subditos cum omni castitate, quærit si ille qui ducit vxorẽ sollicitus est eorum quæ sunt mũdi, & episcopũ sollicitudine huiusmodi carere cõuenit, quomodo iam dixit vnius vxoris virũ? Primũ respõdet id intelligendũ, vt fiat episcopus vxore iã defuncta, vel quãuis habeat, sit ceu nõ habẽs. Tertiò inquit, nuptias quidẽ aliq̃ habere sollicitudinem sed gradui episcopatus nõ obstare, neq; à regno cœlorum excludere: atq; nuptias ipsas cum diuitijs confert, & ita scribit: Si igitur qui vxorẽ duxit, sollicitus est quæ sunt mundi: episcopũ autẽ huiusmodi sollicitudine tangi minimè cõuenit, quomodo superius dixit, vnius vxoris virum? quidã vt dixi, illum, qui post vxoris obitũ constituetur episcopus, significasse intelligunt. Alioqui licet eum, qui vxorẽ habeat, quasi non habentẽ esse. Tunc nempe istud ritè concesserit pro tempore, ac pro rei natura, quæ tum inerat, Licet .n. eam rẽ honestè ac licitè capere, si quis velit. Quẽadmodum .n. diuitiæ difficile in regnum cœlorũ introducunt, sæpe tamẽ id diuites plurimi ingressi sunt, ita & nuptię licet difficultatis in se plurimum habeãt, ita tamẽ assumi possunt, vt perfectiori vitæ impedimento non sint. Reddit etiã aliquãto postea rationẽ, cur dixerit Pau. vnius vxoris virum, cùm prius optauerit omnes esse sicut seipsum, cõtinẽtię nempe ratione. Quia inquit rẽ noluit sic in augustum cõtrahere. Potuisset .n. dura exigẽdo rẽ ad desperationẽ adducere, ita vt ecclesiæ carituræ esse viderẽtur episcopis, cum iusserit p̃ ciuitates episcopos, vel presbyteros cõstitui: quòd tamẽ hodie nõ fit. Vt .n. magnas & latas habeãt diœceses in magnis alioqui ciuitatib. episcopos nõ constituunt, & vastas diœceses visitare, atq; obire nequeunt. Verba Chrysost. hæc sunt: *Idcirco ait, vnius vxoris virũ, cũ certè alio in loco dixerit, Volo omnes homines esse sicut & meipsum, continẽtiæ scilicet ratione. Igitur ne in angustũ nimis eã concluderet rẽ, si exactissimã virtutẽ expetisset, iccirco moderatiore admonitione maluit vti, ne ex desperatione pfectæ illi inueniendæ virtutis, ecclesiæ sine episc. esset. Oportebat .n. vt antea dixit, p̃ singulas ciuitates cõstitui præsules.* Audi deniq; quid ipse ad Titũ scribat: *Vt constitueres p̃ ciuitates presbyteros, quẽadmodũ ego tibi præcepi.* In epist. verò ad Titũ scribẽs, vbi rursus illud explicat, vnius vxoris vir, hoc inq̃t Paulũ dicere, vt os obturet hæreticis, qui nuptias vt rẽ malã damnabãt. Quod vt falsũ sit, hinc reuincitur, quod episc. vnius vxoris vir eligitur. Ostẽduntur ergo nuptiæ sine culpa. Deberẽt hoc nõ leuiter p̃transire, qui etsi videãtur nuptias cõmẽdare, opꝰ tamẽ cõiugij dare nolũt absq; culpa p̃agi. Certè si quid tibi sit labis nõ est actioni p̃creãdi, sed hominũ vitio ascribendũ: quod idẽ accidere potest, & sæpissimè accidit edendo, bibẽdo, vestiẽdo, & alia p̃gẽdo, quę ad cultũ corporis p̃tinent. Ad hæc ita citra culpã esse nuptias ait, vt possit aliq̃s cũ eis ad sanctũ episcopatꝰ thronũ assumi. Magnã vim habet, quod inquit, cũ illis. Quòd si expectanda esset mors vxoris, vel si abdicãda ea esset, iã nõ cũ ipsis nuptijs sed absq; illis ad episcopatũ, qui cõiugatus est assumeretur. Interpretãdo postea quod inquit, vniꝰ vxoris, id arbitratur dictũ, quia nõ videtur futurus bonus præpositus ὁ πρὸς τὸν ἀπελθόντα ἀνδρὶ μιᾶ γυναικὸς ὄντα. In vsu erant diuortia, quibus priori vxore demissa superinducebat alterã, videbatur cũ priori satis inhumaniter agere, neq; beneuolentiã erga eã seruare. Vnde ob eã causã à multis male audiebat: Licẽt quidẽ, inquit Chrysost. p̃legẽ secũdæ nuptię, sed tamẽ vt nostris cauillationib. & suspicione minimè carẽt. Episcopum verò bene audire oportet. Hinc apparet multos ex Patribus per secundas nuptias non accepisse matrimonium, quod initur post obitũ prioris vxoris, verum illud, quod initur priori coniuge adhuc supstite. Nã si moriatur prꝰ vxor, nõ ea de causa violatur charitas erga ipsam, si nouum cõtrahatur matrimoniũ. Cùm verò dimissa ea & adhuc viuente, matrimoniũ aliud initur, ibi de beneuolẽtia cõiugali aliquid videtur imminutũ. Verba illius hæc sunt: Cuiꝰ rei gratia etiã huiusmodi homines in mediũ adducit? Obstruere prorsus intẽdit hæreticorũ ora, qui nuptias dãnant: ostendẽs eam rẽ culpa carere, imò ita esse præciosam, vt cum ipsa etiã possit quisq; ãd sanctum episcopatꝰ solium subuehi. Castigat hoc ipso etiã impudicos dum nõ eos permittit, post secũdas nuptias ad ecclesiæ regimẽ, dignitatẽmq; pastoris assumi. Nã qui defuncto vxori, vel vt melius habetur in Græco, πρὸς τὸν ἀπελθόντα, beneuolentiã nullã seruasse deprehẽditur, quo pacto hic ecclesiæ præceptor esse optimus poterit? Imò quib. criminib. nõ subijciturin dies? Noctis .n. p̃fectò omnes quod etiã per leges secundæ nuptiæ permittuntur: multis tamẽ ea res accusationib. patet. Nullam ergo occasionẽ præbere subiectis præsulem vult. Scribit præterea is Pater homiliam contra ludæos, Gentiles, & hæreticos, & quum aduersus illos agit, qui nuptias damnabant, Christũ ad eas accessisse testatur: neque solùm accessisse, imò & vinum conuiuis donasse à se miraculo insigni, & primo productum: quod facere vtique noluisset, si destabilis res esset coniugium. Postea simul confert Mosen & Eliam; quorum vnus vxorem & liberos habuit, alter verò cœlebs vixit, qui tamen ambo Deo fuerunt chari, neque cœlebs in rebus gerendis cõiugato fuit maior. Descendit ad Petrum, quem columnam quandem Ecclesiæ fuisse testatur, illum tamen coniugẽ fuisse demonstrat. Quare concludit, solùm inanes prætextus esse illorũ excusationes, qui se causantur nõ posse perfectè viuere, quòd vxores habeãt. Ita autẽ scribit. *Vocatꝰ est Iesꝰ ad nuptias. Venit vel nõ venit? Certũ p̃ venit.*

nit. Quòd si venit, quomodo ergo nuptiæ malæ? Non potes excusare. Ego autem non dico, quòd tantùm venerit, sed quòd & dona secum attulerit: aquam in vinum mutauit. Ne excuses te propter nuptias: Dominus tuus nuptijs interfuit, & nuptias honestauit, & tu nuptias arguis, & dicis, nuptias obstaculum esse ad pietatem? Nullum enim ad pietatem est obstaculum. Vis cognoscere, quòd nihil nocet habere vxorem & pueros? Moses nónne vxorem habuit & liberos? Elias nónne virgo erat? Nónne Moses manna è cœlo deduxit? Nónne Elias ignem è cœlo deduxit? Nónne Moses coturnices adnuere fecit? Nónne Elias verbo cœlũ clausit? Nónne Mosi Deus locutus est? Nónne & cum Elia conuersatus est? Nónne Moses mare diuisit & transduxit populum? Nonne Elias curru igneo in cœlum subuectus est? An nocuit huic virginitas? An impedimento fuerunt illi vxor & liberi? Vidisti Eliam aurigam in aere: vidisti Mosen in mari viatorem: vide & Petrum Ecclesiæ columnam, quòd & ipse habuit vxorem. Vnde ergo liquet, quod vxorem habuit? Ego dico: Ingressus est Iesus ad socrum Petri, & erat illa infirma, et tetigit eam, & reliquit eam febris, & stetit, & ministrauit. Vides, quòd & Petrus vxorem habuit? Vbi enim socrus, manifestum, quòd ibi & vxor. Ne incuses nuptias. Hæc dico, ne quis prætexat vel vxorem, vel liberos, vel militiam, vel negotiationem, vel opificium, vel seruitutem, vel diuitias, vel paupertatem. Super Matthæum verò 7. homil. cùm ad perfectionẽ vitæ vrsisset auditores, inquit; Non propterea extrudo te in solitudines, in quibus monachi versantur: imò nobis & monachis omnia Dei mandata sunt communia præter connubium. Hîc notandum, Chrysostomum non dixisse vobis, sed prima vsum esse persona: dixit enim nobis, comprehendendo seipsum, neq; excludendo clerũ. Quæ loquendi forma indicat, episcopis ac presbyteris, & diaconis licuisse cõnubia, quæ tamẽ ait monachis non concedi. Primam sententiæ huius partem recipimus, alteram verò non admittimus, Connubia monachis non licere: nisi fortè sic accipias, illorũ statu & conditione salua. Non enim quispiã simul & maritus & monachus erit. Sed qui monachus est, licitè, si opus habuerit, statũ mutat, & iuxta verbum Dei matrimonium contrahit. Hæc verò sunt, quæ dicit: *Non ego te in montes ac solitudines ire præcipio, sed frugi esse, & æquum iugiter & modestum, vel in medio vrbis habitantem.* Omnia siquidem mandata legis nobis sunt monachisq; cõmunia, præter cõnubium: quanquam hîc quoq; beatus Paulus admonet, per cuncta monachis æquare nos cupiens. Et in epistola ad Theodorum lapsum posteriori habet ferè idem de monachis, quòd illis nuptiæ non liceant. Sed vt dixi, hac in parte minus rectè docet, neq; in sententiam eius eundũ censeo, cùm longè secus verbum Dei statuat. Verba eius hæc sunt: *Neque vllus tibi fortè persuaserit, dicens: Nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quòd adulterium interdixit, non nuptias vetuit. Verum in te adulterij nomen accipiet, si volueris vnquam, quod absit, nuptias cogitare. Et quid mirum, si nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio comparantur?* Et mox: *Atque vt illud repetam, quod in principio posui epistolæ, si militia vincula non tenerent, quis tibi desertionis crimen obijceret? Nunc autem nil in te penitus tui iuris est, quippe qui tanto Imperatori militare cœpisti. Nam si mulier proprij corporis non habet potestatem, sed vir: multò magis hi, qui Christo potius quàm sibi viuunt, conditionem corporis sui habere non possunt.* Nunc iam ad Ambrosium veniamus. In priorem epistolam ad Timotheum tertio capite, vbi agitur de diaconis, vt sint vnius vxoris viri. *Hoc*, inquit, *ideo vult Apostolus ne constitutum Dei transgrediantur. Vni enim homini dedit Deus vnam vxorem, benedixit illi: & cum secundis nuptijs nullus benedicitur.* Hic etiam, vt mihi videtur, Ambrosius ad secundas nuptias respicit, quæ contrahuntur à diuortio, non post obitum prioris vxoris. Nam illæ, quæ sic fiebant, iuxta quosdam canones Ecclesiastica benedictione non initiabantur. Ita verò scribit: *Ea quæ minus dixerat de ordinatione diaconatus, nunc subiecit. Ostendit etiam, ipsos vnius vxoris maritos esse debere, vt bi ad ministerium Dei eligantur, qui non sunt egressi constitutum Dei. Hominem enim vnam vxorem decreuit Deus, cum qua benedicatur.* Et mox: *Veteribus idcirco concessum est Leuitis aut Sacerdotibus vxores ad vsum habere, quia multum tempus otio vacabant à ministerio aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum, & magna copia Leuitarum, & vnusquisque certo tempore seruiebat diuinis ceremonijs secundum institutum Dauid. Hic enim viginti & quatuor classes constituit sacerdotum, vt vicibus deseruirent. Vnde Abia octauam classem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur sacerdotio, sicut continetur in Paralipomenon, ita vt tempore, quo non illos contingebat deseruire altari, domorum suarum agerent curam. At vbi tempus imminebat ministerij, purificati aliquantis diebus ad templum offerre Deo. Nunc autem septem diaconos esse oportet, & aliquantus presbyteros, vt bini sint per Ecclesias: & vnus in ciuitate episcopus: ac per hos omnes à conuentu fœminæ abstinere debere, quia necesse est eos præsto esse in Ecclesia quotidie, nec habere dilationem, vt post conuentum legitimè purificentur, sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiamsi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada: etsi non deessent, qui propè quotidie baptizentur ægri. Num veteribus ideò concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant primati. Si enim plebeis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se præcipit, vt vacent orationi: quanto magis Leuitis aut sacerdotibus, quos die noctuq; pro plebe sibi commissa oportet orare? Mũdiores ergo esse debent cæteris, qui actores Dei sunt.* Ita vult etiam rationẽ reddere, cur iam sine vxoribus esse iubeantur ministri.

Quod ideo facit, quia circa illa tempora Siricius Romanus episcopus hoc vehementer vrgebat impium decretum. Sed Ambrosij prætextus audiamus. In veteri lege fatetur sacerdotes & Leuitas coniuges habuisse, quia longum spatium otij habebant, neq; sedulò cogebantur ministrare. Nam fuerunt distincti sacerdotes & Leuitæ in vigintiquatuor classes à Dauide, vt in 1. Paralipomenis capite vigesimo quarto legimus. Vnde, inquit, postquam sua vice functi erant, domum redibant, cumque ibi diu possent esse à ministerio liberi, vxoribus

& familiæ poterant operam dare. Cùm verò ad A
ministerium redeundum erat, sese purificabãt:
& cùm functionem suam obijssent, rursus do-
mum redibant. Verùm, inquit, modò in Eccle-
sia Christi non ita res habet. Sumus assiduè mi
nistraturi, hoc est omni hebdomada semel aut
iterum, & nonnunquam pro peregrinis. Quare
oportet semper esse præstò, maximè cum sæpe
sint nobis ægroti baptizandi. Neq; noster nu-
merus magnus est. Septem quippe diaconos
esse oportet, & aliquot presbyteros, ita vt bini B
ad quanq; Ecclesiam deputentur. Ideoq; pro-
pter paucitatem ministrorum, & frequens as-
siduumq; ministerium concludit absq; coniu-
gibus debere esse ministros. Ex ijs multa quo
ad historiam illorum temporum licet colligere.
Primùm non fuisse Missas priuatas quotidie
innumeras, vt sunt hodie. Semel aut iterum in
hebdomada, non quotidie habebatur cœna.
Deinde peregrinos tametsi faciebant iter, no-
luisse à sacra communione abstinere: imò, illis C
aduenientib. quandoq; oportuit ministrare.
Tertiò frequenter ægrotos fuisse baptizandos.
Differebant quippe multi sacramentum rege-
nerationis ad extremum vitæ. Vnde fiebat, vt
ægroti salutari baptismo tingerentur. Postre-
mò videas, tum temporis non fuisse greges sa-
crificorum, vt hodie habentur. Sed in Mediola-
nensi vrbe, quæ tanta est, septem tantùm erant
diaconi & aliquot presbyteri cum vno episco-
po. At nunc videamus quanti ponderis hęc sit D
ratio. Primò si valeat, nil iuuat Papæ mancipia:
non enim iam sunt pauci sacrifici, sed innume-
rabiles in vnaquaq; vrbe. Ad hæc, multi istorũ
episcopi, decani, magni canonici & prælati nõ
coguntur frequenter ministrare. Imò, qui sunt
ex illis aliquanto seueriores, vix in anno bis aut
ter suam impuram Missam faciunt. Cur ergo se
cœlibatui astringunt? Pauci non sunt, & fre-
quenter non ministrant. Quî fit vt Ambrosia-
num argumẽtum nil ad eos pertineat? Quam- E
uis ratio ea infirma est & cõmentitia. Non enim
ob eam causam distinxit Dauid Leuiticam tri-
bum in 24. vices, vt vacaret illis operam dare li-
ris, & maiore fruerentur otio ad res domesticas
curandas. Nihil minus cogitauit Dauid. Vnde
hoc Ambrosius nouit? Solũ dicit, at nihil pro-
bat. Quid fecisset Aaron ab initio? quid filij e-
ius, qui quotidie ministrabant, mane, inquam,
& vesperi? Nónne vxores habuerunt? nónne
liberos procreabant? Qui hæc fateri nolunt, ab F
ipsa historia coarguuntur. Igitur actio cõiuga-
lis si temperatè interponatur, sacrum minister-
rium non impedit, neq; homines reddit impu
ros, vt ministrare non valeant. Quid enim feci
sent Leuitæ ac sacerdotes ante Dauidis inuen-
tum, quo classes instituit? Fuerunt longè aliæ
causæ quæ hunc regem mouerunt ad hunc or-
dinem instituendum. Primùm otio Leuitarum
occurrere voluit. In tanta enim multitudine fa-
cilè fuisset, vt multi à ministerio se subducerẽt, G
nisi per vices hoc modo fuissent digesti. Dum
verò sua vice quæq; classis ministrare debuit,
omnes laboris fiebant participes. Deinde am-
bitio solet in ijs frequenter se admiscere, dum
vna familia vult alij præferri. Hoc ne accideret
vigintiquatuor classes institutæ sunt, & cuique
illarum proprius locus est assignatus, ita vt o-
ctaua esset classis Abiæ, cuius mentio habetur
Lucæ primo, in qua Zacharias pater Iohannis
suas vices habuit. Peccat itaq; hoc argumen-
tum, quòd pro causa non assignat veram cau-
sam. Nititur etiam idem Ambrosius confirma-
re hoc alio argumento: quia Paulus mandauit
laicis, vt ad tempus abstinerent à coniugali o-
pere, vt vacarẽt precibus & ieiunio. At, inquit,
sacerdotes perpetuò debent orare pro populo:
igitur perpetuò congruit, vt à matrimonio ar-
ceantur. De hac ratione aliàs dixi, quid mihi
videretur, cùm sententiam Origenis excutere-
mus. Ideò nunc vel illa repetere, vel afferre plu
ra supersedeo. Verùm in eadem epist. ad Timo-
theum cap. 5. cùm de viduis agitur, inquit, ado-
lescẽtulas viduas à professione arcendas ob lu-
bricam ætatem, cui fides facilè adhiberi non
debeat, præsertim cùm exempla præcesserint
multarum, quæ nomen, non opera viduarum
habebant. Nec facilè audendum est promitte-
re, quod sit difficile præstare. *Quòd si habeant*, in-
quit, *hoc deuotionis propositum, apud se habeant, neq;
temerè polliceantur, quod præstatu sit difficile.* Ita ve-
rò scribit: *iuniores viduas deuita. Prohibet adoles-
centulas viduas in hac suscipi professione. Lubrica enim
ætati fides facile adhiberi non debet: quippe cum qua-
rundam exempla præcedant, quæ post professionem vi-
tæ deliciorum oblectatione nomen, non opera viduita-
tis habent, & conuersæ nuptijs solicitantur.* & paulò
pòst, *Habentes damnationem, quia primam fidem ir-
ritam fecerunt.* Quid maneat tales ostendit, ne fa
cilè audeant, quod implere difficile est: aut si a-
nimus est huic deuotioni deditus, apud se inte-
rim teneat: quia dicit, temerariũ esse profiteri,
quod adhuc iuuenili ætati credi nõ debet. Da-
mnationi. n. sit obnoxius, qui ab hoc declinat,
quod rectè fecerat. Quantum enim laudabile
est, si impleat, quod vltra vires eius creditur, tã-
to magis puniendus erit, si hoc audeat sibi im-
ponere præsumptione temeritatis, quod ferre
non possit: nec ad veniam debet pertinere, qui
à primordio infidelis inuẽtus est. Et mox: *Iam. n.
quædam deerrauerunt post satanam.* Quoniã quæ su-
prà dixit de huiusmodi cõtraria & illicita, per-
ducent eas ad mortem, idcirco consilium dat &
præcipit ea fieri quę licita sunt. Melius est enim
domus curam suę gerere, q̃ in aliena domo adu
lari. Et multum expedit nubere, q̃ sub bona &
pia professione notabiliter incedere. Plus autẽ
est cum pudore manib. victum quærere, quàm
inuerecundè cũ otio aliena vtensilia expectare.
In ijs eius verbis licet annotare, illum in eo con
tra nos facere, quòd putat illas viduas vouisse,
de quib. Paulus ibi loquitur, quasi tũ temporis
hęc vota extiterint. Sed in eo, quod inquit, Apo
stolũ nolle, vt posthac huiusmodi professiones
iuuenum recipiantur, prorsus mecum facit. No
tent hunc locum illi, qui aiunt, Paulum nõ pro-
hibuisse vota iuuenum, sed tantùm voluisse, vt
adolescentulæ viduæ à stipe atq; alimonia Ec-
clesiæ

clesiæ excluderétur. Hîc Ambrosius professionis, à qua excluduntur, diserté mentionẽ fecit: & causam assignat lubricá ętaté, cui fides nõ sit adhibenda: & temerarium ait esse promittere, quod tá difficulter præstetur. Dumq; inquit, si propositum huius deuotionis habet, apud se habeat, idé quod ego, statuit. Seruet se liberam, absq; voto apud se ipsam statuat id genus vitæ retinere, quod tũc ferre potest, neq; se voto aut professione obstringat. In epist. verò ad Corin. dum illud interpretatur, *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*, affirmat, omnes Apostolos præter Paulum & Iohannem fuisse coniuges. Qua de re quid sentiré, superius exposui. Scio permultas huius sancti Patris afferri sententias, quæ decerpuntur ex lib. de Virg. lapsa: eas si omitto, nemo debet mirari, quia liber ille non est Ambrosij. Potius est declamatio quædá, quæ eadé propemodum tota extat apud Hieron. sub titulo epistolæ, Ad matrem & filiam. Neq; hoc latuit Erasmum, qui sagax admodum fuit in ijs fucis deprehendẽdis. Quare venio ad libros eius tres, de Virginib. quos omnino eius esse, nõ solùm stylus ostendit, verùm etiam Hieronymi grauissimum testimonium. In primo lib. ait, virginitatem nõ posse imperari, sed optandam esse, & ad votum, id est, ad preces pertinere, nõ ad magisterium. Verba illius hæc sunt, quæ ab episcopis notari velim, qui ab ijs, quos a sacros ordines promouẽt, omnino cœlibatum exigunt: *Nõ enim imperari potest virginitas*, inquit, *sed optari. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis quàm in magisterio sunt, &c.* Sed cur ille, obsecro, hanc suam vocẽ non audiuit, quando Siricij Papæ decretum tanto studio propugnauit? Minus etiam rectè scribit postea, cùm virtutẽ hanc, nempe virginitatem, principalem esse virtutem affirmat. Siquidẽ Christianorum præcipuæ virtutes fides, spes, charitas censentur. Ad hæc fatemur castitatem esse virtutẽ: sed quæ non tantùm ad virgines, verùm etiá ad viduas & coniugatas pertineat. Virginitatem autem per se ipsam virturem nemo dixerit. Addit præterea, *Nec solùm in martyribus reperitur, sed etiã martyres facit.* Quid sibi velit ijs verbis, non est facilè videre. Quomodo enim virginitas martyres facit? Si putet eam, quę, ne nubat, vult potius occîdi, licet nõ cogatur eo coniugio, quod sibi proponitur, Christum abnegare, vel coniugẽ imparis cultus admittere, viderit ipse quid sentiat. Ego illam non ea causa martyrem dixerim. Imò arbitror, nisi quis afflatu singulari se ad cœlibatum vocatum sentiat, videatq; in eo se posse Dei regnum magis q̃ in coniugio promouere, opus esse, vt & parentib. & principib. pareat. Quamuis illos non possum nõ accusare, parentes & principes, qui matrimonium imperent. Quia inter cęteras humanę vitæ actiones hanc maximè omnium conuenit liberam esse. Proinde illi non rectè faciunt. At qui sunt in potestate parentum & dominorum, quando illorum, voluntati, saluis iam allatis conditionib. cedunt, christianè ac piè faciunt. Verba verò Ambrosij hæc sunt: *Tu soror sancta vel mutis tacita moribus petis, vt aliquid de virginitate dicamus: ne veluti transitu quodam præstricta videatur, quæ principalis est virtus. Non enim ideò laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres facit, &c.* Accusat præterea Vestalium virginitatem vt mercenariam. Nam immunitates offerebantur illis, & precia dabantur, quod profectò nihil aliud erat, quàm castitatem vendere. At si accusatio hæc vera sit, quod negari minimè debet, maximè in episcopos papisticos, decanos, abbates, canonicos, & magnos prælatos conuenier. Nam illi quoq; cœlibes nõ viuunt ob aliá causam, nisi vt opib. ac dignitatib. collatis fruantur. Alioqui nuptias quemadmodum cæteri appeterent, cùm à scortationib. nõ abstineant: Ita scribit Ambrosius, cùm faceret mentionem virginum Vestæ & sacerdotum Palladis: Conferuntur immunitates, offeruntur precia: quasi non hoc maximum petulantiæ sit indicium, castitatem vendere, quod precio promittitur, precio soluitur, precio addicitur, precio adnumeratur. Nescit retinere castitatem, quæ vendere solet, &c. Deinde veritus, ne virginitatẽ extolẽdo miris modis nuptijs detrahere videretur, ait, se matrimonia non damnare, sed tantùm, quod melius est attexere. Verba eius hęc sunt: *Non ego quidem dissuadeo matrimonium, sed virginitatis attexo beneficium, &c.* Sed in sententia non manet. Nam cum ob id malè audiret, quod sacras virgines prohiberet nubere, ita se defendit: *Ioannes dicebat Herodi, Tibi non licet vxorem fratris tui habere. Ille regi hæc dixit: Cur ego priuatis hominibus idem non dixerim?* Quib. verbis manifestè docet, se noluisse, vt virgines Deo cõsecratæ nuberent. Quomodo ergo nõ damnat matrimonia? quomodo virginitatẽ non imperari? quá tamen præcipi non posse cum q̃. paulò superius testabatur. Scio quid respondeant aduersarij, propositiones illas nõ esse vniuersales: quib. affirmatur matrimonium non damnari, & virginitatẽ non imperari: sed cõtrahendas ad eos, qui nõ vouerint. At cùm vota ipsa causas nõ auferãt, ꝓpter quas matrimonia præcipiuntur, certè illæ sententię vniuersaliter intelligi debẽt. Etenim qui vouerunt, sæpe nõ continẽt, & multò sæpius vruntur. Ideoq; dum causa præcepti matrimonij mãserit, præceptum habere locum oportet. Est itaq; matrimonium honorabile in omnib. vt ad Hebr. dicitur. Quæ verba vniuersaliter & citra vllá exceptionẽ proferuntur. Mitto quod in suis libris Ambrosius librorum apocryphorum testimonio vtitur. Profert n. exempla Tecłæ, quasi cùm adhuc puella esset, à Paulo instituta ad virginitatẽ: quæ neq; in Actis Apostol. neq; in alia vlla scriptura diuina leguntur. Ideo qua facilitate adducũtur, eadé conténi possunt. Scribit etiam, in tẽplo Hierosolymis asseruatas fuisse puellas virgines, quod ité in diuinis libris nõ habetur, neq; à Iosepho alicubi scribitur. Habetur fortasse in apocryphis, at ea fidẽ non faciant. Et cùm ad Hebræorũ instituta non queant accommodari, non sunt verisimilia. Venit post hæc ad illas virgines, quæ sese, cum peritlitarẽtur illarum castitas, ex altissimis Io is præcipi-

tarunt, vel deiecerunt in ignes, aut merserunt in flumina: illarumq; facta minimè reprehendit, sed encomijs & miris laudibus effert. At si alium occidere non licet, neq; sibi ipsi fas erit manum afferre. Neq; Simsonis exemplũ quicquam prodest: cùm ibi singularis Dei afflatus cernatur. Qui non eò valet, vt cęteros homines à legis diuinę obseruatione debita eximat. Adhæc, taxabatur à quibusdam Ambrosius, quòd virgines admodum puellas Deo pateretur consecrari. Ad quam accusationem ita respondet: Dei sacerdotem oportere quidẽ in hoc negotio rationem ætatis habere: verùm, inquit, non annorum, at castitatis, grauitatis, constantiæ, educationis, & consimilium. Quod verò ad annos attinet, eorum causa nullos excludendos à virginitatis professione. Imò inquit, ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Et alibi scriptũ ait, Sinite paruulos ad me venire. Quasi Dauid & Christus de voto cœlibatus aut virginitatis in ijs locis agerent. Deinde quòd ætatẽ non existimet annis metiendam, quoad hęc vota, proculdubio aduersatur Paulo, qui viduam recipiendam ad Ecclesiæ ministerium sexagenariam esse voluit. Quibus verbis ætatem annorũ apertissimè demonstrauit. Ambrosij verba hæc sunt: *Aiunt etiam plerique maturioris ætatis virgines esse velandas: neq; ego abnuo sacerdotalis esse cautionis debere, vt non temerè puella veletur. Spectet planè, spectet ætatem sacerdos, sed fidei [illegible] pudoris: spectet maturitatem verecundiæ: examinet grauitatis ea niciem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis: tum deinde si matris tuta custodia, comitum sobria sedulitas. Si hæc præstò sunt, non deest virgini longæua canities. Si desint, differatur puella moribus, quàm annis adolescentior. Non ergo ætas reijcitur florentior, sed animus examinatur. Et certè Teclam non senectus, sed virtus probauit. Et hinc quid plura contexam? cùm omnis ætas habilis Deo perfecta sit Christo, &c.* Et mox duo illa subdit testimonia: *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem: &c, Sinite paruulos ad me venire.* Illud verò præclarum est, quod ait: *Nos omnia noua, quæ Christus non docuit, detestamur: quandoquidem ipse via est credentibus. Quin & nostra, si ea non docuit Dominus, iure detestamur.* Verissima profectò sententia est. Sed cur in ea non perstat? quando consecratas virgines prohibet nubere, nec non quando Siricij papæ impium decretum defendit? Accipio ab eo, vt Dialecticè agam, maiorem propositionem: deinde minorem addo: Christum non docuisse vota ista virginitatis, neq; prohibuisse dicatis Deo matrimonium contrahere. Vnde conficitur vota huius generis esse detestanda. Ita scribit Ambrosius: *Nos enim noua omnia, quæ Christus non docuit, iure damnamus: quia fidelibus via Christus est. Si igitur Christus non docuit, quod docemus, etiam nos id detestabile iudicamus, &c.* Possem ex hoc authore multò plura decerpere: sed ne sim nimius, ad Hieronymum venio. Is maximè omnium ex Patribus nobis aduersatur. Idcircò paulò accuratius de illo agam. Atq; primũ ea commemorabo, quæ pro nostra causa dicit: postea non tacebo, vt illi aduersetur. Primùm in epist. ad Demetr. (de illa loquor, quæ Hieronymi est citra vllam controuersiam: nam altera posterior habetur, quæ nomine Hieronymi circumfertur, ob quam inter ipsum & Augustinũ dissidium ortum est, quæ re vera non fuit à Hieronymo cõscripta. Docta quidẽ est & elegans, verũ Pelagiano dogmati plurimũ fauet: vndè illã nonnulli Iuliani Pelagiani fuisse putant) in ea inquã epist. ad Demetriadẽ, quę omnino Hieronymi est, habetur, familiam cœlestem & angelorum à quibusdam, qui non bene se gerant, dehonestari: quib. iubet, vt apertè dicatur, vel vt nubant, si non possunt continere, vel si nubere nolunt, vt contineãt. Discedit ergo in eandem sententiam cum Cypriano, Epiphanio, & Basilio. Nec iuuat, vt nõnulli excusare conantur, dicere, ista prolata esse nõ de sacris virginibus, sed de quibusuis alijs, quæ nondũ viris essent collocatæ. Quia nemo dehonestat aliquẽ ordinem, nisi fuerit in illum asscriptus. Nullus turpi vita infamasset Apostolos, nisi inter eos fuisset annumeratus. Vt scholastici etiam non infamantur aliquorũ turpi vita, nisi & ipsi scholastici fuerint. Et scribendo ad Demetriadem iam Deo consecratam, illas commemorat, quæ susceperant eandem professionẽ. Erasmi quoque parum valet excusatio, qua dicitur, Hieronymum fortasse de non velatis loqui: quoniã siue ab episcopo velũ accepissent, siue non, modò professio aut votũ intercessisset, nostrę causæ satis fauet Hieronymus, qui eis mandat, vt nisi contineant, nubãt. Id autẽ non est prætereundum, quosdam hic dicere, Virginum ita consecratarum matrimonia minimè fuisse antiquitus rescissa, licet reprehenderẽtur. Notandum quoq; Hieronym. propositi, nempe virginitatis mentionem facere: cuius hæc verba sunt: *Sanctum virginum propositum, & cœlestis angelorum, familiæ gloriam quarundam non bene se agentium nomẽ infamat: quibus apertè dicendum est, vt aut nubant, si se non possunt continere: aut contineant, si nolunt nubere.* In epistola ad Oceanum interpretatur illa verba, *Vnius vxoris vir*, vt Chrysostomus de ijs, qui venientes ex Iudæis plures vxores habuissent, atq; hos ait, Apostolum noluisse ad episcopatum promoueri. Adducit quidẽ & alias interpretationes, verùm istam non confutat. Atque hæc eius verba sunt. Prima Christi Ecclesia de Israel reliquijs congregabatur. Sciebat lege concessum, & exemplo patriarcharum, ac Mosi familiari populo nouerat in multis vxoribus liberos spargere. Ipsis quoq; sacerdotibus huius licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo ne eandem licentiam Ecclesiæ sibi vendicẽt sacerdotes, ne bini pariter & trina coniugia sortiantur, sed vt singulas vno tempore vxores habeant. Et contra Iouianum lib. 1. Samuelem ait non præiudicasse quicquam virginitati, quamuis vxorem duxerit, & procreauerit liberos, dum in tabernaculo versaretur, & Domino quotidie ministraret. Quasi, ait, non multi hodie mariti asciscantur in episcopos: & Paulus non dixerit vnius vxoris episcopum esse debere. Sic autem scribit, Samuel nutritus *in* taberna-

culo duxit vxorem: quid hoc ad præiudicium virginitatis? quasi non hodie quoque plurimi sacerdotes habeant matrimonia, & Apostolus episcopum describat vnius vxoris virum habẽtem filios cum omni castitate. Ostendunt hæc, illius ætate maritos frequẽter electos fuisse ministros Ecclesiæ. Quærit prætereà quî fieret, vt sæpius in Electionibus episcoporum præterirentur virgines & cœlibes, ac mariti eligerẽtur. Et ad hoc variè multipliciterq; respondet. Primò ait, non tot reperiri virgines, quot Ecclesiarum episcopi ac ministri quotidie requiruntur. Deinde inquit, virgines cæteris vitutib. nõ esse interdum pares maritis. Nam episcopum non solùm oportet castum esse, sed etiá eruditum, aptum ad docendum, non vinolentum, nõ percussorẽ, quiq; bene suæ familiæ præsit. Permulti autẽ reperiuntur cœlibes ac virgines, qui virtutibus eiusmodi episcopo necessarijs non sint præditi. Ad hæc, inquit, vulgus in ijs electionibus frequenter errat: neq; meliores aut magis idoneos eligit: cumq; in populo maior pars cõiugata sit, volunt potius aliquẽ sui ordinis habere, q̃ virginẽ aut cœlibẽ. Verba hæc sunt: *Eligũtur mariti in sacerdotiũ non nego: quia nõ sunt tãti virgines, quanti necessarij sunt sacerdotes. Nunquid quia in exercitu fortissimꝰ quisque eligendꝰ est, idcirco non assumentur & infirmiores, cũ omnes fortes esse nõ possint? Si exercitus viribus tantũ constaret, & non etiam numero militum, abijcerentur imbecilliores. Nũc & secundarij, & tertiarij virium gradus assumitur, vt turba & numero exercitꝰ compleatur. Et quomodo inquies frequenter in ordinatione sacerdotali virgo negligitur, & maritus assumitur? Quia fortè cætera opera non habent virginitati congruẽtia, aut virgo putatur, & non est, aut est virginitas infamis: aut certè ipsa virginitas parit ei superbiam, & dum sibi applaudit de sola corporis castitate, virtutes cæteras negligit. Non fouet pauperes, pecuniæ cupidior est. Euenit interdum vt tristior vultus adductum supercilium, incessus pomparum ferculis similis offendat populũ: & quia nihil habet q̃ reprehendat in vita, habitum solum oderit, & incessũ. Multi eliguntur non amore sui, sed alterius odio. In plæruque suffragium meretur sola simplicitas, & alterius prudentiæ & calliditati quasi malitiæ opponũtur. Nõnunquam errat plebis, vulgique iudicium, & in sacerdotibus comprobandis vnusquisque suis moribus fauet: vt non tam bonũ, quàm sui similem quærat præpositum. Euenit aliquoties vt mariti, quæ pars maior in populo est, maritis quasi sibi applaudant, & in eo se arbitrentur minores non esse virginibus, si maritũ virgini præferant.* Quæ verba liquidò monstrant, illa tempestate Ecclesias maritos episcopos non detrestasse, imò sibi tales vt plurimùm expetiuisse. In ijs, quæ hucusq; recitaui, nobis Hieronymus non aduersatur. Sed contra Iouinianum semp nobis obijcitur. Idcircò aliquãto prolixius de illis eius libris agam. Et primùm id testor, Hieronymum, licet clericis, hoc est ministris Ecclesiæ matrimonium adimat, id tamen iure diuino, sacrarum inquam literarum testimonijs non asserit, verùm quadam potius congruitate persuadet. Et in summa obseruaui tria hæc in eius libris: Primum, eum nuptijs propemodum omnibus valdè fuisse iniquum. Secundò testimonia scripturarum admodũ perperam ab eo in suam sententiam trahi: Postremò neque suis amicis eum in illo scripto satis fecisse, verùm non leuiter esse periclitatum. Primùm facile est videre, quando matrimonium cum folijs & radice arboris, virginitatem autem cum pomis: & rursus matrimonium cum stipula & culmo, virginitatem cũ tritico & bonis granis componit. Nam ista solent asseruari, & in horreo condi: alia verò pereunt, aut comburuntur. Certè non tanta est inter virgines & coniugatos distantia, vt ij abijciantur aut comburantur, alij verò in cœlesti regno seruentur. Verba autem eius hæc sunt: *Num arboris aut segetis contumelia est, si radici & folijs culmo & aristis poma præferantur & fructus? Vt poma ex arbore, frumentum è stipula, ita virginitas è nuptijs.* Scribit prætereà, *Oro te, quale illud bonũ est, quod orare prohibet, quod corpus Christi accipere non permittit? Quandiu impleo officium mariti, non impleo Christiani.* Quid hinc aliud colligas, quàm coniugatorum preces non audiri, eisq; ad communionem corporis Christi aditum non patere, neq; verè Christianos haberi posse, qui maritorum officium implere non desierint. Inquit etiam, *qui vxorem non habens credidit, & liber à coniugij seruitute vocatus est à Domino, ille est verè seruus Christi. Quanta felicitas est, non vxoris seruum esse, sed Christi? non carne seruire sed spiritu?* Ista sic dicuntur, quasi qui coniugatus est, verè seruus Christi esse non possit, & sit infelicissimus, quem vxori seruire oporteat, ita vt non possit vnus atque idem vxori & Christo, quasi contrarijs dominis obsequi. Quibus ad hæc, inquit, *in baptismo mortuꝰ est Pharao, & vniuersꝰ eius suffocatus exercitus cur Ægyptum rursus quærimus? & post manna angelorũ cibũ, cepe, allia, pepones & carnes varias suspiramus?* His verbis quicquid ad Christũ pertinet, ad virginitatem seu continentiam ab vxoribus detorsit. *Item, Moses cum vidisset visionẽ magnam & Angelum siue dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad illum accedere, nisi soluisset corrigiam calceamenti sui, & abiecisset vincula nuptiarum.* Igitur in scripturis vbcunq; vocẽ soluẽdi reperiris, ea erit ad nuptiarũ dissolutionẽ referẽda. De secũdis autẽ nuptijs, quas Apostolus vtiq; probauit, sic scribit: *Melius est alterũ & tertiũ virũ nosse, quã plurimos, id est, vt ipse ait, tolerabilius est vnũ hominũ prostitutã esse, quã multis* Prostibulũ igitur secũdas nuptias vocat, nec eas meritis amoribꝰ meliores esse iudicat. Et quod est grauius, addit: *Simul cõsidera, quòd quæ duos habuit viros, etiã si anus est, & decrepita, & egẽs, Ecclesiæ stipẽ non meretur accipere. Si aũt panis ille tollitur eleemosynæ, quanto magis ille panis, qui de cælo descẽdit? quẽ qui indignè mãducauerit, reꝰ est violati corporis & sanguinis Christi.* Nõne ijs verbis docet, illos, qui nuptias iterarũt sacri corporis Domini participatione indignos existimari? Scripsit quoq; Christꝰ cũ semel venerit ad nuptias, semel docuit esse nubẽdũ. Hæc sanè omnia secundarũ nuptiarũ aptissima conuicia sũt. Neque Tertullianus grauiora dixisset pro sua monogamia, quẽ tamẽ Ecclesia ea de re dãnauit. Atq; cum ista dixerit Hieronymꝰ cõtra secũdas nuptias, quid sani ob eo

de miniſtrorum Eccleſiæ nuptijs in vniuerſum adeò clarè probetur non bene ſenſiſſe. At quomodo ſcripturas frequenter adduxerit perperam, & ea non raro huc citauerit, quæ ad præſens negotium minimè ſpectant, iam dicendũ eſt. Tractans locum illum Apoſtoli, Bonum eſt eſt homini mulierem non tangere, infert, ergo malum eſt tãgere. Nihil enim bono cõtrarium eſt, niſi malum. Si autem malum eſt & ignoſcitur, ideò cõceditur, ne malo quid deterius fiat. Et ex eo quòd Paulus inquit, Bonum eſt homini ſic eſſe, ille infert, ergo malum eſt homini nõ ſic eſſe. Hoc vtique genus argumentationis æquiuocatione peccat. Cum enim docuiſſet Paulus ob præſentẽ neceſsitatem, & moleſtias, quæ coniugio ſunt annexę. Bonum eſſe homini mulierem non tangere, quaſi diceret, vtile, commodum, ac magis expeditum eſſe, hinc ille à contrarijs concludit: malum eſſe mulierem tangere: atque malum intelligit, non minus expeditum, incommodum aut inutile, ſed vitioſum & peccatum: quo ſenſu malum non eſt contrariũ illi bono, de quo antecedens intelligendum eſt. Et certè argumentatio à contrarijs, non quoad genus eſt valida, ſed cum iuxtà proprias differentias deducitur. Non enim licet ita cõlligere, Calor eſt qualitas, ergo frigus non eſt qualitas, cum vtraq; iſta forma in eodem genere pulchrè conſentiat. Neque licet argumẽtari, filius eſt robuſtus, ergo pater non eſt robuſtus: fieri enim poteſt, vt pater & filius eodem accidente, ſeu qualitate communicent. Ita debuit Hieronym. concludere, igitur mulierem tangere, aut non ſic eſſe incommodum eſt, inutile, aut minus expeditum. At cum perperam colligat, meritò eius argumentatio repudiatur. Neque illud prætereundum eſt quod mox adijcit. Nunq̃ ſubiciſſet Paulus, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, niſi præmiſiſſet, propter fornicationem. Tolle fornicationem & non dicet, Vnuſquiſque vxorẽ ſuam habeat. Hic videtur Chriſtianis omnes alias matrimonij contrahendi cauſas adimere, præter vnicam ſcortationem: cum tamẽ aliqui poſsint vxores ducere ob filiorum procreationem, vel ob alia vitæ auxilia. Et mox: *Omnis hæc quæſtio eſt de his qui in matrimonio ſunt, deprehenſi, an eis liceat vxorem dimittere.* Non ita ſunt hæc Apoſtoli verba contrahenda, quaſi & qui Chriſtiani ſunt, non poſsint inire matrimoniũ. Facito, Paulum de illis fuiſſe interrogatũ: attamen reſpondendò amplificat doctrinam, & vnà cũ illis omnes alios comprehẽdit, qui eodem remedio opus habuerint. Id præterea, *Melius eſt nubere, quàm vri*, ſic accipit. Ideò inquit melius eſt nubere, quia peius eſt vri. Tolle ardorem libidinis, & non dicet, Melius eſt nubere: melius enim ſemper ad comparationem deterioris reſpicit, non ad ſimplicitatem in comparabilis per ſe boni. Velut ſi diceret, melius eſt vnum oculum habere, quàm nullum: melius eſt vno pede niti, & alteram partem corporis baculo ſuſtentare, quàm fractis cruribus repere. Et mox ad Apoſtolum apoſtrophen faciens, ſic dicit: *Si per ſe nuptiæ ſunt bonæ, noli illas incendio comparare, ſed dic ſimpliciter, bonum eſt nubere. Spectata mihi eſt bonitas eius rei, quàm magnitudo alterius mali malum eſſe inferius cogit. Ego autem non leuius malum, ſed ſimpliciter per ſe bonum volo.* Ita ex eo, quòd Paulus dicit, Melius eſt nubere, quàm vri, nuptias concludit eſſe malas. Rurſus exponens hæc verba Petri: *Similiter viri cohabitantes iuxta ſcientiã, quaſi infirmiori vaſculo muliebri tribuentes honorem, &c. Si abſtineamus nos*, inquit, *a coitu, honorem tribuimus vxoribus: ſi non abſtineamus, perſpicuum eſt, honori contrariam eſſe contumeliam.* Quis interpretationem hanc non videat, longiſsimè alienam eſſe à ſenſu natiuo? Sequitur illud Pauli: *Si quis conſiderans virginem ſuam laſciuire, &c.* Id ſic exponit: *Si quis conſiderat*, inquit, *virginem ſuam, id eſt, carnem ſuam laſciuire, & ebullire in libidinem, nec refrænare ſe poteſt, duplexque illi incumbit neceſsitas aut accipiendæ coniugis, aut rueudi quod vult faciat: nõ peccat ſi nubat. Faciat*, inquit, *non quod vult, ſed quod debet. Non peccat, ſi ducit vxorem, non tamen bene facit.* Primùm verba Pauli non rectè interpretatur, ea transferẽdo ad propriam cuiuſque carnem: cum Paulus de illo agat, qui filiam aut aliam in ſua poteſtate puellã nubilem habeat, quæ iam nubendi ætatem exceſſerit. Et mirum eſt quomodo addat, eum nõ bene facere, ſi marito collocarit, cum Apoſtolo longè ſecus pronuntiet: diſertis enim verbis ſcribit, eum qui matrimonio illam coniũgit, bene facere. Quod itaque ille dicit, iſte negat. Salomonemque in prouerbijs capite 29. dicentẽ: *Stillicidia hominem ejcere de propria domo*, ſic exponit: *Vxor aſſiduis negotijs, & quotidiana garrulitate facit perpluere domum eius, & ejcit eum de ædibus ſuis, id eſt, de Eccleſia*: perinde atque in Eccleſia Dei non poſsit eſſe, qui vxorem maledicam, garrulam, aut iurgioſam domi habeat. Adducens etiam id quod ad Rom. ſcribitur: *Quẽ ergo fructũ habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis: nam finis illorum mors eſt. Nunc autem liberati à peccato, ſeruiautem facti Deo fructũ habetis in ſanctificationẽ, finem verò vitam æternam, &c. Puto*, inquit, *quòd & nuptiarum finis mors ſit: fructus autem ſanctificationis, qui vel ad virginitatẽ, vel ad continentiam pertinet, vita penſetur æterna.* Quod Paulus de peccatis generatim dixit, ille ad nuptias detorquet: atque hac ſententia non modò nuptias damnat, ſed & coniugatos ad deſperationẽ ferè adigit. Et hæc verba. *Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alteri, qui ex mortuis reſurrexit vt ex mortuis fructificemus Deo. Cũ enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorũ, quæ ſunt per legẽ, operabãtur in mẽbris noſtris vt fructificarẽt morti.* Hęc inquã, verba ad cõiugiũ & nuptias trahit, quẽadmodũ alia etiã hæc teſtimonia: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Nihil eſt dãnationis his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui nõ ſecundũ carnẽ ambulãt. Qui ſecundũ carnẽ ſunt, quæ carnis ſunt ſapiũt. Prudẽtia carnis mors eſt, & inimicitia aduerſus Deũ: legi enim Dei nõ ſubijcitur, nec poteſt. Qui in carne ſũt, Deo placere nõ poſſũt.* Quid hæc, obſecro, vel ad cõiugia, vel ad virginitatẽ faciũt? Nõ ſanè, magis, q̃ hæc alia quæ tamẽ huc torquet: *Fratres debitores ſumus nõ carni, vt ſecundũ carnẽ viuamus. Si enim ſecundũ carnẽ vixeritis, moriemini: ſi aũt ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur,*

guntur, bi sunt filij Dei. Hęc interpretans Hieronymus ait: *Si prudentia carnis inimicitia est in Deũ, & qui in carne sunt Deo placere non possunt arbitror eos, qui seruiunt officio coniugali, quòd prudentiam carnis diligant, & in carne sint: à qua nos reuocans Apostolus inquit, Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiã viuam, sanctam Deo placentẽ, rationabilem cultum vestrum, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona bene placens, & perfecta. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non sapere plus quam oportet sapere, sed sapere ad pudicitiam.* Non ad sobrietatẽ inquit Hieronymꝰ, vt in codicibus latinis legitur, sed sapere ad pudicitiam: siquidem Græcè scriptum est φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν· præterquam quòd totum hunc locum de Christianorum vitæ informatione ac renouatione post susceptũ Baptismum in genere à Paulo dictum, quasi peculiariter ad virginitatem & continentiam pertinẽtem introducit, illud est obseruatu dignum, quòd Græcam vocem non sobrietatem, sed pudicitiam significare contendit, & Latinorũ codicũ in eo lectionẽ reprehendit: cũ tamẽ constet, eam vocẽ magis propriè sobrietatẽ significare, quã pudicitiam, & eam à bonis scriptoribus vsitatius & frequentiꝰ pro sobrietate poni. Illud etiam quòd ad Corinth. habetur epistola priori: *Ego fratres non potui loqui vobis vt ſpiritualib. sed sicut carnalibꝰ, sicut paruulis in Christo lac enim potum vobis dedi, nõ escã, nondũ enim poteratis: sed nec nunc potestis, adhuc enim carnales estis*, illud inquam, ita explicat: Qui animalis est, & non recipit ea quæ sunt spiritus Dei, iste non perfectę castitatis cibo, sed rudi nuptiarum lacte nutritur. Nec nõ eam sententiã, *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*, tractãdo ait: *Opera legis & nuptiæ sunt: vnde maledicuntur in ea, qui non habent filios: quæ tamen concedũtur etiam in Euangelio. Sed aliud est indulgentiã infirmitati tribuere, aliud virtutibus præmia polliceri. Dicã ego*, inquit, *nuptiatoribus meis, sic insipientes estis, vt cum ſpiritu cœperitis, carne consummemini?* Hæc sanè verba manifestam nuptijs contumeliam faciunt: quas etiam vehemẽter lędit cũ inquit: *Omne perfectum donum descendit de sursum, vbi non sunt nuptiæ.* Igitur videtur inferre, nuptias donũ Dei, aut donum de sursum non esse. Quod vt Paulo aduersetur, illa verba testantur: *Velim omnes esse sicut ego sum: Sed quisque donum proprium habet à Deo: alius quidem sic, alius verò sic.* Quibus verbis apertè docet, matrimonium quoque donũ Dei esse. Quod posteà videns Hieronymus in epistola ad Pammachium, scripsit, se etiam non inficiari, nuptias donũ esse Dei. Sed quale donum illas fingat, ex eo demonstrat, quòd locũ ex epistola posteriori ad Corinth. adducit, vbi de incesto resipiscente scribit Paulus: *Donate ei, & consolamini: & si cui quid donatis, & ego. Et ne putaremus*, inquit, *donum hominis contemnendum, addidit: Nam & ego, si quid donaui, donaui propter vos coram Christo.* Vult igitur in summa discrimen esse inter donum & donum. Et virginitatem putat donum, quòd habeat mercedem, & præmia: nuptias verò, quòd habeãt à Deo condonationem: quasi Deus ad id quod ibi vitiosum

A & turpe est connieat. At hoc modo permulta peccatorum genera possent dici Dei dona. Possent & alia innumera loca scripturarum colligi ex illis libris contra Iouinianũ, quæ violenter ad virginitatem & nuptias detorquẽtur. sed si omnia velim adducere, non parùm suscipiam laboris, & lectoribus fortasis ero molestus. Proinde his paucis ero contentus: qui libros eos diligenter euoluet per se ipsum multò plura & longè absurdiora deprehendet. Modò supereſt, vt explicem tertium: nempè Hieronymum neque suis amicis ijs libris satis feciſ
B se. Pammachius cum videret hoc scripti genere multos offendi posse, voluit libros omnino supprimere: at id illi non successit. Vox enim emissa nescit reuerti. Quod itaque supererat, cũ essent euulgati, scripsit ad Hieronymum, vt vel emendaret, vel explicando leniret: alioqui illũ in aperto versari discrimine. Scripsit ergo ille apologiã: sed voluit videri defendere, quod scri-
C pserat: cum tamen artificio rhetorico mitiget multa, & excuset varijs modis. Principio quidem in hac apologia nõ comparat amplius nuptias cum virginitate, vt malum cum bono, sed vt minus bonum cum maiori. Deinde ait, scribendi esse diuersa genera. *Scribimus*, inquit, *aliquando vt doceamus, nonnunquam vt aduersarios refellamus.* Et aliud ait, esse docere discipulum, aliud aduersarium confutare. Nam in pugnando prę calore certaminis, multa interdum excidunt,
D quæ ad amussim solidæ veritatis nõ sint directa: loquunturq; pugnantes non semper quod sentiunt, sed interdum quod necesse est dicere, vt causæ inseruiãt. Posteà rhetoricatur, quasi excusatione huiusmodi nõ opꝰ habeat. *Hæc* inquit, *dicerem si vincendi studio quippiam contra regulam scripturarum loquutus essem.* Atque ita id se facere dissimulat, quod maximè facit. Rogat prętera vt à quouis arguatur, vbi suo sensu scribit,
E & quodammodo agit dogmatisten. At vbi commentatoris officio fungitur, se non reprehendẽdũ existimat, quãdoquidẽ id tãtũ scribat, quod scripturas, quas interpretatur, existimat significare. Atq; ita non sibi vult imputari quæ habet, sed scripturis, quę talẽ intelligẽtiã offerãt. Hoc aũt quã piè fiat, alij iudicẽt: ego quod ad me attinet, vt meã causã releuarẽ, nollẽ in diuinas literas culpã quãuis minimã trasferre. Ambrosium deinde, Victorinũ, Tertullianũ, & plęrosq; antiquiores Patres eadẽ secũ dixisse cõtendit: quasi
F falsa dogmata hoc nomine possint excusari, quod cũ alijs errauerimꝰ. Quãuis dicere ausim ex veteribus, quos adducit, nullum fuisse, Tertulliano excepto, qui ea de causa damnatus est, à quo tanta cõtumelia nuptiæ sint affectæ, quãta à Hieronymo. Sed illud est grauius, nec ferri, potest, quòd Paulũ ait, ad Romanos, ad Galatas & ad Ephes. præ certaminis studio testimonia quędã de veteri testamẽto sumsisse, quę aliter in
G suis locis, aliter in ipsiꝰ epistolis sonẽt. *Videmꝰ*, inquit, *exẽpla captiua, quæ Apostolo ad victoriã seruiãt, & in suis locis nõ dimicẽt.* Quid hoc, quęso, aliud est, quã Apostoli authoritatẽ conuellere? Sed hìc statui modũ facere ne videar plꝰ çquo Hiero

nymum inſectari, quem alioqui vt eruditum & ſanctum virum ſuſpicio: neque iſta ideo attuli, vt de illius donis quicquam detraham, ſed vt oſtendam non eſſe mirum, ſi coniugia miniſtris Eccleſię quãdoq; adimat, cum de nuptijs tam parũ ſanè iudicauerit vtq; iſtos libros cõtra Iouinianum, cum ſæpè obijciantur, omnes intelligãt, quo loco ſint habẽdi. Nec ego primꝰ hęc in Hieronymo ſugillaui: ſed Eraſmꝰ alioqui eius maximꝰ admirator notauit. Quòd ſi aduerſarij noſtri libris ijs tantũ fidei cenſent adhibendum, cur ei non credunt, quando in ſecundo libro eſum carniũ, & vini potum propemodum omnibus ſynceris & pijs Chriſtianis admiſit? Cur etiam illi non parent, quando in epiſtola ad Nepotianum ſcribit, clericis non licere diuitias, opeſúe vllas poſsidere? non aurum, nõ argentum non amplam ſuppellectilem? Certè hodie noſtri epiſcopi atque ſacrifici comedunt affatim carnes, bibunt pretioſiſsima vina, ſunt ditiſsimi, ac ceu ſatrapæ auro gemmisq; fulgẽt, ac ſupellectile propemodum regia ſunt inſtructi. Quòd ſi putant ſibi licere in ijs authoritatẽ illius repudiare, nobis etiam concedant, vt de nuptijs clericorum illum non ſequamur. Contra Heluidium quoque & in Epiſtola ad Gerõtiam de monogamia ſimiliter ſcripſit, & nuptijs atque cõiugatis valde fuit iniquus. Verũ de illo iam ſatis: vnde ad Auguſtinum veniendum cenſeo. Multa ſanè ille habet: ſed vt ordine quodam agatur primùm oſtendam, quæ de votis Chriſtianis in genere ſcripſerit: Secundo quidnã tradiderit de votis huiuſmodi, nimirũ virginitatis, aut cœlibatus, poſtremo verò loco adijciã quę ſcripſerit de matrimonijs, quę ſequũtur iſta vota. & quo ad primũ in Pſal. 75. ſcribẽs, Vota Chriſtianorũ ſic partitur, vt quędam faciat omnibus communia, nõnulla verò priuata. Cõmunia ſunt fides, ſpes innocentia vitæ, vt nõ occidamus, non furemur, atque conſimilia. Priuata ſunt vt propoſitũ caſtitatis, ieiunia deſtinatio propriæ domus ad hoſpitalitatẽ. In octogeſimum verò primũ Pſal. inquit nos id propriè debere vouere Deo, vt ſimus eius templũ, neq; poſſe quippiã gratius ei fieri, quam ſi dixerimꝰ cũ Eſaia, Poſside nos. Homilia deinde tertia in feſto Natiuitatis quædam vota numerat inania & parui põderis: Vt cum Deo nonnulli vouẽt oleũ, cereos, ieiunium, vel aliquid huiuſmodi: & percunctatur, quòd nam ſit votum Deo acceptiſsimum: atque reſpondet, illud eſſe optimũ, atq; præſtantiſsimũ, quo illi vouemus id, quod ipſe redemit, nempe nos ipſos, & animos noſtros. Et de hac eadem re agens ad Armentariũ Ripariũ, inquit, *Deo ſeipsũ debet homo, eiq; reddendꝰ eſt, vt beatꝰ ſit, à quo accepit vt ſit. Deinde ſententiã hãc ex eo probat, quod iußerit Dominꝰ reddi Deo, quæ ſunt Dei vt Cæſari quæ ſũt eiꝰ reddẽda ſũt.* Moneta eò debuit reddi Cæſari, quia eius imaginem habuit: & quiſq; noſtrũ, cum ad imaginẽ Dei factus ſit, illam Deo reſtituat oportet. *Quanto magis inquit* Auguſtinus *imago reddenda eſt, cum promittitur? cũ etiam non promiſſa illi debeatur?* Idem in Pſal. 115. illud exponens, *Vota mea Domino reddam, Quæ vota*, inquit, *redditurus es? quas uouiſti victimas? quæ incenſa? An illud reſpicis, quod paulò ante dixiſti, Calicem ſalutaris accipiam, & nomẽ Domini inuocabo?* Et per calicẽ ſalutis intelligit fortem aduerſorum pro nomine Domini tolerantiam. Ille calix eſt, de quo Chriſtꝰ Apoſtolos interrogabat, dicẽs: *Poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum?* addit & ſacrificium laudis, quod inuocando nomẽ Domini offerimus: hæc vota ſunt Chriſtianiſmi. Præterea in Pſal. 55. exponens hæc verba, *In me ſunt vota mea quæ reddã laudes tibi*: inquit, *Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Quid vouetis? quid reddatis? An fortè animalia illa quæ offerebantur ad aras aliquando? nil tale offeras: in te eſt, quod voueas & reddas. De cordis arca profer laudis incenſum: de altario bonæ conſcientiæ profer ſacrificiũ fidei: quicquid profers, accende charitate.* Nec diuerſa ſcripſit in Pſal. 50. *In me ſunt vota mea, quæ reddam laudes tibi, noli*, inquit, *extrinſecus, quod macter, pecus requirere. Habes in te quod occidas, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, &c.* Hæc omnia quæ Auguſtinus de votis Chriſtianorum in vniuerſum ſcribit, pia quidem ſunt, attamen ſi quis de voto propriè loquatur, nõ poſſunt recipi. Omnes enim qui de votis aliquid ſtatuunt, volunt ea tantum nuncupanda ijs de rebus, quæ alioqui non ſint debitæ. At omnia quæ Auguſtinꝰ commemorauit præceptis diuinis comprehenduntur. Quis enim eſt cui non ſit mandatum, vt Deo credat? illi fidat? & ex charitate agat? Omnes præterea ſeipſos, & quicquid ſunt, ac poſſunt Deo debent offerre, mortificatio quoque affectuum carnalium, & gratiarum actio, & inuocatio nominis diuini iuſſu Dei omnibꝰ eſt præcepta. Quamobrem vota iſta quæ ſic ab Auguſtino prædicantur, vt omnibus Chriſtianis communia, ſi propriè loquamur, vota non ſunt, verùm animi firma propoſita & ſancta decreta poſſunt appellari. Secundo loco ſcribit de virginitatis aut cœlibatus voto. Illud autem, vt animaduerto, triplex ab eo commemoratur. Nam vel eſt virginum, hoc eſt, illarum quæ nõdum matrimonium contraxerunt, vel eſt coniugum, qui mutuo conſenſu vouerint continẽtiam, vel viduarum, quæ poſt coniugis obitum ex voto nuptias non repetere deſtinarint. Hæc omnia votorum genera vult Auguſtinus & firma & valida eſſe, ita vt grauiſsimè peccent, qui poſt ea nuncupata, matrimonia contraxerint: ita vt in libro primo de adulterinis coniugijs ad Pollentium capite 24. affirmet eum, qui vouerit aut virginitatem, aut continentiam, non debere vxorẽ ducere, quamuis, cum ſit infidelis, ad Chriſtum ſe promittat acceſſuram: quia non ſunt unquam mala committenda, vt bona eueniant. Et idem Pater in Pſal. 83. de ſanctimoniali pronuntiat, ſi nupſerit Chriſti adultera reputabitur. Et in libro de Bono viduitatis, ait lapſus huiuſmodi eſſe grauiores adulterijs. Vnde in epiſtola ad Armentarium Riparium, adhortatur illum virum multis modis, vt continentiã, quàm vna cũ vxore vouerat, præſtet: & inter cætera inquit: Iam vouiſti, iam te obſtrinxiſti, aliter facere non licet. Néue propterea

ptereà ademptam libertatem quoquo modo testaretur, addit: *Non est gratulanda libertas, quæ sit vt non debeatur, quod cum lucro reddatur.* Atque subiungit, *felix necessitas, quæ ad meliora compellit.* Ista vir Dei scribit, vt homo deceptus: nam, vt de postremis ijs sententijs, quod est, dicam, necessitas ista frequentissimè non ad meliora, sed ad fœdissima compellit. Neque necessitas est, quam nobis ipse Deus immittat, sed quam homines temere sibi accersant. Et libertas quâ Deus hominib. concessit non est abijcienda. Illud etiam non omittam, Augustinum arbitratum esse, viduas illas, de quibus Paulus in epistola priori ad Timotheum agit, quæ cum lasciuierunt in Christum & nubere velint, damnationem habent, continentiâ vouisse. Quę interpretatio vt non sit necessaria superius luculenter ostendi. Credit etiam vt in libro de sancta virginitate circa initiũ testatur, Beatam Mariam Domini matrẽ virginitatem vouisse, atque illa de causa dixisse, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Istud, verò q̃ sit absurdũ facilè omnes intelligunt. Primũ ea ætate inter Iudæos ea vota non fuerunt: deinde matrimoniũ iam contraxerat: post illud contractũ continentiâ ei vouere non licuit. Et antea si vouisset, non potuisset iure vllo contrahere, nisi voluisset in tanta re ludere, ac sancta promissione sui corporis viro potestatem facere, quẽ postea nollet ad congressum admittere. Longè maioris fuisse candoris matrem Domini credimus, quàm vt voluerit quippiam sanctè promisisse, quod in animo non haberet re vera præstare, Quæ hactenus allata sunt ex Augustino, salua eius dignitate ac reuerentia, vt sæpius anteà demonstraui, sacris literis non consentiunt, Ideò cũ ad illam normam examinata non consistãt à nobis iure non recipiuntur. Illud tamen causæ nostræ haud parùm inseruit, quòd in lib. de Sancta virginitate cap. 40. & 41. scribit, dũ Pauli sententiâ adducit: *Velim omnes esse, sicut ego sum sed quisq; propriũ donũ habet alius quidẽ sic, alius verò sic: Quis ergo,* inquit, *donat istas? Quis distribuit propria vnicuiq; sicut vult? Nempe Deus, apud quem non est iniquitas: ac per hoc quâ ille æquitate faciat alios sic, & alios sic, homini nosse aut impossibile aut planè difficilè est.* His verbis ostendit, castitatis & matrimonij donũ Deum cuiq; distribuere, vt ipse vult, nõ ipsi volumus. Quod si credamus aduersarijs, est falsum & detestabile. Nã illi sentiunt, donũ castitatis aut cœlibatus esse omnib. cõmune, quasi habeant ipsum quicunque volunt, modo petant, & Deũ pro illo obtinendo precẽtur. Facillima esset ista causa, & nullo negotio cognosci posset, cur alios Deus sic faciat. Id autẽ Augustin. abstrusum facit, & impossibile, aut omnino difficile cognitu. Sed nunc ad tertium veniamus, nimirum quid iste Pater censuerit de matrimonijs, quę post ista vota cõtrahuntur. Primum ille ab ipsis omnes pios absterret, hortaturq; illos que vouerũt, ne se matrimonio implicẽt: quin & cõtractus huiusmodi pro grauib. habet peccatis. Illa tamẽ cõiugia si cõsequãtur, firma & ratã vult esse, nec rescindenda vllo modò existimat. Qua de re scribit 8. 9. 10. cap. libri de Bono viduitatis. *Aliquos quidẽ ait: aliter scripsisse,* nẽpè qui voluerint hęc nõ esse matrimonia, sed adulteria: quos ille ait, acutè quidem, sed non considerate dicere. Hoc ab illis ait, spectari: omnes qui nõ inire matrimoniũ pietatis ergô statuerint, illico maritum habere Christũ. Cumq; viuẽte cõiuge aliud matrimoniũ cõtrahi nõ possit, ita eos colligere: Christus amplius nõ moritur, & mors illi vltra nõ dominabitur: ergo, post votum, quo ille factus est vir vouentiũ, si nouę nuptię superinducãtur, non sunt legitimę, sed p adulterijs habebũtur: cum Christus qui erat sponsus adhuc superstes sit. Hoc inquit, si daretur, cõuinceremus facilè rem absurdissimã, nẽpè Christũ esse adulterũ. Quod vt blasphemũ est, ita nullo modo est admittendum. Res autẽ ita explicatur: Si pia mulier viro coniuncta marito assentiente vouẽat continẽtiã, iã tum ex istorũ sententia cũ Christo matrimoniũ inijt, idq; faciat adhuc priore viuo marito: ergo Christo iniuria, & quidẽ nõ vulgari afficietur, vt dicatur adulter, si vera sit istorũ ratio. Deinde nemo ignorat, omniũ cõsẽsu posteriores nuptias dignitate prioribꝰ cedere: sẽp. n. priores magis laudãtur & cõmẽdãtur. At si votũ in ipso matrimonio nũcupatũ aut altero cõiuge mortuo, nouum est cũ Christo coniugiũ, efficitur indignioré esse coniunctionẽ cum Christo, quã cũ defuncto marito. Verũ id ex eo, inquit, cõsequitur, quod isti nõ vidẽt, vxores etiã cũ suis viris in matrimonio sunt coniunctæ maritũ habere Christum non quidem carnalẽ, sed spiritualem. Nam spirituali coniunctione vir est Ecclesiæ, atque per illam omniũ eius membrorũ. Quiq; sic de istis coniugijs opinantur, quæ vota consequũtur, vt illa putent adulteria, non fiunt ea coalescere, sed rescinduntur. Vnde cum alter ex coniugibus comparẽ sibi videt ereptã matrimoniũ rursus contrahit: atq; id cum priore viuente vxore faciat, verũ committit adulterium. Sic autem concludit: *Quapropter non qui dẽ possum dicere, à proposito meliore lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non coniugia.* Quomodo verò Smythęꝰ & eius consimiles aduersus ista cauillentur, operæpretium est audire. Quoniam enim locum hunc de votis agendo non leuiter versi, quandoquidem est apertissimus contra eos, qui matrimonia post votum inita contendunt esse rescindenda, ideò in eo diluendo mirificè se torquet Smythęus. In quibus eius verbis si omnia vellem reprehendere illius errata, nimium proculdubio prolixus essem. Verùm illa tantummodo attingam quæ maioris videbuntur esse momenti. Et primùm quidẽ luculẽter mẽtitur, quòd ait, me negasse, Augustinũ sẽtire, Paulũ de voto loqui, cũ ad Timotheũ scribit, quasdã viduas velle nubere, atq; habere damnationẽ quòd primam fidẽ irritam fecerint. Id ego nunquã sum inficiatus vt qui probè nouerim quantũ Augustinus, votis huiusmodi tribuerit. Hoc solùm his verbis nitebar ostẽdere, à Patrib. has nũptias nõ fuisse habitas irritas. Vt autẽ Augustin. & cõplures alij sint hallucinati,

adeó multũ tribuẽdo votis, ex his verbis, q̃ supe-
ri⁹ allata sunt, facilè põt colligi. Dolet Smytheo
quòd August. verba, quib. pro ratis & firmis ha-
bet nuptias, quas post votũ aliqui contrahunt,
sæpius meis inculcauerim auditoribus, et inte-
rim tacuerim sententiam eiusdem, qua dicitur
interire, damnari, peccare eos, qui talia ineunt
coniugia. Qua in re tum iniustè queritur, tum
etiam mentitur. Mentitur quidem quòd tacue-
rim, quid August. iudicarit de illo nuptiarum
contracta. Dixi enim apertè illũ arbitrari pec-
catum intercedere. Putat enim grauem esse cul-
pam à voto deficere. Sed quantum hęc senten-
tia distet à vero, nunc non est demonstrãdum,
cùm id iam antea semel atque iterum declara-
tum fuerit. Sæpius fortasse quàm vellet Smy-
theus, alteram eius sententię partẽ repetij. Quod
factum ille iniustè accu at, cùm illud sit docto-
ris p̃cipuũ opus, diligenter & sæpius inculcare,
quę superstitiosi dissimulant, & celatũ maximè
cupiunt. Et si quis istius Aristarchi libellum ad
amussim expendat, eũ ter & quater eãdẽ rẽ faci-
lè inueniet repetijsse. Non possunt ista loca sa-
tis à nobis demonstrari, cùm à vestris tenebrio-
nibus omni, quo possunt, studio occultentur.
Nititur deinde causam ostendere, cur August.
dixerit, has nuptias non esse adulteria: ne scili-
cet Iuliana vidua quæ se voto obstrinxerat vi-
dualis continentiæ, ad quã hunc librũ scripsit,
existimaret secundas nuptias in crimen esse ver-
tendas, vel alias quaslibet esse malas. Vt ergo
illi eximeret opinionẽ impiam Cataphrygum,
qui censuerunt secundas nuptias impuras esse
& illicitas, hęc scripsit, néue amplecteretur hę-
resim Tatianorũ, Montanistarũ, & Manichęo-
rũ. Potuit fortasse hęc causa esse, quę August-
num in hãc disputationẽ deduxerit. Sed quòd
istã adducat rationẽ, quare putet Augustinus
nuptias ratas esse post votũ, omnino alienum
est: quandoquidem ille tres alias adducit ratio-
nes, vt verba eius apertè docent. Prima est, ne
Christus efficiatur adulter, si qua ei per votum
nupserit spiritualiter adhuc viuente viro, alte-
ra ne secundę nuptię putentur priores primis:
tertia, ne si hęc matrimonia rescindantur, alter
cõiunx, qui nõ vouit ducat alterã vxorẽ, priore
adhuc superstite. Hæc ego recẽsui ex 10. cap. &
tu tres ibi has rationes inuenies. Adhæc si Iulia-
næ, vt ipse affirmas, voluit persuadere, ne ex-
istimaret secundas nuptias, aut vllas quasli-
libet esse malas, cùm postea istarum disertè mẽ-
tionem faciat, & has quoq; voluit ei ostendere
nõ esse malas, licet peccatũ in eo iudicet, quòd
voti promissione violata, matrimoniũ cõtraha-
tur. Nuptias tamẽ ipsas, quæ post votũ ineũtur
veras & bonas esse probat. Alioqui si, quod ait,
non est verum, et malæ sunt istæ nuptię, & re-
scindẽdę vt vultis, August per mẽdaciũ, & qui-
dem pernitiosum atq; pestiferũ suaderet Iulia-
næ, vt hæresim euitaret Optio datur tibi, vtrũ
vis elige. Aut verum aut falsum Augustinus di-
cit. Si verum quid me calumniaris, qui eius in
hoc vtor testimonio? Sin falsum, quorsum mi-
hi authoritatem Patrũ obtrudis? quos cùm vi-
sum fuerit, vel ex re tua iudicaueris, falsa dixis-
se insimulas, vt vera probent. Licebit igitur mẽ-
tiri, & quidem perniciosè, vt verũ probes. Vbi
ergo erit illa tua regula qua contra Epiphan. su-
pe ius vtebaris, non esse faciẽda mala, quemad
modum dicit Apost vt euenĩãt bona? Et si hoc
non est verum, ista nempe matrimonia post vo-
tum inita esse rata & legitima, cur hodie sic est
vulgò vsurpatum & à theologis sententiarijs
& à iure pontificio? Hoc idem illi dicunt, quod
August. dixit. Quanquam suffugium inuene-
runt, vt distinguant votum solemne à simplici:
& in simplici voto sententiam hanc solùm ha-
bere locum definiant. Sed ista votorum distri-
butio, quãtum apud Deum valeat, qui vbique
est, & omnia videt, atque audit, siue priuatim si-
ue publicè solennitérue agantur, ipsi viderint:
quos etiam demonstrabo infra suo loco non si
bi constare de voto solenni, quod hominem
prorsus inhabilem reddat ad contrahendum.
Hoc autem verè dicere possum extra te nemi-
nem vnquam audiuisse, qui diceret hoc, Au-
gustinum mentitum esse, vt ab hæresi tueretur
Iulianam, ad quam scribebat. Tu verò quanto
periculo, quantaque temeritate hoc affirmes,
alijs pijs viris excutiendum relinquo. Ais Au-
gustinum nunquam hoc fuisse dicturum, nisi
incidisset aliquid graue, & quod è re illi⁹ viduæ
maximè fuisset. Quis te hoc quæso docuit in
dogmatis mentiendum esse ob aliquam con-
uincendam aliam hæresim. Hieronymũ affers
pro exemplo, qui fuerit iniquus nuptijs, & tan
tùm illas non damnarit, cum in Iouinianum &
Heluidium scribit, & laudat virginitatem. Tũ
Augustinum, qui reijcere videtur liberum arbi
trium, cum pro gratia Dei contra Pelagianos
dimicat: vt idem parum gratiæ videtur tribue-
re, cùm liberum arbitrium asserit contra Ma-
nich. Vnde id etiam consilij tibi videtur secu-
tus, cùm ait nuptias obstrictorum votis veras
esse nuptias. Hìc velim Smythæe, vt aliquantu-
lum inter nos hac sepositа disputatione, ratio-
cinemur. Si Patres dederimus ita lubricè, vt di-
cere videris, et scribere & disputare, præsertim
cùm de dogmatibus in certamen venitur, vt e-
tiam quæ non sunt vera, p se adducant, & quæ
alioqui negarent: quomodo illos posimus, vt
vos fieri vultis, habere pro sacra ancora? Et si
scripturas, vt superius dicebas, ad amussim il-
lorum debemus exigere, vbi tandem erimus?
Certè semper timebimus ne mentiantur, ad ali-
quid fortasse, quod vtile duxerint persuadẽdũ.
Cur mihi semper occinis cedendum esse Patri-
bus? Certè Smythæe charissime, patere etiam
te vrgeri, vt dictis Augustini deferas. Quòd si
ab eo vis descisсere isto colore, quòd mentia-
tur, vt aliquid veri suadeat, mihi quoque non
deerũt colores, quo Patrum authoritatem de-
trectem. Et vt scias, quando ego illorum iudi-
cium repudio, non istis vtor fictionibus, sed cã
didè atq; apertè illos erasse dico, quòd essent
homines: & id probo, non fucis & rhetorum
schematib⁹, sed quod verbo Dei, hoc est, sacris
literis aduersentur. Quare desinas obsecro te,

posthac

posthac talia confingere, neque illos tam offici A
ose mẽtiri facias. Certè quod affers de Hieron.
paulò antè demõstraui, quàm in hac re nuptia-
ria errauerit: quem tãtùm abest, vt dicam excu-
sandum, vt eũ grauiter in eo dogmate peccasse
non dubitẽ. Augustꝰ verò contra Pelagianos, ni
hil vnquã dixisse legi de libero arbitrio quod
non sit verisimũ & dignũ ęterna memoria. Dũ
enim salutem nostrã totã gratię dei per Christũ
scribit, & libero arbitrio tantũ dare nõ vult, vt
seipsũ valeat regenerare, & instaurare, & à pec- B
catis educere, & sẽtit optimè, & scribit Christia
nis literis maximè consona. De libero aũt idem
arbitrio loquitur in Manichæos, iuxta illa quæ
habuit à sua prima cõditione. Fuit enim à bono
Deo creatus homo, nõ à malo, vt Manichęi fin
xerant. Nõ autẽ de libero arbitrio in illis libris
cõtra Manichęos loquitur iuxta corruptionem
quæ postea fuit per peccatũ inuecta. Et ne ista
putes à me somniari, eũdẽ Augustꝰ legas in Re-
tract. Sed videor mihi satis videre, quid te in C
hunc errorẽ induxerit. Cũ in sophisticis iã inde
à pueritia consenueris, & illa pro summo arti-
ficio doceant, ex falsis vera colligere, tuo pede
Augustinũ & alios cãdidos viros metiris, quã-
si & ipsi, cũ ex re præsenti esse viderint, nihil ve
riti sint mẽtiri. Quòd verò Augustꝰ dicat in psal
83. Virginẽ sanctimonialem, si nupserit adulte-
ram reputari, nihil cum his pugnat, quę modò
scribit. Hìc enim dicit, nõ esse adulterã in ipso
matrimonio contracto post votum, sed non ne- D
gat videri, cùm narret, aliquos ita sentire, ac i-
deo iudicare illas nuptias non esse ratas, sed po
tius adulteria dicenda. Hìc rem excutit, et do-
gma definit: in cõciones sup psal. ostẽdit quid
à multis reputetur. Tantũ ista inter se pugnant
quantum si dicerem Smythæi argumenta nul-
lius momenti sunt, licet ab aliquibus ignaris &
superstitiosis reputentur firma. Ad me deniq;
parũ attinet, quid tu cum Erasmo certes doctis.
viro & omnino velis hunc librũ de Bono vi- E
duitatis Augustino asserere. Quoniam si vice-
ris, adhuc maius robur acesserit ad nostrã sentẽ
tiã. Hoc tamẽ video rationes tuas contra Eras.
tam esse leues, vt eas ille vir, si esset superstes vel
minimò digitulo eruditionis suę incomparabi
lis, facilè fuerit, vt aranearũ telas disiecturus. I-
dem Augustꝰ epist. 70. quã ad Bonifacium co-
mitẽ scripsit, cuiusq; pars in decretis habetur
17. q. 2. ca. Nos nouim⁹. Ostẽdit comitẽ hũc qui
reipub. Rom. in Aphrica negotia gerebat, pro- F
uinciã illã sua militia defendendo à Barbaris,
post obitum prioris vxoris in animo habuisse
monasteriũ ingredi, et monachus abdicare se
mundanis curis, neq; amplius implicari coniu
gio. Qua de re ita loquitur Augustꝰ. *Nos nouimus,*
nos testes sumus, quod nobiscum apud Tubunas de ani
mo & voluntate tua fueris collocutus. Soli tetum era-
mus, ego & frater Alipius. Nõ. n. existimo tantũ valuis
se terrenas curas, quib. impletus es, vt hoc de memoria
tua penitus delere potuerint. Nępe omnes actus publi-
cos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, et te in
otium sanctũ conferre, atq; in ea vita viuere, in qua ser
ui Dei monachi viuunt. Vt autem nõ faceres, quid te re-
uocauit, nisi quia cõsideraſti ostendentib. nobis, quantũ
prodesset Christi Ecclesijs, quod agebas. si ea sola inten-
tione ageres, vt defensæ ab infestationib. barbarorũ quie-
tã & tranquillam vitam agerent, sicut dicit Apostolus
in omni pietate, & castitate. Tu autẽ ex hoc mundo ni
hil quæreres, nisi quæ necessaria essent huic vitæ susten-
tandæ tuæ, ac tuorũ, accinctus baltheo castissimæ conti-
nentiæ, et inter arma corporalia spiritualib. armis tuti⁹
fortiusq; munitus. Cùm ergo te esse in hoc proposito gau-
deremus, nauigasti, vxorẽq; duxisti. Sed nauigasse obe-
dientiæ fuit, quam secundũ apostolũ debebas sublimio-
ribus potestatibus. Vxorẽ autem non duxisses, nisi susce-
ptam deserens continentiam cõcupiscentia victus esses.
Quod ego cũ cõperissem, fateor, miratus obstupui, &c.
Hæc indicant duo sibi proposuisse comitem:
nempe continentiæ obseruationem, & mona-
sticam vitam. Ab altero istorũ nempe à mona-
chismo illum Augustꝰ. & Alipius reuocarũt, exi-
stimantes ipsum plus militia Christi eccleſijs
profuturum, quàm in monasterio. Quorũ con
silijs ille acquieuit, atque tantùm continentiæ
votum amplexus est, quod tamẽ postea supera
tus cupiditate violauit. Atque votum hìc inter
uenisse, non ego fingo, sed Augustini verba par
tim adducta, partim adducenda indicãt: & glos
sa decretorum loco paulò antè citato expresis
verbis affirmat: quamuis fuisse votum simplex
testetur. Vt verò matrimonium quod secutum
est votum, firmum ratumq; oportuerit mane-
re, hæc quæ adiecit Augustinus demonstrant,
Si enim coniugem nõ haberes, dicerem tibi quod & tri-
buno diximus, vt in sanctitate continentiæ viueres: ad
derem, quod tunc fieri prohibuimus, vt iam te quantum
rerum humanarum salua pace potuisses, à rebus bellicis
abstraheres, & ei vitæ vacares in societate sanctorum,
cui tunc vacare cupiebas. Sed vt te ad istam vitam non
exhorter, coniunx impedimento est. sine cuius consen-
sione continenter tibi non licet viuere. Quia etsi tu eã
post illa tua verba Tubunensia ducere non debebas. il-
la tibi tamẽ nihil eorũ sciens innocenter & simpliciter
nupsit. Atq; vtinã posses ei persuadere cõtinentiã, vt si-
ne impedimento redderes Deo, quod te debere cognoscis.
Sed si cũ illa agere non potes, serua saltem pudicitiam
coniugalẽ: & roga Deũ, qui te è necessitatibus eruit, vt
quod nõ potes modò, possis aliquando, &c. Ex his mani
festè colligitur comitẽ istũ vouisse. Dicit enim
Augustꝰ. vt citauimus, quia *etsi tu eã post illa tua*
verba Tubunẽsia ducere nõ debebas. &c. Et mox: *Vt*
sine impedimẽto redderes Deo, quod te debere cognoscis,
&c. Hæc duo loca votũ hìc interuenisse luculẽ
ter ostẽdũt. Post quod iã editũ Augustꝰ vult ma
trimoniũ, quod subsequutũ est, integrũ & fir-
mũ permanere. Ac de illo satis iã egimus. Leo-
nẽ eius nominis primũ iã libet audire. Is epist.
87. vtq; habetur in lib. Concil. 65. ita scribit. *Di-*
cente enim apostolo, vt inter alias Christianismi regu-
las is episcopus ordinetur, quẽ vnius vxoris virũ fuisse,
aut esse constaret, tam sacra semper habita est ista præ-
ceptio, vt iã de muliere sacerdotis eligẽda eadẽ intelliga
tur seruãda conditio: ne fortè illa priusquã in matrimo-
niũ eius veniret, qui aliã non habuisset vxorẽ, alterius
viri esset experta coniugium. Quis igitur dissimulare
audeat, quod in tanti sacramẽti perpetratur iniuriam?
cùm huic magno venerãdoq; mysterio, ne diuinæ quidẽ

legis ſtatuta defuerint, quibus euidenter eſt definitum vt virginē ſacerdos accipiat: & alterius thorum neſciat coniugis, quæ vxor eſt futura pontificis. Ex hac Leonis decretali epiſtola, vt vocant, duo videntur colligi. Primùm poſſe eum, qui adhuc maritus ſit, in epiſcopum eligi: quoniam dicit: Quē vnius vxoris virū fuiſſe aut eſſe conſtiterit. Hęc indicant ſententia eius poſſe eligi tam illum, qui ſit, quàm illum, qui fuerit vnius vxoris vir. Alterum eſt, ordinatum poſſe contrahere matrimonium non quidem alterum, vt fiat digamus: neque cum ea quæ alterū virū habuerit: ſed cum virgine. Nam dicit, *Vt etiā de muliere ſacerdotis eligenda eadem intelligatur ſeruanda conditio,* Nunc ad Gregoriū epiſcopū Rom. eius nominis primū. Is ſcribēs ad Petrū ſubdiaconū Siciliæ, inquit, *Ante trienniū omnium eccleſiarum ſubdiaconi Siciliæ prohibiti fuerunt, vt more Romanæ eccleſiæ, ſuis vxorib. nullatenus miſcerētur, quod mihi durū atq; impiū videtur, vt qui vſum cōtinentiæ non inuenit, neque caſtitatē promiſit, cōpellatur à ſua vxore ſeparari, atque p hoc, quod abſit, in deteriꝰ cadat. Inde videtur mihi, vt à præſēti die omnib. epiſcopis dicatur, vt nullū facere ſubdiaconū præſumant, niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit. Quatenus & præterita mala, quæ propoſito mētis appetita non ſunt, violenter non exigātur, et futura mala cautè caueātur. Qui verò poſt eandem prohibitionem, quæ ante trienniū facta eſt, cōtinenter cū ſuis vxorib. vixerint, laudādi, atq; remunerādi ſunt, et vt in bono p maneāt exhortādi. Eos aūt qui poſt ꝓhibitionē factā à ſuis ſe vxorib. cōtinere voluerint, ad ſacrū ordinē volumꝰ ꝓmoueri. Quia nulli ad altaris debet miniſteriū accedere, niſi cuiꝰ caſtitas ante ſubſceptū miniſteriū fuerit approbata.* Hęc etiā habētur in decretis diſt. 3. vn de multa licet intelligere. Videmꝰ initio quomodo de cœlibatu leges obrepſerint, quoad ſubdiaconis p Pelagiū, qui pręceſſit Gregoriū, pręceptū fuit in Sicilia, vt ſuis vxorib. quas iā habebant, non miſcerentur. Quid erit facere contra Nycenam ſynodum, niſi hoc fuerit? Ibi noluerunt, ſeparari miniſtros ab vſu & cōmercio ſuarum vxorū: iſti præcipiunt, vt ſeparentur. Vide interea non fuiſſe votū coniunctū cū ſacro ordine. Dicit enim Gregorius, Qui vſum continentiæ non inuenit, neque caſtitatē promiſit. Notandum etiam eſt à Romana Eccleſia, & ab eius cùm præcepto tum exemplo iſtam tyrannidē dimanaſſe. Nā hîc ſcribitur: vt more Rom. Eccleſiæ. Nō enim orientalis aut græca Eccleſia hunc morem habuit, vt infrà docebo. Poſtremò Greg. licet admodū ſupſtitioſus, videbat hoc durū eſſe & alienū à pietate, & prout potuit, nitebatur moderari. Sed tum propter edita decreta & Canones nō tantum fortaſſe potuit quantùm voluiſſet. Ex quo & compluribus alijs Patrib. permulta poſſent adhuc adduci: ſed quia prolixitatis ratio habēda eſt, ideo à Patrib. iā diſcedemus, et ex Concilijs nonnulla deligemus, quæ ad præſentem controuerſiam facere viſa fuerint. Et in hoc ſcriptorum genere, primum dabimus locū Canonib. apoſtolorum: non ſanè quòd eorū autoritas firma ſit: permulta enim ibi ſcribūtur, quæ rationib. illorū temporū parū congruunt. Et de numero illorū non eſt eadem omniū ſententia. Sed vt aduerſarijs gratificer, ab ipſis inchoabo: quandoquidē illi huiuſmodi Canonib. nihil nō tribunt. Proinde in 6. Canone ſic ſtatuitur: Epiſcopus, aut preſbyter aut diaconus vxorē ſuā prætextu religionis nō abijcito: ſi abijcit, ſegregator à communione: ſi perſeuerat, deponitor. Illo Canone prohibentur miniſtri Eccleſiæ deſerere vxores: tantùm abeſt, vt matrimonia eiuſmodi cen damnata ſint reſcindenda. Sed operæ precium eſt videre quomodo huic loco adeò perſpicuo fucum faciant in decretis Gratiani diſt. 3. cap. Omnino, autoritate Leonis noni: vbi exponūt, vxorē nō abijciendam, nimirum à cura ſua: nam ei debetur & victus, & veſtimentum: non tamen ita vt illi de more cōmiſceantur. Quàm ridicula hæc ſit interpretatio, & à germano ſenſu aliena Canon ipſe patefacit: in quo ſcribitur: Prætextu religionis. *Vitiabatúrne cultus Dei, imminuebatúrue religio largiendo egenti vxori victum & veſtitum? Non, arbitror. Nam iſta iubemur vel extraneis dare ſi opus habuerint. Illos potius corrigit hæc lex, qui putabant religionē haud poſſe ferre, vt miniſter Eccleſiæ vxore vteretur, & hoc prætextu ab illarum conſuetudine abſtinebāt.* Can. 39. *manifeſtæ ſunto res epiſcopi, ſi modò et priuatas habet, manifeſtæ etiam ſunto dominicæ, vt priuatas quidē res epiſcopus cùm moritur, quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat: neque occaſione eccleſiaſticarū rerum intercidat res epiſcopi: qui nōnunquam vxorem, & liberos, & cognatos, & ſeruos habet,* &c. Demonſtrat hic locus quàm apertiſsimè, licuiſſe epiſcopis vxorē habere ſecum vel vſque ad mortem, cùm teſtamē tum faciendum fuit. In concilio Ancyrano Canone decimo, ita ſcribitur: *Diaconiq; cùm ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, dicentes velle ſe habere vxores, nec poſſe continere, hi poſtea ſi ad nuptias venerint, maneāt in miniſterio, propterea quòd epiſcopus eis licentiā dederit,* &c. Duo ſunt quæ hîc præcipuè annotamus: vnū excuſationē hâc admitti, quòd non poſsint continere, quā hodie noſtri aduerſarij tantopere auerſantur: Qui dicunt in manu cuiuſuis poſitum eſſe, vt contineat: qua in re, ſi cum eis feciſſent veteres epiſcopi, vtiq; ſic proteſtantibus dixiſſent: quid cauillamini vos non poſſe? petite à Deo continentiam: ieiunetis, conemini, & ſuccedet: in vobis eſt ſitum: quare deſinite ſic proteſtari. Alterum annotatione dignum eſt, epiſcopum dici licentiam ſic proteſtantibus dediſſe. Quod indicat, ſacrum ordinem cū cœlibatu non eſſe neceſſariò coniunctum. Quamobrē in ſua facultate habet Eccleſia, vt vinculū huiuſmodi relaxet. Et decimonono Canone eius concilij ſic ſcribitur: *Quot quot virginitatē pollicitam prænaricati ſunt profeſſione contempta, inter digamos,* id eſt qui ad ſecundas nuptias tranſierunt, haberi debebunt, & cætera. Hi alia pœna, qui votū caſtitatis violarunt, non afficiuntur, niſi quòd loco digamorum habiti ad Eccleſiaſticas functiones non ordinabantur. Non tamen vlla mentio fit contracti matrimonij reſcindendi. Neocæſarienſe verò concilium cap. 1. ſic habet: *Preſbyter, ſi vxorē duxerit, ab ordine ſuo deponatur: quòd ſi fornicatus fuerit*

rit vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abijci debet, & ad pœnitentiã redigi, & cætera Aduersus hunc canonem rectà Papistæ faciunt: quoniã sacrificos vel adulterantes, vel scortãtes, ne deponunt quidem: eos verò qui vxores duxerint non modò ab Ecclesia eijciunt, sed etiam crudeliter occidunt. Hanc veterum Canonum rationem habent. Quid verò in Nicena synodo acciderit, repetere multis non oportet. Norũt quippe omnes, Paphnutium virum sanctissimum, & alioqui cœlibem, ibi prædicasse, nuptias in omnib. honorabiles, atq; dixisse, cõsuetudinẽ sacerdotum cum vxorib. castitatẽ esse: neque cõmittendum, vt ministri à coniugibus diuellerẽtur, nisi vellent omnia impleri scortationibus: quod modò experimur euenisse, quando sentẽtia huius viri Dei contempta est & abiecta. Cõcilium Gangrense, Canone primo fulmine anathematis eos ferit, qui nuptias damnauerint: & Canone quarto, *illos qui discernunt presbyterum coniugatũ, tanquam occasione nuptiarũ, quod offerre nõ debeat, et ab eius oblatione se abstinet*, & cætera. Hic locus demonstrat, sermonem fieri de presbytero qui cum vxore sua adhuc versaretur. Nam si eam abdicasset à se, iam causa nulla erat, cur propter nuptias ministerium eius euitaretur. Canone item decimosexto statuitur. *Quicunque filij à parentib. prætextu diuini cultus abscedũt, præsertim si fideles eos habuerint, neq; illis debitã reuerentiã præstant, anathema sint*. Cur huius concilij vocẽ nõ audiunt monachi horũ temporum? qui filios à Christianis parentibus abstrahũt, & eos ipsis inuitis ad monasticam professionem admittũt. Canone quoq; 9. & 10. illi anathema iudicantur qui virginitatẽ vel cõtinẽtiã professi, vel nuptias abominabiles habeãt, vel in coniugio positos vituperauerint per arrogãtiã. Et mox Canone 12. *Is habetur anathema, qui putauerit sancto p̃posito continentiæ conuenire, vt pallio vtatur, tanquã ex eo iustitiã habiturus, et reprehendat, vel iudicet alios, qui cum reuerentia birrhis vtuntur, & alia veste cõmuni quæ in vsu fuerit.* Aduersatur Canon monachis, qui cucullæ vestitum sanctum præ cæteris existimanti ita vt nonnullis persuadeant, vt defuncti saltem cum sua cuculla humẽtur: quasi habitus monachũ faciat, vel ad tribunal Dei veste mutata non sint agnoscendi. Concilium Chalcedonense Can. 6. virgines Deo dicatas & monachos ꝓhibet nuptias cõtrahere: quod si fecerint, maneant excommunicati: quam tamen seueritatem concedit illud concilium, vt episcopus queat mitigare. Atque hucusq; matrimonia huiusmodi non sunt rescissa. In Carthagin. autem concilio Canone 2. manifestè decretum fuit contra sententiam Paphnutij, quã synodus Nicena secuta est. Voluerunt enim Patres illius concilij, vt episcopi, presbyteri, & diaconi omnino ab vxorib. abstinerent. Quod decretum autorem habuit, vel Aurelium episcopum Chartaginen. vel, vt in quadam glossa ibi notatur, Faustinum episcopum Ecclesiæ potentinæ prouincię Piceni, legatum Ecclesię Romanę. Nec mirum tale decretũ in eo concilio sancitũ quũ habitum sit, vt ex temporum supputatione licet colligere, Siricij episcopi Romani ætate. Concilio deinde Carthaginensi tertio, in quo & Augustinus adfuit, decretum factum est parum admodum piũ, & diuinis literis minimè cõgruum. Sic enim habetur 19. Canone. *Placuit, vt lectores quum ad annos puberatis venerint, cogantur aut, vxores ducere aut continentiam profiteri.* Quis hîc non desideret Patrum istorum prudentiam? An qui pubes est, adolescẽs, inquam, vel quatuordecim vel sexdecim annorum. ad vxorem ducendam cogi debet? & si noluerit, adigi ad continentiæ professionem? Nullus profectò ea ætate deprehendere potest, quas habeat vires, aut quàm efficax Dei donum in ipso futurum sit. Deinde quum ista genera vitæ libera esse oporteat, iã sub necessitate collocantur. Conciliũ 2. Arelatẽ. Canone 2. ita sanxit, assumi aliquẽ ad sacerdotium nõ posse in vinculo coniugij cõstitutũ, nisi fuerit ꝓmissa cõuersio: His ẽt verbis nõ leuis iniuria fit nuptijs quãdoquidem phrasi scripturarum & Ecclesiastica, conuersio, quando in bonam partem sumitur, non est nisi à pecato. Quare videtur hoc decretum innuere matrimonium peccatum esse. Concilium Toletanũ 1. Canone 1. hac de re ita statuit: *Placuit, vt diaconi, si vel integri vel casti sint et continentis vitæ, etiam si vxores habeant, in ministerio cõstituantur. Ita tamen vt si qui etiam ante interdictum quod per priores ante nos episcopos constitutum est, incontinenter cum vxoribus vixerint, presbyterij honore non cumulentur: si quis verò ex presbyteris anto interdictum filios suos susceperit, de presbyterio ad episcopatũ non admittatur.* Duo ex isto decreto colligũtur: primum, interdictum coniugij vsum diaconis aut presbyteris non multo antea præcessisse: alterum, eos qui vsi fuissent coniugio, præsertim ante illud interdictum, non fuisse à munere suo deiectos, Sed tantũ cauebatur, ne ad eminẽtiores gradus promouerentur. Sed post hæc videamus, quàm varia & pugnantia tradantur in Cõcilijs de ætate velandarum virginum. In synodo Chalcedonẽsi canone 15. sic scribitur: *Diaconissam non ordinandã ante quadraginta annos, & hoc cum diligenti probatione faciendum statuimus.* Iam apertè disceditur ab Apostolo, qui epistola ad Timotheum priore non vult admitti nisi sexagenariam. Cæsaraugustanum verò Concilium Canon 8. decernit nõ velandas virgines quæ se Deo vouerunt, nisi quadraginta annorum probata ætate, quam sacerdos comprobauerit. Sed Gratianus quę adduximus ex Chalced. Cõcilio 27. quæst. 1. cap. Diaconissa, recensuit: vbi glossa, quæ dicuntur, contrahit ad abbatissã: quod est innane commentum. Quoniam Cæsaraugustanum de virginibus hæc statuit: neque in alterutro istorum conciliorum mẽtio vlla fit abbatissæ. Sed concilia, vt à Paulo dissentiunt, ita etiam inter sese non congruunt. Nam in Carthaginen. 3. concilio decreto 4. sic habetur: *Itẽ placuit, vt ante 25. annos ætatis neque diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur &c.* Iam & à sexagenta & à quadraginta annorũ ætate deficiunt. Et adhuc in ista sententia non manent, quoniam in concilio Mileuitano Can. 26. sic est decretũ:

Concilium Laodicenum.

Concilium Gangren.

Concilium Arelaten.

Concilium Toletanũ.

De ætate velandarũ virginum

Synodus Chalcedonensis.

Concilium Cæsaraugustanum

Gratianus cum glossa

Concilium Carthaginense .3.

Concilium Mileuitanum.

Concilium Chalcedonense.

Concilium Carthagin.

Item placuit, vt quicunque episcoporũ necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cũ vel competitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiã mortis scrupulo periculoso cõpuncta fuerit ne non velata moriatur, aut exigentib. parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velauerit virginem, seu velauit intra vigintiquinq; annos ætatis, non ei obsit cõcilium quod de isto annorum numero constitutum est. Iam nec viginti quinque annos retinent, & res eò deuenit, vt adhuc puellæ ad consecrationes huiusmodi admittantur. Et ex ijs concilij verbis superstitio declaratur iam eo tempore inualuisse, vt in velo multum sãctitatis collocaretur, Quod maximè confirmat decretum Gelasij 14. quo sic statuit: *Deuotis quoque virginibus, nisi aut in Epiphaniarum die, aut in albis paschalibus, aut in Apostolorum natalitijs sacrum minimè velamen imponatur: nisi forsitan sicut de baptismate dictum est, graui languore correptis, ne sine hoc munere de seculo exeant, implorantibus non negetur.* Quis nõ videat, istos iam æquasse velũ hoc superstitiosum baptismo? Nec minꝰ est ridendum, quod iste idem Gelasius Cano. 15. sic scribit: *Viduas autem velare Pont. nullus attentet, quod nec authoritas diuina delegat, nec Canonũ forma præstituit &c.* Porrò si authoritas diuinarũ literarum spectetur, neque virgines velãdas esse vsquam poterit demonstrari. At non tantùm de annis pugna est inter concilia, sed etiã de matrimonio cõtracto à velatis virginibus, an sit retrũ virginũ scindendũ. Nam in Arelaten. Concil. 2. can. 33. hæc leguntur: *De puellis, quæ se vouerunt Deo, & præclari nominis decore floruerũt. si post viginti et quinque annos ætatis ad terrenas nuptias sponte transierint id custodiendum esse decreuimus, vt cum his, cum quibus se obligauerint cõmunione priuentur: ita vt eis postulantibus pœnitentia non negetur: cuius pœnitentiæ cõmunio multo tempore differatur.* At Innocentius primus in epist. 2. ca. 12. lõgè aliter videtur statuere. Sic. n. loquitur: *Item quæ Christo spiritualiter nubunt, et à sacerdote velantur, si postea vel nupserint publicè, et vel occultè corruptæ fuerint, nõ eas admittendas esse ad agendã pœnitentiam, nisi is cui se iunxerãt, de hac vita discesserit. Si. n. de omnib. hæc ratio custoditur, vt quæcunque, viuente viro nubat habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur nisi vnus ex eis defunctus fuerit, quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso coniunxerat? & postea ad humanas nuptias transire elegit?* Sed iste idẽ in 13. Canone de virgine lapsa, quæ velata non fuerit, aliquanto mitius loquitur, sic scribens: *Hæ verò quæ necdum sacro velamine tectæ tamen in proposito virginali semper se simulauerũt permanere, licet velatæ non fuerint. si fortè nupserint, hũ agenda aliquanto tempore pœnitentia est: quia sponsio earũ à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigerunt, solui sine vindicta nõ poterit? Nã si apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit, eas habere condẽnationẽ, quia primã fidẽ irritam fecerunt quanto potius virgines, quæ prioris promissionis fidẽ minimè seruauerũt? &c.* Hæc demõstrant liquidò superstitionẽ, quę inoleuit circa velũ virginũ dedicatarũ. Nã vtrinq; promissio intercedebat de virginitate seruanda, siue datũ siue nõ datum fuisset velum. Et tamẽ discrimen tantum ij Patres posuerunt. Ista docent, Innocentium suo illo decreto duodecimo epistolæ secundæ concilio Arelatens. quod paulò antè citauimus, repugnare. Nam illud, Virginibus quę post vigesimũ quintũ annũ, & idcirco velatis, nã ea ętate velũ dabatur, si nuptias contraxerint, pœnitentiã concedit, quã iste illis, vt audiuimus, negat. Esset profectò molestũ, & valde prolixũ, ex cõciljis & epistolis decretalib. pontificũ omnia referre, quæ circa istã quęstionẽ aut verbo Dei aduersantur aut absurda sunt & superstitiosa, aut inter sese quàm euidentissimè pugnãt. Quare Gratianũ in Decretis, quæ confarcinauit, quoad hoc negotiũ, aliquãtisper excutiã. Dist. 27. ca. Diaconꝰ Cùm retulisset Latinè decretũ, hęc adiecit: *Illi qui vxores habent, vel accipere volunt, nec diaconi, nec sacerdotes fieri possunt, nisi continentiã profiteantur. Si verò diaconus à ministerio cessare voluerit, contracto matrimonio, licitè potest vti. Nã etsi ordinatione sua castitatis votũ obtulerit, tamẽ tanta est vis in sacramẽto cõiugij, quòd nec ex violatione voti possit dissolui ipsum cõiugiũ.* Quã suã sentẽtiã canone sequente cõfirmat cuiꝰ verba sunt ex Augustꝰ. desũpta, et à nobis superius adducta: *Quidã nubentes post votũ asserunt adulteros esse: ego autem dico vobis, quòd grauiter peccant qui tales diuidunt.* Et idẽ habetur canone proximo, qui incipit, Si vir. Sed postea contraria statuũt Hieronymus, Nicolaus & Calistus. Quã pugnã Gratianus animaduertẽs, ad finẽ distinctionis adductæ scribit: *Hic distinguẽdũ est, quòd vouentiũ, alij sunt simpliciter vouẽtes, de quibus Augustinus & Theodorus loquuti sunt: alij sũt quibus post votũ benedictio accedit consecrationis vel propositũ religionis: de quib. Hieronymus, Nicolaus & Calist. scripserũt.* Hæc Gratianus. In quib. duo miror: primũ distinctionẽ hãc simplicis voti & solennis, quæ friuola est, illũ tanti facere: alterum, quòd pugnat secũ. Nã vt scribit in huius distinctionis initio, diaconꝰ, qui votũ solẽne citra cõtrouersiã edit, quũ ordinatur, matrimonio postea contracto licitè, potest vti, ꝓpter vim quã attribuit sacramẽto cõiugij. Atq; votum illud, quod in sua ordinatione ministri nũcupãt, esse solẽne, nõ tãtùm cõfirmare posũ theologorum scholasticorũ, de quib. postea suo loco scribã, authoritate, sed etiã verbis glossę, quę habẽtur in ista distinctione sup canone, Quidã. Verba eius hęc sũt: *Trib. modis votũ solẽnizari, vel ꝓ ordinẽ, vel ꝓ habitũ, vel ex eo ꝙ corã aliquib. testib. denouit se alicui religioni.* Ex ijs facilè apparet, quã Gratianꝰ parũ sibi cõstiterit. Distinctione aũt vigesimaoctaua, capite Prętera: ex authoritate cõcilij Arelatensis quarti sic scribitur: *Placuit vt deinceps nõ ordinẽtur diaconi cõiugati, nisi qui priꝰ cõuersionis ꝓposito ꝓfessi fuerint castitatẽ, &* cętera. Duo hic notãda occurrũt: vnũ est, quòd ait deinceps nõ placere, vt ordinẽtur cõiugati absq; ꝓfessione castitatis quod indicat, ante hoc decretũ factũ id licuisse. alterũ est, contumeliã nuptiarũ canone isto aptè cõtineri, quũ dicatur, nisi cõuersionis ꝓposito castitatẽ prius ꝓfiteantur. In eadẽ quoq; Distinctione, capite, De his quos volũtas, Matri-

Gelasij decretum.

Matrimoniũ velatæ virginũ scindendũ sit.

Concilium Arelatense.

Innocentius. I.

monium

moniũ opꝰ carnis magna iniuria vocatur. Sic enim ſcribitur: *Quibus autem voluntas propria interrogationis tempore deſiderium nubendi perſuaſerit, cõceſſã ab Apoſtolo licẽtiã auferre nõ poſſumꝰ: ita vt cũ prouectæ ætatis in cõiugio poſiti renũtiaturos ſe pari cõſenſu operibꝰ carnis ſpoſponderint, ad ſacros ordines aſpirẽt* &c. Legatur Pauli epiſt. ad Galatas, vbi diſertis verbis opera carnis recẽſet, neq; in eo catalogo matrimoniũ vel eiꝰ vſꝰ reperietur. Qua ergo frõte iſte ſic ſcripſit, quũ ipſe nuptię ſint, vt habetur ad Hebrẽos in omnib. honorabiles? At in eadẽ Diſtinctione. ca. 9. De Syracuſanæ. qui textꝰ eſt Pelagij, anteceſſoris Gregorij, veriſſima cauſa exprimitur, propter quam Romana Eccleſia tãtopere laborauit, vt miniſtri cęlibem vitã exigerẽt. Ibi. n. ſcribitur, electum à populo fuiſſe nouũ epiſcopũ Syracuſis, qui vxorẽ & liberos habebat. Requirebatur à Romano epiſcopo, vt eã electionẽ ratã haberet. Is verò tergiuerſabatur, & pluſquã annũ diſtulit, antequã illã probaret. Suę verò cũctationis cauſã afferẽs, ita ſcribit: *Ob hoc aũt, quod vel pſonæ qualitas, vel ſuperſtes vxor, aut filij noſtros animos diutiꝰ ab eiꝰ ordinatione ſuſpẽderet, quãtũ ad cautelã humanã pertinet, integro pene anno diſtulimus, opinãtes q; in meliꝰ Syracuſanorũ prouenire poſſet electio. Sed quia in volũtatis ſuæ propoſito irreuocabiliter perſtiterũt, et nulꝰ eſt alius in eadẽ repertꝰ Eccleſia, niſi lõgiorib. adhuc tẽporũ differetur ſp atijs, ne paulo ampliꝰ inſaniret, inter huiuſmodi ambiguitates illud cõſultiꝰ iudicauimꝰ facien dũ, vt congrua prouidẽtia cauſã propter quã principalis cõſtitutio habẽtẽ filios & vxorẽ ad epiſcopatus ordinem promoueri prohibet, ſalua diſpoſitione cõſilij, munireꝰ. Qua de re ſũmo ſtudio ab eodẽ Syracuſanæ verbis epiſcopo, priꝰ q̃ ad epiſcopatũ cõtingeret ordinari, huiusmodi exegimus cautionẽ: per quã & ſuã fateretur, quantula eſſet præſẽtis tẽporis, habita rerũ deſcriptione, ſubſtãtiã & nihil vnq̃ per ſe aut per filios, & vxorẽ, ſiue quãlibet propinquã & domeſticã, vel extraneã forte perſonã de reb. audeat vſurpare Eccleſiæ, et vniuerſa ſui epiſcopatꝰ quæſita tẽpore Eccleſiæ ſuæ dominic ſociaret: nihil vltra id quod modo deſcriptũ, eſt filijs ſuis, vel hæredib. relicturus.* &c. Gratianus addit, Ecce hac authoritate electus in epiſcopũ non prohibetur habere vxorem & filios. Et mox: *Siue ergo preſbyter, ſiue diaconus fuerit, apparet, q; in præfatis ordinib. conſtituti licitè matrimonio vti poſſũt.* Et Gloſſa interpretatur Ex tẽpore: Quia nondũ erat indicta cõtinentia miniſtris altaris. In hoc Pelagij decreto plura cõtinẽtur non aſpernãda. Primũ vſq; ad ea tẽpora libertatẽ electionis epiſcoporũ integrã populo mãſiſſe: alterũ, præcipuã cauſã cœlibatꝰ clericorũ, hũc põtificẽ Romanũ exiſtimaſſe, cõſeruationẽ Eccleſiaſticarũ facultatũ. Tertiũ nõ tãtã fuiſſe neceſsitatẽ decreti iã recepti de cœlibatu quin potuerit mitigari: vt iſte Pelagiꝰ cũ epiſcopo Syracuſano eã relaxauit: poſtremo videmꝰ cautionẽ hãc, quę à prudẽtia humana profecta eſt, non valuiſſe cohibere prælatos Eccleſię, quin facultates eiꝰ imminuerẽt. Nã quæ vxori & liberis nõ largiuntur, in cognatos erogãt, & ſæpenumero in ſcorta & ſpurios. Diſt. trigeſima prima, canone Aliter. Stephanus Papa diſcrimẽ oſtẽdit quoad nuptias clericorũ, quidue

Matrimonium dici non poteſt opus carnis

Cauſa cur Eccleſia Romana celibatũ clericis exegerit.

Stephanus Papa.

A inter Orientalem & Romanam Eccleſiã interſit, dicitque: *Aliter ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Nam earum ſacerdotes, diaconi, aut ſubdiaconi matrimonio copulantur: iſtius autem Eccleſiæ vel Occidentalium, nullus ſacerdotum, à ſubdiacono vſque ad epiſcopum licentiam habet coniugium ſortiendi.* Ex hoc decreto colligitur, miniſtros Orientalis Eccleſiæ matrimonium poſſe contrahere, quum dicatur de illis, Matrimonio copulantur, deinde ſubdatur

Miniſtri Græci poſſunt contrahere.

B ex aduerſo, Sacerdotes Occidentales licentiã non habere ſortiendi coniugium. Neque audienda eſt gloſſa quæ interpretatur, Copulantur id eſt, copulato vtuntur. Quod idem apertius liquet ex canone, qui hunc præcedit, & à ſexta ſynodo fuit conſtitutus. Ita enim habet: *Quoniam in Romani ordine canonis eſſe cognouimus traditum, eos qui ordinati ſunt diaconi vel preſbyteri, confiteri quòd non ſuis iam copulentur vxoribus, antiquũ ſequentes canonem Apoſtolitæ diligentiæ, & conſtitutiones ſacrorum virorum legales nuptias amodo valere volumus, nullo modo cum vxoribus ſuis eorum connubia diſſoluentes, aut priuantes eos familiaritate ad inuicem in tempore opportuno. Quicunque ergo diligens inuẽtus fuerit, in ſubdiaconali ordinatione, aut diaconali aut ſacerdotali, hi nullo modo prohibeantur ad talem aſcendere gradum, pro vxoris ſuæ cohabitatione, nec eo tiam tempore ordinationis ſuæ profiteri caſtitatem cogantur, quòd abſtinere debeant à legalis vxoris familiaritate. Item oportet eos qui altari miniſtrant, in tẽpore*

Sexta ſynodus.

C *oblationis ſanctorum continentes eſſe in omnibus, vt à Deo poſſint conſequi, quæ ſuppliciter poſtulant Si quis igitur præſumpſerit contra apoſtolicos canones aliquos preſbyterorum & diaconorum priuare à contactu, & à communione legalis vxoris ſuæ, deponatur. Similiter et presbyter, aut diaconus, qui religionis cauſa vxorem ſuã expellit, excõmunicetur: ſi vero in hoc permãſerit, deponatur.* Canoni iã adducto Gratianꝰ hęc addit: *Oriẽtalis Eccleſia votũ caſtitatis in mininiſtris altaris nõ ſuſcepit.* Vnde licet argumẽto & quidẽ firmiſsimõ ꝓbare, miniſtris illis poſt ordinationẽ licere cõtrahere. Nã id ſi eis interdiceretur, vel ſacri ordinis, vel voti ratione fieret. Ex voto nullũ eſt impedimẽtũ, quãdoquidẽ, vt inquit Gratianus, & ſexta ſynodꝰ teſtatur, nõ vouẽt: ſacer quoq; ordo nullũ habet cõiũctũ ſecũ natura ſua impedimẽtũ matrimonij: quia diaconꝰ, vt ſanxit Ancyrana ſynodus, qui dũ ordines ſuſcipit, proteſtatur, ſe nõ poſſe cõtinere, vxorẽ ducẽdo & matrimonio vtitur & in miniſterio ſui gradꝰ

D permanet. Colligitur itaque licere miniſtris oriẽtalib. poſt ſuſceptos ordines inire matrimoniũ: quãdoquidẽ vt oſtẽſũ eſt, neq; à voto, neq; ab ordine impediũtur. Leo quoq; nonꝰ, vt habẽtur in eadem 31. diſt. capite Omnino, locũ beati Pauli epiſtola priore ad Corinth. quo dicitur, *Nõne poteſtatẽ habemꝰ ſororẽ mulierẽ circũducendi,* & cætera. exponit de Apoſtolorũ, vxoribus quas illos vnà ſecum ideo habuiſſe putat, vt mercede prædicationis ab ipſis alerẽtur. Neq; gloſſa

Mulieres quas circũducebant Apoſtoli erant vxores.

E diſſentit: imò ait, Ducebant enim ſecum vxores, vt ſeruirent eis in cibis parandis, & vt ab eis paſcerentur, cum eſſent pauperes de mercede prędicationis. Eat nunc Smythęus &

alia papæ mancipia, clamentque vel vsque ad rauim, Pauli ea verba, non posse vllo pacto intelligi de vxoribus: cum eorum Deus terrenus in suis decretis contra eos definiuerit. Statuitur prętereà dist. 34 cap. presbyteri, ex Agathẽsis Concilij sententia, in hæc verba: *presbyteri, diaconi, & subdiaconi vel deinceps quibus ducendi vxores licentia modo non est* &c. Aduerbium illud Modò cõuincit argumento certissimo, presbyteris & diaconis antiquitus vxores ducere licuisse. Eadem quoque dist. canone, Lector, Audacia mira Papam videm⁹ permisisse bigamos promoueri ad sacros ordines, contra regulam Apostolicam, sic enim scribitur ex decreto Martini: *Lector si viduam alterius vxorem acceperit in lectoratu permaneat: aut si necessitas fuerit, subdiaconus fiat: nihil autem suprà: similiter si bigamus fuerit.* Nec quicquam releuat istam audaciam, quod hic scribitur: nihil autem suprà. Quoniam, vt glossa hîc testatur, Lucius dispensauit cum Panormitano Archiepiscopo, qui fuit bigamus. Hæc verò eò attinent, vt videamus Antichristum maiorem suarum legum rationem habere, quam verbi Dei. Relaxat vt bigami ordinentur, contra Pauli sententiam, non quidem Germanam & veram sed vt ipse interpretatur: nec pati potest, vt ministri Ecclesiæ vxores ducant, quo sua decreta firma & inuiolata seruentur. Sed operæpretium est audire, qua contumelia Innocentius afficiat nuptias: qui 28. dist. cap. proposuisti, sic scribit: *Neq; eos ad sacra officia fas sit admitti, qui exercẽt etiam cũ vxore carnale consortium quia scriptum est: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, Dicit Dominus Deus vester.* Primũ hic notetur, vsum iusti coniugij appellari carnale consortium: deinde malè torqueri ad nuptias illud præceptum Dei, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* In Leuitico enim scribitur cap. 20. cum Deus Hebræis, ne filios suos idolo Molocho immolarent, prohibuisset, neue ariolos & Pithones consectarentur: & repetitur sub finem eiusdẽ capitis, cum interdixisset nuptias incestas cum matre, cum sorore, & huiusmodi personis coniunctis. Quamobrem sententia ea nihil habet cõmune cum iustis cõiugijs, nisi velimus à sanctitate omnes Christianos, qui coniugati sunt, excludere. Quis prętereà nescit sacerdotes veteris legis iussu Domini debuisse cum primis esse sanctos, quibus nihilominus nunquam interdictum fuit vxores ducere? Pergit in eodem decreto Innocentius, & ait: *Multo magis igitur sacerdotes, quibus & sacrificandi & orãdi inge officium est, semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere. Quia si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quo merito se posse exaudiri credit? cum dictum sit, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed coinquinata est eorum mẽs & conscientia* &c. Admodũ impudenter cõtaminari affirmat carnali cupiditate istos, qui matrimonio vtuntur, & exaudiri eorũ preces non posse. Quid contumeliosius in matrimoniũ dicere aut fingere quisquá potest? Quid facient, qui versantur in nuptijs? eo die quo matrimonio vsi fuerint, non audientur eorũ preces? Desistẽt igitur ab orando: aut si voluerint orare cõiugib. debitá benevolentiá nõ reddẽt? Præclara certè doctrina est, quá iste Roman⁹ episcop⁹ hoc suo decreto sanxit. Mitto præterea, vt alieno loco citet Apostolũ dicẽtẽ: Omnia mũda mũdis, & cętera. Quid hęc ad rẽ? Loquebatur ibi Paul⁹ de ciborũ siue omniũ externarũ rerũ indifferẽtia, docẽs, eos q mũdi sũt, Iesu Christi fide liberũ habere creaturarũ vsum neq; illis cõtaminari. At è diuerso cũ incredulitate vel perfidia homines polluti fuerint, omniũ rerũ vsũ esse illis inquinatũ. Tâ prudẽter argumẽtatur iste Papa, vt ex loco quẽ adduxit, efficacissimè sentẽtia ei⁹ conuellatur. Si omnia sunt mũda mũdis, & vxores quoq; mũdis & pijs ministris mũdę sunt, necesse est. Quẽadmodũ Antichristis & hypocritis, quũ immũdi sint, contaminatáq; mẽtẽ habeãt & cõsciẽtiá, cœlibat⁹ vtiq; vel ipsa virginitas est sordidissima. Nec magis prudẽter paulò post scribit ad hũc modum: quod aperti⁹ declarauit dicens, *Qui autẽ in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autẽ iam nõ estis in carne, sed in spiritu.* Væ coniugatis istius nocẽtissimi Innocẽtij sententia, si adhuc in carne sunt, vt Deo placere non possint. Est enim desperata salus eorũ. Paulus hæc ad Romanos scribebat non ad cœlibes, neq; ad virgines: vniuersam illius Verbi Ecclesiam alloquebatur: & de omnibus in Christo credentibus, siue coniugati, siue cœlibes essent, hęc pronuntiabat: *Vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu.* Verũ quid ego conqueror, hũc papá diuinarũ literarũ fuisse imperitũ, cũ ex his luce clarius appareat, illum quoq; cõciliorũ nõ minus ignarũ? Nõ enim tenuit id, quod habetur distinctione trigesima quarta, capite Nicena synod⁹, quid Paphnutius dixerit, quũ patres Niceni tẽtarẽt auellere ministros à cõiugib. Dixit. n, honorabiles esse nuptias, & cõcubitũ cũ propria coniuge, castitatẽ appellauit, nõ cõtaminationẽ, nõ cõsortiũ carnale, vel aliquod huiusmodi conuiciũ, vt iste papa mẽtiẽdo cõminiscitur, q has suas blasphemias à Syricio papa didicit, qui ante quatuor vel quinq; annos Rom. ecclesiá gubernauit. Is. n. vt habetur eadẽ dist. 82. cap. Plurimos, mẽtitur Deũ sacerdotib. tantũ antiquę legis dixisse verba illa, sancti estote, quoniá ego sanct⁹ sum, cũ, vt ostẽdim⁹, ad omnes Israelitas pertineãt, Idéq; cap. Quia, vsũ matrimonij nõ veretur appellare ob scœnas cupiditates. Vtq; intelligatur, q crudele ac tyránicũ fuerit eius edictum, illud recensere bona fide non grauabor. His verbis conscribitur: *Et quia exẽpla præsẽtia canere nos prænonũt in futurũ, si quilibet episcop⁹, presbyter, aut diacon⁹, quod nõ optamus, fuerit talis inuentus, iam nunc sibi omnẽ per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum, quia ferro necesse est, vt abscindãtur vulnera quæ fomẽtũ nõ sentiũt medicinã,* Horũ põtificorũ vestigia secut⁹ est etiá Innocẽ: 2. quoniá & de hac re crudeliter statuit, & diuinas literas peruersè ad suũ institutũ detorsit, vt habetur dist. 28. cap. Decernim⁹, vbi scribit: *Qui in ordine subdiaconat⁹ et supra vxores duxerint, aut cõcubinas habuerint, officio atq; ecclesiastico beneficio careãt. Cũ. n. ipsi tẽplũ & vasa Domini, &*

Concilium Agathense.

Lucius Papa dispensauit cum bigamo vt fieret episcopus.

ui, & sacrariũ spiritus sancti debeant esse, & dici, indignũ est eos cubilibus & immũditijs deseruire. &c. Postremis ijs verbis ad Pauli sententiam voluit alludere, quę ad Rom. habetur: Non in cubilibus & impudicitijs, atque ijs epithetis matrimoniũ ornat. Deinde cum omnes Christiani templa sint spiritus sancti, & vasa domini, vt Apostolicæ literæ testantur, iuxta sententiam huius Innocentij prohibebuntur matrimonium cõtrahere. Illud præterea occurit quod in dist. 24. scribitur, cap. fraternitatis, ex authoritate Pelagij, qui de quodam sic respondet episcopo Florentino. *Huius latorem secũdas quidẽ nuptias expertum nõ fuisse didicimus: castitatem tamen cũ priori nõ seruasse cõiugio. Et quũis multa sint quæ in huiusmodi casibus obseruari canonicæ iubeat sublimitatis authoritas, tamẽ quia defectus nostri tẽporis, quibus non solũ merita, sed corpora ipsa hominũ defecerũt districtionis illius non patitur manere censurã, & ætas illius de quo agitur futuræ incontinentiæ suspicionẽ auferre dignoscitur, vt ad diaconatus ordinẽ possit prouehi, concessisse nos noueris. Micenam verò ancillam eius, de qua se post vxoris transitum filios habere confessus est, iubemus vt tua dispositione cuiquam monasterio continentiam professura tradatur*, &c. Si clericus iste post obitum vxoris rursus matrimonium contraxisset, vt papa innuit, ordinari non poterat. Sed quia cum ancilla scortatus est, ignoscitur, & vt diaconus, fiat, conceditur. Quod quam iustum sit, lector ęquus expendat. Certè Glossa id non tacuit. Nã in eo loco sic habet: *Ecce casus, vbi plus iuris habet luxuria, quàm castitas. Quia castus reppelleretur, si contraxisset cum secunda: sed fornicatior non repellitur.* Deinde facito rationem, qua papa est adductus vt scotatori huic ignosceret, nempe, quia defectus nostri temporis, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, iustã & bonam fuisse: cur eadem tyrannis istis Romanensibus persuadere non potuit, vt matrimonia ecclesiæ ministris libera facerent ad hanc ętatis nostræ infirmitatem sub leuandam? Malè certè comparatum est, vt in primitiua Ecclesia vbi spiritus erat robustior, matrimonia essent, concessa: nunc verò in tanto defectu ac infirmitate sint prohibita. Inepti profecto isti sunt medici, qui sanis medeantur, & illis quos fateantur ægrotare, remedia subtrahant. Quo præterea iure vitiatam ancilam ab hero suo in monasterium detrudunt, vt vel inuita profiteatur castitatem, vicissim hero, qui eam corrupit, ignoscunt, & ad altiorem gradum in ecclesiam promouent? Sic ista calumnia ecclesiæ ius dicunt, vt misericordia dignos magis premant: & qui grauius puniendi essent, absoluant. Primis verò temporibus rem non sic habuisse in ecclesia, tametsi multis firmisque rationibus confirmare queo, tamen illis omissis, ero contentus Gratiani testimonio dist. quinquagesima sexta canone: Osius, vbi testatur, complures episcopos Romanos natos partim ex episcopis, partim ex presbyteris, nec non ex diaconis, & denique ex subdiaconis. Illi autem fuerunt Osius, Bonifacius, Felix, Agapetus, Theodorus, Syluerius, Deus dedit, , Gelasius.

Et nequis fortasse cauilletur, hos fuisse procreatos, quum parentes adhuc sacrum ministerium non suscepissent, audiatur ipse idem Gratianus in penultimo canone huius 56. distinctionis, vbi sic scribit: *Quũ ergo ex sacerdotibus nati in summos pontifices, supra legãtur esse promoti, nõ sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis coniugijs nati quæ sacerdotibus ante prohibitionẽ vbique licita creant: & in Orientali ecclesia vsque hodie eis licere probantur.* Rectè itaque diximus, prima illa ętate cum vigeret sanctitas, matrimonia clero fuisse libera, quæ nunc ministris maxima tyrãnide prohibentur. Vicesima secunda q. 4. circa finem, vbi de iuramento agitur. Gratianus in hanc sententiam scribit. Aliquando iustitia deest iuramento, quod tamen seruari non prohibetur. Veluti cum quispiam post votum castitatis duxit vxorem iuramento firmans, nunquam se ab ea discessurum: quod quamuis illicitum sit, quia iustitia ei probatur de esse, tamẽ authoritate Augustini seruari præcipitur, &c. Glossa illum arguit, & recte. Quia postquam vxorem duxit, iustũ est vt cum ea maneat. Quãobrem quod iurauit, & iustum & licitum fuit. Neque id admittendum est, iuramenta illicita debere seruari. Sed mox idem Gratianus scribit: *Est etiam id quod iuratur, aliquando vitiosum non sui natura, sed ex causis extra venientibus, veluti cùm aliquis post votum castitatis iurat alicui, se habiturum eam in coniugem. Nam habere coniugem per se ipsum malum nõ est: tamen huic ex voto est pernitiosum. Hoc autem iuramentũ, etiamsi illicitum sit, nõ tamẽ seruari prohibetur. Sed de violatione voti pœnitentia ei iubetur indici, &c.* Hoc etiam loco Gratianus labitur, statuẽdo iuramẽtũ illicitũ seruari posse. Verũ in eo recte sentit quod matrimoniũ cõtractũ post votum censet non esse rescindẽdum. At Glossa diuersum statuit. *Nã si votũ*, inquit, *præcesserit iuramẽtũ, potius votũ seruabit, quàm iuramentum sequẽs. Vt habetur extra. Qui clerici vel vouentes, cap. Rursus. Qua verò lege prohibeãtur ministris ecclesiæ matrimonia, quãuis anteà explicauit Grat priori decretorũ parte dist. 56. id tamẽ rursus hac posteriori parte 28. quæst. 2. cap. Sors, repetit, dicẽdo: Antequã Euangeliũ clarefceret, multa permittabantur, quæ tẽpore perfectioris disciplinæ penitus sunt eliminata. Copula nanque sacerdotalis, vel cõsanguineorũ (cõsanguineos appellat cõsobrinos, & similes) nec legali, nec euãgelica, nec Apostolica authoritate phibetur: Ecclesiastica tamẽ lege penitus interdicitur*, &c. Quã mira est huius viri cęcitas? qui disciplinã posterioris ecclesiæ nostræ, inquã perfectiorem appellet, quum omnia ætate nostra quod attinet ad disciplinam, videamus collapsa. Verũ ne simus ęquo longiores, omisso Gratiano, cum eius decretis, librum Decretalium aliquãtisper excutiemus. Primùm ocurrit, de Conuersione coniugatorum, capite primo, vbi Alexander tertius ita rescribit. *Vtrum laicus vxoratus, qui præsentibus sacerdotibus & monachis, ignorãte episcopo, de licẽtia & permissione vxoris monasteriũ ingressus, professionẽ fecit, vxore in seculari habitu remanente, neque transeunte ad religionẽ aut perpetuam continentiam vouente, ab episcopo suo possit ad thorum reuocari vxoris, an illa compellenda sit cõ-*

tinentiam obseruare. Dicimus quòd nisi vxor ad religionem transierit, aut perpetuò castitatẽ seruare promiserit, vir potest, & debet de monasterio reuocari. Glossa inquit, hoc intelligendũ, quãdo talis est vxor, quæ non possit in seculo esse absque suspicione fornicationis, &c. Si causa hæc vera est, vt votũ irritum fiat, propter vxoris incõtinentiam, cur etiam non debeat locum quoque habere, quando ipse qui vouit, aut labitur, aut aduritur? Certè non æquum est, vt quispiam salutem suã præ salute alterius negligat. Nec moueri debemus, quòd votum dicatur nuncupatum episcopo inscio: quia eius conscientia vim & efficaciam voto non attribuit. Et quum iste assentiente vxore, monachis & presbyteris astantib. vitam monasticam sit professus, non tantùm votum, sed etiam solenne votum nuncupauit. In eodem titulo de Conuersione coniugatorum, capite secundo, idem Alexander ita scribit: *Verùm post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri, altero etiam repugnãte, eligere monasterium, sic vt quidam sancti de nuptijs vocati fuerunt, dummodo carnalis commistio non interuenerit inter eos, & alteri remanenti, si commonitus continentiam seruare noluerit, licitum est ad secunda vota transire.* Quis hîc non miretur, matrimonium, institutum sanè Dei, sic facilè dissolui propter hominum inuenta? Nemo ignorat iure diuino atque humano per verba, vt loquũtur, de præsenti, matrimonium cõtrahi, & firmum esse. Quomodo ergo separet homo, quod Deus coniunxit? Neque refert, si copula carnis, vt iste loquitur, nõ interceſsit: quia non ea, sed consensus vtriusque coniugum legitimum facit matrimonium. Quod si non ita esset, inter Mariam & Ioſephum non fuisset cõiugium, quod tamen & diuinę literę, & omnes Patres, omnesque scholastici theologi, verum matrimoniũ fuisse testãtur. Adhęc ita colligo: Si licet institutum Dei propter hominum inuentum dissoluere, cur à maiori non liceat monasteriũ deserere, quod ab hominibus inuentum est, vt matrimonium contrahamus? quod à Deo non tantùm est inuectum, sed etiam ijs, qui aduruntur, aut non continent disertis verbis iussum: Præterea videant ipsi, quomodo cõcedant alteri coniugum, qui extra monasteriũ relinquitur, vt nouas contrahat nuptias. Nam certè quum prius vinculum maneat, si hoc fiat, congeminabuntur matrimonia. At de voto & voti redemptione capite. Ex multa. §. In tanta. Ausus est Innocentius concedere viris, vt votum peregrinationis Hierosolimytantæ suscipiant inuitis & reclamantibus vxoribus; & ita scribit: *In tanta quoque necessitate populi Christiani, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, viri præter vxorum assensum huius peregrinationis propositum vouere liberè valent: & quod vouerint liberè adimplere. Vt autem consetiãt, sunt attentius commonendæ.* Aduersatur hoc decretum ex professo illi sententiæ Pauli, quæ habetur ad Corinthios priori, capite septimo. Vbi licet dederit coniugibus, vt aliquantisper interdum abstineant à coniugali actione, id tamen permittere noluit, nisi ex consensu. At iste vel ab inuitis abstinentiam extorquet. Pugnat etiam cum decerto, Si tu abstines 27. quæstione secunda, & ab Augustino desumptum est, in libro de Adulterinis coniugijs, ita scribente: *Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam: & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.* Resistit item alteri canoni, vt habetur, trigesimo tertio, quæstione quinta, capite, Quod Deo: qui textus quoque Augustini est, qui ait, Mulieri quæ consensu mariti sui vouerat: Nam si nunquam tenuisses eius assensum, numerus nullus se defendisset annorum. Sed quid hîc agas? Papa neque Paulum, neque decreta neque Patres quum visum fuerit, quicquam moratur. Glossa quoque in hoc loco scribit, casum hunc esse specialissimum, vt vir possit vouere præter vxoris licentiam. Et colligit hinc, aliquod votũ reperiri maius voto continentiæ. Nam propter continentiam non licet vel ad tempus vouere inuita coniuge. Hoc ideo libenter commemoro, ne canonistæ, vel scholastici dicant, vt quidam aiunt, ob id non posse relaxari votum cõtinentiæ, quod ea nihil maius, aut melius inueniatur. In titulo, Qui clerici, vel vouentes matrimonium contrahere possint. In ca. Veniens, scribit Alexãder Tertius, *Marcum eremitam sibi proposuisse, Ioannam cuidam viro absenti fide data, se nupturã promisisse, quæ postea de seueritate ipsius plura audiẽs, ei noluit copulari. Cum itaque timeret ne illi nubere cogeretur in manibus illius eremitæ continentiæ votum promisit, non tamen locum aut vestem mutauit. Quo audito vir aliam sibi copulauit. Nos itaque attendentes tutius esse, vt præfata mulier post fidem & votum simpliciter oblatum, matrimonium cõtrahat, quam fornicationis reatum incurrat: Mandamus quatenus, si plus non processit, sibi de fide mentita, & voto violato, congruam satisfactionem indicas, & ei cui vult, nubendi in Domino licentiam tribuere non postponas.* In hoc decreto hunc Alexandrum probo, quòd post votum nubendi facultatem concesserit Sed id nequeo non damnare quòd cùm ille arbitretur, peccatum committi votum violando, & ob eam causam isti mulieri satisfactionem indici iubeat, ei tamen concedat facultatem nubendi, & quod ex eo sequitur, voti nuncupati violandi. At Glossa in hoc loco reddẽs rationem, cur papa votũ hoc relaxarit, ait: *Quia perturbato animo votum emisit: extimuit quippe sæuitiam viri, cui fidem dederat.* Ac similem casum adducit ex Decretis. 17. q. 2. cap. Gonsaldus. Is fuit presbyter, qui semel infirmitate aceruore passionis pressus, se monachum fore promisit: at postquã cõualuit, noluit fieri monach⁹. Ibi Papa iubet vt in suo statu sinatur esse, nec ei molestia vllã ob huiusmodi promissionẽ fieret: Si perturbatio animi potest votum irritum facere, ac corporis infirmitas, cur non idem conceditur ijs, qui vouent imprudenter, nec intelligunt, vt suæ saluti parũ consulãt, vtq; talia vota diuinis legib. aduersẽtur? Certè grauior est infirmitas animi, quã corporis morbus: & ignorantia nõ minus, quã peturbatio excusat. At in sexto de Voto & Voti redẽptione distinctio ponitur solennis voti & simplicis, vt sciatur, solẽne vo-

An citra consensum vxoris vir possit votũ peregrinationis

tionis

pere.

Augustin.

An sit aliquod votum maius voto continẽtiæ.

Alexand.

Papa non continẽtiæ relaxat.

Votum simplex & solẽne.

ne votũ impedire, ne matrimoniũ si contrahatur firmum sit & validum: simplex verò nuptias postea initas minimè rescindere. Textus est Bonifacij Octaui, qui etiam declarat, quibus de causis votum solenne appelletur, & ait: Illud solùm votum debere dici solenne, quantum ad matrimonium postea contractum dirimendum, quod solennizatũ fuerit per susceptionẽ sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionib. per sedem Apostolicam approbatis. Ista indicant solennitatem hanc voti rem esse commentitiam. Quia monachõrum ordines inuenta sunt hominum, & ministrorum gradus natura sua non habet cœlibatus votum annexum. Neq; Bonifacius ab initio suæ huius cõstitutionis hoc inficiatur quum dicat: *Nos igitur attendentes, quòd voti solennitas ex sola constitutione ecclesiæ est inuẽta: &c.* Quod iccirco monere volui, vt intelligamus, cùm ficta sit hæc distinctio, quod vni conceditur, nempe, vt matrimonium non rescindat, alteri quoque concedendum esse. Quod ne quis credat me finxisse, audiat Cælestinũ 3. cap. Rursus, qui clerici vel vouentes matrimonium contrahere possint, qui ait: *Arbitramur quod simplex votum apud Deum non minus obliget, quàm solẽne, &c.* Hæc istius papæ verba indicant, quanti ea distinctio facienda sit. Neque prætereundum est, quod hic adiecit Glossa. *Et collige*, inquit, *ex hoc, quod hic dicitur votum ex sui natura non dirimere matrimonium, sed cõstitutio facta super voto &c.* Disputet ergo iam Smythæus vel vsque ad rauim cum istis Canonistis & Patribus, an contracta post votum, vel ex Dei verbo, vel ex natura voti debeant rescindi. Vt audimus, aliqui eorum negant, iste verò cum nonnullis alijs affirmat: quanta cum ratione, aliorum esto iudicium. Decreueram ab his Romanorum Põtificum Decretalibus iam discedere, nisi vnum occurreret, quod illorum impietatem, atq; peruersum iudiciũ maximè patefacit. Ideoque id non iudicaui prætereundum. De iudicijs Alexander Tertius in cap. At si clerici ℔ de Adulterijs, pronunciat, adulteria ipsa inter leuiora seu minora crimina recẽsenda: statuitq; vt episcopo liceat de illis post aliquam pœnitentiam cum clericis, vt loquitur dispensare. Et hæc sunt eius verba: *De adulterijs verò, & alijs criminib. quæ sunt minora, potest episcopus cum clericis post peractam pœnitentiam dispensare*, &c. Huc rem perduxit votum cœlibatus, vt adulterium, quod Paulus testatur à regno Dei excludere, inter minora crimina numeretur. Si minister post adulterium commissum, loco suo relinquatur, quomodo iuxta præceptum Apostolicum bene audiet? Certè non tantùm gregi Christi, verùm etiam exteris grauissimo scandalo erit. At ego quid hoc memoro, quum illi bonam famã, & scandala, susque deque habeant? Nunc his omissis, ad scholasticos theologos accedẽdum arbitror, vt quid nã illi hac de re senserint, excutiamus: quorum princeps quum fuerit Petrus Lombardus, Magister sententiarum vulgo appellatus, illum ante alios collocabo.

Trigesima octaua distinctione, Quarti, sic ait: *Votũ est testificatio quædã promissionis sp̃otaneæ, quæ Deo, & de bis, quæ Dei sunt, propriè fieri debet.* Sic iste votum definit, & ab eo videtur ineptè additum, testificatio: quum voti ratio tota consistat in ipsa promissione. Testificatio quæ fiat aliquo externo signo, naturam voti non mutat. Et in libro Numerorum, quum de voto agitur, nõ videmus vllam externam testificationem requisitam. Pergit & vota distinguendo aliud commune facit, & aliud singulare. Commune illud arbitratur, quod omnes in baptismo faciunt, cũ Diabolo, & pompis eius renuntiant. Singulare autem proprias aliquas promissiones respicit, vt continentiam, & similia. Præterea singulare votum in priuatum, & solenne diducit: additq́ue illos, qui priuatum continentiæ votum fecerint, non debere matrimonium contrahere. Etenim si contraxerint, mortaliter peccant: non tamen̄ separantur: quia probari non potest, quod occultè factum est, &c. Vt ratio hæc imbecilla sit, non est opus longa demõstratione. Quia sæpissimè accidit, vt vota priuata queant probari, & illi qui vouerunt, se vouisse non diffitentur, & tamẽ horum matrimonia, quum fuerint contracta, in suo robore permanent, vt Augustinus testatus est, & in Decretis, ac Decretalibus, vt ostendimus, nõ semel est definitum. De his autem, qui solenniter vouent, eos ait, nullo pacto coniugiũ inire posse, quibus non solùm nubere, sed & velle nubere, damnabile est. Ad quam sententiam confirmandam, & Augustinum adducit, in libro de Bono Viduitatis, capite nono, & Apostolum quando ad Timotheũ de viduis scribit: quas dãnari ait, quia cõtinẽtię fidẽ primã irrirã fecerunt, id est, votũ vel in voto violato fidẽ, quã in baptismo professę sunt. Ista eò libẽtius recito, vt Smythęus rabula importunissimus clamare desinat, nos in eo loco per fidẽ intelligendo professionẽ Baptismi, puertere nostra expositione sensũ Apostoli. Iam hic videt nostros homines illius interpretationis nõ fuisse inuentores, cùm illam Petrus Lombardus nũc afferat. Sed cùm velit, eos qui vouerũt, solẽniter, si matrimoniũ cõtraxerint, separari, animaduertit decretũ Innocentij, quod habetur 10. ca. illi epistolę sibi aduersari. Id aũt vt eludat, operępretiũ est audire. Hęc sũt eius verba: *Nõ est igitur prætermittendũ, q̃ Innocẽtius Papa de viduis & puellis decreuit, quæ Christo spiritualiter nubũt, si postea publicè nupserint, nõ eas admittẽdas ad pœnitentiam, nisi bi, quibus se iunxerant, de mũdo recesserint. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcunque viuẽte viro alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia cõceditur, nisi vnus de illis fuerit defunctus, quantò magis de illa tenenda est, quæ ante se immortali sponso coniũxerat, & post hoc ad humanas nuptias trãsmigrauit? Attende quod non solum coniugium talibus negare videtur, sed etiam locum pœnitentiæ: quod non ita intelligendũ est, vt aliquando excludantur à pœnitentia, quæ dignã pœnitentiam agere velint: sed illæ non sunt admittẽdæ ad pœnitentiam, quæ ab incestus copula discedere noluerint. Quia post religionis propositum non potest Deo*

Magister sententiarum.

reconciliari per pœnitentiam, quæ ad habitum suæ professionis redire neglexerit. Tunc ille cui se iunxerat, ei defunctus erit, quum ab eius illicitis amplexibus hæc penitus recesserit. Quum ergo dicitur, eas nō esse admittēdas ad pœnitentiā, nisi bi, quibus se iunxerāt, de mundo recesserint, subaudiendum est, eis: tunc enim viri eis de mundo recedunt, & defunguntur, cùm ab eorum concubio istæ se alienant, &c. Ex his facile est videre, vt Magister sententiarum decretum Innocentij torqueat. Ille sanè matrimonium huiusmodi non rescindebat. Nam manebant hę nuptię, quoad viuebant coniuges: non tamen reconciliabantur ecclesiæ, nisi alter eorum fuisset defunctus. Non fuit Innocen. adeo impeditus lingua, quin dicere potuerit, huiusmodi tum demum ad pœnitentiā recipiendas, cùm deseruissent coniuges, quos sibi ascíuerant. Hunc itaq; mittamus cum sua violēta expositione: & quęramus de scholasticis theologis, cur votum solenne statuant dirimere matrimonium, si contrahatur. Ex eis aliqui respondent id propter scandalum fieri: alij verò causam esse testantur ecclesiæ statutum. Postremò sunt, qui dicant, hoc ita esse, quòd solenniter vouēdo corpus ipsum Deo exhibeamus, cū in voto priuato illud tantùm promittamus. Et hanc sententiam Thomas amplectitur in 4. Sent. scribendo. vbi ait, promissionem factam de re quapiam non transferre à possessore dominium eius, quoad eam reipsa tradat, sed adhuc in eius potestate manere. Vnde concludit, quia simplex votum promissionem tantùm continet, illud non diri mere matrimonium, quod sequitur, in quo ipsum corpus re ipsa coniugi traditur. Quo itaq; ad hoc, videtur dicere, fortius esse vinculū matrimonij, quàm voti simplicis, cum in voto simplici solùm fiat promissio: in matrimonio verò tradatur possessio. At in voto solenni, quia non promittitur sed re vera datur, vt inquit, propriū corpus, neque amplius in potestate vouētis remanet, ideo illud per matrimonium nō potest coniugi tradi, cum sit alienatum. Cęterùm Thomæ se opponit Scotus, & ait: Ita in simplici voto corpus tradi, vt solenni, Et decretalis, quàm superius adduximus, in cap. Rursus, qui clerici, & qui vouētes contrahere possint: definit, simplex votum apud Deum non minus obligare, quàm solenne. At qui tuentur Thomam huic decretali respondent: quoad Deum vtrinq; peccari, cùm violatur votum, siue illud simplex, siue solenne fuerit. Atque ita concedunt parem vtrinque obligationem. Sed quoad genus pacti, & quidem inter homines, vel in facie, vt loquuntur, ecclesiæ magnum asserunt esse discrimen. Sic inter sese isti contendunt. Sed quod attinet ad diuinas literas, quid votum distet à promissione, quæ Deo fiat, non potest demonstrari, quærunt deinde scholastici, an in votis possit fieri relaxatio. Et respondent, neminem vouendo posse sese subducere à potestate sui legitimi pastoris: qui si viderit per nuncupatū votum aliquod maius bonum impediri, potest, & debet votum ipsum relaxare, vel, vt aiunt, dispensare. Quamobrem concludunt, relaxationē in votis non esse faciēdam, nisi ob boni assequutionem. Propterea dum quærunt, an in voto solenni castitatis dispensari queat, in respondēdo à se inuicem dissident. Thomas in 4. Sent. refert, aliquos putasse, nullam hîc posse dari, vel ab ipso papa relaxationem: quia huiusmodi votum nullam potest recompensationem habere alicuius boni excellentioris. Dicitur enim Ecclesiastico cap. 26. *Non est digna ponderatio animæ continentis*. Et hanc sentētiam tuetur Glossa De statu monachorum cap. Cùm ad monasteriū. Sed Thomas ibi dissentit, & papam statuit posse relaxare quia bonum publicum multo melius est, quàm priuatum. Vnde si vtilitas ecclesię aut regni, aut prouinciæ hoc postulet, in voto quātúlibet solēni potest fieri à Papa relaxatio. Sentētiā verò Ecclesiastici sic interpretatur, vt animę cōtinēris fiat collatio, nō ad quoduis boni genꝰ, sed cōfertur, inquit, cū sanitate corporis, eiusq; vita, & externis cōmodis, propter quę nullꝰ excusatur ab eiꝰ voti obseruatione. At nō manet in sua sētētia Thomas. Nā in secūda secūdę quęst. 88. cùm hac de re agit, secū pugnat: neq; aliā vt video, adducit rationē quā papę responsū, qui loco iā adducto de statu monachorū, cap. ad monasteriū, ita inqt: *quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, vt cōtra eā, nec etiā summus pōtifex possit licētiā indulgere*. Et addit Thomas vt in Leuit. scribitur cap. 27. *quod semel sanctificatū est Domino nō potest vltra in alios vsus commutari: ideoque homo Deo consecratus quandiu vixerit, non potest cuiuspiam authoritate cōsecrationem abdicare. Solennitas autem voti consecratio quædam est vouentis: propterea per nullum prælatum, qui solenniter vouit à consecratione atq; à castitate potest subduci*. Atq; hoc peculiariter intelligit de monastica professione suscepta. Quia licet sacris ordinib. votū solēnę castitatis adiūgatur, tamē id nō est p̄ se, verū, vt ait p̄ accidēs. Ideo ibi papę facultatē cōcedit voti huiusmodi relaxādi. Sed quoad monachos penitus, negat. Ad id verò quod afferebatur de publicò bono, quod priuato sit prę̄ferēdū, respōdet: Istis publicis vtilitatib. reb. humanis esse prouidendū nō aūt illis, quę Deo cōsecratę sūt, & mūdo iā mortuę, ita, vt in vsū humanū à Deo cōuertātur. Verū si ratio hæc valeret, nō fuerat cōcedēdum, vt aurei calices ecclesiarū, qui iā, vt isti volūt, sunt cōsecrati vēderētur pro redēptione captiuorū: quod tamen & Patres, & canonica decreta fieri voluerūt. Sed quid ego de his vasis loquor? Nōne hodie videmꝰ episcopos & cardinales, quos maximè sacros iudicāt relicta prędicatione verbi Dei, sacramētorū administratione, atq; cura ecclesiarū, solū addictos esse ad aulas gubernādas, ad regna, prouincias & respub. administrādas, nec nō ad milites cōscribendos, & bella gerenda, propter quę multo magis, q̄ propter nuptias à statu sacrarū rerū homines alienantur? Petrus de Paludē primò sententiam illā refert, quę statuit voti relaxationē, quod bonū publicū priuato sit prę̄ferēdū: & assēritur addēdo, multò meliorē, Deoq; acceptiorē esse obediētiā quàm castitatē, vel cœlibatū. Ideoq; Papę iubēti eiusmodi

Scholastici quid sentiant de voto solenni.

Thomas

Leo.

Scotus

Quomodo votum possit relaxa.

ri Thomæ Glossa de cretalium:

Thomæ pugnat secum.

Glossa de cretalium.

Petrus de Palude.

modi nuptias ijs, qui vouerunt, esse obtemperandum. At Bonauentura dubitat, & post multa in eâ parte inclinat, vt in hoc voti genere nõ possit relaxatio cõcedi. Albertus etiã Magnus itidẽ negat, et exẽplũ affert Beati Matth. Apost. qui cum Deo consecrasset virginem Iphigeniã filiã regis cuiusdã, alterq; rex vicinus illã vxorẽ cuperet, polliceretur q; se cũ toto regno fidem Christi recepturũ, si voti compos fieret, noluit vllo pacto assentiri. Prætulit ergo votũ solenne publico ecclesiæ ac Euangelij bono. Quo tamẽ ad sacros ordines dispensationem admittit. Videturque Thomas sententiã suam posteriorẽ ab Alberto, quẽ præceptorẽ habuit, accepisse. Heinricus autẽ Gãdauensis quæst. 5. sui Quodlibeti acriter contendit, posse votũ huius generis relaxari: negatq; fortiter: nil inueniri melius castitate: atq; id ex diuinis literis probat: Nam Paulus ad Corin. epist. 1. cap. 7. concedit ijs, qui sunt in matrimonio, vt ex consensu ad tempus abstineant, quò vacent precibus. Quamobrem inquit, cùm ad preces continentia dirigatur, ceu in finem, illæ sunt ea meliores. Nam finis perfectionem medijs præstat. Quæque Deo consecrata sunt, fatetur nõ debere ab eo alienari: sed intelligit in vsus malos & vitiosos, in quorum sensu matrimoniũ nõ est collocandum. Ecclesiastici verò sententiam, nimirùm continentis animæ nullam esse ponderationẽ, sic interpretatur vt per continentiã intelligat, omnes in vniuersum virtutes. Nulla siquidem virtus est, quę ab aliquo vitio non reuocet. Caietanus autem Cardinalis inter scholasticos propemodum recentissimus, tum in Comment. super secundã secundæ Thomæ quæst. 85. tum in suis Quodlibetis disputando, An papæ liceat votum solenne continentiæ relaxare, à suo Thoma discedit, atque fatetur id licere: quodq; attinet ad decretalem, de Statu monachorum. Quum ad monasterium: ait, conditorẽ canonis posse canonẽ interpretari, ac mitigare. Ostenditq; interpretationẽ seu mittigationem, haud semel per pontifices Rom. adhibitã. Nã authoritate illorũ rex Aragonum ex monasterio eductus est, in quo diu fuerat: & non tantùm ad regnum promotꝰ verùm etiã matrimonio iunctus. Quin & Cælestinus 3. Constantiam Rogeri Siciliæ regis filiã quæ Panhormi vitã sanctimonialium professa erat, è monasterio iã quadragenariam euocauit collocauitq; in matrimoniũ Heinricho 6. eius nominis Imperatori: vnde postea natus est Fridericus secundus. Ad id verò quod Albertus Mag. attulit de S. Matthæo apostolo, & de Iphigenia, respondet, cum Apocrypha ista sint, nullum habere momentum ad appositam sententiam confirmãdam. Decretalis verò iam allatæ interpretationem huiusmodi comminiscitur: non posse quidem vel Papæ authoritate fieri, vt monachus, qui statũ suum retineat, relaxetur quò aut propria queat possidere, aut matrimonium contrahere. Sed id Papæ licere ait, vt ex monacho nõ monachũ faciat. Et de re cõsecrata Deo, quòd alienari iã nõ possit, fatetur, nisi magna necessitas intercesserit: nã tum potest mutari, in bonũ quidẽ, nõ in prauũ & corruptum vsum. Additq; Cælestin. 3. qui relaxauit Constantiã, vt iam expositũ est. Innocentius 3 successit author illius Decretalis, Cùm ad monasterium: nec est verisimile, inquit, latuisse illum quid erga Constantiam egerit eius præcessor. Erat enim tum temporis Cardinalis, nuptiæq; illæ celebres fuerunt, neque in angulo, sed Romæ Imperator matrimonium illud, vt loquuntur, consummauit. Quare nõ est credendum istum Innocentium, qui successit, sua noua decretali constitutione voluisse damnare quod Cæleſt. 3. eius præcessor fecerat. Quare cõcludit Caietanus, eum intellexisse rescriptum suum hac adhibita moderatione. At, pace Caietani dixerim, in eo vehementer errat, quòd existimet papã tanti pudoris esse, vt caueat ne sui præcessoris Decretum aliquod abroget. Historiæ Romanorum Pont. & eorundem epistolæ, luculenter docent, vt sæpius hoc factum fuerit. Sed quis non miretur Caietanum hunc vnà cum suo Thoma definire, irritum esse votũ, & omninò relaxandum quo aliquis obstrinxerit se ad abstinendum à certis quibusdam cibis, cùm experientia docet, id cedere in periculum vitæ. Certè debuerant multò magis iudicare irritum, & omninò relaxãdum cœlibatus votum, si ad interitum animi vergat. Etenim animus longè pluris quã corpus faciendum est. Vult ádhæc Caietanus sacros ordines, matrimonium tantùm de congruo, vt loquitur, impedire, hoc est, non ex natura sua, sed Ecclesiastico iure. Et presbyteros, diaconos q; scribit priusquã Decretum illud fieret, potuisse contrahere. Idq; probat ex dist. 32. Gratiani, Aliter Orientalis: vbi scribitur presbyteros & diaconos in Oriente matrimonio copulari: taxatq; illos, qui exponunt, copulato matrimonio vti: atq; ostendit, fictum id esse cõmentum. Et addit, *si natura sua ordo sacer coniugium prohiberet nunquam potuissent ordinati relaxari ad nuptias.* Verùm theologi et Canonistæ vnà secus definiũt. Deinde aliud argumentum adfert. *Si ordo sacer posit cõtractũ matrimoniũ susciptatur, illud non dirimit: igitur neque cõtrahendũ impedit.* Quia maior vis exigitur, vt contrahendum matrimonium impediatur, quàm vt iam contractum dirimatur. Et deniq; cõcedit, posse papã etiã sine causa ista, vt loquitur, dispensare, vt presbyter vxorẽ ducat. Ac illud matrimonium iudicat omnino ratum habẽdũ esse: tametsi papã dicat, si iusta nõ intercesserit causa, peccare. At si ratione id agat, neq; ipse peccat, neq; matrimonium vitiosum est. Quæ hucusq; adduximus de scholasticis theologis satis esse arbitror. Nã sufficiũt ad ostẽdẽdum, quàm illi dum inuenta hominum sequuntur, & à verbo Dei, & inter sese dissentiãt. Quin & aliquãdo sicut docuimus, aliquis eorum secum disertis verbis pugnat. Nunc id tãtum supereſt, vt ex historijs aliqua huc spectantia colligamus. Mitto Apostolica tẽpora, quibus, ex diuinis literis manifestè apparet, licuisse in cõiugio sacra ministeria exercere. Et ad id venio, quod Paphnutiꝰ est in concilio Niceno, vbi consuetudinem inquit

Innocẽtius 3. successit Cælestino.

Papæ impudenter abrogant decreta suorũ præcessorũ.

Nota horũ theologorũ præposterũ iudicium.

An ordo sacer ex institutosuo matrimonium impediat.

Aliqua ex historijs.

miniſtrorum Eccleſiæ cum vxorib. eſſe caſtitatem. Quia epiſcopi, preſbyteri, & diaconi adhuc vxores habebant, ideo à quibuſdam in ea ſynodo cœptum eſt agi, vt matrimonia illa diuiderentur. Quid enim opus fuiſſet id tentare, niſi fuiſſet illucusq; conceſſum? Euſebius poſt hæc libro ſexto cap. 42. de Nilo quodam epiſcopo non vulgaris nominis & ſanctitatis, ſcribit, eum, dum ſæuiſsima perſecutione omnes diſpergerentur, vnà cũ ſua coniuge fugiſſe. Libro quoque 10. cap. 5. idem tradit, Spiridonem fuiſſe coniugatum, & de matrimonio ſuſcepiſſe liberos, & addit, non propterea illum fuiſſe minorem quoad ſanctitatẽ cæteris epiſcopis, qui tum temporis floruerunt. Quod aſcribere non oportuiſſet, ſi vxorem in Epiſcupatu ſecũ non habuiſſet. Sed voluit Euſebius illis verbis tantam huius viri ſanctitatem oſtẽdere, vt nec matrimonio quicquam fuerit imminuta. Socrates quoq; libro 5. cap. 2. ſuæ hiſtoriæ multos tradit ipſo epiſcopatu liberos procreaſſe. Iuſtinianus Imperator ad hæc, q fuit alioqui Canonum Eccleſiaſticorum obſeruator acerrimus, in collatione ſecunda tit. 6. *In authẽticis, preſbyterorum & diaconorum matrimonia, ſi ea contraxiſſent, nõ reſcindebat. Sed tantum, quia iam Papæ tyrãnis eius tẽpeſtate inualuerat, eos à ſacro miniſtrio remouebat.* Cuius tamen legi, vt Gratianus teſtatus eſt, Eccleſia Orientalis non eſt aſſenſa. Albertus quoque Crantzius in ſua Saxonia lib. 4. cap. 43 narrat, concilium centum & triginta epiſcoporũ Magũtiæ ſub Henrico 3. habitum, cui Leo 9. interfuit, vbi coniugia miniſtris Eccleſię ſunt interdicta. Et Nauclerus generatione 36. Anno Domini M. L X X. commemorat Gregoriũ 7. qui prius Hildebrandus dicebatur monachus Cluniacen. Romæ concilium inſtituiſſe: in quo decretum de cœlibatu miniſtrorũ promulgauit. Sed cùm clerici per Germaniam reluctarentur, Maguntiæ magno cum periculo res geſta eſt, ita vt Archiepiſcopus Moguntinus cogeretur denique ab incœpto deſiſtere. Tanta enim ſeditio eſt orta, vt clerus tum ab Archiepiſcopo, tum à legato vix manus abſtinuerit, atq; Huldarici epiſcopi Auguſtani quædam epiſtola extat hac de re ad Nicolaum pont. Rom. eius nominis primum, qui de cœlibatu clericorum decreta magno ſtudio promulgabat, qua cum illo pontifice Huldaricus vehemẽter expoſtulauit, quod vxores â clericis adimeret, cum Deus in lege ſua cõiugia ſacerdotib. conceſſerit: neq; hác ſuá voluntatẽ vnq̃ reuocarit. Et addit, Chriſtũ in Euangelio cõmẽdaſſe, quidem eunuchos qui propter regnũ cœlorũ ſe caſtrarẽt, ſed addidiſſe, nõ omnes huiuſmodi verbũ capere. Qui poteſt capere capiat. Obiecit etiã Apoſtolũ, qui ſcripſit ad Corinth. *De virginib⁹ præceptũ Domini nõ habeo.* Quãobrẽ potius iudicauit Romani epiſ. fuiſſe, clericos ad cõtinẽtiã hortari, quá tyrãnide violẽta illos matrimonio abdicare, cũ ex iſta prohibitione libidinib. nefandis atq; purciſsimis Eccleſia cõtaminetur. Polydor⁹ Vergili⁹ in vita Edgari regis lib. 6. ſcribit, ſacerdotes in Anglia ſuas vxores vſq; ad illud tẽp⁹, hoc eſt ad annũ à Chriſto nato 960. retinuiſſe, cõtra, atq; Patres paulo antè decreuiſſent. Henricus etiã Hũtingtonẽſis lib. 7. refert, Anno Dñi 1101. ſub Henrico rege eius nominis primo, Anſelmum Archiepiſc. Cãtuariẽ. Lõdini habuiſſe cõcilium quo clericis Anglis nuptias, quę illis antea nõ erãt prohibitæ, interdixit: idq; nõnullis ad puritatẽ, mundiciẽq; vitę pertinere viſũ eſt: alijs verò admodũ periculoſum, qui verebantur, ne, dum vitá puram vltra vires appeterent, in horribiles immũdicias ad Chriſtiani nominis turpiſsimũ dedecus inciderẽt. Anno deinde 25. eiuſdẽ regis Hẽrici Ioã. Cremẽſis cardinalis, pontificis Rom. legatus, cùm in Angliam veniſſet, Londini ſynodum epiſcoporum cogegit: in qua cum de vxoribus clericorum ſeueriſsimè tractaret, inter cætera dixit, ſummum eſſe ſcelus, ſacerdotẽ à latere meretricis ad corp⁹ Chriſti cõficiẽdũ ſurgere. Sed ipſe cũ die proximo corp⁹ Chriſti in ſua Miſſa cõfeciſſet, nocte quę ſequebatur, in adulterio deprehẽſus eſt: & ita deprehenſus, vt negare, aut excuſare factum non potuerit. Quare ſumm⁹ honor, qui ei prius vbiq; habebatur, in ſummum dedecus illius recidit. Redijt ergo Romam Dei iuſto iudicio grauicũ ignominia. Denique anno 29. eiuſdem Hẽrici cauſa hæc rurſus Londini acta eſt, de vxoribus adimendis clero: atque poſt multa cenſuerunt epiſcopi, rem committẽdam eſſe regi: qui poſt grauem & diuturnam deliberationem, effecit, vt clerus vxores à ſe pecunia, & ea non parua redimerent. Lãbertus prætereà Schaphnaburgenſis monachus in ſua hiſtoria ſcribit, Germaniæ atque Galliæ epiſ. vſque ad Hildebrãdum, qui fuit anno Domini 1074. ſuas vxores retinuiſſe. Quin etiam commemorat epiſc. Treueren. habuiſſe in matrimonio ſororem regis Ruzenorum. In annalib. Francorum Chilpericum regẽ qui prius Daniel appellabatur, legitur ex presbytero factum eſſe regem, nec non Oroſij li. 7. c. 28 narratur, Cõſtantẽ ex monacho Imperatorẽ factum fuiſſe: De cõſtãtia verò moniali, quomodo à Cęleſtino 3. iũcta fuerit matrimonio cũ Imperatore, pri⁹ diximꝰ. Ex hiſtorijs complura potuiſsẽt alia colligi: ſed hęc vt iudico, ſufficiũt. Quãobrẽ pauca hæc ſolũ exiſtimo addẽda: Panhormitanus magni nominis Canoniſta abbas Sicul⁹, & deniq; Cardinalis Eccleſiæ Romanæ ſcripſit, clericos nõ aſtringi iure diuino ad cõtinẽtiã. Et mox fatetur ſe arbitrari, pro ſalute animarũ & Eccleſię honeſtate, ſalubre admodũ eſſe ſtatuere, vt clerici nolẽtes continere, poſsint cõtrahere: quòd experientia doceat, ex lege illa cõtinentię effectũ prorſum cõtrariũ ſequi: quũ hodie clerici ſpiritualiter non viuãt, nec mũdi ſint, ſed illicito coitu ſe cõmaculent grauiſsimo eorũ peccato: vbi cũ ꝓpria vxore caſtitas eſſet. Quare deberet Eccleſia inſtar boni medici agere, qui cũ experiẽtia docẽte, medicinã animaduerterit potius officere quá prodeſſe, eã tollit. Æneas Syluius, qui poſtea fuit Pius 2. vt Platina inquit, aiebat, vxores magna ratione clericis ablatas, maiori eſſe illis reſtuẽdas. Idẽq; in epiſtola quadã ad Ioannem Fontẽ ſcripta, quę numero eſt

mero est 321. scribit, Papá, si vellet, posse cõtinẽtiá clericorũ relaxare. Iacob. Faber Stapulẽsis in cõmẽtarijs suis, cõmemorat ad tẽpora vsque Gregorij 7. adhuc presbyteris & diaconis licuisse vxores habere, atq; ritũ apostolicũ nuptiarũ Græci retinuerũt, neq; adducti sunt vt mutarẽt, quũ tamẽ Ecclesię alię agamiá receperint. Vndo clerici incõtinẽtia lapsi, in pedicas diaboli inciderũt. Erasm⁹ deniq; in prioré ad Corinth. cap. 7. ait, *Ætate Pauli cũ inter innumeros ethnicos perpauci essẽt Christiani, fortasse cõmodius erat, à matrimonio abstinere. Nũc mutatis rebus, haud scio an magis expediat sãctũ cõnubiũ, & immaculatũ thorũ sanctè pureq; colere etiã sacerdotes, si qui nõ cõtinẽt, quãdo horũ tã ingẽs vbiq; numer⁹ est*, &c. At verò quũ ab initio libri hui⁹ tria sim pollicitus, primũ vt ex diuinis literis de nuptijs & votis Smythęo respõderẽ: alterũ, vt ex Patrib. adferrẽ, quid ijs de reb. senserint, & in quibus, vel mihi vel aduersario meo suffragati fuerint: postremò, ne lectores authoritatẽ Smythęi pluris q̃ mereatur facerẽt recepi me de illo quoq; scripturũ. Duo illa priora iã ad vmbilicũ perduxi: nõ quidẽ eo acumine, copia & eruditione qua tractari posset, sed quãtũ pro sua bonitate De⁹ largit⁹ est. Et credo fore, vt pij cordatiq; lectores ex his quæ scripsi, quæstionẽ hãc vel intelligãt, vel occasionẽ accipiãt addẽdi plura & meliora, quib. ea sentẽtia quam defendo cõfirmetur. De tertio verò atq; vltimo lectorẽ admoneo, ne à me multa expectet. Nã, vt modô in mẽtẽ venit, si hoc hominis portẽtũ suis colorib. pingẽdũ susciperẽ, iust⁹ libri mod⁹ excederetur: & multa dicere cogerer, quę, licet, quũ vera sint, & illũ audire cõueniat, me tamen ea saluo pudore scribere nõ decet. Quare pressis ac tacitis omnib. his quæ ad turpitudinẽ eiꝰ vitę spectãt, id solũ attingã, quod, si vel sanctissimis moribus esset ornatus, quiddam in eo est quod iure posset scriptis eius omnem fidẽ abrogare. Id autem est, ingenium eius inconstantissimum, & animus vento quolibet leuior.

Si quid aliud, certè constantia maximè decet theologum. Vt firma sunt, & certissima quę tractat, ita in ipsis eũ oportet, vt in petra & in rupe quadã munitissima immobiliter stare. Qui animo sic nutanti sunt, vt ad omnem ventum ratem accomodent, non sunt prophetæ Domini. Ioannem Christus laudans, ipsum ait non fuisse arundinem vento agitatam: & ad Ephesios admonemur, ne omni vento doctrinæ circumferamur. Ad Corinth. quoque poneriori Paulus ait, *Nuncubi leuitate sum vsus? Aut num quæ cogito, secundum carnem cogito? vt sit apud me, quod est etiam, etiam: & quod est non, non? Imò fidelis Deus quod sermo noster erga vos nõ fuit etiã & nõ. Nam Dei filius Iesus Christus, qui inter vos per nos prædicatus est, per me et Syluanum, ac Timotheũ, non fuit etiam et nõ, sed etiam per ipsum fuit.* De hac præterea cõstãtia Deus Hieremiá cap. 1. admonuit, dicens: *Ecce ego constitui te hodie quasi ciuitatẽ munitam, columnam ferream, & murũ æneũ.* Huius cõstãtię Smythę⁹ ne micã quidẽ vnquã habuit: vnde in fidei dogmatis adeò frequenter sententiam mutauit. Quæ animi eius instabilitas citra controuersiam indicat, vel illũ ea, de quibus loquitur, & quæ affirmat, non intelligere: vel, si vtcũq; intelligat, erga causam parũ artifici. Quorũ vnũ imperitię, alterũ verò impietati adscribitur. Atq; si aut semel, aut iterum variasset in fide, potuisset fortasse, quamuis nõ citra grauissimũ eius vitium, dissimulari. Verũ à seipso tã sępe discessit, vt nũq; apud seipsũ verè fuisse possit credi. Vnde non Smythe⁹ dici debet: sed meretur vt Oxonij doctor Vertumn⁹, aut doctor Proteus à suis papisticis sodalib. iusto congruoq; nomine salutetur. Nã primo tẽpore sophisticen cum alijs scholasticis theologis professus est: & à superstitionibus iactabundè magis quã fortiter stetit, vt à monachis & abbatib⁹ in clitela retineretur. At paulò post corã reuerẽdissimo dũo. D. Latimero sanctissimo viro, & tum grauissimo Vigornięnsi episc. nunc verò martyre nobilis. magna contentione iustificationem per solam fidem absque operibus publicè in scholis docuit. Hac arte q̃ęsiuit bono & venerãdo patri seipsum insinuare, ac per illum regię maiestati cõmẽdari. Sed eo digresso vt recõciliaretur doctorib. & abbatibus, quos offenderat, postridie in auditorio publicè sentẽtiam mutauit: deinde, cùm sub inclytę atq; sanctissimæ memoriæ Eduardo rege, quo pro illa ætate sol nunquá meliorẽ principẽ vidit, pietas in regno Anglię, ac euãgelica doctrina instaurarẽtur, audebat faber iste mendaciorum sese veritati opponere. Exciderantq́ue illi scripta quædam & dicta per imprudentiam, quæ reuera ferri non debebant. Ad quorum defensionẽ vocatus, cùm ea tueri non posset, tum Londini ad crucẽ Pauli, tũ bis Oxonij è suggestu pro sua constantia palinodiam cecinit. Verum neque sic in sententia permansit. Non enim ferre poterat se à theologica professione summotũ, neq; illi veniebat in mẽtẽ, quã thelogicę professioni ἀναπόσπαστος doctor parum cõueniat. Proinde cùm permulta variaq́ue mouisset, trans mare aufugit. Louanij diu esse non potuit. Lutetiam venit, cœpit docere publicè, sed friguit: nã quo diutius peregrinabatur, eò doctrina eius in deterius proficiebat. Ad extremum se in Scotiam contulit, vbi cùm aliquãtulum fuisset, cœpit eum tædere. Quare vt suę fugæ mederetur, ad solitum remedium confugit, nimirum ad incõstãtiam: & ad Reuerendiss. in Christo patrem & dominum D. Archiepiscopum Cantuariensem Thomam Crammerum, singulari pietate ac doctrina insignem, quem honoris causa nomino, scripsit: Illi enim incomparabili pastori, vt Ecclesia Anglicana maximè debet, ita ego propter eximias illius virtutes, & erga me eximia merita, sum perpetuò deuinctus. Ad talem, inquam, præsulem scripsit, & quidem valdè supplex: promittebatq́ue se posthac religioni, quã Edouardus rex propagabat, & Anglicana Ecclesia profitebatur, non solũ obsequẽtẽ & morigerũ, sed etiá strenuũ ꝓpugnatorẽ fore. Quæ hucusque retuli, certis & firmissimis testimonijs comprobabo: adducamq; non alienos testes, sed ꝓpria eius verba: quo appareat, eũ q̃

se toties palinodijs in viam restituerit, non solum multoties errasse, verùm ét sine mente loqui plerũq; consueuisse, et nunquam propemodũ pensi habuisse, quid assereret, quidue diceret. Porrò qui sic facti sunt, negotiũ religionis pro serio nõ habent. Et iusta causa si quando eã defendendã susceperint, minime afficiuntur, sed suis diatribis et palinodijs modò in hanc, modò in illam partem editis deuorãt seipsos, et vt Madianitæ proprijs ipsorum gladijs concidũt. Nec mirũ, quia Gedeonẽ, & populũ Dei, veritatẽ, inquã, & Christi sanctã Ecclesiã oppugnãt, dum tantùm pecunias ventré, & quę sub vẽtre sunt consectantur. Neque illorum quicquam refert, si ex eodẽ fonte dulce & amarũ ꝓpinẽt, ex ore suo frigidum & calidum spirent. Atque si mutabilitas hæc sententiæ animiq; inconstantia, tantùm ipsi Smyt. noceret, ferri, ac dissimulari vtcunq; posset. Sed omnib. ferè nocet. Quid enim ijs exemplis offẽsus populus apud se iudicat, aliud, quàm theologos impostores esse, qui pro libine fidei dogmata dicant, negẽt propugnent, destruant, figant, refigant, & mille modis pro temporum et commoditatis occasione in re sacra, et diuinis literis ludant? Quo damno quidnam, obsecro, grauius, aut exitialius Ecclesiæ potest accidere? Quando, Smyt. à tempore quo primum doctor esse cœpisti, valuit quisquam intelligere, ac certò scire, quidnàm ex animo, & serio doceres, quidúe de quæstionibus hodie controuersis crederes? Certè nunquam. Nam vt Proteus in omnia hucusq; te vertisti, & omnib. ad eorum exitium, nõ ẽdificationẽ omnia fieri conatus es. Quapropter hoc tuum institutum demigrandi frequenter à teipso, ita vt modò sis togatus, modò palliatus, chamæleon, et polipus nullo modo est excusandum. Nam si nolens, et imprudẽs ita facis, te rerum theologicarum semper imperitum fuisse ostentas: at si talis es data opera, quòd vtẽdum foro censeas, iam nõ theologus, sed circumforaneus haberi debes. Postremò cũ in ijs perpetuò verseris palinodijs duab. sellis sedens & Punica Græcaq; fide loquens, ac instar trochi modò hoc modò illud docens, quid quæso, tibi tua ipsius loquitur conscientia? Sed illam fortè aut raro cõsulis aut loquẽtẽ nũquã audis, vt qui ad eius voces obsurdueris. Quare loco eiꝰ ipse tibi loquar, & quid tibi tandẽ sit euenturũ diuinabo. Et ab his qui veritatem puritatemq; profitentur Euangelicam, & à Papistis cultoribus Baal excides, ac instar vespertilionis, qui tantùm in tenebris volitat, & à quadrupedibus, & à volucribus reijcieris, parti vtrique tum odiosus. Verùm iam omissis aliorum de te iudicijs te ipsum audiamus contra te loquentem.

Retractationis ad Paulinã crucẽ Londini à Richardo Smythæo theologiæ Doctore et ꝓfessore editæ anno Domini 1547. idib. Maijs, explanatio lucida et aperta ab eodẽ habita Oxonij eodem anno, nono Calen. Augus.

DEVS PROTEGET GRADIENTES simpliciter, inquit Salomon.

CVM primum Londino decedens Oxonium venissem, paucis pôst diebus, quàm è Paulino suggestu concionatus essem, me in primis & ante omnia apertè, explicatè, plenè hîc apud vos enarrare ac diuulgare oportuit, quàm paulò antè ad Paulinam crucem publicè in maxima frequentia, & celeberrimo conuentu legeram, professusque eram, retractationem, eamque non mancam aut mutilatam, sed totam, & integram vobis proponere. In quo tamen me ipse prorsus fefelli, penitusque decepi. Etenim quod in mea oratione maximum habuit pondus & momẽtum, illud ego prætermisi, & præteruolaui, vtpote qui tria mihi simul & eodem tempore declaranda & explicanda proposueram. E quibus primum erat, vt patefacerem, & cõmonstrarem actionem illam omnem, quam in meorum librorum erroribus conuellendis & reprehendendis impenderam, palinodiam non esse, sed retractationem: secundum autem erat illud vt satisfacerem ijs, quos meæ retractationis calumnia malè persuasos accepi in ea esse opinione quæ sacramenti, quod appellant, altaris, vim negat & violat (in quo sanè adest verum Christi corpus, & verus sanguis) nec non & baptismi, & lotionis, id est lauacri regenerationis. In istis autem explicandis animi contentio magna in primis & acris adeò me à reuocatione mei erroris abduxit, & auocauit, vt in ea recantatione sic eam nũc apertè voco, enarranda & publicanda haud multum operæ & laboris, vt eram pollicitus, posuerim. Quòd ad primum attinet, quandoquidem me retractasse, non recantasse asserui, intelligatis velim, non alio me nomine id fecisse, quàm vt, quod erat à me patratum, excusarem. Tantundem enim significat retractatio, quantum palidonia, siue, vt loquuntur, recantatio: atque tam latè patet hæc, quam illa: vtriusque vis nominis eadẽ est natura par & similis. Iam verò permulti, qui vndique circumfusi ad me audiendum confluxerant, vt accepi ab honestissimis viris, cœperunt ex eo colligere, me à pristini & inueterati erroris mei vestigijs nõ discedere, sed veteri disciplinæ pertinaciter inhærere, eamque pugnaciter propugnare atque defendere, palidoniamque meo nomine publicatam, aut meã nõ esse, aut me coactum & impulsum eidem assensionem adhibuisse. Eos autem tantopere de me errasse, molestè quidem fero: molestissimè verò, eos mea obscuritate in dicendo

lapsos

lapsos esse,& mea culpa in fraudem ac errorem inductos. Qua de re vobis in præsentia legere instituí meam hanc recantationem,quam eandem nuper ad Paulinam crucem edidi. Cui equidem non inuitus assensus sum,sed eam sponte ac liberè sum complexus. Et sane quò vobis sit exploratum & penitus perspectum, meam hanc esse disciplinam, meã doctrinam,meam fidem,eam ego,quantum in me erit,quantumqúe viribus meis cõsequi potero,& in præsenti,& in posterum,si tempus & occasio tulerit,asseram atque defendã. Atqui hoc loco à vobis vehementer contendo, & in Christo seruatore nostro obsecro vos,atque oro, vt neque hinc meam orationem malè ac sinistrè torqueatis,ac deprauetis: neque inde offensionem captetis atque arripiatis:quippe qui vim cœnæ Dominicæ non eleuem aut imminuam,nec baptismi authoritatem violem,neque quicquam,quod in sacrosanctis et canonicis literis contineatur, certè quod necessariò sit credendum. Quòd verò literas scripsi ac dissipaui , ex quo ad Paulinam crucem meas opiniones & errores reuocaui,easqúe multiplices & varias quibus me vehementer meis excusare volui, & palinodiam dissimulaui,vnde nominis mei tuendi,& famæ retinendæ magis studiosus,quàm doctrinæ apertè & enodatè tradendę fuisse videar,quã equidẽ ex animo& cupidè & omni cogitatione profiteri cupiebam,quicquid,inquam,vel illis literis,vel alijs scriptis meis consignaui,vel prælectionibus tradidi,vel aliàs exposui,id omne suspectũ habeo,& mendacij ac erroris suspensum & ambiguum. Quod verò hoc tempore docendum suscepi,id quidem quoniam funditus penitusqúe inuestigatũ accuratissime probaui,exploraui,perlustraui,verum esse agnosco. Tritum vetustate prouerbium est,Amicus Scortates,amicus Plato,sed magis amica veritas. Veritas amplectenda,veritas defendenda, veritas asserenda,veritas docenda est. Neque mei nominis ratio ac studium,neque aliorũ de me opinio & expectatio,neque amicitia eorũ,quos vel charissimos habeo,neque alia res vlla,cuiusmodicunque illa fuerit,tantum aliquando apud me efficiet, vt veritatem erubescam. Non me præterit,quid veritatis author dicat: Quem mei meorumqúe dictorum puduerit,huius pudebit filiũ hominis,cũ in sua,& patris, sanctorumqúe angelorum gloria venerit. Nunc ergo ad palinodiæ & recantationis meę lectionẽ aggredior.

Sanctissimus ille propheta Dauid, Viri fratres, scriptum reliquit: Omnis homo mendax:quibus verbis significauit, omnem hominem sua natura corrupta & vitata, procliuem ferri ad mendacia. Quæ sanè sententia, quàm sit vera, vetustissimi pariter ac optimi authores,quos habuit Christi Ecclesia, clarissimè testantur: quippe qui ad vnum omnes in scriptis & monumentis suis errauerint. Vnde Augustinus ille,ille,inquam,doctor celeberrimus in epistola ad Marcellam scripta de se ipse prodidit. Vos,inquit,qui me multum diligitis,si talem esse asseritis,vt nunquam in scriptis errasse me dicatis,frustra laboratis,nec bonam causam suscepistis: facilè, me ipso iudice,superamini: quoniã nõ placet mihi cum à charissimis meis talis existimor qualis nõ sum. Ex quo perspicere licet,sanctissimum illum Patrem Augustinum non grauatim errorem in scriptis suis agnouisse, & confessum esse. Id quod non verbis solùm testatus est,verùm etiam in libello quodam huic rei destinato,plurimos reuocauit errores suos,passimqúe falsum se fuisse fatetur & ostendit. Eum autem librum Retractationum inscripsit. Iam tandem me ne puderet errores & lapsus meos confiteri in meo libello,quẽ edidi de Traditionibus? Egóne me existimẽ cõferendũ cũ hoc Patre ecclesię Christi celeberrimo,& doctore vetustissimo? An ea de re in nullis nostrę religionis mysterijs Augustino fidem habituri estis, quia in aliquibus errauit,erroresqúe suos multis in reb. literis prodidit, & monumentis consignauit? Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Hilarius, Cyprianus, Origenes, Tertullianus,quotquot denique extiterunt vlla ętate & memoria Christianę ecclesię doctores,aliqua ex parte in scriptis suis errauerunt, decepti sunt,lapsi sunt,falsi sunt, quod sanè illis qui eorum libros diligenter & cum iudicio legerunt,non est obscurum. Quid mirum igitur,si mihi idem quandoque vsu veniat? Aut quorsum meorum erratorũ me pudeat? quidue ea ipsa erubescã confiteri? Annón vt optimus quisque summo dolore affectus est,propter mea in hoc libello errata, ita nunc mecum vnà lætari, & magnam voluptatem capere debet ex eo,quòd ad veri agnitionem in hac controuersia de traditionibus,decretis,ritibus cultibus, ceremonijs humanitus inuentis & excogitatis peruenẽrim? Ecquis non videt me iure ac meritò vehementer excusare debere meam infirmitatem, culpámque deprecari,atque à vobis veniam postulare? Quam quidem impetrasse me à regia maiestate non diffido:tum prætereà idem consecutum esse me ab honoratissimis illius cõsiliarijs,facilè spero. Quorum clementia & benignitate mihi indultum & permissum est,vt hoc loco errores meos ostendam,& hæreses in libro de Traditionibus,quem nuper in lucem edidi ad hunc ferè modum inscriptum: Institutio compendiaria, in qua declarantur vera quædam necessariò credenda , omninóque obseruanda,

cum interim in sacris literis non habeantur, sed Ecclesiæ ab Apostolis per manus tradita sint, à Richardo Smythæo theologiæ doctore & professore edita & diuulgata Quem ego libellum reuoco, improbo, conuello, abijcio, mẽdacij & impietatis coarguo, propter multiplices, qui in eo continentur, errores: è quibus confestim quædã particulatim recensebo. Quo facto veram vobis doctrinam, & vniuersam de his omnibus, quæ ego in eo libro tractaui, disciplinam tradam, & aperiam, vt inde cognoscatis, quonã modo à Christianis hominibus intelligenda sint, ne quis in illis erret, & decipiatur.

In primis quòd in libro meo de Traditionibus, de pontificum authoritate in legibus ferendis, & decretis sanciendis, quibus populum obtemperare oporteat, ad hunc ferè modum locutus sum: Debere homines mandatis & institutionibus pontificum in omni re licita, iusta, & æqua parère sub pœna damnationis æternæ. Atque item hæc Matthæi. Quod dicunt facite, quod autem faciunt, nolite facere, docui, non ad ea tantùm pertinere, quæ in sacris literis continentur, sed ad alia etiam Ecclesiæ decreta spectare, & ad Leges, quæ asciscuntur à ministris, præter scripturæ sacræ authoritatem etiam si ijdem illi, qui Ecclesijs regendis, Verbo Domini dispensando, & sacramentis administrandis præficiuntur, iure suo abutantur, & lucrum priuatum quæstúmque sectentur: Quodque prætereà tradidi, magis esse consentaneum rationi, vt populus obsequatur & obediat decretis pontificijs, in re indifferenti & media, quàm vt domino suo seruus obediat, aut patri filius: eóque omnino modo Christianos astringi ad omnia præstanda, quæ sciuerint, & iusserint pontifices, quo subditi obligantur, vt obtemperent regibus, in rebus quæ in scripturis non continentur, modò illis ne aduersentur ac repugnent, hæc, inquam, omnia in præsenti à me iam commemorata, vt errata reuoco, vt falsa coarguo, vt impia condemno. Ac primum quidem assero, & affirmo, tã Pontificis Romani, cuius nũc ius omne meritissimò aboletur & abrogatur, quàm aliorũ vel episcoporũ, vel ministrorũ authoritatẽ in verbo Domini prædicando ac dispẽsando positam esse, nõ in legibus iubendis, aut scisendis decretis præter legẽ diuinam, id est, nouũ & Veteris Testamentũ & præter cõsensionẽ & authoritatem Regis atque populi.

Secundò asseuero atque adeò confirmo, nullum aut episcopum aut ministrum Ecclesiæ ius habere aut homines cogendi, aut conuentum aliquem solenniter celebrandi, aut leges ferendi, aut decreta sanciendi, sine authoritate sacrarum literarum, nisi & princeps & populus assentiatur Quòd si quandoque eiusmodi leges promulgârint, nemo illis astringitur obedire.

Tertiò affirmo, in illis regionib. in quib eiusmodi leges latę fuerint, & Regũ authoritate cõfirmatę, earũ Legũ vim pẽdere nõ tã ex episcoporũ nutu, quàm ex iussu principũ.

Quartò assero tã intra hoc nostrũ regnũ Britãniæ, quàm etiã alibi, quocũque Regis nostri imperiũ & ditio pertinet, nullã nec legẽ, nec institutionẽ, nec decretũ Ecclesiasticũ ne minima quidem in re vel tantillum habere ponderis, à quocũque authore profecta sint, nisi eadem aut Regię maiestatis edicto, aut publico totius regni conuentu (quod Parliamentum appellamus) sanciantur.

Adhęc quod in libro illo meo, quẽ dixi, de Traditionib. scripsi, sacerdotiorũ decimas ijs dũtaxat debitas esse, qui Euangeliũ prędicãt, nec cuiquã fas esse aut licere, decimarũ fructũ capere, qui nõ inseruiat altari, id est, nõ cõcionetur verbũ Domini, sed crimine violatę religionis ad reddẽdos & restituendos fructus, quos perceperint, obligari (quę qui dẽ sentẽtia, vt verba prę se ferũt, seditiosa videri possit aduersus Regię maiestatis edicta, & huius regni leges, quę nonnullis & laicis hominib. decimas cõcedũt: qua de re, si verborũ ratio curiosè inquiratur, nolo ne in animo quidẽ aut tacita cogitatione id ipsũ pugnare) hoc vos oro obsecroq́s, vt liceat mihi verba malè collocata candidè exponere: me videlicet Laicos nõ eo animo intellexisse, quo regni huius legib. aliquid derogarẽ, sed laicos appellasse pastores ecclesiasticos, & sacrificos: qui cũ decimas accipiãt, & eisdem vtantur & fruantur, tamen officio suo, pro eo vt debent, non funguntur.

Quod aũt & in lib. illo meo de Traditionib., & in eo quẽ inscripsi de Sacrificio Missę, Damascenũ secutꝰ & alios authores antiquos, discipulos Christi quosdã canones & regulas cõdidisse, quos in vnum Clemens coegerit, eosque perinde retinere oportere vt ab Apostolis traditos, nec minorem illis fidem habendam esse quàm si in sacris literis continerentur, postremò de illis nefas esse ambigere aut dubitare: nunc multa lectione earũ rerum, quas anteà non admodum animaduerteram persuasus, fateor atque etiam profiteor, et præ me fero, eam doctrinã vanam, fictã, iniquã, & Christianis cõscientijs intolerabilem esse: et illos canones Apostolorũ no mine vulgatos, ab Apostolis nõ fuisse confectos, nec collectos à Clemẽte. Et quamuis a b illis cõscripti fuissent, eos tamen nõ ad aliud quam ad ordinem et eutaxiã valere oportere, & ad aliquod tẽpus, nõ in perpetuũ durare, è

rare,è quibus permulta hoc tempore omnino ſeruanda non ſunt. Eos autē canones qui adhuc in Eccleſia retinentur, vim diuinis legibus æqualem & parem habere, non eſt cogitandum. Neque enim aliqua religione obligant conſcientias, aliter quam vt res ab hominibus inuentæ & ordinatæ: quæ etiam tolli poſſunt & abrogari per magiſtratum ſine vlla religionis violatæ conſcientia. Quo ex genere alia etiam permulta ſunt, quorū partim iamdudum ſublata ſunt, partim ſunt inter ſe pugnantia.

Ad hæc in eodem illo libro meo de Traditionibus aſſerui, Chriſtum & apoſtolos multa tradidiſſe Eccleſiæ non ſcripta, quæ tamen nobis firmiter credenda, & diligenter obſeruanda ſint ſub pœna æternę condēnationis. Ex quibus nominatim multa comme moraui cuiuſmodi ſunt iſta, Teleſphori, vel vt ſolent loqui, Quadrageſimæ ieiunium, quo interdicitur hominib. vino & carnib. Aſſeruatio Sacramēti in pyxide: eiusque receptio de manu ſacerdotis: Lauacri regenerationis luſtratio: Linea illa veſtis cādida, qua poſt baptiſmū infās induitur, quę ab imperitis ſacrificulis chriſmale dicitur: Infātis terna immerſio: Olei cōſecratio: infantis baptizati vnctio: Altariū sāctificatio: conſuetudo precādi ad Orietē: Sutſitus altariū: Manuū lotio: cōfeſsio: Sacramēti eleuatio: Aquę luſtralis cōfectio: opinio illa qua adducti homines crediderūt duodecim Apoſt. duodecim articulos fidei cōpoſuiſſe, hoc eſt, p ſe quēque particulā aliquā ſymboli cōfeciſſe, & alia denique id genus infinita. Eodē modo loquutus sū de canonib. inſtitutis, decretis pontificū, ſynodorū, conciliorū. Hanc autē doctrinā, qua iſtę traditiones obtrudūtur ſub pœna ęternę condēnationis obſeruandę, vanā eſſe, falsā, iniquā, tyrannicā, imò onus eſſe cō ſcientiarū indignū prorſus quod doceatur, prędicetur, defendatur, aſſero, atque affirmo. Ad eundē modū quod de reb. credēdis, dixi multa eſſe nō cōprehenſa ſacris literis, quæ nō minus credēda ſint, quàm quę in verbo Dei expreſsè cōtinentur, in quib. temerè et incōſideratè multa recēſui ex illis, quę ante dixi, et multa eius generis alia, quod ad multa, vel potius quod ad multò maximam partem quæ in illo libro congeſsi, attinet, omni aſſeueratione affirmo, ea falſa, vana, iniuſta, periculoſa eſſe, & onera Chriſtianis conſcientijs non ferenda. Verum tamen erat, quod dixi, in his tantùm, quæ neceſſariò colligūtur, & vt aiunt, conſequuntur ex ipſa ſerie & contextu ſacrarum literarum, quæ ſi verè loqui volumus, in illis continentur: quamuis diſertè non exprimantur: quo ex numero perpauca ſunt in meo libro: pauca tamen quædam recenſui, qualia ſunt, Baptiſmus puerorum, Deſcenſus Chriſti ad inferos, Virginitas, Mariæ, Trinitas perſonarum, Proceſsio ſpiritus ſancti, & alia non multa.

Quoniā autē verā intelligēdi ſacras literas et germanā rationē, dignitatē, authoritatem à cęteris aliorū ſcriptis diſtinctam eſſe, eoque alijs non ſcriptis traditionibus, (quę per obſeruationem multorum annorum, Eccleſiarum, canonum, decretorum, vagę et erraticę inuentę ſunt) credibiliorem, ſolidiorem, & auguſtiorem eſſe declarare & exponere conſtitui, equidem hoc loco profiteor & affirmo, meam in his fidem certam & ſtabilem, quæ ad me tam de ſcriptis traditionibus, quàm de non ſcriptis referebantur.

Authoritas ſacrarum literarum.

Scriptura noui & veteris Teſtamēti inſtinctu et afflatu ſancti ſpiritus cōſcripta, quod ad fidē noſtā attinet, ita amplectēda et credēda eſt, vt de ea vel dubitare, vel quocūque iudicio cōmutare quippiā, vel quacūque poteſtate corrigere, vel addere ei aliquid, vel detrahere, nefas ſit. Itaque ſub pena ęternę cōdēnationis credēda eſt, nec minore periculo in vitæ inſtitutione obſeruanda, à Deo omnipotēte tradita, à ſpiritu ſancto inſpirita, à nemine mortalium authoritatem et fidem nacta, & idcircò à nemine violanda, niſi æternùm perire velit.

Quæ in ſcripturis ad tēpus mandata ſint.

Quę in Actis Apoſtolicis alijsque ſcripturæ locis tradita ſunt, vt elemēta quædā et initia, quib. infirmi in fide tanquā manu ducerētur ad altiora, ad aliquod tēpus, nō in perpetuū duratura, fide iā incrementū capiēte et cōfirmata, haud aliter, atque illorū author ſtatuit abrogata ſunt, & antiquata. Quæ ad edendum aut bibendum, quæque ad tegenda capita, aut retegenda pertinebant, ad ordinem & decorum ſpectantia, ad tempus retinenda erant, nō, vt Lex quædam æterna & incommutabilis, in perpetuum retinenda.

Quæ neceſſariò è ſacris literis colligūtur.

Quædam è ſacris literis neceſſariò non colligūtur.

Quæ traditionum nomine interdum appellantur, nec in ſacris literis ad verbum expreſſa ſunt, poſſunt tamē ex illis neceſſariò colligi eoúſque credenda et obſeruanda ſunt, quoad ex contextu ſacræ ſcripturæ verè colligi, & conſequi poſſunt.

Traditiones credibilia tamen & fide digna.

Traditiones ſub nomine ac titulo Apoſtolorū vulgatæ, à quibuſdā authorib. eiſdē attributę, de dogmatis, quę in ſacris literis nō habētur expreſſè, neq; ex illis neceſſariò poſſūt colligi, nec ex illarū cōtextu cōſequūtur, legitimè interdū in dubiū vocari, interdū negari, interdū repudiari poſsūt, p̄ſertim ſi magiſtrat⁹ intercedat. Tribuūtur multa Apoſtolis traditionū nomine, ab illorū vſque tēporibus ducta, multa vetuſtiſsimorū authorū titulo legūtur, ficta, ſuppoſititia, vana, ſuperſtitioſa, falſa, ab illis conficta, qui ſuā vole

Traditiones fictæ & ſuppoſititiæ

bant authoritatẽ extollere: vt epiſtolæ Clementis, Anacleti, Euariſti, Fabiani, aliaq́ue nõ nulla authore epiſcopo Romano, & eius fraudis ſocijs edita: quæ in Eccleſiã ab illis inuecta ſunt, quib. ſtudio erat prętextu & ſpecie antiquitatis tyrãnidẽ Romanę ſedis euehere.

Ad vitam & mores ſpectantia è ſacris literis non neceſſariò colligta.

Eccleſiæ traditiones, ſiue reuera antiquæ ſint, & longa conſuetudine ab primoribus Eccleſiæ & ab Apoſtolorum temporibus traductæ, ſiue citra illa tempora ex Reſponſis & Decretis Romanorum pontificum inuentæ & traditæ, ſiue ſynodorũ & Cõciliorũ authoritate cõfirmatæ, de Vigilijs, de Ieiunijs, de Genuflectionibus, de Suffitibus, de Vnctionib. de Benedictionib. cęterisq́ue id genus ceremonijs, & ritib. nõ alios illę obſtringũt, quã eos qui illas receperũt: easq́ue deſuetudine & contrarijs legibus in quauis Rep. per magiſtratũ auferri poſſe nõ eſt dubiũ. Proque illis alij ritus, traditiones, canones ceremoniæ, non incommodè, & ſine peccato aut ſcrupulo cõſcientię proponi poſſunt. Atque ab his quę iã dixi, Regię maieſtati vel bonis & iuſtis de cauſis, vel etiã ſua benignitate nulla de cauſa, integrum eſt ſuos ab illorũ obſeruatione exoluere ac liberare. Et quiſquis hoc pacto erit à Rege liberatus, vti poteſt libertate ſua ſine metu, aut ſcrupulo conſcientię, non aliter atque in edictis, ſtatutis, & promulgationib. ciuilibus fieri ſolet. Secus autem longe fit in illis rebus, quæ pręcipiuntur aut prohibentur in ſacris literis. Nã ab illis nemo mortalis eximere quenquã poteſt, ſine peccato & graui vulnere cõſcięntiæ.

Hæc ego firmiter credo, & certiſsima fide teneo, quantum ad traditiones vel non ſcriptas, vel ſcriptas & literis proditas, quantũq́ue ad ea omnia pertinet, quæ aut alius quiſpiam, aut ego ipſe docuerim, ſcripſerim, concionatus ſim his meis aſſertionibus, & fidei vobis iam expoſitæ contraria. Quòd ſi quis poſthac, quod Deus auertat, doceat, concionetur, prædicet quicquam his aſſertionibus contrarium, credite mihi, optimi fratres & certò ſcitote falſam eſſe illam doctrinam, & impiam, & diabolicam: eumq́ue quiſquis erit, nefariè abuti ſacris literis contra veram, puram, ſinceram, integram, catholicam Eccleſiæ diſciplinam. Et in hac fide, quam ſex illis meis aſſertionibus complexus ſum, conſtitui, optimi fratres, vitam meã ponere, & in ea propugnanda, ſi erit opus, iuuante Deo meipſum omnibus periculis exponere, ſi me Deus eò vocauerit.

Nunc venio ad alterũ meũ libellũ de ſacrificio Miſſę: in quo pręcipuus fidei noſtrę articulus, & ad remiſsionẽ peccatorũ, & ſalutẽ noſtram maximè pertinens, ſic habet: Ieſum Chriſtum ſeruatorẽ noſtrũ pertioſa morte ſua, & effuſione ſacroſancti ſanguinis in cruce humanum genus redemiſſe, peccata noſtra expiando, & patrem iratum placando, & chirographum, quod erat contra nos ſcriptum delendo. In quo ſacrificio ſeruator noſter Ieſus Chriſtus, ſicuti Paulus ad Hebræos apertiſsimè teſtatur, non erat ſacerdos ſecundũ ordinem Aaronis, quoniam fuit ex alia tribu, & quoniã illud ſacerdotium erat imperfectum, & inutile, vtpote quod nihil ad perfectionem potuit adducere. At ſeruator noſter Ieſus Chriſtus ſacrificium in cruce abſolutiſsimum fecit & perfectiſsimum, vt vnico illo ſacrificio per ipſum ſemel pro peccato facto, opus non fuerit, vt aut ipſe, aut alia creatura aliud ſacrificium pro peccato faceret. Ob eamq́ue cauſam, vt Paulus ait, ſacerdos appellatur in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, non autem ſecundum ordinem Aaronis. Hanc omnes Chriſtiani fidem tenere debent, & eam ſine vlla dubitatione palàm ac publicè confiteri ſub pœna æternæ condemnationis, & pro ea in diſcrimen venire, ſi res & occaſio tulerit. Quæ ſanè doctrina longè ſacratiſsima, & fidei noſtræ maximè neceſſaria, hactenus à me parùm fuit diligenter conſiderata. Quemadmodum magnæ eruditionis viris, in re ſimili multa ſcribentibus vſu venire ſolet, vt aliquando aliquem in errorem prolabantur. Ita ego in illo meo libro de Sacrificio Miſſæ, non ſatis conſideratè ſcripſi, Chriſtum non fuiſſe ſacerdotum ſecundum ordinem Melchiſedech, cum ſeipſum offerret patri in ara crucis pro peccatis noſtris, ſed ſecundum ordinem Aaron. Prætereà autem Chriſtum obtuliſſe corpus ſuum ad placandam iram patris ſecundum ordinem Melchiſedech, non poſſe intelligi de victima, quam patri ſuo fecit in cruce, ſed tãtùm de ſacrificio quod celebrauit ſub forma panis & vini in cœna. Cui ſententiæ Pauli doctrina manifeſtiſsimè repugnat, tam in epiſtola ad Hebræos, quàm alijs multis in locis contra quem, præſertim Dei ſpiritu, quod non dubito, præditum, neque decet, neque volo quicquam vnquam vel tradere, vel traditũ defendere. Quocirca illud optimi fratres, humanę imbecillitati imputate, meęq́ue negligentiæ. Tum enim magis quid ipſe haberem in animo perpendi, quàm quid immutabili veritati conſentaneum eſſet: magisq́ue propoſiti defendendi ſtudio ducebar, quàm ſimplicis veritatis inquirendæ. Ad hæc in eo libello aſſerui, ſacrificium Miſſæ non modò ipſum eſſe corpus Chriſti, verum etiam eandem ipſam eſſe oblationẽ corporis & ſanguinis Chriſti, quã ipſe ſemel tãtùm fecit ad irã patris placandã in ara crucis. Aſſerui prætereà ſacerdotes in Miſſa quotidie continenter offerre, non modò idem corpus

pus Christi, sed etiam ad eundem finem & affectum, in quem se Christus patri obtulit in cruce. Ex quibus verbis nisi cautè prudenterque intelligantur, magisque candidè atque alio sensu accipiuntur, quàm quem ipsa præ se ferūt, colligi posset sacrificulos in hac parte Christo ipsi æquales & pares esse: hoc est, & sacerdotes esse secundum ordinem Melchisedech, & placare indignationem cœlestis patris, perinde crucifigentes Christum in eundem finē & vsum, in quem seipse in cruce obtulit. Quæ sanè doctrina blasphemia intoleranda est, & auribus Christianis indigna. Christus enim, vt ait Paulus, semel sub finem seculorum ad tollendum sacrificio suo peccatum venit: & semel oblatus est, & vno sacrificio omnia in perpetuum perfecit. Semel enim ipse se obtulit in cruce, vt nos redimeret eodem videlicet ipso die quo passus est, neque antea vnquam oblatus, neque postea offerendus, nisi in sacramento tantùm & commemoratione. Sic enim Christus de vltima cœna sua loquitur: hæc quotiescunque feceritis, in mei commemorationem facietis. Semel pro peccatis nostris mortuus est, semel pro iustificatione resurrexit. Vno sacrificio perfecit in perpetuū credētes, nunquā amplius moriturus. Sacrificiūque eius adeò plenū, integrū, absolutū fuit, adeoque Deo acceptū & gratū, vt plurib. victimis & sacrificijs ad pacificandū Deū nō sit opus: neque pro præteritis tantū peccatis vnum hoc sacrificium satis fuit, sed etiam pro omnibus peccatis quæ futura sunt vsque ad extremum iudicium. Nunc pluribus sacrificijs pacificatorijs non est opus, nec plurib. opus est sacerdotibus: ad illud, illud vnum atque vnicum respicere, mentémque & cogitationem conuertere, & illius sanctissimi, integerrimi, purissimique agni memoriā subinde replicare oportet, qui tum semel in perpetuum offerebatur. Attamen ea, quæ paulò ante cōmemorata sunt me scripsisse & asseruisse negare non possum. Atque vt iam tandem ad me rediens nullo modo probo, ita Augustini aliorumque doctissimorum virorum exemplo, ea reuocare, & retractare, & prorsus abijcere nō erubesco. Meā enim ipsius opinionē sequens sacris literis non satis instructam, primùm, vt est hominum natura, erraui: deinde cum sacris scripturis apertè pugnantia conscripsi. Quare omnibus author ero, vt fidei & religionis nostræ mysteria in verbo Domini fundare studeant: quod cum verum certumque sit, fallere & in fraudem aut errores inducere non potest: ne si secus fecerint, in superstitionem & idololatriā, aliosque errores infinitos & inexplicabiles incidant: quēadmodū mihi aliisque compluribus non ita pridem vsuenit. Quanquam nō eò in hunc locū ascendi, quòd quenquam accusarem. Quapropter hos ego duos libellos, quorum alterum scripsi de Missæ sacrificio alterum de non scriptis traditionibus, cæterosque omnes sicubi sacris literis parum consentiunt, respuo & erroris mendacijque coarguo: &, quia cum verbo Dei pugnant, impietatis conuinco atque condemno. Adhæc, omnibus precibus à te contendo, Christiane lector, quisquis eris, ad quem errata illa mea peruenient, vt ne illis plus tribuas, aut credas, quàm ego vellem, hoc est, ne eos libros ita complectaris, vt de quorum fide dubitare aut ambigere nefas esse putes: sed vt ab homine scriptos, suspectos habeas, quem aliquid latere potuerit, qui errori sit obnoxius, qui labi, falli, decipi possit. Quod si eiusmodi erunt, vt cum sacris literis non videantur pugnare, tamen ea ab hominibus inuenta esse cogita, quęque vel vera esse possint, vel falsa. Verùm vbi apertè aduersabuntur verbo Dei, ea falsa & vana esse persuasum habe: méque proinde, quòd ea scripserim magnopere dolere. Quare omnes vehementer oro, vt sibi ab erroribus meis caueant, neque illis ex hac parte fidem habeant, qua cum sacris literis non conueniunt, sed eos non minore studio & cautione fugiant, quàm solent grauissimas labes declinare, & veritatem verbi Diuini, & omnipotentis Dei gloriam promouere, cui sit omnis honor in secula seculorum. Amen. Quòd autem nonnullos aliqua ex parte mea doctrina offensos intelligo, qua pridem hîc apud vos Oxonij docui quatuor ad iustificationem requiri & concurrere: nimirum, promissionem Dei, merita Christi, personarum atque operis dignitatem, eos certum est de me errasse, quæ ego hominis iustificati opera esse dixi, ea iustificationi nostræ, siue homini iustificando tribuentes. Cæterùm, ne quis post hac de mea fide & conscientia dubitet, in hoc negotio iustificationis, hæc mea de iustificatione certa & vera est doctrina: cui firmiter assentior, de qua persuasus sum, quam semper professus sum & docui, ex quo docendi munus primùm suscepi, & in qua perpetuò manere, fauente Deo, certò constitui. Hoc est quod dico, atque adeò confirmo, optimi fratres, hanc doctrinam, sola fide in CHRISTVM nos iustificari, non nouam, aut nuper inuentam esse, sed sæpissimè ab antiquissimis doctoribus vsurpatā: vt ab Origene, Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Bernhardo, alijsque compluribus: verámque eam & indubitatam esse hac mente atque hoc animo ab eis proditam, quo secludunt & semouent omnia hominum merita, quantumuis speciosa: quoque soli Christo ascribūt iustificationis nostræ gloriā & meritū, illiusque sacratissimo sanguini

& passioni, qua sola sanctificamur, liberamur, iustificamur: addo etiam hanc doctrinam ab illis in hunc finem vsurpatam esse, quò superbia nostra & supercilium deijciatur, & omnis prorsus gloriatio tollatur, præsertim quod ad opera pertinet, vt verè imbecillitatem nostram & infirmitatem agnoscamus, & diuinam erga nos benignitatem: non tamen quod liceat homini Christiano opera bona contemnere, aut quò putemus vitam Christianam ociosam esse oportere & desidem, metu Dei destitutam, & spe, pœnitentia, emendatione, charitate, precibus, ieiunijs, eleemosynis, obedientia, alijsque bonis operibus à Deo præceptis vacuam: sed vt verè agnoscamus, etiam cum omnia fecerimus, tamen nos seruos esse inutiles, nec dignos quibus propter opera nostra gratiæ agantur: sed mera Dei misericordia, propter merita filij ipsius dilectissimi Iesu Christi nos saluos esse factos. Quæ profectò, doctrina de solius fidei iustificatione, & vera est, & catholica & dignissima, quæ & ab omnibus doceatur, & omnibus inculcetur: quã vetustissimi doctores, quos quidem ego legi, profitentur & docent. Ad hunc ergo modum iustificatio fidei omnibus Christianis rectè tradi potest, quamuis à nonullis deprauata, & sinistrè detorta fuerit. Quòd si quis ita sibi persuadeat, se posse bene & sanè credendo vitam æternam consequi (si tamen hoc possit fieri) quamuis malam & flagitiosam vitam ducat, aut ex fide sua nihil agat, cùm ad agendum tempus suppetat, temerè sentit, impiè & insanè iudicat, atque ita, vt nemo ante hac unquam Christianus vel doctus, vel sanus, aut scripsit, aut sensit. Omnes enim scripturæ apertè loquuntur: Qui me amat, mandata mea seruat: Oues Christi vocem eius audiunt, & ex illa vitam suam moderantur. Quare qui ita interpretantur eorum sententiam, qui hominum sola fide iustificari concionantur & docent, quasi nihil boni operis fieri suaderent malè de illis sentiunt, & illorum dicta prauè detorquẽt, nec eos omnino intelligunt: quorũ omnis ratio & consiliũ, vt ego arbitror, in hoc versatur maximè, vt nostrã imbecillitatem, Dei verò bonitatem, nostram infirmitatem, Dei beneficium, nostrorum operum imperfectionem, seruatoris nostri ingentem erga nos fauorem & gratiam: nostrorum animorum abiectionem, crucis Christi gloriam, totius denique humani generis debilitatem & fragilitatem, Dei autem potentiam & amplitudinem patefacerent & commonstrarent. Atque vt ingenuè fatear, & liberè dicam quod sentio, omnia ieiunia, omnes preces, eleemosynę, castigationes, tormenta angustiæ, paupertas, ignobilitas, abstinentia, omnia denique quę vel facere quis, vel pati possit, nõ satis digna sunt, quo promereantur remissionẽ peccatorũ. Nam sola misericordia & immensa benignitas omnipotentis Dei propter mortem filij sui Iesu Christi, nos ab omnibus peccatis liberat, & omnibus nostris delictis meretur veniã, nosque Deo gratos & acceptos facit. In quem vnum credentes, in eoque omnem fiduciã collocantes, illiquè per omnia adhærentes nunquam falli aut decipi possumus: sed illo solo nitentes vnà cum illo ad domicilium patris cœlestis migrabimus. Hucusque Richardus Smythæus.

OBlatum etiam mihi scriptum est ab Anglo quodam viro doctissimo, quemadmodum meus iste Smythæus ante annos plus minus viginti se Oxonij gesserit, coram Reuerendissimo patre D. Hugone Latimero episcopo Vigornienſi, et quemadmodum sententiam suam in re grauissima bis mutarit eodẽ die. Quod, cum & fide dignum videretur, & cum aliorum doctorum hominum, & proborum virorum sermonibus, quibuscum mihi Oxonij conſutudo fuit, & cum publica fama consentiret, non alienum putaui fore, si hoc loco subjcerem.

RIchardus Smythæus professor theologiæ Oxonij in Anglia, cũ Dominum Latimerum Episcopum Vigornienſem illò venturum, & lectioni suæ postero die interfuturũ accepisset, scheduiam in hanc sententiam valuis scholę theologicæ affixit: Richardus Smythæus crastino die prę lectionem ordinariam intermittet, & partem aliquam è quinto capite ad Romanos interpretabitur, ratus id fore ex vsu auditorij sui. Eo die Dominus Latimerus in scholam venit: confluxit eòdẽ studio videndi episcopi, & rei expectatione, tota ferè Academia. Smytheus vt erat pollicitus è quinto capite ad Romanos, Iustificationem, ex sola fide docere aggreditur, hæc verba disertè & sæpè & asseueranter ingeminans: Sola fides, sine vllis operibus, sine vllis meritis nostris, imò, inquit, si latinè liceat ita dicere, solissima & vnissima fides nos iustificat: tantâque contentione de veritate huius propositionis disseruit, vt maiore nemo potuerit: sicuti testari possunt, quotquot tum erant Oxonij studiosi, qui adhuc in viuis sunt. Imò ne quidẽ ipse Smytheus quamuis alioqui impudentissimus negare hoc audebit. Finita prælectione, D. Latimerus illi gratias egit, alium se eum virum præsentem expertum esse dicens, quàm antè ab alijs exceperat: idq; se oblata occasione etiã Regi significaturum affirmat. Iam scilicet Smythæus id, quod auidè captauerat, erat consecutus. Latimerus eodem die Londinum versus proficiscitur. Eodemq; die, Doctor Cotes, D. Kingus paulò ante Abbas Bruernensis, D. Masse alius Abbas, & alij quidam ex Bernardino collegio Smytheum conueniunt de erroribus, vt dicebant, quos in eius diei prælectione nefandos docuerat. Grauiter cum eo agunt: &, quia res paucis explicari non posse videbatur, omnes ad diuersorium D. Gregorij extra portam borealem non procul à templo Mariæ Magdalenæ conueniunt, vbi ego quoque inter cæteros aderam. Ibi eum inter pocula grauissimè obiurgant, illum omnem iuuentutem Oxoniensem eius

eius diei lectione tanquam veneno infeciſſe, erroresq; intolerabiles, & ſi perſiſtat in ea opinione, hęretica etiam docuiſſe. Poſt multa vltrò citroq; iactata, tandem Smythæus pollicetur ſe poſtridiè eſſe ſatisfacturum: atq; ita diſceſſum eſt. Poſtero die eodem in loco, vbi pridiè præſente D. Latimero docuerat, vt dixi, ſolius fidei iuſtificationem, ſententiam ſuam reuocauit. Intelligere enim ſe dixit eſſe quoſdam qui illa lectione offenderẽtur. Orabat tamen vt ætati ignoſcerent. Iuuenem enim eſſe ſe (quod multis perridiculum videbatur, præſertim cum ſublato pileo caput incanum oſtenderet) proinde non mirum eſſe, ſi ob præſentiam tanti viri, & inuſitatæ multitudinis conſpectum attonito ſibi quædam excidiſſent imprudentius.

Addam inſuper epiſtolas duas Smythæi, quas ille ad reuerendiſſimum in Chriſto D. Cantuariẽſem ſcripſit è Scotia, è quibus intelligi poteſt, quanta eius ſit in religione conſtantia.

SCRIPSI ſub initium vltimi Februarij, præſulum decus, ad reuerẽdiſſimam dominationem tuam, culpam meam, quam in te admiſi temerarius, deprecans vehementer, roganſq; eandem quàm enixiſſimè, vt mihi velis ab rege noſtro condonationem impetrare, impetratamq; ad me deferendam curare. Id quòd ſi pro tua benigniſſima placabilitate, quã apud omnes æquos ſaltem iudices, quàm optimè ſoles audire, mea gratia feceris, bona fide pollicebar, ac nunc rurſum polliceor, me intra dimidiatum annum à mea in regnum reditione, exaraturum Latinè libellum quẽdã de Nuptijs ſacerdotum, ac alijs aliquot de rebus, vnde longè plus honoris & decoris regi noſtro, eius conſiliarijs, tibiq; in primis ſit emanaturum, quàm dedecoris & ignominię ex meo diſceſſu, illinc q; meis proditis ſcriptis ad eoſdem profluxerit hactenus. Non ignorat honorandiſſima tua dominatio, quàm ſoleat Deus non ſimul nec ſemel omnibus ſua retegere dogmata. Imprecor mihi exitium maximum illud, ſi quicquã improbo vnquam ſcripſerim affectu: nec diutius viuere cupio, quàm velim eſſe ſemper paratus & auidus diſcendi veri, erratáque corrigendi. Non ſcribo iſthęc, Archiepiſcope ornatiſſime, quòd deſit mihi, vnde viuam ſplendidè: ſed quòd vrgear quotidie ab his, quibus, ſi diutius hîc perduraro, quod poſtulatur, nequeo denegare, vt excudam reſponſionem ad tuę dominationis libellum de Euchariſtia, & ſcribam de theſibus quadraginta theologicis, contra omnia veſtra dogmata: quod incolumi proculdubiò conſcientia facere non poſſum. Ex vrbe D. Andreæ XI. Februarij.

Tuæ reuerendiſſimæ
dominationis ſtudioſus

Richardus Smythæus.

Altera epiſtola ſcripta erat Anglicè: eam Latinè bona fide, & verè redditam hoc loco ſubiecimus.

SCRIPSI literas ad dominationem tuam, alteras in Ianuario proximo, alteras ad decimum Februarij quib. & cauſas indicaui, cur ita ſubitò ac temerè à tua dominatione diſceſſerim, & mare tranſmiſerim, & dominationem tuam obſecrabã pro miſericordia tua, qua ſoles vti erga eos, quos malè factorũ ſuorum pœnitet, vt & ipſe condonares mihi iniurias omnes quas dominationi tuę feci, & regiæ maieſtatis condonationem, quacunque in parte eius leges violarim, ſcripto mihi impetrares. Quam condonationem quum recepiſſem, pollicitus ſum me in Angliam ſtatim rediturum, & intra ſemiannum à reditu librum de Sacerdotum connubio Latinè edituru, quæ iuſta ſatisfactio eſſe poſſet pro eo, quicquid anteà in contrarium ſcripſerim. Reliquaque omnia dogmata veſtra tum demum me polliceor libenter amplexurũ, vbi Deus mentem meam vt ea citra conſcientię læſionem agnoſcam, doceamque, erudierit. Non iſta ſcripſi, quòd deſit mihi, vnde viuam ſatis commodè: ſed quòd abſentia mea dedecori ſit, & regis maieſtati, & toti regno: & quod mihi neceſſe ſit, ſi tres menſes longius hîc remanſero, reſponſionem ſcribere contra librum illum dominationis tuę, & librum alium locorum communium contra omnia dogmata quæ nunc in Anglia regiæ maieſtatis authoritate recepta ſunt: quod ſalua conſcientia facere non poſſum. Qua propter obſecro dominationem tuam per amorem Dei, effice vt redeam domum, quam poſsis citiſsimè. Spero nunquam te illius facti pœnitebit. Ex vrbe D. Andreæ 14. Februarij.

FINIS.

NDEX ALIQVOT LOCO-
RVM SACRAE SCRIPTVRAE
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI,
qui in hoc Opere citantur & doctiſsimè ſimul explicantur.

GENESIS.

Geneſ. 1. 26. Faciamus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinẽ noſtrã 135. a
neſ. 49. 7. Subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illi, etc. 1427. 1428. 1434. e f 1435. a
neſ. 9. 5. Etenim requirã animas ueſtras de manib. beſtiarũ 281. a
neſ. 17. v 1 Ambula corã me et eſto perfectus 1379. c
neſ. 17. v. 13. Fœdus meũ erit in carne ueſtra 225. b
neſ. 28. v. 20. Si fuerit Deus mecũ & cuſtodierit me in via per quã ego ambulo, et dederit mihi panẽ ad veſcendũ, et veſtimentum ad induendũ, reuerſuſq; fuero in domũ patris mei proſpere, erit mihi Dominus in Deũ 1383. 1384. 1386. b. c. d. e.
neſ. 28. v. 22. Et lapis iſte quẽ erexi in titulũ, vocabitur Domus Dei, cũctorumq; quæ dederis mihi, decimas offerã tibi 1383. 1386. b. c. d. e
n: 49. 29. Sepelite me cum patrib. meis 38. d

EXODVS.

odi 6. v. 30. Quomodo audiet me Pharao cũ ſim labijs incircumciſus. 1347. d
odi. 12. v. 21. Et mactare Peſah 225. b

LEVITICVS.

uit. 4. 5. Et ſumet de ſanguine bituli, & reſpargет digito ſuo ſuper propitiatorium contrà orientem. 252. d.
uiti: 20. Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum 1623. d

EVTERONOMION.

ut. 6. v. 5 Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde & tota anima, & omnib. uiribus. 1383. 1384. 1488 b.
Deuter. 8. 3. Nõ in ſolo pane uiuit homo. 349. d.
Deuter. 23. v. 21. Cum votũ voueris Domino Deo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: Si nolueris polliceri, abſq; peccato eris &c: 1379. 1380.

I. SAMVELIS.

Samuel. 2. v. Si qui uir in uirum peccarit, arbiter ei Elohim. Aliquis enim poteſt ſe ut arbitrũ interponere, atq; offenſo perſuadere &c. 1581. a
1. Reg. 16. v. 2. Quomodo ire poſſũ? Si enim audierit Saul, interficiet me 361. d

II. PARALIPOMẽ

2. Paralip. 2. 6. cœli cœlorũ te capere non poſſunt. 85. d

IOBVS.

Iob. 38. 7. Vbi eras cũ me laudarent aſtra matutina &c. 79. d

LIBER PSALMORVM.

Pſal. 24. Qui habitat in cœlis irrideбit eos. 122. f
Pſal. 21. v. 30. Manducauerũt & adorauerunt omnes diuites terræ. 383. b
pſal. 01 2. Dominus de cœlo reſpexit ſuper filios hominum 122. f
pſal. 13. v. 5. Paraſti in conſpectu meo menſam &c. 808 c
pſal. 65 v. 2. Tibi reddetur votum in Hieruſalem 1584. d
pſal. 65. v. 13. In me ſunt vota mea quæ reddam laudes tibi 1608. a.
pſal. 109. 1. Sede ad dexteram meã, donec ponam inimicos ſcabellũ pedum tuorum. 1435. b.
pſal. 110. v. 1. cœlum mihi thronus: terra autem ſcabellum pedum meorum. 1029. f.
pſal. 102. 19. Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam. 122. f.
pal. 113 16. Cœlum cœli domino, terrã autẽ dedit filijs hominũ. 122. f
pſal. 119. v. 50. Eloquiũ tuũ viuificauit me. 1105. d.
pſal. 119. v. 77. Niſi lex tua oblectatio fuiſſet mea, perüſſem in afflictione mea 1105. d.
pſal. 11. 985. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua 369. e
pſal. 127. v. 1. Niſi Dominus ædificauerit domũ, in vanũ laborãt, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilant &c. 1583. b.
pſal. 138. 7. Quo ibo à ſpiritu tuo? 8. d. b. c.
pſal. 138. 8. Si aſcendero in cœlum, tu illic es, & ſi deſcendero ad infernum 8. a
pſal. 243 v. Nõ intres in iudiciũ cum ſeruo tuo domine, quia nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. 1483. 1484.
pſal. 147. v. 20. Non fecit taliter omni nationi 1038. c

PROVERB. SALOMONIS.

Prouerb. 12. 13. Ruina eſt homini deuotare ſanctos, & poſt vota retractare 1502. d
Prou. 23. 25. Meretrix profunda foſſa 1404. d

LIBER SAPIENTIAE.

Sap. 1. 7. Spiritus Domini repleuit orbem terræ 8. a. c
Sapient. 4. v. 10. Quia Deo placuit & charus ei eſt habitus, ideo cũ inter peccatores Deo viueret, de medio ſublatus eſt: abreptus de malitia &c. 201. e
Sap. 8. v. 21 Et ut ſciui quoniã aliter cõtinens eſſe nõ poſſẽ, niſi Deus det, & hoc ipſũ erat ſumma ſapientia ſcire cuius hoc eſſet donum, adij dominũ & deprecatus ſum illum 1429. 1430.

ECCLESIASTICVS.

Eccleſiaſt. ca. 44. 15. Enoch Deo pla-

cuit, & ſublatus eſt, exemplũ emendandæ vitæ nationib. 201. d

ESAIAS.

Eſa: 6. v. 1. Vidi Dominũ ſedentẽ ſuper ſoliũ excelſum & elevatũ: et fimbriæ eius implebãt templum 115. d

Eſa. 7. 14. Ecce virgo in utero habebit & pariet filiũ & vocabũt nomẽ eius Emanuelẽ 32. d 575. a

Eſa: 19. v 21. Et cognoſcetur Dominꝰ ab Aegyptꝰ, & cognoſcent Aegyptij Dominũ in die illa et colent eum in hoſtijs et munerib. et vota vouebunt Domino 133. 6.

Eſa. 40. 12. Metitur aquas pugillo, & ponderat cœlos palmo. Apprehẽdit tribus digitis molẽ terræ, & liberat pondere montes: 85. d

Eſaiæ 56. Ver: 3. Et non dicat Eunuchus, Ecce ego lignũ aridũ, quia hæc dicit Deus de Eunuchis, qui cuſtodierunt ſabbatha mea &c. 1337.

Eſa: 63. 16. Abraham neſciuit vos, & Iſrael ignorauit 1578. e

IEREMIAS.

Ieremias 1. v. 5. priuſquã te formarem in utero noui te, et in vulua matris ſanctificaui te 97. c

Ier. cap. 11. v. 19. Mittamus lignũ in panem eius 672. a 1040. a

Ier. 28. 24. Nonne cœlum et terram impleo, dicit Dominus 8. b. 14. c

Ierem. 35. 18. pro eo quod obediſtis præcepto Ionadab. patris veſtri, et cuſtodiſtis omnia mãdata eius et feciſtis quæ præcepi vobis propterea dicit Dominus exercituũ Deus Iſrael: Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab. filij Rechab. ſtans in conſpectu meo cunctis diebus &c. 1373. 1374.

MALACHIAS.

Malach. 1. v. 6. Vos ſacerdotes qui deſpicitis nomen meum 820. b

MATHAEVS.

Math. 3. 17. Hic eſt filius meus dilectus ipſum audite 91. f 135. b

Math. 4. v. 9. Pater noſter qui es in cœlis 122. e

Math. v. 11. Beati eſtis cũ probra iecerint in vos, & perſequuti fuerint, dixerintq; quoduis malum verbũ aduerſum vos mentientes propter me &c. 1230. a

Math. 5. 13. Vos eſtis ſal terræ &c. 317 d

Math. 5. 23. Si recordatus fueris quod frater aduerſum te aliquid habet, relinque munus tuum ad altare: & c. 250. a

Math. 5. v. 27 Non mœchaberis: ego autem dico vobis, qui viderit alteriꝰ mulierem ad concupiſcendum illam, iam mœchatus eſt in corde ſuo &c. 1487. f

Math. 5. v. 48. Eſtote perfecti ſicut pater cœleſtis perfectus eſt 1379. b. 1398. b. c.

Math. 6. v 11. panem noſtrũ quotidianum da nobis hodie 1039.

Math. 6. 12. Remittas nobis debita noſtra 1435. d

Math. cap. 7. v. 1. Nolite iudicare & non iudicabimini. Quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini 1106. e

Math. 7. v. 16. A fructibus eorum cognoſcetis eos 218. a

Math. 10. 9. Quod Deus coniunxit homo ne ſeparet 521. d

Math. 10. v. 10. Dignus eſt operarius mercede ſua 1339. e

Math. 10. 28. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere 44. e

Math. 11. 5. cæci vident, claudi ambulant &c. 309. g

Math. 12. v. 30 Si quis dixerit verbũ cõtra filiũ hominis, remittetur ei, qui verò in ſpiritũ ſanctum non remittetur ei, neq; in hoc ſeculo, neque in futuro 767. a

Math. 12 v. 34. Quomodo poteſtis bona loqui cũ ſitis mali 1427. 1428.

Math. 15. v. b. Mandatũ Dei feciſtis irritum per traditiones veſtras 1561. 1632.

Math. 15. 11. Quod intrat in os &c: 108. e

Matb. 16. 17. Caro & ſanguis non reuelauit tibi 971. a

Math. 16. v. 18. Tu es Petrus et ſuper hanc petram ædificabo, Eccleſiã meam 1554. c

Math. 17. 17. Ero vobiſcũ vſq; ad cõſummationem ſeculi 1049. e

Math. 18. 20. ubicunq; ſunt duo vel tres cõgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ 106. a. 959. f

Matth. 19. 11. Non omnes capiũt verbum iſtud, qui poſſunt capere capiant 1363. 1364. 1427. 1428.

Math. 19. v. 27. Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te: quid ergo erit nobis 2337.

Math. 22. 21. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo 1572. b

Math. 22. 43. Et quomodo appellat eum Dauid in ſpiritu Dominum ſuum? 361. c

Math. 23. 23. væ vobis qui decimatis mentam & anetum &c. 901. d

Math: 23, v. 37. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina pullos & noluiſtis 1345. 1546. 1348. 4429. 1430.

Math. 24. 25. Siquis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere. Ecce prædixi. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt &c: 191. d

Math. 24. v. 24. Surgent pſeudoprophetæ & pſeudochriſti, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita ut inducantur in errorem, ſi fieri poteſt etiam electi 1335. g

Math. 24. 46. Beatus ille ſeruus, quẽ cũ venerit Dominus, inuenerit ſic facientem. Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum &c: 125. f

Math. 26. 26. Accepit Ieſus panem, benedixit, & fregit, deditq; diſcipulis ſuis &c. 307. d

Math. 26. 26. Hoc eſt corpus meum 5. b 130. g. 289. d. 308. c d. 315. d 316 a. 318. a 317. a. b. c. 321. g. 322. a 323 b. 346. a. 369. b

Math. 26. 26. Quod pro vobis tradetur. 137. b

Mat: 26. 27. Bibite ex hoc omnes 131. a. b.

Math: 26. 28. Hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effunditur 203. a. 251. e. f 252. a

Math. 26. 29. Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſq; in diem illum cum illud bibam vobiſcum nouum in regno patris mei 36 d 279. d

Math. 26. 64. Videbitis filium hominis venientẽ in nubib. cœli 9. c

Math. 28. 6. Surrexit nõ eſt hic 4. f

Matb. 28. v. 19. Accipite ſpiritũ ſanctum & euntes docete omnes gentes 1344. b

Math. 28. 2. Ecce ego vobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi 303. b. 326. c

MARCVS.

Mar. 18. Ego baptizo in aqua 325. b

Mar: 4. 9. Qui habet aures audiendi audiat 154. f

Mar. 14. 15. potuit iſtud unguentum venundari

venundari magno, & dari pauperibus. 199.b
Marc.16.6. surrexit nō est hic: 211.d
Marc.16.15. Ite in mundum uniuersum & prædicate Euangeliū omni creaturæ 422.d
Marci ult.v.19. Dominus Iesus postquam loquutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei 1239.c

LVCAS.

Luc.1.30. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiā apud Deum. Et ecce concipies in utero & paries filium. 32.a
Luc.1.v.34. Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco 361.c 1345.1346.1347.b.1609.c
Luc.2. postquā completi essent dies purgationis eorum, secundum legem Mosis adduxerunt eum Hierosolymam ut sisterent illum Domino 96.e
Luc.2.24. positus est in ruinā & resurrectionem multorum 599.
Luc.14.v.26. Qui non oderit patrē, matrem, filios & uxorem & denique animam suam non potest meus esse discipulus 1339.b
Luc.16.v.26.29. Mosen habēt et Prophetas 446.b 1552.f
Luc.17.21. Regnum Dei intra uos est 93.b
Luc.18.v.1. oportet semper orare & nunquam defatigari 1534.d.
Luc.21.v.15 Ego enim vobis dabo os & sapientiam cui non poterunt resistere 1225.d.
Luc.22.v.15. Desiderio desideraui hoc pascha vobiscum comedere 756.b.c.
Luc. 22.17. Et accepto poculo, cum gratias egisset, dedit illis &c: 333.a
Luc. 22.18. Dico autem vobis non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat 337.a
Luc. 22.19. Hoc est corpus meum. 135.c.137.a.203.a
Luc. 22.20. Nouum Testamentum est per meum sanguinem 278.g 317.a
Luc.23.43. Hodie mecum eris in paradiso 27.d104.e.105.c.
Luc.23.46. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. 34.d.
Luc.24.26 Nonne oportuit hæc pati Christum, & ita intrare in gloriam suam 86.d
Luc.24.39. palpate & videte quoniam spiritus carnem & ossa non habet. 135.a 450.a 476.e

IOHANNES

Ioan.1.v.1. Verbum caro factum est. 17.b.c.
Ioh.1.v.1. Et verbum erat apud Deū 135.b.
Iohan:1.12. Quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri: 610.b
Ioh.an. 1.v.13. Non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt 971.a.
Ioan.1 14. Et verbū caro factum est & habitauit inter nos, & vidimus gloriam eius, gloriam velut vnigeniti à patre plenum gratia & veritate &c. 262.e
Ioan.1.v15 Qui post me venit, ante me factus est 31.a.
Ioan. 1.15. Hic est de quo dicebam, qui cum me sequeretur. 40.e
Ioan.1.1.8. Deum nemo vidit vnquā 135.a
Ioh:1: 18: Filius qui est in sinu patris. 116.b
Ioh.1.v.26. Ego quidē baptizo aquā sed in medio vestrum est, qui spiritu baptizat. 1374.d
Iohan:3.v.4. Quomodo potest homo nasci cum sit senex. 1347.
Ioan:3.13 Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis &c: 32.b.33.a. 55.c.71.c.92.a
Ioan.3.v.36. Qui credit in filium habet vitam æternam. 1445.b
Iohan. 4.24. Deus est spiritus 135.a.
Ioan: 4.24. Cibus meus est vt faciam voluntatem patris mei 592.a.
Iohan.6.30. vestrum vnus diabolus. 590.e.
Ioh. 6.35. '48. Ego sum panis vitæ 356.e.
Ioh.6 35. Qui credit in me non sitiet vnquam 356 c
Iohan. 6. 37. Qui venit ad me 356.c.
Iohan. 6. v. 39. 40. Hæc est voluntas eius qui misit me, vt omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die 362.f
Ioh.6.v.47. Amen amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. 831.a.
Ioan. 6. 51. Ego sum panis viuus. 135.e.
Ioh.6 51. panis quem ego dabo caro mea est 69.g 135.e 252.f.274. 355.e.830 f
Iohan. 6. 51. Quisquis edet panem hunc viuet in æternam 100 e
Iohan. 6. v. 53. Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberit eius sanguinem, non habebitis vitam in vobu &c: 274.e 830.g
Iohan. 6. 54. Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum in me manet & ego in eo 101.c.263.e
Ioh. 6.54.56. Nisi manducaueritis carnem meam. 276.d.
Ioan:6.v.57. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter patrē &c. 829.f
Iohan. 6. 62. Si igitur videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius. 34.a.40.e 459.e.f.g.
Iohan. 6. v. 63. Caro non prodest quicquam spiritus est qui viuificat. 226.d. 356.c. 851.f
Iohan. 6. v. 63. verba quæ vobis loquor spiritus sunt & vita. 356.c 363.b. 1003.f. 456.f. 459 f
Iohan.6.v.68. Ad quē ibimus? verba vitæ æternæ habes 1039.d
Ioh.7:34 Quæretis me & non inuenietis 106.b.
Ioh.7.34 vbi ego sum, vos non potestis venire 54.a
Ioh.8 v 6 Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis loquutus sum 832.e
Ioh.8.44 Vos ex patre Diabolo estis 590 e
Ioan.8.58. priusquam Abraham fieret ego sum 31.b
Iohan. 9. 39 In iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant 100.b
Ioan.10.v 9. ego sum ostium 223.
Ioan.10.18. potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam 189.d
Ioan: 10. 28. pater maior me est 135.a
Iohan.10 v.30. Ego & pater vnum sumus 134.135.b 1364.
Ioh. 11.14. Lazarus mortuus est,

& gaudeo propter vos vt credatis, quoniam non eram ibi 108.f 211.e

Ioa.12.8. Pauperes semper habebitis me vero &c. 4.e 178.f *Ioh.12.8. Me non semper habebitis.* 71.f 103.g

Ioan. 14. In domo patris mei sunt inultæ mansiones. 73.f

Ioh 14.2.e. Ego eo vt parem vobis locum 73.f.

Ioh.14 v 13 Quodcunque petieritis patrem in nomine meo hoc faciam 1427.1428.

Ioan : 14.16 Ego rogabo patrem & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere 207.g.

Iohan. 14. 18. Non relinqnam vos orphanos, venio ad vos. 106.d 204 d

Iohan. 14.23. veniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus 111.a

Ioh. 14.27. Non turbetur cor vestrum neque formidet 103.d.

Iohan. 14. 31. Surgite eamus 55.c

Ioh 15.1. Ego sum vitis 317.d.134.c.d. 223.b

Iohan.15.5. Sine me nihil potestis facere 589.e

Iohan.15.22. Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum nõ haberent. 599.b

Ioh.16.7. Expedit vobis vt ego eam si enim ego non abiero, paracletus ad vos non veniet. 106. e. 860 e.

Ioan.16 14.15. Quia de meo accipiet 40.e

Ioan. 16.17. Relinquo mundum & vado ad patrem 203.c.

Ioan.16.28. Exiui à patre & veni in mundum 40.e

Ioh.16.v.28. Relinquo mundum & vado ad patrem, multi dicent in tempore illo &c. 4.e.35.1239.

Iohan.17.v.9. Non pro his rogo tantùm, sed & pro ijs qui credituri sunt per verbum illorum in me vt omnes vnum sint: 117 b.

Ioh.17.11 Pater sancte, serua eos in nomine tuo; quos dedisti mihi. 105 f

Ioh.17.12. Cum essem cum eis ego seruabam eos 103.c

Ioh.20.17. Ne me tangas nondum enim ascendi ad patrem meum et ad patrem vestrum &c: 90. e

Ioh.20.17 Ascendo ad patrem meum & ad patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum 108.f

Ioh.20 v.19 Quum ergo vespera esset illo die primo hebdomadis & fores essent clausæ illic vbi erant discipuli 97.e.f.g.

Ioh: cap. 20.29. Quia vidisti me Thoma credidisti, Beati qui non viderunt & crediderunt. 638.e.

Iohan.21.17. pasce oues meas. 422.d.

ACTA APOstolorum.

Act.1:6. Domine quando regnum Israelis restitues? 105.a.

Actor:1.v 7. Non est vestrum scire tempus, quod pater posuit in potestate sua. Sed accipietis virtutem spiritus sancti superuenientem in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem. 879.

Act:1.8. Accipietis virtutem spiritus sancti superuenientem in vos, & eritis mihi testis. 105.b

Actor:1:11. Hic Iesus qui receptus est à vobis in cœlum sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. 106.f

Actor:3. 21. Illum oportuit cœlum accipere vsque ad tempora restitutionis 71:g.1239.f.

Actor.5.v.4. Ager manens tibi manebat, & venundatus in tua erat potestate. 1345.a.

Actor.5,35. Attendite vobis & gregi vniuerso, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. 299.a

Actor.6:9. Exorti sunt autem quidam è synagoga quæ appellatur libertinorum & Cyrenensium, Alexandrinorum, & Cilicum, & Asianorum &c: 118.e

Actor.7.55. Cum autem esset plenus spiritu S. intentis in cœlum oculis videt gloriam Dei 117.b.

Act.7.56. Ecce video cœlos apertos & Iesum stantem à dextris 126.e

Actor. 8.2. Extulerunt autem Stephanum viri pij, & fecerunt planctum magnum super eum 38.c.

Actor:9.3. Et subitò circumfulsit eum lux de cœlo, collapsusque in terram audiuit vocem dicentem &c: 117.c

Actor: 9.4. Saule Saule quid quid me persequeris. 105.a. 877.f.

Actor.9.10. Erat autem quidam discipulus Damasci nomine Ananias & dixit ad illum per uisum Dominus, Anania &c. 117.c.

Actor.9.v.17. Saule frater Dominus misit me, Iesus qui apparuit tibi in via 1240.f

Acto. 17. 28 In eo viuimus mouemur, & sumus 28.b. 104.e

Act:17.31. Statuit Deus diẽ, in quo iudicaturus est in iustitia orbem terrarum. 9.b.

Actor.22.17. Euenit aũt reuerso in Hierusalem quum precarer in templo vt raperer extra me. 119.d.

Actor. 24. v. 5. Nacti sumus hunc virum pestiferum & concitantem seditionem omnibus Iudeis in vniuerso orbe & autorem sectæ Nazaræorum. 1018.f

AD ROMAnos.

Rom. 1.v.16. Euangelium potentia Dei est ad salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. 224.c.

Rom.1.17. Iustus ex fide viuit 836.f. 1417.c.

Rom. 1.v .22. Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt. 624.e

Rom.2.21. Qui prædicas non furandum, furaris 325.d

Rom. 3. v. 3 Quid si quidam illorum crediderunt? nunquid eorum incredulitas Dei fidem irritam fecit? Absit. 99.f. 1399.g

Rom.3.v.23 omnes peccauerunt & egent gloria Dei. 1554.e

Rom. 3.v.28. Aestimamus hominem iustificari sine operibus legis 1554.

Rom.4.v.3. credidit Abraham Deo & imputatum est illi ad iustitiã 424.d.

Rom: 4.v.9. Dicimus quod imputata fuerit Abrahæ fides ad iustitiã. Quomodo ergo imputata

est? cum esset in circumcisione, an cũ esset in præputio? &c. 1112.b

Roma.4.11. Et accepit circumcisionem signaculum iustitiæ 192. c.

Rom. 4. 25. Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram 545.c

Rom.6.v 4. Consepulti sumus Christo per Baptismum in mortem. 868.e

Roman. 6. 9. Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur. 208.b

Rom 6.v 9. Mors illi vltra non dominabitur. 383.e

Rom.6.v.10. Quod autem mortuus est, mortuus est semel, mors illi vltrà non dominatur 232.e 383.e

Roma 7.v.7. Concupiscentiam non cognoui nisi lex diceret non concupisces 1554.b

Rom.7.v.18. Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne bonum 1473.a

Roman.7.24. Quis me liberabit de corpore mortis 1554.e

Rom.7.in fine: Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati 1483.1484.

Rom.8.v.1. Nulla est damnatio his qui sunt in Christo Iesu 1483. 1484.

Roman.8 30. Quos vocauit eos iustificauit, & quos iustificauit. 598.c

Rom.10.10. Corda creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. 545

Rom 10.17 Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei 257.d

Roman.12.1. vt exhibeamus corpora nostra Deo hostiam viuentem, gratam, & beneplacentem 543. c. 1571.d

Rom.12.v.3. Ne quis plus sapiat quã oportet 1571.d

Rom.13.7. Reddite omnibus debitũ, cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem honorem 1572.c

Rom.14.4. Quis es qui alienum seruum iudicas? Domino suo aut stat, aut cadit. 398 e

Roman.14.17 Regnum Dei est iustitia, pax & gaudium in spiritu sancto 92. f

Roman. 14.22. Omne quod non est ex fide peccatum est 1417.f

Roman. 15. 4. Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarũ spem habeamus 1552.e

Rom.15.26. Εὐδόκησαν γὰρ Μακεδονία καὶ Ἀχαΐα κοινωνίαν τινὰ ποιήσασθαι 941. e

AD CORINTHIOS.

1 Corinth.2 5 vt fides vestra sit, non ex sapientia hominum, sed ex virtute Dei 1551 c

1.Corinth.2.8. Si enim cognouissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent 33.c

1.Corinth 2. 12. Nos non accepimus spiritum huius mundi. sed spiritum qui ex Deo est 472.d

1.Corinth.2.14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, neq; enim potest, quod stultitia illi sunt 1442 c

1. Corinth.6.v 3. An nescitis quod Angelos iudicabimus 1341.a

1,Corinth. 6 16. Qui adhæret meretrici, vnum cum ea corpus efficitur: quemadmodum qui adhæret Christo, vnus efficitur cũ eo spiritus 591.a

1.Cor.7.v 2. propter fornicationem vnusquisq; suam vxorem habeat 1429.1430.

1.Corinth.7.v.2. Quisq; suam habeat, & quæq; suum 1361.362

1.Corinth.7.v.5. Ne fraudetis inuicem, nisi si quid ad tẽpus ex consensu, vt vacetis ieiunio, & precibus &c. 1534.c

1.Corinth 7.v.7. Quisque proprium donum habet, alius sic, alius autem sic 1367.1368.

1.Corinth.7.v 9. Melius est nubere, quàm vri 1361.1362.

1.Corinth. 7.23. Nolite serui hominum effici, pretio enim empti estis 1361.1362.

1.Cor. 7.25. De virginibus Domini præceptum non habeo 1363.1364. 1429. 1430.

1.Corinth.7.v.35. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt vobis laqueum injiciam, sed ad id quod honestum est, & facultatem &c. 1363. 1364. 1499. 1500.

1.Corinth.8.7 Nonnulli verò cum simulachri conscientia vsque ad hoc tempus, tanquam simulachris immolatum edunt 1416.d

1.Corinth.8.10. Si quis conspexerit te, qui habes conscientiam, in epulo simulachrorũ accumbentem, nónne cõscientia eius qui infirmus est &c. 1416.d

1.Corinth. 9.1. Nonne Dominum vidi 1240 e

1.Corinth.9, v.5. Non habeo potestatem ἀδελφὴν γυναῖκα circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini & Cephas? 1561.g. 1564.b

1.Corinth 9.v.14. Qui Euangelio seruit de Euangelio viuat 1339.e

1.Cor. 9. v 7. Castigo corpus meum & in seruitutem redigo 969

1.Corinth.10.1. Nolo vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes per Mosen baptizati sunt 142.e 227.

1 Corinth. 10. v.4. Bibebant autem de spirituali eos sequente petra. 227.c

1.Corinth.10. v.4. Petra erat Christus 224.e

1.Corinth.10.v.11. Hæc illis in figura contigerunt: propter nos autem scripta sunt, in quos fines seculorum deuenerunt 1017.b

1 Corinth.10.13. Deus neminem patitur tentari supra id quod potest ferre, sed facit vna cum tentatione &c 1427.1428.1434.b.c.

1.Corinth 10. 16. Panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi 128.c.f 8 322.d 834. d. 941.d

1.Corin.10 17. Omnes de vno calice bibimus, & de vno pane participamus 398 f

1.Corinth.10.v.21. Non potestis mesæ Domini participes esse et mẽsæ Dæmoniorum 1075.e

1.Corinth 11. 26. Mortem Domini annunciabitis, donec veniat 402.

1.Corinth 11. 28. Qui edit & bibit indigne, iudicium sibi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini 99. f. g. 348. b. 862.a

1.Corinth. 11.30. Ideo multi inter vos infirmi sunt, & dormiunt multi. Dum enim castigamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur 540. e f

1. Corinth. 11. v.34. Domos habetis ad comedendum & bibendum: & si quis esuriat domi comedat 1076. f

1. Corint. 13.v.12. Tũ cognoscã quẽ-

admodum cognitus sum 170. a
1. Corinth.14.v. 5.volo vos omnes loqui linguis. 1510.e.f.
1.Corint. 14.29.Quum aliquis prophetat sedeant cæteri & iudicēt 1553.f.
1.Cor. 15.8. Nouissimè autem tāquā abortiuo visus est & mihi 1240.f
1.Cor.15.20.primitiæ dormientium 45.c.
1.Cor.15.42. Seminatur in corruptione,surget in incorruptione:seminatur in ignobilitate,surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute. 95.b.
1. Cor. 15. 47. primus homo è terra terrenus,secundus homo Dominus è cœlo. 32.a.41.f
1.Cor.7 49. Sicut portauimus imaginem terreni, ita portabimus imaginem cælestis. 95.b.

AD CORINTHIOS. II.

2.Cor.1.v. 24. Nolumus dominari vobis nomine fidei. 1555.b.
2. Corinth.5.v.16. Et si Christum nouimus secundum carnem, at iam non nouimus. 200. d. 52.b.
2.Cor.6.14. Quod est consortium iustitiæ cum iniustitia, aut quæ communio luci cum tenebris, aut quæ concordia &c: 594.e
2. Corinth.8.v.2. τὴν χάριν, & τὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους. 941. f
2. Cor.12. v. 9. Sufficit tibi gratia mea,nam virtus in infirmitate perficitur. 1427.1428
2. Cor.13.3. An experimētum quæritis eius qui in me loquitur Christi. 109.d
2.Cor:14.13.v.11. Quod superest fratres valete,perfecti estote,Consolationem habete. 1373.b

AD GALATAS.

Gala.1.v.8.Etiam si Angelus de cœlo docuerit vos aliud Euāgeliū, quam quod nos docuimus, anathema sit. 1552.f
Galat.2.15.Nos natura Iudæi & nō ex gentibus peccatores 456. 601.a
Gal.2.v.18. quæ destruxit,ea rursus ædifico, transgressorem legis meipsum constituo. 195.c.
Galat.3.12.lex nō est ex fide.1417.c.
Galat. 3 v. 15 Testamentum hominis nemo mutat,aut superordinat.Quod si hominis testamēto &c: 1552.c.
Gal. 5.v.17.Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. 969.

AD EPHESIOS.

Eph:1 v.20 Deus constituit illum ad dexteram suam in cælestibus super omnem principatum, potestatem, virtutē & dominationem. 20.a:21.g.58.
Ephes.2.v.3.fumus natura filij iræ, sicuti cæteri. 601.b
Eph.4.5.vnus dominus, vna fides, vnum baptisma 51.e.
Eph.4.8 cū ascēdisset in altū,captiuā duxit cū captiuitatē et dedit dona hominibus. 84.c.
Eph.4.9.Cæterū illud ascēdit quid est nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terre? 82.f
Eph.4.10.Ascendit super omnes cœlos vt omnia impleret, et constituit eū ad dexterā. 83.59.a.60.a.
Ephes. 5. 26. Ecclesiam lauacro aquæ mūdatā esse per verbū.935.d
Ephes.5.28.Debent viri vxores suas diligere vt corpora sua: Qui enim diligit vxorem seipsum diligit. Carnem suā nemo odio habuit. 254.c
Eph.5.29.caro ex carnib.eius,os ex ossibus eius. 130.v.
Eph.6.v.12. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem. 969.

AD PHILIPPENSES.

Phil.2:6. Qui cū in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo sed se exinaniuit forma serui assūpta 262.f
Ph:2.9.propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est supra omne nomen. 32.g.85.b.695.d
Phil.3.20.Nostra autem conuersatio in cœlis est,vnde etiam saluatorem. 71.e.759.f 924.e
Philip. 4.v.8.Quod reliquū est fratres quæcunq; sunt vera,quæcunque honesta,quæcunq; pura quæcunq; accōmoda,quæcunque boni nominis, si qua virtus si qua laus,hæc cogitate &c: 1387.a
Philip.4.5.3.1.Omnia possum in eo qui me confortat. 1439.b

AD COLOSSENSES.

Colos:1:12. Gratias agentes patri, qui sufficiētes nos fecit in portione sortis sanctorū in luce. 79.f
Colos.1.18 Primogenitus ex mortuis 45.c.
Colos.1.19.In ipso complacuit omnē plenitudinem diuinitatis inhabitare. 20.e
Colos.2.v.8.videte,nequis vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem,iuxta constitutionem hominum,iuxta elemēta mundi, & non iuxta Christum. 1423.B.
Coloß.2.9.omnem plenitudinem diuinitatis habitaße in Christo corporaliter. 130.b.
Colos.2.11.In quo & circumcisi estis circumcisione quæ fit absque manibus. 1423.d
Colos.2.v.14. Deleto quod aduersus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta, illud sustulit è medio suffixum cruci. 1423.d
Colos.2.v.16. Ne quis igitur vos iudicet in cibo aut potu,aut in parte diei festi,nouilunij aut sabbatorū, quæ sunt vmbræ rerū futurarum, corpus autem Christi. 1423.d
Colos.v.5.18.Ne quis vobis palmam interuertat data opera, per humilitatem & superstitionem Angelorum, in his, quæ non vidit fastuose incedens, frustra inflatus à mente carnis suæ, nec obtinens caput &c. 1423.e
Colos.2.v. 20. Itaque si mortui estis cum Christo ab elementis mundi,quid quasi viuentes in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris ne gustaueris: ne contrectaueris quæ omnia &c. 1423.f.
Colos:2.v.21 Ne tetigeris,ne attrectaueris, & ne gustaueris 1361.1362.
Colos.3.v.1.Si surrexistis cum Christo. 759.f
Colos.3.1.Quæ sursum sunt quærite vbi

vbi Christus est in dextra Dei sedens. 1239.f
Coloss. 4.v. 12 Vt stetis perfecti & completi in omni voluntate Dei 1379.b.c

AD THESSALON. prima.

1. Thessa.1.9. Quomodo conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo &c. 71.d
1. Thesal. 2.v.17. Caterum fratres nos orbati vobis ad spacium temporis aspectu non corde, vehementius studuimus. 981.d
1. Thessalon 4.15. Nos qui viuemus qui reliqui erimus, rapiemur cũ illis in nubibus in occursum Domini in aera: & sic semper cum Domino erimus. 386.d
1. Thes.v. 17. Sine intermissione orate. 1543.d
1. Thess.5.27. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis 203.c.

AD THES. SECVNDA

2. Thes. 2. Gratia vobis & pax. 203.c.

AD THIMOTHEVM prima.

1. Timoth.1.v.15. Adolescẽtiores viduas deuita, cum enim luxuriata fuerint in Christo, nubere volunt, habẽtes damnationem quoniam primã fidem irritam fecerunt. 1347.1348.1349.a.b 1350.d
1. Timo. 2.4. Deus vult omnes homines saluos fieri 60.b
1 Timoth.2.v.14. Quoniam mulier seducta fuit non vir: & Adam prior formatus est, deinde Eua: 1571.d
1. Timoth.2 v.15. Seruabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide. 1570.f.
1. Timot.3.v 16. Deus manifestatus in carne, iustificatus est in spiritu, visus est Angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, receptus est in Gloria. 696.c.
1. Timoth.4.v.1. Qui discedent à fide, attendẽtes spiritibus erroris, habentes cauteriatam conscientiam, prohibentes nubere & c. 1573.e.f
1. Timoth.5.v.9. vidua eligatur nõ minus sexaginta annorum. 1349.
1. Timoth.5.v.14. volo eos nubere ac filios procreare. 1358.e.1448.d
1. Timo.5. ινα ε λοιπον φοβον εχωσιν. 1445.b.

AD TIMOTHIVM. Secunda.

2. Timoth. 3.v. 16. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad refellendum &c. 1551.c

AD TITVM.

Ad Titũ:2.v.11. Apparuit benignitas Dei, nõ ex operibus iustitiæ quæ fecimus, sed secundum suam misericordiã saluos nos fecit 970.e

AD HEBRAEOS.

Hebr.1.v.1. Multifariam & multis modis, loquutus est olim Deus patribus in prophetis, nouissimè autẽ loquutus est in filio 1358.e
Hebr. 2.14. Quoniam pueri communicium habuerunt cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorũdẽ 346 c. 935.
Hebr.3.v.12. videte fratres ne quando sit in vllo vestrũ cor prauũ, obnoxium infidelitati, vt desciscat à Deo viuete: sed exhortemini vos inuicem quotidie &c. 833.b
Hebr.3.v.14. Christi participes facti sumus. 833.b
Hebr.4.14. Habemus igitur pontificem magnum qui penetrauit cœlos, Iesũ filiũ Dei. 84.f.126.d
Hebr.6.v.4. Etenim fieri non potest vt qui semel fuerint illuminati gustauerintq; bonũ Dei verbũ, & virtutes futuri Seculi, Si prolabantur &c. 1016.c.
Hebr.7.26 Sublimior cœlis factus 84.f.g.
Hebr. 10.7. Tum dicit Ecce adsum, vt faciam Deus voluntatem tuam. 238.a.
Hebr.11.v.5. Enoch. translatus ne videret mortem. 201.c.
Hebr.12.12 propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & rectos gressus facite pedibus vestris &c. 42.c.
Hebr:13.10. Habemus altare, de quo non licet edere ijs, qui in Tabernaculo deseruiunt. 501.g.
Hebr. τὰς ἐν ὑποκρίσει ψευδολογων ἐγκεκαυστηριασμένων 941.f

IACOBI EPISTOLA

Iacobi.1.v.4. ἵνα ὑμεῖς ἦτε τέλειοι καὶ ὁλόκληροι ἐν μηδενὶ λειπόμενοι 1445.a.
Iacobi.1.v.5. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei 1481. 1432.

PETRI EPISTOLA prima.

1. Petri.3.v.21. Ὃ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα 159.c
1 Petri.3.3 21. Quo nõ carnis sordes abijciuntur: Sed quo fit, vt bona cõscientia respondeat apud Deũ 985.d.
1 Petri 4.1. Christo igitur in carne pro nobis passo. 41.b

PETRI EPISTOLA Secunda.

2 Petri.1.v. 20. Si illud prius noueritis, quod omnis prophetica scriptura nõ est ἰδίας ἐπιλύσεως 647. 1236.d.
2. Petri. 2. v 21. Non enim voluntate humana allata est olim prophetia: sed à Spiritu sancto impulsi loquuti sunt sancti Dei homines. 648.c.

IOHAN. EPISTOLA prima.

1. Ioan:1.v.10. si dixerimus quod peccatũ nõ habemus, nos ipsos decipimus & veritas in nobis non est 1435.d 1554.a
1. Ioan.3.10. Manifesti sunt filij Dei & filij diaboli. 590.e
1. Ioan: 4. 8. Qui facit peccatum ex Diabolo est. 500.g

APOCALYPSIS.

Apocalyp:2 v.10. Fui in spiritu die dominico. 1376.d
Apoc. 5.12. Agnus occisus ab origine mundi. 133.d
Apoc. 14.4. sequuntur agnum quocunque ierit. 62.c

Finis

INDEX LOCORVM

QVI EX ECCLESIASTICIS SCRIPTORIBVS IN HOC diuino opere fidelissimè citantur & ingeniosissimè magna pietate explicantur.

LOCI QVI CITANTVR ex Ambrosio.

Ambrosius. Ante benedictionẽ verborum cœlestiũ alia species nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur. 797.d
cap 11.1.ad Corinth. Ideo multi in vobis infirmi & ægroti & dormiunt multi vt verum probaret. 571.d
de fide ad Gratianum lib. 2 c.4. Nã paulo minus minoratum ab angelis videmus Iesum propter passionem &c. 43.c
Ibidem. Vnde illud collectum est, Dominum maiestatis crucifixum esse, non quasi maiestate &c. 38.b
de fide lib.2.cap. 4. Amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis &c. 35.a
de fide lib. 2. c.4. Hic est panis viuus qui descendit de cœlo &c. 69.f.g
de ijs qui initiantur cap. 9. Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum. 262.e
de ijs qui initiantur misterijs cap. 9. Quod si tantum ibi valuit benedictio humana, vt naturam conuerteret,&c. 5111.c.604.c
de ijs qui initiantur misterijs cap.vltimo. Aliud video: quomodò tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et nobis adhuc superest, vt probemus,&c. 1151.
de Spiritu Sancto lib.3.cap.12. Itaque per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi &c, 381.a
in epist.1. ad Cor. c.11. Test.ergo sanguine constitutum est, quia beneficij diuini sanguinis &c. 276.c
in lib.eorum qui initiantur c. vltimo Quod si tantum valuit sermo Heliæ vt igné de cœlo deponeret, nó valebit Christi sermo vt species mutet elementorum? 1240.c
in oratione funebri fratris Satyri: Referebat gratiam, referebat fidem. Nam qui tãtum mysterij cœlestis inuoluit in orario,&c. 532.b
in 1. Timoth.3. cap. Hoc ideo vult Apostolus ne constitutum Dei transgrediantur, vni enim homini dedit Deus vnã vxorem, benedixitque illis,&c. 1594.a
Psal.Bibe Christum quia pax est. Bibe Christum quia flumina de ventre eius fluunt. 544.e
in Psal. 38. Vidimus principem Sacerdotum ad nos venientem: vidimus & audiuimus pro nobis offerentem sanguinem suum. 165.c
Ista esca, quam accipitis: iste panis viuus qui descendit de cœlo vitæ æternæ substantiam subministrat. 801.a
libro Exameron. primo cap. 8. Erant tenebræ de obumbratione cœli quia omne corpus &c. 80.e
lib.3.de spiritu Sancto cap.12. Adorate scabellum pedum eius: considereimus: Non enim ex visu hominũ æstimare debemus scabellum. Neque enim corporalis Deus aut nõ immensus. 1027.e
lib.4.cap.4. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. 720.
lib. 4. de Sacram. cap. 4. sicut enim mortis similitudinem sumsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis. 264.a
lib.4.de Sac.c.4. Tu fortè dicis meus panis est vsitatus: sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum vbi accesserit consecratio &c. 1147.
lib. 4.de Sacramentis cap. 5. vide omnia illa verba Euangelistæ sunt, vsque ad accipite, siue corpus &c. 263.a
lib.4. de Sacr. cap. 8. Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem. 276.a
libro 5. in oratione quam habuit in Auxẽtium Arrianum: postea victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret,&c. 117.d
lib.6.de Sacr.cap.1. Ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam. &c. 276.b
Sed intellige quid est amplius, manna de cœlo, an corpus Christi? corpus Christi vtique, qui author est cœli. Deinde manna qui manducauit, mortuus est,&c. 799.a
Si tanta vis est in sermone Domini, vt ea incipiant esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant,& in aliud commutentur. 463.a.797.a
Super Lucam, Hic ergo solus aperuit sibi vuluam: Nec mirum, hic enim dixerat ad prophetam,&c. 97.c
Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficij diuini testis est, in cuius typum nos calicem mysticũ sanguinis, ad tuitionẽ corporis & animæ nostræ percipimus. 895.b.796.c
Tu ipse eras sed eras vetus creatura postea quã cõsecratus es &c. 604.g

Ex Arnobio.

Arnobius in Ps. 74. sicut ignis iustis proficit ad splendorem, ad vsturam infertur iniustis,&c. 569.c

Ex Athanasio.

Athanasius de peccato in spiritũ sanctum: Et quomodo vnum vtique hominis corpus vniuerso mundo sufficeret? Quod tanquam in illorum versatum cogitationibus commorat &c. 362.b
in libro de Virginitate: Quemadmodũ enim per maritum corpus polluitur, sic & affectiones mũdanæ animam simul & corpus continentis polluunt. 1576.& 1577.a
lib.de Pass.& Cruce Dom. Quæcunque promisimus Deo, iam nostra non sunt, sed in ære Dei, adeò vt si quid inde subtraximus, haudquaquam id facimus veluti &c. 1575.e
Quod quidem ostenditur oculis, ac datur pro mundo, dabitur alimonia 456.f.

Ex Avgvstino

Augustinus ad Cõsentium Epist.122. Vnde et ãsi corpus Domini, quod de sepulchro excitatum &c. 78.a
ad Dardanum Epist.57. Quanto excellẽtius Deus natura incorporea & immutabiliter viua &c. 116.f.g
ad Dardanum Epist.57. Si ergo secundum hominem, quem Deus verbum suscepit putamus dictum &c. 105.e
ad Dardanum. Et huic fortasse intelligendum dicis paradisum, quasi in aliqua parte cœli positum &c. 27.c
ad Dardanum. Homo quippe Christus illo die secundum carnem in sepulcro, secundum animam &c. 55.b
ad Dardanum. Nam spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt: & quia nusquam erunt, nec erunt 4.a
ad Dardanum, secundum hominem namque in terra erat, non in cœlo vbi nunc est. 104.b.c
ad Dardanum, sicut ergo potuit rectè dici Dominus gloriæ crucifixus, cum ad solam carnem 40.d
ad Dardanum, Vna persona Deus & homo est & vtrunque est vnus Christus Iesus. 282
aduersus Faustum lib.20,cap.21. Huius sacrificij caro & sanguis, ante aduentum.&c. 249.d
ad Vincentiũ victorem lib. 4. cap.12. Si autem corpus est quicquid maioribus & minoribus suis partibus &c. 114.e.
Aliud videtur & aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem: quod intelligitur fructum habet spiritualem. 891.
Audiuimus veracem magistrum, diuinum redemptorem, humanum saluatorem, cõmendantem nobis precium nostrum, sanguinem suum

ſuum &c. 890
contra Adimantum Manichęum lib. 6.cap. 12. Non enim dubitauit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meũ cum daret ſignum corporis. 261. e.270.f
contra Creſconium Gram. lib.1.cap. 25.Quid de corpore ipſo & ſanguine Domini, vnico ſacrificio pro ſalute noſtra &c. 580.
contra Creſconium lib.1.c. 25. Quid de ipſo corpore & ſanguine Domini vnico ſacrificio pro ſalute noſtra quamuis ipſe Dominus dicit &c. 1181.
contra Donatiſt. lib. 6. cap.25. Quis neſciat non eſſe baptiſmum Chriſti, ſi verba Euangelica, quibus Symbolum conſtat, illic defuerint? 953.g
contra Fauſtum lib.12.cap.17. præter Eccleſiæ ſocietatem aqua Baptiſmi, quamuis eadem ſit non ſolùm non valet ad ſalutem, ſed valet potius ad perniciem. 1017.f
contra Fauſtum lib.19. cap. 12. proinde prima Sacramenta, quæ celebrantur in lege, prænunciatiua erant. 249.e
contra Fulg.cap.6. ſicut qui manducat cõrpus Domini, & bibit ſanguinem Domini indignè, iudicium ſibi manducat & bibit &c. 1017.f
contra literas Petiliani: lex enim & prophetæ vſque ad Iohannem Baptiſtam Sacramenta habebant. 249.b
contra literas petiliani lib.2. cap. 47. Non dicunt iſta, niſi qui de menſa Domini vitam ſumunt, ſicut Petrus &c. 579 d
contra Maximinum Epiſcopum Arrianum lib.3.cap.22.In Sacramentis non quid ſint, ſed quid oſtendant &c. 276.g
Credere debemus talia corpora nos habituros, vt vbi velimus, quando voluerimus, ibi ſimus. 95.c
de Agone Chriſtiano cap. 26. Nunquid Deus pater habet latus dexterum? 78.a
de Baptiſmo lib.5.cap.8. Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo locum in ſe Diabolo præbuit. 1186
de bono coniugali cap. 24. Non eſt impar cõtinentiæ meritũ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias: & in Abrahamo qui filios genuit: &c. 1407.1408
de ciuitate Dei. lib.5.cap 10. poteſtas Dei non minuitur, cum dicitur mori falli que non poſſe. 5.d
de ciuitate Dei lib.17.cap.9. vt intelligamus de ipſo dici quodammodo, quod de eius corpore dicitur 119.c
de ciuitate Dei lib. 21. cap.4.A Ciceroñe tertio de Repub. commemoratum eſt, Herculem & Romulum &c. 81.c
de ciuitate Dei lib.21.cap.25. Omitto dicere quod iam 13. lib. dixi quàm multa, grauia terrena ſint corpora &c. 82.a
de ciuitate Dei lib.21.cap.25. Non eſt exiſtimandus reuera comedere corpus Chriſti, qui non eſt in corpore Chriſti 859.a
de conſec. Diſt.2 ex ſent.proſperi. Sicut Chriſti perſona conſtat ex Deo & homine, cum ipſe Chriſtus verus ſit Deus &c. 1229
de doctri. Chriſt.cap.9. Qui aut operatur, aut veneratur vtile ſignũ diuinitus inſtitutum: 382.f
de doct.Chriſt. cap.16. Figura eſt ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe cõmunicandum & ſuauiter & vtiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit. 275.f.g
de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap.9. Hoc vero tempore poſteaquam reſurrectione Domini noſtri Ieſu Chriſti &c. 249.c
de doct. Chriſt lib. 3. cap. 26. Si loquutio flagitium, aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem &c. 306.f
de Eccleſiaſticis dogmatibus: In Euchariſtia non debet aqua pura offerri, vt quidam ſobrietatis fallũtur imagine. 339.a
de fide ad Petrum cap. 19. Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, ipſum vnigenitum Dei verbum carnem factum. 248.f
de Sacramento quidem quod accepit, ſignacula quidem rerum diuinarũ eſſe viſibilia. Sed res ipſas inuiſibiles in eis honorari. 895
de Sancta virginitate cap. 41. Quis ergo donat iſta? Quis diſtribuit propria vnicuique ſicut vult? Nempe Deus apud quem &c. 1609.e
de ſpiritu & litera cap.29.& vlti. Non aberrabit quiſquis dixerit, ideo prophetam illum ſcripſiſſe versũ quod nemo dum hic dixerit &c. 1483.1484
de Trinit.lib.3. cap.4. Apoſtolus potuit ſignificando prædicare Dominum Ieſum &c. 277.a
de Trinit. lib. 3. cap. 4. Illud tantùm quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam pro nobis Domini cæ paſſionis &c. 952.a
de Trinit.lib.3 ca.4.potuit tamen ſignificando prædicare Dominum Ieſum Chriſtum, aliter per linguam ſuam aliter per Epiſtolã &c. 1175.
Epiſtola ad Hieronymum octaua. Ergo ſolis eis ſcriptoribus, qui iam Canonici appellantur, didici hũc timorem honoremque deferre &c. 241.b
Epiſt.23.ad Bonifacium. Ex ſimilitudine plerunque Sacramenta ipſarum rerum nomina accipiunt &c. 277.a
Epiſt.49. ad Deo gratia quæſtione 3. Diſpartita diuinis eloquijs Sacrificia fuiſſe pro temporũ congruẽtia vt alia fierent ante manifeſtationem noui Teſtamenti &c. 1053.d
Epiſtola 74. ad Deuterium Epiſcopum. Auditores autem qui appellantur apud eos, & carnibus veſcũtur, & agros colunt, & ſi voluerint, vxores habent quorum nihil faciunt, qui vocantur electi. 1518.e
Epiſt.118.ad Ianuarium. Ex hoc loco placuit Spiritui Sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus &c. 538.b
Epiſt.120.ad Honoratum: Neque verò fruſtra ita diſtincti ſunt, vt de pauperibus ſupra diceretur. 383.a
Epiſt.162.Toleratipſe Dominus Iudam Diabolum, furem & venditorem ſuum. 579.f
Epiſt. 163. Tolerabat ipſe Dominus Iudam, Diabolum, furem, & venditorem ſuum, ſiuit eum accipere &c. 1187
ex lib.83 quæſtionum, quæſt.61. Oportebat vt euacuaturus ſacrificia quæ ſecundum Aaronem in Leuitico ſacerdotio fiebant &c.786.b.c
in lib.ſentent proſperi caro enim eſt quam forma panis opertam in Sacramento accipimus: & ſanguis eius &c. 786.f
Hoc quod videtis in altari Dei etiam tranſacta nocte vidiſtis, ſed quid ſibi velit &c. 465.g
Illi mãducabant panem Dominum, ille hoc eſt Iudas, panem Domini contra Dominum: illi vitam, ille pœnam. 1883.f
Illud manducare eſt refici: ſed ſic reficeris vt non deficiat, vnde deficeris. illud bibere quid eſt? Mihi viuere: manduca vitam, bibe vitam. 887.a
Illud quod Lex dicit, fundẽdum eſſe ſanguinem, nec in eſcam aſſumendum, quia ſanguis eſt anima, eſſe poſitum dicimus, ſicut alia multa, & pene omnia ſcripturarum illarum Sacramenta. 862.c
in Epiſt.Iohann.ad finem. Dominus ergo noſter Ieſus Chriſtus ideò aſcendit in Cœlũ die quadrageſima & commendauit corpus ſuum qua habebat facere: quia vidit multos honoraturos ſe, quia aſcẽdit in Cœlum: & vidit quia honor illorum inutilis eſt. 874.f.104.f
in Expoſitione Pſal. 3. Iudam adhibuit ad conuiuium, in quo corpori & ſanguinis ſui figuram diſcipulis ſuis commendauit &c. 275.g
in Iohan.Tract.25. vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducaſti. 303.a
in Iohan.Tract.26.Ac per hoc qui nõ manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus proculdubio non manducat &c. 100.f
in Iohan. Tract. 26. Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili, quod tamen idem ſignificaret. 1240.d
in Iohan. Tract. 26. Hunc panem ſignificauit Manna, hunc panem ſit ſignificauit altare Dei &c. 279.f
in Iohan.Tract.26 Quid paras dentem & ventrem? Crede & manducaſti. 100.e
in Iohan.Tract. 26. videte fratres panem cœleſtem, ſpirituali ore manducate &c. 100.e
in Iohan. Tract. 30 Surſum eſt Dominus, ſed etiam hic eſt veritas Dominus 104.f
in Iohan.Tract. 50. Accipiant & hoc boni, ſed non ſint ſolliciti. Loquebatur enim &c. 103.g
in Iohan.Tract.78 Neque enim homo Chriſtus non dicitur Filius

Dei,quod etiam ſola caro eius &c. 35.d
in Iohan.Tract.78.Non turbetur cor veſtrum neque formidet. Audiſtis quia dixi vobis &c. 103.d
in Iohan. Tract. 78. Sed hoc erat ire ad eum & recedere à nobis, mutare atque immortale facere. 105.d
in Iohan. Tract.102. plane credimus neque enim propterea debet incredibile videri, quia ſic ad mundum 103 b
in Iohan .Tract. 106. Vnde manifeſtum eſt eum de corporali ſua dixiſſe præſentia. 105.c
in Iohan.Tract. 107. Reſtat igitur vt ſecundum id quod ipſe etiam in mundo prius erat. 103.e
in Iohan. Tract. 111. Et non inquiratur æqualis patri filius vbi ſit,quoniam nemo inuenit vbi non ſit &c. 63.b
in libro de vtilitate pœnitẽtiæ. Quid eſt eundem?niſi quod eum,quem etiam nos 132.f
in Orat. 8. de verb. Dom. Agnoſcamus genuinam ſubſtantiã Chriſti diuinam ſcilicet,qua æqualis eſt patri &c. 54.f
in oratione 8. de verbis Domini in Ioh. Sed à quibus homo abſcedebat, Deus non relinquebat: quia idem Chriſtus homo &c. 54.b
in Pſal.3. Chriſtus adhibuit Iudam ad conuiuium in quo corporis & ſanguinis ſui figuram, &c. 734.b
in Pſal .33. Chriſtus quodammodo ſe geſtauit manibus ſuis. 494.b
in Pſalm. 33. Et ferebatur manibus ſuis: Hoc verò, fratres, quomodo fieri poſſit in homine,quis intelligat? Quis enim portatur manibus ſuis? 273.a.b
in Pſal.33. Hoc verò fratres quomodo fieri poſſit in homine, quis intelligat? 413.f
in Pſalm.58. Caput in cœlo erat & dicebat quid me perſequeris. 119.b
in Pſal. 98. Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, nec bibituri illum ſanguinem &c. 498.d
in Pſalmum. 98. ſuſcepit enim de terra terram quia caro de terra eſt: & de carne Mariæ carnem accepit & quia in ipſa carne hic ambulauit &c. 1177
in quæſtione quinquageſima ſeptima ſuper Leuiticum. Solet autem res quæ ſignificat, eius rei quam ſignificat nomine nuncupari. Sicut ſcriptum eſt &c. 229.c
in Sacramentis non quid ſint, ſed quid oſtendant, attenditur. Quoniam ſigna ſint rerum aliud ſignificantia, & aliud exiſtentia. 893
in Sermo. ad infantes: Quod vidiſtis panis eſt & calix, quod oculi veſtri renũtiant: quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti, calix ſanguis &c. 972.c.d
in ſermone ad infantes. Sacramenti illius participatione ac beneficio non priuatur: quando ipſa hoc &c. 276.g
in ſermo. 2. de verbis Apoſtoli. Si quod in Sacramento viſibiliter ſumitur id in ipſa veritate ſpiritualiter manducatur &c. 530.f
in ſermo.14. De verbis Apoſtoli,Chriſtus deſcendit idemq; filius hominis, qui filius Dei, ſedet in cœlo 53.a
interrogo vos fratres & ſorores:dicite mihi: Quid plus videtur vobis corpus Chriſti,an verbum Chriſti? Si bultis verè reſpõdere, hoc dicere debetis, quod non ſit minus Dei verbũ quam Chriſti corpus 872 f
lib.2.contra Aduerſ.legis cap.9.Sicut mediatorem Dei,atque hominum hominem ieſum Chriſtum carnem ſuam &c. 538.c
lib.2.cap.13.de prædeſtin.Quod ergo in Sacramentis fidelium dicitur, vt ſurſum corda habeamus ad Dominum, munus eſt Domini &c. 410.d
lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 25. Dicendum non eſt, eum comedere &c. item,Nec iſti ergo dicendi ſunt mãducare &c. 551.c
lib.2.de Doct.Chriſti.cap.3.Sacramẽto corporis & ſanguinis ſui præguſtato &c. 277.a
lib 2. de Morib. Manichæorum cap. decimo octauo: Hic non dubito vos eſſe clamaturos, inuidiamque facturos perfectam caſtitatem vos vehementer commendare &c. 1518.c
lib. 3. cap.14. Hoc eſt illud Homouſion quod in Niceno Cõcilio aduerſus hæreticos Arrianos à Catholicis patribus veritatis authoritate &c. 651.c
lib. 4. de Bapt. paruulorum: Fruſtra quidam qui ratione conuincũtur, conſuetudinem nobis obijciunt &c. 240.g
lib.20.contra Fauſtum. cap.5. Quilquis itaque dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciantur quæ facta ſunt vt facta nõ fuerint: nõ videt hoc ſe dicere, ſi omnipotens eſt, faciat vt ea, quæ vera ſunt, eo ipſo quo vera ſunt, falſa ſint &c. multa. 5.e
lib.21.cap. 25. de Ciuit. Dei. Nec iſti ergo dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt. 101.c
lib.21.cap.25. de Ciuit.Dei. Non dicendum eſt eum manducare, corpus Chriſti &c. 101.c
lib.21.cap.25.de Ciuit.Dei. Qui ergo eſt in eius corporis vnitate, id eſt in mẽbrorũ Chriſtianorũ cõpage, cuius corporis Sacramentum &c. 101.a.b
lib.22.cap.30.de Ciuit.Dei Qui motus illic taliũ corporũ ſint futuri,temere definire non audeo: quod excogitare non valeo &c. 737.g
Nam cum remanſiſſent cum illo diſcipuli duodecim alijsque recedentibus, ſuggeſſerunt illi, tanquam dolentes illorum mortem quòd ſcandalizari eſſent verbis eius &c. 851.f
Nempe ſæpè ita loquimur, vt paſchã propinquante, dicamus craſtinam, aut perendinã Domini paſſioné cũ ille ante multos annos paſſus ſit, nec omnino niſi ſemel illa paſſio facta ſit &c. 867.e
Non hoc corpus quod videtis comeſturi eſtis : neque bibituri illum ſanguinem 862.c.d
Ore corporis veſtri & dentibus non comeditis hoc corpus meũ, quod videtis. Altero autem genere comeſtionis, quod perfectur rectè intelligendo, &c. 851.a
Panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento conſumitur. 853.d
Sent.338. Nam qui diſcordat à Chriſto, nec panem eius edit, nec ſanguinem eius bibit &c. 551.d.860.b.101.d.
Si enim coniugem non haberes, dicerem tibi quod & tribuno diximus, vt in ſanctitate continentiæ viueres &c. 1614.d
ſicut de ipſo Baptiſmo Apoſtolus, Conſepulti ſumus Chriſto per Baptiſmum in mortem. Non ait ſepulturam ſignificamus &c. 868.a
ſicut ergo cœleſtis panis, qui caro Chriſti eſt ſuo modo vocatur corpus Chriſti illius videlicet &c. 787.e
ſuper Iohan. Hic erat in carne, in cœlo erat diuinitate, imò vbique diuinitate &c. 53.e
ſup.Iohann. Tract. 13. Quæretis me & non inuenietis, & vbi ſum ego vos non poteſtis venire. 53.f
Tracta.26.ſuper Iohann. Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere,&c 960.d
Tract.27. in Iohann. Hoc ergo totũ ad hoc vobis valeat, dilectiſſimi, vt carnem Chriſti non edamus tantùm in Sacramento 550.b
Tract.26.in Iohann. Hunc itaque cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & mẽbrorum ſuorum &c 650.f
Tract. 26. ſuper Iohann. Hunc panem ſignificauit manna. Hunc panem ſignificauit altare Dei.Sacramenta illa fuerunt &c. 132.e
Tract. 27. in Iohann. Quid miraris ſi datus eſt Iudæ panis Chriſti,per quem manciparetur 587.a.b
Tract. ſuper Iohann. 36. Sacramenta illa fuerunt : in ſignis diuerſa ſunt, ſed in re, quæ ſignificatur, paria ſunt. Apoſtolum audi &c. 228.a
Tract. 26. in Iohann. Videte fratres panem cœleſtem ; ſpirituali ore menducate. Innocentiam &c. 583
ſuper Iohann. Tract.27.ſignum quia manducauit & bibit hoc eſt,ſi manet & manetur. 101.d
ſuper Iohann. Tract. 50. Accipiant, & hoc boni, ſed non ſint ſolicti. Loquebatur enim de præſentia corporis ſui . Nam ſecundum maieſtatem ſuam &c. 203.b
ſuper Iohann . Tract . nonageſimo quinto: poſtremo ſecundum hanc iuſtitiam,nunquid dicemus Paulum

Paulum Apostolum non fuisse &c. 102.a
Tertio die resurrexit, quo die voluit in cœlum ascendere, illuc leuauit corpus suum inde est venturus ad iudicandos viuos & mortuos. 891.d
vndecimo ser. de verbis Domini. Illud etiam quod ait, Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum &c. 582.c

Ex Basilio.

Basilius cap. vlt. Debemus ergo attendere, quod sit iudicium eius, qui indignè edit & bibit &c. 57.b
de Baptismo ser. 2. c. 3. Et loquutus Dominus ad Mosen dicens, Dic illis, & generationibus ipsorum: quisquis hominum ab omni vestro semine &c. 1135.
de gratiarum actione. Quemadmodum igitur famem suscepit Dominus, vbi solidus cibus &c. 48.g
epist. 141. Carnem Christi significare omnem eam vitam, quam egit in terris: vt eius vestigia sequamur. 552.c
in Concione super initium Euangelij Iohan. Neque pater in loco, neque filius in ambitu aliquo, ac circumscriptione confessa. 49.d
in Nati. Christi scribens: Cogita, mihi velut Deo conuenit, Domini incarnationem immaculatam, & impollutam &c. 48.d
in Natiuitatem Christi scribens. Quomodo Deitas est in carne? Quemadmodum ignis in ferro &c. 47.b
in Quæstionibus compendio explicatis, Interrogatione 22. De timore quidem habemus Apostolum, qui ait. Qui manducat & bibit indignè &c. 261.d
in Regulis Interrog. 172. De timore quidem habemus Apostolum, qui ait: Qui manducat & bibit indigne &c. 570.e
in suo Hexamero Homil. 2. Consideremus itaque, quod si quidé quid erat ante sensibilis huius & corruptibilis &c. 79.e
lib. de spiritu sancto cap. 22. Nam angelus qui astitit Cornelio, non erat in eodem loco etiam apud Philippum. Nec qui ab altari &c. 7.b
Magnus. Nam si abiecto viri iugo, & ad vitam ad quam consecrandæ domus & procreandorum liberorum gratia facta est &c. 158.b

Ex Beda.

Beda in Lucam: Christus pro carne & sanguine agni suæ carnis sanguinisq; 276.c

Ex Bonaventura.

Bonauentura: Cum dicitur iste homo vbiq; est, hoc pronomen ISTE demonstrare &c. 63.e

Ex Bertramo.

Bertramus. Quia panis ille vinumque figuratè Christi corpus & sanguis existit &c. 277.d

Ex Bernhardo.

Bernhardus. Comestio sacramentalis, quantum ad visibilem speciem & quantum ad corporis Christi veritatem &c. 589.b
de cœna Domini. Comestio itaque Sacramentalis, quantum ad visibilem speciem &c. 552.d
Habeo & ego verbum sed in carne: & mihi apponitur veritas sed in sacramen. Angelus ex adipe frumenti laginatur, & nudo satiatur grano &c. 921.d. 922.d 923 &c,
in Cantica Canticorum. Serm. 33. Habeo & ego verbum, sed in carne: & mihi apponitur veritas sed in Sacramento &c. 197.d
in Sermone de cœna Dominica. Species ibi videntur, quarum res, vel substantia esse non creduntur sic res veraciter &c. 607.e
in Sermone de bigilia natiuit. Domini. Tu ergo si diuini verbi pabulo reples animam tuam, fideliterq; etsi non digna, certè quanta potes deuotione &c. 541.b
Mira sunt quæ de Sacramento isto scribuntur, fides est necessaria. Scientia rationis superuacua. 470.a
Serm. 33. in Cantica. At quantalibet sane abundantia pinguescunt ista, non pari &c. 136.e.f
Serm. 33. in cant. canti. Non omnino pari incunditate sumitur cortex sacramenti, & medulla frumenti, fides & species &c. 470.c.
de visualibus summamus exemplum, datur annulus absolute propter annulum, & nulla est signi ficatio &c. 470.d.e

Ex Chrisost.

Chrysosto: ad Neophytos. Et aliam mihi Deus vltra tutelam donauit armorum. Quid illud? Mensam præparauit, vt cibum satietatis ostenderet &c. 1167.
ad populum Antiochenum Homil. 2. Quid igitur si vobis demóstra uero quid aliud, quod illo multo maius &c. 102.f
cap. Secundo ad Hebr. Quoniam ea, quæ sunt in spe, sine substantia esse putantur, fides eis tribuit substantiã: magis autem eis non tribuit &c. 974 b
de proditione Iudæ: Et nunc ille preesto est Christus, qui illam ornauit mensam: ipse istam quoque conficrat. Non enim homo est &c. 1169.
de Sacerdotio lib. 3. ô miraculum, ô Dei benignitatem: qui cum patre sursum sed & in illo ipso temporis articulo &c. 161.b
Et Deus & homo est Christus. Deus propter impassibilitatem homo propter passionem 659.c
Et quomodo? Iterum audi quid beatus iste iterum dicat ad Hebræos. 2. Quoniam pueri &c. 346.c
ex Hom. de prod. Iudæ Nemo sit Iudas in mensa. Hoc sacrificium spiritualis cibus est. Nam sicut &c. 584.d.
Frangitur hic corpus Christi quod in cruce fractum non fuit. 351.a.
Hæc dico non quod vetare velim talium vasorũ oblationem, sed quia dignum putem, ante omnia misericordiæ & benignitati incumbendum. 431.d.
Homilia de Ascensione: Natura fragilis, natura contempta, in omnibus monstrata &c. 91.a.
Homil. 83. Non sunt humanæ virtutis hæc opera. quæ tunc in illa cœna confecit. Ipse nunc quoq; operatur &c. 511.f.
psal. 22. Tomo. 1. Hæc aqua primatum tenet in elementis: sed cum istud elementum acceperit spiritum sanctum &c. 952.c.
psal. 22. Vt quotidie in similitudinẽ corporis & sanguinis Christi panem & vinum secundũ ordinem Melchisedech. &c. 276.e.
Hom. 7. super Math. Non propterea extrudote in solitudines, in quibus monachi versantur, imò nobis & monachis omnia Dei mandata sunt communia &c. 1593.c.
hom. 11. in Math. In sanctis vasis non esse corpus Christi, sed tantum mysterium corporis Christi. 806.a.
super. Math. Hom. 11. super cap. 5. si vasa sanctificata ad priuatos vsus transferre peccatum est. 276.f.
hom. 51. in Math. Animarum munditia opus est: propter quas etiam vasa hæc Deus recipit, Et certè non ex argento &c. 431.c.
Hom. 51. super Math. vis corpus Christi honorare? non despicias ipsum nudum. Neq; hic quidem in Ecclesia. 268.g.
Homil. 63. in Math. cogita quanta indignatione ad versus proditorem, aduersus eos qui crucifixerunt ipsũ &c. 571.a.
Hom. 83. super Matheum. Credamus vbique domino, neque repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ &c. 265.g.
Homilia. 83. Math. Hoc est illud cœnaculum, vbi tum erat cum discipulis. Hinc ad montem oliuarum exiuit. 974.c.
Homil. 83. in Math. Nihil sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus sensibilibus. Omnia verò quæ tradidit &c. 628.e.
in Math. Hom. 82. Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellari, sed nos secum in vnam vt ita dicam, massam reducit: neque id fide solum. 1165.
in Math. tam: 82. Quot modò dicunt, vellem formam, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides: ipsũ tangis, ipsum comedis &c. 1163.
in Math. cap. 26. Homil. 83. scribit. Quomodo turbati non fuerunt cum audissent. 136.c.

in Matt. Homil. 85. Iple quoque bibit ex eo, ne auditis verbis illis dicerent &c. 136.d.
in Matt.c. 26. hom. 83. Illi ex Aegypto in palæstinam erant profecturi, & ideo viatoris habitum habebant: tu de terra in cœlum ascensurus es. 815.c.
homil. 83. super Math. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est &c. 276.c.
Homil. 44. in. 6. cap. Ioh. Ego sum panis vitæ. Iam ad mysteriorū traditionem deuenturus est. Et primum de diuinitate sua ita disputat &c. 952.c.
in Ioan. Homil. 46. Sicut magnum est atque admirabile, ita si purè accesseris, ad salutem accessisti &c. 572.c.d.
Homil. in Ioan. 45. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, panem verò &c. 548.f.
in. 2. cap. Ioh. Hom. 86. Dignum autem dubitatione est, quomodo corpus incorruptibile formam clauorum acceperit. 1285.d.e.
Hom. 1. in Act. Apo. sed quomodo dicit baptizabimini, cum aqua non esset in cœnaculo? Quoniam in baptismo &c. 453.d.
Hom. 7. 1. ad Corinth. Ethnicus cū audit lauacrum Baptismi, persuadet sibi, simpliciter esse aquam. Ego verò, non simpliciter video &c. 972.b. 2. Cor. Hom. 20. non solum quod vobis in mensa proponitur, est corpus Christi, sed etiā pauperes, quibus tenemur prodesse & benefacere. 8. 3. homil. 24. in 1. ad Corinth. Hoc corpus in præsepi reuerenti sūt magi & viri impij, & barbari, longo itinere confecto cum timore & tremore plurimo adorauerunt &c. 384.b Hom. 24. Epist. 1. ad Cor. Qid nam est panis? corpus Christi. Quidnam fiunt qui accipiunt? &c. 680.d. Hom. 24. in 1. ad Cor. Quod si hominis vestem temerè nemo attingeret, quo pacto omnium Domini corpus purum & immaculatum &c. 574.f. in 1. ad Corinth. cap. 10. Homil. 24. Quod summo honore dignum est id tibi in terris ostēdam. Nam quemadmodum in regis &c. 163.d. Homilia 24. super Epist. ad Corinth. cap. 10. Aquilas autē appellat, vt ostendat ad alta eū oportere &c. 206.e. hom. 27. in prior. ad Corinth. Et hoc facis cum ad Christi mensam discubueris, in die illa, qua carnem eius lingua &c. 534.c. 1. Cor. hom. 27. Quod Dominicum est priuatim faciunt. Quoniam Dominica cœna, hoc est, Domini, debet esse communis &c. 676. a. hom. 29. in Epist. poster. ad Corint. Igitur vestibula templi & ingressum osculamur mutuum osculando. Nonne videtis &c. 534. f. 2. Corinth. Omnia noua: Et in summa omnia noua pro templo visibili templū videmus spirituale &c. 1054. b. Homil. 2. Epist. ad Ephe. Tu verò ad oblationem accedens, quam & Angeli exhorrent &c. 575. b. in Epist. ad Hebr. Hom. 17. Hoc autem sacrificiū exēplar est illius. 276.e. Homil. 17. in Epist. ad Heb. hoc facite in meam commemorationē. Non aliud sacrificium, sicut pontifex, sed id ipsum semper facimus &c. 1034. b. Hom. 17. ad Hebr plurimi ex sacrificio semel accipiunt in toto anno: alij bis: alij sæpius. Ad omnes ergo &c. 576. in Epist. ad Heb. per singulos dies offerimus: offerimus quidem sed ad recordationē facientes mortis eius. 676. c. Iubet nobis, vt concordia & charitate maxima ad se accedamus, & aquilæ in vita facti ad ipsum cœlum euolemus. 385. f. g. in Encœnijs: num si stercus in manibus haberes, auderes appropinquare fimbriæ Regis? Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt. &c. 1153. lib. 3. de sacerd. O miraculum, ô Dei benignitatem. Qui cum patre sursum sedet in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur: ac se ipse tradit &c. 817. c. lib. 3. de Sacerdotio. Nā dum conspicis Dominum immolatum, sacerdotē sacrificio incumbentem, ac preces fundētem: tum verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri &c. 1043. d. Quando Hæretici dicunt, vnde patet immolatū fuisse Christum? & alia multa mysteria: hoc enim afferentes &c. 813. c.

Ex Cyriano.

CYprianus. Dedit itaque Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuium panem & vinum: in cruce verò manibus militum &c. 753. d,
Cyprianus de Lapsis: Iacens stantib⁹, & integris vulneratus minatur: & quod non statim Domini corpus &c. 567. c.
Cyprianus: Hæc quoties agimus nō dentes ad mordendum acuimus: sed fide syncera panem sanctum frangimus 901. b.
Cyprianus in Epist. ad Aquarios: si Christus solus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putauerit, sed quid, qui ante nos est Christus prior fecerit &c. 240 d.e.
Cyprianus in oratione Dominica: Hunc autem panem dari pro nobis quotidie postulamus: ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus &c. 749. b
Cyprianus: Inter Dominicæ mensæ conuiuas animalis homo non recipitur. Quicquid caro & sanguis &c. 456. c.
Cyprianus in sermone de Chrismate: Dedit itaque Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuiū &c. 226. c.
Cyprianus in sermone de cœna Domini: Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus: sed fide syncera panem sanctum frangimus ac partimur 530. d.
Cyprianus in sermone de cœna Domini: Sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita in Sacramento &c. 1228. d. 76.
Cyprianus in sermone da Vnctione chrismatis. Dedit Dominus noster in mensa, in qua vltimum cum Apostolis participauit conuiuium proprijs manibus panem &c. 870. e.
Cyprianus lib. 1. Epist. 11. Quod si se se ex fide Christo dicarunt, pudicè & castè sine vlla fabula persteterint. 1573. b.
Cyprianus lib. 2. epist. 3. In aqua populus intelligitur, in vino sanguis ostenditur 276. e.
Cyprianus lib. 2. epist. 3. Nec potest videri sanguis eius quo redēpti & viuificati sumus in calice, quando vinum desit calici quo Christi sanguis ostenditur. 689. b.
Cyprianus lib. 2. epist. 3. Quomodo nec corpus Domini esse potest farina sola: nisi vtrunque adunatum fuerit &c. 680. c.
Cyprianus lib. 3. epist. 10. At verò nunc nō infirmis sed fortibus pax necessaria est: nec morientibus, sed viuentibus communicatio &c. 1101.
Cyprianus lib. 3. epist. 15. Illi contra Euangelij legem, vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam &c. 567. b.
Cyprianus lib. epist. 6. Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorū adunatione &c. 680. a.
Cyprianus. Panem Angelorum sub sacramento manducamus in terris: eundem sine sacramento manifestius edemus &c. 539. c.
Cyprianus. Panis quem Dominus discipulis suis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus &c. 455. d.
Cyprianus: Sanctificata ora cœlestibus cibis post corpus & sanguinem domini &c. 517. a.
Cyprianus. Significata olim à tempore Melchisedech prodeunt sacramenta: & filijs Abrahæ facientibus opera eius, summus sacerdos &c. 253. d.
Cyprianus significata olim à tempore Melchisedech prodeunt sacramenta: & filijs Abrahæ facientibus &c. 507. a.

Ex Cyrillo.

Cyrillus ad successum. Nuda puto beatissimum Paulum dicere. Etsi cognouerimus christum &c. 252. b.
Anathematis. 12. Quia autem dicimus proprium eius corpus esse quod ex sancta virgine assumptū est &c. 41. c.
Credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite & manducate &c. 834. c.
Cum autem Dei verbum de cœlo descenderit, filium hominis descendisse ait, in duas post incarnationem &c. 55. c.
Cum sacras istas voces vestras legissemus, nosq; ipsos etiam ad hunc modū sentire deprehēdissem⁹. 31. c

de

de Incarnatione Verbi cap.27. Adorauit ipse vobiscum. Vos enim adoratis quod nescitis. 56.d
de incarnatione Verbi.ca.27. Et à cœlo enim est homo Christus, licet carnem Sancta Virgo peperit. 56.a
de Incarnatione Verbi: Sicut corpus alterius est naturæ, præter animam, vnus tamen ex vtroque homo efficitur. &c. 56.e.f.g
Denique autem cum de se dixit, Me autem non semper habebitis, loquebatur Dominus &c. 204.b
Denique cum de se dicit, Me autem non semper habebitis: loquebatur Dominus de præsentia corporis sui, nam secundum maiestatē suā &c. 860.e
de Incarnatione Vnigeni.cap.23. Etsi exitus legis & prophetarū Christus est, est autem homo Theophorus, nonne dicere liceat quod &c. 828.c
de recta fide ad Reginas. Et primus quidem è terra terrenus, secundus autem ex cœlo &c. 31.c
de Trinitate lib. 6. Vnde dicebat filius. Non relinquam vos orphanos, venio ad vos &c. 106.d
Expedit vobis vt ego vadam: nam nisi abiero paracletus non veniet ad vos: opus enim erat participes naturæ suæ fieri. 860.e
in oppositione Anathematismi 11. Veruntamen quamuis proprium dicatur verbi corpus, est tamen &c. 71
in Dialogo de Trinit. lib. 5. Igitur quando aliqua minora sunt, quam gloria Dei requirat, nec transcendunt naturam factam &c. 41.a
in Dialog. de Trinit. lib. 2. Si verè sectionem & partionem diuina natura, vt illi dicunt, reciperet, intelligeretur & corpus &c. 537.d
in Epist. ad Iohann. Antioch. præterea & impassibile esse verbum Dei confitemur omnes, etiamsi sapientissimè mysterium hoc dispensans &c. 41
in Expositione Symboli Niceni. Inueniemus igitur dicentem diuinum Baptistam, post me venit vir. &c. 45.b
in Ioannem. Non imperitè omnino vnificam carnem esse negans. Nā si sola intelligatur &c. 49.f
in Iohann. lib. 1. cap. 4. Quare fit vt multa non vt dicantur, sed vt rebus conuenient intelligantur 40.g
lib. 2. in Iohann. cap. 4. veluti etiam regis alicuius terreni statuas euertens, non aliter ac si regem contempsisset punitur 820.c
in Iohann. lib. 4. cap 14. Credentibus discipulis Christus, fragmenta panis dedit, dicens, Accipite & māducate. Hoc est corpus meum. 498.a
super Iohann. lib. 4. cap. 14. Oportebat igitur fidei primum radices in animo iacere, deinde &c. 270.b
lib. 4. in Iohann. cap. 14. oportuit certè vt non solum anima per Spiritum Sanctum in beatam vitam ascenderet &c. 535.c.d
in Iohann lib. 4. cap 22. Et certè corpus Christi in cœlo prius non fuit, quod nec fuit quidē ante &c. 72.a
in Iohann. libr. 9. capit. 21. Credere autem oportet fideles, quamuis à nobis corpore &c. 105.g
in Iohann. libr. 9. capit. 22. obseruandum autem quia Iudæis quidem dixit. Quæretis me & non inuenietis &c. 106.b
libr. 9. super Ioh. capit. 46. Quamuis ergo in cœlos postquā ex mortuis &c. 204.d
in Ioh. lib. 10. cap. 13. Non negamus recta nos fide, charitateque Christo spiritualiter coniungi. Sed nullam nobis rationem coniunctionis secundum carnem cum illo esse. 1123.
super Ioan. lib. 11. cap 3. Nam etsi abest corpore patri pro nobis apparens, ac à dextris eius &c. 106.e
super Iohann. lib. 11. cap. 3. post enim illam, scilicet passionem, in cœlum ascendens Spiritum immisit &c. 106.d
in Iohann. lib. 11. capit. 21. putabant enim discipuli absentiam Christi, vt hominis dico. 105.d
super Iohann. lib. 11. capit. 22. nihil ergo mali accidere vobis potest, si carne abfuero &c. 106.c
in Iohann. lib 11, capit. 26. Vnum autem dico habitudine, atque affectu, vt incipientes dicebamus, vnum pietatis consensu, vnum Sanctæ carnis &c. 1127.c
in Iohann. lib. 11. cap. 27. Christum in mystica benedictione se nobis communicare: vt hominem videlicet, carne viuifica sanctificationē peragendo, vt gustu, & tactu nobis cognato &c. 944.b
lib. 11 cap. 27. in Iohann. Vniuntur autem etiam Deo, & modum ipse Saluator aperuit, dicens &c. 549.e
lib. 12. super Iohann. capit. 58. Quod autem mysticæ benedictionis communio resurrectionis Christi quædam confessio. &c. 272.a
in Iohann 12. capit Homil. 32. In quatuor partes vestimenta diuisa sunt & tunica sola indiuisa remansit &c 536.e
in lib. de. Incarn. Vnigeniti. Et à cœlo enim homo est Christus licet carnem Sancta &c. 92.d
libro de recta fide ad Reginas: Deus corporeus, est neq; est esibile verbum nisi secundum &c. 535.e
lib. 4. capit. 22. Si putatis carnem meam vitam vobis adferre non posse, quomodo tanquam volucris in cœlum ascendere. 464.e
lib. 13. Thesauri. cap. 2. Deus ex parte cuiusdam prophetæ dicit: Nonne cœlum & terram impleo dicit Dominus &c. 8.b
Nam etsi abest corpore, patri pro nobis apparens ac à dextris eius sedens, habitat tamen in Sanctis per Spiritum &c. 860.e
Nam si verè sectionem & diuisionem diuina natura, vt illi dicunt, reciperet. intelligeretur & corpus: si autem hoc &c 860.b
Nihil ergo mali vobis accidere potest, si carne abfuero, cum Deitatis meæ potestas quæ vos hucusque seruauit, in posterum etiam seruatura sit &c. 859.b
Non dubites an hoc verum sit, eo manifestè dicente, Hoc est corpus meum, Sed potius suscipe verba saluatoris in fide, Cū enim sit veritas non mentitur. Insaniūt ergo qui dicunt &c. 838.b.c
Nullus ambigit, cùm ad cœlos ascenderit, quamuis virtute semper adfuerit. præsentia tamen ipsum carnis abfuisse 860.d.
Oportebat enim, oportebat inquam manifestè cognoscere, quòd vniuersum pro fide certamen 31.f
Paruo tempore Christus ait, se fore cum discipulis. Non enim penitus recessurus erat. Nobiscum enim est semper vsque ad &c: 845.c
Passio dispensationis erat sua quidem dicente verbo, quæ sunt propria carnis &c: 37.c
Postea in cœlum ascendens, spiritum immisit: non enim conuersari poterat cum Apostolis in carne, cum ad patrem ascenderit 860.
Potestatem quam post resurrectionem ait sibi datam, ante resurrectionem quoque habebat &c. 82.e
Prope enim iam tempus erat, vt etiam in cœlos ad patrem abiret. Credere autem oportet fideles, quāuis corpore à nobis absit, virtute tamen eius omnia &c: 859.f
Vt corpus vitæ quasi quoddam semē viuificatiuum inueniretur in nobis. Vnde subdit: Hoc facite in meam commemorationem 836.e
Quia hoc loquutus sum vobis apud vos manens: iam enim hinc ad cœlos: 860.d
Quod vt insinuaret Christus, subiecit, verba mea spiritus & vita sunt: de carne, inquit, sentiens non inspiritum versa 363.b
Sicut si quis liquefactæ ceræ aliam infuderit, ceram cum altera per totum commiscat necesse est: ita si quis carnem & sanguinem &c. 841.c

EX DAMASCENO.

Damascenus lib. 2. cap. 6. Cœlum est complexio visibilium Creaturarum & inuisibilium &c: 78.e
Lib. 4. cap. 14. Neque & hoc etiam dici prōptum, quomodo naturaliter per comestionem panis, vinum, et aqua &c. 606.c
Lib. 4. cap. 14. si igitur Dei verbum, viuens est & efficax, & omnia quæcunque voluit, fecit: &c: 1201.
Si verbum Domini viuens est et efficax &c: 469.a

EX DIDYMO.

Didymus de spiritu sancto. Si vnus de creaturis esset, saltem circūscriptam haberet substantiam, sicut vniuersa quæ facta sunt &c. 7e.

Ex Dionysio.

Dionysius de Ecclesiastica Hierarc. capit. 3. per venerabilia signa Christus figuratur &c. 276.d

de Eccles. Hierarchia.cap.3.pontifex apertum panem & Indiuiduum aperit, & in fruita concidit panis ergo manet, siquidem. 705.a

Ex Emisseno.

Emissemus. Cordis manu suscipe,ore quidem panem comedis & vinum bibis: at cordis manu suscipis &c. 773.d

Ergo vt ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo steterunt celsa cœlorum, profunda fluminum,vasta terrarum &c. 771.f

in Oratione de corpore Domini: Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ,præsentia maiestatis 601.c

Inuisibilē sacerdotem creaturas visibiles in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate conuertisse cum diceret, Hoc est corpus meum &c. 771.c 261.a.1142

Ex Epiphanio.

Epiphanius.Et quot sunt quæ similia sunt? Videmus enim quod accepit seruator in manus suas, velut Euangelium habet 261.c

Illud rotundum & insensibile secundum potentiam, cum nec lineamēta, nec sensum, nec aliud quippiam, quod simile sit &c. 789.d

Nos verò non necessitatem imponimus,verum cum bono consilio admonemus, exhortantes eum qui potest: non autem necessitatem imponimus non potenti &c. 1585.b.c

Reuera enim non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentū eos qui mortua sua vxore secundis nuptijs coniuncti sunt &c. 1586.b

Ex Eycherio.

Eucherius in lib.2. Regum. cap.6.sacerdos qui arcam inconsiderata temeritate tetigit, ausus sui reatum immatura &c. 584.f

Ex Euthymio.

Euthymius in Math. capit. 46. sicut vetus testamentum hostias & sanguinem habet,ita & Nouum,corpus &c. 605

in Matth.cap.64. Itaque sicut vetus testamentum, hostias & sanguinem habebat: ita & nouum, corpus videlicet & sanguinem &c. 275.d

in 6.Iohann. Decertabant ergo Iudei inter sese dicentes. Quomodo hic potest nobis dare carnem suā ad manducandum? 468.a

Nos credamus vbique Deo, nec contradicamus, etiamsi quod ab eo dicitur, contrarium esse videatur nostris cogitationibus. 466.f

Ex Fvlgentio.

Fulgentius ad Donatum de Fide orthodoxa. Spiritus ergo Sanctus sicut omnia creauit, sic omnia replet immensus & quia omnia replet naturaliter est verus Deus &c. 8.c

ad Momimum lib.2. Hæc inquam ædificatio Spiritualis num quam opportunius petitur, quam cum ab ipso Christi corpore &c. 1190

ad Tra. lib.2.Cum ergo caro Christi localis absque dubio in ascensione monstraretur. 109.a

ad Thrasymundum lib. 2. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit 71.c

ad Thrasymundum regem.lib 2.Filius ergo Dei tamen authoritate diuina, quam sanctorum patrum &c. 108.c

ad Thra. lib. 3. Christi diuinitas, quia verum hominē suscepit &c 39.e

ad Trasy. lib. 3.Hæc dum quidam minus attendunt &c. 39.c

ad Thrasymundum lib.3.Hoc igitur personæ inseparabilis vnitas in qua Deus & homo vnus est. 39.c

ad Thra.lib. 3. Humanitas ergo vera filij Dei nec tota in sepulchro fuit &c 106.b

ad Thra.lib. 3. Item secundum susceptam animam Deus tristis fuit &c. 39.d

lib.2.ad regem Thrasymundum. Vnus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex patre: vnus idemque secundū humanam substantiam 1191.d

lib.3. Idem atque inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulchro surrexit:idemque atque inseparabilis Christus secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserēs &c. 915.b

Vnus idemque homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex patre, vnus idemque secundum humanam substantiam: absens cœlo, cum iam esset in terra: & de relinquens terram, cum ascendisset in cœlum. 915.c

Ex Gelasio.

Gelasius Certè Sacramenta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi diuina res est: propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturę. Et tamen esse non definit substantia. 1917.b

contra Eutych.certè Sacramēta quæ sumimus corporis & sanguinis Christi diuina res est: propter quod & per eadem diuinæ consortes efficimur naturæ 656.e

contra Nestorium & Eutychem. Imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione &c.277.c

Et quod dictu auditu que fugiendum est, vel homo Deus iam esse desinat. Si solaillic humanitas &c. 13.f

libro aduersus Eutych. Certè Sacramenta quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi diuina res est:propter quod per eadem diuinæ efficimur consortes naturę &c. 988.d

vt sicut in hanc transeunt Spiritu Sancto perficiente substantiā &c. 659.f

Ex Gregorio Romano, Nazianzeno & Nysseno.

Gregorius ad Petrum diaconum scribens: ante triennium omnium Ecclesiarū subdiaconi Siciliæ prohibiti fuerunt, vt more Romanæ Ecclesiæ suis vxoribus nullatenus miscerentur 1615.c

Christus non hic per præsentiam carnis &c. 59.b

Libro.2. capite.1.valde ergo saturantur famelici,quia in donorū plenitudine 586.c

Gregorius Nazianze:in oratione funebri: res magna est virginitas,angelis aggregari ac absque iugo esse,naturæque solitarię 1582.c

In oratione habita in funere Gregoriæ sororis:in duo diuisa est vita,in nuptias & virginitatem.Hęc sublimior est diuinior, laboriosior autem illa & lubricior &c. 1581.f

In sanctum Pascha.de baculo verò & eius enigmate ita habeo,scio enim substentatiuum vnum esse, alium verò pastoralem &c. 1139

Veterem quippe ac nouam scripturam callebat: denique pia quadam ac honesta impudentia &c. 376 b

Nazianzenus. Ab altaribus nos excludunt,Sed ego aliud nouī altare cuius typum gerunt quæ nunc videntur, super quo nec ascia, nec manus ascendit neque quod ferrum audiuit, neque aliquid arte &c.804.a

in Expositione priori ad Clydonium. Si quis dicit carnem Domini de cœlo descendisse, & non ex nobis hinc esse &c. 41.f

in orat. de Filio: Et hoc est quod iacit errare hæreticos, nominum coniunctio,signum autem hoc est &c. 42.b

Gregorius Nyssenus in Orat.Catechetica. Et quis hoc dicit quod carnis circumscriptione tanquam vase aliquo &c. 89.b

Romanus Homilia paschali.22. Iam quid sanguis agni sit non audiendo,sed bibendo didicistis &c. 39.f

Ex Hesychio.

Hesychius leuit.1.cap.4.Tum autem Christus in cœna voluntatis suæ nos certos reddidit, verè corpus suum daturus 259.c

lib.2.cap.8. in Leuit. Aron & filij eius illud rectè comedunt. Nisi enim Christus rogatus &c. 109.f

in Leu.lib. 2. capit. 9. Vt ergo gloria Domini videretur, id est, vt aduentus celebraretur Spiritus &c. 601

Leuit.lib.6 cap.22. sanctificationem mystici sacrificii, & à sensibilibus ad intelligibilia rationem siue communicationem ei, qui verus &c. 462.b.602

Libro 6. in Leui. capite 22. sanctifi-

cat

cat, quoniam ſanctum ſanctorum appoſitas creaturas efficit, quod verbi omnipotentia benedicendo perficit. 765.f
32.6 libro in Leu. capite 26. ſi quis templum violauerit perdet illum Deus, propter quod ſanctuarium eius paueamus &c. 571.a
In Leuiticum libro 7. 37. ſiquis templum Dei violauerit diſperdet illum Deus. Propter quod ſanctuarium eius paueamus vt nec corpus noſtrum polluamus, &c. 1145
Iſrael addens, populum fidelem per hoc ſignificauit, hoc eſt eũ qui per myſticum &c. 602

Ex Hieronymo.

Hieronymus ad Euſtochium: Audacter dico, cũ omnia poſsit Deus, hoc non poteſt vt virginem poſt ruinam ſuſcitet. 1454.1460
ad Hedibiam queſt. 1. Nos autem audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditque diſcipulis ſuis &c. 269.1.817.d
aduerſus vigilantium: Sequuntur agnum quocunque ierit. 62.c
Contra Iouianum libro 2. Moyſes & Elias quadraginta diebus ieiunauerũt, ac noctibus: hoc hominum natura non patitur, ſed quod homini &c. 197.e
Contra vigilantium: Cereos non clara luce accẽdimus, ſicut fruſtra calumniaris, ſed vt noctis tenebras hoc ſolatio temperemus &c. 274.9
Ex multis præsbyteris vnum delectum fuiſſe in Concilio, qui cæteris dignitate, non ordine ante iret: idque ad vnitatem Eccleſiæ conſeruandum: 421.g
lib. 2. contra Iouin: Opponis mihi Gomer mannæ, vnamque menſuram & veſtitum &c. 577.b
Pſal 50. Qui ſibi mecum dulces capiebat cibos. Cum mandatis vitæ &c. 578
in 3 cap. Eccle. Porrò, quia caro Domini verus eſt cibus, & ſanguis eius verus eſt potus &c. 548.b
in Eſa. c. 66. lib. 18: Omnes voluptatis magis amatores, quam amatores Dei, ſanctificari in hortis & in ſimilibus: quia in myſteria veritatis non valẽt introire &c. 819.b
in Hierem. cap. 22. lib. 4. Omnis hæreticus naſcitur in Eccleſia: ſed de Eccleſia proijcitur & contendit & pugnat contra parentem: quod infert 101.e.819.d
in Malach. Dũ enim ſacramẽta violantur, ipſe cuius ſunt ſacramenta violatur. 810.e
in Malach. Propheta Hebræos coarguit, quod ex victimis vilibus, macilentis & mutilatis offerrẽt ſacrificia. 101.g
in 1. cap. Malach. polluimus panem, id eſt, corpus Chriſti, quando indignè accedimus. 577.e
in cap. 26. Matth. Poſtquam Paſcha fuerat impletũ, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem qui confortat cor hominis, & ad verũ Paſcha tranſgreditur, &c. 823.a
in epiſt. ad Galat. cap. 4. Verè in Chriſto vnus panis ſumus, & duo conſenſimus ſuper terram, & quomodo vos ſuper Prophetas, &c. 233.b
in epiſtol. ad Epheſ. cap. 4. Nunquid corporaliter omnes cœlos, & vniuerſas, &c. 60.c
in epiſt. ad Titum: Si autem laicis imperatur, vt propter orationem abſtineant ſe ab vxoribus, quid de ipſo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populiſque peccatis illibatas Deo, &c. 1172.
in epiſt. ad Titum: Tantum intereſt inter panes propoſitionis, & corp⁹ Chriſti, quantum inter vmbram & corpora, &c. 673.c
in Hoſ. lib. 2. cap. 8. Iſti hæretici multas immolant hoſtias, & comeduut carnes earum: vnam Chriſti hoſtiam deſerentes, nec comedentes, &c. 821.c
in 1. Tomo ad Euſtochium: Dei Filius pro noſtra ſalute hominis factus eſt Filius, &c. 97.c
in 3. Tomo ad Marcellam: Extrema ſchedula continebat, vtinam poſt reſurrectionem quadraginta diebus. 87.g
in 1. Tomo ad Euſtochium de cuſtodia virginit. Audenter loquar, cùm omnia poſsit Deus, &c. 5.d

Ex Hilario.

Hilarius lib. 8. de Trinit. De veritate corporis & ſanguinis Domini nõ eſt relictus ambigẽdi locus. 530.g
de Trinit. lib. 9. Si verè verbum caro factum eſt, & nos verè verbum carné cibo Dominico ſumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, &c. 1115.
Ex hac igitur filij qui erũt, tãquã nouellæ oliuarum, in circuitu menſę noſtræ erunt. 546.e
in Pſalm. 127. Habemus hic ſpiritualem animam noſtram in vitam alentem: bona ſcilicet opera miſericordiæ, caſtitatis, patientiæ, &c. 569.e

Ex Ioan. Antiochено.

Ioan. Antiochenus ad Archiepiſcopũ Cyrillum: Euangelicas verò & Apoſtolicas de Domino voces, ſcimus viros Theologos tanquam ad vnam perſonam pertinentes, &c. 31.d

Ex Irenaeo.

Irenęus aduerſus Valentinianos lib. 4. cap. 3. Panis terrenus accepta vocatione à verbo Dei, non amplius eſt communis panis &c. 711.f
lib. 4. cap. 32. Chriſtus panem qui eſt creatura corpus ſuum, & calicem &c. 516.b
lib. 4. cap 32. 33. Panem eſſe creaturã ſecundum nos. 680.a
lib. 4. cap. 34. Panis in quo gratiæ actæ ſunt corpus eſt Domini. Gratijs actis, & conſecratione perfecta &c. 679.f
lib. 4. cap. 34. Quomodo conſtabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ ſint, eſſe corpus Domini, & calicẽ ſanguinem eius &c. 1024.e
Libro 4. cap. 57. Huius conditionis quæ eſt ſecundum nos accipiens panem. 216.c
Lib. 4. contra hæreſes. Huius conditionis quę eſt ſecundum nos, accipiens panem ſuum corpus confitebatur &c: 1232.f
Libro 4. Quemadmodum enim qui eſt a terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis &c. 1233.b
Libro quinto: Eum calicem, qui eſt creaturã, ſuum corpus confirmauit, ex quo noſtra auget corpora &c. 708.
Lib. v. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti &c. 952.b
Oportet nos oblationem facere Deo, in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo, &c. 453.d
Quomodo conſtabit eis illum panem in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini ſui, 45.f
Sed & ſuis diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigni &c. 247.c.

Ex Iustino Martyre.

Iuſtinus Martyr in Apolog. 2. multi in vtroque ſexu reperiuntur egreſſi annum 60 ac 70, qui à teneris diſciplina Chriſtiana imbuti perpetuam caſtitatem conſeruauerunt. 1561.c
Apologia ſecunda ad Antonium: Neque verò hæc pro pane, potúue communi ſumimus: imo quemadmodum verbo Dei Ieſus Chriſtus &c. 242.a
Martyr Apologia 2. Sunt multi in Eccleſia qui ſe caſtrarunt propter regnum cœlorum: verum hoc non cuiuis datum eſt. Siquidem & qui iure humano duas vxores ducunt &c. 1561.c
In Apolog. 2. Panis, aqua & vinũ in hoc ſacramento non ſunt ſumenda, vt cæteri cibi, & potus communes &c. 705.d
In colloquio cum Tryphone: Cæterum de ſacrificio quod offertur in omni loco à nobis Gẽtibus, id eſt, Euchariſtiæ tum pane, tum poculo 710.f
In colloquio cum Tryphone: Equidem & preces & gratiarum actiones, ſi per homines dignos fiant, pro perfectis &c. 711.d
In colloquio cum Typhone: Similia quæ pro mundatis à lepra ſolet offerri, ex more figurate ſignificans &c. 710.e
In colloquio cum Tryphone. Sordidis veſtibus, hoc eſt peccatis exuti, ignitique per verbum vocationis eius, vere pontifices reddimur &c. 711.a
In Expoſitione Fidei: Simplicitate fidei vtamur captionem, vt credas nihilominus, quod nequeas explicare. 642.d
Pridie quippe Saturni crucifixerunt eum: poſtridie Saturni qui eſt ſolis dies &c: 246.f

Ex Lombardo.

Lombardus in 3. diſtinctione 22:

Christus vnus est, vbicunque est, sed non totum &c. 63.d
5. libro distinctionis 2. testimonijs quarundam auhoritatum euidenter monstratur &c. 79.b

Ex Leone episcopo Romano.

Leo ad Iulianum Episcopum: Nihil secum Dominus de cœlo veniens nostræ conditionis exhibuit &c. 36.c
Epistola ad Flauium cap. 5. propter hanc vnitatem personæ, in vtraque natura intelligendam &c. 33.b
Epistola 87. Dicente enim Apostolo, vt inter alias Christianismi regulas is Episcopus ordinetur quem vnius vxoris virum fuisse, aut esse constaret &c. 1624.f
In Epistola ad Flauianum 4. capite: agit enim in vtraque forma cum alterius communione, quod proprium est, verbo scilicet operante 32.d.
In Epistola ad Theodoretum: Reme antibus ad nos fratribus nostris quos ad sanctum concilium &c. 33.d.
2. Orat. de ascensu Domini: vt igitur huius beatitudinis dilectissimi capaces esse possemus &c. 109.d
In sermone de ieiunio septimi mensis tunc & sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando ij &c. 1188
In sermone 2. de Resurrectione Domini: inuisibilis visibilem, intemporalis temporalem, impassibilis passibilem 32.f
In sermone 2. de Resurrectione Domini sed quia verbum & caro vna persona est .32.f
In sermone secũdo de resurrectione Domini: Suscepit enim nos in suam proprietatem, seu potestatem &c, 32.e
In sermone 14. de passione: Non enim aliud agit participatio & corporis & sanguinis Christi, quàm vt in &c. 538.f
Sermone 4. Quadragesimæ: In sacramentorum communione ita se temperant, vt omni indigno corpus Christi accipiant &c. 539.c

Ex Oecumenio.

Oecumenius capite 11. prior: ad Corinthios: Quod ait reus erit corporis & sanguinis Domini, hoc indicat, quod quemadmodum Iudas &c. 539.d
In Epist. 2. ad Corinthios capite 11. Ad eundem modum & poculum: erant enim in veteri testamento pocula in quibus libabant &c. 278.f.
2. Corinthior. 11. Quod ait reus erit corporis & sanguinis Domini hoc indicat, quod quemadmodum Iudas &c. 585.d.
5. capite 10. ad Hebræos: Non ipsam imaginẽ rerũ, i. veritatem rerum. Res appellat futuram vitam: imaginem autẽ rerum Euangelicam politiam: 785.f

INDEX.

Ex Origene.

Origenes in Leui: homil 5. capitè 7 Dominus panem, quem discipulis dabat, dicens, accipite & manducate, non distulit, nec reseruauari iussit in crastinum 669.b 796.c
in Leui. Eucharistiam non iussit seruari in crastinum. 839.a
In Leuit. capite decimo Homi. 7 agnoscite quia figuræ sunt, quæ in diuinis voluminib⁹ &c. 276.d
Homi. 9. in Leui. Sed tu qui ad Christum venisti pontificem verum, qui sanguine suo Deum tibi pontificem fecit 251.d
libro Num. hom. 4. antea in ænigmate fuit Baptismus, in nube & in mari nunc autem in specie regeneratio est in aqua & spiritu sancto, &c. 1097.
in hom. 16. in lib. Num. bibere dicimur sanguinẽ Christi, non solũ sacramentorum ritũ, sed etiam cùm sermones eius recipimus, &c. 544.a
Homil. 23 in numer. Iuge sacrificium non nisi à virgine, aut cœlibe præstari posse 157.c
Psal. 38. si quis verò transire potuerit ab hac vmbra, veniat ad imaginem rerum: & videat aduentum Christi in carne factum. 784.d
in 14. Matth. Quod si quicquid ingreditur in os, in ventrẽ abit, & in secessum abiicitur, &c. 1232.b
in Matth. cap. 14. Multa porrò & de ipso Verbo dici possent, quod factũ est caro, verusq; cibus, &c. 189.e
Homil. 27. in Lucam: Primus gradus est ab omni coniugio abstinere: secundus vnas tantũm nuptias experiri, vt coniunx apud se voueat, & statuat, &c. 1570.e
Super Lucam: Omne masculinum quod aperit vuluam, sacratũ quippiam sonat, &c. 96.g. 97.a
Lib. 8. contra Celsum: Panis prẽterea Eucharistiæ ille bona gratia nuncupatus, argumẽto est nobis, quẽ admodum gratias Deo agamus. 746.

Ex Ruffino.

Ruffinus in Symbolum: Ascendit ergo ad cœlos, non vbi verbũ Deus ante fuerat. 102.g

Ex Thoma Aquinate.

Thomas Aquinas 3. par. q. 52. artic. 3. Persona Christi est tota in quolibet loco, &c. 63.d

Ex Theodoreto.

Theodoretus Dial. 3. Sed nos apertè ostẽdimus, nullo modo posse mortis esse particeps, &c. 39.a
in Dialogo Immutabilis: Atq; item seipsum nominauit idem ipse etiã ea, quæ videntur symbola corporis, &c. 658.f
in Dialogo Inconfusum: Captus es iis retibus quæ tetenderas. Neque enim post sanctificationem mystica illa symbola è natura sua egrediuntur. 658.g
Cum Christo participes facti sumus mortis per Baptismum: & cum eo conseputti sumus in figura Resurrectionis, &c. 833.e
contra Euthychen: ea quæ videntur symbola, corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, &c. 1130.d
Dialogo 2. Igitur corpus Dominicũ surrexit quidem à corruptione & interitu alienum, &c. 9.a
in Dialogo 2. pagina 4. Sede à dextris meis. Hæc de corpore Dominico dicta sunt. Si enim cœlum & terrã ego impleo, &c. 14.c
Dialogo 2. Talis ensm quoque Christus natus cœlestis & terrestris. 40.c
Dialogo 3. Atq; post resurrectionem visum est circumscriptum, & habens manus, & pedes, & alias corporis partes, & tangi poterat, & sub aspectum cadebat. 9.d
Dialogo 3. Christus autem post incarnationem Deus, Verbum appellatus est. Hoc ergo nomen, &c. 33.e
Dialog. 3. Diuus Petrus in sua catholica, Christũ carne passum esse dicit. 39.b
Dialogo 3. Et ego mihi persuadeo, & credo eum esse gloriæ dominum, &c. 33.f
Dialogo 3. Hac vtique ratione Dominum quoque gloriæ crucifixum appellauit, &c. 33.f
Dialogo 3. Quæcunque diuina nomina dimisit scriptura liberã à passione, tu quoque ea libera esse finito, &c. 41.d
Dialogo 3. Quando audiemus sacrorum Euangeliorum historiam declarantem, quod obtulerunt, &c. 42.d.e.f.g
Dialogo 3. Quando ergo dicit sacra Scriptura: extuleruntautem Stephanum viri pij, &c. 38.c.d
Dialogo 3. Qui dicitur Impatibilis, Deum talia non posse diuinus Apostolus & intellexit, & posuit. Ad Hebræos enim scribens, &c. 6.c.d

Ex Theophilo Alexandrino.

Theophilus Alexandrinus lib. 2. Paschalis: consequẽs enim est vt qui priora susceperit; susciplat & quæ sequuntur. 264.e

Ex Theophilacto.

Theophilactus in Mat. cap. 26. Porrò dicens, Hoc est corpus meum, ostẽdit, quod ipsum corpus Domini est panis qui sanctificatur altari &c. 1195
in cap 28. Math. porrò dicens Hoc est corpus meum, ostendit, quod ipsum corpus Domini est panis &c. 283.g
cap. 4. in Marcum. Hoc est corpus meum Hoc in quam quod sumitis non enim figura & exẽplar quoddam Domini &c. 1175.a.b
cap. 14. in Marc. Audiunt igitur quomodo Christus præferat sui curã pauperibus. Christi autem corpus

proprie quod in disco aureo &c. 433.b

in Mar. cap. 24. Cum benedixisset, id est gratias egisset, fregit panem quod etiam nos facimus, preces adiungendo &c. 1191

cap. 6. Iohann. vbique autē vitæ meminit, & crebrò hoc nomen addidit quia nihil ita suaue hominibus, vt res illa &c. 551.f

in Iohan. cap. 6. Attēde autem quod panis qui à nobis in mysterijs māducatur, non est figuratio quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini &c. 1199

in 6. capit. Iohan. Attendam autem quod panis, qui à nobis in mysterijs manducatur, non est figuratio quedam 607.a

cap. 11. ad Corinr. 1. Ita quicunque manducauerit panem, aut biberit calicem domini indigne &c. 587.e.f

in 10. ad Hebr. Multo magis scietis, deteriora meteri supplicia, qui filium Dei conculcauerit 540.c

Facit fides vt ista mente nostra cernamus, haud secus, quam si essent præsentia &c. 974.d

Si tamen initium substantiæ vsque ad finem firmum retineamus: hoc est fidem, per eam enim subsistimus &c. 833.d

Ex Tertvlliano.

Tertullian. aduersus Martionem lib. 4. Acceptum panem & distributū discipulis, corpus suum, illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo: &c. 244.b

aduersus Praxeam: Ergo inquiunt, difficile non fuit Deo ipsum se & patrem & filium facere aduersus traditam formam rebus humanis &c. 4.f

aduersus Praxeam: Rursus quotquot personæ tibi videntur peruersissima praxea? Nisi quot & voces &c. 122.c

caro corpore & sāguine vescitur christi, at anima Deo saginatur 400.c

contra Iudæos Christus panem corpus suum appellauit 216.c

contra Mart. lib. 4. Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit 264.c

Igitur omnes aquæ & pristina originis prærogatiua sacramentum sanctificationis consequūtur &c. 953c.

Libro 1. aduersus marcionem an partem impudentiorem, quā qui in aliena aqua alij Deo tingitur &c. 726.a

Libro 2. ad vxorem non sciet maritus quid secretò ante omnes cibos gustes: & si scierit panem &c. 732.e

Libro 4 aduersus Martionem: acceptū panem & distributum discipulis corpus suum illū fecit 276.a

Libro 4 contra Marcionem: acceptū panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit &c. 731.b

Sic itaque sacrificia spiritualia laudis designantur, & cor contribulatum acceptabile sacrificium &c. 404.c

Vsque nunc nec aquam reprobauit creatoris qua suos abluit: nec oleum, quo suos inungit &c. 729.a

Vtique in corpus eius signum missum est. Sic enim Christus reuelauit, panem corpus suum appellans &c. 727.b

Ex Vigilio.

Vigilius contra Eutychem libro 1. expedit vobis vt ego eam: si enim non abiero, paracletus ad vos non veniet 106.e

Contra Eutychem libro 1. Iam huic argumentari non opus est, vbi se ipsa veritas prodit. 34.f

Libro 1. contra Eutychem sed ne adhuc de his proprietatibus dubites audi manifestius &c. 43.d

Libro 2. contra Eutychem: Constat dominum nostrum Iesum Christum feria sexta crucifixum 107.b

Libro 2 contra Eutychem: si quis dicit hominem, id est, carnem de cœlo descendisse &c. 70.e

Libro 2. contra Eutich. vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem 43.d

Libro 4. contra Eutychen deinde si verbi & carnis vna natura est quomodo cum verbum vbique sit &c. 107.d

Libro 4. contra Eutychen Miror autem quomodo non hac existimatione Apostolum quoque Paulum accusaueris &c. 44.d

Libro 4. contra Eutychen. Paulus duo quædam esse dixit in vno homine, vicissim quæ sua sunt propria operantia &c. 13.d

Contra Eutychen 4. vnde constat & diuinitatem humanitatis habere vocabulum 34.f

Contra Eutychen. libro 5. perspicuè enim is & communionem operis & proprietatem vtriusque naturæ descripsit. 35.a

Libro 5. contra Eutychen: sed iam vltimum decreti capitulum videamus, ex decreto Synodi Chalcedonensis &c. 44.f

In Disputatione inter Sibellinum, Photinum, Arrhium & Athanasium. Hinc præcipuè declaratur spiritum sanctum Deum esse, quia vbique est, & nullo continetur loco &c. 8.a

FINIS.

RERVM MAXIME NECES-

SARIARVM, VERBORVM ITEM TVM GRECORVM, TVM LATINORVM Elenchus, in gratiam ſtudioſorum τῆς θε- οσοφίας ſumma fide conſcriptus.

Aaron ſolus defunctus ſacerdotio nihilo minus operam dabat liberis. 1518.d

Abacuc ex iudæa in Babylonē translatus, ſed quod illud momento temporis factum ſit Danielis hiſtoria non habet 204.g

Abdicatio bonorum quatenus ſit præcepta 1516.e

Abelis ſanguis clamans de terra vindictam loquitur 545.d

Abias octauam claſſē habuit 1504.

abias & Nadab. quare puniti 1013.

Abire poſt ſatanam quid 1439. 1350 1355.d

Abnegatio ſui ipſius ſumma eſt perfectio. 1404

Abrahamus iuſtificationē adeptus eſt, prius quam ſymbolum reciperet. 1000.a.b. 424.c ſenſu non fuit deceptus, cum iudicaret hominē eſſe, qui erat angelus 475.c vidit diem Domini 164.a

Abrahami milites vt à Melchiſedecho fuerunt refecti, ita Dominus relinquendo ſacramentum cœnæ, Dei patris exercitum Eccleſiam ſuam perpetuo inſtaurat 253.f

ſinus in quo animæ patrū fuerūt, an paradiſus appellatus. 27. d.e

abacuc non eodem tempore et in Iudæa & in Babylone fuit 205.a

Abſurdo vno poſito, ſequuntur alia infinita 22.b

Academici ſemper dubitabāt 637.c

Accedere et extrudere differunt 1251.e f

Accidens dicere quod non ſit in ſubiecto, eſt dicere idem eſſe accidens, & non eſſe 611.f

Accidens ſimul in duobus ſubiectis eſſe non poteſt 1246.c vnum idēque numero, non eſt in diuerſis ſubiectis 115.a

Accidentia iuxta numerū ſubiectorū ſuorū diſcernūtur 115.b nō poſſūt eſſe partes ſubſtantiæ. 342.e non nutriunt noſtrum corpus 615 b. 1251. b.c quare frangi non poſſint 703.e ſine ſubiecto 140. nusquā ſcriptura docet illa ſubiecto carere 191. ſi non ſint in ſubiecto, omnino non ſunt 612.

Accidentium alia ſeparabilia, alia inſeparabilia quare dicuntur 203.e

Accidentibus Deus prorſus caret. 304.d. dū exiſtūt ſubſtātiale eſt, in hærere in ſubiecto 611.c ſubiectum ſubtrahit Tranſubſtantiatio. 1297 b

Accidentibus quæ conueniant non eadem ſunt 1346c. d

Acephali iure ſunt reprehenſi 743.b

Achan punitus quia deuotam prædam retinuit. 1333.f

Achilles muſcarum. 1438.d papiſtarum. 139.

Actus rerum ex vno ſubiecto in alterum non migrant. 115.e

Actio ſpiritualis dicitur illa quæ vel circa ſpiritum agit, vel à ſpiritu proficiſcitur. 366.a

Actio vel paſſio ſine materia eſſe nō poteſt. 703. c

Actiones cœleſtes omniū perfectiſſimæ. 122.b hominū ab obiectis naturam & ſpeciem ſortiuntur. 87.e

Actionum noſtrarum oppoſitas actiones non ſemper conſequi poſſimus. 1436.b.c

Ad hortationes mutuæ fratrū plurimum poſſunt ad deterrēdos nos à peccatis. 125.d

Adoleſcens in Euangelio à Chriſto vocatus, grauiſsimè peccauit quod vocationē eluſerit. 1379.f

Adoleſcentes permulti moriuntur antequam illis ſacra communio exhibeatur. 274.e

Adoptione ſumus filij Dei non noſtra natura. 232.e

Adorandum prius eſſe quam manducandum quomodo Auguſtinus intelligat 382.d

Adorationibus Dominus vbique adeſt. 378.a

Adorare aliud eſt, & aliud eſt colere 378.g

Adorare Chriſtum in myſterijs quid nam ſit 1028.

Adoratio etiam ſymbolis propoſitis excitari poteſt 394.c in ſacramēto qualis eſſe debeat 385.d. in ſacramentis quomodo locum habeat 160.c nō cōuertenda ad ſymbola, ſed ad Chriſtū regnātē incœlis 1062 quæ propriè ſit vera 378 g vera in ſacra Euchariſtia quæ nam comprehendat 1026.e

Adorationis externæ ſigna in Euchariſtia quare hoc tempore periculoſa 160.

Adorationem non ſacramentis, ſed rebus ſignificatis deferre debemus 385.b

Aduentus Chriſti alter humili forma eſt ad redimendum, alter glorioſus ad iudicandum. 1300.a

Aduētꝰ Chriſti tertiꝰ nullꝰ eſt 297.b Domini tantùm ſunt duo. 205. b

Aduentum Chriſti Baſilius carneum appellauit 782.b triplicē ſtatuere coguntur papiſta 192.f

Aduerſarij pertinaces quomodo à Paulo et Chriſto appellentur 141 quā humaniter tractādi 140.141

Aduerſarum rerum duxilium remedium 126.a

Aduerſis in rebus nullo modo auxiliū petēdū eſt ab Euchariſtia 533.a

Adulteriū excludit regno Dei 1629. inter minora crimina referri contra Paulum eſt 1629.e.f

Adulterijs qui nam lapſus graviores 1608.f

Adulti qui baptizari volunt neceſſum habent vt credant. 128.a

Aduocatū cæleſtē nō videmus 168.e

Aegrotantibus moribundis non ſine magica idololatria papiſtæ panē Euchariſtiæ cū pōpa adferūt 816

Aegyptij circumcidebantur quo? 1452.f

Aeolus Vlyſſi nauigaturo ventos omnes in vtrem contruſos in manum dedit 139.

Aer aliquādo cœlū ſignificat 1241.d

Aquilonaris ab auſtrali differt 115. e. Volucrum iter eſt 79.a

Aerem diuina ſcriptura cœlum vocat 73.a

ἀεροβατεῖν in re plana 319.b

Affectus quomodo inebriētur. 547.b

Afflictiones alias nos ipſi nobis accerſimus alias nobis Deus immittit 1474.f.g

Agathenſis cōcilij Canon 1613. agat

Agathēsis synod. axioma 1415.1516.
Agilitas corporum nostrorū post resurrectionem 95.b
Agnus occisus ab origine Mūdi 133.d quare pesah dictus 225 c. Symbolum ipsius pesah. 146 d
Agnum fuisse occisum ad patris propitiationem 133 e. paschalem cur Israelitæ iussi fuerint accinctis renibus edere 1527.d
Aiacis furor in bestias 354.d
Alere nos ea dicuntur propriè quæ in nostram naturam conuertuntur 709.a
Alexandri Mammeæ tempore vixit Origenes 1570.b
Ἀλεξίκακα remedia quomodo efficacia 534.b
Alimentum alicui legatum quomodo intelligendum sit 350. d. Spirituale magis ac magis nos reficit 127.g In eius naturam conuertitur quod nutrit 232.e
Alimenti forma & accidentia pereunt, materia autem aliqua ex parte manet 609. e nobilius symbolum aliud non potuit inueniri quam panis 135 f. vox apud Iurisperitos non tantum cibum & potum, sed etiam vestes significat 350.c
Aliud & Aliquid ad naturam referuntur, sed Alius & aliquis ad personam 64.d
Alius & aliquis ad personam referuntur 64.d
Allegoria Heliæ cum Christi carne 162.g 163.a
Allegoriæ articulos fidei confirmare liquidò non possunt 339.b
Allegoriæ Christi quid significent 223.b
Allegorias in Symbolo non esse fingendas testatur Melanthon 110.c
Allegorica manducatio quænam sit 548.d
Ἀλλοίωσις quam sit necessaria in scriptis patrum 932.f.g
Ἀλλοίωσις vel cōmunicatio ἰδιωμάτων 43.b
ἀλλοιωσιν non esse primò à Martyre excogitatam 934.e
Ἀλλοίωσιν vbi Martyr existimet esse adhibendum 933.b
Ἄλογοι Theologi quinā sint 612.f
Altare in cœlis est, ad quod offerre debemus nostras preces 724.a pro mensa sacra sæpe sumitur apud patres 835. f quod vmbra Christi fuit non amplius habemus 378.b typus Christi est 277.a
Altaria quare non sint erigenda in nostris Ecclesijs 1075.e
Altricem animam Hepati adscripserunt 120.f
Amalech sub quo genere voti comprehensus fuerit. 1333.f
Ἁμαρτία ἀπὸ τοῦ ἁμαρτάνειν quod est a Scopu aberrae 1490
Amatorem Dei perfectum in hac vita nullum inuenire quisquam potest 1363. 1364.
Ambitiosi à Deo seuere puniuntur 1344.d.e
Ambrosius fatetur maiores suos vitream materiam ad vasa sacra adhibuisse 431 c in canone suo ostendit Sacramentum Eucharistiæ figuram esse nuncupatum 276.b. in suis libris testimonio vtitur Apocryphorum librorum 1598.e Mediolani catechumenus et neophytus creatus episcopus 1569.e quanam in re magis Rhetor fuerit quam Theologus 532.f
Ambrosij libri de Sacramentis à multis negātur illius patris esse 1311. c 41147.e locus suppositicius 167.e
Ambrosij nō sunt commentaria in Epistolam ad Hebræos 168.a
Amen in Ecclesia olim fuisse instar cœlestis tonitrui refert Augustinus 389.f
Amicus is est, qui omnia ea quæ arbitratur bona esse illi quem diligit, facit propter ipsum 1389.e
Amphoras quales habuerint, & quare ipsi Iudei 339.e
Amplificationis rhetoricæ exemplum 377.d
Anabaptistæ volunt sacramenta nihil aliud esse quam tesseram & professionē nostræ societatis 1225 a.
Ἀναδίδοσις quid propriè sit 769. d
Ἀνάλυσις Resolutio 145.d
Analogia rerum corporalium & spiritualium docet qualis sit manducatio carnis Christi 231.f
Analogiam conuenientiam latini dicunt 1251.a
Ananias & Saphira quare peccarint. 1344.b
Sancta non promiserunt 1346.b
Ananiam in visione alloquutus est Dominus 119.c
Anathematismi non conueniunt hominib sed falsis dogmatib. 1333.c
Ἀναθηματισταὶ noua secta 138.f
ἀνάθημα vnde originē habeat 3133.
Anaxagora quidlibet ex quolibet 1147.b
Anaxogoras quodlibet ex quolibet factum dicebat 300 f.g
Anaxogorica Theologia 300 f.g
Ancyrana synodi canon decimus explicatur. 1543.f.g. item decimus nonus. 1545.c d
Ancyranæ synodi constitutio 1517.f
Ancyranum concilium prius Niceno concilio primo 1544.b
Arcyrani concilij canon ibib d.
Andreas in Achaia 88.c
angelica virtus alia quàm spiritus Sancti. 7.f
angelus ex adipe frumenti saginatur. 197.c
angeli administratorij spiritus. 80.a
angeli Dei aliquando dicuntur filij Dei 79.e
In Eucharistia non auferunt & adferunt corpus Christi 693. a non possunt vno eodemq; tempore simul in multis locis esse 7.b.c.
Qualem Christi notitiam habeant 197. d
Spiritu & mente comedunt non ore 536.a
Vbi nam degant 75.f
angelorum corpora que videbantur & tangebantur humana erant. 475.d
angelorum & nostri discrimē quoad esum spiritualem 536.c.d
angelorum lux in qua degebant ante creatum firmamentū, corpore firmamēti intercepta 80.a Natura qualis sit 7.c
angelis etiam Christi sanguis profuit 60.b
Angelos ante casū fuisse in cœlo 79.b In luce egisse ante creatum firmamentum 80.a pugnant 14.d
Articuli fidei supra sensus externos sunt 471.a
Anima à Christi corpore diuulsa in passione 274 c non fuit eodem tempore in cœlo & in inferno 26.g sepulta quoque fuit cum corpore 54. propter vnionem hypostaticam cum verbo erat vbique 54 f
anima dum in corpore est extra illud esse non potest. 121.b
anima forma est orgnica 121.a
anima forma hominis est, verbū autem humanitatis esse non potest forma 210.c
anima hominis, siqd patiatur corp⁹

extra paßionem esse quatenus dicatur 37.c
Anima humana in plurib. locis simul esse non potest 899.b
Substantia 203.b
Anima morienti homini adest non tamen moritur 35.c
rationalis in cerebro locũ habet 201.f
Anima rationalis metaphora quadam suum quoq; habet os 127.d
Anima sicut corpori non communicat immortalitatem ita diuina natura humanæ non communicat vbiquitatem 122.a
Anima sine corpore considerata nõ est perfecta & absoluta 120.c
Anima sola Christus non est derelictus in inferno 54.a
Anima tota quare in qualibet parte non sit 121.a
Animæ & carnis summa dißimilitudo ostenditur cum duabus naturis in Christo 121.f
Animæ & carnis similitudo valet ad confirmandam vnitatem personæ, non tamen vbiquitatem naturæ humanæ 122.a
Anima ore quid nam percipiamus 127.d
partes tres statuit Plato in Timæo 120.g
propria 44.b
vires & actiones per totum corpus dißositæ & pulcherimo ordine digestæ 121.b
Animam Christi eo tempore quo fuit apud inferos non fuisse in paradiso cum latrone 27.b
Animum deo saginari quid sit apud Tertullianum 402.c
Animum habere suas vires certis organis alligatas 121.a
Animam nostram ingredi quomodo dicatur Christus 535.b
Animam rationalem Aristoteles videtur opinari subiecto vnam esse, sed viribus ac potestatibus diuiduam 120.g
Animam suam Christus vno eodemque tempore non posuit & sumpsit 189.e
Animam totam in toto corpore & omnibus eius patribus quomodo dicamus esse 121.b
Animam triplicem Plato subiecto et loco distinxit 120.g
vnà cum corpore creatã statuit Theodoretus 59.a
Anima deorsum præmuntur à terreno corpore 82.a
humana nõ præcesserunt corpus quod animarum reddunt 121.e.
Animarum qualitates nobilißimæ. 82.a
Animalis homo ea quæ Dei sunt percipere non potest 154. idem quoque in Eucharistia quid non percipiat 456.f.g
Animales ab Eucharistia excludit Chrysostomus 457.b
Animalia in veteri Testamento, cui fuerint sacrificata 248.e.f
Animantis partes omnes sunt idem subiecto 1246.c
Animus abstrahendus in Eucharistia à pane & vino 605.d
Animus humanus à vi cognoscendi nunquam potest diuelli 203.c
Animus noster fide sanctificatur. 893.d
idemq; qualem cibũ habeat 350.f
Animus noster quomodo baptismate sanctificetur 527.b
Animi & corporis vnio non soluitur, etiamsi vtriq; sua attribuamus 43.a
Animi nostri cibus ad vitam æternam quomodo sit caro Christi. 550.e.f
Animi nostri naturã etiam si ignoremus mirum non est, quia sunt Dei opera, transubstãtiatio aut consubstantiatio sunt opera hominum 694.c.d
Animo in Eucharistia quare in cœlum vsque ascendere debeamus 759 f. 760.a occasiones offeruntur per ritus corporis ad fidei exercitia 400.d
Animum hominis in incarnatione Filij Dei non fuisse assumptum, sed tantùm corpus quidam hæretici docuerunt. 14.f. nil corporale ingredi. 539.a
Animorum & voluntatum communio inter nos atq; Christum non solùm intercedit, sed etiam naturarum. 1125.a
Animis multa sũt propria, quæ corporibus non possunt congruere. 120.e
Animos humanos Tertullianus existimauit ex traduce, id est, per semen carnis propagari. 402.c
Antarcticus polus superior est. 74.c
Antelucani cœtus vnde originem traxerint. 274.e
Anthropomorphitarum error. 135.e
Anthropomorphitarum error in Eucharistia reliquijs. 839.b
Antichristus suos habet præcursores, & sua membra. 1541.f
Antichristus venturus est cum signis & prodigijs. 1046
Antichristi finis vnicus. 998.b
Antiochenæ ecclesiæ presbyter nominatus fuit Chrysostomus. 809.b
ἀντίδοσις inter ascendere & descendere in scriptura tradita. 82.g
ἀντίτυπον σῶμα Nazianzenus nominat panem. 113.b
ἀντίτυπα panis & vinum in Eucharistia quomodo mutentur. 244.e quænam dicantur. 159.c
Antonij vita Græcè ab Athanasio descripta, & à Hieronymo versa 1365.1366.
Antonio æquatus sanctitate coriarius. ibid.
ἀορασία papistarum. 1007.c
ἄπειρον quodnam sit. 18.e
Aphorismi de Eucharistia Ioachimi Vadiani. 935.c
Apocryphi libri autoritas non valet ad confirmãdum articulum religionis: 1479.d
ἀποδεικνύειν demonstrare quod in quæstione positum. 57.b
ἀποδείξεις firmißimis miraculis eludi poßunt. 484.c
Apollinaris diuinitatem & humanitatem in Christo confudit. 659.c
Apollinarius Millenariorũ figmentum assumpsit. 1554.f
Apollinis Pythij virgines in honore fuerunt. 1551.a
A posse ad Esse nõ valet consequentia. 181.e
Apostolatus Christi est œconomia, quam Christus obijt in carne sua, salutis nostræ causa. 829.b
Apostolus nostræ redemptionis dici non potest, qui nos non redemit. 258.a
Apostoli an perpetuo à suis bonis fuerint auulsi. 1339.c
Apostoli cum prima vice vnà cum Domini flatu Spiritum sanctum acceperunt, non omnia chrysmata acceperunt. 208.g
Apostoli cur omnia sua in commune contulerint. 1377.e.f.g
Apostoli in vltima cœna oculos non in panem, sed in ipsum Christum defixos habuerunt. 816.a
non sunt consecrati in cœna vltima in Presbyteros. 420.d
Apostoli præ cæteris omnibus Christianis

ſtianis quidnã peculiare habuerint. 340.e. ſi non fuiſſent Dominum ſecuti propriæ ſalutis iacturam feciſſent. 1379.c
Apoſtolorum & Papiſtarum antitheſis. 195.c.d.e
Apoſtolorum temporibus infantiã tantũ Eccleſia fuiſſe, falſum eſt. 1555.a
Apoſtolis Chriſtus benedixit, nõ tamen fuerunt tranſubſtantiati. 912.c
Apoſtolos propria quædam habuiſſe. 1339.d
appetens anima in corde locum habet. 120.f
apprehendere in ſcripturis eſt comedere. 768.a
aqua Baptiſmi benedictione conſecratur. 298.2.c. è Baptiſterio aliquando ſe ſubduxit. 1047.a. Euchariſtiæ neq; à Chriſto, neq; ab Apoſtolis eſt adiuncta. 714.c. ex petra fluens, vmbra ſanguinis fluentis ex latere. 166.d. in vinum verſa ſuam retinuit materiam, ſucceſſit autem forma vini formæ aquæ, non tamen remanſerunt accidentia aquæ. 501.b. quod vinum factum fuerit, non probat corpus Chriſti realiter eſſe in cœna. 501.a.b
aquas amaras quomodo dulces reddiderit Elizæus. 533.d
Aquarij oppugnantur. 539.c
Aquariorum hæreſis. 539.a
aquilarum acies in videndo. 57.a
aquilarum inſtar Chriſtiani in cœlum euolare debent. 164.f
menſa cum graculorum. 386.a
aquilis cur pij homines conferãtur. 815.d. quare conferantur qui Chriſtum quærunt. 386.a
aranеus præfocatus in calice Euchariſtiæ. 479.c
arbitrium noſtrum per ſe Dei mandata ſeruare non poteſt, aut diuinæ voluntati ſe accommodare. 1348.c. quod ſine gratia nihil poteſt, non eſt liberum. 1104.
arbitrij libertas in vniuerſum negãda non eſt. 1348.b.d
arca Dei quomodo Deus appelletur. 431.d. fœderis vocatur nomine tetragrammato. 529.f.g
arcam fœderis captiuam abducentes puniti. 1015.d
Archangeli inſpiciunt quod diu cupiebant. 91.a
arcticus polus ſupra nos noſtro hemiſpherio apparet. 74.c
Arelatenſis Concilij ſecundi canon. 1618.b
argumentationes impias fides irridere debet. 22.b
argumẽtum reflexiuum, ſiue reper curſiuum, quodnam ſit. 1227.d
argumenta alia cogunt aduerſariũ, alia manu ducunt. 652.f. phalerata. 121.b
Ariminenſis ſynodus cum Arrio fecit. 1541.a
Ariſtoteles quid de anima rationali ſtatuat. 120.g
Ariſtotelis locus ex 1. Rhet. 1389.e mancipia non ſunt illi, qui verè docent corpus omne in loco eſſe, neceſſariò 9.e.f
Arriani Chriſtum lacerant & mutilant. 274.b. conſubſtantialitatem negabant Chriſti cum Patre. 1345.1346. contendunt naturam diuinam Chriſti factam eſſe ex non extantibus. 621.a.
nunquam accuſati ſunt quod malè ſentirent de Euchariſtia. 806.c
Arrianorum error. 135.a
Arrianos meritò accuſare debemus de Filio, & Spiritu ſancto, de diuina natura Chriſti quod peruersè doceant. 806.c
artes ea quæ per accidens ſunt, non comprehendunt. 20.b
articulus Græcus non facit neceſſariò propoſitionem identicam. 1050.a
articulus quinis aliquid habet quod cæteris non eſt commune. 472.c
aſcenſio Chriſti in cœlum abitũ cum ſuo corpore à rebus humanis manifeſtiſsimè confirmat. 4.e.f non tantùm ad externam pompam & ſpeciẽ pertinuit, vt vbiquitarij volunt. 72.e
aſcenſio Chriſti in cœlum, teſte Philippo Melanthone fuit viſibilis, & corporalis. 110.c. eadem in cœlum vnica tantùm eſt. 205.b
aſcenſionis meminit Chriſtus Ioan. 6. vt corpus ſuum ſpiritualiter manducandum oſtenderet, non carnaliter. 465.b 767.b. 770.f. 1267.a
aſcenſionis Chriſti cauſæ. 69.d
aſcenſionem vbi ſcriptura nobis manifeſtiſsimè explicet. 4.f
aſcenſiones quotidianas fingunt Papiſtæ. 208.b
aſcenſus alius eſt viſibilis, alius inuiſibilis vbiquitarijs. 86.c
aſcenſus Chriſti latens in cœlum è Scripturis confirmari nõ poteſt. 88.a
aſcenſus viſibilis & inuiſibilis doctrina, peregrinum dogma in Eccleſia Chriſti. 87.a
aſina Bilæam loquitur ſicut homo. 94.b
aſinus Cumanus. 141.
aſpectu paſci quid ſit. 889.c
aſtrorum lux tenebras depellit. 81.b
Athanaſianum ſymbolum plures immenſos tollit. 19.c
Athanaſii ſimile duarum naturarũ in Chriſto cum homine. 121.c
Athanaſii ſymbolum. 809.c. naturas vnitas in Chriſto, vnũ Chriſtum facere oſtendit. 473.a
attentio fidelis in verba Domini de vita æterna, eſt mãducatio quoque. 544.b
Atticorum proprium eſt vti maſculino pro fœminino. 1564.a
auari confunduntur. 1344.d.e
auaritiam miniſter verbi Cyprianus ſuo tempore grauiſsimè eſt conqueſtus. 1342.b
auditus ſuum peculiare habet officium à cæteris ſenſibus diſtinctũ. 43.f
Auerroes inter Arabas Philoſophos non obſcuri nominis eſt. 25.d.e
Auguſtinus. 1608.d.e. ad votũ cœlibatus fuit propenſus. 1358.f. cùm agit de interpretatione ſcripturarum in libris de doctrina Chriſtiana, nunquam remittit lectorem ad Patres. 1556.d. cũ Donatiſtis nõ de Euchariſtia, ſed de Baptiſmo pugnauit. 1185.a. de humanitate Chriſti quomodo locutus ſit. 27.c. diſputauit cõtra Donatiſtas, Pelagianos, Manichæos, Arrianos. 861.b. floruit ſub Honorio, Arcadio, ac Theodoſio. 1384.g. in Eccleſiæ dogmatis exercitatiſsimus. 27.d. ipſe Patribus nihil tribuebat, quatenus à canonica ſcripturâ ſacra receſſerunt. 1552.a. libros de doctrina Chriſtiana non ſcripſit infidelibus. 865.b. linguarum cognitionẽ requirit ad ſcripturas intelligendas. 1556.e. non admiſit adorandas imagines. 1276.b. per nouem annes audiuit Manichæos. 1518.d. quo modo dictum ſuum quod ſymbola nomina rerum habeant intelligat. 867.e. quomodo & à quib.

Epiſcopus

Episcopus ordinatur: 421.c.d
quomodo intelligat quod Christus seipsum manibus suis gestauerit. 273.b.c.d &c.
vir Dei. 82.e
Augustini consilium in legendis sacris literis. 1556.d. dignitas maior esse debet, quam Gardineri. 874.a. Liber in Apocolypsin Erasmi iudicio nothus est 581.f.g
Liber suspectus qui nã sit. 249.b
Phrasis eius norunt fideles quo modo sit intelligẽda 441.c. querela multitudine traditionum hoc nostro tempore iustissima esset 1514.d. regula qua obscurè dicta explicantur 134.e.f. Scripta contra Pelagianos de libero Arbitrio æterna memoria digna 1613.a. Sermones ad fratres in Heremo Augustino falsò adscribuntur 552.a. eius tẽpore religio non obscura 4416. triplex votũ virginitatis & cœlibatus 1608.d
Augustino nec verborum copia nec lingua, nec ingeniũ defuit 878.a
Augustino Petrus Martyr plurimum tribuit. 4.a
Autoritatis argumentum negatiuum nihil valere. 1232.d.
Authoritatum locus non suppeditat argumenta negantia necessaria 864.d
Aures sæpè menda cia admittunt 1238.
Aurum dum coquitur fluit et colliquescit 51.f

B

Balthazar polluit vasa tabernaculi Mosaici in Babylonia 805.b
Baptismã ἀνάστασις salutis 159.e quare vnũ dicatur 745. quando animum nostrum sanctificet. 527.b
Baptismate qui tingũtur quæ nam petere debeant 1369.1370.
Baptismus ab Orthodoxis miris encomijs celebratur 458.b
Baptismus adultorum 137.g
Christũ proponit vt lauacrum à peccatis 869.f
Baptismus & Eucharistia quid nã differant 867.a
Baptismus fides appellatur, quia est sacramentum fidei 936.b
figura mortis Christi & eius resurrectionis 239.d
Baptismus flaminis & sanguinis 424.c. gratiam & ablutionem à peccatis significat 1112.d. Lauacrum regenerationis 147.d
nos à satana separat & coniungit cum Christo, non tamen in illo vouemus 1369.1370. quomodo Fides dicatur: 4124.
Baptismi priuatio hominem non condemnat 1006.d
Baptismus sacramentum externum cum spirituali regeneratione potest haberi 685.c
mortem & sepulturam significat Christi. 437.c
Baptismi sacramentum quibus duabus rebus constet 570.d
in Baptismo nomen damus sed nulla nuncupamus vota 1576.a
in Baptismo nõ minus Christo iũgimur quam in Eucharistia 105.e
Baptismo Sanctificatio externa vtcunque daturi. 46.f
Baptismum ab hæretico collatum esse ratum habendum ex scriptura non potest probari 1374.c
Baptismum quis sine fide percipere potest 598.d
Baptizandi vim vitiosè papistæ laicis & mulieribus concedunt. 420.b.c.
Baptizari Deum patitur homines impios 552.
Baptizari pro alio non licet 430.e
Baptizati quid nam profiteantur. 1576.b. Christum in luunt. 346.d
Barbaries in rebus diuinis est maximè cauenda 369.d
Basilius contra Eunomium disputans omnes neruos Eloquentiæ intendit 865.a
propter doctrinam & eruditionem dictus est magnus 1578.a
Beati in cœlo non poterunt amplius peccare 876.e
Beatorum locus 62.d
Beatorũ omniũ regiones felicissimæ extant supra omnes cœlos. 73.d
Beatorum regiones inuisibiles dici possunt nostra causa 60.e
Beatorum sedes Christus loca nominat 876.a
Beatitudo datur & in fideli perceptione verbi, & in sacramentorum perceptione 736.d
Beda quandoque non malè scripsit sed quandò contra veritatem scirbit nõ est audiendus 1513.d
Beli euersi narratiõ à maioribus fabula appellatur 205.d
Benedici corpus Christi quid sit. 766.f
Benedictio quomodo in nos efficiat Sanctificationem 426.e
Benedictus iussit Eucharistiam ingeri in os defunctæ sanctimonialis 274.c.435.c
Berengarius affirmauit panem & vinum esse corpus Domini non autem accidentia pendula 445.c
Andegauensis Archidiaconus 225.g iniustè damnatus 299.g quando ad palinodiam coactus 286.a. et quando condemnatus 285.g
Berengarij insana recantatio habet vocem illam sensibiliter 542.d
Beringarij palinodia turpis & indocta 286.d
Berengarij violenta & absurda cõfessio 444.b
Berengarium condemnauit Leo nonus vercellis 286.a
Bermensis conuentus 1021.a
Bernhardus in fece papistarum & monachorum vixit 608.a
non alienus fuit à superstitionibus 470.b. propter temporum inquitatem multas superstitiones scriptis suis asperfit. 926.b
quando vixerit 590.b
Bernardi iudicium in re sacramentaria non esse magni momenti 390.a.b
Bernhardi simile de annulo & inuestitura docet quid de Transubstantiatione senserit 470.c.d.e
Bernhardi suppositicij verba 170.d
Bernhardum multa superstitiosa suis scriptis veris admiscere 605.
Betramus commendatur ab ipso Abbate Tritemio 937.e
Bethlisamitæ quare grauissima clade afflicti fuerint 574.b
Bibendi sanguinis Christi ratio vbi doceatur 333.d
Bibendi vel edendi modus duplex, in verbis, & in sacramẽtis, 753.d
Bibere Christum est Ambrosio in Christum credere 544.f
Bibere dicimur Sanguinem Christi cum sermones eius recipimus 544.a
Bibere & comedere sanguinem & corpus quid sit in sacris. 333.c 336.c
Bibere in regno patris quid nam sit 87.b
Bibere nostrum esse cognoscere in Eucharistia, verè monet Gardinerus 541.f

Bibere ſanguinem Chriſti quid nã ſit 150.c 127.c
Bibit Chriſtus poſt reſurrectionem cum Apoſtolu vt verè ſe reſurrexiße oſtendat 341.d
Biblia ſacra diuinarum rerum ſigna ſunt 154.f
Biblia ſacra humana ratione cognoſci non poſſunt 154 f
Bilichij error confutatus à D: Bucero 1487.d
Bonæ res malè vtentibus non proſunt 1183.
Bona opera noſtra cùm ſimus iuſtificati quonam dirigantur. 557.a. ſine fide nunquam eſſe poſſunt 424.a b
Bonifacij martyris dictum 433.d
Bonitas et potẽtia ad Chriſti maieſtatem pertinet 846.c d
Bos cornupeta lapidari iubetur 281.a
Brauium 1395 1396 g
Bremenſes dicũt panem eſſe ſubſtãtiale corpus 112 d
Bucerus pius & doctus vir, nunquã ſatis laudatus 1353.b. ibidẽ & eruditus vndique nominatur 1402.f
Buceri obitus in quem annum inciderit 1353.b
Bucerum Gardinerus pro Martyre dixit ſe amare 929.a
Bulgari quando Chriſti religionem ſuſceperint 285.e
Bulgarorum acceſſus ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam 285.f
Bullingerus pius & eruditus vir 1402.f
Bullingeri liber de manſionibus cæleſtibus 93.e

C

Caini munera quare Deus non reſpexerit 250.c.d
Calix Euchariſtiæ populo nunquam propinatur 389.c
Calix mixtus quando fiat Euchariſtia ſanguinis 708.f quomodo dicatur cõmunio ſanguinis Chriſti 231.g 232.a Teſtamentum dicitur 146.c
Calicem myſticum appellat Ambroſius Typum 264.d
Calicem plenum miſeriarum nobis Chriſtus propinauit 837.d
in Calice de quo bibit Chriſtus cum ſuis apoſtolis in vltima cœna eſſe vinum non ſanguinem ipſe docuit 279 c
Calices aureos pro redẽptione e captiuorum poße vendi 632.d
Calor quid ſit 114.
Caluinus nobilis noſtrorum temporum ſacrarum literarum expoſitor 1424.d
Caluinus pius et eruditus vir 1402.e
Calumniæ à quonam autore proficiſcantur 1403.f
Candelarũ cæremonijs Chriſtũ honorandũ nusquã ſcriptura docet 273 a.b.c. earũ ẽt vſus nõ ſtatim fuit à primordio Eccleſiæ 274.b
Cani latranti quo magis reſiſtis latrat eò magis 552.g
Canon Eccleſiaſticus non ſine cauſa tam ſalubri vigilantia conſtitutus 1555.c
Canones Apoſtolorum multa habent quæ rationibus illorum tẽporum non congruebant 1615.f
Canones Apoſtolorum per fraudem Apoſtolis adſcribuntur 1521.d
Canonica purgatione aliquãdo illi miniſtri fuerunt coacti: 1493. 1494.
Canonici ſcriptores non poßunt errare 141.b
Cantilena cuculi 981.d
Capernaitæ & veri fideles in Euchariſtia quomodo differant et conueniant 961.a
Capernaitarum errorem tuentur papiſtæ 359.b
Capernaitas à papiſtis quomodo diſtinguat Gardinerus 359.c
Capernaiticæ cogitationes de carne Chriſti 361.a
Captiuos Ambroſius redimi voluit frangendis vaſis aureis Euchariſtiæ 432.a
Captiuos redimi poſſe calicibus aureis 1632.c
Caput in cœlum aſcenſurum commendauit membra in terra 104.g
Cardinalium ingenium & ſtudium 1632.f
Carnalem manducationem chriſtus ipſe confutauit 3298.f
Carnales quæ animi ſunt ad corpus transferunt, quales ſunt papiſtæ 390.a
Caro alia eſt ſpiritualis alia affixa cruci 704.c
Caro aliquando infirmitatis, & humanarũ calamitatum affectum ſignificat 200.f
Chriſti à natura diuina ſeiungi nullo modo poteſt 2321.e
Credentibus communicatur abſque reali eius præſentia 346.d
Cum noſtra carne non miſcetur. 691.c d
Deificata non abiecit carnis naturam 606.b
Caro Chriſti duplex 788. d. humano modo comedi non poteſt 143.g
recepta in cœlum retinebitur ibi vſque ad extremum diem 537.b
indignè comedi non poteſt 841.a
inſtrumentũ ſanctificandi propinquius quam vel verbum vel Baptiſmus 46.f
in vltima cœna an fuit corruptibilis, an incorruptibilis, 861.d
naturã noſtri generis nõ reliqit 52.d
non conuertitur naturaliter in noſtras carnes 526.e
non puri hominis caro eſt 465.d
non tantum per ſacramentum percipi poteſt 356.d
quare ſit vinifica 46.e
quatenus comeſta nihil omnino proſit 919.e.f
quomodo à Cœna non poßit abeſſe 430.b
ſi realiter in cœna noſtra admiſcetur tum infantes noſtri ſine Chriſti communione hinc diſcedunt 232.f
Caro Chriſti vnde nata ſit 354.e
Caro Domini in veteri Teſtamento promiſſa fuit, in ſimilitudine victimarum 896.a
Caro eſt officina ſpiritꝰ 1483.1484. eſt per quam inſtrumenta ſacramentorum primum nobis applicantur, vt animus ad ſanctificationem adiuuetur 402.b
caro etiam ſi Dei ſit, tamen infinita eße non poteſt 392.e
caro ex carne chriſti quo ſenſu dicamur 233.d
caro ex carnibus chriſti verè dicimur 130.a
caro mariti & coniugis quomodo conueniant 254.e
caro non quantitatem habẽs vera nulla eſſe poteſt 1288.a.b
caro noſtra ex carne chriſti tum cũ eſt regenerata: 234. a. quomodo dicatur recipere corpus Domini. 540.f
caro quare panis vocetur à Domino 275.c. quatenus vinifica. et quatenus nõ 49. g. 50. a. quomodo verbũ dicatur 34.f. ſi in diuinitatem conuerſa fuiſſet, iam eſſet vbique 915.d

Carnis Christi an ita sumus quẽ admodum Eua carnis Adami 232.d
Carnis Christi esus Symbola aliquando adiuncta habet, aliquã do non 358.b
Carnis Christi indiuulsa & propria conditio. 600.
Carnis Christi portionem si habemus, eadem cũ filio Dei erit nostræ carnis hypostasis. 232.d
Carnis Christi symbola in veteri Testamento 231.a
Carnis diuinæ nomine quid intelligat Hieronymus. 500.a
Carnis eadem forma atque substantia est venturus Christus, qua ire uisus est 27.f
Carnis edendæ modũ in cœna Christus docuit 356.a
Carnis & sanguinis Christi triplex oblatio 249.c
Carnis & sanguinis loco quare Deus voluit panem & vinũ proponi in Eucharistia 836.b
Carnis manducatione septuaginta discipuli offensi 745.a
Carnis nostræ substantiam augeri ex carne & sanguine Christi falsũ esse, quo sẽsu dicatur 720.c
Carnis præsentia quare non sit expetenda 106.d
Carnis propriæ veritatem quomodo intelligat Cyrillus 836.d
Carnis prõpria quæ 44.a
Speciẽ Christum assumpsisse non veram carnẽ impij quidam Hæretici docuerunt 15.a
Carnis suæ manducandæ modum Dominus in cœna suos discipulos docuit 270.d
Carnis Christi immortalitas data non autem natura ablata 27.g
quæna, ἰδιώματα communicẽtur 52.f
Carnem Christi comedere per mysterium verè quid sit 363.c.d
Carnem Christi cum comedamus extra cænam, quare etiam instituatur cæna: 231.f
Carnem Christi & sanguinem vetteres pro salute danda percipiebãt, nos data iam 149.a. huic voluit adesse in sepulchro etiã diuinitas 54.e. sanctificatio quare concedatur 46.f. huic quænam in hac vita acerba & dura videantur 837.d
Carnem Christi comedere quid sit 150.c
Carnem Christi esse natam ex substantia beatæ virginis 354.e
Carnem Christi extra cænam absque symbolis manducamus 235.d
Carnem Christi offerre pro defunctis est omnium superstitionum fomentum 1530.f.g
Carnem Christi per fidem quomooo comedam⁹, Ioh. 6. docetur. 356.c
Carnem Christi qui manducent spiritualiter & qui non 100.f Simulq; eandem quomodo manducemus 246.a. Saluam manere quo ad substantiam multis scripturæ locis probari potest 201.a Spiritum esse confirmat Gardinerus quia viuificat 777.a b
Carnem Domini edi ad iudicium Paulus nunquam dixit 900.6 inuisibilẽ esse nusquam Hieronymus dixit 704.d
Carnem habere viuificam significat Deum esse illum 1024.c
Carnem humanam edere flagitium est 286.e
Carnem in diuinitatem abiuisse fingit Eutyches 606 b
Carnem manducare horribilius est quam perimere 306.d. Marcio à Deo malo factam contendebat 526.c non fictam, sed verissimam spiritualiter manducamus 235.d. phantasticam Dominus non assumpsit 244.c quo sensu salutis cardinem appellet Tertullianus 402.a
Carnem spiritualiter comedere quæ nusquam est, nemo potest 243.g
Carnem suam ad manducandum dare quemadmodum Christus docet Iob. 6. nemo hominum potest 222.a
Carnem suam Christum admiscuisse sacramento quomodo intelligendum 1120.c d
Carnem suam Christus non tantum in Eucharistia dat manducandam 234.f
Carnem Tertullianus magis commendauit quam alij patres 946.a. viuificam nos in mystica benedictione accipere quomodo intelligatur 946.a
Carne Christus solum abiturus erat 105.b
ex Carne & ossibus Christi pendemus non tantum ratione animi, verũctiam corporis ad beatam resurrectionem 233.e
Carne sola resurrexit Christus è sepulchro 54.a
Carnes Domini realiter comedere flagitium ipse videtur 865.c
Carnes nostræ quomodo dicãtur fieri carnes Christi 233.fg
Carnes nostri corporis quomodo dicãtur ex carnibus capitis 233.fg
Carnium esum omnibus fere Christianis admisit Hieronymus 1607
Carnibus vesci suos Pythagoras non permisit 1413.c
Carthaginensis Concilij Canon 1617. f tertij decretum parum pium 1618.a
Carthaginensium virgines aperto capite in templum venerunt 569. c 1414.a
Castè omnes posse viuere an verum 1427.
Castigationum finis quis sit 1551.a
Castitas coacta sæpè in grauissima mala protrudit 1569.c
quatenus sit ad salutem necessaria. 1431.d. quatenus neutiquam ibidem.e
Castos repertos anno 60. et 70. confiat 1561.c
Castrare & vouere diuersa sunt 1335.c
Castrare seipsum cõcilia prohibuerunt 1570.c
Cataphrygum deliria de secundis nuptijs 1611.d
Catechumeni nõ admittebantur ad sacram Domini mensam 441.b
Catonis seueritas 124.e
Causa subiecta tollitur effectus 1536.c
Cælestij hæresis & pelagij renouatur à Smytheo 1394.d
Cælestinus 1639.b
Cælestinus tertius relaxauit votum 1481.b
Cælestis res in Eucharistia quid significet Ivaneo 755.f. 717.f
Cælestes cibos quare sacramenta nominet Cyprianus 517.
Cælibem vitam verè agere est summa felicitas 1359.e
Cælibat⁹ arrisit Augustino 1358.f
Cælibatus clericorũ præcipua causa fuit facultatũ cõseruatio 1621.f
Cælibatus commendatur in Nouo Testamento, votum autẽ de hoc nuncupatum non legitur 1398.a

ex uerbo Dei aliquando licet. 1375. c non habet largiorẽ ſpiritum, quàm coniugiũ 4365. 1366 cœlibatus commoda quænam ſint. 1404 c decretum quis primò inſtituit 1493. 1494 diuerſa effecta 1401. a. finis à Chriſto propoſitus quinam ſit 1468 c neceſſitatem iuniores ſibi imponere non debent 1357 a uotum quare non poſſit admitti 1359 b
cœlibatui quod tantùm datum fuerit tempore Apoſtolorum, in cauſa ſunt graues perſecutiones 1550. d.e
cœlibatum abſolutè uouere quare neget Martyr 1432 d
cœlibatum ac uirginitatem ſcriptura ſacra libera ſtatuunt 1392 c ante Chriſtum incarnatum nemo ſuaſit 1576 e quare Romanenſes clero iniunxerint 1621 b
cœlites quinam dicantur 122 f
cœlum allegoricum Melanthon reiecit 111 b beatorum Hieronymus non ſentit ubique eſſe 60 f
cœlum & infimæ terræ partes opponuntur in ſcripturis. 83 a
cœlum extra non eſſe locum uacuũ, tempus Ariſtotelis autoritate 23. d
cœlum extra quo ſenſu dicatur nullũ corpus eſſe 4 c
cœlum extremum ſic finitur ab orbe Saturni, ut extra illud non poſſit circũferri 25 d in quo poſita ſunt luminaria ſecunda die factũ 79 d intellectuale dicitur non quòd nõ ſit corporeum, ſed quia oculis cerni non poteſt 79 c non intellexit Auguſtinus, ut ubiquitarij intelligunt 16 g
cœlum non eſſe in loco quomodo intelligat Ariſtoteles 25 c
cœlum non rectè definiunt ubiquitarij quod ſolum ſit Dei gloria, maieſtas, potentia 83 b
cœlum quid ſit 78 d quomodo in loco ſit 25 b
in Cœlum recipi quid aliquando ſignificet 158 c
cœlum ubiquitariorum eſt ubique 27 a quare dicatur ubique eſſe 83 b
cœlum ubiquitanium quale 81 b
cœli angulum nullum fingunt ortodoxi doctores, in quo corpus Chriſti alligent 3 c
cœli extrema ſuperficies inferior tangit conuexum orbis Saturni 25 b
cœlo aſpectabili Chriſtus nõ contimetur 75 f
cœli quinam ſint igni conſumendi 76 d
cœlorũ nomine ſi regiones uiuẽtium ultra omnes orbes intelligantur, tum hiſce continetur Chriſti corpus 75 f
cœlos extra aſpectabiles aliquid eſſe quomodo confirmetur 78 d
cœlos Tertullianus inquit peculiarem ſedem eſſe, quam ſibi Deus elegerit, quo & Chriſtum erat reſumpturus 122 e
in Cœlis eſſe quid Auguſtino ſit 122 f
cæremoniæ à tempore Auguſtini plurimùm ſunt auctæ 1524 e
cæremoniæ ueteris teſtamenti incredibilem habuerunt ſapientiam 458 b
cæremonialis legis abrogatio ubimã legatur 1423 d
cæremonialis prædicatio quid ſit 131 e
cæſar auguſtani concilij decretum 1618 e
cæſaris morte quomodo populus fuerit commotus 998 c
cerei in Eccleſia quare fuerint accenſi 274 d
cereris ſacerdos ſe abdicabat coniugio 1551 a
ceruicem duram Iſraelitas Deus appellat 141
chalcedonenſis cõcilij canon 1617 e
chalcedonenſis concilij conſenſus ſuſtulit conſenſum concilij Epheſini ſecundi 1553 f
chalcidenſis hoſpes 140
chamæleonta potes Gardinerum appellare 209 c
chariſmata à Domino accepta in Eccleſia laborãdo debemus fructuoſa reddere 125 e
charitatis incitamenta unde petenda ſint 262 c
charitatis maximæ effectum quod nã ſit 1459. 1460
chimæra ubiquitariorum 29 a
chriſma nec Sacramentum eſt, nec unquã fuit Eccleſiæ à ſpiritu Dei commendatum 1042 f
chriſtiani aliquo peccato contamina ti percipiunt quidem carnem domini, ſed inde damnum conſequuntur 550 e
chriſtiani ἀγρυπνοι tempore Apoſtolorum 1550 e
chriſtiani cum aquilis conferuntur 164 f
chriſtiani iam uerus Iſrael 1373 e
chriſtiani omnes & ſacerdotes & pontifices ſunt 711 b
chriſtiani ueteres horis antelucanis conuenerunt propter metum tyrannorum 1550 e
chriſtianorũ perſecutores, ſunt et fuerunt Nerones, Domitiani, Cõmodi, Gallieni 144 b
chriſtianorum primorum perſecutiones & zelus 274 d
chriſtianis infamia olim impoſita fuit hæc, quod ideo horis antelucanis conuenirent, ut promiſcuo uterentur concubitu 1550 f
chriſtianos omnes eſſe ſacerdotes 1569 a
chriſtus abſq; patre & ſpiritu non fuit 209 c
chriſtus ad efficiẽda ea quæ in Euchariſtia fieri uoluit, nõ opus habet reali præſentia corporis ſui 944 d adhuc in terris eſurit, ſitit, peregrinus eſt 105 a
chriſtus alicubi ſacramentaliter, alicubi perſonaliter, alicubi localiter f 66
chriſtus an ex monumento clauſo exierit 98 a
chriſtus an purus homo ſit, & an in una perſona duas naturas ſuſtineat, ſenſus nõ iudicat 474 c à reſurrectione regnum habuit patris, et in cœlo quoque 87 f caput noſtrum ad dextram patris ſedens quid in nos deriuet 1051 a
chriſtus carnis præſentia non eſt hic in terra dicit Auguſtinus 204 a clarificatus omnes ſanctos gubernare poteſt, etiamſi corpus ſuum in cœlos ſit ſublatum 84 e creator & creatura 1246 f
chriſtus cum cœnam inſtituit, diſcipuli uerba inſtitutionis commodiſſimè ex Iohannis cap. ſexto intellexerunt 136 a.b
chriſtus cum dixit, Ego ſum panis, non ſtatim in panem eſt mutatus 727 d
chriſtus cum in animo noſtro uerſatur, non ibi eſt iuxta ſubſtantiam, ſed ſpiritualiter ibi eſt 976 e
chriſtus cum in terris uerſaretur, nuſ

quam Apostolos hortatus est, ut se alibi quærerent, quàm ubi esset cum illis præsens 816 a
christus cum uiueret in terris, nunquam ad orationem postulauit 273 d
christus dicitur uerbum Dei, uirtus Dei, sapiētia Dei 106 e dubitauit & resurrexit 38 b
christus est homo ubique, quare falsa sit enunciatio 66 c
christus & animam nostram & corpus nostrum sanctificat 536 f
christus etiā in cœlo potuit ad homines in terra loqui 1241 c
christus etiam indignos sanauit 841 b
christus etiamsi iustis se uidendum exhibeat, non tamen in terris se illis præsentem exhibet 202 d famem, sitim & lassitudinem sustinuit 43 f frugalis & abstinens fuit 1381 e
christus fuit in regno patris, cum ageret adhuc in terris, etiamsi illud non uoluerit patefacere 93 a
christus homo est ubiq;, uera est propositio 66 a
christus Iesus ubiq; per id quod Deus, in cœlo per id quod homo 28 a
christus in aere quando & quomodo fuerit 60 d
christus in Baptismo nobis uerè traditur 295 b
christus in cœna adest non propter panem, sed propter hominem 112 f
christus in Ecclesia si corpore præsens adesset, non haberet opus uicario 211 d
christus in lege & ante legem figuris uoluit se adumbrari 170 e in quo statu uisus sit à Paulo et Stephano 202 d
christus in regione uiuentium manebit, usque ad restitutionem omnium 87 e
christus in Sacramentis prædicatur nō à patre diuisus, sed illi consubstantialis 274 a in scripturis non tantùm allegoricè sumitur 548 d in ultima cœna panem fractum distribuit, inquit Cyrillus 272 f
christus licet carne absens, tamen gratia, spiritu et opulentissimis donis suis nos imbuit 130 e
christus mortuus est, quatenus mori poterat 35 f
christus multò perfectior in nobis, quàm nos in illo quomodo et quare uerè dicatur 1129 e. f
christus ne agnosceretur, cum iret Emaunta, ideo factum est, quia oculi illorum detinebantur 635 e. f nisi cecidisset, nos non resurrexissemus 164 f. g nisi habuisset uerā carnem ex uirgine sumptam, nemo posset eam per Sacramentum comedere 243 g nobis adest per naturam, per gratiam, & quòd multa dona spiritus nobis conferat 1049 nobiscum est semper spiritu suo 201 c
christus non amplius moritur 232 e non diuidendus, sed naturæ discernendæ 1246 f non eodem tempore passus, & non passus 207 d nō erat corpore cū Lazaro, illo moriente 211 e non est ingressus per ostia clausa 97 c non est mortuus pro Diabolo 265 b non fuit mutatus in panē, etiāsi nominarit se panem, eadem ratione nō fit panis mutatus in Christum in cœna 282 a non prædixit se in cœlo bibiturum de genimine uitis 87 b non semper monuit loquutionem esse Metaphoricam, quoties Metaphoram protulit 281 f non tantùm diuinitate ac spiritu suo cœnæ interesse ab orthodoxis statuitur 93 e
christus nos regit sine corporis sui deiectione 696 d nusquam dixit, Ex hoc fit corpus unū 300 b
christus nusquā pollicitus se corpus suum in pane realiter comedendum exhibere ore corporis 73 b peccata nostra planè non ignorat, etsi carne sua præsens non sit 125 d per antitheſin se pauperibus opposuit 199 b personam suam modò ab una, modò ab altera natura nominat 92 b personam suam quare filium hominis appellarit 53 c post ascensionem non amplius uersatur in humilitate dispēsationis 370 d
christus post resurrectionem statim comedit & bibit cum discipulis 86 d
christus potest se uisibilem reddere, quando uult 1288 c præsentia corperali quid effecerit 210 c quando ascenderit 70 a quare dicatur corpus umbrarum ueteris Testamenti 237 e quare frater noster appelletur 46 b quare noluerit corpus suum simul in diuersis locis esse 189 b quare non dixerit, Hæc est figura corporis mei, sed hoc est corpus meum 281 f quare non dixerit, Qui manducat credēdo meam carnem, sed simpliciter manducant 598 d quare sol iustitiæ dicatur 130 d quare uxorem non duxerit 1565 e quæ in primo aduentu gesit, imago fuerunt rerum cœlestium 785 b
christus qui ante omnes prior est, quid fecerit attendendum 240 e quia uerus Deus, ideo adorandus est 273 d quin pateretur, non potuit non fieri 876 d quoad diuinam naturam patri consubstantialis 36 e quoad humanitatem, in Euangelica historia aut hìc aut illic non fuisse dicitur 4 e quod attinet corpus, non poterat uersari in terra cum Apostolis, & esse simul in cœlis 869 c. d. e. quod dicit, Me non semper habebitis, loquitur de præsentia corporis sui, inquit Augustinus 203 b quòd mortuus est id ex dispensatione factum est, 465 c quomodo adhuc sit quotidie offerendus 404 c quomodo dicatur esse filius Dei unigenitus ex patre ante sæcula natus 46 b quomodo etiam factus esse dicatur ex semine Dauidis 4 b quomodo fractus dicatur 2 74 e quomodo in nobis habitet 1130 e. f quomomodo mortuus & pascit 37 e quomodo nobiscum sit 201 b quomodo post resurrectionem biberit cum Apostolis 541 d quomodo se manibus gestarit 494 d
christus quo respectu neque ascendat, neq; descendat 868 g
christus reliquit spiritum Sanctum nobis tanquam uicarium suum 207 e
christus secundum uisibilem carnem in terra secundu inuisibilem maiestatem in cœlo 54 d
christus seipsum realiter ac corporaliter non comedit ac bibit 136 d
christus semel immolatus est in seipso 868 d semper erat, quo fuerat

fuerat rediturus 53 f sic continetur in cœlo loco, ut quoad corpus non sit in terris 71 f sub Tiberio Cæsare mortuus fuit 246 a tempore ministerij sui humanas imbecillitates propter nostrum peccatum suscepit 26 b totus in cœna nostra est, et eo sustẽtamur ad uitã æternam 439 b. c tribus modis nobiscum coniungitur secundum Cyrillum 1127 c tum ascendit in cœlos, cum ab oculis Apostolorũ sublatus 86 f ubiq; per id quod Deus, in cœlo per id quod homo 104 e ubiq; regnat, quamuis cœlum non sit ubique 87 f unum cum patre quare dicatur 46 c utrum circa polum antarcticum habitet 74 c

christi adoratione sancti omnes conueniunt 56 d

christi alia est ratio qua est uenturus, alia qua iam uenit 673 a

christi carnem quomodo pij per fidem non possent comedere, cum tamen eam uerè comedant 243 g

christi causa omnia relinquere quidnam sit 1341 c.d

christi corporalis præsentia an faciat ad refrenanda uitia 125 a

christi corporis statuum distinctio ad synaxin nihil facit 2034

christi corporis substantiam esse sub uisibilibus signis intelligitur significatione 568 c

christi corpus comedi potest etiam in cœlo mãnẽs 292 a cũ fuit in sepulchro, anima in inferno fuit 27 d

christi corpus & sanguis in cœna realiter non adest, sed illorũ effecta, proprietates et merita 243 d

christi corpus in cœlo non fuisse antequam eò ascenderit, quomodo confirmatur 72 e

christi corpus non est sphæricum, sed humanum 24 c unum ex uirgine sumptum in multis locis simul quomodo offeratur 169 e doctrinam, uitæ rationem, formam mortis, præscripserunt Prophetæ 519 e

christi & panis magna est analogia 321 c.d gloriam quænam concernant post resurrectionem 87 d humana natura absque diuinitate, uel in ipso beatæ uirginis utero nunquam fuit 36 a

christi humanitas omnes creaturas dignitate, maiestate & potentia antecellit 93 f

corpus Christi humanitas si omnia humana transcendit, ut uolunt ubiquitarij, carebit corpore et animo 52 e f

christi iugum quare dicatur suauissimum 1497. 1498

christi iugum quomodo sit leue 1523 c.

christi membrum effici longè maius est, quàm uesci corpore Christi, si effecta consideremus 639 d

christi miracula nullus pius negat 635 a nomen utramque naturam significat 39 b notitiam qualẽ habeant Angeli 197 d præsentia corporalis nihil nobis prodest 447 a percipiendi duplex uia 398 c.d præsentiam papistæ cum detestanda μιτραϊαε docent 2 a sanguis clamans de cruce pacem loquitur 545 d

christi scopus in cœna 251 f

christi status alius mortalis, alius immortalis 202 d uerba quatenus constituant Eucharistiam 645 c

christi uerba quomodo sint operatoria 263 c

christi uictima ab omni æternitate electis profuit 133 e

christo mors non amplius dominatur, igitur non uersatur amplius in humilitate 370 f

christo nihil derogatur, etiamsi humanitate sua certo loco affirmetur esse 29 c

christo proprium locum quoad corpus diuinæ scripturæ assignant 124

christo quænam attribuantur, quæ tamen cæteris non possunt conuenire 75 c

christo quare locum definire debeamus circa polos 74 d

christum ante ascensionem intrasse in gloriam patris, ac sedisse ad dexteram Dei quomodo ubi quitarij confirment 88 d.e

christum uirginis uterum aperuisse 1287 b

christum biberunt ueteres quoque 227 c

christum cœnæ suæ ad esse nemo unquam negauit 93 e

christum comederunt ueteres in suis signis 132 d

christum corporaliter in nobis esse, quoad substãtiam eius, ridiculum est 1132 a.b

christum corporis signum, figuram, typum, ἀντίτυπον dedisse dicũt patres 147 d

christum corpus sum non uisibili specie exhibere, quatenus uerum sit 292 a

christum dissolucre quid sit, & qui faciant 423 a

christum dum fundunt papistæ per tot altaria, certè illum diuidunt 367 e

christum esse Deũ quomodo ex Eucharistia colligamus 1024 c

christum esse filium Dei, at non illius Dei qui fabricator mundi sit, nugati sunt Valẽtiniani & Martionitæ 713 f

christum esse gloria, honore coronatum, & prælatum maiestate omnibus creaturis 85 c

christum esse sub accidentibus panis consecrati, omnes docẽt papistæ 200 a

christum eundem ucteres habuerunt quem nos, sed non eadem mẽsura 133 b

christum ex Abrahami stirpe nasciturum circumcisio significabat 437 d

christum fleuisse, comedisse, bibisse, Marcion in Christo omnia ficta fuisse garriebat 63 f

christum Galatis ob oculos esse crucifixum hyperbole est 385 f geminum finxit Nestorius 828 a honorandi uerus modus 268 g humana natura tantùm uno in loco fuisse, multis locis Augustini confirmatur 1054. b. c. d induunt, qui tinguntur 639 d in Eucharistia se esse uelle corporaliter, tota scriptura probari non potest 190 in mari fuisse quomodo intelligendum 60 a in recto sacramentorum usu quomodo posimus uenerari 38 f integrum non diuisum in singulis hominibus degere cum dicitur, contra Nestorium illud dicitur 537 a inuocamus ob diuinitatem, quæ cum humana natura cõiuncta 123 g modò in gloria esse, modò in humilitate, uel simul eodem tempore in utroque putidum est mendacium 370 e

christum mundi creatorem qui nam negauerint 251 b

christum natura circumscripta in cœlum ascendere uiderunt Angeli 9 b

non oportebat in cœlum ascendere, ut omnia impleret, si iam erat ubiq; 59 f
christum non semper habebimus, ergo aliquando, optima collectio 200 a
christum offerre quid sit 268 g
christum pauperem comedere nō statuit realem manducationem 383 d per fidem habitare in cordibus nostris 974 e pro nobis mortuum mente reuoluere, est comedere corpus suum, & bibere sanguinem eius 333 c quando Apostoli habuerint, & nos habituri simus 199 f quomodo non semper simus habituri, explicat Augustinus 203 b. c sacrificasse nullubi legitur 507 b secundum carnem quomodo non nouerimus 200 e se ipsum in manibus portasse, quodammodo quo sensu à nostris dicatur 411 c
christum ubique esse, quomodo hactenus Ecclesia sanctissimè crediderit 49 a.b
christum ueram carnem habuisse, qui nam hæretici negent 295 b uerè, non sermone passum omnes pij dicunt 37 a uerum hominem esse, non est minus articulus fidei, quàm illum non amplius esse passurum 675 d cum qui non habet, tamen bibit sanguinem eius 101 d
chrysippus nouus 201 g
chrysippo quod factum est, accidit Gardinero 271 d
chrysostomus deplorat solitudinem mensæ Dominicæ 577 a
crysostomus hyperbole utitur, dum dicit ex sacro cratere sanguinem Dominini hauriri 525 a in Baptismo miracula constituit 457 a b
chrysostomus magos impios appellat 385 a monachatui nimium fauit 776 f papistis & consubstantiatoribus non suffragatur 818 b
chrysostomi hyperbolicus sermo 818 b
cibus corporalis in uita beata locum non habebit 529 f
cibo non frui aliquandiu, naturam corporis humani non perimit 202 c
cibum eundem spiritualem et potum ueteres nobiscum comederunt & biberunt 148 c. 164 a 194 a
runt 194 a sacrum à cibo profano impij non discernunt 348 c
cibi communes si per uerbum Dei, et orationem sanctificantur, multò magis panis et uinum in sacra cœna 954 f
ciborum delectum Apostoli sustulerunt, papistæ introducunt in Ecclesiam 196 a
ciborum usus quis sit 524 b prouerbijs usus est Christus 524 b
cicero ad Trebonium 625 d in Gabinium 421 c
Ciceronis locus 81 c 890 c in somnio Scipionis 987 a in epistola ad Lentulum 987 a
circæo poculo Gardinerus lectori sensum omnem eripit 861 a
circa substantiam sensibilem sensus non decipiuntur 475 b
circumcisio baptismum adumbrauit 671 d concionatur de pacto et fœdere Dei 998 e fœdus Domini quomodo dicatur 147 c. d
circumcisio signaculum iustitiæ fidei 192 b
circumcisionos sumus, quo sensu di
circumcisionis loco substitutus est basit 934 f
ptismus 1777 d
circumcisionis significatio 433 d
circumcisionem accepit Abraham tanquam signaculum iam adeptæ iustitiæ per fidem 424 d
circumcisionem signum esse fœderis 247 c.d
circumscriptio ne à diuina quidem natura auferri posset, si esset corpus 860 c
circumscriptio non potest ab humano corpore eo incolumi seiungi 24 a
circumscriptiuè in loco esse 28 a
circumscriptus, & non circumscriptus quomodo dicatur filius Dei 108 a
circumscriptum esse, & immensum esse, simul stare non possunt 21 d
circumscriptum loco esse non est infirmitas humani corporis 123 b
circumscriptum non potest simul esse in multis locis 1245 f
circumstantiæ quæ nam tropicum uerborum institutionis sensum doceant 136 a.b.c. &c.
claritas corporum nostrorum post resurrectionem 95 b
clemens Alexandrinus Christianos uult omnes uxores ducere, aut mundè uiuere 156 e Paulum uxorem habuisse testatur. ibidem f. g
clemens Alexandrinus in Græcis poetis & oratoribus maximè uersatus fuit 1563 g
clemens quisquis fuerit, mendacijs & impostoris est consutus 844 c
cleri Romani ingenium & natura describitur 1495. & folio 1496
clero quare cœlibatus iniunctus à Romanensibus 1621 b
clithoueus ex Cyrillo collegit ea, quæ de præsentia Christi dixit 1052 f
coccysmus ubiquitariorum qualis 62 b
cœna cum communionem significet, non rectè dicitur Missa cœna Domini 626 d
cœna Domini à quibus explicetur 146 c
in Cœna Domini quid nam fateantur orthodoxi se accipere 127 c
cœna non est, ubi unus tantùm uel comedit uel bibit 404 e
cœnæ Dominicæ controuersia maxima bella excitabit 112 b
in Cœnæ Dominicæ controuersia optimum esse uerba illa Pauli retinere, Panis quem frangimus, κοινωνία ἐστὶ σώματος, &c. 112 d
cœnæ Dominicæ uariæ orthodoxorum sententiæ, nec tamen discrepantes 116 f. g & folio 129 b.c
cœnæ perceptio fructus habet, quibus priuata communio destituitur 308 d
cœnæ uerba accipienda sunt tropicè 145 f
cœnæ usum Dominicæ crebrum, quomodo in hominum conuersatione suadere posimus 113 d
ad Cœnam Domini cum accedimus, quomodo affecti esse debeamus 380 e
cœtus fidelium corpus Christi 151 a
coextendi uerbum quomodo à Basilio adhibeatur 496 f
colere non est tantæ efficaciæ, atque adorare 379 a
collationes quousque sint urgendæ 661 c

661 e
collegij alumni quales esse debeant 1394 a
collegia Ecclesiæ & Reipub. noxia quænam sint 1394 a
collegia literatorum hominum quare commendet Petrus Martyr 1393 f
collegia quomodo instituì debeant à pijs magistratibus 1394
collegiorum mores quales, & finis qui sit 1393 f
columba fuit signum descendentis spiritus 1267 e
comedendi corporis ratio uera ubi tradatur 333 d
comedere & bibere corpus & sanguinem quid sit 333 c
comedere in Sacramento spiritualiter corpus Christi quidnam sit 758 b.c
comedere in scriptura est metaphoricè apprehendere & recipere 768 a Paulus iubet quicquid prostat in macello, modò ne quis idolothytum iudicet 529 b
comedi quomodo res propriè dicatur 3007 e.f
comedere spiritualiter augustius quid est, quàm carnaliter comedere 226 f.g
commentaria in Epist. ad Hebræos quæ Ambrosio ascribũtur, sunt potius Anselmi, uel Rhemigij 167.g. 168 a
comes Palatinus, uir ad Ecclesiæ & Reipublic. salutem factus 111 c
comes Romanorum res in Aphrica gerens, monasterium ingredi uoluit 1613 g
comestio duplex 862 c.d
communicans minus dignè propter unum aut alterum lapsum, non statim est salute desperata 540 e
communicantes percipiunt corpus Dominini, etiamsi illis non substantialiter & realiter in os ingeratur 348 d
communicantes quæ nam adferre debeant 262 b
communicantes quomodo præsentem habeant Dominum 160 c
communicantium animi à terrenis sordibus sunt repurgandi 816 c multitudinem requirit Paulus 398 c
communicantium omnium est anunciare mortem Domini, non autem quorundam 420 c
communicantium ora & corpora usu Eucharistiæ sanctificantur 527 b
communicantium sensus qualis esse debeat, dum communicant 130 e
communicantium uotum pium 706 b
communicamus Christo carnaliter per natiuitatem & incarnationem 939
communicare passioni Domini est illi compati, et omnia aduersa atque acerba perpeti eius causa 366 e
communicatio corporis quid 128 c
communicatio & communio quid nam differant inter se 440 g
communicatio idiomatum inter signa & res significatas non absurda 566 g
communicaticatio impiorum cum Diabolo, tradita est à Paulo 590 d
communicatio quid sit 941 a
communicatione idiomatum quomodo sobriè sit utendum 1259 d
communio nostra, quam habemus cum Christo per carnem, distinguenda est dupliciter 1127 d
cõmunio id significat, quod post motum relinquitur, communicatio autem est ipsa actio 940 g
communio quid sit 941 a
communio requirit usum oris et corporis 531 b
communionis externæ effectum, non est uenia peccatorum 560 a
communionis nostræ cum Christo & ueterum discrimen 238 b
communionis ratione non potest aliquis simul & diabolum & Christum habere 594 c
communionem arcanam Christi non negamus 231 c
communionem cur in primitiua Ecclesia spiritus Sanctus induxerit 1343 e.f
comparantur inter se similia, paria, aut disparia, non autem eadem 755 d
comprehendi & contineri non differunt 444 g
concilia Episcoporum bis in anno esse celebranda, iubent canones 1509 e.f
concilia nõ semper regit spiritus sanctus 651 a
concilia prima sex quatenus admittãtur ab Ecclesia 9 b
conciliorum autoritas, nisi cum uerbo Dei faciant, nunquam admittitur 1252 a
conciones sacras qui spernunt, conculcant filium Dei 541 a
concomitantia prægnans mater plurimorum uitiorum 367 b
concomitantia tollit symbolorum distinctionem, quam Christus instituit 368 c
concomitantiæ impiæ 149 f
concomitantiæ ne apex quidem extat in sacris literis 369 e
concomitantiã esse sonmolẽtum portentum 368 d
cõcorporei quomodo dicamur Christo facti 233. 234
concupiscens animæ in corde locum habet 120 f
condemnatio atq; iudicium differunt 1588 d
condemnatio sequitur peccatum, non autem est peccatum 1488 e
condonatio peccatorum in uoluntate Dei sita est 867 d
confessio catholica quæ nam sit 108 a
confessio scelerum admissorum publica quare sit sublata 1514 d
confirmandi modus apud homines res serias 547 e
congressus cum uxore in lege uetere non immundus 1534 b
coniugari ad matrimonium non admodum idonei 1342 a
cõiugalis thorus castus est et sanctus 1358 f
coniugi non licet à matrimonio reditus ad cœlibatum 1391 e
coniuge consentiente continenter licet uiuere 1614 d
coniuges in matrimonio perfectissimè salutem consequi possunt 1392 a
coniuges mutuo consensu fouere possunt continentiam 1608 e
coniuges noui Hieronymi tempore eucharistiam Domini sumebant 435 d possunt aliquando sibi temperare à matrimonij usu 1524 b plerũq; fide et charitate cœlibes superant 1365.1366.
coniuges quid sibi mutuò reddere debeant 1576 c
coniugum Christianorum non est somere, polire, &c. 1405 d
coniugum consensus legitimum facit matrimonium 1617 d

coniugibus aliquando dat Deus, ut quàm diutißimè à matrimonij uſu abſtinere poßent 1524 b
coniugium ne ſuerit inter Mariam & Ioſephum uerum, annon 1627 d.
coniugium ſuam habet caſtitatem & continentiam 1513 b
coniugij iuſti uſus, non eſt carnale cõ ſortium 1623 d
coniugij lex quid nam exigat 1576 c
coniugij ſimilitudo ad declarandam arctam coniunctionem noſtri cum Chriſto 130 b
coniugij uſum miniſtris non eſſe conceſſum. repugnat concilijs 1615. 1616. 1617
coniugio inito ſi cũ conſenſu utriuſq; coniugis fiat, poſſunt continere ſe 1614 e
coniugio ſi quis non ſit implicatus, quid commodi habeat præ coniugatis 1365 & 1367
coniugia quidam uitauerunt ob amorem philoſophiæ Chriſtianæ 1575 c
coniunctio arcana noſtri cum Chriſto non requirit realem corporis præſentiam 234 a
coniunctio noſtra cum corpore Chriſti non ſic eſt intima, quin non fieri poßit interior 127 f
coniunctioni noſtræ cum Chriſto ſemper aliquid deeſt 128 b
coniunctionem cum Chriſto qui ſe fatentur habere, illi dijudicant corpus Domini 348 b
coniungimur Chriſto non tantum uoluntate, ſed etiam naturali participatione 1235 b
conſcientia ueniæ petitione liberatur ab omni urgente peccato 396 g
conſcientiæ uoce uſus eſt Paulus apoſtolus, quoties opus fuit 1417 b
conſcientiam infirmorum non eſſe turbandam 1416 c.d
conſecrare nihil aliud eſt apud patres, quàm rem communem ſacro uſui dedicare 948
conſecratio & gratiarum actio inter ſe differunt 242 e
conſecratio panis & uini an precibus, an uerbis perficiatur, papiſtæ dicere non poſſunt 151 c
conſecratio panis quib. et quando fiat 1272 f
conſecratio papiſtarum quibus modis impediri poßit 518
conſecratio quidnam ſit 503
conſecratio uera in Euchariſtia fit per ſermonem precum 709 f
cõſecrationis uerba alia noſtro tempore ſunt, alia Cypriani fuerunt 507 d
conſecratus panis eſſe quando dicatur 1273 a
conſequens ſi metaphoricum ſit in antecedente quoque tropum eſſe neceſſum 384 b
conſeruatorium æternæ uitæ 362 e
conſilium & præceptum diſtinguuntur 1379 b
conſtantia ex monaſterio Panormitano Deo dicta, educta fuit à cœleſtino tertio, et Heinrico ſexto Imp. uxor data 1481 b
conſtantini adhortatio in Nicena ſynodo 1555 d
conſtantinopolitana Eccleſia noluit concedere Tranſubſtantiationem in concilio Florentino 1214 g
conſtantinopolitana ſynodus decreuit imagines tollendas 1553 g
conſtantius legem ſeueram correxit 1575 c
conſtantius multa grauia intulit Hilario 1584 g
conſtantij tempore uota incœperunt cum aliqua conſecratione Epiſcoporum 157 c
conſtitutio perfecta humani corporis quænam requirat 123 b
conſubſtantiatores in quonam cum papiſtis conueniant, & ab ijs diſcrepent 1021
conſuetudo antiqua, ſi uerbo Dei non conſentiat, eſt uetuſtas erroris 1521 d
conſuetudo in Articulis fidei non primum indicationis locum habere poteſt 241 a
conſuetudo quid & quantum ualeat in rebus diuinis 240 d. e. f.
conſuetudo ſine ueritate uetuſtas erroris eſt 240 d
cothurnos quid impij quidam nominent 113 a
continentia à concubitu cum uxore eſt res per Euangelium libera 1389 1390
continentiæ uoto an ſit aliquod maius 1628 f
cõtinentiæ uotum relaxatum à papa Alexandro 1628 d
continentiam perfectam Deo ex cõſenſu coniugis uouere 1584 f
continentiam quam cum uxore quis uouerit, præſtandam eſſe 1608 e. f
continere & exhibere dupliciter ſumitur 867 c.d
continere ſe ad tempus in matrimonio piè licet 1524 b
continenter licet uiuere conſentiente coniuge 1614 d
contradictionem implicantia fieri non poſſunt 5 d
contradictoria de eodem corpore, eodem tempore, quoad eaſdem partes, eoſdem homines, & in eodem loco dici nequeunt 205 b
contradictoria ratione eiuſdem ſubiecti & temporis ſimul affirmari uel negari non poſſunt 1263 a
cõtradictoria ſe ſint ſimul uera, nulla rerum ueritas ſtabit 21 d
contradictorie pugnantia quare Deus efficere non poßit 611 f
contemplatiui cor ſanguinis potu in Euchariſtia lætificatur 551 g
contumelia ſymbolis facta in Chriſtũ redundat 820 b.c
conuentus Nauburgenſis 138 c
conuerſionis uox apud patres de conuerſatione ſacramentali intelligẽda eſt 949
conuerſi ſunt termini propoſitionum in cap. Ioh. 6 & ultima cœna 221 g
conuicia in ſanctos ſparſa in Filium Dei ſparguntur 170 e
cor contritum acceptabile ſacrificiũ Deo 404 b
cor poteſt probari eſſe animantis forma, ſi ea quæ papiſtæ garriunt de forma ſacramentorum uera ſint 610 b
cordi noſtro incluſa ſunt aliquo modo præſentia 981 d
corde & ore carnem & ſanguinem Chriſti nos percipere quomodo intelligendum 306 e
corda noſtra quomodo inhabitet Chriſtus 201 b
cornelius uiſibili forma ſpiritum ſanctum acceperat, antequam tingeretur à Petro aqua 1000 f
cornelij preces & elemoſynæ quomodo ad conſpectum & memoriam Dei aſcenderint 158 d
corinthij quomodo dicantur rei fuiſſe cor-

se corporis Domini 1013
corinthios Paulus dicit se per Euangelium regenerasse 128 f
corporalis & realis præsentia Christi carnis, tollit sacrificium papistarum 402
corporalem unionem nostram cum Christo quomodo Gardinerus intelligat fieri 549 f
corporaliter in loco Pauli ad Colossenses significat uerè & solidè 1130 e
corporaliter quare dicatur in Eucharistia 490 c
corpus absq; loco præsens esse merum figmentum est 192 a. *absque loco potest quidem intelligi, sed nunquam absq; loco existere* 204 b
corpus ac sanguis Christi potest proprie ac uerè corpora nostra nutrire 709 a
corpus à locis quæ implet, circumscribitur 28 b
corpus ambiens utrum necessariò ad beatorum corporum conseruationem requiratur 73 e
corpus Christi ab ipsis Apostolis comedi potuit, etiam si ab ipsorum ore distaret 259 d.e
corpus Christi ad nostra scelera eluenda in crucem fuisse actum 154 d
corpus Christi aliud est mysticum, aliud autem proprium 879 a.b
comedere in sacramento quid nã sit 883 d
cum symbolis & sine ijs percipimus 1294 d
de pane dici potest non identica, sed tropica prædicatione 321 e.f
præsentia in altari esse, qua fuit olim in præsepi, non est Chrysostomi sententia 3 5 c
corpus Christi esse ubique repletiuè in patrib. nunquam legitur 28 b
est creatura 29 b
est res creata 7 b
corpus Christi etiamsi gloria sit glorificatum, tamen habet suam circumscriptionem 9 a
corpus Christi frangi in mysterio quid sit 354 a
corpus Christi immensum esse scripturæ nusquam docent 17 c
in cœna quæ nobis adferat 242 f
in crucem datum cum à nobis fide percipitur, est noster panis 274 f
in eucharistia cum dicitur nostra esse alimonia, quomodo intelligẽdum 939 a.b
infinitum esse sacræ literæ nusquam docuerunt 15 d
licet naturæ diuinæ in eadem persona coniunctum sit, tamen non potest esse ubique 57 c. d
minus latè patet, quàm sacra scriptura 549 b
non alligatur in quodam angulo cœli 3 e
non amictu, sed anima munda indiget 269 a
non amplius uersatur in terris 11 a
non comedit, qui non est in corpore Christi 551 c
non descendisse de cœlo cum dicitur, panis eucharistiæ intelligitur 356 a
non est Deus 1245 a
non digeritur & concoquitur in uentriculo 769 e
non magis adest sacramento quã nobis propter quos institutum est sacramẽtum 716 c. d
non potest esse ubique 1
corpus Christi non potest priuari magnitudine, staturæ modo, partibus, lineamentis & membris 2 e
corpus Christi nostrorum dentium lacerationi non est obnoxium 753 d
corpus Christi offerre quid 168 g
omnia loca implere nullus patrum unquam scripsit aut docuit 2 b
corpus Christi omnibus sanctis res longè præstantior est, quàm sit caro cæterorum hominum 75 b
corpus Christi per uniuersum orbem terrarum in omnes homines dißipabitur, si realiter ore ipsius carne uescimur 526 f
corpus Christi post resurrectionem quale fuerit 9 d
corpus Christi prærogatiuis eiusmodi ab ubiquitarijs ornatur, quæ illud potius destruunt 29 a
corpus Christi quibus conditionibus mundanis sit exemptum 26 d
quod frangebatur in cruce, est satisfactio pro peccatis totius mundi 423. 424 g
corpus Christi quomodo adhuc per totam terram iaceat 105 b
quomodo ad nos ueniat 158 e
corpus Christi quomodo diuinum dicatur 52 b
corpus Christi quomodo Ecclesiæ ministri dicantur conficere 618 a
corpus quomodo etiam sanctificetur ex perceptione eucharistiæ 893 a
corpus Christi quomodo in certo loco esse statuatur 75 c
corpus Christi quomodo manibus attrectetur 818 a
corpus Christi quomodo per accidens immortale dici possit 20 c
corpus Christi quoniam non ex uirili semine, sed ui spiritus Sancti in utero uirginis formatum est, de cœlo dici potest descendisse 355 a
corpus Christi sic in cœlo est, ut non amplius per multa loca diffundatur 440 a
corpus Christi si in pane fuit, Christus habuit simul corpus fractũ, & non fractum 310 e
corpus Christi si reipsa comedendũ sit, toti orbi non sufficere docet Athanasius 767 a
corpus Christi subiq; sit, aut cõgeminandum est, aut localis extensio ei attribuenda 28 d
corpus Christi si ubiq; sit, non est creatura 7 d
corpus Christi spiritualiter adesse quid sit 151 b
corpus Christi spiritualiter comedere quid sit 888 d.e
corpus Christi sumus, antequam ad eucharistiam accedamus 811 c
corpus Christi ubicunq; est, ibi etiam est Christi diuina natura, non autẽ contrà 69; b
idem ubi degat 4 c
corpus Christi ubiq; esse diuinæ literæ nullibi docent 3 e
corpus Christi ubiquitarij dicunt simul esse pluribus in locis, quia Dei uirtute hoc fieri possit 4 d
corpus Christi ubiquistæ tanquam alutam in omnia loca Geometrica extendunt 3 c
corpus Christi uel sub illis accidentibus panis & uini nõ continetur, uel in ignem abijcitur 481 b
corpus Christi uerum quare dici possit descendisse de cœlo 354 e
corpus Domini dijudicare quid sit 348 b
corpus Domini in cœna non esse realiter & substantialiter quæ nam probent 73 a
corpus Domini in quo surrexit, uno in loco esse oportet, inquit Augustinus 104 f
corpus Domini non ex omni parte doctrinæ sumitur, cum ei habetur fides 549 e

corpus Domini post ascensionem corpus 9 e
corpus & anima quomodo in eodem opere exerceantur 540 a
corpus & sanguis in cœna sunt sanctis cibus & potus ad uitam 100 c
corpus humanum aliquid esse, atque idem eodem tempore non esse corpus, contradictoria sunt 155 d
corpus humanum aliquod si confirmatur scriptura sacra uno eodemque tempore in pluribus locis fuisse, tum credemus opinionem Metusiastarum & Sinusiastarum esse ueram 202 c
corpus humanum appellatur etiam illud, quod anima non agitatur 475 d
corpus humanum cum sit finitum, non potest plura simul loca occupare 6 d
corpus humanum esse desinit, si ab eo compositio membrorum, conformatio lineamentorum, & circumscriptio tollatur 2 c
non potest ea loca implere, ad quæ non pertingit 3 d
corpus humanum organicum est 190 b. c
corpus humanum salua sua nutura ut eodem tempore in multis locis se diffundat, ex earum rerum genere non est, ad quas se diuina potentia extendit 199 c
corpus humanum ui diuina absque cibo sustentari potest 202 d. e
ut feratur in cœlum, facilè ab omnipotenti opifice effici potest 82 a
corpus Iesu Christi quomodo omnia humana dicatur transcendere 52 b. c
in calice fingunt Papistæ 418 b
corpus nemo unquam dixit esse umbram tantum inter orthodoxos 258 f
corpus non est pars increatæ personæ, sed naturæ assumptæ 65 d
corpus nostrum in Baptismate quomodo sanctificetur 527 b
nullum stare potest sine lineamentis & circumscriptione 94 g
corpus nostrum perfecta natura est 661 b
corpus quoddam quodcunque sit, simul pluribus in locis esse, non localiter, est figmentum figmentorum 6 f
quod nam extra locum esse posit 875 f
corpus quomodo corpus esse desinat 212 c
quomodo idem sit quod in cruce pependit, & quod in cœna datur 1317 c
semper unitum est cũ deitate, licet tot loca repleat, quot diuinitas 26 e
totum non est in qualibet sui parte 120 e
corporis Christi accidentia quæ sint 272. d
aditus ad animum non habet initium à dentibus 893 d. e 894. d
effecta & merita quæ sunt 243 d
præsentia in pane realis neq; uerbis expressa Christi, neq; illis congrua, neque ad salutem necessaria, neque ueritati humanæ naturæ consentanea 887 e. d
quatuor dotes 3 b
realem præsentiam in eucharistia quomodo primi scholastici defenderint 6 g
ueritatem contra hæreticos qui phantasma tantum fingebant, quomodo tueri possimus 258 d
corporis Christi uirtus non solum in animo consistit, sed etiam ad corpus pertingit, q; reficit 549 f. g
corporis creatura quomodo fiat diuinitas 775
corporis Dominici alimonia uisibili nexu secum coniunctam habet uitam æternam 100 d. e
corporis & animi unio hypostatica non soluitur, etiamsi utrique sua attribuantur 43 a
corporis & sanguinis Christi quomodo participes fiamus 150 c. d
corporis exercitatio modicam habet utilitatem, pietas autem ad omnia ualet 1381 f. g
corporis humani speciem quinam hæretici Christo tribuerint 836 d
corporis ubiquitatem scholastici ubique respuunt 3 e
corporis ueritatem qui nam negauerint 1226 a
corpori Christi hoc tribuitur ab orthodoxis, quòd agat in quadã amplissima regione uiuentium, quæ sita sit ultra omnes aspectabiles cœlos 3 f
corpori Christi ui diuina partes ostij ac lapides cedere potuerunt, donec transiret corpus Domini 200 d
corpori mystico quomodo nos Christus incorporet 333 c
corpore Christi alimur, quamuis illud in cœlo sedeat 526 a
in corpore Christi qui nõ est, nõ manducat Christum, inquit Augustinus 101 c
corpore Christi quomodo uescamur extra cœnam 994 d. e
corpore dato, omnes dantur proprietes 884 a
corpore graui nullus sanctorum unquam in puncto horæ tanta terræ spacia transiuit 206 b
corpore Christi duo necesse est esse, quomodocunq; excusemus, si cõsubstantiatio uel transubstantiatio admittatur 811 d
corpora duo ut nõ possunt esse in uno loco, sic etiam corpus idem nõ potest esse in pluribus locis eodẽ tempore 664 a
glorificata nõ carent crassitie 1286 c
corpora grauia multa sic formari possunt ab artifice, ut natare possint super aquam 82 a
hominum solida non uescuntur accidentibus 477 d
humana non desinunt esse corpora, etiamsi sustineantur, ne dorsum ruant 207 e
corpora nostra ad omnem impuritatem uiuendi transferre, est ualde periculosum 805 c
corpora nostra dicuntur animalia, non sunt tamen anima 95 c
corpora nostra nullo modo esse polluenda 276 f
quare dicta sint spiritualia 95 c
corpora quæ nusquam sunt, non sunt 4 a
corporum glorificatorum conditio quænam futura sit 538 a
corporum magnum est discrimen 24 e
corporum nostrorũ mutatio in Christum quomodo accipienda 1233 f
corporum nostrorũ ornamenta post resurrectionem 95 b
corporibus beatorum Scholastici impositibilitatem, agilitatem & subtilitatem assignant 3 b
corporibus quæ motu recto mouentur, locus per se conuenit 24 d
corporibus si spacia locorum tollantur, nusquam erunt 4 d
coxi cancellarij Oxoniensis Vniuersitatis adhortatio in disputatione publica 1222
crabrones irritare 138 d
cranium defuncti hominis alloquitur Macarius 280 f
creare Christum corpus suum sine tropo non dicitur 508 d

creari nõ dicitur id, quod alteri alicui rei succedit 765 d.e
creata res non potest esse ubique 7 a
creata sunt finita & terminata 29 b
creatio non est earum rerum, quæ iã existunt 765 b
creatio non est mutatio, qua quippiam in aliud conuertatur 624 b
creationem non habuisse subiectam materiam 624 b
creatorem nostrum oculis fidei ubique intueri possumus. 390 c
creatura noua sic simus, ut pristinam substantiam non abijciamus 605 a
creatura nulla est Iesu Christo dignior, quatenus homo est 86 b
creaturæ nullius est ubique esse 1243 f
creaturam non esse spiritum Sanctum, quomodo confirmetur 7 d.e
creaturæ inusibiles proprietate substantiæ finiuntur 1244 a
creaturæ mutæ etiam concionantur 997 c.d
creaturæ quomodo fiant sanctum sanctorum 765 f
creaturæ uniuersæ circumscriptam habent substantiam 7 e
creaturarum substantia in sacramentis non mutatur 261 a
creaturis omnibus quomodo Christus adsit, & quomodo nobis adsit 1050 c
creaturas conuerti in corpus & sanguinem Christi quid sit 771 d
mutari & conuerti aliquo modo, quo sensu dicant patres in eucharistia 261 a
creatum corpus quomodo diuinitas esse statuatur 7 g
creatus, & non creatus filius Dei quomodo dicatur 108 a
crede, & manducasti 100 f
credendo manducatur Christi caro 362 f
credentes iam sunt iustificati 128 a
credentibus Dominus adest per suum spiritum, quem illis dat 207 f
credere ea quæ nullo modo fieri possunt, Christus nusquam nobis mãdauit 883 a
credere est efficacissimè cognoscere 341 f.g
credere in Christum, est manducare panem uiuum 308 a
credere in Christum quid sit 545 a
credere quomodo & quando possimus 341 g
creditarum rerum ignoratio non tantum ad sensus est contrahenda 973 b.c
creditu necessaria non omnia in sacris literis haberi, contendit Smytheus 1373 c
credulitas non quælibet apprehendit corpus Christi 999 d
cribrum impletum aqua de Tyberi, ad iudices nulla eius parte stillante portatur 82 c
crocismus ubiquitariorum 19 c
crucifigere denuò Christum non minus est, quàm reum esse corporis & sanguinis Christi 1016 e
crucis Christi inimici 141
crypta erant loca subterranea, ubi pij antiquitus conueniebant. 194 a
crystallinum cœlum quod nam sit 80 e
cuculla sepeliri, singulare esse stulti tiam 1617 e
cuculi cantilena 98 d
cultus Dei nostro tempore libris sacris noui Testamenti est accõmodatus 1398 a
cumanus asinus 141
cura de uictu & alenda familia dam nari non potest, si non cum diffidentia sit coniuncta 1567 b
cura tangi rerum ad hanc uitam pertinentium, non est peccatum 1551 d
cybeles sacerdotes euirari solitos docet Hieronymus 1552 b
cynosuræ aspectus 145 d
cypriannus errauit de Baptismo hæreticorum 1553 d martyr Christi sanctissimus 235 c
cyprianus non putauit curandum quid hic aut ille senserit, sed quid Christus fecerit & docuerit 1556 f
cyprianus pro Christi nomine uitam posuit 1542 b
cyprianus uerè reprehendit eos, qui abidolothytis ausi fuerunt accedere ad cœnam 527 d uixit sub Valeriano & Gallieno 1573 f
cypriano libellus de duplici Martyrio non est tribuendus 546 b.c
cyprius Episcopus fuit Epiphanius 1585 b
cyrillus in Iulianum apostatam inuectus 139
cyrillus in locutionibus quare fuerit uehementior 35 g
cyrillus negat nos Christum corpore præsentem habere 304 b
cyrilli antiqua uersio Basileæ excusa 825 a
cyrilli Græcus codex, quem uertit Oecolampadius, Basileæ asseruatur 825 b
cyrilli inimicitiæ cum Ioanne Antiocheno 1331 b
cyrilli libri 5. 6. 7 & 8. an sint ipsius Cyrilli, an Clithouei 1052 a
cyrilli simile de anima & corpore 39 g
cyrilli uerbis quando nonnulli fuerint offensi 37 d
cyrillo negotium fuit aduersus Nestorium 35 g 36 a
cyrillo ubi se Theodoretus opposuerit 33 c

D.

DAmascenus hyperbolicè loquitur admodum de Eucharistia 469 a multum tribuit ossibus defunctorum 606 d quando uixerit 280 d
damasceni doctrina non est pura 606 d
damasceni errores in dogmatis quibusdam 280 d
damascenum post Gregorium fuisse ultra centum annos 180 d
damnare quare neminem hominum posimus 1333 g
daniel loquutus cum Angelo, quæsiuit etiam, quomodo 361 d
danielis postrema pars fabula dicitur 205 d
dani transubstantiationem impugnant 1213 d
dardani quæstio apud Augustinum 27 a
dardani quæstionem dupliciter soluit Augustinus 27 f
dauid rex & Propheta ieiunium indixit 1534 f
dauid prudenter mutauit suum iuramentum 1455. 1456
dauid cum panes propositionis ederet, symbolum comedit, & ani-

& animo ipsum corpus Christi 1097 b
Dauidis & Christi discrimen 415 d
dauus, non Oedipus sum 1 b
decreta fidei ex ijs quæ per accidens sunt, non licet constituere 20 b
decreta paparum iure contemnuntur 901 d
decretorum glossa explicat dilucidè uerba, Hoc est corpus meum 277 c
decretorũ instaurationes si legantur in epistolis pontificijs, semper mos antiquus laudatur 394 d
decretis paparum turpissimè adulati sunt Scholastici 299 g
decretales epistolæ quales sint 736 d
definitionis potiores partes magis ad formam spectant, quàm ad materiam 611 d
defuncti quid hic agatur ignorant 123 c
defunctorum reliquias damascenus maximi fecit 280 d.e
ἀείπνον ἀσώματον orthodoxi non habent, quemadmodum ubiquitarij per iniuriam calumniantur 130 f
deitas affectione minimè impletur 47 e
deitas an sola uiuifica sit 46 d in carne est, ut ignis in ferro 47 b non mutatur in humanitatem unquam, nec humanitas in Deitatẽ 22 e res simplicissima, nec ullum accidens in eam cadit 25 d
deitatis ratione etiam omnes sancti seruari possunt 105 f
deitatem sua hypostasi fulcire ac sustentare humanitatem Christi ubicunq; sit 10 d
delius natator 890 d
democriti stultus error 330 d
demosthenes quomodo pronunciationem emendarit 523 c
densum & rarum esse quo ad easdẽ partes illud pugnet 207 e.f
descendere aut ascendere diuinitas non potest 89 d
descendere de cœlo quare carni Christi communicatum sit 354 c
descendere de cœlo quid sit 92 b
descensus de cœlo non communicatus est naturæ humanæ 52 b.56 b
descensus natura saltem prius quid est, quàm incarnatio 30
describendo uiri docti aliquando labuntur 826
deserere aut non deserere nos quomodo Christus dicatur 88 d
deus uerbum omnia implet 12 d
deuotum quidnam intelligat Martyr 1334 d
deus ab humano corpore suos fines ac terminos potest detrahere, sed ita ut corpus esse desinat 189 d an uelit sensus nostros in rebus credendis circa sua obiecta falli, annon 473 c
deus cum omnia potest, tamen non potest uirginem restituere post ruinã, inquit Hieronymus 702 d est ubiq; per præsentiam, essentiam, & potentiam 198 c ignis consumens 481
deus impartibilis 18 d
deus materiam subiectum esse uoluit succedentium formarum, & accidentia hærere 700 e
deus multa potest facere contra ordinarium naturæ institutũ 190 b multis signis potest significari 895 d nec mori, nec falli quare non possit 5 d non habitat in templis manu factis: igitur nec in pyxide super altari 189 e
deus non ita se in homine concluſit, quin extra eum alibi quoque sit 15 f
deus non omnes proprietates suas hominibus communicauit 777. omnia continet, à nullo continetur 14 c pater proprietates suas nobis communicat 601 c peccare non potest 6 d quamuis sit absq; accidentibus, tamen multa de illo attributa prædicantur 23 e quare multa non possit 6 a. b
deus quare passus in homine dicatur 39 e
deus quia omnipotens est, quædam non potest 5 d
deus quomodo dicatur ascendisse, aut transiuisse 32 e
deus quomodo dicatur sanguine suo Ecclesiam redemisse 46 b
deus quomodo testis fuerit 39 d
deus quo sensu dicatur sanguine suo Ecclesiam mundasse 30 e
deus sanguinem effudit 2494
deus seruat illos homines, quos uoluntate sua prius elegit 60 b
deus totus homo, & totus homo deus 14 d
deus ubique totus est, non secundum spatia tenetur locis 53 f. g
deus uerus est naturaliter, quod omnia replet 8 c
deus uitiositatem odit, non naturam quam creauit 601 b
dei Christi humanitas asscritur 1
dei descriptiones quoad maiestatem potentiam, gloriam sunt admirãdæ 85 d.e
dei filius quare in cœlum dicatur ascendisse 46 c
dei filius quomodo dicatur crucifixus & sepultus 33 b
dei filius quomodo dicatur totus fuisse in hominis filio 89 d
dei imago & forma serui opponuntur 287 e
dei maiestas infinita 17 e
dei natura absoluta est in Christo 15 6
dei ornamenta 99. g 100 b
dei potestas non minuitur, cum dicitur mori falliq; non posse 5 d
dei potestate salua, permulta sunt quæ fieri non possunt 6 d
dei proprium est uno momento cœlos & omnia implere 81
dei uerbum nullum esse debet, de quo spiritualis homo non debeat iudicari, quo sensu dictum sit 218 e.f
deo filio æqualitas cum patre sic assignatur, ut eius humanitati qua minor patre, minimè conueniat 13 c
deo labor non est adscribendus 210 f
deo omnia possibilia esse, non est indefinitè enunciandum 6 a
deum habere in deum quidnam 1386 b
deum in anima contristatũ aliud est, & aliud est cum anima contristatum 39 e
deum in homine passum esse aliud est, quàm homini compassum 39 e
deum loco Dei Rabini in aliena terra quare dicant se habere non posse 1386 b nemo facilè fallere potest 1344 e

deum

deum nihil commune habere cũm loco, falsum est 776 c
deum non posse facere quæ Transsubstantiatores uolunt cum dicitur, tam non minuitur Dei potentia, sed in rebus ipsis defectus intelligitur 709 a.b
deum omnia quæ facere potest fecisse, non statim credendum 5 a
uocare ea quæ non sunt, tanquam sint quomodo intelligendum 748 d
à Deo citra eius omnipotentiæ immutationem quædam non fiunt 189 c
in Deo quod est, non est ita ubiq; ut Deus 104 e
dextra Dei est beatitudo perpetua, quæ sanctis datur, inquit Augustinus 73 a.b
dextra Dei etiamsi infinita sit, tamen Christi humanitas, quæ illi coniungitur, suis terminis finita manet 77 g
dextra Dei quid significet 77 b
dexteram Dei & summam uim atque potentiam singnificat, & summam felicitatem. 78 a
diabolus calumnias pijs hominibus perpetuò struit 1403 a
diabolus colitur, si eius uictimæ cum honore percipiuntur 529 d
diabolus est cibus impiorum, quos nutrit ad iniquitatem 589
diabolus unus ex uobis est, tropica est enunciatio 1255 d
diaboli credunt quoque 335 a
diabolis genus ubiquitatis quoddam hieronymus tribuit 62 f.g
diaconorum officium in Ecclesia quod olim fuerit 420 f
dialectica præclarum Dei donum 642 b
dialecticæ usum patres propter quædam Hæreticorum dilemmata nõ damnarunt 642 b
dianæ Scythicæ uirgines in honore fuerunt 1552 a
διάφανον corpus 114 c
dictum nullum est, quamuis sapienter constitutum sit, quod peruerse interpretando non possit corrumpi 1 c
dies Ecclesiæ, Iudæorum uox 166 d
dijudicandum corpus Domini quod nam sit 102 a
dijudicare corpus Domini quid sit 348 b. 1013
dilectionis affectus quomodo sit excitandus 262 f
diligere quempiam quid nam sit 1389 e
diluuium quomodo sit umbra 166 d
discipuli Christi luminaria orbis 105 d
discipuli Christi quomodo uerba, Hoc est corpus meum, intellexerint 135 d. e discipuli non uaticinati sunt; cum Ioh. sexto loqueretur de sua carne, Christum aliquando sumpturum panẽ in extrema cœna 450 c.d
discipulorum Christi propter absentiam Domini carnalem metus 105 d
discrepantes doctorum sententiæ secundum scripturam conciliandæ sunt 68 e
disiuncta propositio tum falsa, cum omnia eius membra sunt confuta ta 299 f
δίς πρόβλη 414 c
disparatum analogicè intellectum potest rectè de altero prædicari 1021
disparatum de altero non potest prædicari, nisi uel figuratè, uel per significationem 210 a
disparatum non nisi disparati est disparatum 210
disparata de se mutuò prædicari non possunt 1021
disparata sunt, quæ ad diuersa genera seu species referuntur 211 c
disparatorum prædicatio mutua quãdo uera 1021
dispensatio humilis in Christo nulla amplius 695 d
disputatio inter Sabellium, Photium, Arrium & Athanasium 108 b
disputationes etiam Christus Iesus instituit 1223 d
disputationes modestæ quàm sint utiles 1223 c
disputationes pias quæ nam impediant 1222 a.b
disputationum finis præcipuus, ut idem sapiamus 1222 a
dissentire & odio habere differunt plurimum 1223 e
dissidia hominum sanctissimorum 33 e
dissimilitudo Christi & nostrũm 65 f
dissimilitudo similitudinis duarum naturarum in Christo cum anima & corpore hominis 121 c
distinctio rei in ea quæ sunt & extant fit, non in ea quæ non sunt 623 b
distinctiones quarundam rerum quarum in Deo admittendæ 776 b
distinctionum Theologicarum fundamenta in sacris literis fundata esse debent 29 e
diuinitas Christi ubicunque est, ibi non necessariò quoq; est corpus Chrristi 695 b
diuidi & frangi corpus Christi quo sensu dicatur 766 e
diuidi & frangi in Eucharistia quò referantur 335 d
diuina natura subsistit cum complemento omnium locorum 12 d
diuinæ Christi naturæ est, ut homo perfectè seruetur 536 f
diuinæ maiestatis & naturæ est ante omnem æternitatem absq; principio esse 17 d
diuini cultus simplicitas statim mutata post tempora Apostolorum 838 f
diuinitas carni Christi in sepulchro adfuit 54 d.e
diuinitas carni Christi in sua hypostasi infixam humanitatem semper habet 16 e
diuinitas Christi ita astruenda, ut corporis ueritas non tollatur 27 g. 28 a
diuinitas Christi res spiritualis 11 f. 17 e est ex Deo & patre 33 a
diuinitas ob suam immensitatem semper coniunctam habet humanitatem 12 a
diuinitas quare ubiq; sit 105 f si esset corpus, non posset in locis infinitis esse tota 193 d si esset, quanta etiam esset circumscripta 1245 g
diuinitatis coniunctio quomodo declarata fuerit 465 a
diuinitatis maiestate semper nobis Christus filius Dei adest 846 c
diuinitatem Christi quæ nam confirmare potuerint, dum adhuc in terris egit 93 c

diuinitatem in Christo habitasse corporaliter quomodo inteligendũ 490 d
diuinitatem solam esse ubiq; 7 d
diuinitate Christus adest omnibus creaturis 1050 c immensa Christum adesse testatur Fulgentius 918 a
diuinitate sua Christus nunquam nos deserit 113 e f
diuinitate ubiq; esse Christum inquit Augustinus 53 c
dinortium Henrici regis Angliæ Gardinerus modò probat, modò improbat 620 c eiusdem idem in cõstans gardinerus summo studio procurauit 542
diurna lumina non passim in Ecclesia fuerunt recepta 274 a
doctoris Theologici præcipuum opus quodnam 1611 b
doctrinæ Iohannis sexto traditæ incœna adiecit symbola 333 c
doctrinæ ueræ fructus 218 a
dogmata falsa non excusat error cõmunis 1606 e.f
dogmata praua anathematizare licet, nõ autem homines 1333 g quæ spiritus sanctus nos docet, habent expressum uerbum 1252 f
dogmatum statuendorum regula certissima 5359 d
δογματισμὸς nõnunquã diuinis quædam 733 a
domesticorum omnium ratio est habenda, nisi abnegare uclimus fidẽ 1342 c
dominici diei ubi nam mentio fiat in sacra scriptura 1376 a
dominus cœlum & terram spiritu sancto implet 8 b
dominus gloriæ crucifixus quomodo intelligendum 30 d quomodo dicatur crucifixus 49 a in colũna uisus diu & noctu ab Israelitis 125 c palpabilis & impalpabilis, uisibilis & inuisibilis quo sensu dicatur 31 b
domini institutum aspernantur, qui inter corpora domini & panẽ nõ discernunt 120 b
domino quomodo dicamur occurrere 386 c
dominum etiamsi adoremus in Eucharistia, tamen non iccirco realẽ corporis Christi præsentiam statuimus 160 e
dominum nostrum cum è cœlo dicimus esse, non intelligimus carnem illius supernè esse allatam 32 b
dominum se nobis circumspicientib. circumsistentium oculis tradere quomodo intelligendum 162 b
dona Dei alia sunt ad salutem necessaria, alia non sunt 1431 c
dona Dei omnia non sunt in nostra potestate 1439 g
dona expectanda esse Pelagiani uident tantum 1585 g spiritualia non omnia sunt insensibilia 928 a
dotes quibus corpora nostra ornabuntur post resurrectionem 95 b

E.

Ecclesia aliquando errare potest, non tamen in uniuersum 1497. 1498
ecclesia antequam patres ulli essent, iudicauit ex uerbo & spiritu 1553 a Catholica quæ & quare dicitur 2548 b quæ illius conditio semper fuerit 1074 b corpus Christi dicitur à Paulo 879 a cũ Dei sponsa sit, non nisi sponsi sui uoces admittit 618 f
ecclesia Dei hodie quare periclitetur grauissimè 137 d dicenda nõ est, quæ scriptura suam doctrinã non potest confirmare 682 e ex cluſi extra salutem sunt 233 a
ecclesia exterior splẽdidissima sæpè damnat sanctissimos qui abiecti 1541 b
ecclesia hodie opus habet magno numero ministrorum 1495. 1496 inuisibilis 1548 a b nulla ætate fuit fermentata humanis erroribus sic, ut nulli fuerint pij 1072
ecclesia nunquam omnino sanctis destituitur 1499. 1500
ecclesia posterior non est peritior priore 1626 f
ecclesia pro quibus nam uetustissimis temporibus interceſſerit. 1521 d
ecclesia quæ nam sit 1014
ecclesia quare papam caput habere non possit 1582 b
ecclesia quatenus sit columna ueritatis 999 b
ecclesia quomodo ex diuersis mortalium generibus componatur, dum spiritus à capite per diuersas iuncturas ministratur 154 d
ecclesia uera suas notas habet 1548 b
ecclesia tempore Valeriani & Gallieni nondum pacẽ habuit 1573 f
ecclesiæ cœtus in symbolis Eucharistiæ quomodo sit 891 e
ecclesiæ oblatio quidnam apud patres significet aliquando 602 f
ecclesiæ opibus uirgines quindecim aut 18 annorum esse alendas, est contra præceptum Apostoli 1492 d
ecclesiæ præsens quomodo sit Christus 326 d
ecclesiæ primitiuæ persecutiones 194 a
ecclesiæ sensus ex diuinarum literarum testimonijs potius, quàm hominum sententijs eliciendus 996 a uox in mysterijs 759 f
ecclesiam Christus spiritu regit, & uerbo 696 d totam non semper errare, cum semper boni uiri sint qui clament contra abusus 1547 a ueram non esse alligatã cathedris, titulis, personis, &c. 1548 b ueterem contemnunt Papistæ 408 f
ecclesiæ nostræ sacerdotio non destituũtur 1075 b orthodoxæ facile ubiq; tarijs fidei suæ rationẽ explicare possunt 1274
ecclesiæ reformatæ citra omnem speciem ἀταξίας sua administrant 421 d
ecclesiarum tranquillitas quomodo seruari possit 111 f
ecclesiastica doctrina quatuor necessariò requirit 1551 c
ecclesiasticas res etiam mulieres prudentes & piæ suis consilijs iuuare possunt 1493. 1494
èdendo & bibendo corpus & sanguinem Christi magis & magis fides crescit 127 f
edere Christi carnem quid sit 150 e
Eduardus Angliæ Rex sanctissimus 141
effectum ante causſam statuunt ubiquitarij 59 f
effectum cum causa in Eucharistia quomodo conueniat. 237 b
electi etiamsi labuntur, tamen in errore non deseruntur 1542 b
eleemosynæ quomodo ad conspectum & memoriam Dei dicantur ascendere 158 d

eleemosyn trum dignitas 432 d.e
eleemosynas Paulus quonam sensu nominet sacrificia 1035 b
eleemosynas quinam distribuerint 420 f
elementi mutatio fit in Eucharistia 1314 b
elemẽta in corpore quomodo extẽt 1234 d
elementa mundi infirma & egena quæ nam sint 1361.1362
elementa papistiæ nulla habent, quibus attentionem fidei transferãt ad cœlestẽ substantiam 409 a.b
elementis externis sæpè tribuuntur, quæ conueniunt rebus significatis 837 b
elias adfuit Christo 91 f an uiuat 201 c
elizæus olera amarissima correxit aspersa farinula 533 d
elizæo non credenti futuram annonæ caritatem punitus 1013 f
eloquentiæ proprium est dilucidè atq; perspicuè dicere 209 f
emanuel, id est nobiscum Deus 52 a
emissem hyperbole 711 c
empyræum cœlum quod nã sit 78 e
ἐμπύρεον à splendore, non calore 79 b
ἐνεργάται quid 1567 e circa quid uersetur. ibid.
enochus quare translatus 201 c
enochi mortem qui nam confirment ex interpretibus 202 b
enochum morte uulgari quare Deus non uoluerit opprimere 202 g
ens in substantia definitum non est 291 b
enthusiastarum mos 59 c
enunciata de eadẽ re simul affirmantia & negantia se mutuo interimunt 6 e
enunciationum formæ tres 131 b
ephesina synodus disputauit de unica hypostasi naturæ cõtra Nestorium 652 e
ephesina synodus secunda Eutychetis errorem confirmauit 1541 a
ephesina traditio de celebratione paschatis pugnat cum Romana 1553 d.e
ephesini cõcilij status cum Nestorio 946 c.d
ephesino concilio præfuit Cyrillus 828 a
epicureos & ἀθέους percipere uerũ corpus Christi fingit Gardinerus 1020 c
ἐπιλύσεως ἰδίας phrasi quid Petrus reiiciat 648 b
ἐπαινίαι Gardineri 288 b
epiphanius Cyprius Episcopus 1585 b
episcopalium Conciliorum nullum ferè bonum exitum se uidisse scribit Gregorius Nazianzenus 1509 f
episcopus si maritus esse possit, nihil refert, an prius, an uerò posterius fuerit 1508 d
episcopi Aphricani monuerunt Episcopum Romanum 1086 d
episcopi plurimi tempore in Episcopatus liberos sustulerunt 1523 a
episcoporum electio quando populo integra fuerit 1621 e.f
episcoporum numero excludendos eos, qui diuortio facto à priore uxore, alteram ducunt 1508 a
episcoporum nostri sæculi conditio 1632 f
epulæ domesticæ à Sacramento Eucharistiæ quid differant 3076 f
erasmus an ex uerbis Pauli realem præsentiam corporis Christi conuincat 348 f in recognoscendis authoribus uir acerrimi ingenij 167 f.g linguæ Græcæ peritissimus 157 a liturgias uertit in gratiam Episcopi Roffensis 156 e maximus admirator Hieronymi 1607 a uir doctissimus 1613 d eruditionis incomparabilis ibidem e
erasmi & Gardineri discrepantia in liturgia interpretanda 156 f
erasmi iudicium quando Gardinerus magnificiat 1806 b
eremitarũ solitudini Chrysostomus fauit 576 f
errare cum alijs, non est falsa dogmata excusare 1606 e
error in Canonicis scriptoribus si inueniatur, quomodo excusandus 241 b
error qui per humanã infirmitatem uitari non possit, an capitalis sit 517 a
errores alij ex alijs oriuntur 1443 c
errores illi abominandi, qui iam in Ecclesia præualuerunt ferè usque ad tempora Caroli magni, in Ecclesiam non sunt inuecti 1073 c
esca carni quod est, hoc ipsi animo fides 510 d
escam spiritualem eandem habuerũt ueteres nobiscum, carporalem alteram 228 a
essentia eadem non sunt quæ inter se aliquibus accidentib us conueniunt 346 d
essentia rei cuiuslibet per definitionem exprimitur 121 b
esther ieiunium indixit 1534 f
est in scriptura sacra sæpissimè pro significat sumitur 1025
est in uerbis institutionis, quibus de causis pro significat sumatur 1026 a
est uerbũ non semper constituit identicas propositiones 1282 c quare à Christo adhibitũ in Sacramẽto, & eius efficax significatio 1083 a
esu externo typicè interior eius significatur 1713 e
ἐθελοθρησκεία cuius Paulus meminit ad Colossenses, ad uota quoque pertinet 1421 e
ethnici agnouerunt naturam diuinã per omnia esse diffusam 198 b contendebant humana corpora non posse efferri in cœlum 82 e magni fecerunt uirginitatem & cœlibatum 1550 g sacrificabant animantes Deo 1452 f suas statuas adorabant, ut papistæ suã idola 396 c
ethnicorum dictis & scriptis quare & quomodo aliquid sit tribuendum uel nõ 4 b error de suis dijs 392 a.b
etymologiam oportet cum illis uerbis congruere, quæ explicantur 333 e
euangelica doctrina est omnium antiquissima 194 c
euangelica Sacramenta augustiora ueterum sacramentis. 134 a.
euãgelicæ perfectionis signũ 1400 f
euangelici magistratus non sæuiunt in papistas, sicuti illi in nos sæuiunt 194 e
euangelium est instrumẽtum diuinæ potentiæ 224 c
euangelium non appellatur lex gratiæ, quod à maleficis remouerit supplicia capitalia 1017 a
euãgelium potentia Dei ad salutem omni credenti 100 b quando dicatur Dei potentia 155 b salutiferum aliquando fit mora 102 b secundum Aegyptios quod nam fuerit 1566 c
euangelij efficacia etiamsi potentia Dei, non realiter latitat sub literis scriptis 220 f limites excedit, quouis ea quæ in eo libera sunt concessa 1398 d e uix uouendi ritum excludit 1360 perfectio &

in cœlibatu et matrimonio locum habere potest 1398 a sacramẽta Christum uenisse testãtur 438.b
ἐυχαὶ δὲ γερόντων 137 e
in Eucharistia Augustinus dicit uisum gustum, tactum atq; olfactũ nil quàm panem atq; uinũ renunciare 163 f.g
eucharistia Christum proponit, ut cibum & precium nostra causa persolutum in cruce 869 cum ab illis percipitur, qui desciuerunt à fide, graui contumelia afficitur 529 d cum relatiuum quid sit, quemnam habeat terminum & quod fundamentum 655.a
in Eucharistia dantur creaturæ, sed cum illis aliquid maius 247 g
eucharistia discipulis sedentibus est peracta, non prostratis corporibus ad terram; 85 a.b duo habet quæ in illa dantur 991. in eadem duo requiruntur 275 b estq; hæc gratiarum actio 720 c 723 b in Ecclesia ueteri populo in manus fuit tradita 436 b instrumentum est sanctificationis 752 d integra duobus constat secundum Irenæũ 439 b magna, sed sanctissima simplicitate tractata apud ueteres 407 d non fuit instituta ut spectanda attollatur, uel adoranda circumferatur 389 d non habet maximum momentum ad salutẽ adipiscendam, sed alia adhuc sunt longè maiora 448 c.d non soli intellectui exhibetur, ut per calumniam nobis adscribit Gardinerus 893 d papistarum est regnũ accidentium 844 e quanta cum simplicitate usi sint ueteres 435 c quare dicta 705 a quare σύναξις nominetur 398 f qui necessitate excluduntur, nihilominus cõmunicationem corporis Christi percipiunt, si fideles 357 a quomodo ad totius hominis salutem faciat 254 a ubiquitariorũ habet præsentiam corporis personalem, cœlestem, definitiuam, seu consecrationalem 99 c
eucharistiæ abusus antiquitùs non fuerunt, qui hodie sunt 219 a actionem quare patres sacrificiũ nominarint 835 f doctrinam accuratè quare cognoscere debeamus 139. 140 dogma perperam intellectũ fons innumerabiliũ errorum 140 differentia à cæteris sacramentis non à genere mutationis, sed à re significata petẽda 953 a disceptatio in modo tãtùm uersatur 259 f effecta augustissima adscribimus 221 a finalis causa quæ sit 754 d.e finis 1529 f.g fures & sacrilegi 1264 g institutio, & manducationis corporis Christi sermo apud Iohannem quidnam differant 852 e nutrimentũ duplex 1293 d obiectũ præstantissimũ 1043 a panis antiquitus cõmunis panis fuit 603 c eiusdẽ usus quomodo nostra corpora ad beatam resurrectionem nutriat 709 b.c.d
eucharistiæ reliquiæ non sunt Eucharistia, quod probatur 668 e reliquias ueteres comburebant 219 c sacramentum imago Christi dicitur à Gelasio 917 d non perficitur à pane 697 e quàm præclara nos doceat 154 d.e
eucharistiæ sacramentũ ueteres pueris in manus dabant, ut illud domum ferrent 433 similitudinem quare Iustinus Martyr ab incarnatione sumserit 243 f symbola sancta sunt 102 b sunt monimenta mortis Christi 998 e totũ negotium ex capite Iohannis sexto explicari potest 1271 d.e.f tractatio, si ratio habeatur naturæ humanæ, & definitionis sacramenti ueræ, facilis erit 145 b
eucharistiam administrantes in Ecclesiis reformatis omnia facimus quæ Christus præscripsit 423 b.c
eucharistiam Ambrosius figurã nominat, & similitudinem, item typum: Chrysostomus symbolũ ac signum, & exemplar: Dionysius uenerabilia signa 276 a b.c.& c. celebrãtibus quomodo Christus ante oculos uersetur 1078 b cum Christus institueret, facile et uerè potuit dici, Corpus quod pro uobis traditur, & sanguis qui pro uobis effunditur 323 c in cœlo esse quomodo euincatur 415 a qua integritate ueteres administrarint 219 c quare Iohannes in fine sui Euãgelij nõ explicarit 900 c symbolum ac signum Iesu esse dicit Chrysostomus 267 c ueteres administrantes utebãtur uasis ligneis & uitreis 432 g 431 a ueteres dabant infantulis 274 c ut prostrato corpore adorem⁹ Christus nullibi mandauit, neque cum genu flexo 335 a
in Eucharistia nõ dentes ad mordendum acuimus: sed fide syncera panem sanctum frangimus, inquit Cyprianus 530 d
in Eucharistia non quærendum esse quõ illud fiat, falsum est 361 b.c
in Eucharistia rei significatæ quæ propria sunt, transferuntur ad signa 567 a sancti omnes carnem Christi per mysterium comedunt 363 d
eucharistica res quatenus eam Dominus nobis tradidit, facilis est et simplex 145 b
eucharisticæ disceptationis status qui sit 260 g doctrinæ ueræ & orthodoxæ fundamennta 150 a.b.c.& c.
eucharisticus error per Paulum sicilè corrigitur 322 d
εὐχαριστήσας est gratias agere, non substantiã immutare 312 d
eucratitæ quem sint tutati errorem 1515.1516
eugenius quartus 515 d
eunuchus in Ecclesia Israelis nõ habebat locum 1337 d quid illud adumbrarit ibidem
eunuchorum contemptus apud Israelitas 1338 d pollicitationes à Deo factæ non quatenus eunuchi, sed quales obseruantes legis diuinæ 1338 d
eunuchos se propter regnum Dei castrasse, quomodo intelligẽdum sit 1335 c
eutyches in concilio Chalcedonensi damnatus 36 d naturarum confusionem introduxit 10 a talem naturarum conglutinationẽ statuit, ut post incarnationẽ unam tantũ agnouerit 134
eutychetis error in quanam synodo fuerit confirmata 1541 a
eutichetis hæreseos summa 944 e
eutychen unã tantùm naturã finxisse in Christo 36 d
excantatio quinq; uerbis 300 b
exaltatio quæ hominis propria, uerbo quo ad nomen cõmunicatur 33 a
exemplo piorum quod fit, bene fit 139
exempla nobis esse non possunt quædam singularia patrum facta 1377 d
experientia quo sensu falsa dicatur Hippocrati 486 c
expositorij syllogismi forma 414 d

ex quo aliquid constat, illud non semper adest illi rei 852 f
extra oleas currere 332.1336 b

F

FAbis ueſci ſuis Pythagoras nõ permiſit 1432 b
fabri argẽtarij dictum, magna eſt Diana Epheſiorum 1224 b
facta infecta reddi non poſſunt 5 c
facta omnia ſacræ ſcripturæ quare nõ licet in exemplũ trahere 1420 g 1421 a
falcouillam fœminã idolatricã precibus alicuius cum iam mortua eſſet, ſeruatam ſomniat Damaſcenus 280 f
falſa in diſputando non licet tradere, ut ueritas obtineatur 866 multa qui comminiſcuntur, pugnantia dicunt 215 c
falſa uera efficiunt ſophiſticè 1613 c
fames unde oriatur 48 f
fauces parare nolite, ſed cor, inquit Auguſtinus 508 a
felicitas noſtra uel adhuc exſpectanda 448 b
felicitatis ac beatitudinis perfectæ locus, qui dextera Dei ſignificatur, non eſt ubiq; 78 c
femoralia, de quibus Deus in Exodo mentionem fecit, non impediunt coniugium miniſtrorum 1513 c
femoralia linea, quæ Deus mandauit ſacerdotibus ut induerent, ſignificant perpetuam continentiam miniſtrorum noui Teſtamenti 1513 a.b
ferrum candens duplicem naturam habet in ſe 292 c
ferrum quando natarit in ſuperficie terræ 94 c
ficus arida etiamſi in uiridem conuerſa ſit, tamen manſit ficus 699 c
fides aliquando pactum & conuentionẽ ſignificat initã cũ Eccleſia 1530 a 1352 e.f aliquãdo profeſſionẽ in baptiſmo ſignificat 1355 e an cõſcientiæ dictamẽ ſignificet 1416 b
fides aut malitia naturam Sacramẽti immutare non poteſt 1185 b
fides Chriſtianorum nulla, niſi bonos fructus proferamus 1367. 1368
de falſis aut fictis nõ erudit 197 a
dei uerbo deſtituta aut cum eo pugnans ſuperſtitio eſt 533 a dum hic uiuimus, non eſt abſoluta 127 f
eſt ſcutum quo munimur aduerſus hoſtem 1103 f
fides & corpus Chriſti non exhibentur propriè à Sacramentis, ſed à Spiritu ſancto 870 c. d
fides & ſpes aliquando pro eadem re ſumuntur 974 c eadem etiam opponantur quomodo 197 e
exigitur ut ſacramentum Euchariſtiæ dignè ſumatur 333 e infirma nihilominus eſt fides 1019 c nec in ore, nec in corpore eſt, ſed in animo 365 e.f non eſt tantum nuda ac ſimplex notitia 595 b
fides noſtra in hac uita nunquam tam firma eſſe poteſt, ut non nutet ſaltem 668 b quomodo augeatur & confirmetur 811 c
fides nullibi docet panem & uinum, quæ cernũtur non eſſe panem & uinum 474 b nunquam falſa reſpicit 835 a
fides opus Dei eſt, & à Chriſti ſpiritu ſuggeritur 128 d
fides præcedere debet quæſtiones 270 b
fides prima apud Paulum quid ſignificet 1333 c. d quælibet non eſt mãducatio corporis Chriſti 830 c quæ per dilectionem operatur, uera fides 1401 c.d quid ſit 834 a tantum Deo & illius uerbo, non ſanctis debetur, ut uult Damaſcenus 280 c ueritatem corporis Chriſti non infringit 1318 a uiſibilem ſpeciem non requirit 292 a
fidei cauſſæ inſtrumentales quænam ſint 128 d
fidei & mentis perceptio præſentia corporis non indiget 268 a
fidei exercitia 1382 a fructus certiſſimus mandatorum Dei obſeruatio 1338 a
fidei infirmæ homines etiamſi non æternis pœnis adficiantur, tamen temporario ſupplicio caſtigantur ut ad pœnitentiam reuocentur 1019 e
fidei iuſtificantis hoſtis eſt Gardinerus 583 f
fidei iuſticia 202 b
fidei noſtræ regulæ certiſſimæ 756 d
præſentia eſt, quæ facit illa eſſe præſentia, quoad ſpiritum & animum credentium, quæ locorum ſpacio maximè diſtant 93 e ſcopus in Euchariſtia qui ſit 460 b uis carnem & ſanguinem præſentem facit, non tamen corporaliter 1300
fidei uis erga abſentiam 164 b uis præterita facit præſentia 130 b.c uis quæ res abſentes ſtatuit præſentes 971. 974 d
fidem ab operibus in Eccleſiis reformatis non diuidimus 424 a Dominus duobus modis in animis noſtris accendit 128 d excitantia organa & confirmantia 155 b inuiolatam non omnes ſemper retinuerunt 241 f
fidem languidam habentes percipiunt corpus Chriſti quoq; 1019 b
fidem noſtram non minus cõſtantem eſſe oportet in Baptiſmo, quàm Euchariſtia 771 d nullo modo conſiſtere poſſe cum peccato, falſum eſt 1019 d
fide impij deſtituuntur, pròin nullam communionem habent cum Chriſto 149 b in Euchariſtia quid credamus 316 a nihil percipitur, niſi quod probari poſſit ex uerbo Dei 1005 c omnes ſancti in hoc mundo peregrinantes Chriſtum tenemus, nõ oculis uidemus 104 b
fide omni non planè deſtituuntur, qui laborant aliquibus infirmitatibus 1012
fide percipi non eſt ſolum aliquid intelligentia capere 335 a
fide percipitur res Sacramenti 100 d
fide quam habemus ex Euchariſtia, ſanctificatur caro noſtra 948 d
fide quòd comedimus carnem Chriſti, duplici nomine beneficium poteſt probari 1104 c
fide ſola an rectè omnia fiant 335 a
fide unica ſeruamur, omnes ſeruati ſunt, & ſeruabuntur 241 f
fideles in primitiua Eccleſia in monte Soracte conueniebant, & Romæ in cryptis ac ſubterraneis locis 194 a naturaliter eſſe inter ſe unitos ex unitate fidei colligit Hilarius 1117 c.d 1118 a item à regeneratione ibid. ſic etiam à Baptiſmo ibid. per Euchariſtiæ ſacramentum 1119 c quomodo Chriſti præſentia fruantur 130 e quo ſacrificio in gratiam recipiantur 154 d tempore Apoſtolorum fuerunt Iudæis expoſi 1344 a uirtute ſua ſeruat Chriſtus, etiamſi carne abſit 105 g
fidelium cœtus Chriſti ſpiritu ſemper regitur 201 c
fideliũ cœtus corpus Chriſti eſt 151 a
fidelium omnium ubicunq; ſint, caput eſt Chriſtus 233 d
fidelibus integrum Sacramentum datur 289 e

fidelibus quare peccata non imputentur 1486 e.f
figmentum humanũ est corpus Christi in pane esse realiter 73 b
figura earum rerũ est, quæ ad aliud referuntur 154 c
figura & res significata in cœna datur, sed non uno modo 235 b
figura hoc est corporis mei, quare Christus non dixerit, sed potius hoc est corpus meus 322 c
figura non semper opponitur ueritati 1197
figura quod terminatur, non uagum illud est, sed finitum 261 f
figura sine eo ad quod refertur, non potest intelligi 458
figuram in Eucharistia patres orthodoxi semper agnouerunt & docuerunt 252 b
figurã significantem res absentes cogitur admittere Gardinerus 1997 b. c
figuræ testamenti noui 760 f
figuras in Eucharistia quatenus pij doctores admittant, & detestentur 898 a qui negant in Eucharistia esse, quomodo sint intelligendi patres 277 g ueterum sacramẽtorum fuisse uappam, uox est blasphema 227 a
figuris dum in hac uita uersamur, nõ possumus carere 238 f
figuratam loquutionem esse in scriptura quo colligamus 306 f
figurata locutione dici potest aliquid fieri, cum sit mox futurum 323 d
figuratores quidam pij à nonnullis sophistis nominantur 155 f
filius Dei quare dicatur mortuꝰ 39 f quomodo conculcetur 540 c.d quomodo initium habeat, & non habeat, creatus nõ creatus 108 a quomodo paternorum bonorum particeps sit 85 c spiritꝰ est, quod filio hominis per gratiã dari nõ potest 20 d ubiq; est 31 a
filius hominis è cœlo quomodo dicatur descendisse 46 c
filius hominis idem est, quod natura humana 21 b
filius hominis in cœlo quo sensu dicatur esse 30 c
filius hominis quamuis in gloria sit, tamen uerè est homo 22 c
filius hominis quomodo in cœlo esse dicatur 439 d
filius quare non portet iniquitatem patrum 528 e
filij Dei Christiani sunt adoptione, non natura 232 e
filij Dei substantia immutabilis in carne passibili passionẽ suscepit, & cum carne passionem sentire non potuit 39 c
filij hominis uocabulo Augustinus personam Christi intelligit 53 b
filij proprium natum fuisse 43 d
filio Dei quicquid per naturam datur, idem filio hominis per gratiã conuenit 20 a quomodo intelligendum sit illud. ibid. idẽ nõ per omnia uerum 20 d
filio hominis ut initio careat, per gratiam illi dari non potest 20 d
filium hominis de cœlo descendisse quomodo intelligendum 30 d
filium patre minorem esse concluserunt Arriani 135 a
filio omnia sunt plena 106 e.f
filij non possunt suis parentibus, sua officio publico scripto obstringere 1383 a.b
filiorum procreationem damnãt, & in suis matrimonijs carent Manichæi 1518 d
firmamentum extra nullũ posse corpus existere, falsum est 75 g 76 a
flaminicam uniueram esse oportuit 1551 a
florentinũ conciliabulũ 515 a 1214 g
fœcundi sterilem non esse debere hæredem 1575 c
fœdus aliquãdo circumcisionẽ significat 225 b cum patribus fuit initum, antequam circumcisio præciperetur 148 c & illud iã nobis obsignatur in Baptismo 1374 a
fœminam secundum regulas iuris ab omnibus ciuilibus officijs abstinere debere 932 b
forma aliquando rem totam ex materia & forma compositam significat 956 e
forma Dei præsens est Christꝰ 107 a
forma nunquam materiam è natura rerum profligare solet 610 e
forma organica quæ sit 121 a serui absens est à nobis Christus 107 a una eademq; non est in diuersis subiectis 115 a
formæ hærentes in materia plus quã cœlum & terra distant à formis materia absolutis 703 a
fortitudo uersatur circa grauia discrimina iusta de causa subeunda 1497.1498
fractio corporis Christi quidnam significet 752 e eodem modo se habet ad Christi passionem, ut panis ad corpus 674 g metaphorica nulla est 1279 a panis quid significet 274 c
fractionis uoce interdum tota mysterij celebratio intelligitur 352 a
fractum corpus dici potest, non aũt quod nos frangamus 1280
franciscani pecunias non attingunt 1477 c
frangi corpus Christi in Eucharistia quomodo dicatur 350 a
frater fratrem à peccando deterrere debet 115 d
fraus in proprijs facultatib. retinendis quatenus nõ spectetur 1344 e
fridericoComiti Palatino scribit Melanthon 111 d
frigidum & calidum ex eodem ore Gardinerus semp solet flare 289 c
frontem ferream Israelitas Deus appellat 141
fructiũ, meritum & gratiam mortis Christi nos in cœna percipere nõ est falsum 129 c
fundamentum Eucharistiæ est panis 655 a
furor, non prophetia est, terminos à Domino positos uiolare 367 b

G

GAleni locus lib. 3 de placitis Hippocratis & Platonis 271 a
gallieni tempore Ecclesia non fuit quieta 1573 f
gallieno imperante ne auditum quidẽ erat Turcarũ imperiũ 546 d
gangrensis Concilij Canon. 1617 b
gardinerus ad conscribendũ tabernaculum papistarum, multas operas & amanuenses aluit 139 dio scripta suo nomine inscribit 288 b
astutißimus captiunculis et Ecclesiam & Rempub. fefellit 200 d
conuincitur summæ inconstantiæ 289 d est harpyia 189 g frigidũ & calidũ ex eodẽ ore semper conatur flare 289 c hydrope obijt 338 a ijs rationibus defendit suam transubstantiationem, quibus Homerus Centauros & Chimæras suas defendere potuit 949 c leges sibi uel cõtrarias, uel nihil ad rem facientes citauit in diuortio Heinrici regis 542 a.b Midã refert 273 a non uulgaris Sophista 200 d omnia sua per tropos probat, cum tamen in alios debachetur propter usum troporum 354 b.c.d orthodoxè sentientes figuratores uocat 170 d orthodoxo-

rum argumenta mutilat 325 a papam ſcriptis & cõcionibus publicis abiurauit, ſed eidẽ rurſus ſupplex factus 141 papatum ſtudioſiſſimè defendit 141 quare non unum aliquem certum librum refutandum ſumpſerit, ſed potius farragimem argumentorũ ineptè coacerauerit 353 e ſub Henrico rege defecit à papa, idem mutatis uentis ad illum redijt 936 d.e turbator Eccleſiæ coniuncitur 424 f ueræ iuſtificationis elemẽta prima nondum tenet 335 b ueritatis proditor 719
gardineri acumẽ dialecticum 199.f auaritia 434 c fama Romæ qualis fuerit 542 a inconſtantia 141 temperantia 337 c 338 b
gardinero Grãmatica adhuc diſcenda 202 f
gardinerum falſi teſtimonij conuincit Martyr 290 a nominat Martyr Hortenſium rhetorem 160 g Vlyßi comparat P. Martyr 139
gaudium uerũ & perfectũ quodnã ſit 859 d
gelaſii decretum 1619 b
gelaſii dictum ad ubiquitatem aſtruendam quomodo nihil faciat, explicatur 13 f
gentium uocatio ad cultũ Dei 1337 a
gemma annulo eſt coniuncta, quamuis non ſit ut annulus in interiori parte digiti 16 c
gemmare uites 328 b
generatio noua in baptiſmo credenda proponitur 771 d
generatio rei fit ea materia ſubiecta, & ea priuatione 622 e
generationis principia eadẽ habent, quæ numero ſunt eadem 622 c
generis proprietates ad ſingulas ſpecies ſpectant 670 e
genimen uitis quid ſit 338 e
genitus per id quo gignẽti eſt æqualis, nũquam recedit à patre 54 c
genu flexio externum ſymbolum internæ adorationis 273 e
genu omne flecti Chriſto ſpectat ad illius manifeſtationem, quæ nondum eſt facta 695 d
gentes omnes uenturas ad montem Sion & Hieruſalem 1337 b
geometricæ ſpeculationes de ampliori exceſſu, & maiori ambitu 17 a
geometricum ſpacium locorum 59 a
geometrici ſpacij cogitationes reuocare non poſſumus à cogitatione noſtra, cũ agitur de corpore Chriſti 60 f
gloria Chriſti etiamſi oculis noſtris non ſit conſpicua, fruitur tamen ea opulentiſſimè 696 c
gloria Chriſto communicata, non ubiquitas 30 b
gloria & regnum Chriſti utrum idẽ ſit, atq; in cœlis agere 87 b
gloriam Chriſto detrahere eſt ſumma impietas 371 c
gloriam & regnum Chriſtus quando ueniat ad iudicandum, non deponet 87 d
glorioſum corpus an ſphæras cœleſtes ſine illarum diuiſione tranſeat 96 c
γνώμη quidnam 1572 e.f
gnoſtici uxores habebant inter ſe communes 1561 b
gordios nodos ſecuri incidit Gardinerus 140
gorgoniæ zelus 277 b
gratia & ſalus non eſt alligata ſacramentis 1006 c
gratia ex opere operato non confertur ſine fide in Euchariſtia 1066 g inuiſibilis quæ ſit Bernhardo 928 a præſens eſt caro Chriſti, inquit Emiſſenus 380 a ſi opere comparatur, non eſt gratia 556 d ſi tollat magnitudinẽ, locum, dimenſiones ab humano corpore, ueritatem certè eius imminuit 883 f
gratiam addi pani quid ſit 1150 f cõmunem faciunt papiſtæ, adeò ut nihil differat ferè à natura 1442 a
gratiã & fructũ mortis Chriſti nos in cœna percipere falſum non eſt 129 b non ad ſolum intellectum referimus, ut Gardinerus nobis falſo imponit 894 a.b
gratiarum actio, preces, oblatio noſtri ſunt ſacrificia Deo placentia 152 a
grauitatem corporum humanorum Deus facilè poteſt ſuſpendere, nihilominus tamen corpora eſſe non deſinunt 207 b.c
græca Eccleſia inquit in baptizando, Baptizetur ſeruus Chriſti 669 e
græcæ linguæ diuerſitas à latina 326 e
græci patres non facile intelligi poſſunt ab eo, qui ignorat proprietatem linguæ græcæ 971 d
græci repudiarunt tranſubſtantiationem 515 d
gregorius Epiſcopus impium atque durum eſſe putat non miſceri poſſe coniuges 1615 b.c
gregorius Nazianzenus in Iulianũ apoſtatam inuectus eſt 139 quoque, ſicut Baſilius, ſymbola Euchariſtiæ uocat ἀντίτυπα 790 a
gregorius Romanus omniũ ſuperſtitionũ parẽs & princeps 519 f
gregorij locus ab ubiquitarijs corruptus 61 b
gregorij Nazianzeni mater patrem Epiſcopũ in Eccleſiaſticis curis ſæpè iuuit 1493. 1494.
gregorium admodũ ſuperſtitioſum fuiſſe 1615 e
gula aliquando uoracitatem ſignificat 937 e
guſtus nec uidet, nec odoratur, nec contrectat 43 f
gyges Platonis 140
gygis annulus 140

H

HAbemus ad Dominum quid in Eccleſia ueteri ſignificarit 406 b
hæredem fœcundi non eſſe debere ſterilem 1575 c
hæreticus dicitur Gardinero, quicunque piè ac purè Deũ colit 928 e nõ naſcitur in Eccleſia, ſed projicitur de ea 101 c
hæretici ferè omnes collegerũt ſuas opiniones ex eo ſenſu, quem uerba præ ſe ferebant 999
hæretici Chriſtum mutilant 274 b ea cõſcientia infirmitatis nunquã ordinariè tractant 153 f olim habuerunt ſua templa, in quibus myſteria celebrarent 821 b.c
hæretici quoq; ſua ſacramẽta habẽt, etiamſi ſibi ſint inutilia 822 b.c
hæretici ſacramẽtum percipiunt, rẽ ſacramenti nunquam 101 b
hæretici, Suermeri, Phanatici, Sacramentarij, Sectarij, pij nominãtur ab ubiquitarijs 138 b
hæreticorum erroris cauſa 42 b
hæreticorum uenenum unà cum illorum morte non extinguitur 139
hæreticos eſſe oportebat 5 a
hæreticos non poſſe ſtare, ſi ex ſcriptura ſola ſuas quæſtiones tractare debeant, Tertul. inquit 153 f
hebræi ubi ſua iudicia exercuerint 118 d
hebraicæ linguæ diuerſitas à latina 326 e

hebraismi ignorantia periculosa est in Theologo 971 d
hegesippus historicus temporibus Apostolorum uicinus 1383.1384
heinricus Bullingerus clarissimus ac eximius Theologus 60 b 62 f uir doctissimus 83 e
heinrici Bullingeri libellus de mansionibus cœlestibus 60 b
heinricus Angliæ Rex nomine 8. papatum eijcere tentat 14
heinricus Imperator uencno in pane sumpto perijt 479
heinrico Imp. VI. uxor datur Cõstantia, ex monasterio à Cœlestino tertio educta 148 b
helias cum seruatore nostro confertur 162 f.g
heliam melotem suam discipulo suo reliquit 162 f
heliodorus quòd symbolum indignè habuisset à Domino, flagellatus 1013 f uiolauit symbola, & cæsus est 574 b
helueti transubstantiationem impugnant 194 d
heluidij error 97 d
heraclitus nominatur Gardinerus 1007 g
hercisc undæ gloriæ actio quæ sit Gardinero 327 b
herculea clana 881 d
herodes quòd malè iurauit, psaltriæ iniuste persoluit 1453.1454
heshusius Clementem Alexandrinũ reijcit 113 a dicit panem esse uerum corpus Christi 112 d in quo nam cum Origene non uelit sentire 113 a
ἑτέρωσις temporum 1008 d
hierichuntina ciuitas quanam uoti specie notata 1333 f
hieronymus impletionem Christi omnium non ad ubiquitatem retulit 60 e multos habuit inimicos, qui eius scripta reprehenderint 61 d.e Pauli Apostoli authoritatem plus satis conuellit 1686 f.g quantum scripturæ deferat 1555 f 1556 a.b quare blandiatur Theophilo 265 a uini potum & carnium usum omnibus ferè Christianis adimit 1607 b
hierophantam Athenienses curare solitum docet Hieronymus 1551 b
hierosolymitanæ peregrinationis uotum repugnantibus uxoribus suscipere permittit Innocentius uiros 1627 f
hilarius Augustinum patrem suum uocat 1585 a in Constantium Imperatorem inuectus est 139
hilarius Pictauiensium Episcopus 1584 c
hilarij plures fuerunt 777 d
hilarium fuisse Syracusanum unde colligatur 1585 a multa grauia passum esse sub Cõstantio 1584 g
ὑπιρφυῶς quædam quæ hominibus acciderunt 93 g
hippias omnijcius est Gardinerus 389 d
hoc est corpus meum, id est figura corporis mei, inquit Tertullianus 401 c
hoc est corpus meũ, id est hoc significat, uel sacramentum est corporis mei 1, 7 a
hoc est corpus meum, illius dicti luculenta explicatio paraphrastica 321 g 322 a
hoc est corpus meum tropicè intelligendum esse similibus Euangelistarũ exemplis declaratur 146 e
hoc est corpus meum, uerba hæc non esse literaliter accipienda quomodo probetur 135 c
hoc est mel, hoc est uinum, alia sunt enunciata, quàm Hoc est corpus meum 303 b
holocaustum Eucharistiam non posse dici propriè 254 c
holocaustum sanans nostras iniquitates quod nam 254 c
homeri catalogus auxiliarium nauium 283 f eius insignis poesis 283 f
homo à bono Deo creatus 1613 b desinit esse homo sublata ratione 489 c dum secundum carnem sapit, & dum secundum spiritum uiuit, non dicitur alius atq; alius 13 d duobus repugnantibus cõstat, spiritu & carne 44 d imago Dei, etiamsi illud in ipso non appareat 261 d in subiecto supponit pro persona 66 a integer concedit in Eucharistia corporis ore symbola, animo autem per fidem corpus Christi 543 e interior animum regeneratum significat 563 d perfectus non est, nisi qui naturam perfectam habet 809 d quatenus & quomodo ad imaginem Dei dicitur esse conditus 789 c quibus partibus constet 1572 a terra uocatur per Tropum 1227 c totus Deus 14 d 15 a unus est anima & caro 54 f
hominis filius quo sensu dictus sit in cœlo fuisse, cum in terra loqueretur 46 c
hominis filio ut lineamentis & circumscriptione careat, per gratiam illi dari non potest 20 d hominis filio per gratiam conueniunt, quæ filio Dei per naturam 20 a quomodo intelligendum ibid. non per omnia uerum 20 d
hominis natura quomodo planè destruatur 23 f uox in prædicato sumitur pro natura, inquit Tarantasius 66 a
hominem Christum omni Dei maiestate ornatum esse quatenus fatendum 17 c
hominem Deus uerbũ suscepit 27 d qui fingit immensum, is non tantum cum rationibus humanis pugnat, sed cum principijs fidei 22 d
hominem secundum corpus in loco esse inquit Augustinus 51 f
homines cum deponunt ueterem hominem, rursus generantur 686 a mali in scriptura nominantur caro & sanguis 969 non nisi circumscripta uidere possunt 9 c
homines omnes sæpè in scriptura significat omnis generis & conditionis homines 60 b soli debent Eucharistiam sumere 261 b
homogenea quomodo sint affecta 342 e
homonymias paralogismus 10 d
ὁμώνυμον uocabulum non est nomen 651 b
ὁμοούσιος uocabulum offendit Arrianos 1345.1346 si uox in sacris literis non extet, tamẽ res traditur 1348 a
ὁμοούσιος uoce aduersus Arrianos sum usi 651 d
honor impiorum, quem Christo deferunt, quare sit inutilis 1048 g
honorius decreuit hostiam cum circumfertur esse adorandam 391 b
horatius 766
horrores mentis superare est difficilius quàm sensus 837 c
hospes & cibus plurimum differunt 360 c
hospitis loco Christum in cœna pijs communicantibus esse impium 360 c
hostia quid Papistis significet 393 b.c
hostia uiua Deo etiam illi qui in confugio uiuunt, esse possunt 1571 d
humana authoritas etiam antiquissima ad confirmanda fidei dogmata nil ualet 240 b c
humanæ natura non fuit ante quàm ex ut-

ex uirgine conciperetur 53 c
quomodo cœli et terræ conditrix per accidens dici posſit 20 d quomodo diuina fiat 1243 f.g
humana natura ſuſtentatur 12 d ſymbolis adeſt per communicationem idiomatum 439 c tota in Adamo uitiata 1583 d
humanæ naturæ circumſcriptiones 877 b
humanæ naturæ ubiquitas per accidens tribui non poteſt 20 a
humanam naturam eſſe ubicunq; uelut ſpiritus, quo ſenſu uerum ſit 537 c
humanitas Chriſti carnalis eſt, per quem à Deo gratiæ in nos derũtur 944 a.b
humanitas Chriſti diuinitati hypoſtaticè unita, loco certo continetur 12 b incolumi unitate perſonæ certum occupat locum 13 c non mutatur in Deitatem 22 e nuſquã eſt, quin diuinitati ſit copulata 10 f
humanitatis licet ſint quædam accidentia, tamen multa quoq; ei inhærent, quæ citra eius exitium tolli non poſſunt 23 f præſentia nõ opus eſt ad rerum gubernationem 84 e
humanitati Chriſti qui locum dant, & eam finitam ſtatuunt, à diuinis literis non aberrant 17 f
humanitatem Chriſti abſentem Matthæus ipſe teſtatur 125 f
humanitatem Chriſti à diuinitate Neſtorius prorſus ſeparauit 537 a omnia loca implere nullus patrũ docuit 2 b
humanitatem Chriſti noſtræ preces non latent 126 b
humanitatem Chriſti quare ubiquitarij tam pertinaciter contendant omnia loca implere 2 a
humanitatem Chriſti quomodo fideles in cœna contemplentur 130 e eam ſi citra exceptionem omni maieſtate diuinitatis ornatam eſſe uelimus, quæ nam abſurda ſequantur 18 e
humanitatis in terris Chriſtus continebatur uſq; ad finem ſalutaris miniſterij 69 f
humanum corpus non poteſt uno & eodem tempore humanum eſſe, et non humanum 696 a.b
humeros omnia quatenus corpus Chriſti aſcendat 52 c
humilitatem corpori Chriſti qualem Chriſto aſcribat Gardinerus 695 c
humor terræ cum tranſit in herbam, corrumpitur 664 b
hyemem uel æſtatem in ſuo munere non uidere 421 c
hypocritarum mendacium ueritatem Dei non euertit 90 f
hypocritarum ſtudium 198 f
hypocritis ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti periculum æternæ ſalutis creari docent ubiquitarij 99 f 100 c
hypocritas Deus nouit 1344 e
ὑπόστασις aliquando ſumitur pro fide 834 a
hypoſtaſis diuina morti & paſſioni adfuit 35 e ſemper habet coniunctam humanitatem, cum tamen humanitas ad tot loca non pertingat, quod diuina hypoſtaſis implet 64 f non pertinet ad naturæ perfectionem 809 d uel natura diuina quomodo dicatur uiſibilis, tẽporalis & paſſibilis 32 f
hypoſtaſes duas in Domino fingentes Neſtoriani ſunt 17 f
hypoſtatica unio efficit ut communicatiões uerbales ueræ ſint 30 f duarum naturarum ab initio incarnationis conſtitit 91 d
hypoſtatica unitas duarum naturarũ inter res conditas nullum habet abſolutum exemplum, cum quo conferri poſsit 18 b unio non dat humanitati ut ſit ubiq; 8 f per mortem non fuit reſciſſa 15 f
hypoſtaticam unionem duarum naturarum qualem ſtatuant orthodoxi doctores 12 d
hypoſtaticam unitatem duarum naturarum quod attinet, humana ratio quare non ſit conſulẽda 18 a b
hypoſtatica unione nemo conficit corpus Chriſti eſſe ubiq; 11 b
hypotheſes ad theſes transferre licet in ſacra ſcriptura 1420 e.f
ὕστερον πρότερον figura in narrationibus frequentiſſima 332 e

I

IAcobus frater Domini uitam curtam auſteram ſuſceperit 1287 g 1328 d
iacobus Hieroſolymorum epiſcopus 1333 1384
iacobus Iſrael dictus 747 e
iacobus Paulo fuit author ut uotum cum alijs ſuſciperet 1388 b in quẽ finem hoc ab illo factum. ibid.
iacobi uita ſeuera 1383.1384
iacobũ fratrem Domini Herodes gladio interemit 3.. c
ianuis clauſis quomodo Chriſtus ad diſcipulos ſit ingreſſus 207 c 1288 f
ideæ Platonis 139
ideæ Platonis pauciores abſurditates habent, quàm tranſubſtantiationis figmentum 198 d
ideas Plato dixit eſſe formas, quas diſtraxit à materia 611 c.d
ideas Platonicas quare exagitet Ariſtoteles 203 g
idem & diuerſum diligenter diſtinguenda 116 a
identica prædicatio in diſparatis falſa 1021
ἰδιώματα quædam de utraq; natura prædicantur, quæ tamen ad alteram reipſa pertinent 40 e
ἰδιωμάτων communicatio alia uerbalis, alia realis 30 b
ἰδιωμάτων communicationes uerbales quare ſint ueræ & recipiendæ 30 f
idiota ſcripturã citans potius audiendus, quàm Pa 1 & totum Concilium ſine ſcriptura 1553 f
idola irridere licet 623 d
idolorũ cultũ Ethnici qualibus prodigijs confirmabant 1046
idololatriam fornicationem & adulterium uocant prophetæ 623 d
idolothytis ſub cibis an lateat Dæmon 529 b
idolothytis ueſcens puella ignara facti propter ætatis infirmitatẽ, an uiſcera polluta habeat inde 528 e
iciunium etiam à priuatis poteſt indici in ſua familia 1534 f
iciunium per ſe rationem uirtutis nõ habet 1407 4
iephte malè uouit 1493 1494
iephthæ uotũ temerarium 1365.1366
ieſuitæ in Italia diu ſocietatem coluerunt ſine ullo uoto 1343 d
ieſus Chriſtus ſub Pontio Pilato crucifixus, ſed forma ſerui 55 a
ieſum Chriſtum quo ſenſu ſepultum dicamus 34 e
ignis non omnes proprietates quas habet, ferro communicat 47 d
ignis partes raras habet 47 d.e
ignis ut aqua ſit, Deus non uult efficere 189 e
ignorantia rerum non tollit naturas earum 19 e
ignorationem non omnem excuſare culpam 1452 1454

ignota humanum ingenium semper inuestigat à notioribus 873 c
illapidationis absurdum 675 a
ILLIC, Aduerbium apud Gelasium non est loci, sed ipsum Christum denotat 14 a.b
imaginatio non facit rem præsentem 730 c
imago à re ipsa distat 166 f
imagines defendit Damascenus 280 d
imagines intentionales 120 b
imagines rerum habemus in Ecclesia earum, quarum ueritatem in futura uita sumus habituri 165 g
imagines tollendas decreuit Constantinopolitana synodus 1553 g
imaginum cultus restitutus sub Irene synodo Nicena secunda 1553 g
imaginum cultum per Apostolos ablatum Papistæ restituunt 195 d
quæ nam Synodus defenderit 1541 d
immensum nullis terminis clauditur 18 d
immensi plures non sunt, quomodo Athanasius intelligat 19 c
immo ipsos plures tollit Athanasianũ symbolum ibid.
immensitas Dei ab eius essentia distingui non potest 775 d
immensitas si humanæ naturæ tribuatur, illam euertit 19 f
immensitatis & ubiquitatis mepta est distinctio 18 c
immolatio uera & propria necessariò colligit uerè ac propriè immolari 1033 f
immortalitas Christo communicata, non immensitas 30 b
immunditiæ legales nostro tempore sublatæ 1534 b
impanationis absurdum Lutherus non est ueritus 675 b
impassibilia futura sunt nostra corpora post resurrectionem 95 b
imperatores incipiunt Constantinopolim excolere 1544 a
imperia legitima opus Dei 111 d
implere omnia apud Paulum quid significet 84 a.b
impletionem Christi omnium, Hieronymus non ad ubiquitatem retulit 60 e
impleuisse Christum omnia quomodo apud Paulum sit intelligẽdum 60 a
impium non uesci corpore Christi, Ecclesia Origenis tempore credidit 741 e
impij accipiendo externa symbola, iudicium sibi edunt & bibunt, quòd non dijudicent corpus Domini 1012 a Deo semper repugnant 1348 c in Eucharistia non perueniunt ad spiritus participationem 550 d in sacra cœna non uescuntur corpore & sanguine Christi 100 d ipsi in causa sunt, quòd nihil præter panem recipiant in Eucharistia 885 e
impij ministri sæpè prædicarunt & baptizarunt 1374 d
impij non sanguinem Christi bibunt 819 non manducant carnem Christi 841. 842 c non nisi sacris symbolis uescuntur in Eucharistia, non autem re ipsa 347 c non totum sacramentum, sed alteram eius partem percipiunt 835 a quare non comedant carnẽ Christi 583 d 799 c quomodo non dijudicent corpus Domini 348 c sacramentum corporis & sanguinis ad iudicium manducant et bibunt 100 g sacramentis utuntur, non autem corpore Christi uescuntur 746 d.e 747 a si cum Paulo loquamur, homine interiore carent 563 d
impiorũ animæ immortales quoque sunt 41 e
impijs & malis officia opitulationis quo ad necessitates non sunt subducenda 1581 d
impios homines uesci corpore Christi docent ubiquitarij 99 e.f
impios sacramenta percipere sed nõ rem sacramenti 100 d
ex Impossibili sequitur quodlibet, dicũt Dialectici Scholastici 371 d
impossibilia quædam ut fiant 6 b
impotentia nostra spiritualis 1613 b
incantatoria uerba 257 a
incarnationis filij Dei locus, tempus, stirps à prophetis præstituta 519 c
incarnationis uerbi mysterium latuit Diabolum & membra eius 1346 e
inconstantiam quare Gardinerum nominet Martyr 141
inconstantiani satellites 140
incorporatio in Christum quomodo fiat 307 b
incorporei si essemus, incorporea dona nobis dedisset Dominus 266 e
increatum ita est diuinitatis, ut humanitati non possit adscribi 13 e
indignè bibere credentes aliqui quo sensu dicantur 1458 g
indigni quos Paulus notat in Ecclesia Corinthiaca, non prorsus destituti fuerunt omni fide 347 e
indiuiduum uagum non est certæ figuræ 261 f
indiuiduum uagum quid sit 251 d
indiuidua uaga 140
indiuulsè uel inseparabiliter quomodo intelligendum sit in definitione unionis personalis 10 f
In & Ex Gardinerus idem sonare putat 835 d
inexplicabile si quid sit, Papistæ non debebant explicare 401 e
infamiæ impatientia 1550 f
infantes Christianorum æquè spectant ad Deum, atque Hebræorũ 1373 d.e
infantes Christi sunt 1374 d
infantibus baptizatis Augustinus putauit dandã Eucharistiam 274 e
sacrum potum tempore Tertulliani exhibuerũt 435 d signum externum quo instar sigilli dona cõfirmamus, non est denegandum, cum ipsa dona habeant 1374 d
infidelis si percipit corpus Christi, id uel sensu, uel ratione, uel fide facit 1268 c
infidelitas fœcunda mater plurimorũ peccatorum 1344 d
infidelitatis motus etiam in mente & ratione habemus 1487 e
infiniti ratio naturæ humanæ non competit 18 e
infinita duo statuunt ubiquitarij ibid. c
infirmitati humanæ Christus consulens figuras & signa instituit 170 e
influentias dulces, uiuificas ac efficaces Sol suppeditat 130 d
ingenia hominum quomodo uegeta reddantur 1223 c
inimicorum dilectio non est consiliũ tantum, sed ad salutem necessarium 1363. 1364
innocentius Episcopus Romanus negat potestatem esse dispensandi cum uotis continentiæ, paupertatis & obedientiæ 1481. 1482
inseparabiliter quomodo in definitione unionis personalis sit accipiendum 10 f
institutionis cœnæ Dominicæ uerba tropicè intelligenda quibus confirmetur 136 f
institutionis uerba discipuli ex cap. 6. Ioh. optimè intellexerũt 1364 d
instru-

instrumenta corporis humani suis terminis finiuntur 57 d
instrumenta quibus Deus utitur, per corpus ad animum perueniunt 400 d
instrumentis efficientia rerum cœlestium aliquando tribuitur 128 e
intabulationis absurdum 675 a
intelligendi facultas ad quod nã prædicamentum referatur 203 c
intelligentiam alicuius autoris maximè ex scopo, quem sibi propositum habuit, consequimur 1556 e
intelligibilia quare sensibilibus tradiderit Deus 467 b
intentionem necessariam esse ad consecrationem contendunt Papistæ 518
intentionales imagines 120 b
interpretationes peruersæ quid possint 1 c
inuestitura rerum uariarum 470 d
inuisibilem se reddidisse Christum, diuinitatis indicium fuit 93 c
inuisibiliter corpus Christi esse fidelibus exhibendum, nullibi legitur 366 b
inuocantes Dominum animos quonam dirigere debeant 192 c
inuocantes spiritu, Christo communicant 397 e
inuocatio in spiritu non requirit realem præsentiam 397 d
inuocatio sanctorum quare prohibeatur 123 c
inuocationem inuocato tribuere maiestatem omnipotentiæ, omniscientiæ, ubiquitatis & beneuolentiæ 123 c
inuoluntaria mala etiam imputantur 1489 d
ioachimus Vadianus uir doctrina, dignitate, pietate præstantissimus 935 b
ioachimum Vadianum usum esse ἀλλοιώσει ante Petrũ Martyrẽ 935 b
ioannes Baptista quare tam seueram ingressus sit uiuendi rationem 1376 e.f sub ueteri Testamento fixit 1377 d
ioannes Constantinopolitanus qui nã sit 809 b
iohannes nullas expertus est nuptias 1408
iohannes quomodo suam significet uocationem 325 b
iohannis Baptistæ officia 377 b.c
iohannis caput sextum an ad cœnam, & quomodo spectet, an non, explicatur 355 a
iohannis caput sextum eorum quæ in cœna postea gesta sunt interpretatio 270 e.f
iohannis sexto id quod Dominus ait de spirituali mãducatione suæ carnis morituræ pro mundi uita, fuit postea in cœna symbolis & appendicib. externis obsignatũ 275 b
ionadabi filij uinũ non bibebãt 1373. 1374. nec opera alia faciebãt ibi.
iosaphati precatio 137 e
iouis omnia plena 28 b 198 b
ipse pronomen est in propositione, Ipse est Elias 317 d
ira ultionis est cupiditas 1488 a
iræ filij natura quomodo dicamur 455 a
ire & recedere à nobis quid 106 f
irenæus cũ Millenariis sensit 1544 f liberè Victorem admonuit 1086 d scripsit contra Valentinũ & Marcionem 723 f
iridis arcus de misericordia Dei concionatur 998 e
israelitas aliquando quare Deus diutiùs tractauerit 141
iudas prædicauit & baptizauit 1374 d
iudæ cogitationes Dominus nõ ignorauit 854 a
iudam ad conuiuium Christus adhibuit 873
iudam non excluſit à cœna Christus, non autẽ ideo sequitur inde, quòd tãtũ acceperit, quantũ alij 561 c.d
iudæi à Deo legem acceperunt sanctam 326 b
iudæorum nox, dies Ecclesiæ 166 d
iudæorum sapientia 774 c
iudæos incredulos Deus congregare noluit 1348 b
iudaicum non est, ad cognoscendam rem, & remouendum errorem quærere, Quomodo? 371 b.c d.e
iudex & retributor cunctorum filius Dei futurus est 108 d
iudiciũ cõtra Stephanum an sub dio, an uerò in domo peractum 118 d.e
iudicium edere & bibere tropica φράσις est 146 c
iudiciũ & cõdẽnatio differũt 1588 d
iudicium pertinacia auſert 653 d
iudicium ubi locum habeat 1223 e
iudicia Hebræos in portis exercuerunt 118 d
iugum Christi quare nobis leue sit 1523 c
iuliana uidua uoto se obstrinxerat 1611 c
iuniores, nisi eadem res alijs, & prope ijsdem uerbis repetatur, ferè non capiunt 139
iunonis Achaicæ uirgines apud Romanos in summo honore fuerant 1551 a
iupiter ethnicorum suam amicã extinxit 98 c
iuramentum quando non liceat præstare 1455. 1456
iuramentis certis casibus stare non licere 1456
iurisperitorum methodus 931 b.c
iuris regulæ exceptiones suas habent 933 c
iustificari hominem absq; operibus quomodo intelligẽdum sit 414 d
iustificati semel non possunt excidere ex gratia 598 c
iustificationem nostram tanquam certissimo signo sacramenta nobis cõfirmant 1112 b
iustinus quo anno uixerit, & sub quo Imperatore 1561 f
iustini opinio de reditu Christi in terras ad regnandum mille annos cũ sanctis 1554 f
iustitia uera est ex fide 1417 c opera infidelium sunt peccata 1417 f
iustitiæ fidei signaculum 192 b
iustitiæ sol Christus quid in suos conferat 130 d
iustum homines quodcunq; faciunt, illud lege præcipitur 1363. 1364.
iuuenes quando ad uirginitatis professionem sint admittendi 1581 e

K

Καπηρναΐσαρ qui nam uerè dicantur 214 a
κοινωνία est hoc, quo fit consociatio cum corpore Christi 112 d
κοινωνίαν uocabulum explicatur à Melanthone 112 d
κρῖμα & κατάκριμα differũt 1588 d
κρῖμα tam ad Deum quàm ad homines potest referri 1355 a
κριτήριον dijudicandarum controuersiarum in religione, est Scriptura sacra 241 a
κριτήριον quo iudicamus de sacris literis, duplex est 1271 a

L

LAbeones quos nam Gardinerus uocet 1003
lactantius putabat Christum redituru in terras, & regnaturum mille annos 1554 f

Lelius uir seuerus 124 e
laganus panaceus 391 b
lapidis sepulchri partes uí diuina cedere potuerunt, donec transiret corpus Christi 200 d
lapidem sepulchri tempore resurrectionis angelus deuoluit 200 b
Lassitudo unde accidat 48 f
lateranense concilium sub Innocentio habitum 1524 e
latinorum sententiam de processione Spiritus Sancti à patre & filio Theophilactus redarguit 285 f
λατρείαν Tharasius dixit beatæ Trinitati esse seruandam 382 a
latronis coniunctio cum Christo eo die quo moriebatur, ad naturam diuinam referenda 27 b
lazaro Christus non adfuit, cum moreretur, igitur non est ubiq; 211 e
legalibus sacris non fuerunt adiecta uerba, quæ Christi mortem pro salute humana manifestè explicarēt 133 f
leonum robur homini non est datum 57 a
lesbia regula 1523 b
lex Dei cum illam implere nequeamus, quare sit præcepta 1491 a
lex Dei si hominem non moueat ad piè uiuendum, multò minus illum mouebit superstitio aliqua uoti, aut similis 1369.1370
lex & Prophetæ qualia sacramenta habuerint 249 b
lex membrorum repugnat legi mentis quid sit 1483.1494 e
uel uniuersalis uel specialis omnia illa comprehendit, quæ saltem cogitare possumus bona esse 1363. 1364.
legis mirabilia quare Dauid toties prædicarit 774 b mysteria Christum uēturū promittebant 438 b nouæ pontifex & Apostolus est Christus 257 f præcepta longè sunt perfectiora uirginitate & cœlibatu 1398 c usus irritus, si nostra opera sunt regula benè beateq; uiuendi 1371.1372
legem Dei contemnere propter traditiones humanas 1427 a
legem nemo implet, dum uitam hanc miseram uiuit 1394 b
lege ueterum ceremoniarum iam per Christum abrogata, liceátne Christianis aliquid uouere 1359.1360
leges de his feruntur, quæ plerunque accidunt, non de his quæ rarò 1497.1498 humanæ de mediis tantum rebus latæ sunt 1515 b.c pontificiæ de uotis quid statuant 1457.1458
leges Synodi Canones appellamus 1544 b
liberi arbitrij in Scripturis nulla expressa mentio 1345.1346
libero arbitrio salus nostra non est adscribenda, sed gratiæ tantùm 1583 d
liberide cæcior 1524 b
liberorum procreatio medium est ad salutem, non caussa 1571 a opera bona media sunt ad salutem 1571 a
libertas hominis in moribus & ciuilibus actionibus reliqua est 1348
libertate uera in quibus nam destituamur 1348 d
liberum arbitrium aduersus gratiam Christi quibus locis Scripturæ cõstituatur à Papistis 1434 e
liberum nostrum quod dicitur arbitrium sine Christo & eius spiritu ne gratiam recipere potest, igitur non est liberum 1104 f
libidines quibus nam excitētur 1551 d
libidinum flammæ in senibus cadaueroſis restinctæ sunt 1352 b
libidinum flammæ quomodo extinguendæ 1436 f
libidinosos omnes castè posse uiuere quomodo probet Smyrbeus 1427.1428
lignū quid patribus aliquibus significarit 727 b
ligna quædam tam solida ut nihil imbibant 431 a
linea quæ Apellem probet 207 b
lineæ rectæ ductæ à centro mundi ad cauam cœli superficiē, sunt prorsus æquales 25 d
lingua peregrina in Missa impugnatur 257 b
linguæ ignotæ usum per Apostolos ablatum Papistæ restituunt 195 c
linguæ politæ donum, maximum Dei ornamentum homini collatum 1421 d
linguam nostram quare impollutam habere debeamus 515 a
liturgia quædam Chrysostomo adscribitur, quæ illius non est 386 e
liturgiæ quas Gardinerus citat, Basilij ne & Chrysostomi sint, annon. 156 c
litera quæ occidit in Euangeliis quoque 276 e
localiter in loco esse si tollatur ab homine, naturam eius destruit 23 f
localiter terras deserere quid sit 915 d
locali ubiquitate nihil esse ubiq; 58 b
locus corporis Christi qui nam sit 875 e.f
loci ambientis ratione si corpus organicum alicubi sit, necessum est ibi esse 196 f
loco certo cœli quomodo Christi corpus contineatur, & non contineatur 75 d
loco circumscriptum non potest esse ubiq; 9 a
loco non circumscribi angelos quo sensu dicatur 1246 e
loca nostra beata quomodo cognoscere, & quando posimus 73 f
loca omnia implere, & extra omnia esse, sunt contradictoria 29 c
loca omnia maiestati Dei, sunt ne punctum quidem 29 e
loca suauissima luce fulgida, quæ nec arctico nec antarctico polo finiũtur beatorum sedes 76 b
locorum spacia si tollantur, nusquam sunt corpora 24 b
locis in multis quod est naturæ suæ ui, id est Deus 775 b.e
locis in pluribus si quid est etiam, id in omnibus est 1142 b
loci communes hi unde nam collecti sint 1
λόγος semper in cœlo, etsi corporali locatione corpus in uirgine 110 d
λόγος non ex natura Deitatis, sed natura humanitatis passum duplicem sensum habet 37 d
lombardus Magister sententiarum uulgò dicitur 794 1630
loquutio eadem ad eadem etiam significata relata, propria simul & metaphorica esse non potest 303 f
lotus deceptus non fuit, cum eos iudicaret esse homines, qui angeli erant 475 c
lotiones uariæ ueteris testamenti adumbrarunt nostrum Baptismum 671 d
lucas post Matthæum & Marcum scripsit 146 f
luctari cum laruis 139
luminis diurni usus in Ecclesiis orientalibus 274 b
luminum usus unde originem suam traxerit 274 d
luna & Sol stant per diem 94 b
lupus cum agno quando habitauerit, quod Esaias prædixit 1343 b
lutherani corpus Christi coniungunt cum substantia panis 690 d non omnes recipiunt ubiquitatem 127 b.c quidam sunt ita crassi & hebe-

bebetes, ut omne genus troporum respuant 1022 d qui Papistis ignominiosè dicuntur, sunt ueri Euangelici & Christiani 822 a rea'em præsentiam corporis Christi statuunt 989 c
lutheranos, ut nocant Papistici episcopi, cogunt, ut uel semel ex anno Eucharistiam accipiant 821 b
lutheristæ 1349
lutherus 102 e.f impanationis absurdum non est ueritus, dum utramq; naturam in Eucharistia saluam statuit 675 b in ijs quæ scripsit, aliquãdo errauit 68 e irrefragabilis uir 68 b
lutheri dicta oppugnantur dictis patrum 102 g facultas in tractandis literis sacris 1415 b eiusdem singularis laus à Petro Martyre illi meritò tributa. ibidem c studiosissimi non per omnia illi subscribunt 68 e.f
lutherum habuisse spiritum fortitudinis & uehementiæ in Euangelio prædicando 63 c
lutherum Melanthon sanctitate, doctrina, laboribus scholasticis adæquauit, uel etiam uicit 109 f
lux creatura est 113 f
lux eadem non est numeri, quæ extra uitrum sita, cum illa quæ domum intus illuminat 115 d
luc & corpus Christi cum diuersorũ generum sint, non eadem habent proprietates 115 a
lux est qualitas agens, quæ sequitur formam solis 114 e est uisus obiectum 114 f quare corpus non sit 114 c quæ aerem orientalem illustrat, non est eadem numero cum illa quæ occidentalem 115 c
lucis subiectum quod nam ibid.
lucem non esse posse in multis uno eodemq; tempore 115 b non esse substantiam, sed qualitatem 114 c
luxuries in herbis 328 b

M

MAcarij fabula, quam inducit Damascenus 280 f
magi in Christo non uiderunt ea quæ nos uidemus 384 b
magos qui Christum adorauerunt in præsepi, Chrysostomus nominat uiros impios 384
magister Sententiarum præbuit occasionem suæ obscuritate multis seculis 1553 d uoluit esse patrũ interpres, qui obscurus tamẽ est 1553 d
magistratuum pia uota quæ esse debeant 111 e
magnitudo non potest ab humano corpore eo incolumi tolli 24 a
magnitudines duas Papistæ in uno eodemq; loco statuunt 715 c.d
maiestas aliquando naturam diuinã indicat 61 d
maiestas diuina in humanitatem quo modo transfusa sit 20 e paterna Christo nunquam defuit, licet illã non passim uoluerit exerere 92 a
maiestatis præsentia ab Ecclesia non recessit Christus 104 b
maiestatem patris omnem Filium accepisse, in uniuersum uerum non est 85 f quam corpori Christi ubiquitarij attribuant 28 f & 29 a
maiestatem suam Christus sæpè manifestis argumentis declarauit 93 b
maiora qui dat, cur neget minora 56 f non uerum uniuersaliter 57 a
malus nullus, inquit Origenes, potest illum cibum edere, qui uiuificat 100 e
malum faciendum non est, ut inde eueniat bonum 1481.1482
manichæi & alij hæretici quasdam nuptias impuras iudicarunt 1495. 1496 filiorum procreationem in suis matrimonijs cauent 1518 d nugabantur Christi corpus in cœlo esse depositum 76 d uetus Testamentum exploserunt, & ex nouo quoq; expunxerunt, quæ minus placuerunt 1037 b
manichæos Augustinus audiuit per nouem annos 1518 d
mandatum & uerbum requiruntur in Sacramentis 419 d
mandata Dei non ostendunt quantum possimus, sed quid facere debeamus 1435 b
mandata Dei uel ad omnes uel aliquos tantùm spectant 1380 a
manducandi modos tres statuit Gardinerus 552 b.c
manducare carnem Christi qui uerissimè sit 235 b corpus Christi quid nam sit 127 e
manducare corpus Christi, est figurata locutio, & proin etiam illa, Accipite, manducate, hoc est, &c. 303 e
manducare corpus Christi, & manere in Christo, conuertuntur 305 f
manducare, est reficri 887 a
manducare corpus Christi qui nam dicantur 880 d
manducatio alia propria, alia metaphorica 127 e carnis Christi nunquam est infructuosa 819 b.c realis & substantialis, consequens hoc habet, ut uel cruda, uel cocta comedatur. 362 b
manducatio carnis Christi unde luculentissimè sit discenda 355 b
manducatio Christi spiritualis nulla est, quæ non sit salutaris 550 f
manducatio corporalis & spiritualis, aliquando coniunguntur, aliquando disiunguntur 550 e
manducatio corporis Christi duplex est Augustino 3061 1278 b
manducatio Metaphorica quæ sit 543 f Papistica carnis Christi nullo modo potest esse spiritualis 366 a propria, & eius effecta 862 d spiritualis quid nobis conferat 275 b
manducatio spiritualis quomodo externo subsidio sensuum iuuetur 1094 a uera corporis Christi quomodo fiat 308 b ueterum carnis Christi qualis fuerit 238 b ueterum & nostra quomodo differant 134 b.c
manducationis corporis Christi certissimum signum 101 d modus animo, spiritu & fide constat 363 a quæ sit per fidem, fructus 386 d. e
manducationi externæ & internæ datur corpus, quod tamen utriq; congruit 862 f
mãducationem metaphoricam probant Papistæ in cœna 360 b
manducationem spiritualem duplicem esse 550 f
manere in Christo, est comedere & bibere carnem & sanguinem Christi 560
manes liberum arbitrium exterminabat 1239 a
manes sub Aureliano anno 212 uixit 1561 f
manna & aqua symbola ueterum 148 f
manna & potum patres in deserto diuerso effectu sumpserunt 885 c
manna qui uera fide fruebantur, spirituali etiam cibo fruebantur 888 a
mannæ & corporis Christi collatio 791 d
mansio cum Christo, est edere Christum 1268 e

manſio ſanctorum ubi 4 c
manticam reſpice, quam in tergo geſtas 290 b
manus Domini quid interdum ſignificet 157 d 160 c
marcella fœmina ſancta 88 d
marcion carnem à Deo malo factam aſſeruit 5:6 c
marcion oppugnatur, ſi panis tollatur ab Euchariſtia 722 b.c
marcionis firmamentum ad ſtabiliendam ſuam hæreſin 634 d
marcionis tranſubſtantiatores maximam occaſionem præbent 450 b
marcionem confeſſum eſſe Chriſtum eſſe filium ueri Dei 526 c
marcionitæ bonas creaturas à bono Deo eſſe conditas negant 722 d
marcionitæ phantaſticam carnem Chriſti imaginantur 243 f
marcionitarum error de carne Chriſti 631 c
marcus Antonius orator eloquentiſſimus 998 b
marcus quidam impoſtor apud Irenæum, qui ſacramento Euchariſtiæ illuſit homines 725 b 1563 b.c
mare apertum contra naturæ ordinarium inſtitutum 190 b
mare rubrum quomodo umbra 166 d
rubrum uirgæ Moſis ceſſit 9 f
maria mater Domini quærit quomodo iſtud fiet, ſecus quàm aliqui blaterent non eſſe quærendum 361 c peperit hominem hypoſtaticè coniunctum Deo 36 c poſt partum quare uirginitatem amplexa ſit 1375 d
maria uirginitate an fuerit uiolata 1346 c
maria uirgo Deipara 31 f non uouit perpetuam uirginitatem 1345 d 1609
maria uirgo uehementer eſt mirata 449 b
mariæ perpetuam uirginitatem tanquam traditionem non repugnantem ſacræ Scripturæ admittimus 1376 d
mariæ uirgini nulla lege fuit præcepta uirginitas 1375 d eius autem uirginitatem qui nam hæretici in dubium uocarint 97 d
mariam ſancti θεοτόκον appellare nõ dubitant 36 b
mariam uirginem quare uoluerit nubere Deus 1345 e 1346 e
mariti pij officium 1405 d.e
martyr conqueritur meliorem ſuam ætatem ſe in tenebricoſis ſpimis contriuiſſe 304 d
martyres Deo multò plura offerunt, quàm uirginitatẽ uouentes 1459. 1460
martyres innumerabiles occiſi, antequam illis licuerit ad ſacram Euchariſtiam accedere 274 d
maſculinum genus refertur ad hypoſtaſin, neutrum ad naturam 65 c
materia à forma longè ſuperatur dignitate 610 d
materiam in nihilum Deus nunquã redegit 702 d
mathematicæ cogitationes quæ nam ſint 17 b
mathematicis cogitationibus doctores orthodoxi in negotio Euchariſtiæ neutiquam utuntur 17 b
mathematici multa abſtrahunt, quæ tamen reuera non exiſtunt in rerum natura ita ſeparata 215 f
matrimonium cum ſpiritu eſſe poteſt & cum litera 1582 f eſt myſteriũ magnum inter Chriſtum & Eccleſiam 224 e in cœleſti patria tolletur planè 529 f legitimum quomodo fiat 1627 d
matrimonium miniſtrorum ex quibus fontibus colligatur 1507 c non omnes relinquere poſſunt 1335 d non referri inter opera carnis, colligitur ex Epiſtola ad Galatas 1621 a pium longè maiores habet difficultates, quàm uitam cœlibum 1403 f poſt uotum initum Auguſtinus uult eſſe firmum 1358 g quas nam moleſtias ſecum adferat 1358 f
matrimonij abdicatio cur ſummæ perfectionis res eſſe non poſſit 1400 f
matrimonij, an uoti fortius uinculum ſit 1631 d
matrimonij genus quod nam Baſilius inceſtum nominet 1568 a.b nexus indiſſolubilis eſt citra ſcortationis cauſam 1391 c
matrimonio coniuges ſibi mutuò tradunt poteſtatem corporis 1345 c
matrimonia Apoſtoli probarunt, Papiſtæ prohibent 1964 a
matrimonia poſt uota cõtracta, qualia uideantur Auguſtino 1609 f
maximino Arriano Eraſmus librum quendam Chryſoſtomi adſcribit 806 b
medeæ crudelitas 435 f
medici boni officium 840 c
melchiſedecus quomodo Chriſti umbram geſſerit 253 e
melchiſedeci oblatio 248 d
melchiſedecum panem & uinum nõ obtuliſſe Deo, ſed Abrahamo & exercitui eius 250 d
melchiſedecum ſacrificaſſe non legitur alicubi 507 b
membra Chriſti & membra meretricis non poſſunt ſimul eſſe 101 c
membra Chriſti qui non ſunt, non manducant corpus Chriſti 101 c
memoria & præſentia oppoſuntur 197 e 1317 d
memoria excitatur ab ijs quæ ſentiuntur 1005 d
memoria præſentiam rei non requirit 136
memoriam & præſentiam Bernhardus opponit 136 f
mendaces puniuntur 1344 d.e
mendacium à ueritate quantum diſtet 1238
mendacium grauiter punit 1345 d
mendacia forſitan ſunt opinionis, non autem fidei 595 b.c
mendacia ſe uehementiſſimè impediunt 615 c
menſa Domini alia cibi eſt, alia lectionum dominicarum 546 f
menſa ubi cœna Domini celebratur, non eſt altare 378 d
menſæ dominicæ participantes, quidam ad uitam participant, quidã ad mortem ibid.
menſæ fecit mentionem Paulus, non altaris 1075 e
menſam Domini patres ſæpe nominant altare 777 f 780 d
menſam ſacram quare patres altare nominauerint 835 b
mens animæ à quibusdam fuit ſtatuta in Chriſto ipſa deitas 1241 g
mens de priori cogitare poteſt, non attendendo quod ſit poſterius 203 e.f noſtra in Euchariſtia quid amplectatur 316 a ſacramentis & uerbo excitatur, ut in cœlum ſubuehatur 248 d
mentis inſtauratio in corpus redundat in Euchariſtia 254 b
mentus, non uentris cibus, eſt corpus Chriſti 360 d
mentis tantum eſt uſugatio 30 d
mentem, non uentrem paſcit Euchariſtia 400
mente ſimul in terra & in cœlo nunquam eſſe poſſumus 815 c
menſis unus: menſis dies una, & prima dies menſis quid 1376 b
menſura non poteſt ab humano corpore eo incolumi tolli 6:4

mentiri non est obsequi fidei 390 b
mercurij uerã uiã ostendentes 1003
meretrix profunda fouea 1404 a
messias ex regio statu Salomonis natus 1438 b
messias nasciturus ex ui Spiritus sancti, non seminis uirilis 1375 b
metaphoræ sunt in uocibus edere & bibere 366 e
in Metaphoris finis dicentis est spectandus 1335 e
metaphysici multa abstrahunt mente, quæ tamen reuera non existunt 215 f
methodus quænam ab Aristotele in posterioribus Analyticis præscripta sit 1224 e
metonymia in uerbis, Hoc est corpus agnoscenda 935 d
μετουσίαν adhibent papistæ ad tuendam præsentiam corporis in pane 2 d
midæ omnia suo tactu in aurum uertit 272 g
millenariorum figmentum de reditu Christi in terras 1554 f
ministra Dei quicquid ad populum agit, id uel ad dogmata pertinet, uel ad mores 1551 d
ministri coniugati commoda in matrimonio 1493. 1494 mali sepe in nouo Testamento prædicarunt & baptizarunt 1374 d sanctiores esse debent cæteris omnibus 1529 f uerbi quare se subducere debeant ab omni periculo mortis 117 d
ministrorum authoritas si minuatur, ipsi Dei uerbo fit iniuria 1219 matrimonia sunt legitima 521 d
ministeriũ nemo attingere potest, nisi cœlibatum foueat apud papistas 1394 e
ministerij alternatio in ueteri Testamento quare instituta 1531 e.f.g contemptus in Dei cõtemptum redundat 1219
ministeriò etiam malorum Paulus est gauisus 1374
minor angelis quomodo dicatur filius Dei 108 a
minoris argumentum 12 f
minora affirmandi non suppeditant ualida argumenta 771 e
mirabilia Scripturæ dum recitat Augustinus, non facit mentionẽ transsubstantiationis 439 d
miraculosè quæ in terra fiunt in corporibus hominum & animantium, non confirmant ubiquitatem corporis Christi 94 d.e
miraculum in Eucharistia quódnam sit 443 d interdũ est patrib. quod ui humana effici non potest 602 b uerũ uel sensu, uel ratione, uel Scripturæ testimonio intelligitur 439 e
miraculi uocabulum ut semper propriè sumitur 443 b
miracula circa Baptismum 1047 a
miracula faciendi uim natura Christi humana à diuina accepit 47 d in uniuersum omnia quomodo probari possint 439 d non eduntur, ut occulta lateant 441 g non sunt humana ui facta 511 e nulla recipiũt fideles, quæ nõ à sacra tradantur scriptura, uel sensuũ ministerio cõprobentur 484 c omnia in sacris literis tradita pij credũt 199 c quare multa fieri possint circa corpora humana, nec tamẽ inde effici ut illa ubiq; sint 93 f quæ circa Eucharistiã aliquãdo contigerũt, meræ fuerũt præstigiæ 725 c quæ scriptura inducit, credenda sunt, nõ autem fũlsa effingẽda 1287 a tribus modis fieri posse 1046
miraculorum finis quis sit 441 f.g
missa Christi institutionem destruit 403 d nõ rectè dicitur cœna 676 a unde nomẽ traxerit 403 e
missæ uox in Sacris literis non inuenitur. ibid.
missarum blasphemi abusus. ibid. f
missarum nundinationes 140 priuatas magni faciunt Missas papistæ 162 e
missificatorum execrandi abusus circa Eucharistiam 422 f
modestia ubiquitariorum erga fratres 138 a.b
modista quis sit 155 f
modistæ arguti 280 c
modum quærere in rebus diuinis solebat Christus, sancti Dei, patriarchæ, Maria mater, & patres 361 b. c. d
monacha aliquando regina & uxor facta est à Papa 1461. 1462
monachatũ iuuentes iuxta quásnam regulas uoueant 1459. 1460
monacho aut clerico postquã uouerit satius esse scortari quam matrimoniũ contrahere, est uox horrenda 1495. 1496
monachis connubia non licere quo sensu uerum esse possit 1593 e
monachos uocat Hieronymus filios prophetarum ueteris Testamenti 1373. 1374
monasteria mollissimis ergastulis conferuntur 1365. 1366
è Monumento clauso Christũ exijsse nec Euangelista nec ullus patrũ dicit 98. a. 200 b
morborum curandorum modi incerti sunt 487 a
morositas non conuenit pio marito 1405 d. e
mortale & immortale adesse et abesse potest citra corruptionem humanæ naturæ 24 a
moralia omnia ad præcepta pertinẽt 1451 e
mortaliter quo magis quis peccat, eò magis à uera fide recedit 1353 b
mori quia Deus non potest, nõ ideo non omnipotens 6 a
morlini uox 112 e
mors æterna non habet in eos potestatem, qui fidem infirmam habent 1019 e Christi ab infinito præceptorum onere nos liberauit 1365. 1366 in corpore residet, ad animũ non habet accessum 40 a ubiq; nobis imminet 59 c
mortis Christi commemoratio præcipuus finis Eucharistiæ, qui impeditur transsubstantiatione 665 e
mortis Christi fructũ quomodo percipiamus 410 a meritum, fructũ & gratiam nos percipere in cœna falsum nõ est 129 c uis Eucharistiæ sacramento significatur 458 c
mortem Domini annunciare donec ueniat, indicant absentiam corporis 344 d
mortem Domini in cœna quinam celebrent 1196
mortem ex corpore oriri 40 a sepius optare nos decet 1532 e uidere, in epistola ad Hebræos quid significet 202 a
mortificatio carnis & eleemosyna ad quænam duo capita referantur 711 d
mortificatio nostri ipsius summa est perfectio 1404 d
mortificationẽ carnis quomodo Paulus sacrificia nominet 1035 b
mortuus & non mortuus quomodo dicatur filius Dei 108 a
mortui nihil eorum rerum quæ apud nos fiunt intelligunt, nisi quantum Deus illis uoluerit ostendere 123 e
mortuorum inuocationem scriptura improbauit 123 d
mosaicæ cæremoniæ satis obscurè Christum repræsentarunt 133 c.
moses adfuit Christo 91 f

uxorem habuit & liberos 1593 a
mosis administratio quatenus fuerit tota typica 223 a corpus quomodo latuerit 692 e
mosis & Christi comparatio quòd illius administratio tota fuerit typica, huius autem realis, absurda est 222 f. g
mosis vultus tanto fulgore fulget, ut Israelitæ oculos in illũ intendere nequeant 94. a eius lex de primogenitis 96. e
motus cœlestis nullus finis 94. b. c localis non potest fieri momento, sed necessum est ut habeat successionem 114 d
motus localis non nisi in loco fit 25 b
motus natura tẽpus antecedit 203 d
motus praui omnes quónam præcepto damnentur 1488 b
motum statim consequitur tempus 203 d
moueri de loco in locũ Deo nõ communicatur 35 c
muliebris infirmitatis ratio est habẽda 1347 a
mulier in matrimonio duo capita habere potest 1582 b
mulieres quæ fluxum menstruum patiebantur, in lege fuerunt immundæ 1531 g
mulierum grauidarũ pericula & labores qui 1571 b
mulsi similitudo non facit ad cœnam 313 b. c
mundicies muliebris, cuius Achimelech mẽtionem facit apud Dauidẽ, qũænam fuerit 1533 b
mundus aliquando uictum corporalem, & rei fæmlinaris curam significat 1405 b per Christum factus, sed forma Dei 554 Spiritũ sanctum non potest accipere 208 e
mundi significatio duplex in sacris literis 1567 a. b uocabulum aliquando prauas cupiditates aut libidines significat 1405 a
mundum quomodo Christus deseruerit, & non deserucrit 102 b
mussitatio in Missa impugnatur 257 b
mutatio apud patres tãtum mutationem sacramẽtalem significat 949
mutatio aquæ in uinum nihil similitudinis habet cũ sacra cœna 446 d
mutatio distinguitur 1314 a
mutatio nostra in Christum quomodo fiat 1285 b eadem in Christũ arctissima 287 f
mutationis sacramentalis confirmatio 1316 a. b
mutationes physicæ hoc habẽt, ut id quod mutetur maneat quoad subiectum 1281 d
mutatur etiam id quod fit 953 b
myringa sensiteriũ auditus est 116 d
mysterium græcis est quod latinis Sacramentum 363 e
mysterij cõditio est ut significet 192 b modus, significationis modus est 363 e
per Mysterium carnem Christi comedere quid sit uerè 363 d
mysteria populi ueteris uehementissimè admiranda 774 d
mysteriorum omnium diuinorum signa non sunt prophana 145 g
in Mysterijs plura dicuntur quã proposition recta possit ferre 224 e. f
mystica benedictio à sanctificatione non cessat 838 c
mysticè concedere quid 246 a
mysticũ corpus Christi quódnam sit 879 a
mysticum sacrificium quódnam dicatur 462 c

N

NAaman Syrus sanatus cum lauisset se in Iordane 533 d
nadabus atque Abius quare puniti 1013 e
natura aliquando significat ingeniũ & proprietatem 937 a
natura apud bonos autores sæpè proprietates significat 601 a
natura Christi humana ab ascensu in cœlum usq; ad aduẽtum nullibi est, nisi in cœlo 150 c circumscripta uideri tantùm potest 9 c diuina animæ Christi hypostaticè fuit unita 27 a cerni nequit 9 e Christi humanitati quomodo distribuat suas facultates 47 c filium hominis assumpsit 21 d nec comedi nec bibi potest 985 b diuina omnibus rebus adest 395 a si admitteret sectionẽ, intelligeretur corpus 860 b simplex & incomposita 9 e
natura filij iræ quomodo dicamur 455 g
natura humana Christi ubicunq; fuerit, semper in diuina gestatur & sustinetur 14 a continuò ab incarnatione non fuit in cœlo 92 e
natura humana in loco 11 a ita assumpta est à uerbo, ut illud de infinita natura nihil amiserit 695 b non potest fieri spiritus diuinus 17 e quásnam proprietates à diuina accipiat 47 d
natura in Christo utraq; est perfecta 809 c in nobis excedit personam, in Christo persona naturam assumptam 65 f in quibus una est, ibi persona non excedit naturã 65 f uacuum abhorret 48
naturæ ambigua significatio 21 f
auctor est Deus 211 f
naturæ Christi communicamus duobus modis 692 a quomodo simus participes 691. d 692. a
naturæ diuinæ immensitas finibus orbis non claudatur 18 d
naturæ diuinæ nos esse participes sacramenta nos certos reddunt 117
quomodo cõsortes fiamus 601 b. c
naturæ humanæ ueritatem quando papistæ tollant 945 a
naturæ leges si negligantur, aliæ contradictionem efficiunt, aliæ nonefficiunt 208 d
naturæ uox aliquãdo bonis scriptoribus significat proprietatem 455 g
naturæ utriusque non est eadem amplitudo, etiamsi uno hypostatico sit 20 f
naturam Christi humanam in Deitatem conuertunt ubiquitarij 30 a
naturam diuinam in Christo tanquã in domicilio resedisse Nestorius docuit 13 a
naturam diuinam nimium ab humana distraxit Nestorius 815 d
non posse mori confirmatur patrũ sententijs 38 b nusquam existere in Christo, nisi hærentem in persona diuina 36 f
naturam humanam simul in cœlis et in terra esse non posse 88 e. f tam latè esse ampliatam atq; diuina est, id falsissimum 10 d
naturam rerum peruertunt Papistæ 701 a
naturæ confusæ quo sensu dicantur Nazianzeno 42 d
naturæ duæ in Christo aliter coniunguntur, quàm in Eucharistia signũ & res signata 657 c. d
inseparabili coniunctione unitæ 18 b
naturæ duæ in persona Christi sic sunt unitæ, ut proprietates unius sic uni congruant, ut alteri conuenire nequeant 13 b
naturæ in Christo duæ unam, nõ duas personas constituunt 9 f
quantum distent & quomodo differant 43 d
naturarum confusionem Eutyches introduxit 10 d
naturarum cõfusionem non facit nomi-

minum confusio 33 b
naturarum diuersitas non euacuatur propter unionem 44 f
naturarum duarũ in Christo una est hypostasis 819 c
naturarum unitas non soluitur, etiãsi non animum proprietatum fiat ἀλλοίωσις 43 c
naturas in Christo duas sic esse coniunctas, ut nullo spacio loci separari queant quomodo intelligendum sit 57 e
naturas in Christo Nestorius diuisit 10 d
naturas intelligentia distinguere oportet, ut proprietates cuiq; naturæ applicemus 42 b
naturas Nestorius sic discreuit, ut duas personas ex eis fecerit 13 a
naturalem panẽ quare dederit Christus in cœna 1307 c
naturali necessitate Christus non fuit coactus mori 465 c
naturaliter cum Christo nos coniungi quomodo probetur 1117 c
naturaliter quare dicatur in Eucharistia 490 c
nauburgensis conuentus 138 c
nazaræorum uota 1333 d
nazianzenus eloquens orator 377 b
nazianzenus in ijs quæ de salutis nostræ causis agunt, cum iudicio est legendus 1584 c
nazianzenus inter Christi miracula non numerat transsubstantiationem 439 d
nazianzenus panem nominat ἀντίτυπον σῶμα 113 b
necessarium quid 203 e
necessitate qúanam corpus Christi in cœlo contineatur 876 c
nectarius Constantinopoli catechumenus & neophytus creatus Episcopus 1569 e
negando aliquando firmissima colliguntur argumenta 864 d
neocæsarienses Concilij Canon 1616 f.g
περιλυγέτης 168 e
neronis & papæ cõparatio 1542 d
nestorius à Cyrillo quomodo impugnetur 537 a
nestorius naturas diuisit 10 a. 36 a
nestorij cogitationes Cyrillus ἐξιτήλους uocat 829 c error quo fundamento oppugnetur 1 c
nestorium beatam uirginẽ solum hominem peperisse, testantur dixisse 12 f
nestorium non aliam coniunctionem agnouisse naturæ diuinæ cum humana quàm per meritum 36 a
oppugnauit Cyrillus 825 d
organum Diaboli nominat Theodoretus 1231 b qúænam synodus oppugnauerit 652 c
neutrum genus refertur ad naturam, masculinum ad hypostasin 65 c
nicena synodus secunda cultum imaginum confirmauit 1541 a
nicæni concilij epistola 946 f
nicephori autoritas non magni est facienda contra multos doctos & sanctos uiros 1231 f
nicodemi imperitia 92 b
nicolaus Episcopus Romanus, eius nominis primus, quando uixerit 285 e
nicolaus Romanus Pontifex stultissimus 542 d
nicolai filiæ uirgines permanserunt 1565 a
nicolai historia de zelotypia 1564 g
nicolaitarum secta 1565 a
noæ filijs Deus benedixit 312 e
noæ tempore octo homines arca uitam consequuti sunt 159 e
nominũ dissidia Apostoli sustulerũt, sed papistæ restituunt in Benedictinis, Dominicanis, Franciscanis 195 d
nominum mutatio non statim inuehit rerum mutationem 747 c
notio à sacramentis excitata manere potest in animis nostris etiã postquã absumpta sint mysteria 764 d
notione manente in animo aliquãdo ipsum signum abit 764 c
notitia prius esse potest absq; posteriore 203 e
notitiã naturaliter nobis datã Deus non destruit 699 a
noui Testamẽti litera occidi eos, qui non aduertũt quid spirituáliter dicatur 276 e
nox qua instituit Christus Eucharistiam ab hoc nostro tempore differt 323 c
noctis descriptio elegans Virgiliana 326 a
numeri libertas tropica 325 d
nuptiæ non sunt obstaculum ad pietatem 1593 a
nuptiæ secundæ in nullo ordine Christianorum sunt damnãdæ 1507 f
nuptiarum prohibitio doctrina est Dæmoniorum 1495. 1496
nuptias impuras iudicarunt Manichæi. ibid.
nuptias secundas excludere à regno cœlorum fingit Origenes 1570 e
nnptiaria in re Hieronymus grauiter peccauit 1613 a
nutrimentum nunquam est eo quod nutritur melius 526 a
nutritio nulla fit ex accidẽtib. 485 b
nutritione spirituali magis ac magis reficimur 227 g
nutritiua anima in hepate locum habet 120 f

O

OBedientiam Deo acceptiorẽ esse quàm sit castitas 1631 g
obiectum fidei 210 f
oblatio in Eucharistia ab omnibus communicantibus offertur 711 b
oblatio nostra & omnium Christianorum in Eucharistia qúænã sit 248 e oblatio quomodo fiebat 248 c.d redemptionis in Eucharistia quomodo fiat 379 c.f
oblationis & uoti accidentia communia qúænam sint 1346 d
oblationes ueræ qûænã sint, & quatenus Deo gratæ 250 f ueterum fuerunt umbræ nostræ Eucharistiæ 710 e
oculus est corpus lucidum 120 b ex Oculo plurimi radij effundi possunt 120 b
oculi fidi rerum spectatores 1138 sanctorũ martyrũ ui diuina corroborari possunt, ut ad Christum usq; ptingere posint 17. f. 118 a
odium flamma est uoluntatis 1223 e
odoratus sic famulatus sui officio fungitur, ut cæterorum sensuum officia sibi non adscribat 43 f
œcolampadius ab impuro Gardinero nominatur falsò hostis ueritatis 767 fortissimus heros 936 a piam & sanctã sententiã habuit de duabus naturis in Christo 109 g quare in Hesychio uerterit meditationem, nõ mediationẽ 770 a.b sanctus & innocẽs uir 1199 a uir integerrimus & doctissimus 288 d uir sanctissimus & doctissimus 840 b uult & docet illã carnem esse concedendã, quam Christus assumpsit ex utero uirginis 768 d
œcolampadij sanctitas, doctrina & innocentia 825 a
œcolãpadio falsò affingitur illã carnem, quæ data est pro mundo, nõ dari etiam in spiritualem cibum 768 c. 769 a
œcolampadiũ cõuitrijs scelestissimis tabula Gardinerus proscindit 824

imperitè carpit Gardinerus 1210 e
œconomia quam Christus exercendam susceptit per corpus, nõdum erit perfecta, si quotidie corporaliter ad pascendos in mundum redit 206 b
offerimus Christum, sed recordationẽ faciẽtes mortis, inquit Ambrosius 168 f
offerre Christum uel corpus quid sit 168 a
operatiua caro est 551 f
opus operatum detestãdum est 128 c
opus operatũ intelligunt illud quod peragitur, dum utimur sacramentis 559 a
opus uerè bonum quibus rebus perficiatur 1419 d
operaDei quæ naturalib. ab eo instrumentis perficiuntur, differũt ab ijs quæ tantùm eius spiritu eduntur, & ad eius regnum spirituale pertinẽt 1038 b præparatoria quæ ab hominibus nondũ conuersis fiunt, nullius sunt momẽti 1104 f quæ Deus in scriptura nõ expreßit, uerbo suo nõ possunt Deo placere 1273 a quæ nam Deo placeant, in lege declaratur 1492 a scriptura sacra duobus modis docet, quæ nam bona sint 1373 a. b. supererogationis sine contumelia Christi non poßũt defendi 1526 d
operum bonorum steriles & infœcundi quomodo fuerint significati in ueteri Testamento 1337 d
operũ radices atq; principia 1401 c
oracula prophetica sunt antiquiora Stoicorum figmentis 969 b
orationis formam pietas uel impietas non commutat 303 g
orationes nostræ duabus rebus constant 655 c
orbis astris destitutus inter habitationes sanctorum ac septem orbes erronum 80. e cœlorum extremus quare in loco sit 25 a. b
orbis extremus per centrum terræ est in loco 25 e ultimus quare non sit in loco secundum superficiem extremam 35 e
orbẽ extra octauum regio est felicissima sanctorum omnium 4 c
orbes cœlestes cessuri sunt sanctis ascendẽtibus in regionem uiuorum 98 c
planetarum singulis orbibus affixum indiuulsè astrum 11 e
orbibus cœlestibus locus non nisi per accidens conuenit 24 d
orientalis Ecclesia ad leges cœlibatus non est alligata 1495. 1496
orientalis Ecclesiæ ministri matrimoniũ possunt contrahere 1621 a
origenes fingit tertium quendam locum felicitatis 1570 e. f nimio studio castitatis flagrauit 1570 b quo anno uixerit & sub quo 1561 f quomodo panem & uinum nominet 113 a uixit sub Alexandro Mãmeæ 1570 b
origenem longo post tempore sequutum esse Iustinum 1561 f propter castitatem seipsum castrasse 150 b sæpè errasse 97 b originale peccatum nisi à Christo condonaretur, in morte æterna relinqueremur 148 e. f
orphanos quomodo Christus fideles non relinquat 201 d
orthodoxi qui argumentis utantur in Eucharistia 198 b
ὡς Aduerbium aliquando similitudinem significat 609 f
oscula diuidere 766 d
os duplex & signum et rem signatam percipit in sacramento 289 e
os ex oßibus Christi uerè dicimur nos sancti 130 a
os hominis duplex est 127 c nihil attingit in Eucharistia præter symbola 365 f nostrum in Eucharistia circa quid occupatum sit 335 c nostrum turpibus dictis quare polluendum non sit 535 a
ori corporis nostri nõ potest tribui actio spiritualis 360 b
ore hausta gargarismo reijcere 523 b
ore quæ percipiuntur, non sine sensu percipuntur 1298 e
ora communicantium usu Eucharistiæ sanctificantur 517 b
ossa Elizæi miraculo ornauit Deus 533 d ex oßibus Christi quomodo dicamur 233 d
ostium clausum an Christi corpus penetrarit 200 c quare Christus dicatur 223 b
ostij partes ui diuina cedere potuerũt donec trãsiret corpus Christi 200 d
ostia clausa præsentia Christi cesserunt 97 f
oua ex qua gallina nata sint, dijudicare potest 1304 f
ouis uesci Pythagoras non permisit suis discipulis 1423 c
oza cur indignè fuerit occisus 574 a
ozias cur lepra percussus ibid.

P.

PAbuli diuersa est ratio 197 e
pædobaptismus ex sacris literis astruitur 1375 d. e
παίγνια ὀρωτημάτων 641 b
palato in Eucharistia quid gustemus 539 b
παλινῳδεῖν non assueuit Martyr 1422 b
pallium Eliæ Deus miraculo ornauit 53 .d
pandoræ pyxis 139
paneitatem manere quidam papistæ dicunt 472 a
panis aliquando περιτρίβεσιν opponitur omnibus generibus ciborum 349 f apud Iohan. sexto cap. quid significet, qua item analogia caro panis dicatur 219 g aptißimè symbolum cõstituitur nobilißimi alimẽti spiritualis 135 f cœlestis spirituali ore manducandus 100 f corpus dicitur, qa corporis signũ, inquit Cyprianus 237 c. d panis Domini quẽ carnẽ suã nominat, quomodo ejus sit salutaris cibus 135 f
panis Domini est corpus Christi 670 c
panis est corpus, conuersio est illius propositionis, quæ habetur Ioan. 6. Caro mea est panis 135 f
panis est corpus Domini figura & significatione 751 d. e est typus corporis 137 b etiã suas proprietates habet, quibus cõmodè referre potuit corpus Christi 789 d
panis & uinũ cur à Domino mystice discipulis data 237 a in Eucharistia non sunt prophana esca 245 f quare corpus et sanguis Christi dicantur 102 a ueteribus eti ã Christũ adumbrabant, sed alia ratione quã nobis 218 d
panis Eucharistiæ, & manna in ratione sacramenti conueniunt 838 b quo sensu dicatur salutaris & uiui ficus 933 a in cœna quare sit corpus Christi, & quomodo 242 f
panis in Eucharistia assumptus in os, nullam in ore uel uentriculo nisi naturalem mutationem patitur 244 f plus est quàm uulgarũ, proin Paulus dicit hũc punẽ 348 b quãdo fiat sacramentũ 116 c quomodo mutatus dicatur 455 f in ueteri testamento erat figura huius sacramentalis panis 671 a. c mane panis iuxta papistas usq; ad pronũciationẽ finalẽ uerborũ 1238 f materialis & proprius fuit in cœna 307 d metaphoricus est corpus Christi 127 c. b 1306 b

panis mutatur in Eucharistiã, sed in sacramentũ corporis 244 e opti morũ fructuũ fœcundißimũ 226 a qualis fuerit quẽ Dominus accepit tempore cœnæ 1272 e.f quare ad nutritionẽ animæ faciat 254 a quare corpus Christi uocetur 171 d quare dicatur caro Christi 350 d quare dicatur consecrari 503 qui cõstat multis granis quid significet in Eucharistia 350 b qui est Christi corpus quomodo nos alat 274 f.g quomodo dicatur communio corporis Christi 231 g. 232 a quotidianus quid significet 1039 a.b triticens corpus Domini est, quatenus istius est sacramentũ 527 c ueterũ & noster panis sunt sacramẽtum, quæ quãuis genere conueniant differunt tamen specie 672 e cõuersionẽ in corpus Christi dicunt fieri in ultimo instanti uerborum Christi 646 a
panis & uini diuersa nomina, quomodo ad unam essentiam reducantur 237 b.c
panis fractus dicitur multis modis 704 c qnando fiat Eucharistia corporis Christi 708 f frustula plurima sunt idem panis 703 e
panis mutatio cum nostri mutatione à patribus confertur 4460 c
panis Paulus quinquies meminit in tractatu cœnæ 308 d substantia non est inuisibilis ut Gardinerus somniat 956 f.g per miraculũ non abest in sacra cœna 352 d
panis uocabulum Iohannis sexto nõ ad symbola referendum sed ad cibum spiritualem 553 c
pani & uino tam magnificam significationẽ imponere, in ea fideliter apprehensa, cõmunicantium animos pascunt ad uitam æternã Dei opus est 1025 e
pani Eucharistiæ imaginem crucifixi Christi imprimere nouum est inuentum 603 d quæ acciderint in sacra cœna 311 b
panem accepisse, benedixisse, fregisse, dedisse dicit Scriptura, non aũt corpus 311 a Christus uoluit esse instrumentum Spiritus sancti 268 d Deus conuertere potest in aliã creaturã, tamẽ in Eucharistia nihil tale fit 748 c Domini quomodo Theodoretus nominet 113 b esse corpus Christi nõ est impossibilis propositio 1310 a
panem & corpus Christi in Eucharistia Scriptura habet 1254 f in ultima cœna Christus discipulis suis dedit, sed corpori corporalia 932 f
panem & uinum conuerti in uim & uirtutem corporis Christi & sanguinis ait Theophilactus 989 a postquã iam consecrata sunt, per naturalem sui mutationem alere carnes nostras 707 c
panem Eucharistiæ Ambrosius dicit esse figurã corporis 264 a fermentatũ Græci in Eucharistia retinent 1236 a fieri gratiarum actionẽ tropica phrasis est, sicut & illa panẽ fieri corpus Christi 720 c in carnẽ potest conuertere Deus, quæritur autem an id uelit 281 e in Eucharistia manere ex uerbis Euangelistarum probatur 1238 b.c non debere reseruari etiam Clemẽs testatur in sua epistola 1085 quare papistæ adorent 200 b spiritualem quando nobis Christus dederit 254 e spiritualiter esse corpus Christi quo sensu dicatur 863 a uitæ qui comedunt nunquã recedũt à sanctificatione 750 a uiuũ manducare est credere in eum 10 f
panes propositionis in quánam fuerint dignitate 1040 e non facti erant ut ederentur 854 e
papa Alexander uotum continentiæ relaxat 1628 d
papa ex Monacho aliquando fecit regem & maritum 1461. 1462
papa Victor ueneno in Eucharistiæ calice sumpto perijt 479
papæ abominationibus resignare nõ est schismaticum esse 1400 c
papæ uota relaxant 1459. 1460
paparum tyrannidẽ Gardinerus promouit 141
paphnutius cælebs 1543 b in concilio Niceno se opposuit qui uoluerunt introducere clericorũ cælibatum 1319 d restitit in synodo Nicena ijs qui uoluerũt ministros arcere ab usu matrimonij 1497. 1498
Paphnutij historia 1543 b sententia tempore Syricij Romani Episcopi mutata 1546 e
Paphnutio æquatæ fuêre in sanctitate duæ mulierculæ 1365. 1366
Papias millenariorũ opinionem approbauit 1554 f
papismi fulmen terrificum est Doctor Lutherus 1415 d
papistæ abhorrent à portentosa doctrina ubiquitatis 2 b ad Eutychia nos proximè accedunt 455 d an eo modo sicut spiritus Domini docuit doceant annõne? 195 a.b à Pelagianis hoc se differre dicũt quod gratiam statuunt 1442 a cum Eutychianis colludunt 663 b ignorant quid fiat de corpore Christi, postquã corrupta sunt accidentia 692 d in sua Eucharistia nõ putant necessum esse adorationem in cœlũ dirigere 1028 d lege Dei lapidibus essent obruendi 1521 d meritò & uerè sunt nominandi sacramentarij 632 d non consentiũt, sed tamen contra ueritatem cõspirarunt 299 f non patiuntur laicos attrectare ipsam Eucharistiã 817 d omnes suas actiones & causas Eucharistiæ occultas habent 998 a quare Antichristi 387 c tropis quamuis eos repudient sæpissimè utuntur ad tegendos suos errores 1020 c.f uere Modistæ uel Modales appellari possant 416 b umbratici homines 275 d
papistis nihil deprauatius 2 a
papistarum auditores non ex uerbo Dei instituuntur 397 b
papistarum Eucharistia an uerius dicatur esse spiritualis, an nostra 939 a.b.c figmentum de corpore Christi ingresso per ostiũ clausum, & de resurrectione per clausum sepulchrũ 200 d fraus in sacramento Eucharistiæ 162 d impiæ cæremoniæ circa Eucharistiam 379 b ioculatorij lusus cum Christi corpore 372 c Μέτρωια detestanda ad quid prosit 2 a portentosæ uoces 370 a b
papistica doctrina nouum hominum inuentum 194 c.d
papistici erroris quoad transubstantiationem origo 231 d
parabola aliquando habet quod sit sensu proprio maius 223 c
parabolæ nunquam intelligentur nisi spectauerimus semper finem 1336 d.b
paradisus an sit in cœlo 27 d
paradisi mentio nulla fit in Græco contextu Ecclesiastici 44. cap. 201 d
paralogismus Accidentis 1346 c à Dicto secundum quid ad Dictum simpliciter 163 b. 1342 c à nõ causa ut causa 1338 d. 1489 d à secundum

dum quid ad simpliciter 1536 b
ignorationis Elenchi 1510 d
parentes esse honorandos 1382 d
prætextu diuini cultus non esse deserendos 1617 d
participatio Christi omnium utilissima 426 c
participatio corporis & sanguinis quidnam agat 558 f
participationem diuinæ naturæ dupliciter habemus 1124 a.b
parti negari non posse, quod toti sit concessum falsum est 343 b
pascha manducare est uox tropica 146 d
paschæ celebrandæ diuersa tempora 1510 a.b
pasci bibliotheca dixit Cicero quo genere sermonis etiam scriptura utitur 890 c
passibile, an impassibile corpus in cœna datum sit necne 1261 g
passibile & impassibile in eodē subiecto succedere póssunt 496 e
passibilitas & impassibilitas sunt naturales potentiæ & impotentiæ 499 e
passio tantū ad carnē pertinuit 40 e
passiones Christi nobis communicari per Eucharistiā, quemadmodum mors Christi per Baptismū mors nostra fit falsum est 867 a.b
de uerbo quomodo dicātur 41 b
passus est Christus summa uolūtate, nihilominus ait se pati oportuisse 875 d
pastores coniugati conferuntur cū ijs qui hodie suum cælibatū iactitāt 1495. 1496 Ecclesiarū possunt creari, etiamsi nō fuerint Diaconi prius 421 d
pastorū fideliū descriptio 1495. 1496 bonorū copiā magnā quare Smythæus esse dicat in papatu 1516 d
pater à filio licet sit disiunctus tamē pater sine filio nunquam esse potest 852 f etsi origine prior sit filio, tamen existentia non potest esse sine filio 204 c
quatenus maior filio dicatur 135 b
patris diuina uoluntas necessariò spiritū, sanctū spirat 876 b propriū est genuisse 43 d
ad Patrem ire quid sit 106 f
patre minorem esse humanitatis est 35 c
patres ex Aegypto in palæstinā profecti 815 c ferè semper rei nomē sacramentis adscripserunt 526 d
patres nulli docuerunt naturam Christi humanā omnia loca implere 2 b
omnes uolunt nos respicere tantùm ad Scripturā sacram 1552 a.b c.&c. qui manna fide comederent æterna morte non perierunt 800 b
patrū beneficia quibus in deserto afficiebantur tēperaria fuerūt 885 c.d dicta ῥαψῳδίᾳ est magna Smythei sapientia 1360 b dictis quibuslibet non est statim credendum 274 e sanctorum orationes quomodo intelligēdæ sint 161 c rectè si non intelligantur ualdè magnum subest periculum 931 f.g ubinam diligentissimè sint legenda 861 c
partibus quid & quantum deferendum 1552 c
pati & nō pati, ab homine salua eius natura & remoueri & ei rursus annecti potest 24 a
patrisfamilias pij studium & intentio qualis nam sit 1403 f
patrologus est non Theologus 241 e
paulus à Sacramentis tanquam à re nota sæpe sumit argumenta 309 b
dissentit à Petro non autem illum odio habuit 1223 f Doctor gentium 334 a etiamnum uota legalia dicebat se habere dissoluenda 1388 a in quo statu Christum uiderit 202 d post Matthæū scripsit 146 f quare caput totonderit, & uota susceperit 1455. 1456 quare manibus laborarit cum ex Euangelio uiuere potuisset 1380 g. 1381 a quo sensu dicat se non missum fuisse ad baptizandum 604 b c
rapitur in tertium cœlum 94 a
scandalum etiam cum suo periculo euitare uoluit 1376 f
sermone se imperitum fatetur, sed non scientia 408 a
paulus uxorem habuit, philippis reliquit, quare 1564 d.e
paulus Fagius 1532 c
pauli Apostoli authoritatem conuellit Hieronymus 1606 f
Zelus in Iudaismo 1018 g
paulus Dominus in templo apparuit 119 d
paulum præ certaminis studio testimonia quædā de ueteri testamento sumsisse quæ aliter sonent in suis legis diui Hieronymus 1606 f
uxorem habuisse utitur Clemens Alexandrinus 1563 f.g
1564 a.b.c
paulinorum locorum reconciliatio in quibus de uxore agitur an aliquam habuerit 1564 d.e
pauperem in cœna Domini Christū comedere quidnam sit 383 f
pauperes esse corpus Christi, quo sensu Chrysostomus dicatur 803 d.e
pauperes & oppressi pro nomine Christi sunt corpus Christi 151 a 269 b
pauperes sunt etiam corpus Christi 269 b
pax nostra est Christus tropica propositio 1255 e
peccatores & homines sancti nō differunt forma, sed tantùm proprietatibus 601 b
peccatum ineſſe potest homini, non tamen ei dominari 1489 a
peccatum in se non regnare quid sit 1434 f non regnare aliud est, quam peccatum non esse in nobis 1487 a regnare in corpore mortali quódnam sit 485 f
peccati originalis fomes remanet in hominibus sanctis 686 c
peccati remissio non nisi in uoluntate Dei est 970 d
peccata non tantùm illa sunt quæ electione aut uoluntate committuntur 1486 b
peccata nostra merētur dissidia 138 e
non ita à diabolo pendēt ut bona opera à Christo deriuantur 590 f
peccatorum omnium stipendium est mors 560 b.c remissio res significata baptismi 970 c uaria genera 1485 e.f
peccatorum uenia antecedit externam manducationem 559 b
peccata clancularia quomodo Ethnici correxerunt 124 c
peccata ut euitemus non sufficit conscientiæ assensus 1418 d
pelagiani dona exspectanda esse dicebant 1585 g fingebant hominē adhuc nō regeneratū per seipsum posse uniuersam legē Dei seruare 1435 a
pelagianos Augustinus de libero arbitrio tractans scriptis æterna memoria dignis oppugnauit 1613 a
pelagianismi fulmen terrificū fuit ille magnus Lutherus 1425 d
pelagius quid rectè agendum fatem illustratione mentis opus esse aiebat 1419 a

præcessit Gregorium 1615 d quoque docebat facultates uolendi et agendi esse à Deo 557 b.c
penetratio corporis Christi ex Chrysostimo 1285 e
perceptio fidei spiritualis est 365 g
perfectio ab omnibus hominibus requiritur 1379 b ad Dei præcepta est referenda quicquid garriãt Romanenses 1398 b Euangelica in quo nam consistat 1400 f.g in hoc sita est ut Deo aliquid præcipienti obediamus 1379 d
perfectionis nostræ primæ partes Deo sunt adscribendæ 1363.1364
perfectionem à præceptis si distinguamus scripturam confundimus 1379 c
periurio quomodo quis liberari possit 1455.1456
pernicies uera quæ nam 1017 f
perniciem à pernecando deducunt 1017 f
persequutiones gradus sunt pijs ad felicitatem 1230 a
persona Christi non est discerpenda 517 c sic duas naturas in una hypostasi coniunctas habet, ut utriusque naturæ proprietates saluæ maneant 10 a
persona diuina quæ humanitatem sustentat patri est ὁμοούσιος in Christo excedit naturam assumptam, in nobis natura personam 65 f quæ naturam humanam assumpsit in cœlo & ubiq; fuit, sed non assumpta natura 92 e quare individua dicatur 18 a quid 17 f ubi supponitur attributa utriusq; naturæ ei conueniunt 66 a.b una Deus & homo est 28 a
personæ communia quæ sunt propria naturarum 33 a prædicationes, quæ tamen alteri naturæ non conueniunt, nisi quo ad uocem 40 f
personæ unitas non soluitur dum naturæ humanæ, proprietates diuinæ non tribuuntur 13 d
personæ unitas, sic est docenda, ne proprietates naturarum confundantur 13 a
personam in quibus nam phrasibus patres præcipuè respiciant 25 e in singularia diuidere non possumus ut Genus & Species 18 a
personalis prædicatio quæ & qualis 131 c
perturbatio animi uotum irritum fecit 1618 f
pesah agnum significat aliquando 225 c Domini transitus 146 d transitus dicitur, quia est monumentum transitus Domini 91 a
petendarum rerum distinctio 1417 c
petra fuit Christus 132 d spiritualis quare dicatur 862 d
petra rudis Christus appellatur 320 g
petra umbra erat ueteribus 165 f.g
petræ & corporis Christi analogia 791 d
petrus Martyr ab ineunte ætate pacis studiosus 140 à D. Luthero se multa didicisse fatetur 1479 a dolet se non posse ea facundia & eloquentia sacra tractare, qua mererentur 1414 b Florentinus 1414 b non suam gloriam sed Dei honorem suis scriptis quæsiuit 1219 nunquã fuit Carthusianus 1414 a nunquam uoluit librum scribere, in quo Regulas explicare uellet, ex quibus patres essent intelligendi 929 b.c omnibus illis se profitetur aduersari qui Christi corpus ubiq; statuunt 695 a
petri Martyris mos quem obseruet in scribendis & meditandis rebus seriis 1402 f sanctißimi uiri uotum pium 138 d scholastici labores 139
petrum Martyrem Gardinerus impudico ore ψευδομάρτυρα appellat 929 b
petrus Ecclesiæ columna 1593 c in mari ambulat 944 a
petrus Romæ 88 c uxorem Romæ habuit 1340 a ter Dominum negauit 118 f à Christo salutari pœnitentia diuinitus afflatus 118 f
petri coniunx abrepta ad supplicium, eius ad eãdẽ uerba ultima 1340 a exemplũ nil facit ad id quod Christus in Eucharistia sit realiter præsens corpore 206 g 207 a
petro simulachrum Christi ubi & quando oblatum 117 d quale illud sit 119 f
petrum uxorem habuisse 1593 c
petrus de palude 1632 f
phalarides noui 1501 e
phalerata argumenta 121 b
phanaticos ubiquitarij doctores orthodoxos nominant 3 a
phantasma certißimum quomodo Christi corpus efficiatur 295 b
pharisæi noui hoc tempore qui nam sint 522 a noui qui sint 370 b
φιλανθρωπία qua nos Christus persequitur nulla quantumuis diserta oratiõe potest explicari 804 f
philippus euanescit ex oculis Eunuchi 94 a
philippus Melanthon eruditione ac pietate ueteribus patribus orthodoxis non inferior 109 f in doctrina Eucharistica motus ueritate, quid de ubiquitate sentiret, candidè profiteri non erubuit 110 a
philippum Melanthonem Lutherũ sanctitate, scriptis doctrina, scholasticis laboribus adæquasse, si nõ uicerit 109 f scriptis suis æternum uicturum 1150 e
philippum Melanthonem transubstantiationem & ubiquitatem nominare portentosa dogmata quæ eruditæ uetustati fuerint ignota 1134 a
philippus Montanus uir latinè Græcéq; doctus 1199 b
philosophia humana cœlestẽ doctrinam corrupit 64 c manis deprædatur animos 1423 a quantum posit sibi sumere 1424 c
philosophiæ Christianæ amore quidã abstinuerunt à coniugio 1575 c non esse Dei cultum instituere 1424 c
philosophiam esse uerißimum pastũ animorum 890 c
philosophicorum rituum naturam si quis uelit cognoscere legat libros Augustini de ciuitate Dei 1423 c
philosophus purus de Eucharistiæ sacramento nihil credit 612 d
phocacùm regnauit mysterium iniquitatis uerè se manifestauit 1544 a
phocius Græcus interpres Pauli 1455.1456
physica mutatio in sacramentis nulla est 949 e
physicum corpus ab hypostaticè unito cum diuinitate non discreuit Augustinus 26 g
physicum hominis os ad quid nam prosit 127 c
pictauiensium Episcopus quis 1584 c
picturæ quæ in templis adorantur sunt Accidentia 1020
pinytus Episcopus Guonsiorum 1562 a
piorum facultates quare spiritus sanctus citò uoluerit expẽdi 1344 b
piorum hominum exemplo quod fit bene fit 139
piorum potentia 190 b

planetæ duo si eadem celeritate mouerẽtur maxima sequeretur perturbatio in rerum natura 030 c.d
plato quid de anima rationali statuat 120 f figmentum de animalibus in hanc uitam uenientibus 1448 b
platonicæ Reipub. custodes nihil habuerunt proprij 1340 c
Plinius testatur Christianos horis antelucanis hymnos cecinisse Christo 194 b
poculum bibere tropica phrasis est 146 d
poculum Domini nullum habet colorem uel saporem sanguinis humani 279 a b
pocula in ueteri Testamento erant quibus libabant 273 f
pocula Leuitica quomodo sanguinẽ Christi continuerint 279 c
podagricus homo sanatus fuit in Baptismo teste Augustinõ 1047 d
pœnæ sacramentorum abusum subsequentes non statuunt præsentiam realem corporis in ijs 1016 b
pœnitentia salutaris diuinitus afflata 118 f
pœnitentiæ iudicia 1382 d
poetæ quod pocticum non est asseruantur 309 a
poli Soli fixi & mobiles in cœlo 74 d
pollicitationi suæ in danda carne quare Christus symbola adiecerit 235 e
pontifex maximus unius uxoris uir 1551 d
pontifex non dici potest qui uictimã non offert 258 d
pontifex noster ubi sit scriptura docet 126 e
populus Christi tempore Ambrosii, Augustini rarus non erat 389 e
populum imperitum quomodo patres imprudenter in Idololatriam impulerint aliquando 1043 c
posse & non posse aliquando uelle, & non uelle significare 1427. 1428
posteriora à prioribus secundum Aristotelẽ non possunt diuidi 204 e
potentia diuina quadam fieri nõ possunt, non quidem ex eius defectu, sed rerum natura 19 b
potentiæ Dei nihil detrahitur cum illum peccare posse negamus 29 c
potentiæ Dei est panem & uinum mutare, ut sint Sacramenta quæ antea non erant 1037
potentiæ diuinæ argumenta admodũ periculosa ad confirmanda dogmata dubia 45 f 54 a
potestatis Christi non est omnia loca implere, sed potius pernicies humanæ naturæ 29 c
potestatium unum quid 121 a
potus sanguinis Christi est quasi incorporatio quædam 1268 e
potus sanguinis Christi unde luculentissimè sit discendus 355 b
practica laboriosa est 551 f
Praxeas hæreticus defendit Deum patrem sibi ipsi esse filium 702 a
præceptores quam ratiõem sint Deo reddituri 1412 d studere debent perspicuitati 139 præceptum non concupisces quomodo à Smytheo explicetur 1487 e.f non consiliũ fuit quod Christus secuti se iusserit Adolescentem 1379 f
præceptum primũ quod habeat retributionem 1382 d
præcepta Dei per futurum indicatiui modi nobis proponi consueuerunt 1435 b omnia hanc habent adiunctam conditionem si salui et perfecti esse uelimus 1380 a sunt considcranda ratione obedientiæ nõ rei quæ ibi iubetur 1459 1460
prædestinati alij ad uitam, alij reprobi 1583 c
prædestinati mera Dei bonitate ex communi corruptione sunt erepti 1583 d omnes congregari possunt 1442 f.g
prædestinatio diuina fons & caput nostræ salutis 1112 d.e
prædestinationem Dei electorum ad salutem Ecclesia credit 441 d
prædicatio personalis quæ 131 b qua idem de seipso eadem uoce dicitur est inutilis 299 b recta unde depromatur 326 b
prædicationem uerbi Dei ferè nihili faciunt Papistæ 420 e
prædicationum formæ tres 131 b
præscriptioni quantumuis antiquissimæ, contra scripturam nil deferendum 240 c
præsens adesse corpus nec locum occupare mendacissimum est 210 a
præsentes res non celebramus memoria, sed illis fruimur 344 f
præsentia Christi alia corporis, alia maiestatis 845 a
præsentia Christi carnalis spiritualẽ profectum impedit 1267 d
præsentia corporis Christi in cœlo, ex Diametro pugnat cum eiusdem præsentia in sacramento 815 b
præsentia corporis et sanguinis Christi, alia est personalis ubiquitaria, alia cœlestis, alia definitiua uel consecrationalis 99 c
præsentia corporis opponitur præsentiæ maiestatis 877 b
præsentia & memoria differunt plurimum 156 f
præsentia fidei, quæ facit illa esse præsentia quo ad Spiritum & animum credentium, quæ locorum spacio maximè distant Christus in cœna est 93 e realis & spiritualis corporis Christi non eandẽ rationem habent 210 c nullam habet utilitatem, quam non secum adferat spiritualis 425 c significationis ac fidei 209 b
præsentiæ opponitur memoria 198 a
species uariæ dari possunt 201 c
præsentiam aliam carnis aliam maiestatis statuit Christus 204 d itemq; aliam esse perpetuam, aliam interpolatam est monstrosa distinctio 879 c
præsentiam corporis Christi quadruplicem statuit Gardinerus 880 d
præsentiam ex memoria nullus Dialecticus colligere potest 265 d
præsentia corporis Christi abest 1039 g maiestatis Christus à nobis non recessit 204 d
præstigiator ab omni hominum societate explodendus 171 d
præstigiatores sunt qui corpus Christi spoliant terminis, figura, membris 176 f
precari pro impijs et incredulis Christus & plurimi sancti solebant 430 d
precatio Petri Martyris contra horrendas abominationes Papisticas 1217 c 1218 a.b
precatio regis Iosaphat 137 e
precationis forma quæ in disputationibus adhiberi potest 1126
preces Iosua cohibuisse solis cursum contra ordinarium naturæ institutum est factum 190 b
preces nostræ continuandæ etiamsi semper id fiat quod petimus 1095 f piorum efficaciores sunt in sacro cœtu 377 f incredulis prosunt 430 c quando sine conditione ad Deũ sint dirigendæ & quãdo cum conditione 1437 c.d quomodo dicantur ad memoriam Dei ascendere 158 d seriè apud Hebræos aliquando suscipiebantur 1534 e

preces ueræ et efficaces quæ nã sint 7.1 c
precum efficacia 190 b
presbyter triduo nil concedens præter Eucharistiam 486 a
presbyterum neminem posse ordinari nisi prius fuerit Diaconus, falsum est 42 b
presbyterorum & episcoporum ordines diuersi non sunt 421 f
primasius discipulus D. Augustino 147. 1472
primogẽita in ueteri Testamento nemo potuit fouere 583 a secundũ legem non fuerunt hominis, sed Dei 383. 1384
primogenitis ante legem duæ partes hæreditatis semper legatæ fuerunt 435 a
primogenitus noster frater est Christus 170 f
principium malum à quo ea quibus utimur, fuerint condita, fingunt Valentinus & Martion 251 b
principia naturæ non sunt conuellenda, nisi testimonia S. scripturæ eò adigamur 15 d
principum quorundam pietas maior quàm Theologorum 138 c
prius absq; posteriore esse posse 202 g
probationẽ sui ante Eucharistiam multo seuerius requirunt sancti in Ecclesis reformatis, quàm papistæ 397 a
processionem spiritus Sancti à patre & filio Theophylactus redarguit 285 f
procreatio liberorum non est causa salutis 1571 a
proteũ agit sæpe Gardinerus 209 c
promissio Christi Ioh. sexto qualis sit 1308 e
promissio nulla est qua Christus promittit se realiter corpore nobiscum futurum 203 d
promissiones nobis Christum tam efficaciter adumbrant, ac ipsa Sacramenta 735 d quæ sequuntur rerũ perceptionem corporis et sanguinis Christi 1076 c requirunt notitiam iustam earum rerum quas promittimus 1463 a
prophetæ non est credendum si ad idololatriam incitet 274 e
prophetæ Christum clarius uiderunt in suis typis quã plebecula communis 133 c
prophetæ & lex qualia Sacramenta habuerint 294 b
prophetæ multa ridicula dixerunt an idola uana 623 d quare dicantur uidentes 42 e ueteris testamenti adũbrarunt Apostoles et ministros noui testamenti 671 c
prophetarum filij in ueteri testamento arcto uictu & aspero cultu usi sunt 1373. 1374
prophetia, genera linguarum uis edẽdi miracula, illa non sunt ad salutem necessaria 1431 c
propositio necessaria quæ 203 e
propositionis panes cur à facie uel ab aspectu sint nominati 854 e
propositionis panes per accidens fiebat ut comederentur 854 f
proprietates omnes non tantum uerbaliter, sed etiam reipsa inter se communicari, docent ubiquitarij 132 a quædam de subiecto prædicantur, sed reipsa utriq; naturæ non communicantur 31 a quæ nam uerbotenus tãtum communicantur, cum reipsa naturis non cõueniant quasdam Deus suis creaturis communicat 777 c
προσηυχέσι etiam dicuntur credere 3356 b
προσλαβαλεῖν quid 1350
πρωτοσύγκλητος prægustator ibid.
prouerbium uulgare de beta interrogatus, respondet de cucurbita 83 e
prouidentiæ diuinæ cõsilia in uirgine Maria 1347 a
proximum sicut se ipsum diligere quod nam uerè sit 1377 c.f
ψευδομαρτυρας impiè quos nominet Gardinerus 198 a
pseudoprophetia quæ sit 387 a
pseudotheologi qui nam reuera sint 1223 b
psychici qui nã dicãtur Tertulliano 1569 c
pudicitiæ illibatam famam iuuenis quidam magno periculo sibi redimere uoluit 1550 f
pueri Christianorum sine communione sanguinis Christi non moriuntur 357 a impuberes regulis iuris iubẽtur abstinere ab officijs ciuilibus 932 b
purgationes per sacrificia & familiaritates dæmonum Porphyrius instituit 1423 c
purgatorij inflammator fuit Damascenus 208 e
purpuræ regiæ similitudo 474 a
pythagoras quos nam cibos suis non permiserit 1413 c
pythagoræorum ἀξίωμα 1396 f

Q

QValitates nouæ & mirꝫ in corpore esse possunt manente illius substantia 95 a pro locis habent subiecta 1246 c
qual itatibus sublatis à corporb. non amplius erunt corpora 612 f
quanta duo in uno loco ponunt papistæ 484. d
quærere licet quomodo hoc uel illud fiat 208 f
quæstiones ineptissimæ de Eucharistia 937 d præcedere debet fides 270 b prodigiosæ de cœna Domini uitandæ 112 f
querela tragica 137 c.d 138 a
quintilianus 325 d
quomodo interrogatione illa in articulis obscuris usi sunt patres: item Christus & omnes sancti 361 b

R

RAtio clatior esse debet semper, quàm illud de quo ambigitur 1025 a
ratio & ueritas consuetudini præponenda 240 g
ratio in argumentando quare aliquã do fallatur 477 c.d quatenus fidei cedere debeat 474 b
rationis humanæ captum quæ superant, quatenus à nobis reijciuntur 642 e
rationem unà cum sensibus cõiunctã uersantibus circa propria subiecta, non falli 474 d
rationalem animam subiecto unam, uiribus diuiduam Aristoteles statuit 120 g
realis præsentia non est necessaria in Eucharistia 1297
realem mãducationem si spectemus, Christum pauperem comedere non possumus 384 a
realiter corpus Christi esse exhibendum nullibi legitur 366 b
rechabi filij uinum non bibebant 1373. 1374 nec domos ædificabant, nec sementem faciebant nec habebant domos ibid.
recipere in scripturis est per metaphoram comedere 768 a
recipientibus prodesse non est propria nota Sacramenti 430 b
recordandi facultas ad animum & spiritum pertinet 857 a
recordatio carnis Christi si sit cum fide coniuncta uerè, dici potest mãducatio 945 g

redem-

redemptionis nostræ origo 251 e
redemptionem quomodo Eucharistia consequamur 379 e
redemptor Christus & in cœna & in Baptismo proponitur 943 c
regenerari homines aqua quomodo sit intelligendum 1025 d
regeneramur in baptismo, & inserimur Christo sine ulla μετουσίᾳ νοῦ σωματικῆς, igitur neque in sacra Eucharistia hæc necessaria 943 d
regeneratio intelligibile donum cuius signum sensibile ipsa aqua 467 b
regeneratio unius non est regeneratio alterius 430 f
regenerationis lauacrum Baptismus 147 d
regenerationis nostræ uim unde habeamus 234 a sacramentum multi differebant usq; ad extremum uitæ 1595 c
regenerationem nostram quæ perficiant 467 e.f
regeneratione nostra substantia non mutatur 295 a
regis lasti rei sunt, qui purpuram regiam indignè tractant 348 g
regnum Christi est Ecclesia 696 d
regnum Dei cui magis curæ sit 1404 d.e latius patet quàm humanum corpus, quod in eo esse conceditur 93 a non esse in sermone quo sensu dicat 969
regnum patris Christus habuit, quãuis post resurrectionem adhuc in terris ageret 87 c etiam in terris est 87 f
regula Augustini qua dicta obscura scripturæ explicantur 134 e.f
regula est, quæ rem, quæ est, breuiter enarrat: non ut ex regula ius sumatur, sed ut ex iure, quod est, regula fiat 930 c
regulas quasdam Gardinerus falso Martyri adscribit 985 d
relatio nulla esse potest sine duobus terminis 852 e
relatiuum nullum est, quod eius termino ignorato, queat intelligi 154 e
relinquere apud Latinos non est uouere 1402 a
reliquiæ Eucharistiæ quomodo & in quem finem fuerint asseruatæ 838 e
reliquiæ rei cuius sunt reliquiæ, naturam non retinent 668 c
religio Christiana Augustini tempore non fuit obscura 441 b
primis temporibus à Iudæis fuit secta nominata 1018 e
relatiua constant fundamento & termino 655 a quo sensu dicantur ad eandem essentiam reuocari 755 a sine suis terminis definiri non possunt 611 a
remissio peccatorum quibus offeratur 379 e tantum per fidem 555 c
renes succincti in ueteri Testamento castitatem notant 1527 e
repletiua ubiquitas quid sit 58 e
repletiuè Deus est ubiq;, non localiter 58 c
repletiuè in loco esse 28 a
repræsentare corpus Christi quid nã Gardinero significet 731 d
repræsentare quid bonis autoribus significet 730 d 823 c
reprobi in sua natiua corruptione relinquuntur 1583 d
res multæ fieri non possum, eò quod rerum natura non patiatur 1242 c
res præstitæ absolutiores quàm promissæ 133 e
res quæ per symbola demõstrantur, priusquam ad sacram mẽsam accedamus, inchoata quadam coniunctione animis præsentes adsunt 128 b
rerum gradus tres 164 f
rerum separatio duplex 204 a
rebus in dubijs sancti semper quæsiuerunt, quomodo hoc uel illud futurum sit 361 c.d
resurrectio Christi, et mors eius perfectos reddunt 945 c
resurrectionis ad æternam uitam cõseruatorium 362 e beneficium maius est prima creatione 1376 e
resurrectionem carnis, & non animæ quare fateamur 44 d
resurrectione à mortuis an Christus inuisibiliter ascenderit & conscenderit ad dextram patris 86 c
facta sancti ubi suas mansiones sint habituri 4 c
retractationes Augustini plurimum differunt à recantationibus Smythei 1422 d
retractationum libros quando Augustinus scripserit 865 b
rex in literis & sigillis ueneratur 897 b
rhetoricæ distributionis exemplum 544 e
rhetoricarum distributionum usus quis sit 545 b
richardus Coxus Oxonienſis Academiæ cancellarius 1521 a
ritus Mosaici tenebricosam significationem habuerunt 133 c
ritus per philosophiam inuecti taxantur 1423 b
ritus ueterum fuerunt signa futuri Christi 131 f
romanus pro exercitu Romanorum, tropus 325 e
roma quando inclinauerit 1544 d

S

SAbbatum cur sit mutatum in diem Dominicam 1376 d.e
sabbati dies cur in diem Dominicum sit translatus 1376 c
sabbatorum una dies quænam sit apud Paulum 1376 b
sacerdos æternus qui una oblatione omnia perfecit, est Christus 422 b
sacerdos summus in ueteri Testamento Christum adumbrauit 671 d
sacerdos summus qui quotidie ingrediebatur tabernaculum ad iugem sacrificium offerendum, nihilominus liberis operam dedit 1518 a
sacerdotis officium in ueteri Testamento 422 c
sacerdoti qui ministrabat Domino, semper aliquid emolumenti accedebat ex oblationibus 1533 f
sacerdotes fuerunt aurei olim, cum calices erant ligniei: nunc cum calices sint aurei, sacerdotes ligniei sunt 433 d
sacerdotes nec Apostoli, nec ulli sancti in nouo Testamento nominati sunt 1075 d
sacerdotes non duxerunt originem à Christo, ut Papistæ mentiuntur 422 b
sacerdotum classes Dauid quot non instituerit 1594 c
sacerdotũ princeps umbra fuit Christi, corpus suum offerentis 166 b
sacerdotum successio tantum in ueteri Testamento locum habuit 422 b
sacerdotum uices serò per Davidem & Salomonem fuerunt institutæ 1533 d
sacerdotalis dignitas omnis in Christum est translata 1075 b familia nulla fuit prætereundo in ueteri Testamento 1533 f
sacerdotales uices non fuerunt institutæ, ut ministerij tempore ab uxoribus abstinerent ibid. e
sacerdotium cur uerè ad unum Christum translatum sit 422 c

sacerdotij propria functio non est sacramentorum administratio 422 c
sacra scriptura omnium hæreseon communis iudex 1541 g
sacræ res Deo quæ nam dicantur 503
sacramentalis manducatio alia à spirituali 550 c mutatio quid sit 950 d prædicatio à typica non est distinguenda 132 c prædicationis salutiferæ descriptio 131 c
sacramentalis uis diuinitus est exspectanda 733 b
sacramentali prædicationi plus tribuit Papistæ quã personali 131 d
sacramentalem actionem Paulus explicans mẽminit panis, in uitijs autem exaggerandis meminit corporis 1013
sacramentarij qui nam uerè dicantur 632 d
sacramentarios subtiliens quæ Gardinerus nominet 438, 439 a.b
sacramento tenus & reuera corpus Christi & sanguinem bibere & comedere diuersa sunt 101 c
sacramentum ante benedictionem non constat duabus rebus 1234 b cœnæ Ioh. 6, non explicatur 355 a ratio ibid. constat signo & re signata 289 c corporis & sanguinis Christi etiamsi quis dentibus premat, tamen non statim rem ipsam percipit, si fides absit 100 g est relatio inter externa symbola, quæ oculis usurpamus, & res significatas quæ sunt æternæ 852 f est signum rei sacræ 364 c Eucharistiæ tempore Cypriani mulieres consueuerant domi asseruare 435 d tempore Tertulliani domi comederunt ante omnes cibos 53 d externũ si qua iniuria afficitur, illa redundat in sanguinem & corpus Christi 101 f formatiuis diuina, non natura 1312 f.g fidei, fides est 276 a manu Christi nobis porrigi falsum est, si propriè & sine tropo intelligatur 1160 nihil plus habet quàm uerbum, nisi externa symbola, quibus fides in nobis excitatur 717 b nondum erat institutum cum Christus Ioh. sexto illa Capernaitis & septuaginta discipulis loqueretur 852 c non rectè accipitur, nisi spiritualis manducatio accesserit 887 d omne requirit elementum certum, quod ui uerbi Dei fiat sacramentũ 608 c omne secum coniunctum usum habet 670 f
sacramentum quid sit 147 b 1119 c quomodo fiat medicamentum & holocaustum 508 a.b rei significatæ nomen gerit 258 f sicut corpus Vairi potest ita precium dicitur 580 a tantum usu est 1529 g totum pij homines percipiunt 268 a ut fiat requiritur uis diuina 511 d ut ritè conficiantur, tria Papistæ requirunt 420 a
sacramenti definitionem si ueram intueamur, facilis est Eucharistiæ tractatio 145 b
sacramenti Eucharistiæ & incarnationis similitudo explicatur 243 c institutiõe probauit Irenæus Christum esse filium Dei, qui fabricator sit mundi 725 b materia à sua forma non aboletur 612 a materia est elementum 608 e natura est ut res significata ab eo absit 437 a
sacramenti natura magis conseruatur in significatione, quàm in præsentia crassa & substantiali corporis 1300 b.c
sacramenti partem altera plebem fraudant Papistæ 162 d reliquiæ igne olim comburebantur 481 a res nomini adfert mortem 584 d res omni homini ad uitam, nulli ad exitium spectat, qui eius particeps fit 101 a ueritas est ut uerè significet ex instituto Dei, utq; eius significatio ad res ueras referatur 889 b
sacramento uentri seruandi uis tribuitur, nisi fides antecedat, quæ rem signatam apprehendat 426 b
per sacramentum carnem Christi comedere quid sit 364 c
constare corpore Christi & symbolis, aliud est quàm corpus Christi reipsa præsens esse in Eucharistia 713 a in sudario circumferri non conuenit 532 d tantum percipiunt, non rem sacramenti, si quis exitium inde patiatur 584 d
sacramenta ad coniunctionem cum Christo nihil ualent, nisi prius credamus uerbo Dei 736 d administrare quid nam sit 1530 a.b Ecclesiæ quam habeant nouitatem 249 b fictitia Papistarum 419 e in aliorum usum percipere non possumus 410 d munitiones nostræ sunt non respectiu operis operati 1103 f nisi similitudinem haberent earum rerum quarum sacramenta sunt, non essent sacramenta 412 c non cuiq; à populo licet administrare 419 a non nisi rei significatæ sunt sacramenta 852 f non sunt loculi rerum significatarum 437 a.b non sunt quæ non coniunctum habent uerbum Dei & usum sacrum 958 g
sacramenta nostra pluris facienda sunt quàm ueterum 133 a.b quare dicantur corpus & sanguis Christi, non autem ueterum sic quoq; dicta fuerint 585 a omnia ad unam eandemq; normam rectissimè exiguntur 869 e prænunciatiua 249 c quatenus uim uitæ habeant 836 b quomodo Christum aperiant 197 b quomodo percipiantur, & item signatæ res 308 c reuocanda sunt ad rationem instrumentalis causæ 870 d sanctificant non qua sumuntur, sed qua creduntur 746 d sint obsignationes iustitiæ illi qui iustus utitur 430 e sunt signacula rerum diuinarum 898 d sine doctrina inutilia sunt 422 e ueterum eadem cum nostris 148 e ueterum & nostra quid differant 501 b ueterum Hebræorum non fuerant nudæ figuræ 673 f ueterum quare figuræ dici possint, non autem ita nostra 605 d ueterum signis diuersa fuerunt reipsa paria 131 d.e uim non habent ex ministris 1374 c unà cum spirituali manducatione comedi possunt 685 c ut ornentur, sæpius miracula fiunt 1046
sacramenta ut sint sacramenta, quibus rebus efficiatur 717 f
sacramentorum administratio frugalis 433 d
sacramentorum administratio non est propria functio sacerdotij 422 c
sacramentorum administratio tantũ pastoribus & Diaconis committitur in Ecclesijs reformatis 421 e
sacramentorum copia cum nobis nõ semper sit, operam diligentem impendamus sacris literis 548 c
sacramentorum disputatio ex natura sacramentorũ deducenda 440 a
sacramentorum figura & significatio ratione comprehendi non potest 153 g 154 c
sacramentorum forma est Dei uerbum 608 e

quomo-

quomodo dicantur esse uerba Dei 610 f
sacramentorum mutilationem concomitãtia defendunt 369 f natura hoc omne efflagitat, ut res significatas sibi adiunctas habeat 148 c nostrorum collatio cum ueterum sacramentis 249 c. nulla mentio fit Iohannis sexto 449 c reliquias in sudariolis non debemus circumferre 377 d significationes in uarias formas & partes diuidere possumus 869 e.f ueterum & nostrorum distinctio 133 a.b
sacramentis illatam contumeliam negat Gardinerus in Christum redundare 539 e
sacramentis salus nostra non est alligata 1006 d
sacramenta cum explicant sacræ literæ, rei & substantiæ mentionem non faciunt, sed tantum corporis, sanguinis & carnis 1225 a Ecclesia nunquam daret ijs, qui alieni sunt à Christo 1112 b esse signacula docet Paulus 192 b manducare temporaliter aliud est, & aliud manducare carnem Christi usque ad Spiritus participationem 550 b.c non quæuis constituere possunt 1319 f ratio ibidem
sacramenta nostra esse figuras quo sensu neget Euthymius 605 c Papistæ dicunt esse ἀνθρωποφυΐαν 824 d noui Testamenti Ecclesia semper typos & signa nominauit 170 e nullus pius dicit esse prophana, uel rigida signa 155 c quare cœlestes cibos nominet Cyprianus 527 c
sacramentis nostris si abutamur, grauius peccamus quàm ueteres Iudæi peccarunt 585 c
in Sacramentis quare sint uisibilia signa 245 d
sacrificari corpus Christi quid sit Ambrosio 168 f
sacrificasse se ipsum Christus quomodo dicatur 756 b
sacrificemus quomodo spiritualiter 403 b.c
sacrificium Deo placens 152 a incruentum & uiuificum quonam modo à patribus Eucharistia dicatur 1035 d in Eucharistia exemplar est 168 f nominantur panis & uinum, antequam uerba consecrationis accesserunt 158 f nos ipsi sumus in sacra cœna 711 d.e noui Testamenti quid contineat 249 a panis & uini in nouo Testamento cui offerratur 248 f sanctificat pura conscientia, non autem offerent illud 250 d uisibile, inuisibilis sacrificij sacramentum 897
sacrificio quonam credentes in gratiam recipiantur 154 d
sacrificium quod nam Christiani in Eucharistia habeant 711 c.d
sacrificia non desunt Ecclesiæ, etiamsi corpus Christi realiter non offeratur in cœna ori corporis 404 c notæ erant Christi aliquando morituri 437 d patrum sæpè dicta sancta sanctorũ 458 b ueterum Christum uenturum ad umbrarunt 248 e concionantur Christum futurum 998 e non ad umbrarunt tantum nostram cœnam 249 g
sacrificiorum genera tria sunt 403 b ueteris & noui Testamenti discrimen 249 a
sacrificijs ueterum quomodo finis impositus 237 f quomodo Deus dicatur propitiari 934 e
sacrificia multa in Eucharistia Papistæ statuunt 170 a quæ nam in Eucharistia admittamus 152 a
sacrificulorum occupationes 1512 b.c
sacrificulos corpus Christi non percipere ex sua uita impia manifestè apparet 750 b.c
sacrificum in Missa filium Dei suo patri offerre impium & blasphemum est 711 b.c
sacrificii in sua Missa uerè conficiũt corpus Christi, quod est Ecclesia 1497.1498
à Sæpè ad semper nõ ualet argumentatio 333 d
sales et ioci quales esse debeãt 720 b
salomon ætatem Machabæorum longo interuallo anteceßit 148 b
salomonis templum totum dum uersaretur, Christus in terris non impleuit 29 e
saluos fieri uelle Deum omnes homines quomodo sit intelligẽdũ 60 b
salus nostra non est naturæ tribuenda, sed diuinæ misericordiæ 1583 d non pendet ab ipsis Sacramentis 424 b unde haberi possit 1551 d
salutis nostræ causſam nõ uniuersam, sed præcipuam tribuunt Papistæ Deo 555 d.e 556 d.e
saluti nostræ quæ nam dona sint necessaria 1432 c & in Nouo & ueteri Testamento explicatur 1369.1370 sufficit, ut gratia & spiritu Christi regamur, quãuis ille in terra præsens non sit 113 e
salutem æternam Deus ut conferat, nihil moratur uitia corporis 1338 d non possumus assequi, nisi fide apprehendamus mortem Christi 1006 e
salutem nostrã partim ex nobis, partim ex Deo esse falsum est 1584 b
samosa tenus distinctionem personarum tollit 135 b
samuelem non præiudicasse uirginitati, quamuis uxorem duxerit 1600 f
sanasse Christum tantum dignos falsum est 841 a
sancta sanctorum Eucharistia ratione significandi potest dici 1184 d
sanctificandi & redimendi uim carò Christi habet à natura diuina 364 a
sanctificandi uis in Christo non uetaſcit 840 b
sanctificatio ab animo incipit 400 a non requirit carnalem & craſſam manducationem 948 d quæcunque in nobis est, deriuatur ex corpore Christi in nos 697 b quomodo intelligatur à spiritu proficiſci 946 b
sanctificationis nostræ causſa propria est Christus totus 752 d efficiens causſa quæ nam 947 c
sanctificationem esse rem spiritualem, non corporalem 947 d
sanctificatione non eguit diuinitus, sed caro 70 d
sanctificare Christum corpus suum sine tropo non dicitur 508 d
sanctificari corpus Christi est Cypriano ad sanctũ usum adhiberi 766 f
sanctum non statim est, quod sancti fecerint 1452.1453
sancti an ea quæ hic agantur, in diuina essentia uideant 1578 f
sanitas est qualitas, nec locum occupat 1246 b
sancti in cœlo iam sunt per spẽ 119 b omnes naſcuntur filij iræ 36 b quomodo Christi imago sint 166 c sequuntur Christum, quocunq; iuerit 370 g spiritu Dei præditi tristitia afficiantur, spiritus Dei tristitia affici dicitur 564 g
sanctorum consolationes ex Christi aſcensione quæ & quantæ 69 d facta singularia in exemplum trahere non possumus 1377 d inuocationem quo loco Hieronymi stabilierint Papistæ 62 c

locus ubi sit 4 c
sanctorum mutua auxilia 430 f
sanctorum opera quænam studiosè imitanda sint 1454 d
sanctorum præmia an paria, an uerò disparia futura sint 1401 a 1408 b
sanctis adiunctus est Christus per charitatem 119 b
sanctis cereos accendere, suffitum facere, stultißimum est 190 f
sanctis cur in Gallia & in Italia clàm sit conueniendum 193 f
sanctis inhabitat Christus per spiritũ 106 c
nulla uota nuncupanda 1334 d. e
quænam tribui non poßint citra Dei offensionem magnam 123 d
sanctos fide colendos defendit Damascenus 280 e Gardinerus eodem tempore in pluribus locis statuit 372 a
sanguis ad redemptionem sumptus ore, mente agitari debet ad imitationem 539 f.g
sanguis Christi angelis, & illis qui in inferno erant, prosuit 60 b qui in uenis corporis eius continetur, nunquam potest à nobis exhauriri, sed per fidem à nobis magno cum fructu percipitur 758 d.e
sanguis Domini est uerbum Dei 741 a quid præstet sanguini uictimarum 251 e in Eucharistia quæ nobis adferat 242 f
sanguis Iesu Christi in uenis corporis continetur 338 d non eo modo continetur in poculo eucharistiæ, quemadmodum in poculis & testamentis sanguis brutorum 279 a.b
sanguis quare anima dictus sit 229 d
sanguis qui est signum animæ, non est anima 1262 d
sanguis si tantum carnis fuisset, Deum nobis non placasset 252 a
sanguinis Iesu Christi potus coniunctũ habet indiuisibili nexu uitam beatam 100 e
sanguinis ostensio in uino quomodo sit intelligenda apud Cyprianum 763 b
sanguinem bibere crudelius quàm effundere 306 d
sanguinem Christi auro infusum, quo sensu dicat Ambrosius 431 d
sanguinẽ Christi bibere quid sit 150 c 127 c
sanguinem Christi non bibunt, nec corpus eius mandaucant, in eo qui non manent 101 d
sanguinem Christi qui non manducent spiritualiter 100 f
sanguinem Christi, ubi & quomodo bibamus 252 c
sapiens ea non uult, quæ fieri nunquam possunt 190 d
sapientia Dei omnem sensum superat 471 d
σαρκόβορροι 1430 e
σαρκοβόρων portenta reformatæ Ecclesiæ impugnant, non ueritatem Eucharistiæ 457 b.c
sarcerius iubet delapsas particulas de sacramento colligi, & erasa terra comburi 112 e
σαρκόφαγοι 300 c
sarcophagi & Transubstantiatores grauiter errant 439 c
satrapicos apparatus papistarum Ambrosius damnaret, si reuiuisceret 532 f
saturitatem in cœna Domini quæ cõsequitur manducationem, Augustinus uult esse imitationem 384 a.b
saul punitus quòd ex deuota præda aliquid retinuerit 1333 f
saulum cum alloquutus est Christus, in cœlo fuit 119 b
satyrus an fidem habuerit 533 a
satyrus frater Ambrosij Eucharistiam secum habuit in naui inuolutam in Orario 274 c
satyrus nondum baptizatus fuit 532 d
scabellum quid significet 381 a
schismatici qui nam sint 1400 b
schismatici Sacramentum percipiunt, rem Sacramenti nunquam 101 b
scholastici omnes post Berengarium iniustè adulati sunt decretis paparum 299 g
scientia demonstrationis rerum naturas non inuertit 319 e
scientia nostra uita & moribus est exprimenda 141
scientiæ ea quæ per accidens sunt non comprehendunt 20 b
scimus tantùm, quantum operamur 141
scipio uir seuerus 124 e
scortatio licet à multis non committatur, tamen ab illicitis cupiditatibus se continere non possunt 1367. 1368
scortationem gentiles peccatum non agnoscebant 393 d
σωτεριὸς uerè nominari potest Gardinerus 209 f
scotus anteſignanus inter Scholasticos 609 b.c
scotus theologus Scholasticus 290 f
scotum uoluisse uerba Christi, Hoc est corpus meum, i ndiuiduo uago explicare 290 f. g 291 a
scotica philosophia tenebricosa 303 e
scribendi diuersa genera 1606 c
scriptores qui nam iudicio Augustini poßint errare 241 b
scriptura diuina quare summo studio tractanda sit 648 d
scriptura nullibi dicit Christum sui corporis inuisibilem præsentiam promisisse 204 c
scriptura nunquam probari potest, Christum in cœna uelle esse corporaliter 190 d
scriptura obscurior quomodo sit tractanda 1556 d
scriptura ostendit quæ uera in Ecclesia 1239 c
scriptura sacra à profanis literis quo modo differat 955 a
scriptura sacra cum patribus nõ confundenda 1549 e
scriptura sacra latius patet quã corpus Domini 549 e
scriptura sacra sensum suum animo nostro porrigit cum tamen illum in literis inclusum non habeat 248 a.b
scriptura sacra uerba uitæ sunt æternæ 836 b
scriptura sacra uerus est cibus & potus, qui ex uerbo Dei sumitur 548 b
scriptura sancta licet in nobis fidẽ generet, quare tamen nihilominus ad sacram mensam accedendum sit 1041 e
scriptura sequenda semper, non autẽ Patres 1402 c.f
scriptura si quid quod absurdũ uideatur contineat, quomodo affecti esse debeamus 1555 e
scriptura tantum articuli fidei confirmandi sunt 153 e
scripturas citanti idiotæ magis esse credendum inquit Panormitanus, quàm Papæ et toti concilioſi absque scripturis 1553 f
scripturæ dicta obscura & tropica quomodo sint explicanda 134 f

Scripturæ dicta, in quibus nomina proprietatum permutantur, quo modo interpretanda 464 a
Scripturæ interpretatio priuata quænam sit 647 c
Scripturæ non semper iudicandæ ex patribus 1554 a
Scripturæ qui alienum sensum attingunt, sunt hæretici 289 d
Scripturæ sacræ legendæ certæ regulæ 1556 e
Scripturæ utilitas & finis 99
Scripturam papistæ quo prætextu è manibus plebis excutiant 309 c.d
Scripturam ut commodius intelligas, non negligendi interpretes 1156 e
Scripturæ sacræ quomodo sint legendæ 1402 f
Scripturæ sacræ uitam æternam exhibent credentibus, uerè dicitur 959 b *sanctæ quare diuersimodè torqueantur* 1272 c.d *ut uerè intelligantur quænam regula obseruandæ* 1300 c
Scripturarum intelligentia ui spiritus sancti nobis aperienda 209 a
Scriptuarum sensum quomodo quis facile consequatur 1556 d.e. f
Scripturas non esse priuatæ interpretationis Scotus primus à scholasticis agnoueritan uerò nõ 647 a.b
Sebastianus Munsterus 1532 c
Secretum quod nam sit in Euchristia 706 e. f
Sectarios nominari Christianos nouum non est, neq; sanctos Christi seruos mouere debet 1018 g
Sectarum nomina Apostoli exturbarunt ex Ecclesia, Apostoli restituunt 195 d
Sectionem recipiens in loco est 8 f
Securitas humana in quænam uitia facilè prolabatur 124 b
Sedere ad dextrã patris ipsum Christum, fidei est articulus 1241 a
Sedere ingloria non est se ad humilia ministeria de mittere 870 f
Sedes beatorum Augustinus corporeas facit 81 f
Sedet ad dexteram de exaltatione naturæ humanæ super omnes creaturas dictum 110 f
Sedulius Hibernienſis uixit anno Christi 430. eruditus 1471. 1472.
Semen est uerbum Dei 1021
Semen homini non est datum, ut inutiliter effundatur 1532 d *quod ex dormientibus interdum effluit homines faciebat immundos in lege* 1532 b
Seminis effusio nocturna unde sæpè oriatur 1532 e.f *cuius rei nos ad monere debeat ibidem* e
Senecæ præceptum quo peccata clancularia corrigt 124 e
Sensibiliter nihil fieri potest, quod nõ sentiatur 542 e
Sensus in Christ non falluntur dum iudicant eum uerum hominem esse 474 c *in operibus suis decipi nou uult Deus* 471 b *mysteria sacramentorum nõ attingit* 463 e *noster deceptu facillimus est* 266 a
Sensus nostri non à substantia, sed ab acidentibus mouentur 114 g
Sensus nostros si dicamus in externis obiectis decipi, tum ipsi hæretici præsentiam Valentiniani & Marcionitæ facile nos uincent 471 b
Sensus sibi mutuas præstant operas, sic ut alterũ alter iuuet & corrigat 476 b
Sensibus nihil tribuendum esse in mysterio fidei, clamitant papistæ 715 d.e
Sensibus probauit Christus se non esse phantasma 638
Sensibus quinque constat homo 43 c
Sensibus quousq; sit fidẽdum 635 d.e
Sensibus si fides non habenda, infirmum erit Christi argumentum ad probandum corporis resurrectionem 471 c
Sententiarum contrariarum digladiatoriæ defensiones Ecclesiam turbant 121 f
Septimus dies aliquis lege perpetua est à fidelibus sanctificandus 1376 c
Sermo dicinus auditus uel lectus quo modo corpus Christi sit & panis 151 a
Sermo familiaris etiam tropicus esse potest 328 b
Sermones Dei partim indicãtes sunt, partim effectores 217 a
Serpentis semen 592 a
Serpentem æneum qui nam inspicere iussi sint 528 b
Sesquipedalis oratio 29 a
Sibyllæ Niui libri futuri sunt apud pontifices sacra Biblia 218 b
Sigismundus Gelenius Iustinum uertit felicissimè 708 b
Significantia & significata ijsdem nominibus censentur, inquit Cyprianus 719 b
Significatio fuit & in ueterum sacramentis & in nostris est, licet modus significandi non idẽ 432 c
Significatum in sacramento mẽte per fidẽ spiritu aliter sumitur 289 e. f
Signum esse sacrameti efficax aliud est, quam quocunq; modo aliquid significare 954 d.e
Signum & rem signatam in Eucharistia Dominus dedit, sed non eodẽ modo 222 d
Signum & res significatæ iunguntur tanquam instrumentum cum effecto 268 c
Signum remotiõ in Eucharistia quidnam sit Gardinero 1071 c
Signum sui ipsius esse nunquam potest 814 d
Signi notio non concludit res absentes 505 e. f
Signa esse ipsa sacramenta docet Paulus 192 b
Signa externa sæpè rerum signatarum nomina sortiuntur 1374 *illustriora esse debent rebus significatis* 873 c
Signa pro rebus signatis obtrudere peruersissimum docendi genus 398 a
Signa qualia panis & uinum 145 f
Signorum & rerum signatarum alternatio in scriptura est usitatissima 932 d
Simile Athanasij hominis & duarum naturarum in Christo 121 c *Cyrilli de cera liquefacta* 1131 1133 *igniti carbonis explicatur* 51 d
Similem Deus ducit ad similem 725 b
Similia docendi causſa producuntur 121 d *non intelliguntur, nisi finis dicentis spectetur* 1335 e
Similia pro mundanis à lepraq; offerturquid nam significet 710 e
Similia quomodo adhibeantur, & quatenus ualeant 514 a *si quo ad omnes partes conueniunt, eadem sunt, non similia* 11 b.c *tum exactè nulla sunt, quin non sint dissimilia aliqua ratione quoq;* 473 b
Similium simile iudicium 641 a
Similitudo à minori ducta affirmando nihil ualet, à maiori autem, uel ab æquali ducta ualet 605 a
Similitudo Basilij de ferro candenti explicatur 476

in sacris literis argumentum firmum & necessarium effici quando 1134 f.g non currit quatuor pedibus 1236 b semper habet adiunctam dißimilitudinem 121 d

similitudinẽ sanguinis nominat Ambrosius unum in Eucharistia 364 d

simonianus sacerdos 518

simõ magus nõ uerè credidit 598 b

simonem Cyrenæum, non Christum quidam hæretici in crucem adactum putant 572 c

simulachrum Petro oblatum quale fuerit 117 d & 119 f

singulares propositiones aliquæ, nõ concludunt uniuersale 414 d

sitis unde existat 48 f

smytheus dixit Christum tantùm fuisse sacerdotem secundum ordinẽ Aaronis 260 e in Gallijs nec ab Euangelicis fuit receptus, nec à papistis 1400 d tabula Oxonien sis 241 d suos libellos in Lutherum adorauit, quos tamen metu continuit secum 1230 c sycophanta stultus & ineptus 1230 d

smythei integra pudicitia 1394 c

sobolis suscitandæ consuetudo apud patriarchas ante legem 435 d

socrates Constantinopolitanus 1521. 1522 multos Christianos perauit in αὐτάρκειαε 1039

socratis petitio de opibus terrenis 1039 b

sol & luna sistunt se per diem 94 b

sol è uestigio cum est in puncto Horizontis, totũ hemisphærium nostrum illuminat 114 d præsens nobis licet remotus quo sensu dicatur 130 c sordibus affulget, nec tamen graueolentia fruitur 47 e

solis astrum finitũ est, eius tamen lumen & influxus in omnes partes mundi diffunditur 948 d cursus cohibitus 790 b similitudo qua Christi præsentia declaratur 130 e utilitas 130 c

solem bipeddem esse docuit Epicurus 634 d

solem & lunam à ueteribus dici bis 94 b

solida Deus rarefacere potest, quando uult 207 e

σῶμα ἄπαν ἐμτόπῳ uerißimum axioma 38

σῶμα ἀντίτυπον panem uocat Nazianzenus 113 b

σῶμα νοερὸν ὅλως ἐξω τῦ ὑραν῀ quomodo in uniuersum uerum non sit 4 b

somniale semen cur homines polluat 1592 c.d

sonus quid sit 116 b

soni causſæ ibid.

sophismatum narthecia 1008 f

species in Eucharistia mutari quid sit Ambrosio 604 c

species panis & uini quid papistis 1240 b.c

speciei uox ambigua 1240 d

speciem ex genere concludere non licet 451 d

specie eadem sunt, quæ tamen numero non sunt eadem 115 c

species diuersæ & diuersa nomina, quomodo ad unam eandemq; essentiam reducantur 754 c

species sunt partes generum 342 f

speculum non tantùm præsentia, sed remotißima quæque exprimit 973 d

spe tantũ adhuc salui sumus 448 b

sphæricum corpus Christi corpus nõ est 24 c

σφραγίδα iusticiæ adeptæ per fidem Paulus nominat circumcisionem 147 d

spirituale corpus quod 1242 d

spirituale quid intelligatur, cum manducari spiritualis dicitur 945 e

spiritualis manducatio cum symbolis coniungi potest 887 d in sexto Iohãnis & in cœna nihil differunt 553 si tollatur, una ipsius caro non poterit toti alij sufficere 362 d

spiritualis præsentia corporis & sanguinis quare requiratur 210 d

spirituali præsentia Christus cũ Ecclesia semper est 103 c 104 d

spiritualem alimoniam si Eucharistiam agnoscamus, quæ nã excludantur 937 b.c

spiritualem cibum & potum cũ Paulus dicit patres habuisse, non confert Iudæos inter se, sed nobiscum 227 d

spiritualia dona dũ hîc uiuitur, nunquam tam perfectè habẽtur, quin non perfectius haberi possint 1112 d

spiritualia dona in perpetuum petimus 1019 b

spiritualiter comedere quare dicatur 888 e

spiritualiter corpus & sanguinem sumi quo ad modum atque animum 150 e

spiritualiter manducare quid sit Gardinero 839 d

spiritualiter quomodo nõ possit accommodari ad esum impiorum 986 b

spiritus adoptionis quando nondum fuerit in hominibus 908

spiritus & caro sibi inuicem aduersantur in homine 11 d

spiritus in illa uita beata ubicunque uolet esse, ibi protinus erit 538 d

spiritus in loco ubi operantur, sunt definitiuè 58 f

spiritus potest omnia 425 c

spiritus Sanctus ex Gardineri ratione creatura statueretur 775 c apud fideles manet 208 e nobis mysteria persuadet, alioquin non crederemus 197 d omnia creauit 8 c quomodo Christi uicarius sit 210 d simul omnibus in locis esse potest 7 c unus existens sua dona distribuit 1243 c

spiritus sancti deitas quomodo probetur 7 d 8 a

spiritus interioris suggestio non solum discipulis necessaria, sed etiã linguarum donum 208 f

spiritus Sancti efficacia potißimum in Sacramentis spectanda 1226 d instinctus est natura prior diuinis donis cæteris 564 c

spiritus sancti missio spiritualem corporis & sanguinis Christi præsentiam non impedit 210 e

spiritus sancti oracula quænam sint 102 d

spiritus sancti processionis damnatã sententiam tuetur Theophylactus 607 b

spiritus proprium procedere 43 d

spiritui sancto iniuria fit, si à scripturis ad hominum iudicia prouocemus 1551 c

spiritui sancto instrumenta præscribere, quibus ille efficax esse debeat, non est hominis 1025 b

spiritui sancto nemo illudere potest 1334 d

spiritui sancto qui nam adhuc mentiantur hodie, sicuti Ananias & Saphira 1017 d

spiritum Dei gradibus alligant ipsi papistæ 647 d

spiritum rectè iudicandi de scripturis in Ecclesia uigere non dubitamus, & si illum nec mitris, nec galeris, nec cathedris alligatum iudicemus 1017 c

spiritum sanctũ Christus nobis promisit

misit tanquam suum uicariũ 207 c
spiritum sanctũ contristare quid Paulo ad Ephesios significet 564 e
non habere circũscriptam substantiam 7 e postquã discipulis insuflasset, quare rursus eundem ijsdẽ dederit 208 f
spiritu ueteres sanguinem & carnẽ Christi pro salute danda percipiebant, nos uerò iam data 249 a
spiritus beati nostras ignorant cogitationes 1578 c
statuariũ loco ueteres rudes columnas erexerunt 329 e
stella nunquam ab orbe separatur 11 e
stellæ suis horis occidunt ibid.
stephanus in quo statu Christum uiderit 202 d
stephanus protomartyr uictor insignis 9 e
stephanus quomodo Christum uiderit ad dexteram patris 117 f
stephani protomartyris uisio an imaginaria 119 a
sterilem non hæredem esse debere fœcundæ fœminæ 1575 c
stimulus carnis quid apud Paulum significarit 1457. 1458
stoici contingentiam omnem tollebam ex rerum natura 700 a
stoici quid de anima rationali statuant 120 f
strophodædalus est Gardinerus 212 e
subdiaconorum & Diaconorum distinctio falsa & ficta 420 e
substantia Christi in cœlo est, non in manu sacrificí 294 f
substantia corporis Christi propria sensibus non attingitur in Eucharistia 272 d
substantia Dei nullo loco comprehenditur 203 d
substantia diuina æqualis est Christus patri 54 f est spiritus creatus, & ab æterno 21 f
substantia habet quasdã partes, quæ etiam sunt ipsæ substantiæ, neque tamen ex matre nascuntur 343 a
substantia humana in persona Christi non est ab æterno 21 f. g
substantia naturalis proprijs accidentibus exui non potest 204 d
non latet inuisibilis 291 f per se nõ est obiectum sensuum 956 f quædam sine accidentibus potest reperiri 203 b
substantias rerum sensus nostri non percipiunt 29
substantia sub accidẽtibus absq; subiecto litens non potest esse corpus Christi realiter 289 d
substantiæ partes quæ sint 342 e
substantiam corpoream, non quantã Aristoteles nunquam concedet 203 d
substantiam omnem ab accidentibus omnibus distrahi posse falsissimum 203 b
substantiam quam Deus creauit, illã non odit 601 b
substantiæ certis proprietatibus seipsas probant 291 e
substantiæ in hypostatica unione nõ solũ incõfusæ retinendæ, sed proprietates 22 f
substantiæ sine mole quænam sint 203 c
substantijs sublatis accidentia esse non possunt 612 f
substantias quare sensibiles nominẽt 291 e
substantialem colligationem & carnalem corporis & sanguinis Christi cum pane & uino, uel accidentibus fingere est res uanissima 439 d
subtilitas corporũ nostrarum post resurrectionem 95 b
suermeros & Sacramentarios ubiquistæ pios doctores nominant 3 a
superbia caussa lapsus 79 b
supererogatiõis opera Smytheus inculcauit 1390 d
superintendentis officium in nostris Ecclesiis 422 a
superstitionem in ueteri Testamẽto qui introducebant, erant lapidibus obruendi 1046
sursum corda 405 a. b. c. d 4 6 a. b
sursum corda quorsum dictum sit 410 a
surrsum est Dominus, sed etiam ueritas hic est 104 f
sursum quærimus Christum 192 d
susannæ historia est potius fabula, non historia 205 a
susceptus à suscipiente non diuiditur 32 f
συγγνώμη quidnam 1572 f
sycophanticæ calumniæ quæ sint 424 e
syllogismi exemplum apud Paulum ubi propositiones sunt transpositæ 1420 c
symbolum meditari cum cantico Zachariæ esse edere nobis, mentitur Gardinerus 1075
symboli dictum de ascensione Melanthon dicit secundum literam esse intelligendum 110 c
symbola adiecit in cœna Christus illi doctrinæ, quam Iohannis 6 docuit 333 c
symbola Ecclesiæ tria 10 b
symbola Eucharistiæ duo quæ ipsa sint tollenda, ut faciunt papistæ 369 g
symbola Eucharistiæ sunt mors & laqueus impijs 102
symbola Eucharistiæ quare dicuntur semen uiuificatum à Cyrillo 837 a
symbola Eucharistiæ, quod ad substantiam creaturarum attinet, idem sunt post consecratiõnẽ, quod fuerunt antea 928 d
symbola Ecclesiastica separatim & distinctè corpus & sanguinẽ Domini referunt, non confuse ut papistæ somniant 368 a
symbola externa in cœna quid conferant 994 e. f
symbola externa panis & uini Christus sub finẽ historiæ adiunxit ad manducationẽ, & potũ spiritualẽ, quem prius Ioh. 6 docuit 355 b 358 a
symbola externa quare addantur in Eucharistia 275 b
symbola in Eucharistia non sunt tantum signa corporis Christi, sed etiam spiritus Sancti instrumenta 261 c
symbola in sacramẽtis id sunt, quod in scriptura literæ uel uox recitantis 548 e. f
symbola non sunt inania signa in cœna Domini 1294
symbola panis & uini non propriè referunt diuinitatem, sed tantum humanam naturam Christi 550 a
symbola sacramenti non permutantur, qualescumque sint qui accedant 802 a
symbola sacramentorũ ueteris Testamenti aliquando eadem fuerunt cum symbolis noui 249 e
symbola si res sint, multi erunt Christi 171 d. e
symbola tantum addit cœna ad manducationem præceptam Iohan. sexto, in quem etiam finem 426 d
σύμβολα τοῦ σώματος & αἵματος Origene nominat panem & uinũ 113 a
symbola ueterum cum nostris symbolis non conueniunt 148 f

ſymbolorum contumelia in ſignificatas res redundat 1013 *in ſacramẽto luculentiſſimus uſus* 369 g *uis non eſt tenuior, quàm ſit uerborum* 958 f

ſymbolis euchariſtiæ nunquam adoratio, uel genuflexio eſt exhibenda 273 e *quare Chriſtus in Euchariſtia uſus ſit* 756 f. g *quare opus ſit* 1294 e

ſynaxis 266 b

ſynecdoche in dicto Chriſti, Ego uobis cum ſum, &c. 326 d *in oratione Dominica* 350 b *in uerbis euchariſtiæ agnoſcenda eſt* 933 d

ſynodis & patribus quare non confidendum ſemper 1546 f

ſynodi inter ſe pugnant ſæpiſſimè 1546 e. f

ſynodi patres cum inter ſe conſentiunt, non ſemper uera docent 1553 g

ſynodi quandoq; grauiter errãt, quare item 1541 b

ſyricius Papa primus inſtituit decretum de perpetuo cœlibatu 1493. 1494

T

TAbernaculum erat exemplar cœlorum 159 f

tactus ultimus ſenſus 43 f

tatiani hæreſis 1515. 1516

tatianus Iuſtini diſcipulus impius & impurus 1563 d

tatiani ſunt ipſi papiſtæ 1563 d

teclæ exempla 1598 f

tempus & æterna opponuntur 167 c

tenebræ quomodo ſua ſponte, non ex creatione extiterint 80 b

tenedia bipennis 830 b

tentare proximum cum periculo nõ licet 519 b

tentario etiam leuiſſima nos illico proſternere poteſt 1434 b

πορπαϛώδεις papiſtæ 308 b

terminus euchariſtiæ eſt corpus Chriſti 655 a

termini propoſitionũ in Ioh. cap. 6 & ultima cœna ſunt conuerſi tantum 222 a

terra carnem Chriſti aliquando ſignificat 381 a

terra uera nulla iſta ἀνακλογίαι cœlo metaphorico opponitur 83 b

terrena res Iquid *in euchariſtia Ienæo ſignificet* 715 f. 717 f

Tertullianus errauit de Monogamia 1553 d

tertullianus illa corpora, quorum pedes abluebant teſtatur uera corpora fuiſſe 447 g

tertullianus per pronomen Hoc, in uerbis Chriſti non intellexit panis accidentia, ut Gardinerus ſomniat 736 b

tertullianus presbyter Carthaginẽſis ciuitatis 1568 *elapſus ad Montaniſtas ibid. ſecundas nuptias dãnat ibidem f. g ueritatem corporis Chriſti contra Martionem defendit* 322 e

tertullus nominat Chriſtianam religionem ſectam 1018. f

teſtamentum dicitur calix 146 c

teſtamentum non confirmat figura, ſed res figurata 239 d

teſtamentum Nouum ſua quoq; ſigna habet 223 a

teſtamenti noui ſacramenta Eccleſia ſemper exemplaria & ſigna nominauit 170 c

teſtamenti ueteris promiſſiones quænam ſint expletæ in nouo 760 d. e *ritus non fuerunt tantum nudæ figuræ* 783 d. e

teſtamenti ueteris ſacramenta 150 e

teſtes falſi 118 c

thaletis Mileſij dictum de ueritatis et mendacij diſcrimine 1238

themiſtius nobiliſſimus Peripateticus 25 b

theodoretus Cyrillo in ſynodo Epheſina ſe oppoſuit 31 c *interfuit damnationi eutychianæ* 36 g *non fuit Neſtorianus* 1231 a. b

theodoreti Dialogi utiliſſimi, quando ſcripti 36 e

theologia uera Dei uerbo nititur 1360 b. c

theologicæ diſtinctiones quæ nam admittantur 29 c

theologi docti unde ſuas ſumant rationes 1421 b

theologi miſſifici papiſtarum paſſim ſeſe uino ingurgitant, ut totam noctem ſub menſa in œnopolio dormiant 338 a

theologorum uitium grauiſſimum 116 b

theophylus qualis fuerit 265 a

theophylum tyrannidem exercuiſſe in Chryſoſtomum 265 a

theophylactus refragatur latinis Eccleſijs in proceſſione ſpiritus Sancti 607 b

theophylactus ſcriptor recens 285 d

theophylactus uir non magni iudicij 286 a

theophylacti tempore agitata tranſubſtantiatio 285 f

theophylacto Martyr non multum tribuendum cenſet 434 a

theophylactum Latinis fuiſſe aduerſarium 285 e

θεοτόκῳ uocabulum contra Neſtorium tractatum 632 d

theſſaliæ conſuetudo quo ad clericorum matrimonium 1521. 1522

thomas Aquinas 25 b

thomas Crammerus in ſancta fide & cofeßione in medijs ignibus perſtitit 141

thomas Crammerus uir doctiſſimus & ſanctiſſimus 139. 938 a

thomas in India 88 c

thomæ Crammeri Archiepiſcopi Cantuarienſis captiuitas dura 139

thomæ ſcotus ſe opponit in ſimplici uoto 1631 e

thomam Crammerum Cantuarienſẽ Archiepiſcopũ conſtanter pro fide Chriſti duriſſimã mortem ſuſtinuiſſe 139

thyeſtæa cœna 245 f

tiberio Cæſare gubernate Chriſtus mortuus eſt 246 a

tichonuius Donatiſta, eiuſq; in conſcribendis regulis conſilium non improbatur ab ipſo Auguſt. 931 d

timotheum ſuum quare circumcidit Paulus 1455. 1456

timtinnabula cum laterna quare ſacrifici in circumgeſtatione ſacramenti adhibeant 436 d

titum quare Paulus nõ uoluerit circumcidi 1455. 1456

titi & Veſpaſiani excidio Chriſtiani omnes à Iudæa migrarunt 1344 b

toletanum concilium quænam de iuramentis ſtatuat 1455. 1456

toletani concilij canon 1618 b

tonſtallus fatetur ante Innocentium 3. licuiſſe Chriſtianis tranſubſtantiationi nullam fidem tribuere 515 a

tonſtallum fidem Chriſtianam non ex ſacris literis pendere exiſtimare, ſed ab Eccleſia 515 e

tormenta communicantium indignè quo ſenſu æterna dicantur 551 a

totus Chriſtus eſt Deus perfectus, non autem totum Deus eſt 64 e

totus Chriſtus ubiq;, non autem totum 64 d

totus homo perfectus. non autem totum homo 64 e
totum ad naturam refertur totus ad Hypostasin 64 d
totum de singulis partibus non prædicatur propriè 1113 b
totum & totus 64 f
traditiones papistarum non illustrat legum Dei nec etiam populum erudiunt 1525 b.c.d.e
nonnullæ quare in Ecclesia aliquando tollantur 1514 e
sæpissimmè errant & inter se pugnant 1553 d
traduce propagari est per semen carnis propagari 402 c
traianum Imperatorem precibus Gregorij liberatum contendit Damascenus 280 f
transelementandi uox non statim significat transubstantiationē 287 f
transcundi uerbum quid significet 297 d
transfiguratio Christi ubiquitatem confirmare non potest 91 c.f
transfigurationis & Crucifixionis idem fuit subiectum 622 b
transfiguratione Christus discipulis suis maiestatis suæ gustum præbuit 91 e
transfiguratus Christus in monte tabor fuit, non in cœlis 91 e. f
transfiguratus Christus moriturus erat 330 d
transire in Christum quomodo dicamur 539 d
trasite in diuinam substantiam quid nam sit 660 b
translationibus à reb. corporeis sumptis in diuinis quare utamur 49 c
transnaturalia quæ aliquādo in corporibus hominum & animantium fiunt, ijs non ufferunt suos terminos lineamenta, circum scriptionem 948
trasubstantiati non fuerunt quorum nomina fuerunt mutata in ueteteri & Nouo testamento 747 d.e
transubstantiatio, dicitur conuersio, mutatio, transelementatio 294 d
infalsa & fatuasus 140
noua uox quæ occasionem dedit Iddolatriæ 1215 d
transubstantiatio peperit oblationes Adorationes Reseruationes, Distractiones corporis Christi 140
transubstantiatione quare Martioni, Valentino, Eutycheri faueat 295 b
transubstantiatione tutum ultimis temporibus à papis & scholasticis obtrusa 628 b
transubstātiationis absurda 1296 c.d
error proximi accidit ad Arrianorum hæresin 621 d
transubstantiationis ne uox quidem audita fuit tempore Cypriani, Nazianzeni, optatij, Augustini 1048 d
transubstatiationis origo 131 d
transubstantiationem ex sacris literis non posse probari ipsius docent papistæ aliqui 515 c
Græci uoluerunt recipere 515 d
non doceri scriptura fatetur cheazeus 1248 b
transubstantiatione posita mali uersuntur corpore Christi 1267 d
transubstantiatione si Christus nobis cum esset non reliquisset mundū 1203 c.d
transubstatiatores inconstantissimè sibi contradicunt 116 e
transubstantiatores se non possunt tueri autoritate Theodorcij, Fulgentij uigilij 285 c
triburiense concilium uasa Eucharistiæ uitrea & lignea admisit 433 c
triā si ut quatuor non uult Deus efficere 189 c
trinitas in creata in qualibet creatura quomodo dicatur 394 b
si esset partibilis & corpus in loco foret 25 f
trinitatis articulus non est miraculū 441 d
cum alijs creaturis unio longè arctior est quam corporis Christi cum pane aut eius Accidentibus ut papistæ fingunt 395 b
mysterium asseritur 834 a
trophonij antrum 810 d
tropicæ loquutiones quibus Christus usus, nec tamen momil esse tropos 281 f.g
tropicæ propositiones quæ similes sint illis hoc est corpus meam 1255 d
tropice intelligēda esse uerba institutionis quænam doceant 136 f
tropus certitudinis causa non est adimendus 1008 d
tropus quoq; est, cum ex eo, quod dicitur, aliud quiddam indicatur 326 d
tropum in Eucharistia patres ueteres semper docuerunt & agnouerunt 252 b
in uerbis Christi tamen quare sit necessum 1256 b
tropi in Eucharistia qnodo duplices esse posint 999
tropi inscriptura ubi sunt manifesti non sunt negandi 1227 e
Merony & synecdochre ab Allæ osi non multum absunt 933 e
tropi multi in ueniuntur in explicatione cœna, quam tradunt euange listæ 146 e
troporum hostes 83 e
tropis ipsi papistæ nō abstinēt 1003 f
tropis uti milius est cum ueritas hoc exigit, quam præstigijs illudere homines 252 b c
tropos emollis consuetudo loquēdi, non autem tollit 328 d
turdi fiscum quo capiantur egerunt 116 d
τὰτο non aliò referri potest quam ad poculum 1474
typica prædicatio quid sit 131 e
typica prædicatio à Sacramentali nō est discerpenda 132 c
typus nil aliud quam forma figura, exemplar 264 d
τύπνι dicuntur panis & uinum corporis & sanguinis Christi in cœna ab Ecclesiasticis scriptoribus Græcis 132 c
typi semper rei significatæ similitudinem habent 791 c
typos non religiosæ administrantes & tractantes puniti 1013 e

V

VAleriam tempore Ecclesia nondum pacem habuit 1573 f
ualeriano imperame ne auditum quidem erat Turcarum imperium 546 d
uatuum spacium reliquitur 1298 c
uadianus uir integenimus atq; doctissimus 288 d
ualentinianus Imperator nondum baptizatus interijt. 424 b
ualentiniani negam bonus creaturas à bono Deo esse conditas 722 d
ualentiniani phantasticam Christi carnem fingunt 243 f
ualentianianum Imperatorem esse seruatum, quamuis non fuerit baptizatus 424 b
uasa in Eucharistia continem mysterium corporis Christi non ipsum corpus 805 c
ubique Aduerbium quomodo ad subiectū sit referendū 66 b
apud Hieronymum sumitur indifinite hac

ac diuisimi 62 f
ubiq; Christus quomodo dicatur esse simpliciter 326 c
ubiq; Christi corpus esse non potest 1
ubiq; esse Christum quomodo Ambrosius intelligat 169 c
ubique esse corpus Christi si dicatur à patribus quo sensu illud sit accipiendum 378.38 a
ubiq; esse, & tempore in pluribus locis simul esse corporis humani naturam negant 211 d
ubiq; esse per accidens quid nam sit 20 b
ubiq; ita Deitatis proprium ut humanitati non detur 13 c
ubiqua quæ sunt localiter moueri nõ possunt 34 e
ubiq; quid significat 59 a.b.c quomodo dicatur esse Deus 198 c
ubiq; uersari quomodo corpori Christi tradi non posit licet facultas uiuificandi, sanandi, sanctificandi, ei detur 56 f
ubique si fuit Christus non potuit se de uno loco in alterum conferre 19 a
ubiq; si nullam significet Localitatẽ necessum est ut ubiquitani, illi sapientes nouam Grammaticam nobis conscribant 59 d
ubiq; ut Deus non est, quod in Deo est 28 a
ubiquistarum acumina obtusa ignorant docta uetustas 28 d
ubiquitas communi sensui repugnat 2 b
ubiquitas dogma prorsus alienum ab Ecclesia Christi 2 b
ubiquitas humanæ naturæ per Accidens tribui non potest 20 a
ubiquitas proprium diuinæ naturæ 169 c
ubiquitas si naturæ humanæ conueniat, eidem certè immensitas erit adscribenda 18 e
ubiquitas triplex Localis Repletiua, personalis 58 b
ubiquitas Veneranda 138 f
ubiquitas ueritatem humanæ naturæ planè tollit 46 g
ubiquitatis contentio cur sit suscepta 19 d
ubiquitatis dogma scriptura nusquã confirmat, patres ueteres condemnant recẽtiores sani omnes improbant 102 c
ubiquitatis figmentum nouum est 2 b
ubiquitatis figmentum per alia figmẽta stabiliendum 87 a
ubiquitatis portentosam doctrinam papistæ oderunt 2 b
ubiquitatis uox portensa & barbara 3 a
ubiquitatem humanæ naturæ qui tribuunt, illi etiam immensitatem eidem adscribunt 18 d
ubiquitani à papistis parum differũt 130 f
ubiquitari, à papistis parum differũt 130 f
ubiquitarum ἀντιδόσεις statuunt 18 f
ubiquitarij cacodæmonem potius nominari ferunt, quàm quorundam præclarissimorum uiruum nomina 110 a Christo subtrahunt opus creationis uniuersorum 19 d duo infinita statuunt 18 c duplicem ascensum ad cœlos statuũt e 86 c erroris sui fundamentum quodnã 12 c fines orthodoxæ fidei transilierũt. 1. d ignorant id quod pueri ludo triuiali notissimum habent, scilicet ubiq; esse Aduerbium Loci 59 d in manu sua habent diuinas proprietates in naturum humanã transfundere quascunque uelint 19 c insimulant orthodoxos, quasi Axiomatis Aristotelicis nimium tribuant 3 f pacem sanctis Ecclesia, Dei per orbem auferunt 31 c plebem facilè demulcere possunt suis blanditijs non autem cordator et sapientes uiros 125 a quare tam confidenter contendant Christi humanitatem omnia loca implere 2 a quatenus corpus Christi fingunt esse ubiq; 57 b. c quibus uocibus odiosis uiros innocentes & doctis calumnientur 3. a quomodo naturarum confusionem et transubstantionem introducant 132 a sanctos uiros contumelioſissimi uocibus nominat 138 b semper pios & orthodoxos condemnarunt 38 c Vnionem duarum naturarum in christo ita factam accipiunt, quasi natura diuina conclusa fuerit in humana 10 d
ubiquitariorum Charitas erga fratres 138 a.b
ubiqtarijs corpus Christi est aluta 3 c
uelandarum uirginum libri argumentum 1569 b
uelle tantum bonum diuino indiget auxilio 1583 e
uenire ad Christum est credere in Christum 830 f
ueracissimum & sanctissimum apud Hesychium ad significationem referuntur 766 a. b
uera ex falsis colligere est tantùm sophistarum 1613 c
uerbalis Idiomatum communicatio quæ nam sit 30 b
uerbales communicationes quæ nam sint 30 c
uerbum animi seu Rationis uice in Christo fuisse quidam Hæretici docuerunt 15 a
uerbum Dei & Eucharistia dignitate æquantur 872 c.874 a
uerbum Dei in carnem Eutyches statuit 36 d passum, crucifixum, mortuum in sua natura ibid.
uerbum Dei nusquam est quin idem sibi coniunctam habeat humanitatem, licet non præsentem, quo ad omnia loca quæ complet 14 a quomodo per seipsum & solum salutem hominibus non attulisset 536 g semper apud patrem & in patre fuit 106 e uerbum descendit de cœlo 354 e
uerbum Domini in Eucharistia est efficax nõ quia dicitur, sed quia creditur 419 d
uerbum & sacramenta quatenus æquentur 959 a quomodo nihil possint 128 e
uerbũ exaltationis nõ est capax 53 a
uerbum in corpore Dominico habitauit 89 a
uerbum morti & passioni adfuit, sed quieuit inquit Irenæus 35 e passibile, ac immortale 30 d
uerbum prædicatum fidei caussa instrumentalis 128 d quare dicatur nobis largiri peccatorum codonationem & uitam æternam 242 g
uerbum quomodo caro dicatur 34 f quomodo patiatur 45 d
uerbum quo sensu caro dicatur 30 c sic caro factum ut natura eius integra maneret 243 b ubicunque est secum coniunctam habet naturam humanam, licet non statim quotcũque in locis illud sit eam secum habeat coexistentem 537 a
uerbum uirtus Dei est ad salutem omni credenti 457 f
uerbi contemptares Christum cruci figunt denuò 732 d Dei contemptores à Deo punienter 1016 a.b
uerbi Dei neglectus & Eucharistiæ æqualem culpam habent 874 a
uerbi diuinitas manu duntaxat habet

habet hypostasin 169 d
uerbo Dei homines in mundo nihil precioſius habent 457 d.e
quæ aduerſantur, non poſſunt eſſe rata, etiamſi iuramenti religio interceſſerit 1455. 1456 ſi addantur ſymbola, homines magis commouentur 998 b.c
uerbo externo ſanctificatio utcunq; datur 46 f
uerbo quæ nam communicari non poßint, licet ſint humanæ naturæ 40 d
uerbo ſanctificantur ſacramenta 898 b
uerbo ſunt etiam annumerãda ſacramenta 696 d
uerbum Dei qui negligenter audit, non minus reus eſt, quàm ille, qui corpus Chriſti ſua negligentia in terram cadere permittit 737 a
uerbum quidam Hæretici loco animæ ponebant 1241 f
uerba audibilia ſunt ſacramenta, quæ durant donec actio abſoluatur 764 b
uerba coniuncta carni cum ſunt, tum uiuificat 50 a
uerba cum ex ore proferuntur, ſui notionem faciunt 764 b
uerba ex ſignificatione ſuam ſpeciẽ & formam habent 955 a
uerba quonam reſpectu plus faciant ad fidem generandam, quàm ſymbola 1041 d
uerba uiſibilia ſunt ſacramẽta 128 d.e
ucrè Aduerbium referendum ad præſtantiam, non ad craſſam præſentiam, 890 c
ueritas altercando amittitur 145 b
ſæpè 1230 c
ueritas ego ſunt dixit Chriſtus, non Ego ſum conſuetudo 240 f
ueritas ex natura rerum colligenda eſt 971 c
ueritas ſacramenti cõſtat, etiamſi res præſens non ſit 922 d
ueritas ubique diffuſa eſt, corpus autem Domini in uno loco 873 c
ueritas uincit 240 d
ueritatis uis quàm ſit prægnans 193 g
ueritati agnitæ cedere non eſt minimus cultus diuinus 1223 b
ueritatem catholicam non reliquerunt qui non diſceſſerunt à uerbo Dei 1026 e
ueritatem omnia ſacramenta habent 869 d
ueritatẽ rerum omnium in cœlo habituri ſumus, cum earum imagines tantum habeamus 165 f
in Veritate et in ſacramento ſunt antitheta 888 c
uermes gignuntur putridis 487 a
uertumnum potes Gardinerum nominare 209 c
uerum à quocunq; dicatur amplectẽdum 4 a
ueſtis Chriſti in quatuor partes diuiſa quid ſignificet 536 e
ueſtales uirgines in humore fuerũt apud Romanos 1551 a
ueſtales uirgines in precio apud Romanos 1576 e
ueteres etiam fruebantur corpore et ſanguine Chriſti 1072 a
ueteres in ſuis ſignis comederũt Chriſtum 132 d
ueteres ſua ſacramenta eodem modo percipiebant atque nos noſtra 149 a
ueterum ſacramenta & noſtra ſunt eadem 148 e
uiaticum papiſtarum explicatur quale ſit 816 c
uicaris præſentes opus non habent 210 f
uicariis ſuis etiam terreni principes potentia & imperio adſunt 210 g
uiclephus uir integerrimus atque doctiſſimus 288 d
uictima quanam ad æternam uitam uegetemur 154 d
uictimæ integræ & non corruptæ allegoria 1571 e
uictimam in Echariſtia præſentem eſſe gratia, teſtatur Emiſſenus 330 a
uictimæ carnales quid adumbrarint 248 f
uictimæ quare fuerint uouendæ 1395 b.c
uictimarũ analogias nemo plenè potuit intelligere 1574 b
uictor papa ueneno hauſto è calice perijt 479
uidendi ſenſus apud bonos autores latius multò ſe extendit, quàm ad uſum oculorum 894 b
uidentes quare dicuntur prophetæ 42 c
uidere non ſolum iubet Chriſtus, ſed etiam palpare 476 c
uiduarum uſus quas Eccleſiæ alebãt 1551 a
uiduas iuniores quare Paulus uelit nubere 1359 a
uinum aſſumptum in ſacramento in ore uel uentriculo nullam niſi naturalem mutationem patitur 244 f
uinum eſt ſanguis Domini figura & ſignificatione 714 c
uinum fuit in poculo Euchariſtiæ, ſimiliter etiam ſanguis, ſed modo ſacramentali 279 d
uinum in Euchariſtia quare ſit ſanguis Chriſti, & quomodo 242 f
uinum mutatur in Euchariſtia ſed in ſacramentum ſanguinis 244 e
uini potus ipſius Chriſti poſtremus, in carne mortali 341 d
uini potum omnibus ferè Chriſtianis adimit Hieronymus 1607 b
uini ſpecies 341 f
uino ſobrietatis inebriemur, inquit Hieronymus 270 a
uirum bibiſſe Chriſtum & Apoſtolos uerè probatur 338 e
uinum Chriſtum in cœna bibiſſe 1007 g
uirga Aaronis miraculoſa 431 e
uirga Moſis qua petra percuſſa adumbrat uirgã crucis ſalutaris 701 e
uirga ſerpẽs dicta per tropum 1227 d
uirgilius 316 a
uirginem poſt ruinam Deus ſuſcitare non poteſt 5 d
uirgines Carthaginenſium aperto capite in templum uenerunt 1569 c
uirgines ne tantùm, an etiam mulieres uelatas eſſe oporteat ex Pauli ſententia 1569 c
uirgines ordinatæ 1569 a
uirgines quæ eadem lecto cum uiris cubabant, & nihil ominus uirgines haberi uolebant 1573 a
uirginum exempla quæ cum caſtitas illarum perclitaretur, ex altiſſimis locis ſe præcipitarunt 1595 g
uirgimitas aliquando licet ex uerbo Dei 1375 c
uirginitas beatæ Virginis non fuit uiolata 1346 e
uirginitas commendatur in nouo Teſtamento, at uotum de hac nuncupatum non extat 1398 a
uirginitas cum ſpiritu eſſe poteſt & cum litera 1582 f
uirginitas cur ab Apoſtolorum temporibus ſtatim in tanto honore fuerit 1549. g 1550 a.b
uirginitas per ſe uirtutis rationem non habet 1407 b
uirginitatis negotiũ cum à Paulo tractatur, cauendum ne à nobis cautio omittatur 1550 b uotũ triplex com-

cõmemorat Augustinus 1608 d.e
uirginitatem an quis putet esse possibilem 1576 e
uirginitatem ante Christum nemo suasit ibid.
uirginitatem & cœlibatum Christus & Paulus libera esse uoluerunt 1392 c
uirginitate homines angelis aggregari non potest admitt 1582 c
uir si à cõiuge peregrinatione seiunctus sit, nihilominus est una caro 130 b
uirtutes Christi non pertinẽt ad corpus 1233 f
uisibili & inuisibili præstigiatores quidam multa sophismata tegũt 199 c
uisio Stephani martyris an imaginaria 119 d
uisiones prophetarum imaginariæ ibidem
uisus ministerium 43 f
uisus si plures cõplectatur, quomodo fiat 120 d
uita æterna quæ sit futura 530 d
uita corporea ipsius Enoch & Eliæ an aliqua sit nunc 202 d
uita corpus et sanguis Domini quando fuerit 887 d
uita Dei quomodo in nos transmittatur 536 d
uitæ futuræ perfecta cognitio 166 f
uitæ uim quare symbola Eucharistiæ habere dicantur 836 c
ad Vitam æternam Christus & animos & corpora instaurauit 543 b
uitam cœlestem sine spirituali cibo retinere non possumus 727 d
uitam corporis habere, simul quoq; non habere, fieri non potest 190 d
uitam nemo percipit, nisi is qui etiã fructum uitæ 887 e
uita æterna frui, & manducare carnẽ Christi sunt reciproca 1270 c
uitia refrenare ani Christi corporalis præsentia possit 125 d
uiuendi honesta ratio quænam sit in œconomia ipsius patrisfamiliãs 1403 f
uiuificandi distinctio 777 b.c
uiuificare quatenus dicitur caro Christi ibid.
uiuificationis uis in carne Christi unde 465 d
ulpianus 113 e
umbra, imago, ueritas 166 c
umbrarum præcedentium omnium Christus corpus fuit 237 e
umbras habuerunt sub lege 164 b
unio duarum naturarum in Christo nunquam desitura 15 f in eadem persona ualet pro Christi ueritata asserenda contra Nestoriũ 1 c
unio facit nomina communia 33 g
unio hypostatica nihil impedit, quominus Christi corpus in loco sit 24 e
unio in eadem hypostasi diuersitate locorum non tollitur 11 d
unio nostra cum Christo non ex sola Eucharistia dependet 948 d
unio panis & uini cum corpore & sanguine Christi minor est, quàm humanitatis cum diuinitate 131 d
unio personalis ubiquitariorum ab Eutichetis errore non est aliena 10 d.e
unio spiritualis quam habemus cum Deo, quomodo fiat 549 f
unio ut seruetur, non est necesse uniũ tam latè patere, quàm alterũ, simili demonstratur 16 d
unionis dissolutio non est metuenda, etiamsi unicuiq; naturæ sua proprietas tribuatur 42 f
unionis hypostaticæ falsissima definitio 10 d
unionem duarũ naturarum in Christo quomodo orthodoxi factam esse uerissimè doceant ibid. e
unionem hypostaticam sic concedũt pij, ut naturas & earum proprietates non confundant 22 c
unionem nõ tolli, quamuis una pars latius altera pateat 11 f
unionem uoluntatis & concordiæ in beata trinitate intercedere tantum inter patrem & filium docebant 1117 d
unione uiuifica Christus nobis coniungi potest, licet agat ultra oẽs uisibiles cœlos 129 g
uiri uos corporaliter in Eucharistia cum ipso Christo, quomodo intelligenda sit 530 b
unitas personæ non tollitur, etiamsi naturæ coniunctæ non adæquentur 12 c
unitas spiritualis, quam renati habẽt cũ sanguine & corpore Christi, ut fiat, nõ requiritur loci propinquitas 129 f
unitatem non diuidi ex diuerso partium loco 11 d
ab Vniuersali re ad particularem nõ ualet collectio affirmando 491 d
uniuersalia præter singulas res existere Peripatetici planè non concedunt 204 d unum potestatiuum Aristoteles animam rationalem facit 121 d
uocabula ipsa non mouere nos multum debent, si de rebus constet 1345. 1346
uocatio Apostolorum quando confirmata 420 d
uocatio Christi Apostolorum non diuortium illorum induxit 1339 f nec ullum introducit diuortium 1402 d
uocationem nostram non promouet exacta locorum cognitio in cœlis beatorum 876 d
uolucres cœli, id est aeris 79 d
uoluntarium requirit notitiã 1463 d
uoluntarium tollitur ab ignorantia 1453. 1454
uoluntas cum necessitate nõ pugnat, sed cum uiolentia 876 b
uoluntas Dei in terris dum homines misseram uitam exigunt, nunquã perfectè fieri 122 f.g
uoluntas Dei quatenus ab humana intelligentia percipiatur 4 d
uoluntas diuina quæ à nobis sciri potest, ex solo Dei uerbo petenda 612 b
uoluntatem cogi non posse, sed aliquid necessariò uelle potest 87 b
uoluntatem Dei inquirere aliud est, & aliud Dei uires in controuersiam uocare 4 d
uoluntatem Dei in sacris literis adoramus 1182 d
uotarios sub lege 1414 d
uotum aliud cõmune, aliud singulare 1630 b
uotum aliud esse solenne, aliud priuatum 1575 d
uotum ante pubertatis tempus promissum, non esse debere ratum 1576 f
uotum cæremoniale est, non morale 1434 d
uotum cœlibatus quinam locus noui Testamenti maximè confirmet. 1349 d
uotum cõmune quid 1630 b irritum factũ animi perturbatione 1628 f parui põderis quodnã sit 1627 e peregrinationis sine cõsensu uxoris à uiro an fieri possit 1627 f
uotum quidnam sit 1334 c quodnam explicet autor in hac disputatione contra Smytheum 1333 e singulare quid 1630 b
uotum Smytheus nonnisi ex patrum interpre-

interpretationibus ſtabiliri poteſt 1359 d
uoti explicatio non niſi ex ueteri teſtamento ſumenda, cũ in nouo illius ferè nulla doctrina extet 1334 b natura ut plenè explicetur, quæ nam ſint obſeruanda 1359.1360
uoti ne, an matrimonij fortius uinculum 1631 d
uoti nomine in qua ſignificatione ali quando uſi ſint patres 1369.1370
uoti priuati quænam ſint 1607 d
uoti præmiſſiones æquè bene requirere iuſtum ætatis tempus & maturum iudicium, ut reliqui cõtractus 1576 f ſignificationes 1333 a ſingularis ſubdiuiſio 1630 b ſolennitas commentum eſt 1629 b
uoto continentiæ an aliquod maius ſit 1628 b
uota an reſcindi queant 1360 apud populũ Dei 1333 d facta ante decimum quintũ uel decimũ octarum annum irrita habenda ſunt 1461.1462 impia & crudelia 1361.1362
uota lex antiquitus non habuit æterna, ſed ad tempus ibid.
uota locũ non promouet 1573 g non niſi eorum ſunt, quæ ad ſalutẽ non ſunt neceſſaria 1369.1370 omnibus Chriſtianis communia 1607 d publica uirginitatis et cœlibatus cum ſolenni Epiſcoporũ conſecratione quando cœperint 1575 c quæ urgẽt in Leuitico & Numeris quomodo intelligenda 1369.1370
uotorum diſtinctio quadruplex inanis & ridicula 1334 a progreſſus qũo Paulus creuerit 1568 a ueteris Teſtamenti finis 1385 a.b
uotis quare ſe aliqui tam ſeuerè obligent 1363. 1364
uotalia eſſe accidentalia, alia ſubſtantialia 1459.1460
uota quare Paulus Apoſtolus ſuſceperit 1455.1456 monachorũ & nonnarum à temporibus Apoſtolorum atq; Chriſti fuiſſe probata falſiſſimum eſt 1541 d
uotis patres ueteris Teſtamenti tanquam pædagogia uſi ſunt 1384 g. 1385 a
uouendi mos apud ueteres etiã ante latam legem fuit 1333. c
uouentium infelicitas 1396 d
uouere cupientibus quænam ſint inculcanda 1393 c
uouete Deo, & reddite quo ſenſu dictum ſit à Dauide 1369.1370
uouere marito non licet citra mariti conſenſum 1457.1458
uouere poſſunt coniuges mutuo conſenſu continentiam 1608 e
uouere quibus conditionibus debeamus, & in uotis quæ nam fugienda unicè 1371.1372
uouere ſe in nomina ſanctorum, eſt planè Chriſtianiſmo contrarium 1365. 1366
uouere tantùm illos qui ſuas explorauerint uires, eſt falſum duabus de cauſis 1491 c.d. 1492 b
uouiſſe Chriſtianos ſua in actis Apoſtolicis non legitur 1346 b
uouiſſe Græcos Romanos Barbaros hiſtoriæ docent 1333 d
uox miſſa neſcit reuerti 1606 b
uox numero una nõ eſt, quam aſtantes omnes percipiunt 116 a.b
uocis propria ſignificatio niſi benè intelligatur, ſimilitudo eius quæ inde ſumitur, nõ cognoſcetur facilè 350 e
uocis mentio tum quo ad nomẽ, tum quo ad rem nulla eſt in nouo Teſtamento 1348 e.f
uoces Euangelicas & Apoſtolicas Theologi, tanquam ad unã perſonam ſpectantes, ratione duarũ naturarum diuidunt 31 d
uoces quæ ſignificantius res exprimunt, omnium optimæ 3 a
uſus illius rei quæ eſſe deſunt, planè nullus eſt 607. e
uterus uirginis an poſt partum clauſus manſerit 96 e
uulcanus Gardinerus ſuam Pandorã ad omnium patrum commentarios circumtulit 283 d
uulcani officina in qua laborant Cyclopes, multa ſubminiſtrat ueſtophiſtis 1422 b
uxor pia poteſt maritum miniſtrum Dei in conſilijs dandis, quod Eccleſiaſticus functiones, iuuare 1493. 1494
uxor quomodo adiutorium ſit uiro 1565 f.g
uxoris prudentis ſumma commoda 1493.1494
uxoris unius uir qũo poſſit intelligi à Paulo 1507 f.g 1508 a.b
uxor in quibus aſſentiri conueniat 1405 e
uxori licet per leges põtificias nihil ſuum ex monaſterio repetere 1457.1458
uxori placere quid nam ſit 1405 d.e
uxorem habuit Moſes 1599 d
uxore ægrota, aut abſente, aut alio modo impedita ſanctius uiuere quomodo affectus eſſe debeat 1438
uxores qui nam hæretici communes habuerint 1561 b attingere in ueteri Teſtamento non prohibebatur illi, qui nouebant 1392 e

Z

Zacharias inter templum & altare occiſus, quiſnã fuerit 1556 e
zacharias uice Abiæ defunctus eſt ſacerdotio 1594 d
zizania papiſtica quomodo à bonis ſemine diſcernenda 228 d
zepherinus in numero canonum Apoſtolicorum diſcrepat à numero uulgari 1522 d
zuinglius fortiſſimus heros ... 936 d grauiſſimus, doctiſſimus, ſanctiſſimus uir 936 d pias & ſanctas cogitationes habuit de duabus naturis in Chriſto 169 g, ter integerrimus 889 d
zuinglium in inſigni conſtantia ueritatiſq; teſtificatione uſq; ad extremũ uitæ diẽ perſeuerâſſe 936 d

FINIS.